



Signt. Top.
Est. 48
Tab. 3
Núm. 7

R° 1036.

ZEGERI BERNARDI

VAN ESPEN,

J. U. DOCTORIS ET PROFESSORIS

IN ACADEMIA LOVANIENSI

OPUSCULA VARIA,

SIVE

JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSI

PARS QUARTA,

SECUNDA EDITIO HISPANA PRIORI ACCURATIOR, MENDISQUE QUAMPLURIMIS, QUÆ IN ILLA PASSIM OCCURRUNT, AC PRÆCIPUE IN INDICIBUS, DILIGENTER EXPURGATA.

TOMUS TERTIUS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

MATRITI : ANNO MDCCXCI.

IN TYPOGRAPHIA RAIMUNDI RUIZ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Ko 1038

INDEX

DISSERTATIONUM CANONICARUM, ET TRACTATUUM,

QUÆ IN HAC QUARTA PARTE JURIS UNIVERSI ECCLESIASTICI CONTINENTUR.

I. De Peculiaritate in Religione & Simonia circa Ingressum Religionis.

II. De Instituto, & Officiis Canonicorum.

III. De Horis Canonicis & singulis earum partibus.

IV. De Simonia circa Beneficia, administrationem Sacramentorum & Celebrationem Missarum: Item de Pensionibus Ecclesiasticis.

V. De Dispensationibus, præsertim Matrimonialibus.

VI. De Jure Parochorum ad Decimas & Oblationes, & de Competentia Pastorali.

VII. Dissertatio ad Regulam: *In Dubiis semita tutior eligenda*, cum Explanatione Regulæ Juris: *In pari Delicto vel Causa potior est Conditio Posidentis.*

VIII. Repagulum Canonicum adversus nimiam Exemptionum à Jurisdictione Episcoporum extensionem, &c.

IX. Ad Regem Juliam de Ambitu, sive de vetita Officiorum venalitate.

X. De pristinis Altarium, & Ecclesiarum Incorporationibus, & Donationibus, &c.

ZEGERI BERNARDI VAN ESPEN

J. U. D. & SS. Canon. Profes. Lovaniens.

DISSERTATIO CANONICA

DE PECULIARITATE IN RELIGIONE

ET SIMONIA CIRCA INGRESSUM RELIGIONIS.

AD LECTOREM.

Cuipiam de vita Fidelium ritè instituenda tractanti hac nostrâ ætate duo accidere solent: Si mores corruptos ad Evangelii & Canonum puritatem reducere studeat, illicò audit Reformator, Jansenista, & si quid hisce pejus: Si quis è Clero seculari quidpiam dicat vel scribat, quod Regulares concernit, mox illud ex imminuto erga Religiosos affectu dicere vel scribere judicatur.

Rogatum te velim, *Benevole Lector*, ne altera harum opinionum animum tuum præoccupet, cùm ad lectionem hujus mei Libelli accingeris: nihil quippe, meo quidem judicio, Christianæ veritati & Ecclesiasticæ Disciplinæ magis inimicum istis præconceptis opinionibus. Neque enim advertunt, qui ejusmodi sunt, quod SS. Patrum auctoritatem non parùm imminuant, imò sacrosanctos Ecclesiæ Canones, Pontificum Decretales, Constitutionesque ejusmodi præjudiciis pro magna parte inutiles & frustraneas reddant.

Ut rectè de hac mea Dissertatiuncula judicium feras, ex Evangelio, ex primæva Christianorum vivendi norma, ex sacris Ecclesiæ Canonibus, Pontificum Decretalibus judicium formes velim. Si tamen & animum Scribentis introspicere lubet, hic alius non est, quàm ob oculos ponere, in prima quidem parte, quod Religiosæ Paupertatis voto omnis reddituum vitalitiorum, similisve Peculii qualiscumque Proprietas adversetur: In altera verò parte quo pacto in receptione ad Statum Religiosum Simoniæ labes contrahatur. Hæcque iterum eo fine, ut quæ pro munere meo ex Canonibus & Historia Ecclesiastica (quæ præcipua studii mei pars est) in adversaria mea retuli, publico quoque bono consecrarem. Quo fiat, ut Regularium Directores & Seculares & Religiosi in compendio habeant, quid in duobus præfatis punctis censuerit purior Ecclesiæ ætas, quid etiamnum præcipiant Synodi, & quo tandem animas sibi commissas hac in parte dirigant, ne quid in virgineo Ecclesiæ, hoc est, illo Regularium flore adulteretur.

SCOPUS

PRIMÆ PARTIS

HUJUS DISSERTATIONIS.

Propositum mihi est in prima Dissertationis parte ex verbis Christi, norma vivendi primorum Christianorum, Religiosorum Regulis, nec non Conciliorum Decretis ostendere, quod Professio Cœnobitarum seu Religiosorum in communi viventium necessariò secum trahat omnimodam rerum temporalium, etiam quoad *usum*, in particulari abdicationem, & perfectam ac universalem rerum omnium *communionem*.

Ex quibus facilè ostendero, quod in his, quæ ad dictam abdicationem aut communionem pertinent, nulla sit penes Superiorem relaxandi potestas.

Hinc deinde consentaneum esse monstrabo, quod Religiosorum nemo quidquam in *usus* suos particulates, nec ex consensu quidem & dependenter à nutu Superioris penes se aut tertium, seu etiam Superiorem, extra communionem reservatum habere queat.

Quo posito non difficulter probavero quantopere solemni, quam Religiosi Deo fecerunt, sponsioni adversentur redditus illi vitalitii, quos vel ipsi Religiosi sibi in actu Professionis, aut eorum Parentes *ad usus ipsorum particulares* constituunt aut reservant, cæteraque omnia peculia, quæ *privatis usibus alicujus* Religiosi à reliquis Monasterii proventibus separata tenentur.

Ne verò morbum detegere & non adferre medelam videar, nonnulla suggerere conabor, quibus malo isti tam à subditis, quàm à Superioribus ocurratur.

IN-

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM,

Quæ in hâc quarta Parte continentur.

DISSERTATIO CANONICA

De Peculiaritate in Religione, & Simonia circa ingressum Religionis.

PARS PRIMA.

DE VITIO PECULIARITATIS.

CAPUT PRIMUM.

De absoluta rerum omnium temporalium in particulari abdicatione; & earum perfecta seu omnium Particularitatem excludente communione ad paupertatem Religiosam & vitam Cœnobiticam necessariis.

I. *EX verbis Christi & normam vivendi primorum Christianorum ostenditur ad vitam Religiosam in communi necessaria esse absoluta rerum omnium, etiam quoad utendi facultatem, in particulari abdicatio, & perfecta earum communio,* 1

II. *SS. Augustini, Benedicti, aliorumque Patrum Regulas, descriptam §. anteriori absolutam rerum abdicationem & perfectam bonorum omnium communionem requirere ostenditur,* ibid.

III. *Synodus Tridentina dictas abdicationem & communionem Regularibus servandas proponit,* 2

IV. *Ostenditur ex Decretis particularium Conciliorum, quòd Synodus Tridentina perfectam rerum communionem proposuerit,* ibid.

Corollarium I. *Ex doctrina hactenus tradita consectaneum est, peccare contra votum paupertatis illos, qui rem quacunque ita volunt sibi esse propriam, ut aliis nolint esse communem,* 3

Appendix ad præcedens Corollarium. *Equibus dignosci possint, num Religiosus quispiam laboret vitio proprietatis, aut simulata sit omnia abdicandi & in communionem redigendi promptitudo,* ibid.

Corollarium II. *Ostenditur ex regulis Religiosorum, quòd ne quidem* dependenter *à voluntate & nutu Superioris Peculia ad usus particulares alicujus Religiosi concedi aut reservari possint,* 4

Corolaria *ex Decreto Concilii Tridentini, quo absoluta rerum abdicatio & earum communio pro Religiosæ professionis observantia proponuntur,* 5

Corollaria *ulteriora & magis particularia ex Corollariis præcedentibus,* ibid.

V. *Nulla Superiorum dispensatio aut licentia particulares rerum reservationes justificare potest,* 6

VI. *Concilium Trid. voluit, ut res Religiosis obvenientes, prius Superioribus tradantur, Conventui incorporentur, quàm earum* usus etiam facti *ipsis concedatur,* 7

VII. *Ne detur occasio vitio proprietatis, aut communio bonorum infringatur, inhibitum est Superioribus Monasteriorum singulis Religiosis assignare certas pecuniarum taxas, ut ex iis sibi quisque necessaria conquirat,* ibid.

VIII. *Quid Superiores observare debeant, dum usum rerum mobilium Religiosis concedunt, ne vel injustitiæ aut etiam vitii proprietatis complices fiant,* 8

IX. *Superiores tenentur allaborare, ut Religiosi sive in, sive extra monasterium existentes, quantùm fieri potest, necessaria sua ab aliena expectent voluntate,* ibid.

X. *Cavere debet Religiosus, ne eorum, quæ ad necessitatem vel dispensationem conceduntur, quidquam possideat* ut proprium, *vel utatur* ut proprio, 9

XI. *Administratio bonorum stabilium etiam dependenter à nutu Superioris concedi nequit simplici Religioso, sed solis Officialibus, qui illa in utilitatem monasterii administrent,* 10

XII. *Ostenditur, justum esse, ut administratio temporalium potiùs Officialibus, quàm Superioribus commitatur,* ibid.

XIII. *Quænam à Superioribus in designatione Officialium veniant attendenda?* 12

XIV. *Referuntur nonnulla Sacræ Congregationis decreta hactenus dictis conformia,* ibid.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones, quæ adversus hactenus dicta contra Peculia Religiosorum, etiam dependenter à voluntate Superiorum, ab aliquibus formantur.

I. *OStenditur, quod Cap.* MONACHI ⁂ De Statu Monachorum, *desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. hactenus à me dicta potiùs confirmet, quàm infirmet,* 13

II. *Respondetur ad argumentum, quod ex* Cap. fin. ⁂ Qui Clerici vel voventes Matrim. contrahere possunt, *desumitur,* 14

III. *Ostenditur, quàm periculosum & perniciosum sit argumentum, quod in defensionem Peculiorum à communi praxi assumitur,* ibid.

IV. *Ostenditur non valere hoc argumentum: In aliquo Monasterio vel Ordine receditur à perfecta paupertate aut vitæ communione: ergo qui in tali Monasterio vel Ordine profitetur, non tenetur ad exactam paupertatis & vitæ communis observantiam,* 15

CA-

Index Capitum

CAPUT III.

De Remediis contra vitium Peculiaritatis.

I. *UT vitium Peculiaritatis efficaciter extirpetur, debent Superiores ex communi Monasterii substantia singulis Roligiosis omnia necessaria placidè & benignè subministrare,* 15

II. *Non parum conducit ad eliminandum vitium Proprietatis exacta observatio Canonum, quibus inhibetur receptio ad Ordinem ultra numerum, qui ex reditibus monasterii, aut consuetis eleëmosynis ali possint,* 16

III. *Multùm conducit, ut peculiaritatis vitium vitetur, considerare, quis rerum terrenarum usus paupertatem confitentibus conveniat,* ibid.

IV. *Ad eliminandam Pecularitatem efficacissimum remedium est Religiosa charitas,* 18

V. *Vitia, quæ ex* Peculiaritate *oriuntur, & præsertim ipsa Professionis violatio Religiosos movere debent, ut* Peculiaritatem *fugiant,* ibid.

VI. *Ostenditur, quod paupertas voluntaria & perfecta vitæ communio plurima secum trahat commoda,* 2

Scopus secundæ partis, 21

PARS SECUNDA.

De Vitio Simoniæ circa ingressum Religionis.

CAPUT PRIMUM.

Ostenditur, committi vitium Simoniæ, dum exigitur temporale, ut quis ad Religionem admittatur, ubi monasterium est sufficiens ad sustentandum ingredientem.

I. *QUa ratione Status Religiosus sit spiritualis, & materia Simoniæ,* 21

II. *Qua ratione Status Religiosus vitæ Christianæ ritè peragendæ plurimùm conducat,* ibid.

III. *Ex natura & conditione proventuum Monasteriorum ostenditur jus sustentationis in Monasteriis opulentis esse spirituali annexum,* 23

IV. *Ex dictis §. 3. ostenditur, quòd sit Simonia quidpiam exigere pro statu Religioso, aut jure sustentationis, dum Monasterium est sufficiens ad sustentandum ingredientem,* 24

CAPUT II.

Discutitur titulus, quo praxis hodierna multorum in Belgio Monasteriorum, quæ recipiendi Monachi dotem non solùm sponte oblatam accipit, sed & exigit, ac de ea stipulatur, ab omni labe Simoniæ per aliquem nuper vindicari cœpit.

I. *PRoponitur illa doctrina,* 25

II. *Ostenditur, quòd triplici ex capite argumentum §. præcedenti exhibitum primo intuitu de falsitate sit suspectum,* ibid.

III. *In compendio proponitur, quid Imperator Justinianus statuerit circa succesionem Monasterii in bona ipsius Monachi, & in hæreditatem parentum ipsius Professi,* 26

IV. *Pro clariori intellectu Constitutionum Justiniani nonnulla annotantur,* ibid.

V. *Ostenditur, quod ex dictis Legibus Justiniani titulo transactionis, de quo P. Lupus, non possit hodierna multorum monasteriorum praxis stipulandi dotem à recipiendis ad Religionem eorum parentibus, vindicari à labe Simoniaca,* ibid.

VI. *Titulus transactionis, quo praxis illa stipulandi dotes à Simonia excusatur, nullatenus probatur ex Epistolis S. Gregorii,* 27

VII. *Probatur, quòd prædictæ leges vel nunquam fuerunt in Gallia receptæ, vel si aliquando obtinuerint, easdem à tempore immemoriali fuisse abrogatas,* 28

VIII. *In Belgio similiter ut in Gallia præallegatæ Leges Justiniani sunt abrogatæ, nec ullatenus Monasteria succedunt ab intestato vel in bona Ingressi, vel in Parentum illius,* 29

IX. *Consuetudines & statuta, quæ Leges Justiniani circa succesionem monasteriorum abrogârunt, reduxerunt monasteria ad jus, quod ante Justinianum obtinebat, neque immunitati Ecclesiasticæ contrariantur, & erroneè confundantur cum lege Amortizationis,* ibid.

CAPUT III.

Ostenditur, quòd prætextu paupertatis seu insufficientiæ frequenter commitatur Simonia etiam contra jus naturale & Divinum.

I. *PRoponitur casus, quo non apparet illicitum, præveniendo nimirum jus positivum, aliquid petere pro sustentatione recipiendi ad Religionem,* 30

II. *Sæpè committitur Simonia, etiam contra jus Divinum* prætextu paupertatis: *quia frequenter falsò paupertas seu insufficientia prætexitur,* ibid.

III. *Ostenditur, quod Monasteria etiam* VERE *insuficientia non rarò in exactione dotis incurrant Simoniam juris divini,* 31

IV. *In Compendio refertur, quid requiratur, ut etiam sepositio jure positivo Regulares in petitione dotis ab ingressuro Simoniam evadant.* 33

V. *Ex prædictis consequens esse ostenditur, quod Ecclesia potuisset prohibere admissionem alicujus ad Religionem cum pecunia, quem sine pecunia non potuissent admittere, quia proventus Monasterii sunt insufficientes,* ibid.

CAPUT II.

Inquiritur, num Ecclesia prohibuerit aliquid exigere à persona recipienda ad Religionem; quando Monasterium est *verè insufficiens* ad alendum ingressurum.

I. *PRoponitur breviter, quid hoc Capite probari intendam.* 33

II. *Primum argumentum, quo probatur, Ecclesiam prohibuisse aliquid exigere ab ingressuro, etiam quando Monasterium est* insufficiens, *desumitur ex Canonibus Conciliorum Generalium ante Concilium Tridentinum.* ibid.

III. *Secundum argumentum pro prædita ecclesiæ positiva prohibitione desumitur ex Extrav.* SANE NE IN VINEA, *de Simon. in Commun.* ibid.

IV. *Ut omnis planè exactio in receptione ad Religionem facilius caveatur, voluit Ecclesia, ne plures ad Monasterium recipiantur, quàm in eodem Monasterio ali possunt.* 34

V. *Num Bonifacius VIII. in cap.* Periculoso §. *Sanè, de Statu Regul. in V. voluerit occurrere exactionibus pecuniæ in receptione ad Religionem?* ibid.

VI. *Proponitur & discutitur Decretum Concilii Trident.* sess. 25. c. 3. *De Regularibus,* 35

In-

Et Paragraphorum.

VII. *Inter cætera, quæ pro conservanda Regulari disciplina decrevit Synodus Trid. præcipuum meritò habetur Decretum, de quo §. præcedenti,* ibid.

VIII. *Quid Synodus in præcitato Decreto intelligat per* consuetas eleemosynas? 36

IX. *Probatur, quod cum præcitato Decreto Conc. Trid. non consistat exactio pecuniæ à volentibus ingredi Religionem, quando proventus Monasterii non sufficiunt, ut plures alere possint,* ibid.

X. *Proponitur sententia Joannis Hesselii de Simonia circa ingressum Religionis,* 37

XI. *Judicium Doctorum Lovaniensium super questione: Num liceat pacisci de certa pecuniæ summa sustentationi admittendi necessaria, quando Monasterii proventus non sufficiunt, ut admittendum sustenent,* ibid.

XII. *Ex praxi stipulandi dotem à recipiendis ad statum Religiosum plurima nata sunt oriri incommoda,* 38

XIII. *Ex dictis sequitur, quòd superintendentes personis Religionem ingressuris aut professuris meritò solicitè inquirant, num in Monasterio, quod hujusmodi personæ ingredi meditantur, sæpè dictæ exactiones non frequententur,* 39

XIV. *Deteguntur radices prædictarum exactionum,* 40

XV. *Parum consonum est prædictæ fiduciæ obtimorem deffectûs rerum necessariarum ad exactiones à Sacris Canonibus improbatas recurrere,* 34

CAPUT V.

De Receptione gratuitò oblatorum.

I. *Illicitum non est etiam ab ingredientibus Monasterium accipere, quæ liberaliter ab iisdem offeruntur; non nulla tamen in hac receptione cavenda notantur,* 41

II. *Quid de gratuita bonorum ingredientis oblatione ante Professionem decreverit Concil. Trid.* 42

III. *Proponitur sententia Petri à S. Audomaro circa exactionem pecuniæ pro vestibus Novitiorum,* 43

IV. *Illicitum omninò esse ostenditur, ut parentes vel propinqui ditentur ex bonis eorum, qui monasterium ingrediuntur,* ibid.

Appendix *ad primam hujus Dissertationis partem,* 46

Extractum ex præfato Directorio DE RELIGIOSA PAUPERTATE, ibid.

DE VITA COMMUNI, 45

Appendix *ad secundam Dissertationis partem ex eodem* Directorio *Tit. De recipiendis & instruendis Novitiis,* ibid.

VINDICIÆ DISSERTATIONIS CANONICÆ

De Pecularitate & Simonia

Contra libellum R. P. Wynants *Ord. Eremit. S. Agustini, cum reflexionibus ad definitionem illorum, quos* JANSENISTAS *vocant, ab eodem adductam.*

CAPUT PRIMUM.

De his quæ in Libello R. P. Wynants Auctori potiùs quàm doctrinæ Dissertationis Canonicæ de Peculiaritate & Simonia, objiciuntur.

I. DE Amaritudine zeli & livore edacione *inExim P. Lupum, qui Auctori Dissertationis objicitur,* 46

II. *Discutitur prima conjectura, ex qua R. P. Wynants* amarum zelum *aut* Livorem edacionem *in P. Lupum elicere videtur,* ibid.

III. *Discutitur altera conjectura, ex qua R. P. Wynants* amarum *meum* zelum *ac* livorem edacionem *in P. Lupum colligere videtur,* 47

IV. *Quæritur, num jure R. P. Wynants dicat, quod Auctor Dissertationis appareat in secunda parte* apertus Monachorum invasor, 48

V. *Num rectè mihi objiciat Reverend. Pater Wynants, quod Scriptum meum* ut Evangelium *haberi voluerim,* 49

VI. *Num rectè mihi objiciat R. P. Wynants, quod* manum meam mittam ad alterius aratrum, & terram, quam aro, non noverim? ibid.

CAPUT II.

De his, quæ contra doctrinam *Dissertationis Canonicæ* objiciuntur.

I. *Discutitur objectio, quæ contra doctrinam de vitio* Peculiaritatis *à nimio illius rigore formatur,* 50

II. *Num justè queratur R. P. Wynants, quòd dixerim per Dogma P. Lupi everti Statum sui Ordinis,* 51

III. *Utrum rectè in patrocinium P. Lupi adducatur quædam resolutio Romæ anno* 1680. *impressa vel auctoritas E. D. de Luca Sac. Rom. Eccles. Cardin.* 52

CAPUT III.

Ostenditur, quòd Epistola Dogmatica Rodulfi Abbatis S. Trudonis non contrarietur doctrinæ de Simonia traditæ in Dissertatione Canonica.

I. *Regula Sancti Benedicti & aliæ Patrum regulæ nullatenus exactionem dotis ab ingredientibus aut eorum Parentibus admittunt,* 53

II. *Ex dictis §. præcedenti & aliis, quæ in Epistola Dogmatica Rodulfi dicuntur, ostenditur, quod nec ipse aliquid à Monachando exigi permiserit,* ibid.

III. *Expenditur consilium à Rodulfo Religiosis S. Pantaleonis pro cavenda Simonia in admisione Patrum suggestum,* 54

IV. *Quantumvis Rodulfus aut alius etiam majoris eruditionis Auctor, imò Capituli aut Congregationis Statutum doctrinæ Dissertationis essent contraria, inde tamen falsitas ipsius non evinceretur,* ibid.

Apostrophe *ad R. P. Wynants cum reflexione aliqua ad scriptionem* Jansenistæ, *quam pagina* 39. *Libelli sui reproducit,* 55

I. *Nomina* JANSENISTÆ, REFORMATORIS, *&c. sunt Lemures nocturni,* ibid.

II. JANSENISTA, inquis, *est homo pertinax certis destinatisque sententiis additus,* &c. ibid.

III. JANSENISTA, ait, *si publicis admovetur, brachia dirigit contra torrentem,* ibid.

IV. JANSENISTA, ut scribis, *sæpè in hæc prorumpit,* ô TEMPORA, ô MORES. *Horum occa-*

Index Capitum

ocasione ostenditur, quæ sit gravissima Ecclesiæ persecutio, ibid.

V. *Refléxio ad cætera in descriptione* Jansenistæ *adducta,* 58

APPENDIX

Ad Vindicias Dissertationis Canonicæ de Peculiaritate & Simonia.

In qua respondetur ad Objectiones Professorum Ordinis Eremitarum S. Agustini contra Dissertationem. Et speciatim agitur de *Dominio*, quod habere dicuntur *Scholares* predictæ Societatis JESU; & Jure, quod Monasteria habent ad bona ingredientis.

CAPUT PRIMUM.

De his, quæ primam Dissertationis partem scilicet de Peculiaritate concernunt.

I. *VEra proprietas non tantùm* accidentaliter *& jure positivo, sed* essentialiter *Statui Religioso repugnat,* 60

II. *Vera proprietas* etiam anti-Evangelica *consistit cum* dependentia *à nutu & beneplacito Superioris,* ibid.

III. *Ostenditur, quòd distinctio inter usum* facti *&* juris *desumi nequeat à* dependentia *vel* independentia *à nutu Superioris & quid sit usus* facti? 61

IV. *Duo circa usum* facti *seu rerum* necessariarum *concedendum aut concessum observanda sunt,* 62

V. *Bona omnia undecunque obvenientia debent communicari, non tantùm quoad usum* Juris, *sed etiam* facti, ibid.

VI. *Discutiuntur singulatim ea, quæ de voto* paupertatis, *& Religiosa* rerum communione *proposuit R. P. Clenaerts in Thesi defensa 9. Julii* 1685. ibid.

VII. *Ostenditur, quòd Professores Ordinis Eremit. S. Augustini in materia de* Peculiaritate *in multis Auctori consentiant,* 64

VIII. *Compendiosè & articulatim exprimitur, quid de Paupertate Religiosa & vitæ communione Auctor sentiat,* 65

CAPUT II.

De his, quæ secundam Dissertationis partem de *Simonia circa ingressum Religionis* concernunt.

I. *UTrum Parentes teneantur filiis Monasterium ingressis relinquere* legitimam? *Et utrum ex illa parentum obligatione aliquid meæ Dissertationi Canonicæ contrarium inferri posset?* 67

II. *Ostenditur, quod juxta Leges Justinianæas is, qui monasterium ingreditur,* liberam *habeat de bonis suis disponendi* facultatem, *ut nec* legitimam *monasterio relinquere teneatur,* ibid.

III. *An monasterium quoad effectum juris & modum succedendi in bona ingredientis habeatur* loco filii? 68

IV. *Quid de propositis quæstionibus sentiant famosiores juris Interpretes, & singulariter quid Prosper Fagnanus?* ibid.

V. *Num de consuetudine & juri Belgii vel apparenter supersit jus monasterii ad hæreditatem Ingredientis aut parentum ejus, super quo* transigere *possent?* 69

VI. *In quibus Professores Ord. Erem. S. Augustini in materia Simoniæ circa ingressum Religionis Auctori consentiant?* ibid.

VII. *Quid in Dissertatione mea de Simonia circa Ingressum monasterii sustinuerim, & quibus præcipuè argumentis opinionem stabiliverim?* 70

VIII. *Respondetur argumentis, quæ sententiæ meæ §. præcedenti oppositæ proponuntur,* ibid.

BREVIS RESPONSIO

Ad ea quæ objicientur Dissertationi Canonicæ de Peculiaritate & Simonia, ejusque Vindiciis atque harum Appendici in Thesibns Theologicis def. 30. Januari 1686. *sub præsidio Eximii Patris* PETRI CLENAERTS *S. T. D. Ordin. Eremit. S. August. &c.*

Cap. I. De primis 10. Corollariis ab Eximio Patre adductis, 71

Cap. II. De Corollario 10. & sequentibus usque ad 23. inclusivè, 72

Cap. III. De Corollariis sibi non cohærentibus, neque ex una radice eductis, ibid.

Cap. IV. De Scrupulis Eximii P. Clenaerts, 78

Appendix, *in qua tria proponuntur.* 1. *Argumenta, quibus nihil hactenus repositum.* 2. *Medium concordiæ in puncto doctrinæ à me propositum.* 3. *Generales quædam circumstantiæ circa Theses Eximii P. expendendæ,* 74

APOLOGIA,

Qua se vindicat à Palinodia, *& Bullæ Clementis VIII.* capitali corruptione, *quas in Epistola Familiari ipsi impingit Eximius Pater* DESIDERANT *S. T. Doctor.*

OCcasio & Scopus Apologiæ, 76

I. *Expenditur, num in* Responsione brevi *doctrinam hactenus traditam retractaverim,* ibid.

II. *Veram omnium ommunionem, universa deposita ad usus* particulares *excludentem, Bulla Clementis VIII. evidentissimè requirit. Et quæ sit illa communio, breviter exponitur,* 77

III. *Ostenditur quòd* Capitalis Corruptio *Bullæ*

læ Clementis VIII. à me facta non sit. 78
IV. *Expenduntur rationes, quæ movisse dicuntur Eximium Patrem* Clenaerts, *ut ex mea potiùs, quàm Fagnani doctrina adeò invidiosa Corollaria eduxerit,* 79
Apostrophe *ad Eximios Patres Ordinis Eremit. S. Augustini,* 80

PECULIA,

Sive Particularia Religiosorum deposita improbata ex Regula & disciplina S. Augustini, doctrina & praxi Sanct. Fulgentii, necnon Constitutionibus Ordinis Eremit. S. Augustini. Adjunctis paucis Reflexionibus ad binos libellos nuper in defensionem Peculiorum evulgatos

CAPUT PRIMUM.

Improbantur Peculia, sive particularia Deposita Religiosorum argumentis desumptis ex regula & disciplina, quam Fratribus suis S. August. præcripsit.

I. QUæstio præliminaris. *Qua ratione Peculium sive Depositum ad* particulares *usus alicujus Religiosi verè dicatur* proprium *respectu illius Religiosi, tametsi proprietas Conventus sit incorporata,* 81
II. *Proponitur primum argumentum contra Peculia sive particularia Religiosorum deposita ex Regula S. Augustini,* 82
III. *Proponitur secundum argumentum ex Regula S. Augustini desumptum,* ibid.
IV. *Proponitur tertium argumentum ex Regula S. Augustini,* 83
V. *Ostenditur ex Sermone* 49. *de diversis sive* 355. *ult. edit. S. Augustini, Peculia sive deposita particularia Religiosorum Regulæ S. Agustini contrariari,* ibid.
VI. *Petuntur argumenta contra peculia & particularia Religiosorum deposita ex sermone* 50. *de diversis sive* 356. *ult. edict. S. Augustini,* 84

CAPUT II.

Ex doctrina & praxi S. Fulgentii Episcopi Ruspensis fidelissimi S. Augustini discipuli peculia sive particularia Religiosorum deposita improbantur.

I. OStenditur, *quod S. Fulgentius quoad vitam communem Religiosis necessariam per omnia Augustinus consentiat,* 84
II. *S. Fulgentius occassionem sive prætextum peculiorum Religiosis adimit,* ibid.

CAPUT III.

Ostenditur Peculia seu Deposita ad particulares usus alicujus Religiosi, repugnare Constitutionibus PP. Eremitarum S. Augustini.

I. PRimum *argumentum ex dictis Constitutionibus desumptum,* 85
II. *Proponitur secundum argumentum contra peculia ex Constitutionibus Eremit. S. August.* 86
III. *Tertium argumentum ex Constitutionibus PP. Eremitarum S. Augustini desumptum,* ibid.
IV. *Proponitur quartum argumentum ex prædictis Constitutionibus desumptum,* 87
V. *Solvitur objectio ex dictis Const. desumpta,* ibid.
VI. *Exhibetur Epistola circularis R. P. Joannis Nevii Provinciæ Belgicæ Ord. Erem. S. Augustini Provincialis,* 88
VII. *Notæ in Epistolam R. P. Joannis Nevii,* ibid.

APPENDIX I.

In qua proponuntur aliqua reflectenda in Libellum cui titulus: *Palinodia Palinodiæ*, &c.

REflexio prima *super illis, quæ dicuntur occasione translationis Libelli de peculiaritate in idioma Flandricum,* 89
Reflexio secunda *super corruptionibus Bullæ Clementis VIII. quæ mihi imputantur,* ibid.
Reflexio tertia *super illis, quæ de Prospero Fagnano, & Bulla Clementis VIII. dicuntur,* 90

APPENDIX II.

Reflexiones aliquæ super Libello, cui titulus: *Susana innocens*, &c.

REflexio prima *super bino Tract. dicti Libeli, in qua specialiter ostenditur differentia inter permissa ad necessitatem, & particularia Deposita; quodque illa haberi debeant dependenter à nutu Superioris: hæc verò absolutè haberi nequeant;* 90
Reflexio II. *ad Tract.* 4. 5. *&* 7. *hujus Libelli,* 92
Reflexio III. *super Tract.* 6. *prædicti Libel.* 93
Epistola *cujusdam Canonici Regularis ad quendam Religiosorum Ordinis Eremit. S. Augustini, qua ostenditur, quàm enixè & solicitè S. Aug. à suis Discipulis voluerit servari absolutam omnium rerum temporalium communionem,* ibid.
Decreta *Sacræ Congregationis à Sanctissimo D. N. Innocentio Papa XII. super disciplina Regulari specialiter deputatæ, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri auctoritate edita,* 97

Index Capitum

DISSERTATIO CANONICA

De Instituto & Officiis Canonicorum sigillatim deducta ex obligatione & muniis Clericorum.

PARS PRIMA.

DE PRIMO OFFICIO CANONICORUM,

Nimirùm, *obire Functiones Hierarchicas.*

CAPUT PRIMUM.

Clerici, atque adeò Canonici ordinantur ad functiones Ecclesiasticas.

I. *NUllus insigniendus est Tonsura Clericali, nisi qui intendit fidelem Deo cultum exhibere*, 99

II. *Episcopi debent inquirere vocationem & intentionem Tonsurandorum*, ibid.

III. *Ordinis singulis, etiam minoribus, functiones ab Ordinatis obeundas Ecclesia præscripsit*, 100

IV. *Functiones minorum Ordinum ubi intermissæ erant, Synodus Tridentina restituendas esse decrevit*, ibid.

V. *Qui ad Ordinem Subdiaconatus promoventur, non tantùm Corpore Christi vero, sed etiam mystico inservire debent*, 101

VI. *Ex Pontificali ostenditur, quòd Diaconi assumantur ut cooperatores Episcoporum in procuranda fidelium salute*, ibid.

VII. *Constat ex Pontificali, quod Presbyteri assumantur in adjutorum Episcoporum*, ibid.

VIII. *Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt*, 102

CAPUT II.

Ostenditur, quòd Canonici specialiter sint instituti, ut Episcopi sint in coadjutores & cooperatores.

I. *PRæcipuum officium Canonicorum Cathedralium est, opera & consilio Episcopis in Ecclesiæ regimine assistere*, 102

II. *Canonici collegiatarum Ecclesiarum ex instituto suo tenentur Episcopis allaborare in regimine Ecclesiæ*, ibid.

III. *Nonnulla ex dictis hoc capite consectaria*, 103

CAPUT III.

Quæ scientia præcipuè conveniat Canonicis.

I. *COnvenit, ut inter Canonicos alii sint Theologi, alii Canonistæ*, ibid.

II. *Quorum Canonum notitia Canonicis præcipuè utilis esse possit*, ibid.

III. *Ut clariùs appareat quàm utilis sit Canonicis notitia Canonum, quibus purior morum disciplina continetur; ostenditur, quòd Ecclesia Canones illos nunquam in totum abrogare intendat*, 104.

IV. *Synodus Tridentina desideravit, ut sacri canones quoad ejus fieri posset, observarentur*, ibid.

V. *Ex præcedentibus concluditur, quod Episcopi, & Canonici aliique Ecclesiæ Ministri præ oculis habere debeant sacros canones, ut quoad fieri possit, illi observentur*, 105

VI. *Canonici, qui à professione Canonum Canonistæ dicuntur, etiam necessarium est studium Scripturæ sacræ*, ibid.

VII. *Lectio SS. Patrum admodum conveniens est Canonicis, qui à studio canonum* Canonistæ *dicuntur*, 106

XIII. *Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta sunt*, ibid.

CAPUT IV.

De Gradibus Academicis, quibus tanquam publicis eruditionis testimoniis, Canonicos insignitos desiderat Ecclesia.

I. *ECclesia dignitatibus Ecclessiasticis Gradus Academicos annexuit*, 106

II. *Gradus & Tituli Academici ex mente Ecclesiæ dari debent tanquam publica eruditionis testimonia*, 107

III. *Ex Visitatione Universitatis Lovaniensis ostenditur, Gradus Academicos esse publica testimonia eruditionis illorum, qui illis condecorantur*, ibid.

IV. *Ostenditur, quàm multa incommoda in Ecclesiam redundent, ex mala Graduum collatione*, 108

V. *Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt*, ibid.

PARS SECUNDA.

DE SECUNDO OFFICIO CANONICORUM,

Quod est, *Morum integritate Ecclesiam ædificare.*

CAPUT PRIMUM.

Canonici non tantùm Populo, sed etiam Clero exemplo suo præire debent.

I. *CLerici atque ita Canonici Laicos exemplo suo ad virtutem excitare tenentur*, 109

II. *Canonici ab exactiore Canonum observantia nomen mutantes, ab sedulam illorum custodiam præ reliquo Clero tenentur*, ibid.

III. *Canonici, qui auctoritate inferiori Clero præstant, etiam morum integritate prælucere juventur*, 110

IV. *Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt*, ibid.

CA-

CAPUT II.

Ostenditur, quòd multis seculis non promoverentur, ad Clerum, qui post Baptismum in crimen, maximè carnis, erant prolapsi, & qui post Clericatum simile commisisset, nunquam Ordinibus restituerentur. Quid demum circa disciplinam illam mutatum sit, & qua ratione illa mutatio supervenerit.

I. *PRistina Patrum disciplina nullum admittebat ad clerum, qui innocentiam Baptismalem crimine aliquo, præsertim carnis, maculâsset,* 111

II. *Pristina Patrum disciplina non permittebat Clericos in crimen, præsertim carnis, prolapsos etiam post pœnitentiam peractam, pristino honori restitui*, ibid.

III. *Disciplina de Clericis in crimen proplapsis astruitur auctoritate SS. Gregor. & Martini I.* 112

IV. *Nihil solidi contra disciplinam de Sacerdotibus lapsis non restituendis haberi potest ex Epistolis* Calixti I. S. Gregorii *ad Secundinum*, *aut* Isidori *ad Massanum*, ibid.

V. *Epistolis* Calixti I., S. Gregorii *ad Secundinum*, & Isidori *ad Massanum*, *nihil accedit auctoritatis, eò quòd in Decretum Gratiani relatæ sint,* 113

VI. *Spuriæ illæ Epistolæ* Calixti, S. Gregorii & Isidori *occasionem dederunt mutationi disciplinæ circa Sacerdotes in crimen prolapsos*, ibid.

VII. *Distinctio inter crimina occulta & manifesta nec dum seculo XI. ubique obtinebat*, 114

VIII. *Licèt posterior ætas clericos in crimen prolapsos restitui nonnunquam permisserit, nunquam tamen illud fieri Ecclesia patitur, nisi post* peractam pœnitentiam, 115

IX. *Sacerdotum lapsorum crimen specialem malitiam à dignitate Sacerdotali mutuat, & ideò majori, cæteris paribus, quàm crimen laicorum pœnitentia dilui debet, priusquam sacris ministeriis restitui possint*, ibid.

X. *Tametsi hodierna Ecclesiæ disciplina permittat Clericos in crimen prolapsos sacris functionibus restitui; illa tamen restitutio tarda esse debet, eò quòd tarda & rara soleat eorum esse conversio*, 116

XI. *Quid circa lapsos in crimen occultum à sacris Ordinibus repellendos, aut ab iis suspendendos Synodus Tridentina decreverit*, ibid.

XII. *Varia corollaria ex iis, quæ hoc capite dicta sunt*, 117

CAPUT III.

Ostenditur ex Pontificali Romano, quam vitæ sanctitatem ac morum integritatem hodie in Clericis, ac proinde in Canonici desideret Ecclesia.

I. *EX ritibus quibus Tonsura Clericalis confertur, demonstratur, quod Clerici ac proinde Canonici profiteantur se mundo renuntiare, & se Dei & Ecclesiæ servitio consecrare*, 118

II. *Ex iis, quæ in Ordinatione Ostiariorum interveniunt, ostenditur, quod in Ecclesiasticis debeat esse zelus pro decore domûs Dei*, ibid.

III. *Officium* Lectoris *requirit, ut Ecclesiastici piè ac devotè ad lectionem Scripturæ accedant*, 119

IV. *Ex illis, quæ in ordinatione Exorcistarum Ecclesia prescribit, ostenditur, quod ordine illo initiati debeant specialiter cor suum ab omni effectu rerum temporalium mundare*, ibid.

V. *Ex illis, quæ in Ordinatione Acolytorum occurrunt, ostenditur, quod qui illo Ordine sum insigniti, debeant specialiter attendere, ut proximo bonis operibus præluceant & caveant, ne actionibus suis populum scandalizent*, 120

VI. *Officium Subdiaconi exigit in Ecclesiasticis* castigationem vocis, ibid.

VII. *Ordo Diaconatus in Ecclesiasticis requirit Christianam fortitudinem, ut liberè annuntient Evangelium, nec Christum ejusve sermones erubescant*, 121

VIII. *Ex Pontificali ostenditur, quàm eximia vitæ puritas ac morum integritas in Presbyteris desideretur*, ibid.

IX. *Corollaria ex illis, quæ præsenti capite dicta sunt*, 122

CAPUT IV.

Canonici, aliique Ecclesiæ Ministri ab omni carnis immunditia, & intemperantia alieni esse debent.

I. *OStenditur, quod sacris Ecclesiæ Ministris specialiter conveniat castitas*, 123

II. *Castitas debet se ostendere in omnibus actionibus Clerici*, ibid.

III. *Ob periculum incontinentiæ Canonicis aliisque Ecclesiasticis familiarior mulierum conversatio fugienda est*, ibid.

IV. *Familiarior mulierum conversatio à Canonicis, aliisque Ecclesiasticis cavenda est ob aliorum offensionem & scandalum*, ibid.

V. *Canonicis aliisque Clericis summopere cavenda est ebrietas & commessatio*, 124

VI. *Canonicis aliisque Ecclesiasticis tabernas frequentare severissimè per Canones inhibitum est*, 125

VII. *Canonici aliique Ecclesiastici convivia, quantum fieri potest, evitare debent*, ibid.

VIII. *Ecclesiastici, præsertim Canonici frugalitatem ac temperantiam in mensa sedulò servare jubentur, ut ab illis Laici frugalitatis exempla petere possint*, 126

IX. *Ecclesiastici cavere debent luxum omnem in conviviis, ne proventus Ecclesiasticos inutiliter consumendo bona pauperum sacrilegè dilapident*, 126

X. *Perversa est quorundam Ecclesiasticorum persuasio, qua credunt sibi licitum, proventus Ecclesiasticos in splendida convivia aliûmve sæcularem luxum convertere, ut auctoritatem sibi apud populum conciliant*, 127

XI. *Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt*, ibid.

CAPUT V.

Canonici cæterique Ecclesiastici debent singulariter esse alieni ab omni specie avaritiæ.

I. *AVaritia directè professioni Clericali opponitur*, 128

II. *Nihil Ecclesiæ potest accidere luctuosius aut perniciosius, quàm habere avaros Ministros*, ibid.

III. *Sordidâ avaritiâ laborant Canonici, aliique Ecclesiæ Ministri, qui Officium eo solo intuitu suspiciunt, aut tenent, ut temporalia recipiant*, 129

IV. *Proponuntur indicia, è quibus dignoscitur, num quis* Evangelizet, ut manducet, ibid.

V. *Utrum Canonici aliique clerici sine injustitia possint reservatis proventibus patrimonii vivere de Ecclesiasticis*, 130

VI. *Ostenditur, quod sententia Ecclesiæ §. præcedènti expressa, eadem manserit post rerum Ecclesiæ divisionem institutam & receptam*, 131

VII. *Quod etiam seculo XII. eadem fuerit sententia Ecclesiæ circa dispensationem proventuum Ecclesiæ, quæ §§. præcedentibus exhibita fuit, ostenditur authoritate Gratiani*, ibid.

VIII. *Proponitur sententia Dionysii Carthusiani circa doctrinam §§. præcedentibus traditam*, 132

IX. *Ex sententiis Concilii Tridentini illicitum est, ut Beneficiati vivant ex redditibus Ecclesiæ, & proventus patrimoniales relinquant consanguineis divitibus*, ibid.

X. *Ex eo, quòd Canonici aliique Beneficiati non possint reservato patrimonio proventus Ecclesiasticos in suos usus convertere, nullatenus sequitur, quod Clericis divitibus Canonicatus & Præbendæ*

aut alia Beneficia conferri non possint, ibid.
XI. *Occurritur objectionibus, quæ adversus hactenus dicta formari possent*, 133
XII. *Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta fuerunt*, ibid.

CAPUT VI.

An Canonicis, aliisque Clericis liceat vacare lusibus aut venationi.

I. *Lusus interdum ad animi relaxationem licitè adhibentur*, 134
II. *Clericis severissimè per canones inhibitus est lusus alearum, chartarum, aliusvè à fortuna dependens*, ibid.
III. *Quænam specialiter ab Ecclesiasticis, etiam in casibus licitis cavenda sint*, 135
IV. *Ostenditur, quod Canones venationem Clericis interdixerint*, ibid.
V. *Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt*, 136

PARS TERTIA.

DE TERTIO OFFICIO CANONICORUM,

Scilicet, *Divini Officii persolutione.*

CAPUT PRIMUM

Unde Horarum Canonicarum origo profluxerit, & quinam ad eas persolvendas teneantur.

I. *Olim distinctis Horis ad orandum Fideles conveniebant, ut divino præcepto de semper orando satisfacerent*, 137
II. *Olim etiam fideles Laici eisdem penè horis ad orandum conveniebant, quibus hodie Ministro suos orare jubet Ecclesia*, ibid.
III. *Quinam ex Clericis ad Horas Canonicas obligentur. Et in quo hæc Clericorum obligatio fundetur*, 138
IV. *Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta sunt*, ibid.

CAPUT II.

Canonici tenentur cessante legitimo impedimento Officium divinum solemniter persolvere *per se*: non inutiliter tamen in adjutorium suum Vicarios assumunt.

I. *Probatur à ratione, quod Canonici teneantur cessante legitimo impedimento* per se *Officium divinum peragere*, 139
II. *Probatur auctoritate Conciliorum Canonicos teneri* per se, *non per solos substitutos divina obire officia*, ibid.
III. *Theologi, etiam justo laxiores, docent Canonicos non facere distributiones* suas, *si cessante justo impedimento in choro* non canant, 140
IV. *Statuta capitulorum eximere non possunt Canonicos ob obligatione divina* per se *obeundi Officia*, ibid.
V. *Canonici justè Vicarios sibi in divini Officii persolutione adjutores assument; & quid præcipuè in illorum assumptione attendere debeant*, ibid.
VI. *Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta fuerunt*, 141

CAPUT III.

Officium divinum *reverentèr, distinctè, devotèque* persolvi debent.

I. *De externa reverentia, quæ in Officio divino servanda est*, 141
II. *Laudes divinæ* distinctè *persolvendæ sunt*, 143
III. *Ut Canonici aliique ad Officii divini persolutionem adstricti suæ obligationi satisfaciant, debent illud* devotè *persolvere*, ibid.
IV. *Quandonam distractiones censeantur voluntariæ, ut ob illas attentio debita non haberi censeatur*, 143
V. *Proponuntur media ex Concilio Mediolanensi V. desumpta, ad devotionem excitandam & fovendam tempore divini Officii accomodata*, ibid.
VI. *Proponitur mystica Vestium Canonicalium significatio*, 144
VII. *Corollaria ex iis, quæ hoc capite dicta sunt*, ibid.

CAPUT IV.

De quotidianis distributionibus.

I. *Canonici non tantùm Majoribus, sed etiam minoribus horis interesse debent*, 145
II. *Ut Canonici desidiosi ad frequentandum divinum Officium incitentur, repertæ sunt* distributiones quotidianæ, ibid.
III. *Distributiones quotidianæ assignari debent non tantùm majoribus, sed etiam minoribus horis, ne qua in parte cultus divinus negligatur*, ibid.
IV. *Consuetudines & statuta, quæ distributiones concedunt in una aut altera hora præsentibus, æquè ac illis, qui omnibus interfuerunt, ut corruptelæ extirpanda sunt*, ibid.
V. *Non sufficit exiguo tempore interesse officio aut horæ alicui, ut quis distributiones illi assignatas lucretur*, 147
VI. *Qui ad divinum Officium tantùm accedunt, ut distributiones accipiant, animum Simoniacum habere convincuntur*, ibid.
VII. *Indicia, è quibus colligatur, num quis gratia distributionum* principaliter *Officio divino intersit*, ibid.
VIII. *Corollaria ex iis, qua hoc capite dicta sunt*, ibid.

CAPUT V.

De causis legitimis Canonicos à personali residentia excusantibus.

I. *Canonici ad continuam personalem residentiam tenentur, nisi juxta & legitima causa excusentur*, 147
II. *Quid de residentia Canonicorum statuerit Synodus Tridentina. Et an sine justa causa Canonici tribus mensibus obesse possint*, 148
III. *Quandonam legentes aut decentes justè fructus in absentia percipere possint*, ibid.
IV. *Quandonam studentes in Academiis publicis gaudeant fructibus Beneficiorum in absentia*, 149
V. *Quinam in absentia distributiones percipere possint*, ibid.
VI. *Corollaria ex iis, quæ hoc capite dicta sunt*, 150

CA-

CAPUT VI.

De Vita communi Canonicorum, quantopere illa Canonicis conveniat: quandonam & qua ratione ad vitam singularem transiverint; & quomodo ex hac vitæ Canonicalis collapsio magna ex parte originem sumpserit.

I. *SEculo IX. Canonicorum vitæ communis restituta fuit*, 150
II. *Exhibetur compendiosum specimen disciplinæ seu normæ vitæ communis ex illis, quæ Synodus Aquisgranensis præscripsit*, 151
III. *Quo tempore, & qua ratione ad vitam singularem abjecta communi Canonici transiverint*, 152
IV. *Ostenditur, quòd naturaliter quodammodo vitam singularem Canonicorum secuta fuerit disciplinæ Canonicalis dissolutio*, ibid.
V. *Canonici, qui hodie vivunt vitam singularem, propterea non sunt culpandi*, 153
VI. *Quid connivente Ecclesia circa vitam Canonicorum sit mutatum*, ibid.
VII. *Corollaria ex iis, quæ hoc capite dicta fuerunt*, 154

DISSERTATIO CANONICO-HISTORICA

De horis Canonicis & singulis earum partibus.

PARS PRIMA.

De his, quæ Horas Canonicas in generali concernunt.

CAPUT PRIMUM.

Quinam ex Clericis teneantur ad Horas Canonicas, ut minùs privatim, recitandas.

I. *PLuribus seculis omnes Clerici ad horas Canonicas adstricti fuêre: hodie tenentur Ordinibus sacris initiati, & Beneficium Ecclesiasticum obtinentes*, 155
II. *Qua ratione Clericis meritò injungatur horarum Canonicarum recitatio*, ibid.
III. *Clerici omnes Beneficium quantumvis exiguorum proventuum obtinentes ad horarum Canonicarum recitationem obligantur*, ibid.

CAPUT II.

De Clericis, qui tenentur horas Canonicas publicè & in communi persolvere.

I. *MUltis seculis obtinuit, ut universus Clerus ad Ecclesiam peragendi divini Officii causa quotidiè convenire deberet, hodie verò ad id tenetur Clerus Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum*, 156
II. *Canonici interesse debent quotidiè omnibus horis, iisque integris*, ibid.
III. *Ne Canonici abstrahantur à divino Officio, Conventus Capitulares sine urgente causa tempore divini Officii non sunt celebrandi*, 157
IV. *Canonici aliique Clerici choro addicti, quotidie divino Officio interesse tenentur, nisi justa causa eos abesse cogat*, ibid.
V. *Canonici & Clerici choro adscripti tenentur, per seipsos divinum Officium publicè persolvere*, ibid.
VI. *Canonici rectè assumunt Vicarios, qui in persolvendo divino Officio sibi adjutores accedant*, 158
VII. *Quænam in assumptione Vicariorum vel cantorum á Canonicis aliisque attendenda sint*, ibid.

CAPUT III.

Qua ratione ad horarum Canonicarum frequentationem exhortandi sint Laici.

I. *OFficii divini publica persolutio principaliter à Clericis peragitur ad ædificationem populi*, 159
II. *Intentio Ecclesiæ est, ut populus, præsertim diebus festis, divino Officio assistat*, ibid.
III. *Quantus fuerit olim Christianorum, etiam Principum in frequentandis divinis Officiis, fervor*, 160
IV. *Qua ratione in Parochialibus Ecclesiis in quibus horæ Canonicæ quotidie publicè persolvi nequeunt, intentioni Ecclesiæ nihilominus satisfieri possit*, ibid.

CAPUT IV.

De ritu, quo horæ Canonicæ peragi debent.

I. *QUis Officii divini ritus præscribere aut mutare possit*, 161
II. *De Breviario Romano, quo hodie utimur, ejusque emendatione & correctione*, 162
III. *Diversitas particularium Ecclesiarum in ritibus divini Officii, unitati Ecclesiæ non officit, & quem ritum quisque sequi debeat*, 163
IV. *Cantum in divinis laudibus adhibere ritus est vetustissimus, & quæ ejus utilitas*, ibid.
V. *De cantu alternativo, & quæ ejus utilitas*, 164
VI. *De Musica, musicalibus instrumentis, Musicis & pueris chori*, ibid.
VII. *An organa in divinis laudibus sint assumenda, & quid in illorum usu observandum aut cavendum*, 166
VIII. *Ritus est vetustissimus, & fini divini Officii planè consonus, ut per distincta temporum intervalla recitetur*, ibid.

CAPUT V.

De externa reverentia in recitatione horarum Canonicarum servanda.

I. *RAtiones, quæ suadent reverentiam exteriorem in divino Officio servandam esse*, 167
II. *Reverentia divino Officio debita exigit, ut eo durante abstineatur à confabulationibus risibus, aliâ-*

aliâque actione profana, ibid.
III. *Reverentia divino Officio debita requirit in persolventibus honestum atque gravem, eumque uniformen corporis situm*, 168
IV. *Reverentia divini Officii exigit, ut* distincte & tractim *illud persolvatur*, ibid.

CAPUT VI

Horæ Canonicæ *devotè* persolvendæ sunt.

I. *Sola exterior reverentia in persolutione horarum Canonicorum non sufficit, sed necessaria interior devotio*, 168
II. *Devotio exigi, ut cum quadam spirituali animi alacritate & gaudio horæ Canonicæ persolvantur, & ad eas ex motu Spiritus Sancti accedatur*, 169
III. *Devotio requirit, ut ad horas Canonicas non accedatur spe lucri temporalis, & unde colligatur, quòd aliquis principaliter intuitu lucri accedat*, ibid.
IV. *Quæ distractiones impediant, quo minùs quis debita cum* devotione *horas Canonicas dicendus sit, recitare*, 170
V. *Remedia adversus distractiones tempore horarum Canonicarum*, ibid.

PARS SECUNDA.

De singulis partibus Horarum Canonicarum.

CAPUT PRIMUM.

De singulis partibus Officii Nocturni.

I. *De versu*, Domine labia mea aperies, *&c. Et* Deus in adjutorium, 171
II. *De* Gloria Patri, *& ritu per versum illum finiendi singulos Psalmos*, ibid.
III. *De Alleluja*, 172
IV. *De Invitatorio*, ibid.
V. *De Hymnis*, ibid.
VI. *De Antiphonis*, 173
VII. *De Psalmis*, ibid.
VIII. *De Versibus, Oratione Dominica, Absolutione & Benedictione*, 174
IX. *De Lectionibus*, ibid.
X. *De Responsoriis & Hymno* Te Deum laudamus, 175

CAPUT II.

De Matutino, quod hodie *laudes* dicitur, ejusque partibus.

I. *An Laudes sive Matutinum sint officium distinctum ab Officio nocturno, & an aliis distinctis horis sint recitandæ*, 175
II. *De Capitulis*, 176
III. *De* Precibus *ferialibus*, ibid.
IV. *De Oratione sive Collecta, ac ritu, quo recitatur*, ibid.

CAPUT III.

De IV. minoribus Horis, Vesperis, & Completorio.

I. *De Prima*, 177
II. *De Tertia, Sexta, Nona, Vesperis & Completorio*, ibid.

TRACTATUS
DE SIMONIA CIRCA BENEFICIA,
Administrationem Sacramentorum, & Celebrationem Missarum, item de Pensionibus Ecclesiasticis.

PARS PRIMA.

De Simonia.

CAPUT PRIMUM.

De malitia Simoniæ, & qua ratione meliùs occurri possit palliis, quibus illud vitium tegitur.

I. *Ostenditur enormitas vitii Simoniæ*, 178
II. *Quare Ecclesia primis seculis magis contra simoniacas Ordinationes, postremis verò magis contra simoniacas Beneficiorum Collationes insurrexerit*, 179
III. *Omni ætate Simonia diversis fraudibus & fallaciis occultata & palliata fuit*, ibid.
IV. *Qua ratione fraudes ac technæ, quibus Simonia tegitur, securius atque clariùs detegi possint*, ibid.

CAPUT II.

Deteguntur varia Simoniacorum pallia.

I. *Dum pro jure ad proventus spirituali annexos aliquid datur vel accipitur; tum ipsum spirituale* gratis *non datur, aut accipitur*, 180
II. *Spiritualia gratis non dantur, aut accipiuntur, dum pro illis obtinendis aut dandis datur vel accipitur temporale per modum motivi*, ibid.
III. *Qui per munera, amicitiam, aut favorem alicujus directè vel indirectè sibi conciliant, ut per illa gratiam Patroni obtineant, non sunt immunes à Simonia*, 181
IV. *Per Christi verba:* Gratis accepistis gratis date, *detegitur Simonia, quæ sub pallio* pietatis *contegitur*, ibid.
V. *Sæpè sub pallio* redemptionis vexæ *latet Simonia*, ibid.
VI. *Sæpiùs committitur Simonia in exactione* Jurium, *ut vocant pro institutione aut admissione ad possessionem*, 182
VII. *Epistola Honorii II. ad Episcopum & Clerum Leodiensem, qua improbat pravam consue-*

tu-

tudinem exigendi pecunias à recipiendis ad possessionem beneficiorum, 183
VIII. *Sæpè contegitur Simonia sub specie* gratitudinis, ibid.
IX. *Ex circumstantiis, quæ hodiernas remunerationes comitari solent, ostenditur, quod consueverit sub illis latere turpis Simonia*, ibid.

CAPUT III.

De triplici munere, cujus interventu Simonia committitur.

I. *Ostenditur, tria esse munera, quorum interventione Simonia contrahitur*, 184
II. *Quinam incurrant vitium Simoniæ per munus* A MANU, ibid.
III. *Quandonam committatur Simonia per munus* A LINGUA, 185
IV. *An semper sit Simoniacum, Beneficium ad preces vel commendationem alicujus conferre vel obtinere*, ibid.
V. *Quandonam committatur Simonia per munus* AB OBSEQUIO, ibid.

CAPUT IV.

De Simonia Confidentiæ.

I. *Quid de hac specie Simoniæ edixerit Pius V.* 185
II. *Quid circa Simoniam Confidentiæ decreverint Concilia*, 186
III. *Quæ specialiter sint statuta ad probandum, & detegendum Simoniam confidentiæ*, ibid.
IV. *Conclusiones aliquæ ex allegatis hoc capite Pontificum ac Conciliorum Decretis eductæ*, 187

CAPUT V.

De Simonia in administratione Sacramentorum.

I. *Omnis pactio, & exactio in administratione Sacramentorum, tamquam de Simonia valdè suspecta per Canones reprobata est*, 187
II. *Quid in* ultrò *oblatis in administratione Sacramentorum à Ministris cavendum sit*, 188
III. *Qui Sacramenta administrant, ut vitæ necessaria accipiant, non omninò ab affectu simoniaco sunt immunes*, ibid.
IV. *Nec rationi, nec sacris canonibus consonat, quod oblata in administratione Sacramentorum in Parochorum* competentiam *imputentur*, 189

CAPUT VI.

De oblationibus inter Missarum solemnia.

Quo spiritu fieri & recipi debeant: qua ratione in earum receptione Simonia, vel ejus suspicio intervenire possit; & quo modo ex illis hodiernum Sacrorum honorarium profluxerit.

I. *Usus oblationum inter Missarum solemnia à temporibus Apostolorum ad nostra hæc tempora in Ecclesia observatus ostenditur, & quid circa eorum materiam mutatum sit*, 190
II. *Quo spiritu oblationes à populo fieri, & à Sacerdotibus recipi debeant*, 191
III. *Ecclesia consuevit specialiter inter Missarum solemnia* offerentium *memoriam facere; atque publicorum peccatorum oblationes rejicere*, 192
IV. *Quomodo sensim in locum oblationum successerit hodiernum* Sacrorum honorarium, ibid.

CAPUT VII.

De Hodierno Missarum Honorario.

Quo spiritu offerri & suscipi debeat. Quænam receptionem illius de turpi quæstu, aut Simonia suspectam reddant; & quàm perniciosi abusus illi veniant adscribendi.

I. *Quo animo fidelibus Missarum Honorarium Sacerdotibus sit offerendum*, 193
II. *Nonulli per honorarii dationem faciunt Missæ Sacrificium suæ subservire pigritiæ & superbiæ, quo maxima Sacrificio irreverentia infertur*, ibid.
III. *Solicitè cavendum, ne pro sacrosancto Missæ Sacrificio honorarium aliudve temporale* exigatur. ibid.
IV. *Quam perniciosam ideam de honorario Sacrorum aliqui recentiores Auctores imprimant, & quæ idea de honorario illo sit formanda*, 194
V. *Summopere cavendum Sacerdotibus, ne intuitu honorarii Sacrificium offerant*, 195
VI. *Quinam censendi sint lucrum aut quæstum ex Sacrificio Missæ quærere*, ibid.
VII. *Planè indignum est, quòd Missæ Sacrificium subserviat victui acquirendo*, ibid.
VIII. *Ex eo, quòd Missæ Sacrificium subserviat vitæ necessariis acquirendis, natum est fieri, ut illud modo mercenario tractetur*, 196
IX. *Ex taxatione stipendiorum, quæ à Sacerdotibus nonnullis hodie fieri solet, intelligi potest, quantopere Missæ Sacrificium ocassione Honorarii contaminetur, & profanetur*, ibid.
X. *Occasione hodierni Missarum Honorarii natum est contingere, ut plures indigne ad Sacrificium Altaris accedant*, 197
XI. *Occasione hodierni stipendii fit, ut plures ad Sacerdotium ex humano affectu ascendant*, 198
XII. *Episcopis incumbit tollere ea, quæ circa Sacrificium Missæ turpem quæstum sapiunt, eaque statuere, quæ ei debitum honorem & cultum conciliant; hisque Episcoporum Decretis Regulares quantumvis exempti obedire tenentur*, ibid.
XIII. *Efficax remedium, quo Mercenarius modus, qui circa celebrationem Missarum occasione honorarii invaluit, extirpetur, est ut ad Sacros Ordines non assumantur, de quibus fundata sit conjectura, quod ad illos accedant, ut ex celebratione Missarum sibi vel Communitati temporalia quærantur*, 200
XIV. *Proponuntur varia remedia, quibus occurratur incommodis, quæ ex stipendiis Missarum nata sunt oriri*, ibid.

CAPUT VIII.

De Simonia & turpi quæstu in administratione Sacramenti Pœnitentiæ vitando.

I. *Intuitu alicujus rei temporalis Pœnitenti reconciliationem impertiri, horribilis semper judicata fuit Simonia*, 201
II. *Confessarii, qui munera aut favorem aliquem à Pœnitentibus accipiunt aut sperant, facilè potestate sibi data abutentur*, 202
III. *Multa incommoda nata sunt sequi ex eo, quod Sacerdotes vivere debeant ex illis, quæ à Pœnitentibus offeruntur*, ibid.
IV. *Summopere cavendum, ne ex pœnitentiis seu satisfactionibus injunctis, Confessarii lucrum quærant*, 203

CA-

Index Capitum.

CAPUT IX.

De Vitio acceptionis personarum in collatione Beneficiorum.

I. *Quandonam in collatione Beneficiorum committatur acceptio personarum, & quæ sit hujus vitii cum vitio Simoniæ affinitas,* 203

II. *Quid in collatione Beneficiorum justitia distributiva attendi jubeat,* 204

III. *An sine violatione justitiæ distributivæ Beneficio Ecclesiastico præfici possit minus dignus, dum dignior haberi potest,* ibid.

IV. *Etiam Patroni laici non possunt citra violationem justitiæ distributivæ præsentare minus dignum, dum dignior haberi potest,* ibid.

V. *Patroni, aliique Beneficiorum Collatores officio suo non satisfaciunt, eligendo digniorem inter illos, qui se præsentant, si digniorem non se offerentem præsentare possint,* 205

VI. *An patroni aut collatores possint Beneficia Ecclesiastica sine acceptione personarum conferre suis consanguineis. Et quæ præcipue in simili collatione veniant attendenda,* ibid.

VII. *Unde gravitas vitii acceptionis personarum in collatione Beneficiorum desumenda sit,* 206

VIII. *Quid Patroni, & Collatores ante collationem attendere & agere debeant,* 207

IX. *Corollaria nonnulla ex his, quæ hoc capite dicta sunt,* ibid.

CAPUT X.

De obligatione dimittendi Beneficium Simoniacè obtentum; & de Dispensatione retinendi Beneficium taliter acquisitum.

I. *Justissimè Ecclesia privat Clericos Beneficiis, quæ per Simoniam obtinuerunt,* 208

II. *Etiam illi dimittere tenentur Beneficium, qui illud per Simoniam, quantumvis ipsis ignorantibus commissam, obtinuerunt,* ibid.

III. *Qui per Simoniam in Beneficia aut sacros Ordines se intruserunt, nequidem post actam pœnitentiam ad illa reddire possunt,* 209

IV. *Ostenditur, quàm ægrè Ecclesia à Sacris Canonibus contra Simoniacos editos recedet, & quæ in dispensatione attendenda,* ibid.

PARS SECUNDA.

De Pensionibus.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit pensio Ecclesiastica, & an illius in Antiquitate reperiantur aliqua vestigia.

I. *Traditur definitio Pensionis Ecclesiasticæ, prout in usu est,* 210

II. *Referuntur quædam ex Antiquitate exempla, in quibus Pensionis Ecclesiasticæ vestigium apparet,* ibid.

III. *Reflexiones aliquæ ad exempla paragrapho præcedenti exhibita,* 211

CAPUT II.

Ostenditur, quòd Pensio Ecclesiastica ab illo accipi non debeat, qui vel ex beneficio vel patrimonio vivere potest.

I. *Ex natura redditum Ecclesiasticorum evincitur, quòd perperam Pensio accipiatur ab illo, qui aliunde vivere potest,* 211

II. *Regulam circa pensiones ex natura rerum Ecclesiæ desumptam, probavit, & proposuit Concilium delectorum Prælatorum sub Paulo III.* 212

III. *Sola Clerici indigentia non sufficit, ut onus Pensionis Ecclesiæ imponatur, sed insuper merita in Ecclesiam, præsertim illam, quæ Pensione gravatur, requiruntur,* ibid.

IV. *Corollaria ex illis, quæ hoc capitæ dicta sunt,* ibid.

CAPUT III.

Pensiones contrariæ sunt sacris Canonibus, & ideò sine dispensatione haberi nequeunt, quæ sine justa causa data Pensionarios tutos non reddit.

I. *Ostenditur, Pensiones sacris Canonibus contrariari,* 212

II. *Assignatio Pensionis dispensativè facta, ut sit licita, debet niti justa causa,* 213

III. *Quænam ex parte postulantis Pensionem expendenda veniant,* ibid.

IV. *Non semper tutos reddit Pensionarios obtenta, etiam à Pontifice, dispensatio,* ibid.

V. *Potest contingere, ut justa sit Pensio ex parte imponentis & dantis, & licèt injusta sit ex parte petentis & recipientis,* 214

CAPUT IV.

Utrum permutatio Beneficiorum sit justa causa petendæ Pensionis; præsertim dum Beneficia in proventibus sunt inæqualia.

I. *Permutatio Beneficiorum sacris Canonibus est contraria,* 214

II. *Utrum permutatio Beneficiorum interdum auctoritate Prælatorum licitè fieri possit, & quæ conditiones requirantur,* ibid.

III. *An permutatio sit justa causa recipiendi Pensionem,* 215

IV. *Solo titulo inæqualitatis proventuum exigere Pensionem in permutatione Beneficiorum illicitum est,* 216

CAPUT V.

Num resignatio simplex, vel in favorem sit justa causa recipiendi Pensionem.

I. *Sacri Canones volunt, ut quis Ecclesiam, cui semel est adscriptus, sine causa non deserat,* 216

II. *Resignationes in favorem cum clausula,* non aliter nec aliàs, *multis titulis contrariæ sunt Sacris Canonibus,* 217

III. *Permutantes & Resignantes debent in sua permutatione & resignatione semper, quantum possibile est, digniorem eligere,* ibid.

IV. *Renuntiatio simplex vel in favore non est justa causa petendæ pensionis,* ibid.

CA-

CAPUT VI.

De Pensionibus *pacis causa.*

I. *EXigere pensionem, ut liti cedatur, illicitum est,* 218

II. *Frequenter incurritur Simonia ab eo, qui promittit pensionem* pacis causa, ibid.

III. *Occurritur objectioni, quæ petitur ex Cap.* 21. *de Præbendis,* ibid.

CAPUT VII.

De incommodis, quæ ex hodiernis pensionibus oriuntur. Et an Synodus Tridentina eas probaverit. Quidque de illis Sanctus Carolus senserit.

I. *EAdem penè incommoda oriuntur ex moderna pensionum praxi, quæ ex Simonia,* 219

II. *Canonibus pluralitatem Beneficiorum vetantibus per pensionarios illuditur,* ibid.

III. *Propter pensiones aspirant plures ad Beneficia, qui nec Beneficio deservire, imò nec in statu Ecclesiastico vivere intendunt,* 220

IV. *Referuntur plura alia incommoda ex pensionum praxi pullulantia,* ibid.

V. *Synodus Tridentina usum pensionum non approbavit,* ibid.

VI. *Proponitur, quid circa pensiones senserit S. Carolus Borromæus,* 221

VII. *Reflexiones nonnullæ super praxi S. Caroli in materia pensionum,* ibid.

DISSERTATIO CANONICA
DE DISPENSATIONIBUS PRÆSERTIM Matrimonialibus.

CAPUT PRIMUM.

In quibus causis Dispensatio locum habeat; & in quibus non habeat; & personis dispensandi auctoritas competat.

I. *UT clariùs ostendatur, in quibus dispensatio locum habeat, vel non habeat, præmittitur divisio Legis in naturalem, positivam, divinam, & humanam,* 222

II. *In Lege naturali aut positiva Divina nulla hominis propriè dicta dispensatio locum habere potest,* 223

III. *Aliqua prohibent Sacri Canones inseparabilis cum lege naturali deformitatis; aliqua verò quorum deformitas non nisi per certas circunstantias tolli potest,* ibid.

IV. *Illa, quæ separabilem deformitatem conjunctam habent, per dispensationem licita non fiunt, nisi circumstantiæ deformitatem abstergentes reipsa adsint,* ibid.

V. *In his, quæ sunt merè juris positivi, usum dispensationum nonnunquam utilem, imò & necessarium esse Ecclesia judicavit,* 224

VI. *Licèt Ecclesia, necessitate cogente, rigorem canonum interdum relaxet, non ideò tamen canones abrogati censentur,* ibid.

VII. *Quibus potestas dispensandi credita est,* ibid.

CAPUT II.

Quas regulas observare debeant, ut omni ex parte licite procedant & dispensantes, & dispensationem postulantes.

I. *DIspensatio non est indulgenda, nisi utilitate, aut necessitate Ecclesiæ compensetur,* 225

II. *Dispensatio fieri debet causâ cognitâ, ac summa maturitate,* ibid.

III. *Breviter proponitur, quænam à dispensantibus observari voluerit Synodus Tridentina,* ibid.

IV. *Qui asserunt eam esse auctoritatem Pontificis, ut voluntas ejus sit regula, quam in dispensando sequatur, Primatui Pontificis multùm noceat,* 226

V. *Theologi, ac sanior Canonistarum pars doctrinam Jurisperitorum, de qua paragrapho anteriori, reprobant,* ibid.

VI. *Quæ sint necessaria ex parte postulantium dispensationem, ut omni ex parte licitè procedant,* 227

CAPUT VII.

De his, quæ Dispensationem reddunt subreptitiam, aut de subreptione suspectam.

I. *QUandonam suppressio veri, aut expressio falsi Dispensationem reddant invalidam, aut de invaliditate suspectam,* 228

II. *Executio dispensationis subindè suspendi potest ob scandalum, quod ex eo oriturum timetur,* ibid.

III. *Si ex negotii qualitate, aut circumstantiis colligatur, Dispensationem concessam non esse causa cognita, subreptitia censeri debet,* ibid.

CAPUT IV.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

I. *OStenditur, quanta sit utilitas probè scire praxim Dispensationum Matrimonialium,* 229

II. *Proponitur veterum in concedendis dispensationibus Matrimonialibus morositas,* ibid.

III. *Discutitur Decretum Concilii Tridentini circa dispensationes Matrimoniales,* 230

IV. *Quòd dispensationes Matrimoniales hodie dari soleant in* forma commissoria, *& quæ inde consectaria,* ibid.

V. *Cui hodie dispensatio delegari soleat,* ibid

VI. *Proponuntur conditiones, sub quibus hodie dispensandi potestas committi solet,* ibid.

VII. *De quibus, & quomodo Delegatus prævièad dispensationem se informare debeat,* 231

VIII. *Quandonam preces dicendæ sint veritate non niti ob non sinceram expressionem impedimenti, ita ut propterea dispensatio dicenda sit subreptitia,* ibid.

IX. *Ut faciliùs intelligatur, quando preces veritate nitantur, proponuntur causæ dispensationum Matrimonialium cum suis formulis; ac imprimis quatuor ex iis, quæ culpam annexam non habent,* ibid.

X. *Quæ exprimenda & verificanda sint, ut dispensatio super contrahendo Matrimonio prævio incestu aut familiariori conversatione sit valida,* 232

XI. *Quænam sint exponenda & verificanda in dispensatione super cognatione spirituali aut voto castitatis,* ibid.

XII. *Quæ exprimenda veniant, quando petitur dis-*

dispensatio super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto, 223
XIII. *Expenditur causa, ob quam hodie dispensari consuevit super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto,* ibid.
XIV. *Dispensatione super Matrimonio utiliter contracto obtenta, qua forma Matrimonium de novo contrahendum sit,* ibid.
XV. *De his, quæ specialiter observanda sunt pro dispensatione expedita* in forma pauperum, 234
XVI. *Notantur aliqua circa causas dispensationum Matrimonialium; item circa exprimenda de jure, & stylo Curiæ, unde appareat, quantopere conveniat eorum exactam notitiam habere,* ibid.
XVII. *Expenditur praxis dispensationum, quæ pro foro interno conceduntur in Pœnitentiaria Romana,* 235
XVIII. *Ex hactenus assertis consectarium ostenditur, periculosum esse mediante dispensatione statum aliquem assumere,* 236

TRACTATUS

DE JURE PAROCHORUM AD DECIMAS & Oblationes, & de Competentia Pastorali.

CAPUT PRIMUM.

De Jure Parochorum ad Decimas.

I. *Ministris Ecclesiæ Jure Naturali & Divino debetur sustentatio: & in quantum huic obligationi satisfit per decimarum solutionem, decimæ dici possunt Juris Divini, & vota Fidelium,* 236
II. *Decimæ non alio, quàm laboris titulo Ecclesiasticis dantur,* 237
III. *Parocho totius Parochiæ cura incumbit; eoque titulo ei decimæ primariò debentur,* ibid.
IV. *Ex jure probatur, decimas primariò Parochis deberi,* 238
V. *Qui contra Parochum decimas prætendit, debet plenè titulum probare,* ibid.
VI. *Quid requiratur, ut titulo præscriptionis decimæ à Parocho auferantur,* 239
VII. *Decimæ & Ecclesiæ à Laicis in Monasteria, & Capitula quomodo translatæ,* ibid.
VIII. *Quomodo Episcopi & Concilia devolutioni decimarum ad Monasteria obstiterint,* ibid.
IX. *Qui sint Pastores* primitivi, *quæ eorum origo & jura,* 240
X. *Jus percipiendi decimas contra Parochum non extenditur ad* novales, 242
XI. *Quare Ecclesia uniones & incorporationes Ecclesiarum Parochialium non probaverit,* 243

CAPUT II.

De Jure Parochorum ad Oblationes.

I. *Quid sint Oblationes; & in quo potissimùm à decimis distinguantur,* 244
II. *Oblationum usus, præsertim inter Missarum solemnia antiquissimus, & quo animo offerendæ,* ibid.
III. *Oblationes, quæ fiunt intra limites Parochiæ, de jure communi spectant ad Parochum,* 245
IV. *Oblationes, præsertim quæ fiunt in administratione Sacramentorum & aliis functionibus spiritualibus, debent esse planè voluntariè,* ibid.
V. *Quæ in Oblationum receptione, præsertim in administratione Sacramentorum, observanda,* 246
VI. *Ex voluntate offerentium & consuetudine, aliisque titulis Oblationes ad alios quam Parochos spectare possunt,* ibid.
VII. *Quibus competat Oblationum administratio,* 247
VIII. *Qui ad Oblationes faciendas non admittenai,* ibid.

CAPUT III.

De Competentia Pastorali, sive congrua Parochorum portione.

I. *Quid Competentia Pastoralis, & quæ ejus origo,* 248
II. *Qualis esse debeat competentia Pastoralis,* ibid.
III. *Determinatio competentiæ dependet ab arbitrio Judicis,* ibid.
IV. *Portionis congruæ assignatio est favorabilis,* 249
V. *In causa competentiæ sumariè, & per provisionem procedendum est,* ibid.
VI. *Competentia transactione vel conventione tolli nequit,* ibid.
VII. *Onus assignandi portionem congruam Decimis inhæret, & reale est,* 250
VIII. *Portio congrua debet esse sufficiens pro tot Presbyteris, quot ad curam Animarum Parochiæ requiruntur,* ibid.
IX. *An Decimis non collectis portio congrua nihilominus solvenda sit,* 251
X. *Per unionem Beneficiorum Parochis providendum,* ibid.
XI. *Quomodo ex oblationibus & collectis Parochianorum competentia Pastoralis conficienda.* 252
XII. *Quo ordine Decimarum Possessores ad portionem congruam tenentur,* ibid.
XIII. *An Decimæ infeudatæ portioni congruæ sint subjectæ,* 253
XIV. *Portio congrua in re certa peti potest.* 254
XV. *Qui competentiam petere possint,* 255
XVI. *Quæ in competentiam seu congruam portionem imputanda sint,* ibid.
XVII. *An in taxanda portione congrua attendendæ sint oblationes, præsertim quæ offeruntur in administratione Sacramentorum,* 256
XVIII. *Honoraria Missarum in competentiam minimè imputanda,* 257
XIX. *An nulla accidentia in congruam portionem imputanda,* 258
XX. *Quis sit Judex competens in materia Competentiæ,*

APPENDIX I.

Responsum Doctorum Lovaniensium in materia competentiæ, ibid.

APPENDIX II.

Sententia extensa Concilii Brabantiæ in causa competentiæ, 261

DIS-

Et Paragraphorum.

DISSERTATIO AD REGULAM:

IN DUBIIS SEMITA TUTIOR EST ELIGENDA,

Probatam à SS. PP. Clemente III. *in Cap.* 12. ⁜ *de Homicid.* & Innocentio III. *in Cap.* 5. ⁜ *de Cler. excom. Minist.* 262.

EXPOSITIO

REGULÆ JURIS

In pari delicto vel causa melior est conditio possidentis,

aut vel alibi exprimitur:

In pari causa possessor potior habetur.

I. *QUid sit possessio: & in quo potissimùm conditio possidentis sit melior,* 266.

II. *Non sequitur: Judex possessionem rei à possessore auferre non potest, nisi Actor probet, ergo & possessor rem justè retinet, donec Actor sufficienter contrarium probet,* ibid.

III. *Regula*: In pari causa melior est conditio possidentis, *nullum novum jus tribuit possessori rem retinendi,* ibid.

IV. *Ex antedictis consectarium ostenditur, quòd Regula*: In pari causa, &c. *potissimùm sibi locum vindicet in foro externo,* 267

V. *Ex prædictis ulteriùs concluditur, quòd Regula*: In pari causa, &c. *malè assumatur, etiam in materia justitiæ, tanquam titulus sufficiens, qui possessorem ex speculativo dubio faciat practicè certum,* ibid.

VI. *Quomodo possessores in dubio, num res sit aliena, in foro interno procedere debeant,* ibid.

VII. *Regula*: In pari causa, &c. *nullâ ratione extra materiam justitiæ locum habere potest,* 268

VIII. *Probatur ex Jure Canonico, in dubio sive facti, sive juris, nullâ habitâ ratione possessionis libertatis tutius semper esse sequendum,* ibid.

REPAGULUM CANONICUM

ADVERSUS NIMIAM EXEMPTIONUM

à Jurisdictione Episcoporum extensionem:

Cui præmittitur brevis discussio hujus Propositionis:

Quocunque Titulo quis Beneficium Ecclesiasticum mediante temporali sequatur, Simoniam jure naturali prohibitam incurri. Hoc temporale si *Pensionem* voces, *in voce*, non in re distinctio erit.

PARS PRIMA.

Discutitur sequens Propositio:

Quocumque Titulo sive collationis, sive permutationis, sive resignationis quis Beneficium Ecclesiasticum mediante temporali assequatur, Simoniam Jure naturali prohibitam incurrit. Hoc temporale si Pensionem *voces* in voce, *non in re distinctio erit.*

I. *EXpenditur primum membrum superioris Propositionis,* 271

III. *Ostenditur secundum membrum Propositionis necessariò consequi ex primo,* 272

III. *Ex secundo Propositionis membro consequens non est omnem omninò pensionis creationem esse Simoniacam, aut omnes, qui Beneficium Ecclesiasticum suscipiunt cum onere solvendi annuam Pensionem esse Simoniacos,* ibid.

IV. *Exempla* Pensionum, *quæ in antiquis Ecclesiæ monumentis occurrunt, nullatenus favent* Pensioni, *qua mediante quis Beneficium assequitur,* 273

V. Pensiones, *quibus mediantibus ad Beneficium Ecclesiasticum ascenditur, fundamentum non habent in* Cap. 21. de Præbendis, ibid.

VI. *Ex veterum Canonistarum sententia pensiones, quæ à* pactione Partium *initium sumunt, improbantur in* Cap. 21. ⁜ de Præbendis, ibid.

VII. *Ex modo procedendi Pensionariorum evincitur, plurimas hodie Beneficiorum resignationes sub* Pensione, *de Simonia admodum esse suspectas,* 274

Index Capitum

PARS SECUNDA.

De Repagulo nimiæ Exemptionum extensioni objecto.

CAPUT PRIMUM.

Proponuntur variæ Regulæ in materia Exemptionum à Canonistis communiter receptæ.

REGULA PRIMA.

Episcopus de jure communi fundat suam jurisdictionem in omnia Monasteria suæ Diœcesis, 274

Regula II. *Quousque exemptio dubia, Episcopus jurisdictionem suam exercere potest*, 275

Regula III. *De exemptionibus judicandum est ex tenore privilegiorum, ipsaque privilegia Ordinariis exhibenda sunt*, ibid.

Regula IV. *Exemptiones utpote odiosæ strictè sunt interpretandæ*, ibid.

Regula V. *Exemptus sub una qualitate non propterea est exemptus consideratus sub alia qualitate*, ibid.

Regula VI. *Receptio alicujus loci aut personæ in* protectionem *Sedis Apostolicæ non arguit ejusdem exemptionem*, 276

Regula VII. *Exemptiones non nisi justa de causa, utilitatem, necessitatemve Ecclesiæ concernente, sunt concedendæ*, 277

Regula VIII. *Exempti tenentur Legibus Episcoporum in materia communi*, ibid.

Regula IX. *Exemptiones à jurisdictione Episcoporum ad functiones Hierarchicas non extenduntur*, ibid.

Regula. X. *Jurisdictio delegata data Episcopis in exemptos non tollit ordinariam, illaque concessa omnia censentur Episcopis competere, ac si exemplo foret sublata*, 278

CAPUT II.

Proponuntur varia Corollaria ex Regulis ante traditis : & unà referuntur ac refelluntur contraria Recentiorum quorundam asserta.

I. *Varia Corollaria ex Regula IV.* 278

II. *Primum assertum Regulæ IV. adversum exemptiones in favorem Regularium* largissimè *sunt interpretandæ*, 279

III. Secundum assertum, Regulæ IV. & Corollariis inde deductis contrarium. *Privilegia per Tridentinum non censentur revocata, nisi* expressa *eorum sit revocatio ; per privilegia verò Tridentino est derogatum, licèt non sit* expressa *ejus derogatio*, 280

IV. Corollarium primum ex Regula V. & IX. *Exemptio Regularibus aliisve concessa, illos non concernit, quatenus sunt cooperatores aut subsidiarii Episcoporum*, ibid.

V. Secundum Corollarium & Regula V. & IX. *Regularium exemptio non extenditur ad munus Confessarii*, 281

VI. Ulterius consectarium ex præcedenti : *Episcopus potest pro libitu approbationem Regularium restringere, ac modificare, suspendere, ac revocare*, ibid.

VII. Primum assertum contrarium prædictis Corollariis. *Regulares non accipiunt jurisdictionem ad audiendas Confessiones sæcularium* immediatè *ab Episcopis, sed à Pontifice*, 282

VIII. Secundum assertum prædictis Corollariis contrarium. *Episcopos non potest approbationem Regularium pro arbitrio suo limitare, aut datam suspendere aut revocare*, 284

IX. Ex Regula IX. consectarium est: *Regulares quoad prædicationem Episcopis omninò esse subjectos*, ibid.

X. Ex Regula V. & IX. consectarium est : *Exemptiones Regularium ad sacras Ordinationes non extendi, ipsosque à proprio Episcopo, prævio examine, & servatis interstitiis, ordinandos*, 285

XI. *Varia asserta prædictis Corollariis contraria*, 286

XII. Ex Regula VIII. consectarium est: *Exemptos teneri Ordinationibus Episcoporum circa celebrationem Missæ, expositionem & circumgestationem Venerabilis ; & similes in materia communi*, 287

XIII. Assertum contrarium Regulæ VII. & Corollariis inde deductis : *Regulares non tenentur Legibus Episcoporum etiam*, vi directiva, *possuntque sine licentia Ordinarii Venerabile* publice *in suis Ecclesiis populo adorandum exponere*, 288

XIV. Ex Regula X. consectarium est: *Episcopum posse per juris remedia procedere contra Regulares exemptos in casibus, in quibus ordinaria vel delegata potestas ipsis competit, posseque ab ipsis petere* reverentiam & obedientiam debitam, 289

XV. Assertum Regulæ X. & Corollario in deducto contrarium : *Episcopi non possunt à Regularibus exemptis exigere* reverentiam & obedientiam, ibid.

Epilogus secundæ partis, 290

DIS-

Et Paragraphorum.

DISSERTATIO CANONICA

Ad Legem Juliam de Ambitu, &c.

I. *Analogia inter crimen Simoniæ & crimen Ambitus,* 292
II. *Vetustissimis Romanorum legibus repressus Ambitus,* ibid.
III. *Constantini M. adversus bonorum nundinationem sanctiones,* ibid.
IV. *Quid adversus eandem sanciverint Constantini filii,* ibid.
V. *Juliani Imp. contra venalitatem officiorum sanctiones,* ibid.
VI. *Venalitas officiorum invaluerat sub Theodosio M. & quæ inde mala,* 293
VII. *Huic vitio se opposuêre Honorius, & Arcadius Theodosii filii,* ibid.
VIII. *Theodosii Junioris contra venalitatem officiorum constitutio,* ibid.
IX. *De Sanctione Justiniani in Novella* VIII. ibid.
X. *Quid per suffragia intelligat Justinianus, & de juramento ab ipso præscripto,* 294
XI. *Quid jam pridem in Gallia contra officiorum venalitatem decretum,* ibid.
XII. *Quomodo à prædictis Constitutionibus sensim in Gallia recessum,* ibid.
XIII. *Quid jam quidem Principes nostri contra venalitatem officiorum decreverint,* ibid.
XIV. *De recentiore Philippi IV. ordinatione,* 295
XV. *De juramento à Philippo IV. præscripto,* ibid.
XVI. *De juramento nihil pro officiis recipiendi,* ibid.
XVII. *Formulæ juramenti omne munus, etiam ab obsequio, & lingua excludunt,* ibid.
XVIII. *Similiter omnem speciem venditionis vel emptionis directæ, & indirectæ,* ibid.
XIX. *Pallia, quibus venalitas officiorum & falsa juramenta teguntur,* 296
XX. *Incommoda ex venalitate officiorum in rempublicam redundantia,* ibid.

DISSERTATIO CANONICA

DE PRISTINIS ALTARIUM,

& Ecclesiarum Incorporationibus, & Donationibus.

CAPUT PRIMUM.

De Clausulis quibusdam, quæ Concessionibus Ecclesiarum, & Altarium inseri consueverunt.

I. De Clausula: *Concedimus libera absque persona,* 298
II. De Clausula: *Ita tamen ut de redditu Episcopali Nobis aut Ministris Abbatissa quotannis respondeat,* 299
III. De Clausula in Concessione Burchardi his verbis expressa: *Et Presbyter ubi constitutus de manu Nostra curam accipiat,* ibid.
IV. De Clausula: *Et Capitula Archidiaconi & Decani custodiat,* ibid.
V. De Clausula: *Salvo Jure tertii sive sine præjudicio Juris alteri quæsiti,* 300

CAPUT II.

De variis Speciebus Concessionum Ecclesiarum, & qui earum effectus.

I. *Proponuntur variæ species concessionis seu incorporationis Ecclesiarum,* 300
II. *Quando censeatur Ecclesia concessa quoad temporalia,* ibid.
III. *Ecclesiæ Monasteriis vel Capitulis concessæ quoad temporalia censentur eis appropriatæ,* 301
IV. *Per concessionem Ecclesiarum quoad temporalia censetur etiam datum Jus ad Decimas Novales,* ibid.
V. *Vigore concessionis Ecclesiarum quoad temporalia transeunt Jura primitivi Pastoris in Monasteria etiam Monialium, & ad Ordines Militares,* 302

CAPUT III.

De Presbyteris seu Vicariis præficiendis Ecclesiis incorporatis, & horum congrua portione sive competentia.

I. *Per concessionem Ecclesiarum consequuntur Monasteria, & Capitula præsentationem Vicarii, seu Pastoris.* 302
II. *Vicarii perpetui Ecclesiis incorporati præfecti sunt veri curati Pastores,* 303
III. *Temporalia non competunt Monasteriis, vel Capitulis, nisi priùs detracta portione congruâ Parochorum seu Vicariorum,* ibid.
IV. *De modo, quo Decimæ olim in portionem congruam fuerint assignatæ,* 304
V. *Quid Synodus Tridentina circa portionem congruam, & signanter in* re certa *assignandam decreverit,* ibid.
VI. *Magis convenit Pastoribus competentia in re certa, quàm portio decimarum,* 305
VII. *Si Vicarius, abdicatâ portione decimarum, obtinuerit auctoritate Ordinarii competentiam in re certa, hæc surrogatio etiam obligat Successores,* ibid.
VIII. *Vicarius sive Curatus habens plenam competentiam in re certa nullum jus habet ad decimas Novales,* ibid.
IX. *Ostenditur, quod Vicarius, seu Pastor in Leest, accipiendo competentiam in re certa fasus sit, se omni jure ad decimas renuntiâsse,* 306
X. *De praxi Regni Galliæ circa competentiam Vicariorum, seu Pastorum, signanter post edictum Regium de Anno* 1686. 307

CA-

Idex Capitum & Paragraphorum.

CAPUT IV.

De Præscriptione juris Decimandi, notanter universi.

I. *Quomodo acquiratur possessio jurium incorporalium*, 307

II. *Quomodo acquiratur quasi possessio juris universi*, 308

III. *Quid requiratur ad præscriptionem juris levandi Decimas Novales*, ibid.

IV. *An Monasterio vel Capitulo, cui Ecclesia Parochialis est incorporata quoad temporalia, resistat jus Commune in perceptione Decimarum Novalium*, 309

V. *Monasterium Cortembergense fuit in quasi possessione juris universi levandi Decimas Novales per Parochiam de Leest, nec ei jus commune resistit*, 310

PARS

PARS PRIMA
DE VITIO
PECULIARITATIS.

CAPUT PRIMUM.

DE ABSOLUTA RERUM OMNIUM TEMPORALIUM IN PARTICULARI ABDICATIONE, ET EARUM PERFECTA SEU OMNEM PARTICULARITATEM EXCLUDENTE COMMUNIONE, AD PAUPERTATEM RELIGIOSAM ET VITAM CŒNOBITICAM NECESSARIIS.

PARAGRAPHUS I.

Ex verbis Christi & norma vivendi primorum Christianorum ostenditur, ad vitam Religiosam in communi necessaria esse absoluta rerum omnium, etiam quoad utendi facultatem in particulari abdicatio, & perfecta earum communio.

VErba, quibus Christus voluntariæ paupertatis consilium proposuit, manifestè ostendunt, res omnes temporales absolutè ab eo, qui consilii illius desierat esse observator, esse abdicandas: dicit enim: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, Matth. 19. v. 21. Ex quibus verbis patet, quòd Christus eam rerum abdicationem pro consilii illius observatione requisiverit, qualem facit is, qui simpliciter res suas *vendit* & pretium earum, titulo *simplicis & absolutæ donationis* in pauperes transfert. Cùm verò is, qui eo modo rebus suis se exuit, non tantùm nudâ *proprietate*, sed & omni *utendi facultate* se privet, & res suas non tantùm *proprietate* tenus, sed & *usu* in alium transfundat, dubitari nequit, quin consequenter Religiosus teneatur non tantùm earum *proprietate*, verùm & *usu* simpliciter & absolutè seipsum privare, ut nihil in res temporales juris pretendat; sed omnes ut simpliciter *alienas* consideret & tanquam *pauper* earum *usum* indies pro necessitate occurrente, & alterius libertate & benignitate exspectet.

Ita consilium intellexerunt primi illi Christiani, quos ignis Spiritus Sancti illuminaverat, quosque ut normam vitæ cœnobiticæ seu Religiosorum in communi viventium, suo vivendi modo perfectè delinearent, Deus ordinavit; de quibus legitur: *Quotquot possessores agrorum domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Act. 4. v. 34. 35.

Nec tantum agros domosque suas vendebant, & pretia eorum simpliciter & absolutè in Apostolorum potestatem transferebant, atque ita quomodo Evangelicæ paupertatis consilium assumendum sit, exemplo suo docuerunt; sed & insuper normam vitæ Cœnobiticæ seu Religiosorum in communi viventium, expresserunt; nimirùm perfectissimam, quam ea vivendi disciplina requirit, bonorum omnium communionem servando dicente Scriptura, *Erant ipsis omnia communia.* Ne verò putaretur fuisse absoluta rerum omnium communio quoad *proprietatem* non quoad *usum*, addit Sacer Textus: *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.* Quo manifestum evadit, quòd adeò omnia vellent *communia*, ut & *usus* illorum omnium in tantum esset *communis*, ut ex illis *omnium* necessitatibus per Apostolos *indifferenter* provideretur; quo ulteriùs fiebat, quod ait Scriptura: *Neque enim quisquam egens erat inter illos.*

§. II.

SS. Augustini, Benedicti, aliorumque Patrum regulas, descriptam §. anteriori absolutam rerum abdicationem & perfectam bonorum omnium communionem requirere ostenditur.

EX regulis, quas Cœnobitis seu Religiosis in communi viventibus Patres præscripserunt, manifestum est Evangelicam paupertatem secundum Christi expressionem, nec non bonorum omnium communionem in Actis Apostolorum tantoperè laudatam, vitæ cœnobiticæ esse necessarias. S. Augustinus Canonicorum Regularium, aliorumque Religiosorum Legislator, inculcato gemino charitatis præcepto: »Primum, inquit »*cap.* 1. *Regulæ*, ad quod in unum congregati estis, ut una»nimes habitetis in domo & sit in vobis anima una & cor unum »in Deo, & non dicatis aliquid *proprium*, sed vobis *omnia* »*communia*, & distribuatur unicuique vestrûm à Proposito »vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia »non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuique sicut opus »fuerit. Sic enim legitur in Actis Apostolorum: *Qui erant ip»sis omnia communia.*

Voluit ergò S. Augustinus, ut omne *proprium* secundum Christi consilium singuli in particulari abdicarent, & ut ad exemplum primorum Christianorum perfecta *communio* à Fratribus observaretur.

Quam communionem ut clariùs exprimeret, in eadem sua Regula *cap.* 8. præcepit. »Ut cùm quis suis filiis aut aliqua ne»cessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis, ali»quam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria »deputandum, non occultè accipiatur, sed *sit in potestate* »*Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit,* »*præbeatur.*« Ex quibus verbis intelligitur secundum S. Augustini præscriptum, non tantùm nudam *proprietatem*, sed vel præcipuè *usum ipsum*, etiam eorum, quæ à parentibus pro necessariis uni suppeditantur, debere esse *communem*, ut ex illis *in commune redactis*, cui necesse fuerit, præbeatur.

Augustino consonat S. Benedictus, qui & ipse absolutam rerum abdicationem secundum Christi consilium & perfectam rerum communionem ad normam primorum Christianorum suis præscripsit.

»Ne quis inquit *cap.* 33. *Regul.* præsumat aliquid habere »*proprium*, nullam omninò rem, neque Codices, neque Tabu»las, neque Graphium, sed nihil omninò: quippe quibus nec »corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potesta»te: omnia verò necessaria à Patre sperare Monasterii, *om»niaque omnibus sint communia*: ut sicut scriptum est, *nec quis»quam suum aliquid dicat vel præsumat.*« Hæc Benedicti verba conficiunt non tantum *paupertatem* voluntariam juxta Christi consilium, sed & *communionem* bonorum, ad normam primorum Christianorum S. Benedicti institutum profitentibus esse præscriptam.

Quam communionis perfectionem in Actis Apostolorum tantoperè laudatam clariùs expressit, dum *cap.* 45. *Reg.* statuit: »Ut si à Parentibus Religioso quidquam directum fuerit, »non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Ab»bati; quod si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, *cui il»lud jubeat dari. Et non contristetur Frater, cui fortè direc»tum fuerit*, ut non detur occasio Diabolo.

Quo ostendit non tantùm *nudam proprietatem*, sed *usum* ipsum abdicandum & communicandum esse, quandoquidem etiam, quæ à parentibus Religioso fuere directa, ita in Abbatis velit esse potestate, ut necessitati etiam *alterius*, quam *ejus* cui directa sunt, impendi possint, ne *occasio detur diabolo*:

quæ occasio meritò timetur, si res semper detur *illi* ad quem à parentibus fuit directa; quia ipsi facile incideret, sibi fore rem illam impensam tanquam ex voluntate parentum *sibi magis* quàm *alteri* debitam, adeoque in rem illam *sibi præ aliis* de communitate, saltem quoad *usum*, jus aliquod superesse.

Quinimò si credamus Dionysio Carthusiano, voluit Sanctus Benedictus, ut res à parentibus alicui Religioso destinata, potiùs *alterius*, quàm ejus ad cujus *usum* donata est, necessitati impendatur. »Rursus ex hoc (ait *in tract. de reformat. »claust. art.* 14.) quod rem alicui Monacho missam voluit »S. Benedictus potiùs *alteri* dari, quàm *illi*, concluditur quam »seriosè & integrè volebat omnem à suis proprietatem, *pecu»liumque* excludere.« Binis hisce SS. Augustini, & Benedicti Regulis, quibus non olim tantùm, sed & hodiè penè universus Religiosorum ordo vivit, non antiquæ solùm Religiosorum Regulæ (quas in Concordiam suam Benedictus Abbas Anianus retulit) sed & recentiores consentiunt; nisi quod in his nonnulla, quibus occurratur prætextibus vitio proprietatis palliando, aut perfectioni communionis impediendæ noviter inventis, adjiciantur.

§. III.

Synodus Tridentina dictas, abdicationem & communionem *Regularibus servandas proponit.*

SYnodus Tridentina non ignorans quantum ex Monasteriis piè institutis & rectè administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, admodum desideravit, ut vetus & regularis disciplina, ubi collapsa erat, instauretur. Ad quod necessarium esse censuit, ut Regulares tam viri quàm mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant & componant, atque imprimis ut essentialia suæ professionis vota obedientiæ, *paupertatis* & castitatis fideliter observent. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Regularibus.*

Ut verò Substantialia vota in omnibus Cœnobiis veraciter observentur, plurimum confert, inquit Synodus Mechliniensis *anno* 1570. *tit. de Regul. c.* 1. *si ea auferantur, quæ proprietati totius Religionis perniciosæ pesti occasionem & fomenta subministrant.* Quapropter Concilium Trident. ut prædictum decretum, quo præcipit, ut omnes Regulares ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant; atque imprimis quæ ad suæ professionis perfectionem ut Obedientiæ, Paupertatis & Castitatis..... nec non ad communem vitam pertinentia fideliter observent, ut, inquam, hoc decretum facilius observaretur, speciale ad extirpationem *proprietatis* decretum immediatè subjungit. Quo decreto absolutam rerum abdicationem, ac perfectam earum communionem juxta normam vivendi primorum Christianorum, atque Regularium præscriptum, manifeste expressas videmus: præsertim si eidem decreto conjungamus ejusdem declarationem seu expositionem per Clementem VIII. editam (In Constit. quæ incipit: *Nullus omnino*, 69. in Bullar. Rom.) & per plures Pontifices confirmatam & innovatam.

Nemini igitur Regularium (ait Trident. *Sess.* 25. *cap.* 2. *de Regularib.*) *tam virorum quàm mulierum liceat bona mobilia vel immobilia cujuscunque qualitatis fuerint*, sive ut magis specificè exponit Clemens VIII. *pecuniam*, *proventus*, *census*, *eleemosynam.*

Etiam quovis modo ab eis acquisita, inquit Synodus, id est, secundum Clementem, *sivè ex concionibus*, *sivè ex lectionibus*, *aut promissis tam in propriâ Ecclesiâ*, *quàm ubicunque celebrandis*, *alioque ipsorum justo labore*, *& causa*, *& quocunque nomine acquisita*, *etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones*, *legata aut donationes fuerint.*

Sequitur in decreto Concilii: *tanquam propria aut etiam nomine Conventûs possidere vel tenere*: quibus verbis non tantum prohibetur prædictorum bonorum *dominium*, sed eorum *possessio*, imò & *detentio*, idque non tantùm *nomine proprio*, sed & *nomine Conventûs*, id est, nequidem de *consensu Superioris*, ut declarat Clemens VIII. in verbis: *Nulla quorumcunque Superiorum dispensatio*, *nulla licentia*, *quantum ad bona mobilia vel immobilia fratres excusare possit*, *quominus culpæ & pœnæ ab ejusdem Concilii decreto impositæ*, *& ipso facto incurrendæ*, *obnoxii sint*: *etiamsi Superiores asseverent se ejusmodi dispensationes aut licentias concedere posse*; *quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.*

Sed statim, inquit Concilium, *ea Superiori tradantur & Conventui incorporentur.* Non tantùm ergo vult Synodus, ut Superiori *tradantur*, sed insuper, *ut Conventui incorporentur*, seu declarante Pontifice, *cum cæteris illius* (Conventus) *redditibus*, *pecuniis*, *ac proventibus confundantur*, *quo communis victus & vestitus omnibus suppeditari possit.*

Nec deinceps, pergit Synodus, *liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum vel usum*, *administrationem aut commendam*: Addit Clemens: *etiam depositi aut custodiæ nomine.*

Administratio autem bonorum Monasteriorum, *seu Conventuum*, subnectit Synodus, *ad solos Officiales eorundem*, *ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.* Clemens in sua constitutione declarat, nomine Officialium non intelligi Superiores locorum, sed tres ministros duntaxat, nempè *Exactorem*, *Depositarium & Dispensatorem.*

Ex his evidenter apparet, Concilium Tridentinum pro debita voti paupertatis obsevantia, requisivisse completissimam rerum omnium, cujuscunque qualitatis & undecunque provenientium confusionem, ut nulla inter eas intercedente distinctione, ex illis omnibus in unam massam conflatis, per Superiores uniuscujusque necessitati occurratur.

Rerum omnium administratione insuper demandatâ solis Officialibus à Superioribus deputandis, & ad nutum eorum amovilibus, qui bona Monasteriorum in utilitatem Conventuum debitè administrantes, ea Superioribus pro uniuscujusque necessitate distribuenda, per se vel per alios itidem Officiales, plenè committerent. Atque ità expressam hîc videmus primorum Christianorum in communi vivendi disciplinam.

§. IV.

Ostenditur ex decretis particularium Conciliorum quod Synodus Trid. perfectam rerum communionem proposuerit.

PLurimum conducere ad assequendam genuinam Concilii Tridentini mentem, seu sententiam decreta Conciliorum particularium, quæ paucis annis post dictum Concilium Generale habita fuerunt, dubitari nequit: cùm enim præfata Concilia pro debita executione Trid. Synodi convocata fuerint, non dubium, quin illorum Patres admodum soliciti fuerint, ut juxta mentem & sententiam Patrum Concilii Tridentini decreta sua formarent, ac proponerent: neque multum difficile ipsis erat germanum sensum Concilii Tridentini assequi, quia plèrumque inter ipsos aderant, qui concipiendis Concilii decretis operam impenderant: aut si tales inter ipsos præsentes non essent, erant tamen procul dubio plurimi superstites ex Concilio Tridentino reduces, quos consulere de Concilii sententia, si fortè de ea dubitabatur, erat perfacile.

Biennio post absolutam Tridentinam Synodum habita Synodus Cameracensis (cui plures Episcopi & Doctores interfuere, qui Concilii Tridentini decretis formandis & auctoritate & doctrinâ fuerant suffragati) pro debita Synodi Tridentinæ executione, *tit.* 8. *cap.* 10. decrevit »Ut omnis illa pecunia vel res, »quam Monachus vel Monialis acquirere labore, sive industria, »sive amicorum liberalitate, seu denique qualibet alia occa»sione possit, *Superiori tradatur*: ità ut ad nutum ejus *tan»quam res communis* expendatur.

Nullatenus proinde hæc Synodus dubitavit, quin mens Concilii Tridentini fuerit, ut perfecta inter Religiosos & Moniales esset rerum omnium *communio* & *confusio*, ut omnes *indifferenter*, tanquam *communes* à Superioribus expendantur; nec alicui *particulari* jus aliquod, etiam quoad *usum*, conservetur.

Huic Provinciali Concilio consonat ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis, sub R. D. J. Six. *tit.* 17. *cap.* 6. Anno 1583. quæ præterquam quod eandem rerum communionem clarioribus terminis expresserit, insuper non pauca admodum utilia, & notatu dignissima pro hac materiâ proposuit his verbis: »Ex quo in oblivionem abiit exemplum »in initio nascentis Ecclesiæ in Ananiam & Saphiram editum, »invasit pleraque Monasteria exitiosa rerum proprietas, ex »diametro monasticæ professioni contraria. Quare vigilent Præ»fecti, & Præfectæ, si suæ suorumque saluti consultum ve»lint, ut exterminetur hæc pestis: curentque ut ablatis ab om»nibus, iis omnibus rebus, quas ut proprias possident, vic»tus & vestitus, cæteraque vitæ necessaria æqualiter omnibus, »pro indigentiæ uniuscujusque necessitate, & Monasterii facul»tate, placidè ac benignè *ex communi Monasterii thesauro ac »penu* subministrentur, non pecuniis æstimata ac compensata; »sed *ipsis rerum speciebus præsentia.* Id enim eis in virtute »sanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus: *nec aliud præcipimus, »quàm id quod Superiores quidem ex officio prorsus curare te»nentur, nullâ ipsis relictâ dispensandi facultate*; *Religiosi »verò ex ea quam Deo fecerunt sponsione observare.* Usque »adeo enim abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, »annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus »Pontifex possit licentiam indulgere: *Cap. cum ad Monaste»rium & de statu Monachorum.* Quare aboleatur ea consue»tudo, qua consueverunt Superiores Religiosis singulis an»nuam numerare aut permittere pensionem, atque redimere »necessaria vitæ eorum: nec alicui pecunia permittatur, nisi »pro injuncta à Prælato administratione, sed *prorsus omnia in »communem usum convertantur*; ita ut impleatur à Religiosis, »quod sibi imitandum sumpserunt, & ad *quod religione sempi»ternâ se obligarunt* (*non potest res ista inculcari satis*) illud »primitivæ Ecclesiæ: *Multitudinis credentium erat cor unum*

»&

» & *anima una* : *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid* » *suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, divide-* » *batur autem singulis prout cuique opus erat.*

Primò ex hoc decreto docemur ea omnia, quæ pro absolutâ abdicatione & omnium rerum communione hæc Synodus conformiter Synodo Trident. & Provinciali Cameracensi proposuit, non esse juris merè positivi, quæ proinde Religiosos hujus Diœcesis ad summum concernerent, aut lapsu temporis mutari possent: *sed talia quæ Religiosi ex ea, quam Deo fecerunt sponsione, observare tenentur.*

Secundò nos docet eadem Synodus, quod nulla Superioribus in his *dispensandi sit relicta facultas.*

Tertiò ex ipsa intelligimus, quòd *religione sempiternâ sese obligent Religiosi ad servandam illam perfectam rerum communionem, quam primos Christianos servasse Acta Apostolorum testantur.*

Denique eadem instruimur, *quòd non possit res ista inculcari satis*, nimirum quòd Religiosi ad eam perfectam rerum communionem servandam religione sempiternâ sese obligaverint. Hæc occasione istius Synodi Audomarensis.

Perfectissimam rerum communionem à Synodo Tridentina Religiosis præceptum fuisse, probat & ipsa Synodus Provincialis Mechliniensis anno 1570. itidem pro debita Concilii Trid. executione congregata, dum *tit. de Regular. cap.* 1. statuit: » *Ut nulli Regulares pensiones vitales aut reditus perpetuos per-* » *mittantur recipere, neque liceat eis ratione officiorum vel* » *ministeriorum pecuniam corradere aut conservare, etiamsi in* » *pios usus convertere velint*, sed omnia in communem usum » convertantur.“

Aliæ quoque Synodi eundem in finem, ac sub idem penè tempus celebratæ pariformiter statuerunt, quòd nulli Regulari liceat bona sive mobilia, sive immobilia undecunque acquisita, tanquam *propria* aut *nomine Conventus*, possidere; sed statim superioribus esse tradenda, ut *in Commune* conferantur, & *Conventui incorporentur.*

Statuunt insuper, ne superiori liceat alicui Religioso *non Officiario* bona stabilia ad usumfructum, vel usum, vel administrationem, vel commendam committere; sed tantum alicui tanquam *Officiario* ad tempus rei administrationem concedere *non in suam, sed Monasterii utilitatem.*

Ex quibus omnibus facilè intelligitur, illorum Conciliorum Patres non dubitasse, quin mens Concilii esset, ut juxta *Regulæ præscriptum* Religiosi absolutè & simpliciter, etiam quoad *utendi facultatem*, rebus omnibus in particulari renunciarent, nec non eorum quæ ipsi undecunque obveniunt *perfecta* & *completa* esset *communio & confusio*; ut ex iis omnium indiscriminatim necessitati per superiores succurratur; ac per consequens non *hujus* potiùs, quàm *alterius usibus* rei alicujus fiat reservatio, ut verificari queat illud primorum Christianorum; *Sed erant illis omnia communia.*

COROLLARIUM I.

Ex doctrina hactenus tradita consectaneum est, peccare contra votum paupertatis illos, qui rem quacunque ita sibi volunt esse propriam, ut aliis nolint esse communem.

EX dictis constat, quòd & ipsa Christi verba, quibus paupertatis Evangelicæ consilium proposuit, & primorum Christianorum vivendi disciplina exigit, res omnes temporales ab eo, qui *istud paupertatis* consilium & primorum Christianorum vitæ normam profitetur, ità simpliciter esse deserendas, ac si in *pauperes* essent translatæ. Insuper constat necessarium esse, ut in tantum earum *proprietate & usu* sese exuat, aliisque distribuenda committat, ut nihil in rebus à se collatis *sibi* præ *aliis* reservet; sed cum reliquis de communitate tanquam *pauper* pro dispensantium benignitate, pro necessitate occurrente *necessaria* indies expectet.

Hujusmodi rerum abdicationem per constitutiones Religiosorum, præsertim SS. Augustini, & Benedicti, similiter præscribi ostensum est.

Eandem omnimodam bonorum *abdicationem*, rerumque absolutam *communionem*, ut collapsa Religiosa disciplina restitueretur, à Synodo Trid. præceptam esse, non minùs evidenter ex ipsius decreto, accedente præsertim Pontificum ac Conciliorum Provincialium declaratione, comprobavimus.

Ex quibus consequitur, quòd is, qui voto paupertatis se obstringit, & vitam cœnobiticam instituit, omnia sua sive mobilia, sive immobilia, sive quæ ipso professionis tempore possidet, aut postmodum undecunque, aut quavis ex causa acquisivit, abdicare teneatur, eaque omnia ita alterius liberæ committere dispositioni, ut si illi visum fuerit, *in aliorum usum dispenset*, atque illa tanquam planè *aliena* habeat, neque ut *sibi* magis quàm *aliis debita* unquam consideret. Hinc illud Basilii *Constit. Monast. cap.* 18. *Hi perfectè rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil proprium cujusquam sit, sed communia omnium omnia.*

Si igitur rem quamcunque etiam minimam eo modo abdicari, & in commune redigi nolit, non primorum fidelium (qui à perfectâ vitæ communione in Actis Apostolorum laudantur) sed potiùs Ananiæ & Saphiræ imitator constituitur, dum ut hic similiter Spiritui S. mentiri convincitur; nimirum Evangelicam & absolutam paupertatem amplecti simulans, & interim partem aliquam pretii vel rerum, quam *aliis non vult* esse communem, sibi reservans.

Quapropter Religiosorum Patres solicitè admodum cautum voluerunt, ne rem vel minimam Religiosus sibi peculiarem vendicet. Unde monet Synodus Provincialis Cameracensis Religiosos & Moniales, Anno 1565. *tit.* 18. cap. 9. *Ut caveant ne quid pecuniæ aut alterius rei sibi ita retineant, ut communitati nolint esse commune.*

Neque ab Anania & Saphira se separant Religiosi, si omnia quidem, quæ habent, aut quocunque modo obveniunt, Superioris aut alterius custodiæ committantur *nolentes* interim absolutè esse *communia*, sed *usibus suis privatis*, reservata & impensa: nec enim Ananiæ & Saphiræ peccatum tam in *actuali* reservatione & retentione partis pretii consistebat, quàm in *partis illius*, quam *nolebant* esse *communem*, defraudatione: nec etiam ipsos procul dubio ut administrationem aut custodiam, sed ut *usum* ejus sibi *specialem* haberent, tenebat solicitudo: nemo siquidem dubitat, quin facilè totum agri venditi pretium Apostolorum custodiæ & administrationi confidere voluissent, modò partem in *usum suum particularem* ab Apostolis reservandam pro certo habuissent.

Quare notat Petrus à S. Audomaro aliàs à *Walloncapelle* Instituti S. Benedicti in Monasterio Montis S. Winoci Monachus & Prior *lib.* 2. *Institut. Monast. cap.* 20. » Parum admo- » dum referre an apud *se*, *an apud alium* etiam *Priorem suum*, » habeant Religiosi, *modò aliqua ratione ipsorum sit.* «

Affectu proinde *proprietatem* retinet, & in animo coram Deo *proprietarius* & voti violator constituitur Religiosus quicunque res omnes cujusvis qualitatis, & undecunque sibi obvenientes, non resignat pleno affectu & effectu; non voce tantùm, sed corde & voce simul; easque ita non vult esse *communes*, ut nihil in eis *sibi præ reliquis* de communitate etiam *solo affectu* reservet aut vendicet; sed ut illa *omni tempore ad nutum Superioris*, quemadmodum reliqua Monasterii bona, necessitati aliorum Fratrum impendantur, animo verè paratus & omninò contentus sit, oportet.

Hanc animi constitutionem in Religiosis requiri, ut se à pestifero illo *proprietatis* vitio expurgent, mecum etiam illi qui plus justo hac in parte indulgent, facilè agnoscunt. Vereor tamen, si Religiosi, qui reditus vitalitios, pecunias, aliasque res à parentibus datas vel aliundè obtentas, sibi vel apud Superiores, aut tertium quempiam de Superioris concensu reservant: vereor, inquam, ne multi inveniantur, qui si ex sincero cordis affectu se examinarent, vitio *proprietatis* se infectos esse intelligerent. Ipsi quoque Superiores, si ea diligenter abhiberent remedia, quæ ad detegendum *proprietatis* vitium, tum eorum Patres in Regulis suis, tum alii viri pietate & sanctitate illustres sæpius suggesserunt, non rarò experirentur plurimos inter eos, qui totalem & sinceram *exterius* præ se ferunt rerum abdicationem, inveniri qui voce quidem illam profitentur, sed corde & affectu à *proprietate* totaliter non recedunt: quod ex iis quæ subjicimus facilè quisque judicare poterit.

APPENDIX

Ad præcedens Corollarium.

E quibus dignosci possit, num Religiosus quispiam laboret vitio proprietatis, aut simulata sit omnia abdicandi & in communionem redigendi promptitudo.

VOluntas humana variis & diversis passionibus pro diversitate amoris fertur & movetur juxta illud Augustini: *Pondus meum amor meus, eo feror quocunque feror.* Undè enim timor rei amittendæ, nisi ex amore eam habendi & retinendi? Unde aviditas adipiscendi, nisi ex amore assequendi rem quam non habemus? Undè cura, & anxietas conservandi, nisi ex affectu erga rem, quam possidemus? Et sic de reliquis motionibus animæ ratiocinando, omnium radicem solum amorem esse deprehendemus. Hinc illud S. Bernardi *Serm.* 2. *in Quadrag. n.* 3. *Attende solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut contristeris, & sub habitu Religionis animum secularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum: totum enim cor in his quatuor affectionibus est.*

Si itaque Religiosus scire desideret, an effectus *proprietatis* in corde suo non hæreat; convenit ut sedulo & diligenter animæ motus, qui occasione ablationis, aut denegationis ipsius rei temporalis, aut ob ejus præsentiam & conservationem in ipso oriuntur, examinet. Si enim v. g. ex Superiore reditum vitalitium, aut rem aliam undecunque profectam apud se de-

positam in *communem* Monasterii *usum* convertere volente, Religiosus doleat, aut tristetur (intelligo affectus doloris & tristitiæ voluntarios) signum est, quòd *affectum* omnem erga rem illam non deposuerit, nec rem illam sincerè & ex animi sententia in communitatem transtulerit.

Si ulteriùs murmurare aut superiori resistere incipiat, evidentius se, *affectu* saltem, *proprietarium* ostendet.

Suspectus quoque retentæ proprietatis reddetur, si *major* sit *rem illam*, quàm *reliquas* de communitate *conservandi cura*: si enim illam ut *communem* aspiceret, non major foret circa eam, quàm circa cætera communitatis bona affectus, & per consequens nec major conservandi solicitudo.

Sunt alii, qui res aut peculia à se apud Superiorem, aut tertium quempiam deposita, tanquam *sibi* magis, quàm *aliis* de communitate *debita* petunt, nec sibi sine injustitia negari posse putant. Hinc computantes quantum sibi pecuniæ apud depositarium restet, liberè victualia aut res alias credito comparant, credentes pecuniam depositam *sibi justè denegari non posse*. Quo agendi modo seipsos convincunt, se ex animo rem illam in communitatem non sic transtulisse, quin *sibi plus juris* in illam, quàm *reliquis* de communitate putent reservatum.

Inveniuntur & alii, qui omnia sua quidem in communitatem transtulisse, & Superioris dispositioni permisisse exteriùs palam profitentur, & tamen cum Superiore computationem instituunt, dicendo: *Tres nuper solidos*, v. g. *Paternitati vestræ traditi, unum recepi, adhuc duo supersunt*. Quæ computatio non obscurè animum de proprietatis affectu suspectum reddit: si enim sincera eorum fuisset in communitatem translatio, & Superiori pro nutu de illis disponendi data ex animo facultas, non magis de illis, quàm de reliquis bonis communitatis, quorum dispensatio æquo & justo Superiorum committitur arbitrio, calculum inirent.

Denique non multum ab his distare videntur, qui solicitant parentes, aut amicos suos, ut aliquis ab iis accipiant, non solicitaturi, si re illa se pro libitu uti non posse, sed in commune redigendam præscirent, quo ostendunt *sibi solis* non *communitati* eam procurare.

Hæc & similia si seriò perpenderent Religiosi, qui penes se vel apud tertium, aut etiam penes Superiorem pecuniam, aliasque res retineat, vereor, ne fateri cogerentur verum esse quod pridem in Conventu generali Canonicorum Regularium quidam ejusdem Instituti Canonicus in sua contra Proprietarios concione his verbis dicebat: » Contra prædicta omnia adhuc » instant proprietatis Cultores, dicentes: quod habemus, *pro-* » *prium* dici non debet, quia ad *nutum* semper manet *Præ-* » *lati*, qui *revocare*, & in *communem usum*, *quandocunque* » *voluerit, illud convertere potest*; nec est dicenda proprietas, ubi » *ad resignandum prompta fuerit voluntas*. Utinam ii verum » dicerent, & ex cordis sententia loquerentur! sed *mentitur* » *iniquitas tibi*, sola *ablatio* monstraret, *quo affectu* possident. » Quod si etiam jubente Prælato resignent, non est resigna- » tio vera, ubi actioni voluntas non concordat. *Æstimo ad-* » *modum paucos reperiri, qui res suas tranquille sinerent in com-* » *munem usum refundi.*« In libro cui tit. *Reg. S. Aug. cum Constit. Canonicorum Regular. Capituli Windes. &c.* impresso *Ultrajecti Anno* 1553.

Ut verò nec Superiores venenosus hic *proprietatis* affectus lateat, eumque cognitum ex cordibus subditorum radicitus evellant, admodum conveniens, ut res, quæ à Parentibus Religioso directa fuerit (idem esto judicium de rebus aliunde aut alia de causa obvenientibus) subinde *alterius* quam *ejus, cui directa fuerit*, necessitati impendatur; ita enim fiet ut affectus *proprietatis* in animo istius hærens, exterius prodatur; non enim sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur.

Dolor verò tristitiæ, quin & murmurationis aut contradictionis facilè causa erit: Quo fiet, ut non difficulter superior agnoscat minùs sinceram multorum protestationem, qua toties protestantur se omnia transtulisse in *usum communitatis*, & nihil possidere, nisi *dependenter à nutu Superioris*.

Hanc piam tentandi praxim inter Canonicos Regulares usitatam fuisse ex eorum Constitutionibus intelligimus: » Quod si » alicui nostrûm, vestis aut cultellus, aut aliud missum fue- » rit, ad Priorem deferatur, *& ex bona consuetudine non ei* » *cui missum est, sed alii potiùs detur.*« *P. 2. cap. 7. Constit. Capituli Wind.*

Si insuper Monasteriorum superiores nonnunquam paterno affectu tentarent hujusmodi peculiorum possessores per actualem illorum ablationem, eorumque in communem usum redactionem, non rarò intelligerent verissimum esse, quod de simili protestatione & annuâ resignatione ad manus superiorum (quæ in quibusdam Monasteriis etiam cum annuâ alicujus schedulæ exhibitione fieri solet) dixit Petrus à S. Audomaro *Instit. Monast. lib. 2. cap.* 18. » Sed, inquit, dicent peculio- » rum Possessores se pecuniis vel aliis concessis vel datis non » *affici* tanquam *propriis*, quin *paratos* esse *omnia resignare*, Prælatis exigentibus, in quorum potestate omnia, quæ penes » se sunt, esse asserunt. In cujus protestationem singulis annis » exhibent schedulam continentem, quæcunque habent suo » usui deputata. Verùm splendidè mentitur iniquitas sibi. Hoc » unico argumento probare velim eos taxatam pecuniam & alia » *proprietatis affectu* hactenus possedisse, quod noluerint, Epis- » copis & Prælatis suis exigentibus, pressi etiam per Professio- » nis & Regulæ suæ obligationem, imò per Concilii generalis » decreta, cedere resignationi.

» En quomodò noverunt in *Abbatis potestate* omnia esse » debere, & parati sunt illi exigenti omnia tradere. Velamen » est iniquitatis exhibita illa schedula, & ficta protestatio ac » proindè summa impudentia est eorum, qui hac ratione à *pro-* » *prietatis* vitio sese defendunt. Sepulchra foris dealbata, intus » autem plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia.

Meritò proindè invigilant Monasteriorum Præfecti, ut subindè per rerum similium *subtractionem* & in *commune redactionem* subditos suos probent, ne à diabolo tententur, & peste illa *proprietatis* occultè inficiantur, foveantque in Cœnobiis suis, quos tanquam proprietarios & professionis suæ violatores, etiam laxiores Theologi & Canonistæ, communi calculo condemnant.

COROLARIUM. II.

Ostenditur ex Regulis Religiosorum, quòd nequidem dependenter *à voluntate & nutu Superioris peculia ad usus particulares alicujus Religiosi concedi, aut reservari possint.*

EX absoluta abdicatione nec non perfectissima omnium rerum communione, quàm conformiter ad Christi verba & primorum Fidelium vivendi normam, in Regulis Patrum præsertim SS. Augustini & Benedicti expresam §. 2. probavimus, consectaneum est, quòd juxta præfatas Patrum Regulas non tantùm obligentur Religiosi *res omnes* in particulari *absolutè* ac *simpliciter abdicare*, sed insuper Superiores (quorum est omnem curam ac diligentiam adhibere, ne à regularum præscripto recedatur) teneantur easdem in *plenam communionem* redigere, id est, cum *reliquis* Monasterii bonis, ac reditibus *confundere*; ut illis in *communem massam conflactis omnium indifferenter* necessitatibus succurratur. Huic perfectæ *communioni* sive rerum in *unum confusioni* directè opponitur alicujus rei *à reliquis* Monasterii rebus vel reditibus *separatio*, & extra communem massam *reservatio*, quâ fiat, ut non cum cæteris Monasterii bonis seu proventibus, *omnium indescriminatim necessitatibus* impendatur, sed *usibus particularis Religiosi* impendenda conservetur, ac custodiatur; ut proindè eo casu dici nequeat, inter hujusmodi Religiosos juxta Fundatorum præscripta *omnia esse communia*, *& unicuique ex illis distribui prout cuique opus est.*

Ex quo ulteriùs consequitur, non benè intellexisse Patris sui Augustini Regulam, qui dixit, nullam extare prohibitionem in Ordine S. Augustini, quæ reditus vitalitios de Superioris consensu, *ad particularis Religiosi usum deputatos ac reservatos* prohibeat. Meliùs Patris sui Augustini Regulam perspectam habuêre Canonici Præmonstratenses, qui anno 1630. in Capitulo generali *Dist. 2. cap. 25.* statuerunt: » Ut si alicui Sororum à » quoquam aliquid fuerit datum *juxta præceptum Regulæ* sta- » tim resignet & redigatur *in commune*. Nulla quoque Soro- » rum ad *proprios & particulares suos usus pecuniam vel red-* » *ditus habeat assignatos*, sed omnia Superiori tradantur, *&* » *Conventui incorporentur.*«

Dicet quispiam, bonorum discretionem nequaquam induci, dum aliqua à reliquis Monasterii proventibus *in usus alicujus Religiosi* tenentur separata, quando *proprietate* tenùs omnia sunt communia, solâ *quoad usum* manente discretione; præsertim si à *nutu Superioris* dependeat illa quoad *proprietatem*, & quoad *usum* in communionem redigere. Verùm quàm parum illa *nudæ proprietatis* communicatio, & *simplex* illa Superioris omnia confundendi *potestas* (quæ necdùm exivit in actum) conferant, *ut vera rerum* dicatur *communio*, omnisque bonorum *discretio* exclusa sit, exemplo huic rei admodum apposito, nimirùm *Peculii servi* (à quo peculia Religiosorum tantoperè in eorum Regulis nec non Ecclesiæ Canonibus reprobata, originem traxisse videntur) ostenditur.

Peculium servi dicitur *pusilla pecunia* sivè *patrimonium pusillum*, quod servus domini permissu *separatim à rationibus dominicis* habet, cujus *proprietas civilis* semper manet apud dominum, quodque dominus pro *lubitu servo* adimere potest. *L. 5. §. 3. L. 8. 39. 40. 41. ff. de Peculio.*

Duo ex hac definitione notari possunt: Primum, quòd peculium servi dicatur *separatum à rationibus domini*, quandiù *usibus* servi relinquitur, licèt *proprietas civilis* sit apud dominum, & ipsum *peculium*, etiam *quoad usum* servo *pro voluntate* domini, ut cum reliquis rebus domini confundatur, adimi possit. Secundum, quòd peculium à servo velut *proprium patrimonium* habeatur, ob *liberam eo utendi facultatem*

tem servo indultam, tametsi *civilis proprietas* remaneat apud dominum, nec non dicta *utendi facultas* sit ad *nutum* domini *revocabilis*.

Utrumque sibi locum vindicat in peculiis quæ Religiosis de consensu Superioris reservantur.

Primum quidem: quia etiam hæc pro tempore *usibus particularis Religiosi* reservantur, adeoque & toto illo tempore dici debebunt *à rationibus Monasterii separata*, licèt *proprietas* supponatur Conventui incorporata, & facultas sit Superiori *quoad usum* illa in communionem redigendi.

Secundum itidem in prædictis Religiosorum peculiis repetitur: quia penes Religiosum, in cujus favorem reservantur, est *libera* quodammodò hisce *utendi facultas*, licèt ad *nutum* Superioris *revocabilis*, solâ *civili proprietate* existente penes Communitatem; ex quo consequens est, quòd sicut *Peculium servi*, sic dicta *Peculia*, ob *utendi libertatem*, *propria* Religiosorum *patrimonia* interim dici possint, tametsi *revocandi arbitrium* apud Superiorem *remaneat*. Cui conforme est, quòd notat Fagnanus *ad cap. Monach. ✠ De statu Monach.* » Ut Religiosus *verus usufructuarius* dicatur, inquit, nihil re» fert quòd administratio possit *eidem auferri ad nutum Abba» tis*: siquidem hoc non tollit quin durante administratione » habeat *jus utendi & fruendi*; undè propriè dici potest *usufructuarius ab beneplacitum*.

Deniquè quàm parum faciat illa *nudæ proprietatis* incorporatio, ut Religiosus juxta Patrum suorum præcepta *propriis* carere dicatur, evincitur quoque ex fine, seu scopo quem Patres sibi præfixêre; ut filiis suis *proprium* interdicerent, ut quisque facile intelliget ex eis, quæ ex Theodorico de Monasteriis refert Dionysius Carthusianus, *de reformat. claust. art.* 16. » Magis nocet, inquit, Religioso habere *usum peculii sine pro» prietate civili*, quàm habere *proprietatem sine usu*: *Proprie» tas* namque, pergit idem Auctor, in se non est peccatum, » nec ad peccandum inducit, nisi per *usum rei*. Ejus exem» plum est, quòd puero, vel furioso non noceret *proprium* ha» bere cultellum, dummodò non haberet *libertatem & facul» tatem utendi* illo cultello, sed habere libertatem *utendi ad » placitum* communi cultello, esse furioso, seù puero valdè pe» riculosum. Quemadmodùm ergo stultum & derisibile esset, si » quis Paterfamilias prohiberet filio suo habere proprium cul» tellum, ne cum illo se læderet, nihilominus daret, sibi *licen» tiam utendi* ad placitum communi cultello domûs; sic stul» tum videtur, & derisibile, si Pater spiritualis Filio suo spi» rituali prohibeat possidere aliquod *proprium*, & nihilominus » assignet illi aliquam portionem de communibus bonis Con» ventûs, concedatque ei usum illius portionis: quia *libertas » utendi* illâ portione est sibi magis periculosa, quam esset ei pro» prietas ejusdem portionis sine *utendi licentia*: quoniam *usus, » propter quem vitandum Sancti Patres prohibuerunt proprieta» tem*, est propinquior *libertati utendi*, quàm *proprietati pos» sidendi*: imò quantum ad progressum de malo in malum, » parum aut nihil refert, an habeatur *usus sine proprietate*, *an » cum proprietate*. «

Concluditur ergo, quòd duobus ex capitibus Regulis sibi præscriptis contraveniant Superiores, res aliquas extra communionem libero alicujus Religiosi usui reservantes. Primò quidem; quia contra earum præscriptum rerum discretionem & inæqualitatem inter Religiosos permittunt. Secundò quia in effectu *proprium* indulgent.

COROLLARIA.

Ex decreto Concilii Tridentini, quo absoluta rerum abdicatio & earum communio pro religiosæ professionis observantiæ proponuntur.

NEmini Regularium, inquit Concilium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia » cujuscun» que qualitatis fuerint etiam quovis modo ab iis acquisita, tan» quam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel te» nere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique in» corporentur, atque cum cæteris illius bonis (ut majoris ex» plicationis gratiâ adjicit Clem. VIII.) reditibus, pecunis ac » proventibus confundantur, quo communis indè victus & ves» titus omnibus suppeditari possit. «

Ex hoc Concilii Trident. decreto, quo §. 3. & 4. probavimus præceptam esse absolutam rerum omnium abdicationem & earum communionem, sequitur primò, sublatam esse differentiam quoad communicandi necessitatem (ut cum Fagnano loquar) » quam nonnulli ex Doctoribus constituebant inter *bo» na Monasterii*, *& bona*, *quæ Regularis sibi reservat in actu » professionis*, *vel aliunde acquirit*. «

Patet secundò, Conventui esse incorporanda, seu cum reliquis Monasterii redditibus esse confundenda, quæ quovis modo Regularibus acquiruntur, consequenter quæ hactenus Conventui non erant incorporata.

Patet tertiò, quòd nemini Regularium, neque nomine proprio, neque *nomine Conventûs*, ulla bona, sive mobilia, sivè immobilia, cujuscunque qualitatis, & quovis modo ab ipso acquisita, *possidere* aut *tenere* liceat, antequam ea Superiori *tradiderit*, *& Conventui* per Superiorem fuerint incorporata. Undè.

Sequitur quartò, quòd teneatur Regularis omnia quavis ex causa acquisita statim *Superiori tradere*.

Quintò, quòd non sufficiat quòd Regularis absolutè rem acquisitam abdicaverit, eam *Superiori tradendo*, sed insuper teneatur Superior illam sibi traditam *Conventui incorporare*, atque cum cæteris bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus, ut loquitur Clemens VIII. *confundere*; *quo communis inde victus & vestitus suppeditari possit*.

Ex quibus omnibus tandem consequens est, quòd ex sententia Concilii Tridentini nemini Regularium liceat rem quamcunque & quâvis ex causa obvenientem possidere, vel tenere: sed prius cogatur simpliciter eam abdicare, Superiori tradendo, & insuper Superior sibi traditam Conventui incorporare, seu cum cæteris bonis & redditibus Monasterii confundere, quo communis indè victus & vestitus omnibus suppeditari possit: quo ulteriùs fiat, ut nullâ planè intercedente differentiâ inter bona undecunque, aut quavis ex causa Regularibus obvenientia & reliquos Monasterii proventus, sed omnibus in unam massam conflatis, perfectissima rerum communio in Actis Apostolorum descripta, in Regulis Religiosorum tantoperè inculcata, integra servetur.

COROLLARIA.

Ulteriora & magis particularia ex Corollariis præcedentibus.

EX prædicta absoluta omnium, sivè mobilium, sivè immobilium, cujuscunque qualitatis, quovis modo Religiosis acquisitorum, necessaria abdicatione, & perfecta omnium incorporatione, sivè confusione per Concilium Trid. proposita, & Corollariis inde deductis, consequuntur ulterius sequentia.

Primò, reprobatam esse praxim in quibusdam Monasteriis usitatam, qua Novitii in actu renuntiationis bonorum reservant sibi *annuos redditus*, vel *annuam provisionem* pro suis religiosis necessitatibus, aut Parentes *annum reditum vitalitium* constituunt, *de consensu Superioris*, *usibus privatis* filiorum suorum impendendum & reservandum.

Hanc praxim improbatam esse, evidentius est, quam ut probari debeat; quandoquidem manifestum sit, hujusmodi redditus ad *privatos usus* alicujus Religiosi deputatos & reservatos non esse *incorporatos* & *confusos* cum reliquis Monasterii redditibus, *quò communis indè victus & vestitus omnibus suppeditari possit*. Non mirum proindè quòd Synodus Provincialis Mechliniensis pro executione Concilii Tridentini anno 1570. congregata *Tit. de Regular. cap.* 1. statuerit: *Ut pensiones vitales aut reditus perpetuos nulli Regulares permittantur recipere*.

Vidit quoque Eximius P. Christianus Lupus has redituum vitalitiorum particulares reservationes, nec cum professione religiosa, neque cum Synodi Tridentinæ decreto consistere: quare hujusmodi *pensionatos* proprietariis annumerat *Parte.* 4. *Schol. ad Can.* 6. *Concil. Thol.* quinimò de ipsis dicere non veretur: *Nec Monachum induunt*, *nec secularem deponunt*; ac tandem multis hujusmodi reservationum relatis incommodis: concludit: » Quare qualiscunque professioni adjecta pensionis » reservatio est *adversa substantiæ*, aut certè fœda conditio, » ideoque habenda pro non apposita. Eam Præfecti obligantur » circumducere, & *in communem substantiam devocare*. Nul» la hic dotalis eleemosyna, nec similis, quæ humanæ infirmi» tatis palpo fucus valeat patrocinari. Eleemosyna enim debet » esse gratuita, non dotalis: *Et hunc esse Tridentinæ refor» mationis scopum*, *suus locus demonstrabit*.

Secundò colligitur, quòd pecunia, aut aliæ quæcunque res, quæ ex liberalitate consanguineorum Religiosis obvenerint; non tantùm Superioribus sint *tradendæ*, sed insuper illæ debeant *cum reliquis rebus & bonis Monasterii confundi*, ut indè, *sicuti ex Reliquis Monasterii bonis*, *omnium necessitatibus possit provideri*.

Sed pone, parentes nolle oblata dare nisi eâ conditione ut illa filiis suis sint *peculiaria*, & eorum *tantùm usibus* impensa. Resp. Certum esse, illa potiùs esse respuenda, quam ut iis cum ea conditione acceptatis; & ipse Religiosus discrimini à promissa paupertate deflectendi exponeretur, & perfecta inter Fratres communio læderetur.

Huic responso non parum favet S. Benedictus *cap.* 59. *Regulæ*, desiderans, ut si nobilis aliquis, aut dives filium suum in minori ætate constitutum Deo in Monasterio offerrent, promitterent sub jurejurando, *quia de rebus suis nunquam per se*, *nunquam per suffectam personam*, *nec quolibet modo ei* (scilicet filio suo) *aliquando aliquid dent*, *aut tribuant occasionem*

ha-

habendi ; vel certè si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluntin eleemosynam Monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt, MONASTERIO *donationem.*

Hujus Sanctissimi Patris præscripto docentur insuper Monasteriorum Superiores, quòd nonnunquam conveniat ad convertendum à subditis *peculiaritatis* periculum, seriò monere Parentes divites, ne filiis in Monasterio constitutis, de rebus suis aliquid concedant, quo eis *occasionem* tribuant *peculiaritatis*, sed si quid offerre voluerint, id *dent Monasterio*, tàm in filiorum, quàm aliorum Fratrum usum cessurum ; quo contiget ut nec filiis suis præbeant occasionem habendi, nec fraternam communionem infringant.

Tertiò colligitur, quòd si quid honorarii ex Missis aut Concionibus, aut stipendii ex Lectionibus, sive in proprio Monasterio, sive alibi habitis, vel alio justo labore Religiosis obveniat, non tantùm absolutè & *simpliciter* illud à se *abdicare* & Superiori *tradere* teneantur ; sed insuper Superior illud cum reliquis Monasterii bonis & redditibus ita *confundere*, ut nulla intercedente differentiâ omnia tanquam *res omnino communes* in *usum communem* expendantur, & omnium indifferenter necessitatibus *sine respectu personarum quibus obvenerint* impendantur.

Huic consectario planè conforme est, quod Synodus Provincialis Cameracensis pro debita executione decreti Concilii Tridentini anno 1565. *Tit.* 18. *cap.* 10. præcepit Monasteriorum Superioribus, ut » *rescindant & aboleant prorsus univer-* » *sa illa emolumenta, & una quæ antiquo more quibusdam Mo-* » *nasteriorum Officialibus concedi solebant ; breviter omnis illa* » *pecunia vel res*, inquit Synodus, *quam Monachus vel Mo-* » *nialis acquirere, sive labore, sive industriâ, sive amicorum* » *liberalitate, seu denique qualibet alia occasione possit, Supe-* » *riori mox tradatur ; ita ut ad nutum ejus* TANQUAM RES COM- » MUNIS *expendatur.*

Nec ideo, quia justo labore, aut industriâ particulari parta, ita communicanda veniunt, ut etiam *non laborantium necessitatibus* impendantur, ipsi Religiosi in labore aut opere flaccessere debent, sed attendere potiùs illud S. Augustini ad sui Ordinis Religiosos *Cap.* 8. *Regulæ* : » Nullus sibi aliquid ope- » retur, sed omnia opera vestra fiant in commune, *majori stu-* » *dio & frequentiori alacritate*, quam si vobis *singulis* faceritis » *propria* : Charitas enim, de qua scriptum est, quòd non *quæ-* » *rat quæ sua sunt*, sic intelligitur, quia *communia propriis,* » *non propria communibus anteponit.* Et ideo quantò ampliùs » rem communem, quàm propriam vestram curaveritis, tan- » to vos ampliùs profecisse noveritis : ut in omnibus quibus » utitur transitura necessitas, superemineat quæ permanet » Charitas.

Denique ex dictis consequens est, quòd si qui fortè libri Religioso alicui, quacunque ex causa, obveniant, illi sint Superiori tradendi, & in Bibliothecam communem referendi ; ut ita dum hi erunt cum reliquis Monasterii *libris confusi*, ex *communi* Bibliotheca singuli libros necessarios recipiant, sicuti ex communi cellario pasci, & communi vestiario indui debent.

Plura ex eâdem communionis & abdicationis necessitate deduceremus, nisi sua sponte profluerent ; unum tamen notandum, nimirum etiam per rei alicujus in *usus particulares Religiosi* reservationem *communionis* perfectionem infringi, tametsi res penes *Superiorem* reservetur ; quia ut appositè P. à S. Audomaro *lib.* 2. *Institut. Monast. cap.* 20. Quod *alicui certo* præfixum servatur, *commune* dici non potest : » Imò pergit dic- » tus Auctor, tantùm abest ut per ejusmodi reservationes par- » ticulares apud se *vel apud alium*, res Religioso obvenientes » bonis Monasterii incorporentur ; ut contra dividantur & se- » parentur à bonis Monasterii, & *approprientur*, quæ sic con- » ceduntur, *particularibus Religiosis.*

§. V.

Nulla Superiorum dispensatio, aut licentia particulares rerum reservationes justificare potest.

SYnodus Trident. *Ses.* 25. *de Regul. cap.* 1. reformationi Regularium se accingens præcipit, ut omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant ; » atque imprimis quæ » ad suæ *professionis* perfectionem, ut obedientiæ, *paupertatis* » & castitatis, ac si quæ alia sint alicujus Regulæ, & ordinis » peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam » nec non ad *communem vitam*, victum & vestitum, conser- » vanda pertinentia, fideliter observent. Omnisque cura, & » diligentia à Superioribus adhibeantur, tam in Capitulis gene- » ralibus & provincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ » suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non re- » cedatur : cum compertum sit ab *eis non posse ea, quæ ad* » *substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.* Si enim illa, » quæ *bases sunt*, & *fundamenta totius regularis disciplinæ,* » exactæ non fuerint conservata, totum corruat ædificium, ne- » cesse est.

Ex hoc Synodi Tridentinæ decreto eruimus sequentia. Primò, quòd Regulares teneantur specialiter quæ vota obedientiæ, *paupertatis*, castitatis, nec non *vitam communem*, victum, vestitumque corcernunt, fideliter observare.

Secundò, quòd omnis cura, & diligentia à Superioribus sit adhibenda, ut à prædictis non recedatur.

Tertiò compertum esse, à Superioribus non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.

Quartò, prædicta vota, nec non vitam communem esse *bases & fundamenta* totius regularis disciplinæ, quibus non exacte conservatis totum corruat ædificium necesse sit.

E quibus, præsertim ex tertio & quarto, ineluctabili & evidentissimâ consequentiâ infertur, necessaria ad dictorum votorum & vitæ communis conservationem juxta ejusdem Concilii declarationem per Superiores relaxari non posse. Ut proindè conformiter ad mentem generalis Concilii Synodus Audomar. in supra citato decreto, quo vitæ communionem, eaque quæ ad illam pertinent ex sententia Concilii Tridentini proposuit, adjunxerint *Anno* 1583. *tit.* 17. *cap.* 5. *Nec aliud præcipimus, quàm id, quod Superiores quidem ex officio prorsus curare tenentur* NULLA IPSIS RELICTA DISPENSANDI FACULTATE, *Religiosi verò, ex ea quam Deo fecerunt, sponsione observare.*

Et ne fortè ipsi subditi se securos esse putarent, si Superioribus credentes, *de eorum licentia*, per particulares rerum reservationes, à perfecta rerum abdicatione, aut earum communione recederent ; Clemens VIII. *in Const.* NULLUS OMNINO, aliique Romani Pontifices, qui constitutionem Clementis innovârunt, postquam absolutam rerum omnium ad manus Superioris abdicationem, nec non earum incorporationem seù confusionem, juxta mentem Synodi Tridentinæ proposuissent, expressè ipsis Regularibus intimatum voluerunt, ne illam sibi de hujusmodi dispensationis securitate promittant, imò nec fidem habeant Superioribus dispensandi potestatem sibi asserentibus: » Nulla quorumcunque *Superiorum dispensatio, nulla licentia* » quantum ab bona immobilia, vel mobilia Fratres *excusare* » *possit, quo minus culpæ & pœnæ* ab ejusdem Concilii decre- » tis impositæ & ipso facto incurrendæ obnoxii sint, etiamsi » Superiores assererent se *hujusmodi dispensationes* aut *licen-* » *tias* concedere posse ; *quibus in ea re fidem minimè adhibe-* » *ri volumus.*

» His verbis, inquit Fagnanus *ad Cap.* MONACHI, ✠ *de* » *Stat. Monach.* improbantur opiniones illorum, qui afferunt » Regulares excusari à *proprietate*, cùm habent peculium de *li-* » *centia Superioris & dependenter ab eorum voluntate & nutu:* » jam enim patet non pendere *à voluntate & dispensatione Su-* » *periorum*, pergit Fagnanus, *quin omnia sint confundenda cum* » *cæteris bonis Monasterii* pro *communibus necessitatibus.* «

Petet quis, quâ ratione Regulares, qui de *licentia* & *beneplacito* Superioris habent redditus vitalitios, aut rem aliam *ad usum suum particularem* reservatos, dici possint peccare, imò & pœnis canonicis subjacere ; cùm eo casu tantum videantur se conformare voluntati Superioris, quam discutere, obedientia religiosa permittere non videtur. Ut huic dubio satisfiat, prænotandum, quòd hujusmodi reservationes non soleant inniti mandato Superioris, sed postulationi illius, qui cupit sibi v. g. redditum vitalitium reservatum, & simplici Superioris conniventiæ. Quinimò sæpiùs contingit, ut redditum vitalitium v. g. non constituerent, vel si parentes constituere vellent, dissuaderent, si scirent, quòd Superiores illum in *usus ipsorum privatos* reservatum nollent : undè subditi ordinariè ad similes *patirculares reservationes positivè*, Superiores verò *permissivè* tantum concurrunt ; consequenter vitium, quod in hujusmodi particularibus reservationibus latet, non minùs si non ampliùs ipsis subditis, quàm Superioribus imputandum venit.

Sed posito, quòd præcepto Superioris hujusmodi reservationes niterentur ; non propterea subditi illis consentire, ac per eas vitæ communionem infringere possent ; neque enim ea est *obedientiæ* virtus, ut sine discussione in omnibus obediendum sit : si quippe ita obedire oportet, sine causa legitur in Ecclesia : *Omnia probate, quod bonum est, tenete* : si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii : *Estote prudentes sicut serpentes*, sufficiente quippe quod sequitur, *& simplices sicut columbæ.*

Scio quidem à subditis non facilè dijudicanda esse Præpositorum mandata ; sed necessariam assero prudentiam, quâ advertatur, num præceptum Superioris cum divinis institutis ex. gr. *Redde Altissimo vota tua*, consistat ; & libertatem, quâ ingenuè contemnatur, si adversari deprehendatur, juxta illud Apostolorum : *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Ex his concluditur, quòd Religiosis prætendentibus particulares rerum reservationes prætextu *licentiæ* aut *conniventiæ* Superiorum, à vitio eximere, responderi queat illud, quod Religiosis, qui pecuniis sibi concessis *tanquam propriis* utebantur, eodem argumento se pugnare conantibus pridem reposuit P. à

S.

S. Audomaro : » Utinam non ex consensu eorum & indulgentia » fierent! siquidem minùs in Deum peccaretur. Nam per crude- » lem hanc dispensationem & conniventiam fit, ut sine ullo cons- » cientiæ scrupulo, ac proinde sine ullo pœnitentiæ remedio » peccetur. «

§. VI.

Concilium Tridentinum voluit, ut res Religiosis obvenientes, priùs Superioribus tradantur, & Conventui incorporentur, quàm earum usus etiam facti, *isis concedatur.*

VIdimus in anterioribus, quòd Synodus Tridentina *Sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 2. pro debita paupertatis voluntariæ & religiosæ communionis observantia decreverit, quòd nemini Regularium liceat bona, sive immobilia, sive mobilia, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus *possidere*, imò nequidem *tenere*; quo verbo inquit Fagnanus *ad Cap.* Monachi ✠ *De Statu Monach.* prohibet *nudam detentionem vel* USUM FACTI. Quod addit Synodus : *etiam nomine Conventûs irrefragabiliter*, ut ait idem Fagnanus, convincit, *Regularibus etiam nomine Conventûs, & sic dependentem à Superiore, prohibitam esse non solùm proprietatem & possessionem,* SED ETIAM NUDAM DETENTIONEM, VEL USUM FACTI.

Nec tamen quis inde arguat me sentire, quòd Concilium Tridentin. absolutè *usum facti* rerum mobilium, sive *usum*, quo *necessitatibus Religiosorum sucurratur*, vetuerit : tantùm voluit, ut priusquam ille *usus* concedatur, Religiosus juxta Christi consilium omnia, quæ sibi obveniunt, *absolutè abdicaverit*; quo facto tanquam verus *pauper* necessaria sua à nutu & voluntate Superioris expectet. Ut vero perfectiùs ea abdicatio, seu denuntiatio fieret, noluit Synodus, ne *usum* quidem *facti* rerum mobilium, quas quovis modo Regularis acquirit, ipsi concedi, antequam illæ omnes Conventui sint *incorporatæ*, seu cum reliquis Monasterii rebus planè *confusè*, ut ex illis in *unam massam redactis omnium necessitatibus* sucurratur; quo appareat, quòd Religioso, cui illa obvenerunt, non plus juris in illa supersit, quàm reliquis de Communitate, aut in cætera bona Monasterio *jam ante incorporata.*

Nec hîc aliud Synodus præscripsit Regularibus præter illud, quod observârunt primi illi Christiani, quorum normam vivendi Religiosi in communi viventes assumpserunt : testatur enim sacer Textus *Act.* 2. *v.* 44. 45. & 4. *v.* 35. 36. *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Quibus ostenditur, quòd primò omnia tam mobilia, quàm immobilia à se abdicarent, & Superioribus, id est, Apostolis, traderent. Deinde testatur sacer Textus, quòd non tantùm à se abdicarent, & Apostolis traderent, sed omnia in *communionem* redigerentur, priusquam *necessaria singulis darentur.* Præmiserat enim sacer Textus : *Erant ipsis omnia communia*, antequam subjungeret : *Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.*

Ex quo patescit, quòd Concilium Tridentinum à norma vivendi primorum Christianorum non recesserit, dum voluit, ut Regulares primò omnia, quæ quovis modo acquirunt, absolutè & simpliciter à se *abdicarent* tradendo Superioribus, & Superiores ea omnia Conventui *incorporarent*, seu cum reliquis Monasterii proventibus *planè confunderent*, ut eo pacto ex omnibus ità *confusis* omnium *necessitatibus*, sine *respectu personarum*, quarum *operâ* aut *labore* provenerint, aut *quarum intuitu* fuerint donata, succurratur; & ideò, ut notat Fagnanus *ad Cap. Monachi* ✠ *De Statu Monach.* » post hanc incorpo- » rationem, tantùm in fine ejusdem *cap.* 2. jubet, *ut mobilium* » *usum Superiores permittant, nihilque, quod sit necesarium, eis negetur.*

Hinc apparet, quàm frivolum sit argumentum, quo quispiam conatur probare, Concilium Tridentinum in prima parte dicti *cap.* 2. agere de Religiosis, qui possidebant aliqua *sine dependentia à voluntate Superioris* : *quia*, inquit, *aliàs sequeretur, quòd Tridentinum etiam prohiberet usum librorum vel vestitum & à Superiore dependentem*, non distinguens inter *usum*, qui ante incorporationem, & eum, qui post incorporationem conceditur. Hunc non prohibet : istum verò vetando, etiam cum *dependentia a voluntate Superioris*, nec à norma vivendi primorum Christianorum, ut jam vidimus, imò nec à Regulis Religiosorum recessit : quia & in his præcipitur, ut ea, quæ Religioso obveniunt, prius Superiori tradantur & in communionem redigantur, antequam in *usum* Fratrum expendantur.

Quod signanter S. Augustinus expressit *cap.* 6. *Reg. ad Servos Dei*, dum voluit, ut » Parentes filiis in Monasterio cons- » titutis vestem aliquam, si quodlibet aliud inter necessaria de- » putandum contulerint, non occultè accipiatur; sed sit in » *potestate Præpositi*, ut in *rem communem redactum*, cui *ne-* » *cessarium fuerit*, *præbeatur.*

Quibus verbis evidenter præcepisse constat, ut id, quod à Parentibus filio Religioso datur, prius sit in *potestate Præpositi*, & in *rem communem redactum*, ac tum demum, cui *necessarium fuerit*, præbeatur.

Ut igitur verbo absolvam, præcepit Concilium, ut Superiores ita *usum mobilium* permittant, ut nihil superflui detur, nihil etiam, quod sit necessarium, denegetur : ut tamen *usus* rerum, etiam *mobilium*, quovis modo Regularibus *obvenientium* non concedatur, nisi priùs Regulares eas Superioribus tradendo à se *abdicaverint*, & Superiores *Conventui incorporaverint*, id est, cum *reliquis Monasterii bonis & proventibus confuderint.*

§. VII.

Ne detur occasio vitio proprietatis, aut communio bonorum infringatur, inhibitum est Superioribus Monasteriorum singulis Religiosis assignare certas pecuniarum taxas, ut ex iis sibi quisque necessaria conquirat.

COnsuetudo, sive praxis, quâ in nonnullis Monasteriis certa pecuniæ taxa singulis Religiosis assignatur, ut ex ea de necessariis quisque sibi provideat, ut minus ad proprietatem plurimum inclinat : per illam quippè taxarum assignationem natum est fieri, ut quisque Religiosus liberam quamdam utendi facultatem accipiat : dùm enim singulis æqualis pecuniæ summa, qua necessitatibus suis occurrat, distribuitur, cùm non omnium æqualis sit necessitas, sed alii præ aliis pluribus indigeant; facilè est evenire, ut taxa nonnullis sufficiens, eadem illa aliis assignata superabundet : undè ulteriùs non rarò continget, ut eâ parte, quæ abundat, tanquam *domini in usus suos liberè* utantur, adeoque respectu illius portionis quasi Proprietarii constituantur.

Accedit, quòd prædicta taxarum assignatio scopo, seu fini, qui per votum paupertatis intenditur, non parum contrarietur; voluntaria quippè paupertas assumitur, ut quis à rerum terrenarum solicitudine solutus faciliùs cœlestia capere, & Deo liberiùs in hærere queat : hæc verò taxarum assignatio, utpotè Religiosos rerum sibi necessarium constituens procuratores, solicitudini temporalium implicat : ac per consequens nata est Religiosos à rerum divinarum contemplatione non parùm avocare.

Deniquè non tantùm hujusmodi taxarum assignatio ad proprietatem disponit, & fini voluntariæ paupertatis opponitur; sed insuper per illam evidenter perfecta vitæ communio, quam Religiosi profitentur, & quæ disciplinæ regularis basis est, & fundamentum, infringitur : quapropter Fideles illi, qui Jerosolymis vitæ religiossæ normam expresserunt, non certas pecuniæ summas, sed ab Apostolis aut Diaconis *prout cuique opus erat*, necessaria accepisse leguntur : » *Erant enim illis*, in- » quit sacer Textus, *omnia communia, dividebaturque singu-* » *lis* PROUT CUIQUE OPUS ERAT.

Horum exemplo Religiosorum Patres, ut à Filiis suis vitium proprietatis procul habesset, & laudata in actis Apostolorum vitæ servaretur communio, districtè præceperunt, ut necessaria singulis pro cujusque necessitate in ipsis rerum speciebus darentur. » Distribuatur (inquit Augustin. *cap.* 1. *Reg.*) » unicuique à Præposito vestro *victus & tegumentum*: non *æqua-* » *liter*, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicui- » que *prout opus fuerit* : sic enim legitis in Actibus Apostolo- » rum : *Quia erant illis omnia communia & distribuebatur uni-* » *cuique sicut cuique opus erat.* «

Imò tantùm abest ut D. Augustino placeret ut unusquisque sibi necessariorum foret dispensator, ut ne indumenta quidem à Religioso retineri, sed ea ab uno alterove custode servari voluerit : » vestes vestras, inquit, *cap.* 8. *Reg.* in unum » habeatis sub uno Custode vel duobus, vel quot sufficere po- » tuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pos- » cimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. Et » si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumen- » tum pro temporum congruentia proferatur, utrum hoc re- » cipiat unusquisque, quod deposuerat, an aliud quod alter » habuerat, dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non » negetur. «

Regulæ S. Augustini convenit & ipsa S. Benedicti, quæ vult ut Monachus omnia sibi necessaria ab Abbate sperare debeat. Et quidem ut » vestimenta Fratribus secundum locorum quali- » tatem, ubi habitant, vel aëris temperiem, dentur : *hæc ergo*, (inquit, *cap.* 55. *Reg.*) *consideratio penes Abbatem est.* «

Evidenter denique huic certarum pensionum assignationi sese oponit regula S. Benedicti, dum *ibidem* in ea præcipitur, » ut dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria, id est, *Tu-* » *nica, Cuculla, Pedules, Caligæ, Bracile, Cultellus, Gra-* » *phium, Acus, Mappula, Tabulæ*, ut omnis auferatur neces- » sitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur, » illa sententia actuum Apost. *quia dabatur singulis prout cui-* » *que opus erat.* Ita ergo Abbas consideret infirmitatem indigen- » tium; non malam voluntatem invidentium. «

SS.

SS. Augustini & Benedicti Regulis aliorum Patrum Regulas concordare, Concordia Regularum S. Bened. Aniani ostendit *cap.* 43.

Nec tantùm ipsæ Regulæ quas Religiosi profitentur, harum pensionum assignationem improbarunt: quin & ipsi Ecclesiæ Prælati, ubi invaluerat, eidem se strenuè opposuerunt, & tanquam disciplinæ regularis exitiosam pestem suâ auctoritate abolitam voluerunt. Et quidem Synodus Albiensis: „nulli » Regulari, inquit *Anno* 1254. *Can.* 54. pro vestibus seu pro » pitantia à suo majore *pecuniæ summa detur. Ad hoc enim da-* » *tur ei materia proprium retinendi; sed omnes in vestiario* » *induantur.*"

Illo similiter seculo Synodus Londinensis eodem motivo hanc taxarum assignationem improbavit: „ne, inquit *ann.* 1265. *Can.* 42. *proprietatis vitio* super dorsum peccatoris fabricandi » occassio Satanæ offeratur, & ipsi homini detur facultas de- » linquendi: statuimus ut cùm quispiam Monachorum, seu » aliorum Religiosorum vestibus, calceamentis, vel aliis vitæ ne- » cessariis indiguerit, is qui super iis ministrandis gerit offi- » cium, *pecuniam sive denarios non tradat* pro re hujusmodi » taliter indigenti, *sed res ipsas prout necessitas exegerit, sub-* » *ministret.*"

Idipsum in Synodo Oxoniensi sub idem penè tempus ordinavit Stephanus Cantuarensis, *An.* 1222. *Can.* 43.

Similiter Synodus Trid. *Sess.* 25. *de Reg. cap.* 1. præcipiens, » ut omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad com- » munem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia » fideliter observent, omnisque cura, & diligentia à Superiori- » bus adhibeatur, ut ab illis non recedatur, satis manifestè » hanc taxarum distributionem improbat," quandoquidem constet per illam ea, quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda spectent (v. gr. commune vestiarium, item commune cellarium, è quibus in communi vestiantur & pascantur) evidenter everti.

Non mirum proinde, quòd Concilia pro executione Concilii Trident. celebrata adeò solicitè Monasteriorum Præpositis mandaverint, ne subditis suis certam pecuniæ summam pro cibo, vel vestimentis subministrent, sed omnia in specie ex communi Monasterii penu porrigantur.

» Ut huic pestifero vitio (proprietatis) obiam eatur, in- » quiunt Patres Concilii Cameracensis *ann.* 1565. *tit.* 18. *c.* 10. » mandat Sancta Synodus omnium Ordinum Superioribus, ne » subditis *pecuniam* pro cibo, vel potu, sive vestimentis, aut » aliis quibuscunque necessariis administrent; sed *victus* om- » nis, *potus*, ac *vestitus*, & *quidquid necessarium fuerit, de-* » *center & prout ratio postulat, eis porrigatur.*"

Quod suæ Provincialis Synodi decretum clarius expressit Synodus Audomarensis *tit.* 17. *cap.* 16. præcipiens. » Ut vic- » tus, vestitus, cæteraque vitæ necessaria æqualiter omnibus, » pro indigentiæ uniuscujusque necessitate & Monasterii facul- » tate placidè ac benignè ex *communi Monasterii thesauro* » ac *penu* subministrentur, *non pecuniis æstimata* ac com- » *pensata, sed ipsis rerum speciebus præsentia.* Id enim eis in » virtute sanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus." Deinde quod benè notandum subjungit: „Nec aliud præcipimus, quàm id » quod Superiores quidem ex officio prorsus curare tenen- » tur, nullâ ipsis relictâ dispensandi facultate; Religiosi ve- » rò ex ea, quam Deo fecerunt, sponsione observare. Qua- » re aboleatur ea consuetudo, qua consueverunt Superiores » Religiosis *singulis annuam numerare aut permittere pensio-* » *nem, atque ita redimere necessaria vitæ eorum.*"

His Synodis consonat & ipsa Provincialis Mecliniensis *anno* 1570. *tit. de Regular. cap.* 1. septennio post Concilium Trident. celebrata præcipiens, » ut victus, vestitus, cæteraque vi- » tæ subsidia singulis ex *communi* pro necessitate indigentiæ, & » Monasterii facultatibus subministrentur, *non in pecuniis, sed* » *in specie rerum.*"

§. VIII.

Quid Superiores observare debeant, dum usum rerum mobilium Religiosis concedunt, ne vel injustitiæ, aut etiam vitii proprietatis complices fiant.

EX bonis omnibus, undecunque provenientibus, in unam massam conflatis, teneri Superiores tanquam fideles dispensatores bonorum communium, necessitatibus Fratrum providere, certius est, quàm ut probari debeat. Modum justissimum ea in usus Fratrum dispensandi, quem Apostoli primitùs tenuerunt, Sacer Textus paucis verbis expressit: *Dividebatur* inquit, *Act.* 4. *v.* 35. *singulis prout cuique opus erat.* Hoc est secundum uniuscujusque necessitatem.

Hanc dispensationis normam; ut Superiores in rebus Monasterii dispensandis tenerent, Patres sedulò inculcarunt.

Est ejus penès quem, inquit S. Basilius, *in Regulis brevioribus, resp.* 131. *distribuendi munus est, illud exequi diligenter*: DIVIDEBATUR SINGULIS PROUT CUIQUE OPUS ERAT.

» Victus & tegumentum, ait S. Augustinus non æqualiter » omnibus distribuatur, quia non æqualiter valetis omnes; sed » potiùs unicuique, sicut cuique opus fuerit: sic enim legitis » in Actibus Apostolorum: *Quia erant iis omnia communia, & distribuebatur unicuique prout cuique opus erat.*

Quibus consonat S. Benedictus, dum ait *Cap.* 34. *Reg.* » Sicut scriptum est: *dividebatur singulis prout cuique opus erat* » Ubi non dicimus, ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed » *infirmitatum* consideratio."

Ut igitur Superior in dispensatione sua fidelis inveniatur, debet singulorum Fratrum conditionem & statum justâ staterâ librare, ut intelligat quid singulis, pro ea in qua sunt conditione & statu opus sit; quo fiat, ut non *ex privato suo afectu*, sed secundum *cujusque necessitatem* bona communia distribuat.

Igitur in Superiore ut justam & rectam dispensandi normam teneat, non tantùm magnâ prudentia, quâ discernat, quid singulis conveniat, exigitur; sed insuper necessarium est, ut in ipso reperiatur, quod in Abbate requisivit S. Benedictus *cap.* 2. *Reg.* » Non ab eo persona in Monasterio discernatur, » non unus plus ametur, nisi quem in bonis actibus & obedientia invenerit meliorem; æqualis sit ab eo omnibus charitas; una præbeatur omnibus secundum merita disciplina. Si verò » Superior non tantùm ex privato & immoderato erga perso- » nam affectu usum aliquarum rerum alicui, licet *minus indigen-* » *ti* præ aliis indulgeat illumque concedat isti (cui forsitam minùs conveniat, aut in usum parùm necessarium, dum aliis de Communitate in meliorem & conventiorem usum concedi posset) *eo solo titulo*, quia res illæ ex *liberalitate consanguineorum* aut *propriâ* ipsius industriâ obvenerunt, verendum, ne non tantùm acceptionis personarum, sed & vitii *proprietatis* subinde complex efficiatur; quia natum est fieri, ut illo suo agendi modo non exiguum suppeditet argumentum opinioni Religiosorum menti nonunquam altè impressæ, qua opinantur in res à parentibus donatas, aut proprio labore partas *sibi* aliquid *plus juris*, quàm *reliquis* de Communitate superesse; quo fiat, ut affectu quodam *proprietatis* rebus istis tanquam sibi quodammodo *propriis*, afficiantur.

Si insuper subditi deprehendant, quod Superiores res ex amicorum benignitate donatas, nulla *difficultate* etiam *in quemlibet penè usum* cui obvenerunt concedant, rursus exinde ducent argumentum res illas ex ipsa quoque sententia superioris sibi magis esse proprias quam reliquos Monasterii *proventus*: præsertim quia experientia non raro ipsis constat, quod Superior non nisi summa difficultate, imò fortè nunquam, quidquam ex communibus Monasterii proventibus in *similem usum* concederet; quo rursus continget, ut eo distribuendi modo foveat opinionem illam, quâ Religiosi arbitrantur *similes res*, magis quàm reliquos Monasterii *proventus* sibi esse *proprias*.

Debent igitur Monasteriorum Superiores omnium Fratrum conditione seu statu expenso, sine acceptatione personarum, *quod cuique opus est*, ex omnibus rebus *undecunque provenientibus in unam massam conflatis*, singulis *indiferenter* distribuere.

» Quod si cui Fratrum aut sororum videatur non æquali- » ter omnibus à Præfecto prospici, *nunquam id sibi judican-* » *dum sumat*:" Verbis loquor Synodi Audomarensis *an.* 1583. *tit.* 17. *cap.* 6. aut si ita clarum sit, ut » non possit non judica- » ri, meminerit religionis ingressum exercendarum virtutum, » abnegationis sui, & quæ hinc nascitur, patientiæ palæstram » esse, ita tamen ut possint rem visitatoribus in visitatione ex- » ponere."

§. IX.

Superiores teneantur allaborare, ut Religiosi sive in, sive extra Monasterium existentes quantum fieri potest necessaria sua ab aliena expectent voluntate.

QUemadmodum Religiosus ratione voti obedientiæ in omnibus agendis, ac tractandis omni tempore quantum moraliter loquendo conditio seu status eorum permittit, à prudenti & justa Superioris pendere debet voluntate & arbitrio, ita votum paupertatis Religiosum obligat, ut in necessitatibus suis corporalibus quotidiè omnium possibile est, ab aliena dependeat voluntate.

Adhæc sicuti votum obedientiæ Religiosum adstringit, teste Sancto Basilio *Constit. Monast. cap.* 21. ut imbecillitatem suam ad id, quod sibi imponitur exequendum, *non proprio metiatur arbitrio*, sed *Superiori suo metiendam* permittat, similiter votum paupertatis requirit, ut Religiosus sibi *necessaria non proprio mensuret arbitrio*, sed *Superiori* expendenda committat.

Hanc summam quoad necessitates corporales dependentiam paucis verbis comprehendit S. Benedictus: *Monachis*, inquit, *nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate: omnia verò necessaria à Patre Monasterii sperare.*

Hæc in quotidianis necessitatibus dependentia cùm non difficile

ficulter observari queat ab eis, qui in propriis morantur Conventibus, consequens est, quòd nulli eorum concedenda sit pecunia, aliaque res, qua sibi de necessariis provideat; sed de communi cellario & vestiario secundum Superioris providentiam *necessaria* sperare debeat.

Quod perspectum habentes Canonici Ordinis Præmonstratensis statuerunt *anno* 1630. *dist.* 2. *cap.* 23. ut etiam sui Ordinis Pastores in *Monasterio habitantes*, ex communi Cellario in mensa conventuali alantur, & ex communi vestiantur, neque sibi aliquid ex quotidianis vel annuis proventibus retineant, quo fiat, ut quotidiè sibi necessaria tanquam pauperes à Superiore sperare cogantur.

Verùm sicuti Superioribus satagendum est, ut non tantum in proprio Conventu degentes, sed & in foris agentes, in actibus suis alieno regantur prudenti arbitrio, ita quoque ipsis allaborandum, ut extra Monasterium commorantes, quantum status & conditio eorum permittunt, utpotè voto paupertatis adstricti *necessitates suas aliis expendi* permittant, & ab ipsis ea quæ *sufficientia judicabuntur*, exspectent.

Et quidem cùm præscriptum sint Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 4. *De Regularib.* ut *Religiosi qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent*, nullâ difficultate Superiores procurare poterunt, ut tales *necessaria sua* à Superiore illius Conventûs *quotidiè*, quemadmodum reliqui fratres ejusdem Conventûs, accipiant; ac per consequens nulla erit necessitas ut ipsis pecunia credatur, qua sibi *pro arbitrio suo necessaria* conquirant.

Quin etsi non in Conventu sed fortè alibi nonnulli simul cohabitare cogantur, poterit tamen & hic unus eorum consilio, scientia aliisque qualitatibus maturior designari, qui partes Superioris agat, & cui rerum temporalium dispensatio committatur, & à quo cæteri *sua necessaria accipiant*. Hoc exemplo suo docuêre Cononici Regulares Capituli Windesemensis *parte* 3. *Const. Cap.* 17. §. 13. » Districtè interdicentes Sociis Rec» torum extra gremium Capituli residentibus *habere sub quo» cunque colore usum* vel *proprietatem pecuniarum per se vel » interpositas personas*, unde emere aut vendere, dare vel » recipere per se nihil præsumant, sed sua *donaria* aut *alia » undecunque recepta Rectoribus resignabunt*, qui hujusmodi » pro *suo arbitrio* ad *usum* illorum vel aliorum *cui visum fuerit* » expedire, expendere, vel expendi facere poterunt. Con» trarium facientes sine dilatione ad proprium Conventum re» vocabuntur, nec ad quamcunque domum Monialium postea » remittantur, sine licentia Prioris Superioris.

Optima sanè Constitutio, (exclamabat ejusdem Congregationis supra dictus Canonicus, anno 1544. in prælegata contra Proprietarios oratione) » sed quotusquisque Sociorum est, » qui eam observet? Nonne passim videmus eos ementes & » vendentes, ac in Symposiis è suis crumenulis pecunias profe» rentes? Propter hæc horumque similia, (pergit dictus Cano» nicus) nescio quis Priorum fertur dixisse: tot fratres perdidi, » quod ad Moniales misi. Horrendum auditu: tot fratres per» didi quot ad Moniales misi. Necesse est, ut Comissarii Mo» nialibus Rectores constituant. Necesse est, ut socios habeant. » Si omnes illi in perditionem traduntur; væ etiam nobis, qui » illos ad Moniales mittimus.« Hæc ille ad Confratres præfati decreti prævaricatores, qui nec minùs acriter ante perstrinxerat Prælatos illos, qui fratribus suis *extra proprium Monasterium* in aliis Conventibus commorantibus pecunias, quibus sibi necessaria procurent, habere permittunt; postquam enim ex *Cap. ad Monasterium*, ✠ *de Statu Monach.* ostendisset, quòd nullus Superior super proprietate habenda dispensare possit, proinde quòd *subditi*, verbis ejus loquor, *hujusmodi dispensationi tanquam confracto baculo arundineo innitentes, cum dispensatione peccent*; *& cum dispensatione ad inferni tormenta properent*; ad Superiores sermonem convertit, » Attendant, » inquit, hæc diligentius Prælati illi, qui suis fratribus etiam » *emissis & in aliis Monasteriis residentibus* pecunias vel lar» giuntur, vel habere permittunt, quibus sibi *necessaria con» quirant*. Nulla enim hic urget dispensandi necessitas, cùm pe» cuniæ tales relinqui possent Priori domûs, ad quam Fratres » emissi fuerint: aut certè commissio illi dari, ut eis *necessaria » provideat*, solutionem suo tempore percepturus. Excedunt » itaque Prælati tales limites suæ potestatis, concedentes quæ » concedere minimè possunt.«

Hactenus dictus Canonicus in oratione, quæ tanto in pretio à Canonicis prædictæ Congregationis habita fuit, ut eam anno 1553. ad perpetuam Fratrum instructionem & perennem Proprietariorum confusionem cum Regula S. Augustini, & Constitutionibus sui Ordinis, in unum Volumen redactam & colligatam voluerint.

Ex quibus omnibus conficitur quod Monasteriorum Superiores in hoc collimare debeant, ut quantum moraliter loquendo possibile est, subditi sive in, sive extra Monasterium necessaria sua tanquam veri pauperes ab alio exspectent, omnisque libera pecuniæ alteriusve rei dispositio (quæ quo liberior est, eò magis proprietatem sapit) quam necessitas non requirit, subditis adimatur.

§. X.

Cavere debet Religiosus, ne eorum quæ ad necessitatem vel dispensationem conceduntur, quidquam possideat ut proprium *vel utatur* ut proprio.

CLemens VIII. in sæpè dicta Constitutione pro reformatione Regularium, tam Monachorum quàm Mendicantium, cujuscunque Ordinis & instituti editâ, & teste Fagnano *ad Cap.* Monachi, ✠ *De Statu Monach.* à Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. innovatâ, postquam Decretum Synodi Tridentinæ pro omnium rerum in particulari abdicatione, nec non earum communione innovavit, ac latiùs mentem Concilii Tridentini in quibusdam exposuit, inter alia ipsos Regulares monendos censuit: *ne eorum quæ ad necessitatem concessa erunt, ullus quidquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur.*

Ex hoc Pontificis monito discimus, duo cavenda esse Religioso. Primum, ne eorum quæ ad necessitatem concessa sunt, quidquam possideat *ut proprium*; quod tunc fieri censeretur, si id quod ad necessitatem est indultum, eo loco habere, ut in illud *quid juris præ reliquis* de Communitate prætenderet; ac per consequens illud ad *nutum* Superioris *à se* auferri, & *alteri fratrum* applicari ægrè permitteret.

Eo animo res ad necessitatem concessas possidentem, ad minus affectu, *proprium* possidere nemo, ut puto, negabit. Hinc illud S. Augustini *cap.* 8. *Reg.* » Si fieri potest, non ad vos » pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruen» tia proferatur; *utrum hoc*, inquit, *recipiat unusquisque, quod » deposuerat, an aliud quod aliter habuerat.«*

Imò & crimini olim datum fuisse Monachis legitur, si quisquam eorum Tunicam *meam*, Tabulas *meas*, Graphium *meum*; vel solo verbo, dixisset. Vide *Concord. Reg. c.* 42. *Proque hoc dignâ pœnitentiâ satisfacturus sit*, inquit Cassianus, *lib.* 4. *De Instit. Renunc. cap.* 13. *si casu aliquo per subreptionem, vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit.*

Hæc tamen nullus à me adducta putet, quasi censerem Religiosum vitio proprietatis infectum, si inadvertenter aut sine ullo *proprietatis* affectu, rem aliquam sibi ad usum concessam *suam* diceret; sed ut ostendam quantoperè Religiosorum Patres filiis suis inculcatum voluerint, ne res ad necessitatem datas *sibi proprias* putarent.

Debet proindè Religiosus illa, quæ ad necessitatem ipsi traduntur, v. g. vestes, libros, aliaque utensilia, tanquam aliena, nec ullatenus *sibi* præ aliis de Communitate *apropriata*, sed quasi precario ad *usum* sibi concessa aspicere, paratus omni tempore ad *nutum Superioris* eadem abdicare, aut etiam aliorum usibus applicentur; ipse verò interim expectet, si quid aliud ei *ad necessitatem* à Superiore porrigatur.

Hanc animi dispositionem in Religiosis necessariam esse, ne vitio proprietatis vel affectu saltem inficiantur, non ignara Seraphica Mater Theresia *Constit. cap.* 53. statuit: » ut si quam » Sororum adverterit Priorissa cuipiam rei, sive cellæ, sive cui» libet alteri rei cum affectu tenaciùs adherere, magna solicitu» dine curet ab illa Sorore rem illam auferri; idque in omni» bus Monasteriis, sive ea proprios habeant proventus, sive non, » exactè & cum rigore observetur. Hoc ipsa Superior solicitè » exequatur, nec patiatur ab aliis contra iri; quod si factum » fuerit, ipsa à Provinciali severè puniatur.«

Hoc saluberrimum pro evellendo proprietatis vitio remedium meritò & aliorum Ordinum Superiores assument, si vereantur ne quispiam subditorum rei alicui ad usum concessæ nimio affectu inhæreat; de quo non infundatè Superioribus possunt esse suspecti, qui inter ea quæ usui eorum sunt indulta, habent nonnulla pretiosioria aut fortè elegantiora, quàm reliqui de Communitate ad similem usum habere solent; præsertim si Superior advertat in ipsis singularem quandam illa conservandi, & tanquam ad usum suum pertinentia, notis quibusdam à reliquis distinguendi solicitudinem.

Alterum Religioso cavendum monet Clemens VIII. ne videlicet iis, quæ ad necessitatem concessa sunt, utatur *ut propriis*.

Quid sit uti *ut proprio*, operosâ explicatione non eget; cùm omnes facilè apprehendant, uti *ut proprio* idem esse, quod uti re aliquâ tanquam rei illius *proprietarius*, sive tanquam habens facultatem de re illa pro libitu disponendi.

Unde consequens est, tunc censeri Religiosum *ad usum* concessis uti *ut propriis*, dum res illas non ad eum tantùm usum, in quem à Superiore legitimè traditæ sunt, expendit, sed in quemlibet usum, quasi alter *quidam Dominus* de illis disponit.

Hoc autem vitium, scilicet, rebus concessis uti *ut propriis*, specialiter metuendum est in Religiosis extra Monasterium commorantibus, & quorum conditio seu status non permittit, ut

in suis *quotidianis necessitatibus* à Superiore dependeant ; sed requirit, ut credatur illis pecunia, quam pro necessariis suo tempore conquirendis expendant ; quo facilè contingit ut illâ pecuniâ in alios usus non necessarios, pro suo arbitrio, non tanquam *pauperes* & *nihil possidentes*, sed non secùs ac *domini* utantur. Quapropter prudentissimè Canonici Ordinis Præmonstretensis, *dist.* 2. *cap.* 33. monendos duxerunt » sui Ordinis » Parochos, eorumque Capellanos, & quovis alios foris aliquod » Beneficium vel Officium obtinentes, ut memores sint se Re» ligiosos esse, *& tanquam pauperes nihil possidere.*« Cui Decreto tanquam consequens præcipiendo subnectunt, ut nulla notabilia dona sibi Parentibus, sive quibuscunque absque suorum Prælatorum consensu largiantur : aliaque nonnulla adjungentes, quæ pro *usûs* illius *restrictione* servire possunt ; quo fiat ut nec ipsi, utpote voto paupertatis obstricti, rebus ad usum concessis ut propriis utantur.

Nec tantùm subditi, sed & Superiores, utpotè & ipsi *voto paupertatis* obstricti, solicitè cavere debent, ne ea, quorum runt dispensatores, *tanquam propria*, possideant, aut ut *propriis utantur.*

Si enim Superior aliquis non ad destinatum ab Ecclesia & Fundatoribus usum, id est, in suas ac Fratrum necessitates, vel pia seu misericordiæ opera, bona Monasterii impendat, sed in alienum prorsus *pro libitu suo* usum expendat, non tantum injustitiæ aut infidelitatis, quemadmodum alii bonorum temporalium dispensatores, sed & vitii *proprietatis* reus erit ; utpote rebus sibi concreditis utens *ut propriis*, ac jus quoddam *proprietarii* sibi usurpans, de quo apposite P. à S. Audomaro *lib.* 2. *Instit. Monast. cap.* 9. » Quoad dispensationem rerum » temporalium ipsis (Prælatis) commissam, inquit, iis casibus » quibus contingit dispensatorem dominorum temporalium *fur*» *tum* in sua dispensatione committere, opere vel voluntate » *peccatum proprietatis* incurrunt..... *Proprietarii* igitur sunt, » infert dictus auctor, immò fures & sacrilegi, non minus » quàm Judas loculos Christi expilans, quoties facultatibus » Christi & Ecclesiæ utuntur vel possident tanquam *proprias*: » quod maximè cavebat S. Augustinus, ipso teste. Cùm datur » mihi vestis pretiosa, ait, vendo eam, ut quia vestis non po» test esse communis, pretium commune sit. Maximè vero » *proprietarii* sunt, (pergit Auctor) quando iis abutuntur in sta» tuendis sibi magnificis monumentis, aut celebribus exequiis, » vel anniversariis sibi præfigendis, magnis Ecclesiæ sumptibus, » in erigendis superbis ædificiis, eisque decorandis tapetibus va» riisque picturis, in luxu, in exquisitioribus cibis & vinis pre» tiosis, mensæ superfluo apparatu, in vasis argenteis & aureis, » in ludis, in alenda multitudine famulorum, canum, equo» rum, &c.« Hæc P. à S. Andomaro conformiter ad Synodum Audomarens. quæ postquam monuit Prælatos, Præfectasque Monasteriorum cujusvis generis dignitate fulgentes, ut noverint non se *dominos* esse rerum quas obtinent, nec esse à *voto paupertatis* absolutos, sed bonorum communium duntaxat dispensatores ; tanquam consequens infert *tit. De Regul. capit.* 12. » Caveant proinde aliter ea dispensare, quàm secun» dum piorum fundatorum & communis Matris Ecclesiæ inten» tionum : ut ne in die judicii non dispensâsse, sed dissipasse, » & dilapidasse Crucifixi patrimonium convincantur. De quo » crimine se Deo purgare non poterunt, qui bonis hujusmodi » propinquos vel amicos ditaverint, magnificas habitationi suæ » domos ædificaverint, mensas extruxerint sumptuosiores, su» pellectilem superbiorem collegerint, famulitium aluerint nu» merosius, quàm necesse sit. Id quod necessariis usibus super» fluit, debetur Pastoribus, quibus tenuius quàm oportet pro» visum est, debetur alendis pauperibus, ædificandis Dei tem» plis, augendæ, ornandæque Christianæ Reipublicæ, & simi» libus finibus.«

Ex his non difficulter intelligitur, non malè notasse Joannem Hesselium *in Decal. cap.* 147. Præposito Monasterii speciale periculum imminere peccandi *vitio proprietatis*, *propter temporalium dispensationem ei creditam.*

§. XI.

Administratio bonorum stabilium etiam dependenter à nutu Superioris concedi nequit simplici Religioso, sed solis Officialibus, qui illa in utilitatem Monasterii administrent.

NEc deinceps licet Superioribus, inquit Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 2. *De Reg.* » bona stabilia alicui Regulari » concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administratio» nem aut commendam. Administratio autem bonorum Monas» teriorum aut Conventuum ad solos Officiales eorundem, ad » nutum Superiorum amovibiles, pertineat.«

Ex hoc Concilii decreto evidentissimum est, solis Officialibus, & quidem ad nutum Superiorum amovilibus administrationem bonorum concedi posse. Ex quo ulteriùs evidenter concluditur, prædicto decreto contrariam esse praxim in quibusdam Monasteriis frequentatam, ut census annui, seu bona stabilia relinquantur Monasterio etiam titulo institutionis à parentibus vel consanguineis alicujus Regularis, eo tenore adjecto, *ut Superiores concedere debeant eidem Regulari administrationem dictorum censuum, seu bonorum stabilium, ita ut idem possit convertere illorum redditus in honestos suos usus.* » Inepta » enim valdè est (ut verbis Fagnani *ad cap.* MONACHI, ✠ *De* » *Statu Monach.* utar) illorum interpretatio : qui asserunt, Con» cilium hoc loco non prohibere administrationem, quam ha» bent Regulares *dependenter à voluntate suorum Superiorum*, » Si quidem verba Concilii non diriguntur in Subditos, sed *in* » *Superiores* tantùm, ibi: (*nec deinceps liceat Superioribus.*) Un» de cum improbetur administratio illa, quæ conceditur à Su» perioribus, sequitur evidenter ut propriè improbetur adminis» tratio, quam habent Regulares *dependenter à voluntate* eo» „ rundem Superiorum : nam si Superioribus non licet concede» „ re alicui administrationem stabilium, ergo non pendet ab eo» „ rum voluntate efficere administrationem licitam, vel illicitam: „ sicut videmus usum superfluum bonorum non fieri licitum „ ex eo, quòd Regularis dicat : *Ego teneo immobilia superflua* „ *dependenter à voluntate meorum Superiorum, & ad eorum* „ *nutum*, quia Superiores non habent super hoc dispensandi „ facultatem.

Præterea cùm Concilium Tridentinum constituat primò regulam negativam in his verbis : *Non liceat deinceps Superioribus &c.* deinde à præfatâ regulâ exeptionem subjungat : *Administratio autem ad solos Officiales ad nutum amovibiles pertineat* : » Si Concilium in dicta regula negativa, inquit Fagna» nus, non prohibuisset simplici Monacho administrationem ad » nutum, regula non differret ab exceptione ; quia eodem modo » esset permissa administratio ad nutum simplici Monacho, at» que Officiali Monasterii ; quod esset absurdum, quia de natura » exceptionis est, ut sit contra regulam, & eam vitiet in casi» bus exceptis.

Concludendum est igitur, *administrationem bonorum sta*» *bilium*, inquit Fagnanus, seu *peculium* ex nulla causa, & nul» lo casu Regularibus esse permissam, *Officialibus* duntaxat » *exceptis.*« Neque ratio, cur Officiali, non verò simplici Religioso administratio bonorum committi possit, est obscura. Dum enim Officiali administratio conceditur, hic, utpotè administrator in *utilitatem Monasterii* constitutus, de fructibus non in *utilitatem propriam* disponit, sed omnia acquirit & lucratur Monasterio ; si secùs egerit, crimen furti imo & *proprietatis* non evadet : de quo serio Procuratores suos monendos duxerunt Canonici Regulares Capituli Windesemensis *p.* 2. *De Procuratoribus.* » Solicitè etiam observabit Procurator, in» quiunt, ut concreditas sibi pecunias in nullos quàm officii sui » usus expendat, exactè ad id Prioris sui ordinationem & vo» luntatem exequendo ; alioquin furti judicio & *tanquam pro*» *prietarius condemnetur.*«

Dum vero simplici Religioso bonorum administratio conceditur, facultas illi indulgetur convertendi fructus aut eorum partem in *usus proprios*, adeoque verè & in effectu, inquit Fagnanus, dici potest *usufructuarius bonorum* : nec refert quòd eidem ad *nutum auferri* possit administratio, si quidem, ut notat dictus Fagnanus, hoc non tollit, quin durante administratione habet jus utendi & fruendi, unde propriè dici potest *usufructuarius ab beneplacitum* : quapropter infert idem Canonista, *titulus administrationis nihil est aliud quàm palliamentum quoddam ad cohonestandum proprium.*

Neque desinet titulus administrationis esse *palliamentum ad cohonestandum proprium*, si reddituum, v. g. vitalitiorum administratio Officialibus quidem Monasteriorum committatur, sed non in *utilitatem* Monasterii, at in usus *privatos* alicujus Religiosi ; quandoquidem hoc non impediat, quominus hic Religiosus in effectu *usumfructum*, cujus *administratio* alteri sit commissa, retineat, imo nec in simili casu talis *administrator* intuitu hujus administrationis tam dicendus erit *Officialis* Monasterii, quàm *Religiosi*, in cujus *utilitatem* administrat.

Quapropter nullatenus dici potest consona præmemorato Concilii Tridentini decreto praxis in aliquibus Monasteriis usitata, quæ redditus vitalitios particularibus concedit, licèt administratio Officialibus Monasterii committatur, non in communem Monasterii, sed in privatam illius in cujus favorem sunt reservati, utilitatem.

§. XII.

Ostenditur, justum esse, ut administratio temporalium potiùs Officialibus, quàm Superioribus committatur.

EX dictis §. præcedenti constat, quod ex mente Concilii Tridentini administratio bonorum Monasteriorum seu Conventuum ad solos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertinere debeat : ex quo consequens est ex sententia Concilii Tridentini omnem rerum temporalium curam

in

in ipsos Superiores non esse rejiciendam.

Quàm sit juxta hæc Concilii Tridentini sententia, non difficulter intelligitur ex iis, quæ S. Benedictus in Regula sua, de Abbate (quæ non minùs & aliis Monasteriorum Præpositis conveniunt) docet *cap.* 2. » Meminere debet semper Abbas, quod » est; meminere, quod dicitur, & scire, quia cui plus com- » mittitur, plus ab eo exigitur: sciatque, quàm difficilem & » arduam rem suscepit, *regere animas*, & multorum servire » moribus. «

His verbis monentur Abbates, & in ipsis alii Monasteriorum Præpositi, quòd humeris eorum incumbat regimen animarum, quod à S. Benedicto rem arduam & difficilem, aliis onus humeris Angelicis formidandum non immeritò dictum esse facilè agnoscet, qui obligationes ejusmodi regimini annexas penitiùs inspexerit.

Inter has primò occurrit indispensabilis obligatio Subditos, quorum curam gerit, verbo instruendi, non tantùm circa ea, quæ omni Christiano, ut pœnam æternam evadere & cœlestem gloriam consequi valeat, scitu necessaria sunt, sed insuper Superiorum instructio se extendere debet ad ea, quæ voto, atque Regulæ, quam professi sunt, adimplendis, & perfectioni Evangelicæ assequendæ necessaria sunt aut multum utilia: quia, ut ait S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. *ad* 1. » ille, qui transit ad » Religionem, non profitetur se esse perfectum, sed profitetur » se adhibere studium ad perfectionem consequendam, « quo fiat, ut tandem cursus consummatione instante dicere queat cum Apostolo *Act.* 20. v. 20. *Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim* UTILIUM, *quominus annuntiarem vobis*, & cum Propheta Regio *Psal.* 39. *Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi.*

Ob hanc instruendi necessitatem, est, quòd ex mente S. Benedicti *Cap.* 64. *Reg.* oporteat ordinatum Abbatem esse *doctum lege divina, ut sciat, & sit unde proferat nova & vetera.*

Ad hæc, ut fructuosa sit Superiorum prædicatio, exemplo non minus quàm verbo agenda aut cavenda annuntiet, necesse est. » Sit Rector, inquit S. Gregorius *lib. Past. p.* 2. *c.* 3. » operatione præcipuus, ut vitæ viam Subditis vivendo denun- » tiet, & grex, qui Pastoris vocem moresque sequitur, per » exempla melius quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui » necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate, » compellitur summa monstrare. Illa vox namque libentiùs Au- » ditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat.

Imo si Bernardo credimus, vox Superioris erit sine virtute, nisi illud quod denuntiat, clament & opera. „ Memento » (inquiebat *Epist.* 201. Balduino Abbati) voci tuæ dare vo- » cem virtutis. Quid illud, inquis? Ut opera tua verbis conci- » nant, imò verba operibus, ut cures videlicet prius facere » quàm docere.... Sermo quidem vivus & efficax, exemplum est » operis, facilè faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat » factibile quod suadetur.“ Hinc illud Apostoli in persona Titi omnibus Superioribus dictum: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum*, Ad Tit. *cap.* 2. *v.* 7. Et illud à Synodo Tridentina universis Ecclesiarum Prælatis inculcatum: *Integritas Præsidentium salus est Subditorum* Sess. 6. *cap.* 1. *De Reform.*

Inde illa S. Benedicti cura, ut Abbates factis ampliùs quàm verbis suis præsint Discipulis. » Cùm aliquis, ait *cap.* 2. *Reg.* » suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse » Discipulis, id est, omnia bona & sancta factis ampliùs quàm » verbis ostendat: ut capacibus Discipulis mandata Domini ver- » bis proponat, duris verò corde & simplicioribus, factis suis » divina præcepta demonstret. Omnia verò, quæ Discipulis do- » cuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda. «

Eo quoque spectat illud ejusdem Patris ad Monasterii Præpositum *cap.* 65. *Reg. Quantum Prælatus est cæteris, tantum eum oportet solicitiùs observare præcepta Regulæ.* Quin imò hanc duplici doctrina subditis prælucendi obligationem tanquam divinum mandatum, non omiserunt Prælatis proponere Canonici Præmostratensis *Dist.* 2. *cap.* 2. §. 7. » Omnes Prælati » (prout sibi domino mandatum atque commissum est) subdi- » tis suis tum verbis, tum factis (*si enim absint opera, parum* » *efficient verba*) vera dogmata, & vitæ perfectæ normam » tradant. «

Unde rursus eosdem monent *Dist.* 2. *cap.* 3. §. 1. ut ante omnia anxiè caveant, „ ne vel scandalosa, vel aliqua statum » suum minùs decentia perpetrent; considerantes, quòd tot » mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla » trasmittunt: sed è contrà sic virtutibus studeant, ut eorum » vitam quicunque intueantur, omnium virtutum exemplar an- » te oculos propositum habeant.“

Adhæc, officio suo non satisfaciet animarum Curator, si verbo & exemplo oves pascat, nisi more periti Medici satagat, attentâ vulnerum diversitate, singularum quoque ovium, imò & ejusdem diversis temporibus variâ dispositione, congruentem quotidiè singulis ferre medelam. Ut enim post S. Gregorium Nazianzenum Græcorius Magnus *De cura Past. in prol. part.* 3. » Non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia non » cunctos par morum qualitas adstringit; sæpè nanque aliis » officiunt, quæ aliis prossunt.“

Unde Apostolis infirmioribus lac, exercitatioribus solidum cibum administrare, imò omnibus se conformare sciebat. *Factus sum*, inquit I. *ad Corinth. cap.* 9. *v.* 20. 21. 22. *Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer, iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. Is qui sine lege erant tanquam sine lege essem, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

Hanc superiorum obligationem, sese ac doctrinam suam subditorum moribus & affectibus attemperandi, tanquam regimini animarum admodum necessariam S. Benedictus Abbatibus solicitè inculcavit *cap.* 2. *Reg.* » In doctrina sua, inquit, Abbas » Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua di- » cit: *Argue, obsecra, increpa*; id est, miscens temporibus » tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium pa- » tris ostendat effectum: id est, indisciplinatos & inquietos de- » bet duriùs arguere; obedientes autem & mites & patientes, » ut in meliùs proficiant, obsecrare. Negligentes & committen- » tes ut increpet & corripiat, admonemus.“ Et infrà. „ Sciat » (Abbas) quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere ani- » mas, & *multorum servire moribus*.... Et alium quidem blandi- » mentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus: & se- » cundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, *ità se* » *omnibus conformet & aptet*, ut non solùm detrimenta gre- » gis sibi commissi non patiatur, verùm augmentatione boni gre- » gis gaudeat.“ Et paulò suprà: „ Tantundem erit liber (Ab- » bas) ut si inquieto vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis » diligentia attributa, & morbidis earum actibus universa fue- » rit cura exhibita.“

Porrò hæc omnia nullatenus præstare Superior poterit, nisi assiduè, tanquàm vigilans Pastor, omnibus suis attendat, ut per continuam vigilantiam, non exteriora tantùm, sed vel præcipuè interiora, id est, affectus ac animi motus ovium suarum exquirat; sicque oves suas agnoscat: quod præcepto quidem divino, declarante Concilio Trident. *Sess.* 25. *cap.* 1. *De Reformat.* mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est.

Quid de memorata indefessa solicitudine, ac continua super gregem vigilantia Prælatis incumbente senserint anno 30. hujus seculi Canonici Præmonstratenses ex Statutis *Dist.* 2. *cap.* 2. illo anno conceptis, & evulgatis, cognoscere licet: » Qui Abbatialem functionem suscipiunt, inquiunt, quæ sua- » rum sunt partium, agnoscere studeant, & intelligant, se non » ad propria commoda, ac divitias, & luxum, sed ad labo- » res & solicitudines pro Dei gloria vocatos, & se obstrictos » esse, ut attendant sibi, & gregi sibi commisso, ac proinde » obligatos, juxta Apostolum, ut vigilent, in omnibus la- » borent, ac ministerium suum impleant.

» Omnes Prælati, prout omni jure obligantur, strictè resi- » deant, ut suo gregi, cujus sanguis à supremo Pastore de ipso- » rum manibus aliquando requiretur, *vigilanter* intendere queant.

» Rarissimè autem absint, nisi aliud officii eorum ratio pos- » tulet; quo in casu domui suæ benè prospiciant, ac assiduè » curent, ne subditi per eorum absentiam aliquod detrimen- » tum patiantur, scientes quòd non sit admittenda Pastoris » excusatio, si oves lupus comedit, & ipse earum custodiæ » minimè incumbens nescit.

» Habeant cum Priore, aliisque Superioribus, de suorum » moribus profectu atque defectu, frequentes inquisitiones & » collationes.

» Sæpè filios suos visitent, vel ad se vocent, eosque tandem » tanquam veri Patres, in spiritu lenitatis instruant, moneant, » consolentur, ac dum opus est, corripiant, objurgent atque » castigent.

» Vultum pecoris sui agnoscere studeant, & omnia interio- » ra penetrare nitantur; quo faciliùs & interiorum vitia extirpa- » re, & virtutes inserere queant.“

Hisce non contenti ulterius adjiciunt: » Pro sua ac subdi- » torum salute, necessitatibus, atque profectu (prout sunt obli- » gati) ardentes ac nunquam intermissas fundant preces. «

Prudentissimè sanè orandi necessitatem Superioris officio, cæterisque ejus functionibus annexam dicunt. Si enim unicuique ob proprias, quibus circumdatus est, infirmitates, clamandum sit ad Dominum: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*, Psal. 60. *v.* 9. quomodo Superiori inclamandum erit, qui non modò suis, sed & Subditorum premitur infirmitatibus?

Si omnibus ob innatam mentis cœcitatem semper postulanda sit cælestis sapientia à Patre luminum, ut quæ agenda sunt, videant; quantò instantiùs eadem petenda à Superiore, qui non tantùm proprios; sed & aliorum non minore laborantium cœcitate gressus dirigere debet.

Præterea si quæ agenda & dicenda sunt, videat; eloquia tamen ejus corda Discipulorum non inflammabunt, nisi & ipsa ab illo, qui in meditatione exardescit ignis, fuerint inflammata.

Denique frustranea erit Superioris, sive verbo, sive exemplo facta planatatio & irrigatio, nisi per continuas ad Deum preces cœleste accersat incrementum: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* 1. Cor. 3. v. 7.

Tria igitur Superiori, imò & omnibus animarum Rectoribus necessaria sunt: *Verbum scilicet, exemplum, oratio: major autem his*, inquit S. Bernardus Epist. 201. *est oratio. Tametsi (ut dictum est) vocis virtus sit opus, & operi tamen & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio.*

His omnibus attentis, quis non videat, quantum onus ex sola animarum cura Superioribus incumbat? Ut proindè nemo mirari debeat, si Synodus Trident. bonorum temporalium administrationem ad Officiales potiùs quam ad Superiores pertinere voluerit; neque mirum videbitur S. Benedicti monitum adeo Abbatibus inculcatum: Ante omnia, inquit *cap.* 2. *Reg.* » ne » (Abbas) dissimulans, aut parvi pendens salutem animarum si» bi commissarum, plus gerat solicitudinem de rebus transito» riis & terrenis, atque caducis; sed semper cogitet, quia » animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus » est. Et ne causetur de minori fortè substantia, meminerit » scriptum, *Primùm quærite Regnum Dei, & justitiam ejus,* » *& hæc omnia adjicientur vobis.* Et iterum: *nihil deest timen» tibus eum.* Sciatque quia qui suscipit animas regendas, præ» paret se ad rationem redendam.

§. XIII.

Quænam à Superioribus in designatione Officialium veniant attendenda.

DUo potissimum à Superiore in constituendis Monasteriorum Officialibus consideranda sunt.

Primum quidem, quòd Officialium munus ipsam rerum temporalium debitam curam concernat; ex quo consequens est, in Officialium designatione à Superiore expendendum esse, quinam inter Fratres virtutum constantiâ, rerum agendarum industriâ, fidelitate & prudentiâ ad tractanda temporalia magis idonei reperiantur.

Alterum illudque præcipuum à Superiore sedulò perpendendum, quòd animas Fratrum regendas & salvandas susceperit, quodque pluris ipsi esse debeat unius Subditorum anima, pro qua Christus mortuus est, quàm terrena omnia; & quòd sit certum, rerum temporalium solicitudinem natam esse hominem rebus transitoriis implicare, & à Deo avocare; variaque perfectioni charitatis acquirendæ, ad quam Religiosus quilibet tendere debet, secum trahere impedimenta.

Ex quo evidenter concluditur, ante omnia in electione Officialium à Superiore fore investigandum, num illi quos administrationi & curis rerum terrenarum occupare intendit, in omni virtutum genere in tantùm sint exercitati, & in charitate adeo fundati & radicati, ut meritò confidere queat, quod interiorum curam per exteriorum occupationem non minuent, atque exteriorum providentiam internorum solicitudine sedulò curabunt: qui ut de Gerardo ait S. Bern. *Serm.* 26. *in Cant.* non petulanti (ut assolet) in eo officio detineantur affectu, sed solo intuitu charitatis; qui quantùm in ipsis est, semper optent quietem sibi intendere, Deo vacare, nec implicitos tenent nisi timor Dei, voluntas Fratrum, ac studium obediendi. Nisi enim solicitudini pilsque Religionis exercitiis, quibus anima pascitur, & mens à terrenis ad cœlestia revocatur, multùm afficiantur; magnoperè verendum, ne sensim, illis neglectis, rerum terrenarum curis implicentur, atque ita paulatim gustum rerum spiritualium amittentes, tandem sub habitu Religionis cor seculare inveniant. Quod vel eo magis in Officialibus metuendum, quia ipsis, ob varia quæ in temporalium administratione occurrere solent negotia, major præ reliquis Fratribus concredi debet, esse absentandi ab ordinariis Religionis exercitiis libertas: per consequens nisi tantum in Religione profecerint, ut non timore ad ea pietatis exercitia sint adigendi, sed spiritu charitatis ad illa agantur; non parùm timendum, ne illa abutantur. Quod verentes Canonici Præmonstratenses, monitum voluerunt Abbatem, ut Officialem non alium quam Sacerdotem constituat, nisi gravis premat necessitas, *Quia*, inquiunt dist. 2. cap. 16. §. 3. *in ruinam agitur, qui nondum in virtute benè roboratus, suæ libertati committitur.*

Frequentem hunc, sed Religioso supra modum perniciosum, spiritualium exercitiorum præsertim orationis neglectum, ob infinitas propè, easque mordaces, & animum implicantes curas, quas terrenorum solicitudo secum adducit, metuentes similiter Canonici Regulares Capituli Windesemensis, Decretum ediderunt tenoris sequentis. » Procurator quamvis exemplo » Marthæ (cujus suscepit officium) circa multa solicitari & tur» bari necesse habeat; silentium tamen & quietem cellæ non » penitùs abjicere debet, sed potiùs, quantum domûs negotia » patiuntur, in Choro & Refectorio adesse studeant, & eo » cellam, quasi ad tutissimum & quietissimum portum recur» rat; ut legendo, orando, & meditando, turbulentos animi » sui motus ex rerum externarum cura vel dispositione emer» gentes sedare & in arcanis sui pectoris aliquid salutare, quod » sibi commissis suaviter & sapienter eructet, possit recon» dere. « *Constit. part.* 2. *cap.* 358.

Dicam proinde cum P. à S. Audomaro, *lib.* 2. *Constit. Monast. cap.* 11. » Cùm S. Synodus (Tridentina) cupiat per » Officiales bona omnia Monasteriorum administrari, soliciti » maximè esse debent Prælati, ut Œconomos, aliosque Offi» ciales, quibus temporalium curam committant, eligant fi» deles, prudentes, pios, moribus maturos, sobrios, hu» miles, Deum supra omnia timentes, vigilantes, spiritualis» que quietis amantes.

§. XIV.

Referuntur nonnulla Sacræ Congregationis decreta hactenus dictis conformia.

PRosper Fagnanus in commentariis *ad Cap. Monachi* ✠ *De statu Monachorum*, occasione ejus quod ex Concilio Lateranensi *in dict. cap.* dicitur *Monachis peculium habere non permittatur*, casus nonnullos, qui in Monasteriis frequenter occurrunt, *num.* 1. his verbis proponit: „ Contingit sæpe ut » in aliquibus Monasteriis tam virorum, quàm mulierum, No» vitii in actu renuntiationis bonorum ad favorem Monasterii, » vel in actu professionis reservent sibi annuos redditus, seu » annuam provisionem pro suis religiosis necessitatibus: & in » aliis Monasteriis item accidit frequenter, ut census annui, » seu bona stabilia relinquantur Monasterio, etiam titulo ins» titutionis, à Parentibus vel Consanguineis alicujus Regularis, » eo tenore adjecto, ut Superiores concedere debeant eidem » Regulari administrationem dictorum censuum, seu bonorum » stabilium, ita ut idem possit convertere illorum redditus in » suos honestos usus.

» In aliis verò servatur, ut Regulares pecunias ex prædi» catione, seu lectione, aut aliunde quæsitas tribuant Monas» terio, ad hoc ut ex ea emantur census perpetui, quorum » redditus quotannis assignari debeant eidem Regulari pro suis » necessitatibus. In aliis denique usu receptum est, ut ex red» ditibus Conventûs unicuique ex Fratribus, vel Sororibus as» signetur singulis annis certa portio, sive in pecunia sive in » aliis speciebus ad hoc ut ex ea paret sibi necessaria ad vitam, » nec Monasterium eis aliquid ultra præstare, nec ipsi accepti » rationem reddere teneantur. Ex facto quæsitum est, an in » his similibus casibus liceat Regularibus utriusque sexus habe» re prædictos annuos redditus, seu provisiones annuas, vel » bonorum stabilium administrationem, *seu peculium non su» perfluum nomine Conventûs, ac de Superiorum licentia, & de» pendenter ab eorum voluntate ac nutu, adeò ut sint immunes à culpa & pœna, de qua cap.* 2. *Sess.* 25. *De Regul. Concil. Trid.*

Deinde subjungit: » Quod ad extirpandam Regularium » proprietatem providè sancitum est decreto, *dict. cap.* 2. *Ses*» *sio* 25. *De Regul.* in sensus tam varios, & à mente S. Synodi » alienos detorserunt Scriptores moderni, ut ferè ad nihilum » redactum videatur.

Modernis illis Scriptoribus sesse opponens prædictus Fagnanus, tum ex jure communi, tum ex Concilio Tridentino aliisque probat illa de quibus in quæstione, licita non esse: ac tandem in sententiæ suæ conformationem nonnulla Sacræ Congregationis decreta subjungit, quorum aliqua hîc subjicio.

In causa Neapolitana propositum fuit S. Congregationi dubium, inquit *num.* 62. ut infra conceptum: » In aliquibus Mo» nasteriis nonnullæ Moniales census & annuos quosdam reddi» tus & proventus, seu fructus percipiunt, sub diversis con» tractuum speciebus; nam aliquæ in ipsarum persona emerunt » certos redditus à personis laicis, aliquæ ab aliis Monialibus; » aliquæ ab ipsis Monasteriis; aliæ verò dederunt pecuniam » Monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Mo» nasterii ad rationem septem vel octo pro centenario; & Ab» batissæ dabant ipsis Monialibus illos redditus, quos ex dictis » exemptionibus exigebant singulis annis. Aliquæ Monasteriis, » seu eorum Superioribus certas pecuniarum summas manua» liter pro indigentiis Monasterii dederunt pacto adjecto, vel » etiam tacitâ conventione adhibitâ, ut Monasterium, seu Ab» batissa certos reditus ad rationem tot pro centenario earum » vitâ durante concedat. Quæritur an Moniales prædictæ in hu» jusmodi casibus incurrant pœnas per Concilium Trident. » *Sess.* 25. *cap.* 2. *de Regul.* in proprietarios inflictas, *etiamsi* » *de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conven» tûs, seu Monasterii nomine percipiant.* S. Congregatio cen» suit, in nullo supradictorum casuum licere Monialibus dic-

„ tos

» tos fructus, seu redditus percipere : & si perceperint in pœ-
» nis dicti cap. 25. de Reg. *neque ab hujusmodi pœnis excusa-*
» *ri ob licentiam Abbatissæ, quæ eam dicto Concilii decreto, in*
» *supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet*
» *ex suo munere Monasterii redditibus, vel eleemosynis Monia-*
» *lium necessitabus in dies subvenire.* «

Alterum S. Congregationis decretum pro hac materia notatu dignum refert Fagnanus, *num.* 63. & 64. datum Archiepiscopo Urbini. » Hic enim cùm retulisset Sacræ Congrega-
» tioni se non potuisse adducere Moniales cujusdam Monasterii
» ad suscipiendam exactam vitam communem, ideoque illis pro-
» posuisse, ut fieret communis arca, cujus clavis penes Abba-
» tissam existerent, & intus ea aptarentur tot Scriniola, quot
» essent Moniales, ita ut unaquæque haberet claviculam scrinio-
» li sui, & in eo asservaret pecuniam, ex laboritio vel aliunde
» partam, quæ in ipsius tantùm, & non in alterius necessitates
» erogari deberet *arbitrio Abbatissæ* : S. Congregatio hoc tem-
» peramentum ludricum existimavit, ac repugnans decreto
» *dict. cap.* 2. quod jubet ut omnia Superiori tradantur, *Con-*
» *ventuique incorporentur* ; ideoque mandavit Archiepiscopo,
» *ut quamdiu Moniales communem vitam non susciperent, in-*
» *terdiceret ipsis receptionem puellarum ad habitum & pro-*
» *fessionem.* «

Deinde subjungit idem Fagnanus : » Et generaliter tam
» S. Congregatio Concilii, quàm Sancta Congregatio Episco-
» porum, ac Regularium hanc receptionem prohibuit in
» pluribus Monasteriis Monialium, in quibus ex relatione
» Episcoporum intellexit *communem vitam* non observari.
» Imò cùm in specie id prohibuisset in quodam Monasterio Li-
» ciensi, & puella, quæ in eo habitum novitiarum susceperat
» ante prohibitionem S. Congregationis, iterum ac tertiò pe-
» tiissent se ad professionem admitti, offerens se communem
» vitam exactè observaturam : S. Congregatio semper abnuit,
» *periculosum existimans profiteri in Monasterio, in quo Mo-*
» *niales omnes erant Proprietariæ.* «

Denique teste dicto Fagnano, ad dubium supra ab ipso propositum, & à nobis superiùs insertum, S. Congregatio respondit negativè, » videlicet in nullo ex supradictis casibus licere
» Regularibus utriusque sexûs habere prædictos annuos redditus,
» seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administratio-
» nem, seu peculium non superfluum *nomine Conventûs*, ac de
» *suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum volun-*
» *tate ac nutu* ; alioquin non esse immunes à culpa & pœna,
» de qua in *dict. cap.* 2. *Sess.* 25. *de Regular.*"

Hæc S. Congregationis decreta unà cum dubiis quibus respondent, ostendunt.

Primò, ex mente S. Congregationis non licere habere annuos redditus in usus proprios nomine Conventus, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate ac nutu.

Secundò, ex sententia S. Congregationis Regulares prædictos redditus percipientes incidere in pœnas per Concilium Tridentinum proprietariis inflictas ; neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam Superioris.

Tertiò, ex Sententia S. Congregationis vitæ communionem infringi, si ex laboritio vel aliundè parta serventur separata in illius, qui obvenerunt, & non alterius necessitates, arbitrio licet Superioris eroganda

Quartò à S. Congregatione adeò periculosum judicatum esse profiteri in Monasteriis, in quibus perfecta vitæ communio non servatur, ut propterea receptionem Monialium prohibuerit in pluribus Monasteriis, in quibus ex relationibus Episcoporum intellexit communem vitam non servari. De quo periculo quid senserit Dionysius Carthusianus, videre licet in tractatu ipsius *De Reform. Monialium*, *art.* 4.

Quintò, improbandam esse praxim in nonnullis Monasteriis usu receptam, ut ex redditibus Conventûs unicuique ex Fratribus, vel Sororibus assignetur singulis annis certa portio, sive in pecunia, sive in aliis speciebus, ad hoc ut ex eâ paret sibi necessaria ad vitam, nec Monasterium eis aliquid ultra præstare, nec ipsi accepti rationem reddere teneantur.

Sextò, Superiorem vi officii ex Monasterii redditibus, vel eleëmosynis, Subditorum necessitatibus indies subvenire debere.

CAPUT II.

Solvuntur objectiones, quæ adversus hactenus dicta contra peculia Religiosorum, etiam dependenter a voluntate Superiorum, ab aliquibus formantur.

§. I.

Ostenditur quòd Cap. Monachi ⁂ De Statu Monachorum, *desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. hactenus à me dicta potiùs confirmet, quàm infirmet.*

ADversus ea quæ capite præcedenti dicta sunt, scilicet quòd nequidem de Superioris licentia, & ad ejus beneplacitum, Religioso permissum sit, redditum vitalitium, aut rem aliam undecunque profectam in usus suos particulares habere separatam à reliquis Communitatis bonis, sed omnia undecunque provenientia per Superiores esse confundenda, & in unam massam simpliciter redigenda, ut inde uniuscujusque necessitati indifferenter succurratur : neque esse permissum Superiori committere administrationem bonorum, etiam in usus licitos, nisi solis Officialibus ad nutum amovilibus, qui ea in solam Monasterii utilitatem administrent ; adversus ea, inquam, objicitur à nonnullis *Cap. Monachi*, ⁂ *De Statu Monachorum*, desumptum ex Concilio Lateran. sub Alexando III. Verum si ipsa Concilii constitutio penitùs inspiciatur, eam per omnia Concilio Tridentino convenire, & asserta nostra potiùs confirmare, quàm infirmare patebit.

Primò statuit dicta Synodus : *Ne Monachi permittantur peculium habere* : quo non prohibet simpliciter, ut benè advertit Fagnanus *ad Cap. Monachi*, *num.* 122. ne Regulares habeant peculium, sed *nec peculium permittantur habere* : unde ponderando illud verbum *permittantur*, quod ad Superiores refertur, ex hoc ipso textu Fagnanus probat conclusionem quàm ante adstruximus : nimirum quòd ne quidem ex permissione seu indulgentia, vel dispensatione cujusvis Superioris, fas sit Regularibus habere peculium.

Secundò Concilium decernit : *Quod si Monachus peculium habuerit, à communione removeatur Altaris, & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit* ; *nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres recipiat sepulturam*: quod etiam de universis Religiosis præcipit observari : *nisi tamen*, inquit Concilium, *ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum.*

Ob hanc à Concilio factam exceptionem voluerunt nonnulli, quòd Religiosis licitum foret habere peculium *de licentia & ad beneplacitum* Abbatis, aut alterius Monasterii Superioris : sed perperam. Nam illa verba, *nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum*, ut ex communi Canonistarum sententia latè probat Fagnanus *loco citato*, hoc » tantùm important, ut bonorum stabilium administrationem
» habere possint Officiales ad nutum amovibiles : nam Glossa in
» figuratione casus : *Nota*, inquit, *concedit peculium ex causa*
„ *administrationis* : quæ verba Glosæ, pergit Fagnanus sic
» explicanda videntur : *non enim dicit concedi in administra-*
» *tionem, sed causâ administrationis* ; nempè *propter offi-*
» *cium administrationis* ; quia *Officialis* est Monasterii : & In-
„ nocentius hic, ait Fagnanus, exemplificat in Officialibus,
„ puta, Vestiariis, vel Eleemosynariis : & Hostiensis dixit,
„ non comprehendi nisi Officiales pro administratione tempo-
„ ralium deputatos."

Ut ergo ex ipsius Fagnani, & communi Canonistarum sententia compendio dicam, Concilium Lateranense primo constituit regulam negativam in verbis : *Monachi nec peculium permittantur habere* : deinde imponit pœnam contra facientibus in illis verbis : *Qui verò peculium habuerit &c.* tandem limitat supradictam regulam, ut non procedat in *Officialibus*, per dictionem *nisi*, quæ exceptionem importat : *Exceptio autem*, inquit Fagnanus, *firmat regulam in contrarium* in omnibus aliis, qui non sunt Oficiales. Ex quibus & aliis, quæ in confirmationem hujus intellectus adfert Fagnanus, tandem concludit : „ apparet hunc intellectum esse magis consonum litte-
» ræ, & probari etiam à gravioribus Canonistis, & consequen-
» ter jure communi inspecto, fas non est Regularibus *non*
» *Officialibus* habere peculium seu annuos proventus, vel ad-
» ministrationem bonorum stabilium, etiam ex *dispensatione*
» *Superiorum* & DEPENDENTER AB EORUM VOLUNTATE, ET
» NUTU."

Sententia prædictæ Decretalis ex Fagnano, aliisque Canonistis hîc proposita, adeo perspicua & clara Dionysio Carthusiano visa est, ut veritus non sit summæ inconsiderationis arguere illos, qui non obstante hac Concilii Lateranensis decisione, asserere auderent non esse prohibitum Religiosis habere peculia de voluntate & consensu Abbatis : » Quemadmodum, inquit

de

de Reform. Claust. art. 13. quidam Doctor in tractatu suo de „ista materia recitat, nonnulli Doctores excusant peculium Mo„nachorum & Monialium à vitio proprietatis, dummodò Su„perioribus suis, videlicet Abbati aut Abbatissæ nil celent, & „*ad reddendum seu dimittendum paratæ sint juxta Superiorum „voluntatem, nihilque recipiant vel expendant sine illorum li„centia.* Denique ad ea quæ supra inducta sunt ex Concilio „Lateranensi, & constitutione Domini Papæ respondent: quòd „prohibitio illa de habendo peculio aut proprio, intelligenda „sit, quòd Monachus non debet aliquid possidere, aut habe„re peculium nomine proprio; non autem ibi prohibetur Mo„nachis aliquid possidere nomine Abbatis, & de expressâ per„missione ipsius. Similiter dicunt, quòd cum Monacho non „potest dispensari, ut habeat proprietatem nomine suo, sed „potest cum eo dispensari, ut habeat aliquid peculiare nomi„ne Abbatis aut Monasterii. Istud videtur inconsideratissimè „dictum: in ipso namque Concilii Lateranensis decreto, pe„culium luce clariùs Monachis administrationem communem „non habentibus prohibetur; & Abbati sub pœna absolutio„nis à suo officio districtè prohibetur, ut non permittat ali„quem Monachorum suorum habere peculium, nisi ratione ad„ministrationis: quod item habentes peculium, & morientes in „eo secundum determinationem Concilii puniat.

„Quomodò ergo Monachus nomine Abbatis potest habe„re peculium, cùm Abbati prorsus prohibitum sit peculium „Monacho dare, imò & permittere ut habeat illud? Præterea „quæro ab illis peculii Monachorum excusatoribus, quomodo „intelligunt id quod dicunt, Monachum nomine Abbatis posse „habere peculium? Si namque ita intelligant, nomine Abbatis, „id est, ex parte seu concessione, vel licentia Abbatis; jam „patuit, quòd hoc prohibitum sit Abbati hoc ipsum concede„re, licentiare sive permittere; si autem intelligant nomine „Abbatis, id est, in quantum est Abbas, vel repræsentat Ab„batem, constat hoc fatuum, risuque dignum esse. Siquidem „Monachus non est Abbas, nec præsentat eum in aliqua pu„blica administratione peculio seu pecuniis indigente.

Hunc Dionysii, nec non Canonistarum intellectum confirmat Concilium Turonense *ann.* 1231. *Can.* 26. apud Castrum Gonterii integro pene seculo post Concilium Lateranens. celebratum, inhibens, *ne Monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant sub alio colore aliquam possessionem, vel aliquam proprietatem*, ETIAM DE LICENTIA ABBATUM, CUM LICENTIA ABBATIS IN HOC EIS NON VALEAT SUFFRAGARI.

§. II.

Respondetur ad Argumentum, quod ex cap. fin. ⁜ Qui Clerici voventes matrim. contrahere possunt, *desumitur.*

UT vel in speciem ex præallegato capitulo quidpiam haberetur in defensionem peculiorum, ante omnia ostendendum esset, quòd mulier, de qua *in dicto cap.* votum paupertatis emisisset, cujus tamen nulla neque in casu proposito neque in responso Pontificis mentio occurrit; nec ex illis quæ in decretali narrantur, votum paupertatis à prædicta muliere fuisse emissum convincitur.

Quod enim dicitur in habitu Ordinis S. Augustini biennio permansisse, nullatenus arguit mulierem tria solemnia Religionis vota emmisisse: quandoquidem constet & olim, & etiam hodie mulieres quasdam, vel nullo, vel saltem solo castitatis voto obstrictas, Ordinis alicujus habitum de manibus etiam Religiosi istius Ordinis suscipere & gestare; adeoque nihil solidi concludi potest pro asserendo voto paupertatis ex biennnali gestatione habitus Religiosi.

Plus urgere videtur pro asserendo voto paupertatis, quòd cùm mulier (de qua in casu) non obstante voto castitatis matrimonium inivisset, & in eo per plures annos vixisset, consultus Pontifex responderit, matrimonium illud fuisse invalidum, præfatamque mulierem ad malè dimissum Religionis habitum reassumendum, & servandum quod voverat, monendam & inducendam, & si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam coercendam. Verùm nec hæc votum paupertatis à dicta muliere emissum fuisse convincunt, cùm dubium sit, an invaliditas ipsius matrimonii in votum castitatis, quod præcesserat, an vero in violentiam seu vim, quâ matrimonium extortum erat, refundatur, ut ex verbis ipsius Pontificis patescit: „Nos in„quit, attendentes quod in emissione voti quod præcessit, nul„la vel modica coactio adfuisset, quam patientia & perseverantia „sequentis temporis penitùs profugavit, *& quod sequens con„junctio potius iniqua fuit, & violenter extorta*, mandamus &c.

Deinde ut poneretur ob solum votum castitatis prædictum matrimonium declaratum fuisse nullum, ac per consequens votum illud castitatis solemne fuisse, indè tamen adhuc invalidè argueretur, voto castitatis conjunctum fuisse votum paupertatis: quandoquidem non repugnet esse votum castitatis etiam *solemne*, sine voto paupertatis, exemplo Virginum, quæ olim velamine ab Episcopo solemniter accepto, nec validè quidem matrimonium inire poterant: quas tamen votum paupertatis non emisisse satis constat.

Verùm ut daremus mulierem, de qua in Capitulo, paupertatem Religiosam promisisse; nihil tamen solidi pro Religiosorum peculiis ex prædicta Decretali concludi posset: licet enim in enarratione casûs dicatur quòd mulier votum castitatis in manibus cujusdam de Fratribus S. Augustini fecerit, eo adjecto tenore, *ut in domo propria cum omnia substantia sua remaneret*; nihil tamen pro valore illius adjectæ conditionis inde concluditur, quia Pontifex de valore illius conditionis non interrogatus, nihil de ejus validitate aut invaliditate respondit.

Quòd si de hac quæstione sententia ejus postulata fuisset, quis dubitet, quin hic Pontifex nimirùm Innocentius III. prædictam conditionem omninò rejiciendam (præposita scilicet professione religiosæ paupertatis) dixisset, quandoquidem idem Pontifex in litteris suis ad Abbatem & Conventum Sublacensem dicat. „Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprie„tate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio „proprietatis sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regu„læ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit „licentiam indulgere." *Cap. Cum* AD MONASTERIUM, ⁜ *de „Statu Monach.*

Aliud insuper ad hanc Decretalem responsum, argumentum in defensionem peculiorum evertens, adfert Prosper Fagnanus *ad Cap.* INSINUANTE, ⁜ *qui Cler. vel Vovent.* nimirùm quòd mulier, de qua in casu, professionem religiosam quidem emisserit; sed quòd pactum reservationis bonorum adjectum, professionem non vitiaverit, sed vitiatum fuerit, seu tanquam turpe, nec cum professione religiosa consistens, rejectum fuerit. Hoc suum responsum postquam adstruere conatus est, tandem subjungit: „Conclusionem nostram, inquit, videlicet „hoc pactum non vitiare ingressum, *sed vitiari*, sæpius pro„vabit S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres."

Ex his omnibus evidenter intelligitur, non uno titulo infirmum & invalidum esse argumentum, quod ex præallegato capitulo assumitur in defensionem reddituum vitalitiorum, qui tempore professionis reservantur.

§. III.

Ostenditur quàm periculosum & perniciosum sit argumentum, quod in defensionem Peculiorum *à communi praxi assumitur.*

QUàm ineptum, imò perniciosum sit prædictum argumenti genus, clarissimè videbit, qui tantùm advertit, errores & abusus gravissimos, ac perniciosissimos quandoque ità invalescere, ut tandem etiam tanquam lex custodiantur; & quidem de execrabili illo Idololatriæ errore, infalibili docemur testimonio *Sap.* 14. *v.* 16. quod aliquando *interveniente tempore, convalescente iniquâ consuetudine hic error* (Idololatriæ) *tanquam lex custoditus fuerit.*

Scimus etiam ex ipso Evangelio, quamplurima à Christo Domino tanquam summè perniciosa, & Dei mandatis contraria fuisse improbata, quæ velut mandata seu leges à Scribis & Pharisæis, id est, à Sacerdotibus & Doctoribus illius temporis, populo tradebantur, & ut talia observabantur.

Quin & ea omni ætate fuit humana miseria, ut prævaricationes, tametsi perniciosæ, dum invaluerunt, pro legibus haberi & suscipi à multis solitæ sint; ideò ac Ecclesiæ Prælatis semper deploratum est, nimis verum esse illud Nicolai I. ad Hincmarum Remensem: „Mala consuetudo, quæ non minùs „quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citiùs radicitùs „evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & in„cipiunt prævaricationes & vanæ præsumptiones celerrimè non „compressæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more per„petuò celebrari." Apud Grat. *dist.* 8. *Can.* 5.

His attentis, quis non videat, quo præfatum argumenti genus à communi praxi, seu consuetudine assumptum vergat? Nimirum ut per illud perversissima quæque non tantum ipsius Ecclesiæ disciplinæ contraria, sed & ipsæ prævaricationes legis naturæ, ubi per hominum malitiam invaluerint, tanquam licitæ defendantur.

Num hac ratione pudendam illam atque perniciosam ambitionem, quin & publicam ac infamem Ministeriorum Ecclesiæ nundinationem, quæ seculo X. & XI. frequentabatur, utinam nec hodie, Clerici à Conciliorum illius temporis accerrima censura eximere non potuissent?

An non eodem argumento luxus ille ac fastus secularis, qui in mensis ac supelectile tempore S. Bernardi in plerisque Monasteriis conspiciebatur, acrem illius censuram evadere potuisset?

Quidni & omnis planè regularis disciplinæ dissolutio & qui eam consequitur, abusus in hoc argumento patrocinium inveniant; cùm non defuerit ea temporum miseria, quibus ea esset Mo-

Monasteriorum conditio, ut nulla penè superessent regularis disciplinæ vestigia.

Et quidem hunc miserum Monasteriorum statum anno 909. Patres Concilii Trossejani altè deplorabant *Can.* 3.

Nec seculo XI. feliciorem fuisse multorum Cœnobiorum conditionem, ex illius ævi Historicis annotavit R. P. Christ. Lupus *ad Can.* 6. *Conc. Tholos. sub Vict. II.* » Circa præsentis, » inquit, Synodi tempora (Tholosanæ anno 1056.) Monachi » passim erant enormiter deformati.... cujus deformationis fon» tem qui non videat fuisse *proprietatem*? In Germania fuisse » tantam bonorum Monachorum inopiam, ut ad ipsos refor» mandos evocari debuerint Scoti, seù Hiberni primum, ac » deinde Itali, testantur Marianus Scotus, ac Lamb. Schafna» burgensis. « Hæc Christ. Lupus.

Quin & præterito seculo Synodus Trid. ingemiscens conspexit pleraque Monasteria ex malâ eorum quibus commissa fuerant administratione, non levia passa fuisse *tam in spiritualibus, quàm temporalibus detrimenta.* Ses. 25. cap. 21. *De Reg.*

Denique, ut ad materiam de *Peculiis* propriùs accedamus, sub finem præcedentis seculi deplorantibus Synodi Audomar. Patribus: » Pleraque Monasteria *exitiosa rerum proprietas*, ex » diametro monasticæ professioni contraria, invaserat. « *Anno* 1583. *tit.* 12. *cap.* 6.

Ex his quis non videat quàm perniciosum sit id argumenti genus, quo quidpiam tanquam licitum defenditur eo solo titulo quia à multis fieri consuevit; quamque periculosum sit, vitam suam non ad veritatem, sed ad hominum praxim, seu consuetudinem componere.

Si quis tamen ex aliorum vivendi norma, quid sibi agendum sit, expendere desideret, securiùs paucorum quàm multorum praxim sibi proponet: quandoquidem ipsâ Veritate testante, pauci sint, qui viam veritatis inveniant & ingrediantur, contra verò multi ad viam perditionis seu falsitatis deflectant: » *Angusta porta* (inquit Salvator *Matth.* 7. *v.* 13. 14.) *& arcta* » *via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt* » *eam*: è contra, *lata porta & spaciosa via, quæ ducit ad per*» *ditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* «

Unde S. Basilius, *De abdicat. rerum, cap.* 9. non tantùm generatim ad Christianos, sed ad ipsos Solitarios dicebat: » Eo„ rum quos rectè atque ex virtute videris vivere, æmulator „ esto, & institutorum vitæ actionumque exempla descripta in „ animum tuum transfert. *Opto ut sis de numero paucorum. Ra„ ra siquidem quæ bona*: quæ quidem etiam causa est, quam„ obrem *pauci* cœleste regnum introeant. Cave, putes eos om„ nes salvos fieri, qui se intra cellas suas contineant, & vitio„ sos juxta ac bonos. Neque enim ita res habet: quando sunt „ quidem multi, qui ad honestæ vitæ genus se conferunt, ra„ rissimi autem qui ipsius jugum suscipiant; violentorum est „ enim regnum Cœlorum, & violenti rapiunt illud.“ Hinc est & illud Paphnutii apud Cassianum *Collat.* 3. *cap.* 7. „ *Festi„ nandum nobis est, ut à paucis ac rarissimis sumamus exem„ pla virtutum.* Item illud Pynusii Abbatis ad Novitium monitum: » Considera te de paucis & electis esse effectum, & ne » exemplo ac tepore multitudinis refrigescas: sed vive ut pau» ci, ut cum paucis inveniri merearis in Regno Dei. « *Apud eundem, lib.* 4. *cap.* 37.

Neque vereri quisquam debet, dum de notabili Regulæ aut religiosæ professionis articulo agitur, à communi & trita multorum praxi subindè ad singularitatem deflectere exemplo Sanctorum, » quorum plurimi, nisi ad Apostolicas declinâssent sin» gularitates (verbis loquor Magni illius præteriti seculi Præsulis » Bart. de Martyribus *Stim. Pastor. p.* 2. *cap.* 6.) nunquam » neque Sancti fuissent, neque Calendaria nostra suis nomini» bus ornâssent, neque Breviaria gestis suis implêssent. Qui au» tem tritam secuti sunt viam, vel ignorantur eorum nomina, » vel sordent, nec semen sanctum post se relinquerunt.

Priusquam huic §. in quo ostendi perniciem argumenti in defensionem peculiorum à communi praxi, seu consuetudine ab aliquibus assumpti, finem imponam, notatum cupio, me nullatenus credere, quòd illa, quæ hoc §. in refutationem illius argumenti adduxi, convincant aut probent peculia esse illicita, (quod ante factum) neque mihi animum fuisse probare hoc argumentum: *Peculia in plerisque Monasteriis invaluerunt* (num antecedens verum sit, an falsum, non assero) *ergo sunt illicita*; sed hoc unicum mihi propositum fuisse, ut ostenderem non valere, imo perniciosum esse hoc argumenti genus: *Hoc aut illud passim apud multos invaluit, ergo licet*: ac per consequens per simile argumentum nihil solidi in peculiorum defensionem haberi.

§. IV.

Ostenditur, non valère hoc argumentum: In aliquo Monasterio vel Ordine receditur à perfecta paupertate aut vitæ communione: ergo qui in tali Monasterio vel Ordine profitetur, non tenetur ad exactam paupertatis & vitæ communis observantiam.

UT falsitas præpositi argumenti clarius innotescat, præmitto sequentia.

Primò votum paupertatis, omniaque, sine quibus illud observari nequit, ad essentiam regularis professionis spectare: imò totius regularis disciplinæ bases esse & fundamenta, quibus non exactè conservatis, totum corruat ædificium necesse est; ideoque abdicationem proprietatis adeò annexam esse Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere: *Proprii carentia*, inquit Christ. Lupus, *est Evangelicæ perfectionis ac monasticæ professionis portio essentialis, ideoque clarum est, quòd nec Summus Pontifex possit in ipsa dispensare. Part.* 4. *Schol. ad Can.* 6. *Concil. Tholos.*

Secundò perfectam vitæ, ac rerum communionem ad normam primorum Christianorum, in vitæ cœnobiticæ primum fundamentum assumptam fuisse; ut ex Regulis SS. Augustini & Benedicti, *cap. præcedenti* §. 2. probatum est, & fusè ac evidenter ex aliorum Patrum Regulis ostendit P. Christ. Lupus loco jam citato. Quapropter Synodus Trident. postquam Regularibus præcepisset, ut ad communem vitam, victum vestitumque conservanda pertinentia fideliter observent, omnisque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, ut ab illis non recedatur, ex mente Patrum, qui Religiosis normam vivendi præscripserunt, pro ratione sui præcepti subjungit: » Cùm com» pertum sit, ab eis non posse ea, quæ *ab substantiam regula*» *ris vitæ pertinent*, relaxari: si enim illa, quæ *bases sunt &* » *fundamenta totius regularis disciplinæ*, exactè non fuerint » conservata, totum corruat ædificium necesse est. « *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Regular.*

Hisce prænotatis evidenter consequitur, quòd, quicunque vitam regularem profitetur, unà absolutam proprietatis abdicationem, omniaque, quæ ad illam spectant, tanquam vitæ regularis essentialia, seu substantialia necessariò promittat.

Non minùs evidenter consectarium, quòd Regulares per professionem religiosam ad perfectam vitæ ac rerum communionem, ut ad ipsius vitæ religiosæ primum fundamentum obstringantur; quod velut rem summi momenti nunquam satis inculcari posse putavit Synodus Audomarensis *anno* 1583. *tit.* 17. *cap.* 6. » Prorsus omnia, inquit, in communem usum » co nvertantur, ita ut impleatur à Religiosis, quod sibi imitan» dum sumpserunt, *& ad quod religione sempiterna se obligâ*» *runt* (*non potest res ista*, inquit, *inculcari satis*) illud pri» mitivæ Ecclesiæ: *Multitudinis credentium erat cor unum &* » *anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid* » *suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia, divideba*» *tur autem singulis, prout opus erat.* «

Sequitur ulteriùs, quòd, quicunque vitam Religiosam profitetur, eo animo esse debeat, ut ea omnia, quæ ad paupertatem evangelicam, seu proprii abdicationem, ac vitæ communionem pertinent, tanquam ad vitæ regularis substantiam spectantia observare statuat; ac per consequens quoad illa modum vivendi servare oppositum vitæ illorum, qui vel paupertatem evangelicam, aut vitæ communionem exactè non observant; si enim proponeret vivere, quemadmodum hi vivunt, sequeretur, quòd eodem tempore, quo vitam religiosam Deo promitteret, unà in animo statueret essentialia seu substantialia non observare, id est, vitam religiosam promittere, & eodem tempore proponere eam non observare, ut verè de his dicatur, quod de voventibus simili modo regulam dixit Joannes Hesselius: » Contingit hominem, Deo inveniri infidelem seu non servan» tem promissum, inquit *in Decal. cap.* 81. primò, si quod » vovet, implere non statuat, dum vovet: uti faciunt illi, qui » vovent quidem vitam instituere secundum Regulam Benedic» ti vel Augustini, sed quoniam eam à cæteris, qui eandem » ipsam voverunt, negligi vident, cogitant atque proponunt eam » servare, sicut eam servari inveniunt, hoc est, proponunt eam „ violare. Hi vovendo Deum irrident; *non minùs tamen voto* „ *suo obligati sunt, quàm si inter rectè Regulam observantes* „ *illud emisissent.* “

Non dubitâsse quoque Concilium Tridentinum, cui Hesselius interfuit, quin omnes, qui vitam religiosam sunt professi, necessario vitæ illius essentialia, seu substantialia censeri debeant vovisse; indè colligitur, quòd licet certò sciret in multis Monasteriis disciplinam regularem collapsam, pluresquæ professionem emisisse in Monasteriis, quæ ab ipsis quoque Regulæ substantialibus deflexerant, præceperit tamen *Sess.* 25. *c.* 1. *de Reg.* ut indistinctè » omnes Regulares, tam viri quàm mu» lieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam » instituant & componant; atqui imprimis, inquit, quæ ad suæ » pro-

» professionis perfectionem, ut Obedientiæ, Paupertatis & Cas-
» titatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis pecu-
» liaria vota & præcepta, ad eorum respectivè *essentiam*, nec
» non ad *communem vitam*, *victum & vestitum* conservanda
» pertinentia, fideliter observent. «

Hactenus dicta sufficienter, ut puto, ostendunt, quàm invalidum sit argumentum, quo nonnulli se securos à transgressione voti autumant, licèt à Regulæ, quam professi sunt, substantialibus, verbi gratiâ, à voto paupertatis, aut à vitæ & rerum communione per partieulares rerum reservationes recedant, eo quòd Ordinis vel Monasterii inveterata consuetudo tempore emissæ professionis haberet, quòd Regula quoad ista essentialia ex integro non servaretur; quandoquidem, ut antè probatum, nulla consuetudo, aut multorum praxis efficere possit, ut is, qui vitam religiosam profitetur, una non profiteatur vitæ illius essentialia, seu fundamentalia.

Hujus argumenti invaliditatem ut Religiosum ab exacta Regulæ observantia, presertim quoad illius essentialia eximat, perspectam habeant viri illi, pauci quidem numero, sed igne illo, quem Dominus Jesus misit in terram, & vult vehementer accendi, fortiter inflammati, quibus Ordo Cisterciensis sua debet exordia, de quibus refertur: » Dum quotidianas Regulæ
» lectiones à Capitulo audirent, & aliud Regulam præcipere
» atque aliud consuetudines Ordinis tenere perpenderent, gra-
» vissimè contristabantur, videntes se cæterosque Monachos re-
» gulam B. Patris Benedicti solemni permissione servaturos fo-
» re promisisse, sed secundum Instituta ejus nequaquam vivere.
» Primitùs ergo privatim sæpiùs inter se colloquentes, trans-
» gressionem suam conquerebantur; & quonam modo hujus
» tanti mali remedium invenire possent, solicitè tractabant. Cùm
» verò postea verbum effusum esset in publicum, cæteri, qui
» carnales erant, nec poterant dicere cum Propheta; *Quia de*
» *excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me*; servos
» Dei deridere, modisque omnibus, quibus poterant, ut à tam
» sancto proposito cessarent, infestare cœperunt. At illi, qui
» spiritu Dei agebantur, & propterea liberi erant, non curan-
» tes eorum malevolas insectationes, toto mentis nisu ad Deum
» conversi precibus instantissimè postulabant, ut Domini pietas
» eos ad talem locum dirigere dignaretur, in quo vota labio-
» rum suorum, quæ secundum Regulam firmaverant, sed non
» servaverant, reddere possent. « Bollandus *in Appar. ad vit. S. Rober.* 29. *Apr.* §. 2.

CAPUT III.

De Remediis contra vitium Peculiaritatis.

PARAGRAPHUS I.

Ut vitium Peculiaritatis efficaciter extirpetur, debent Superiores ex communi Monasterii substantia singulis Religiosis omnia necessaria placidè ac benignè subministrare.

EXperientiâ omni tempore compertum fuit, vitium *Peculiaritatis* summum accipere incrementum, dum Superiores negligunt, quod necessarium ac conveniens est, ex communi Monasterii substantia subditis subministrare. Nec mirum: quia Superiorbus necessaria non administrantibus ansam accipiunt, immò quodammodò incitantur ipsi subditi, ut à Parentibus, aut aliunde conquirant media, quibus sibi res necessarias ac convenientes procurent; unde contingit, ut quisque illa, quæ hinc indè conquirere aut corradere potest, etiam in usus suos particulares reservet, atque ita ex Superiorum tenacitate aut negligentia, vel etiam in dispensandis bonis communibus infidelitate, vitium *Peculiaritatis* invalescit; nec extirpari facilè poterit, quandiù necessaria & convenientia singulis per Superiorem ex communi Monasterii thesauro placidè ac benignè non suppeditantur. Hinc tantoperè Superioribus tum in Religiosorum Regulis, tum Ecclesiæ decretis inculcatum, ut omnia necessaria, ac convenientia è communi Monasterii penu singulis præbeantur, ut hoc pactu omnis prætextus *Peculiaritatis* Religiosis adimeretur, & Superiores efficaciter hoc vitium extirpare valerent.

» Ut hoc *vitium peculiare* radicitùs amputetur, inquit S.
» Benedictus, *Reg. cap.* 55. dentur ab Abbate omnia, quæ
» sunt necessaria, id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ,
» bracile, cultellus, graphium, accus, mappula, tabula. *Ut*
» *omnis auferatur necessitatis excusatio.*

Nec minorem fuisse aliorum Patrum quàm S. Benedicti curam ut necessaria à Superiore Monasterii singulis subministrentur, vel sola Regularium inspectio ostendit. Ipsa quoque Ecclesiæ Concilia dum pestiferum *proprietatis* vitium è Monasteriis eradicare voluerunt, tanquam eradicationis medium necessarium, Prælatis mandârunt, ut singulis ex communi Monasterii substantiâ necessaria præberent.

Decrevit Synodus Tholosana *Can.* 6. » Ut Abbates curam
» Monachorum & Monasteriorum exerceant, & eis victum &
» vestitum secundum regulam S. Benedicti præbeant, & hoc
» agentes *proprium* eos habere nullatenus permittant. «

Ad hunc Canonem notas suas apponens P. Lupus. » Ad
» ericandam plenè *Proprietatis* lepram Canon, inquit, rectè
» addit, *eis victum & vestitum præbeant.* Hoc enim est pri-
» mum & palmare monachalis communitatis fundamentum. «

Pluribus aliis vetustioribus decretis prædicto Canoni consonis (quorum nonnulla apud P. Lupum loco præcitato videre licet) omissis, ad ipsam Synodum Trident. descendimus, quæ postquam plura pro paupertatis ac communionis religiosæ custodia decrevisset, etiam subjungere non omisit. *Nihil etiam quod necessarium sit, eis* (Religiosis) *denegetur.* Sess. 25. *de Regular. cap.* 1.

Hanc Generalis Concilii sententiam exequi desiderans Synodus Povincialis Cameracensis *anno* 1565. *tit.* 18. *cap.* 11. biennio à finito dicto Conc. Generali celebrata: postquam similiter plurima ad eradicandum *proprietatis* vitium ordinasset, » tandem quò ea omnia faciliùs, diligentiùs, nec non absque
» tædio queant observari, præcipit Sancta Synodus cunctis
» cunctorum Monasteriorum sexûs utriusque Superioribus: qua-
» tenus secundum Regulam ac Majorum Instituta benignè nec
» non placidè subministrent omnia in universum, quæ suis sub-
» ditis necessaria fuerint & convenientia, ne inferioribus præ-
» beant ansam detrimenti votæ paupertatis valdè gravidi, in
» qua quidem re, si negligentiores extiterint, admoniti à suo
» Superiore omninò compellantur. «

Cameracensi consonat Synodus Prov. Mechliniensis anno 1570. habita, quæ similiter cùm perniciosum proprietatis vitium eliminandum censuisset, subjicit: » Præcipit ergo hæc
» Synodus, ut victus, vestitus, cæteraque vitæ subsidia sin-
» gulis ex *communi* pro necessitate indigentiæ & Monasterii fa-
» cultatibus subministrentur. «

Rectè proinde sæpe laudatus Canonicus Regularis in oratione contra proprietarios, excellentiorem viam pro extirpatione *proprietatis* Superioribus ostendere volens, illis interrogantibus, quæ esset illa? Respondit: „ Ut faciatis quæ fecit Do-
„ minus & Discipuli ejus. Cùm enim vidisset Jesus turbas esu-
„ rientes, nec haberent quod manducarent, noluit ut irent in
„ villas & vicos, & procurarent sibi, nec etiam voluit eos di-
„ mittere jejunos in domos proprias, ne deficerent in via; sed
„ ait Discipulis suis: Vos date illis quod edant. Ita Veneran-
„ di Patres, vos date subditis vestris necessaria, ne opus ha-
„ beant ab amicis quicquam emendicare, si vestes, si cultellos,
„ si devotos libellos, aut simile quid desideraverint: vos (si
„ tamen superflua non quæsierint) in charitate emite illis: sic
„ occasionem *proprietatis* amputabitis, & ex domibus vestris
» eliminabitis.

» Sed reperiuntur, proh dolor! Prælati parum curantes
» quid subditi faciant, aut unde sibi, quæ desiderant, acqui-
» rant: dummodo ipsi sua marsupia resolvere non cogantur,
» pecunias plus diligentes, quàm Fratrum animas Christi San-
» guine redemptas. Hinc est quòd Fratres sibi ipsis provideant.
» Hinc proprietas incrementum capit. Quæ ubi ingressa semel
» fuerit, multas secum trahit pedissequas, inobedientiam, in-
» temperantiam, ebrietatem, & id genus pestes alias. «

Cavendum ergo Dispensatori, verbis loquor Petri à S. Audomaro *lib.* 2. *Instit. Monast. cap.* 12. » Ne suâ tenacitate præ-
» beat materiam excusandi peccatum prætextu necessitatis. Rur-
» sum ne suâ profusâ liberalitate invidentiam in eis nutriat, &
» argumenta luxuriandi ministret; sed dividat prout unicui-
» que opus est. «

Sed dicent forsitan Superiorum nonnulli: si Subditis peculia permittantur, plures ad Religionem recipi poterunt: quia dum aliqui à Parentibus aut aliundè sibi necessaria conquirunt, poterunt ex communibus Monasterii proventibus sustentari. Verùm ab his peti posset, num si ea omnia, quæ à Parentibus aut aliundè particularibus obveniunt in perfectam communionem redigantur, & cum reliquis Monasterii proventibus confundantur, non æquè multis eo casu ex communi Monasterii thesauro per ejusmodi bonorum seu rerum adjectionem sic aucto provideri posset, quàm si illa in usus particulares manerent separata?

Sed reponent: si ea quæ à Parentibus, aut aliundè acquiruntur passim in communionem redigantur, ut omnium indifferenter necessitatibus impendantur, facilè eventurum, quòd parum erunt soliciti, ut quidquam à Parentibus aut aliundè conquirant. ℟. Si ea putetur in Religiosis animæ constitutio, tantum abet ut ea foveri aut permitti possit, ad numerum Fratrum multiplicandum; ut è contrà non dubitem, quin satius esset etiam Congregationem aliquam totaliter extingui, quàm ejusmodi animi affectus in Religiosis permittere: apud omnes quippè in confesso est (ut jam ante notatum fuit *pag.* 8.) Regulares illos *proprietatis* vitio, saltem affectu infectos esse, qui solicitant parentes, ut aliquid ab ipsis accipiant usibus suis particularibus applicandum, non solicitaturi si illud scirent in com-

commune redigendum : hoc ipso enim ostendunt se illud sibi, non Communitati procurare, ac per consequens sibi velle esse *proprium.*

Deinde cogitent hi, qui peculia illa permittunt, ut numerum augere queant, non in multitudine Fratrum, sed in debita disciplinæ regularis custodia, cujus præcipuæ bases & fundamenta sunt votum paupertatis & perfecta rerum communio, Religionis salutem consistere.

§. II.

Non parum conducit ad eliminandum vitium Proprietatis exacta observatio Canonum, quibus inhibetur receptio ad Ordinem ultra numerum, qui ex redditibus Monasterii aut consuetis eleemosynis ali possit.

CUm ex prædictis constet ad eliminandum *Proprietatis* vitium admodum conducere, si necessaria singulis benignè & placidè ex communi Monasterii penu subministrentur; non difficulter quisque intelliget, quòd tanquam medium ad eundem scopum plurimum subserviet exacta observantia Canonum illorum, quibus præscribitur, ut in Monasteriis non plures recipiantur, quàm ex redditibus Monasterii aut consuetis eleemosynis sustentari queant : ita enim fiet ut per Superiores sine difficultate omnibus quæ necessaria sunt, suppeditari poterunt, ac per consequens vitium *proprietatis* (quod pallio indigentiæ & deffectus necessariorum, quamvis perperàm, tegi solet) efficaciter extirpari.

Quapropter Synodus Parisiensis reductionem Religiosorum in Monasteriis ad eum numerum, qui commodè ex proventibus communibus sustentari posset, per Episcopos fieri desiderans, illum sui decreti finem esse indicat his verbis : *Ne dum Religiosis sufficientia pro vitæ sustentatione non ministrantur, aliundè cogantur sibi necessaria conquirere.*

Hinc Card. Bellarminus ea, quæ ad Reformationem monasteriorum utilia, imò & necessaria judicabat, ad quatuor capita redigens, inter illam exactam observantiam decreti Concilii Trid. *de non recipiendis ad Monasterium ultra numerum, qui ex redditibus aut consuetis eleemosynis sustentari possit*, tanquam medium efficacissimum ad extirpandum vitium *proprietatis* reponere non dubitavit. » Ut redigam (inquit *De gemitu* » *Columbæ*, *lib. 3. cap.* 6.) in quatuor capita, eaque brevissi» ma, quæ ad reformationem necessaria sunt; primum illud es» se, ajo, ut non admittantur ad habitum, nisi illi, qui sig» na veræ vocationis ostendunt. Deinde ut probatio maximè se» ria sit, & qui in probatione divinam vocationem non proba» verunt, omninò ad professionem non admittantur. Nam vitæ » christianæ perfectio quantò est altior, tantò pertinet ad pau» ciores. Legant ii, ad quos ista pertinent, Joannem Cassianum » *in l. 4. de Institutis Renuntiantium, cap.* 32. 33. & 34. Ter» tiò, ut sex virtutes supra nominatæ (humilitas, Paupertas, » Castistas, Obedientia, Studium orationis & Perfectio charita» tis) diligentissimè excolantur, & Præpositi in omni virtutis ge» nere exemplo suo præluceant : *Denique ut dent omnem ope» ram, ut Sacrosancti Tridentini Concilii decretum illud saluber» rimum & maximè necessarium observetur, ut non plures ad » Ordinem admittantur, quam qui sustentari possint ex reddi» tibus vel eleemosynis ordinariis : tunc enim Præpositi jure co» gere poterunt subditos ad omnem proprietatem fugiendam & » execrandum, si Ordo nisi singulis ea præbeat omnia, quæ » singulis necessaria sunt.*"

Indubiè propter hoc aliaque quæ ex debita observantia prædicti Concilii Tridentini à Monasteriis avertuntur incommoda, dixit Innocentius X. „ Inter cætera quæ ad regularem dis„ ciplinam instaurandam, conservandamque Sacrosancta Triden„ tina Synodus salubriter decrevit, illud semper præcipuum & „ maximi momenti habitum est, quo injugitur ut in singulis „ Monasteriis, & domibus regularibus is tantùm numerus cons„ tituatur, & in posterum conservetur, qui vel redditibus „ propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commo„ dè possit sustentari."

„ Quapropter ad ejus usum inducendum fel. rec. Cle„ mens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. Romani Pontifices » Prædecessores nostri varia decreta ediderunt : sed quia nihil» ominus, sive ob injuriam temporum, sive ob Superiorum in» curiam, sive alias ob causas, illius executio hucusque pro» tracta est, non sine gravi Monasteriorum in spiritualibus de» trimento, ac Religionum jacturâ : idcirco non nequaquam ig» norantes quantum ex Monasteriis piè institutis & recto ad» ministratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, » quantumque dignitati & commodo Ecclesiastici Ordinis de» trahat multitudo Religiosorum, quæ sine delectu supra vires » Monasteriorum in Religiones invehitur, ac proindè arbitrati » valdè acceptum sacrisque Religionibus proficuum fore, ut » decretum tam salubre debitæ executioni demandetur, &c." *Const. Inter cætera, in Bull.* 23.

§. III.

Multum conducit, ut Peculiaritatis vitium vitetur, considerare quis rerum terrenarum usus paupertatem profitentibus conveniat.

EX dictis §. 1. hujus capitis constat, quod frequens & ordinarius peculiorum prætextus soleat esse necessariorum deffectus, sive quòd necessaria ex communi Monasterii substantia non subministrentur; atque inde occassionem assumant ipsi subditi conquirendi pecunias vel res alias quibus suis necessitatibus quotidianis occurrere queant. Prætextum illum sæpissimè, si non semper, falso niti fundamento non difficulter Religiosus intelliget, qui sequentia sedulò expenderit.

Quod imprimis nunquam licitum sit creaturis inhærere ut fini (intelligo qui ad ulteriorem non refertur,) sed illis utendum duntaxat ut mediis ad finem : vel ut Augustinus loquitur, quòd creaturæ diligendæ non sint dilectione mansoria, qua animus illis inhæret ut fini, sed transitoriâ, qua nimirum homo, per creaturas transeat ad finem suæ creationis, qui est Deus; juxta primum & maximum mandatum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, &c.* » Cùm enim ait, inquit Augustinus, *toto corde, tota anima,* » *tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare „ debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quid„ quid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur, quo totus di„ lectionis impetus currit." *Lib. 1. de Doct. Christ. cap.* 22.

Hinc idem S. Doctor postquam docuisset, omnibus & solis rebus fruendum, seu ut fini ultimo inhærendum esse, quas *æternas* & *commutabiles* vocat, docens qualiter creaturæ diligendæ sint, subjungit, *ibid. cap.* 35. » Non quasi mansoriâ » quadam dilectione, & delectatione, sed transitoriâ potiùs, » tanquam viæ, tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumli» bet instrumentorum, aut si quid congruentiùs dici potest; ut » ea quibus ferimur, propter id ad quod ferimur, diligamus."

Si ergo creaturis utendum non sit, nisi ut mediis ad finem, sequitur illis utendum esse cum moderatione desumenda ex proportione ad finem; seu usum earum non esse assumendum, nisi in quantum est necessarius ad finem : ex. gr. potu & cibo in ea quantitate utendum, quæ requiritur ad eam corporis constitutionem, quæ hominem debitè disponat, ut functiones ad quas divina ipsum destinavit providentia, obire possit.

Hunc creaturarum moderatum usum omnibus incommutabili lege præscriptum, si seriò perpenderint Religiosi, non dubium quin prætactum necessitatis prætextum solius cupiditatis seu voluptatis filiam esse sæpius deprehendent, juxta illud verissimum S. Augustini Effatum *lib.* 10. *Cons. cap.* 31. *Quod saluti satis est, delectationi parum est.*

Ulterius ad evertendum efficaciter prædictum peculiaritatis prætextum plurimùm conducit, ut Religioso persuasum sit, quòd non solùm jam descriptus rerum terrenarum moderatus usus (quem omnibus divitibus, etiam Principibus & Regibus Lex æterna præscripsit) à se servandus sit; sed quòd ex solemni quam Deo fecit promissione rebus temporalibus uti debeat ut *pauper*, seu eâ moderatione, quæ statui paupertatis respondeat.

Nec enim religiosæ paupertatis professio solâ voti emissione, aut nudâ proprietatis abdicatione absolvitur, sed necesse est, ut qui eam emisit, secundum illam vitam suam componat, nam qui certum vitæ genus profitetur, debet secundum illud vitam instituere. Quid verò aliud est vivere secundum paupertatem, nisi rebus transitoriis uti ut pauper, id est, *vitam agere pauperem* ? Unde illud S. Bonaventuræ in *Epistol. ad Provin. Fœdum est profanumque mendacium summæ paupertatis voluntariæ professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle.* Quare monet Ordinis sui Provincialem, » Ut sumptuosi» tatem ædificiorum, librorum ac ciborum ità studeat amputa» re, *ut à professionis excellentia vitæ observantia non discordet.*

Cui consonat illa S. Benedicti Regula : *Monachus omni vilitati vel extremitate sit contentus* : » Vilitate, inquit Hugo » Monardus, in cibo & potu, vestimento, calceario, & quos» cunque opere injuncto." *Ad cap.* 16. *Concord. Reg.* §. 1.

Ob hanc paupertatis professionem S. Bernardus à Religiosorum supellectili in tantum abesse voluit quidquid à paupertate alienum esset, ut nec illud ipsorum Ecclesiis convenire judicaret : *Dicite pauperes* (inquit *in Apol. ad Guil. Abb. cap.* 11.) *si tamen pauperes, in templo quid facit aurum?*

Prudenter igitur Patres Concilii Tridentini *Sess.* 25. *capit.* 2. *de Regul.* mobilium usum ita per Superiores subditis permittendum censuerunt, *ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat.*

Meritò proinde Joannes Hessellius, qui Concilio Tridentino interfuit, *cap.* 83. *in Decal.* temerè ac stultè voventibus annumerat illos, » qui vovent paupertatem vel continentiam » perpetuam non expenso apud se, an verè cupiant in hoc » mundo *pauperem* vel cælibem vitam ducere."

Cùm verò non tantùm subditi, sed & ipsi Superiores paupertatis voto sint obstricti, teneanturque in ejusdem observatione subditis suo prælucere exemplo, consequens est, quòd etiam Superiores solicitè cavere debeant, ne quid in toto vitæ genere appareat à paupertatis professione alienum: unde meritò monitos voluerunt sui Ordinis Abbates & Prælatos Canonici Præmonstratenses *ann.* 1630. *dist.* 2. *cap.* 4. §. 1. 2. „Ut „ memores suæ professionis, ac SS. Patrum vestigiis inhærentes „ modestâ supellectili & mensâ, ac frugali victu semper utan„ tur. In reliquo etiam vitæ genere, ac in tota sua domo caveant, » ne quid appareat, quod à sancto *paupertatis* instituto sit alie» num, sed simplicitatem, Dei zelum ac contemptum vanita» tum præ se ferant.“

Ob eandem indubiè paupertatis professionem decreverunt, *dist.* 2. *cap.* 21. §. 11. „Ut in quorumcunque hospitum recep» tione hoc observetur, ut animi vultûsque hilaritas eis exhibea» tur, & *omni luxu* ac *ostentatione* rescissis, *juxta Religiosam* „ *mediocritatem* sufficienter cujusque necessitati, non voluntа» ti satisfiat.“

Hanc in Hospitum receptione religiosam mediocritatem Religiosorum Patres licèt hospitalitatis exercitio addictissimi, adeò sedulò observabant, ut sæpius etiam Regibus & Principibus vix quidquam præter communes Religiosorum cibos apponerent, ut ita in omnibus & coram omnibus Christi paupertatem profiterentur; & *à seculi actibus se facerent alienos*, & insuper ut ipsos quoque seculares ad frugalioris vitæ normam sub exemplo excitarent, juxta præclarum illud S. Basilii monitum in *Reg. fus. disp. Int.* 20. „Alius venit ex seculari vita, discat ope» ribus quod ei ratio non persuasit: formam & exemplar vitæ » frugalioris accipiat: recordetur mensæ Christianorum, & non » pudendæ propter Christum paupertatis.“ Debet proinde ea esse Religiosorum rebus temporalibus utendi moderatio, ut profitentibus paupertatem seu vitam pauperem respondeat. Vide Hug. Menard. ad *cap.* 60. §. 1. *Concord. Reg.*

Verùm quia paupertas suas secum trahere solet difficultates & incommoda, tenetur is, qui eam profitetur, eo esse animo, ut etiam incommoda & difficultates, quæ vitam pauperem consequuntur, amplecti paratus sit: alias velle paupertatem profiteri, & nulla paupertatis velle sentire incommoda, nimis magna ambitio est, dicebat ad Philoteam suam S. Franciscus Salesius *Introd. ad vitam devot. part.* 3. *cap.* 16. „Ne contris» teris, inquit, si minora æquo & debito tibi subsidia præ» beantur, in hoc namque paupertatis excellentia & dignitas » consistit, velle esse pauperem, & nullum velle incommo» dum habere, nimis quàm magna ambitio est; idem namque » est ac velle simul honorem paupertatis, & commoditatem » divitiarum ac opum habere.“

Imò veram paupertatem non habere eos judicabat S. Bernardus *Serm.* 4. *de Adv.* qui dum inopiam aliquam patiuntur, mox in pusillanimitatem incidunt: „Videmus, inquiebat ad » sui Ordinis Religiosos, pauperes aliquos, qui si veram ha» berent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur, ut» pote Reges & Reges Cœli; sed hi sunt, qui pauperes es» se volunt, eo tamen pacto ut nihil eis desit, & sic diligunt » paupertatem, ut nullam inopiam patiuntur.“

Ex his omnibus conclude, quòd Religiosus qui veram professæ paupertatis habuerit ideam, non facilè prætextu defectus necessariorum ad Peculiaritatem deflectet; vel enim judicavit ea quæ à Superioribus ministrantur sibi sufficere, vel si minora æquo & debito subsidia præbeantur, & consequenter incommoda nonnulla sustinere cogatur, cogitabit hanc esse sortem illius, qui specialiter se profitetur discipulum ejus, qui nascitur in stabulo, *quia non erat ei locus in diversorio*: qui dum viveret, *non habebat ubi caput reclinaret*, ac tandem vestibus spoliatus nudus moritur in patibulo.

§. IV.

Ad eliminandum Peculiaritatem efficacissimum remedium est religiosa Charitas.

Charitas non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur (inquit Augustinus *cap.* 8. *Reg.*) *quia communia propriis, non propria communibus anteponit.* Cùm igitur *Peculiaritas*, ut constat ex dictis *cap.* 1. quærat quæ sua sunt, & propria communibus, non communia propriis anteponat, facilè intelligitur quòd *Peculiaritas* non sit fructus charitatis, sed potiùs cupiditatis, quæ quærit quæ sua sunt, ac per consequens sicuti charitas expellit cupiditatem, ita nata si tollere *Peculiaritatem*; præsertim si talis fuerit, qualem inter Religiosos in unum congregatos Ordinum Fundatores desiderârunt.

Quæ fuerit charitas quæ primos Christianos in unum conjunxit, paucis his verbis expressit sacer Textus *Act.* 4. *v.* 32. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.*

Quemadmodum horum fidelium vivendi normam Religiosi in communi viventes assumpserunt; ita & eorum charitatem æmulari tenentur.

„Primùm (inquit S. Augustinus *cap.* 1. *Reg.*) propter quod » in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo & „ sit *vobis anima una & cor unum in Deo.*“ *Et in Psal.* 132. „Qui sic vivunt ut unum hominem faciant, ut sit illis verè „ quomodo scriptum est, *una anima*, *unum cor*, multa cor„ pora, sed non multæ animæ, corpora sed non multa corda, „ rectè dicitur μόνος, id est, unus solus.“

Cui consonat illud S. Ferreoli Episcopi in regula sua, *c.* 3. » Charitas, inquit, cooperit multitudinem peccatorum: huic » præcepto Monachis convenit inhærere, ita ut multi secundum » Beatum Apostolum *unum corpus* efficiantur in Christo: & im„ pleatur in illis quod Lectio Actuum Apostolorum quasi om„ nibus exemplo præmisso, *specialiter* tamen Religiosorum ocu„ lis anteponit: *Erat illis cor unum & anima una* Et illud in „ libro Psalmorum: *Deus qui habitare facis unanimes in domo.*“

Hinc de quibusdam vitam cœnobiticam agentibus dixit S. Basilius *In constit. monast. cap.* 19. „homines ex diverversis na» tionibus ac regionibus profectos per exactam morum ac disci» plinæ similitudinem adeo velut *in unum* coaluisse, ut in plu» ribus corporibus *unus omnino animus* videatur, vicissimque » plura corpora *mentis unius* instrumenta cernantur.“

Quò denique tendit solemnis illa in alicujus ad Religionem receptione decantatio Psalmi: *Quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, nisi ut primùm disciplinam regularem suscipienti annuntietur perfecta illa inter Fratres charitas, quæ jugum vitæ religiosæ facit suave, & onus ejus leve.

Hæc quippe charitas facit, ut *alter alterius onera portet*: hæc est, quæ exclamat: *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Per hanc fit, *ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.*

Nulla proinde timenda *Peculiaritas*, ubi ea fuerit inter Fratres charitas; quomodò enim quisquam inter eos suis necessitatibus aliquid vellet reservatum, quos eadem charitas ita conjungit, ut alter alterius necessitates reputet proprias? Hinc sacer textus relatâ primorum Fidelium charitate, tanquam illius sequelam immediatè subjungit: *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

§. V.

Vitia, quæ ex Peculiaritate *oriuntur, & præsertim ipsa professionis violatio Religiosos movere debent, ut* Peculiaritatem *fugiant.*

Sanctus Gregorius scribens Joanni Subdiacono Ravennæ, inter alia eidem præcipit, ut Mariano Episcopo dicere » stu» deat, ut *peculiaritatem* à quatuor aut quinque Monasterii Mo» nachis, in quibus corrigi hactenus minimè potuit, studiosissimè » compescat, & hoc ipsum Monasterium à tali peste mundare fes» tinaret, quia sic illic *peculiaritas* à Monachis habetur, *neque* » *concordia*, *neque charitas in Congregatione eadem poterit* » *permanere.*“ *Lib.* 10. *epist.* 22.

Si teste S. Gregorio ubi *Peculiaritas* habetur, non possit concordia aut charitas permanere, consequens est, ut subintrent discordia & cupiditas, quibus ingressis quis non videat vitiorum omnium scaturigines esse ingressas? Quapropter nullus mirari potest, si ex *Particularitate seu Peculiaritate* vitiorum monstra, imò totius Regularis disciplinæ dissolutionem oriri per experientiam observatum sit, ut ex Theodorico de Monasteriis scribit Dionysius Carthusianus *De reform. Claust. art.* 16. » Doctor præfatus (Theodoricus de Monasteriis) inquit, *in* » *suo tractatu*, *cap.* 4. Si scire delectat, quare proprietas si» ve peculium tam religiosè prohibetur, attendite vitia, quæ » inde sequuntur: Quæ prudentissimi, expertissimi, ac devo» tissimi Viri, qui Religiones instituerunt, consideraverunt, » & per experientiam etiam didicerunt: consideraverunt enim » quòd ex proprietate seu peculio tanquam ex venenosa radice » multa peccata proveniunt, ut puta, contumacia, superbia, » contentio, partialitas, avaritia, vanagloria, invidia, menda» cium, luxuria, occupatio, infructuosa cura, superflua mul» tiplex dissolutio, varia mentis distractio, acedia, negligens» que Divini Officii persolutio atque similia: Quoniam abun» dantes in peculio, ad resistendum suis Superioribus fiunt au» daces, nec disciplinam, & correctionem patienter suscipiunt, » partialitates efficiunt, & interdum comessationibus & ebrieta» tibus vacant ex quibus ad vitia carnis labuntur, & votum » suum de castitate servanda sceleratissimè frangunt, sicque ad » divina fiunt pigri & acediosi, opusque Dei negligenter per» solvunt, atque in innumerabiles defectuositates damnabiliter » incidunt, non observantes silentium, & sæpe neque jejunium, » nec ad commune refectorium veniunt, sicque quotidiè magis » excœcantur & obdurantur. Contingit quoque frequenter, » quòd habentium peculium unus multò plus habet quàm alius; » quod non videtur consonare justitiæ, cùm bona Monasterii » extent communia; tamen secundum justitiam unicuique se» cundum indigentiam suam est tribuendum. Cùm ergo tot vi»

» tio-

„ tiorum peculium sit origo, justissimum valdeque necessarium „ est, ut Religiosis secundum decreta Conciliorum & Decre- „ tales Summorum Pontificum Sanctorumque Patrum regulas „ penitùs auferatur. «

Quæ à 200. & ampliùs annis, eadem etiam hodiè ex peculiis metuenda sunt, quandoquidem non minùs hodierna quàm pristina peculia nata sunt lædere charitatem & concordiam: unde P. Christianus Lupus de hodiernis reddituum vitalitiorum reservationibus disserens *ad Can. 6. Conc. Tholos. sub. Vict. 2.* eodem penè colore quo Dionysius Carth. pernitiosam eorum sequelam depingere non dubitavit: postquam enim proprietariis annumerandos censuit, » qui omnia quidem sua Monasterio „ dant aut pauperibus, *sed sibi aliquam reservant vitalitiam „ Pensionem aut censum*; subjungit: Captivi enim manent (red- „ dituum vitalitiorum reservatores) sub phylargia, omnium vi- „ tiorum matre ac nutrice, quam quidam appetentes etiam à „ fide erraverunt. Ex ipsa pauperes Fratres despiciunt, cùm „ plena humilitate non subjacent Præpositis, Divina Officia fas- „ tidiunt, operari nolunt, ad licentiosum alicujus privilegii aut „ præeminentiæ in Monasterio locum quavis arte adspirant ac „ se intrudunt, communi alimentorum ac vestium sorte con- „ tenti non sunt, atque ita Cœnobia sua pedetentim transver- „ tunt in illam Coludensis apud Anglos Monasterii miserabilem „ formam, quam in Anglicana Venerab. Bedæ historia descri- „ bit Religiosus Presbyter Adamandus: *Domunculæ, quæ ad „ orandum vel legendum factæ erant, nunc in comessationum, „ potationum, fabulationum & cæterarum sunt illecebrarum „ cubilia conversæ.*

Licèt non omnis *Peculii* ex gr. admodum exigui penes Superiorem in usus alicujus particularis reservatio statim secum trahat universam jam exhibitam vitiorum colluviem, ægrè tamen *Peculia* quantumvis modica permittentur, quin mox illis morali quâdam necessitate dissensiones aliquæ, æmulationes, aliæve fraternæ charitatis pestes proveniant. Quinimò nulla est vel exigui *Peculii* concessio, quæ non ad totalem disciplinæ dissolutionem viam sternat; cùm enim omnia *Peculia*, seu res in particulares aliquorum usus extra communionem reservatæ, voto paupertatis & perfectæ rerum communioni (ut *cap.* 1. sæpiùs ostensum est) contrarientur, nulla concedentur, nisi aliquatenus unà recedatur à *voto paupertatis & vitæ communione* ipsius regularis disciplinæ fundamentis & basibus, „ quæ si *exactè* non „ fuerint conservata, inquit Synodus Tridentina, totum cor- „ ruat ædificium necesse est.“ Hinc etiam ab eadem Synodo adeò solicitè cautum, ut omnis cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, ut ab aliis, quæ ad votorum obedientiæ *paupertatis*, & castitatis essentiam, nec non communem vitam, victum & vestitum spectant, non recedatur: sciebant quippe ipsius Concilii Patres, quòd, dum fundamenta semel vel leviter concuti incipiunt, sensim ad totalem eorum destructionem perveniatur, quibus destructis totius structuræ ruina sequatur necesse est.

Prudenter proinde voluit S. Benedictus, ut non tantùm superficie tenus, sed *radicitus* hoc vitium *peculiare* amputetur. *Cap.* 55. *Regulæ.*

Ad hæc præter ipsius regularis disciplinæ dissolutionem, ad quam omnis peculiaritas ut minùs viam sterpit, habet insuper cujuscunque *peculii* reservatio sibi adjunctam quandam religiosæ professionis violationem.

Constat enim ex dictis *Cap.* 1. §. 1. 2. & 3. quòd Religiosus vovendo paupertatem, promittat omnia, quæ habet, à se ita simpliciter & absolutè abdicare, ac si res suas simpliciter venderet, & earum pretium simplici & absolutâ donatione in pauperes transferret. Huic simplici ac absolutæ rerum omnium renuntiationi quæcunque Religiosorum peculia contrariari, similiter *cap.* 1. probatum est.

Insuper ostensum fuit, quòd professio religiosa secum trahat perfectam rerum omnium communionem. Cùm hac rursus communionis perfectione nulla peculia, quantumvis modica etiam de licentia Superioris atque dependenter ab illius nutu, posse consistere, abunde in anterioribus probatum fuit.

Ex his per evidentissimam consequentiam deducitur per universa Religiosorum *peculia* religiosam professionem in duobus articulis essentialibus, nimirùm in voto paupertatis & vitæ communione, violari. Grave verò admodum esse Deo factam professionem non servare inde intelligitur, quòd, ut ait S. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. in *Corp.* » implere vota pertineat » ad fidelitatem quam homo debet Deo; unde fractio voti est » quædam infidelitatis species; maximè autem debet homo, ait » idem Doctor, Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum » etiam ratione beneficii suscepti.« Hinc illud Scripturæ *Deuter.* 23. *v.* 21. 22. 23. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris: quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Et *Eccles.* 5. *v.* 34. *Displicet Deo* INFIDELIS *& stulta promissio: multoque melius est non vovere, quàm post votum promissa non solvere.*

Quibus per omnia consonat illud Innocentii III. *Cap.* 6. *De Voto & voti redempt.* » Licet universis liberum sit arbi- » trium in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est » post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non li- » ceat resilire. «

Hoc propriæ salutis dispendium ex infractione professionis per *peculiorum* reservationem, vel eo titulo summopere timendum, quòd cùm peculiaritas voto *paupertatis* contrarietur, per consequens agatur de ipsius voti *paupertatis* violatione: Quo etiam titulo *peculiorum* possessores sibi ob oculos jure merito ponent vindictam, quam ob voti *paupertatis* violationem sumpsit Deus in Anania & Saphira.

Denique cùm Religiosum vi sui statûs oporteat ad perfectionem tendere, etiam specialis gratia, quâ perfectionis viam ingrediatur & teneat, ipsi necessaria est; quæ cùm misericorditer à Deo exspectari debeat, meritò *peculiorum* possessoribus verendum, ne suâ contra Deum infidelitate gratiæ illius influxum sistant, atque ita nunquam ad status Religiosi finem pertingant.

Ex his collige quantoperè Religiosus, si per Religiosæ professionis observantiam certam suam vocationem & electionem facere satagat, omnem prorsus *peculiaritatem* fugere debeat.

Collige secundò, quanto studio & labore venenosam hanc radicem radicitùs evellere teneantur Superiores; utpote constituti super Congregationem, ut noxia quæque evellant, & disperdant, & dissipent; » & quorum culpæ incumbit (ut de » Abbate loquitur S. Benedictus *cap.* 2. *Reg.*) quidquid in ovi- » bus Paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire. «

Sed dicent forsitan Superiores, adeo vitium illud esse radicatum, ut nullus laborum suorum fructus sit sperandus: verùm nullum adeo vitium invaluit, quin ejusdem eradicationem per Dei auxilium Superiores sperare possint, modò ipsi labores & operam impendere non omittant, & confidant in illum, qui omnia potest, præsertim, quia omninò confidendum est, quòd qui cœpit opus bonum, nimirum bonam illam voluntatem Superioribus inspirando, perficiet. Neque multorum resistentia indicium est, quòd conatus suo frustrabitur effectu, quin potiùs felicioris successus præsagium est. Solet enim diabolus obsistere per homines malos tanquam per sua instrumenta operibus bonis, præsertim illis, quæ tendunt ad destructionem malæ & inveteratæ consuetudinis; vel si ex initiis illis plurima bona secutura intelligat. Hinc S. Theresia, dum conatibus suis multos resistere videbat, prosperum exitum nominabatur, & reipsâ ita accidit, nam duo supra triginta Monasteria inops Virgo ædificavit, omnibus humanis destituta auxiliis, *quinimò adversantibus plerumque seculi Principibus.*

Præterea, quòd benè notandum, in reformationis negotio non tantùm attendendum, quis fructus hoc tempore & inter præsentes diuturnâ consuetudine obcæcatos & vinculatos sit futurus, sed etiam quis in futurum, & inter præsentium successores.

Sed dato quòd omni impenso labore subditos à vitio illo revocare non possent, ipsi tamen animam suam liberabunt juxta illud Ezech. *cap.* 3. *v.* 19. *Si tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

Hinc illud S. Benedicti *cap.* 2. *Regul.* » Tantundem erit » (Abbas liber, ut si inquieto vel inobedienti gregi Pastoris fue- » rit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus uni- » versa fuerit cura exhibita, Pastor earum in judicio Domini » absolutus, dicat cum Propheta Domino: *Justitiam tuam » non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum » dixi*: ipsi autem contemnentes spreverunt me. «

Neque Superiores à muneris sui ratione deterrere debet, quod fortè subditorum animos suis Pastoralibus studiis actionibusque exulcerari videant, vel quia illorum nonnulli clamant: non ferunt hæc tempora strictam illam *paupertatis & communionis* observantiam; hæc enim à Prælatis tanquam futilia & sese emendare nolentium voces, contemnenda esse post S. Bernardum, aliosque SS. Patres meritò censuit S. Carolus Borromæus: » Nec verò est (inquiebat ad Prælatos in secundo suo Provinc. » Concilio congregatos) cur à muneris nostri ratione deterreamur, » vel quia his nostris Pastoralibus studiis actionibusque animos » eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia » populares illæ, quibus quasi ficus foliis, deformes pravique » mores contegi solent, voces audiantur: *Non ferunt hæc tem- » pora veterum Canonum* (junge, *Regularium disciplinæ*) *seve- » ritatem: sic jam diu vixímus, sic vixerunt, ita egerunt, qui » ætate antecesserunt, vitæ institutum nihil est quod mutemus,* » At nos hæc atque hujusmodi contemnamus. « *In Orat. ad 2. Concil. Mediol.*

Eadem rursus querelam in ultimo suo Provinciali Concilio re-

retundit his verbis : » An fortassè à curatione nostra deterre-» mur , quia hoc nostro frequenti Provinciæ nostræ sanandæ » studio exulcerantur animi quorundam dictitantium : *Non fe-» runt hæc tempora veterum Canonum* (junge rursus , *Regularis » disciplinæ*) *& antiqua Ecclesiæ medicamenta.* Imò ardentius » progrediamur , quoniam hæc una medicina præstantissima est, » maximeque opportunum id remedium , ut quibus olim ratio-» nibus disciplina Christiana (adde , *regularis*) sata & propaga-» ta fuit , iisdem ipsis & instauretur & conservetur. « *In Orat. ad 6. Conc. Mediol.*

Instabunt forsitan Superiorum alii : Cur tantoperè nos opponemus *Peculiaritati* illi , quam prædecessores nostri tanto tempore tolerarunt ? Quare enim non permittemus , quod ipsi permisserunt ? Expendant hi , qui hac ratione se ab extirpatione *Peculiaritatis* excusare conantur , num non hoc eodem argumento Prælati , aliique Monasteriorum Præpositi se ab omni reformationis studio eximere poterunt : quandoquidem præcipuus, si non unicus reformationis scopus esse debeat corrigere , ac eradicare abusus , qui per Prælatorum negligentiam , aut nimiam eorum conniventiam invaluerunt. Quare jam pridem Sac. Parisiensis Facultas , ut Prælatos Ecclesiæ Gallicanæ induceret ad abrogandum inveteratum , sed perniciosum quendam abusum , scripsit hæc verba : » Nolite subdolas hominum voces au-» dire sic dicentium : *Prædecessores nostri , qui erant notabiles » viri reputati , istud festum fatuorum* (adde *Peculiaritatem*) *» permiserunt , sufficiat nobis vivere ut ipsi : procul dubio istud » argumentum diabolicum est , & infernalis hæc persuasio* : nam » illorum exitum ignoratis , an bonus vel malus fuerit. « *In Epist. Facultatis Paris.* Habetur *in app. Oper. P. Bles. edit. ann.* 1667.

§. VI.

Ostenditur , quòd Paupertas voluntaria & perfecta vitæ communio plurima secum trahat commoda.

PRæcedenti §. ostendimus , innumera penè vitia , imò totius regularis disciplinæ dissolutionem ex *Peculiaritate* oriri, nec non per illam Religiosos in summum salutis discrimen adduci ; hoc verò probare animus est , ex *Paupertatis voluntariæ & perfectæ vitæ communionis* observantiâ plurima ad Religiosos ipsamque Religionem commoda derivari. Quod ut clariùs demonstrem prænotandum , quòd juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. *in Corp.* „ Ipsa perfectio charitatis , sit finis status Reli-» giosi..... & ideo ille qui statum Religionis assumit, non tenetur » habere perfectam charitatem ; sed tenetur ad hoc tendere & » operam dare , ut habeat charitatem perfectam.“

Ut verò quis hanc charitatis perfectionem assequatur necessarium est , ait idem Doctor *loco cit. num.* 3. *in C.* „ quòd ali-» quis affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis. Dicit » enim Augustinus ad Deum loquens : minus te amat , qui te-» cum aliquid amat , quod non propter te amat. Unde & in » *lib.* 83. *qq.* dicit Augustinus , quòd nutrimentum charitatis est » imminutio cupiditatis ; perfectio , nulla cupiditas.“ Hactenus S. Thom.

Ex hac doctrina Doctoris Angelici habemus primò , quòd Religiosus teneatur ad hoc tendere & operam dare , ut habeat perfectam charitatem. Secundò, ut quis perfectam charitatem assequatur necessarium esse , quòd affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis. Tertiò, quòd nutrimentum charitatis, sit imminutio cupiditatis ; perfectio , nulla cupiditas.

Hinc consectarium est , opportunissimum remedium perveniendi ad finem statûs Religiosi , nimirum ad perfectionem charitatis , esse concupiscentias suas non exequi , sive ut loquitur Scriptura , *post concupiscentias suas non ire* ; quàm verò difficile sit rebus temporalibus affluere , earumque liberum usum habere , & cum illo omnium concupiscentiarum objecta & irritamenta , nec tamen *post concupiscentias ire* , nec illis consentire , sed usum illarum intra christianæ sobrietatis metas continere , uti lex æterna præcipit ; quàm , inquam , id difficile sit , notius est quàm ut probari debeat.

Prætereà tametsi impossibile non sit divitias possidere , & unà implere illud omnibus datum præceptum *Psalm.* 61. *v.* 11. *Divitiæ si affluant , nolite cor apponere* ; unde *beatum virum* deprædicat Scriptura *qui inventus est sine macula , & post aurum non abiit , nec speravit in pecuniæ thesauris* ; tamen ut ostendat eum rem difficilem præstitisse , subjungit : *quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Eccles. 31. v. 8. 9.

Insuper rerum temporalium possessio multas mordacesque secum trahere solet curas & solicitudines , ut propterea divitiæ *spinæ* à Christo dicantur , *Math.* 13. in quibus qui *seminatus est , hic est* , Christo similiter explicante , *qui verbum audit , & solicitudo seculi istius , & fallatia divitiarum suffocat verbum.*

Ex his consectarium , paupertatem , præsertim tamen voluntariam , tantùm conducere ut quis ad perfectionem evangelicam perveniat , quantùm ipsa rerum temporalium possessio, præsertim abundantior , ab illa avocare soleat.

Paupertas quippe voluntaria hominem omnibus rebus temporalibus privans , & illum unà ab ipsis concupiscentiarum objectis & irritamentis separans , facit , ut faciliùs illas restringere & moderari queat. Facit quoque *voluntaria paupertas* , ut quis faciliùs se intra licitum creaturarum usum contineat ; qui enim eam profitetur , necessarium earum usum non proprio arbitrio, quod sæpius sibi nimiùm abblanditur , metitur ; sed eum metiendum alieno committit arbitrio.

Liberat quoque profitentem ab omnibus illis curis & solicitudinibus , quas rerum temporalium possessio adducit; quo contingit , ut mentem suam à rebus terrenis facilius abstrahere, & cælestibus affigere possit. Ob hæc aliaque , quæ *voluntaria paupertas* secum trahit perfectionis adjumenta , factum est , ut Christus illam tanquam medium aptissimum pertingendi ad perfectionem commendaverit his verbis : *Si vis perfectus esse , vade & vende omnia , quæ habes , & da pauperibus , & sequere me.* Matth. 19. v. 21.

Hinc illud Cajetani *Constit. part.* 2. *cap.* 1. *Paupertas expedita ad Deum via , & Religiosæ familiæ magnum certumque vectigal.* Item illud S. Thomæ : *Ad perfectionem acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas* , 2. 2. *q.* 86. *art.* 3.

Profitentibus proinde *Paupertatem voluntariam* usurpare licet illud S. Augus. *Epist.* 45. *Fœlix necessitas quæ ad meliora compellit.*

Solet prætereà rerum temporalium possessio , tum hoc periculum eas ammittendi , aut imposibilitatem eas conservandi, animi pacem ac tranquillitatem non parum turbare , paupertas verò voluntariâ hisce anxietatibus & solicitudinibus hominem eximens , pacem illam animæ *quæ exuperat omnem sensum* , nata est plurimum promovere. Qua de causa notat S. Thomas 1. 2. *q.* 69. *art.* 2. beatitudinem quâ Beati dicuntur *pauperes spiritu* , inchoari in hac vita , cui mirè consonat , quod apud Marcum *Cap.* 10. *v.* 29. 30. dixit Christus : *Nemo est , qui reliquerit domum , aut fratres , aut sorores , aut patrem , aut matrem , aut filios , aut agros propter Evangelium , qui non accipiat* CENTIES TANTUM NUNC IN TEMPORE HOC, *domos , & fratres , & sorores , & matres , & filios , & agros , cum persecutionibus , & in seculo futuro vitam æternam.*

Super hæc omnia , *Paupertas voluntaria* , signanter si spiritu , hoc est, amore suscipiatur & continuetur , Christo Dei Filio dilectores suos simillimos efficit , *qui propter nos egenus factus est , cùm esset dives* : qui ad tantam paupertatem descendit , ut natus poneretur in præsepio , *quia ei locus non erat in diversorio* ; deinde qui vivens nequidem habuit , ubi *caput reclinaret.* Hinc S. Bernardus *Serm.* 1. *in vigil. Nativ.* » Pauper-» tas non inveniebatur in cœlis , porrò in terris abundabat hæc » species , & nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei » Filius concupiscens descendit , ut eam eligat sibi , & nobis » quaque suâ æstimatione faciat pretiosam.“

Denique ubi fuerit *volutaria paupertas* , sive voluntaria omnium rerum temporalium absoluta abdicatio , nulla difficultate habebitur & conservabitur perfectissima inter Fratres vitæ communio : quomodo enim sua in communionem redigi detrectarent , qui se ipsos omnibus terrenis expoliare pro Christo desiderârunt.

Quàm verò hæc vitæ communio sit jucunda, & suavis quantaque ex illa virtutum incitamenta profluant, quantumcunque conducat, ut ad perfectionem Evangelicam perveniatur, malo verbis S. Basilii quàm propriis exprimere : „ Perfectissimam ego vitæ „ communionem illam appello (inquit *Const. Monast. cap.* 19.) à „ qua privata omnis rei cujusque exclusa possessio est eliminata: „ itemque unde dissensio omnis , ac perturbatio omnis , con-„ tentio omnis abest , & rixa : contraque universa communia, „ animi , mentes , corpora , eaque quibuscunque necessariò „ ad victum cultumque utimur , communis Deus , communis „ pietatis mercatura , communis salus , communia certamina, „ communes labores , communia præmia & certaminum exant-„ latorum coronæ , ubi multi unus , & unus non solus , sed „ in pluribus. Huic vitæ instituto quid est tandem , quod jure „ æquiparari possit? Quid eo beatius dici? Quid hac conjunctio-„ ne , unitate & necessitudine aptius excogitari ? Quid mutua „ inter se morum animorumque contemperatione gratiosius fingi? „ Homines ex diversis nationibus , ac regionibus profectos per „ exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo in unum ve-„ luti coaluisse, ut in pluribus corporibus unus modò esse animus „ videatur , vicissimque plura corpora mentis unius instrumenta „ cernantur. In his , qui infirma corporis valetudine est , is com-„ plurium animos imbecillitatis suæ participes habet. Qui verò „ animo æger est & affligitur , ei complures præstò sunt , à qui-„ bus curetur, à quibus assiduè erigatur. Hi æquabili jure in-„ ter se alii aliorum & famuli sunt , & domini , & in invicta li-„ bertate accuratissimam sibi inter se serviunt servitutem , quam „ non necessitas casus fortuiti oppressis & in captivitatem ab-

duc

„ ductis magno ipsorum cum mœrore violenter invexit, sed „ cum gaudio libera animi voluntas induxit: quippe cum cha- „ ritas ipsos alioqui liberos inter se alios aliis subjectos efficiat, „ ipsis nihilominus tamen illorum voluntatis arbitrio libertatem „ conservet. Tales nimirùm cùm ab initio nos fingeret Deus, „ esse voluerat, & propterea creârat. Qui ejusmodi sunt, si- „ ne controversia primi parentis noxam contegentes, antiquum „ bonum in pristinum revocant. «

PARS SECUNDA
DE VITIO SIMONIÆ
CIRCA INGRESSUM RELIGIONIS.

SCOPUS SECUNDÆ PARTIS.

SEcunda hujus Dissertationis parte acturus de *Simonia* circa ingressum in Religionem committi solita, quatuor potissimùm ostendam. Primò, quòd Simonia & quidem juris divini incurratur, quando temporale exigitur ab ingressuro, dum Monasterium sat habet, unde ingredientem cum reliquis sustentet. Quia verò hoc à pluribus sufficienter probatum, & argumentis plerisque in contrarium adductis abundè satisfactum est; ab operosa probatione, aut argumentorum refutatione supersedere intendo; unum tamen argumentum, quod ex legibus Justinianeis petitur, hactenus à nullo, quod sciam, exprofessò refutatum, operosiùs refellam.

Secundò, ostendam, quòd prætextu, seu titulo, ut loquuntur, *Paupertatis*, ingressus in Religione sæpiùs labe Simoniaca inficiatur. Hujus palli occasione.

Tertiò, ostendam, quòd Ecclesia meritò potuisset interdicere, ne & ipsa Monasteria egentia quidpiam requirant ab ingredientibus. Hoc verò unum reipsa Ecclesia vetuerit, inquiram.

Denique, ne ipsas quoque oblationes & fidelium vota excludere forsan videar, quartò ostendam, quòd ultrò oblata citra Simoniam aliudve vitium accipi possint; nonnulla tamen hinc ab offerentibus, illinc à recipientibus cavenda esse monstrabo.

CAPUT PRIMUM.

OSTENDITUR, COMMITTI VITIUM SIMONIÆ, DUM EXIGITUR TEMPORALE, UT QUIS AD RELIGIONEN ADMITTATUR, UBI MONASTERIUM EST SUFFICIENS AD SUSTENTANDUM INGREDIENTEM.

PARAGRAPHUS I.

Qua ratione Status Religiosus sit spiritualis, & materia Simoniæ.

REligiosorum in communi viventium, id est, cœnobiticam originem, seu prima initia à temporibus Apostolorum deducens Cassianus, his verbis descripsit *Collat.* 18. „ Talis „ erat, inquit, omnis multitudo credentium, quæ in Actis „ Apostolorum ita describitur: *Multitudinis credentium erat „ cor unum, & anima una, &c.* Sed cùm post Apostolorum „ excessum tepescere cœpisset credentium multitudo: hi qui- „ bus adhuc Apostolicus inerat fervor, memores illius pristinæ „ perfectionis, discedentes à civitatibus suis illorumque con- „ sortio, qui sibi vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligen- „ tiam licitam esse credebant, in locis suburbanis & secretio- „ ribus commanere, *& ea, quæ ab Apostolis per universum „ corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, privatim „ ac peculiariter exercere cœperunt*; atque ita coaluit ista dis- „ cipulorum, qui se ab illorum contagio sequestraverant, dis- „ ciplina: qui paulatim procedente tempore segregati à cre- „ dentium turbis, ab eo, quod à conjugiis abstinerent, & „ à parentum sese consortio, mundique istius conservatione „ secernerent, *Monachi* sivè *Monozantes* à singularis ac so- „ litariæ vitæ strictione nominati sunt. "

Ex hoc discursu colligimus, primos illos Christianos, qui vitæ cœnobiticæ fundamenta, referente Cassiano, posuerunt, eam vivendi normam arripuisse, ut ea, quæ ab *Apostolis per universum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, peculiariter ac privatim* exercerent.

Horum exemplo sequentibus seculis omni tempore fuêre non pauci, qui videntes Christianorum frigescere charitatem, mundumque deteriùs continuè declinantem, & plurima, quæ mundanorum conversatio & vitæ secularis occupatio secum traheret virtutum impedimenta, vitiorum occasiones, & irritamenta in seculo occurrentia, vitam religiosam assumpserunt; non quidem, ut statum perfectionis, sed ut viam ad perfectionem Evangelicam (ad quam omnes Christiani tendere debent) perveniendi accommodatissimam, quod ipsum post Sanctos Patres plurimis locis docet S. Thomas, signanter 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 1. *in C.* his verbis: „ *Status Religionis*, ait, „ *est quoddam spirituale exercitium ad consequendam charita- „ tis perfectionem*; quod quidem fit, in quantum per Reli- „ gionis observantias auferuntur impedimenta perfectæ charita- „ tis. Hæc autem sunt, quæ implicant affectum hominis ad ter- „ rena. Per hoc autem, quòd affectus hominis implicatur ad „ terrena, non solùm impeditur perfectio charitatis; sed inter- „ dum etiam ipsa charitas perditur; dum per innordinatam con- „ versionem ad bona temporalia homo avertitur ab incommuta- „ bili bono mortaliter peccando. Unde patet, quòd Religionis „ observantiæ, sicut tollunt impedimenta perfectæ charitatis, ita „ etiam tollunt occassiones peccandi, sicut patet, quòd per „ jejunium, vigilias & obedientiam & alia hujusmodi, re- „ trahitur homo à peccatis gulæ & luxuriæ, & à quibuscun- „ que aliis peccatis. Et ideo Religionem ingredi non solùm ex- „ pedit his, qui sunt exercitati in præceptis, ut ad majorem per- „ fectionem perveniant; sed etiam his, qui non sunt exerci- „ tati, ut faciliùs peccata vitent, & perfectionem assequantur. «

Sententiam S. Thomæ summatim & terminis expressioribus, complexus est Cassianus, dum ait: » Jejunia, vigiliæ, medita- „ tio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum „ non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in „ ipsis consistit disciplinæ illius finis; sed per illa pervenitur „ ad finem: " conformiter ad illud Christi: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: quo manifestè ostenditur perfectionem desiderantibus consilium Evangelicum, tanquam ad eam perveniendi instrumentum à Christo suaderi. Professio proinde Monastica, ejusque exercitia & austeritas non quidem ipsa sunt hominis christiani perfectio, quæ primario & essentialiter (ut post S. Thomam loquuntur Theologi) consistit in charitate & observantia mandatorum Dei; sed instrumenta accomodatissima, quibus ad perfectionem perveniatur. Unde quemadmodum quis ferramenta cujuslibet artis instituere sibimet ac præparare festinat, non ut ea possideat otiosè, nec ut emolumenti illius fructum, qui speratur ex ipsis, in nuda instrumentorum possessione constituat, sed ut eorum ministerio peritiam, finemque illius disciplinæ (cujus hæc adjumenta sunt) efficaciter aprehendat; ita quicunque disciplinæ religiosæ exercitia assumit, ea tanquam instrumenta, quorum adjutorio ad perfectionem charitatis & observantiam Evangelii perveniat, suscipere debet. *Nemo proinde negaverit* (ut verbis loquar Synodi Colon. *anno* 1536. *part.* 10. *cap.* 10.) *hoc vitæ genus ad perfectionem Evangelicam maximè accommodum, modò secundum sanctissimam institutionem purè, immaculateque observetur.* Ex quibus conficitur statutum Religionis esse *spiritualem*, in quantum est quoddam *spirituale exercitium* Deo auctore institutum ad consequendam charitatis perfectionem.

§. II.

Qua ratione Status Religiosus vitæ christianæ ritè peragendæ plurimum conducat.

VItæ christianæ perfectio, inquit Doctor Angelicus consistit in perfectione charitatis: unde qui ad vitæ christianæ tendit perfectionem necesse est, ut continuò in se studeat perficere charitatem, quam non augebit, nisi cupiditatem diametraliter charitati oppositam indesinenter in se diminuere satagat: si-

„ sicuti enim augmentum dilectionis, inquit August. est cupi-
„ ditatis diminutio, ita perfectio dilectionis, est nulla cu-
„ piditas: " qua propter ut omnibus dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua*: ita universis inclamant Sapiens: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gladium inimicis tuis. Eccl.* 18. *v.* 30. & 31. Hinc optimus Medicus Christus Dominus veniens in hunc mundum ut hominem ægrum sanaret, eique vitam animæ, id est, charitatem restitueret, charitati ædificandæ & cupiditati destruendæ media oportunissima tum in vita sua exhibuit, tum per doctrinam Evangelii nobis præscripsit.

Quod ad vitam attinet, si illam spectemus à stabulo Bethleëmitico usque ad Montem Calvariæ, id est, ab ingressu in hunc mundum usque ad ejus egressum, videbimus in illa mores directissimè concupiscentiæ carnis & oculorum, ac superbiæ vitæ, id est, corruptionibus quas ab Adamo hæreditavimus, oppositos.

Superbia vitæ se ostentat in voluntatis dominatu. Huic concupiscentiæ Christus D. opposuit vitam suam, in qua se exhibuit, ut abjectionem plebis, opprobrium hominum, novissimum virorum maximè dum cum sceleratis reputatus, imò illis pospositus fuit.

Huic item concupiscentiæ opponitur vita Christi quatenus hæc ab initio usque ad finem fuit continua quædam voluntatis propriæ ad voluntatem Patris summa cum reverentia subjectio; quidem se in mundum venisse testatur, *non ut suam, sed ut Patris voluntatem faceret*: quod etiamsi præstiterit in omnibus suis actibus quos exercuit, id tamen maximè elucet in illa obedientia, qua se humiliavit *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Concupiscentia oculorum à quibusdam accipitur pro cupiditate divitiarum, & à S. Augustino pro curiositate sive libidine cognoscendi.

Huic contrariatur vita Christi juxta priorem explicationem quatenus pauperrima ut patet in nativitate & morte, imò & totius vitæ decursu, quo durante ne tantillum habuit proprium, *ubi caput reclinaret.*

Concupiscentiam oculorum acceptam pro libidine cognoscendi sua contrarietate destruit vita Christi: quatenus in illa summa Christi sapientia infantilibus membris occultatur, ac tot deinde annis silentio tegitur, nec etiam manifestatur, nisi per doctrinam, quæ stultitia potiùs quàm sapientia videbatur.

Concupiscentiæ carnis, sive libidini sentiendi inimica est vita Christi, prout molestiis à paupertate manantibus, item contradictionibus & irrisionibus potissimè Pharisæorum & Scribarum plena erat, sed vel maximè quatenus Christus tales agonizans in anima tristitias, tantosque patiens in corpore cruciatus ipsam denique acerbissimam mortem subiit.

Quod ad doctrinam spectat: concupiscentiam destruunt illæ Evangelicæ sententiæ: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Si quis venit ad me, non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Contendite intrare per angustam portam, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cætera omitto, quæ tam ad cupiditatis diminutionem quam ad charitatis argumentum spectant recepta, quibus præcipimur vigilare, petere, quærere, pulsare; denique *semper orare & nunquam deficere.*

Has & similes Evangelii regulas observet, necesse est, quicunque discipulus Christi esse voluerit: ipsa quippe Dei charitas usque ad contemptum sui Christi constituit discipulum; mundi verò discipulum amor sui usque ad contemptum Dei. Quapropter concupiscentiis in se impugnandis, & charitati fovendæ indesinenter incumbere debet quicunque Christo tanquam discipulus adhærere desiderat; hinc illud Apostoli *Gal.* 5. *v.* 2. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, id est, qui ad Christum pertinent, spiritum mundi crucifixerunt: quia teste Joanne *Epist.* 1. 6. 2. *v.* 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* Hinc consentaneum est, quòd in mundo civentes, & mundo utentes, meminisse debeant sibi fas non esse mundum, aut ea quæ in mundo sunt, diligere, juxta illud Apostoli, non tantùm Religiosis, aut Ecclesiasticis, sed omnibus qui in mundo sunt, & etiam qui uxoribus utuntur, inclamatum: *Reliquum est, ut & qui habent uxores tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi*, 1. *Cor. cap.* 7. *v.* 29. & 30 Denique qui Christi esse volunt, debent hoc in se sentire, quod & in Christo Jesu; id est, eadem, quæ ipse dilexit, diligere, & quæ respuit, respuere, juxta illud Apostoli *ad Rom.* 8. *v.* 9. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Has Evangelii sententias (quas omnes Christianos observare debere sufficienter ostensum est) & illud vitæ Christianæ exemplar, cui vitam suam conformare debet quicunque Christi discipulus esse desiderat juxta illud Joannis *Ep.* 1. *cap.* 2. *v.* 6. *Qui dicit se in ipso* (Christo) *manere, debet, sicut ille ambulavit, ipse ambulare.* Has, inquam, sententias & vitæ exemplar qui serio perpenderit, non difficulter intelliget ex his quæ subjungimus, qua ratione status Religiosus plurimùm conducat, ut quis vitam verè christianam ritè instituat.

Primò quidem certum est, quòd hominibus vitam in seculo verè christianam vivere desiderantibus, plurimum difficultatis inserat mundanorum conversatio, quam ex integro evitare nequeunt, qui vitam communem sectantur. Cùm enim homines mundani pleni sint spiritu mundi, & amore sui, omnibus, qui Christi spiritu aguntur & secundum illum vivere desiderant, admodum contrarii sunt: quo natum est fieri, ut illi hos sibi similes reddere studeant, quo ulterius fit, ut in his spiritum Christi extinguere & suum supponere omnibus modis satagant, & quanquam id studio non facerent, prava tamen eorum exempla sufficiunt, ut benè viventes corrumpant, juxta illud Scripturæ: *Psalm.* 105. *v.* 35. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.*

Accedit, quòd in mundo conversantes innumeris penè legis Evangelicæ prævaricatoribus & transgressoribus sint circumvallati; quo non rarò fit, ut peccata non agnoscant; quin potiùs factà sui cum aliis sibi conviventibus comparatione de vita, licêt adhuc planè imperfecta, quinimò sæpius ab ea quam Evangelium requirit, multùm distante, quia tamen minùs mala quàm illorum quibuscum vivunt, sibi abblandiantur, & securitatem promittant.

Adversus hæc inimici tela status Religionis suppeditat scutum solitudinis, dum alumnos suos cogit in latebris Monasterii à mundi tumultibus & mundanorum conversatione vitam juxta Christi regulam instituere.

Hoc unico scuto prædictis omnibus mundi tentationibus magna ex parte occurritur, & quidem tantò efficaciùs quanto solitudo amatur impensiùs. Hinc SS. Religiosi tanto illius amore fuêre succensi, ut non sine magno horrore & urgente necessitate mundanorum conversationem admiserint. Quinimò legimus Religiosos nonnunquam petitis à Sede Apostolica privilegiis sibi cavisse, nec in suis secessibus sive Ecclesiis Episcopus Missam publicam dicere posset; ne occasio præberetur popularibus conventibus, quibus eorum læderetur solitudo; & segregatio ab hominibus mundanis vel minimum deminueretur, ut ex S. Gregorio aliisque ostendit Card. Bona *lib.* 1. *de Rebus Liturg. cap.* 13.

Secundò, quandoquidem ex antedictis constet omni Christiano mandatum esse, ut post concupiscentias suas non eat, sed diligat Dominum Deum suum ex toto corde &c. facilè apparet quàm difficulter Christianus vocatione, qua vocatus est, ambulare possit, dum inter ipsa concupiscentiarum objecta & irritamenta vivere cogitur. Licet enim creaturarum modicus usus sit licitus; faciliùs tamen ab usu multarum rerum totaliter abstinetur, quàm in usu non exceditur: & quidem cùm inter sensibiles delectationes nullæ magis afficiant, & animum à Deo retrahant, quàm carnales illæ, quæ & venereæ dicuntur; natum est fieri ut qui eis utuntur, plurimùm in vitæ christianæ perfectione impediantur, unde juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 186. *art.* 4. *ad* 2. infirmiores non debent præsumere se tantæ esse virtutis, ut cum matrimonio possint ad perfectionem venire.

Hoc rursus ex capite status religiosus ad vitam christianam faciliùs peragendam conducit, dum hic concupiscentiæ carnis irritamenta per votum castitatis ab alumnis suis totaliter excludit: maximè si media, quæ religiosa providentia pro voti illius custodia præscripsit, proprius expendamus. Imprimis prohibet mulieribus ingressum in Claustra virorum, & in mulierum viris. Vetat ciborum cupidines, & lautiora convivia: & ex adverso præcipit varias corporis castigationes & emacerationes, jejunia, vigilias, oculorum, aliorumque sensuum custodiam, & his similia, quibus carnis concupiscentia potenter reprimitur & crucifigitur.

Tertiò, quemadmodum magnæ & raræ artis est continuò versari inter spinas, & ab eis non lædi; ita summæ virtutis est, inter divitias, quæ ipsâ veritate testante spinæ spirituales sunt, versari & ab eis animum custodire illæsum: unde virum divitiis affluentem, nec tamen cor eis apponentem, neque in pecuniæ thesauris sperantem *beatum* quidem deprædicat Scriptura, dum ait *Eccl.* 31. *v.* 8. & 9. *Beatus dives, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris*; sed ut ostendat rem esse mirabilem possidere aurum, & post aurum non abire, subjungit: *Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.*

Sed quid opus pluribus difficultatem, quam secum trahit divitiarum possessio, probare, cùm ipsius Christi infallibile habea-

beamus assertum, dum dixit *Luc.* 18. *v.* 24. & 25. *Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt: facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Deinde eadem Veritate docente *Matth.* 13. *v.* 22. Fallacia & deceptio divitiarum verbum Dei in corde seminatum suffocant.

Ab hac rursùs difficultate & periculo alumnos suos liberat status religiosus, dum per voluntariæ paupertatis votum eos omnem rerum terrenarum proprietatem abdicare obligat, & tanquam pauperes à Superioribus necessaria sperare jubet: quo fit ut minus illis periculi immineat, juxta illud Augustini à S. Thoma relatum 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 4. *in Corp. Terrena diliguntur arctiùs adepta quàm concupita.*

Sed non tantùm ea, quæ exteriùs nos circumstant, vitæ christianæ impedimenta sunt, sed vel maximè ipsa anima sibi impedimento est, tum ratione vanæ & inquietæ curiositatis, qua scire cupit omnia merè ut sciat, tum ratione appetitûs propriæ potestatis & excellentiæ, quam diabolus primorum parentum, & ab ipsis descendentium cordibus infixit, dum dixit: *Eritis sicut Dii.* » Ab illa enim primæ prævaricationis angustia » (inquit S. Bernardus *Serm.* 4. *de Divers. num.* 4.) innatus » est homini amor propriæ voluntatis, quæ voluntatem sui Crea» toris reliquens, ibi subdita est servituti, ubi voluit dominari. « Ex quo fit ut eam delectet sui ipsius esse, nec alteri subjici velit; quæ eo periculosiora sunt, quò subtiliora & magis occulta. Adversus hæc tamen & ipsa religiosa & luminosa charitas remedium adinvenit, promptam scilicet obedientiam, quam religiosus propriæ voluntati renuntians sui arbitrii & suæ potestatis, imò quodammodo *suus* esse desinit, & fit *alterius*, cujus instructioni & directioni subditur propter Deum.

Postremò, si vita christiana, ut docet Synodus Trid. debeat esse *continua pœnitentia*, non difficulter intelligitur, quàm parum conveniat vitæ chistianæ mundi conversatio, non tantùm quia inter mundanos pauci reperiuntur opera pœnitentiæ assumentes; ex quo contingit ut in seculo communem vitam agentes, aliorum exemplo ad pœnitentiam non excitentur; sed vel eò magis quod innumeri sint pœnitentiæ osores; imò nihil mundo proponatur aut audiatur ingratius, quàm ipsum pœnitentiæ exercitium. Hinc fit, ut, qui in mundo versantur, licet à pœnitentiæ exercitio non planè essent alieni, ab illa tamen exemplo aut obloquio mollem vitam viventium facilè retrahantur. At è contrario hoc rursus titulo admodum conveniens est vitæ christianæ status religiosus, qui ob innumera & quotidiana in illo occurrentia pœnitentiæ exercitia, à sanctis Patribus *status pœnitentiæ* dictus fuit; quare nihil olim frequentius quàm lapsos in crimen aliquod in Monasteria tanquam pœnitentiæ loca adigere; quod & ex plurimis locis Decretalibus Greg. IX. insertis videre licet. Unde illud S. Thomæ 2. 2. *q.* 186. *art.* 1. *ad* 4. *Status Religionis est convenientissimus pœnitentiæ locus.* Et quidem qui vitæ religiosæ idæam à S. Bernardo expressam attenderit, eam continuam fore pœnitentiam non difficulter fatebitur. » Ordo noster (inquit *Epist.* 142.) est esse sub magistro, » sub Abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri jejuniis, vigiliis, orationibus, operemanuum, » & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas. » Porrò in his omnibus proficere de die in diem, & in ipsis per» severare usque ad ultimum diem. «

Cui consonat quod referente Cardinale Bona, *Princ. vit. Chr. part.* 1. §. 40. dicebat quidem Sanctus: *Nullum esse Religiosum in cœlis, qui non fuerit Martyr in terris: vitæ quippe Religiosi ad præscriptum suæ Regulæ strictè viventis*, addit dictus Cardinalis, *incruentum martyrium.*

Et hæc quidem ad diminutionem cupiditatis præ reliquis statibus sibi vindicat status religiosus. Accedunt ad hæc, quæ directiùs tendunt ad augmentum charitatis, ut frequentes sacræ lectiones & diuturnæ meditationes, sedula illa divinarum laudum decantatio & oratio, aliaque pietatis exercitia adeo in illo statu frequentia, ut indè nomen acceperit, & ejus » alumni specia» liter *Religiosi* dicantur; quia totam vitam suam divino cultui » dedicant, à mundanis negotiis se abstrahentes, « ut ait S. Thomæ 2. 2. *q.* 8. *art.* 1. *ad* 5.

Hæc omnia ac plura alia, quæ ad vitam verè christianam peragendam tanquam instrumenta suppeditat status religiosus, si attendissent hujus temporis Sectarii, non eo temeritatis prorupissent, ut sanctissimum vitæ genus Deo auctore in Ecclesiam introductum tam nefariè condemnassent, sed potiùs dixissent cum S. Thoma, quòs status religiosus verè sit exercitium & disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis. Sed quia pœnitentiam aliaque vitæ christianæ exercitia oderant, mirum non est, si statum illa prescribentem odio habuerint; sed quicunque Spiritum Christi habent, aut habere desiderant, lubenter cum Lupo Abbate Ferrariensi *Epist.* 29. fatebuntur. » Quòd nullus intra sanctam Ecclesiam ordo sit, ubi » certiùs promerere Deum Fidelis animus possit, quàm si Mo» nasticæ disciplinæ studeat propositum integrè observare. «

§. III.

Ex natura & conditione proventuum Monasteriorum ostenditur jus sustentationis in Monasteriis opulentis esse spirituali annexum.

UNiversa, quæ in communem Monasterii substantiam sive ex Religiosorum labore & opera, sive ex ingredientium spontanea oblatione vel fidelium liberalitate conferuntur, primariò ac principaliter destinari in Religiosorum alimoniam ac sustentationem, non est, qui dubitet: ea est enim omnium offerentium sententia, ut ex rebus quas vel in constructione, vel in dotatione Monasteriorum offerunt, alantur illi, qui omnibus renuntiantes & mundi tumultum atque illecebras fugientes, ad Monasteria tanquam ad tutissima salutis asyla se conferunt; horum, inquam, inopiam Fideles per bona sua temporalia sublevare desiderant, ut ipsi Justorum mercedem recipere mereantur.

Hanc esse Fidelium bona sua offerentium voluntatem ex ipsis fundationum ac dotationum monumentis videre licet; quorum pene innumera occurrunt in libris, qui inscribuntur; *Bibliotheca Cluniacensis*, *Cisterciensis*, *Præmonstratensis*, *Gallia Christiana*, *Monasticon Anglicanum*, *Italia sacra*: item in Codice donationum, & Diplomatibus Belgicis Auberti Miræi.

Similiter illa, quæ ex labore aut opera Religiosorum proveniunt, in usus Fratrum primariò destinari probant Religiosorum Regulæ, quibus præcipitur, ne quis eorum opus faciat *peculiare*; sed quod operatur, illud operetur in *commune*, sive ut communitati cedat: hinc illa Canonistarum regula: *Quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit.*

Quapropter conformiter ad ipsam conditionem & naturam bonorum, seu proventuum Monasteriorum, tum in Ecclesiæ Canonibus, tum Patrum regulis præcipitur, ut ipsi Superiores, quibus bonorum dispensatio conceditur, omnia quæ necessaria sunt, ex communi Monasterii substantia subditis subministrent. Unde bene notat Dionysius Carthusianus *lib.* 1. *De Sim. art.* 11. » Quòd recipiendo aliquem ad Ordinem seu vitam communem, » *& eorum quæ habent, faciant eum participem, secundum ins*» *titutionem & intentionem SS. Patrum, qui Ordines funda*» *verunt.* «

Hinc & illud S. Gregorii in Decretalibus Gregorii IX. ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum: » alicui Monasterio nec » tu, nec Presbyteri tui, præter diligentiam, aliquid molestiæ » inferatis. Aut si quid illic pro diversorum devotione accesserit, » vobis vindicare æstimetis: *Cùm Monachis ibi servientibus de*» *beat proficere, quidquid à fidelibus taliter offerri contingit.* «

Prædictis forsitam opponet quispiam bona Monasteriorum passim in sacris Canonibus, Patrum scriptis, nec non fundationum Chartis *patrimonium pauperum* nuncupari, ac per consequens, potiùs pauperibus quàm Religiosis esse impendenda. R. Non diffiteor proventus Monasteriorum, quemadmodum & ipsa Ecclesiæ bona, secundum piorum Fundatorum & Ecclesiæ intentionem passim nuncupari *bona pauperum*, & ut talia esse consideranda & dispensanda juxta illud Concilii Vernensis, ann. 844. *Can.* 12. *Certè, quòd nullus quanquam impudentissimus negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est Fidelium,* PATRIMONIUM PAUPERUM, *redemptio animarum.* Verum sicuti bona Ecclesiæ vere dicuntur *bona pauperum*, licèt ex illis ante omnia Clericis sive ministris Ecclesiæ necessaria sint subministranda, ita proventus Monasteriorum verè dicuntur & sunt *bona pauperum*, tametsi etiam ex justitia ex illis suppeditari debeat quidquid necessitati Religiosorum congruit: rectè, inquam, dicuntur *bona pauperum*, quia vel illa impendenda sunt illis, qui *pauperes* de seculo egressi, *pauperum* vitam in Monasterio agere elegerunt, vel si quid superest, in aliorum *pauperum* alimoniam, aut *misericordiæ* opera juxta Fundatorum & Ecclesiæ intentionem sunt eroganda; ut inter alios nitidissimè expressit piissimus ille Cluniacensium Fundator Guil. Dux Aquitaniæ, qui postquam diutiùs secum deliberâsset, quomodò per divitias temporales, æternas mercari posset: » Hoc nullâ spe» cie vel modo posse fieri videtur, ait, nisi, *ut juxta Domi*» *ni præceptum*, amicos mihi faciam *pauperes ejus*, utque hu» jusmodi actio non ad tempus, sed continuè peragatur, monas» tica professione congregatos ex propriis sumptibus sustentem. » Ea siquidem fide, ea spe, ut quamvis ipse cuncta contem» nere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos justos » credo, susceperim, justorum mercedem accipiam... *Præci*» *pimus siquidem, ut maximè illis sit hæc nostra donatio ad* » *perpetuum refugium*, QUI PAUPERES DE SECULO EGRESSI NI» HIL SECUM PRÆTER BONAM VOLUNTATEM ATTULERINT, » *ut nostrum supplementum, sit abundantia illorum. In Test.* » *tom.* 9. *Conc. pag.* 565. *edit.* 1671.

Voluit igitur Cluniacensium Patronus bona sua in illorum, qui mundum contempserunt, & de seculo pauperes sunt egressi, utilitatem ante omnia impendi, reliqua verò quæ hisce detrac-

tractis superesse contigeris, in misericordiæ opera impendi debere declarat his verbis : » Volumus etiam ut nostris successo» rumque nostrorum temporibus, prout opportunitas atque pos» sibilitas ejusdem loci se dederit, quotidiè opera misericordiæ » pauperibus indigentibus, advenis, peregrinantibus, summâ » intentione exhibeantur. «

Hanc Fundatorum intentionem brevi verborum periodo in Regula sua *cap.* 42. expressit B. Aelredus : » Ea, inquit, quæ » in usus Servorum Christi Monasteriis conferuntur, & certis » personis dispensari oportet ; ut quod necessitatibus superest » Fratrum, non includatur marsupiis, sed hospitibus, pere» grinis, atque pauperibus erogetur. «

Ex his omnibus conclude ; quòd quicunque ad Religionem recipitur, jus acquirat ut sibi necessaria de communibus Monasterii proventibus suppedittentur, non secus ac Clericus per receptionem in numerum Canonicorum jus ad temporalem Præbendam acquirit : ex quo ulteriùs consequitur, jus sustentationis *consequenter* annexum esse spirituali seu statui religioso (loquor de Monasteriis sufficientibus) sicuti Præbenda *consequenter* annectitur Officio Canonicali.

Insuper ex hactenus dictis consectarium est, quòd Monasteria teneantur secundum quantitatem proventuum recipere Religiosos ; quandoquidem ea sit natura & conditio proventuum Monasteriorum, sive Fundatorum, sive Ecclesiæ intentionem spectemus, ut ex illis sustententur qui de seculo egressi vitam religiosam eligunt, & secundum illam Deo famulari desiderant, evidens est quòd ex justitia Monasteria teneantur admittere secundum quantitatem proventuum, quos Spiritu Sancto movente ac instigante vitam religiosam desiderare intelligunt ; ut his bona Monasteriorum secundum Fundatorum intentionem impendantur ; aliàs enim proventus Monasteriorum non dispensarentur in usum quem primariò Fundatores intenderunt.

„ Hinc Synodus Parisiensis *Ann.* 1212. *Can.* 22. indignum » nimis judicabat, quòd in quibusdam Prioratibus numerus Mo» nachorum ibidem Deo servientium diminueretur, cùm ipsæ » facultates non sint imminutæ aut diminutæ. «

Hæc tamen intelligenda sunt de numero Religiosorum, qui cum ipsa disciplinæ regularis custodia consistere potest : contingere enim posset, ut ea esset proventuum alicujus Monasterii abundantia, ut si reciperentur tot Religiosi, quot ex proventibus sustentari possent, ea foret multitudo, ut verendum esset ne ex illa multitudine regularis disciplina dispendium pateretur ; quo casu ad numerum convenientem Religiosi recipiendi, & quod superest in alia misericordiæ opera juxta antedicta impendendum est.

§. IV.

Ex dictis §. 3. ostenditur, quòd sit Simoniæ quidpiam exigere pro statu religioso aut jure sustentationis, dum Monasterium est sufficiens ad sustentandum ingredientem.

OStendimus §. 1. quòd Status Religiosus sit spiritualis in quantum est institutus tanquam exercitium accommodatissimum pertingendi ad Evangelicam perfectionem ; ex quo evidenter consequitur esse Simoniam dare, aut accipere aliquod temporale, ut quis ad statum illum admittatur.

Ulteriùs probatum est, §. 3. proventuum Monasteriorum eam esse conditionem & naturam, ut ex illis necessitati Religiosorum primò, & ante omnia provideri debeat, & quod reliquum est, in opera misericordiæ impendi ; ex quo ulteriùs consequens esse ostendimus quòd receptio ad Religionem secum trahat jus sustentationis ex bonis Monasterii, sicuti receptio alicujus ad congregationem Canonicorum dat jus ad præbendam temporalem ; sive quod hoc ipso quo aliquis factus est membrum Congregationis religiosæ, consequatur jus participandi de rebus communibus Monasterii, quemadmodum quis accipit jus participandi de fructibus communibus Capituli hoc ipso quo admissus est ad congregationem Canonicorum. Ex quo rursus intulimus jus sustentationis *consequenter*, aut ajunt, esse receptioni ad Religionem annexum.

Ex quibus in præsenti concludimus, quòd pro jure sustentationis temporale dari, aut accipi non possit, nisi illud pro spirituali admissione, scilicet ad Religionem, detur aut accipiatur : siquidem » rebus istis (spiritualibus *consequenter* an» nexis) venditis, inquit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. » *in Corp.* intelliguntur ETIAM SPIRITUALIA VENDITIONI SUB» JICI : *Quia quisquis horum alterum vendit*, teste Paschali II. » *sine quo nec alterum provenit*, NEUTRUM INVENDITUM DE» RELINQUIT. « *Caus.* 1. *q.* 3. *Can.* 7.

Hinc B. Petrus Damiani duos Cappellanos Ducis Gothofredi *pertinaciter* dogmatizantes prædiorum Episcopalium possessionem seorsim à dignitate Episcopali pretio comparari posse, tanquam perniciosæ Simoniacæ Hæreseos defensores, imo Prædicatores & Apostolos Anti-Christi coram Alexandro II. accusavit. *Lib.* 1. *Epist.* 13.

Nec immeritò tanto fervore hanc Capellanorum novam doctrinam insecutus est S. P. Damiani ; sciebat quippe Vir Sanctus quod simili palliatione, ut loquitur Dionysius Carthusianus, *lib.* 1. *de Sim. art.* 11. posset penè omnis simoniaca pravitas excusari : cùm enim Simonia sit naturalis avaritiæ filia, quis pro spiritualibus ipsis pecuniam accipere vellet, modo sine vitio pro temporalibus annexis eandem accipere posset ? Imò si venditis temporalibus rei spirituali *consequenter* adjunctis, ipsa res spiritalis vendita non censeretur, injustè S. Petrus in ipsum Simonem Magum hanc evibrâsset sententiam : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti* DONUM DEI PECUNIA POSSIDERI : immeritò, inquam, in Simonem hæc pronuntiata esset sententia : quia teste Urbano II. Simon Magus, » non Spiritum propter Spiritum Sanctum, quo ipse erat indig» nus, sed ideò, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex » venditione signorum, quæ per ipsum fierent, *multiplicatam* » *pecuniam lucraretur.* Nec Apostolus emptionem Spiritus » Sancti (quam benè fieri non posse noverat) sed ambitionem » quæstus talis & avaritiam, quæ est idolorum servitus, in eo» dem Simone exhorruit & maledictionis jaculo percutit. « *Caus.* 1. *quæst.* 3. *Can.* 8.

» Si ergo adhuc objicitur (verbis loquor Gratiani. *Caus.* 1. » *quæst.* 3.) quòd qui *ingressuri Monasterium* pecunias tri» buunt, *non propositum religionis, sed participationem stipen» diorum Ecclesiæ emunt* ; temporalia ergo non spiritualia emen» tes, nequaquam Simoniaci habendi sunt. His itaque respon» detur (verba sunt Gratiani) non solum quia spiritualia, sed » etiam qui *temporalia eis annexa* pretio accipiunt vel tribuunt, » simoniaci judicantur. «

Sed dicet quispiam, proventus Monasteriorum uti & Capitulorum sunt temporales & à spirituali separari possunt, adeoque illis venditis spirituale venditum dici non debet. R. Verum esse proventus Ecclesiæ vendi posse & quotidie sine ullo vitio alienari ; sed non agitur hinc simpliciter de ipsis fructibus seu proventibus, sed de jure vivendi ex rebus Monasterii aut Capituli, tanquam membrum Monasterii aut Capituli ; hoc verò jus acquiritur hoc ipso quo quis membrum Communitatis efficitur, nec obtinetur nisi quis membrum illius fuerit effectus ; adeoque habere jus participandi de rebus Monasterii (loquor de Monasterio sufficienti) & esse membrum illius Monasterii, sunt taliter sibi conjuncta, ut unum sine altero haberi nequeat, ac per consequens *uno eorum vendito & alterum venditum censetur.* » Itaque spiritualibus istis primò gratis exhi» bitis non possunt Religiosi à recepto aliquid temporale exi» gere per modum debiti persolvendum aut exhibendum, (ut » rectè notat Dionysius Carth. *lib.* 2. *de Sim. art.* 4.) nec tan» quam pretium Religionis NEC TANQUAM SUSTENTACULUM VI» TÆ, *ad quod exhibendum jam seipsos obligaverunt.* Impu» dentissimum proinde eorum prætextum detestamur, « (ut verbis Concilii Remensis loquar *anno* 1583. *tit. de Sim.* §. 6.) » qui de solo proventu reque temporaria Canonicatûs (addo sta» tûs Religiosi) se pacisci dicunt, cùm ea spirituali tam arcto » sit annexa vinculo, ut non magis ab ea divelli queat, quam » in homine vivo manente corpus à sua anima. «

Ex dictis §. præcedenti consectarium quoque est, impudentissimum similiter esse prætextum, quo Monasteria sufficientia exactionem dotium justificare student, quia eos non quidem pro jure sustentationis, sed ad *avertendum incommodum*, quod ex receptione alicujus ad Religionem Monasterio imminet, se accipere dicunt : hunc, inquam, prætextum jure dici impudentissimum non difficulter dicta §. præcedenti ostendunt ; cùm enim proventus Monasteriorum primariò, & principaliter ex Offerentium & Ecclesiæ intentione destinati sint, ut ex illis sustententur, qui vitam religiosam agere eligunt, nullum vel apparens detrimentum imminens ex receptione alicujus ad Religionem Religiosi prætendere possunt, sed è contra lucrum ; immò & summam causam gaudii reputare debent, si quos cognoscant à Spiritu Sancto moveri & impelli, ut vitam religiosam unà cum ipsis agant & juxta Fundantium mentem ex proventibus Monasterii necessaria accipiant. Nec enim charius aliquid Religiosis accidere posse videtur, quàm ut plures de medio mundi, id est, de medio Babylonis fugientes ad Monasteria tanquam securissima salutis asyla suscipere queant, & quibus, quod professorum Religiosorum necessitatibus superest, ex voluntate Fundatorum impendere possint.

CA-

CAPUT II.

DISCUTITUR TITULUS, QUO PRAXIS HODIERNA MULTORUM IN BELGIO MONASTERIORUM, QUÆ RECIPIENDI MONACHI DOTEM NON SOLUM SPONTE OBLATAM ACCIPIT, SED ET EXIGIT, AC DE EA STIPULATUR, AB OMNI LABE SIMONIÆ PER ALIQUEM NUPER VINDICARI CŒPIT.

§. I.

Proponitur illa doctrina.

NOn possum accuratius titulum illum, seu doctrinam referre quàm ipsis verbis Eximii Patris Christ. Lupi qui postquam ex Can. 10. Concilii Nicæni II. aliisque Conciliorum & Pontificum decretis ostendit omnem in monastico ingressu, aut professionis exactum pretium de Simonia esse damnatum; varias quoque easque gravissimas pœnas tam dantibus quàm recipientibus fuisse inflictas, tandem subjungit: » Verùm » *hodierna multorum in Belgio Monasteriorum praxis recipien-* » *di Monachi dotem, non solummodo sponte oblata accipit; sed* » *& exigit, ac de illa stipulatur. An igitur Simoniâ laboramus?* » *Respondeo*, inquit, *non laborare.* Fundamentum sui responsi » subjungit: Etenim Catellum Mauritii Augusti Palatinum, ad » Virgantini Monachi, qui duntaxat lectioni vacare poterat, & » non manibus laborare, expensas exigenti Monasterio de ma- » ternis illius bonis solvendas coëgit S. Gregorius Magnus. Joan- » nes Romæ ad Sanctum Andream in Clivio Scauri Monachus » obierat; hinc de ejus hæreditate est orta contentio inter ejus » Fratrem Mauritium militiæ Magistrum, & Candidum Abba- » tem agentem utilitates sui Monasterii. Eam transactione tan- » dem finierunt, ipsamque probavit & firmavit laudati Monas- » terii Fundator idem Gregorius.

» *Quomodo* pergit Exim. P. Lupus, *post mortem, ita ante* » *Joannis professionem omnino transigere ac stipulari potuis-* » *sent*? Causam scribit idem Pontifex ad Januarium Metropoli- » tanum Calaritanum: *Quia ingredientibus Monasterium con-* » *vertendi gratiâ, ulteriùs nulla sit testandi licentia, sed res* » *eorum ejusdem Monasterii juris fiant, aperta legis defini-* » *tione decretum est.* Est Lex Justiniani Augusti extans in Co- » dice, ut non liceat parentibus impedire, quominùs liberi eo- » rum volentes Monachi fiant, aut eam ob solam causam ex- » hæredare; sed si ipsi testamentum condant, necesse haben- » to quadrantes illis relinquere: sin autem hoc fecerint, locus » sit ab intestato. Quod si illi Monasteria relinquant, atque » mundani fiant, omne ipsorum jus ad Monasterium pertineat. » Quod ipsum, progreditur Auctor, confirmant in Lege No- » vella ad Joannem Orientalium Pretorium Præfectum, & in » alia ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum, exci- » piens solum casum filiorum legitimorum, quibus à Patre Mo- » nacho relinqui vult quartam patrimonii partem. Religiosa ita- » que professio non solummodo Monachi personam ac bona » præsentia, sed etiam omnem futuræ hæreditariæ successionis » spem transfundit in Monasterium pleno ac immobili jure, is- » tasque leges, uti à Sancto Gregorio audivimus, recepit ac » semper servavit Ecclesia Romana.

» Porrò apud Belgas viget jam pridem Nicephori Phocæ » Imperatoris Constantinopolitani Lex de qua Gregorius Ce- » drenus. *Nicephorus donationes Monasteriis, atque templis* » *relictas à piis quibusdam Imperatoribus prorsus abolevit, lege* » *etiam latâ; ne Ecclesiæ immobilibus locupletarentur bonis,* » *causatus Episcopos malè prodigere ea, quæ pauperibus da-* » *rentur, militibus interim deficientibus.* In qua quidem Pro- » vincia vocatur lex amortizationis, de qua tacere sit satiùs, ne, » quod & Sanctus Ivo Carnotensis Episcopus timuit, aut Do- » mini Regis offendamus Majestatem, aut Matris Ecclesiæ liber- » tatem. Quidquid sit, Monasteria, quæ piissimus Dominus » Rex suis juribus excedere nunquam voluerit, in Monacho- » rum suorum hæreditatem non possunt succedere, adeoque *an-* » *te illorum professionem de ipsa cum parentibus, aut aliis con-* » *sanguineis stipulantur, accipiuntque quid præsentis & modi-* » *ci pro grandi futuro. Non itaque de monastici ingressus aut* » *professionis*, SED DE SPECTANTIS AD NOS HÆREDITATIS » PRETIO PACISCIMUR, UBI NULLA VEL SPECIES EST SIMONIÆ. » Opulenta & Fratrum suorum sufficientem sustentationem ha- » bentia Monasteria ad summum de avaritia notari possunt.« Hactenus Eximius Pater Christ. Lupus *Part.* 2. *Schol. ad Canon.* 19. *Concilii Nicæni II.*

§. II.

Ostenditur quòd triplici ex capite argumentum §. præcedenti exhibitum primo intuitu de falsitate sit suspectum.

PRiusquam argumentum §. præcedenti exhibitum penitùs discutiam, triplici ex capite etiam primo intuitu de falsitate suspectum esse ostendam: pro quo notandum, antiquorum omnium tam Theologorum quàm Canonistarum unanimi consensu habitum fuisse Simoniacum quidquam exigere ab ingressuris Religionem quando *proventus Monasterii sufficiunt ad alendum ingredientem*: legitur quidem à ducentis & ampliùs annis exorta fuisse contentio Dionysium Carthusianum inter & alium quemdam Doctorem in materia Simoniæ circa ingressum in Religionem, cujus quoque contentionis decisio ad judicium facultatis Theologicæ Parisiensis delata fuit; sed in controversia illa solum disputabatur, num Monasteria *sufficientia* ad alendum ingressurum pacisci possent citra vitium simoniæ de *necessariis* ad sustentandum ingredientem, quandoquidem, ut supponebatur, Monasterii opes ad ipsum alendum non forent sufficientes; quoad exactiones verò quæ fierent à Monasteriis opulentis aut sufficientibus ad alendum ingredientem, eas simoniacas esse nec dubitabantur; sed ut primò verum supponebatur, sicut ex ipso Dionysio Carthusiano & Decreto Facultatis Parisiensis videre licet.

Ab hac veterum Theologorum & Canonistarum sententia nec recentiores (si fortè unum aut alterum ex laxioribus exceperis) recesserunt, constanterque unà cum antiquis simoniæ condemnant Monasteria opulenta, seu sufficientia, si quidquam exegerint, ut ad Religionem admittant, quem ex ipsis communibus Monasterii proventibus alere possent.

Hinc factum est, ut etiam ipsæ Moniales quo suas exactiones in receptione ad Religionem à simonia vindicarent, & se à pœnis canonicis eximerent, non dubitaverint prætextum *paupertatis* tanquam unicum titulum, quo saltem apparenter factum suum palliarent, assumere: testis est ipsa Synodus generalis Lateranensis: » Simoniaca labes adeò plerasque Moniales in- » fecit, inquit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, » PAUPERTATIS *prætextu volentes, hujusmodi vitium palliare.*«

Cùm igitur argumentum §. anteriori propositum etiam ipsa Monasteria opulenta dotem ab ingressuris exigentia ac stipulantia eximat ab omni labe simoniæ, evidenter à semitis antiquis per argumentum illud receditur, ac per consequens hoc titulo falsitatis suspicionem ingerit; quia *novitas* non tantùm in doctrina fidei, sed etiam *morum* de falsitate semper fuit suspecta.

In illam proinde doctrinam, in quantum unanimi antiquorum, imò & recentiorum omnium (si unum alterumve forsitan ex laxioribus ad omnem *novitatem* quodammodo prurientibus, exceperis) sententia in materia *morum* contradicit, non malè quadrat illud S. Augustini: *Quid sibi vult ista* NOVITAS? *Nonne vobis videtur nescio quam redolere fallaciam?*

Insuper primo intuitu redditur doctrina illa de falsitate suspecta, quia per illam magna ex parte, si non in totum inutiles reduntur Conciliorum canones, ac Pontificum constitutiones quibus tanquam simoniacæ condemnantur, & sub gravissimis pœnis vetantur exactiones pecuniarum in admissione ad Religionem. Quæ enim erit illorum Canonum aut Constitutionum utilitas, si vera sit quæ §. præcedenti exhibita fuit doctrina? Quandoquidem per illam justificetur praxis *recipiendi Monachi dotem non solum sponte oblatam sed & exigendi ac de illa stipulandi*, idque non tantùm dum Monasterium est *pauper*, sed etiam quando est *opulentum.*

Imò per hanc suam doctrinam Exim. P. Lupus evidenter evertit Statutum Ordinis sui contra exactiones alicujus temporalis in recipiendis ad Ordinem, Comitiis General. Romæ anno 1625. habitis editum, & per totum Definitorium approbatum, & in *Constit. Eremit. S. Aug. part.* 2. *cap.* 1. tenori sequenti expressum: » Cum verò lepra simoniacæ pravitatis » infectus sit quasi membrum putridum, & à corpore Sanc- » tæ Matris Ecclesiæ alienum, omnibus & singulis Prioribus, » & quibuscunque Superioribus, ac aliis Fratribus nostræ Re- » ligionis strictè præcipimus & mandamus, *ut nullus ex eis* » *Fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, vel* » *ut recipiatur, consentiat vel permittat* RE ALIQUA ACCEPTA » VEL DETENTA, VEL PACTIONE ALIQUA INTERVENIENTE TA- » CITA VEL EXPRESSA: quod si quis immemor suæ salutis con- » tra fecerit, si officium habuerit cum cura animarum ipso fac- » to sit tali officio privatus, & ad aliquod officium cum præ- » dicta cura in nostro Ordine nullatenus assumatur, nisi su- » per hoc secum per Capitulum Generale fuerit dispensatum, » & per quinquennium voce activâ & passivâ careat. Quicun- » que verò Frater subditus inveniatur, simoniam in eodem casu » commisisse, eidem pœnæ subjaceat, & pœnam gravioris cul- » pæ per mensem sustinere cogatur.«

Denique titulus ille, quo P. Lupus hodiernam multorum Monasteriorum in Belgio praxim, quæ recipiendi Monachi dotem non tantùm sponte oblatam accipit, sed etiam exigit ac de illa stipulatur, ab omni simoniæ vitio imo specie vindicare conatur, ea ratione de insufficientia suspectus haberi debet, quòd titulus ille exigendi dotem à recipiendo ad Religionem nunquam hactenus ab Ecclesia pro medio, quo simoniaca labes è Monasteriis eliminaretur, propositus fuerit; certissimum tamen est, quòd sola & nuda hujus tituli propositione, si sufficiens esset ut exigentes dotem ab ingressuris Religionem à si-

monia liberaret, si non omnis saltem pro maxima parte simonia ex Monasteriis fuisset eliminata; quandoquidem enim Regulares per simoniacas suas exactiones seu stipulationes unicè intendant summam aliquam pecuniæ aut aliam rem temporalem accipere, nulla difficultate à contractibus simoniacis abstinuissent, modò illo titulo, quem legitimum prætendit P. Lupus, summam pecuniæ aut rem temporalem sine labe simoniaca potuissent obtinere; adeoque opus non fuisset tam frequenti Canonum renovatione ac pœnarum comminatione, ut vitium simoniæ à Monasteriis averteretur.

Cùm igitur pia Mater Ecclesia, cui Spiritus Sanctus suggerit omnia, quæ pro tempore magis opportuna & accomoda sunt ad vitiorum extirpationem, hunc titulum filiis suis pro medio vitandi simoniacam pravitatem nunquam proposuerit, meritò judicatur illum à Spiritu Veritatis non fuisse suggestum.

Hæc sunt quæ etiam primo intuitu sententiam Eximii Patris Christiani Lupi §. anteriori propositam de falsitate reddunt suspectam; quod verò nullo vel probabili nitatur fundamento, apparebit ex sequentibus.

§. III.

In compendio proponitur quid Imperator Justinianus statuerit circa successionem Monasterii in bona ipsius Monachi, & in hæreditatem Parentum ipsius Professi.

OMnia quæ Imperator Justinianus in *L.* 55. & 56. *Cod. de Episcopis & Cler.* observari voluit, circa successionem illius, qui Monasterio aut Clero adscribitur aut eo difficiente, ipsius Monasterii aut Ecclesiæ, cui fuit adscriptus in hæreditatem Parentum, eo reducuntur ut si Parentes testamentum condiderint, eandem debeant filiis Monasterio aut clero adscriptis portionem relinquere, quam assignare debuissent, si in seculo mansissent: si verò sine testamento decesserint, ipsi eo modo ab intestato succedant, quo succesissent, si ad Monasterium aut Clerum non divertissent: *nullo eis*, inquit, *impedimento ex Sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur.*

Idem Imperator tum in *Novell. de Monachis*, tum in ea, quam de *Sanctissimis Episcopis* inscripsit, nonnulla ordinavit circa modum, quo is, qui Monasterio aut Ecclesiæ adscribi desideret, de bonis suis disponere possit; item de jure quod Monasterium aut Ecclesia, cui quis sociatur, in bona illius acquirit; quæ omnia reduci possunt ad sequentes articulos.

Primum, si quis Monasterium ingredi aut Ecclesiæ adscribi desideret, & bona habeat, facultas illi relinquitur de illis disponendi, ac si ingressum non meditaretur.

Secundum, si ante ingressum de bonis suis non disposuerit, res illius Monasterio acquiri, licèt *expresse* eas Monasterio non obtulerit; nec amplius emissa professione de illis disponere poterit, utpote dominio earum rerum jam ad Monasterium translato.

Hæc quidem si is, qui ingressus est, liberos non habeat; sin autem liberos habeat, distinguit Imperator; ut si quidem antequam ingrediatur, ipsis legitimam reliquerit, in restantem partem succedat Monasterium.

Si verò nec in favorem liberorum, nec aliorum disposuerit ante ingressum, eo casu totum quidem summo jure acquisitum censetur Monasterio in favorem tamen liberorum permittitur ingresso, ut bona sua inter liberos distribuat, eâ tamen conditione ut propriâ suâ personâ filiis connumeratâ unam sibi modis omnibus partem retineat, quæ debeat *Monasterio competere*, cui omnia bona summo jure erant acquisita, dum de iis ante ingressum non disposuerat.

Circa parentum hæreditatem de Clericis similiter, & de Monachis decrevit Justinianus, ut nullum illis ex Monachali aut Clericali conversatione præjudicium generaretur, sed eo succederent jure, quo ii, qui in mundo militare maluerunt, & *nullum eis*, inquit, *impedimentum ex sanctimoniali conversatione generetur.*

§. IV.

Pro clariore intellectu Constitutionum Justiniani nonnulla annotantur.

PRimò notandum per *ingressum* in Monasterium, cujus non semel in prælegatis Justiniani constitutionibus mentio occurit, intelligi *professionem Religiosam*, & post Christinæum, Gudelinum, aliosque legum Interpretes, ex Legibus & Canonibus latè probat D. Mean. *ad Consuetud. Leod. observat.* 525. *n.* 8. & ex ipso textu græco originali ostendit Choppinus *lib.* 1. *Monast. tit.* 3. *n.* 3.

Secundo observandum, quòd ex Constitutionibus Justinianæis is qui Monasterium ingredi meditatur, ante *ingressum*, hoc est, ante *professionem* habeat, *quo vult modo, de bonis suis disponendi facultatem*, ut ipse Justinianus *Novella* 76. declarat his verbis: *Et quoniam nostræ pietatis lex vult eos, qui se Monasteriis dederint seu viros seu mulieres, antequam ingrediantur Monasterium, eo quo voluerint modo, quæ sua sunt, disponere.*

A mente Justiniani proinde non aberravit Irenæus, dum Authenticam ex novella Justiniani conflavit in hæc verba: *Nunc autem cum Monachus factus est, hoc ipso suas res omnes obtulisse Monasterio videtur*, SI PRIUS TESTATUS NON SIT: *& exinde de judicio ejus cessante lege disponitur, &c.* Authent. *Nunc autem, Cod. de Episc. & Cler.* quam in suum quoque decretum transtulit Gratianus *Can* 9. *Caus.* 19. *quæst.* 3.

Tacita ergo *dedicatione* bona ingredientis de jure communi ad Monasterium deferuntur; quæ tacita dedicatio colligitur ex non facta ante ingressum dispositione, ut proindè nihil juris in bona ingredientis, nisi de ejus voluntate, Monasterio competat.

Hæc quidem ad elucidationem eorum, quæ successionem Monasterii in bona ingredientis concernunt. Nonnulla, quæ juri Monasterii ad hæreditatem paternam ingredientis intelligendo conducant, restant notanda.

Notâ dignum est, quòd Justinianus non totam hæreditatem filio monachale vel clericale institutum assumenti relinqui velit, sed tantùm *quartam legitimam* eidem debitam si in seculo mansisset: *Nullo eis*, inquit, *impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur. L.* 56. §. 1. *Cod. De Episc. & Cleric.*

Nec minùs observari meretur, Justinianum hæreditatem Monasterio aut Ecclesiæ noluisse deferri, nisi ex persona Monachi vel Clerici, qui eisdem essent adscripti: ut si hi non successissent, si *Monachi aut Clerici facti non fuissent*; nec Monasterium aut Ecclesia ex eorum persona quidquam prætendere possit.

§. V.

Ostenditur, quòd ex dictis legibus Justiniani titulo transactionis, de quo P. Lupus, non possit hodierna multorum Monasteriorum praxis stipulandi dotem à recipiendis ad Religionem aut eorum parentibus, vindicari à labe simoniaca.

NOn difficulter, ut puto, mecum omnes agnoscent, titulo *transactionis super hæreditate futura* à simonia excusari non posse Monasteria, præsertim opulenta, si quempiam, qui nec ipse bona possidet, neque hæreditatem à parente exspectat, ad Monasterium admittere nolint, eo titulo, *quòd dotem conferre non possit*; cùm eo casu dotis stipulatio *super transactione de hæreditate futura* fundari nequeat: supponitur enim & ipse recipiendus esse pauper, & pauperes habere parentes, ac per consequens nullam hæreditatis (nisi fortè inanis) deferendæ spem superesse: si quid igitur simili casu exigitur, dici non potest id prætendi *tanquam quid modici præsentis pro grandi futuro.* Neque cum aliqua veritatis specie dicere poterunt: *non pro monastico ingressu aut professione, sed pro spectantis ad nos hæreditatis pretio* eximus.

Titulus proinde, quo dictus Auctor *hodiernam multorum in Belgio Monasteriorum praxim, quæ recipiendi Monachi dotem non solummodo sponte oblatam accipit, sed exigit & de ea stipulatur*, à vitio simoniæ absolvit, nullatenus praxim illam concernit, quâ nonnulla Monasteria à pauperibus, qui nec ipsi bona possident, nec à Parentibus exspectant, dotem exigunt, ni dent repellendi, mox admittendi, si quis piam extraneus dotem prætensam persolvere vel promittere velit.

Solùm ergo quæstio formari potest, num stantibus & vigentibus prælegatis constitutionibus Justinianæis praxis quorundam exigendi & stipulandi dotem recipiendi ad Monasterium à labe simoniaca immunis dici possit titulo *transactionis super jure hæreditatis*, dum dos exigitur ab eo, qui vel in præsenti bona tanquam propria possidet, vel post mortem parentum expectat.

Super bino eoque diverso jure transactionem, quâ praxis prædicta salvari possit, iniri posse prætendit sæpè dictus Exim. P. Christianus Lupus. Primò quidem super jure succedendi in bona ingredientis, quod Monasterio ex legibus Justiniani competit, *si ipse ante ingressum de illis non disposuisset.*

Secundò, transactionem iniri posse cum Parentibus *ut quòd præsentis & modici dent pro grandi futuro*, nimirum pro jure succedendi in eorum hæreditatem ad Monasteria ex persona Filii ingredientis devolvendam.

Ut porrò ostendatur, titulum istum *transactionis*, super uno aut altero jure fundatæ, esse merum simoniæ pallium, noviter, nescio quo fato, excogitatum, prænotandum, quòd juxta Juris Consultos.

Transactio sit conventio, per quam inter aliquos controversia sive quæstio quæpiam finitur aliquo invicem dato & recepto: ut proinde in transactione necessariò unus aliquid det, altero vicissim quid remittente; *Transactio* (inquit Lex 38. *Cod. De transaction.*) *nullo dato vel retento seu permisso minimè procedit.*

Ex

Ex hac transactionis descriptione consequens est, quòd Monasterium, ut quidpiam ab ingrediente titulo *transactionis exigat*, debeat vicissim tantum de jure, quod prætendit, remittere, quod ipsi pretio exacto respondeat. Jus verò, super quo Monasterium cum ingrediente transigere prætendit, est jus, quod Monasterium haberet ad bona ingredientis post professionem emissam, cui juri incerto renuntiat, ut prætendit P. Lupus, acceptâ ab ingrediente summa peccuniæ, quæ remissioni illius juris æquiparetur, atque ita transactio prætensa absolvitur.

Verùm quàm injuste, etiam stantibus legibus Justinianæis, temporale quidpiam pro remissione illius juris sub prætextu transactionis à recipiendo Religioso extorquatur, facilè videbimus, si ad ea, quæ §. 4. dicta sunt, attendamus.

Ex dictis enim ibidem constat, quòd Justinianus liberam permiserit ingredientibus Monasterium, ante ingressum, id est, professionem, de bonis suis quomodolibet disponendi facultatem; nec bona ingredientis ad Monasterium devolvi, *nisi cessante contrariâ ingredientis dispositione*. Ut consequenter dependeat à mero ingredientis beneplacito Monasterium à bonis suis excludere, eaque ad alios transferre, atque ita jus omne, quod Monasterium possit prætendere, eidem adimere: ex quo ulteriùs consectarium, quòd Monasterium extorquens summam pecuniæ, ut renuntiet juri, quod habet ad bona ingredientis, procedat eodem modo, quo ille, qui pecuniam prætenderet titulo *transactionis* pro remissione alicujus juris, quod etiam nullo dato pro nutu suo adimere potest; quo quid injustius, ne dicam stultius esse potest: quod sequenti exemplo huic materiæ apposito ulteriùs ostendo.

Ex consuetudine multarum Ecclesiarum, quin & Capitulorum statutis, bona, saltem mobilia Canonicorum morientium, pertinent ad Canonicos, nisi per aliquam voluntatis suæ contrariam declarationem Capitulum excluserint: si, inquam, secundum prædicta statuta Canonici prætenderent summam aliquam pecuniæ à novo Canonico recipiendo, titulo *transactionis super jure, quod ad mobilia ejus sunt habituri*, casu quo sine ulla voluntatis suæ declaratione decederet; nullus non videt, quod ejusmodi Canonici meritò à novo Canonico exploderentur & deriderentur, cùm statim quocunque modo disponendo, prætensum Canonicorum jus extinguere, & per consequens materiam transactionis subtrahere posset.

Sed si ulterius Canonici urgerent recipiendum in Canonicum, ut data notabili summa pecuniæ transigeret, vel nisi transigat, ipsum ad suum Collegium non sint admissuri; non dubito, quin prædicti Canonici omnium consensu apertissimæ & turpissimæ simoniæ rei pronuntiarentur, cùm ad oculum pateat, eam summam pecuniæ extorqueri, ut ad Collegium recipiatur, non pro jure, quod ad bona illius Capitulum habet, cùm illud vel per contrariam voluntatem sit sublatum, aut si non ademerit, ab ejus beneplacito dependeat illud mox etiam *nullo dato* adimere.

Similiter Religiosi, dum recipiendum ad Monasterium recipere nolunt, nisi data summa pecuniæ pro jure succedendi in bona illius post professionem, eam ipsam prætendunt pro jure vel quod jam sublatum est, si recipiendus jam tum in contrarium disposuerit, vel quod *nullo etiam dato* pro beneplacito suo adimere potest; adeoque necesse non est, ut quid offerat, aut donet per *modum transactionis*, ut Monasterium jus illud ipsi remittat.

Eadem ratione evertitur titulus transactionis, quo Exim. P. Lupus prætendit Monasterium posse exigere quidpiam *modici pro futura hæreditate paterna*, quæ Monasterio ex persona filii professi esset obventura.

Imprimis nullum jus est Monasterio ad hæreditatem paternam ante filii professionem, adeoque ante eam emissam super jure illo transigere non potest. Sed dicet quispiam: Spes est, quòd, postquam Filius emiserit professionem, jus futurum sit Monasterio ad hæreditatem paternam: hoc verò jus in spe est prætio æstimabile, adeoque illud remittendo potest in ejus compensationem, *quid modici præsentis pro grandi futuro accipere*. ℟. Imprimis nequidem professione emissa jus est Monasterio ad bona paterna, etiam spectato jure Justineanæo; nec enim ante mortem naturalem Patris jus illud ex persona Filii ad Monasterium defertur; quare si filius Patri præmoriatur, nihil juris ad hæreditatem Monasterio acquiritur, cùm non nisi ex persona filii Monasterium juxta leges Justiniani parentibus succedere, ante fuerit ostensum.

Hanc juris incertitudinem si quis attentiùs expendat, facilè videbit, quàm exiguum sit futurum, quo passim Parentes jus illud incertum redimere vellent, præsertim attento, quòd jus illud adeo incertum ad summum *legitimam* filii concernere possit: indubitatum quippe est, quòd Pater filio relinquere *legitimam*, à reliqua hæreditate Monasterium excludere possit.

Saltem, reponet quispiam, pro spe illa, quòd legitima aliquando Monasterio ex persona filii sit obventura, exiguum aliquid à parentibus ingredientis titulo *transactionis* exigi & stipulari poterit. ℟. Nec ad hoc dandum citra vitium simoniæ parentes adigi possunt; à libera enim parentum dependet voluntate, num jus illud, quod ad *legitimam* quandoque Monasterio competere posset, *dato aliquo præsenti* viâ transactionis redimere velint; num incertam eventûs aleam sustinere malint: transactio quippe est species conventionis, quæ ut ajunt Juris-Consulti, ab initio est voluntatis, ex post facto necessitatis, cui consequens est, quòd, si eligant parentes, ut potiùs Monasterium simul cum reliquis prolibus ex persona filii ingressi ad legitimam concurrat, casu quo eidem deferatur, quàm ante filii professionem illud jus futurum & incertum *dato aliquo præsenti* redimant, ipsi sine manifesta simonia ad dandum cogi non possint: nam eo casu parentes cogerentur ad aliquid dandum, idque *ut filius ingressum monasticum obtineat*, ad quod dandum aliàs nullo jure tenentur; cùm ut sæpius dictum est, liberum sit parentibus relinquere Monasterio spem integram ad legitimam portionem hæreditatis ex persona filii accipiendam, siquando eidem deferetur.

Denique à libera ipsius ingredientis voluntate dependet, nuc Monasterium vel etiam solam *legitimam* sperare possit; constat enim ex ante dictis quod quidquid Monasterium ex hæreditate paternâ prætendere potest, id omne ex persona filii jam *Monachi facti* prætendere debeat; certum autem est quòd filius saltem interposito juramento hæreditati paternæ renuntiare possit, qua renuntiatione factâ filium hæreditatem prætendere non posse constat ex *cap. 2. De Pactis, in VI.* Hoc pacto filio ab hæreditate paterna secluso & ipsum Monasterium ab eadem seclusum erit, cùm non nisi ex persona filii ad illam admitti, in præcedentibus fuerit probatum.

At dicent: Si is qui monasticum ingressum meditatur paternæ hæreditati renuntiet, non facilè recipietur. ℟. Vereor ne ini multis id verissimum esset; sed quâ ratione ejusmodi Religios excusentur à simonia non video: nec enim eo saltem casu, *de pretio ad se spectantis hæreditatis* pacisci possunt, cùm nullum jus ad hæreditatem haberent, si ingressum monasticum gratis exhibere vellent; quandoquidem, ut supponitur, filius hæreditati paternæ renuntiaret, nisi factâ renuntiatione repulsam timeret: si igitur prædictum jus ad hæreditatem, fatente Eximio P. Lupo, sit prætio æstimabile; quomodo sine apertissima simonia cuiquam negare possunt ingressum monasticum, si jus illud prætensum Monasterio non conservet? Hoc reverà casu Religiosi non secus procederent ac si quispiam cognato suo, cui ab intestato succederet, Beneficium Ecclesiasticum conferre vellet, modò illum per testamentum suum ab hæreditate non esset exclusurus: quem tamen futurum simoniacum, facile credo, omnes mecum consentient.

Quidquid proinde etiam ex Justiniani constitutionibus vel ab ingrediente, vel illius parentibus *pro jure ad hæreditatem* Monasteria sperare possunt; id totum à recipiendi aut parentum liberalitate expectandum; quandoquidem, ut ex antedictis patet, & parentes transactionem abnuere possint, & recipiendus liberrimè, etiam nullo dato, Monasterium à suis & paternis bonis valeat submovere.

Optandum autem esset ut Monasteria, dum sponte oblata ab ingredientibus accipiunt, attenderent monitum sæpe dicti P. Lupi, Abbatibus gratis oblata accipientibus inculcandum: *possunt* (inquit in *Dissertat. 2. proœmial. tom. 3. Schol. c. 10.*) *ingredientes sua sponte Monasteriis offerre, sed benè advertere debent Abbates, ne eos blandimentis & promissionibus alliciant.* Nec non decretum Synodi Biturícensis *ann. 1584. tit. 37. Can. 7. Præpositi Monasteriorum neminem spe lucri.* AUT HÆREDITARIÆ SUCCESSIONIS *admittant, nec eorum bona ullo modo affectent.*

§. VI.

Titulus transactionis quo praxis illa stipulandi dotes eà simoniæ excusatur, nullatenus probatur ex Epistolis S. Gregorii.

DUo præcipuè sunt Sancti Gregorii responsa, quibus P. Christianus Lupus suam sententiam firmare conatur. Unum quidem in *Epist. 13. lib. 7. indict. 1.* Alterum verò in ejusdem libri *indict. 2. Epist. 7.* Ad quàm parum hæc. D. Gregorii responsa prædictæ sententiæ suffragentur, patebit, si vel obiter expendantur.

In priori quidem citata Epistola scribitur, quòd Joannes quidam in Monasterio S. Andræ in Urbe Romana fuisset *conversus ac defunctus*: post mortem dicti Joannis contentio exorta fuit super hæreditate & succesione prædicti Joannis conversi inter Candidum Abbatem agentem utilitates dicti Monasterii, & Maurentium Magistrum militiæ, Fratrem consanguineum dicti Joannis; lite coram Pontifice pendente, via concordiæ inter partes tentata fuit, ac tandem amicabili quadam transactione controversia sopita, utque ea firmior foret, ejusdem transactionis confirmatio humiliter à Pontifice postulata fuit, quam eo lubentiùs concessit, ut dicitur in citata Epistola, *& quia sinceritas prænominati Maurentis olim ipsi veraciter nota fuisset, & bene comperta: & ne forsan alicujus excusationis obtentu,*

quod à Religioso proposito & æquitate valde dissentit, aliquid in dubium contentio recidiva perducat, & gignat ex pace litigium.

Tria circa hoc responsum notanda : Primum quidem quòd Joannes ille, de quo in dicto S. Greg. responso, in Monasterio fuerit *conversus*, hoc est, *professionem emiserit.*

Secundum, quòd nullius dispositionis testamentariæ in præcitata Epistola, quæ contentionis materiam exhibet, mentio occurrat; quæ tamen si extitisset, indubiè ab una aut altera parte pro fundando successionis jure allegata fuisset : unde consequens est, quòd dubitandum non videatur, quin memoratus Joannes *intestatus* decesserit.

Tertium denique, quòd contentio super hæreditate dicti Joannis demum mota & transactione sopita fuerit *post mortem* Joannis, eo scilicet tempore quo per leges Justinianæas tunc recenter promulgatas, *hæreditas Joannis* per *tacitam dedicationem*, nullo scilicet conditio testamento, *ad Monasterium erat devoluta.*

His præmissis evidentissimè apparet, quòd transactio quam Sanctus Gregorius confirmavit, nec in speciem similis sit transactioni, qua Ex. P. Lupus dotis exactionem à simoniaca labe purgare studet; hæc enim initur dum adhuc *nullum jus*, etiam ex legibus Justinianæis Monasterio competit ad hæreditatem; & si quod aliquando *speratur futurum*, pro *nutu ingredientis* auferri potest, & consequenter materia substrahi transactionis : At illa inita fuit, quando Monasterium ex lege Justiniani *firmum jus* ad integram hæreditatem Joannis jam defuncti prætendere poterat, adeoque materia suberat transactionis.

In altera allegata Epistola respondit S. Gregorius : *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratiâ ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiant, aperta legis* (scilicet Justiniani) *definitione decretum est*, bona cujusdam Monialis, quæ postquam solemni more ab Episcopo Abbatissa ordinata est & in Monasterii regimine per annos plurimos usque *ad vitæ suæ transitum* prætuit; respondit, inquam, res illius, non obstante testamento quod condiderat postquam redigendi officium suscepisset, ad monasterium pertinere.

Objiciebatur quidem quòd vestem statui abbatiali non congruentem detulisset, ac per consequens quòd vera Monialis non fuerit, ex quo ulteriùs prætendebatur res ejus Monasterio non fuisse acquisitas. Cui difficultati ex suggestu Consiliariorum suorum & aliorum doctorum virorum respondit Sanctus Gregorius, vestis qualitatem ad culpam fortè Episcopi respicere, qui eam sic esse permiserit; non tamen potuisse Monasterio præjudicium irrogare, sed res ipsius eidem loco *ex eo, quo illud ingressa, & Abbatissa constituta est*, manifesto jure competere.

Patet rursus quòd in hac secunda Epistola similiter ut in prima agatur de rebus illius, quæ simpliciter nullo condito testamento Monasterium ingressa, & Monasterii illius Abbatissa erat ordinata; & consequenter cum Monasterio bona sua *ante professionem non ademisset* juxta Justiniani Sanctiones, *tacitè Monasterio erant addicta*, nec post professionem potuerat per testamentum Monasterio adimere. Nihil ergo ex hoc S. Gregorii responso elici potest, quod sententiæ P. Lupi patrocinetur, cùm in casu S. Gregorii proposito ageretur de bonis Monasterio *pleno jure acquisitis*. Pater Lupus verò agat de transactione eo tempore ineunda, quo nullum adhuc jus Monasterio competit, nimirum ante professionem & mortem ipsius Religiosi.

§. VII.

Probatur quòd prædictæ leges vel nunquam fuerint in Gallia receptæ, vel si aliquando obtinuerint, easdem à tempore immemoriali fuisse abrogatas.

LEges Justiniani in favorem Monasteriorum editas nunquam in Regno Galliæ receptas fuisse, suadent frequentes oblationes, quas de bonis suis faciebant Monachi Monasteriis quæ ingrediebantur, quæ in tantum post editas Justiniani constitutiones frequentabantur, ut Marculfus Monachus circa seculum VII. formulam formaverit, juxta quam ejusmodi donationes expedirentur *lib. 2. formul. cap. 2.* Frustraneæ verò fuissent hujusmodi bonorum expressæ oblationes, si leges Justiniani in vigore fuissent, per quas bona Monachi nullâ etiam factâ oblatione, Monasterio tacitâ dedicatione deferuntur.

Juvat non parum eandem conjecturam querela, quam seculo IX. deponit Nicolaus I. scribens universis Episcopis in Regno Ludovici Regis Galliæ; qua queritur, Salomonem Episcopum cum quibusdam aliis absque patris oblatione, vel Abbatis perceptâ benedictione Lambertum quendam monasticum habitum induere fecisse, ut ferunt, invitum, *& sub hac occasione paterna seu materna hæreditate à fratribus privatum fuisse* Can. *præsens*, 20. *q.* 3.

Ex his consequens videtur tempore Nicolai I. leges Justiniani non obtinuisse, dum illæ Monachum æque ac cæteros in seculo manentes ad hæreditatem admittunt ac per consequens paternâ aut materna hæreditate Lambertus non fuisset privatus, si eo tempore leges Justiniani in eo loco obtinuissent, cùm non obstante professione monastica cum fratribus ad successionem fuisset admissus, non quidem ut sibi, sed ut Monasterio acquisivisset. Nec contrarium evincit legis Justiniani Imp. qua bona ingredientis ad Monasterium tacitè deferuntur, in Capitularia Regum Francorum relatio, quia non omnia, quæ Capitularibus suis Reges inseruêre, in praxim deducta, aut observata fuisse, jam pridem nonnulli curiosè & exactè notârunt Anton. Morn. *ad 1. const. de novo Cod. fac.* Stephan. Balus. *in not. ad Capitul. Regum Franc. p.* 1144. *Verbo* Eligendi Abbat.

Si tamen quandoque receptæ fuissent Imperatoris Justiniani Constitutiones, eas pridem per consuetudines & Regum decreta abrogatas fuisse unanimis Pragmaticorum & Parlamentorum sententia, nec non locorum consuetudines per Principes approbatæ, evincunt.

De præfata inveterata Regni Galliæ consuetudine testatur, qui à seculo & amplius scripsit Mansuerus, & quidem eo tempore eam immemorialem fuisse refert : eosdem inveteratos Galliæ mores asserit à centum & quinquaginta annis Guillelmus Benedicti *ad Cap. Raynut. ✠ de testament. verbo & uxorem, num.* 220. *& seqq.* cujus verba subjicio : » Et idem, inquit, » quod in Cordigeris & Mendicantibus (ut parentibus succe- » dere non possint) servatur in præsenti Regno Franciæ ex ip- » sius generali consuetudine, de quolibet alio Religioso, etiam » non mendicante, cujuscunque Ordinis existat : in quo Regno » fuit immemorabiliter observatum, quòd Religiosi nunquam » suis ab intestato successerunt parentibus, patri nec matri, & » minùs cæteris eorum consanguineis.... nec per eorum profes- » sionem, quod plus est, dedicantur tacitè bona, quæ à suc- » cessione parentum habuerant ante ingressum, vel ipsi aliter » acquisiverant, quæ per professionem aliis acrescunt parenti- » bus in gradu parentelæ proximioribus de jure succedere de- » bentibus; quia finguntur, postquam professi semel fuerunt, » nunquam fuisse hæredes aut bona habuisse, ut in Monasterio » non transeant, nisi illa expressè dedicaverint, quæ tempore » ingressus & professionis ei competebant, & acquisita jam » erant....

» Nec pariter servatur Lex *Fin. Cod. de Episcop. & Cleric.* » nec quod ibi dicunt Doctores, maximè Joannes Faber, quòd » Monachus jure suitatis transmittat in Monasterium hæredita- » tem paternam, sicut filius in potestate patris tempore mortis » constitutus illam transmittit in quoscunque hæredes, quo- » niam hæc omnia juris communis statuta *in Regno Franciæ* » *non servatur quoad Religiosos*, quia non subest Imperatori, » qui tales concludit; in quo Regno etiam Monasteria *nun-* » *quam successerunt*, nec succedunt; nec visum fuit *unquam* » *Monasteria succedere*, nec successiones petere ex personis » professorum viventium aut mortuorum, saltem quam obti- » nuerunt; nec etiam jure proprio tanquam loco filiorum exis- » tant. Cùm etiam verè Monasterium loco filii non sit, ut clarè » decidit Panormitanus 15. *Const.* Felinus magis plenè 18. co. » *in cap. In præsentia*, ✠ *de probationibus.* Imò notoriè eis » & quibuscunque Religiosis partagium ab intestato petentibus » à suis fratribus vel aliis parentibus in Cancellaria Regia litteræ » denegantur, obstante eis generali Regni consuetudine. «

Hujus denique generalis observantiæ, fidem facit famosus ille Juris-Consultus & praxeos Galliæ peritissimus Petrus Rebuffus, cujus verba, plurimis aliorum omissis, Lectori exhibeo.

» Hodie (inquit Rebuff. *in proœm. ad Constit. Reg. glos.* 5. » *num.* 21. 22.) per ingressum Religionis non fit tacita bono- » rum dedicatio Monasterio, nec succedit Religioso Monaste- » rium, sed proximiores ab intestato, & ista est consuetudo ge- » neralis Regni observata, teste Mansuero, & de ista nullus » in Regno hodie dubitat. Quia observatur ad unguem, tam in » masculis quàm fœminis monialibus, & tam in Patria juris » scripti, quàm consuetudinaria. Adeo quòd Monasteria nulla » professi bona habent, si non ante professionem donata illis » fuerint. Item nullus Religiosus professus, quamvis filius vel » proximior cognatus sit ex consuetudine generali Regni Fran- » ciæ potest suis succedere parentibus vel consanguineis, nec » Monasterium pro eo, contra *L. Deo nobis, Cod. de Episc.* » *& Cler.* Auth. *Nisi rogati, ad Trebell.* Et hæc consuetu- » do pluribus confirmata fuit Arrestis & per tempus immemo- » riale servata. «

Si quem hæc de consuetudine Regni Galliæ non convincant, lubebit ei addere eam testium nubem, quam exhibet Notator Louetii *litt. C. num.* 8.

Statuta Principum & consuetudines in scripturam redactas à Principibus firmatas, si cui legere placeat, eas reperiet apud Coquille ad *consuetud. Nivernens. de succes. art.* 19.

§.

§. VIII.

In Belgio similiter ut in Gallia præallegatæ Leges Justiniani sunt abrogatæ, nec ullatenus Monasteria succedunt ab intestato vel in bona ingressi vel parentum illius.

PEtrus Gudelinus hujus Universitatis quondam Doctor & Professor variis quæstionibus pro clariori Legum Justiniani de successione Monasteriorum intellectu propositis, tandem mores & consuetudines Belgii juri communi subjiciens, abrumpit his verbis: »Magna pars superiorum quæstionum cessat »moribus seu legibus harum Regionum & Regni Franciæ, ut»pote quibus is, qui professus est Religionem, adeo pro mor»tuo, adeo ex numero hominum civiumque per omnia subla»tus habetur, ut sit deinceps omnis hæreditatis expers atque in»capax, nec legitima portio liberorum ipsi debeatur, omnem»que testamenti factionem etiam inter liberos amittat; ac suc»cedant ei mox propinqui ipsius ab intestato non secùs quam si »è vita migrâsset, nihilque prorsus rerum ejus Monasterio, »quod intrat, acquiratur, absque expressa dedicatione seu do»natione.« *Lib. 6. cap. 10. De Jure Nov.*

Consonat Gudelino Legum Belgii peritissimus Franciscus Zypæus *in Not. Jur. Belg. tit. de Episc. & Cler. num. 10.* »*Professus Religionem*, inquit hic, *adeo pro mortuo est apud* »*nos, ut omnis hæreditatis sit incapax*, legitima liberorum »ei non debeatur, testamenti factionem etiam inter liberos non »habeat, succedant ei propinqui ab intestato tanquam mor»tuo, nihil Monasterio cedat, nisi quod expressè donavit, »legavit, &c.

His aliisque Belgici Pragmaticis calculum adjicit Antonius Perezius quondam in hac Academia Legum Antecessor Ordinarius: »Cæterum (ait *in Cod. tit. de Sacros. Eccles. num. 20.*) »in Belgio & in Gallia per ingressum in Religionem non fit »tacita dedicatio bonorum eorum, qui profitentur Religionem, »imò bona profitentium remanent penes proximos ab intestato. »Similiter Monachi professi non succedunt ab intestato, ha»bentur enim pro mortuis, ita ut pater eis nihil relinquere »teneatur pro legitima, & tanquam præteriti legitimam in bo»nis patris petere non possint.«

Quin à ducentis & ampliùs annis hoc jus succedendi abrogatum in Belgio videbatur, si Dionysio Carthusiano credimus: »Est (inquit, *lib. 2. de Sim. art. 1.*) de jure positivo & hu»mano parentibus succedere proles in tota hæreditate, vel par»te ejus dimidia, tertia vel quarta: *cui juri videtur derogatum* »*per contrariam consuetudinem, quoad proles professas in aliqua* »*approbata Religione.*«

Hisce Belgii moribus conformis est Constitutio Caroli V. edita anno 1528. 21. Februarii: *Ordinamus & statuimus, ut nulli Religiosi professi, neque ulla Monasteria aut Claustra pro iis se poterunt dicere hæredes in aliqua domo mortuaria, neque titulo successionis habere aut apprehendere ulla bona.*

Teste D. Stockmanio in *Decis.* 4. declaravit quidem non semel supremum Brabantiæ Concilium hanc Imperatoris legem negare Monasteriis successionem ab intestato, at non ex testamento, sed priùs sufficit. Dum id unum offendere nobis in animo sit, juxta consuetudines Belgii Monasteria non succedere *ab intestato* ingredientibus aut eorum Parentibus, de quo nec unquam post dictum Caroli V. edictum, vel dubitatum fuit.

§. IX.

Consuetudines & statuta, quæ leges Justiniani circa successionem Monasteriorum abrogârunt, reduxerunt Monasteria ad jus, quod ante Justinianum obtinebat, neque immunitati Ecclesiasticæ contrariantur & erroneè confunduntur cum lege Amortizationis.

QUo Ordine Monasteria seculo V. sub Theodosio juniore in bona Monachorum succederent, discimus ex ejusdem Theodosii *leg. 20. Cod. de Episcop. & Cleric.* »Si quis »Presbyter aut Diaconus, aut Diaconissa, seu Subdiaconus, »vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier, »quæ solitariæ vitæ dedita est, nullo condito testamento decess»erit; nec ei parentes utriusque sexûs, vel liberi, vel qui ag»nationis cognationisve jure junguntur, vel uxor extiterit; bo»na, quæ ad eum, vel ad eam pertinuerunt, Sacrosanctæ Ec»clesiæ vel Monasterio, cui forte fuerat destinatus aut destina»ta, omnifariam socientur: exceptis his facultatibus, quas for»tè censibus adscripti, vel juri patronatûs subjecti, vel curiali »conditioni obnoxii Clerici, vel Monachi, cujuscunque sint se»xûs, relinquunt.«

Ex hac lege constat testamento deficiente Monasteria in bona Monachorum non successisse nisi deficientibus legitimis hæredibus, id est, parentibus, agnatis & cognatis, quin & legitimâ uxore, si quæ Monacho ante Monasterii ingressum fuisset.

Constat quoque prædictis legitimis hæredibus & uxore deficientibus, bona Monachi excluso Fisco, Monasterio fuisse delata, eodem penè jure quo bona Decurionum Curiæ, militum ipsi legioni vel vexillationi, navicularіorum eorum Collegio, deficientibus similiter prædictis hæredibus, vindicabantur.

Sed & ipse Imperator Justinianus fatetur, bona patrimonialia Monachi sine testamento decedentis, non nisi legitimis hæredibus dificientibus, ante suam constitutionem Monasterio fuisse delata, dum declarat, constitutionem suam qua Monasterio hæreditatem ingressi detulit, non afficere eos, qui vitam monasticam ante illius promulgationem suscepissent: quapropter eorum bona consanguineis, excluso Monasterio, nullâ factâ dispositione, juxta jura antiqua deferenda censuit: *Si nulla tunc* »*tali lege posita* (inquit *Nov. 76.*) *in Monasterium ingressa est*: »Quomodo fieri potuerit converti ordinem legis, & exigere »eos, qui priùs ingressi sunt Monasterium, illa facere, quæ »*priùs ignorata, postea per sacram nostram constitutionem* »*sunt innovatâ*? Sed unumquemque competit secundum sua »tempora exspectare, & ea quidem quæ post legem sunt, ita »quærere fieri, sicut lex vult: si quid autem ante legem subse»cutum est, hoc non commovere neque perscrutari, sed in »priori figura relinquere.

Hæc igitur lex, pergit idem Imperator, *pro interpretatione* »utili posita sit prioris nostræ illius constitutionis: ut illa in *pos*»*terioribus ex temporibus quo facta est, locum habeat: & iis*, QUI »POSTEA CONVERTENTUR VIRIS AC MULIERIBUS POSITA SIT: si»bique potestatem in illis custodiat: nihil horum quæ antea fue»rint, præscrutando, cùm licentia sit prioribus viris ac mulie»ribus, qui habitaverunt aut etiam hactenus habitant in Mo»nasteriis, & maximè filiis existentibus, suas res, quo volunt, »disponere modo.«

Jus proinde successionis Monasteriis competens non ex ipsa natura statûs monastici, sed ex positiva Justiniani Lege profluxit: quod & Leo Imperator cognomento *Sapiens*, ea quæ Justinianus hac in parte concesserat Monasteriis comprobans, respondit Stephano Santissimo Constantinopolitano Archiepiscopo: quin imo statui monastico parum congruere ut exclusis consanguineis omnia ad se trahant, ostendit: *Si quis dicat* (inquit *Novell. 5.*) *hoc solo nomine, quod Monachus sit, Monasterium omnia percepturum, haud scio, si istiusmodi quæ Monachos deceant, statuat. Primum etiam, an qui homines opum contemptum professi sunt, hos ita illas amplecti, ac quacunque ratione retinere convenit? Deinde sint alicui cognati pauperes, alioquive noti, qui consolatrice manu indigeant: quomodo non ab omni humanitate alienum, nullos illos ex cognati rebus sublevamine dignari, tanquam non modò peregrinos, sed & cognatos amicosque propellere, atque omnia ad se trahere Monachis decorum sit?*

Quibus omnibus attentis facilè videmus, quòd nihil pristino juri, quod Justiniani tempora præcessit, contrarium, vel quod immunitati ecclesiasticæ officiat, introducatur aut statuatur per consuetudines, vel Regum aut Principum edicta, per quæ Religiosi jam mundo mortui à jure succedendi ab intestato, & Monasteria à successione in bona ingredientis secluduntur. Nec scio an quisquam hactenus illa, ut ecclesiasticæ immunitati adversantia accussare præsumpserit. Scio quidem legem, quam nostrates *amortizationis* vocant à nonnullis impugnatam ut ecclesiasticæ libertati contrariam; an benè an malè, non inquiro; hoc interim certum est quòd erroneè planè hæc lex *amortizationis* cum prædictis consuetudinibus & edictis confundatur: non enim allegatæ consuetudines vel edicta prohibent *bona immobilia* Monasteriis aut Ecclesiis per *expressam* donantium aut offerentium voluntatem acquiri, *quod prohibet ista lex amortizationis*; sed tantùm adimunt Monasteriis *jus in bona ingressi aut parentum illius ab intestato succedendi*, & parentes aliosque consanguineos in illa *successionis* specie proponunt, quemadmodum ante Justinianum obtinuit; nullatenus igitur impediunt prædictæ consuetudines aut edicta, quominus bona *etiam immobilia* per testamentum, aliamque ultimam voluntatem vel dispositionem Monasteriis deferantur, quod tamen lex ipsa *amortizationis* prohibet: ex quo evidenter patescit summam inter hanc legem, & prædictas consuetudines & edicta intercedere differentiam, plusque per legem *amortizationis* Monasteriis adimi quàm per prædictas consuetudines aut statuta, quæ solùm à jure succedendi ab intestato Monasteria excludunt; ex quo ulteriùs consequitur, quòd erronea planè sit consequentia: nonnullis lex *amortizationis* visa est officere libertati ecclesiasticæ, ergo etiam dictæ consuetudines visæ sunt eisdem libertati ecclesiasticæ contrariæ.

CA-

CAPUT III.

OSTENDITUR QUOD PRÆTEXTU PAUPERTATIS SEU INSUFFICIENTIÆ FREQUENTER COMMITTATUR SIMONIA ETIAM CONTRA JUS NATURALE ET DIVINUM.

§. I.

Proponitur casus, quo non apparet illicitum, præveniendo nimirum jus positivum, aliquid petere pro sustentatione recipiendi ad Religionem.

CAsus quo Monasterium posset (abstrahendo ab omni jure positivo inspectâ sola lege naturali aut divina) personam aliquam recipere cum oblatione pecuniæ, quam sine pecunia non reciperet, videtur esse, si imprimis adeò tenues supponantur Monasterii facultates, ut *vix sufficiant* jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, ne forsitan jam recepti in notabilem indigentiam, cum magno subinde regularis disciplinæ dispendio, incidant; si tali casu contingat aliquos petere ingressum in tale Monasterium, possunt Religiosi respondere, ut rectè notat Dionysius Carthusianus *lib.* 1. *De Simon. art.* 15. » non sumus dispositi ad recipiendum vos: & si causam inqui- » rant possunt respondere: quoniam *pauperes* sumus, *nec ne-* » *cessaria vitæ habemus* pro vobis. Quod etiam dicere possunt » non interrogati de causa. Et si illi tunc dicant *providebimus* » *& satis deferemus nobiscum*, vel si alii dicant hoc ex parte » ipsorum, tunc Religiosi respondere non possunt: *si ita ege-* » *ritis vel postquam ita feceritis, recipiemus vos vel erimus be-* » *nè concordes*, sed poterunt dicere, sublato obstaculo vestræ » receptionis: *utinam si ita feceritis, faciemus quod inspirave-* » *rit Dominus.* Vel sic: *faciemus tunc quod secundum Deum* » *& conscientiam & Sancti Ordinis nostri tenorem videbimus es-* » *se agendum.* « Hæc Dionysius Carthusianus.

Ut igitur Religiosi personam aliquam ad Religionem mediante aliquâ summâ pecuniæ citra prævaricationem juris naturalis aut divini admittere possint, quam sine pecunia non admitterent, debent ità esse dispositi ut illam omninò parati essent in fratrem recipere, si haberent unde eam pascerent; ita ut nihil sit quod personæ illius ad Religionem admisionem remoretur, nisi solus necessariorum defectus; quo obstaculo sublato per oblationem eorum, quæ vitæ sustentationi sufficiunt, eidem ingressum annuere sint promptissimi.

Dum ea est Religiosorum sincera intentio, dici non potest temporale aliquod pro spirituali aut spirituali annexo dari aut accipi, quia supponitur quòd eum libenter *gratis* ad Religionem reciperent, adeoque spirituale, scilicet ingressum in Religionem, *gratis* exhiberent, modo opes Monasterii ad alendum sufficerent. Nec dici possunt pro spirituali annexo temporale recipere; quia ut supponitur proventus Monasterii adeo tenues sunt, ut vix sufficiant jam receptis; eoque quoad recipiendum *jus sustentationis* statui religioso annexum non est, ac per consequens apparet quòd Religiosi casu tali *gratis* spirituale exhibere valeant, licet à recipiendo petant ut sibi de necessariis provideat. Secus verò dum Monasterium est *sufficiens*: quia hoc casu non possunt *spirituale gratis* dare, nisi simul dent *jus sustentationis annexum*; adeoque si quid expectant eo casu pro *sustentatione*, illud censentur expetere pro eo quod illi debetur, si spirituale eidem *gratis* sit exhibitum.

Prædictâ igitur Monasterii tenuitate, nec non illa sincerâ Religiosorum intentione, qua solùm necessitati ingredientis provisum volunt (cui sucurrere non posunt) suppositis; non videtur illicitum admittere ad Religionem personam, quæ summam pecuniæ alimentis propriis sufficientem offert, quam sine pecunia propter Monasterii in temporalibus tenuitatem non reciperent. Non videtur, inquam, id illicitum, si omnem Ecclesiæ prohibitionem seponamus, & solùm ipsum jus naturale & divinum consulamus; quo factum est, ut Doctores nonnulli, præsertim Theologi, qui magis jus naturale & divinum quàm positivum considerare solent, putaverint *absolutè* licere Monasteriis verè *insufficientibus* admittere personam ad Religionem cum oblatione pecuniæ pro vitæ necessariis, quam sine pecunia ob defectum temporalium non recepissent. Num verò Ecclesia etiam hoc casu receptionem personæ cum pecunia, quam sine pecunia non reciperent ob defectum necessariorum, interdixerit, infra inquiremus, priùs ostensuri quòd frequenter titulo *indigentiæ* seu *insufficientiæ* committatur simonia, quam etiam ipsa lex naturalis condemnat.

§. II.

Sæpe committitur Simonia, etiam contra jus divinum, prætextu paupertatis: *quia frequenter falsò paupertas seu insufficientia prætexitur.*

LAbe simoniæ Regulares, præsertim mulieres, prætextu *paupertatis* sæpius inquinari, testis est ipsa Synodus generalis Lateranensis sub Innocentio III. » Quoniam Simoniaca » labes, inquit, adeo plerasque Moniales infecit, ut vix ali- » quas sine pretio recipiant in Sorores, *prætextu paupertatis* » volentes hujusmodi vitium paliare. « *Cap.* 40. ✠ *De Simonia.*

Num dicta Synodus loquatur de Monasteriis *verâ paupertate* laborantibus, an verò *paupertatem* duntaxat prætexentibus, hoc loco non examino; hoc enim constat plerasque moniales labe simoniaca fuisse infectas, omnesque *paupertatis prætextu* vitium illud palliâse; consequenter constat sub *paupertatis* titulo simoniam sæpius committi.

Causas nonnullas ex quibus contingat quòd prætextu *paupertatis* sæpius incurratur vitium simoniæ hoc §. & §. sequenti breviter annotabo.

Primùm itaque constat ex dictis capite primo secundæ Partis, veram simoniam incurri dum Monasterium *sufficiens ad ingredientem alendum* ab ingressuro sive pro ipsa ad Religionem admissione sive pro jure sustentationis dotem exigit; quodque hoc casu simoniam agnoscant omnes passim Theologi & Canonistæ tum veteres tum recentiores §. 2. Capitis præcedentis notavimus. Quapropter uno quasi Doctorum calculo comprobatum est, quòd Regulares ab ingressuris dotes exigentes labem simoniæ evadere non possint, etiam seposito jure positivo, nisi *reverà* Monasterii facultates sint insufficientes ut recipiendum alere valeant.

Prima ergo causa ob quam Regulares titulo *paupertatis* dotem à recipiendis prætendentes simoniam committunt, illa esse potest, quòd scilicet *paupertatem aut insufficientiam* prætendant, ubi reverà *paupertas* aut *insufficientia* non subest, ac ità deficiat titulus *paupertatis* aut *insufficientiæ*, qui prætexitur.

Contingit autem proventus Monasterii falsò judicari insufficientes ut plures ex illis sustentari possint, primò quia per inordinatam affectionem putantur necessaria quæ reverà necessaria non sunt; unde Religiosi, qui titulo *insufficientiæ* seu *paupertatis* dotes exigunt, meritò expendunt quæ pridem Dionysius Carthusianus expendenda proposuit Religiosis, qui similiter eo tempore sub *paupertatis* prætextu dicebant se aliqua petere sive exigere à recipiendis sive receptis: » inordinata af- » fectio, inquit *lib.* 1. *De Sim. art.* 17. motusque passionum, » præsertim cupiditas corrumpunt rectæ rationis judicium, & » faciunt judicari perversè. Id circò avarus non impletur pecu- » nia, & *multa* putamus nobis *necessaria* esse, *quæ necessa-* » *ria nobis non sunt.* Religiosi ergo si sub *paupertatis colore* » aliquid volunt à recipiendis aut receptis personis exigere, » imprimis considerent, quæ, ut ait Dominus Antisiodorensis » in summa sua, *paucitas seu tenuitas victus atque vestitus vo-* » *to paupertatis indispensabiliter est annexa*: imò & secun- » dum Philosophos natura paucis minimisque contenta est. Et » sicut ad abstinentiam, prout est virtus naturalis & acquisita, » pertinet non plus de cibo ac potu accipere, quàm expedit » homini ad usum rationis expeditum, & convenientem natu- » ræ sustentationem; ità ad abstinentiam (ut est virtus infusa) » spectat etiam aliquid necessariorum naturæ subtrahere, ut » pro peccatis aliqua recompensatio fiat, & Passioni Christi » conformet se Christianus per quotidianam quandam sangui- » nis sui minorationem, ac sui ipsius salubrem mortificationem. » Hinc juxta Apostolum: *Qui sunt Christi, carnem suam cru-* » *cifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Certumque est illud » ad Religiosos potissimum pertinere. Antequam ergo *sub pau-* » *pertatis prætextu* aliquid exigere audeant, diligenter se ipsos » examinent, ante omnia prætacta jam ritè observent, ne super- » fluitatem judicent necessitatem, & ne sufficientiam judicent in- » digentiam, ne delicatoribus, abundantioribus, pretiosioribus » cibis ac potibus, vestimentis ac cæteris utensilibus, atque ad » corpus pertinentibus utantur, quam regula instruit, præcipit » seu permittit, & ne dispositione utantur nimis laxâ. «

Ut igitur de *sufficientia* aut *insufficientia* Monasterii rectum justumque formetur judicium, necesse est, ut illam juxta regulas religiosæ professionis metiantur; sive ut sibi sufficientia esse reputent, si habeant ea, quibus vitam *statui paupertatis* aut *pœnitentiæ* convenientem agere queant.

Insuper contingit quòd *falso* prætendatur *insufficientia* ex eo quod proventus Monasterii passim impendantur contra Fundatorum ac Ecclesiæ intentionem in usus à natura bonorum Monasterii alienos; quo ex capite valdè temerariè *paupertatis* sive *insufficientiæ* titulo persuadent sibi licere pecuniam ab ingressuris petere, qui ex bonis Manasterii magnifica construunt ædificia, divitias atque pompam seculi magis quàm religiosam simplicitatem atque paupertatem exhibentia; aut ex illis mensas extruunt sumptuosiores, quæ magis mundi delicias quam Christi pœnitentiam redolent; vel etiam superbam colligunt supellectilem, aut in aliqua quæ à *paupertatis* professione sunt prorsus aliena, facultates Monasterii impendunt. Hi, inquam, inaniter imò temerariè prætextum obtendunt *paupertatis*, quandoquidem dubium non sit, quin Monasterii opes essent sufficientissimæ ad plures alendum, si secundum Offerentium & Ecclesiæ intentionem juxta dicta Capite primo, §. 3. hujus Partis, fideliter dispensarentur.

Ni-

Nihil proindè eo casu valebit *paupertatis* prætextus apud supremum & juxtum Judicem, qui fidelem bonorum requirit dispensationem, & secundum illam in justitia & veritate de *sufficientia* aut *insufficientia* judicabit.

§. III.

Ostenditur quod Monasteria etiam VERE *insufficientia non rarò in exactione dotis incurrant simoniam juris divini.*

OStensum est §. præcedenti prætextu *paupertatis* non rarò committi simoniam, etiam contra legem naturalem & divinam, ex eo quod *paupertas* aut *insufficientia* quæ prætenditur *revera non subsit*; hoc §. ostendam quibus ex causis contingat quòd Monasteria quæ *reverà* sunt *insufficientia* ut plures ultra jam receptos alant, in exactione dotis simoniam etiam contra ipsam legem naturalem & divinam incurrant.

Monasteria opulentia sive sufficientia ut ingressurum ex communioribus Monasterii proventibus sustentent, esse simoniaca, etiam præveniendo omnem Ecclesiæ positivam prohibitionem, si exigant ab ingressuro aliquid temporale sive pro receptione ad Religionem, sive pro jure sustentationis, *cap.* 1. §. 4. *hujus Partis* probatum est, eamque esse unanimem omnium veterum, imò & recentiorum, paucissimis exceptis, Theologorum ac Canonistarum sententiam *cap.* 2. §. 2. notatum fuit. Quandocunque igitur Monasterium habent unde de necessaria vitæ sustentatione ingressuro providere possit, nihil citra vitium simoniæ ab ingressuro prætendere potest.

Ex quo infertur, quòd Monasteria etiam verè insufficientia à simonia contra jus naturale non sint immunia, si non solùm exigant quantum sufficiat alimentationi personæ supplicantis, nec sint contenta, etiamsi ipsa vel parentes ejus offerant pensionem vitalem qua possit honestè secundum statutum quem assumit sustentari; sed exigunt *longè amplius*. Omnes quippe rationes quæ probant, quòd *gratis* non detur ingressus in Religionem, quando Monasterium est *sufficiens* ad alendum ingredientem, tametsi exactio dicatur fieri pro *jure sustentationis*, similiter convincunt *gratis* non exhiberi ingressum Monasticum, quando à Monasterio *insufficienti* ultra *necessaria* ad alimentationem ingressuri aliquid ab ingressuro exigitur: nec enim possunt eo casu dicere Religiosi: *essemus parati* GRATIS *te ad Religionem admittere, si haberemus unde te pasceremus*: Supponitur quippe quòd supplicans pro admissione offerat ea, quæ suæ sustentationi *necessaria sunt*, ac per consequens Monasterium quoad hanc personam est in eo statu, quo *sufficiens*, quandoquidem jam per oblationem pensionis vitalis, *v. g.* quæ alimentationis ingredientis sufficit, fiat *sufficiens* ad alendum ingredientem. Ex quo ulterius evidenter concluditur, quòd titulus *insufficientiæ* quoad ea, quæ *ultra necessaria* ad sustentationem ingredientis exiguntur, non magis Monasteria *insufficientia* eximere valeat Simonia, quam ipsa Monasteria opulenta dum exigunt dotem ab ingressuris pro *jure alimentationis*. Unde & Auctores in moralibus non parum laxi Regulares simoniæ condemnare non dubitârum, si quid exigant titulo *paupertatis* ab ingressuro *ultra id quod ingredientis sustentationi est necessarium.* » Illud pro certo habeant & animadvertant (inquit Navarrus *tract. de reddit. Eccles. quæst.* 1. » *Mon.* 62.) ex pacto aliquid accipere *ultra id quod necessa-* » *rium sustentationi Monialis* judicio cordatorum censeatur es- » se simoniacum: nam ex pacto nihil aliud possunt accipere » præter *illud quod alendæ Moniali sit necessarium*, eò quòd » ei Monasterium præ inopia non potest tribuere. Si ergo ali- » quid *ultra* acceperint, vel si dotem exegerint, quando Mo- » nasterium posset eam alere, illicitè recipiunt. «

In eadem sententiam videri possunt Joann. Wiggers, *loco infrà citato*; item Emmanuel Rodericus *quæst. Reg. tom.* 2. *quæst.* 49. *art.* 6. Ex his consequens est, quod à simonia etiam juris naturalis immunia non sint Monasteria, quorum proventus sunt *sufficiens* ut numerum aliquem Religiosorum sustentent, & tamen nullum gratis ad Monasterium admittunt, sed ab *omnibus* tantum petunt, quantum sufficeret ad integram alimentationem ingredientis; debent quippè vel eum numerum qui ex proventibus Monasterii vivere posset, *gratis* recipere aut saltem quantitatem dotis ita moderari, ut simul computatâ communi Monasterii substantiâ cum illa dote quam prætendunt, nihil exigant præter id quod necessarium est ut Monasterium ingredientem cum reliquis jam receptis alere possit; alias si supplicans offerret eam pecuniæ summam, quæ quidem sola ad integram ipsius alimentationem non sufficeret, sed una cum communibus Monasterii proventibus esset plusquam sufficiens; si inquam, Religiosi tali casu supplicantem admittere renuant nisi dotem majorem adferat, verè dicere non possent *parati essemus te recipere, si haberemus unde te pasceremus*, ac per consequens quoad hanc personam titulus *insufficientiæ* qui solus supponendo jus possitivum à dotis petitione labem simoniæ abstergere potest, non subsisteret.

Hinc collige, quam perversa sit consuetudo & intolerabilis abusus, quòd Monasteria quo sunt opulentiora, eò non rarò majores faciant exactiones, *quod sapit*, inquit Wiggers, *Simoniam intolerabilem. De Jure & Just. tract.* 7. *cap.* 4. *dub.* 10. *num.* 57.

Secundò, sæpiùs committitur simonia prætextu paupertatis in Monasteriis *verâ* inopiâ laborantibus; quia frequenter contingit ut personam recipiant » amore pecuniæ, ut loquitur » S. Bonavent. *in Libel. Apol. quæst.* 18. ita quòd si possent il- » lam pecuniam habere sine persona ista, non reciperent per- » sonam; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt, & » hoc penitus impurum est, & *simoniacum*, quia ibi pecunia » causa est receptionis personæ, & non è converso. Ubi ergo » recipitur persona propter pecuniam, simonia est, quia ibi » venditur spirituale, id est, consortium spiritualis societatis » pro temporali, scilicet pro pecunia. Et hoc *plerique faciunt* » *etiam ex mera inopia*, optantes aliquem venire cum pecunia, » quem reciperent, ut eorum *inopia repararetur*, vel *debita* » *contracta solverentur*. De talibus dicit Ecclesiasticus: *Propter* » *inopiam multi deliquerunt.* «

Monasteria proinde licèt *verâ* inopia laborent, simoniam non evadent, si ab ingressuris aliquid ultra necessaria ad illorum alimentationem exigant; tametsi per illa quæ petunt, intendant communibus Monasterii necessitatibus occurrere, » nam » ut benè notat Wiggers ibidem, non magis potest Monaste- » rium quæstum facere ex admissione aut receptione ad Novi- » tiatum aut Professionem, quàm Montes Pietatis possunt fa- » cere quæstum ullum ex mutuo, quantumvis essent indigentes » & in posterioribus: eaque fundantur, pergit idem Auctor, » *non in prohibitione humana, sed in jure divino.* «

Si igitur simoniam incurrant Monasteria etiam *insufficientiæ* & debitis onerata, quæ præter id quod alimentationi recipiendi *necessarium* est, petunt ea, quibus à debitis contractis se exonerent, vel aliis Monasterii necessitatibus occurrant, nemo non videt, quam execrabilem committant simoniam Regulares, qui ultra pensionem sustentationi ingressuri sufficientem cogunt ingredientem aut parentes ipsius ad dandam aut promittendam notabilem summam pecuniæ non in necessitates Monasterii convertendam, sed ut ex ea ipsâ die vestitionis aut professionis, id est, illis diebus quibus vitam paupertatis, pœnitentiæ & mortificationis ducere, imò quibus mundo & carni mori proponit aut promittit, splendida & sumptuosa convivia, paupertati, pœnitentiæ, atque carnis mortificationi directè opposita exhibeantur.

Patet quoque ex ante dictis has conviviorum exactiones non jure aliquo positivo sed naturali esse prohibitas, utpote quæ nec apparenter titulo *necessariæ sustentationis* colorari possunt; quapropter hujusmodi exactionem, non obstante *consuetudine* Monasterii, tanquam *perniciosam* proscripsit Alexand. III. *in cap.* 19. ✠ *de Simonia.* » Veniens ad nos, inquit, F. Pres- » byter proposuit, quòd Abbas & Fratres Sancti R. noluerunt » eum in Monachum recipere, quousque triginta solidos dare » convenerit: conventione autem facta, sequenti die eum » monasticum habitum induerunt: & iidem Monachi triginta » solidos, Abbas verò decem, & familia duodecim pro pastu » (*asserentes hoc esse de consuetudine Monasterii*) postularunt: » quoniam ergo factum hujusmodi perniciosum videtur; man- » damus, quatenus si ita esse inveneris, Abbatem & Mona- » chos ad restituendam pecuniam præfato F. tam indignè ac- » ceptam compellas, & Abbatem & majores personas Monas- » terii pro tantæ pravitatis excessu ab officii executione suspen- » dens, præcipias dicto F. ut in alio Monasterio in habitu mo- » nastico, Domino studeat deservire. «

Nullatenus ergo sordidas illas pastuum seu conviviorum exactiones consuetudo licitas reddere, aut à simonia eximere potest; quod & ipse Eximius P. Lupus, qui in materia de Simonia circa ingressum in Religionem nemini de nimio rigore suspectus esse potest, agnovit, dum consuetudinem hanc inter sæva disciplinæ damna referre non dubitat: » Fuit, inquit » *tom.* 1. *Schol. pag.* 468. Ecclesiæ Clericis pendi solita veri » pastelli seu convivii *consuetudo*, quam à quibusdam non Cle- » ricorum solummodo, sed & Monachorum initiationibus *ut* » *Simoniacam* frequenter proscripsêre & generales Synodi & » Romani Pontifices; *Verùm Belgica infirmitas etiamnum hodie* » AD SÆVA DISCIPLINÆ DAMNA RETENTAT. «

In has quoque exactiones tanquam evidentem & execrabilem redolentes simoniam invehitur ipse Martinus Navarrus, qui postquam in præallegatis verbis, tanquam indubitatum asseruisset esse simoniacum, si quid à Monialibus exigatur ultra id, quod alimentationi recipiendæ est necessarium, subjungit: » Quod si hæc vera sunt, quid, quæso, dicemus ad prodigas » illas expensas, & profanos apparatus fieri solitos ex pacto ta- » cito vel expresso, dum vel ingrediuntur Monasterium, ve » professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam ut » hæc vehementer interdicantur & culpentur, ac puniantur il- » læ, quæ talia faciunt? Et simul etiam doceantur, quanto ho- » nestior apparet cunctis hæc inspicientibus, modesta quædam » humilisque temperantia spirituali conjuncta contemplationi, » quam

» quam pomposa intemperantia mundanæ cuidam admixta vo-
» luptati in *funeralibus ejus*, *quæ per professionem moritur mun-*
» *do*, *& nascitur vel excrescit Deo.* «

§. IV.

In compendio refertur, quid requiratur, ut etiam seposito jure positivo Regulares in petitione dotis ab ingressuro simoniam evadant.

EX illis, quæ tum §. 2. tum §. 3. *hujus capitis* dicta sunt, patet, quod ad evitandam simoniam etiam juris divini in petitione alicujus temporalis in admissione personæ ad Religionem, requiratur.

Primò: ut ingressum in Religionem, & omnia, quæ eundem necessariò consequuntur, *gratis* exhibeant; ac consequenter ita sint dispositi, ut petentem ingressum in Religionem *gratis* libenter admitterent, si haberent, unde illum pascerent, id est, si *jus sustentationis* quoad ipsum esset receptioni ad Religionem annexum. Hinc consequitur, quòd.

Secundò requiratur *vera insufficientia* ad supplicantem ex communibus Monasterii proventibus sustentandum, quæ *insufficientia* metienda est secundum regulas religiosæ professionis; sive ut sibi *sufficientia* esse reputent, si ea habeant, quibus vitam *statui paupertatis & pœnitentiæ* conformem ducere possint; ut suprà §. 2. ostensum est.

Tertiò, ut evitetur simonia, etiam omni jure positivo seposito, necesse est, ut nihil exigant, præter id, quod alimentationi supplicantis necessarium judicio prudentum judicatur; ex quo evidentissimâ consequentiâ §. præcedenti intulimus, etiam ex sententia eorum, qui de nimio rigore non possunt esse suspecti, quòd citra simoniam non liceat exigere ab ingressuro illa, quibus debita Monasterii ante contracta exsolvantur, aut aliis Monasterii necessitatibus occurratur; modo tamen illa *ad sustentationem* supplicantis non requiratur: ex quo ulteriùs conclusimus, quòd intolerabilis sit simonia, si cui Religionis ingressus negetur, quia ultra pensionem alimentationis suæ sufficientem non vult, vel non potest dare notabilem pecuniæ summam, quæ in convivia *statui paupertatis*, *pœnitentiæ & mortificationis* prorsus contraria expendatur. Idem esto judicium de pecunia, quæ in extructionem superbi ædificii, aut emptionem superfluæ supellectilis, quæ magis seculi pompam quàm mundi contemptum exhibet, consumatur.

Hæc sunt, quæ etiam ex sententia eorum, qui in hac aliisque materiis justo laxiores sunt, ad evitandam labem simoniacam in admissione ad Religionem communiter requiruntur. Hæc si quis attentiùs perpenderit, & ab altera parte expenderit multorum Monasteriorum, præsertim Monialium, praxim contrahendi ac paciscendi cum ingressuris aut earum parentibus, non immeritò, ut credo, ille cum Dionysio Carthusiano considerante similem sui temporis praxim, exclamabit:
» Heu, heu! quantum detestanda cupiditas oculos mentis pau-
» latim obtenebrat, cor indurat, & rectum subvertit judi-
» cium. O quantum dolendum est, quàm vehementer deflen-
» dum, quòd Religiosæ personæ, quæ jam semel amore Spon-
» si Cœlestis omnia cotempserunt terrena, quæ si in domibus
» mansissent parentum, potuissent divitiis abundare, jam post
» monasticam professionem, post paupertatis spontaneæ vo-
» tum, rursus involvunt se avaritiæ, quæ omnium radix est
» vitiorum & laqueus: imò quod sanguineis guttis est deplo-
» randum, vitiosissima avaritiæ specie, prorsus sacrilegâ, id
» est, *simoniaca pravitate* se inquinant propter rem vilem,
» terrenam, propter pecuniam aliquantam, propter supellec-
» tilem modicam. Hæc impietas ex immoderata solicitudine pro
» temporalibus & corpori necessariis rebus frequenter proce-
» dit, quæ solicitudo diffidentiæ filia prohibetur. Interdum
» quoque ex vitio gulæ & carnalitate, qua lautiora, atque
» superflua requiruntur. Hæc omnia Christus summè prohi-
» buit, præsertim Religiosis; quos vult filialem in Deo habere
» fiduciam. « *Lib. 2. De Simon. art. 10.*

§. V.

Ex prædictis consequens esse ostenditur, quòd Ecclesia potuisset prohibere admissionem alicujus ad Religionem cum pecunia, quem sine pecunia non potuissent admittere, quia proventus Monasterii sunt insufficientes.

UT melius intelligantur, quòd Ecclesia justè potuisset prohibere Religiosis etiam receptionem alicujus personæ cum pecunia, quam sine pecunia recipere nolunt, nec possunt, quia *opes Monasterii vix sufficiunt jam receptis*, *nec ad eos plures recipere audent*, *ne istos jam professos necessariis suis spolient*; prænotandum cum S. Ivone Carnotensi in sua doctissima ad Decretum præfatione, præceptiones alias esse *mobiles*, alias *immobiles*.

» Præceptiones immobiles, inquit S. Ivo, sunt quas Lex
» Æterna sanxit: quæ observatæ salutem conferunt, non ob-
» servatæ eandem auferunt, qualia sunt: *diliges dominum deum*
» *tuum ex toto corde tuo*, *& proximum tuum sicut te ipsum*, *&*
» *honora patrem tuum & matrem tuam.* Et si quæ sunt his si-
» milia. Mobiles verò sunt, quas Lex Æterna non sanxit, sed
» posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit; non ad salu-
» tem principaliter obtinendam, sed ad eam tutiùs muniendam,
» quale est illud Apostoli: *Hæreticum hominem post primam &*
» *secundam correptionem devita*, non quod eorum colloquium
» per se saluti obesset, sed quòd frequentatum ex obliquo
» quorundam simplicitatem corrumpere posset. Et multa repe-
» ries in canonicis Institutionibus in hunc modum. Similiter im-
» mobiles prohibitiones sunt, quæ adversus vitia loquuntur,
» qualia sunt *non occides*, *non mœchaberis &c.* Hæc sunt illa
» minima præcepta, de quibus Dominus dicit: *quia qui ea*
» *solverit & sic docuerit*, *in regno cœlorum minimus erit.* Qui
» verò observâverit non statim Regno Dei dignus erit, quia
» inchoantia sunt hæc, non perficientia. Sunt alia inter-
» dicta, in quibus si interdicta non fuissent, nec mors ope-
» raretur, nec salus periclitaretur. Sed ad hæc ea Sanc-
» torum Patrum auctoritas reverenda ità decrevit, ut *præ-*
» *sentibus non obesset*, *compescendis majoribus malis vel ca-*
» *vendis*, *charitas sincera provideret*; quale est istud: Cle-
» ricus post actam de crimine damnabili pœnitentiam Clericus
» non maneat, vel ad Clericatum non accedat. Quod ut ait
» B. Augustinus *dictum est rigore disciplinæ non desperatione in-*
» *dulgentiæ.* Alioquin contra Claves Ecclesiæ disputaretur, de
» quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra*, *soluta erunt & in*
» *Cœlo*: sed ne forsitan spe honoris ecclesiastici animus intu-
» mescens superbè ageret pœnitentiam, severissimè placuit,
» ut post actam pœnitentiam, nemo fiat Clericus, vel maneat
» Clericus. « Quæ posteriorum non est supervacua putanda diligentia; qui » ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati ali-
» quid addiderunt, *quo salus tutiùs muniretur*: experti, cre-
» do aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas bonorum po-
» tentias. Cogunt enim multas inveniri medicinas multorum ex-
» perimenta morborum."

Prædicta propositæ materiæ aplicando non difficulter intelligimus, quòd Ecclesia inhibere potuerit quempiam ad Religionem admittere mediante temporali, *quod victui ingredientis foret necessarium*, dum etiam *Monasterii facultates verè insufficientes*, *nec Monasterium sine aliquo novo subsidio ingredientem sustinere possit*, non quia ejusmodi admissionem Lex Æterna vetet, aut per se saluti obsit, sed quo *salus tutiùs muniatur.* Licet enim receptio personæ modo prædicto facta, & observatis iis quæ §. 1. & 4. requiri diximus, ut simonia jure divino prohibita caveatur, sepositoque scandalo *per se saluti obesse* non videatur, eam tamen occasionem esse, ut Religiosi non rarò incidant in ea, quæ saluti non obesse non possunt, quæque multorum malorum sibi adjunctam habent sequelam; ex dictis §. 2. & 3. constat, ut proinde veneranda Patrum auctoritas eam licentiam Religiosis adimere potuisset; *ut majoribus malis compescendis vel cavendis charitas sincera provideat. Utilis Ecclesiæ futura medicina multorum curatrix morborum*, *qua saluti non officitur*, *sed salus tutiùs munitur.* » Nec enim, (ut benè advertit Dionysius Carthusianus *lib. 2.*
» *De Sim. art. 2.*) in hujusmodi augmentatione personarum sui
» Conventus putent salutem consistere animarum, aut incre-
» mentum honorificentiæ cultûs divini, sed potiùs perditionem
» animarum propriarum, & item personarum, quas ita reci-
» piunt, gravissimamque Deitatis offensam & scandalizatio-
» nem plurimorum in lege.

Unde idem Doctor conformiter ad ea, quæ ex S. Ivone prolata sunt, in proposita quæstione ratiocinari non dubitat.
» Aliqua, inquit, prohibentur, quoniam vitiosa & mala sunt,
» sicut furari: aliqua verò, quia *ruinæ propinqua*, sicque Chris-
» tus jurare prohibuit: *ego* (inquiens) *dico vobis*: *non jurate om-*
» *nino.* Et Jacobus *ante omnia*, ait, *nolite jurare*; non quia
» jurare semper sit vitiosum, sed *quia periculosum casuique vi-*
» *cinum*, propter quod asserit Augustinus: Qui prohibuit
» te jurare, super ripam noluit te ambulare, ne pes tuus in
» angusto positus cadat. Ideo in Ecclesiastico fatetur: *jura-*
» *tioni non assuescat os tuum*, *multi enim sunt casus in ea.*
» Conformiter quamvis præmemorata exactio, pactio recipien-
» dique forma non essent in seipsis culpabiles, nihilominus ab
» homine timorato essent vitandæ propter propinquitatem ea-
» rum ad culpam. Nam & experientia docet, quanta eis oriantur
» peccata, & quando Monasterium aliquod primò sub paupertatis
» colore ad eas, consuetudinemque earum devenerit, vix un-
» quam, quantumcunque ditetur, consuetudinem illam relinquit. «

Potuit ergo pia Mater Ecclesia filiis suis interdum non satis providis mandare, ut abstineant à prædictis receptionibus & admissionibus, non quidem in se malis & perniciosis, sed admodum periculosis, *ne super ripam ambulantes*, *pede in angusto posito*, *in foveam cadant.*

CA-

CAPUT IV.

INQUIRITUR, NUM ECCLESIA PROHIBUERIT ALIQUID EXIGERE A PERSONA RECIPIENDA AD RELIGIONUM, QUANDO MONASTERIUM EST *VERE INSUFFICIENS* AD ALENDUM INGRESSURUM.

PARAGRAPHUS I.

Proponitur breviter, quid hoc capite probare intendam.

COnstans fuit omnium veterum tam Theologorum quàm Canonistarum sententia, simoniam committi, quando Monasterium *sufficiens* ad alendum supplicantem temporale aliquid exigit, ut ipsum ad Religionem admittat; nec qui contrarium tenuerit credo fuisse, nisi posterioribus hisce temporibus, quibus „ summa illa luxuriantium ingeniorum licentia, „ ut loquitur Alexander VII. indies magis exercescere cœpit, per „ quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ad evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula Fideles „ in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ „ corruptela. " *In Decret. ad 45. Proposit.*

Si verò Monasterium sit insufficiens, ut ingredientem nutrire queat, & ea, quæ *capite præcedenti* cavenda notavimus, sedulo caveantur; eo casu putamus non comitti simoniam juris divini, si persona aliqua ad Religionem admittatur cum pecunia, quam sine pecunia ob defectum temporalium non reciperent; multoties tamen *Paupertatis* prætextu in legem naturalem & divinam committi ostendimus; ex quo consequens esse probavimus, quod ob periculum, quod ex exactione *temporalis* per se quidem non illicita Regularibus imminet, justè potuisset Ecclesia interdicere receptionem alicujus personæ mediante temporali, quam sine illo temporali subsidio ob Monasterii penuriam non recepissent. Idipsum verò Ecclesiam non tantùm in Concilio Tridentino, sed etiam in aliis anterioribus Conciliis, ac sacris Constitutionibus prohibuisse, hoc capite probare intendo.

§. II.

Primum argumentum, quo probatur Ecclesiam prohibuisse aliquid exigere ab ingressuro etiam quando Monasterium est insufficiens, *desumitur ex Canonibus Conciliorum generalium ante Concilium Tridentinum.*

SYnodus generalis Nycæna II. deplorat, quòd seculo octavo tam execrabilis avaritiæ labes Ecclesiarum Præfectos invasisset, ut etiam viri Religiosi eos, qui ad sacerdotalem ordinem & vitam monasticam accedunt, pecuniis admittant, ex quo quia ingentem in Ecclesias ac Monasteria inordinationem conspiciebat profluturam, voluit malum hoc quasi in ipsis cunis suffocare: unde Canonem severissimum contra prædictas exactiones edendum putavit: „ Tanta, inquit, *Can.* 19. exe„ crabilis avaritiæ labes Ecclesiarum præfectos invasit, ut non„ nulli eorum virorum ac mulierum, qui pii ac religiosi dicun„ tur, Domini mandati obliti fallantur, & eos qui ad sacerdo„ talem ordinem & vitam monasticam accedunt, pecuniis ad„ mittant: & quorum reprobum est principium, universum „ quoque rejiciendum efficitur, ut ait Magnus Basilius, nec enim „ Deo licet & Mammonæ servire. Si quis ergo inventus fue„ rit hoc facere, qui hoc facit, si sit quidem Episcopus, vel Mo„ nasterii præfectus, vel ex sacerdotali ordine, vel cesset, vel de„ ponatur, ut vult Canon II. Chalcedonensis Synodi. Sin autem „ Monasterii præfecta, à Monasterio extrudatur, & alii Monas„ terio tradatur ad subjectionem. Similiter & Monasterii præfec„ tus, qui Presbyterii ordinationem habet."

Concilium Turonense anno 1163. sub Alexandro III. Canonem edidit tenoris sequentis; „ Non satis utiliter in populo „ avaritia redarguitur, si ab his, qui in Clero constituti viden„ tur & præcipuè qui contempto seculo religiosum nomen pro„ fitentur & regulam, modis omnibus non cavetur." *Prohibemus igitur*, inquit, *ne ab iis, qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur. Cap.* 8. ¤ *De Sim.*

Similiter in Concilo generali Lateranensi sub eodem Pontifice habito decretum est: ut *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio. Cap.* 2. ¤ *De Statu Monach.*

Verùm cum non obstantibus dictorum aliorumque Conciliorum decretis comperisset Concilium Lateranense seculo sequenti sub Innocentio III. celebratum, quòd Regulares præsertim Moniales, ab exactionibus in admissione ad Religionem non abstinerent, decretum severissimum adversus prædictas exactiones edidit ac per Diœcesanos Episcopos promulgari voluit. „ Quoniam, inquit *Cap.* 40. ¤ *de Sim.* Simoniaca labes „ adeò plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio „ recipiant in sorores, *paupertatis prætextu* volentes hujusmo„ di vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitùs prohibemus: „ statuentes, ut quæcunque de cætero talem commisserint pra„ vitatem, tam recipientes, quàm recepta, sive sit subdita, „ sive Prælata, sine spe restitutionis se suo Monasterio expella„ tur, in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœ„ nitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc Synoda„ le statutum taliter sunt receptæ ita duximus providendum, ut „ remotæ de Monasteriis, quæ perperàm sunt ingressæ, in aliis „ locis ejusdem Ordinis collocentur. Quòd si fortè propter ni„ miam multitudinem alibi nequiverint commodè collocari, ne „ damnabiliter in seculo evagentur, recipiantur in eisdem Mo„ nasteriis *dispensativè* de novo mutatis prioribus locis, & in„ ferioribus assignatis. Hoc etiam circa Monachos, vel alios Re„ gulares decernimus observandum. Verùm ne per simplicita„ tem vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut „ Diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas Diœce„ ses publicari."

Quod allegata Conciliorum decreta non tantùm exactionem pecuniæ in receptione alicujus ad vitam religiosam prohibuerit, quando Monasterium est opulentum, sed etiam dum est pauper seu insufficiens, colligitur.

Primò, ex ipsa generalitate, qua indefinitè, nulla factà distinctione inter *sufficientia* & *insufficientia*, omnem pecuniæ exactionem in admissione ad Religionem proscribunt.

Secundò, non apparet qua ratione Concilia credere potuissent, quòd pœnæ ibidem decretæ unquam cum effectu, præsertim in receptas, decerni possent, si putassent, quod titulo *paupertatis* sive *insufficientiæ* & recipietibus exigere & recipiendis pecuniam promittere licuisset: ut enim gravissimæ illæ pœnæ, de quibus in dictis Canonibus, infligantur, notabilis culpa præcedat necesse est; quod verò de tali culpa commissa *dantes* nunquam aut saltem rarissimè convici possint, si titulo paupertatis *exactio* & *promissio* licitæ sint, facilè agnoscet qui expenderit, quàm difficile, imò penè impossibile sit, præcipuè mulieribus scire, num Monasterium aliquod sit *sufficiens*, imò etsi inquirerent, ad quod tamen Ecclesiam ipsas obligare voluisse credibile non est, non tamen facilè ad notitiam ejus pervenirent: cui consectarium est, quòd nunquam non possent facti ignorantiam prætendere, quæ cùm admodum esset probabilis & verisimilis, nulli dubium est quin dantes se ab omni culpa, & consequenter à prædictis pœnis facilè eximerent; ac per consequens inanis fuissent dictarum pœnarum comminatio, si titulum *paupertatis* seu *sufficientiæ* Ecclesia legitimum credidisset.

Denique quis credat quòd Concilium generale Lateranense universas generatim Moniales tam receptas quàm recipientes condemnasset, ac pœnis Canonicis puniendas judicasset, si titulus *paupertatis* seu *insufficientiæ* ipsi sufficiens visus fuisset, ut omnem simoniæ labem à dotis exactione in receptione sororum abstergeret. Quis enim ambigat, quin plures etiam recipientes se ab omni culpa liberare potuissent, si Monasterii *paupertas* seu *insuficientia* pecuniæ exactionem justificare valuisset? Quod verò receptas attinet, plurimæ, si non omnes, indubiè innocentiam suam facilè, & etiam, ut credo, verè asserere potuissent; nec enim dubium, quin pleræque earum cum magna verisimilitudine, imò & veritate prætendissent se credidisse Monasterium, quod ingressæ sunt, revera fuisse *insufficiens*, nec dedisse pecuniam nisi quia essent persuasæ à Monasterii Superioribus aut aliis Monasterium *paupertate* premi; ac per consequens si requisita fuisset Monasterii opulentia, ut coacta datio pecuniæ foret vitiosa, indubiè Moniales quæ per ignorantiam facti, præsertim cujus notitia plerumque est quasi impossibilis, illam Monasterii *sufficientiam* ignorassent, & verè innocentes fuissent; ac per consequens non videtur quomodo prædictum Concilium ita generaliter tam recipientes quam receptas absque ulla distinctione condemnare, pœnisque subjicere potuisset.

§. III.

Secundum argumentum pro prædicta Ecclesiæ positiva prohibitione desumitur Extrav. SANE NE IN VINEA, *De Simonia in Commun.*

CUm non obstantibus præallegatis & aliis tam Conciliorum quàm Pontificum decretis (quæ ordine temporis exhibentur in libello gallicè conscripto, cui titulus: *La Conduite Canonique de Eglise pour la reception de Filles dans les Monasteres*) multorum fide dignorum relatione didicisset Urbanus V. „ Quòd in nonnullis Ecclesiis, Monasteriis, Priorati„ bus, & aliis locis Religiosis, tam virorum, quàm mulierum, „ Ordinum, Religionum & partium diversarum detestabilis, „ & à Canonibus reprobata servatur abusio, quod cum personæ „ aliquæ recipiuntur ab eis ad observantiam regularem, ipsæ „ temeritate præsumptuosâ pastus seu prandia Capitulis & Con„ ventibus ipsarum Ecclesiarum Monasteriorum, Prioratuum „ &

» & locorum, aut pecunias, aut jocalia, seu res alias ipsis » Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus & locis, seu Præsiden- » tibus eis, ex statuto seu consuetudine, quæ corruptela est » potiùs dicenda, tribuere compelluntur. «

Huic morbo pestifero medelam adferre cupiens sub gravioribus pœnis quàm hactenus essent inflictæ: » Universis Abbati- » bus, Prioribus, Decanis, Præpositis & Magistris, nec non » Abbatissis & Priorissis aliisque Prælatis quovis nomine nuncu- » patis, & eorum Officialibus quarumcunque etiam Ecclesia- » rum, Monasteriorum, Prioratuum, domorum & locorum » quorumlibet, Religionum, Ordinum etiam militarium, tam » exemptorum quàm non exemptorum, quocunque nomine » censeantur, ac Capitulis & Conventibus & singularibus per- » sonis eorum. « Per constitutionem suam (quam inter Extravagantes Communes in corpore juris relatam habemus) » Aucto- » ritate Apostolica (*quamvis sit eis*, inquit, *à jure inhibitum*) » districtius inhibemus, ne tam à maribus quàm à mulieribus » volentibus ingredi eorum Religionem, Ecclesias, Monaste- » ria, Prioratus, domus seu loca, in earundem personarum » receptione, aut ante vel post illam, quoscunque pastus, » prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam » *ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium* depu- » tata vel deputanda, *directè vel indirectè* petere vel exigere » *quoquo modo* præsumant, sed eas potius cum omnimoda pie- » tate recipiant, ac in victu & vestitu sicut alias personas sua- » rum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, domorum, » & locorum sincerâ charitate pertractent. Illa duntaxat quæ » personæ ipsæ ingredientes purè & spontè & plenâ liberalitate, » *omnique pactione cessante*, dare vel offerre Ecclesiis, Mo- » nasteriis, Prioratibus, domibus, & locis hujusmodi volue- » rint, cum gratiarum actione licitè recepturi. "

Quandoquidem in dicta constitutione Summi Pontific. Urbanus V. districtè inhibeat omnibus Monasteriorum Superioribus quidquam, in quemcunque etiam pium usum impendendum, *directè* aut *indirectè petere vel exigere quovis modo* à volentibus ingredi Religionem; sed illa duntaxat quæ personæ ipsæ ingredientes *purè & sponte & plenâ liberalitate*, OMNIQUE PACTIONE CESSANTE dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis &c. voluerint, permittat cum gratiarum actione recipere: non apparet quomodo cum hac generali & tam inixa prohibitione cum aliqua verisimilitudine consistere possit exactio pecuniæ à recipiendo titulo *alimentationis*, etiam quando Monasterium est insufficiens. Quare & Dionysius Carthusianus qui duobus libris, quos adversus simoniam circa ingressum in Religionem edidit, ostendere conatus est quòd nec titulo *paupertatis* aliquid ab ingredientibus peti vel exigi possit, verba dictæ Constitutionis in eam sententiam adeo clara & plena esse putavit, *ut nullam reciperent evasionem aut palliationem. Lib.* 1. *De Simon. artic.* 14. *Et lib.* 2. *art.* 10. dicit: » Quod Urbanus V. tam *evi-* » *denter* imo *clarissimè*, omnifariè & rigorosè prohibuit omnem » hujusmodi exactionem, directè indirectève factam sive sub ra- » tione pretii, sive sub colore *indigentiæ & sustentaculi vitæ*, » ut constitutio illa nullam prorsus recipiat *reflexionem*, *re-* » *torquentiam*, *epykizationem seu interpretationem ad oppositum*, quemadmodum jam luce clarius ex verbis ipsius est » demonstratum. Quam etiam Urbani constitutionem, pergit » prædictus Doctor, confirmavit Successor ejus Gregorius abs- » que exceptione & interpretatione. Ideò dato, inquit, (NOTA » BENE,) quòd *Thomas Ulricus*, *Raymundus*, *Joannes*, & » *qui ante Urbanum V. fuerunt*, intenderint dicere, quòd ali- » quid per *modum sustentaculi vitæ exigi possit* à persona reci- » pienda seu recepta, & quod hoc *non sit simoniacum ex sua* » *natura*, attamen omnia illorum scripta & dicta cessant atque » solvuntur per hoc, quod Dominus Apostolicus post eos de- » terminavit & jussit oppositum, per cujus deffinitionem & » prohibitionem omnis talis exactio, quæ per verba doctorum » jam prædictorum à quibusdam licita probatur ac reputatur, » absolutè prohibetur, imò & *simoniaca* esse censetur, itaque » simoniaca est ad minus de *jure positivo*, ut puta, *quia prohibi-* » *ta*. Quoniam verò quædam sunt simoniaca, quia prohibita, » & illa ex sua natura non sunt simoniaca, quædam verò sunt » prohibita, quia sunt simoniaca, quæ scilicet ex sua natura » sunt talia, ut in primo pleniùs scripsi libello. « Hæc Dionysius Carthusianus.

Prædicta Urbani Constitutio præterquam quod per relationem inter Extravagantes Corpori Juris inclusas partem Juris Communis efficiat, etiam nonnullis statutis Religiosorum inserta legitur. Et quidem Canonici Regulares Capituli Windesemensis *part.* 3. *cap.* 1. statuerunt *A novitiis nec vestis*, *nec aliud aliquid exigatur*, *nec exigens*, *quod absit*, *illius Extravagantis Domini Urbani quæ incipit*: SANE NE IN VINEA, *pœnam incurrat.*

Similiter Canonici Præmonstratenses anno XXX. currentis seculi, *Dist.* 1. *cap.* 15. §. 8. decreverunt, ut si supplicantes admitti ad Ordinem, » examinati, & probati, fini Ordi- » nis convenire putentur, exclusa omni simonia; & *Constitutione Urbani Papæ*, quæ incipit SANE NE IN VINEA DOMINI, &c. *integrè observata*, admittantur.

§. IV.

Ut omnis planè exactio in receptione ad Religionem faciliùs caveatur, voluit Ecclesia ne plures ad Monasterium recipiantur quàm in eodem Monasterio ali possunt.

CUM ordinarius ac frequentissimus prætextus seu titulus exactionis pecuniæ in admissione ad Religionem per Canones tam strictè & enixè proscriptæ, semper fuerit titulus *paupertatis*, seu *insufficientiæ*; imò ob periculum incidendi in *nimiam indigentiam* multorum malorum occasionem, quod ex gratuita ad vitam religiosam receptione timebatur, non pauci impossibilem dictorum Canonum observantiam causabantur; ut igitur Ecclesiæ Prælati huic prætextui efficaciter occurrerent, decreverunt, ut non plures in Monasteriis suscipiantur, quam in Monasterio absque necessariarum rerum penuria degere possunt: hoc quippe observato omne periculum incidendi in nimiam indigentiam ex gratuita ad Monasterium admissione cessabit.

Sub initium seculi IX. Synodus Arelatensis ann. 813. *Can.* 8. decernit. » Ut non amplius suscipiantur in Monasterio Cano- » nicorum atque Monachorum seu etiam puellarum, nisi quan- » tum ratio permittit, *& eodem Monasterio absque necessariarum* » *rerum penuria degere possunt.* «

Licèt citatus Canon, si simpliciter ut à Synodo Provinciali Arelatensi editus consideretur; ultra Provinciæ illius limites auctoritatem suam extendere nequeat, tamen in quantum Decretalibus Gregorii IX. *Cap.* 1. ✠ *de Instit.* est insertus, Juris Communis auctoritate est donatus. Quod ab allegato Arelatensi decreto statutum fuit, illud ipsum eodem tempore in Conciliis Moguntino *Can.* 19. Turonensi III. *Can.* 31. Remensi II. *Can.* 27. sancitum est.

Hæc Conciliorum decreta evidenter titulum *paupertatis* seu *insufficientiæ* excludunt: quandoquidem enim prædicta Concilia non permittant recipi ad Monasterium nisi quot ex ipsis Monasterii proventibus nutriri possunt; nullos consequenter admittere valent, quibus alendis Monasterium est insufficiens: ex quo evidentissima consequentiâ infertur quòd à nullo recipiendo potuerit quidquam titulo *insufficientiæ* exigi, nisi Canonibus præcitatis contraveniretur. Quapropter R. P. Natalis Alexander Ordinis FF. Prædicatorum S. T. Doctor ponens tanquam punctum disciplinæ seculi IX. *Pecuniam pro Monasterii ingressu recipere prohibitum erat*; in illius probationem citata Conciliorum decreta adducere non dubitat; imò & addit: *Quæ decreta necessaria non fuissent, si pecuniam nomine dotis pro Monasteriorum ingressu exigere licuisset. Parte* 1. *Diss. Hist. seculi* 9. *cap.* 5. *art.* 5. §. 18.

Deindè quòd scopus dictorum Canonum fuerit, violentas pecuniarum exactiones in receptione ad Religionem impedire, suadet ipsa temporis quo editi sunt conjectura; nec enim similes Canones quibus recipiendorum ad Religionem numerus limitatur, editi reperiuntur, nisi circa seculum IX. ex quo jam, ut constat ex Concilio Nycæno II. simonia etiam ipsa Monasteria invadere cœperat.

Non diffiteor tamen quin nonnunquam per similia decreta, quæ receptionem ultra numerum, qui ex Monasterii redditibus sustentari queat, inhibent, aliis etiam vitiis quæ ex nimia *multitudine* & *indigentia* nata sunt oriri, occurrere intenderit Ecclesia; & quidem *part.* 1. *cap.* 3. §. 2. hujus dissertationis ostendi, quòd ad extirpandum vitium *peculiare* dictorum Canonum exacta custodia plurimum concluderet; quapropter Prælati Provinciæ Burdigalensis anno 1238. apud Compinacum congregati, ut utrumque vitium proprietatis & simoniæ è Monasteriis extirparent, hoc remedium adhibuerunt: „ Abbatibus districtiùs inhibemus, & Capitulis Regularibus universis, inquiunt „ *Can.* 20. ne pecuniam aliquam pro victu vel vestitu præsumant Fratribus assignare, ne habendi proprium eis materia „ tribuatur; sed in communi eos pro posse satagant procurare, „ & pietate tractare paternâ. Nec aliquos recipiant, pacto, vel „ conditione, vel pecuniâ mediante; sed si Monasterii non sufficiant facultates, pauciores habere liceat, quàm hactenus fuerit consuetum: & deinceps nulli admittantur, donec de communi possint vivere, sicut superiùs est expressum."

§. V.

Num Bonifacius VIII. in cap. Periculoso, §. Sane, De Statu Regular. in VI. *voluerit occurrere exactionibus pecuniæ in receptione ad Religionem.*

BOnifacius VIII. circa finem seculi XIII. adeoque post tempora SS. Thomæ, Bonaventuræ & Raymundi districtiùs inhibuit ne in Monasteriis Ordinum non mendicantium aliquæ re-

recipiantur de cætero in Sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari.

Verum quidem est, quod Pontifex hujus sui decreti scopum esse affirmet, ut salutare suum statutum de exacta custodia clasuræ commodiùs valeat observari; sed ut anteriori §. notavimus, Concilia nec non Romani Pontifices per hæc de præfixione numeri recipiendorum ad Religionem decreta, omnibus vitiis, quæ ex nimia indigentia oriri solent, sæpe occurrere intendunt, tametsi nonnunquam unum, quod fortè occasionem dedit statuto, exprimant. Quare non sequitur, Bonifacius VIII. intendit hac constitutione occurrere violationi clausuræ, ergo non intendit eâdem constitutione occurrere pecuniarum exactionibus, quibus nimia penuria sæpè causam tribuit. Unde Dionysius Carthusianus agnoscens quidem quòd Bonifacius per præallegatam Decretalem scandalosis evagationibus Monialium remedium adferre voluerit, incunctanter tamen *lib. 2. de Sim. art.* 2. adjungit: » Imò & hæc potiùs videtur fuisse intentio constitutionis illius, ne occasione receptionis » ultra numerum prætaxatum Moniales habeant causam aut exercitamentum exigendi aliquid à persona recipi postulante, aut » facciendi pactum cum ea de dando aliquod temporale ante absolutam receptionem ipsius ad Ordinem. « Et inferiùs adjungit: » Si pauperes personæ Religiosæ dicant se constitutionem hanc » Apostolicam (Urbani V. quæ incipit: *Ne in vinea*) non posse » implere, ut scilicet venientes & recipi cupientes, tam gratis » & sine omni exactione ac pactione suscipiant, eisque ut sibi » ipsis nil exigendo provideant; jam ex introductis in isto artículo habebunt consilium & responsum quid agere debeant, » scilicet ut *non recipiant ultra numerum, quem prævalent sustentare*; nec desiderio plures suscipiendi, exactiones & pactiones nefarias, scandalosas, iniquas committant. «

Ejusdem sententiæ cum Dionysio Carthusiano circa mentem dictæ Decretalis Bonifacii VIII. videntur fuisse Doctores Universitatis Heydelbergensis, quorum resolutiones verbis sequentibus refert Dionysius Carthusianus ad calcem, *lib. 2. de Simonia.*

» Quod in Monasterio Ordinum non Mendicantium non liceat aliquam recipere in Monialem, & Sororem, quæ cum » aliis ibi antea receptis de ipsius Monasterii bonis sive proventibus absque penuria sustentari non possit; nec cum ingrediente hujusmodi Monasterium, aut alio ex parte ejus de aliquo » temporali dando pacisci seu convenire, est pro vero tenendum, prout ex præmissis satis patet. Velut præscribitur, » dicendum mihi videtur, mihi, videlicet Magistro Nicolao de » Wachenheym, Sacræ Theologiæ Professori in studio Heydelbergensi in eadem legenti, judicio meliori salvo, quod » propria manu testor.

» Quòd in Monasterio Ordinum non Mendicantium aliquam » non liceat recipere in Monialem & Sororem, quæ cum aliis » ibi anteà receptis de ipsius Monasterii bonis sive proventibus absque penuria sustentari non possit, nec cum ingrediente hujusmodi Monasterium, aut alio ex parte ejus de aliquo » temporali dando convenire sub quacunque forma vel colore, » prout ex præmissis satis deducitur, dico juris esse & de jure » tenendum, ego Bartol. de Herkemeye Decretorum Doctor, » actu in studio Heydelbergensi in jure Canonico Regens & ordinariè legens. Ideo me propriâ manu scripsi, salvo tamen judicio semper meliori.

» Prout suprà scriptum est, videtur mihi Conrado Degen » de Mimmigen, Decretorum Doctori, ordinariè in jure canonico in studio Heydelbergensi legenti, de jure dicendum salvo judicio meliùs sentientium, manu propria pro sigillo.

» Ita ut scriptum est, videtur mihi Joanni Vulidenhertze » de Fritzlaria, juris utriusque Doctori in studio Heydelbergensi in Jure canonico ordinariè legenti, de jure dicendum & » consulendum, salvo judicio meliori, quod propriâ manu » testor.

» Uti præscriptum est, videtur mihi Joanni Schroder de » Heydelberga, Juris utriusque Doctori in felici studio Heydelbergensi, in Jure Civili ordinariè legenti, de jure dicendum, salvo judicio meliùs sentientium, quod manu testor » propriâ.“

Hunc Bonifacii VIII. in hac Constitutione scopum fuisse R. P. Ludovicus Thomassin. Presbyter Oratorii, tametsi in hac materia de laxitate potiùs quàm de rigore suspectus, *De Disc. Eccles. parte* 4. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 6. agnoscit; reddens enim rationem quare Pontifex dictam Decretalem pro solis Monialibus Ordinum non Mendicantium conceperit, ita loquitur: „Pontifex iste (Bonifacius VIII.) statuit solùm de Monialibus, & » quidem de his quæ secundum professionem suam non mendicant. Undè verò simile evadit, quòd tunc temporis exigua » cura esset Simoniæ vitium ab Ordinibus Mendic. avertere, » illisve suppositarum numerum limitare. Non enim alio intuitu » numerus recipiendarum secundum proventuum quantitatem » determinabatur, quàm ut *violentæ exactiones in Religionis ingressu impedirentur*; nec erat ratio præcavendi ne quid exigeretur in Domibus, quæ mendicitatem ipsam honori ducebant.“

Hæc R. P. Ludovicus Thomassinus: si quis tamen contendere vellet hujus Auctoris, ac prædictorum Doctorum interpretationem verbis & menti Bonifacii non esse consonam; nolim super eo quæstionem habere: plusquam enim sufficientia puto hactenus adducta & infrà adducenda Conciliorum ac Pontificum decreta ad adstruendum hanc positivam Ecclesiæ prohibitionem, licet Decretalia Bonifacii auctoritate destitueremur.

§. VI.

Proponitur & discutitur decretum Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 3. *de Regularibus.*

POstquam Synodus Tridentina omnibus Monasteriis tam virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capuccinorum & eorum qui *Minorum de Observantia* vocantur, concessisset, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceret, *Sess. 25. de Regul. cap. 3.* subjungit: „ In prædictis autem Monasteriis & domibus, tam » virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel » non possidentibus, iis tantùm numerus constituatur, ac in » posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. «

Ex dicto Concilii contextu patet, quòd prædictum decretum concernat Monasteria non tantùm mulierum sed etiam virorum; nec tantùm Ordinum non mendicantium, sed etiam Mendicantium, licèt immobilia non possidentium, sed ex consuetis solummodo eleemosynis victitantium; atque ita, ut benè notat Fagnanus ad *Cap.* NON AMPLIUS, ✠ *De Instit. num.* 13. » hac in parte ampliavit Constitutionem Bonifacii ad Monasteria quæcunque etiam Ordinum Mendicantium. Nec obstat impossibilitas taxationis, quoniam ex Concilio *in Monasteriis » non possidentibus bona stabilia fieri potuit taxatio secundum » consuetas eleemosynas.“*

Deinde Synodus Tridentina nullitatem professionis, in casum contraventionis, non adjiciens, ipsam Bonifacii VIII. Constitutionem, quæ professionem Monialis ultra numerum præfixum receptæ annullabat, in hoc puncto rursus correxit ac temperavit; atque ita Concilium Tridentinum hac in re revocavit Jus Commune, de quo in *Cap.* 1. ✠ *De Institut.* quod generatim præcipit, ut & in Monasteriis virorum & puellarum non ampliùs suscipiantur, quàm de bonis Monasterii sustentari sine penuria possint, non adjectâ tamen nullitate professionis in casum contraventionis.

§. VII.

Inter cætera quæ pro conservanda regulari disciplina decrevit Synodus Trident. præcipuum meritò habetur decretum de quo §. præcedenti.

PRæcitatum Concilii Tridentini decretum pro conservanda regulari disciplina plurimùm conducere quisque facilè intelliget, si advertat ad incommoda quæ per illius exactam observantiam à Monasteriis averterentur. Etenim præterquam quòd illiùs observantia portam occludat exactionibus pecuniarium in receptione ad Monasteria, ut infrà ostendetur; insuper ex illius observantia fieret ut omnibus Religiosis ex communi Monasterii substantia vitæ necessaria suppeditari possent, quo contingeret, ut juxta antedicta primâ hujus Dissertationis parte, pro magna parte occasio *Peculiaritatis* substraheretur.

Occurreretur quoque per illius exactam custodiam plurimis Regularium, præsertim Monialium, mordacibus curis & anxietatibus, quæ ex defectu necessariorum in mulieribus frequenter oriuntur.

Denique conducit vel maximè dictum decretum ut clausura Monialium exactiùs observetur; sæpiùs quippè rerum temporalium penuriam evagationibus & infractioni clausuræ occasionem suppeditare, constat, tum ex ipsa præallegata Bonifacii VIII. Decretali, tum Pii V. Constitutione quæ incipit: *Cura Pastoralis*, quam pro exactiori clausuræ custodia edidit, & in qua Pius V. sæpe dictum Concilii Trident. decretum, ut clausura exactiùs servaretur, specialiter observari præcipit.

Non mirum proinde quòd Innocentius X. Constit. *Inter cætera*, 23. *in Bull. Rom.* dixerit: » Inter cætera, quæ ad regularem disciplinam instaurandam conservandamque Sacro» sancta Trident. Synodus salubriter decrevit, *illud semper » præcipuum & maximi momenti habitum est*, quod injungitur » ut in singulis Monasteriis & domibus regularibus is tantùm » numerus constituatur & in posterum conservetur, qui vel ex » redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosy» nis commodè sustentari possit. « Ex quo ulteriùs consequens est, mirum non esse Romanos Pontifices tantopere decreti illius

lius executione & observatione allaborasse, ut ex præcitata, & aliis Pontificum constitutionibus constat.

Quinimò cùm Innocentius X. anno 1646. mense Martio instituisset Congregationem nonnullorum » S. R. E. Cardinalium, » & Romanæ Curiæ Prælatorum super statu seu reformatione » Regularium : primum omnium (inquit Fagnanus *ad cap. Relatum*, ✠ *Ne Cler. vel Monachi*, *num.* 43.) in ea deliberatum » est de præfigendo in singulis Monasteriis numero tot perso- » narum, quot ex illorum redditibus absque penuria sustentari » possent ad præscriptum Concilii Arelatensis *cap.* 8. *relati* in » Cap. 1. *supra*, *de Instit.* Concilii Tridentini *Sess.* 25. *De* » *Regul. cap.* 3. & Constitutionum Apostolicarum : Atque ab » omnibus unanimiter in eam sententiam itum est, ut fiat cons- » titutio, qua injungatur Superioribus tam generalibus, quam » provincialibus, & localibus quarumcunque Religionum, ut » infra terminum quatuor mensium transmittant statum tempo- » ralem singulorum Monasteriorum existentium intra fines Ita- » liæ, & Insularum adjacentium ad Priorem Generalem seu » Religionis in urbe commorantem, qui unâ cum aliis Religiosis » ad hoc deputandis præfigat in unoquoque Monasterio eum » tantum numerum, qui ex redditibus propriis, vel consuetis » eleëmosynis congrue possit sustentari. «

Deinde refert Fagnanus juxta sententiam Congregationis ab Innocent. X. editam, ac promulgatam Bullam quæ incipit : » *Inter cætera* ; & adjungit, quòd infra terminum octo mensium » in prædicta constitutione præfixum Regulares omnes cujus- » cunque Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti eâ, » qua decet, obedientiâ paruerint : nam ex omnibus Italiæ Pro- » vinciis, & adjacentium Insularum exhibitæ fuerunt scripturæ » originales statum singulorum Monasteriorum continentes, subs- „ criptæ ac juramento firmatæ unà cum summario reddituum & „ expensarum, ac præfixione familiæ uniuscujusque Monaste- „ terii.“ His relatis ulteriùs addit : „ Cùm verò compertum es- „ set multas Religiones constare ex quamplurimis Conventi- „ bus, in quibus ob reddituum tenuitatem actu non alebantur „ nec ali poterant tot Religiosi, quod sufficerent ad observan- „ tiam regularis disciplinæ ; idcirco in pluribus sessionibus ma- „ turè deliberatum fuit de illorum suppressione ac reddituum „ applicatione : & factâ Sanctissimo relatione Sanctitas sua pro- „ bavit congregationis sententiam.“ Hæc Fagnanus, qui & Bullam Innocentii X. suppressionis parvorum Conventuum totamque rei historiam, ipso præsente & operam navante peractam refert.

Ex quo rursus patet adeò necessariam pro regularis disciplinæ conservatione Romanos Pontifices executionem sæpiùs dicti decreti judicâsse, ut putaverint potiùs plurimos Conventus supprimendos, quàm ut generalis executio illius decreti impediretur.

Quàm utilè, imò necessarium pro conservatione regularis disciplinæ superiùs nominatum Concilii Tridentini decretum crediderint Synodi Provinciales, vel inde patet, quòd nullum pene hujusmodi Concilium post Concilium Tridentinum celebratum sit, in quo non specialiter illud decretum innovatum, & ut executioni mandaretur, enixè mandatum fuerit.

§. VIII.

Quid Synodus in præcitato decreto intelligat per consuetas eleëmosynas.

QUid Synodus Tridentina intellectum voluerit per *consuetas eleëmosynas*, ex ipso textu sufficienter intelligi videtur: præmiserat enim Synodus, quòd quædam Monasteria, etiam Ordinum Mendicantium, bona immobilia permitterentur possidere, quæ ita partim ex propriis viverent redditibus, partim ex eleëmosynis ; quædam verò quæ nulla immobila possiderent, sed ex solis eleëmosynis victitarent ; ac postmodum subjicit : „ In omnibus prædictis Monasteriis & Domibus bo- „ na immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantùm „ numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui ex „ redditibus propriis Monasteriorum, vel ex *consuetis eleemo-* „ *synis* commodè possit sustentari.“

Voluit proinde Synodus ut in præfigendo Religiosorum numero in Monasteriis Ordinum *Mendicantium* haberetur ratio *consuetarum eleemosynarum*, ex quibus Fratres illorum Ordinum vivere solent, sicuti Religiosi aliorum Ordinum ex propriis Monasterii redditibus : unde quia Canones de quibus §. 4. & Decretalis Bonifacii VIII. de Religiosis Ordinum Mendicantium non agunt, etiam nulla *consuetarum eleemosynarum* in illis mentio occurrit. Ex quo patet quod Synodus per *consuetas eleemosynas* intellexit *eleemosynas*, quas Fratres Ordinum Mendicantium à Fidelibus petere & accipere solent.

Quapropter Pius V. in Constitutione quæ incipit : CURA PASTORALIS, 8. *Bull. Rom.* quam pro conservanda Monialium clausura promulgavit, dicit, *consuetas eleemosynas* ex quibus Moniales vivere debent, & quarum quantitate inspecta numerum recipiendarum statuendum decernit, per conversas aliquas quæ extra Monasterium degunt colligendas esse ; vel si eo modo neccessitatibus Monialium sufficienter succurri non possit, mandat ut ipsi Ordinarii aut Superiores earum provideant de aliis personis piis & Deo devotis, quæ *Fidelium eleemosynas colligant*. Ex quo luce clarius est, quòd per *consuetas eleemosynas* juxta quas numerus Monalium est præfigendus, Pius V. intellexerit *eleemosynas* quas ostiatim Sorores Ordinum Mendicantium petere solebant.

Rectè proinde notavit Joannes Wiggers *loco citato* „ quòd „ nullam habeat probabilitatis speciem commentarius ille, quem „ aliqui faciunt super verbis Concilii, quòd, dum dicitur vel „ ex *consuetis eleemosynis*, ibi sub *consuetis eleemosynis* com- „ prehendantur *dotes*, quas vocant inferendas à Novitiis.

„ Quomodo enim illæ sunt *eleemosynæ*, ut rectè advertit „ dictus Auctor, quæ ad tam certam summam solemni stipula- „ tione seu pactione determinantur, & quomodo illæ possunt „ dici *consuetæ eleemosynæ*, cùm per accidens & quasi extra „ ordinem accedant.“

Deinde si dotes inferendæ à Novitiis nomine *consuetarum eleemosynarum* venirent, cùm illæ communes esse possint etiam Monialibus Ordinum *non mendicantium*, debuisset Bonifacius VIII. in præallegata sua Constitutione quemmadmodum Synodus Tridentina, *consuetas eleemosynas* expressisse.

Sola igitur ratio quare Synodus Tridentina *consuetas eleemosynas* in decreto suo expresserit, est, quòd non tantùm in Monasteriis *Ordinum non Mendicantium*, sicuti Bonifacius VIII. sed etiam Ordinum *Mendicantium* numerum præfixum voluerit ; ac per consequens evidens est, quòd eas *eleemosynas* intellectas voluerit, quæ Religiosis horum Ordinum particulares sunt.

Neque in contrarium facit constitutio Clementis VIII. quæ incipit *Nullus omnino*, in qua juxta mentem Concilii Tridentini mandat Pontifex, ut in unoquoque Conventu is numerus constituatur, qui ex redditibus illis propriis, vel ex communibus, consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, *aliisque quibuscunque obventionibus in commune*, *ut præfertur*, *conferendis*, commodè possit sustentari. Nihil, inquam, in hac constitutione, vel in speciem occurrit, quod arguat sub *consuetis eleemosynis* ad mentem Concilii Trident. *dotes* esse comprehensas : evidens enim est, quòd illis verbis, *aliisque quibuscunque obventionibus*, intelligat Pontifex illas species obventionum, quas §. 2. suæ Constitutionis expresserat, ad quas se refert per verba : *ut præfertur*, *in communi conferendis* : inter illas verò obventionum species ibidem expressas nec apparenter de illa obventione, quæ fit per *dotis receptionem* mentio occurrit ; qui igitur ex præfata Constitutione elicit, quòd Concilium Trid. sub *consuetis eleemosynis* dotes comprehenderit, ad præcedentia attendisse non videtur.

§. IX.

Probatur quòd cum præcitato decreto Concilii Trident. non consistat exactio pecuniæ à volentibus ingredi Religionem, quando proventus Monasterii non sufficiunt, ut plures alere possint.

QUòd Synodus Tridentina per sæpè dictum decretum omnem pecuniæ exactionem, etiam titulo *insufficientiæ* excluserit, probari potest, tum ex iis quæ §. 4. adducta sunt, ut ostenderetur quòd Canones ibidem allegati omnem similem exactionem excluserint, tum vel etiam hoc unico dilemmate evinci potest : vel enim Monasterium supponitur *sufficiens* ut vel ex propriis redditibus, vel consuetis eleemosynis (has intelligendo prout ex mente Concilii intelligendas esse §. præcedenti ostendi) supplicantem alere valeat ; vel est *insufficiens* : si prius, evidens est quòd nihil à supplicante *titulo insufficientiæ* prætendi queat : si posterius, jam amissioni supplicantis obstat prædictum Concilii decretum quo præcipitur : » Ut in Monasteriis Virorum ac Mulierum is tantùm nu- » merus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel » ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis ele- » emosynis commodè possit sustentari. «

Hisce rationibus si addamus ea, quæ in conformitatem dicti decreti Concilii Trid. in Synodis particularibus pro executione illius Concilii celebratis sancita sunt, faciliùs credes quòd cum prænominato decreto non consistat exactio pecuniæ à volentibus ingredi Religionem, etiam dum Monasterium est *insufficiens* ut plures alere possit.

Biennio post absolutam Tridentinam Synodum pro ejusdem executione indicta Synodus Provincialis Cameracensis decrevit *Tit. de Monast. cap.* 12. » Quandoquidem rarò admodum ter- » minentur fine bono, quæ malo inchoantur principio : abes- » se omninò vult Sancta Synodus à Religionis ingressu labem, » etiamque speciem detestabilis simoniæ. Quocirca præcipit se- » riò *sacros Canones insecuta*, ne Monachi vel Moniales ali- » quem vel aliquam ad professionem recipiant mediante alicu- » jus

„ jus pecuniæ, aut muneris pacto: *ne ea quidem ex causa, „ quod plures alere non possint sine aliquo subsidio*: cum Tri„ dentina Synodus *cap. 3. de Regularibus* apertè velit, ne plu„ res recipiantur in Monasterium, quàm ex propriis Monaste„ riorum redditibus, vel ex consuetis eleemosynis commodè „ ali possint. "

Præcipit hæc Synodus ne Monachi vel Moniales aliquem vel aliquam ad professionem recipiant mediante alicujus pecuniæ vel muneris pacto; ne ea quidem ex causa quòd plures alere non possint sine aliquo subsidio, id est, titulo *veræ insufficientiæ*, cùm Tridentina Synodus, &c. Ex quo facilè videre est quòd hujus Synodi Patres non dubitaverint quin per prædictum Concilii Trid. decretum exclusa esset omnis pecuniæ exactio, etiam dum Monasterium plures ad Religionem sine aliquo temporali subsidio recipere non posset.

Quandoquidem huic Provinciali Concilio interfuerint Franciscus Richardus S. T. D. Ordinis Eremitarum S. Augustini Episcopus Atrebatensis, Antonius Havetius S. T. D. Ordinis S. Dominici Episcopus Namurcensis, Michaël Baius, & Joannes Hesselius Doctores Theologi Lovanienses, qui Concilio Tridentino astiterant eo tempore, quo sæpe nominatum decretum fuit conceptum & promulgatum; facilè quisque intelligit quantum auctoritatis pro asserendo genuino Concilii Trid. intellectu hoc Concilium Provinciale habere debeat. Insuper Gandensium Antistitem Cornelium Jansenium, qui una cum prænominatis Theologis à Philippo II. Hispaniarum Rege ad Synodum Trident. (ut ex historia ejusdem Concilii constat) ablegatus, Patribus dictæ Synodi in formandis decretis tanquam Theologus adstitit, tametsi huic Provinciali Concilio interfuisse non constet; Diœcesanæ tamen Synodo anno 1567. celebratæ, in qua omnia dicti Concilii Provincialis decreta confirmata fuerunt, illum interfuisse, si opus sit, probare possum.

Synodo huic Provinciali consonat ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis, quæ postquam præcepisset omnibus Monasteriorum Superioribus, ut omnia quæ in Conciliis Tridentino & Cameracensi de Monasteriorum reformatione & ad Regularem observantiam reductione sancita sunt, executioni mandent, subjungit: „ Porrò quò commodiùs & rectiùs id „ fiat, ut ea, quæ in mox nominatis Conciliis decreta sunt, in „ executionem veniant, statuimus quædam eorum hîc clariùs „ repetenda, quædam etiam addenda. Absit itaque *imprimis* „ ut Religionis ingressus irreligioso simoniæ crimine maculetur. „ Nihil ergo *quovis prætextu*, etiam *paupertatis*, à cupienti„ bus Religionem ingredi exigatur. " An. 1583. *tit.* 17. *cap.* 2.

Mentem Concilii Trid. non minùs apertè aperuerunt Patres Concilii Remensis in decreto, quod *tit. de Simoniac.* §. 10. contra Simoniacas in receptione ad Religionem exactiones promulgârunt: „ Qui pro Religionis seu Monasterii ingressu ali„ quid extorserit, Simoniacus esse censeatur. Nam licèt opes „ Monasterii sint adeò tenues, ut vix ingredientem alere „ queant, eumque oporteat aliquando pro alimentis & vesti„ bus aliquid Monasterio conferre, tutâ conscientiâ modò id „ fiat ante votorum emissionem, tamen *ut deinceps omnis ne„ quitiæ amputetur occasio*, SYNODI TRIDENTINÆ DECRETIS „ ADMONITI, statuimus, ne deinceps in quibuscunque Monas„ teriis major numerus Monachorum vel Monialium admittatur, „ quàm qui ex propriis redditibus Monasterii vel eleemosynis „ assuetis educari queat. "

Supponit prænominata Synodus opes Monasterii adeo tenues, ut vix ingredientem alere queant, eumque oporteat ob Monasterii penuriam aliquando pro alimentis & vestibus aliquid Monasterio conferre tutâ conscientiâ, modò id fiat ante votorum emissionem; tamen ut deinceps, inquiunt illius Synodi Patres, omnis nequitiæ amputetur occasio, *Synodi Tridentinæ decretis admoniti* statuimus, ne deinceps, &c. ex quibus manifestum est hujus Synodi Prælatos nec dubitasse, quin mens Concilii Tridentini fuerit omnem prorsus exactionem pecuniæ, etiam illam, quæ fit *veræ paupertatis* titulo, excludere.

Quantæ verò auctoritatis pro assequendo genuino Concilii Tridentini sensu esse debeat dictum Concilii Remensis decretum, vel ex solo diplomate Apostolico super confirmatione Concilii quod hîc subjicimus, quisque intelliget.

GREGORIUS PP. XIII. *Dilectio Filio nostro Ludovico S. R. E. Presbytero Cardinali Guisiæ nuncupato.*

„ Dilecte Fili noster, salutem & Apostolicam benedictio„ nem. Mandavimus decreta Synodi Provincialis Archi-Episco„ pâtus tui, quæ ad nos misisti per venerabiles Fratres nostros „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales super dubiis in materia „ Concilii Tridentini occurrentibus deputatos, diligenter cog„ nosci, atque, *ubi opus esset*, *emendari*. Remittimus *nunc „ tibi eum librum emendatum*. Facies ut quæ piè prudenterque „ decreta atque emendata sunt, quàm diligentissimè serven„ tur: hæc enim reliqua pars est curæ tuæ, sine qua omnis „ hactenus labor frustra susceptus est. Speramus id de pari stu„ dio & diligentia curaturum esse. Datum Romæ apud Sanc„ tum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 30. Julii 1584. „ Pontificatus nostri anno decimo tertio. "

Ex diplomate pontificio habemus quòd dicta Synodus mentem Concilii Tridentini eo quo dictum est modo interpretando, ex sententia Cardinalium super dubiis in materia Concilii Tridentini deputatorum ac ipsius Pontificis, à vero sensu generalis illius Concilii non aberraverit.

Similiter Synodus Aquileiensis anno 1596. habita, & auctoritate Pontificiâ approbata, non obscurè prædictum Concilii Tridentini sensum *tit.* 19. adstruit dum statuit: „ Ut Episcopi „ in sibi subjectis ordinariâ, in aliis Apostolicâ auctoritate, si„ bi Pontificiâ constitutione attributâ, adhibitis Superioribus „ Regularibus præstituant numerum Monialium, quæ in Mo„ nasterio ali possint. Si plures sint quàm ali commodè possint, „ decedentibus aliquibus non recipiatur alia, nisi redigatur nu„ merus eo, ut adæquatis facultatibus possit sustentari: quod „ districtè præcipimus observandum, ne premat egestas, & „ rei necessariæ inopiâ pereant omnia. Interim verò curetur, ut „ ipsis Monialibus, vel ipsarum industria publicis, & privatis „ eleemosynis subveniatur, dispositis etiam per Ecclesias cap„ sulis, in quas charitatis subsidia conferantur. "

Si illius Synodi Patres credidissent, quòd ultra præfixum numerum aliquæ cum dote competente recipi potuissent, ut quid adeò districtè prohibuissent receptionem supernumerariæ, *ne premat egestas*, *& rei necessariæ inopia pereant omnia*; cùm omnibus incommodis quæ ex receptione supernumerariæ timebantur, facilè per dotis conventionem occurri potuisset.

Insuper ex finalibus dicti decreti verbis apertè colligimus quas eleemosynas, per quas Monialium penuriæ succurratur, hæ cSynodus intellexerit.

Præfata hæc Conciliorum decreta si quis sine præoccupatione expenderit, plus quàm sufficientia arbitror, ut omnem de Concilii Tridentini mente ambiguitatem tollant.

§. X.

Proponitur sententia Joannis Hesselii de Simonia circa ingressum Religionis.

JOannes Hesselius, quem sententia ipsius Concilii latere non poterat, utpote recenter ex eodem Concilio Tridentino reducem, in suo super Decalogum Commentario *cap.* 211. *de Vitio Simoniæ*, ita disserit: „ Est Simonia venditio vel emptio „ rei spiritualis, vel alicujus temporalis, quod spirituali an„ nexum est: & mediante re temporali transfertur in alterum. „ Quisquis enim horum alterum vendiderit, neutrum inven„ ditum dereliquit. Ut ex. gr. Præbenda in Monasterio vel ip„ sum Beneficium nemini datur, nisi recipiatur in Fratrem Mo„ nasterii; & nisi conferatur ei jus faciendi officium Beneficii. „ Qui ergo vult vendere victum Religioso futuro & Beneficium, „ vendit spirituale jus officiandi in Beneficio, aut Monasterio. „ Multis modis Sancti Patres conati sunt hoc grande peccatum „ Simoniæ extirpare, imitantes Sanctum Petrum, qui Simo„ nem Magum rejecit offerentem pecuniam cum hac maledictio„ ne: *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Sed propter inex„ plicabilem avaritiam contempserunt homines Sanctorum Pa„ trum conatus. Et quia fragilis sexus fœmineus est valde timi„ dus, semper timet defutura necessaria; ideo (sicut testatur „ Synodus Lateranen.) plerasque Moniales usque adeo labes Si„ moniæ infecit, ut *paupertatis* prætextu nullas velint recipere „ Sorores, nisi dato aliquo. *Proinde* novissimè in Tridentina Sy„ nodo constitutum est, ut is tantùm numerus in singulis Mo„ nasteriis constituatur, qui ex consuetis redditibus & eleemo„ synis potest commodè sustentari. "

Ex his manifestum est, quòd judicio Hesselii, qui tempore formati decreti Tridentino Concilio interfuit, mens Concilii Tridentini fuerit, omnem planè pretextum exigendi pecunias à recipiendis ad Religionem excludere.

§. IX.

Judicium Doctorum Lovaniensium super quæstione: Num liceat pacisci de certa pecuniæ summa sustentationi admittendi necessaria quando Monasterii proventus non sufficiunt ut admittendum sustentent.

CASUS.

„ MOnasterium FF. Ordinis Canonicorum Regularium „ S. Augustini, Sas Wallone Castellano Insulensi ab „ annis plusquam sexcentis in Belgio fundatum & dotatum, ad „ eas hoc tempore est redactum angustias ob diuturna bellorum „ incommoda, & debita inde contracta: ut neque Religiosi „ hactenus Professi ob paucitatem ad chori aliaque Monasterii „ onera sustinenda, neque ejusdem Monasterii proventus ob „ tenuitatem ad plures Religiosos debitè alendos sufficiant.

„ Quæritur an Reverendus Abbas non possit, tutâ conscien„ tia

» tiâ admittere adolescentes aliquos primò ad novitiatum, ac » deinde ad professionem cum pacto de persolvendâ certâ pecu- » niæ summa admittendorum sustentationi necessaria. «

RESOLUTIO.

» ÆQuissimum esse ut Monasteria antiqua per Fundato- » res suos sic primitus dotata pro alendo competenti » numero Religiosorum ad Chori, aliaque Monasterii munia » sufficerent; omni meliori modo & via licitis juventur, qui- » bus numerus pro Monasterii officiis requisitis sutineri possit, » rei evidentia loquitur.

» Hinc cum Monasterium, de quo casus proponitur ab » initio sui debitè dotatum fuerit, sed per temporum miserias » eo jam redactum asseratur, *ut neque Religiosi hactenus pro-* » *fessi ob paucitatem, ad Chori, aliaque Monasterii onera sus-* » *tinenda, neque ejusdem Monasterii proventum ob tenuitatem* » *ad plures Religiosos debitè alendos sufficiat*; rationi conso- » num est, ut superiores ejusdem de modo prospiciant, quo » huic suæ necessitati provideant.

» Et quidem ubi alius modus conveniens suppeteret ad ne- » cessitati Monasterii succurrendum, aliter quàm per exactionem » summæ pecuniariæ ab admitendis pro sustentatione, is certè „ usurpandus foret, & à pecuniæ summa exigenda abstinendum. „ Eo magis quod plures Ecclesiæ Canones, Conciliorum de- „ creta, si sepositis glossematibus, prout jacent, ponderen- „ tur, reverà videantur voluisse generaliter inhibere omnem „ pactionem pecuniarum circa Religionis ingresum, & ad il- „ lam admittendos.

„ Et inter alios hunc sensum omninò ingerit Cap. *Quoniam* „ *Simoniaca labes, lib.* 5. *Decret. tit.* 3. Nam ut benè observat „ Joannes Wiggers *Tract.* 7. *de Justit. cap.* 4. *dub.* 10. *n.* 54. „ de mente illius Capituli discurrens, *videtur simpliciter ge-* „ *neralis prohibitio ex prohibentis intentione, ut sic tollatur oc-* „ *cassio illius falsi prætextus* (paupertatis) *& inextirpabilis Si-* „ *moniæ, quæ in istis exactionibus ordinariè committitur: quia* „ *vel fingitur paupertas, quæ vera non est, vel plus exigitur,* „ *quàm ad supplicantis personæ sustentationem requiritur, at-* „ *que ita voluit Pontifex ponere securim ad radicem & prohi-* „ *bendo absolutè omnem exactionem, præscindere omnem occasio-* „ *nem.* Legantur, quæ ibidem subjungit *num.* 56. & 57. quibus „ abusus aliquos persequitur, ex ejusmodi exactionibus pul- „ lulantes.

„ Eodem collimat Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 3. „ *De Regul.* dum ibi statuit, ut his tantùm numerus Religio- „ sorum tam virorum, quàm mulierum in quolibet Monaste- „ rio constituatur, qui commodè ex redditibus Monasterii & „ consuetis eleemosynis ali possit.

„ Etsi enim non desint auctores, qui Canonum & Conci- „ liorum super hac re decreta eo trahere conantur, ut de so- „ lis Monasteriis opulentis loquantur, non etiam de inopibus, „ horum tamen expositiones contortas esse, dubio citato pro- „ bat idem Wiggers.

„ Et porrò vehementiùs persuadent plurimum Conciliorum „ Provincialium decreta tum anteriora, tum posteriora Triden- „ tino, ut inter cætera Concilii Trevirensis de anno 1549. *Tit.* » *de Religiosis, Monachis & Monialibus*, ita inquientis: *Gra-* „ *tis singulis ad professionem recipiantur nullo accepto pretio,* „ *vel ulla facta conventione, & ne sub prætextu paupertа-* „ *tis pallientur, districtè inhibemus.*

„ Rhemensis quoque de anno 1583. *cap. de Simoniacis &* „ *fiduciariis, num.* 10. sic ordinantis: *Qui pro Religionis seu* „ *Monasterii ingressu aliquid extorserit, Simoniacus esse cen-* „ *seatur; nam licet opes Monasterii sint adeo tenues, ne vix* „ *ingredientem alere queant, eumque oporteat aliquando pro* „ *alimentis & vestibus aliquid Monasterio conferre tutâ cons-* » *cientiâ, modò id* non *fiat ante votorum emissionem; tamen ut* „ *deinceps omnis nequitiæ amputetur occassio, Synodi Triden-* „ *næ decretis adhærentes, statuimus, ne deinceps in quibus-* „ *cunque Monasteriis major Monachorum vel Monialium nu-* „ *merus admittatur, quam qui ex propriis redditibus Monas-* „ *terii vel eleemosynis assuetis educari queat.*

» Aquileënsis etiam de anno 1596. *cap. de Monialibus*, ita » statuentis: *Episcopi cum Superioribus Regularibus præsti-* » *tuant numerum Monialium, quæ in Monasterio ali possunt. Si* » *plures sunt, quàm ali commodè possint, decedentibus aliis non* » *sufficiatur alia, nisi redigatur numerus eo, ut adæquatis fa-* » *cultatibus possit sustentari; quod districtè præcipimus obser-* » *vandum, ne premat egestas, & rei necessariæ inopia pereant* » *omnia.* Horum incommodorum exiguum suberat periculum, » si licebat cum ingredientibus pacisci de dote inferendâ.

» Denique ut pateat, quæ olim fuerit sententia Antistitum » Belgii, prædictis accedat Conc. Cameracense de anno 1565. » quod, *tit. de Monasteriis virorum & mulierum, cap.* 12. sic » decrevit: *Quandoquidem rarò admodum terminantur bono* » *fine, quæ malo inchoantur principio, abesse omninò vult Sanc-* » *ta Synodus à Religionis ingressu labem, etiamque speciem de-* » *testabilis Simoniæ: quo circa præcipit seriò* SACROS CANONES » *insecuta, ne Monachi vel Moniales aliquem ad professionem* » *recipiant, mediante alicujus pecuniæ aut muneris pacto, nec ea* » *quidem ex causa, quòd plures alere non possint sine aliquo sub-* » *sidio. Cùm Tridentina Synodus*, cap. 3. de Regularibus, *aper-* » *tè velit, ne plures recipiantur in Monasterium, quàm ex pro-* » *prii Monasterii redditibus, vel ex consuetis eleemosynis com-* » *modè ali possint.*

» Alia item Synodus Cameracensis præviè ann. 1550. *tit.* 5. » decretum sequens ediderat: *Ut omnis cesset simoniaca labes* » *aut suspicio, gratis singuli ad professionem recipiantur, nullo* » *accepto pretio, nec aliqua facta conventione.*

» Quibus aliisque ritè perpensis tutum non judicamus, quòd » R. D. Abbas Monasterii F. propriâ seu privatâ suâ auctori- » tate pactum ineat cum admittendis posthac ad suum Monas- » terium de persolvenda certa pecuniæ summa, aut alio æqui- » valenti, quantumvis credat eandem eorum sustentationi ne- » cessariam.

» Nec D. Abbatem securum reddere valeat consuetudo, » quæ à quibusdam in contrarium obtenditur; quia non est uni- » versalis; & sic ubi sit, non est attendenda, ubi adeò enixa » est adversus præfatas exactiones Pontificum voluntas, & tam » seria, solicita, & expressa, totiesque repetita Canonum pro- » hibitio, prout est in præsenti materia.

» Ne tamen Monasterium, de quo agitur, omni remedio » destituatur, sed quantum fieri potest, de convenienti mo- » do succursus ei provideatur, addimus; dum Monasterium » ad tantam inopiam redatum est, ut media requisito numero » alendo non sint, posset legitimâ auctoritate interveniente pos- » tulari ab ingredientibus, quantum necessarium est pro sup- » plementu alimentationis eorundem, quandiu in Religione vi- » xerint.

» Quare ut Sacris Canonibus, ac Summorum Pontificum » menti satisfiat; ut quoque caveatur manutenendæ Ecclesiasti- » cæ disciplinæ, & tollendis, ac præfocandis variis abusibus fal- » sorum prætextuum Simoniæ palliandæ deservientium; inter- » ponenda foret auctoritas illorum Superiorum, ad quos per- » tinet statuere numerum, de quo in Concilio Tridentino, & » quorum est attendere, ut Monasterii bona non impendantur » ad usus non necessarios.

» Insuper arctari nequeunt admittendi ad pendendum Mo- » nasterio redditum perpetuum, cùm ita Monasterium non nu- „ dæ suæ indemnitati consuleret, nec merè admittendi alimen- „ tationi provideret; est lucrum potiùs captaret, quod nec „ probandum, nec à justis secularium obmurmurationibus li- „ berum.

„ Sed petenda duntaxat pensio temporalis, & vitalitia, „ quæ duratura non sit, nisi pro tempore, quo Monasterium „ gravaretur sustentandâ istâ personâ. Nec amplior peti po- „ test, quàm quæ omnibus pensatis, necessaria reputatur pro „ admittendi alimentatione. Ita resolutum Lovanii, salvo me- „ liori, die 27. Octobris 1671. & signarunt Eximii Domini.

GERARDUS VAD WERM,
ANDREAS LAURENT,
FRANCISCUS VAN VIANEN,
JOANNES RECHT,
HENRICUS SCAILLE.

§. XII.

Ex praxi stipulandi dotem à recipiendis ad statum Religiosum plurima nata sunt oriri incommoda.

PEr exactiones rerum temporalium à recipiendis ad Religio- nem *decori ecclesiasticæ & immaculatæ Religionis detra- hitur, & in multorum mentibus fidelium scandalum generatur*, ait Urbanus V. in prælegata Extravag. *Sane ne in vinea.* Haud enim facilè conventiones seu contractus super dotibus cum re- cipiendis aut eorum parentibus ineuntur, quin Religiosi apud seculares avaritiæ, aut saltem nimii erga res temporales affec- tûs notam incurrant; ex quo contingat, ut minus illis affician- tur, imò sanctam Religionem despicere incipiant. Deinde secu- lares videntes Religiosos, qui specialiter paupertatem ac re- rum terrenarum contemptum profitentur, tantopere res illas temporales appetere, ut propter eas conquirendas in ipsa ad Religionem receptione non sine aliqua saltem Simoniæ nota con- tractus atque conventiones, imò mercimoniam quandam exer- ceant; indubiè sæpiùs scandalizantur, seu eorum exemplo in avaritiam, aut saltem nimium erga res temporales affectum in- cidunt.

Cùm verò Monasterii paupertas sæpiùs secularibus non in- notescat, vel verè subesse non credatur; etiam solo titulo vi- tandi scandali ab hujusmodi exactionibus & contractibus esset abstinendum, tametsi aliunde prohibitæ non essent, ut jam pri-

dem

dem rectè observavit Dionysius Carthus. qui inter alia argumenta, quibus probare contendit abstinendum esse ab omni pactione rei temporalis in admissione ad Religionem, etiam dum Monasterium est *insufficiens*, quinto loco argumentum à necessitate vitandi scandali petitum proponit. *Lib. 1. de Simon. art. 6.* „ Quia (ut ait Santiss. Doctor Hieronymus) quidquid „ vitari potest salvâ triplici veritate (videlicèt veritate doctri„ næ, vitæ, justitiæ) est vitandum, ne scandalizentur pusilli seu „ imperfecti. Cùm ergo jam experientia longè latèque doceat, „ imò & evidentissimè manifestet, quòd exactio ista non solùm „ mediocriter sed etiam enormiter scandalizet & pusillos & qua„ si innumerabiles seculares, qui ista occasione Religionem „ sanctam contemnunt, Religiosisque detrahunt & cupiditates, „ aliasque culpas suas mortales excusant, aut parvi pendunt, „ atque in varia inconvenientia dilabuntur. Hinc sequitur, quòd „ exactio ista omnifariè sit vitanda, etiam quamvis possit modo „ aliquo excusari & in se licita perhiberi. Nempe si Claustra„ les seu Religiosi verè sunt pauperes, & indispositi ad reci„ piendum plures personas, possunt, absque læsione triplicis „ veritatis prætactæ, personas recipi postulantes refutare, & „ omne pactum de dando aliquid prorsus cavere: imò valdè „ exemplariter, meritoriè ac honestissimè possunt hoc facere; „ neque per hoc præcluditur aliis via salutis, sed potiùs provi„ detur, ne ipsi periculosè recipiantur. «

Nec tantùm homines seculares ex contractibus illis, qui titulo *paupertatis* ineuntur, scandalum accipiunt; sed etiam non rarò & alii Religiosi, quia dum Monasteria verè *insufficientia* dotes exigunt, contingit, quod Monasteria etiam satis dotata, ut etiam notat Joannes Wiggers, idem imitentur, etiamsi possint quoque numerum longè majorem quàm habeant commodè alere. *Tract. 7. de Jure & Just. cap. 4. dub. 10. n. 57.*

Secundò, teste eodem Urbano V. per prædictas exactiones contingit, *ut quamplures tam execratione hujusmodi criminis, quàm expensarum onere à Sacræ Religionis proposito retrahantur.*

Ad hæc Pontificis verba rursus reflectens Dionysius Carthusianus: » Nec dubium (inquit *lib. 2. de Simon. art. 12.*) quin » exactio, pactio, seu temporalium exhibitio ita gravet & à Re» ligione impediat pauperes, dum fit pro *sustentaculo* vitæ ipso» rum, sicut si fiat pro exhibitione spiritualium. Et proh do» lor! (exclamat idem Doctor) quàm multæ bonæ *pauperculæ* » quotidie clamant, conqueruntur & dicunt se esse paratas ad » Religionis & vitæ reclusæ ingressum, sed non posse acqui» rere locum, eo quòd jam undique temporalia exigantur. Si» militer quædam puellæ, & fœminæ divites, Deum timentes. » Religionemque ingredi cupientes, paratæ quoque ad com» portandum pro se sufficientiam temporalem, ex consideratio» ne usitatæ exactionis & pactionis Religiosarum quarundam, re„ tractabuntur ab ingressu ad eas.“

Ex hac pauperum, aliarumque, quæ pactiones illas de simonia ut minùs suspectas execrantur, exclusione, ulterius natum est evenire, quòd magis idoneæ, & quæ verè habent Religionis spiritum, vel ob paupertatem ad Monasterium non admittantur, vel simoniacæ pravitatis horrore à talibus Monasteriis retrahantur; quo tandem fit ut minùs idoneæ verum spiritum Religionis non habentes nec divinitùs ad statum illum vocatæ, admittantur cum totalis eversionis regularis disciplinæ periculo. Quia experientia docet (inquiunt Patres Synodi Burdigaliensis ann. 1583. *tit. 25.*) disciplinam religiosam eorum vitio ex parte collapsam esse, qui in religiosas familias intrusi aut alia quavis ratione humana inducti, potiùs quàm à Spiritu Sancto vocati fuerunt.

Qui hæc incommoda, quæ penè infallibiliter praxim illam stipulandi dotem in admissione ad Religionem consequuntur, attentiùs expenderit, non difficulter, ut credo, videbit quàm meritò Synodus Trid. decreverit, ut in Monasteriis is tantùm numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari, ut perniciosam illam praxim quæ titulo *paupertatis* invalescere ac foveri solet, radicitus evelleret.

Neque movit Synodum, quòd nonnunquam per hoc contingere posset, ut pauciores ad Monasteria recipi possent: nec enim ignorabat quod incommoda, quæ ex diminutione numeri ad Monasterium recipiendorum nata sunt oriri, æquipari nequeant incommodis ex prædicta praxi orituris. » Quinimò scie» bat verissimum esse, quòd sancta & religiosa paucorum Con» gregatio (ut loquitur mox citata Synodus Burdigalensis) quan» tumvis magnâ ineptorum hominum multitudine, Deo & ho» minibus acceptior est, & Ecclesiæ utilior. «

Denique qui praxim hanc tot malorum matrem zelo, ut apparet, multiplicandi Ordines Religiosos, propugnant, attendant quod de Ordinum Religiosorum multiplicatione dicat Cardinalis Bellarminus: » S. Benedicti, & S. Dominici, & S. Fran» cisci, & omnium aliorum Sanctorum, qui Religiosos Ordines » instituerunt, filii & nepotes per multos annos ita sanctè, piè, » perfecteque vixerunt, ut vel omnes, vel eorum pars maxima » insigni sanctitate floruerint. Postea tamen multiplicari cœpe» runt Regulares sine numero, & multi non à Deo vocati ad » statum perfectionis, sed aliis rationibus adducti, Monasteria » repleverunt: & impletum est illud Isaiæ: *multiplicasti gen» tem, non magnificasti lætitiam.* Inde nata sunt scandala gra» via & multiplicia, omnibus nota, quæ materiam uberem » præbent columbæ gemendi & plangendi relaxationem, ne di» cam corruptionem ordinum Religiosorum. « *Lib. 2. De gemitu Columbæ, cap. 6.*

§. XIII.

Ex dictis sequitur, quòd Superintendentes personis Religionem ingressuris aut professuris meritò solicitè inquirant, num in Monasterio, quod hujusmodi personæ ingredi meditantur sæpe dictæ exactiones non frequententur.

» Libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospi» ciens sancta Synodus Tridentina, statuit atque decer» nit, ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, » major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea » ipsa vel alia professionem emittat, quàm exploraverit Episco» pus, vel eo absente, vel impedito ejus Vicarius, aut aliquis » eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem di„ ligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. Et si „ voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque condi„ tiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis Regulam, „ nec non *Monasterium fuerit idoneum*, libere ei profiteri li„ ceat.“ *Sess. 25. cap. 17. de Regul.*

Ex finalibus hujus decreti verbis intelligimus, quòd Episcopus ejusque Deputatus explorare debeant, non tantùm num libera sit puellæ professuræ voluntas; sed insuper an habuerit conditiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis Regulam nec non Monasterium fuerit idoneum. Quin hæc omnia investigandi obligatio Episcopo ejusve Vicario ex præscripto Concilii Tridentini incumbat, S. Carolum Borromæum non dubitasse constat ex eis quæ in prima Provinciali Synodo *part. 3. tit. de Monial. cap. 6.* pro executione jam nominati decreti Concilii Tridentini statuit: „ Præfecta Monasterio, inquit, triginta „ ante diebus Episcopo significet, quo tempore Novitia profes„ sura sit; ut vel ipse, vel si is abest impediturve, alius, cui „ ille id negotii dederit, Novitiæ voluntatem cognoscat, pers„ piciatque an ejusmodi conditionibus prædita sit, quas Monas„ terii illius & Ordinis Regula postulat: an *item Monasterium* „ *idoneum*. Et denique demonstret, quàm gravis ea res sit, quam„ ve multas res tria illa Religionis vota requirant: ut ea ante„ quam ad professionem recipiatur, vinculi vim intelligat, quo „ se obstringi vult.“

Si igitur Episcopus explorare jubetur num *Monasterium sit idoneum*, ut in eo filia habitum susceptura aut professura securè salutem suam operari, & ad perfectionem vitæ christianæ pervenire queat, quis dubitat quin meritò inquirat, num exactiones & pactiones simoniacæ in Monasterio non frequententur; ne forsitan & hujus filiæ receptio aut professio labe simoniaca inficiatur? Quo quidem vitio si semel hæc, vel illa, vel utraque simul vitiata sit, timendum, ne reliqua malè succedant: quandoquidem ut benè advertit Synodus Cameracensis de hoc vitio simoniæ disserens, *rarò admodum terminantur fine bono, quæ malo inchoantur principio.*

Deinde si teste Fagnano suprà *part. 1. cap. 1. §. 14.* sacra Congregatio Cardinalium in pluribus Monasteriis Monialium, in quibus ex relatione Episcoporum intellexerat non servari vitam communem, inhibuerit receptionem Puellarum ad professionem, periculosum existimans profiteri in Monasterio, in quo Moniales omnes essent proprietariæ, quomodò non similiter meritò existimabit Episcopus admodum periculosum consentire ut puella profiteatur in Monasterio, in quo exactiones illæ simoniacæ, tam enixè per Ecclesiam reprobatæ, cum tanta malorum sequela, imò, ut suprà vidimus, totius disciplinæ regularis eversione frequentantur. Quomodo Monasterium illud judicabit saluti puellæ idoneum, in quo plures forsan per aurum & argentum, quàm per virtutum merita & vocationem Spiritus Sancti introierunt.

Ulteriùs, ex eis quæ præcedenti §. dicta sunt, consectarium est, quòd non tantùm Episcopi, eorumve ad examen puellarum Commissarii, soliciti esse debeant, num in Monasteriis simoniacæ pactiones non ineantur; sed & alii animarum directores, aut quibus personarum Religionis amplexum meditantium cura incumbit, meritò vereantur personas solicitudini & regimini suo commissas Monasteriis illis concredere, in quibus simoniacæ illæ, & Sacris Canonibus adeò contrariæ stipulationes tantorum malorum scaturigines, invaluerunt: exemplo S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis, in cujus vita apud Surium 16. *Novemb. cap. 7.* leguntur sequentia: „Pia mater ejus » cum esset è vita decessura, commendârat ei fratrem ejus Ro» bertum & sorores, ut tanquam major natu illorum curam sus» ci-

» ciperet. Hæc res ei aliquandiù ab externis occupationibus mag-
» nas molestias atulit. Admonuerat eum mater, ut sororum pu-
» dicitiæ consuleret: quæ cùm essent speciosæ admodum, mul-
» tis periculis expositæ videbantur; quamquam maternis & ser-
» monibus & exemplis confirmatæ cæteris fortiores erant. De iis
» in quodam Virginum Monasterio collocandis agere volebat
» Edmundus cum ejus Monasterii sororibus: *sed illæ negabant.*
„ *nisi certa numerata pecunia, se illas in suum consortium*
» *admissuras. Ille veritus hoc ad labem simoniacam pertinere*;
» recessit ab eis: & cùm aliud nil suppeteret, ad Deum depre-
» candum se contulit, sorores hortans, ut idem ipse quoque
» facerent. Oratum est igitur, nec despexit Altissimus humi-
» lium preces. Innotuit enim Edmundo, in quodam paupere
» Monasterio fœminarum, monasticam Religionem egregiè flo-
» rere, & arctissimè conservari. Illic ergo Edmundus sorores
» suas degere peroptans, cum loci Præfecta sive Priorissa de
» ea re colloqui voluit. Sed ea, licèt ei ignotus esset, illius ser-
„ monem antevertit, suoque eum nomine appellans, *De so-*
„ *roribus tuis*, inquit, *Edmunde, non est quod mihi quidquam*
„ *indices. Ego enim Domino revelante jam scio, quid velis.*
„ *Si illæ ad nos venerint, repulsam ad nos haud quamquam*
„ *patientur*. His verbis mirificè exhilaritans Edmundus totum
„ curarum pondus, quod à sororibus ei incubuerat, in Prioris-
„ sæ manus deposuit, sorores suas illi commendans: atque ita
„ domesticis absolutus curis Parisios reddit, liberalium disci-
„ plinarum cursum confecturus."

Circa predictum S. Edmundi exemplum notandum id contigisse circa tempora Innocentii III. quando in plerisque Monialium Monasteriis exactiones illæ, teste Concilio Lateranensi sub dicto Pontifice celebrato, frequentabantur: dum itidem adeo frequentes essent in Religiosorum Monasteriis, ut Archiepiscopus Cantuariensis prædicti Edmundi prædecessor ambigeret, num ob multitudinem peccantium, aliquid de canonica severitate non foret relaxandum, ut ex responso Innocentii III. in *Cap.* 30. ✠ *De Simon.* constat. Ex quo ulteriùs intelligimus, quòd S. Edmundus veritus, ne similes exactiones & stipulationes, non obstante consuetudine & multitudine eas ineuntium, ad simoniacam labem pertinerent, potiùs à Monasterio illo cum sororibus suis recedendum putarit, quàm periculo simoniacæ gravitatis se & sorores suas exponere.

§. XIV.

Deteguntur radices prædictarum exactionum.

IN hac secunda dissertationis parte hactenus tot Conciliorum ac Pontificum decretis ostendi, vetitum esse, quocunque titulo aliquid ab ingredientibus Monasterium exigere, ut non vereâr dicere cum Gratiano nostro *Caus.* 1. *quæst.* 2. *in fin.* » Multorum auctoritatibus luce clariùs constat, quòd ab ingres-
» suris Monasterium non licet pecuniam exigere, ne & ille qui
» exigit, & ille qui solvit, simoniæ crimen incurrat."

Ostendi insuper §. 11. hujus capitis, quàm perniciosi sint effectus praxeos exigendi dotem ab ingredientibus. Restat nunc ut exactionum illarum radices detegantur, quo faciliùs radicibus earum detectis evelli queant.

Tres sunt ordinariæ earum exactionum radices. Prima quidem, appetentia rerum temporalium ultra necessitatem, sive quod victui necessariis non sint contenti, sed divites fieri desiderent.

Quàm verò hæc divitiarum appetentia periculosa & vitiosa sit, exprimit Apostolus dum ait, 1. *ad Timoth.* 6. *v.* 10. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Deinde si universis inclamet Profeta Isaias *cap.* 5. *v.* 8. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci*: quantò magis timere debent Religiosi, qui specialiter paupertatem ac rerum temporalium contemptum profitentur, earum abundantiam appetere.

Qua de causa Religiosorum Patres vero Religionis Spiritu repleti admodùm solicitè filiis suis inculcárunt, ne rebus temporalibus augendis incumberent; ut pluribus ostendit Dominus Abbas Trappensis, *part.* 2. *capit.* 21. *quæst.* 7. in libro *de Sanctitate & Officiis vitæ monasticæ*, nuper edito.

Ulteriùs qui dotes in receptione ad vitam religiosam exigunt ut Monasterio divitias acquirant, expendant, quòd quò major Monasterio obtingit rerum temporalium abundantia, tanto difficilior reddatur Religiosorum salus: imprimis quia generaliter divitiarum possessio tanta secum trahit salutis impedimenta, ut ea propter exclamaverit ipsa veritas, *Lucæ* 18. *v.* 24. 25. *Quàm difficile qui pecunias habent in Regnum Dei introibunt: facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum Dei.* Videri potest §. 6. *cap.* 3. *part.* 1. & §. 2. *cap.* 1. *part.* 2.

Singulariter tamen vitæ religiosæ ritè instituendæ & disciplinæ regulari conservandæ contraria est rerum temporalium abundantia. Ipsi enim Religiosi secundum vitæ suæ professionem non tantùm tenentur omnem omninò rerum proprietatem in particulari abdicare: sed insuper secundum paupertatis professionem vivere jubentur, seu vitam pauperem agere, ut §. 3. *cap.* 3. *part.* 1. ostendimus: quinimo ipsius disciplinæ regularis facilè primum fundamentum esse ipsius paupertatis exactam custodiam, ibidem comprobavimus. Quemadmodum ergo rara virtus est servare castitatem inter carnis illecebras, temperantiam in cibo & potu inter epulas; ita non dubium quin admodum rara sit virtus, rerum temporalium usum inter earum abundantiam ita moderari, ut à paupertate, id est, paupere earum usu non recedatur: unde à plurimis jam pridem deploratum est, divitiarum copiam, quam Religiosorum sanctitas attraxerat, ipsam vitæ religiosæ sanctitatem suffocâsse. „ Contulit (inquit Trithemius *Serm.* 2. *ad Monach.*) *Mo-*
» *nachis Religio sancta divitias, donec matrem filia suffocavit.*
„ Nam ut Scriptura dicit: Omnes qui volunt divites fieri in-
» cidunt in tentationes diaboli, incrassatus est dilectus & recal-
» citravit, impinguatus & dilatatus terrenis possessionibus, de-
» relinquit institutionis primæ studia, abiit post vanitates falsas,
» quem copia rerum temporalium divitiis spiritualibus inopem
» & miserum fecit." Hæc Trithemius, qui similia habet *homil.* 7. *ad Monach.* Plures in eandem sententiam videri possunt apud Joannem Baptistam de Lezana Carmelitam Hispanum &c. in libro cui titulus, *Reformatio Regularium*, seu *De Disciplina Religiosa &c. cap.* 17. quo ostendit, quòd superfluitas bonorum temporalium etiam in ipsis Communitatibus, Religiosorum reformationi sit contraria. Cui addi potest epistola Alexandri III. Abbatibus & Conventibus Cisterciensis Ordinis inscripta & Decretalibus Gregorii IX. inserta *Cap.* 3. ✠ *De Statu Monach.* item quæ referuntur in vita Roberti primi Cisterciensium Abbatis apud Boll. *ad* 29. *April. cap.* 2.

Ex quibus omnibus evidenter apparebit, si profectus spiritualis Monasterii quæratur & intendatur, nullatenus appetendam aut desiderandam esse rerum temporalium abundantiam, multo minus ad perniciosas illas exactiones pro ea obtinenda esse recurrendum; sed si ea jam obtigerit, multum esse invigilandum & orandum, ut inter auri abundantiam post aurum non abeatur, nec inter divitiarum affluentiam cor divitiis apponatur, sed usus pauper Religiosis conveniens servetur, & reliqua in pauperum alimoniam impendantur.

Secunda exactionum radix solet esse superbia sive inordinata appetentia eorum, quæ mundo alta & magna videntur, quibus apud homines mundanos existimatio aliqua conciliari videtur, ut v. gr. superba & magnifica ædificiorum structura, ampla Monasterii supellex, &c. Verùm si universis in Christo renatis rectè dicatur: *Quid tibi cum pompis seculi, quibus renuntiasti?* Majore profectò ratione Religiosis, qui præ reliquis Christi Fidelibus mundi contemptum profitentur, illud ipsum inclamatur: quare singulariter eorum professioni contrarium est, quidquid fastum seculi ac divitiarum abundantiam exhibet & à simplicitate religiosa est alienum. Hinc illud S. Benedicti Religiosis inculcatum: *à seculi actibus se facere alienum*; adeoque, se facere alienum ab omni quod seculi vanitatem redolet. Et si S. Thomas rectè inferat, vilitatem vestium, in quantum est signum tristitiæ & contemptûs divitiarum & mundani fastûs, competere Religiosis, *quia Religio est status pœnitentiæ & contemptûs mundanæ gloriæ*: quidni ex eodem antecedente eâdem consequentiâ inferatur, quòd vilis supellex, humilia ædificia, cæteraque quæ contemptum mundanæ gloriæ præferunt, statui religioso conveniant? Hinc S. Bonaventura *Epist.* 1. *ad Provincial. Ordinis sui*, Provincialem monet: » Ut sumptuosi-
» tatem ædificiorum, librorum ac ciborum ità studeat amputa-
» re, *ut*, inquit, *à professionis excellentia vitæ observantia*
» *non discordet.*" Quapropter Canonici Præmonstratenses conformiter ad ea quæ Synodus Tridentina omnibus Ecclesiæ Prælatis præcipit, monitos voluerunt Abbates & omnes Prælatos, » ut memores *suæ professionis*, ac SS. Patrum vestigiis inhæ-
» rentes, modesta supellectili & mensâ, ac frugali victu sem-
» per utantur. In reliquo etiam vitæ genere, ac in tota suâ do-
» mo caveant, ne quid appareat, quod à sancto *paupertatis* ins-
» titutio sit alienum, vel quod non simplicitatem, Dei zelum,
» ac contemptum vanitatum præseferat." *Dist.* 2. *cap.* 1.

Ex his conclude quàm parum de spiritu Religionis habere convincantur, qui exactiones illas, admodum perniciosas & Canonibus tantopere improbatas, frequentant, ut ampla & superba ædificia, aut pretiosam supellectilem, aliave quæ mundi fastum potiùs quàm paupertatem Religiosam spirant, procurent. Tertia Denique radix ex qua frequenter exactiones illæ profluunt, est, de rebus necessariis procurandis solicitudo, vel timor quo timentur vitæ necessaria defutura. Hæc causa quia aliquam verisimilitudinis speciem habet, illius etiam falsitas non tam facilè, quemadmodum duarum præcedentium apparet: quare fusiùs hujus postremæ falsitatem §. sequenti ostendam.

§.

§. XV.

Parum consonum est christianæ fiduciæ ob timorem defectus rerum necessariorum ad exactiones à Sacris Canonibus improbatas recurrere.

QUia anxia pro rebus temporalibus ad vitam corporalem necessariis solicitudo, corruptis hominum moribus maximè usitata est, & ab ea homo difficilè se totaliter exuit; hinc in toto Evangelio nullus animi affectus tanto studio ac tot argumentorum machinis à Christo oppugnatur & evellitur. Ne *soliciti sitis* (inquit *Matth. 6. v. 25. & seq.*) *animæ vestræ quid manducetis, neque corpore vestro quid induamini: Nonne anima plus est, quam esca, & corpus plus quàm vestimentum?* Quasi diceret, si Deus vitam vobis dederit multo præstantiorem, quàm id quo alitur vita, & corpus præstantius, quàm id quo tegitur corpus; omninò confidere debetis, quod qui majora dederit, etiam minora sit daturus. Ulteriùs ut ab illa anxia solicitudine nos liberaret, addit: *Respicite volatilia Cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa*: quasi diceret: si volatilia Cœli quæ nec ab hominibus aluntur, neque adhibent ullum laborem, neque diligentiam, quam homines ex Dei instituto adhibent, *Pater vester* (cum tamen volatilium non sit nisi Creator ac Dominus) *cœlestis*, qui scilicet omnia terrena ac cœlestia habet in potestate, *pascit illa*; *nonne vos magis pluris estis illis?* Id est, nonne vos qui ad imaginem illius creati estis, in filios adoptati, & propter quos creavit reliqua, præcellitis volatilibus, & consequenter fidere debetis vos ab eo pascendos? His aliisque argumentis etiam ab ipsis rebus inanimatis ad quas Divina Providentia sese extendit, desumptis, tandem Christus concludit: *Nolite ergo soliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus aut quo operiemur? Hæc omnia gentes*, qui Deum rebus humanis præsse non credunt, *inquirunt: scit enim Pater vester cœlestis*, omniscius, benignissimus, ad præstandum potentissimus; *quia his omnibus indigetis.* » Si ergo dixeris (inquit Chrysost. *Homil. 22. in Matth.*) propterea me oportet esse soli„ citum, quia sunt necessaria: ego è regione respondeo, prop„ terea non oportet esse solicitum, quia sunt utique necessa„ ria. Si enim essent superflua, non ita deberes de eorum præs» tatione confidere, nunc verò quia necessaria sunt, prorsus non „ oportet ambigere. Quis enim pater invenietur aliquando, » qui liberis suis necessaria quidem se non præstarè patiatur? » *Quærite ergo*, infert optimus Magister, *primum regnum Dei* » *& justitiam ejus, & hæc omnia* vitæ necessaria *adjicientur vo*» *bis* sine vestra solicitudine, non veluti merces, sed instar » auctuarii, quod rebus pretiosis dum emuntur, adjici solet.“ Non dixit, ait Chrysostomus, *dabuntur*, sed *adjicientur*, ut scilicet discceretis horum quæ in præsenti dantur, nihil esse omnino magnum, si futurorum magnitudine comparentur.

Hanc argumentorum congeriem qua Magister Optimus Christus Dominus ostendit nimiam illam hominum solicitudinem pro vitæ necessariis conquirendis gentilibus magis quàm christianis propriam esse, si quis seriò attenderit, ac insuper firma fide Christi promissis crediderit: non gravatè fatebitur parum filiali in Deum confidentiæ consonum esse, ut Religiosi qui præter communes fideles tot specialibus à Deo favoribus sunt prævenți, timore defectus temporalis subsidii, ad exactiones, quæ tot malorum sequelam adjunctam habent recurrant; & à Sacris Canonibus Spiritu Dei conditis & totius Ecclesiæ reverentia roboratis exactiones, hujusmodi tam enixè ac generaliter proscribentibus, recedant; & non potiùs in omni conversatione sua sint sancti ab omni etiam specie mali abstinentes, temporalia per modum actuarii sibi adjicienda certo secundum Christi promissa persuadentes.

Unde jam pridem Moniales, quæ titulo paupertatis exactiones pecuniarias in receptione Sororum frequentabant, monuit Dionysius Carthusianus *L. 1. de Simon. art. 17.* » Ut ad» vertant quantum Christus omni Christiano dissuadeat, vi» tuperet, prohibeat, immoderatam temporalium solicitudi» nem rerum: Nolite, inquiens, soliciti esse in crastinum. Mul» taque alia. Vult namque Salvator, ut filialem habeamus con» fidentiam in Patre Cœlesti, ejusque paternæ providentiæ nos » comittamus fiducialiter, qui etiam irrationalia pascit, inani» mata disponit, vestit ac ornat. Propter quod immoderata » solicitudo hujusmodi ponitur diffidentiæ filia, atque ad car» nalem spectat prudentiam, de qua loquitur Paulus Apos» tolus: *Prudentia carnis mors est.* Intendant ergo & cre» dant Christo dicenti: *Quærite primum Regnum Dei & jus» titiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et sciant quod » fidelis, sapiens, pius & Omnipotens Deus, qu à nobis pau» perculis pater appellari dignatur, famulos & famulas suas si» bi verè, religiosè ac fideliter ministrantes, confidentes & se » commendantes nequaquam relinquit, imò fideliter ac pater„ nè providet eis: & tanto abundantius, quo amplius hoc » merentur.“

Eodem spiritu & fidei ardore succensa Seraphica Mater Theresia Sororibus suis tanquam rem quæ nunquam earum memoriâ excidere deberet, inculcabat: » Nolite putare, Charissi» mæ, aliquid rerum ad victum necessarium vobis defuturum, » si modo de mundanis hominibus complacendo soliciti non si» tis. Equidem hoc vobis spondere & promittere ausim. Noli» te per humanam industriam & artes (quantò minùs per repro» batas illas pecuniarum exactiones & sordidas mercimonias) » sustentationem corporis & victum vobis procurare; alioquin » fame moriemini, & meritò quidem. Sed ad Sponsum vestrum » oculos attollite: ipse enim est qui victum vobis dabit: si il» li placeatis, vobis nolentes volentes de victu prospicient etiam » illi qui minùs erga vos affecti sunt ac minùs diligunt, uti hoc » jam sæpè per experientiam & usu ipso vidistis. Si hoc facien» tes, nihilominùs fame vos mori contingat, ne beatæ Monia» les S. Josephi eritis & dicemini. Per amorem Dei rogo, nun» quam hujusce vos rei capiat oblivio.“ *In Tract. De Via Perfect. cap. 2.*

Hisce Seraphicæ Matris dictis mirè consonat, quod in quodam Sermone dixit sæpè nominatus Dionysius Carthusianus: » Justo Dei moderante ac permittente judicio magna multoties » damna Religiosis contingunt, à quibus si ab omni avaritia se » arcerent, Deus bonus, justus & sapiens eos utique præserva» ret. Et tunc essent hominibus cunctis magis amabiles, exem» plares, honorabiles & præclari, nec dubium quin & plura in » eleemosynas eis darentur; nunc autem contemnuntur, & » blasphemantur à multis.« *Serm. 6. de Domin. 15. post Trinit.*

Ex his conclude quòd hæc tertia radix, sive causa exactionis dotis, nimirum solicitudo providendi Monasterio de vitæ necessariis, nullatenus sit fundata, neque à sacris Canonibus Spiritu Dei conditis, & totius Ecclesiæ reverentiâ roboratis, ullatenus esse recedendum timore defectus temporalis subsidii; sed potiùs exactiùs observandos, ut sponso Ecclesiæ placentes ab illius benignitate corporis necessaria acquirantur, juxta illud ipsius fidelissimum promissum. *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus & hæc omnia* (vitæ necessaria) *adjicentur vobis*: item illud Prophetæ Regii: *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Psalmo 36. v. 25.

CAPUT V.

De Receptione gratuito oblatorum.

PARAGRAPHUS I.

Illicitum non est etiam ab ingredientibus Monasterium accipere quæ liberaliter ab iisdem offeruntur, nonnulla tamen in hac receptione cavenda notantur.

INnocentius III. Cantuarensi Archiepiscopo rescribens, ut in simoniacè ad Religionem receptos, non obstante peccantium multitudine canonicam exerceat severitatem; *Illud tamen* (inquit in *Cap. 30. ℵ De Sim.*) *gratanter recipi poterit, quod fuerit sine exactione gratis oblatum*:

Quin & Urbanus V. qui tam enixè ac generaliter omnem pecuniæ exactionem in admissione ad Monasterium exclusit, ut *cap. 4. §. 3.* vidimus, liberaliter tamen oblata recipi posse declaravit: » Illa duntaxat, inquit, quæ personæ ipsæ ingredientes » *purè & spontè, & plenâ liberalitate, omnique pactione ces*» *sante* dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, do» mibus & locis hujusmodi voluerint, *cum gratiarum actione* » *licitè recepturi.*

Has gratuitas ac spontaneas ingredientium oblationes in Regula sua sat apertè probat S. Benedictus, recipiendo ad Religionem optionem permittens (si quidem sit ætate major) *ut res si quas habet aut eroget prius pauperibus, aut conferat Monasterio.* Hinc S. Bonaventura *in libell. Apol. quæst. 18.* docet: „ Quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia, » ita ut etsi nihil offerret, etiam reciperetur pro Deo, hoc pu» rum est, inquit, coram Deo; sed est cautè agendum coram » hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit tibi af» fectus avaritiæ infectus ex spe lucri.“

Ex his apparet quod licèt mihi exigi possit ab ingredientibus Religionem, illicitum tamen non esse recipere ea quæ ab ingredientibus purè & spontè plena liberalitate, omnique pactione cessante offeruntur.

Ut tamen hæc oblatorum perceptio omni prorsus vitio careat, nonnulla solicitè à parentibus cavenda sunt, & quidem duo in præcitatis verbis cavenda monet Seraphicus Doctor. Primum, *Ne detur hominibus occasio scandali.* Quod scandalum specialiter timendum est, si Monasteria amplius ædificiis, sumptuosa supellectili instructa, aut quorum exterior apparatus & modus agendi hominibus insinuant illa esse abundè fundata, no-

tabilia bona ab ingredientibus, consanguineis indigentibus, ac aliis pauperibus neglectis accipiant; verendum, inquam, ne ejusmodi Monasteria per talem bonorum receptionem non exigui scandali hominibus dent occasionem. Insuper is debet esse Religiosorum agendi modus quoad bona ingredientium accipienda, ut non tantùm non ingerant suspicionem avaritiæ ipsis secularibus, sed etiam ne ab ingredientibus sive postulantibus ingressum judicetur, quòd potius res hominum desiderent quàm animas. Quam suspicionem ut à divitibus Religioni sese offerentibus averterent Religiosorum Patres, primum consilium quod illis dabatur circa rerum temporalium depositionem erat, ut juxta Christi consilium dona sua venderent & darent pauperibus; ut inter alios in Regula sua declaravit piissimus ille Pater, qui communiter *Magister* dicitur, qui postquam ostendit Monasterium ingredienti convenire » ut ante omnia rebus » secularibus se privet, ne fortè titillatione diaboli à rebus suis » foris possitis, per desiderium earum de Monasterio provocetur, & relicto servitio sanctæ scholæ proprio redeat militatu» rus arbitrio; subjungit *cap.* 87. ideoque constituimus salubre » consilium ut audias vocem Domini tibi dicentem: *Vade, ven» de omnia, & da pauperibus; & veni, sequere me.* Quam ergo, si sequi vis vocem, vade, vende quæ habes, & omne » pretium hunc ante me defer, ut te præsente à me pauperibus » erogetur..... *Hanc ideo voluntatem*, inquit, *Abbas ingredien» tibus tribuit, ut non ab introeuntibus judicetur potiùs res ho» minum desiderare quàm animas.* « Vide Thomasin. *De la* » *Discip. de l' Eglise, p. 2. lib. 3. cap. 9. n. 3.*

Secundò cavendum monet S. Bonaventura, *ne sit recipientibus affectus avaritiæ infectus ex spe lucri.* Meritò huic monito Seraphici Doctoris in admissione divitum à quibus notabilia dona expectantur, attendunt Religiosi: quia si ille affectus semel animum præoccupaverit, facilè continget ut illo affectu nonnihil excæcati judicabunt Religioni ac vitæ monasticæ convenientes, & à Deo ad statum illum vocatos, qui nec qualitates statui religioso convenientes habent, neque spiritu Dei ad statum illum addiguntur: quin imò non rarò continget quòd tempore probationis durante, circa similes multa dissimulabuntur, nonnulla indulgebuntur, & denique illis non injungentur ea, quæ in vita religiosa occurrunt, naturæ corruptæ, ejusque concupiscentiis maximè contraria & aspera, ne ob nimiam forsitan asperitatem Religionem desererent, atque ità spe lucri Monasterium frustraretur. Quàm verò hæc perniciosa sint, tum ipsi Religioni, tum etiam ipsis ingredientibus, ut vitam religiosam profiteantur, qui ejus asperitatem non sunt experti, notius est, quàm ut ulteriori expositione indigeat.

Ad hæc singulariter invigilare debent Superiores, aliive qui receptioni consentire debent, ne prædicto affectu animus sit infectus: quia cùm hîc agi videatur de bono ipsius Monasterii, facilè est evenire ut hoc affectu etiam magis cauti & prudentes latenter inficiantur; cujus rei non ignara Seraphica Mater Theresia ad Confessarium suum scribit: » Pater, inquit *Ep.* 16. » quoties filias nihil secum in Conventum adferentes ex solo Dei » suscipio amore, inexplicabile mihi exoriri gaudium, pro cer» to habeas. «

Tertiò, attendere debent Religiosi, ne dùm gratanter & ex mera offerentium liberalitate superficie tenus recipere videntur, blandimentis, variisque persuasionibus, aut falsis subinde adductis motivis, ab introeuntibus temporalia extorqueant; quo contingat ut coactè potiùs extorta, quàm voluntariè oblata accipiant; quòd jam pridem Synodus Cabilonensis II. *Ann.* 813. *caus.* 7. acriter perstrinxit: » Constituit sanè sacer iste Con» ventus, ut Episcopi, sive Abbates, qui non in fructum ani» marum, sed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quos» libet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eo» rum tali persuasione non solùm acceperunt, sed potiùs sub» ripuerunt, pœnitentiæ canonicæ, sive regulari, ut puta, tur» pis lucri sectatores, subjaceant. «

Denique meritò expenditur à recipientibus bona ingredientium, quòd quicunque vitam religiosam amplectitur, consilium evangelicæ paupertatis sequi proponat, adeoque juxta Christi monitum, *ire & vendere omnia quæ habet, & dare pauperibus.* Ex quo consequens est, quòd quando rerum suarum partem Monasterio offerre intendit, eam hac intentione & animo jubeatur offerre, ut illa vel pauperibus voluntariis, id est, Religiosis vitam pauperem viventibus, aut aliis egentibus impendatur; ut juxta Christi consilium quod amplectitur, omnia sua vendidisse & *pauperibus dedisse* dici possit: ex quo ulteriùs elicitur, quòd etiam Religiosi, si quid offeratur, tanquam ea intentione oblatum recipere & expendere teneantur. Hoc perspectum habens ille Religiosorum Pater qui famoso nomine *Magister* dicitur monuit in Regula sua *cap.* 87. „ut de ipsis » (rebus ingressi) Abbas in potestate sua mutatis quidquid *neces» sariæ utilitati Monasterii* supervacuum abundare viderit, pro » anima Fratris ipsius *propter præceptum supradictum sequendi* » *Dominum per eleemosynam distracta illa re supervacua, pre» tium ejus pauperibus tribuat*: ut quod ille imperitus Fratrer » non meruit facere, pro illo, iste quasi doctus Magister va» leat adimplere. «

Ad hæc *Magistri* verba reflectens Hugo Menardus in *Notis ad cap.* 65. §. 16. *Concor. Regula.* » Notanda, inquit, ho» minis integritas, sinceritas, simul & charitas. Quàm longè » abest à quorundam avaritia, aut curiositate, qui aut bona » Novitiorum in arca recondunt, aut ea insanis substructionum » molibus erigendis, similibusque vanitatibus impendunt, Chris» to in suis membris algente & esuriente.“

§. II.

Quid de gratuita bonorum ingredientis oblatione ante professionem decreverit Concilium Tridentinum.

SYnodus Tridentina ut libertati professionis ampliùs prospiceret, *Sess.* 25. *cap.* 16. *De Regular.* decrevit „ ne an„ te professionem, excepto victu & vestitu Novitii vel Novi„ tiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque præ„ textu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus Mo„ nasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasio„ ne discedere nequeat, quod totam vel majorem partem subs„ tantiæ suæ Monasterium possideat, ne facilè, si discesserit, „ id recuperare possit. Quin potiùs præcipit S. Synodus sub „ anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo „ modo fiat.“

Ex hoc decreto patet primò, quòd ex bonis ipsius Novitii ante professionem, excepto victu & vestitu illius temporis quo in probatione est, nihil Monasterio *ne liberaliter quidem* à Parentibus, Consanguineis aut Curatoribus ejus dari possit, nec Religiosi quocunque prætextu accipere possint. Et licèt Concilii verba videantur restricta ad bona ipsius Novitii: Tamen proposito dubio (inquit Fagnanus *ad Cap.* Statuimus, ✠ *de Regul. num.* 55. 56.) „ an quòd disponitur *cap.* 16. *Sess.* 25. „ *de Regul.* ne de bonis puellæ aliquid Monasterio ante profes„ sionem tribuatur sub pœna anathematis, habeat locum, etiam„ si aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, sed Paren„ tum vel Consanguineorum: Sacra Congregatio censuit ha„ bere locum.

„ Et iterum suborto dubio, ait idem Fagnanus, an si No„ vitius sit sui juris & non habeat parentes, possit in ingressu „ Religionis, præter victum aliquid donare Religioni amore „ Dei, censuit non posse ex verbis expressis *dict. cap.* 16.“

Notandum secundò, Concilium Tridentinum in præallegato decreto solùm prohibuisse, ne aliquid ex bonis Novitii aut Novitiæ Monasterio, excepto victu & vestitu Novitii aut Novitiæ illius temporis quo in probatione est, tribuatur *ante professionem*, „ Ne, inquit Concilium, hac occasione discedere „ nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ suæ „ Monasterium possideat, ne facilè, si discesserit, id recu„ perare possit.“ Nihil proinde statuit Concilium circa donationem aut oblationem gratuitam bonorum Novitii aut Novitiæ Monasterio, quæ à parentibus aut aliis fit post professionem, sed eam relinquit in terminis juris communis; consequenter oblatio gratuita bonorum etiam ipsius ingredientis in favorem Monasterii per Tridentinum limitata non est, si modò non nisi professione peractâ effectum habeat, nihilque *ante professionem* excepto victu & vestitu Novitii illius temporis, quo in probatione est, Monasterio tribuatur.

Denique notatu dignum est, Concilium Tridentinum in prænominato decreto permittere quidem parentibus vel propinquis, aut Curatoribus Novitii aut Novitiæ ex bonis ipsius tantum Monasterio tribuere, quantum Novitii aut Novitiæ victui ac vestitui illius temporis quo in probatione est, requiritur: sed utrum Monasterio liceat ab ingrediente aut ejus parentibus quidpiam pro victu & vestitu Novitii aut Novitiæ exigere, Concilium non determinat, imò nec quæstionem illam attingit. Quod ne forsitan à nonnullis nimio cum rigore à me assertum putetur, unum alterumve auctorem adduco hac in parte mihi consentientem ex illis qui nullatenus de nimio rigore, sed meritò de nimia laxitate argui possent; quemadmodum in anterioribus quoque aliquoties tanquam dictis meis consentientes allegavi Joannem Wiggers, Martinum Navarrum, aliosque similes auctores in Moralibus justo indulgentiores. Ut dum illi, qui passim solent quidquid abusibus ac erroribus præsertim inolitis opponitur, tanquam novum ac nimis rigorosum rejicere, viderint etiam hujusmodi laxitatum patronos mihi consentientes, cessent dicta mea nimii rigoris accusare.

» Verum est, inquit Suarez, *Lib.* 4. *de Simonia cap.* 17. » *num.* 19. Concilium Tridentinum (*Sess.* 25. *cap.* 16. *de Re» gularib.*) non loqui de pacto nec de modo recipiendi, id est, » an possit Monasterium ita sustentationem petere, ut sine illa » nolit Novitium recipere. «

Notandum, ait Laurentius Landtmeter Ordinis Præmonstratensis Canonicus, » Canones in hac materia (de Simonia) in» differenter loqui de utroque ingressu Religionis, tam de eo

» qui

» qui est ad habitum, quàm qui est ad professionem, ut cum » Navarro advertit Suarez. Tridentinum quidem statuit, ut du- » rante probatione ex bonis Novitii nihil Monasterio dari pos- » sit excepto victu & amictu. Sed inde non sequitur, semper » aliquid pro victu & amictu peti posse; hoc enim Concilium » non dicit, sed relinquit regulandum juxta alia jura. « *Com. in Reg. S. Aug. num.* 21.

Ex quibus ulteriùs consectarium, ne in speciem Concilium Tridentinum in hoc suo decreto probare praxim, qua Monasteria etiam admodum opulenta sine ullo scrupulo exigunt ab ingredientibus, aut eorum parentibus ea quæ victui ac vestitui Novitii vel Novitiæ illius temporis quo in probatione est, necessaria putantur.

Quapropter prædicta praxis à pluribus qui etiam post Concilium Tridentinum scripserunt, Simoniæ arguitur; & quidem præ cæteris fusiùs atque ex professo illud adstruere conatur Petrus à S. Audomaro, aliàs à *Walloncappelle* Instituti S. Benedicti in Monasterio *Montis de Guinoci* Monachus & Prior, in libello Monasticarum Institutionum secundum Sacros. Concilii Tridentini decreta. Quia libellus hic paucis innotuit, integrum Auctoris discursum subjungam, ut ex illo lector dijudicet, num adeò securè quàm vulgò putatur, Monasteria, præsertim opulenta, exactionem pecuniæ pro victu ac vestitu Novitii aut Novitiæ facere queat.

§. III.

Proponitur sententia Petri à S. Audomaro circa exactionem pecuniæ pro vestibus Novitiorum.

» CErtò certius est non licere quidquam pro ingressu vel » admissione ad Religionis statum petere, quod & Præ- » lati simoniaci facto satis ostendunt, dum nihil pro his, sed » palliantes cæcam suam cupiditatem, exigunt pro vestibus No- » vitiatus. Verùm & hanc exactionem esse tantùm avaritiæ, & » labis simoniacæ umbraculum, probant, quod velint eos du- » plicibus, aut triplicibus vestiri in omnibus, adeò abundè, » superfluè, ut infra quinquennium aut sexenium non possint » ea deterere. Unde & hi damnantur constitutione Urbani Pa- » pæ, *Cap. Sanè ne in vinea Domini.* Mandat enim omnibus » Monasteriorum Abbatibus, & Prioribus, ne ab aliquo volen- » te ingredi Religionem, vel Monasteria in receptione perso- » narum, vel ante vel post receptionem, quoscunque pastus, » prandia, aut cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam » ad usum ecclesiasticum, seu quamvis pium usum alium de- » putata, vel deputanda, directè, vel indirectè petere, vel exi- » gere quomodocunque præsumant, sed eas potius cùm omni- » moda pietate recipiant, ac in victu & vestitu, sicut personas » suarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Domo- » rum, ac locorum syncera charitate pertractent. Et paulo post. » Nos (inquit Urbanus) qui secus egerint, si sint singulares, » tam dantes quàm accipientes hujusmodi excommunicationis, » si Capitulum vel Conventus fuerit, suspensionis sententiis eo » ipso decernimus subjacere, à quibus præterquam in mortis » periculo nequeant absolvi, absque Sedis Apostol. speciali li- » centia. In quibus verbis notandum, non dici pro receptio- » ne, sed in receptione quidvis petentes, imò etiam cultui di- » vino deputandum, subjacere huic sententiæ excommunica- » tionis, & velle, ut pertractetur in vitu & vestitu quemadmo- » dum & alii Monachi. Et adeò sanè nihil est petendum ut vix » permittat D. Basil. ultro oblata suscipi. Si mea (inquit *in Reg.* » *brev.* 304.) in hoc sententia exquiritur, existimo magis con- » sultum iri offensioni multitudinis, & ad ædificationem fidei » commodius, si repudientur ejusmodi munera. Siquidem ex » illorum susceptione primùm illud incommodum nascitur, quòd » sæpè numero ob eam rem malè audit fratrum respublica. » Deinde etiam illud quod ad sustollendos animos proximorum » illorum unde allata sunt, causam dant. Adhæc quòd secun- » dum id quod dictum est ab Apostolo de iis qui in commu- » ni loco privatas escas haberent & portiones, illud consequi- » tur: *confunditis eos qui non habent.* Sed (eheu) quàm ve- » rum est passim malè audire fratrum Rempublicam propter » multorum avaritiam, & injustissimas hujusmodi exactiones. » Quare justis de causis decrevit Synodus Tridentina, *Sess.* 25. » *cap.* 16. *de Reg.* sub anathematis pœna, ne quid detur an- » te professionem à parentibus præter victum & vestitum *ultro* » oblata. Verum enim verò quibus hæc ingrata sunt, causan- » tur gravamen domûs, si probaturis Religionem debeant de » vestimentis providere. At melius certè facerent, si quotidia- » nos culparent luxus. Facili enim negotio & sumptibus modi- » cis possent procurari vestes, & ea quæ sunt necessaria ad pro- » bationem, si nonnihil detrahere liberet quotidiano luxui, » splendioribus conviviis, exquisitorum ciborum apparatui, & » infinitis aliis superfluitatibus. Objiciunt Simoniam tantum es- » se, quando datur vel accipitur aliquid terrenum pro spiri- » tuali: At in admissione ad probationem nihil confertur spiri- » tuale. Probant, quia nondum sunt veri Monachi, quippe qui » adhuc dimitti possint. Resp. falsum esse non veros Monachos » esse, etiamsi adhuc dimitti vel spontaneâ voluntate discedere » possint. Nec deinde verum est, nihil illis spirituale collatum » esse. Quemadmodum enim falsum est, non esse verum mili- » tem qui adscriptus est numero militum sub conditione, quod » non sit per annum intraturus tabernam, alioqui ex albo mi- » litum rejiciendus. Sic verus est Monachus, qui annum pro- » bationis agit, etiamsi dimitti propter certas & graves causas » (non enim id licitum est sine causa) possit, vel ob easdem » ipse exire. Spirituale eis collatum esse docent Doctores & » Scholastici, dum dicunt Novitios, privilegio clericali, quo » scilicet excommunicantur percutientes Clericum, sicut pro- » fessos gaudere. Alii asserunt eos teneri ad lectionem Horarum » Canonicarum, saltem Officii B. M. Rursum idem probatur, » quòd quando admittuntur, datur eis panis, id est, præben- » da, ut dicunt, quæ propriè est Monachorum ibidem degen- » tium. Quæso; dicant cur pro victu vel habitatione vel doc- » trina, qua vitam suam componere secundum regulam primo » ingressus sui anno docentur, non exigunt aliquid, qui audent » pro vestibus exigere, cùm inter hæc par ratio esse videatur. » Si debetur victus, institutio, cohabitatio, cur non similiter & » vestimenta debeantur? Insuper quæ in vestitionibus juvenum » aguntur, & in quibusdam locis leguntur, adeò nostram sen- » tentiam confirmant, ut benè considerantibus, nulla dubitatio- » nis scintilla remaneat. Quid enim sibi volunt hæ cæremoniæ? » Offeruntur Abbati tanquam permansuri, si tamen oneri in- » jungendo sint pares: Raduntur Capilli, exuuntur propriis ves- » tibus & induuntur novis &c. Quam ob rem qui pacem & » veritatem diligunt, non possunt non acquiescere prædictis ra- » tionibus, tum etiam auctoritati probatissimorum Theologo- » rum idipsum asserentium. Ut ut sit, negari non potest exactio- » nes in ingressu Religionis habere speciem malam, & sordidæ » avaritiæ suspicionem, ac proinde omninò fugiendas ac detestan- » das esse. Quæ ut in æternum sepultæ jaceant, expressè vetat » Conc. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 3. plures recipi ad professionem » in Monasteriis bona immobilia possidentibus vel non possi- » dentibus, quàm qui commodè ali possint ex redditibus, vel » eleemosynis consuetis Cœnobii. «

§. IV.

Illicitum omninò esse ostenditur, ut parentes vel propinqui detentur ex bonis eorum, qui Monasterium ingrediuntur.

DUbitare non possunt, quin dicta in hac secunda Dissertationis parte contra exactiones pecuniarum in admissione ad Religionem plurimis personis secularibus admodum placebunt; quin & plures desiderent ut Canones Ecclesiæ contra prædictas exactiones Religiosi exactissimè servarent; ut hoc pacto proles suæ ad Monasteria gratis admitterentur, quo fieret ut ipsi onere eas alendi levarentur, vel, quod pejus est, alias proles in seculo manentes divitiis augere & ad statum eminentiorem in mundo aliquando promovere possent.

Verùm eâdem facilitate qua hactenus ostensum est Religiosos non posse ab ingredientibus aut eorum parentibus quidquam in admissione ad Religionem exigere, ostenditur, planè irreligiosum, ne dicam injustum esse, ut per ingressum filiorum in Religionem seculares censum suum patrimonialem augeant, aut proles in seculo manentes ditent.

» Non est meum dicere, « inquit Synodus Aquisgranensis post S. Prosperum seu Auctorem Libri De vita contemplativa, » quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiunt, qui » Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerant, » suis expensis insuper gravant, propter hoc fortassis in con- » gregatione viventes, ne aliquos pauperes pascant, ne adve- » nientes excipiant, *aut ne suum censum expensis quotidianis* » *imminuant. Anno* 816. *cap.* 107. apud Gratian. *Causa* 1. » *quæst.* 2. *Can.* 8. «

Sic igitur Clerici divites peccato non levi sint obnoxii, qui de bonis Ecclesiæ vivunt, ne *censum suum expensis quotidianis imminuant*; quomodo à peccato erunt immunes qui de bonis Monasterii proles suas vivere gestiunt, ut censum suum augeant vel certè per alimentationem prolis non imminuant? Nec enim minus ipsos Monasteriorum quàm Ecclesiæ proventus *patrimonium pauperum* esse, *parte* 2. *cap.* 1. §. 3. probatum est. Quinimò Monasteriorum fundatores hac præcipuè intentione bona sua Monasteriis obtulerunt, ut illis essent ad perpetuum refugium, ut loquitur Fundator Cluniacensium, *qui pauperes de seculo egressi nihil secum præter bonam voluntatem attulerint, ut nostrum supplementum sit abundantia illorum.*

De hac Fundatorum mente legi possunt quæ habet S. Augustinus *Conc.* 3. *in Psalm.* 103. ibidem ostendens, quomodo nonnulli divites seculi quos dicit cedros Libani, *quas plantavit* Dominus, volentes sibi facere amicos de mammona iniquitatis, qui ipsos, cùm defecerint, recipiant in æterna tabernacula, ædificent Monasteria, ut in illis tanquam in cedris Labani ni-

dificent passeres, id est, minuti hujus seculi, *quorum alius*, inquit, *dimissit cellam Patris sui inopem, vix unum lectum & unam arcam.*

Divites igitur, qui proles in Monasteriis collocant, nec portionem bonorum unde vivere queant, offerunt, sed totum quod in alimetationem prolis Monasterium ingressæ impendere debuissent, sibi retinent, hac suâ tenacitate efficiunt ut pauperes quorum alimentationi ex mente offerentium primariò bona Monasteriorum destinantur, ad Monasteria recipi non possint, quia ipsorum proles loca pauperum occupant.

Deinde hujusmodi parentes, qui portionem quæ proli statum Religiosum assumenti competeret si in secula maneret, sibi retinent, in effectu bona pauperum in usum suum convertunt; & ex patrimonio pauperum ditescunt, quod quid magis ab æquitatem alienum?

Hæc tamen iniquitas se manifestiùs prodit, si filio alicujus divitis ingrediente Monasterium (quod ex quotidianis fidelium eleemosynis vivit) apud parentes aut consaguineos notabilis bonorum quantitas remaneat, quam ipsi in usus profanos aut statum familiæ augendum insumant: quis enim justum reputet ut Filius ex eleemosynis fidelium tanquam pauper sustentationem accipiat, & interim parentes ipsius ex portione bonorum quam in seculo reliquit, vitam abundantiorem ducant?

Si pium & justum sit ut fideles ex rebus sibi à Deo donatis eleemosynam faciant in sustentationem servorum Dei, qui mundo valedicere & vitam in Christo absconditam in Monasteriis vivere desiderant, quomodo non magis ipsa pietas quinimò ipsa justitia exigit, ut hi eleemosynam faciant Congregationi cui filius eorum jam incorporatus est; & tanquam illius membrum bonorum tam spiritualium quàm temporalium particeps est effectus.

Sed dicet forsitan divitum quispiam, Monasterium quod Filius meus ingreditur divitiis abundant, quin & ampliores habet quàm sustentationi competentis numeri Religiosorum requiratur, adeoque necessitas non apparet quidquam ex portione quæ filio competeret dimittere. Resp. quantumvis supponeretur Monasterium tam amplis redditibus esse instructum (licèt sæpè judicium hominum mundanorum de sufficientia Monasteriorum minùs æquunt sit) nihilominùs justum non est, ut parentes divites integram portionem quæ filio in seculo remanenti competeret, in familiæ suæ augmentationem retinerent; etsi enim poneretur quòd in simili casu Monsterio sat abundanti nihil dandum foret; cùm tamen omnia Monasterii bona sint bona pauperum eo sensu, ut quidquid Religiosorum necessitatibus superest in alimoniam pauperum impendatur, justitiæ consonum est, ut parentes partem aliquam bonorum in pauperes distribuant, dum filius eorum vivit ex bonis quæ pauperibus venirent impendenda. Accedit quòd Christus velit ut quicunque consilium evangelicæ paupertatis assumit, non simpliciter sua omnia dimittat, sed ut pauperibus eroget: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes* & DA PAUPERIBUS, ac per consequens si Christi intentioni divites obsequi velint, portionem hæreditariam filio etiam vivis parentibus quodammodo competentem dimittant, ut eam filius juxta Christi consilium *pauperibus* distribuat.

Illud jam pridem faciendum in oblatione filiorum parentibus proposuit piissimus ille Religiosorum Pater qui famoso nomine *Magister dicitur*: postquam enim monuisset parentes ut filios suos quos Monasterio offerebant, bonis temporalibus exuerent; ut scilicet filiis nihil juris ad hæreditatem remaneret, ne spe hæreditatis allecti à proposito resilirent, tandem concludit *caput* 91. *Reg.* » Itaque audite vocem illius Domini, quem Fi» lius vester dicit se sequi, ipsi dicentem: *vende omnia quæ* » *habes, & da pauperibus, & veni, sequere me: & habebis* » *thesaurum in cœlo*: sed quia portio ejus adhuc in vestra est » potestate & consensu vestro vel promissione, magis videtur » Deo offerre quàm nobis; *vos tangit de ea secundum domini*» *cam vocem, quam si vultis audire, pro filio vestro apud vos* » *nihil remaneat in seculo, nisi Deus.* Quod si fortè, pergit » prædictus Magister, propter immanitatem divitiarum, vel » amorem nutritæ domi familiæ gravis vobis, & minùs dulcis » hæc divina perceptio convenit, audite Regulæ nostræ à Pa» tribus salubre statutum consilium. De portione ejus tres fiant » partes æqualiter, una distributa Abbatis manibus, pauperi» bus vel indigentibus erogetur: aliam vobis, vel fratribus suis » pergens ille ad comitatum Sanctorum exagiliario munus titulo » derelinquat: tertiam verò partem viatici sui utilitate deferat » secum Monasterii Sanctorum usibus profuturam. «

Ex his concludere licet, quòd quantumvis omnis exactio pecuniæ in admissione ad statum religiosum sit inhibita, non parva tamen sit inordinatio, quòd parentes divites permittant, ut loca pauperum per filios suos occupentur, aut ut minimùm filii ex bonis pauperum sustentationem accipant, & ipsi interim ex bonis illorum censum patrimonialem augeant, aut proles in seculo manentes ditent. Imò jam pridem Guillielmus Parisiensis Episcopus parentes filios suos ad Monasteria destinantes, ut prolibus in seculo manentibus plura cedant, Simoniaeæ pravitatis reos credidit: » Alii (inquit *tom.* 1. *tract. de moribus,* » *cap.* 9.) à parentibus & propinquis eo modo in claustro pro» jiciuntur, quemadmodum catuli & porculi, quos Matres non » sufficiunt enutrire, ut videlicet mundo non spiritualiter, sed » ut ità dicamus civiliter moriantur, videlicet ut *portione hære*» *ditariâ priventur, & ad eos qui seculo remanent, devolva*» *tur*; & quantum ad hoc, *simoniaca* est hujusmodi projec» tio, immersio, vel intentio. «

Ob hanc tamen divitum inhumanitatem & avaritiam, ne dicam injustitiam, nullatenus Religiosi ad exactiones per Canones tam enixè prohibitas recurrere debent; sed potiùs exactiores esse in eorum custodia confidentes, quòd dum Ecclesiæ regulas fideliter custodierint, Sponsus Ecclesiæ, in cujus manu cor Regis est, ut quocunque voluerit inclinet illud, inhumana illa divitum corda ad benefaciendum emoliet.

APPENDIX.

Ad primam hujus dissertationis partem.

ABsolutâ pro majori parte hujus Dissertationis impressione incidit in manus meas *Directorium Ecclesiasticæ disciplinæ Coloniensi præsertim Ecclesiæ accomodatum*: *Auctore Reverendissimo Domino Octavio Frangipano Mirtho Episcopo Tricaricensi, Apostolicæ Sedis per Germaniam inferiorem, & Belgarum Provincias Nuntio*, in quo deprehendi penè omnia quæ hâc Dissertatione præsertim primâ parte astruere studui, brevi compendio expressa, quæ per modum Appendicis annectere utile judicavi, tùm propter auctoris auctoritatem, cum etiam quòd dictum Directorium facultas Theologica Lovaniensis approbaverit, quo fiat ut sicuti ostendi *part.* 2. *cap.* 4. §. 11. dictis meis in materia Simoniæ circa ingressum in Religionem consentire hujus Academiæ Doctores, similiter assertis meis contra vitium *peculiaritatis* consentientes ostendam.

Extractum ex præfacto Directorio DE RELIGIOSA PAUPERTATE.

» QUemadmodum castitas à carnali voluntate possessorem » suum libertat, & ab impuri amoris visco absolvit, ità » religiosa paupertas, quæ propter Christum suscipi» tur, si voluntaria fuerit, à rebus terrenis omnem affectum at» que amorem abscindit, à spinosæ solicitudinis cogitatione, quæ » insthinc oriri solet, animum prorsus liberum ac quietum fa» cit. Ut autem volutaria sit, non sufficit, quòd quis spontè » & non coactus paupertatis votum emisserit, & quandiù ei » omnia, quæ sunt necessaria, subministrantur, sine mur» mure vivat; sed & voluntaria debet esse ipsa penuria, vo» luntariæ quoque quæ ex penuria sequuntur, molestiæ & in» commoda. Paupertatis enim amator (ut ait quidam) ideo ad » paupertatem suâ sponte descendit, ne eum imparatum for» tuna deprehendat, telaque fortunæ ante præocupet, quàm » in ea cadat.

„ In hac itaque virtute sic exercendus est Religiosus, ut pos» sit dicere cum Apostolo *Philip.* 4. *Ego enim didici, in quibus* „ *sum, sufficiens esse: scio & humiliuri, scio & abundare* (*ubi*» *que & in omnibus institutus sum*) *& satiari; & esurire, &* » *abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confor*» *tat*; tu si quando necessitas illa veniat, ut nec habeat quod » manducet, nec quo operiatur, & si quid aliud, quod ad vitæ » humanæ sustentationem necessarium est, desideret; non fran» gatur animo, & non tantùm ad iniquitatem manus non ex» tendat suas, sed nec cogitatione quidem peregrinum à sanc» to proposito quidquam patiatur; ac fide, spe, & charita» te, eò magis in Deum convalescat, quo ab omni humana ope, » & consolatione magis derelictus apparet.

„ Ab omnibus igitur rebus ablactandus est religiosi viri » animus, & non tantùm superfluum quicquam, cui inhæreat, » aut quod ei adhæreat, ei non est permittendum; sed & so» lis necessariis ita sustentandus est, ut in eorum usu liber & » non servus sit; hoc est, ut per gustum & amorem cælestium » bonorum, ità ei terrena omnia desipiant, ut grave ei sit ac » molestum etiam necessariis uti; & ingemiscat, se huic ne» cessitati, ut cum remissione animi satisfaciat necessitati cor» poris, per peccatum esse subjectum, malitque etiam neces» sariis non uti, si naturæ conditio pateretur, & non tantum pa» tienti, sed & hilari ac constanti animo, eisdem etiam pror» sus carere paratus sit, si hanc necessitatem ad probandum » militem suum incomprehensibilis Dei providentia induxerit.

» Quare longè à religiosæ paupertatis scopo illi aberrant Re» ligiosi, qui voluntariam paupertatem, in nuda paupertatis » professione constituunt, ex qua plus maledictionis quàm be» nedictionis eos manet.

» Procul & illi à voluntaria paupertate absunt, qui ut in lec» tulo ægritudinis suæ non egeant, & penuriam aliaque pauper» tatis incommoda non sentiant, pecuniam corradunt atque se» po-

» ponunt, vel redditus vitales aut perpetuos habent, unde » tempore ægritudinis & necessitatis suæ consolationem habeant, » & se à molestiis paupertatis tueantur atque defendant. Quo- » rum temeritas eo subinde proserpit, ut de bonis & pecuniis » quas relinquunt, testamento disponant, ac amicos legato ho- » norent. Ubi graviter accusandi veniunt quidam Religiosorum » Prælati, aut Superiores, quorum facilitate & permissu ista » perpetrantur, imò quorum immisericordia huic religiosæ soli- » citudini, & nefariis ausibus occasionem dedit, & Januam » aperuit; ut qui famulos Dei, qui omnia propter Christum » derelinquerunt, dum ægrotabant ita dereliquisse visi sunt, ac » si eorum cura tum ad eos non pertineret. Qua in re magnam » amoris ac charitatis suæ penuriam manifestaverunt, quæ tunc » maximè viscera sua aperire solet, & ostendere, etiamsi res » sit angusta domi, quàm ipsa ut juvet Fratrem suum non an- » gustietur.

» Quæ ut in posterum caveantur: monemus Prælatos ac Su- » periores omnes, ut Fratrum suorum necessitatibus solicitè » succurrant, & in ægritudine eorum hoc eis præstent, quod » sibi præstari vellent; ne incidant in terribilem illam Aposto- » li sententiam: *Si quis suorum & maximè domesticorum cu-* » *ram non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. Ti- » mot. 5. v. 8.

» Religiosi verò, qui testamentum condiderunt, tanquam » rei criminis proprietatis, ecclesiasticâ careant sepulturâ, & » bona, de quibus testati sunt secundum Ordinationem Theo- » dorici, *pag.* 263. §. 62. arbitrio Episcopi subjaceant.

» Proprietarii similiter censeantur, & contra vitam commu- » nem agere omnes Religiosi, qui in proprios ac *peculiares* » usus, redditum aliquem sibi aut emunt, aut emptum retinent.

DE VITIA COMMUNI.

» QUod ad communem vitam, victum atque vestitum atti- » net, magnam passim deformitatem diversæ consuetu- » dines dictis votis contrariæ in Monasteriis induxerunt, » quæ proprietati, totius Religionis perniciosæ pesti, occasio- » nem & fomenta subministrant; paupertatis thesaurum spoliant; » spem in Deum minuunt: anxiam solicitudinem & affectum ad » res temporales inducunt; institutionem Patrum enervant; at- » que fraternam charitatem animorumque unionem tollunt. » Quamobrem Prælatis omnibus utriusque sexus severè præ- » cipimus, ut omnibus & singulis subditis suis victum non » in pecunia vel privatim in cubiculis, nisi Carthusianis, & » si qui fortè sunt, qui ex suo instituto solitarii reficiuntur; » sed communiter in communi Refectorio administrent, nulli- » que permittant, ut quicquam esculenti aut potulenti ad cu- » biculum suum deferat, aut portio vini, quæ in refectorio pro- » pinanda fuisset, pecuniâ redimatur, vel extra Refectorium » bibenda servetur.

» Ipsi quoque Prælati & Præfecti, nisi per occupationes le- » gitimas aut hospitum multitudinem penitùs impediantur, in » communi Refectorio corpore reficiantur. Cum autem propter » adventantes hospites separatim comedere cogentur, ut hospi- » tes ædificentur, & cognoscant Monasteria scholas esse in qui- » bus mortificationi carnis studetur, non voluntati; eosdem stu- » deant in mensa sua habere cibos, quos habet Conventus.

» Vestitum singuli ex communi vestiario accipiant, mini- » mè verò pro eo singulis Religiosis pecunia assignetur; aut in » hunc finem, ut seipsos vestiant, vel ex celebratione Missa- » rum, vel aliàs labore, industriâ, aut amicorum liberalita- » te, pecuniam comparare, aut sicut paulo ante dictum est, » pensiones vitales, redditus perpetuos recipere, aut bonorum » aliquorum usumfructum habere permittantur. Præterquam » enim, quòd hæc ad *peculiaritatem* pertinent, cum qua (tes- » te D. Gregorio *Ep.* 21. *lib.* 10 *indict.* 5. *cap.* 22.) nec con- » cordia, nec charitas in Congregatione potest permanere: fa- » ciunt etiam ad studium vanum, inutile & perniciosum ves- » tibus placendi hominibus, ita ut in uno eodem Monasterio » alius alio pretiosius, & sæpè alia vestitum formâ vestiatur, » sic ut quivis è seculo, quamvis honoratus) ut ait D. Bernar- » dus in *Apologia ad Wilhelmum Abbat. paulò ante finem.*) non » alia horreat vestimenta, si suo modo præparata fuerint. Quin » in re quidam Superiores, qui hæc corrigere deberent, dum » magis student vestibus populo placere quàm moribus, pes- » simo exemplo gravissimè delinquunt.

» Quæ ut corrigantur, pari ratione, omnium Monasterio- » rum utriusque sexûs Superioribus mandamus; ut quo sunt » gradu altiore subditis constituti, eò humilitate in vestibus & » moribus sint magis conspicui, subditosque suos etiam hîc præ- » cedant, ac viam monstrent, qua eos sequi volunt. Sit itaque » omnium habitus uniformis, non illorum tantum, qui unius » Monasterii sunt, verùm etiam omnium, qui sunt unius Ordi- » nis, præcipuè in eadem Provincia habitantium; ut sicuti ha- » bitus est unus, mensa una, regula una, unusque vivendi mo- » dus, ita intelligant, cor omnibus debere esse unum, animam » unam, conspirationem unam ad Regnum Dei consequendum. » Materia verò vestis ac forma talis omninò sit, qua admonean- » tur mundo esse crucifixi & ipsis mundus.

„ Similiter in aliis omnibus necessariis ex communi ærario, „ non ex *peculiaribus* cujusque depositis, pro Monasterii facul- „ tatibus, non in pecunia, sed in specie rerum, cuique, quod „ opus habet, benignè ac paterna solicitudine Præfecti submi- » nistrent: neque ullo modo præbeant ansam, ut aliqua ra- » tione contra votam Deo paupertatem ac vitam communem ali- » quid agatur, & spes magis in humana cujuslibet industria » quàm in Deo, & paupertatis meritò collocetur.

» Ideoque curam in hoc omnem ponant, ne quod hactenus » passim in multis Monasteriis factum est, aliquis sibi aliquid » operetur; sed ut præscribit in Regula sua D. Augustinus, » omnia opera sua in unum faciant, majori studio & alacritate, » quàm si singula sibi facerent propria. Ac proinde omnis pe- » cunia vel res, quam Monachus vel Monialis, sive labore, si- » ve industria, sive amicorum liberalitate, seu denique quali- » bet alia occasione acquirere potest, Superiori mox tradatur » in commune ærarium, vel commune vestiarium, vel aliàs in » communes usus reponenda, & ad nutum Superioris tanquam » res, non quidem uni *peculiaris*, sed omnibus ex æquo com- » munis administranda, ne contingat in Monasteriis illa perver- » sitas, ut qui divites & liberales habet in seculo consangui- » neos, etiam superfluis quibuscunque abundet, & alius fra- „ ter necessariis destituatur.

» Quare si quis suis filiis, aut aliqua necessitudine ad se » pertinentibus, aliquam contulerit vestem, aut aliquid aliud » inter necessaria deputandum, quod sit pretiosius aut notabi- » lius, quàm ut in communes usus redigi posset, ne hinc mur- » mura oriantur, aut alius ab aliis in aliquibus deformis exis- » tat, illud vendatur; ita ut si vestis, vel pannus, vel quæ- » cunque res alia esse communis non poterat, ejus pretium » commune fiat. Exemplo D. Augustini qui oblatum sibi pre- » tiosum Birrum putavit esse vendendum dicens: *Forsitan* » (eo uti) *decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum.* » De communi Vita Cler. *Serm.* 2.

» Porrò cùm non possit quisquam proprietatis deponere » affectum, quandiù ea habere permittitur, quæ ab eo cum pro- » prietatis affectu possidentur, auferantur ea omnia, quæ cum » tali affectu possideri deprehenduntur. Sunt alii, qui habent » cochlearia, auriscalpia, dentiscalpia, aliaque instrumenta ar- » gentea; alii, qui cultros habent elegantiùs elaboratos; alii, » qui libros; nonnulli, qui sudariola acu picta, vestes pretio- » sas, & si quæ sint alia, quæ non sine murmure resignare vel- » lent; quæ cùm non fuissent Religiosis permissa à primis Or- » dinum Initiatoribus, & quia etiam erga res minimas potest » esse inordinatissimus affectus, qui sit peccatum mortale, nec „ nunc Religiosis à Superioribus permittenda sunt; quia ad hoc „ à Deo constituti sunt, ut subditos suos in votis & sancto „ proposito juvent, non solùm vitæ exemplo, instructione, „ consolatione & correptione, ad quod etiam quivis Christia- „ nus pro donationis suæ mensura ex charitatis tenetur officio, „ sed etiam auctoritatis imperio & coactione, qua in re si qui „ negligentes fuerint, ii non modò innocentes non sunt, sed „ in seipsos & in subditos suos, quibus exemplo Heli parcunt, „ crudeles existunt. Si qui igitur sint, qui virtutis non ducun- „ tur amore, & tanquam liberi sub gratia constituti, voluntа- „ riæ paupertatis exercitium ex animo non amplectantur, eos „ Præfecti formidine pœnæ in officio contineant; ut vexatio „ det intellectum, & timor paulatim charitatem inducat.

APPENDIX

Ad Secundam Dissertationis partem in eodem Directorio *Tit. De recipiendis & instruendis Novitiis.*

» SUb pœna anathematis dantibus & recipientibus præcipi- » mus, ne ante professionem, excepto victu & vestitu, » Novitii vel Novitiæ illius temporis quo in probatione est, „ quocunque prætextu à Parentibus vel propinquis aut Cura- „ toribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejus tribuatur, *cum* „ *ut caveatur detestabilis Simoniæ species*, tum ne Novitius „ hac occasione discedere nequeat, quòd totam vel majorem „ partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè si dis- „ cesserit, id recuperare possit. Quin nec pro ipso victu aut „ vestitu Novitii aliquid ex pacto detur. Cùm enim Novitia- „ tus sit res spiritualis, cui annexum est jus ad victum & ves- „ titum, à *Simonia abesse non potest de his pacisci*, vel pro „ jure Novitiatûs adquirendo ad victum & vestitum contribue- „ re. Si quis autem jure Novitiatus acquisito sumptus libera- „ liter refundere velit, licitè id facere potest, modo nullum in- „ tercedat pactum conventio, spes aut mutuus intellectus."

„ Ut omnis in hac parte tollatur peccandi occasio, non plu- „ res in posterum in Monasteriis virorum, aut virginum ad „ professionem recipiantur, quam qui vel ex redditibus pro- „ priis

„ priis Monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commodè pos-
„ sint sustentari."

APPROBATIO.

Præfati Directorii per Facultatem Thologicam Lovaniensem.

HOc Directorium Ecclesiasticæ Coloniensis disciplinæ reformandæ, ab Illust. & Reverendis. D. Domino Octavio Episc. Tricacensi Nuntio Apost. collectum.

Decanus & Facultas Theologiæ in Academia Lovaniensi, debito examine prævio, tanquam opus magno studio & pietate concinnatum fructuosè admodum excudi posse judicant.

De Mandato Domini Decani & Facult.

Subscrip. AND. SASSENUS dictæ Facult. Notarius.

VINDICIÆ
DISSERTATIONIS CANONICÆ
DE PECULIARITATE ET SIMONIA.
CONTRA LIBELLUM R. P. WYNANTS ORD. EREM. S. AUGUST.

Cum reflexionibus ad definitionem illorum, quos JANSENISTAS *vocant, ab eodem adductam.*

SCOPUS HARUM VINDICIARUM.

NOn me fefellit conjectura, de qua in præfatione *Dissertationis Canonicæ de Peculiaritate & Simonia, &c.* quod scilicet, *Reformator Jansenista*, illicò auditurus essem: hoc Thesses R. P. Clenaerts, hoc Libellus, quem Dissertationi meæ nuperrimè opposuit R. P. Wynants, plus satis loquuntur. Ad hæc paucis respondere quantum causæ justitiæ & veritatis defensio exiguunt, & christiana modestia permittit, animus est, plerisque quidem, quæ in privatam meam personam conjiciuntur, neque solum attingunt, nec respondendum judicavi; quæ verò generatim cuilibet, ubi vel leviter vitium aliquod non Status Religiosi, sed quorundam Religiosorum attigisse vissus est, affricari solent, pluribus refello, eo quod modus ille tam alienus à charitate, quàm Ecclesiæ perniciosus mihi appareat. Ad paucula verò ac imprimis ad Epistolam dogmaticam Rodulfi ad Sanctum Trudonem Abbatis, adversus Dissertationem meam regesta, num respondens faciam satis, æquus Lector judicabit.

CAPUT PRIMUM.

DE HIS QUÆ IN LIBELLO R. P. WYNANTS AUCTORI POTIUS QUAM DOCTRINÆ DISSERTATIONIS CANONICÆ *DE PECULIARITATE ET SIMONIA*, OBJICIUNTUR.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Amaritudine zeli & livore edaciore *in Exim. P. Lupum qui Auctori Dissertationis objicitur.*

REverendus P. Wynants in nupero suo Libello adversus Dissertationem meam Canonicam primò mihi objicit pag. 3. *amarum Zelum*, & pagin. 37. *Livorem edaciorem* in Exim. P. Christianum Lupum.

Utrum mihi in dictum Patrem hujusmodi affectio fuerit uni Deo notum est; hactenus de simili affectu in virum illum nihil mihi conscius sum. Ut hoc de me homines credant, satis est, quòd nullam causam habeant aliter de me sentiendi: quam causam R. P. Wynants habuerit, ut in me affectum illum fuisse non solùm crediderit, sed constanter & publicè asseruerit, nescio; si tamen conjecturare liceat, duplex illius suspicionis causa fuisse apparet.

Prima, quod parte 2. Dissert. cap. 2. *cum magno impetu*, ut queritur pag. 2. *invadam dogma, quod in materia Simoniæ ad Can.* 19. *Concilii Nicæni II. tradit Ven. Mem. Exim. Christianus Lupus.*

Secunda eaque præcipua videtur illa, quam insinuat pag. 37. quòd scilicet *reponam*, ut ipse quidem asserit & per totum penè Libellum altè declamat, *P. Lupum inter Magistros ad* OMNEM *novitatem prurientes, inter Doctores non dirigi solitos à Spiritu Veritatis, &c.*

Num illa vera sint, & *amarum Zelum* vel *Livorem edaciorem* in P. Lupum probent, duobus Paragraphis sequentibus inquiremus.

§. II.

Discutitur prima conjectura, ex qua R. P. Wynants amarum Zelum *aut* Livorem edaciorem *in P. Lupum elicere videtur.*

FAteor me in secunda Dissertationis meæ parte *cap.* 2. impugnâsse dogma P. Lupi in materia Simoniæ circa ingressum Religionis ex Legibus Justinianæis desumptum: & quidem *magno impetu*, si id intelligatur pro omni qua potui argumentorum vi, idque eo fortiùs, quo apprimè mihi cognita erat viri illius auctoritas, & magna, præsertim apud Curiæ Romanæ Prælatos, à Canonum & Antiquitatis studio existimatio, neque, ut hæc mihi probaretur, opus erat litterarum evulgatione: quod hac tamen occasione hæc facta fuerit, non invideo.

Ex hac verò dogmatis impugnatione *zeli* mei *amaritudinem* aut *livoris edacitatem* in Virum illum quis arguat, nisi qui existimat non posse Viri alicujus magnæ auctoritatis & existimationis dogma impugnari, aut non ea argumentorum mole, quæ dogmatis illius destructioni judicatur necessaria aut admodum utilis, ni unà *amaro zelo* & *livore edaciore* quis in Auctorem illum ferri judicetur?

Profectò si id existimet R. P. Wynants, non me solùm, sed & Eximium Patrem Le Drou, modernum suum Provincialem *amari zeli* & *livoris edacioris* in P. Lupum suspectum habeat necesse est, utpotè qui non in uno tantùm articulo sed pluribus sententiam P. Lupi impugnat.

Et quidem in hoc ipso *De Simonia* dogmate, in quantum per dictum dogma Monasteria etiam *opulenta* in exactione dotis ab ingressuris Religionem ad omni specie Simoniæ vindicantur, mecum à P. Lupo recedit, ut ex pluribus ejusdem P. Le Drou Thesibus, præsertim iis, quas *Promptuarium Theologo Canonicum* dixit, patescit: in his enim §. 18. ita loquitur: „ Nec „ illam (Simoniæ lepram) evadent opulenta Monasteria, si do- „ tem exigant à Candidatis, quos spectatis omnibus, alere „ commodè possunt, *Arg. ex Extravag. citatâ, junctâ Glos- „ sa* ad verbum *sanè*; ex judicio S. Cong. Concilii, probato „ à Papa, ut videre est in ante dictis. Neque verò D. Thomas „ 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. aliquid exigere sinit, nisi quando „ *Monasterium est tenue*, & ejus redditus *non sufficiunt*. Et *in* „ 4. *dist.* 25. *art.* 2. *ad* 7. *Simoniacum* esse contendit, si possit „ Candidatus *sine gravamine recipi*. Et meritò: Cùm enim „ tunc desit justus titulus, omnis exactio pro spirituali admis- „ sione fieri censetur."

Nonne quoque nuperrimè in Thesibus hoc anno in mense Augusto Præside R. P. Clenaerts S. T. L. ac Prof. Ord. Eremit. S. Augustini defensis, *Thesi* 6. conspeximus hanc positionem: *etiam Religiosi licitè habent annuos redditus*, quam positionem *quanto impetu* improbaverit Exim. P. Lupus, ex illius ad Can. 6. Concilii Tholosani sub Victore II. discursu, quem hîc subjicimus, colligere licebit: „ Porrò Joannes Cassianus „ in septimo monasticarum Institutionum libro distinguit tres „ Proprietariorum classes: *Triplex est hujus invaletudinis morbus,*

„ *qui*

„ *qui ab universis Patribus æquali detestatione damnatur. Unus* „ *hic, qui deinceps miserabiles quosque, ea quæ ne antea qui-* „ *dem, cùm in seculo degerent, possidebant, congregare per-* „ *suadet. Alius, qui hæc in primordiis suæ renuntiationis ob-* „ *jecerant, postea resumere ac rursùm desiderare compellit.* „ *Tertius, qui initio malo vitiosoque contractu, & ab imper-* „ *fectione incipiens, eos quos semel hoc tempore mentis infece-* „ *rit, paupertatis ac deffidentiæ timore perterritos, spoliare* „ *se cunctis mundi facultatibus non sinit, eosque pecunias vel* „ *substantias, quas utique renuntiantes abjicere debuerunt, re-* „ *servantes, ad Evangelicam perfectionem nunquam pervenire* „ *concedit.* Tertiæ itaque classis sunt illi, qui omnia quidem sua „ Monasterio dant aut pauperibus, seu *sibi aliquam reservant* „ *vitalitiam pensionem aut censum. Ipsorum exordium est omni-* „ *no vitiosum.* Monastica quippè professio non est aliud quàm „ omnium temporalium abrenuntiatio, atque ita adversum il- „ los rectè dixit in tertia Collocatione Abbas Pafnutius: *Nec* „ *dum Evangelicum implet mandatum, qui omninò sibi adhuc* „ *ex suis facultatibus aliquid reservat.* Et adjungit: *Sicut non-* „ *nulli tepidorum faciunt.* Utroque enim pede claudicant: *nec* „ *monachum induunt, nec secularem deponunt.* Unde adversus „ Syncleticum, ex Senatore Monachum ejusmodi scripsit Mag- „ nus Basilius: *Et Senatorem perdidisti, & Monachum non* „ *fecisti.* Quod dictum prædicat, & ejus causam nobiscum lau- „ dat Cassianus: *Quædam sibi de propriis facultatibus Syncle-* „ *ticus reservárat.* Rectè asserit istos *ad Evangelicam perfec-* „ *tionem nunquam pervenire.* Captivi enim manent sub phy- „ largia omnium vitiorum matre ac nutrice, quam quidam ap- „ petentes etiam à fide erraverunt. Ex ipsa pauperes Fratres „ despiciunt, cum plena humilitate non subjacent Præpositis, „ Divina Officia fastidiunt, operari nolunt, ad licentiosum ali- „ cujus privilegii aut præeminentiæ in Monasterio locum quavis „ arte adspirant ac se intrudunt, communi alimentorum ac ves- „ tium sorte contenti non sunt, atque ita Cœnobia sua pede- „ tentim transvertunt in illam Coludensis apud Anglos Monas- „ terii miserabilem formam, quam in Anglicana Venerabilis „ Bedæ historia describit religiosus Presbyter Adamandus: *Do-* „ *munculæ, quæ ad adorandum vel legendum factæ erant, nunc* „ *in comessationum, potationum, fabulationum, & cæterarum* „ *sunt illecebrarum cubilia conversæ.* Quomodò speluncam hanc „ immissus ab irato Deo ignis eradicaverit, pluribus narrat lau- „ datus Beda, factum asserit ob excessus præsertim illorum, qui „ *majores esse videbantur*, & concludit: *Hæc ideo nostræ his-* „ *toriæ inserenda credidimus, ut admoneremus Lectorem operum* „ *Domini, quàm terribilis sit in consiliis super filiis hominum,* „ *ne fortè nos tempore aliquo carnis illecebris servientes, minus-* „ *que Dei judicium formidantes, repentina irâ ejus corripiat,* „ *& vel temporalibus damnis justè sæviens affligat, vel ad per-* „ *petuam damnationem districtiùs examinans tollat.* Grandem „ apud suos Monachum ob similes vanitates fuisse visibiliter „ deportatum ad inferos, & Cayphæ ac aliis Domini occissori- „ bus adjunctum, narrat in eadem historia, & denuo conclu- „ dit: *Factum est hoc nuper in Provincia Bernicorum, ac lon-* „ *gè lateque diffamatum, multos ad agendam & non differen-* „ *dam pœnitudinem provocavit. Quid utinam ex hinc etiam nos-* „ *trarum lectione litterarum fiat.* Quo circa hisce pensionatis „ Monachis Joannes Cassianus meritò applicat hocce Deutero- „ nomii Statutum: *Quis est homo formidolosus, & corde pavi-* „ *do? Non egrediatur ad bellum. Vadat & revertatur in do-* „ *mum suam, ne pavere faciat corda Fratrum suorum, sicut* „ *& ipse timore perterritus est*, ipsos ad monasticam militiam „ affirmat ineptos. Semetipsos enim præcipitant in Monasteriis, „ & alios secum, licet non in lapsum, tamen in titubationem cir- „ cumscribunt. Quare qualiscumque professioni *adjecta pensio-* „ *nis reservatio, est adversa substantiæ*, aut *certe fœda con-* „ *ditio*, ideoque habenda pro non apposita. *Eam præfecti obli-* „ *gantur circumducere & in communem substantiam* (Nota Be- „ ne) *devocare.* Nulla hic dotalis eleemosyna, nec similis quis „ humanæ infirmitatis palpo fucus valeat patrocinari. Eleemosy- „ na enim debet esse gratuita, non dotalis. Et hunc esse Tri- „ dentinæ reformationis scopum, suus locus demonstrabit. «

Hactenus P. Lupus. Plures alias sententias Patris Lupi quibus se ejusdem instituti professores opponunt, proferre possemus, sed has duas de quibus in Dissertatione mea agitur protulisse sufficiat, & ostendisse quòd quoad eam in qua à P. Lupo dissentio, nec ipsi ejusdem Ordin. Magistri per omnia consentiant; quoad alteram in qua P. Lupo consentio, rursus ejusdem Ordinis professorem dissentientem protulerim.

Non eo tamen fine hæc à me prolata putentur, quasi vituperio verti deberet Professoribus, quòd à sententia P. Lupi recedant, dum contrariam veram putant; imò in hoc laudandi quod nullius moti auctoritate liberè quod verum credunt, eloquantur. Ita S. August. Vincentium Victorem Juvenem & Laicum laudat, quòd nihil hominem veritus liberè contra Senem & Episcopum (August. scilicet) quod sentiebat, proferret: „ In hoc (inquit *lib. 4. de anima & ejus orig. cap. 1.*) te „ planè laudo, quod veritatem etsi nunquam percepisti, *certè* „ *quam putasti homini protulisti*, ideo quidem temerè, quia „ existimasti scire te quod nescis, *sed ideo liberè, quia perso-* „ *nam non veritus, elegisti aperire quod sentis.* "

Ex his facilè apparet quàm levis ac futilis sit conjectura *amari* mei *zeli* ac *livoris edacioris* in P. Lupum, quia dogma ipsius in materia Simoniæ *magno impetu*, id est, omni argumentorum vi impugnavi.

§. III.

Discutitur altera conjectura ex qua R. P. Wynants amarum *meum* zelum *ac* livorem edaciorem *in P. Lupum colligere videtur.*

SEcundum argumentum *amari* mei *zeli* & *edacioris livoris* in Exim. P. Lupum desumpsisse videtur R. P. Wynants ex eo, quod P. Lupum, ut ipse asserit & queritur pag. 32. traducam *part. 2. Diss. cap. 2.* in laxorum catalogum ad omnem novitatem prurientium. Eandem de me querelam *pag. 37.* Patri suo Generali exponit his verbis: „ *Livor* EDACIOR *aut ze-* „ *lus* AMARIOR non possit, Reverendissime Pater, quemquam „ aut mordaciùs urere, aut crudiùs commovere contra opt. „ mem. P. M. Christianum Lupum, quàm qui ipsum reponit „ inter laxiorum regularum vindices: inter Magistros ad no- „ vitatem omnem prurientes: inter Doctores non dirigi solitos „ à spiritu veritatis. " Rursus *pag. 62. 63.* introducit P. Lupum piæ memoriæ quasi resuscitatum de me querelantem in hæc verba: „ Si malè te habeat, Clarissime Professor, & intimè te „ urat mea de Simonia doctrina, an ideo à tua Charitate merear „ reponi inter laxones, homines falsos & fallaces, à spiritu er- „ roris ductos, stultos & injustos? AN DOMINUS PRÆCEPERIT „ TIBI UT MIHI MALEDICAS?

Has querelas per totum penè libellum sparsas videre est: quæ si veræ forent, non diffiteor quin *amari* mei *zeli* & *livoris edacioris* in virum illum non leve essent argumentum, verùm concipere nequeo qua conscientiâ aut charitate *quæ non cogitat malum*, hæc tanquam a me scripta & in P. Lupum conjecta R. P. Wynants tam intrepidè asserere audeat; cùm in tota mea Dissertatione nec verbulo uno Lupum *laxonis* aut simili epitheto compellaverim.

Dicet forsitan quispiam verum esse, quòd illum expressè talem non dixerim; sed ipsum inter similis farinæ homines à me repositum fuisse colligit dictus R. Pater ex unico pene §. 2. *p. 2. cap. 2.* Dissertationis. R. Ita apparet, sed quibus consequentiis id colligat videamus.

In citato §. tria non adversus personam P. Lupi, sed adversùs dogma ipsius, in quod ex malo intellectu Legum Justiniani forsitan inciderat, proposui.

Primùm, quod opinio P. Lupi, in quantum excusat Monasteria *opulenta* in exactione dotis ab omni specie Simoniæ, sit nova & contraria unanimi Veterum doctrinæ, imò & Recentiorum (*nisi*, dixi, *unum alterumve ex laxioribus ad omnem novitatem quodammodo prurientibus exceperis.*) Hinc ulteriùs intuli huic dogmati P. Lupi quatenus à Veterum sententia in materia morum recedit, non malè quadrare illud S. August. *Quid sibi vult ista* NOVITAS? *Nonne videtur, nescio quam redolere fallaciam?*

Secundò dixi, sententiam P. Lupi primo intuitu de falsitate reddi suspectam, eò quòd per illam inutiles reddantur Conciliorum Canones ac Pontificum Constitutiones, quibus tanquam simoniacæ condemnantur, & sub gravissimis pœnis vetantur exactiones pecuniarum in admissione ad Religionem. Hujus dicti probationem subjunxi his verbis: „ Quæ enim erit il- „ lorum Canonum, aut Constitutionum utilitas, si vera sit „ quæ §. præcedenti exhibita fuit doctrina; quandoquidem per „ illam justificetur praxis recipiendi Monachi dotem, non so- „ lùm sponte oblatam accipiens, sed & exigens, ac de illa sti- „ pulans; idque non tantùm dum Monasterium est pauper, sed „ etiam quando est opulentum. "

Tertiò dixi, dogma P. Lupi primo intuitu de falsitate suspectum esse; quia titulus ille quo praxim hodiernam stipulandi dotem ab ingressuris Monasterium à Simonia vindicat, hactenus ab Ecclesia pro medio, quo Simonia è Monasteriis eliminaretur, propositus non fuit: cùm tamen certissimum sit, quod solâ hujus tituli propositione, si sufficiens esset, ut stipulantes dotem ab omni etiam specie Simoniæ liberaret, pro magna parte Simonia è Monasteriis eliminata esset: » Quandoquidem enim, » inquiebam, Regulares per simoniacas suas exactiones seu stipu- „ lationes unicè intendant summam aliquam pecuniæ, aut aliam „ rem temporalem accipere; nullâ difficultate à contractibus „ simoniacis abstinuissent, modò illo titulo, quem legitimum „ prætendit P. Lupus, summam pecuniæ aut rem temporalem „ sine labe simoniaca potuissent obtinere; adeoque opus non „ fuisset tam frequenti Canonum renovatione ac pœnarum com- „ minatione, ut vitium Simoniæ à Monasteriis averteretur.

„ Cùm igitur pia Mater Ecclesia, cui Spiritus S. suggerit „ om-

„ omnia, quæ pro tempore magis opportuna & commoda sunt „ ad vitiorum extirpationem, hunc titulum filiis suis pro re„ medio vitandi simoniacam pravitatem nunquam proposuerit, „ *meritò judicatur illum à Spiritu Veritatis non fuisse sug*„ *gestum.*“

Hæc tria argumenta proponenda putavi, ut dogma P. Lupi, quod verum non esse certò credebam & credo, primo intuitu de falsitate suspectum lectori facerem.

Si ex dictis credat R. P. Wynants legitimè inferri me P. Lupum retulisse *in laxonum catalogum* ad OMNEM *novitatem prurientium*, eo quòd inter alia asseruerim unum dogma Patris Lupi (num plura in illius operibus tanquam laxiora sint improbanda, non inquiro, nec inquisivi) in materia de Simonia unanimi Veterum, imò & Recentiorum (*nisi unum alterumve ex laxioribus ad* OMNEM *novitatem prurientibus exceperis*) sententiæ contrariari; eadem ratione inferre cogetur, quòd is, qui assereret S. Hieronymum propugnasse opinionem de usu mendacii officiosi *laxam*, quam nullus ex laxionibus sustinere ausus fuit, censeretur S. Hieronymum inter *laxones* retulisse, quin *laxiorem laxonibus* dixisse; quo quid ineptius?

Hinc evidenter, ut credo, apparet, quàm injustè accuset me R. P. Wynants, quod P. Lupum *laxionibus* ad OMNEM *novitatem prurientibus* annumeraverim.

Non minùs inepta, si non ineptior est consequentia, qua infert ex his verbis: *meritò judicatur titulum illum* (Patris Lupi) *à Spiritu Veritatis non fuisse suggestum*, P. Lupum à me repositum inter *Doctores non dirigi solitos à Spiritu Veritatis*: nunquid non eadem consequentia inferetur, quod quicunque judicat Doctoris alicujus sententiam non esse veram & consequenter *non suggestam Spiritu Veritatis*, à quo non nisi verum suggeritur, eundem Doctorem reponat inter *Doctores non dirigi solitos à Spiritu Veritatis*? Quo quid ineptius?

Si quis miretur, quòd per similes argutias insimuler, quasi P. Lupum retulerim *inter laxones*, *Doctores non dirigi solitos à Spiritu Veritatis*, stupebit indubiè, dum intelliget, quo fundamento idem P. Wynants asserat, me Patrem Lupum reposuisse, horrendum auditu! inter homines *stultos*.

Parte 2. *Dissert. cap.* 2. §. 4. ostenderam, quòd ex Legibus Justinianæis is, qui Monasterium ingreditur, *ante professionem habeat, quo vult modo de bonis disponendi facultatem*; ut consequenter dependeat à mero ingredientis beneplacito Monasterium à bonis suis excludere: ex quo §. 5. ulteriùs consectarium dixi quòd Monasterium extorquens summam pecuniæ ab ingrediente, ut renuntiet juri, quod ad bona ipsius habiturum est post professionem, procedat eodem modo, quo ille, qui pecuniam prætenderet titulo *transactionis* pro remissione alicujus juris, quòd etiam nullo dato pro nutu ipsi adimi posset; quo, inquiebam, quid *injustius*, ne dicam, *stultiùs* esse potest.

Nullatenus proinde sententiam P. Lupi *stultitiæ* insimulavi, multò minùs P. Lupum inter homines *stultos* reposui; nisi forsitam quis credat sententiam alicujus dici *absurdam*, aut Auctorem reponi inter homines *absurdos*, dum illa argumento, ut ajunt, *ab absurdo* impugnatur. Quod, quàm sit absurdum, sequenti exemplo patebit. Plures magni nominis Theologi credunt & asserunt ex doctrina Thomistarum de prædeterminatione ad materiale peccati per certam & evidentem consequentiam (num verum an falsum putent, non inquiro) sequi impiissimum hoc dogma: *Deum esse Auctorem peccati*: quis tamen adeò impius, ut propterea dicat, Thomistas à Theologis istis imponi inter homines *impiissimos*, aut sententiam eorum dici *impiam*?

Quidquid igitur durius forsan in Dissertatione mea dictum fuisse videtur, non contra personam P. Lupi aut in ejus contumeliam, sed ad impugnationem dogmatis, quod verum non esse credebam & credo, dictum fuit.

§. IV.

Quæritur, num jure R. P. Wynants dicat, quòd Auctor Dissertationis appareat in secunda parte apertus Monachorum invasor.

REverendus P. Wynants relatis verbis P. Lupi, quibus dogma suum in materia Simoniæ per me in secunda Dissertationis parte impugnatum expressit, *pag.* 80. Libelli sui exclamans, subjungit: „ *Hæc verba* tam altè arctèque movent Dis„ sertationis Auctorem, ut qui in sua prima videri volebat no„ vitius monasticæ vitæ amator, appareat in secunda parte *aper*„ *tus Monachorum invasor.*“

Quid durius, aut magis injuriosum non in Presbyterum tantum, sed vel in hominem Christianum dici queat vix video; si enim, qui Christianos invadit, Christum invadat; qualis erit Christi invasor, qui apertè invadit selectam gregis Christi portionem, *Monachos* inquam, quorum vivendi normam ad demonstrandum Ecclesiæ Catholicæ sanctitatem Manichæis olim opposuit August. *Lib.* 1. *de morib. Eccles. cap.* 31. extulêre Patres, ut illam Angelicæ puritati assimilare non dubitarint? Hinc ad Fratres de monte Dei dicere non dubitavit S. Bernardus *Cap.* 2. „ Altissima est professio vestra, Cœlos transit, par „ Angelis est, Angelicæ similis puritati, non enim solùm vovis„ tis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & „ omnis consummationis finem. Aliorum est Deo servire, ves„ trum adhærere; aliorum est Deum credere, scire, amare, re„ vereri, vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui.“

Quis spiritus hanc attrocissimam in me calumniam extorserit nescio; si eundem fuisse crediderim, quo nuper similem ejusdem Ordinis Professor in uno Impertinentium suorum his verbis expressit, multum fallor, si errem: *Excusset* inquiebat, *si duriusculus videar. Sum quidem ego inter nostros minimus, sed nec ipse Maximus* (Auctor Dissertationis) *inter suos. Si juris ipsi quippiam, ut* OMNES IMPETAT REGULARES, *juris nonnihil mihi, ut saltem Thesim reponam parvulam.*

Juris erat ipsi, si quæpiam contra doctrinam opponenda habebat, non tantùm *parvulum*, sed & *majusculam Thesim opponere*; sed quo jure aut aqua charitate hanc similesque, quæ tum in Thesibus, tum in Impertinentibus exprimuntur, calumnias in personam meam conjecerit, nescio: illud scio, calumniantibus nos esse ignoscendum: de illo quoque securus sum & scio, nullum in tota Dissertatione mea vel verbum esse, quod vel apparenter Statui Religioso verisque ejus alumnis sit injuriosum: Econtra per magnam de Statu Religioso existimationem vel soli duo primi paragraphi 2. partis Dissertationis sufficientissimè probant, modo oculis sinistra passione non planè excæcatis legantur.

In priore quidem ostendi Statum Religiosum ejusque exercitia non quidem ipsam esse hominis christiani perfectionem, quæ primariò & essentialiter consistit in charitate & observantia mandatorum Dei; sed instrumenta acommodatissima, quibus ad perfectionem perveniatur. Ex quo Synodi Colon. verbis conclusi: *Nemo proinde negaverit hoc vitæ genus ad perfectionem Evangelicam* MAXIME ACCOMMODUM, *modò secundum Sanctissimam institutionem purè immaculatèque observetur.*

In altero specialiùs demonstravi, quibus titulis Status Religiosus admodum serviat & conducat, ut quis vitam christianam ritè peragat, imò ad ejusdem vitæ christianæ perfectionis culmen perveniat; ex quibus tandem conclusi: „ Hæc omnia ac „ plura alia, quæ ad vitam verè christianam peragendam tan„ quam instrumenta suppeditat Status Religiosus, si attendissent „ hujus temporis sectarii, non eo temeritatis prorupissent, *ut* „ *Sanctissimum* vitæ genus Deo auctore in Ecclesiam introduc„ tum tam nefariè condemnâssent; sed potiùs dixissent cum „ S. Thoma, quòd Status Religiosus verè sit exercitium & dis„ ciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis. Sed „ quia pœnitentiam aliaque vitæ Christianæ exercitia oderant, „ mirum non est, si statum illa præscribentem odio habuerint; „ sed quicunque Spiritum Christi habent, aut habere deside„ rant libenter cum Lupo Abbate Ferrariensi fatebuntur: *Quod* „ *nullus intra sanctam Ecclesiam Ordo sit, ubi certiùs pro*„ *mereri Deum fidelis animus possit, quàm si Monasticæ dis*„ *ciplinæ studeat propositum integrè observare.*“ *Epist.* 29.

Fateor quidem me in Dissertatione Canonica duo vitia non Statûs Religiosi, sed personarum, nec omnium, sed quarundam impugnâsse, & in quantum potui interfecisse; an ideo personas non diligo? Ubi ergo illud Augustini: *Diligite homines interficite errores*; si ego propterea *apertus Monachorum invasor*, aut *Regulares omnes impetiisse* dicendus sum: quo nomine compellandus Sanctus Hieronymus? qui tantâ vehementiâ Monachorum & Clericorum vitia impetere solebat, ut Sulpitius Severus de illorum vitiis discurrens ac sermonem aliò divertere volens, dicere non erubuerit: *Verùm hæc* (vitia Monachorum) *describenda* MORDATIUS *Beato viro Hieronymo relinquamus*: & de eodem Gallum quendam loquentem introducit: *nobis verò* (inquit *Dialogo primo* §. 14.) *nimium nimiumque compertus est. Nam ante hoc quinquennium quendam illius libellum legi, in quo nostrorum natio Monachorum ab eo* VEHEMENTISSIME *vexatur* & *carpitur*. Ac deinde relatis nonnullis vitiis quæ in dicto libello carpuntur, adjungit: *Unde à quibusdam, quos nominare nolo, dicitur non amari.... oderunt eum Clerici, quia vitam eorum insectatur & crimina.*

Num *apertus* Monachorum *invasor* S. Bernardus, quia mollem & dissolutam quorundam Religiosorum vitam acriter fuit insectatus; vestium ornatum, luxumque in Religiosis perstrinxit, luxum pompamque in extruendis ac ornandis templis & Oratoriis Religiosorum acerrima censurâ damnavit?

Sed hæc mihi scribenti audire videor in aurem susurrari, quod prænominatum *Gallum* S. Hieronymi dicta liberè referentem prænonuit Sulpitius. „ Nimiùm, Galle, inquiebat, pro„ grederis; cave ne & te aliquis qui hæc fortassis agnoscit, exau„ diat *teque unà cum Hieronymo incipiat non amare.* Nam quia „ Scolasticus es, non immeritò te versu Comici illius admo„ nebo, *obsequium amicos, veritas odium parit.*“

Hæc

Hæc magis mihi timenda, quia proh dolor! in illam hodie videmur recidisse temporum miseriam, ut verissimè dicatur quod à pluribus seculis nonnullos quorundam Religiosorum abusus exagitans Joannes Sarisberiensis Carnotensium Antistes dixit: *Si eis obloqueris*, RELIGIONIS INIMICUS *& veritatis diceris impugnator. Lib. 7. Policrat. cap.* 21.

Verùm quicunque vitia non Religionis, sed ejus potiùs pestes ac fæces amore Religionis exagitans, hujusmodi calumniis impetitur, dicere poterit cum Propheta Regio: *perfecto odio* (vitiorum, non personarum) *oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Psalm.* 138. *v.* 22.

§. V.

Num rectè mihi objiciat R. P. Wynants, quòd Scriptum meum ut Evangelium *haberi voluerim.*

IN præfatione Dissertationis Lectorem his verbis præmoneram: „ Ut rectè de mea Dissertatiuncula judicium fe„ ras, ex Evangelio, ex primæva Christianorum norma, ex „ sacris Ecclesiæ Canonibus, Pontificum Decretalibus judicium „ formes velim.“

Ad illa verba reflectens R. P. Wynants nescio quo tono exclamat: *Grandis verborum præsumptio: Scriptum tuum necdum est Evangelium.* Quis unquam vel hoc, quantumvis sanctus & doctus de suo scripto suspicetur? „ Licitumne tibi vide„ tur, pergit, ut indiscriminatim, & quicunque ad suum cap„ tum & intellectum formet judicium ex Evangelio, ex primæ„ va Christianorum vivendi norma, ex Sacris Ecclesiæ Cano„ nibus, Pontificum Decretalibus, sicut quencunque Lectorem „ monet tua Dissertatiuncula?“

Quis hîc dicto Patri sensus fuerit, aut quæ ejus circa præfata verba hallucinatio, non capio; quid enim præfacta mea ad Lectorem monitio aliud vel lippis indicat aut præfert, quàm ut de Dissertationis doctrina judicium non ex quorundam Casuistarum placitis aut aliquorum vivendi consuetudine, sed ex *Evangelio, & primæva Christianorum vivendi norma*, &c. tanquam verissimis & purissimis moralis scientiæ fontibus formetur. Hinc enim repetenda disciplina reficiendis instaurandisque moribus accomodata: nec ab illis in tradenda morum doctrina sine periculo erroris receditur.

Quod ut R. Patri Wynants persuadeam necesse non erit, ut credo, multas Patrum aut Doctorum auctoritates adducere, sed unicus, ut arbitror, sufficiet Ex P. Le Drou in *Triade PP. cap.* 1. §. 1. solidus de hac re discursus: „ Ab omni corrup„ tionis fæce pura doctrina est, quam à Christo promulgatore „ accepimus, quæque à primis Ecclesiæ cunabulis in sequentes „ ætates, per Apostolos dimanavit. Hinc repetenda disciplina „ *reficiendis instaurandisque moribus accomodata*, proindeque „ SACRI CODICES, TRADITIONES, PONTIFICUM, AC SYNODO„ RUM DECRETA nec non VETERES ECCLESIÆ PATRES, *qui* „ *Apostolicâ & Evangelicâ Traditione cùm mentem implêssent* „ *suam, Luminaria in mundo fuerunt verbum vitæ continentes*, „ jure optimo nobis adeundi. Ab his, ut pote venerandæ illius „ canitiei Depositariis, Ecclesiæ vox veteris auditur: hic pri„ migenitus & incorruptus Christianæ disciplinæ fons invenitur, „ ex quo morum præcepta longè felicius, longeque ad anima„ rum salutem acommodatiùs hauriuntur. *Vadunt*, inquit S. An„ tonius, *Doctores in adinventionibus suis, qui non sequuntur* „ *dicta Sanctorum, sed opiniones novas, & curiosas, non uti„ les, ad pruriendum aures.*“ 2. part. tit. 4. cap. 5. ante §.

§. VI.

Num rectè mihi objiciat R. P. Wynants quod manum meam mittam ad alterius aratrum, & terram quam aro non noverim?

DUo non tam doctrinæ quàm personæ meæ objicit R. P. Wynants: *Mittis*, inquit, *manum tuam ad alterius aratrum, & terram, quam aras, non noscis.*

„ Quòd manum tuam mittas, ait, ad alterius aratrum, quis „ non videat? Sunt, fuerunt, & per Dei gratiam semper erunt „ in hoc nostro Catholico Belgio in Monasteriis Viri exercita„ tissimi, & religiosissimi, & prout adhuc in corpore viventes „ fieri potest, consummatæ virtutis & doctrinæ; hi invigilant „ gregi suo tanquam pro ipso rationem reddituri, veri Pastores „ & Doctores opere, scripto & verbo: firma consolidant, infir„ ma sanant; collapsa restaurant; dispersa colligunt; explent „ Canonum præscripta ad Monasticæ vitæ & sacrarum suarum „ Constitutionum Regulas, Pontificum & Sacrarum Congre„ gationum decreta. His ex officio & debito competit manum „ mittere ad hoc aratrum.“

Non inficior esse & totis animi votis exopto semper futuros in hoc nostro Catholico Belgio Viros exercitatissimos & religiosissimos, qui invigilent gregi suo tanquam pro ipso rationem reddituri, veros Pastores & Doctores opere, scripto & verbo.

Agnosco illos gregi esse præpositos ut firma consolident, infirma sanent, collapsa colligant; hanc eis provinciam concreditam esse, onusque humeris illorum impositum, ipsosque ad *aratrum* illud positos, ultrò consentio; sed ubi *manum meam ad hoc aratrum mittere* voluerint, planè ignoro; nisi forte omnes quotquot Doctores Canonum aut Theologiæ de Statu Monachorum, de Regularibus, ac materiis Statum illum concernentibus, scripserunt, dici debeant Præpositum ac Prelatorum partes in infirmis consolidandis, infirmis sanandis, collapsis colligendis usurpâsse. Quo quid à sensu communi remotius?

Quis enim nescit, partes Doctoris esse vitia ac errores indicare & impugnare, Superiorum verò eradicare?

Quòd si R. P. Wynants vel leviter §. 5. *cap.* 3. *part.* 1. Dissertationis meæ perlegisset, videre potuisset quàm remotus ab usurpatione hujus provinciæ fuerim; & quàm perperam asserat, quòd *manum meam ad alterius mittam aratrum.* In illo quippe §. indicatis vitiis ex Peculiaritate oriri solitis, ad Superiores me converto; „ Collige secundò, ajo, quanto studio „ & labore venenosam hanc radicem radicitùs evellere tenean„ tur, ut pote constituti super Congregationem ut noxia quæ„ que evellant, & disperdant & dissipent; *quorum culpæ in„ cumbit* (ut de Abbate loquitur S. Benedictus) *quidquid in* „ *ovibus Pater-familias utilitatis minus invenerit.*“

Quis ex his non videat me quidem Doctoris & Scriptoris partes sumpsisse, evellendi verò, disperdendi, dissipandi ac reformandi provinciam in Religiosorum Præpositis agnovisse?

Nunc alterum objectionis articulum, *quòd arem terram quam non novi*, expendamus.

Quòd verò ares agrum, inquit, *quem non noscis, patet. Necdum fuisti in hac agricultura, quam purgare præsumis, novitius; & das Magistris præcepta.*

Num terram, id est, disciplinam Regularem sat noverim ut de vitiis Peculiaritatis & Simoniæ pro debito discurrere & scribere potuerim, asserere nolim, alii ex scriptis dijudicent; mihi solùm animus est inquirere, num legitima hæc sit ratiocinatio: *terram quam aras non noscis, quia in hac agricultura, quam purgare præsumis, necdum fuisti Novitius.*

Imperitum me arguit hæc ratiocinatio in disciplina Regulari, *quia necdum Novitius in illa fui.*

Falsitas quin & pernicies hujus ratiocinationis seu consequentiæ vel inde evidens est, quod eâdem consequentiâ tanquam imperiti rejiciendi essent Theologi pariter & Canonistæ *non Regulares*, qui ex officii sui obligatione tractant de Statu Religioso, ac materiis eo pertinentibus, de quibus plurima, ne dicam omnia quæ Statum illum concernunt, occurrunt, tum in Summa S. Thom. (quæ Theologis explicanda ac interpretanda in hac Academia præscribitur) tum in Decreto Gratiani, Decretalibus Greg. IX. Bonifacii VIII. Clementinis ac Extravagantibus (quæ corpus Juris Canonici constituunt, quod Doctoribus Canonistis prælegendum exponendumque præscribitur.) Nonne eâdem consequentia Regularibus scribentibus de disciplina canonicali, iisque, quæ in ea occurrunt, dici posset: *Terram, quam aratis, non novistis, quia in agricultura, quàm purgare præsumitis, necdum Novitii fuistis?* Imò si vera sit adducta ratiocinatio, Theologis ac Canonistis sive Regularibus sive Secularibus de matrimonio, eisque, quæ ad statum illum pertinent, tractantibus; si nunquam in statu illo fuerint, dici posset: *Terram, quam aratis, non nôstis, quia in agricultura, quam purgare præsumitis, Novitii non fuistis*: Quidni Milites, aut alterius professionis homines idem regerant Theologis & Canonistis, si eorum quispiam, qui in ea professione, *Novitius non fuit*, obligationes professionis, aut officii proponere voluerit? Quidnî ut imperitus rejici potuisset Joannes Baptista modum vivendi Militibus præscribens?

Ex his quis non videat, quo hæc vergat ratiocinatio: *Aras agrum, quem non novisti, patet; Necdum fuisti in hac Agricultura, quam purgare præsumis, Novitius.* Nimirum ut scripta & dicta Doctorum, tanquam ab imperitis dicta aut conscripta rejiciantur eo solo titulo, quia Doctores illis Professionis illius non sunt aut fuerunt, de cujus obligationibus tractant, quo quid perniciosius? Cùm ratione & experientiâ sit notissimum; quòd passim homines in iis, quæ proprium officium concernunt, turpiter allucinentur, in illis, quæ statum alienum spectant, rectissimè judicent.

Cujùs nec ratio est obscura: quia veritas quæ versatur circa illa, quæ statum proprium concernunt, sæpiùs contrariatur cupiditati mentem obnubilanti, & affectum amore perverso insufficienti; quo fiat, ut menti per concupiscentiam obnubilatæ veritas minùs clara appareat, nec animo infecto dulciter sapiat. Econtra veritas ostendens, quæ aliis non nobis facienda sunt, cupiditati non obsistens, faciliùs percipitur, & suaviùs sapere solet, juxta illud Augustini: *Oculi non habentes sanitatem, non possunt ferre luminis claritatem. Tract. 3. in Joan.*

Item illud : *Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Lib.* 10. *Confess. cap.* 23.

Hinc videmus plurima, quæ Canonicos, aliosque Beneficiatos spectant, clarissimè secundum veram ac genuinam Canonum sententiam per Doctores Regulares resolvi, in quibus è Clero seculari plures cupiditate nescio, qua excæcati, miserè allucinantur & cæcutiunt.

Nonne de usu Pensionum meliùs, quàm plures è Clero verbo & facto judicant, ratiocinatur Exim. P. Le Drou, dum ait: » Verùm ut coram Deo securos non existimem, qui pen» siones hujusmodi, vel, ut meliùs dicam, *pauperum & Cru» cifixi patrimonia, sumptus egenorum, res Dei, Domini bo» na*, res, inquam, Ecclesiæ velut otiosè, & absque ratio» nabili causa edere non verentur, cum S. Bernardo, & pur» purato Cardinalium ac Prælatorum, Romæ sub Paulo III. » pro Ecclesiæ reformatione convocato cœtu, auctor mihi est » Leo X. *const.* 7. quæ incipit, *Supernæ dispositionis* §. 20. » Bernardum supra dedimus, audi Cardinales, & dicent: *Nul» la alia de causa, nulloque alio jure pensiones constitui posse, » nisi in pios usus* : alioquin *magnum abusum esse.* Beneficio» rum proventus *Beneficiis annecti, ut corpus animæ, & ideo » natura sua pertinere ad eum, qui Beneficium habet.* Scilicet » *ut inde vivat, & quod reliquum est,* IN PIOS USUS IMPENDA» TUR. Cui conforme est, quod ait Leo X. optimos Ecclesiæ » redditus *hac de causa constitutos esse,* UT IN PIIS ET SANC» TIS OPERIBUS EXPONANTUR. Quamobrem pensiones, quæ » non alio titulo quàm ob Ecclesiastici Beneficii certi aut litigio» si cessionem, ab iis reservantur, qui vel ex patrimonii bo» nis, vel aliunde sustentationem accipere queunt, Pontificum & » Ecclesiæ menti penitùs adversari censendæ sunt, ideoque ab » hujusmodi pensionariis illegitimè percipiuntur. «

Nonne similiter de bonorum Ecclesiasticorum dispensatione rectius formavit judicium prædictus Exim. Pater, quam plurimi de Clero proprio interesse excæcati forment, quando in Promptuario suo Theologo Canonico dixit: » Verùm hic no» tanda sunt adducta verba: *de Patrimonio Jesu Christi* cap. » CUM SECUNDUM sup. Item, quod Ecclesiastici proventus sint » *res Dei* Trid. *Sess.* 25. *cap.* 1. *De Reform. Pauperum Pa» trimonium.* Conc. Aquisgran. I. *cap.* 116. *Patrimonium Cru» cifixi.* Extravag. *Salvator*, Comm. *de Præbend. & dignit.* » Et Clericis meritò inculcandum *magnos optimosque* Ecclesiæ » *redditus à SS. Patribus* EA CAUSA *statutos ac ordinatos* es» se, ut in SANCTIS ET PIIS OPERIBUS *exponantur.* Leo X. Cons» tit. 7. vel, ut loquuntur Cardinales & Prælati, pro Ecclesiæ » reformatione sub Paulo III. congregati; ut *qui Beneficium » habet, possit ex eis vivere honestè pro suo ordine, simulque » queat sustinere impensas pro divino cultu, & templi sacra» rumque ædium reparatione, ut, quod reliquum est, impen» dat* IN PIOS USUS : nec non Christi fideles *ob animarum sua» rum remedium, suis facultatibus sanctam locupletem fecisse » Ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesia » exornaretur, pauperes recrearentur, & captivi pro tempo» rum opportunitate redimerentur.* Concil. Aquisgran. I. *ca» pit.* 116. Hinc enim intelligent, se ex justitia teneri, quod ex » Beneficiorum proventibus supra honestam sustentationem re» liquum est in ipsos pios usus impendere, & alioqui ad resti» tutionem obligari : *Cùm valdè sit iniquam ea, quæ collata » sunt pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesiis, vel re» licta,* ALIIS USIBUS APPLICARI, cap. *Conquestus*, *De foro » competenti.* Et verò quis existimet Ecclesiæ, donatorumve » intentioni neutiquam adversari, quod ex *Dei rebus*, ex *pau» perum & Crucifixi patrimonio* luxurieris, superbias, ampla » palatia construas, familiam tuam locupletes, illudque in va» nitate dispergas? Quis non magis obaudiat Melifluo Doctori » seriò inculcanti, quod *quidquid præter necessarium victum, » ac simplicem vestitum de altario retines.* TUUM NON EST, » RAPINA EST, SACRILEGIUM EST. Epist. 2. ad Falconem. Et » *sacrilega crudelitate pauperibus surripitur.* « Idem in declam.

Sicuti in his aliisque videmus Regulares veritatem percepisse, quam plures è Clero cupiditate obnubilati non percipiunt: ita non esset difficile ostendere, quòd in materiis, quæ Regulares concernunt, plures è Clero etiam minùs eruditi (quia nullo præjudicio aut interesse excæcantur aut præveniuntur) meliùs veritatem percipiant, quàm plures Regulares licèt eruditione excellentiores.

Ex his non obscurè colligitur, quod meritò Petrus à S. Audomaro, vulgò *Walon Capelle*, agens adversus Religiosos, qui existimabant Theologos rerum monasticarum imperitos, *hac solùm ratione, quòd Monachi non sint*, dixerit *lib.* 5. *cap.* 27. » Clarissimum est certe eos non alia de causa istud adferre, » quàm quòd indignentur sibi manifestari veritatem (veritas enim » odium parit) quemadmodum Scribæ & Pharisæi nolentes re» cedere à sua injustitia & iniquitate, de suis Doctoribus Chris» to & Joanne loquebantur mendacium."

Quòd de Religiosis hoc titulo rejicientibus Doctores seculares dixit Petrus à S. Audomaro, idem rectè dicitur de Canonicis aliisque è Clero seculari, qui existimant Regulares rerum Beneficialium imperitos, hac solùm ratione *quod Beneficiati non sint.*

Concludo igitur, quòd licèt forsitan rerum monasticarum minùs sim peritus, quàm materia, de qua tractavi, postulabat (quod aliis judicandum permitto) ineptè tamen imperitiæ meæ probationem inde desumi: *Quia in agricultura monastica Novitius non fui.*

CAPUT II.

DE HIS, QUÆ CONTRA DOCTRINAM *DISSERTATIONIS CANONICÆ* OBJICIUNTUR.

PARAGRAPHUS I.

Discutitur objectio, quæ contra doctrinam de vitio Peculiaritatis *à nimio illius rigore formatur.*

PRima objectio, quam adversus doctrinam meam *de Vitio Peculiaritatis* format R. P. Wynants, à nimio rigore desumitur. *Pag.* 2. dicit: „ Hic Auctor (Dissertationis Canonicæ) » in sua prima parte damnat sacrilegii reos cum Anania & Sa» phira Religiosos, *qui ex suorum Superiorum consensu, aut » dependenter à nutu Superioris, penes se aut testium, seu » etiam ipsum Superiorem, reservatum aliquid, etiam mini» mum, habeant, quo utentur suis temporibus ex prudentis » Superiorum judicio & consensu in particularem aliquem pro „ se usum; imò si hujus particularis usus vel sola pulsarentur „ consideratione."

Circa hunc discursum à P. Wynants charactere Italico expressum, notatum velim, illum in dissertatione mea non haberi sed ex variis hinc inde dissertationis verbis secundum ipsius interpretationem conflatum esse & invidiosè expressum & propositum.

Pag. 55. dicit: » Facis eum sacrilegii reum cum *Anania » & Saphiri*, qui quamcumque rem, *etiam minimam* aut reci» peret, aut consumeret inscio suo Superiore, *non tamen spre» to* : (si enim ex occurrente tentatione consumat, convinci» tur in commune nolle redigere.) Imò facis & illum hujus » *sceleris* reum, qui ad rem etiam minimam, taliter *parti» culariter* consumendam *unquam* pulsaretur *desiderio* aut *con» sideratione.*"

Rursus *pag.* 56. interrogat: „ Quis æquus judex condem» nabit reos sacrilegii illos, si aliquis illorum, etiam minuti, quæ » Monasterio solemniter donârunt, postea pulsentur *desiderio* » aut habendi præ cæteris aliqua *consideratione?*" *Et pag.* 57. » Si hujus charitatis supereminentia (de qua *cap.* 8. Reg. S. Au» gust.) vel in minimo lædatur gradu, per particularem rei » etiam minimæ usum, aut illius usus particularis considera» tionem, juxta tua principia erit *scelestissima prævaricatio.*

Ex his facilè apparet, quòd Rev. P. Wynants doctrinam meam de nimio rigore suspectam reddere voluerit; quasi illa in Religiosis vel *minimum* proprietatis *affectum* erga *rem minimam* SCELESTISSIMÆ PRÆVARICATIONIS argueret, omnesque indiscriminatim Religiosos, qui rem vel *minimam* ità retinent, ut *nolint eam esse communem*; imò tametsi eam in *particulares* suos usus *reservatam* haberent de *consensu ac beneplacito* Superioris, *ejusdem sceleris* cum *Anania* & *Saphira* condemnaret.

Huic objectioni ut satisfaciam, ac insuper quid de gravitate culpæ, quam per affectum Proprietatis, aut particulares rerum reservationes Religiosi incurrunt, senserim & sententiam clariùs exponam, præmitto sequentia.

Parte primâ cap. 1. tanquam ex antedictis consequens intuli, „ quòd is qui voto paupertatis se obstringit, & vitam » cœnobiticam instituit, omnia sua sive mobilia, sive immobi» lia, sive quæ ipso professionis tempore possidet, aut postmo» dum undecunque, aut quavis ex causa acquisivit, abdicare » teneatur, eaque omnia ità alterius liberæ committere dispo» sitioni, ut si illi vissum fuerit, *in aliorum usum disponat*, at» que illa tanquam planè *aliena* habeat, neque ut *sibi* magis » quàm *aliis debita* unquam consideret. Hinc illud Basilii: *Hi » perfectè rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil » proprium cujusquam sit, sed communia omnium omnia.*

„ Si igitur rem quamcunque etiam minimam eo modo abdi» catam, & in commune redactam nolit, non primorum fide» lium (qui à perfecta vitæ communione in Actis Apostolorum » laudantur) sed potiùs *Ananiæ & Saphiræ imitator* constitui» tur, dum ut hic similiter Spiritui S. mentiri convincitur, ni» mirùm Evangelicam & absolutam paupertatem amplecti simu» lans, & interim partem aliquam pretii vel rerum, quam *aliis » non vult* esse communem, sibi reservans."

Dein *coroll.* 2. ulteriùs ex antedictis consectarium esse ostendi, nec *dependentiam à nutu & beneplacito* Superioris licitas reddere rerum in *usum particularem* Religiosorum *extra communionem* reservationes. Ac denique §. 5. probavi quod nulla

Su-

Superioris dispensatio aut indulgentia prædictas *particulares* rerum reservationes licitas facere queat.

Fateor igitur, me dixisse, quòd Religiosorum nemo possit rem etiam *minimam* vel solo affectu ità habere, ut *nolit eam esse aliis communem*, quin *imitator Ananiæ & Saphiræ* constituatur: sed quis inde inferet, me Religiosos omnes, qui *ità rem minimam* affectu & effectu, aut affectu solo retinent, *ejusdem sceleris cum Anania & Saphira* reos dixisse; nisi ille qui non videt ineptiam hujus ratiocinationis: *Omnis qui vel in minimo superbus est, imitator est diaboli: ergo omnis talis* EJUSDEM CUM DIABOLO SCELERIS *reus est*; quæ consequentia quàm sit absurda, quis vel lippus non videat?

Similiter fateor, quòd in *Dissertatione* variis locis asseruerim, quòd Religiosus qui *rem aliquam extra communionem* apud Superiorem aut tertium, etiam de licentia Superioris ac dependenter de ipsius nutu & beneplacito *reservatam* tenet, à communione, quam professus est, recedat; sed nemo inde inferre potest *sceleratissimæ prævaricationis* reos condemnari omnes, qui rem aliquam ità reservatam retinent, nisi qui supponeret me omnem qualemcunque voti, aut professionis transgressionem pro *sceleratissimâ prævaricatione* habuisse, quòd nec unquam mihi incidis, & certus sum, quòd nec vel apparenter à Rever. P. Wynants ex dictis in *Dissertatione mea* probari poterit.

Imò tantùm abest ut omnem quemcunque affectum proprietatis erga rem minimam *sceleratissimæ prævaricationis* arguerim, aut *omnes* indifferenter Regulares, sive viros, sive mulieres, qui rem aliquam *extra communionem* ad particulares suos usus, præsertim de licentia & ad nutum ac beneplacitum Superioris retinent, *ejusdem cum Anania & Saphira sceleris* condemnaverim, ut propterea, ne vel apparenter id fecisse viderer, ex proposito omiserim hanc, quam subjungo, Prosperi Fagnani ad *c.* 2. *De Statu Monach.* conclusionem. „Concludendum est igitur, „ait Fagnanus, nemini prorsus Regularium tam virorum, quàm „mulierum cujuscunque qualitatis & conditionis existat, nisi sit „Officialis, fas esse etiam nomine Conventûs habere annuos red„ditus seu provisiones annuas, bonorum stabilium administra„tionem aut peculium, etiam si illud non *sit superfluum*, sed „ad *necessarios*, *honestos & pios usus à Superiore ex quacun„que causa concessum*, *& dependentes ab ejus voluntate*, & „*nutu*; nec *quemquam* excusari A LETHALI CULPA, pœna „Proprietariis inflicta, ex quavis consuetudinie Monasterii vel „Religionis, aut ex varietate seu probabilitate opinionum, aut „alio quovis prætextu vel causâ. Et Religiosis tam Prælatis „quàm subditis cavendum esse ab hujusmodi palliamentis, *Quia „Deus non irridetur.*“ Ad Galatas *cap.* 6. *v.* 7.

Ex his quæ hactenus dixi, ut ostenderem me non omnem planè affectum Proprietatis in Religiosis *scelestissimæ prævaricationis* arguisse, nullus inferat me omnem affectum Proprietatis etiam erga rem *minimam* à lethali culpa velle excusare; scio enim, quòd erga res *etiam minimas* (ut loquitur Directorium Ecclesiæ Coloniensis in appendice Dissertationis citatum) *possit esse inordinatissimus affectus*, *qui sit peccatum mortale.* „Quamobrem (ait Hugo Menardus *ad cap.* 42. §. 18. *Concord. „Regul.*) antiqui illi Patres id unum maximè studebant, ut ani„mum discipulorum à rerum minimarum affectu averterent: „quemadmodum fecit S. Dorotheus, qui discipulum suum „Dositheum elegantis *cultelli* usu prohibuit, quod animum ejus „erga ejusmodi *reculam* propensum videret.“

Ejusdem cum S. Dorotheo spiritûs fuit S. Theresia dum statuit: „ut si quam Sororum advertit Priorissa cuipiam rei, sive „cellæ, sive cuilibet alteri rei cum affectu tenaciùs adhærere, „magnâ solicitudine curet ab illa Sorore rem illam auferri.“

Similiter quantumvis præcitatam Fagnani conclusionem ob duram, ac universalem illius expressionem, *meam* facere noluerim, nullus tamen hinc inferat, quòd à gravi culpa excusatos velim *omnes* indistinctè Regulares habentes redditus vitalitios, aut aliud quodcunque peculium, etiam non superfluum à Superiore ex causa concessum, & *dependenter ab ejus nutu & voluntate.*

Quin enim & hic graviter peccari possit non dubito; sed utrum speciali aliquo casu ob ignorantiam aliasque circumstantias non posset ejusmodi particularis reservatio modò sincera & vera sit animi promptitudo pro nutu Superioris dimittendi, & pro illius beneplacito in commune redigendi, num, inquam, non possit aliquo casu à culpa lethali excusari, hactenus non clarè video, & ideo determinare nolui.

Ut igitur compendio sensum meum aperiam, illud mihi in parte propositum fuit ostendere, quòd Religiosi à *voto Paupertatis & vitæ communione* recedant; qui rem quamcunque etiam minimam, ità sibi particularem habent, ut aliis nolint esse communem, aut affectu rei alicui tanquam sibi magis quàm aliis appropriatæ inhærent; vel rem aliquam etiam de licentia Superioris & ejus beneplacito & nutu, ad suos *particulares* usus *extra communionem* reservatam tenerent: sed quandonam præcisè affectus Proprietatis venialis, aut lethalis sit; vel utrum per prædictus reservationes ab omnibus, & semper, culpa lethalis incurratur, determinare nolui, sciens illud Augustini: *Quæ sint levia & quæ gravia peccata non humano, sed divino sunt pensanda judicio.* In Ench. *cap.* 77.

De hoc tamen vix dubito, quin gravissimæ prævaricationis sint rei Regulares, quicunque redditus vitalitios, aut aliud quodcunque peculium apud Superiorem, aut tertium reservatum habent, eâ animi tenacitate, ut ægrè ferrent, quin & in murmura prorumperent, si Superior illa ipsis adimere & in communionem redigere vellet; unde verò ea animi constitutio deprehendatur in *Appendice ad Corollarium primum*, *part.* 1. *cap.* 1. abundè ostensum fuit.

Quicunque affectum proprietatis tam parvi facere, ac æstimare videntur, quæso, ut parumper ea quæ Eximius Pater Lupus de hoc pernitioso affectu ex Cassiano refert *Pag.* 4. *Schol. ad Can.* 6. *Conc. Tholos.* & ipsius ad verba Cassiani reflectiones attendant: „*Hæc erit summa victoria*, inquit Cas„sianus, *triumphusque perpetuus*, *ut quemadmodum dicitur*, „*nec minuto quidem nummo conscientia Monachi polluatur*, „*impossibile namque est eum*, QUI VICTUS IN EXIGUA STIPE „CONCUPISCENTIÆ SEMEL IN CORDE SUO RADICEM SUSCEPERIT, „*non majoris desiderii protinus incendio conflagrare. Tandiu „namque miles Christi victor ac securus*, *cunctaque cupiditatis „impugnatione erit externus*, *donec initia concupiscentiæ hu„jus hic nequissimus spiritus in ejus corde non servaverit.*

„*Quapropter cum in cunctis generibus vitiorum generaliter „serpentium caput oporteat servari*, *in hoc præcipuè diligen„tius convenit præcaveri. Quod si fuerit intromissum*, *sua ma„teria convalescens*, *ipsum sibimet vehementiora suscitabit in„cendia.* Et infrà: *Hæc est de Phylargia perfecta victoria*, *ut* „PARVISSIMÆ CUJUSLIBET STIPIS IN CORDE NOSTRO RESIDE„RE NON SINAMUS IGNICULUM, *certi quod restinguendi eum „non habebimus ulteriùs facultatem*, *si quantulamcunque scin„tillæ hujus in nobis materiam foverimus.*“ Furis, ac traditoris Judæ, nec non Ananiæ & Saphiræ exempla urget in alio ejus capite, & concludit: „*Super hæc omnia considerantes condi„tionem fragilis incertæquè naturæ nostræ*, *caveamus*, *ne dies „Domini sicut fur in nocte superveniens*, *maculatam vel uno „obulo nostram conscientiam deprehendat*, *qui omnes fructus „nostræ renuntiationis evacuans*, *illud quod diviti in Evange„lio dictum est*, *ad nos quoque faciat voce Dominica dirigi: „Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, *quæ autem præ„parasti*, *cujus erunt?*“ Videtur docere nos hîc ob materiæ levitatem à mortali culpa non excusari. Est res quæstionis. „Quidquid sit, verum est antiquum adagium: *Monachus*, *qui „habet obulum*, *non valet obulum.* Quapropter Religiosa pau„pertas est omninò magna virtus, & altus justitiæ mons, de „quo possit rectè dici: *Non omnes capiunt verbum istud.*“

Ex his habemus, quàm solicitè Superiores juxta Patrum monita curare debeant, ne vel minimus Proprietatis affectus in corde Religiosi hæreat: *impossibile namque est*, teste Cassiano, *eum qui victus in exigua stipe concupiscentiæ semel in corde suo radicem susceperit*, *non majoris desiderii protinus incendio conflagrare.*

Constat quoque, *fatente Eximio P. Lupo*, rem esse quæstionis, num materiæ *levitas* à mortali culpa in hac materia possit excusare.

Denique ex dictis habemus, quòd religiosa paupertas sit omninò magna virtus, & altus justitiæ mons; ac consequenter mirum non est, si multum allaborare debeat, ut magna illa virtus conservetur, nec ab alto illo justitiæ monte decidatur.

Illi quoque, qui reservationes reddituum vitalitiorum, aut alterius Peculii ad usum particularem Religiosi, præsertim de licentia Superioris & ad ejus nutum & beneplacitum, extenuant prætextu consuetudinis, ac praxeos in plurimis Monasteriis usitatæ, expendant illud S. Augustini: „Sunt, inquit „*Enchir. cap.* 80. quædam peccata, quæ levissima putaren„tur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. „Hinc accidit, quòd peccata quamvis magna & horrenda, „*cùm in consuetudinem venerint*, aut parva, aut nulla esse „creduntur.“

§. II.

Num justè queratur R. P. Wynants quod dixerim per dogma P. Lupi everti Statutum sui Ordinis.

PArte secundâ *dissertationis cap.* 2. §. 2. dixeram, quòd Exim. P. Lupus per suum dogma in materia simoniæ, evidenter everteret Statutum sui Ordinis contra exactiones alicujus temporalis à recipiendis ad Ordinem anno 1625. editum. De hoc meo asserto queritur R. P. Wynants, ac ostendere conatur, quòd dogma P. Lupi cum statuto Ordinis consistat; num justa sit ipsius querela, & sufficienter probet intentum, hoc §. expendemus.

Statutum Ordinis ità habet: „Cùm verò leprâ simoniacæ „pravitatis infectus, sit quasi membrum putridum & à corpo„re Sanctæ Matris Ecclesiæ alienum, omnibus & singulis Prio„ri-

» ribus, & quibuscunque Superioribus, ac aliis Fratribus nos-
» træ Religionis strictè præcipimus & mandamus, *ut nullus ex*
» *eis Fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recepi faciat,*
» *vel ut recipiatur consentiat vel permittat*, RE ALIQUA AC-
» CEPTA VEL DETENTA, VEL PACTIONE ALIQUA INTERVE-
» NIENTE TACITA VEL EXPRESSA: si quis immemor suæ salu-
» tis contra fecerit, si Officium habuerit cum cura animarum,
» ipso facto sit tali Officio privatus, & ad aliquod Officium
» cum prædicta cura in nostro Ordine nullatenus assumatur,
» nisi super hoc secum per Capitulum Generale fuerit dispen-
» satum, & per quinquennium voce activâ & passivâ careat.
» Quicunque verò Frater subditus inveniatur simoniam in eo-
» dem casu commisisse, eidem pœnæ subjaceat, & pœnam
» gravioris culpæ per mensem sustinere cogatur. «

Præcipitur igitur per statutum omnibus & singulis Prioribus, & quibuscunque Superioribus, ac Fratribus, ut nullus ex eis Fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, vel ut recipiatur consentiat vel permittat, re aliquâ acceptâ vel detentâ, vel pactione aliquâ interveniente tacitâ vel expressâ.

Quæro igitur, an cum hoc Ordinis Statuto consistat doctrina P. Lupi, quæ ab *omni specie simoniæ* vindicat hodiernam multorum in Belgio Monasteriorum praxim, quæ Recipiendi dotem, non solummodo sponte oblatam accipit, SED ET EXIGIT AC DE ILLA STIPULATUR. An fortè quis dotem ab ingrediente *exigere*, ac de illa *stipulari* posset, & simul servare Statutum, quod inhibet quempiam ad Ordinem admitti *re aliqua accepta vel detenta, vel pactione aliqua interveniente tacita vel expressa*? Hoc credat qui putat *dotis receptionem* non esse *rei alicujus acceptionem*, vel *dotis stipulationem* fieri posse absque eo, quod *pactio aliqua tacita vel expressa* interveniat; sed quis hoc credere queat nescio?

Quid pro reconciliatione dogmatis P. Lupi cum dicto Statuto adferat R. P. Wynants videamus *pag.* 99. ità habet » Ve-
» rum nunquid P. Lupus in allato scholio tam detestanter illam
» Monasteriorum simoniam, quæ fit *pro monastici ingressus &*
» *professionis pretio*, per Sacrorum Canonum, Conciliorum, &
» SS. Patrum auctoritatem, abominatus est, omnibusque abo-
» minabilem esse præscripsit, ut huic argumento nihil superad-
» di posse videatur? Non evertit, sed sacri sui Ordinis statu-
» tum reboravit. «

Ex his apparet quod R. P. Wynants credat, quòd Ordinis sui Statutum solùm proscribat ac detestetur illam Monasteriorum simoniam, *quæ fit pro monastici ingressus, & professionis pretio*: profectò unde illam statuti sui glossam acceperit, nescio; hoc scio, quòd in toto illo statuto nec verbum sit, quod limitationem & interpretationem illam innuat; sed generaliter præcipit, *ut nullus Fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, vel ut recipiatur, consentiat vel permittat, pactione aliqua interveniente tacita vel expressa.*

Et quorsum tam graves pœnæ in Priores, aliosque Superiores per statutum illud decretæ, si solummodò vetita esset exactio, quæ pro *pretio monastici ingressûs aut professionis* fieret? Quis, quæso, Superior præsumendus tam supinus, *ut pro monastici ingressûs aut professionis pretio* pecuniam exigat, quando illam titulo quem Pater Lupus legitimum credidit, aut alio, sine simonia aut incursione pœnarum accipere posset?

Si Rever. Pater Wynants exactiones pecuniarum ab Ingredientibus Religionem, à simoniæ vitio exemptas putet, modò non fiant tanquam *pretium monastici ingressûs aut professionis*, expendat quomodo sese secernat à duobus illis Capellanis Ducis Gothofredi, pertinaciter dogmatizantibus prædiorum Episcopalium possessionem seorsim à dignitate Episcopali comparari posse; quos Beatus Petrus Damiani tanquam perniciosæ simoniacæ Hæreseos Defensores, imò Prædicatores & Apostolos Antichristi coram Alexandro III. accusavit.

Expendat rursus quâ ratione sese *à Propositione* 45. inter condemnatas ab Innocentio XI. secernat: » Dare temporale pro
» spirituali non est simonia, quando temporale non datur *tan-*
» *quam pretium*, sed duntaxat tanquam motivum conferendi,
» vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm
» gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

» Admissis *propositionibus* 45. & 46. inter condemnatas ab
» Innocentio XI. jure metuas (inquit Exim. P. le Drout) ne
» simonia sit *idea Platonica*, quæ nullibi rerum existat. «

Attende, quæso, Rev. Pater, an admissâ similiter quam asserere videris, propositione, Simonia circa ingressum Religionis, adversus quam Ecclesia per septem & amplius secula decertavit, non sit futura *idea Platonica*, quæ nullibi rerum existat.

§. III.

Utrum rectè in patrocinium P. Lupi adducatur quædam Resolutio Romæ anno 1680. *impressa, vel auctoritas F. D. de Luca S. R. Eccl. Card.*

PArte secunda *dissertationis canonicæ cap.* 2. §. 2. dixeram dogma Patris Lupi in materia simoniæ, in quantum Monasteria, etiam *opulenta*, exigentia dotem ab ingredientibus Religionem, vindicat ab omni specie simoniæ; unanimi Veterum imò & Recentiorum (nisi unum forsitan alterumve exceperis) sententiæ contrariari.

Huic meo asserto R. P. Wynants *pag.* 94. opponit quandam *Resolutionem* dubii Romæ apud Franciscum Tyzzonum anno 1680. impressam. ℟. Resolutio istius dubii edita fuit occasione cujusdam contractûs initi cum parentibus super dote alicujus Monialis; qui contractus propositus fuit variis hujus Academiæ Doctoribus, & ab eisdem, tanquam Simoniacus, repudiatus.

De hoc vix dubito, quin si dictæ *Resolutionis* approbatio ab Exim. P. Lupo fuisset expetita, fuisset improbata: in illa quippè resolutione *num.* 52. approbatur tanquam ab omni simonia exempta pactio de prandio à parentibus exhibendo Monialibus ipso die Vestitionis; quam pactionem inter sæva Ecclesiæ Disciplinæ damna referre non dubitavit P. Lupus: » Fuit, inquit,
» Ecclesiæ Clericis pendi solita veri pastelli seu convivii *con-*
» *suetudo*, quam à quibusvis non Clericorum solummodo, sed
» & Monachorum initiationibus *ut simoniacam* frequenter pros-
» cripsêre & Generales Synodi & Romani Pontifices: *Verum*
» *Belgica infirmitas etiamnum hodie* AD SÆVA DISCIPLINÆ
» DAMNA RETENTAT. «

Quid de illis pactionibus sentiat Exim. P. Le Drou, ex ejus Promptuario Theologo Canonico intelligi potest: » Porro Mo-
» nasteriis quibuscunque, inquit, nefas esse autumem, pacisci
» de pastu, prandio, cœna, &c. die Primitiarum, Vestitionis,
» aut professionis, & alioqui simoniæ leprâ contaminari. «

Hinc facilè apparet, R. Pater, quàm exigui ponderis apud Eximios Ordinis tui Magistros hæc *Resolutio*, quàm in defensionem P. Lupi adducis, si eorum expetitum esset judicium, habita fuisset.

Sed demus dictam Resolutionem alicujus auctoritatis esse; illa tamen malè adducitur à R. P. Wynants in patrocinium dogmatis P. Lupi, in quantum hoc Monasteria etiam *opulenta*, à Simonia vindicat, quia dicta Resolutio Monasteria *opulenta* dotem exigentia simoniæ condemnat, solùm *non opulenta* ab ea vindicare studens.

Quoad ea verò, quæ ex D. de Luca adferuntur.

Dico in primis: si per illam vindicentur Monasteria, etiam *opulenta* in exactione dotis à simonia, jam fatentibus etiam tui Ordinis Professoribus æquo laxior in hac materia habetur: num in aliis materiis, de quibus existens Advocatus scripsit, laxiores sententias sustineat, nescio.

Dubito quoque, num R. V. probet; quòd D. De Luca dicat quæstionem de Simonia circa ingressum Religionis, hodie censeri posse *pabulum scholarum* & Academiarum, pro Tyronum ingeniis acuendis, in foro autem inter *fabulas* reponi mereantur. An putet R. V. esse *pabulum Scholarum* ac *fori fabulam*, super quo per octo & amplius secula Ecclesia in Conciliis Generalibus & Particularibus decertavit? Si hodie *pabulum scholarum & fori fabulam* hujusmodi quæstiones habendæ, cur non ut talia habuit Generale Concilium Lateranense sub Innocentio III. cùm non minùs tunc quàm nunc exactiones pecuniarum in admissione ad Monasterium invaluissent?

De hoc interim non incertus sum, quòd Exim. P. Lupus indefessus Canonum studiosus, pro sua in Canones reverentia nunquam dictum illud probasset. Quantopere verò optaverit, & necessarium pro disciplina regulari judicaverit, ut Canonum rigor contra dictas exactiones restitueretur, patet ex ejusdem Patris quadam resolutione super *Quæst.* Num licita sint pacta de dote danda ab ingredientibus Monasterium: » Respondeo,
» inquit, pacta ista licet generatim de simonia damnari non po-
» sint (hæc erat sententia illius Exim. Patris, quam in Disser-
» tatione mea impugno) esse tamen, pergit, de fœdo isto ul-
» cere graviter suspecta, frequenterque infecta, esse semper
» sordida, statui monastico dedecorosa, imò & graviter per-
» niciosa, ideoque omninò eliminanda. Quid enim possit esse
» fœdius aut perniciosius, quàm stipulatâ pecuniâ solos opu-
» lentos ad Monasteria admittere? Quare ab inopiam patientibus,
» & necessarium Fratrum & Sororum numerum alere non va-
» lentibus Monasteriis, servanda est antiqua, quam Regulæ suæ
» S. Benedictus inseruit, Patrum Lex, ut sponte oblatum ac-
» ceptetur, & nihil penitùs exigatur. Quam legem diversæ ge-
» nerales Synodi innovarunt, & usque ad paucos ab hinc an-
» nos Belgium nostrum observavit sanctissimè. Reducenda om-
» nino est illa animi Castitas, rogandique Episcopi nostri, ut

» no-

» novis & superfluis, à quibus oriuntur nobis tantæ sordes, præ» sertim Monialium Monasteriis, non sinant suas Ecclesias gra» vari, Salvo meliori &c. «

Subsignatum erat.

FR. CHRISTIANUS LUPUS
S. T. D. ac Professor.

Quis hîc non videat, quin summoperè displicuisset Eximio illi viro, dicere hujusmodi quæstiones esse *pabulum scholarum & fori fabulam.*

Sed ponamus unum alterumve qui in aliis materiis laxior non esset, forsitan sustinuisse Monasteria etiam *opulenta* excusari à simonia (illos tamen reperiri vix credo) num inde inferri posset Assertum meum falsum? An non sententia aliqua dici solet unanimi Doctorum sententiæ contrariari, licèt unus aut alter forsan minùs notus ei patrocinetur?

Interim avidè expectabo auctorem vel unum, qui titulo transactionis super futura hæreditate Monasteria à Simonia vindicaverit ante Eximium P. Lupum; quod enim Rodulphum Abbatem Trusonensem tanquam hujus tituli approbatorem reproducas, nec speciem habet, ut capite sequenti ostendemus.

CAPUT III.

OSTENDITUR, QUOD EPISTOLA DOGMATICA RODULFI ABBATIS S. TRUDONIS NON CONTRARIETUR DOCTRINÆ DE *SIMONIA* TRADITÆ DISSERTATIONE CANONICA.

PARAGRAPHUS I.

Regula S. Benedicti & aliæ Patrum Regulæ nullatenus exactionem dotis ab Ingredientibus aut eorum Parentibus admittunt.

REgula S. Benedict. *cap.* 58. præscribit, ut, si major sit, qui intrat Monasterium, *res, si quis habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus.* » Si quis verò, ait ea» dem Regula, fortè de Nobilibus offert filium suum Deo in » Monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes hujus fa» ciant petitionem quam supra diximus. Et cum oblatione » piam petitionem & manum pueri involvant in palla Altaris, & » sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitio» ne promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nun» quam per suffectam personam, ne quolibet modo ei aliquando » aliquid dent, aut tribuant occassionem habendi. Vel certè si » hoc facere noluerint, & aliquid offerre *volunt* in eleemosy» nam Monasterio pro mercede sua, faciant ex rebus, quas da» re volunt Monasterio, donationem, reservato sibi, si ita vo» luerint, usufructuario. Atque ita omnia obstruantur, ut nul» la suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire pos» sit, quod absit; quod experimento didicimus. Similiter au» tem & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, » simpliciter petionem faciant, & cum oblatione oferant filium » suum coram testibus. «

Ille Religiosorum Pater, qui famosè *Magister* dicitur, *capit.* 91. exhortatur, ut is, qui Religionem intrare intendit, conformiter ad verba Christi omnia sua vendat & det pauperibus: quod si ad hoc Parentes induci nequeant, permittit, ut portio Filio competens in tres partes distribuatur, quarum una remaneat apud Fratres in seculo, secunda cum filio transeat ad Monasterium, tertia pauperibus distribuatur.

S. Isidorus etiam conformiter ad Regulam S. Benedicti permittit, *ut qui relicto seculo ad militiam Christi pia & salutari humilitate convertuntur, omnia sua primùm aut indigentibus dividant, aut Monasterio conferant.* Cap. 4.

S. Fructuosus statuit, ut *nihil de pristinis Facultatibus ingredientis in eundem locum ubi ingredi se petit Monasterium, vel ad unum numum recipiatur.* SED ET IPSE MANU SUA CUNCTA PAUPERIBUS EROGET Cap. 18.

Ex his evidenter intelligimus, quod S. Benedicti, aliæque pristinæ Patrum Regulæ Ingredientibus, aut eorum Parentibus optionem facerent, num bona ingredientis pauperibus absolutè & simpliciter distribuerentur, an verò Monasterio darentur: imò ut notat R. P. Ludovicus Thomassinus *part.* 2. *disc. Eccles. lib.* 3. *cap.* 9. primum consilium erat: ut pauperibus distribuerentur; sed, inquit idem, nihil evidentius quàm regula indubitata & universalis praxis omnium Regularum & omnium Monasteriorum nihil exigendi in ingressu aut receptione ad Monasterium.

Et quidem quod Regula S. Benedicti nihil à *Monachando* exigi permittat agnovit quoque Eximius P. Lupus: *Ista Regula* (S. Benedicti) *à Monachando*, inquit, *nihil penitus vult exigi, recipique permittit sola sponte, & gratis oblata.*

§. II.

Ex dictis §. præcedenti & aliis quæ in Epistola Dogmatica Rodulfi dicuntur, ostenditur, quod nec ipse aliquid à Monacando *exigi permiserit.*

MOnasterium S. Pantaleonis, cujus Sigibertus erat Prior, & Monasterium S. Trudonis, cujus Rodulfus erat Abbas semper vixisse sub Regula S. Benedicti non dubitat, ut credo, R. P. Wynants, consequenter nec ambigere potest, quin in utroque Monasterio Novitii secundum Regulam S. Benedicti tempore Rodulfi essent recipiendi.

Cùm igitur ex dictis §. præcedenti constet quod Regula S. Benedicti à *Monachando* nihil penitus exigi permittat; quis credet quod Rodulfus, si vir fuerit eruditionis & pietatis, responderit, quod in Monasterio Pantaleonis non solùm *dos sponte oblata accipi, sed & exigi ac de illa stipulari posset*, contra evidentissimum ipsius Regulæ præceptum?

Sed tantum abest, ut Rodulfus à Regula recedi voluerit, ut econtra unicè desideret, ut Regula S. Benedicti à divite avaro, filium in Monasterium introducere volente observaretur, » Concordat (inquit ad divitem avarum) sententiæ S. Augusti» ni S. Benedictus in sententia de disciplina suscipiendorum Fra» trum & de filiis Nobilium vel pauperum. Res, inquit, si quis » habet, procul dubio, qui suscipitur: aut *EROGET PRIUS PAU» PERIBUS* aut facta solemniter donatione conferat Monasterio » nihil sibi reservans ex omnibus. Crudelis Pater! res quæ de» bent contingere Filio, neque ipse vult *EROGARE PAUPERIBUS*, » *IN PLATEA*, sed sibi reservare omnia. «

Ex his quis non videat, quod Rodulfus relinquat ad Regulæ Benedictinæ præscriptam optionem parentibus, an portionem Filio competentem velint dare pauperibus, an verò Monasterio?

Si quis adhuc de hac Rodulfi sententia ambigat, clarissima hæc ipsius in hanc sententiam verba expendat: » Sicut vestrum » est, inquit, nihil ab eo, vel ab alio aliquo pro hujusmodi re *exigere*: ita & ejus erat, si homo Dei esset, & non mammonæ, » de portione hæreditatis quæ filio deberet contingere, oblatio» nem cum eo ad Ecclesiam facere, quæ eum amplius deberet » & nutrire & vestire. Sed sicut ipse non vult hoc facere, & » vos *non potestis*, nec debetis eum *compellere*, sed *piè tan» tum commonere*: & si Filium ejus non vultis suscipere, non po» test nec debet ad hoc vos cogere. «

His conforme est quod in *præfatiuncula* monuit: Sequentis Opusculi, inquit, intentio illunc maximè respicit, ut dives iste, de quo sermo habebitur, *in medio recedat à parcitate » sua & avaritia propter idololatriam: si filium suum vult re» cipi, dimittat eum ad Ecclesiam sequi, quæ de sua subs» tantia debentur ei. Ecclesia verò caveat sibi de omni rerum » ejus mala concupiscentia propter simoniam, quæ vendentes, » & ementes ejicit extra Ecclesiam: sive plenus divitiis filius » si vult eum suscipere, suscipiat; si non vult, dimittat: in » suo arbitrio stat. «*

Ut igitur verbo absolvam, tota epistola dogmatica Rodulfi (ut vel ex sola præfatiuncula constat) eo expectat, ut parenti *pecunioso avaro*, qui filium suum in Monasterio intrudere volebat, ut substantiam suam augeret, *avaritiam*, imò *idololatriam suam* ostendat.

Insuper ut demonstret, quàm injustè Religiosi ut simoniaci traducantur, si hujusmodi pecuniosum avarum *familiariter conveniant ac moneant*, quòd justitiæ ac æquitati sit congruum, ut cum filio portionem ipsi competentem dimittat, eamque unà cum filio Deo & ejus Ecclesiæ offerat; atque ita pecuniosum illum ab avaritia, quæ est idolorum servitus, liberent: hinc nec species est simoniæ, modò tamen fiat simplici mentis oculo & totâ cordis puritate, sine omni mala cupiditate, id est, ad hoc solum, ut pecuniosus ab avaritia liberetur, & portionem filii dimittat, non ut illa *præcisè* Monasterio detur; sed juxta regulæ Benedictinæ præscriptum, pauperibus, aut Monasterio pro voluntate Parentis aut ingredientis detur. Sed quia non ignorabat Rodulfus, quòd facilè contingat quod concupiscentia seu habendi libido, imò quædam simonia pallio pietatis tegatur, consilium saluberrimum quo hæc caveatur, Religiosis S. Pantaleonis proposuit: quòd consilium §. sequenti specialiùs expendemus, unà ostensuri, quòd Epistola in pluribus doctrinam de simonia in dissertatione Canonica traditam stabiliat: evidenter verò contrarietur dogmati Eximii P. Lupi, quo *praxis multorum in Belgio Monasteriorum quæ recipiendi Monachi dotem, non solummodo sponte oblatam accipit*, SED ET EXIGIT, AC DE ILLA STIPULATUR, ab omni specie simoniæ vindicatur.

§.

§. III.

Expenditur consilium à Rodulfo Religiosis S. Pantaleonis pro cavenda simonia in admissione Fratrum, suggestum.

» HActenus ad eos sermo noster habitus peroravit, inquit » Rodulfus, qui spiritu avaritiæ suæ & parcitatis gravita- » ti, deorsum feruntur per vacua obloquii sui campestria: nunc » ad eos convertitur, qui spiritu sapientiæ & intellectus levati » sursum, in monte à Domino JESU audiunt mandata sublimia. » *Ergo*, dilectissimi Fratres, *fugite omne genus simoniæ, excu-* » *tientes manus vestras ab omni munere. Ars est diaboli subti-* » *lissima simonia.* Duplex vel Triplex est, & nescimus, an » melius debeamus dicere, triplex. Nam quibus connectitur, » tria sunt fila, obsequium, manus, lingua. His plerumque » tribus simul, aliquando horum quovis uno, quorundam in- » nodat pedes, qui videbantur gradi simpliciter; *quorundam* » *perstringit oculos, qui se putabant habere lynceos.* Nemo nos » mittat exemplificandi gratiâ ad majores sive potentiores, si qui » sunt in Ecclesia, qui capiunt & capiuntur simoniâ. De bonis » non de malis, sumenda sunt exempla. Amen dico vobis, re- » cipient mercedem suam, mortem sempiternam, si hic non » egerint pœnitentiam, & dimiserint quod tenent per Simo- » niam: & quantò majores & potentiores sunt, tantò majora & » potentiora patientur tormenta. Quia verò de tam longinquo » dignati estis quærere accipere consilium parvitatis nostræ, ta- » men ut si habetis melius, non relinquatis propter istud: *Si* » *quis vel se, vel filium suum obtulerit vobis in Cœnobio susci-* » *piendum, simplici mentis oculo & totâ cordis puritate, sine* » *omni mala cupiditate, audiat per vos Augustini consilium &* » *Regulæ sancti Benedicti præceptum*, sicut superiùs de hujus- » modi est relatum. Si audierit & obaudierit, benè: salvastis » animam ejus à morte. *Si non obaudierit, neque iniquitas ves-* » *tra, neque peccatum, si eum non recepistis.* Noluit enim in- » telligere ut benè ageret, sed adstitit viæ non bonæ, avari- » tiam autem non odivit; *Fratres charissimi, magnum opus* » *est in tali re magnam habere mentis puritatem, & nullam* » *avaritiæ cupiditatem.* Quia sicut omnis, qui viderit mulie- » rem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo: » *ità omnis, qui de Ecclesiasticis bonis mala cupiditate aliquid* » *exigit & concupiscit, plus dicam, vel in spe agit retributio-* » *nis, simoniacus est, etsi non hic coram populo, certè coram* » *divino oculo.* «

Ex hoc Rodulfi monito habemus: Primò, quòd simonia sit ars diaboli subtilissima: quod illâ innodentur nonnunquam qui videntur gradi simpliciter, & quorundam perstringat oculos, qui se putabant habere lynceos: quòd convenit cum iis quæ *p. 2. Diss. cap. 5. §. 1.* dicta sunt.

Secundò habemus quod si quis vel se vel filium suum obtulerit in Cœnobio suscipiendum, illi insinuari debeat consilium S. Augustini, & Regulæ S. Benedicti præceptum, ut juxta illa de bonis disponatur, id est, juxta Regulæ Benedictinæ præscriptum & Augustini consilium, cum filio portio substantiæ, Ecclesiæ nimirum *pauperibus in platea*, ut loquitur Rodulfus, *vel pauperibus in Monasterio*, tanquam membris Christi erogetur.

Si autem non obaudierit; neque iniquitas vestra, neque peccatum, inquit, *si eum non recepistis. Noluit enim intelligere ut benè ageret, sed adstitit viæ non bonæ, avaritiam autem non odivit.* Id est, si ideo non recepistis, quia vel ipsum qui se offerebat avarum esse, aut à Patre ex solo spiritu avaritiæ oblatum cognovistis, nulla est vestra iniquitas; sed si ideò non recepistis, quia nulla ad Monasterium ex illius susceptione substantiæ portio speratur deventura, jam illius exclusio iniquitate vacua non erit; & quia metuebat ne hic affectus cupiditatis facilè se ingereret, ideo subjungit.

Fratres Charissimi, inquit, *magnam opus est in tali re magnam habere mentis puritatem, & nullam avaritiæ cupiditatem.* » Quia sicut omnis, qui viderit mulierem ad concupis- » cendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo: ita om- » nis, qui de bonis Ecclesiasticis malâ cupiditate aliquid *exigit* » *& concupiscit*, plus dicam *vel in spe agit retributionis* simo- » niacus est; etsi non hic coram populo, certè coram divino » oculo.

Ex omnibus igitur, quæ *hoc & præcedenti §.* ex Epistola Rodulfi prolata sunt concludimus: quòd Rodulfus *pium & justum* judicaverit, quòd parentes divites cum filio quem Deo offerunt, portionem substantiæ filio competentem unà cum illo, Deo & ejus Ecclesiæ offerant, ut illa membris Ecclesiæ, id est, *pauperibus in platea* vel *in Monasterio* juxta Benedictinæ Regulæ præscriptum distribuatur: quod admodum conforme esse doctrinæ meæ agnoscere debebit, cui vel unicum *cap. 5. §. 4. part. 2. Diss.* legere placuerit.

Secundò, quòd Religiosi de illa obligatione parentes aut ipsos intrantes *familiariter* monere possint, quod nec improbo.

Tertiò, quòd si eum, qui se offert avarum esse deprehendant, aut parentes filium ex solo spiritu avaritiæ Monasterio offerre, ne horum avaritiæ patrocinari videantur, possint illum sine ulla iniquitate non recipere.

Quartò, quòd cavere debeant Religiosi, ut dum Parentes ab *avaritia* liberare volunt, ipsi ex propria concupiscentia non procedant; sed purâ mentis intentione solùm intendant, ut avarus Parens portionem suam juxta præscriptum S. Benedicti pauperibus eroget, aut Monasterio offerat; adeoque nihil ex rebus ipsius concupiscant, sed animo sint *verè* parati filium illius suscipere, licèt nihil Monasterio tribuatur, modò ipse ab avaritia liberetur, aut saltem avaritiæ ipsius patrocinari non videantur. Quæ quantoperè dictis meis consonent, ex solo *cap. 5. §. 1. part. 2. Dissertationis* legenti patebit.

Miror proinde quâ ratione R. P. Wynants, si epistolam Rodulfi attentâ mente perpenderit, eam tanquam dictis meis contrariam reproduxerit. Et adhuc magis miror, quomodo ipsi incidere potuerit per dictam Epistolam stabilire dogma Patris Lupi quo ab omni specie simoniæ vindicatur hodierna *multorum in Belgio* Monasteriorum *praxis, quæ recipiendi Monachi dotem, non solummodo sponte oblatam accipit*, SED ET EXIGIT, AC DE ILLA STIPULATUR.

Num fortè ignoravit R. P. Wynants Monasteriorum S. Pantaleonis ac Monasterium S. Trudonis, tempore Roduifi sub Regula S. Benedicti vixisse?

An fortè nescivit Monachis Regulæ suæ præceptum in receptione fratrum servandum esse?

An ignorare potuit, quòd etiam fatente Eximio P. Lupo Regula S. Benedicti à *Monachando nihil exigi velit, recipique permittat sola spontè & gratis oblata*?

Num forsitan crediderit, Rodulfum à Regula Patris sui voluisse recedere? Hoc rectè credere non potuit, si vel Rodulfum tantæ eruditionis putaverit, quantæ eum deprædicat; vel si Epistolam Rodulfi legerit, cùm toties in eadem profiteatur se velle ut ad normam Regulæ procedatur.

Si ultra mihi dictam Epistolam objicere velit R. P. Wynants, quæso, ut ad hæc ante omnia respondeat.

§. IV.

Quantumvis Rodulfus, aut alius etiam majoris eruditionis Auctor, imò Capituli aut Congregationis statutum, doctrinæ Dissertationis essent contraria, inde tamen falsitas ipsius non evinceretur.

VIx dubitare queo, quin omnes, qui vel leviter quæ hoc capite dicta sunt, expenderint, facilè agnoscent Epistolam Dogmaticam Rodulfi Abbatis Trudonensis sententiæ meæ de simonia nullatenus contrariari, sed illi admodum esse conformem. Si tamen dicta Rodulfi alteriusve Auctoris, majoris etiam eruditionis & Sanctitatis, sententia doctrinæ meæ contraria esse poneretur; num inde sententiæ meæ falsitas inferri posset? Hanc consequentiam nec ipse R. P. Wynants, ut credo, admittet.

Nec enim fas mihi est dubitare, quin notissima illi sit, & omni veneratione digna Magni Patris sui sententia (quam & Gratianus noster Decreto, & S. Thom. Summæ suæ inseruerunt) » Solis eis Scripturarum libris, inquit, qui *Canonica* ap- » pellantur, didici hunc honorem defferre, ut nullum Aucto- » rum eorum, scribendo aliquid errâsse firmissimè credam: » alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate doctrinâque » præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt.«

Huic probatissimæ S. Augustini sententiæ conformis est quædam vetus, ac docta dissertatio, à tribus circiter seculis Sedi Apostolicæ oblata occassione quorundam Religiosorum, qui conabantur impedire censuram Episcopi Parisiensis contra quasdam cujusdam Religiosi assertiones prolatam, eo quòd dicerent quasdam ex illis propositionibus doctrinæ cujusdam Doctoris à doctrina & sanctitate laudati esse conformes. In hac Dissertatione solidè ostenditur, nec Magistri Sententiarum, nec Gratiani, imò nec ullius cujuslibet alterius Doctoris, quantumvis sancti & docti, adeò per omnia veram esse sententiam, quin & errare, & labi quandoque possit. Habetur dicta dissertatio in fine librorum Magistri Sententiarum.

Hinc facilè intelligitur, quàm parum solidè procedant qui sententiam alicujus falsitatis evicisse credunt, si Auctores, quantumvis etiam sat exiguæ doctrinæ & sanctitatis contrarios invenerint; aut sententiæ suæ magnum pondus accedere autumant, si in illius patrocinium Auctores aliquos, non dico Patres auctoritate Ecclesiæ à sanctitate & cœlesti sapientia multum probatos, sed Scholasticos Patribus in nullo comparandos, adducere possint. Hi sunt qui non tam quid verum sit, quàm quid alii dicant, attendere videntur; cùm tamen teste Magno veritatis Amatore August. *in Exposit. Epist. ad Gal. c. 1. v. 4.* » Veritas propter se ipsam diligenda sit, non propter hominem » aut propter Angelum per quem annuntiatur. Qui enim prop-

ter

„ter annuntiatores diligit eam, ait idem Doctor, *potest etiam „mendacia diligere, si quæ fortè ipsi suo protulerint.*“

Si ex probatissima Augustini sententia omnes libri, exceptis Scripturarum, ita legendi sunt, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque eorum Auctores polleant, non ideò verum putemus, quia ipsi ità senserunt; quomodo non eo modo legenda Capitulorum, atque Congregationum aliquarum personarum Statuta, ut non ideo sanctum & licitum esse putetur, quia in illis ita statutum aut scriptum esse legitur? Quis enim ignorat quin unius viri sanctitate & eruditione illustris sententia sæpe majoris sit auctoritatis, quàm Capituli aut Congregationis alicujus multorum hominum deliberatio? Quapropter parùm solidè procedunt, qui licitum & Ecclesiæ ad Patrum regulis conforme credunt quidquid in Capitulorum statutis occurrit. Attendant quæso qui hanc auctoritatem statutis illis tribuunt, quid de statutis Capitulorum non tantùm Ecclesiarum Colegiatarum, sed & Cathedralium (quæ à Synodo Tridentina *Senatus* Ecclesiæ dicuntur) dicat Synodus Coloniensis *an.* 1536. *p.* 3. *cap.* 19. „Habent ferè quotquot sunt Cathedrales, ac Collegiatæ Eccle„siæ suum volumen peculiarium statutorum, quæ interdum „pro affectu privato cujuslibet augentur, ac crescunt. Inter „hæc reperias quamplura, quæ quæstum magis quàm pietatem „respirant, & ad inæqualitatem potius, quàm æqualitatem fa„ciant: Unde discordia inter Fratres (uti fieri solet) frequenter „alitur, concordia verò scinditur laceraturque. Et quantumvis „pleraque inter hæc *iniqua* reperias, adiguntur tamen, qui re„cens admittuntur, ut ad hujusmodi statutorum observationem „(etiam penitùs ignari quid continet illa) citra ullum delectum „*jurejurando sese alligent*, cùm tamen juramentum non debeat „esse iniquitatis vinculum, nec ad ignorata extendi. Operæ pre„tium itaque vobis videtur, hujusmodi *Statutorum Volumina „inter visitandum excutere, & quæ Evangelicæ puritati, at„que Fraternæ charitati, denique disciplinæ Ecclesiasticæ mi„nus consentanea reperta fuerint*, resecare cavereque, ne „posthac ulla nova statuta in Ecclesiis (nisi tamen noster acces„serit calculus) edantur.“

Hinc habemus quod, teste Synodo Provinciali Coloniensi, inter ipsa statuta, etiam Ecclesiarum Cathedralium, quorum observationem quoque ipsi Canonici *Juramento* promittebant; reperta essent quamplurima, quæ *quæstum* magis quàm *pietatem* respirarent.

Ipsa quoque Generalis Trident. Synodus, *Sess.* 24. *cap.* 14. *De Reform.* deplorat quòd „in pluribus Ecclesiis, tam Cathe„dralibus, quàm Collegiatis & Parochialibus ex earum *Consti„tutionibus* aut ex prava consuetudine in electione, præsen„tatione... sive admissione ad possessionem alicujus Cathedra„lis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatuum aut Præbendarum „certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, compensa„tiones illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus dicuntur turnorum „lucra, interponantur: quæ omnia S. Synodus detestans, man„dat Episcopis, ut quæcunque hujusmodi in pios usus non con„vertunt, atque ingressus eos, qui *simoniacæ labis*, aut *sor„didæ avaritiæ* suspicionem habent, fieri non permittat, ipsi„que diligenter de earum *Constitutionibus* sive consuetudinibus „super prædictis cognoscant; & illis tantùm, quas laudabi„les probaverint exceptis, reliquas ut *pravas ac scandalosas „rejiciant & aboleant*. Et qui adversus prædicta quavis ratione „commisserit, pœnis simoniacorum subjacere decernit, non „obstantibus, inquit Synodus, quibuscunque *statutis consti„tutionibus*, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam „*Apostolica auctoritate confirmatis*: de quarum subreptione, „obreptione, & intentionis defectu, Episcopus, tanquam „Apostolicæ Sedis Delegatus, cognoscere potest.“

Ex his qui non videat, per Synodum Tridentinam supponi, in statutis & conditionibus, etiam Cathedralium Ecclesiarum (tametsi per Sedem Apostolicam confirmatis) posse reperiri aliqua, quæ Synodus tanquam de simoniaca pravitate suspecta detestatur.

Si igitur non omnia Evangelicæ puritati, nec Ecclesiæ regulis conformia sint, quæ reperiuntur in statutis & constitutionibus Capitulorum Cathedralium, quæ teste Synodo Tridentina *Senatum Ecclesiæ* repræsentant, imò unum cum Episcopo corpus constituentes, *Fratres Episcopi* dicuntur, *Cap.* NOVIT *de his quæ fiunt à Prælato sine cons. Capit.* quis negare audeat, quin multo majori ratione dicendum sit, quòd in statutis ac constitutionibus alicujus Ordinis aut Congregationis (quæ eam in Ecclesia auctoritatem, quam Capitulum Cathedrale habet, non acceperunt) possint nonnunquam aliqua occurrere, quæ Evangelicæ puritati, aut Patrum regulis non respondent? Ac consequenter de illis æquè ac de statutis Cathedralium Ecclesiarum, ad imitationem illius quod de libris dicit Augustinus, dici possit: Statuta illa ità lego, ut quantâlibet sanctitate & doctrinâ præpolleant qui illa condiderunt, non ideo verum putem, quia in illis ita ordinatum legitur.

Nec quidquam facit, quòd Ordinum statuta à Sede Apostolica interdum confirmentur: quia ut notat Fagnanus, confirmatio statutorum fieri solet tantum in *forma communi*, id est, sine causæ cognitione.

Quare notat idem Fagnanus, quòd in confirmationibus statutorum addi soleat hæc clausula: *Modò sacris Canonibus, Tridentini Concilii Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non adversentur.* Quæ clausula evidenter innuit, quòd per sedem Apostolicam prævie ad confirmationem examinari non soleat, num statuta sacris Canonibus, &c. sint conformia. Hinc etiam notant Canonistæ per confirmationem in *forma communi* nihil novi juris statutis accedere: ità ut unicè ad hoc valere videatur similis confirmatio, ne videantur Constituentes sine scientia Pontificis processisse, & ut ob illius reverentiam magis timeantur statuta.

Sed dicet quispiam: Si statuta alicujus Capituli, aut Ordinis, vel Congregationis possint ab Evangelio, aut Ecclesiæ regulis esse difformia; sequitur quòd Canonici aut Regulares non semper sint securi, dum statutis sui Capituli aut Congregationis se conformant. Resp. verum esse quòd consequens illud per legitimam consequentiam ex illo antecedente inferatur. Sed quid incommodi, quòd dicantur Canonici aut Regulares non semper esse securi, si Capitulorum aut Congregationum Ordinationibus se conforment? Quis enim nescit, quòd licèt Clerici obedire debeant Episcopis, Regulares suis Superioribus, & omnis anima Potestati sublimiori subdita esse debeat; tamen interdum locum habeat illud Apostolorum: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Scio quidem à subditis non facilè dijudicandas esse Præpositorum Ordinationes, præsertim quæ cum maturiori deliberatione, in Capitulis v. g. Generalibus, fuerunt ponderatæ & editæ: hîc tamen nonnunquam prudentiam etiam necessariam esse puto, qua advertatur, num & hîc nihil occurrat, quod Evangelio aut Ecclesiæ vel Patrum regulis sit contrarium: præsertim si in statutis aliqua occurrant, quæ disciplinæ relaxationem aut proprium interesse spirant; tum enim meritò quis veretur, ne hi, qui Capitulum aut Congregationem constituebant, vel major illius pars, ratione sui commodi seu pravâ quadam consuetudine (quæ nonnunquam in quibusdam Congregationibus invalescit, & ut lex observatur) nonnihil obcæcati, aliqua statutis inseri permisserint propriæ utilitati accommoda, aut consuetudini illi consona; sed ab Evangelio & Ecclesiæ regulis admodum difformia.

Ex quibus omnibus concludo, quod illegitima esset hæc consequentia: In statutis alicujus Capituli vel Congregrationis reperitur aliquid contrarium alicui doctrinæ: ergo doctrina illa non consonat Evangelio, Ecclesiæ Canonibus, & Patrum regulis.

APOSTROPHE

Ad R. P. Wynants, cum reflexione aliqua ad descriptionem Jansenistæ, *quam* pag. 39. *Libelli sui reproducit.*

§. I.

Nomina JANSENISTÆ, REFORMATORIS, *&c. sunt lemures nocturni.*

REverende Pater, omnibus quæ tum personæ tum doctrinæ meæ objecisti (si tamen objectionis nomen mereantur) plus satis, ut credo, responsum fuit; superesse tamen R. V. aut alteri cuipiam forsitan videretur, ut responderem iis, quæ in descriptione *Jansenistæ* R. V. fusè magis quàm christianè protulit. Verùm in quantum ea in personam meam conjecta videntur (ita peritis omnibus videtur) illa pertranseo; antiquam enim occinunt cantionem: satis mihi est cautelam illam in præfatione Dissertationis meæ præmisisse. Non terrent me ampliùs lemures isti, ex quo fidelibus sat innotuit, quinam nomine *Jansenistarum* soleant indigitari. Nôrunt quotquot vel parum sunt nasuti, quòd in hoc nostro Belgio viri à doctrina, ac moribus maximè commendabiles, qui corruptelis ac vitiis sese præ aliis magis strenuè opponunt, hoc odioso phantasmate *Jansenistarum* soleant traduci, sed ne forsitan quispiam credat in solo Belgio ac partibus illi vicinis, sub hoc chimerico *Jansenistarum* nomine Viros Sanctissimos, ac pro animarum salute zelosissimos calumniis impeti, referam, quod de Episcopis Misionariis ac eorum Sodalibus Sacerdotibus secularibus, in Indiis pro conversione gentium laborantibus scribit P. M. Dominicus Ferdinandez Navarrete, Magni Regni Chinensis Misionarius Apostolicus, Prælatus Religiosorum suæ missionis, atque Procurator Generalis Provinciæ S. Rosarii (quæ est Philippinarum Insularum) in Aula Matritensi S. Ord. Prædicatorum in tractatu suo Historico Politico &c. dedicato Serenissimo Principi Joanni Austriaco, &c. atque impresso Matriti anno 1676. Hic Auctor *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. sic habet: „Atque si de„sideremus recentiores harum rerum probationes, habemus ho„die valde claras in Regno Siam (non dubito autem, quin pro „his-

» hisce regionibus etiam plurimæ suppetant : utinam deciperer! » Sancti Spiritùs est sententia, illum persecutionum laborumque » molestias subiturum, qui veraciter se Dei mancipaverit obse- » quiis) ibi sunt aliqui Episcopi Missionarii cum quibusdam So- » dalibus Sacerdotibus secularibus, cognitæ virtutis atque rari » exempli quoad paupertatem atque alias materias ædificationis, » in officio prædicandi Evangelii inculpabiles; ita ut id ipsum » hic mundus deprædicet. Nihilominus propter ipsorum alio- » rumque bonum, dedit ipsis Deus Æmulos (*Stimulum Satha- » næ*) qui ipsos ita colaphizent, ut non relinquant pacem vel » uni ex ossibus eorum. Buccinant buccis concrepantibus ficti- » tiæ virtutis esse homines (ut ipsi soli ad se populum populi- » que applausum attrahant) eo quòd sint *Jansenistæ*, & multa » alia similia.

» Cùm super hoc puncto agerem cum Eminentissimo Do- » mino Cardinale Bona (lux perpetua luceat ei) nesciebat, ubi » pedem figeret, oculosque ad sidera tollens, manibusque com- » positis dicebat: *Esse pauperes, Orationes habere, exhorta- » ri Fideles, ut habeant exemplariter vivere atque prædicare » Apostolico modo, hoccine est agere Jansenistas? O si omnes, » quotquot sumus homines, essemus tali modo Jansenistæ: tunc » omnis sanè mundus longè differret ab illo, qualem modò vi- » demus.* «

Ex his intelligat R. V. quinam & in Regno Siam, invidioso illo nomine *Jansenistarum* impetantur, & expendat, num per illam, quam in libello tuo reproducis, descriptionem hominis, quam sub nomine *Jansenistæ* invidiosum reddere vis, porta non aperiatur latissima calumniis; quibus similes Viri sanctissimi, zelosissimi animarum zelatores, atque veritatis defensores phantastico illo titulo impetantur & traducantur, imò traduci potuissent, quotquot pro Ecclesia ac veritate unquam decertârunt Viri sanctissimi.

§. II.

JANSENISTA, inquis, *est homo pertinax, certis destinatisque sententiis addictus, &c.*

IDeam hominis odiosi sub nomine *Jansenistæ* exhibere volens dicis: *Jansenista est homo pertinax... certis destinatisque sententiis & consiliis addictus... In Philosophicis & altioribus studiis, sententiam semel receptam obstinabit, nec ab ea, vel latum unguem discedet, sed ad ipsam tanquam ad saxum adhærescit. Usque adeò est suffarcinatus opinione eruditionis... Censet consilii mutationem pejus esse Majestatis crimine, & satius ducit esse pertinax quàm constans audiri & cùm possit consilium retexere sine dispendio aut famæ aut fortunarum, patitur potiùs utriusque excidere, quàm inflexibilem suum rigorem expugnari.*

Expendat, rogo, R. V. num hæc non possint & potuerint conjici in strenuissimos veritatis athletas; dum interdum paucissimi, ne dicam unus, contra omnes veritatem sustinere fuit coactus.

Nonne illa in S. Athanasium ab Arianis aliisque dici potuissent, dum ingemiscente Orbe terrarum se Arianum esse, ipse nec ad latum unguem à sententia, quam conceperat, discedere voluit; sed illi tanquam ad saxum adhæsit?

Nonne viro illi dici potuisset: *Sententiam semel receptam obstinat, nec ab ea ad latum ungem discedit, sed ad ipsam tanquam ad saxum adhærescit. Usque adeò est suffarcinatus opinione eruditionis.*

Vides R. P. quomodo sub hoc nomine *Jansenistæ* poterunt notari, quicunque imitantur Athanasium, dum Veritati *tanquam saxum*, plurimis eam non videntibus aut deserentibus, *adhærescant.*

§. III.

JANSENISTA, ais, *si publicis admovetur, brachia dirigit contra torrentem.*

CUlpas in homine illo: *Si publicis admovetur, brachia dirigit contra torrentem.* Num rursus hoc titulo *Jansenistæ*, notari non potuerunt & potuissent, quotquot fortissimè, ac invictissimè contra *torrentem* vitiorum & inundantiam abusuum *brachia direxerunt?* Nonne hoc titulo notatus XVI. seculo Episcoporum exemplar S. Carolus, dum Archiepiscopatui Mediolanensi *admotus brachia direxerit contra torrentem?* » Pro- » pe quippe in Ecclesia Mediolanensi, ut probè scitur, perie- » rat christianæ vitæ institutio; conciderat pene salutarium re- » rum usus, nulla ferè Cleri disciplina, quasique nullum po- » puli in charitatis officiis studium; prolapsus denique misera- » bilem in modum erat totus ille ab Evangelii luce dimanans » christianarum virtutum ornatus. « Vide *Orationem ad Concilium 4. Mediolan.*

Contra hunc torrentem vitiorum brachia sua dirigebat invictissimus Præsul. Cernis R. P. quomodo summus ille Ecclesiæ Mediol. *Reformator* hoc nomine ut *Jansenista* traduci potuisset?

Verùm nec illo etiam tempore, quanquam natus necdum esset Jansenius, defuerunt, qui per hanc *Jansenismi notam* S. Carolum Borromæum à præmeditato ac jam susceptu opere deterrere voluisse videntur. » Non ferunt, inquiebant ipsi » hæc tempora veterum Canonum severitatem; sic tandiu vi- » ximus, ita egerunt, vixerunt, qui ætate nos antecesse- » runt, vitæ institutum nihil est, quòd mutemus « *In Oration. ad 2. Conc.* Quid, quæso, aliud hæc verba indicant, nisi NOLI DIRIGERE BRACHIA CONTRA TORRENTEM? Sed quid ad illa S. Carolus, & omnes, qui eodem titulo hominis invidiosi *nota* sum nomine *Jansenistæ* insigniuntur? *Populares illæ sunt voces, quibus quasi ficus, deformes pravique mores contegi solent.*

Scio quidem magis è re culinæ futurum, promotioni ad officia dignitatesque minùs obfuturum, atque minoribus difficultatibus & obloquiis obnoxium esse, procedere juxta illud vulgatum, & prôh dolor! hodie usitatum nimis barbarum adagium: *relinquere mundum vadere prout vadit.*

Sed si hanc regulam sequantur, quos Deus dedit Pastores & Doctores *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*; an non verendum quod illis aliquando à Christo dicitur? *Væ Pastoribus qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac commedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis.* Ezech. 34. v. 4.

§. IV.

JANSENISTA, ut scribis, *sæpè in hæc prorumpit*, O TEMPORA, O MORES! *horum occasione ostenditur, quæ sit gravissima Ecclesiæ persecutio.*

RUrsus ut ideam hominis invidiosi sub nomine *Jansenistæ* exprimas, dicis: *Sæpè in hæc erumpit verba*: O TEMPORA! O MORES! Itane R. V. credit quod *sæpè erumpere in hæc verba*: O TEMPORA! O MORES! *nota* sit hominis illius invidiosi, quem sub nomine *Jansenistæ* efformare intendis? Nonne eodem jure notâ illa aspergi potuissent quotquot à quatuordecim & amplius seculis in Ecclesia viri sancti, gemitibus inenarrabilibus ingemuerunt, & deplorârunt suorum temporum misseriam, considerantes quomodo *obscuratum esset aurum, & mutatus color optimus*; primus, inquam, ille sanctitatis Christianorum splendor? Quis ambigat, quin Viri illi subinde tacti dolore cordis intrinsecùs, in hæc aut similia verba eruperint, *O tempora! o mores.*

Nam forsan existimat R. V. nullas esse hodie causas gemituum & lachrymarum? » Probabilistæ quidem nihil sau- » cium, nihil ægrum in Ecclesia vident, ait R. P. Contensonius » Ord. PP. Prædicatorum, omnibus malis, omnibus corruptela- » rum calamitatibus oppressam in plerisque membris Ecclesiam, » felicem ut cùm maximè & florentem prædicant.“ *Tom. 3. Diss. 6. cap. 2.* At horum numero R. V. adscribere nolo: quare nec autumo quòd eorum hac in parte sententiam probet. Duodecim lachrymarum fontes hoc seculo in libello suo *de gemitu columbæ* exhibuit Cardinalis Bellarminus. Quorum primus est: Consideratio peccati. 2. Consideratio gehennæ. 3. Consideratio passionis. 4. Consideratio persecutionum Ecclesiæ. 5. Consideratio Ordinis Sacerdotalis. 6. Consideratio Ordinum Religiosorum. 7. Consideratio status secularium. 8. Consideratio miseriarum generis humani. 9. Consideratio Purgatorii. 10. Consideratio amoris Dei. 11. Consideratio incertitudinis salutis. 12. Consideratio tentationum impedientium iter ad vitam.

Duodecim hos lachrymarum fontes si quis vel leviter consideret, intelliget quòd à tempore Bellarmini non sint obturati, sed indies magis & magis videantur dilatari, & copiosiorem scaturire lachrymarum materiam; ut & inde facilè esset vidire, quàm meritò etiam hodie veri Ecclesiæ filii gemant & suspirent, & ex intimo cordis dolore erumpant in hæc: O TEMPORA! O MORES! atque ita plusquam sufficienter ostensum apparet, quàm perniciosè R. V. tanquam *notam* hominis invidiosi ponat, erumpere in hæc: *ò tempora! ò mores!* verùm cùm per occasionem in dictos lachrymarum fontes inciderim, non ingratum aut inutile lectori futurum autumo, si quartum gradum, qui est *consideratio persecutionem Ecclesiæ* parumper expendam, atque ostendam, quòd inter persecutiones, quæ fontem illum Bellarmini constituunt, una sit, quæ hodiæ Ecclesiæ filiis uberiorem præ illis, quas Bellarminus ponit, lachrymarum copiam, suppeditare possit.

In prædicto lachrymarum fonte Bellarminus proponit tres persecutiones, sub quibus Ecclesia aliquando sudavit. 1. à Tyrannis gentilibus: 2. ab Hæreticis & Schismaticis: 3. à malis Catholicis.

Inter has persecutionum species indubiè prima omnium minima est, si tamen persecutio dici debeat; cum per illam Ecclesiæ

clesia, efficeretur pulchrior ac redderetur gloriosior, nec diminuebatur, sed augebatur; videbat enim filios vita eripi temporali, donari verò æterna; cernebat filios in mansuetudine agnorum superare lupos; imò quod nonnunquam oves imbelles ferocissimos leones in naturam ovium converterent. Si sanguis filiorum fundebatur, semen erat unde ipsa redderetur fœcundior; *sanguis* enim *Martyrum semen erat Christianorum.*

Secunda, quæ ab Hæreticis, nonnihil nocentior Ecclesiæ fuit, quia non corpora jam, sed animæ filiorum invadebantur; & filios suos per hæreticorum versutiam & artificia frequentiùs in errorem, & per errorem in æternum exitium præcipitari videbat.

Hâc tamen magis nociva & periculosa fuit tertia, quam à *pravis Catholicorum moribus* passa fuit. Per mala quippe exempla Domesticorum filios suos pusillos in vitia atque animarum exitium ruere videbat, idque eo frequentius quàm per Hæreticorum versutias & artificia, quo Bella intestina & domestica solent esse periculosiora quàm externa, & hostis internus minus caveri quàm externus potest: unde illud S. Bernardi *Amara* (Ecclesia) *in nece Martyrum, amarior in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus Domesticorum.* Serm. 33. in Cant.

Tribus illis jam descriptis Ecclesiæ persecutionibus, quarta multò amarior additur, quæ hisce posterioribus seculis Ecclesiæ supervenit: » Ex summa illa luxuriantium ingeniorum licen» tia, ut loquitur Alexander VII. *in Decret. ad* 45. *proposit.* » quæ indies excrescere cœpit, per quam in rebus, ad cons» cientiam pertinentibus, modus opinandi irrepsit alienus om» ninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doc» trina, & quem, inquit Pontifex, si pro recta regula fideles in » praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ christianæ cor» ruptela. «

Quis nesciat, quantam in moribus filiorum suorum corruptelam ex illa *luxuriantium ingeniorum licentia* Ecclesia conspicere, & pene impunè, sed dolens tolerare cogatur? Ex quo per illam ingeniorum licentiam eo deventum est *ut ferè liceat* (teste Card. Bonâ *in Princip. vitæ Christ. part.* 2. §. 46.) *quidquid lubet*: præsertim postquam illa licentia in tantum sibi habenas in doctrina morum relaxavit, ut pro regula morum non *Veritatem* sed *probabilitatem* ponere ausa fuerit.

» Cum enim ferè sit veritas moralis (verbis loquor Prosperi » Fagnani, *ad Cap. ne innitaris*, ✠ *De Constit.*) quæ plausibili » aliqua ratione opugnari non possit, nulli dubium est, *quin* » *omnis regula morum possit everti ex libertate opinandi*, non » modo in præceptis humanis, verùm *etiam in Divinis & Na» turalibus*, dum de ipsis interdum non occurrunt nobis ra» tiones demonstrativæ: *unde his temporibus eo res producta est*, » ut nullus ferè sit articulus in moralibus, in quo non sit va» rietas vel contrarietas opinionum: adeo ut in solo Opere non » ita pridem impresso Resolutionum Moralium Anton. Dianæ, » numerentur in unum collectæ quæstiones supra ter mille cum » opinionibus, & Auctoribus pro utraque parte affirmantibus, aut » ambas esse probabiles, aut unam probabilem, & alteram pro» babiliorem & in quibus ferè omnibus agitur de peccato mor» tali: ut de *Sacramentis*, de *Censuris*, de *Votis*, de *Jejunio*, » de *restitutione* & aliis hujusmodi, quæ complectuntur uni» versam fere materiam ad forum conscientiæ pertinentem. » Quem scribendi morem passim observant & alii plures ex » recentioribus Theologis. Quare, pergit idem Fagnanus, hæc » doctrina probabilitatum videtur fovere veluti QUANDAM LI» BERTATEM CONSCIENTIÆ, ac proinde magnopere indigere » dexterâ Dei, & Beatissimi Rom. Pontificis provisione, ne vene» num jam piùs nimio dilatum ulteriùs serpat. «

Deinde prædictus Canonista, quod generalibus terminis dixit, specialibus exemplis demonstrare pergit eo loco ubi agit de innumeris ferè opinionibus falsis (verba ejus sunt) » teme» rariis & scandalosis, quæ ex libertate eligendi quascunque » opiniones probabiles, *tanquam ex equo Trojano* indies prodeunt » & quamplurimæ pallio probabilitatis tectæ traduntur in Scrip» toribus nostri temporis quæ revera non sunt tolerandæ. «

Hæc Fagnanus, quibus pluribus ex laxioribus illis propositionibus ibidem relatis, tandem laudare non dubitat quemdam Jurisconsultum, *quod hic retundis*, ut ait, USUM PROBABILITATEM USSU COMMENTUM DIABOLI, AD ENERVANDAM VIM PRÆCEPTORUM.

Cum Ecclesia nihil sibi nocivum reputet, nisi quod filios suos à custodia Mandatorum Dei & Fidei puritate avocat, ex dictis facilè ostendetur quod hæc postrema persecutio triplici ex capite sit nocentior persecutione illâ, quam Ecclesia à pravis domesticorum moribus passa est, aut patitur.

Primò quidem, quia dum Ecclesia seculis præcedentibus à pravis Domesticorum moribus persecutionem patiebatur; etiam qui malè vivebant, pessima sua facta quantum poterant, tegere solebant, juxta illud à malis usitatum, *cautè, si non castè*; sententiæ verò illæ perniciosæ & scandalosæ non teguntur, sed publicantur. Accedit quòd qui pravis moribus sunt, sæpè solent etiam illa quæ ipsi clam perpetrant, publicè condemnare, & alios inducere & hortari, ut illa vitent, econtra perniciosæ sententiæ populo ut licitæ proponuntur, imò si quis illas impugnare, aut ab eorum praxi homines avocare velit, nescio quæ statim illi oppositiones fiant; quod R. V. ex iis, quæ Romæ in ultima deputatione Lovaniensium contigerunt, plus sat notum est.

Quis hinc non videat, multo majus salutis periculum fidelibus imminere à scandalosis illis sententiis, quæ publicè ut licitæ proponuntur & defenduntur, quàm ordinariè à pravis catholicorum factis quæ occultari, imò & improbari ab ipsis auctoribus solent.

Secundò, persecutio, quam Ecclesia patitur à pravis Domesticorum moribus, sæpiùs intra certos eosque non adeo diffusos limites concluditur: ex. gr. si Episcopus aliquis cum Clero suo malè vivat, scandalorum occasio ordinariè extra Diœcesim vix se extendit, neque alterius Provinciæ aut Regni Episcopos, aut populum inficere solet; aliud omninò est de illis perversis doctrinis.

Ponamus enim, quòd una tantùm ex scandalosis illis sententiis animarum perniciem inferentibus, libro aliquo contineatur, hic liber si imprimatur, nonne vel unum exemplar poterit inficere doctorem unum, qui dogma illud discipulis suis postmodum proponens & persuadens, etiam Diœceses, Provincias, imo & Regna integra inficiant; quid sit, ut natum est fieri, mille, aut etiam millena sint libri illius exemplaria?

Quod si hæc infectio vel per unius perversi dogmatis divulgationem contingere possit, perpendat, quæso, pius Lector, quæ timenda sit infectio ex tot centenis perversis sententiis, quæ non uno libro, sed centenis continentur, quorum ut minus centena imo nonnunquam millena exemplaria quaquaversum sparguntur, & Theologis ac Canonistis traduntur, ut ex illis morum principia ad se aliosque regendos accipiant; quid verò inde aliud sperandum, quàm quod tandem *Sal terræ*, id est, Episcopi, Pastores, aliique populi Rectores, perversis illis sententiis *infatuetur*, atque ita compleatur tristis illa Ezechiëlis Prophetia: *Prophetæ tui Israel.... vident vana & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus: cùm Dominus non miserit eos: & perseveraverunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem locuti estis? & dicitis*, ait Dominus, *cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus; & erit manus mea super Prophetas, qui vident vana & divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, & in Scriptura Domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: & scietis, quia ego Dominus Deus. Eo quòd deceperint populum meum dicentes: Pax, & non est pax: & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.* Cap. 13. v. 7. 8. 9. 10.

Tertio, Ecclesiæ nocentior est persecutio à pravis Catholicorum sententiis quàm à pravis horum exemplis, ex eo, quod infectio, quæ à pravis exemplis est metuenda, morte malè viventium ordinariè cesset, aut saltem admodum flaccescat; at illa infectio, quæ ex pravis illis ac scandalosis sententiis provenit, nullatenus morte Auctorum cessare, quin nec diminui solet, imo non rarò plùs augetur, eo quod sæpiùs non desint, qui Auctores cœco quodam affectu *indifferenter*, modò ejusdem secum fuerint instituti, credant pro viribus extollendos.

Nonne jam dudum obiit Thomas Sanchez, qui tamen nec hodie per librum suum asserere desinit, ut est apud Fagnanum *ad Cap. ne innitaris* ✠ *De Constit. num.* 30. » Posse Consul» torem animarum modo juxta unam, modo juxta aliam opi» nionem consulere, & quandoque prudenter facere minùs pro» babilem & minùs tutam opinionem consulendo, quando judi» cat probabiliorem difficilem fore pœnitenti, vel consilium pe» tenti, & citat in eandem sententiam Vazquez *d. disp.* 62. » *cap.* 9. *num.* 29. Addit Sanchez *d. c.* 9. *n.* 92. in conscientia » tutum esse illum, qui propositum habet varios Doctores con» sulendi, donec aliquem juxta desiderium suum responden» tem inveniat. « Hæc Fagnanus.

Nunquid dudum defuncti sunt Azorius, Filiucius, aliique, qui referente Fagnano, docuerunt posse quempiam occidi, ut ejus impediatur alapa aut percussio fustis?

Similiter obierunt Gregorius à Valentia, Escobar aliique, qui eodem testante docuerunt: » Simoniam non esse dare aut » recipere bonum temporale pro spirituali, quando datur ut » motivum & non quasi pretium. « Hi omnes tametsi diu mortui, quot in has perniciosas sententias per libros, etiam hodie pertrahant, *dies Domini declarabit.*

Deinde à plurimis annis è vita discessit Antonius Diana, qui in Resolutionis suis moralibus in unum collegit, teste Fagnano, » quæstiones super ter mille cum opinionibus, & Auctoribus » pro utraque parte affirmantibus aut ambas esse probabiles, aut » unam probabilem, & alteram probabiliorem, & in quibus fe» re omnibus agitur de peccato mortali: « adeoque cum utram-

que contradictoriam illarum propositionum dicat esse probabilem, etiam dicit per principium reflexum (nimirum quòd liceat sequi sententiam etiam minùs probabilem) utramque contradictoriam in praxi esse licitam: ac per consequens nec hodie docere desinit esse licitas in praxi ter mille opiniones, quæ revera sunt falsæ: quia ex contradictoriis necesse est, ut ter mille reverà sint falsæ, licèt supponerentur esse probabiles.

Idem de omnibus Casuistis, qui libros suos similibus perniciosis scandalosis doctrinis impleverunt, dici posset, quorum plures apud Fagnanum, Vicentium Contensonium, aliosque, qui contra probabilitates calamum strinxere, videre licet.

Quis ex his omnibus non videat, quòd hæc persecutio, quam patitur Ecclesia à pravis illis doctrinis (quæ per totum terrarum orbem in libris, tum Theologorum tum Canonistarum, circumferuntur) propemodum infinitè superet illas, sub quibus ipsa unquam præteritis temporibus ingemuit: ut proinde à vero me aberraturum non existimem si ad imitationem Cardinalis Baronii *in Prol. ad annum* 900. dicam: cuncta, quæ olim passa est Ecclesia sub gentilibus Imperatoribus, vel quæ ab Hæreticis & Schismaticis, aut pravis Domesticorum moribus, comparatione horum, quæ patitur à perniciosis illis libris, sunt existimanda lusus quodammodo puerorum.

Hæc eo fine à me dicta sunt, ut quisquis est vivum Ecclesiæ membrum, atque ejus Spiritu agitur, intimum de hac misera Matris suæ constitutione concipiat dolorem, eumque sincerum ac fortem, qui, ubi se præbet occassio, foras erumpat, & in exteriores actus se diffundat; atque ita hinc primum gravis existat dolor, quòd hujusmodi perniciosa dogmata in perniciem animarum tradantur; ardens adsit desiderium imò & diligens cura, studium ac labor adhibeatur, secundum mensuram uniuscujusque, ut eliminentur; atque ipsa Evangelii ac SS. Canonum doctrina suo splendori restituatur.

Patet quoque ex illis, quæ in descriptione hujus persecutionis dicta sunt, quod si unquam veris Ecclesiæ Fidelibus fuerit tempus gemituum & suspiriorum, hodie sit, adeoque nec esse culpandos, si subinde ex vehementia doloris erumpant in hæc: *O tempora! ô mores!*

§. V.

Reflexio ad cætera in descriptione Jansenistæ *adducta.*

ULteriùs hominis exotici sub nomine *Jansenistæ* imaginem exprimere volens scribis: *Vita ejus est perpetua satyra, qua invehitur in mundum, cùm tamen ipsa insectatio amorem mundi non obscurè testetur.*

Nonne R. P. vita Christi *perpetua* quodammodum *satyra* fuit, *qua invehebatur in mundum?* Audi, quæso, de hac insectatione quærentes amatores mundi. *Circumveniamus*, inquiunt, *justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata Legis & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promitit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in* TRADUCTIONEM *cogitationum nostrarum*, GRAVIS EST NOBIS ETIAM AD VIDENDUM, QUONIAM DISSIMILIS EST ALIIS VITA ILLIUS, *& immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam* NUGAGES *æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab* IMMUNDITIIS *& præfert novissima Justorum, & gloriatur patrem se habere Deum.* Sap. 2. v. 12. & seq.

Nec tantùm vita Christi, sed omnium, *quos* Deus *præscivit & prædestinavit* CONFORMES *fieri* IMAGINIS FILII SUI, *satyra quædam* est, quia in *mundum invehuntur*; & ideo mundus eos odit: *Mundus*, inquit Veritas, *Joan. 17. v. 14. eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo:* & Joann. 15. v. 19. *Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*: quasi diceret: quia vitâ & moribus hominibus mundanis estis dissimiles, *propterea odit vos mundus* seu homines mundani.

Num igitur Christus ejusque veri Discipuli, quorum vita continua *quædam satyra* est, *qua in mundum*, id est, regulas mundi *invehuntur, ipsa sua insectatione non obscurè testantur amorem mundi?* Non apprehendo, quòd R. V. id dicere intenderit: illud videris Lectori persuadere voluisse, quòd similis vita, si in homine, quem sub nomine *Jansenistæ* exoticum reddere intendis, reperiatur, *non obscurè testetur amorem mundi.* Itane verò R. P. vita conformis vitæ Christi, quæ sit *continua* quasi *Satyra*, qua verus Christianus moribus suis invehitur in corruptissimos mores mundi, eo solo titulo dicenda *non obscurè testari amorem mundi*; quia reperitur in homine, quem placet sub nomine *Jansenistæ* reddere exoticum? Quis R. P. hanc tibi impertit potestatem ut actiones ex se sanctissimas, imò ipsum certissimum hominis Christiani characterem adeò sinistrè interpreteris? Hæccine Augustiniana charitas *quæ non cogitat malum?*

Hanc tuam *Jansenistæ* descriptionem, si composuerint nescio, saltem non improbarent, qui in Regno Siam Episcopos sanctissimos, eorumque sodales Sacerdotes seculares, *buccinant buccis concrepantibus* FICTITIÆ VIRTUTIS *esse homines, eò quòd sint* ut ajunt, JANSENISTÆ. Num eorum Catalogo adscribi velis, tu videris.

Progrederis in efformationem hominis illius quem sub nomine JANSENISTÆ invidiosè depingis: *Est*, inquis *magnus suæ gentis aut Academiæ, in qua natus est aut institutus, admirator.*

Quod de Academia dicis, non dubito, quin hanc nostram Lovaniensem designare velis. Profiteor me illius præ aliis Academiis laudatorem, num ideò culpandus? An fortè nulli illius Academiæ laudatores nisi qui sub nomine *Jansenistæ* invidiosè traducuntur? Attende qui dicas; dubito num omnibus Exim. Magistris tuis id placebit.

Cætera quæ in descriptione *Jansenistæ* R. V. adducit missa facio; ejusdem enim cum præcedentibus farinæ sunt, & voces, quæ in quemlibet mortalium eo modo conjici possunt, quo illa à R. V. in hominem sub nomine *Jansenistæ* invidiose depictum, conjecta fuerunt.

Interim expendat, quæso, R. V. quàm perniciosa, ne dicam malitiosa sit, quam reproducis, *Jansenistæ* descriptio. Facta sanctissima dicis esse *notas* hominis invidiosi; quo natum est fieri, ut Viri Sanctissimi *notâ* hominis invidiosi notentur. Imò ipsum vitæ christianæ præcipuum & certiorem characterem, vitam nimirùm mundo contrariam, Hypocriseos insimulas, quia in homine quem sub chimerico *Jansenistæ* nomine traducere placet, reperitur.

Erit aliquando tempus R. P. quo videbis quàm perniciosa Ecclesiæ fuerit hæc *Jansenistæ* descriptio.

APPENDIX.

NON dubito R. P. quin omnibus quæ vel apparenter in Libello tuo doctrinæ meæ opposita fuisse videntur, plenissimè satisfactum sit: adeoque manum à scribendo retractassem, nisi *pag. 102. libelli tui*, insinuares, quòd tempore opportuno dictis meis contra P. Lupum aliquid forsan esset reponendum. Quod ipsum quidam Ordinis tui Professor in Thesibus suis jam ante innuerat.

Ut igitur ille, qui adversus Dissertationem meam scribere intendit, directiùs puncta principalia doctrinæ in illa assertæ oppugnet, nec relictis punctis præcipuis extravagetur ad ea, quæ nihil aut parum ad rem faciunt (ex. g. an leges Justinianæ unquam fuerint receptæ in Gallia) volui breviter proponere puncta principaliora, quæ in Dissertatione mea adstruxi.

In prima parte Dissertationis ostendere animus fuit, quòd professio Religiosorum in communi viventium necessariò secùm trahat omnimodam rerum temporalium, *etiam quoad usum*, in particulari abdicationem; non secus ac si quis omnia sua vendidisset, & pretium absoluta ac simplici donatione in pauperes distribuisset, atque ità necessaria sua, tanquam pauperes a Superioribus exspectaret.

Secundò, quòd eadem secum trahat perfectam ac omnimodam rerum omnium communionem, talem nimirum, ut res omnes Religiosis undecumque & quavis ex causa obvenientes, in unam communem massam redigantur, ut ex illis omnium necessitatibus *indifferenter* succurratur.

Hanc meam assertionem probavi: 1. Ex verbis Christi quibus Consilium Evangelicæ paupertatis expressit, & normà vivendi primorum Christianorum. 2. Ex Regulis SS. Augustini & Benedicti. 3. Ex decreto Concilii Trid. accedente præsertim declaratione Clementis VIII. aliorumque Pontificum, qui illam Clementis declarationem probarunt. 4. Ex decretis particularium Conciliorum ostendi, dicta mea menti Synodi Trid. esse conformia.

Ex hoc meo Asserto ita confirmato, varia esse consectaria ostendi. 1. Quidem contra votum paupertatis peccare, qui rem quamcunque, etiam minimam, ita volunt *suam* esse, ut nequidem pro arbitrio Superioris velint esse communem, hosque Ananiæ & Saphiræ imitatores esse asserui.

Secundò, consectarium dixi, quòd reservatio redditumm vitalitiorum, aut alterius peculii *ad usus particulares* unius Religiosi adversetur communioni bonorum, & voto paupertatis, tametsi ille, in cujus usus illa reservantur, *verè* paratus sit illa ad nutum Superioris abdicare, ut in communionem redigantur, aliorum usibus indifferenter applicanda: quia non obstante illâ dependentiâ à nutu Superioris verum manet (ut in Dissertatione latiùs est ostensum) quòd stante illâ reservatione *revera* non sit inter Religiosos perfecta vitæ communio, atque adeò pro illo tempore recedatur ab eo, quod ad substantiam vitæ cœnobiticæ spectat: *Cùm* tamen, *compertum sit* (ut loquitur Synodus Trident. *Sess. 25. de Regul. cap. 1.*) *à Superioribus non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.*

Non facit quoque prædicta dependentia, quin toto illo tempore, quo redditus illi vitalitii aliudve peculium, ad *usus parti-*

ticulares Religiosi permittuntur, Religiosus ille *proprium* possidere dicatur: quia, ut in *Dissertatione* fusiùs ostendi, verus usufructus seu usus juris cum *dependentia à nutu alterius* consistit: quin imò vera proprietas, quæ in libertate utendi consistit, potest subsistere cum plena dependentia à beneplacito alterius: quod ipsum & Ordinis tui Professores agnoscunt. Unum è pluribus, qui Rev. V. non exiguæ est auctoritatis, adduco: „Certum nobis est, inquit Ex. P. Le Drou, *usum juris, etiam de quo jura loquuntur*, posse impediri, revocari, „& *à nutu alieno dependere*.... idem censemus de dominio, „quod de usu juris, nimirum posse consistere cum *revocabilitate ac dependentia à voluntate alterius*; sic ut non possis illa re uti, nec de illa disponere absque alterius consensu, & „illo volente tenearis etiam dominium abdicare.“ Hactenus P. Le Drou.

Ex his facilè apparet, quòd religiosæ paupertatis essentia non consistat ex natura rei (ut à quodam nuper assertum fuit) „in dependentia à nutu & dispositione Superioris firmaque animi promptitudine, ac resignatione, vi cujus, etsi precarium aliquod penes eundem habeat depositum, semper in „præparatione animi, & promptitudine cordis contentus est „carere omni eo, quo privare voluerit Superior, quandoquidem cum illa omnimoda dependentia & animi promptitudine, „non tantùm civilis & sicca quædam, sed etiam vera (quæ à „libera facultate utendi desumitur) proprietas consistat: hujus tamen abdicatio adeò annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere: cujus ratio est, *quia proprii carentia*, ut ait P. Lupus, *est „Evangelicæ perfectionis ac Monasticæ professionis portio essentialis: ideoque clarum est, quòd nec Summus Pontifex „possit in ipsa dispensare.*

Hæc fusius dicta sunt, ne quis votum paupertatis in dicta *dependentia* constituat.

Habet R. V. aut quivis alius, qui Dissertationi meæ quid opponere voluerit, mentem meam, circa principaliora puncta primæ partis Dissertationis, compendio expressam.

Præcipuum secundæ partis punctum fuit ostendere, quòd committatur Simonia per *hodiernam multorum in Belgio Monasteriorum praxim, quæ recipiendi Monachi dotem, non solùm modo sponte oblatum accipit*: SED ET EXIGIT, AC DE ILLA STIPULATUR: quodque vindicari non possit ab illo vitio, titulo transactionis super jure hæreditatis sive Ingredientis sive Parentum, prout ex Legibus Justinianæis Ex. P. Lupus prætendit.

Doctrinam P. Lupi, in quantum etiam Monasteria *opulenta* in exactione dotis ab omni simonia liberat, dixi triplici ex capite de falsitate esse suspectam.

Primò, quia adversatur unanimi Veterum & Recentiorum, nî forsan unum alterumve ex laxioribus exceperis, sententiæ: cùm igitur novitas in materia morum falsitatis suscipionem semper ingerat; per consequens hæc doctrina tanquam nova hujusmodi notam evadere non potest.

Secundò, in Dissertatione ostendi, quòd per hoc dogma nutiles redderentur Conciliorum Canones & Pontificum Constitutiones, quibus tam severè omnis pecuniæ exactio in admissione ad Religionem damnata fuit.

Tertiò ibidem demonstravi, si hic titulus sufficiens foret ad abstergendam lepram simoniacæ pravatis ad exactione dotis ab Ingredientibus Monasterium, illum Ecclesia proponere debuisset, tanquam medium facillimum ad eliminandam è Monasteriis simoniacam pravitatem, nec opus fuisset tam frequenti Canonum ac pœnarum renovatione ut malum illud extirparetur: quia, ut ostendi, vel nuda hujus tituli propositione, si legitimus esset, omnis pene simonia è Monasteriis fuisset eliminata.

His præmissis ut probarem, quòd primo etiam intuitu dogma illud de falsitate esset suspectum, postmodum ostendi, quòd ne quidem stantibus Legibus Justinianæis quidquam ab Ingrediente, aut ejus Parente exigi potuisset titulo *transactionis super jure ad hæreditatem*, quod post professionem posset prætendere, quia ut ostensum fuit, à libera Ingredientis voluntate pendet, etiam secundum Leges Justiniani, nùm Monasterium ullum jus ad hæræditatem sit habiturum, quandoquidem, ut probavi, jus ad hæreditatem Ingredientis Monasterio post professionem non competat, si Novitius in alterius favorem disposuerit, neque etiam ad hæreditatem Patris, si Ingrediens hæreditati paternæ, saltem cum juramento, renuntiaverit.

Similiter licèt filius hæreditati non renuntiet, cogi tamen non potest Pater, ut *quid modici det pro grandi futuro*: quia ut ibidem probavi, dependeat à voluntate Patris, an transigere velit super jure quod Monasterium ad legitimam ex persona filii prætendere posset, casu quo Patri filius superviveret; an verò incertam eventûs aleam expectare malit.

Ex quibus consectarium ostendi, quòd quidquid ex Constitutionibus Justiniani, vel ab Ingrediente aut illius parentibus *pro jure ad hæreditatem* Monasteria sperare possint, id totum à recipiendi aut Parentum *liberalitate* sit exspectandum; quandoquidem & Parentes transactionem abnuere posint, & recipiendus liberrimè, etiam nullo dato, Monasterium à suis & paternis bonis valeat excludere.

Deinde probavi, quòd etsi daremus titulum illum sufficientem fuisse vigentibus legibus Justinianæis (quod nec speciem veri habere satis evidenter evici) hodie tamen præsertim in Gallis & Belgio subsistere non posset: quia leges illas Justiniani tum per edicta Principum, tum per inveteratam consuetudinem ibidem esse abrogatas fusius ostendi, ita ut Monasteria nec in hæreditatem ingredientis aut Parentum illius, licet per Testamentum expressè non sint exclusa, amplius *ab intestato* succedant.

Probavi quoque, per prædicta Principum edicta & Patriæ consuetudines Monasteria, quoad successionem in hæreditatem Monachi, reducta esse ad jus illud quod ante Justinianum viguit; neque illa in speciem immunitati aut libertati Ecclesiasticæ contrariari; malè & illa cum Lege *amortizationis* per Patrem Lupum confundi.

Habet igitur R. V. præcipua puncta doctrinæ quæ in Dissertatione adstruenda assumpsi: si quid ulterius Reverentia Vestra aut quis alius Dissertationi meæ opponendum censuerit, rogo, ut his punctis opponat, neque ad minutoria quæ parum aut nihil ad principale Dissertationis punctum faciunt, deflectat.

Omnia quoque quæ personam magis quàm doctrinam respiciunt, omittantur, ut ex omnibus, quæ scribuntur appareat, quòd non ex passione suam aut suorum sententiam defendendi, sed ex puro amore *Veritatis* procedatur, quo perveniamus aliquando ad regnum illud ubi *Rex* VERITAS, *lex Charitas, modus Æternitas*: *cujus Regni non erit finis.*

APPENDIX
AD VINDICIAS
DISSERTATIONIS CANONICÆ
De Peculiaritate & Simonia.

In qua respondetur ad objectiones Professorum Ordinis Eremitarum S. Augustini contra prædictam dissertationem. Et speciatim agitur de *Dominio*, quod habere dicuntur *Scholares* Societatis Jesu: & de jure quod Monasteria habent ad bona ingredientis.

CAPUT PRIMUM.

DE HIS, QUÆ PRIMAM DISSERTATIONIS PARTEM SCILICET DE PECULIARITATE CONCERNUNT.

PARAGRAPHUS I.

Vera proprietas non tantùm accidentaliter *& jure positivo, sed* essentialiter *Statui Religioso repugnat.*

» NEc æstimet Abbas (inquit Innocentius III. in *Cap.* 6. ✠ *De Statu Monach.*) quod super habenda proprietate » possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio *pro-* » *prietatis*, sicut custodia castitatis adeò est annexa Regulæ Mo- » nachali *ut contra eam nec* SUMMUS POTINFEX *possit licen-* » *tiam indulgere.*« Rationem reddit P. Christianus Lupus, » proprii carentia, inquiens, est Evangelicæ perfectionis ac » monasticæ professionis portio *essentialis*, ideoque clarum est, » quòd nec Summus Pontifex possit in ipsa dispensare.« *Parte* 4. *Schol. ad Can.* 6. *Concil. Tholos.*

Scio quidem, Innocentium aliosque nonnullos tum Canonistas, tum Theologos, docere Pontificem posse dispensare super voto solemni Religionis: verum advertendum, ut rectè notat Fagnanus ad *Cap. Cum ad Monast.* ✠ *De Statu Monach. num.* 67. » quia opinio innocentii & sequacium non ita est » intelligenda, ut *Monachus*, *quandiu* MANET *Monachus*, ex » dispensatione Papæ sit solutus à voto continentiæ & pauper- » tatis; quia implicat contradictionem, ut quis maneat Mo- » nachus, & non habeat *essentiam* Monachatus, quæ consistit in » tribus votis substantialibus; & ideo, ait Fagnanus, Papa effi- » cere non potest, ut quis eodem tempore sit Monacus, & ha- » beat uxorem vel *proprium.*«

Abdicatio proinde *proprietatis* taliter annexa est Regulæ Monachali, ut nec per Pontificem ab illa avelli possit.

Consequenter dominium, quod communiter *proprietatis* dicitur, & consistit in libera facultate disponendi de re aliqua in PROPRIUM *usum*, non tantùm jure *Ecclesiastico* & *positivo* statui religioso repugnat, sed *essentialiter*. Si enim jure duntaxat *positivo* statui religioso opponeretur; quis ambigat, quin Pontifex indulgere posset Monacho manenti Monacho *proprietatem*?

Quidquid verò in tota Dissertationis meæ primâ parte de incompatibilitate *dominii* cum statu religioso dictum est, de hoc *Proprietatis* dominio assertum fuit: ut variis locis expresse monui, & rursus in Vindiciis dissertationis *pag.* 68. repetii. Quod ergo R. P. Pauwens Ord. Eremit. S. Augustini, aliique ejusdem Instituti Professores dixerunt: *Essentia paupertatis religiosæ consistit in eo, quod Religiosus de nulla re possit disponere, nulla re possit uti, nisi* DEPENDENTER *à voluntate & consensu sui Superioris*: *estque huic paupertati* ACCIDENTALE, *quod sit sine* DOMINIO, *& rerum* PROPRIETATE, *sive cum illis.* In *Thesi def.* 11. *Decemb.* 1684. Si inquam, illud intelligant de *dominio* quodam *civili*, quale cum voto *simplici* paupertatis consistit, neque tribuit Religioso liberam facultatem rebus illis utendi in *proprium* commodum & usum, consentio hujusmodi dominium non nisi jure *positivo* (cui ipsa solemnitas voti adscribenda est) & *accidentaliter* religiosæ paupertati opponi; taleque dominium in Scholaribus Societatis Jesu post emissionem trium votorum reperiri, eosque non obstante dicto *dominio veros Religiosos* dici posse non repugno. Si verò intelligant de dominio *Proprietatis*, vi cujus Religiosus de re aliqua in PROPRIUM *suum commodum & usum* queat *liberè* disponere, ex prædictis patet, evidenter falsum esse, paupertati religiosæ esse *accidentale* quod sit sine *dominio* & rerum *Proprietate*, sive cum illis. Si quippe accidentale tantùm esset, indubiè per dispensationem Pontificis fieri posset, ut Monachus *Proprietatem* haberet. Nec verum esset: abdicatio Proprietatis ita est annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex licentiam posset concedere. » Quod enim dominium & Proprietas non repugnet sta- » tui religioso, (ait prædictus R. P. Pauwens) patet ex institu- » to Societatis Jesu, cujus Scolares primæ & secundæ professio- » nis certum est veros esse Religiosos, & tamen rerum suarum » dominium habent, licèt de illis disponere nequeant sine con- » sensu & beneplacito Superioris, per quod vere pauperes » sunt.«

Rursus respondeo, prædictos Scholares post emissionem voti *simplicis* paupertatis retinere dominium *civile* bonorum suorum: cujus dominii duo præcipui in Constitutione *Ascendente Domino* notantur effectus. Quorum primus est, quòd bonorum suorum, *summo jure*, etiam *existentes* Religiosi maneant *Domini*; eum in finem, ut si eos per Præpositum Generalem è Societate dimitti contingat, suisque votis liberari, bonis suis quorum dominium civile retinuerunt, *liberè* uti possint; adeoque quandiu *manent in Societate & veri* Religiosi tribus votis Religionis *simplicibus* adstricti, civile duntaxat dominium retinent, *dimissi* verò, & à *votis liberati*, dominium etiam *proprietatis* recuperant.

Alter verò effectus illius dominii exprimitur in prædicta Constitutione, ut nimirum in vim illius possint ante ultimam professionem bona sua in *pauperes seu alios pios usus distribuere*. Quæ rursus distribuendi facultas, ad summum arguit *dominium civile*, nec voto paupertatis simplici, nec statui religioso essentialiter repugnans. Sic enim etiam Justiniani tempore, si quis Paterfamilias liberos habens Monasterium ingressus esset, in eoque professionem emisisset, permittebatur eidem bona sua inter liberos distribuere, si ante ingressum de illis non disposuisset, ut *p.* 2. *Dissert. cap.* 2. §. 3. notatum fuit.

Si verò sermo sit de dominio proprietatis, quod secum trahit *liberam* disponendi facultatem in *usum & commodum* PROPRIUM, iterum dico, hujusmodi dominium inter & statum religiosum esse repugnantiam non *accidentalem* sed *essentialem*: neque Scolares Societatis Jesu *manentes* in Societate, & *Religiosi* simile dominium retinent: *interim enim*, ait Pontifex, *quantum ad* ILLORUM USUM (*Nota Benè*) RELIGIOSAM PAUPERTATEM *servant, nec ulla re tanquam propria & sine Superioris facultate uti possunt.* Quantum igitur ad eorum usum, illis uti seu dissponere nequeunt in *proprium* usum; sed usum illorum *simplicem* (qui idem est cum *usu facti*, ut inferiùs ostendimus) à Superiore accipere, & cum ejus dependentia habere jubentur.

Ut ergo verbo absolvam; Scholares Societatis Jesu post emissionem trium votorum simplicium, quantum ad dominium *proprietatis*, quandiu Religiosi permanent, reliquis Religiosis per omnia sunt similes. Quod verò ad dominium *civile* attinet, sunt *Religiosi* quales erant Monachi, priusquam *solemnitas* votis Religionis esset annexa, in hoc duntaxat dissimiles, quòd votis illis simplicibus non adstringantur, nisi quandiu in Societate manent; è qua ex causa rationabili per Generalem dimitti possunt.

§. II.

Vera proprietas, etiam Anti Evangelica *consistit cum* dependentia *à nutu & beneplacito Superioris.*

IN prima Dissertationis meæ *parte cap.* 1. §. 4. *Coroll.* 2. ostendi, *Proprium* seu *veram Proprietatem*, quæ consistit in libera facultate utendi re aliqua in *usum & utilitatem propriam*, posse consistere cum plena dependentia à nutu & beneplacito Superioris; adeoque ut Religiosus (verba sunt Prosperi Fagnani ad *Cap.* MONACHI ✠ *De Statu Monach.*) verus usufructuarius (*Nota Bene*) dicatur, nihil referre, an administratio possit eidem auferri ad nutum Abbatis, siquidem hoc non tollit quin durante administratione habeant jus utendi, fruendi; unde propriè dici potest *usufructuarius ad beneplacitum.*

Hoc meum assertum, quod nemo aut Canonistarum aut Theologorum, ut credo, negare ausit, in Vindiciis meis *pag.* 100. probari quoque Exim. P. Lamberto Le Drou ex ejusdem

P.

P. Thesi *def. in Augusto anno* 1675. demonstravi: verba ejus repeto. » Certum nobis est, inquit, usum juris etiam de quo ju» ra loquuntur posse impediri, revocari, & à *nutu alieno depen» dere.* (*Nota Bene*) Idem censemus de dominio, quod de usu » juris, nimirum posse consistere cum *revocabilitate ac depen» dentia à voluntate alterius*, sic ut non possis illâ re uti, nec » de illa disponere absque alterius consensu, & illo volente te» nearis etiam dominium abdicare. «

Ex quibus, in Vindiciis meis, intuli » quòd religiosæ pau» pertatis essentia non consistat ex natura rei (ut nuper asser» tum à R. P. Clenaërts in *Thesi def. in Augusto ann.* 1684.) » *in dependentia à nutu & dispositione Superioris firmaque ani» mi promptitudine ac resignatione, vi cujus etsi precarium ali» quod penes eundem habeat depositum, semper im præparatio» ne animi & promptitudine cordis contentus est carere omni eo, » quo privare voluerit Superior.* Quandoquidem, subjungebam, » cum illa omnimoda dependentia & animi promptitudine, non » tantùm civilis & sicca quædam, sed etiam vera (quæ à libera » facultate utendi desumitur) Proprietas consistat. «

His meis Vindiciis prædictus R. P. Thesim aliam *def. in Decemb.* 1684. opponens, illi meo asserto reponit: » Fallor ni » Vir CLARISSIMUS *obscuram hanc consequentiam faciat. Juxta » Exim. Patrem* (addat omnes Instituti Societatis Jesu ex re» verentia Apostolica Approbatores) *juxta*, inquiet, *Eximium » Patrem usus juris, imò dominium potest consistere cum revo» cabilitate, ac dependentia à voluntate alterius: ergo religiosæ » paupertatis essentia non consistit ex natura rei in dependen» tia à nutu & dispositione alterius.* « Vim argumenti quis capiat? Quis consequentiam videat? Ego saltem sine luce non obambulo tenebras, lumen præbe VINDEX CLARISSIME.

» Probo, inquiet, consequentiam, si enim ea foret religio» sæ paupertatis essentia, posset consistere etiam cum usu ju» ris & dominio, adeoque cum veri nominis Proprietate, quæ » statui religioso repugnant. Hinc tota hallucinatio. Ita, DOC» TOR CLARISSIME, qui malè distinguit, malè docet. Oporte» bat, si in jure tuo discrimen non legeras, consulere Theo» logos, & circa eximias Theses illuminari, ne festinans cœcum » pareres catulum. Distinguenda est igitur proprietas juridica ab » Anti-Evangelica illa, quæ statui religioso repugnat. Anti» Evangelica est, secundum quam aliquis inscio Superiore quid» piam recipit, detinet, vel exponit; atque ab illius nutu non » vult esse dependens coram Deo, & Hominibus. Huic oppo» nitur paupertas Religioso statui essentialis suprà exposita. Pro» prietas juridica est Claritati Vestræ nota clarissima. Utique do» minium importat. Porrò hæc non opponitur paupertati præfa» tæ, nisi adjunctam habeat independentiam à voluntate Prælati; » quod ex dictis ostendo: in Scholaribus Societatis Jesu, utpo» te veris Religiosis est vera religiosa paupertas huic statui es» sentialis: atque in illis est vera proprietas juridica, seu do» minium; exceptâ solâ independentiâ à voluntate Prælati: er» go illa Proprietas juridica seu dominium non repugnat pau» pertati religiosi, nisi adjunctam habeat independentiam à vo» luntate Prælati. « Hæc ille.

Prætermissis itaque quæ ex humanistico pulvere in me congessit, dicteris (graviora deinceps à Doctorali bireto expectans) credo consequentiam à me factam adeò claram, ut soli *obambulantes tenebras lumine egeant*, quo eam percipiant. Quid enim hac ratione clarius? *Usus juris*, etiam de quo jura loquuntur, potest *impedire*, *revocari*, *& à nutu alieno dependere.* Item dominium potest consistere cum *revocabilitate*, *ac dependentia à voluntate alterius*, sic ut non possis illa re uti, nec de illa disponere absque alterius consensu, & illo volente tenearis etiam dominium abdicare, ergo *religiosæ paupertatis essentia* non consistit ex natura rei in *dependentia* à nutu & dispositione alterius: quandoquidem cum illa *omnimoda dependentia & animi promptitudine* consistat *verus usus juris & verum dominium*; » cùm tamen abdicatio proprietatis, sicut, & » custodia castitatis adeò sit annexa Regulæ monachali, ut con» tra eam nec *Summus Pontifex* (*nota bene*) *possit licentiam » indulgere.* « Cap. 6. ✠ De Statu Monach.

At dicit Eruditissimus Thesista: » Distinguenda est Pro» prietas juridica ab Anti-Evangelica illa, quæ religioso statui » repugnat. Anti-Evangelica est, secundum quam aliquis inscio » Superiore quidpiam recipit, detinet, vel exponit, atque ab » *illius nutu* non vult esse *dependens* coram Deo & hominibus.“

Verùm quàm hæc distinctio sit frivola, quis vel leviter attendens non videat? Quasi Patres & Concilia ac Romani Pontifices, & inter alios Innoc. III. Summus Juris Cons. dum uno ore pronuntiant abdicationem *proprietatis* & *Juris* statui Religioso esse *essentialem*; Monachosque *proprietarios* voti sui violatores pronuntiant; de alia *proprietate*, quàm de *vera proprietate* propriè sumpta loquantur. Quæ, cùm juxta jam dicta, cum *plena dependentia à nutu*, *& beneplacito Superioris* consistat, si in Religioso reperiatur, Anti-Evangelica erit: utpote opposita consilio Evangelico (quod per votum transivit in præceptum) *veram proprietatem* non compatienti.

Argumentum, quod à Scholaribus Societatis Jesu assumitur, *ex dictis præcedenti paragrapho* nullo negotio solvitur. Nec enim verum est, quod intrepidè Eruditissimus Thesista, aliique ipsius Confratres audacter asserunt, in illis esse *veram propietatem juridicam*, exceptâ *sola independentia* à voluntate Superioris: nec enim in prædictis Scholaribus *vera* Proprietas, quæ à *proprio* seu libertate disponendi de re in utilitatem *propriam* dicitur, reperitur; sed solum dominium *civile*, vi cujus, quandiu manent voto paupertatis simplici obstricti, nullatenus in utilitatem & *usum proprium* liberè disponere possunt; ne quidem *dependenter* à voluntate Superioris; sed *simplicem usum necessariorum*, seu *usum facti* à Superiore recipiunt, quo *dependenter ab ejus beneplacito*, & *nutu*, ut *veri* Religiosi utuntur.

Interim (id est, quandiu manent Scholares) inquit Gregor. XIII. *quantum ad illorum* USUM, *religiosam paupertatem servant, nec ulla re tanquam* PROPRIA, *& sine Superioris facultate uti possunt.*

Fateor proinde, quòd *reverens in S. Sedem* teneatur admittere, quòd Scholares Societatis, post emissa tria vota *simplicia* Religionis, retineant *Dominium*, prout §. *præcedenti* fusiùs explicatum est; sed num satis reverentes sint in SS. Canones ac Patrum Constitutiones, qui *veram proprietatem* cum Regula monachi *solo jure positivo* repugnare asserunt; & Societatis Jesu instituto non sint injuriosi, qui audent dicere *veram proprietatem*, quæ *dependentiam à beneplacito alterius* compatitur, in Scholaribus ejusdem Societatis *veris* Religiosis reperiri, ipsi viderint. Illud scio, quod mysterio non careat, in famosa illa Gregorii XIII. Constitutione, non semel asseri Scholares Societatis post emissa tria vota Religionis, retinere *Dominium*, & ne verbo quidem insinuari, quod *proprietatem* habeant.

Habet proinde Erud. Thesista, quod optavit; nimirum ut explicarem aliter, quam per *dependentiam* à se propositam, quomodo consistat simul: Scholares Societatis esse *veros* Religiosos, & tamen retinere *Dominium*.

Ex dictis non difficulter similiter intelligitur, verum non esse, *quod infimus sit gradus paupertatis religiosæ* (ut asserit R. P. Pauwens, & verificari credit in Scholaribus Societatis) *quæ Dominium &* PROPRIETATEM *compatitur*, *non tantùm respectu Religionis in communi*, *sed etiam respectu Religiosorum* IN PARTICULARI: nullus enim, quantuncunque infimus gradus paupertatis religiosæ esse potest sine *voto paupertatis*, quod votum adeò repugnat cum retentione *veræ proprietatis*, ut nequidem per Summum Pontificem fieri possit, ut aliquis illo voto *obstrictus* simul *proprietatem* habeat, ut ex ante dictis patet.

Quapropter loquendo de *vera proprietate* (quæ à libertate disponendi de re aliqua in utilitatem *propriam* dicitur) & paupertate Religiosorum *in particulari*, nulla est distinctio inter *veros* Religiosos. Omnes enim *in particulari* omnis *proprietatis* sunt planè incapaces: quoad *usum* verò *facti* seu rerum *necessariorum*, nullus illius est incapax. Cùm igitur tota hodierna altercatio de voto *paupertatis religiosæ* versetur circa abdicationem *proprietatis* in *particulari*, impertinens planè est distinctio paupertatis religiosæ à prædicto P. Pauwens adducta, utpote, quæ non nisi *dominium civile*, vel proprietatem in communi respicit.

§. III.

Ostenditur quod distinctio inter usum facti *&* juris *desumi nequeat à* dependentia *vel* independentia *à nutu Superioris: & quid sit usus* facti.

EX dictis *Superiori* §. evidenter colligitur distinctionem inter usum *juris* & *facti* desumi non posse à *dependentia à Superiore*, quandoquidem *dependentiam* & *revocabilitatem* compatiatur etiam *vera Proprietas*. Quapropter distinctionem inde desumi non posse jam pridem E. P. Le Drou asserere non dubitavit. *Usum*, inquit in Thesi antecitatâ *dividimus in usum* JURIS, *& in usum* FACTI. *Utriusque discrimen exponit Lessius* lib. 2. de Jure & Just. c. 3. dub. 8. n. 33. *& ait*: *Notandum usum irrevocabilem à Nicolao III. Extrav.* Exiit, *vocari* USUM JURIS, *tum quia in eo habetur jus absolutum, tum quia jura de eo loquuntur. Usum autem revocabilem vocat* USUM FACTI. *Non quod in eo nihil sit juris.... sed quia non est jus absolutum, & solidum utpote ab alieno nutu dependens, donec ipso facto consumatur.* Hactenus verba Lessi, quibus reponit Exim. P. Le Drou: *At* CERTUM *nobis est, usum juris, etiam de quo jura loquuntur, posse impediri, revocari, & à* NUTU ALIENO DEPENDERE. Quid evidentius, quàm distinctionem inter usum *juris* & *facti* à dependentia aut independentia à beneplacito Superioris jam pridem à præfato Magistro fuisse rejectam? Spero posthac discipulos Magistro consensuros.

Si quis quærat, quid *per usum facti* intelligi credam? Respondeo per usum *facti* alium non intelligi, quàm *usum simplicem* oppositum *usufructui*: quem in *facto* consistere Juris-consulti asserunt, eò quod utenti non plus tribuat, quàm usura-

rio

rio *necessarium* est, eique sufficiat ad usum & consumptionem *quotidianam*, argumento §. 1. *Institut. de Usu & Habit.* & *L.* 12. §. 1. *ff. eod.* ac ideo *solo* utentis *facto* atque consumptione terminatur.

Ut igitur compendio dicam, usus *facti* est propriè usus simpliciter dictus, seu usus *necessariorum.*

Quapropter in Actis Apostolorum & Patrum Regulis nulla usus *facti* mentio occurrit; (a) ac simpliciter præcipitur, ut *unicuique detur prout cuique opus est*, quod quid aliud indicatur, nisi unicuique usum *necessariorum* esse concedendum? Quare & ipsa Tridentina Synodus nulla *usus facti* mentione injecta, *usum* rerum necessariarum Religiosis præstandum esse, *Sess.* 25. *de Regular.* præcipit: » Mobilium USUM ità Superio» res permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam » professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit; nihil » etiam quod sit NECESSARIUM eis denegetur. « Usus proinde, quem Religiosis annuendum censet Tridentina Synodus, est usus rerum *necessariarum*, quem usum *facti* dicere possumus, quemadmodum *usum* simplicem usufructui oppositum in *facto* consistere Juris-consulti volunt; eò quòd *facto* ac consumptione utentis quodammodo terminetur.

Hoc ipsum non obscurè expressit Nicolaus III. *Cap. Exiit de V. S. in* VI. » Nec per hoc, ait, quod proprietatem usus » & rei cujusque dominium à se abdicasse videtur, SIMPLICI » USUS omnis rei renuntiasse convincitur: qui, inquam, usus » non *juris* sed *facti* tantummodo *nomen* habens, quod *facti* est » tantùm, in *utendo* præbet utentibus nihil *juris*: quinimò *ne*» *cessariarum* rerum, tam ad vitæ sustentationem, quàm ad » officiorum sui status executionem *moderatus usus*: (*Nota be*» *ne*) sed secundum eorum regulam & veritatem omnimodam » concessus est Fratribus (Minoribus) quibus rebus Fratres *li*» *citè uti* possunt durante concedentis licentiâ, & juxta id quod » in præsenti serie continetur. «

Quis hinc non videat, Pontificem per usum *facti*, quem Fratribus Minoribus etiam in particulari de licentia Superioris licitum asserit, intelligere *usum* simplicem rerum *necessariarum.*

Ex his quoque non difficulter intelligitur, quòd si agatur de paupertate religiosa in *particulari*, Franciscanos strictioris observantiæ non profiteri perfectiorem gradum paupertatis præ reliquis Religiosis, utpote qui *simplicem usum rerum necessariarum de licentia* Superioris, quemadmodum cæteri Religiosi, habere possunt.

§. IV.

Duo circa usum facti *seu rerum* necessariarum *concedendum, aut concessum observanda sunt.*

USum rerum mobilium Religiosis concedendum rectè dici usum *facti*, superiùs notavimus, eò quòd necessitatibus *quotidianis* Religiosorum commesurandus sit, atque adeò utentis *facto* seu *consumptione*, ut Juris-consulti loquuntur, terminentur.

Primum quidem in concedendo *usum facti* observandum, ut Superiores illum concedant ad normam ejus, quod referunt Acta Apostolica; *distribuebatur unicuique prout cuique* OPUS *erat*: adeoque non *æqualiter* omnibus, ut ait Augustinus: » quia non æqualiter valent omnes; sed potiùs unicuique sicut » *cuique opus* (nota bene) est. «

Tenetur proinde Superior in distributione rerum necessariarum servare justitiam *distributivam*, ut nimirùm singulorum conditione & statu justâ staterâ libratis, juxta cujusque *necessitatem* distribuantur, ut latiùs in Dissertatione ostensum fuit.

Alterum circa usum *facti*, seu rerum necessariarum Religiosis concessum, sedulò observandum, & à Patribus admodum inculcatum est, *ne eorum quæ ad* NECESSITATEM (nota bene) *concessa erunt* (verba sunt Clementis VIII. *in Const.* Nullus omninò. 60. *in Bull. Rom.*) *nullus quicquam possideat* UT PROPRIUM, *neque ut* PROPRIO UTATU: Id est, ne eorum quæ Religiosus ad *necessitatem* utenda accipit, seu quorum usum *facti* à Superiore recepit, eo loco habeat, quasi in illa aliquid juris *præ reliquis* de Communitate haberet; sed illis utatur tanquam sibi *precario* ad *necessarium* usum concreditis, ac per consequens paratus sit ad *nutum* & beneplacitum Superioris, tanquam rem alienam abdicare, atque *usui* illius renuntiare; quemadmodum in Dissertatione fusiùs ostensum fuit.

Hæc rursus hîc notata, oportuit, ut appareat ea quæ de *dependentia* à nutu & beneplacito Superioris in Pontificum aut Patrum legibus dicuntur, non de *usu juris*, sed de usu *facti*, seu usu rerum, quæ ad *necessitatem* conceduntur, fore intelligenda.

Atque hinc patet omninò à mente Pontificum ac Patrum recedere, qui dicta de *dependentia* à nutu & beneplacito Superioris, reservationi redditurum vitalitiorum in *usus particulares* Religiosi applicare audent.

§. V.

Bona omnia undecunque obvenientia debent communicari, non tantùm quoad usum juris, *sed etiam* facti.

DE primitiis Christianorum referunt Acta Apostolorum: » Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: » nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse di» cebat, *sed erant illis omnia communia.* « Ne verò credantur fuisse communia quoad proprietatem duntaxat, aut usum *juris*, non verò quoad usum *facti*; addit Sacer Textus: *Dividebatur singulis prout cuique opus erat.* Ex quo manifestum est, omnia fuisse communia, ut ex illis singulorum *necessitatibus indifferenter* sucurreretur, adeoque singulis *usus necessarius* seu *facti* concederetur; ex quo ulterius, *teste Sacro eloquio*, contingebat, ut nec *quispiam* EGENS *esset inter illos.*

Hanc Christianorum Sanctissimam vivendi disciplinam æmulari Religiosorum seu Cœnobitarum Patres & Legislatores Basilius, Augustinus, Benedictus, aliique ut totius vitæ cœnobiticæ seu religiosæ basim & fundamentum eandem rerum communionem in suis Regulis expresserunt; præcipientes scilicet, ut ad exemplum primorum Christianorum, *omnia* inter ipsos essent *communia*, & singulis non quidem *æqualiter*, sed potiùs unicuique sicut *cuique opus* fuerit, verba sunt S. P. Augustini, *distribuatur*: » sic enim legitis, subjungit, in Actis Apostolorum: quia erant eis omnia communia, & distri» buebatur *unicuique prout cuique opus erat.*

Communio igitur, quæ basim, & fundamentum constituit vitæ religiosæ, debet esse talis, ut omnia *actualiter* (nota bene) ità sint communia, ut ex illis dividatur singulis *prout cuique opus est*; quemadmodum in prima dissertationis parte fusè, & luculenter probatum fuit: ac per consequens *omnia communia* esse oportet, non tantùm quoad *jus & usum juris*, sed etiam quoad *usum facti*; hoc nimirùm sensu, ut *omnia undecunque obvenientia* in unam communem massam indifferenter conflentur seu reducantur, tumque ex illis ità *in commune redactis singulorum* necessitatibus *indifferenter*, non *æqualiter*, sed *prout cuique opus est*, provideatur, seu, usus *facti* rerum *necessariarum precariò & revocabilis* concedatur.

Hæc latissimè in Dissertatione asserta & probata, rursus hîc breviter repetita & fortiter inculcata oportuit, ut clarius intelligatur & ostendatur, quàm frivola sit ista distinctio, de qua in Thesibus citatis, quod omnia debeant esse communia quoad usum *juris* & non quoad usum *facti ad nutum revocabilem.*

§. VI.

Discutiuntur singulatim ea, quæ de voto Paupertatis, *& religiosa* rerum communione *proposuit R. P. Clenaerts in Thesi defensa* 9. *Julii* 1685.

QUÆ hactenus breviter dicta ac repetita sunt, abunde sufficere credo, ut ea omnia, quæ hactenus primæ Dissertationis parti de peculiaritate opposita fuere, solvantur; attamen quia R. P. Clenaerts multa in una suarum Thesium admodum obscurè & intrincatè proponit, quæ aliquibus non satis cautis & in materia proposita non omninò versatis fucum facere possent, convenire judicavi, illa membratim dissecare & anatomizare, ut ita dissectis & anatomizatis faciliùs involuta mysteria capiamus, & detecta refutemus.

» Vota, quæ tria status Religiosus complectitur, inquit, » famosa sunt satis PAUPERTAS, OBEDIENTIA, CASTITAS. Pos» trema duo perspecta magis sunt. Paupertas verò non us» que adeò videtur perspecta in foro fori. Consistit essentialiter » *in dependentia à nutu, & voluntate Superioris, firmaque* » *animi promptitudine ac resignatione in voluntatem illius, vi,* » *cujus etsi precarium aliquod* (*quod minùs peritè audit pecu*» *lium*) *penes eundem habeat depositum semper in præparatio*» *ne animi & promptitudine cordis contentus est carere omni eo,* » *quo privare voluerit Superior.* «

Definitionem hanc paupertatis religiosæ toties decantatam, & nobis obtrusam, sacris Canonibus, ac venerandis Patrum decretis contrariari sat superque, in anterioribus ostendimus; unde ad ulteriora progredimur.

» Descriptio ista est velut Turris Davidica, ait Eruditus The» sista, mille clypei pendent ex illa, & omnis armatura fortium, » cusa ad incudem Petri, & è Castro S. Angeli ostentata, vel » tunc evidentiùs, cùm hinc Piscatoris annulo insignitus prodiis» se visus est Sacer Sociorum exercitus.“

Verba, & voces ulteriora videamus: » Arma seligo, pro» greditur Thesista, ex mille alia. Superior delegare Proviso» rem potest, ut nummos procuret; œconomum ut culinam » cu»

(a) *Id est, nulla occurrit distinctio inter commun. bon. quoad jus, seu usum juris, & eorum communionem quoad usum facti.*

» curet ; saltuarium ut invigilet Sylvis ; Vestiarium ut indu-» menti satagat &c. Quæ omnia cum Prælati fuerunt objecta » manibus, subjecta nutui, potest distribuere : *non æqualiter om-» nibus, sed prout cuique opus fuerit*, ut Regula habet Augus-» tini ; ergo & delegare potest Procuratorem, ut redditum vita-» litium, mortali meo capiti annexum, à Monasterio juxta Mo-» nachatus regulam acceptatum, quotannis colligat, qui illico, ple-» noque Communitatis dominio incorporatur, voluntati Su-» perioris subjacet, &c. «

Attendat in Thesista verba Concilii Trident. *Sess.* 25. *cap.* 2. *de Regular.* » Nec deinceps liceat, inquit Concilium, » Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam » ad usumfructum vel *usum* (*nota benè*) administrationem aut » commendam ; Administratio autem bonorum ad *solos* Offi-» ciales eorundem, ad *nutum* Superiorum *amovibiles*, per-» tineat. «

Hæc si attendat Eruditissimus Pater, perspiciet redditus vitalitios (qui in jure pro bonis stabilibus habentur) nulli Regulari concedi posse, etiam ad *usum*. Administrationem autem eorum ad *solos* Officiales ad nutum Superiorum amovibiles pertinere debere ; qui illos, tanquam Monasterii & Communitatis Officiales, non in *utilitatem* & *usum* Religiosi, *cujus mortali capiti est impositus*, sed in usum communem (*nota bene*) Monasterii administrent ; si secus fiat, *titulus administrationis nihil erit aliud* (verbis loquor Prosperi Fagnani *ad Cap. Monach.* & *de Stat. Monach.*) *quam palliamentum quoddam ad palliandum proprium.* Et latiùs in Dissertatione *part.* 1. *cap.* 1. §. 11. probatum est. » *Procedo*, ait R. Pater: Superior cen-» sum vitalitium ad se delatum potest distribuere uni alteri, er-» go & mihi ad usus licitos *precario* revocabiles. «

Si per censum vitalitium intelligat ipsum *redditum*, constat ex jam dictis omninò illicitum esse Superiori, etiam ad *usum* simplici Religioso eum concedere. Si verò canonem annuum redditûs vitalitii intelligat, dico, quòd si contingat Religiosum, cujus *mortali capiti* talis redditus est *impositus*, NECESSARIIS aliquibus indigere, poterit, imò & debebit Superior ex bonis *communibus* illi distribuere *prout opus* erit. Unde si per *accidens* (*nota bene*) contingat, à Procuratore aut œconomo Superiori *tunc temporis* offerri pecuniam ex redditu vitalitio receptam, non video quare non possit per illam *necessitatibus* illius succurrere ; modò canonem, seu pecuniam illam non det *ideò*, quia ex redditu vitalitio (*nota bene*) hujus Religiosi provenit, sed quia ex bonis *communibus* illi per accidens offertur; quare eandem pecuniæ summam eâdem benevolentiâ atque facilitate dedisset, licèt non ex redditu vitalitio, sed bonis fundationis provenisset. Quin si alius Religiosus omni planè redditu vitalitio destitutus simili necessitate pressus se obtulisset, eandem pecuniam licèt ex redditu vitalitio *capiti mortali alterius imposito* profectam, eâdem facilitate annuisset ; ut proinde nullum respectum habeat Superior num ex redditu vitalitio hujus vel illius Religiosi proficiscatur, sed omnia ut planè communia & confusa considerans, *unicuique prout opus est*, INDIFFERENTER *distribuat*.

Spero quòd Eruditissimus capiat quid velim ; num consentiet, nescio : spero tamen, Filium quippe se P. Augustini, quia OMNIA *vult esse communia ut unicuique opus est distribuatur*, profitetur.

Subjicit enim : » *Objicies.* Sub qua tu militas Regula, est » Augustini, ad normam facta, quam Apostolica præferunt ac-» ta ; atqui *erant iis omnia communia.* « ℟. inquit, sunt & nobis. Ità me charitas fraterna optare cogit, sed credere dicta vestra ægre patiuntur.

Instabis, procedit Thesista : » nulla ibidem erat inæqualitas, » sed plena communitas. « ℟. ait R. P. » ista communitas erat, » sed inæqualitas erat, ubi justitia distributiva non deerat. Nam » *distribuebatur* unicuique prout CUIQUE OPUS ERAT, ait pra-» xeos gnavus Apostolicus Augustinus : « Benè habet. Inter primos Christianos justitia distributiva considerans *necessitatem singulorum* servabatur & non omnibus *æqualiter*, quia non omnes *æqualiter* INDIGEBANT, distribuebatur : ità in Religioso justitia distributiva servetur, & veri in hoc primorum fidelium æmulatores erunt.

Contra, sibi objicit Thesista, » Tu habes, alter non habet; » ergo non sunt *vobis omnia communia*, ut vult Augustinus. « Audiamus responsum ℟. » ait, distinguo consequens : ergo non » sunt communia quoad jus & incorporationem in bona Monas-» terii, nego : quoad usum facti simplicem *precario*, revoca-» bilem, concedo. Hoc nihil est aliud, subjungit, quàm quod Su-» perior omnium dispensator usus unius rei det uni, alterius al-» teri, Regulam sequens Augustini. Ille ait *non æqualiter om-» nibus, sed prout cuique opus fuerit.* Ita postulat justitia *dis-» tributiva.* «

Quid per hæc velit vix capio, subsistam paulisper forsitan inferius *lumen præbebit*.

Addit ex abrupto, & quid hic ad rem nescio : » Plus ho-» noris debeo Matri meæ, juxta Leonem X. *Agri Dominici piis-» simæ, Religiosissimæ tutrici* S. Facultati Theologicæ Almæ » hujus Universitatis, quàm Facultatibus aliis istâ inferioribus, » honorandis licèt plurimum. « Ænigma est, aliis id solven-» do relinquo.

Pergit : » Plus excederet, qui O. M. P. M. Christiano Lu-» po ejusdem Nobilissimæ Facultatis membro nuper Prænobili » detraheret, quàm qui alteri cuivis homini minoris notæ. Fac-» tum non ajo illud, sed *si.* « Impertinens illud, at *capienti* » *pertinens*, capio, & progredientem sequor.

» Plus debetur Episcopo, quàm Decano, proventus ob-» veniunt majores Canonicis fundationis primæ, quàm secun-» dæ. Æqualia non sunt omnibus omnia, eò quod servanda sit » distributiva justitia. Infero : ergo, licèt in Monasteriis om-» nia sint communia, potest Superior uni concedere quidpiam, » quod negat alteri. *Instabis*, pergit, Canonici, & similes » non profitentur vitam communem : ergo nulla est paritas. » ℟. ait, negando consequentiam, quia paritas eò duntaxat fa-» cit, ut ostendatur, quòd juxta leges justitiæ distributivæ plus » uni debeatur, quàm alteri : atqui vita communis non est, » nec esse potest contra leges justitiæ distributivæ, ergo cum » vita communi stat, quòd conformiter ad illam justitiam dis-» tributivam, plus uni distribuatur, quàm alteri : ergò ulte-» riùs, per dispensationem Prælati redditus vitalitius nomine » Communitatis receptus ejusque dominio incorporatus, potest » concedi Religioso huic in particulari ad usum honestum *pre-» cariò* revocabilem & à nutu Superioris per omnia dependen-» tem : ergò præterea potest Superior uni præ aliis laboranti da-» re quidpiam è Monasterii bonis, quod non dat alteri, & » sic intelligitur optimè quomodo bovi trituranti, & asino otian-» ti dari non debeat æqualis palea, ne metaphoricè verificetur » illud Job. 1. *v.* 14. *Bobes arabant, asinæ pascebantur.* «

Rursus verbo respondeo, justitia *distributiva* servabatur inter primos fideles, quibus erant *omnia communia*, & inter Religiosos horum æmulatores servanda est ; ut nimirùm ex bonis undecunque, & quacunque ex causa obvenientibus in commune redactis, unicuique distribuatur secundùm justitiam *distributivam*, quæ non respiciat, quis redditum vitalitium *mortali suo capiti impositum* habeat, quis plura à parentibus, aut familiaribus donata accipiat ; quis ex lectione, seu professione vel alio justo labore plura in commune conferat, sed id *solùm intendat*, (*nota bene*) quis plus egeat, atque ità *unicuique prout* CUIQUE OPUS EST justitia Superioris *distribuat*.

Instabis pergit Thesista. » Mendicatis ostiatim. Dic sincerè » amabo te, Monache mi, redditusne, si quo gaudes, tuus » ita incorporatur Monasterio, ac eleemosynæ emendicatæ? « Objectionem præformatam audivimus, responsum accipiamus.

Resp. ait, » quòd redditus cujusque Monachi ita incor-» poretur quoad *jus* & usum *juris*, non tamen quoad usum » *facti* (nota bene) *revocabilem*, «

Ut verùm fatear, ex hac objectione ejusque resolutione capio, ut credo, quid per distinctionem inter incorporationem quoad usum *juris* & incorporationem quoad usum *facti* intelligi velit Eruditissimus Pater.

Ni fallor, eleemosynas *ostiatim* religiosè emendicatas (idem indubiè credit de aliis Monasterii communibus proventibus) Monasterio concedit esse incorporatas seu in *commune* redactas, non tantùm quoad *usum juris*, sed etiam quoad *usum facti*, id est, esse *incorporatas* & in *commune* redactas, ut per illas *quotidianis* & *communionibus* Religiosorum & Monasterii *necessitatibus* occurratur: redditus verò cujusque Monachi esse incorporatos quoad usum *juris*, sed ex *consensu & beneplacito* Superioris non esse incorporatos quoad usum *facti*, id est, non ità incorporatos, quemadmodum eleemosynæ ostiatim mendicatæ, ut per illos omnium Religiosorum ac Monasterii communibus necessitatibus occurratur, sed *interim* (nota bene) de consensu & *beneplacito* Superioris esse *reservatos* ad *particulares usus* illius, *cujus mortali capiti impositi* sunt.

Si mentem Eruditissimi sim assecutus (de quo vix dubito) expendat, quæso, qua ratione ad normam primorum Fidelium, quam Apostolicus Augustinus in Regula sua expressit, OMNIA sint communia, ut unicuique prout CUIQUE OPUS est distribuatur, id est, unicuique ex illis usus *necessariorum* seu facti concedatur ; dum aliquid, v. g. redditus vitalitius in usus *particulares* Religiosi, cujus *mortali capiti est annexus*, reservatur. Quia ut appositè jam pridem advertit Petrus à S. Audomaro Monasterii S. Winoci Prior, & per se notissimum est : » Quod ali-» cui verò præfixum servatur, *commune* (nota bene) dici non » potest : imò, pergit pius Religiosus, tantùm abest ut per » hujusmodi reservationes *particulares* apud se vel *apud alium*, » res Religioso obvenientes bonis Monasterii *incorporentur* (no-» ta bene) ut è contra *dividantur* & separentur à bonis Monas-» terii, & *approprientur*, quæ sic conceduntur, *particularibus* » *Religiosis.* «

Sed videor audire Eruditissimum, *dependet à nutu* & beneplacito Superioris *omnia*, etiam *reddituum vitalitium* cum reliquis Monasterii bonis & rebus confundere, ut *communibus* Mo-

Monasterii *usibus* applicentur. Intelligo; verùm quid inde inferet? Ergo *omnia* POSSUNT esse *communia*, si Superior VOLUERIT. Concessero totum, sed *interim* (*nota bene*) QUAMDIU Superior *in communi non redigit*, sed in usus *particulares reservantur*, verùm erit quòd contra regulam Apostolicam, *omnia* non *sint* communia, ut *unicuique* distribuatur, prout *cuique opus* est.

Si verò Eruditissimus ex antecedente posito inferat. *Ergo omnia* SUNT *communia* secundum normam *Apostolicam*; evidentissimè & luce meridianâ clariùs in prima philosophiæ impinget principia: argumentando scilicet à *potentia ad actum affirmativè* hoc nimirum modo: Potest Superior ad normam *Apostolicam* omnia in communionem redigere, ergo DE FACTO juxta normam *Apostolicam* omnia SUNT in communionem redacta.

Hæc fusiùs dixi, ut intelligantur quàm futilis sit distinctio illa inter communionem quoad *jus* seu usum *juris*; & communionem quod usum *facti*, quo tantopere Eruditissimus hic Thesista, alique ejus Confratres gloriantur, & incautis fucum faciunt.

Subjungit in probationem ejus quod præmissit: „ Cùm „ tota dispensatio sit penes Superiorem, ille potest, non de„ bet *precarium* indulgere uni præ altero. Et verò suppona„ mus quòd Monachi nulli reditibus gaudeant vitalitiis, re„ torqueo, ait, argumentum. Ex eleemosynis ostiatim emen„ dicatis Superior potest uni dispensare præ altero, indepen„ denter ab eo, quod religiosa vitietur Communitas: ergo „ similiter. " Breviter dico quòd Superiori licitum sit Religiosis de usu *necessariorum*, seu *facti* ex bonis in *commune* redactis providere: concedere verò *Peculium*, vel si mavis, ejusmodi *precarium* (de verbis nolo contendere) nec ex reditibus vitalitiis, nec eleemosynis ostiatim emendicatis potest, sed *quotidianis* Religiosorum *necessitatibus* ex bonis *communibus* succurrere debet, nihil verò in *futuras* necessitates unius particularis (nota bene) *apud se* vel *tertium reservatum* habere.

„ *Instabis*, urget Eruditissimus Pater, non est illa amico„ rum intentio censum creantium vitalitium. R. ait, illa esse „ debet, estque semper, saltem interpretativa, qualis debet „ esse eorum, qui Beneficia fundant, utique ut non instituan„ tur nisi conformiter ad dispensationem juris, v. g. ut super„ flua expendantur in pias causas, pariter ab omnimoda pa„ ritate.

„ *Instabis*, progreditur Thesita, si amici scirent, quòd num„ mus ille non cederet consanguineo, sed Communitati, non „ darent &c. Retorqueo: ait, si resignaturus Beneficium non „ speraret, quod Papa permitteret pensionem ex parte resig„ natarii, ne cogitaret quidem de resignando: sed inde nihil, „ ergo. " Quid hæc ad propositam materiam faciant, alterius est indaginis. Hoc interim dico, (quidquid sit de hujusmodi resignatione, in præsenti non tango, propediem forsan opportunior de illa disserendi se offeret occasio) quod donata à parentibus non tantùm Superioribus sint tradenda, sed insuper illa debeant cum reliquis bonis ac proventibus Monasterii *ita confundi*, ut inde, quemadmodum ex cæteris Monasterii bonis, *omnium* necessitatibus *indifferenter* succurratur. Hæcque præsumenda est Parentum voluntas, utque talis sit, convenit, ut interdum Parentes desuper moneantur, ut in Dissertatione ex S. Benedicti Regula observavi.

Si verò Parentes nollent dare, nisi in *usus* filii sui donata *specialiter* cederent, & *reservarentur*, certum est, illa potiùs esse respuenda, quàm ut iis, eâ conditione susceptis, & ipse filius Religiosus discrimini recedendi à promissa paupertate exponeretur, & perfecta inter Fratres rerum communio læderetur, ut latiùs in *Disseratione pag.* 7. ostensum fuit.

Ex his non difficulter quisque intelliget, omnia, quæ longo hoc verborum discursu R. P. Clenaerts in medium produxit, ad bina hæc puncta reduci posse; nimirum omnia debere esse communia inter Religiosos, servandam tamen *justitiam distributivam* juxta illud Apostolicum: *Distribuebatur unicuique prout cuique opus erat.* Alterum; omnia quidem debere incorporari & communicari quoad *jus* seu usum *juris*, non quoad usum *facti precariò* revocabilem. Quorum prius lubenter admisi, nec credo ab aliquo controverti, si nimirùm, juxta ante dicta justitia *distributiva* solùm respiciat *indigentiam* singulorum. Quod attinet posterius, dilucidè, ni fallor, ostendi per distinctionem illam planè everti communionem, quam tanquam basim & fundamentum vitæ religiosæ Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Regular.* post Sanctos Patres requisivit, & ad quam *Religione sempiterna* (ut loquitur Synodus Audomarensis *anno* 1583. *tit.* 17. *cap.* 6.) Religiosi *se obligarunt.*

§. VII.

Ostenditur, quòd Professores Ordin. Eremit. S. Augustini in materia de Peculiaritate *in multis Auctori consentiant.*

VEreor non deesse, qui visis Libello R. P. Wynants Ord. Erem. S. Augustini, variisque Profesorum ejusdem instituti Thesibus Dissertationi meæ oppositis, credant pleraque in *Dissertationis meæ primæ parte* contra Religiosorum peculia dicta à Reverendis illis Patribus impugnari, & contraria propugnari; quo contingat, ut fortè non desint, qui aperta proprietatis vitia Patrum illorum patrocinio fulciri, & defendi arbitrentur, & aliis persuadeant; quod perquam falsum esse hoc paragrapho evincam, ostensurus Ordinis illius Professores, quantumvis Dissertationis meæ, ut satis apparet, criticos examinatores, & acerbos impugnatores, in multis mecum consentire; imò facile evicero, quòd si omnia, quæ prædicti Professores pro observatione religiosæ paupertatis exigunt, exactè observentur nullo negotio nullaque difficultate universa, quæ pro debita religiosæ paupertatis, & communionis observantia in Dissertatione exiguntur, ad praxim deducentur. Cùm verò Professores illos, tametsi varios, secum consentientes reperiam, è pluribus illa seligam, quæ R. P. Clenaerts, qui pluribus de hac materia egit, in Thesibus suis proposuit.

Et quidem cùm in una suarum Thesium hanc assertionem defendendam suscepisset: *Etiam Religiosi licitè habent annuos redditus*, in alia Thesi def. 11. Decembris 1684. quam pro vindiciis istius postmodum proposuit, conditiones nonnullas necessarias, ut *redditus* illi sint liciti, expressit. » Debent fieri, » inquit, recipi, in honestos usus expendi de scitu, & ve» nia Superioris. Debent fiesi Communitatis, ejusque dominio » substerni, & Prælati nutui subjacere. Debet Religiosus co» ram Deo, qui scrutatur corda & renes, esse contentus, ne » interiùs quidem in anima obsistere, obloqui, aut reluctari, » casu quo Superior ne assem indulgeret, petitæque humili» ter veniæ etiam resisteret. «

Has similiter conditiones in sæpius illa reproducta *Paupertatis religiosæ* descriptione claris terminis comprehendit in Thesi def. 9. Julii an. 1685. » Paupertas religiosa, ait, consistit *essen» tialiter* in dependentia à nutu, & voluntate Superioris, fir» maque animi promptitudine, ac resignatione in voluntatem » illius, vi cujus etsi *precarium* aliquod penes eundem habeat » depositum, semper in præparatione animi, & promptitudine » cordis contentus est carere omni eo, quo privare voluerit » Superior. «

Ex his habemus, quòd etiam ipsis RR. PP. consentientibus, *proprietatem* retineat, & in animo coram Deo *proprietarius* votique sui violator constituatur Religiosus, quicumque res omnes cujusvis qualitatis, & undecunque sibi obvenientes, non resignat *pleno* (nota benè) affectu & effectu; non voce tantùm, sed *corde* & voce simul; easque ita velit esse *communes*, ut nihil in eis *sibi præ reliquis* (nota benè) *de Communitate*, etiam *solo affectu* reservet, aut vindicet; sed oporteat eum esse *animo verè* paratum, & omninò contentum, ut reditus vitalitii capiti suo mortali anexi, aliave sive ex liberalitate parentum, aut justo labore obvenientia *omni tempore ad* NUTUM *Superioris*, cum reliquis Monasterii bonis confundantur, & aliorum Fratrum, vel communibus Monasterii necessitatibus impendantur.

Hinc ulterius consectarium, quod dictis Patribus confitentibus de affectu proprietatis, ut minus sint suspecti.

Primò, qui Superiore redditum vitalitium aliamve rem apud se depositam in communem Monasterii committere volente dolet aut tristatur, affectu nimirum tristitiæ voluntario; signum enim est, Religiosum illum proprietatis affectum erga rem istam non exuisse, neque sincerè & intimo cordis affectu illam in Communitatem transtulisse.

Sequitur secundò, quod si murmurare, aut Superiore resistere incipiat, *evidentiùs se proprietarium*, fatentibus R. P. Clenaerts, ejusque Confratribus ostendat.

Tertiò, eisdem Professoribus retentæ proprietatis redditur indubiè suspectus, si *major* sit redditum vitalitium capiti suo impositum, quam reliquos Monasterii proventus conservandi cura & solicitudo.

Quartò, nec apud prædictos Professores notam *proprietatis* evadent, qui redditus vitalitios, aut rem aliam *per se* vel Superiorem in usus *suos particulares* depositam, & quam *sibi* magis, quam aliis de Communitate *debitam* petunt. Hinc computantes quantum sibi pecuniæ apud *depositionem* restet, liberius victualia aliave usui suo subservientium redditu comparant. Quo agendi modo convincuntur res illas, non ea animi sinceritate in communitatem transtulisse, num *sibi plus juris* in illas, quàm *reliquis* de Communitate credant reservatum, adeoque juxta antedicta, consentientibus dictis Patribus à religiosa paupertate recedere convincuntur.

Quin-

Quintò, etiam apud illos Patres *proprietatis* & violatæ religiosæ paupertatis suspicione indubiè laborant, qui cum Superiore hanc similemve computationem instituunt: *Tot nuper florenos Paternitati vestræ tradidi, tot recipi, ergo tot restant.*

Neque ulterius dubitare queo, quin prædicti Professores mecum fatebuntur, quod Superiores ut pote speculatores super domum religiosam constituti teneantur nonnunquam redditus vitalitios aliave apud *se* vel *tertium* deposita in *commune* redigere, ut hoc quasi cauterio adinstar periti Medici detegant, num in corde religiosi affectus *Proprietatis* non lateat; an sincerè omnia *nutui* Superioris subjiciat; num reverà Religiosus *coram Deo, qui scrutatur renes & corda, contentus sit, ut omnia in commune redigantur, & aliorum usibus applicentur*; nùm adeo rem illam tanquam *communem* suscipiat & habeat ut *ne interiùs quidem in anima obsistat, obloquatur aut reluctetur, casu quo Superior ne assem quidem sibi indulgeret*; num sincera sit protestatio, quâ protestantur se pecuniis, aliisve sibi concessis vel datis non affici tanquam *propriis*, quin *paratos* esse *omnia resignare* Prælatis exigentibus, in quorum potestate esse omnia, quæ penes se sunt, asserunt. Hæc, inquam, omnia utrum sincera sint, nec *mentiatur iniquitas sibi*, sola ablatio ostendet, *non enim est in amittendo dificultas, dum non est in habendo cupiditas*, ut ait Magnus Augustinus.

Non difficulter quoque mecum consentient, ut arbitror prædicti Professores, quòd Superiores reddituum vitalitiorum, aut aliorum depositorum in communem reductionem omittere non possint timore difficultatum, aut infractionis pacis domesticæ, quia vel Superiores credunt subditos suos ita dispositos, ut *ne interiùs quidem in anima obsistent, obloquentur, aut reluctabuntur, casu quo ne assem quidem ipsis indulgerent*, & tunc nulla difficultas, nulla murmura, nulla reluctatio ex reductione in communionem metuenda sunt. Si verò Superiores ex ipsa reductione in communionem difficultates, obloquia, reluctationes, murmuraque vereantur, jam consequenter credunt subditorum esse aliquos, qui omnium consensu laborant affectu *Propietatis*; ac per consequens, si salutem sitiant Fratrum, nulla obloquia, nulla reluctatio, nullæ falsæ & fucatæ pacis turbatio poterunt eos à reductione in communionem, & ablatione *depositorum* remorari, ut illis mediantibus Fratres suos à pestifero hoc *Proprietatis* vitio (quos eos infectos esse, obloquia, murmura, reluctationes, quæ ex ablatione prævidentur, evidentissimè indicant) liberare queant.

Denique ex illis, quæ pro religiosæ paupertatis observantia à sæpè allegatis Professoribus exigi notavimus, infertur, quòd secundum ipsos Superiores ad realem reductionem in communionem, & ablationem depositorum toties procedere teneantur, quoties ex incidentibus sermonibus de reali reductione in communionem, actualique *depositorum* ablatione inter subditos oriri murmura obloquiave, animos eorum turbari intelligunt; signum, quippe est non obscurum in ipsis non esse illam *dependentiam* (quam etiam dicti Professores exigunt) *à nutu & dispositione Superioris firmamque animi promptitudinem, ac resignationem in voluntatem illius, vi cujus etsi* PRECARIUM *aliquod penes eundem habeant depositum, semper in preparatione animi &* PROMPTITUDINE, *cordis contenti sint carere* OMNI EO, *quo privare* VOLUERIT *superior.*

Hæc Corollaria evidenter consequi, tum ex illis, quæ pro justitia redditum vitalitiorum requirit Rev. P. Clenaerts, tum ex descriptione Religiosæ paupertatis ab eodem iteratò reproductâ, nemo, qui vel leviter ea expenderit, negare poterit; nec in animum induco prædictum Patrem aut aliquem Confratrum ipsius inficias iturum.

§. VIII.

Compendiosè & articulatim exprimitur, quid de paupertate religiosa & vitæ communione *Auctor sentiat.*

SUperiori paragrapho quantâ potui sinceritate & exactitudine conatus sum exprimere breviter puncta, in quibus, ut credo, mecum Professores Ord. Erem. S. Augustini, qui Dissertationi meæ singulariter se opposuerunt, consentiunt; si in aliquo mentem eorum minùs sim assecutus, melius instrui desidero; ut enim verum fatear, adeò obscurè, præsertim in hac de *Peculiaritate* materia, sua expresserunt, ut vix, in quibus consentiant, & in quibus dissentiant, intelligam; quapropter hîc brevi compendio articulatim sensa mea de religiosa paupertate & communione proponam, ut dignentur etiam clarè sine verborum ambagibus, aut involucris edicere in quo à me dissentiant, aut quid in doctrina mea ipsis displiceat. Dico itaque:

Primo, quod Religiosus vi voti *Paupertatis* veram *proprietatem* simpliciter & absolutè debeat abdicare ad sensum illius: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.*

2. Inter Religiosos »prorsus omnia in *communem usum* es-

» se convertenda (verba sunt Synodi Audomarensis *ann.* 1538. » *tit.* 17. *cap.* 6. ita ut impleatur à Religiosis, quod sibi immi» tandum sumpserunt, & ad quod RELIGIONE SEMPITERNA se » obligârunt (NON POTEST RES ISTA INCULCARI SATIS) (nota » bene) illud primitivæ Ecclesiæ: « *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una: nec quispiam eorum quæ posidebat aliquid suum esse dicebant, sed erant illis* OMNIA COMMUNIA, *dividebatur autem singulis prout* CUIQUE OPUS ERAT.

3. Ut voto *paupertatis*, & religiosæ rerum *communioni* satisfiat, requiri ut »nullus ex Fratribus (verba sunt Clemen» tis VIII. in Constitutione quæ incipit: *Nullus omninò*, 60. *in* » *Bull. Rom.* quam Paulus V. Gregorius XV. & Urbanus VIII. » iteratò confirmârunt ac innovârunt) bona immobilia, vel mobi» lia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas sive ex » concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in pro» pria Ecclesia quàm ubicunque celebrandis, aliove ipsorum » justo labore & causa, & quocunque nomine acquisita, etiam» si subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, » aut donationes fuerint, tanquam propria aut *nomine Conven» tus* possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradan» tur & *Conventui incorporentur*, atque cum cæteris illius bo» nis, redditibus, pecuniis ac proventibus CONFUNDANTUR (no» ta bene QUO COMMUNIS INDE VICTUS ET VESTITUS OMNIBUS » SUPPEDITARI POSSIT. «

4. Licitum non esse »Superioribus quicunque illi sint, » (verba prædictæ sunt Constitutionis) ullo pacto eisdem Fratribus » aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum vel USUM » (nota bene) administrationem aut commendam etiam *de» positi*, aut *custodiæ* nomine concedere.

5. »Quod nulla quorumcunque Superiorum dispensatio, nul» la licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia (ut jam » ordinatum est) Fratres excusari possit (verba rursus sunt » Clementis VIII.) quo minus culpæ & pœnæ ab ejusdem » Concilii Tridentini decretis impositæ, & ipso facto incurren» dæ, obnoxii sunt; etiamsi *Superiores asseverent* (nota bene) » se hujusmodi dispensatione aut licentia concedere posse, *qui» bus in ea re fidem minime*, inquit Pontifex, *adhiberi vo» lumus.*

» His verbis, non mea equidem sed Fagnani sunt, impro» bantur opiniones illorum, qui asserunt Regulares excusari » à *Proprietate*, cum habent peculium de licentia Superioris & » DEPENDENTER (nota bene) ab ejus voluntate & nutu: jam » enim patet, pergit prædictus Canonista non pendere à volun» tate Superiorum, quin omnia sint CONFUNDENDA cum cæ» teris Monasterii bonis pro COMMUNIBUS necessitatibus. «

Quibus consonat Concilium Audomarense, quod proposita à Religiosis vitæ communione, aliisque eo spectantibus, adjungit: »Nec aliud præcipimus, quam id, quod Superiores » quidam ex officio curare tenentur, nulla *ipsis relicta dispen» sandi facultate*: Religiosi verò *ex ea*, quam Deo fecerunt, » *sponsione* observare."

6. Tanquam ex ante dictis consequens dico cum P. Christiano Lupo *tom.* 4. *Schol. ad Can.* 6. *Conc. Tolos. Qualiscunque professioni adjecta pensionis reservatio est adversa* SUBSTANTIÆ (*nota benè*) *aut certè fœda conditio, adeoque habenda pro non apposita. Eam præfecti* OBLIGANTUR (*nota benè*) CIRCUNDUCERE ET IN COMMUNEM MASSAM REVOCARE.

Dico cum ex facto quæsitum esset à S. Congregatione: »An » liceat Regularibus utriusque sexus habere annuos redditus, » seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administratio» nem, seu peculium NON SUPERFLUUM, nomine Conven» tus, ac de Superiorum licentia & DEPENDENTER (nota bene) AB EORUM VOLUNTATE AC NUTU, adeò ut sint immunes à cul» pa & pœna, de qua *cap.* 2. *Sess.* 25. *De Regular. Concil.* » *Trid.* dico, inquam, quod conformiter ad ea quæ religiosa » paupertas & communio requirunt, rectè responderit Sacra » Congregatio: Non licere Regularibus utriusque sexus habe» re prædictos annuos redditus, seu provisiones annuas vel bo» norum stabilium administrationem seu peculium NON SUPER» FLUUM nomine Conventus, ac de suorum Superiorum licen» tia, UT DEPENDENTER (nota benè) AB EORUM VOLUNTA» TE AC NUTU, alioquin non esse immunes à culpa & pœna, » de qua *in dict. cap.* 2.

» Similiter cum S. Congregationi Archiepiscopus Urbini re» tulisset se non potuisse adducere Moniales certi Monasterii ad » EXACTAM VITÆ *communionem*, adeoque illis proposuisset, ut » fieret comunis arca, cujus clavicula *penes Abbatissam* exis» teret, ita ut unaquæque haberet claviculam scrinioli sui, & » in eo asservaret pecuniam ex laboritio vel aliunde partam, quæ » in *ipsius tantùm*, & non alterius necessitates erogari deberet, » ARBITRIO (nota benè) Abbatissæ, rectè S. Congregatio » hoc temperamentum *ludricum* existimavit ac repugnans decre» to *dict. cap. Sess.* 25. *de Regul. Concil. Trident.* quod jubet » ut omnia Superiori tradantur, *Conventuique incorporentur*, » ideoque referente Prospero Fagnano, mandavit Archiepisco» po, *quamdiu* (nota bene) *Moniales communem vitam non*

» *susciperent*, *interdiceret illis receptionem puellarum ad habi-* » *tum & professionem.* «

Hæc aliaque S. Congregationis responsa ex Prospero Fagnano relata & latiùs expressa videre licet in *Dissertatione p. 1. cap. 1. §. 14.*

8. Dico juxta religiosæ communionis & paupertatis exigentiam necessarium esse, ut vestitum singuli ex communi vestiario accipiant (verba sunt Directorii ecclesiasticæ disciplinæ Auctore Reverendissimo Domino Octavio Frangipano Mirtho per Germaniam inferiorem & Belgarum Provincias Nuntio, & Sacra Facultate Theologica *Lovaniensi* (nota bene) approbati » minimè verò pro eo singulis Religiosis pecunia » assignetur, aut in hunc finem, ut se ipsos vestiant, vel » ex *celebratione Missarum*, vel aliàs *labore*, industria, aut » amicorum liberalitate, pecuniam comparare, aut PENSIONES » VITALES, redditus perpetuos, aut bonorum aliquorum usum- » fructum, habere PERMITANTUR.

9. » Cùm eodem Directorio vitam communem exigere, ut » omnis pecunia vel res, quam Monachus vel Monialis, sive » labore, sive industria, sive amicorum liberalitate, seu deni- » que qualibet aliâ occasione acquirere potest, Superiori mox » tradatur, in *commune ærarium*, *vel commune vestiarium*, » *vel aliàs* COMMUNES USUS (nota bene) *reponenda*, & ad nutum » Superioris tanquam res, non quidem UNI PECULIARIS, sed » OMNIBUS EX ÆQUO (nota bene) COMMUNIS, administranda; ne » contingat in Monasteriis illa perversitas, ut qui divites & libe- » rales habet in seculo consanguineos, etiam superfluis quibus- » que abundet, & alius Frater necessariis destituatur.

» Quare si quis filiis, pergit Directorium, aut aliquâ neces- » situdine ad se pertinentibus, aliquam contulerit vestem aut » aliquid aliud inter necessaria deputandum (*b*), quod sit pre- » tiosius aut nobilius quàm ut in COMMUNES USUS (nota bene) » redigi posset, ne hinc murmura oriantur, aut alius ab alio » difformis existat, illud vendatur; ita ut si vestis, vel pannus, » vel quæcumque res alia esse COMMUNIS non poterat, ejus » pretium COMMUNE fiat. «

10. Dicò, quod pro debita religiosæ paupertatis & vitæ communis custodia rectè decreverit Concilium Provinciale Mechliniense: » Ut nulli Regulares pensiones *vitales*, aut reddi- » tus perpetuos *permitantur* recipere, neque liceat eis ratio- » ne officiorum, vel ministeriorum pecuniam corradere aut » conservare, etiamsi in *pios usus* convertere velint, sed OMNI- » NO IN COMMUNEM USUM (nota bene) convertantur. « *An. 1570. tit. de Regular. cap. 1.*

11. Dico paupertatem religiosam » requirere ne eorum quæ » ad NECESSITATEM concessa erunt, nullus quicquam possideat » ut PROPRIUM, verba sunt Clementis VIII. neque ut PROPRIO » utatur. «

12. Dico cum sæpe laudati Directorio & Facultate Theologica Lovaniensi illius approbatrice, » etiam ergo res *minimas* » in Religiosis posse esse inordinatissimum affectum, qui sit *pec-* » *catum mortale.* «

13. Dico meritò à Religiosis omnibus attendi illud Cassiani relatum à P. Lupo: » Hæc est de Philargia perfecta victoria, » ut *parvissimæ* cujuslibet stipis in corde nostro residere non » sinamus igniculum, certi quòd restinguendi cum non habe- » bimus ulteriùs facultatem, si quantulamcunque *scintillæ* hu- » jus in nobis materiam foverimus. «

14. Cum eodem P. Lupo consentio, quòd religiosa *paupertas* sit omninò magna virtus, & altus justitiæ mons, de quo possit rectè dici: *Non omnes capiunt verbum hoc.*

15. Dico » quòd omnis cura, & diligentia à Superioribus » tam in Capitulis generalibus, & Provincialibus (cum Synodo » Trid. loquor) quàm in eorum visitationibus adhiberi debeant, » ut à *paupertatis voto*, iisque quæ *ad communem vitam*, *victum*, » *& vestitum conservanda* pertinent, non recedatur: cum com- » pertum sit, inquit Synodus, AB IS (nota bene) NON POSSE » ea, quæ ad *substantiam* regularis vitæ pertinent, RELAXA- » BI: si enim illa, quæ BASES sunt & FUNDAMENTA (nota bene) » TOTIUS *regularis disciplinæ*, EXACTE *non fuerint conservata*; » *totum corruat ædificium necesse est.* « Sess. 25. cap. 1. De Regular.

16. Dico cùm Canonico illo Regulari seculo præterito in generali Canonicorum Regularium Conventu contra Proprietarios declamante, nullam esse faciliorem viam quâ vitium peculiare extirpetur, » quàm ut Superiores dent *necessaria*, *ne* » *opus habeant ab amicis quidquam emendicare* si vestes si cul- » tellos, si devotos libellos, *ait dictus Canonicus ad Prælatos*, » aut simile quid desideraverint: vos (si tamen superfluos non » quæsierint) in charitate emittite illis: sic occasionem *propriе-* » *tatis* amputabitis, & ex domibus eliminabitis. «

17. Sed reperiuntur pro dolor! *inquiebat laudatus Canonicus* (utinam nec hodie quàm plurimi!) » Prælati parum cu- » rantes quid subditi faciant, aut unde sibi, quæ desiderant, » acquirant: dummodo ipsi sua marsupia resolvere non cogan- » tur, pecunias plus diligentes quàm Fratrum animas Chris- » ti Sanguine redemptas. Hinc est, quòd Fratres sibi ipsis pro- » videant. Hinc proprietas incrementum capit. «

18. Dico sub gravi obligatione teneri Superiores » in om- » nibus necessitatibus ex COMMUNI ÆRARIO, ut loquitur sæ- » pè dictum Directorium Coloniense, non ex (nota bene) » PECULIARIBUS CUJUSQUE DEPOSITIS, pro Monasterii faculta- » tibus, non in pecunia, sed in specie rerum, CUIQUE QUOD » OPUS HABET, benignè ac paterna solicitudine subministrare, » ne incidant in terribilem illam Apostoli sententiam: *Si quis* » *suorum*, & *maximè domesticorum curam non habet*, *fidem* » *negavit & est infideli deterior.* « Ut verò huic suæ obligationi facilius satisfacere queant.

19. Dico cum Cardinale Bellarmino, » ut Superiores dent » omnem operam, ut Sacrosancti Tridentini Concilii decretum » illud *saluberrimum & maximè necessarium* observetur, ut » non plures ad Ordinem admittantur, quàm qui sustentari pos- » sint ex redditibus, vel eleemosynis ordinariis; tunc enim, ait » dictus Cardinalis, Præpositi jure cogere poterunt ad *omnem* » *proprietatem* fugiendam & execrandam, si Ordo ipse singulis » ea præbeat *omnia*, quæ singulis *necessaria* sunt.

20. Dico » procul illos à voluntaria paupertate abesse, ver- » ba rursus sunt præfati Directorii, qui ut in lecto ægritudinis » suæ non egeant, & penuriam, aliaque paupertatis incommo- » da non sentiant, pecuniam corradunt, atque seponunt, vel » redditus *vitales* aut perpetuos habent, unde tempore ægritu- » dinis & necessitatis suæ consolationem habeant, & se à moles- » tiis paupertatis tueantur, atque defendant. « Hi, inquam, procul à voluntaria paupertate absunt, quia sicuti rectè notat allegatum Directorium, » ut paupertas sit voluntaria » non sufficit, quòd quis sponte & non coactus *paupertа-* » *tis votum* emisserit; *& quandiu ei omnia* quæ sunt *ne-* » *cessaria*, *subministrantur*, sine *murmure vivat*; sed & vo- » luntaria debet esse ipsa *penuria*: *voluntariæ* quoque, quæ ex » penuria sequuntur, *molestiæ incommoda*... Quare longè à re- » ligiosæ paupertatis scopo illi aberrant Religiosi, qui voluntа- » riam paupertatem in nuda paupertatis professione consti- » tuunt, ex qua plus maledictionis quàm benedictionis eos ma- » net. «

Finaliter itaque concludo, Superioris sub gravissima obligatione teneri subditis suis *omnia* quæ *necessaria* sunt, ex *communi ærario* subministrare; si tamen contingat eos officio suo deesse, ob id subditis fas non esse ad *peculiares* illas *reservationes* habere recursum, sed tali casu meminerint, ut eos monet Synodus Audomarensis, *Religionis ingressum exercendarum virtutum*, *abnegationis sui*, *& quæ hinc nascitur*, *patientiæ palæstram esse.*

Hæc sunt, quæ in *Dissertationis meæ parte prima de peculiaritate* ex Patrum Regulis, Conciliorum atque Pontificum constitutionibus latiùs pro debita religiosæ paupertatis & communionis observantia expressi & comprobavi; quæ hîc compendiosè & articulatim exprimere volui, quo fiat, ut si quid contra traditam à me doctrinam opponendum quispiam censuerit, etiam clarè & distinctè opponat, nec ad diverticula divertat, & aërem verberet. Malui quoque capitalia doctrinæ meæ puncta alienis potius, quàm propriis verbis exprimere, ut eam à teterrima nota PARADOXÆ NOVITIATIS, qua eam R. P. Clenaerts insimulat, vindicarem. Et profectò quàm injustè, ac temerariè hanc infamen doctrinæ meæ notam inurat prædictus Pater, cuique facilè patebit, qui vel obiter Canonistarum commentarios pervolverit; unum audiamus Prosperum Fagnanum, apud quem plures alios non infimi nominis idem asserentes videre licet. Hic postquam contra nonnullos laxiores seu Theologos seu Canonistas multis asseruit Religiosis fas non esse habere annuos redditus etiam *dependenter à nutu & beneplacito Superioris*, tandem concludit his verbis: » Concludendum igitur est, nemi- » ni prorsus regularium tam virorum quàm mulierum, cujus- » cunque qualitatis & conditionis existat, nisi sit Officialis, fas » esse etiam nomine Conventûs habere annuos redditus, seu » provisiones annuas, bonorum stabilium administrationem, aut » peculium, etiamsi illud non *sit superfluum*, sed ad *necessarios* » *honestos*, *& pios usus à Superiore ex quacunque causâ con-* » *cessum & DEPENDENTER ab ejus voluntate & nutu*: nec » *quemquam* excusari à LETHALI CULPA & pœna proprietariis » inflicta, ex quavis consuetudine Monasterii vel Religionis, aut » ex varietate seu probabilitate opinionum, aut alio quovis præ- » textu vel causâ. Et Religiosis, tam Prælatis quàm Subditis ea- » vendum esse ab hujusmodi palliamentis, *Quia Deus non ir-* » *ridetur.* « Ad Gallatas *cap. 6. v. 7.*

Hanc Fagnani conclusionem in *Vindiciis meis pag. 69.* jam ante expresseram, & quasdam circa illius duram expressionem reflexiones addideram, quas hîc rursus pro expressis haberi velim: quare non satis mirari queo, quomodo prædictus Pater ve-

(*b*) *Hæc desumpta sunt è Regula S. Augustini, cap. 6.*

veritus non fuerit doctrinam meam contra redditus vitalitios, aliasque particulares reservationes PARADOXÆ NOVITATIS insimulare, postquam eandem, & quidem durioribus terminis, ab Illustrissimo Romano Prælato, ac famoso Jurisconsulto expressam vidit.

CAPUT II.

DE HIS, QUÆ SECUNDAM DISSERTATIONIS PARTEM DE *SIMONIA CIRCA INGRESSUM RELIGIONIS* CONCERNUNT.

PARAGRAPHUS I.

Utrum Parentes teneantur filiis Monasterium ingressis relinquere legitimam: *Et utrum ex illa parentum obligatione aliquid meæ Dissertationi canonicæ contrarium inferri possit.*

REv. P. Desirant Ordin. Erem. S. Augustini in quadam sua Thesi nonnullas de *Peculio & Simonia* parentheses posuit, in quibus plura de jure Monasteriorum ad bona parentum ex persona Monachi, ex Legibus Justinianæis (quarum nullus in Belgio usus) ingessit, eaque ita adornavit, expressitque quasi omnia *Dissertationi* à me nuper editæ contrarientur, cùm tamen pleraque vel illis consentiant, & nullum penè eorum etsi omnia vera essent, in aliquo asertis meis officeret.

Parenthesi enim 11. quærit: *Quid si filius viventibus parentibus solicitet Monasterium.* Resp. inquit, *non liceat parentibus liberos suos ad solitariam vitam transeuntes abstrahere de Monasteriis.* Ita decrevit Justinianus Imp. Nov. 123. cap. 41. relata *Caus.* 19. *quæst.* 3. *Can. Non liceat.* Hoc Justinianum decrevisse nec negavi nec affirmavi, quia proposito meo est impertinens. Subjungit in eadem parenthesi: *Ast utrum parentes filiis ad Monasterium tendentibus nihil debeant? Audi*, inquit, *Imperatorem* ibidem: *Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere Monachos factos, quamvis dum Laici fuerunt in causam ingratitudinis inciderint.* Potius dixisset, audi Gratianum, quàm audi Imperatorem: verba enim illa prout hîc sunt expressa, non Justiniani sed Gratiani sunt; at hæc minutiora missa facio; sive enim Imperatoris sive Gratiani sint, parum mea refert, lubenter enim assentior, *non licere parentibus filios secularem vitam relinquentes, ut* loquitur Justinianus, VELUT INGRATOS *à sua repellere hæreditate*; verum ad propositum nihil facit.

Quinimò pro intellectu eorum, quæ circa Monasteriorum successionem statuit Justinianus, in Dissertatione prænotandum dixi, quòd si parentes testamentum condant, eandem teneantur filiis Monasterio aut Clero adscriptis portionem hæreditatis relinquere, quam eisdem assignare debuerant, si in seculo permansissent; si verò parentes intestati discedant, ipsi filii, seu Monasterium ex eorum persona succedat eodem jure, quo filii fuerant successuri, si seculum non deseruissent: *Nullo eis*, ait Justinianus, *impedimento ex Sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur.* Quidquid igitur de obligatione parentum relinquendi legitimam filiis Monasterio dedicatis prædictus Pater adducit, in nullo dictis meis repugnat: hoc enim duntaxat asserui, quòd legitimam Monasterio non debeatur ex persona filii, nisi post mortem naturalem Patris, & quidem si eo tempore filius supersit; adeoque tempore ingressûs filii, nihil à Patre jure prætendi posse; consequenter nec titulo transactionis cogi posse Patrem absque manifesta simonia ad aliquid dandum, ut filius suus ad Monasterium recipiatur, quemadmodum latiùs in Dissertatione ostendi.

Similiter quod ex Auth. *si qua mulier*, Cod. *de SS. Eccles.* adducit parenthesi 8. nimirùm, *ut si qua mulier aut vir monasticam elegerit vitam, & intraverit Monasterium, filiis non extantibus, Monasterio, quod ingreditur, res omnes competere*, nullatenus assertis meis contrariari intelliget, qui inter causam *testati & intestati* (nota bene) distinguere novit. Agit enim ibidem Imper. de causa intestati, id est, dum ingrediens Monasterium ante ingressum, sive professionem de bonis suis non disposuit, quo casu res omnes ingredientis ex Constitutione Justiniani Monasterio competere non negavi, quin & expressè asserui; sed illud dixi, & pluribus in subsequenti §. astructurus sum, nihil Monasterio deberi in causa *testati*, id est, si ingrediens de *bonis suis* (nota bene) in favorem *consanguineorum disposuerit.* Ejusdem farinæ sunt quæ de jure Monasterii adeundi hæreditatem Monacho delatam in medium adducit; nec enim quæstio est, num Monasterium hæreditatem Monacho *delatam* (nota bene) adire queat; sed hoc unum quæritur, num ingrediens ante professionem de bonis suis liberè disponere possit, ita ut nec *legitima* quidem Monasterio relinquere teneatur, ac per consequens, Monasterio nullum jus ad ingredientis hæreditatem competat, nisi dependenter ab *ejus voluntate*: ex quo ulterius luculentissimâ consequentiâ sequitur, ut in Dissertatione ostendi, titulo transactionis super jure ad hæreditatem nihil ab Ingrediente sine simonia exigi posse, ut ad Religionem admittatur.

§. II.

Ostenditur, quòd juxta leges Justinianæas is, qui Monasterium ingreditur, liberam *habeat de bonis suis disponendi* facultatem, *ut nec* legitimam *Monasterio relinquere teneatur.*

IN *Dissertationis meæ parte* 2. *cap.* 2. §. 3. observandum dixi, quòd ex Constitutionibus Justinianæis is, qui Monasterium ingredi meditatur, *ante ingressum*, hoc est, *ante professionem*, habeat, *quo vult modo, de bonis suis disponendi facultatem.*

Hoc meum assertum tametsi verbis Justiniani expressum, sæpè dictus R. P. parenthesi 10. in dubium revocat, aut saltem restringi debere asserit, ut nimirùm non procedat quoad totam hæreditatem, sed tantùm partem illam, quæ excedit *legitimam.* Hanc enim Monasterio ab ingrediente deberi credit. Verùm hanc restrictionem legibus Justinianæis contrariari non difficulter ostendetur.

Ait Imp. Justinianus in *Nov.* 5. de Monach. *Illud quoque decernimus, qui in Monasterium intrare voluerit,* ANTEQUAM Monasterium ingrediatur, *licentiam habere* (nota bene) SUIS UTI, QUO VOLUERIT MODO. Et in *Nov.* 76. *in præfat.* & *cap.* 1. hæc habet: *Nostræ pietatis lex vult eos, qui se Monasteriis dederunt, seu viros, seu mulieres,* ANTEQUAM *ingrediantur Monasterium, eo* QUO VOLUERINT MODO (nota bene) QUÆ SUA SUNT, DISPONERE, *nec posse,* POSTQUAM *ingrediantur Monasterium* ULTERIUS *agere quidquam de propriis, utpote Domini eorum non existentes.*

Quid hisce apertius? Utique qui rebus suis uti potest, deque iis disponere, *quo vult modo*, non debet Monasterio quidquam relinquere; atqui ingrediens Monasterium potest ante ingressum, seu professionem rebus suis uti, deque iis disponere, *quo vult modo*, ergo, &c. Minor ex antedictis est evidens. Major probatur ex *L.* 15. *Cond. de testam. Milit.* in qua dicitur: *Milites in expeditione degentes de rebus suis.*) QUOMODO *possint ac* VELINT *testentur*, ex quo omnium Juris-Consultorum consensu elicitur, militem non constringi liberis suis *legitimam* relinquere.

At in contrarium adducit R. P. Desirant parenthesi 8. *Auth.* SI QUA MULIER *Cod. de SS. Eccles.* in qua, ut ait, *Monasterio jus tribuit, est evidentissimum*, atque hinc parenthesi sequenti infert: » Si quis sine prole professurus est, bona ejus ad » Monasterium spectabunt omnia. Si verò proles sit super, per» git parenthesista, singulæ debetur legitima. Nec habet Pater » potestatem distribuendi omnia omnibus: ast quidquid faciat, » Monasterio, quod ingreditur, debetur legitima. Ita sancivit » Imperator ibidem. Verba Authenticæ sunt: Sed si persona li» beros habens, antequam de rebus suis inter eos disponat, Mo» nasterium intret, liceat ei postea inter eos dividere, legitima non » diminutâ: & quod eis non dedit, Monasterio competet. Sed » si omnem substantiam inter filios dividere voluerit; suâ perso» nâ filiis connumeratâ partem sibi retineat, quæ Monasterio » competere debet. Sed si post ingresum moriatur, antequam » inter eos dividat, filii legitimam recipiant, reliquâ substantiâ » Monasterio competente. *Luce meridianâ clarius est*, ait, *quod* » *Pater ingressurus Monasterium nec valeat filios, nec Mo*» *nasterium legitimâ privare.*

Ex Novella igitur Justiniani 123. *cap.* 14. *relata in Auth. Si qua mulier* Cod. *de SS. Eccles.* evinci putat ingredientem non ita posse de rebus suis *ante ingresum* disponere ut Monasterio saltem non relinquant *legitimam.* Verùm nihil solidi pro hoc asserto in Novella habetur, at potius contrarium evidenter evincitur.

Expeditum namque est, & ab omnibus unanimiter receptum dum Justinianus *in allegata Nova.* omnia ingressi bona liberis non extantibus Monasterio addicit, non loqui de causa *testati* (nota bene) sed de causa *intestati*? dumque constituit Monasterio *legitimam* reservandam, agere eum de ingresso & *professo qui ante ingressum de bonis* (*nota benè*) *non disposuit.* Hæc adeo ex verbis Novellæ supra relatis conspicua sunt, & omnibus Juris-Consultis nota, ut nesciam quis jura vel à longe salutasse potuerit & hæc non vidisse.

Ut igitur compendio dicam, tota hac Constitutione Imperator declarare intendit, quid intersit inter eum, quid improlis & eum qui proles habens ingreditur Monasterium *nulla antea facta dispositione.* Priori casu vult quasi *tacita dedicatione* omnia ingressi bona Monasterio competere. Posteriori verò dat *ingresso seu professo* (nota bene) facultatem omnem suam substantiam inter liberos distribuendi, modo Monasterio (cui jam summo jure per *non dispositionem* ante ingressum *tacitè* omnia bona erant dedicata & acquisita) tantundem reservet, quantum uni ex liberis æqualiter institutis relinquit, hocque *solo casu* Monasterio legitimam ex bonis ingredientis deberi statuit Justinianus.

Hinc collige, nihil ex dicta Justiniani Constitutione elici, quo vel in speciem probetur ingredienti *ante ingressum* (nota be-

benè) non esse facultatem *absolutè* & in *totum* Monasterium excludendi ; cùm in dicta Novella unicè agatur de illo , qui ANTE INGRESSUM (nota benè) NON DISPOSUIT. Quin è contra particulari illo casu , quando Monasterio omnia bona sunt per tacitam dedicationem acquisita , & Monachus tempore inhabili, nimirum post professionem , disponit , Justianus tantùm velit Monasterio reservatam *legitimam* , non obscurè evincitur eam no deberi in casibus non expressis , & quando de rebus suis tempore *habili & Dominus existens* disponit.

Si hæc non sufficiant , audi Justiniani Imperatoris interpretem Leonem , inquam , itidem Imperatorem : hic enim ex jure Justinianæo *Novel.* respondit Archiepiscopo Constantinopolitano , eos qui se monasticæ vitæ dedere volunt , prius de rebus suis testari debere , & si hoc non fecerint , non competere iis amplius testandi facultatem. Postmodum laudato hoc jure tanquam æquissimo subjicit hæc verba : » Etenim qui ante mutatam » vitæ rationem , cum bonorum dispositionem in ARBITRIO » SUO HABERET de iis statuere noluerit ; meritò postmodum id » facere prohibetur , ut qui se in has angustias conjecerit. Prop- » tereà enim quod cum licitum ipsi esset , prædisponere res suas » testamento noluerit , ejus postea faciendi facultatem , tanquam » ab ipso damnatam , sibi adimi , id verò jure longè optimo sus- » tinet. « Hæc ille.

Quid igitur evidentius , quàm Ingredienti omnimodam & liberrimam esse bonorum suorum *ante ingressum* , etiam stante jure Justinianæo , (hodie tamen in Belgio sublato) disponendi libertatem , nec Monasterio legitimam deberi nisi eo solo casu quando Pater liberos habens *nulla facta dispositione* (nota benè) ingressus est Monasterium , & postmodum de rebus jam Monasterio acquisitis , inter liberos disponit? Si enim semper Monasterio legitimam reservandam credidisset Imperator , ut quid adeò solicitè expressisset *hoc expeciali* casu portionem *legitimam* Monasterio debere esse salvam?

Dico igitur rursus , quemadmodum in Dissertatione , cum Irineo in Auth. NUNC AUTEM. *Cod. de Episc. & Cler. Nunc autem cum Monachus factus est , hoc ipso suas res omnes obtulisse Monasterio videtur , si* PRIUS TESTATUS NON SIT.

§. III.

An Monasterium quoad effectum juris & modum succedendi in bona Ingredientis habeatur loco filii.

PRæcipuum ne dicam unicum argumentum , quo quidam probare nituntur Monasterio ab ingrediente relinquendam *legitimam* , desumunt ex Novell. 123. *cap.* 37. Justiniani , & Cap. *In præsentia* , ✠ *De Probat.* quibus evinci credunt Monasterium haberi loco filii , adeoque ipsi non secus ac filio à Patre dandam esse *legitimam* , aliàs per ingressum tanquam per agnationem posthumi rumpi testamentum.

Hoc argumento in suæ opinionis confirmationem utitur R. P. Desiderant parenthesi 10. & clariùs illud proposuit R. P. Clenaerts in *Mantissa quam Thesi def.* 7. *Sept.* 1684. subjecit: » Non nemo aliquis , inquit, existimat Monasterio nihil juris » competere ad hæreditatem Novitii , eo quòd pendeat à mero » illius beneplacito Monasterium totaliter à bonis suis exclude- » re , quandoquidem leges permittant Novitio libertatem dis- » ponendi ante ingressum Religionis. Verùm ex illo principio » nulla veritatis specie infertur quòd Monasterium Novitius pos- » sit omninò excludere. Siquidem etiam leges permittant Pa- » trifamilias liberam testamenti factionem , nec tamen inde in- » fertur quòd ille non debeat relinquere filio legitimam. Atqui » quoad effectum juris & modum succedendi , Monasterium ha- » betur tanquam filius , ut evidenter constat ex *cap. in præsen- » tia , de Probat.* ubi dicitur , quòd si filius intraverit Monas- » terium , Pater non censeatur sine liberis discessisse , ideoque » cesset fideicommissum à Patre factum sub conditione , *si abs- » que liberis moriatur.* Unde sequitur quòd si Novitius testa- » mentum fecerit ante professionem , teneatur Monasterio re- » linquere ut minus legitimam. « Hactenus ille.

Verùm argumenti illius sufficientiam non difficulter percipiet , qui vel prima vulgatissimaque juris principia noverit.

Certum enim est & omnibus Jurisperitis notissimum , fictionem juris esse falsi pro vero asumptionem à lege inductam. Ex quo tanquam indubitatum ulteriùs statuunt , *fictionem non operari, nisi in casibus fictis.*

His juris evidentissimis principiis præmisiis clarissimè argumenti illius patet defectus.

Ex eo quippè quòd Monasterium fingatur seu habeatur à jure tanquam filius , vel loco filii in casu *dict. Nov.* aut *dict. cap.* infert , quòd si Novitium *testamentum fecerit ante professionem , teneatur Monasterio relinquere ut minus legitimam,* quia habetur loco filii. Quid enim id aliud , quam extendere fictionem juris de casu in jure expresso ad casum non expressum , eumque ab expresso planè disparatum ? In casu enim allato agitur de eo , qui *expressè* (nota benè) voluit Monasterium excludere , in allegata verò *Nov.* & *cap.* de casu quo *dubium erat* , nùm Monasterium testator excludere voluisset; instituerat enim pater Filium hæredem , & in casum quo *sine liberis discederet* , substituerat Cajum : quærebatur , num Filio Monasterium ingrediente substitutus esset admittendus , num verò Monasterium , cui filius se suaque (nota benè) *non disponendo* offert , substituto præferendum foret ; respondit Justinianus , & post ipsum Innoc. III. in *dict. cap.* favore Religionis eam interpretationem esse capiendam , quòd Pater non substituisset , si scivisset quòd filius Monasterium intrâsset , ac per consequens substitutum esse exclusum.

Sed quid si filio in casum non liberorum pauperes substituerit ? Indubiè si filius liberos post se relinquat , pauperes substituti excludentur : at quid si filius Monasterium ingrediatur ? Ut argumentum prædictum subsisteret etiam Monasterium *pauperibus* esset præferendum ; sed contrarium in *Nov.* 123. *cap.* 27. in fine resolvit Justinianus , ac per consequens decidit , Monasterium nequidem in causa fideicommissi, seu substitutionis semper haberi loco filii.

Dico igitur cum Zoesio nostro *ad tit. Digest. De Injust. & Rupto Test. num.* 10. » quòd Monasterium non compare- » tur posthumo , nec habeatur loco liberorum , nisi in casi- » bus expressis , inter quos est casus *Auth.* NISI ROGATI *Cod.* » *ad Trebellian.* (idem est casus in *Cap.* IN PRÆSENTIA. *De* » *Probat.*) & quando ab *intestato* (nota bene) quis ingredi- » tur. Ita ut aliàs Monasterio ne quidem debeatur legitima, » cùm non competat aliàs , quàm ex *voluntate ingredientis,* » uti quando non est testatus , vel post testamentum *expressè* (nota bene) bona sua Monasterio defert. «

§. IV.

Quid de propositis quæstionibus sentiant famosiores Juris Interpretes , & singulariter quid Prosper Fagnanus.

UT clariùs intelligatur , quæ fuerit circa propositas quæstiones Juris-Consultorum sententia, duplex casus distinguendus est. Unus quidem , quando quis nihil de Monasterii ingressu cogitans testamentum condit , neque in ipso ingressu innovat , aut revocat. Alter , dum quis cogitans de ingressu Monasterii condit testamentum , quo Monasterium à bonis sius exeludit.

Priori casu , per ingressum Monasterii rumpi testamentum, nimirùm ob præsumptam voluntatem , qua præsumitur quod si de ingressu Monasterii cogitasset, noluisset Monasterium excludere , non desunt qui sustineant , quod refellit Zoesius aliique ab eo citati.

Posteriori , communiter à plerisque Legum Interpretibus ob Leges adeò manifestè libertatem disponendi de bonis suis Novitio ante professionem indulgentes , in eam itum est sententiam , quòd Novitius Monasterium absolutè excludere queat; nec ob ejus præteritionem testamentum periculo ruptionis subjaceat.

Sed quid dico ? *plerisque* legum Doctoribus ita videri ; de hac enim qusætione tractans Franciscus Sarmiento Episcopus Astoricensis & S. Palatii quondam Auditor , *ad L. Si ita quis,* §. 1. *De Legat.* 2. asserere non veretur: » Monasterium respec- » tu Novitii non est hæres necessarius , cùm non rumpatur tes- » tamentum Religionis Ingressu , imò *potius confirmetur* , in quo » NULLUS DUBITAT QUOAD POTESTATEM (nota benè) licèt de vo- » luntate ingredientis dubitetur in *Cap. In præsentia* , ✠ *De* » *probat.* « quasi diceret nullus dubitat , quin Novitius *possit* excludere Monasterium , sed *de voluntate* nonnumquam dubitatur. Illud tamen Doctoris hujus assertum , ut verum fatear, de Legum forsitan interpretibus verum est , at de Canonum commentatoribus verificari non potest ; cùm inter hos sint nonnulli, qui cum glossa Juris canonici asserunt , testamentum ante Ingressum conditum per professionem rumpi ; nec mirum , quia priores præ posterioribus Justiniani Novellis insudantes, clariùs prespectum habuere, quòd Ingredientibus omnimoda disponendi de rebus suis libertas esset concessa: cumque de Legum Justiniani intellectu in præsenti agatur, indubiè prioribus major quàm posterioribus fides adhibenda venit ; quare finem imponam , si priùs quid de præsenti quæstione famosus ille Jurisconsultus Prosper Fagnanus sentiat ostendero; ad illum quippè tanquam opinioni suæ maximè faventem appellat R. P. Desirant. Posquam enim parenthesi 10. asseruit Monasterio à Novitio deberi saltem legitima : citasetque glossam *in Cap.* SI QUA MULIER, *Cus.* 19. *q.* 3. dicentem , » *per ingresum Monasterii rumpi testamentum* » *istius , quia Monasterio non relinquit saltem denarium* , excla- » mat : & quid Glossam appello? Cito Prosperum Fagnanum in » *cap.* IN PRÆSENTIA *De Probat.* Hinc etiam fit , inquit Fag- » nanus, ut quasi agnatione posthumi rumpatur testamentum , in » quo testator , qui postea factus est Monachus , non instituit » saltem in legitima : & est communis opinio ut testatur Jas. in » *dict. Auth. Si qua mulier.* « Hactenus prædictus Pater.

Hæc

Hæc ex Fagnano relata verba si attendantur, quis ambigat, quin cum prædicto Patre Juris Consultus ille Romanus sustineat, per ingressum Monasterii quasi agnatione posthumi rumpi testamentum? At priusquam æquus Lector judicium formet, eum rogatum velim, ut verba Fagnani præcedentibus immediatè subjuncta, sed à sæpè dicto Patre omissa, attendat: sic enim prosequitur Fagnanus: » In hoc tamen contrarium tenuit » Bartolus, cujus opinionem communem dicit Ripa, & magis » communem, *veriorem & æquiorem*, cùm faveat testamento. » Clarus in §. *Testamentum*, *q.* 28. *num.* 5. «

Deindè *num.* 23. immediatè sequenti, quærens Fagnanus, nùm Monasterium habeatur loco filii, resolvit in hunc modum. » Cæterùm adverte, quia hîc (in *Cap.* IN PRÆSENTIA *De* » *Probat.*) est *speciale* favore Religionis, ut Monasterium ha» beatur *loco filii*, cùm aliàs requirantur filii naturales, nec suf» ficiant legitimi tantùm. Quare potiùs constituenda est *regu*» *la in oppositum* (nota benè) videlicet Monasterium non habe» ri loco filii, *nisi in casibus in jure expressis.* Nam cùm hæc » sit quædam fictio, locum non habet *nisi in casibus expresis*... » aliàs verò ut verbis Baldi utar, *fatuitas* est dicere, quòd Mo» nasterium habeatur loco filii; & sanè hinc sequerentur, ut » Monachus haberet Monasterium in sua potestate; ac proin» de quidquid acquireret Monasterium, acquireret Monacho. » Item ut plures esse possent Patres unius filii & plures aliæ » absurditates sequerentur, quas cumulat Felinus. « Hæc Fagnanus; quæ si attendisset prædictus R. Pater, num in suæ opinionis patronum advocasset Prosperum Fagnanum, judicet æquus Lector.

§. V.

Num de consuetudine & jure Belgii vel apparenter supersit jus Monasteriis ad hæreditatem Ingredientis aut Parentum ejus super quo transigere *possent.*

PLura forsan de jure succedendi Monasteriorum in bona Ingredientis aut Parentum, quàm oportuit, dicta fuêre; utpotè jus illud *omne* in Belgio & Regno Galliæ nobis adjacente omnino sit sublatum; in tantum ut in » hisce Regionibus pro» fessus Religionem adeo pro mortuo sit, ut in Dissertatione » latiùs ostensum est, ut omnis hæreditatis sit incapax, legitima » liberorum ei non debeatur: verba sunt Francisci Zypæi *in Not.* » *Jur. Bel. tit. de Episc. & Cler. num.* 10. testamenti factio» nem etiam inter liberos non habeat, succedant ei propinqui » ab intestato tanquam mortuo, *nihil* Monasterio cedat, nisi » quod *expressè* donavit, legavit, &c. « Hinc jure hodierno Monasteria Belgii quoad modum succedendi in Bona Religiosorum redacta sunt ad normam, quæ per quinque & amplius secula ante Justinianum servata fuit, quemadmodum in Dissertatione probavi: ideoque nec in speciem consuetudo, aut jus illud Belgicum injustitiæ argui potest, nî una arguatur jus, quod sub sapientissimis Imperatoribus ante Justiniani tempora servatum fuit. At petet quis, qua ratione stante hoc Jure Belgico adhuc prætendant Professores Ordin. Erem. S. Augustini, *transigi* posse à Monasteriis *super jure ad hæreditatem Ingredientium aut parentum*, cùm nullum simile jus Monasteriis Belgicis supersit. Respondent cum Eximo suo Magistro Lamberto le Drou: *Quod Monasteria Belgii non habeant hoc sensu jus ad hæreditatem profitentium, quod possint realiter eam apprehendere: minimè verò quod non possint pro illa transigere.* Verùm si ex consuetudine notoria Belgii, & apertissimis Principum edictis *nihil omninò* Monasterio debeatur *ab intestato* ex rebus ingredientis, sed omnia non immobilia duntaxat, sed & *mobilia* mox à professione proximis consanguineis deferantur, qua ratione super ea transigi possit, est inconceptibile. Nec enim jus successionis hæreditariæ in Belgio tantùm sublatum est, ut prætendit prædictus Eximius, quoad fundos atque res immobiles, sed in totum, adeo ut nunquam à tempore immemoriali visum sit Monasterium ab *intestato* (nota bene) in rem ullam etiam *mobilem* Religioso sucessisse; sed distinctio illa res immobiles inter & mobiles legem concernit *Amortizationis*, quàm multùm à consuetudine submovente Monasteria à successione ab *intestato* (nota benè) differre in Dissertatione latiùs ostendi. Quare omni caret fundamento, quòd in locum realis apprehensionis bonorum immobilium, ut vult prædictus Eximius Pater, Principes nostri substituerint *jus hereditariæ successionis quantum ad transactionem*, quandoquidem omne omninò jus sive ad immobilia sive *mobilia* ab *intestato* (nota benè) Monasteriis sit ademptum; unde nec in ullo Regio edicto, nec ullo Scriptore Belgico vel umbra illius transfusionis occurrit. Quod enim in ipsius patrocinium advocent Wamesium, nec speciem habere intelliget, qui vel leviter Consilium *Canon.* 432. Wamesii expenderit. Casum Wamesio propositum ejusque resolutionem breviter propono.

Certum Monasterium Ordinis Carthusianorum à Sanctiori Belgi Consilio postulabat facultatem vendendi bona quædam immobilia, quæ sibi delata esse prætendebat ex persona alicujus sui Religiosi, quem unà cum fratre suo ad bona paterna, tum ex jure communi, tum Ordinis sui privilegiis concurrere posse contendebat: respondit Wamesius, quòd tametsi Monasterium inspectis legibus Justinianæis Ordinisque privilegiis in petitione illorum bonorum esset fundatum; tamen ob edicta Principum Belgii certo certiùs Monasterium à Senatu Regio passurum repulsam. Deinde Wamesius more Causidicorum & Consulentium (quem tamen non probo) videns Monasterium, à quo consulebatur nihil jure prætendere posse, suggerit eidem, ut viâ amicabilis transactionis à Fratre dicti Religiosi impetret facultatem bona aliqua immobilia alienandi, quæ transactio vel eo etiam titulo æqua esse poterat, quod, ut apud Wamesium asseritur, inter Monasterium & dictum Religiosi fratrem *jam ante convenerat* (nota benè) quod pro parte & portione dicti Religiosi in bonis suorum parentum in Ducatu Lurzenburgensi sitis, annuè numeraret viginti daleros: ideoque nulla injustitia apparet, si via transactionis Monasterium à Fratre Religiosi impetret facultatem alienandi bona aliqua immobilia ex hæreditate paterna, credito jam ante contracto respondentia.

Quis hinc non videat, quàm leve, ne dicam, futile fundamentum ex hac resolutione Wamesii assumatur pro fundanda transactione super jure successionis *ab intestato* (nota benè) tam notoriè hîc in Belgio abrogato. Et ut daremus Wamensium Monasterio suggessisse viam amicabilis transactionis super jure, quod ipso fatente Senatus Regius non erat agniturus, num quispiam hoc unius Wamesii dictum pro parte sua consulentis sufficere credet ad fundandam transactionem super jure, Principum Catholicorum edictis, Regiorum Magistratuum sententiis, omniumque practicorum judicio jam planè abrogato & extincto?

§. VI.

In quibus Professores Ord. S. Augustini in materia simoniæ circa ingressum Religionis Auctori consentiant.

FOrsitan non desunt, qui universa tum in Libello R. P. Wynants Ord. Erem. S. Augustini, tum in variis Thesibus Professorum ejusdem instituti Dissertatione meæ de *Peculiaritate & Simonia* magna confusione opposita viderunt, credant omnia penè in Dissertatione à me asserta prædictis Patribus improbari; cum tamen si dicta eorum penitus attendantur, in multis imò plerisque mihi consentire apparebit. Et quidem in materia de *Peculiaritate* id *capite præcedenti*, §. 7. abundè ostendi, idipsum in materia de Simonia hoc §. ostensurus ex verbis Eximii P. le Drou, cui ut confido, reliqui tanquam Magistro suo non difficulter subscribent.

Hic igitur *in Promptuario suo Theologo-Canonico anno* 1681. *defenso*, §. 18. ita loquitur: » Porrò Monasteriis quibuscunque » nefas esse autumem pacisci de pastu, prandio, cœna, &c. » die Primitiarum, Vestitionis aut Professionis, & alioquin *Si*» *moniæ* lepra contaminari, *Cap. veniens, de Simonia*, & Extrav. » *Sanè*, *eod. tit.* Nec illam evadent opulenta Monasteria, si » dotem *exigant* à Candidatis, quos spectatis omnibus alere » commodè possunt, arg. *ex Extravag. citata, juncta Glossa* » *ad* verbum *Sanè*. Et ex judicio S. Congreg. Concilii probato » à Papa. Neque verò S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. » aliquid exigere sinit, nisi quando *Monasterium est tenue, &* » *ejus opes non sufficiunt.* Et *in* 4. *Dist.* 25. *art.* 2. *ad* 7. Si» moniacum esse contendit, si possit Candidatus *sine gravami*» *ne recipi.* Et merito, cùm enim tunc desit omnis titulus, om» nis exactio pro spirituali admissione fieri censetur. « Hactenus ille.

Hæc verba dubitare non sinunt, quin ab Eximio illo, ejusque fidelibus Discipulis improbetur omnis illa exactio à Candidatis in admissione ad Religionem, quæ non sit merè titulo *veræ paupertatis*, quæque excedit illud, quòd alimentationi Candidati requiritur, ac ab eodem requiri, ut Religiosi ita sint dispositi, quod candidatum *gratis* admitterent, si haberent, unde alerent.

Hanc esse mentem dicti Eximii ex verbis ante citatis aliisque in allegato Promptuario relatis, non sine fundamento, ut credo, suppono; si errem, melius instrui cupio.

Hinc ulteriùs credo Eximio illi probari quæ *Dissertationis meæ part.* 2. *cap.* 1. contra exactiones Monasteriorum opulentorum asserui.

Neque idem improbari autumo, quòd asseruerim, Monasteria frequenter *prætextu paupertatis* Simoniam incurrere, eo quod, vel paupertatem prætendant, *ubi non est*; dum per inordinatam v. gr. affectationem putant *necessaria*, quæ considerando statum Religiosum tanquam *statum pœnitentiæ & paupertatis* necessaria non sunt: vel quod plura exigant quam alimentationi Ingredientis sunt necessaria; aut recipient personam *amore pecuniæ* (ut loquitur S. Bonaventura in *lib. Apol. q.* 18.) » ita » quòd si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non » reciperent personam; sed ut habeant pecuniam, recipiunt per-

» so-

» sonam ; & hoc , ait Seraphicus Doctor , penitùs impurum est, » *Simoniacum*. Et hoc *plerique* faciunt, pergit Bonaventura, etiam » ex *mera inopia* , optantes aliquem venire cum pecunia , quem » reciperent , ut eorum inopia repararetur , vel debita contrac- » ta solverentur. De talibus dicit Ecclesiasticus : PROPTER » INOPIAM MULTI DELIQUERUNT. «

Hæc omnia mecum probare dictum Magistrum , verba ante allata ambigere non sinunt ; unde nec dubito , quin & assentiatur , Ecclesiam potuisse prohibere generaliter aliquem ad Religionem admitti cum pecunia , quem sine pecunia admittere non possent , eò quòd Monasterii opes ad alium alendum non sufficiant ; non quod Lex Æterna talem admissionem absolutè ac universaliter vetet , aut per se saluti obsit, sed quo salus tutius muniatur. Atque ita , ut verbo dicam , omninò mihi persuadeo, Eximium illum ejusque Discipulos non improbare ea quæ *Dissertationis parte* 2. *cap.* 1. & *cap.* 3. asserui ; quo fiat , ut , me judice, unicus penè in hac materia inter me & sæpè dictum Eximium discordiæ articulus supersit. Hic scilicet , num Ecclesia *de facto* inhibuerit receptionem alicujus ad Religionem cum pecunia , qui *gratis* , & sine *pecunia* admitteretur , si opes Monasterii essent sufficientes, nec plus ab ingrediente petitur, quàm ut ipsum sine notabili Monasterii incommodo alere queant.

Hinc quis non videat , quòd si exactè observarentur in admissione ad Religionem , quæ prædictus Eximius Pater observanda censet , è multis, imo plerisque Monasteriis sordidæ illæ exactiones essent eliminatæ. Quid enim certius , quàm plurima hodierna Monasteria esse sufficientia , ut competentem Religiosorum numerum ex proventibus Monasterii aut consuetis eleemosynis sustentent ; præsertim si sufficientiam ad regulas religiosæ paupertatis metirentur ; neque Monasterii facultates in usos superfluos , præcipuè ædificiorum extructuram , expenderentur; aut ut minùs hoc haberetur , quod nullum esset Monasterium, quod non aliquos *gratis* reciperet ; cùm nullum , ut credo , reperiatur quod non aliquibus sustentandis sufficiat.

§. VII.

Quid in Dissertatione mea de Simonia *circa ingressum Monasterii sustinuerim , & quibus præcipuè argumentis opinionem stabiliverim.*

PRæcipuum , ac ferè unicum punctum , super quo Professores Ord. Erem. S. Augustini inter & me in materia de *Simonia* circa ingressum Religionis discordia intercedere videtur, illud esse paragrapho superiori dixi , quòd illi credant , non esse simoniam , ne quidem juris Ecclesiastici , admittere aliquem ad Religionem cum exactione dotis , dum Monasterii opes *verè* non sufficiunt ad Candidatum sustentandum.

Econtra in Dissertatione sustinuerim ac modò sustineam , sine simonia , ut minùs Juris Ecclesiastici , non posse aliquid temporale exigi in admissione ad Religionem , tametsi opes Monasterii ad alendum Ingredientem *verè* essent insufficientes.

Hoc meum assertum in *Dissertatione , part.* 2. *cap.* 4. probavi.

Primò ex decretis Conciliorum , quæ generaliter , & indistinctè omnem pecuniæ exactionem ab ingressuris nullâ omninò opulenta inter & non opulenta facta discretione , simoniæ condemnant. Quin planè inconsideratè processisse Concilium Lateranense sub Innocentio III. si supradicta distinctio fuisset admittenda , ibidem ostendimus.

» Secundò ex Extrav. *Sanè* , de *Simonia*, in qua Urbanus V. » tam *evidenter* (verba sunt Dionysii Carthusiani *lib.* 2. *de Sim.* » *art.* 10.) imò *clarissimè*, *omnifariè* , & rigorosè prohibuit om- » nem hujusmodi exactionem directè , indirectève factam sive » sub ratione pretii , sive sub colore *indigentiæ & sustentaculi* » *vitæ* , ut Constitutio illa nullam prorsus recipiat *inflexionem*, » *retorquentiam* , *epikizationem seu interpretationem* (nota benè) » *ad oppositum*. Quam etiam Urbani Constitutionem, pergit idem » Doctor , confirmavit successor ejus Gregorius absque excep- » tione & interpretatione. *Ideò dato quod Thomas*, *Ulricus*, » *Raymundus*, *Joannes & qui ante Urbanum V. fuerunt*, inten- » derint dicere, quod aliquid per modum *sustentaculi vitæ* exigi » possit à persona recipienda seu recepta , & quod hoc non sit » *simoniacum ex sua natura* , attamen omnia illorum *scripta &* » *dicta cessant* atque solvuntur per hoc , quòd Dominus Apos- » tolicus post eos determinavit, & jussit oppositum , per cujus » diffinitionem & prohibitionem omnis talis exactio, *quæ per ver-* » *ba Doctorum* jam *prædictorum à quibusdam licita* probatur, ac » reputatur, absolutè prohibetur , imò & *simoniaca* (nota benè) » esse censetur , itaque *simoniaca* est *ad minus de jure positivo*, » ut puta , quia prohibita. «

Tertiò in probationem illius adduxi decretum Concili Tridentini *Sess.* 25. *c.* 3. *De Regular.* Quod decretum à Patribus illius Concilii conceptum ac editum fuisse , ut omnis plane exactio, etiam titulo *paupertatis* ab admissione ad Religionem amoveretur , pluribus , presertim tamen Conciliorum Provincialium decretis pro executione dicti Concilii promulgatis astruxi ; de quo post Joannem Wigers nec dubitârunt quinque illi Sacræ Theologiæ Doctores Gerardus van Werm, Andreas Laurent, Franciscus van Viane, Joannes Recht, & Henricus Scaille, quorum resolutione in *Dissertatione mea* , *part.* 2. *c.* 4. §. 11. reproduxi.

Et quid mirum , si quinque illi S. Facultatis Magistri sententiam meam comprobârint , cùm jam pridem integra præfata facultas, approbando Directorium Ecclesiæ Coloniensis , de quo suprà , judicio suo eam probasse sciatur. In hoc quippe Directorio *sub tit. De Recipiendis & Instruendis Novitiis* habentur sequentia : » Sub pœna anathematis dantibus & recipientibus » præcipimus , ne ante professionem , excepto victu & vestitu » Novitii , vel Novitiæ , illius temporis , quo in probatione est, » quocumque prætextu à parentibus vel Propinquis , aut Cura- » toribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejus tribuatur , cum » ut caveatur detestabilis simoniæ species , tum ne Novitius hac » occasione discedere nequat , quod totam vel majorem par- » tem substantiæ suæ Monasterium possideat. *Quin nec pro ip-* » *so victu aut vestitu Novitii* (nota benè) *aliquid ex pacto detur.* » Cùm enim *Novitiatus sit res spiritualis* , *cui anexum est jus* » *ad victum & vestitum* (nota benè) *à Simonia abesse non po-* » *test* , *de his pacisci* , vel pro jure Novitiatûs acquirendo ad » victum & vestitum contribuere. Si quis autem jure *Novitia-* » *tus acquisito sumptus liberaliter* (nota benè) *refundere velit*; » licitè id facere potest ; modò *nullum intercedat pactum* , *con-* » *ventio* , SPES (nota benè) *aut* MUTUS INTELLECTUS.

» Ut omnibus hac in parte , pergit Directorium , tollatur » *pecandi occasio* (nota benè) non plures in posterum in Mo- » nasteriis virorum aut virginum ad professionem recipiantur » quàm qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum , vel con- » suetis eleemosynis commodè possunt sustentari. «

Hæc aliaque argumenta & auctoritates in *Dissertatione mea* latiùs exposui & reproduxi , quæ si seriò expenderit R. P. Clenaerts sat mirari nequeo , quomodo Thesi 7. Septemb. anni currentis defensæ veritus non fuerit hanc adjicere Mantissam : *Quòd sæpè facta dotis exactio* (ab ingredientibus Monasterium) *sit simoniaca* , *ne quidem est* SPECULATIVE PROBABILE? Num igitur Doctorum illorum , imò totius S. Facultatis præfati Directorii comprobatricis tam levis est apud dictum Patrem auctoritas , ut nec sententiam vel *speculativè probabilem* facere possit?

§. VIII.

Respondetur argumentis , quæ sententiæ meæ paragrapho præcedenti *propositæ opponuntur.*

INter argumenta , quibus Professores Ord. Erem. S. Augustini *hodiernam Belgii praxim* , *quæ recipiendi Monachi dotem non solummodo sponte oblatam accipit*; *sed* & *exigit ac de illa* STIPULATUR , à simonia vindicare student , nullum è Canonibus Conciliorum , aut Decretalibus Pontificum occurrit , præter unicum ex Concilio II. Mediolanensi sub S. C. petitum : verùm præterquam quod nemo non videat quàm parum solidè in materia morum procedant , qui unius Concilii Provincialis decreto defendere ac propugnare volunt praxim continua octo seculorum traditione reprobatam, ostenditur pluribus titulis nihil ex decreto dicti Concilii pro allegata praxi solidi haberi posse.

In primis enim in decreto in patrocinium illius praxeos adducto , non agitur de executione aut interpretatione *cap.* 3. *Sess.* 25. *De Regul.* sed *cap.* 16. *ejusdem Sess.* ideoque quòd ibidem de summa pecuniæ ab *Episcopo terminanda* , *& professione emissâ Monasterio tradenda* dicitur , intelligendum apparet de pecunia , quam parentes Novitii *liberaliter* offerre intendunt, conformiter ad *dict. cap.* 16. in quo unicè tractatur de illis , quæ observanda veniunt circa illud , quòd Parentes aut Consanguinei Novitii *liberaliter* Monasterio tradere desiderant, ut in *Dissertatione*, *p.* 2. *c.* 5. §. 2. latiùs ostendi.

Juvat hunc intellectum supradicti decreti, quod S. Carolus in primo suo Provinciali Concilio agens de executione *cap.* 3. *præfatæ Sessionis* statuerit : » Ut Monasteria in quibus duo- » decim non sunt , quæ professæ velo utantur , quæque eum nu- » merum *propriis fructibus* , *aut consuetis eleemosynis* (nota be- » ne) *alere non possunt* , transferantur , & cum aliis Monas- » teriis ejusdem aut alterius Ordinis *unire* studeat Episcopus *diligenter* ; vocatis ad id Superioribus Regularibus , si modo » res agatur ejus Monasterii , cujus cura ad illos pertineat.

» Si verò , pergit Synodus , ejusmodi unio minimè expedire » videatur , eum numerum tempore interire , & ad nihilum re- » digi sinat ; *adempta omninò illis Monialibus facultate* (nota » bene) *recipiendi Novitias.* «

Quis credat Carolum Religionis pacisque amantissimum, adeò enixè voluisse præfatam unionem aut suppressionem Monasteriorum (quæ rarissime sine magna difficultate ac turbatione ad effectum deduci queunt) si numerum Monialium subsi-

sidio exactæ dotis suppleri posse credidisset?

Ad hæc, si in objecto decreto de dotis *exactione* ageretur, fatentibus etiam dictis Professoribus, distinctio inter *opulenta & non opulenta* Monasteria adhibenda fuisset, cujus tamen nec vestigium occurrit.

Argumentum in defensionem præfatæ praxis petitum ab Episcopo in Ordinatione exigente ab Ordinandis unde sustententur, quo Ecclesia sibi à variis incommodis cavere studet, nec in speciem praxi illi favere intelliget, qui attenderit, in jure positivo de casu ad casum planè disparatum invalidè duci argumentum; ac propterea absona sit consequentia: *Jure positivo licet Episcopo pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum* PER QUANDAM DISPENSATIONEM *ordinare quempiam Beneficio ecclesiastico destitutum, modo patrimonium, ex quo vivat, in titulum assignet; ergo & licet Monasteriis recipere ultra numerum, quem ex communibus Monasterii proventibus alere nequeunt, modo* DOTEM, *unde alatur, Monasterio afferat.* Hujus consequentiæ defectus amplius adhuc patescet, si disparitas inter utrumque casum intercedens attendatur. Quidquid enim Episcopus ab Ordinandis petit, totum penes Ordinatos manet, nec quidquam directè, vel indirectè in Episcopi commodum temporale ex eo redundat; adeòque nec periculum simoniæ subest; at dos à Candidato exacta Monasterio acquiritur, & incorporatur; atque hinc frequenter simoniaca labes, vel numquam non illius præsentaneum periculum nascitur, ac proinde quid nimirum, sibi absolutè, & generaliter *exactionem* dotis prohibuerit Ecclesia, tametsi aliquo casu observatis iis, quæ in *Dissert.* §. 2. *c.* 3. §. 4. expressi, sepositò jure positivo illicita non esset?

Argumentum, quo probari volunt Urbanum IV. in Extravag. *Sane, de Simonia*, non *intendisse comprehendere Moniales pauperes, quæ consueverunt aliquid recipere ex consuetudine*, quia id asserit Glossa ex Felino, (qui 100. annis post Urbanum vixit) qui illud *accepisse fertur* (nota benè) *à fide dignis*, quàm, inquam, hoc argumenti genus aliudque à recentiorum quorundam Scholasticorum auctoritate petitum leve sit, cæcus est qui non videat.

Utinam sæpè dicti patres consulissent non recentiores illos Doctores, *sed Sacros Codices, Traditiones, Pontificum ac Synodorum Decreta, nec non veteris Ecclesiæ Patres*, ut in *Triade sua* §. 1. *monuit Exim. P. le Drou*! non dubito, quin mecum faterentur generaliter *exactionem* dotis in admissione ad Religionem damnatam esse; nulla inter Monasteria *opulenta & non opulenta* distinctione facta, cujus nec vestigium in illis ostenditur.

BREVIS RESPONSIO
AD EA,

Quæ objiciuntur dissertationi canonicæ de *Peculiaritate* & *Simonia*, ejusque Vindiciis, atque harum Appendici, in Thesibus Theologicis def. 30. Januarii 1686. sub præsidio Eximii Patris PETRI CLENAERTS S. T. D. Ordin. Erem. S. Augustini, &c.

PRÆFATIO.

ANno 1684. edidi Libellum, cui titulus: *Dissertatio Canonica, de Peculiaritate & Simonia, &c.* Cui cum libellum quendam oppossuisset R. P. *Wynants* Ord. Erem. S. Augustini, ut dictam meam Dissertationem contra objectiones illius Patris vindicarem, alium libellum in lucem emissi, cui titulus: *Vindiciæ Dissertationis Canonicæ, &c.* Cumque post hæc varii ejusdem Ordinis Professores varia contra præfatam Dissertationem in Thesibus objicere pergerent, tandem coactus fui Vindiciis meis *Appendicem* appendere, qua finem tandem contentionibus fore sperabam: at mea fefellit opinio: ecce enim prodeunt Theses Theologicæ, de quibus titulus, in quibus plurima ad conflandam invidiam doctrinæ meæ, præsertim de *Peculiaritate*, in præallegatis libellis expressæ, congeruntur, & nodo invidioso exprimuntur. Quibus ut breviter respondeam, omnia ad quatuor capita contraham: Primò quidem ostensurus, duo prima Corollaria (è 32. quæ dictus Eximius Pater ex doctrina mea consectaria asserere non veretur) nullatenus ex doctrina mea consequi. Quod ubi ostendero, sua sponte corruent 7. sequentia, quia Prioribus unicè innituntur. Secundo capite ostendam, falsum esse ex dictis meis consequi Corollaria num 10. 11. 12. & 13. allegata; ex quo rursus illegitima illatio 10. subsequentium Corollariorum patebit, utpote quæ ex prioribus velut rivuli ex suo fonte profluunt. Tertio capite reliqua Corollaria minùs sibi cohærentia, nec ex una radice educta, paucis refutabo. Quarto capite breves, ad scrupulos quosdam super doctrina mea ab Eximio Patre propositos, & ad suum captum resolutos, reflexiones faciam.

CAPUT PRIMUM.

DE PRIMIS 10. COROLLARIIS AC EXIMIO PATRE ADDUCTIS.

PARAGRAPHUS I.

PRimum Corollarium his verbis concipitur: *Religiosus non habet jus, ut sibi de necessariis à Prælato provideatur.* » Probatur, ait Eximius, *pag.* 1. *Dissertationis*, Religiosus de» bet ita vivere, ut sua NECESSARIA *de alterius liberalitate &* » *benignitatè expectet*: sed liberalitas & benignitas non præsu» ponunt jus. « Hactenus Corollarium. Ut ampliùs patescat illegitima hujus Corollarii illatio, totum contextum, à quo hæc lacinia invidiosè avulsa est, propono.

Dixeram, in Religioso juxta verba Christi: *Si vis perfectus esse*, &c. eam rerum temporalium abdicationem esse necessariam, qualem facit is, qui simpliciter res suas vendit, & prætium earum titulo simplicis, & absolutæ donationis, in pauperes transfert: cui ut consequens subjungo: » Dubitari nequit, » quin consequenter Religiosus teneatur non tantùm earum pro» prietate, verùm & usu simpliciter & absolutè seipsum pri» vare, ut nihil in res temporales juris prætendat, sed tan» quam pauper earum usum in dies pro necessitate occurren» te, *de alterius liberalitate & benignitate expectet.* « Quis hinc non videat, me hîc loqui de jure Religiosi ad res *particulares* Monasterii, cujus juris incapacem esse Religiosum, dubitat nemo.

Ex quo legitimè infertur, Religioso *jus* non esse, ut usus harum vel illarum rerum *in particulari*, licèt à se fortè Monasterio oblatarum, ipsi à Prælato annuatur; sed illum *à liberalitate & benignitate Superioris esse expectandum*: Ex quo malè inferri, ergo *Religiosus non habet jus, ut sibi de* NECESARIIS *à Prælato provideatur* (nimirum ex proventibus Monasterii in communi) quis non videat?

Et, ut circa hanc meam expressionem aliquid obscuritatis Eximio P. occurrisset; nonne ex aliis locis, quibus mentem clarissimè expresseram, lucem capere, leges charitatatis suadebant & exigebant? Nonne totum §. 8. *part.* 1. *cap.* 1. *Dissert.* impendi, ut ostenderem *teneri Superiores tanquam Fideles dispensatores bonorum communium necessitatibus Fratrum providere*? Quam obligationem rursus *in Appendice mea, pag.* 121. *& seq.* fortissimè proposui. Nonne *pag.* 42. *Dissertationis* videre licuit hæc verba: „ Hoc ipso quo aliquis factus est mem» brum Congregationis religiosæ consequitur *jus* participandi de » rebus communibus Monasterii: quemadmodum quis accipit » *jus* participandi de fructibus Capituli, hoc ipso quo admissus » est ad congregationem Canonicorum? « Si ergo quid obscuritatis in prima expressione occurrebat; quid facilius viro non nisi veritatem sitienti, quàm eam ex citatis locis dispellere?

Secundum Corollarium ita habet: *Religiosus* TENETUR *sua suorumve pretia Monasterio conferre.* Probatur *ait Eximius*: » Primos Christianos tenentur imitari Religiosi *pag.* 1. (scilicet » Dissertationis) & alibi sæpè: sed ii deferebant pretia in com» munitatem Apostolicam, quam intrabant, *pag.* 1. « Quibus oculis Dissertationem meam legerit Eximius, ut hoc ex dictis meis Corollarium inferat, nescio. Quid enim legenti apertius, quàm præcitatis paginis, & sequentibus, unicè à me exemplum primorum Christianorum Religiosis proponi, ut in illo conspiceretur ea rerum communio, quam tanquam vitæ cœnobiticæ palmare fundamentum, mecum SS. Augustinus & Benedictus proposuerunt, & præscripserunt?

Quemadmodum ergo, non nisi perabsurdâ consequentiâ inferri potest: dicti SS. Legislatores primos Christianos imitandos quoad communem vivendi disciplinam filiis suis proposuerunt,

runt, igitur *Religiosus* TENETUR *sua suorumve pretia Monasterio conferre*; ita non nisi simili consequentia hoc Corollarium ex assertis consequens dici potest: cùm luce meridiana, vel obiter legenti sit clarius, me unicè normam vivendi primorum Christianorum adduxisse, ut ostenderem quam vitæ communionem professio cœnobitica requireret.

Ex hoc nunc sponte sua corruit Corollarium 3. *Igitur Religiosi cœnobium, licèt dives, intraturi, tenentur illi sua conferre*, ex præcedenti tanquam radice profluens. Similiter nec 6. sequentia, ex præmissis educta subsistere posse nemo non videbit; quare ad alia pergo.

CAPUT II.

De Corollario 10. *et sequentibus usque ad* 23. *inclusive.*

COrollarium 10. ità exprimitur, *Proprietarius est Religiosus, ex distributione Prælati gestans habitum suo solius usui deputatum.* Pr. » Tridentinum requirit completissimam rerum omnium confusionem nullâ inter eas distinctione servâta, *pag.* 5. » Profectò ædopol! si ita communes calcei esse debeant, quomodo providebitur claudo inæqualium indigo? « Hæc Eximius.

11. His verbis concipitur: *Proprietarii sunt Monachi ad Episcopatum evecti.* Pr. » Non servant communionem illam, » quam ex Trid. (ex ignorantia subtili non intellecto) obtrudit » Dissertator. «

12. Ita sonat: *Item & Monachi ad Pastoratum promoti.* » Per se fluit: fors propter frigidum illud verbum *meum* & *tuum* » Corollarium hoc admisserit Dominus; si ex eorum sodalitio » fuerit, qui Pastoribus Præmonstratensium dicuntur struxisse » insidias aliquando: nec ita pridem. «

Decem subsequentia non nisi surculi sunt, ex prædictis ut tradicibus extracti, quapropter prioribus evulsis & ipsa sua sponte deficient.

Priusquam ad tria radicalia respondeam; duo prænotanda censui. Primum quidem circa Corollarium 12. jam propositum. Hoc enim de illo dicere non vereor: mihi dubium non esse, quin illud quod, *de structis insidiis Pastoribus Præmonstratensium* refertur, una sit ex atrocissimis illis calumniis, quibus nonnulli viros sibi, ut putant Adversarios, calumniantur: hoc scio, me & quem indicatum suspicantur multi, non sine atroci calumnia, ut harum insidiarum participes, vel in suspicionem vocari.

Alterum circa allegata aliaque ex ipsis elicita Corollaria notandum: quod si illa ex doctrina mea de vitio *peculiaritatis* sint consectaria; ipsa quoque ex sententia Illustrissimi Prosperi Fagnani, imò & Sacræ Congregationis Cardinalium consequi, negari non possit. Constat enim ex conclusione Fagnani in *Vindiciis meis*, *pag.* 87. exhibita, item ex declarationibus Cardinalium per Fagnanum ad *Cap. Monachi*, ✠ *De Statuto Monach.* relatis, atque in *Disertatione p.* 1. *cap.* 1. §. 12. & in *Appendice pag.* 111. & 112. iterato propositis: constat, in quam, ex illis, allegatum Illustrem Romanum Juris Consultum, nec non purpuratorum Patrum Cœtum eandem rerum communionem requirere. Et ex eorum sententia, » nemini prorsus Regularium, » tam virorum quàm mulierum cujuscunque qualitatis & conditionis existat (verba sunt Fagnani) nisi sit Officialis, fas esse, » etiam nomine Conventûs habere annuos redditus seu provisiones annuas, bonorum stabilium administrationem, aut pecu- » lium, etiam si illud non *sit superfluum*, *ad necessarios honestos*, & *pios usus* à Superiore ex quacumque causa concessum, » & DEPENDENTER *ab ejus voluntate & nutu*, &c. « Ita in terminis quoque concepta esse decreta Congregationis nemo, qui legere dignabitur, ambigere poterit.

Si igitur Fagnani, aliorumque ab eo citatorum, imò S. Congregationis circa peculiaritatem sententia meæ consonet; quod nec unquam vel Eximius Pater, aliusve ejus Confrater licèt non semel provocatus, ausus fuit inficiari; cur adeo invidiosa ex mea potiùs, quàm Fagnani aut S. Congregationis doctrina, Corollaria educere placuerit Eximio Charitatis præconi? Alii exppendant.

Si sensa mea Fagnani Sacræque Congregationis sensis consentiant, nonne Corollaria ex meis educta, ex illorum quoque sensis eadem consequentia elicientur? Ac per consequens, si mea de peculiaritate opinio proprietarios constituat Monachos ad Pastoratum promotos; nec Pastoratus salvâ meâ sententiâ, possint à Religiosis ullatenus sine vitio proprietatis subiri, eodem vitio proprietatis infecti erunt omnes Religiosi ad Pastoratum promoti ex sententia prædicti famosi Canonistæ, nec non Sacræ Congregationis. Expende Exim. Pater, quo te ducat calamus; dum ex meis de peculiaritate assertis, tam odiosa ac inaudita Corollaria deducis. Attendat, quæso, Reverentia Vestra, num aliquid Ordini Præmonstratensi durius dici queat, quàm universos Florentissimi illius Ordines Religiosos ad Pastoratus emisos, aut emittendos, ex sententia Eminentissimorum Concilii Tridentini Interpretum, Prosperi Fagnani, aliorumque Illustrium Doctorum, quidni & P. Lupi (ut infra amplius patebit) vitio proprietatis esse obnoxios: imò nec illud ex horum sententia evadere posse? Quod de his Corollariis Religiosorum illorum futurum sit judicium, ignoro. Illud equidem scio, nec ex mea, nec S. Congregationis, aut Fagnani de Religiosa communione & paupertate doctrina, Corollaria illa consequi. Fateor quidem Religiosos ad Pastoratum promotos votis Religiosis non absolvi; sed eorum observantiam cum officio Pastorali non consistere, falsum esse fatebitur, ut spero. Eximius, si advertat, quòd vita communis, ac usus necessariorum seu facti à Superiore dependens, commensuranda sint *statui*, *& conditioni Religiosorum*, in quibus eos Dei providentia ex Superiorum directione constituit. Quapropter Religiosi ad Pastoratum promoti, vitam communem, & in usu rerum etiam *facti*, à nutu Superioris dependentiam exactè observare tenentur, *quantum status & conditio eorum permittunt*, ut in *Dissertatione pag.* 16. expressè monui. Hinc juxta novissima Præmonstratensium statuta, Ordinis illius Pastores in Monasterio habitantes *ex communi Cellario in mensa Conventuali ali*, *& ex communi vestiario vestiri juventur*, *neque sibi aliquid ex quotidianis vel annuis proventibus retinere* permittuntur; ut ita quotidie tanquam veri Religiosi voto paupertatis astricti, necessaria sua à Superiore expectent. Vid. *Dissert. part.* 1. *cap.* 1. §. 14.

Extra Monasterium commorantes non quidem ex communi Cellario in mensa Conventuali ali possunt; neque in dies sua necessaria à Superiore recipere; attamen rebus sibi, in eo statu constitutis, ad usum quotidianum necessariis, tanquam communibus, & vere alienis, atque dependenter à nutu Superioris, uti tenentur. Hoc modo, si rebus concessis Pastores Religiosi utantur, perfectam vitæ communionem, ac rerum plenam addicationem servabunt; non secus ac alii quicumque Religiosi, extra Monasterium de facultate Superiorum ad tempus agentes.

Quin tamen Pastoribus, aliisque Beneficiatis Regularibus majus immineat periculum à voto paupertatis deflectendi, ob concreditam illis rerum temporalium dispensationem quàm illis qui in Monasterio degunt, in quo omnibus exuti quotidie sua necessaria ex communibus Monasterii proventibus accipiunt, negari nequit. Hoc indubiè discrimen attendebant Ordinis Præmonstratensis Prælati, dum in novissimis suis statutis enixè monendos censuere sui *Ordinis Parochos*, *eorumque Capellanos*, *& quosvis alios foris aliquod Beneficium vel Officium obtinentes*, *ut memores sint se Religiosos esse*, *& tanquam* PAUPERES NIHIL POSSIDERE. Hinc verò inferre: *Pastoratus Religiosorum non possunt ullatenus sine vitio proprietatis subiri*, ut habet Corollarium 13. absurdum est. Sicuti enim cum perfecta vitæ communione, rerumque plenâ confussione, quam vita cœnobitica requirit & Apostolica vivendi norma expressit, consistit, ut Religiosi singuli habeant *usum* rerum necessariarum seu *facti*: ita quoque eadem compatitur ut usum similem statui convenientem habeant Pastores aliique extra Monasterium degentes, quemadmodum latiùs in *Dissertatione p.* 1. *c.* 1. §. 8. & 10. item in *Appendice c.* 1. §. 6. adstruxi: ut nesciam quâ specie in Corollario jam citato dicat Eximius: *Nec juxta Clar. Tridentini Interpretem*, *cum paupertate consistit usus facti simplex precario revocabilis ad nutum Superioris.* Nescio certè quâ ratione clarius aliquid, quàm hujus oppositum in libellis meis exprimitur, enuntiari possit.

Sat superque ostensum arbitror, nulla verisimilitudinis specie ex mea, aut mecum consentientium sententia consequi Corollaria *num.* 10. 11. 12. & 13. allegata, ac per consequens, & reliqua, quæ ex illis educuntur, corruere, & in fumum abire. Quare ad alia progredior; hoc unicum addo: si quis scire desideret, qua ratione à degentibus extra Monasterium votum paupertatis servandum sit, consulat Diss. *p.* 1. *c.* 1. §. 9.

CAPUT III.

De Corollariis sibi non cohærentibus, neque ex una radice eductis.

PRioribus duobus capitibus Corollaria in unum collegi, quæ sibi adeo cohærebant, & innectebantur ut uno destructo reliqua omnia corruerent; hoc vero capite in unum colligam præcipua ex eis, quæ magis disparata & minus sibi connexa sunt.

Corollarium 24. conceptum est his verbis: *Proprietarius fuit noster Eximius P. Lupus, cujus merita honoravit Roma annuâ pensione, qui & inde depositum habuit de venia Superiorum.*

25 Corollarium præcedenti non parum connexum ita habet: *Jam verò aut Lupus inter* LAXONES *quin & Hyprocritas impios; vel doctrinam ejus infidè traducit Dissertator, part.* 1. *cap.*

cap. 1. *Dissertationis*, §. 7. 8. & 9. & *alibi.*

Ad clariorem dictorum Corollariorum intellectum prænotandum, in *Dissertat. p.* 1. *cap.* 1. §. 7. à me assertum vidisse » quoque Eximium P. Lupum reddituum vitalitiorum particulares reservationes, nec cum professione religiosa, neque cum » Synodi Tridentinæ decreto consistere, quare, inquiebam, hujusmodi pensionatos Proprietariis annumerat; quin imò de » ipsis dicere non veretur: *Nec Monachum induunt, nec secularem deponunt*;« ac tandem multis hujusmodi reservationum relatis incommodis concludit: » Quare qualiscunque *professioni* adjecta pensionis reservatio est *adversa substantiæ* » *aut certè fœda conditio*, adeoque habenda pro non apposita. Eam Præfecti obligantur circumducere, & *in commu-* » *nem substantiam devocare*. Nullâ hîc dotalis eleemosyna, nec » similis quis humanæ infirmitatis *palpo* fulcus valeat patrocinari. Eleemosyna enim debet esse gratuita, non dotalis, & » hunc esse Tridentinæ reformationis scopum, suus locus demonstrabit.«

Cùmque post evulgatam Dissertationem, in quadam sua Thesi Exim. P. Clenaerts hanc positionem defendendam proposuisset: *Etiam Religiosi licitè habent annuos redditus*, eidem in Vindiciis meis doctrinam P. Lupi (cujus auctoritate quod permovendus esset, ejus zelus pro defensione dicti Patris mihi spem faciebat) objeci; utque omnibus pateret, quantopere pensionum seu reddituum vitalitiorum ad usus particulares alicujus Religiosi reservationem P. Lupus improbaret, integrum ejus de illa discursum ex *tom.* 4. *Schol. ad Can.* 6. *Synod. Tholos.* exhibui: in quo tam perspicuè reservationes illas professioni Religiosæ repugnare asserit, ut nec ipse P. Wynants, nec alii, qui Dissertationi meæ se opposuerunt, quidquam reposuerint; nisi quod Eximius P. Clenaerts in quadam sua Thesi, hanc siccam glossam, æquè meis quàm P. Lupi assertis congruentem, apposuerit: » Quæ adfert (de me loquitur) ex P. M. Chris- » tiano Lupo, intelliguntur de affixione, & adhæsione cordis » contraria promptitudini & resignationi in nutum Superioris. » *Et desuper aliàs fusiùs, si horæ sinant.*« Hærebam sanè, num quicquam proferri potuisset, quo ostenderetur P. Lupum non eum fuisse reddituum vitalitiorum improbatorem, qualem eum ex verbis ejus crediderat; at tametsi multæ horæ superfuerint, ut plurima eaque supervacanea adversus doctrinam meam in diversis Thesibus opposuerit; nihil tamen reproductum scio, quo P. Lupus mihi in materia de *Peculiaritate* non consentire ostenderetur.

Sed nec in hisce, ad quas respondemus, Thesibus, quidquam ex verbis aut scriptis P. Lupi reproducitur; sed cùm scripta clariora sint, quàm ut in alienum sensum retorqueantur, ad facta recurritur, atque ex facto ejusdem Patris doctrinam ejus, adeò perspicuis terminis expressam, ad oppositum contorquendam censet. Asserit quod *merita Eximii P. Lupi honoravit Roma annuâ pensione; qui & inde*, ait, *depositum habuit de venia Superiorum.* Ex quo ulteriùs infert: *Jam verò aut Lupus inter* Laxones *quin & hypocritas impios; vel doctrinam ejus infidè traducit Distertator.* Probatur, » (inquit Eximius » Thesista) quia Eximius Lupus idem docuit, quod Clarissimus, » vel non: si primum, ergo & laxo, & hypocrita fuit, qui » deposita scribendo rejecit, practicando probavit: si secundum, » ergo palam infidè traducitur.« Ut verum fatear, de praxi P. Lupi curiosiùs non inquisivi, quia non de praxi Viri, at de doctrina agere animus fuit. Id tamen dico, à fide digno apprimeque de praxi P. Lupi instructo relatum esse, illum à depositis seu peculiis summoperè abhorruisse, nihilque religiosiùs ei fuisse, quàm omnia undecunque ipsi obvenientia, etiam jure Facultatis, ad manus Procuratoris, in usum communem ipsius Conventûs expendenda, reponere; ut nec per manus suas transire vellet.

Corollario 31. dicis, Eximie P. ex doctrina mea de peculiaritate consequi, quòd *S. D. N. P. Innocentius XI. contravenit Lateranensi, & Tridentino.* Rursus hîc attende Exim. Pater, ut capite præcedenti monui, si Corollarium illud ex mea consequantur opinione; consequens quoque sit ex sententia S. Congregationis, Prosperi Fagnani, ac P. Christiani Lupi. Liceat ergo mihi te verbis tuis interpellare: *Quo tuus tandem rapitur calamus, abripitur sensus, Exim. P.* Unum à te peto Eximie, credis P. M. Innocentium XI. probare Constitutionem Clement. VIII. quæ incipit, *Nullus omninò* à Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. confirmatam, ac innovatam? Si credis, credas consequenter ex mente Innocentii XI. esse, ut nullus ex fratribus » bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, » proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive » ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia quàm » ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, » & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tanquam propria, aut nomine conventus possidere possit, *sed ea omnia statim Superiori tradantur, & conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pe-* » *cuniis* ac proventibus confundatur, quo communis inde vic- » tus ac vestitus, omnibus suppeditari possit.«

Item. » Quod nulla quorumcunque Superiorum licentia, » quantum ad bona mobilia, vel immobilia (ut jam ordinatum » est) fratres excusare possit, verba rursus sunt Clementis VIII. » quominus culpæ, ac pœnæ ab ejusdem Concilii Tridentini » decretis impositæ & ipso facto incurrendæ, obnoxii sint; etiam- » si Superiores asseverent se ejusmodi dispensationes, aut li- » centias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè, in- » quit Pontifex, adhibere volumus.« Hactenus constitutio tot Pontificibus probata, quam si Exim. P. *veneraretur ad apicem*, faciliùs speranda esset concordia: sed nescio quo facto accidat, ut licèt in singulis meis libellis non semel Constitutione illâ in doctrinæ fundamentum sim usus, nunquam vel verbo, seu in Libello R. P. Wynants Ord. Erem. S. Augustin. seu Thesibus Professorum ejusdem Ordinis, mentio illius occurrat.

Ad ulteriora pergo, unà addens, ex Urbe ad me delatum esse, peculia, seu deposita Religiosorum, disciplinæ Monasticæ plurimum nocentia, Innocentio XI. plurimum displicere.

Corollarium 33. hoc tenore exprimitur: *Scholares S. J. non sunt veri Religiosi, quod non potes admittere, si, ut quidem spero, Vaticanum respicis reverenter.*

At Exim. P. antequam ad Corollarium respondeam, quid illud *si* cum parenthesi adjunctâ? Nonne per illud meam erga Pontificia decreta debitam reverentiam in suspicionem adducis? Quæ, amabo te, suspicionis causa? Hoc interim cum aliis similis farinæ transeat.

Ut quid dubitas, eximie P. me oppositum Corollarii vestri admittere? cùm illud non semel *cap.* 1. §. 1. Appendicis expresserim?

Quod verò in probationem Corollarii adducitur, Scholares Societatis Jesu habere rerum suarum *dominium* declarante Gregorio XIII. in Constit. *Ascendente Domino*, credo me abundè in Appendice satisfecisse, ut in illius refutationem hîc pluribus immorari judicem supervacuum: hoc unum noto: *Dominium* Scholarium Societatis Jesu cum *Dominio* pupilli non posse confundi. Licèt enim pupillus de rebus suis per se disponere nequeat, attamen per alium, scilicet tutorem, in utilitatem propriam disponere censetur, ac propterea dominium pupilli dominium verum *Proprietatis* dici potest; at dominium Scholarium S. J. licèt suos habeat effectus: quia tamen vi illius, quandiu votis Religionis sunt obstricti *in utilitatem propriam* disponere nequeunt, dominium *Proprietatis* dicendum non est, sed *dominium civile*; quod num aliquo sensu *verum dominium* vocari queat, discuti non meretur; modò non sit *Proprietas*, quæ juxta probata in Apendice, essentialiter voto paupertatis religiosæ repugnat.

Finem capiti huic facerem, nî verba tua E. P. quæ in fine hujus Corollarii subjicis, moram injicerent. Ais enim: *Plura nobis ad manum sunt quæ magno impetu proponemus, si quis deinceps ausus fuerit veritatem agnitam impugnare. Verbo dico: Monachi relinquantur in pace, vel pœnittebit invasores. Necdum, ut ita dicam, incepimus; adversarios suos, non magis quàm latratus caninos Luna, timent Monachi.*

Eximiæ P. Filium & Discipulum M. P. Augustini te profiteris: expendas quæso, num verba hæc S. P. tuis verbis, & factis consentiant. Patiebatur ipse Adversarium non Præsbyterum, non Doctorem se seniorem, sed Episcopus & senex, *juvenem*, & *laicum*; erroneam, ac scandalosam, imò hæreticam propugnantem sententiam (quàm tamen veram existimabat) Vincentium Victorem dico; quomodo eum tractet Charitatis & Veritatis Doctor, quæso attendat E. P. V. omnesque, qui in dogmatibus Adversarios sustinere coguntur: » In hoc, inquit, te planè laudo, quòd veritatem etsi nunquam percepisti, certè » *quam putasti, homini prætulisti*, ideo quidem temerè, quia » existimasti scire te quod nescis, *sed ideo liberè, quia per-* » *sonam non veritus, elegisti aperire quod sentis.*« Lib. 4. de Anima & ejus orig.

CAPUT IV.

De Scrupulis Eximii P. Clenaerts.

IN libello R. P. Wynants *pag.* 80. *apertus Monachorum invasor* audire debui; num opithetum illud è calamo tuo Exim. P. fluxerit, nescio; id tamen ex præsentibus Thesibus nimis quam manifestum est, me non meliori loco apud P. V. haberi. Quid enim, quæso R. P. aliud insinuant, imò apertè præ se ferunt hæc, quæ in primo tuo scrupulo scribis: » Eram plus » paulo moraliter certus, quòd si C. D. Z. B. Van Espen Dis- » sertationi Canonicæ veritatis Canonem opponerem, præter » beneplacitum ejus, cui injuriæ displicent, illico adversum me » fureret legio propemodum integra cujusdam Synodi, *quæ* » juxta eximium Lupum in proëmio Exhibitionis SS. Canonum » circa jus Regularium Ecclesiarum quoad prædicationem Di- » vini Verbi, *ab aliquot annis descendit ex superiori Galliâ* » *in*

» *in Belgium, & cunctos regularis vitæ Professores profitetur* » *hostiliter mordere.*«

Nonne ex his vel luscus videat, me, mihique conjunctos reduci in catalogum illorum, *qui cunctos Regularis vitæ Professores profitentur hostiliter mordere?* Quid aliud insinuas, dum toties odiosum illud nomen *Anti-Monachi* in scenam reproducis? At mentem non æquivocis, sed claris terminis Corollario 20. expressisti. Postquam enim citra ullam veritatis umbram contradictionis me arguere non erubuisti, subnectis: *Nihil enimmiri, quod* Monastices opugnatur *contraria diceret.*

Sed quod fundamento Exim. P. me monastices oppugnatorem, Anti-Monachum, aut similem regularis vitæ hostem probas; vel pro tali suspectum publicè traducere non vereris? Undè conscientiæ tuæ *pacificatio*?

Num fortè in scriptis, verbis, factisve meis sufficientia ostendisti, quæ conscientiæ pacificationem adferant? Si ita sit, verbis tuis te rursus compello: *Jam, si ullibi, tenerit loqui; ostende impigrè, ut te decet*, quæ sint scripta, verba, factave mea, quæ *Anti-Monachum* similemve me ostendant, & probent.

Sed audio dicentem, in libellis tuis *omnes impetis Regulares* (verba Exim. P. sunt in Thesi def. in August. ann. 1684.) Imonè verò, *omnes Regulares impeto, & Anti-Monachus* dicor, quia de vitiis Religiosorum quorundam scribo?

Imò, hæc esse videntur hodierna tempora, ut si vitia non *Religionis*, sed Religiosorum quorundam improbes; *Religionis inimicus, & veritatis dicaris impugnator*, ut suo tempore deplorabat Magnus ille Carnotensium Antistes, Joann. Sarisberiensis *lib. 7. Polycrat. cap. 21.*

Quidni eodem fundamento Anti-Canonicus, & Canonicorum osor dicar, quia abusus defectusque Canonicorum, in mea de *Officio & Instituto Canonicorum* Dissertatione ostendi & improbavi? Quidni eodem fundamento quotquot de defectibus abusibusve, circa officia Advocatorum, Procuratorum, Militum, Opificum scribunt, omnes tanquam Officiorum aut opificiorum impugnatores & osores traducantur? O misera Doctorum sors! Cùm eorum, præcipuum officium sit, abusus qui successu temporis, in singulis hominum conditionibus invaluerunt, notare ac impugnare; non poterunt, ni officio desint, notam invasoris Advocatorum, Procuratorum, aliorumve, quorum defectus notant, evadere?

Plura de hoc argumento dicere supersedeo, quia summam ejus perniciem sat superque in *Vindiciis meis, cap. 1. §. 4.* ostendi, ut nesciam, Exim. P. quomodo tibi incidere potuerit, ut illis lectis, iterato hoc argumento, me similibus titulis honorare pergas.

Quod in eodem primo tuo scrupulo, & pacificatione conscientiæ dicis, te causam Magistri tui Christiani Lupi debuisse suscipere, *ne gradiis arundo fieret, qui nuper basis* est unà cum sequenti tuo scrupulo, ejusque pacificatione, paucis examinandum.

Dicis Scrupulo 2. te suspicatum multoties phrases, quibus sententiam P. Lupi designabam *p. 2. cap. 4.* esse Eximio illi *injuriosissimas*: *Angebar*, ais, *subindè, an non pecassem judicando temerè.* At qua ratione tibi scrupulus exemptus Exim. P. Quia, inquis, in *pacificatione conscientiæ*, Exim. P. Farvacques S. T. D. & P. Ord. sustinuit, phrasses illius Clarissimi (me indicat) *Tanti Viri doctrinæ & probitati esse injuriosissimas.* Verùm quàm parum illius P. sine ulla probatione assertum, ad eximendum scrupulum de formato *temerario* judicio valeat, quis non videat? Vidit, ut apparet, & Eximius; addit enim: *Sed & alia me pacificaverunt motiva.* Quæ? Quia, inquit, injurius forem Eximio D. Van Viane, aut S. Facultati Matri meæ, si dicerem, illum in tractu *De Ordine Amoris*, asserere aliqua, quæ non nisi à laxioribus ad omnem *novitatem* quodammodo prurientibus &c. traduntur; vel ab hac doceri puncta varia à S. Sede proscripta &c. Ergo, infert similiter non temerè judico, si dicam phrases Clarissimi P. Lupo esse *injuriosissimas.* Verùm Exim. P. quàm hæc similiave *motiva pacificandæ conscientiæ* levia sint, nescio quomodo non videas?

Non enim injurius esse D. Van Viane, aut S. Facultati, quia talia de illis asereres, sed quia *falso* & sine ullo *fundamento* talia ipsis affingeres. Ut ergo legitima tua esset consequentia, probandum tibi esset, me aliquid falsò ac temerariè P. Lupo affinxisse. Fateor me dixisse dogma P. Lupi quo excusat à simonia Monasteria etiam *opulenta*, attendat benè exigentia, ac stipulantia dotem ab ingredientibus, titulo transactionis super jure ad hæreditatem, *novum* esse nec teneri ab ullo ex veteribus, imò nec recentioribus, *nisi fortè unum aut alterum ex laxioribus exceperis*: quin & audacter addo, nec ullum ante P. Lupum reperiri, qui *titulo transactionis super hæreditate*, attendat quid dicam, praxim stipulandi dotem à Candidatis, à simonia vindicaverit. Hæc dixisse & nunc me dicere profiteor; num propterea *injuriosisimus* P. Lupo? Non credam, nisi probetur, me vel dogma aliquod imposuisse dicto P. quod in scriptis suis non publicavit; vel ostendatur, quod toties expostulavi, Doctores aliquos, qui inter *laxiores* numerari non merentur, dogma P. Lupi, in quantum à simonia liberat Monasteria *opulenta*, tradere, aut vel unum, titulo *transactionis*, (nota benè) praxim illam, ante P. Lupum, justificâsse. At dicet Eximius: reponis P. Lupum inter *laxones*. Falsum est; dixi quidem dictum P. unum dogma (num plura non inquisivi) tradere, quod *non nisi ab uno forsitan alterove è laxioribus*, tenetur: sed inde inferre, ergo reposui P. Lupum inter *laxones*, quam absurdum sit, nemo nisi cœcus non videt: & evidenter in *Vindicis, cap. 1. §. 3.* ostendi. Nisi igitur Eximie P. probes aliqui falsò à me P. Lupo affictum, aut me virum illum inter *laxones* reposuisse, & tamen pergas plenis buccis clamare *phrases meas* Viro illi *injuriosissimas*, meque Virum illum inter *laxones* retulisse, attendas, qua ratione coram districto judice *pacificationem conscientiæ* sis reperturus.

Scrupulum alium, ut apparet, moveram Exim. P. quia in *Appendice, cap. 2. §. 7.* dixeram, judicium Sacræ Facultatis adeo levis ipsi videri auctoritatis, ut nec sententiam speculativè probabilem redderet. Hunc scrupulum, ut sibi eximat, dicit: 5. Doctores (quorum judicium in Diss. in sententiæ meæ patrocinium adduxi) non facere integram S. Facultatem. Verum est, quod asserit; at hoc dicendo scrupulus non eximitur; non enim dixi judicium S. Facultatis ab ipso in vilipendium adduci, quia contra judicium 5. DD. censet nequidem esse *speculativè probabile*, exactionem dotis ab Ingredientibus Monasterium esse *Simoniacam*; sed quia hoc asserere non fuit veritus, postquam vidit in Dissertatione, dictam exactionem dici *Simoniacam* in quodam Directorio Coloniensi per sacram Facultatem approbato simpliciter sine clausula, *seu majoris ejus partis*, quæ censuræ contra Famosum *Candidum* fuit apposita. Porrò, quo spiritu hujus *Candidi* hîc importunè injecta sit mentio, ex modo proponendi judicet Lector.

Quod verò ais, judicium 5. Doctorum in *Dis. p. 2. c. 4. §. 11.* adductum, tibi favere, non credò ni sententiam mutaveris; si ita sit resolutioni Doctorum subscribe: nec dubito, quin pax inter nos super hoc puncto sit futura. O utinam!

APPENDIX

In qua tria proponuntur. 1. Argumenta quibus nihil hactenus repositum. 2. Medium concordiæ in puncto doctrinæ à me propositum. 3. Generales quædam circunstantiæ circa Theses Eximio P. expendendæ.

AD Primum quod attinet, in prima Dissertationis meæ parte, quæ est de *Peculiaritate*, (de qua sola agit Thesis adversus quam præsens Responsio dirigitur) propositum fuit ostendere, vitam cœnobiticam pro præcipuo suo fundamento ac basi requirere, rerum omnium undecumque, ac quacunque ex causa obvenientium, in usum communem confusionem, id est, ut omnia ita sint communia, ut *indifferenter omnium necessitatibus* impendantur.

In conclusionis hujus probationem, primò adduxi exemplum primorum Christianorum, de quibus legitur: *Erant ipsis omnia communia.* Ne verò crederetur solùm communia fuisse quoad *Proprietatem*, addit Sacer Textus: *Dividebatur singulis prout cuique opus erat.* Ex quo evidens est, quòd sic *omnia essent communia*, ut per illa *singulorum* necesitatibus *indifferenter* provideretur; quo fiebat, quod subdit Scriptura: *Neque enim quisquam egens erat inter illos.*

Secundo loco reproduxi Religiosorum Regulas, præsertim, Augustini, & Benedicti, in quibus tanquam vitæ religiosæ primarium fundamentum, rerum communio primorum Fidelium jam relata, servanda præcipitur. Et quidem S. Augustinus, ut ostenderet hanc rerum comunionem esse fundamentum, cui disciplina monastica præcipuè innittitur, Regulam ab ea exordiendam credidit: » Primùm, inquit, ad » quod in unum congregati estis, ut unanimes habitetis in domo » & sit in vobis anima una & cor unum in Deo, & non di» catis aliquod *proprium*, sed sint vobis *omnia communia* & » distribuatur uniquique vestrum à Præposito vestro victus & » tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter » valetis omnes, sed potiùs unicuique sicut opus fuerit. Sic » enim legitur in Actis Apostolorum: *quia erant ipsis omnia* » *communia.*« Ne verò quis Fratrum, in opere sibi injuncto tepesceret, quia opus suum non minùs *aliis*, quàm sibi profuturum videt, dignum hoc *Charitatis* Doctore monitium eructavit: » Nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra » fiant in commune... *Majori studio, & frequentiori alacritate* » quàm si vobis *singulis* faceretis *propria*: charitas enim, de » qua scriptum est, quòd non *quærat quæ sua sunt*, sic intelli» gitur, quia *communia propriis, non propria communibus an*» *teponit.* Et ideo quantò ampliùs rem communem, quàm pro» priam vesttam curaveritis, tantò vos ampliùs profecisse no» veritis: ut in omnibus, quibus utitur transitura neces-

si-

sitas, superemineat quæ permanet charitas. «

3. Conclusionem suprà allegatam probavit auctoritate Concilii Tridentini declarantis, » quod nemini Regularium, tam » virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mo» bilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab » eis acquisita, tanquam propria, aut *etiam nomine Conventûs*, » possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradentur; » *Conventuique incorporentur.* « Ut verò ostenderet, quod incorporatio hæc fieri debet ut omnia in *usum communem Conventûs* impendantur, mox subjungit: » Mobilium verò usum » ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui pauper» tatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in » ea sit, *nihil etiam, quod sit* NECESSARIUM, *eis denegetur.* « Adhæc; ne vel minima circa sensum Tridentini obscuritas maneret, constitutionem Clementis VIII. reproduxi, in qua declaratur necesse esse, ut *omnia undecunque Religiosis obvenientia cum cæteris Conventus redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo* comunis victus, & vestitus, omnibus suppeditari possit.

Huic Pontificiæ declarationi adjunxi decreta Synodorum, præsertim Belgicarum, pro executione Tridentini habitarum, quæ decernunt, ut prorsus » omnia in *communem usum con» vertantur*, ita ut impleatur (verba sunt Synodi Audomaren» sis) à Religiosis, quod sibi imitandum sumpserunt, & *ad quod* » *Religione sempiternâ se obligârunt* (non potest res illa » inculcari satis) illud primitivæ Ecclesiæ: *Multitudinis cre» dentium erat cor unum & anima una: nec quispiam eo» rum, quæ possidebat* &c. «

His argumentis sat superque adstructum credidi, vitam communem, quam tanquam basim & fundamentum vita cœnobiticæ exigit, requirere, ut omnia in communem usum convertantur. Ex quo ulteriùs intuli: nullâ Prælatorum dispensatione ab ea recedi posse; *cum compertum sit*, ut ait Tridentinum, *ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.* Quod etiam ex professo Clemens VIII. aliique Pontifices, nec non Concilia declarârunt.

Ex quibus hoc necessarium consequens intuli: non licere ulli Regularium habere *annuos census, seu provisiones annuas, vel peculium non superfluum ad suos particulares honestos usus, nomine Conventus ac de suorum* superiorum licentia, verba sunt S. Congregationis, & *dependenter ab eorum voluntate, ac nutu.*

Per hæc argumenta in Dissertatione latiùs deducta, tam evidenter conclusionem, & ex illa deducta Corollaria, probatam credidi, ut licèt futuros doctrinæ meæ adversarios non ambigerem, qui tamen argumentis responderet, non crederem futurum: nec fefellit opinio: nam licèt Professores Ord. Erem. S. Augustini magno impetu, & studio doctrinæ meæ se opposuerint, de omnibus tamen prædictis argumentis summum eorum fuit silentium; cujus indubiè silentii ipsa argumentorum evidentia, unica causa fuit.

Secundum hic repetendum, est medium concordiæ, quod in Appendice nupera proposui. Primò quanta potui sinceritate breviter & articulatim *cap.* 1. §. 7. proposui ea, in quibus Professores Ord. Erem. S. Augustini mecum in materia de Peculiaritate consentire videntur. Sequenti verò §. per 19. articulos clarissimè ac distinctissimè quæ in hac materia sentirem, exposui. Hæc mihi facillima apparebat ad concordiam via.

Si enim puncta, super quibus convenimus pro suis agnoscerent (quin enim agnoscere debeant, si dictis stare velint, non dubito) magna ex parte hæc contentio quiesceret; in plurimis enim consentimus. Si verò inter articulos doctrinæ meæ aliquos offendissent, qui displicerent, illis selectis tantùm respondendum erat, & oppositum rationibus stabiliendum; atque ita cum charitate veritatem inquirendo, superfluis ac impertinentibus rejectis, compendiosissima erat ad concordiam via. Quam cùm Exim. Pater Thesista neglexerit, & ad nescio quæ Corollaria aliaque ad rem parum, aut nihil pertinentia deflexerit, Lectoris sit judicium; quis ampliùs concordiam quærere sit dicendus, an ego, qui medium concordiæ accommodatissimum proposui, an qui medio neglecto ad devia, & punctum controversiæ amplius intrincantia divertit.

Tertio denique expendendæ generales quædam circumstantiæ oppugnationem doctrinæ meæ de *Peculiaritate* comitantes. Prima itaque sit, *Quis.* Qui regulam profitentur Augustini, quod mireris! Quid enim magis mirum, quàm Filios Augustini se opponere doctrinæ, quæ *communionis bonorum* inter Religiosos necessitatem propugnat? Licèt enim universi Religiosorum Patriarchæ eam præscribant, ac inculcent, præ reliquis tamen Doctor *charitatis* eam tanquam *charitatis* singulare nutrimentum commendat & inculcat; adeo ut verè dicatur, quòd sicuti *obedientia* spiritus est Benedicti, ita rerum *communio* sit Spiritus Augustini.

Secunda circumstantia, *Quid.* Doctrinam non à me inventam, sed in PP. Regulis, Conciliorum decretis, ac Pontificum constitutionibus dilucidè expressam; à probatissimis Auctoribus, ut ante notatum, jam pridem traditam ac propugnatam doctrinam, quæ ad conservandam rerum communionem *charitatis* ac *concordiæ* matrem, ducit: destruit *peculiaritatem quæ ubi à Monachis habetur, neque* concordiam, teste Gregorio Magno, *neque* charitas *in Congregatione eadem poterit permanere.* Quàm hujusmodi doctrinæ impugnatio periculosa sit, quis non videat?

Tertia circumstantia, *quibus auxiliis.* Per *repræsalia.* Quod ut crederem non potuissem induci, nî in Thesibus, cum impugnandi modum dolens ipse conspicere debuissem. Ita enim in Thesibus suis Exim. Pater *conclus.* 6. loquitur: » Quid de in» vasione Jansenii (doctrinam, non Virum intelligo) quid, in» quam, de invasione Jansenii conqueri posset quispiam? Ubi » *Lupi* fœtus *Christiani* ex ovili sacro non ejecit Pastor obvium » Christi: ubi in eâdem celeberrimæ hujus Universitatis Facul» tate Sacra Lupus creatus Doctor, de eadem præ Jansenio » perquam abundè meritus, Lupus multis titulis illustrior Jan» senio invaditur tam impetuosè? Quid sunt *Repræsalia?* «

Etiamne ergo, Eximie Pater, veritas *repræsaliis*, more bellico, propugnanda? Quid mysterio divinæ gratiæ, & prædestinationis, de quo Jansenius, cum mea de Peculiaritate & Simonia sententia affine? Quid quæso Jansenii oppugnationi cum oppugnatione dogmatis P. Lupi commune? Unde ille tuus bellicosus spiritus? Certè Exim. Pater, ut cæteros vestros oppugnandi modos, v. g. quòd personam meam ampliùs, quam doctrinam aggrediaris; item quòd principaliori doctrinæ puncto neglecto, ad nescio, quæ diverticula divertas; ut inquam, modos illos præteream, hic unicus abundè imbecillitatem sententiæ, hujusmodi *auxiliis* fulciendæ, ostendit.

Quarta circumstantia sit *cur.* Rationem *cur* tanto molimine Exim. Pater se opinioni meæ de *Peculiaritate* opponat, indicat Corollarium 29. ne scilicet » innocentissimæ Moniales » ulteriori carnificinæ subjaceant, & ex erronea ex meo libello » contracta conscientia trepident *timore, ubi non est timor.* «

Exim. Pater, quando Moniales, aut Religiosos à timore in retinendis peculiis, contra non meam tantùm, sed & S. Congregationis, Fagnani, aliorumque sententiam eximere tentas, & observantiam paupertatis ad quietandas, ut innuis, conscientias relaxas, attende, quæso, illa, quæ de relaxantibus votum paupertatis jam pridem scripsit Reverendus P. Gosswinus Nikel Præpositus Generalis S. J. in Epistola ad Fratres S. J. *De amore & Studio perfectæ paupertatis*: In qua relatis variis prætextibus, quibus nonnulli recessum suum à perfecta paupertate justificare volunt hæc subjungit: » Quæ » dum memoro, subit animum, nec sine mœrore fateor, re» cordatio nonnullorum, qui sibi infeliciter, aliis *damnosè* » *acuti*, laxandæ ultra jus fasque omne paupertati, sua quæ» dam commenta excogitant vel aliunde conquisita, in vul» gus asserunt, docentes gravia quædam, & factu admodum » periculosa, salvâ atque integra paupertatis & voti obliga» tione, licere; invehuntque ea passim ejusmodi rerum igna» ris, ne, ut ajunt, *imperitiâ suâ decepti, trepident timo» re, ubi non est timor, & frustra peccent, si forte illici» tum putent* quod doctorum hominum arbitratu, quorum mu» nus est, hasce de conscientia quæstione dissolvere, tutò » & sine ulla culpæ suspicione fieri posse statuitur. *Quâ sa» ne pietate, nihil crudelius fingi potest.* «

Finio, Exim. Pater, si hoc unum addidero, falsum esse omnibus Religiosis meam de *Peculiaritate* doctrinam displicere (ut in Thesi tua & in declamatione tempore disputationis indicâsti) nec enim desunt ex variis Ordinibus varii, qui doctrinam meam non judicant statui Religioso injuriosam, sed præsenti Religionis statui opportunissimam. Unum audi, non Religiosum duntaxat, sed Abbatem eruditione & zelo instaurandæ monasticæ disciplinæ illustrem. » De hoc ope» re vestro (ait in litteris à me datis) dicere non vereor, esse » videlicet. . . *opportunissimum* præsenti Religionis statui in » quo tam multos videmus cupiditate, seu bonorum tempo» ralium amore, & laxis hominum opinionibus huic cupidi» tati faventibus abreptos, minus pro sancta, quàm impios » pro scelerata bonorum communione conspirare. Horum enim » vox auditur *Proverb.* 1. dicentium: *Marsupium unum sit* » *omnium nostrum*; illi autem si non ore, saltem opere cla» mant, quot capita, tot marsupia nobis sint iniquis pecu» liis plena; quod quanta in Religionem mala invehat, & » experientia docet, & in prima libri tui parte abundè & ner» vosè probatur. «

MANTISSA.

AN Exim. Patri certum non est, aliter à simplici Religioso, aliter à Religioso Episcopo servandum votum obedientiæ? Quid ni ergo & certum ipsi sit, aliter ab illo, quàm ab hoc observandum votum paupertatis?

Vidit B. PASMANS
Lib. Censor.

APOLOGIA

ZEGERI BERNARDI VAN ESPEN

J. U. Doctoris, & Professoris,

Qua se vindicat à *palinodia*, & Bullæ Clementis VIII. *capituli corruptione*, quas in Epistola familiari ipsi impingit Eximius Pater DESIRANT S. T. Doctor.

Occasio, & Scopus Apologiæ.

EXimius P. Clenaerts S. T. D. Ordinis Eremitarum S. Augustini in Thesibus Theologicis 30. Januarii proximè elapsa defensis, varia Corollaria falsa, absona, ne dicam, absusda, tanquam ex doctrina mea de *paupertate* & *communione religiosa* consectaria proposuit, quibus deinde scrupulos quosdam circa doctrinam meam, cum pacificatione constientiæ subjunxit.

Hisce Thesibus *brevem Responsionem*, quæ quatuor capitibus unaque appendice constat, opponendam censueram. Et quidem prioribus tribus capitibus, Corollariis, quæ ex doctrina mea inferebantur, respondi: quartò verò, super scrupulis atque conscientiæ pacificatione breves reflexiones feci. In Appendice autem tria proposui. Primò compendiosam repetitionem argumentorum, quibus hactenus nihil repositum erat. 2. Medium concordiæ in Appendice Vindiciarium propositum, iteratò reproduxi. 3. Generales quasdam circunstantias circa prædictas Theses expendi.

Huic *Brevi Responsioni* Exim. Pater Desirant Confratri suo suppetias ferens epistolam familiarem opposuit: at mirum quàm pauca post operosam responsionis discusionem, in defensionem Collegæ sui opponenda repererit.

Nihil enim illis, quæ scripsi in refutationem Corollariorum, quæ ex sententia mea erant illata, reponendum invenit, nisi hoc unum: me cecinisse *Palinodiam*, dum ostendere volui, cum doctrina mea consistere, Religiosos ad Pastoratum promotos posse exactam paupertatem, & communionem religiosam servare.

Reflexiones super scrupulis, ac circunstantiis Thesium si non probavit, saltem non improbavit.

Ad argumenta in Dissertatione ad Doctrinæ confirmationem ducta, & in *Brevi Responsione* iteratò breviter reproducta, nihil rursus responsum, nisi ad unicum ex Constitutione Clementis VIII. petitum: at quàm parum ad rem, ex dicendis patescet.

Denique occasione scrupuli, quem cap. 2. *Responsionis* moveram: cur adeò invidiosa ex mea potiùs quàm Fagnani, aut S. Congregationis doctrina Corollaria educere placuisset Eximio charitatis præconi; occasione, inquam, hujus scrupuli rationes quasdam adducit, quæ ipsum ac Confratem suum movere potuerunt, ut me potiùs quàm Fagnanum oppugnent.

Tria proinde expendenda censui, quibus (si verborum pomposum, & superfluum apparatum seponas) abundè toti epistolæ satisfactum erit. Primò num mea in *Responsione brevi* dicta doctrinæ de *paupertate*, & *communione religiosa*, quæ in libellis à me editis tradita est, non cohæreant & conveniant.

Secundò responsum Eximii P. ad Bullam Clementis VIII. & utrum *capitalem* corruptionem illius *Bullæ* commiserim, expendam.

Tertiò, rationes, quæ movisse dicuntur Eximios Patres, ut se mihi potiùs, quàm Fagnano opposuerint, discutiam.

PARAGRAPHUS I.

Expenditur, num in Responsione brevi *doctrinam hactenus traditam retractaverim.*

VIso Libello Exim. Patris Desirant nonnihil hærebam attonitus, cùm ex primo tituli intuitu retractationis doctrinæ hactenus traditæ, me insimulari conspexi. Sciebam enim, nihil minùs mihi in animo fuisse, quàm doctrinam propositam *retractare*: non quòd judicem Doctore indignum sententias suas retractare, dum se in illis errasse competit, imò nihil magis Veritatis amatorem decere judico: sed quia nihil hactenus doctrinæ meæ oppositum fuit, quod vel levem circa illius Veritatem vacillationem mihi attulisset; quinimò; ut candidè dicam, tametsi sub initium aliquis de doctrinæ veritate timor fuisset, imbecillitas argumentorum, & modus, quibus Professores Ord. Erem. S. Augustini eam hucusque oppugnarunt, timorem illum excussissent.

Certus igitur eram, nihil ex proposito in *brevi responsione* fuisse retractatum. Hærebam ergo num forsan quidquam præter intentionem, contrarium doctrinæ ante traditæ calamo excidisset. Aperio Libellum, & ecce in primis illius pagellis mirus de parta victoria triumphus, grandis de victo adversario Confratri datus applausus. » Pugnâsse, ait, poteras gloriosiùs, sed » non vicisse felicius. Hac namque *brevi responsione* (acclusâ) » factum est, quod expectabas: ut quibus œconomica tua acri» monia asperior fortassè vissa est, jam tandem intelligant, ni» hil à te molitum de industria, nisi ut ficta impressione pres» sus Clarissimus, virtuti consequentiam cedens, suapte sua » confessione caderet, qui rationibus alienis stare noluerat. «

Sed in quibus illa victoria, paucis videamus. In Thesibus prænominatis Exim. Pater Clenaerts, ex doctrina mea de *paupertate*, & *communione* religiosa consequi dixerat hoc corollarium: *Proprietarii sunt Monachi ad Pastoratum promoti.* Falsitatem hujus consequentiæ sat superque ostensam credidi, si dicerem, ut jam sæpiùs dixeram *usum necessariorum* seu *facti* commensurandum esse statui & conditioni Religiosorum, in quibus eos Dei providentia ex Superiorum directione constituit. » Hinc juxta novissima Præmonstratensium statuta, inquiebam, » Ordinis illius Pastores in Monasterio habitantes, *ex communi* » *cellario in mensa conventuali ali & ex communi vestiario ves*» *tiri jubentur, neque sibi aliquid ex quotidianis vel annuis pro*» *ventibus retinere* permittitur, ut ita quotidiè, tanquam veri » Religiosi voto paupertatis astricti, necessaria sua à Superiore » expectent.

» Extra Monasterium commorantes non quidem ex com» muni cellario in mensa conventuali ali possunt, neque in» dies sua necessaria à Superiore recipere: attamen rebus sibi, » in eo statu constitutis, ad usum quotidianum necessariis, tan» quam communibus, & verè alienis, atque dependenter à » nutu Superioris uti tenentur. Hoc modo, si rebus conces» sis Pastores Relgiosi utantur, perfectam vitæ communionem » ac rerum plenam abdicationem servabunt: non secus ac » alii quicunque Religiosi extra Monasterium de facultate Su» periorum ad tempus agentes. «

His finalibus verbis in Libello suo *pag.* 2. relatis mox exclamat Exim. Pater: » O cygneam tandem vocem, quæ sic » canit? si meruissemus hæc audire ab initio, nulla nos dein» ceps manebat contentio. « Certè, Exim. Pater, eadem meruisti audire in *Dissert. p.* 1. *c.* 1. §. 9. sed forsitam intelligere noluistis. Pergit ulteriùs Exim. Pater: » Benè ergo est, » hac parte tenetur. Retractationem non postulamus aper» tiorem. «

Verum Exim. Pater, adeò clara retractatio unde habetur? An verba forsan mox relata terminis, ut ajunt, expressis eam referunt? An per consequentiam duntaxat elicitur? Prius, ut credo, asserere non ausus, oppositumque sat ostendis, dum nescio, quâ obscurâ & intricatâ consequentiâ eam gratulabundus Confratri tuo astruere conaris. Consequentiam igitur tuam videamus

» Agnoscit, iniquis, Clarissimus Dominus, Religiosos Pas» tores *perfectam vitæ comunionem, ac rerum plenam abdicatio*» *nem servare.* « Ita est: » Atqui subsumis, Eximie; perfecta » vitæ communio, ac rerum plena illa abdicatio servari non po» test, nisi observetur religiosæ paupertatis essentia, uti evi» dens fit. «

Transeat subsumptum. » Nemo homo dubitet igitur, quin » Pastores Religiosi servent perfectè paupertatis essentiam. « Concedamus totum; ulteriora audiamus. » In hac porrò es» sentia, pergis, nullus Superior, non ipsse Pontifex, ut toties » Vir Clarissimus obesrvat, est dispensando. « Non nego, modò intelligatur, quemadmodum in *Appendice*, *cap.* 1. §. 1. expositum fuit.

Ecce quot ambages, ut tandem tantopere declamata retractatio extrahatur. Interim pergentem sequamur: » Concoqua» mus hæc, ais, & ruminemus, & omni ex parte exagite» mus.

» mus. « Benè habet. » Rectè mones Exim. Pater, concoquenda, & ruminanda, ex omni parte exagitanda esse verba & » admissa mea, ut vel in speciem retractatio extrahatur.“ *Concoctionem*, *ruminationem*, *exagitationem* attendamus. „ Religiosus Pastor servat paupertatem essentialem..... atqui nihil aliud facit, quàm quòd rebus *ad usum quotidianum necessariis*, *tanquam communibus & alienis*, *atque dependenter à nutu Superioris uti teneatur*.“ Antecedens gratis admittamus; Consequens quod infertur, audiamus. „ Ergo, infers, istius Religiosi Pastoris essentialis paupertas in ista resignatione consistit, quà rebus *tanquam communibus utitur*, *dependenter à nutu Superioris*.“

Verùm Exim. Pater, quænam ista Logica, quæ à certa specie ad genus distributum argumentari docet? Nonne antecedens de rebus, Religiosis Pastoribus *in eo statu constitutis*, *ad usum quotidianum necessariis* loquitur, & tuum consequens de *rebus* generaliter? Ut quid Exim. Pater, qui me *Capitalis corruptionis* Bullæ Clementis VIII. tam fidenter arguis, *capitaliter* sensum meum alteras? Si enim verba illa, *in eo statu constitutis ad usum quotidianum necessariis*, *tot rebus* adjunxisses, omnibus per quam manifestum fuisset, in verbis illis, nullam retractationis vel umbram subesse: neque verba illa, vel in speciem approbationem *peculiorum*, etiam *dependenter* à nutu Superioris indicare.

Quid enim aliud, vel leviter attendenti, prædicta verba insinuare potuissent, nisi Religiosis ad Pastoratum promotis, ex *communibus* Monasterii proventibus de *necessariis* esse providendum? Et insuper Religioso rebus sibi ad *necessitatem* concessis uti decere tanquam *alienis & communibus dependenter à nutu Superioris*? Quid quæso, hîc vel in speciem, assertis meis adversum? Nonne in omnibus meis Libellis, tanquam capitale punctum inculcavi, *communionem* religiosam requirere, ut *omnia sint communia*; *dividatur autem singulis*, *prout cuique opus est*, non *æqualiter* omnibus, ut ait M. P. Augustinus, quia non æqualiter valent omnes; sed *potiùs unicuique sicut cuique opus fuerit*; ac per consequens, alia ægris, alia sanis, alia viatoribus, alia in Monasterio quiescentibus, alia Pastoribus ruri, alia ipsis intra Monasterium commorantibus: omnibus nimirum *prout cuique opus fuerit*; considerato statu & conditione, in quibus Divina Providentia eos constituit: ut latiùs in *Dissertatione p.* 1. *cap.* 1. §. 8. & 9. ac rursus in *Vindiciarum Appendice*, *cap.* 1. §. 5. & 6. deduxi.

Quod verò dixi, Religiosos Pastores concessis ad *usum quotidianum necessariis* uti debere tanquam *alienis* & *communibus dependenter* à nutu Superioris; quid aliud insinuat, quam paupertatem Religiosam exigere, ut Religiosi illi etiam ad *necessitatem* sibi concessa non possideant *tanquam propria*, aut ut *propriis* utantur; sed in illis tanquam *alienis* & ad *nutum Superioris* utantur; quemadmodum Religiosi in Claustro commorantes, vestibus, libris, supellectile aliisque necessariis, uti tenentur; quod quàm bene præcedentibus assertis meis conveniat, *ex p.* 1. *cap.* 1. §. 10. & *Vindiciarum Appendice*, *c.* 1. §. 4 Exim. Pater intelligere potuit. Quâ igitur specie ex citatis meis verbis retractationem doctrinæ arguere ausus sit, non intelligo; minùs capio, quomodo non erubuerit ita fidenter asserere, in verbis illis à me probatum *usum peculiorum à nutu Superioris dependentium*; quandoquidem apertissimè verba illa præsertim si cum subsequentibus conferantur, exprimant ad usum quotidianum *necessaria* Religiosis Pastoribus ex *communibus* Monasterii bonis esse subministranda; adeoque Monasterii bona & proventus esse *communia* supponant. Cui communioni *peculia & deposita* ad usus particulares Religiosorum reservata, diametraliter opponuntur: nam ut jam pridem rectè notavit Pius ac Eruditus Petrus à S. Audomaro Monasterii S. Winoci Prior, » quod *alicui certo* præfixum servatur, *commune* » dici non potest: imo tantum abest, ait dictus Auctor, ut per » hujusmodi reservationes *particulares* apud se vel *apud alium*, » res Religioso obvenientes bonis Monasterii *incorporentur*, ut » è contra *dividantur & separentur* à bonis Monasterii, & ap» proprientur, quæ sic conceduntur, *particularibus Reli» giosis*.“

Quando ergo Religiosi ad Pastoratum promoti *necessaria ad usum quotidianum* accipiunt, iisque, tanquam *alienis & dependenter à nutu* Superioris utuntur, non magis dicendi sunt habere *peculia*, quàm Religiosi, qui ex bonis communibus in Monasteriis reformatis, in quibus *peculia* & *deposita* sunt in execratione, necessaria sua accipiunt.

Hinc nec similium Monasteriorum Præpositi verentur Fratribus itinerantibus pecuniam, aliasve res pro necessario viatico concedere, atque Religiosis ad Pastoratum emissis omnia necessaria, pro statu & conditione, annuere.

Si proinde nunc interroget Exim. Pater prout facit pag. 4. *An essentialis paupertas Religiosi Pastoris alia sit ab essentiali paupertate Religiosi* non *Pastoris*?

Respondeo aliam non esse: sed dico essentialem paupertatem religiosam permittere, ut *aliter* Religioso Pastori, *aliter* Religioso non Pastori, *aliter* Religioso in Monasterio quiescenti, *aliter* Religioso itineranti necessaria dentur, quod & mecum fateri Eximius, velit nolit, cogitur: ni fortè dicere audeat, essentiali paupertati non repugnare, ut singulis Religiosis in Monasterio commorantibus, sua sit cella cerevisiaria, sua sit arca, sua sit culina, suus sit famulus &c. uti Religiosis Pastoribus: vel ut Religiosi singuli summam pecuniæ in crumena sua habeant, quà sibi necessaria comparent, ut itinerantibus concedi necessitas exigit.

Ex his nullus non intelliget, quantus debuerit esse effectus Confratri de parta victoria congratulandi, qui in præcitatis verbis retractationem adeò claram, ut clariorem non postularet, invenit; imò à religiosa modestia, magistrali gravitate, atque charitate Augustiniana extorsit hunc libelli titulum, platearum angulis, atque Ecclesiarum & Collegiorum valvis publicè affigendum: *Palinodia Clarissimi Domini* Zegeri Bernardi Van Espen *Juris utriusque Doct. & Professoris.*

§. II.

Veram omnium communionem, *universa deposita ad usus* particulares *excludentem*, *Bulla Clementis VIII. evidentissimè requirit. Et quæ sit illa communio breviter exponitur.*

BOna omnia, ex Constitutione Clementis VIII. esse confundenda, agnoscit Exim. Pater *pag.* 18. verùm adjungit, *physicè*, *an moraliter*, *hoc controverti*, multaque deinde de morali, & physica confusione congerit, & confusè proponit, ac ita confundit, ut multis vix appareat, de qua communione, aut confusione quæstio vertatur.

Ne proinde super verbis contendatur, rursus in quo religiosa communio consistat (quamvis in Dissertatione & Vindiciarum Appendice sæpius dictum) breviter & claris terminis proponendum censeo.

Dico ergo: Religiosam communionem in hoc consistere, ut prorsus omnia in communem usum convertantur, *ita ut impleatur*, sicut loquuntur Patres Concilii Audomarensis, „ à Reli» giosis, quod sibi imitandum sumpserunt, & ad quod *Religio» ne sempiterna se obligarunt* (*non potest res illa inculcari sa» tis*) illud primitivæ Ecclesiæ: Multitudinis credentium erat cor » unum, & anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat, » aliquid suum esse dicebat, sed erant illis *omnia communia*: Di» videbatur autem singulis *prout cuique opus erat*.“

Omnia ergo undecunque, & quacunque ex causa Religiosis observantia debent confundi, id est, in *communem usum* converti: ut nimirùm universa *indifferenter* in communes Fratrum & Conventûs *necessitates* impendantur, id est, *dividatur singulis prout cuique opus est.*

Et ne hîc hæreat Eximius num *physicè* num *moraliter* confundenda censeam, expendat utrum in reformatis aliisque Monasteriis ubi *peculia* ac *deposita* universà exulant, omnia *physicè* an *moraliter* confundantur; item consideret, utrum in suo, aliisve Conventibus eleemosynæ religiosè ostiatim emendicatæ, item proventus, & canones annui ex villis, aut censibus Monasterii provenientes, *physicè* an *moraliter* confundantur, & in *usum communem* ipsius Conventus convertantur. Hæc *concoquat*, *ruminet* & *exagitet*, & videbit quam confusionem, seu communionem intelligam; nimirum talem, ut omnia undecunque Religiosis obvenientia confundantur, & in *usum communem* convertantur, ut in reformatis aliisque Monasteriis, quæ peculia seu deposita non agnoscunt, universa confundi praxis quotidiana ostendit: vel ut in omnibus Conventibus confundi & in *usum communem* converti eleemosynas religiosè emendicatas, aut Monasterio oblatas, proventus ex villis, vel decimis Monasteriorum provenientes, ad oculum videmus.

Rem ulteriùs, ne vel cæcum latere queat, exemplo declaro.

Ponamus quod inter Monasterii alicujus Religiosos, aliquibus ex professione seu lectione, vel functione Academica jura aliqua obveniant, aliis ex alio justo labore nonnulla accedant, aliis rursus ex parentum sive familiarum liberalitate, vel simili alio titulo nonnulla acquirantur: hæc erit religiosa *communio*, peculis seu depositis ad *particulares alicujus* Religiosi necesitates, seu usus reservatis, diametraliter repugnans: si hæc omnia similia in usum *communem* Fratrum & Conventus, sicuti reliqui Monasterii proventus, v. gr. decimæ, villarum redditus &c. confundantur, & convertantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit, ac per consequens, omnia sive ex lectionibus, sive ex liberalitate parentum, sive alia ex causa Religiosis obvenientia *indifferenter* cum aliis Monasterii obvenientibus in *usum communem* & Fratrum *necessitates* expendantur; nulla habitâ consideratione, quibus vel qua ex causa obvenerint, sed quis amplius indigeat; atque ita impleatur quod scriptum est: *Erant illis* omnia communia, *dividebatur autem singulis prout* cuique opus erat.

Hæc est, inquam, *communio* in Actibus Apostolorum tantoperè commendata, & Patrum Regulis adeò inculcata. Hæc

est

est *communio* constituens vitam communem, à qua ut non recedatur, omnis cura & diligentia, ut ait Tridentinum, à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus, quàm in eorum visitationibus: » Cùm compertum sit, *subdit idem Concilium*, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari: si enim illa, quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, *exacte* non fuerint conservata, *totum* corruat ædificium necesse est. «

Hanc communionem, seu *physicam* seu *moralem* dicamus, parum interest, modò rem ipsam intelligamus. Verùm *communio* seu *confusio*, quâ proventus ex decimis, aut villis Monasterii, eleemosynæ ostiatim emendicatæ, vel Conventui oblatæ, aliaque similia confunduntur, & in *usum communem* ipsius Conventûs ac Fratrum convertuntur; reservatis seu depositis *interim* ad *particulares usus* & *necessitates*, quæ ex lectionibus, prædicationibus, aliove justo labore, vel ex liberalitate parentum, aut familiarum similive titulo Religiosis obveniunt, non communio, sed evidens & absoluta *divisio* est; ipsam bassim & fundamentum regularis disciplinæ, ipsam nimirum *vitam communem*, non tantùm concutiens, sed planè evertens.

Sed reponet forsan Eximius, dependet à *nutu* Superioris peculia seu deposita illa cum reliquis Monasterii proventibus confundere, & ad *communem* Fratrum *usum* Conventui incorporare. ℟. Sit ita: sed quid inde inferet? Ergo *potest esse* absoluta totalis omnium communio & confusio, *si* Superior *voluerit*. Concessero totum: sed quandiu Superior id non præstiterit, non *communio* sed *divisio* erit.

Si verò Eximius inferat, ergo *de facto est* absoluta omnium communio, id est *omnia sunt communia* & *confusa in usum communem*, evidentissimè ac luce meridianâ clarius in prima Philosophiæ impinget principia; argumentando à potentia ad actum affirmativè, hoc nimirùm modo: *Potest* Superior peculia, seu deposita ad *usus particulares* aliquorum Religiosorum in communionem redigere & cum reliquis Monasterii proventibus in communem Conventûs usum confundere; Ergo *de facto* ita *sunt* redacta & confusa; sive de facto *est* absoluta & plena rerum omnium communio.

Hæc quidem in Appendice latè dicta fuerant, sed ab Eximiis PP. magno silentio premuntur.

Ut verbo absolvam, quandiu pecuniæ, redditus vitalitii, similiave in usus *particulares quorundam* Religiosorum manent deposita vel reservata, nunquam erit *plena* & *absoluta communio*, nec *physica* nec *moralis*, sed ad summum nominalis seu *verbalis*.

Propositam rerum communionem in Bulla Clementis VIII. Religiosis præscribi adeo evidens est, ut sensu communi destitutus videretur, qui lectis constitutionis illius verbis, inficiari præsumeret. Verba sine glossis, toties à me reproducta, subjicio.

» Quo Tridentini Concilii decreta de *paupertatis* voto » custodiendo fideliùs observentur, præcipitur, ut nullus ex » Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census eleemosynas sive ex » concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis tam in propria Ecclesia quàm ubicunque celebrandis, aliove ipsorum » justo labore & causa, & quocunque nomine acquisita, etiam » si subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata » aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine » Conventus possidere possit, *sed ea omnia statim Superiori* » *tradantur & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius* » *bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur*, quo » communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. «

Expendat nunc æquus lector, utrum clariùs perfecta, & plena rerum omnium confusio, & incorporatio in *communem* Fratrum *usum* proponi potuisset.

Hæc sunt Constitutionis illius verba, quibus, conformiter ad Patrum Regulas, atque Conciliorum decreta, pecunias aliave mobilia in *usus particulares*, deponi non posse probavi.

Verba autem præcedentibus subjecta, nunquam in reprobationem peculiorum rerum *mobilium* adducere cogitavi; sciebam quippe in illis de solis *stabilibus* tractari. Ita enim sonant: » Neque Superioribus, quicunque illi sint, ullo pacto liceat » eisdem Fratribus aut eorum alicui, bona stabilia, etiam ad » usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam, » etiam depositi aut custodiæ nomine concedere. «

Quòd proinde num. 29. ait: » Quæstio igitur unica est super: an quidquid de concessione bonorum *stabilium* dicitur, » hoc ad mobilia extendi debeat? *Quàm ineptum! sed ineptius, ne dicam absurdius, est, quod subdit num.* 30. Affirmat autem *clarissimus dominus*, id probans, ex eo quod » Pontifex subdat, servanda hæc esse & quoad pœnas & quoad » culpam, tam circa mobilia, quàm immobilia. « Quales Eximie Pater fictiones! ut aliquid dixisse videaris, ubinam hanc, amabo te, ratiocinationem in scriptis meis offendisti? Profectò somniasse me oportuisset, si *quidquid* de concessione bonorum *stabilium* dixit Pontifex, hoc ad mobilia extendendum credidissem. Pontifex enim vetat *stabilia* Religiosis etiam ad *usum* concedi; num illud ad mobilia extendi credere potui, qui centies, dixi, mobilium *usum* omnibus, prout *cuique* opus est esse annuendum?

Verba ergo illa non in reprobationem *peculiorum* mobilium (quæ præcedentibus verbis sat erant improbata) sed *redditum vitalitiorum* allegata fuêre; hos enim utpote rebus *stabilibus* annumerandos, ex his Clementis verbis, nulli Religioso ad *usum*, sed solis Officialibus, qui eos in communem Monasterii utilitatem recipiant, concedendos probatum volui.

Fateor ergo, quod *quidquid* de *stabilibus* ibidem decernit Pontifex, ad *mobilia* trahendum non sit; sed hoc quoque dico, non sine manifestissimo errore dici, licitum respectu *mobilium*, *quidquid* illicitum esse dicitur respectu *stabilium*, licèt in anterioribus *expressè* de *mobilibus* negatum non fuerit. Quidnî enim hoc argumento evinceretur, verum *usumfructum mobilium* Religiosis concedi posse? Prohibet enim Pontifex *stabilia* ad *usumfructum* concedi; nec in tota constitutione de *mobilibus* expressè id vetitum invenitur. Ex quo intelligitur, quàm ineptum sit argumentum, quo Exim. Pater vult ostendere *depositæ* mobilium per Clementem probata; quia in verbis jam relatis bona *stabilia* ad *depositum* dare prohibuit, nec mobilium *depositis* hactenus locutus erat; nimirùm terminis *expressis*: quod nec mirum, quia mobilium concessionem ad depositum, usumfructum &c. sat superque vetitam supponebat, dum omnia undecunque Religiosis obvenientia voluit cum cæteris Monasterii bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundi, *quo* communis *inde victus & vestitus* omnibus *suppeditari possit*.

Ecce, in quem ducatur labyrinthum, dum adeo perspicuæ veritati (qualis est improbatio *peculiorum* seu *depositorum* rerum *mobilium* per dictam Constitutionem Clementis VIII.) tenebras offundere conatur Exim. Pater. Quod manifestius evadet, si attendatur, quid post biennii penè curriculum à quo Dissertatio in lucem emissa fuit, quamque toto illo tempore discutere, & impugnare Exim. Patris. Collegæ non destitêre, tandem ex illa adducatur, quo me *Capitalis corruptionis* illius Constitutionis reum agat. De quo sit sequens paragraphus.

§. III.

Ostenditur quod Capitalis corruptio *Bullæ Clementis VIII. à me facta non sit.*

UT omnibus per quam manifestum sit, quàm calumniosè de *Capitali corruptione* Bullæ Clementis VIII. propter omissum unum miserum *verò* (de hac *corruptione* enim agens Exim. Pater num. 34. ait: *Vim posui, ut debui, in particula* vero: *quâ notavi significari antithesim*) traducar, hæc præmittenda duxi.

Postquam in Dissertatione de *Vitio Peculiaritatis* ostendissem, ex communibus Monasterii proventibus *necessaria* singulis Religiosis esse subministranda, *cap.* 1. §. 10. probare intendebam, quòd circa *usum necessariorum*, Religiosis sedulò cavendum esset, ne *necessaria* tanquam *propria* possideant, vel tanquam *propriis* utantur.

In hujus probationem adduxi prædictæ Bullæ verba sequentia: *Ne eorum, quæ ad necessitatem concessa erunt, ullus quidquam possideat ut* proprium, *neque ut* proprio *utatur*.

Fateor post particulam *nè* omissam particulam *verò*. Hanc enim minimè necessaria credidi, & credo; sensumque verborum, illâ particulâ omissa, per se constare. Sensus quippè obvius dictorum verborum hic est: ne eorum, quæ ad necessitatem concessa erunt, v. g. vestes, libri, supellex &c. Religiosus quidquam possideat ut *proprium*, vel ut *proprio* utantur; conformiter ad famosum & vulgatum illud Patrum apophtegma: *Monachus non dicat, codex* meus, *tabulæ* meæ, *tunica* mea.

Sed ne quis forsan suspicetur prætermissam particulam *verò*, diversum illorum verborum sensum reddere, si dicta verba integro contextui, à quo separata fuerunt, conjungantur, contextum integrum Lectori propono.

» Quo Tridentini Concilii decreta de *paupertatis* voto cus» todiendum fideliùs observentur, præcipitur: ut nullus ex » fratribus, etiam si Superior sit, bona immobilia vel *mobilia*, » aut pecuniam, proventus, census, elemosynas, sive ex con» cionibus, sive ex lectionibus aut pro Missis, tam in propria » Ecclesia quàm ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo » labore & causa, & quocunque nomine acquisita, etiam si sub» sidia consanguineorum, aut priorum largitiones, legata aut » donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Con» ventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tra» dantur, & Conventui incorporentur, *atque cum cæteris illius* » *bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur*, quo » communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

Ne-

» Neque Superioribus, quicunque illi sint, ullo pacto liceat » eisdem fratribus aut eorum alicui, bona *stabilia*, etiam ad » usumfructum vel *usum*, *administrationem* aut commendam, » etiam depositi aut custodiæ nomine concedere. Eorum *vero*, » quæ ad *necessitatem* concessa erunt, nullus quicquam possi- » deat *ut proprium*, neque ut *proprio utatur*. «

Tria in hoc verborum contextu membra Pontifex constituit. Primo quidem præcipitur ut omnia bona sive immobilia sive mobilia, aut pecunia aut eleemosynæ, sive ex concionibus, sive lectionibus, aliove justo labore & causa, & quocunque nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones fuerint, statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque eum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus, confundantur, quo communis inde victus & vestitus, id est, necessaria, omnibus suppeditari posit.

Secundo membro præcipitur, ne Superiores quicunque illi sint, ullo pacto dent Fratribus bona *stabilia* etiam ad usumfructum, vel *usum*, administrationem, aut commendam, etiam depositi aut custodiæ nomine.

Negat proinde Pontifex *stabilia* etiam ad *usum* Fratribus concedi posse; mobilia autem omnia in unum confundi præcipit, sed ex illis in unum confusis, omnibus ad victum & vestitum necessaria, adeoque *usum facti* suppeditari concedit sed ne hæc quoque ad usum concessa tanquam propria possideat, subjungit.

Tertio membro: eorum *vero*, quæ ab necessitatem concessa erunt, nullus quidquam possideat ut *proprium*, neque ut *proprio* utatur.

Ex quo liquet particulam *verò* juxta obvium sensum hîc accipi pro particula *porrò*, ac si diceretur: *eorum* porro *quæ ad necessitatem* &c. ac per consequens, verba illa, sine particula *vero*, hunc per se constantem sensum habere: ne Religiosus ullus, eorum, quæ *ad necessitatem* seu *usum facti* concessa erunt, quidquam possideat ut *proprium* vel ut *proprio* utatur.

Ex quo consequitur, necesse non esse ut particula *verò* hîc assumatur pro *adversativa antithesim* significante, prout contendit Exim. Pater. Ut tamen *gratis* demus particulam *verò* in præcitatis verbis, *antithesim* aliquam bona *mobilia* inter & *stabilia* importare; ut nimirum illa ad *necessitatem* concedi possint, non tamen tanquam *propria* possideri; hæc autem ne quidem ad *necessitatem* dari queant; illam tamen antithesim, quam prætendit Exim. Pater, facere non potest.

Vult enim Eximius, particulam *verò* antithesim significare inter præcedentia, & subsequentia. » Præcedentia, ait *n.* 33. » prohibent, ne Superiores subditis concedant bona stabilia. » Subsequentia dicunt: *eorum verò quæ ad necessitatem conces-* » *sa erunt, nullus quidquam possideat ut proprium.* Ergo ut » *commune*. Non obtineat *stabilia* ad *depositum*, ad quod con- » cedi non possunt; sed obtineat, quæ a *stabilibus* distinguun- » tur, *mobilia*. « Hæc ipse. Hinc intelligitur, quòd Eximius contendat, per particulam *verò*, eam *antithesim* inter præcedentia, & subsequentia significari, ut quæ de *stabilibus* negata sunt, de *mobilibus* affirmentur; & inde infert, *deposita mobilium*, per verba, *eorum* vero *quæ ad necessitatem &c.* probata esse.

Hanc Exim. Patris antithesim per particulam *verò* ibidem significari, neutrum membrum patitur.

Primum quidem illam clarè excludit: quandoquidem in illo Pontifex præcipiat, omnia bona etiam *mobilia* undecunque & quacunque ex causa Religiosis obvenientia cum cæteris Monasterii proventibus, & redditibus confundi, quo communis *inde victus & vestitus* omnibus *suppeditari possit*, ac per consequens vult Pontifex (quod §. præcedenti tantopere inculcavi) ut *omnia* Religiosis, sive ex lectione, sive functione Academica, sive liberalitate parentum aliove titulo obvenientia, ita cum reliquis Monasterii proventibus, v. g. decimis, censuum canonibus, villarum mercedibus similibusve incorporentur Conventui, & confundantur, ut ex omnibus *indifferenter*, & sine distinctione *cui*, vel qua ex causa obvenerint, panis, cerevisia, vestis, supellex, aliaque Fratrum & communi Conventûs *usui* necessaria comparentur.

Ex quo ulteriùs dubitari nequit, quin hoc membro universa mobilium *peculia* seu *deposita* Pontifex excluserit; quandoquidem nulli non possit esse manifestum, *peculia* seu *deposita* non confundi cum reliquis Monasterii proventibus, quo *communis* inde victus & vestitus *omnibus* suppeditari possit; cùm ea sit natura istorum *peculiorum* seu *depositorum*, ut ad *peculiares alicujus* Religiosi *usus* apud depositarium ab aliis Monasterii proventibus separata serventur.

Igitur antithesis, quam particulam *verò* indicatam vult Eximius, primo membro repugnat, in quantum per illam infertur, *depositum mobilium* per Pontificem esse probata.

Non minus evidenter antithesim illam destruit secundum membrum; vetat enim illud, bona *stabilia* Fratribus concedi ad *usumfructum*, atque ita, supposita prædicta antithesi qua prætenditur, negata de *stabilibus* concedi respectu *mobilium*, sequeretur, Religiosis *mobilia* non solùm posse concedi ad usum, aut depositum, sed etiam ad *usumfructum*; nec enim in verbis quidquam occurrit, quod antithesim ad unum magis, quàm ad alterum extendat.

Attendat nunc Exim. Pater, an non potiori jure ipse quam ego de *capitali corruptione* Bullæ, falsum hunc sensum affingendo, accusari posset; idque eo periculosiùs, quòd mea corruptio, si quæ fuisset, non alicujus relaxationis occasio esset; sed ut summum ad perfectionem, ad quam non obligarentur, Religiosos incitare posset; econtra corruptio seu falsus sensus Eximii Patris, ad relaxationem vitæ *communis*, & voti *paupertatis* tendens, bases & fundamenta regularis disciplinæ concutit, quæ si exactè non serventur, totum ædificium corruat necesse est.

Expendat nunc quoque æquus Lector, qua justitiæ specie me non tantùm in epistola aliqua Familiari, *capitalis corruptionis* Bullæ Pontificiæ arguar; sed in ipsius libelli frontispicio, publicè platearum compitis, & Ecclesiarum, atque Gymnasiorum portis applicando.

§. IV.

Expenduntur rationes, quæ movisse dicuntur Exim. Patrem Clenaerts *ut ex mea potius, quàm Fagnani doctrina, adeo invidiosa Corollaria eduxerit.*

IN *Responsione brevi*, quam Thesibus Eximii Patris Clenaerts opposui, *pag.* 98. hunc moveram scrupulum: *cur adeo invidiosa ex mea potius quàm Fagnani, aut Sacræ Congregationis doctrina, Corollaria educere placuit* &c. Scrupulum nunc eximere, & cur non in Prosperum Fagnanum, ut in me, Corollaria strinxerit, edicere, pro suo in Cônfratrem affectu, in hac epistola familiari suscipit Eximius Pater Desirant.

Rationes ab ipso adductas &, ut credo, Eximio Confratri suo probatas audiamus.

» Prosper in corpore voluminis scribens, contra receptum » per universalem Ecclesiam nihil inconditè attentavit usum. » Propriorum placitorum si fuerit assertor, at non fuit pro- » mulgator. Religiosos indispensabilis proprietatis non affixit » scommate, nullius perfidiæ reos egit, non publico exposuit » contemptui odioque, non molitus denique illud est, ex quo » vilescere apud utrumque jam sexum potest Religiosus ordo. « illæ, *num.* 13.

Et *num.* 17. insinuat Prosperum de paupertatis non *essentia* loqui, sed de *accidentalibus* ejus.

Tria igitur sunt juxta Eximium epistolæ familiaris Auctorem, cur Exim. Pater Clenaerts in me potiùs, quàm Fagnanum Corollaria illi invidiosa strinxerit.

Primò, quòd Fagnanus in corpore voluminis scribens contra receptum per universalem Ecclesiam nihil inconditè attentaverit usum.

Secundò, quòd Fagnanus Religiosos indispensabilis proprietatis non affixerit scommate, nullius perfidiæ reos egerit, non publico exposuerit contemptui odioque, &c.

Tertiò, quòd Fagnanus de paupertatis non essentia loquatur, sed de accidentalibus ejus.

Verùm ut omnibus constet, quàm parum ad pacificationem conscientiæ, & scrupuli exemptionem hæc faciant, unicam Fagnani conclusionem in *Vindiciis*, *cap.* 2. §. 1. expressam, hîc rursus subjicio. » Concludendum est igitur, ait Fagnanus, » nemini prorsus Regularium, tam virorum quàm mulierum » cujuscunque qualitatis, & conditionis existat, nisi sit Officia- » lis, fas esse etiam nomine Conventûs habere annuos redditus » seu provisiones annuas, bonorum stabilium administrationem, » aut peculium, etiamsi illud non *sit superfluum* sed ad *neces-* » *sarios*, *honestos*, *& pios usus à Superiore ex quaqunque cau-* » *sa concessum*, *&* dependenter *ab ejus voluntate*, *& nutu*: » nec quemquam excusari à *lethali culpa*, & pœna Proprieta- » riis inflicta, ex quavis *consuetudine* Monasterii vel Reli- » gionis, aut ex varietate seu probabilitate opinionum, aut alio » quovis prætextu vel causâ. Et Religiosis tam Prælatis quàm » Subditis cavendum esse ab hujusmodi palliamentis, *quia Deus* » *non irridetur*. Ad Galatas cap. 6. v. 7. «

Quis vel ex hac sola Fagnani conclusione rationum illarum imbecillitatem non perspectam habeat? Si enim ego improbando Religiosorum *deposita* & *peculia* aliquid contra receptum per universalem Ecclesiam attentavi usum, nonne Fagnanus atentavit, dum in libro Summo Pontifici dedicato, atque per totum terrarum orbem divulgato, qui non solùm in Theologorum, sed Jurisconsultorum manibus passim versatur, tam fidenter asserit: nemini prorsus Regularium tam virorum, quàm mulierum cujuscunque qualitatis & conditionis existat, nisi sit Officialis, fas esse habere, etiam nomine Conventûs, peculium, etiamsi illud *non sit superfluum*, sed ad *necessarios*, *honestos* & *pios* usus à Superiore ex quacunque causa concessum, & *dependenter* ab ejus voluntate & nutu?

Con-

Concludit insuper Fagnanus neminem Regularium peculium non superfluum *dependenter à nutu Superioris* possidentem excusari à *lethali culpa*, *& pœna proprietariis inflicta*. Si igitur Fagnanus hoc dicendo, Religiosos indispensabilis proprietatis non afflixit *scommate*, nullius, *perfidiæ* reos egit, quantò minùs ego, qui peculia & deposita quidem improbavi; sed nunquam dixi *generatim* ac *indistinctè* neminem Regularium virorum aut mulierum *peculium dependenter à nutu Superioris* habentem excusari à culpa *lethali*; quinimò, ut in Vindiciis latiùs deduxi, studio factum fuit, quod jam allegatam Fagnani Conclusionem in Dissertatione omiserim.

Quod addit Eximius Fagnanum *Religiosos non publico exposuisse contemptui odioque*, credo; sed minùs ego, qui more Doctorum, sententiam meam de voto paupertatis & Religiosa communione, sine ulla censura, & mitiori, quàm Fagnanus, expressione proposui, & propugnavi. At utinam Eximius, suique Confratres, tanta animositate & zelo pro peculiis decertando, Ordinem suum de peculiaritate non redderent suspectum, & publico *contemptui* non exponerent!

Adhæc addit Fagnanus, neminem Regularium peculium habentem, excussari à culpa *lethali* & pœna proprietariis inflicta; ex *quavis consuetudine Monasterii vel Religionis*, *aut ex varietate*, *seu probabilitate opinionum*; ex quo patet, nullatenus congruere verbis Fagnani dictam Eximii Patris glossam: *De paupertatis non essentiâ loquitur*, *sed de accidentalibus ejus*; ni forsan credidisse dicat Fagnanum *accidentia* nulla *consuetudine*, nec eatenus mutari posse, ut transgressio eorum *lethalis* non sit. Quid autem Fagnano injuriosius?

Eandem glossam applicat Bullæ Clem. VIII. At æquè appositè. Si enim non de *essentia* paupertatis, sed de *accidentalibus* ejus egisset Pontifex; dixissetne, „ quòd nulla quoruncunque Superiorum *dispensatio*, nulla *licentia*, quantum ad bona mobilia, vel immobilia fratres excusare possit, quominus culpæ & pœnæ à Concilio Tridentino impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxi sint?« An forte Clementem VIII. ejusque successores ignorâsse dicamus, quòd Superiores interdum, charitate id exigente, super accidentalibus cum aliquo fratrum dispensare queant? ut mellifluè in libro *de Præcepto & Dispensatione* S. Bernardus ostendit.

Verùm, ut apparet, vidit quoque Eximius P. nec hanc nec alias, quas attulit glossas difficultati ex Clementis VIII. Constitutione sibi objectæ, plenè satisfacere; quare aliud effugium, quo auctoritatem illius Bullæ à se amoliatur, quærit: nimirum „ in Bulla illa de *humana* duntaxat lege Sermonem fieri, quæ proinde nec *generalis* esse debuerat nec *perpetua*, prævalente sæpius *exceptione* temporis, & particularium Constitutionum approbatarum, permissarumve rigore.“

Hæc *num.* 16. deinde *num.* 17. dicit: Clementis VIII. „Bullam, usque ad Prosperi Fagnani tempora non fuisse receptam..... Clementis Bullam ab Urbano VIII. renovatam esse „ anno 1624. Ab isthoc tempore usque ad annum nostrum millesimum sexcentesimum octuagesimum sextum fluxisse annos „ sexaginta duos. Datis igitur gratis, ait, omnibus, quæ Clarissimus Dominus prætendit, & de Prospero & de Clemente VIII., & de Urbano VIII. certum equidem esse, subjungit, *nos à possessione nostra hodie non exturbandos*.“

Eximie Pater, ut omittam, quòd falsò dicas in Bulla Clementis *de humana duntaxat lege Sermonem fieri*, de quo superiùs actum est, nescio, num hæc tua dicta placeant Eximio Confratri tuo, qui in titulo Thesis defen. 7. Septemb. ann. 1685. *Scholæ Augustinianæ principia directiva Romano-Catholica* proponens, sextum hoc esse voluit: Christi Vicarii *Bullas* indiscriminatim *singulos venerari ad apicem*? Ni fortè hanc Bullam, utpote sibi minùs convenientem, è Bullis *indiscriminatim* recipiendis excipiat.

APOSTROPHE
AD EXIMIOS PATRES
Ord. Eremit. Sanct. Augustini.

EXimii Patres, hoc unum penè in mea de *Religiosa paupertate & communione* doctrina, culpari deprehendo, quòd videat Religiosos, ad majorem paupertatis perfectionem astringere, quàm ipsorum exigat religiosa professio, de quo in hac præsertim familiari epistola magna vestra est expostulatio; & quidem *num.* 14. in hac verba erumpitis. „Si stabat animo prodesse Ecclesiæ, ut jactitat, summis in Cœlum laudibus extulisset *supremum* religiosæ paupertatis gradum; dedissemus „ communes manus, conantes pro nostro modulo *heroicum* paulatim attingere fastigium. «

Quin jam antea *num.* 7. ita me conveneratis: „Si Clarissimum Dominum ore ad os alloqui contingat (*quidni contingat*) „ sunt inter religiosas domos secreta, quibus ad *heroicum* illum „ voluntarium paupertatis gradum, non cogendos omnes faciliùs agnosceret. «

Quod gradum paupertatis à me propositum dicatis *voluntarium* & *perfectionis*, me, ut scitis, dissentientem habetis; at quod *Heroicum*, non item. Nam, ut rectè notat Eximius vester Lupus „ Religiosa paupertas est *omninò magna* virtus & „ *altus* justitiæ *Mons*, de quo possit rectè dici: *Non omnes capiunt verbum istud*. «

Licèt ergo, Eximii Patres, illud, quod de paupertate religiosa propono, *Heroicum* vobis videatur, non ideo repudiandum, cùm ipsa religiosa paupertas virtus sit *Heroica*.

Quinimò, Eximii Patres, ut quod sentio, aperiam, tametsi primo intuitu mea de religiosa paupertate sententia, *Heroicum* aliquid à Religiosis requirere videatur, quin tamen aliquid magis *Heroicum* à Fratribus postuletis & exigatis non dubito.

Debet enim, ex sententia vestra *Religiosus coram Deo*, *qui scrutatur corda & renes*, *esse contentus*, *ne interius quidem in animo absistere*, *obloqui aut reluctari*, *casu quo Superior ne assem indulgeat*, *petitæque humiliter veniæ etiam resisteret*.

Si in tantum omnis cordis adhæsio à peculiis abesse debeat, quæ, ambo vos, Religioso difficultas erit, sua dimittere peculia? *Non enim est difficultas in amittendo*, ut ait Augustinus, *ubi non est in possidendo cupiditas*.

At peculia possidere, nec tamen illis citra voti paupertatis violationem, ut asseritis, ullatenus *inhærere*, ô quam *Heroicum*! profectò vix dubito, quin de Religiosis peculia possidentibus, nec cor eis ullatenus apponentibus dici queat, quod de viro divitias habente, nec tamen illis cor apponente cum admiratione exclamat Scriptura: *Quis est hic*, *& laudabimus eum*, *fecit enim mirabilia in vita suâ*.

Cùm igitur, Eximii Patres, vobis fatentibus, religiosa paupertas exigat, ut nulla sit erga peculia *animi adhæsio*, quid dubitatis obligationem illam reddi difficiliorem per peculiorum possessionem, faciliorem verò per eorum ademptionem? An ignoratis dignam M. P. Vestro Augustino sententiam: „ Terrena diliguntur artiùs adepta, quàm concupita. Nam unde „ juvenis ille tristis discessit, nisi quia magnas divitias habebat. „ Aliud est enim nolle incorporare, quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur, illa „ velut membra præscinduntur.“

Imò, ut verum fatear, adeò difficilè arbitror, Religiosum *peculia* habere, nec tamen illis animo inhærere, ut vix dubitem, quin si hodie Superiores ad *peculiorum* ademptionem procederent, reperiretur verum esse, quod jam pridem dixit quidam Canonicus Regularis: *Æstimo admodum paucos reperiri*, *qui res suas tranquillè sinerent in communem usum refundi*. Vide Dissert. *part.* 1. *cap.* 1. *append. ad coroll.* 1.

Finio, si aliqua ex epistola Goswini Nickel Præpositi Generalis S. J. (cujus fragmentum Responsioni brevis *append. ad c.* 4. inserui) hîc adjunxero; ut inde intelligatis, quanto & Religiosorum, & Religionis detrimento, opiniones relaxativæ voti paupertatis, tametsi suis non carerent fundamentis, proponantur.

„ Esto ea, inquit, quæ in hunc modum ad paupertatis laxationem excogitantur, sint non sine aliqua rationum firmitate, „ satis probabilia, non tamen ideo utiliter divulgantur; *cùm* „ *rarò & parum prosint*, sæpè & plurimùm noceant. Cùm enim „ ii, qui à votorum obligatione, solutiones ejusmodi, & licentias amant & in usum trahunt, non ex eorum numero „ procul dubio sunt, quibus disciplina & perfectio cordi est, „ sed inertium & remissorum, quibus summæ virtutis loco est „ tantum non esse sacrilegos: an ii, quæso, ita se continebunt, „ ut eo tantùm usque procedant, quo per summam ejusmodi „ opinionum indulgentiam licet? Nequaquam: si sapientium hominum testimoniis, & magistræ rerum experientiæ fidem ullam „ habemus: nam ut è sublimi montium jugo continenter ad ima „ decurrentes, lapsum repentè sistere, & pedem figere, ubi „ primùm volunt, vix unquam possunt; sed præconcepta vis, „ atque impetus nolentes agit, devolvitque etiam invitos: sic, „ qui ad omne feruntur, quod quâcunque tandem conjecturâ licitum putant, sæpè ad illicita delabuntur, & amantes periculum „ pereunt in illo. «

CORONIS.

EXimius P. Lupus proprietariorum classi annumerat Monachos, „ qui omnia quidem sua Monasterio dant, aut pauperibus, sed sibi aliquem reservant *vitalitiam pensionem* aut „ censum. Ipsum exordium, *ait*, est omninò vitiosum.... utroque enim pede claudicant: *nec Monachum induunt*, *nec secularem deponunt*.... qualiscunque professioni adjecta pensionis „ reservatio, est adversa *substantiæ*, aut certè *fœda* conditio, „ adeoque habenda pro non adjecta. Eam Præfecti *obligantur* „ *circumducere*, & in *communem substantiam devocare*. « Cur, Eximii Patres, non æquè pro hac ipsius sententia, quàm pro illa de *dotibus* decertatis?

Vidit

BARTHOLOMÆUS PASMANS S. T. D.
& Librorum Censor.

PE-

PECULIA

SIVE PARTICULARIA RELIGIOSORUM DEPOSITA IMPROBATA EX REGULA, et disciplina S. Augustini, doctrina & praxi S. Fulgentii; nec non Constitutionibus Ordinis Eremitarum S. Augustini. Adjunctis paucis reflexionibus ad binos libellos nuper in defensionem Peculiorum evulgatos

Ex Constitutionibus Ord. Erem. S. Augustini pag. 3. cap. 4.

PRrior Generalis Provincialium ac Priorum Conventuum Generalium sæpe sæpius animos incitare debet. » Maximè autem Prioribus Provincialibus præcipiendo, quòd Prio» res omnes vitam communem cum fratribus suis observare fa» ciant: *Nam ex particulari vita Fratrum, ac eorundem pro» prietate Monasteria diripiuntur, & ipsi Fratres, ad om» nem communem utilitatem, in qua Ordinis status consistit,* » *redduntur tepidi, & ob affectum proprium, quandoque commu» ni utilitati domestici inimici.*

» Cùm ergo *radix* & fomes *omnium* ferè *malorum sit pro» prietas Fratrum*, eam Reverendiss. Pater omninò eradicare » procuret, nulloque modo in nostra Religione tolerari permit» tat, sed quod juxta *SS. Apostolorum morem ac* D. P. N. Au» gustini Regulam *communis omnibus* vita, ac *omnium* rerum » temporalium inter ipsos Fratres sit beata *communitas*, unde » omnia bona profluenter prospereque succedunt, totis viribus » contendant. «

AD LECTOREM.

UT quæstio, quæ super voto paupertatis, ac religiosa bonorum communione, inter quosdam Ord. Erem. S. August. Professores & me controvertitur, faciliùs percipiatur; statum sive punctum quætionis breviter proponam, quia in scriptis ipsorum non parum involvitur, & intrincatur.

Dico itaque, communionem religiosam exigere, ut omnia undecunque, & quocunque modo, sive intuitu totius *Communitatis* sive *intuitu alicujus particularis* obvenientia, eodem modo esse confundenda, & communicanda, ut in *communem* Conventûs *usum* convertantur. Vide Apol. §. 2. Econtra Eximius Pater contendit, obvenientia intuitu *totius Communitatis* esse confundenda *physicè*; non item, quæ Communitati conferuntur *intuitu alicujus particularis*. In libello *Palinodia Palinodiæ* pag. 60.

Ulteriùs dico, quòd religiosa communio requirat, ut omnia undecunque Religiosis obvenientia confundantur, & in *usum communem* convertantur, quemadmodum in Monasteriis peculia non agnoscentibus fieri videmus: velut in omnibus Monasteriis confunduntur, & in *usum communem* convertuntur eleemosynæ religiosè emendicatæ, & canones ex villis ac redditibus Monasterii provenientes. Ex adverso Exim. P. *pag.* 61. prætendit *hæc* non ab omnibus requiri: agnoscit tamen *in se bona esse*: ego verò religiosæ communioni *essentiale* esse contendo.

Adhæc Eximius sustinet, quòd sufficiat *peculia* sive *depositа* confundi *quoad proprietatem*; non autem requiri, ut confundantur quoad *usum facti*. pag. 102. E contrario sustineo, peculia sive Deposita confundenda sive Conventui incorporanda, non *quoad proprietatem* duntaxat, sed etiam *quoad usum facti*; sive, ut ex illis *usus facti* sive *necessariorum* omnibus suppeditetur.

Ulteriùs Eximius contendit, *peculia* à Religiosis propter necessitatem retineri posse; itemque licitum esse, ut de superioris licentia quilibet ea, quæ *suo intuitu* collata sunt, in particulari capsulla collocet, ex qua necessaria sua procuret de ejusdem Superioris licentia. *Pag.* 149. & 42.

Ego verò, nec peculia, nec ejusmodi particulares reservationes licita contendo; obstante scilicet voto paupertatis, & communione Religiosa.

Ex his, ut spero, perquam manifestus erit præsentis quæstionis status, quem in hoc tractatu ex regula & praxi S. Augustini, doctrina S. Fulgentii, nec non Constitutionibus Ordin. Eremit. S. Aug. elucidare statui: eo quòd dictæ Constitutiones in binis libellis nuper evulgatis, specialiter in patrocinium peculiorum urgeantur.

Hæc erit hujus tractatus materia, cui paucas super binis illis libellis reflexiones adjiciam.

CAPUT PRIMUM.

IMPROBANTUR PECULIA SIVE PARTICULARIA DEPOSITA RELIGIOSORUM, ARGUMENTIS DESUMPTIS EX REGULA ET DISCIPLINA, QUAM FRATRIBUS SUIS S. AUGUSTINUS PRÆSCRIPSIT.

PARAGRAPHUS I.

QUÆSTIO PRÆLIMINARIS.

Qua ratione Peculium sive Depositum ad particulares *usus alicujus Religiosi verè dicatur* proprium *respectu illius Religiosi, tametsi proprietas Conventui sit incorporata.*

QUæstio proposita haud difficulter solvetur exemplo servi: à quo ad Monachum frequenter argumentum duci Jurisconsultis notum est.

Certum est Jure Romano servos planè incapaces esse *proprietatis* sive *dominii*; adeò ut quidquid servi *ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulentur, sive ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia causa acquirant, hoc dominis etiam ignorantibus & invitis obveniat*, §. 3. Institut. Per quas personas cuique acquiritur. *Ipse enim, qui in potestate alterius est*, inquit Cajus, *nihil* suum *habere potest*. L. 10. ff. De acquir. rer. domin.

Hac tamen servi conditione non obstante, Peculium servo esse posse expeditum est. Quod quidem Tubero Jurisconsultus sit definit: *Quod servus domini permissu separatum à rationibus Dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur.*

Circa hoc servi peculium hæc observanda: Primò, legale dominium sive proprietatem peculii semper manere apud dominum; & quidquid servus, etiam ex causa peculii, acquirit, ipso jure acquiri domino.

Secundò, Peculium ad nutum domini solâ ejus voluntate servo adimi, nec nisi de ejus consensu haberi posse. *L. 4. ff. De Peculio.*

Tertiò, quòd illis non obstantibus peculium servi dicatur *patrimonium* servi: » Peculium, *inquit Ulpianus*, dictum est, » quasi pusilla pecunia sive *Patrimonium* pusillum. *L.* 5. §. 3. » ff. eod. *Et Florentinus*: Peculium & ex eo consistit, quod » parcimoniâ suâ quis paravit, vel officio meruerit à quolibet » sibi donari; idque velut si *proprium patrimonium* servum suum » habere quis voluerit. *L. 39. ff. eod.* Imò teste Paulo Jurisconsulto, quasi *patrimonium liberi hominis* Peculium servi intelligitur, ubicunque esset. « *L.* 47. §. 6. *ff. eod.*

Patet ergo, quòd licèt conditio servilis faciat, ut *proprietas* sive *dominium* peculii sit apud dominum, possitque dominus *pro libitu* peculium servo adimere; tamen quandiu volente domino peculium servus retinet, illud velut *proprium patrimonium* liberi hominis possideatur. Ideoque & nomen suum mutuavit peculium servi tanquam *peculiare* sive *particulare* aut *proprium* sit servo.

Nec id mirum videbitur, si attenderimus, rerum temporalium commodum sive utilitatem præcipuè in illarum usu consistere, eumque consequenter in effectu rem illam sibi *propriam* sive *peculiarem* habere, cui res quoad *usum* & *utilitatem* appropriatur, sive ut vocabulo barbaro utar, *peculiatur*. *Peculiare* enim pro applicare propriis usibus, apud Odoricum Vitalem lib. 9. legimus: *Ecclesiis suis usibus illicitis* peculiaverant, ait, *ac indecenter contaminaverant.*

Tametsi igitur pusilla illa pecunia, quam servus permissu domini separatam à rationibus dominicis habet, *proprietate* tenus sit ipsius domini, rectè tamen dicitur *peculium*, & velut *proprium patrimonium* servi; quia quoad usum & utilitatem servo est *peculiaris*, sive *propria*; atque ita in effectu quasi *patrimonium liberi hominis* eam possidet: eò quòd utilitas peculii non minùs redundet in servum, quam utilitas patrimonii liberi hominis in ipsum liberum hominem.

His præmissis, quis non videat, eâdem ratione, quâ peculium servi, etiam peculium Religiosi rectè dici *pusillum patri-*

monium ; item velut *ipsius proprium patrimonium.* Quin imò, peculium ipsi Monacho sit *quasi patrimonium* hominis secularis sive non Religiosi, tametsi proprietas, sive civile dominium hujusmodi peculii apud Conventum sit ; non secùs ac proprietas peculii servilis est penes dominium.

Sicuti enim peculium servi est pusilla pecunia, quam servus permissu domini ad usus suos *particulares*, separatam à rationibus dominicis habet, similiter peculium Monachi *particularibus* usibus hujus Monachi *reservatur* sive *peculiatur* & *appropriatur.*

Cùm ergo rerum temporalium utilitas, sive commodum præcipuè, imò unicè pene, ut dictum est, in earum usu consistat, res illi Religioso rectè dicitur *appropriata* sive *propria*, cui usus appropriatus sive *peculiatus* est ; utpote in quem rei utilitas & commmodum redundat.

Quis enim non videat, quàm parum prosit proprietas sine usu, & quàm parum referat non habere rerum proprietatem, modò earum habeamus usum. Imò nec rerum temporalium possessio aliundè nocet aut prodest, quàm propter usum. Unde jam pridem rectè notavit Dionysius Carthusianus: » Magis » nocet Religioso habere *usum peculii sine* proprietate *civili*, » quàm habere *proprietatem sine usu* : Proprietas namque in se » non est peccatum, nec ad peccandum inducit, nisi per usum » rei.... imò quantum ad progressum de malo in malum, parum » aut nihil refert, an habeatur *usus sine proprietate*, *an cum* » *proprietate.* « Vide Dissert. Can. De Pecul. *part.* 1. *cap.* 1. *coroll.* 2.

Peculia ergo Monachorum ipsis dicuntur *propria*, quia ipsorum *particularibus usibus* reservantur sive *peculiantur* : quia inde fit, ut quoad utilitatem, quæ ex usu desumitur, ipsis sint *propria.* Quamobrem nec incongruè peculiorum suorum adinstar usufructuarii, dicentur habere *dominium utile.*

Quin & omnem *proprium*, à quo Monachi *proprietarii* dicuntur, non nisi à simili particulari appropriatione quoad usum desumi potest. Quidquid enim Monachus acquirit, tametsi illud ignorante, quin & invito Superiore retineat, (quo casu enim verum proprietarium esse nemo ambigit) tamen ipso jure proprietas Conventui incorporatur, ut nec vel momento temporis in persona Monachi remaneat.

Proprium igitur, & peculium, cujus proprietas est penes Conventum, quoad Monachum synonima sunt. Hinc Juris-Canonici Glossographus : *Peculium, id est, proprium.*

Sed nec hæc dicens novitatis forsitan insimuler, audire lubet Canonicum Regularem à centum & amplius annis in generali Conventu Canonicorum Regularium Congregationis Vindesemensis contra proprietarios perorantem: » Quamvis, ait, secun» dum proprietatem vocum aliud sit peculium, aliud proprium, » in præsenti tamen materia *proprium* semper pro *peculio* sumi» tur. Nam *veram* rei *proprietatem*, hoc est, ipsum *legale do*» *minium Religiosus omninò habere non potest* : quià contra na» turam Monachatus est, & implicat contradictionem. Impos» sibile est enim, ut quis simul sit Monachus, & alicujus rei le» gale dominium habeat : sed *quidquid* habet, *peculium* est, *ad* » *Conventumque pertinet, & per Prælatum semper auferri potest.*

» Idem est & de peculio servi sub Domino, & Filii non» dum emancipati sub suo Patre. «

Dum ergo Concilium Lateranense III. dixit, » Monachi » nec peculium permittantur habere, *& Innocentius III.* pro» hibuit districtè in virtute obedientiæ sub obtestatione divini » judicii, ne quis Monachorum *proprium* aliquo modo possi» deat, *idem præcepisse censentur.* «

Similiter idem Innocentius respondens : *Non æstimet Abbas quòd super habenda proprietate posset cum aliquo Monacho dispensare*, non de proprietate civili (quæ semper Convetui ipso jure acquiritur) sed de utili, à sæpius dicta appropriatione quoad usum desumptâ (quam Monachi proprietarii unicè ambiebant, & de Abbatum licentia retinere cupiebant, parum de civili & sterili proprietate soliciti) loqui dicendus est.

Sed non deerunt forsitan, qui cum Doctoribus nonnullis (de quibus à ducentis & amplius annis Dionysius Carthusianus) » excusabunt peculium Monachorum & Monialium à vitio pro» prietatis, *dummodo Superioribus suis, videlicet Abbati aut* » *Abbatissæ nil celent, & ad reddendum seu dimittendum pa*» *ratæ sint juxta Superiorum voluntatem, nihilque recipiant,* » *vel expendant sine illorum licentia.* Denique ad ea, quæ su» prà adducta sunt ex Concilio Lateranensi, & Constitutione » Domini Papæ, respondent, quod prohibitio illa, de habendo » peculio aut proprio intelligenda sit, quòd Monachus non de» bet aliquid possidere, aut habere peculium *nomine proprio* : » non autem ibi prohibetur Monachus aliquid posside *nomine* » *Abbatis, & de expressa permissione ipsius.* Similiter dicunt, » quod cum Monacho non potest dispensari, ut habeat pro» prietatem *nomine suo*, sed potest cum eo dispensari, *ut ha*» *beat aliquid* peculiare *nomine Abbatis aut* monasterii, Istud » videtur *inconsideratissime* dictum : in ipso namque Concilii » Lateranensis decreto, peculium luce clarius Monachis *ad*» *ministrationem commmunem non habentibus* prohibetur : & » Abbati sub pœna absolutionis à suo officio districtè prohibe» tur, ut *non permittat* aliquem Monachorum suorum habere » *peculium*, nisi ratione administrationis : quos item habentes » peculium, & morientes in eo, secundum determinationem » Concilii puniat.

» Quomodo ergo Monachus nomine Abbatis potest habere » peculium, cum Abbati prorsus prohibitum sit peculium Mo» nacho dare, imò & *permitere ut habeat illud* ? «

Plura in refutationem illorum, quibus præfati Doctores peculium Monachorum à vitio proprietatis vendicare studebant, ibidem addit Carthusianus ; sed quia in Dissertatione meâ relata facilè videri possunt, brevitatis causâ omitto ; uti & illa, quibus tum in Dissertatione, *part.* 1. *cap.* 1. *coroll.* 2. tum in Vindiciis, *cap.* 2. & latiùs in earum Appendice *cap.* 1. §. 2. luculentissimè ostendi, peculia Monachorum ipsis esse *propria*, tametsi ea de licentia & beneplacito Superiorum retineantur.

§. II.

Proponitur primum argumentum contra peculia, sive particularia Religiosorum deposita, ex Regula Sancti Augustini.

» PRimum, ait Augustinus, ad quod in unum congregati es» tis, unanimes habitetis in domo, & sit in vobis anima » una, & cor unum in Deo, *& non dicatis aliquid proprium,* » *sint vobis* omnia *communia*, & distribuatur unicuique ves» trûm à Præposito vestro, victus & tegumentum, non æqua» liter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs » *unicuique sicut opus fuerit.* Sic enim legitur in Actis Aposto» lorum : *Quia erant ipsis omnia communia.* «

Ex his Regulæ Augustinianæ verbis colligitur primò, *proprium* dici Augustino, quidquid *toti* communitati non est *commune*, ut unicuique victus & tegumentum aliave necessaria distribuantur. Cùm enim præcepit, *non dicatis aliquid* proprium; per oppositum subjungit, *sed sint vobis* omnia communia, & *distribuatur*, &c. ex quo manifestum est, *proprium* ab Augustino opponi *communi.*

Hinc ulteriùs collige, *depositum* ad *particulares* usus *alicujus* Religiosi, cæteris exclusis, *peculiatum*, sive *reservatum*, secundum Augustini Regulam, esse *proprium* ; ut potè non commune *toti* Communitati, *ut distribuatur unicuique victus* &c.

Secundò ex citatis verbis habetur, universa Religiosorum peculia, sive deposita ad usus *particulares* alicujus Religiosi, Regulæ S. Augustini diametraliter opponi. Quid enim evidentius, quàm ea non esse communia, ut distribuatur unicuique victus & tegumentum aliaque necessaria, quæ *particularibus* usibus hujus illiusve Religiosi *peculiantur*, seu *reservantur* ; ut nimirum ex illis non omnes Religiosi, sed hic aut ille duntaxat victum & tegumentum cæteraque necessaria accipiat ? Ut proinde Regula volens, ut Fratribus *omnia sint communia* & distribuatur &c. meridiana luce clarius peculia sive particularia deposita excludat.

Quod & pro comperto habentes Prælati Ordinis Præmonstratensis anno 30. hujus seculi in Capitulo Generali statuerunt: » ut si alicui sororum à quoquam aliquid datum fuerit, juxta » *præceptum Regulæ* statim resignet & *redigatur* in *commune.* » Nulla quoque sororum ad *proprios* & *particulares suos usus* » pecuniam vel redditus habeat assignatos, sed omnia Superiori » tradantur & *Conventui incorporentur.* «

§. III.

Proponitur secundum argumentum ex Regula S. Augustini desumptum.

» NUllus *sibi aliquid* operetur, ait Regula Augustini cap. 8. » sed *omnia opera vestra* fiant in commune majori stu» dio & frequentiori alacritate quàm si vobis singulis faceretis » *propria* : charitas enim, de qua scriptum est, *quod non quæ*» *rat quæ sua sunt*, sic intelligitur, quia communia propriis, » non propria communibus anteponit. Et ideò, quantò amplius » rem communem, quàm propriam vestram curaveritis, tantò » vos amplius profecisse noveritis: ut iis omnibus, quibus utitur » transitura necessitas, superemineat quæ permanet charitas. «

His verbis Augustinum intendere, ut Fratres non *sibi*, id est, in *proprium* ac *privatum* commodum, sed *in communem*, id est, *in commune commodum ac utilitatem* operentur, clarum est. Hinc quoque manifestum, peculia, sive deposita, quibus illa, quæ Religiosis ex concionibus sive alio justo labore obveniunt, ad *particulares* usus & *necessitates illorum*, quibus obvenerunt, reservantur, per præsens Regulæ præceptum improbari : nec enim in *commune*, sive in commodum ac usum *communem* opera fiunt, si occasione operum sive laboris provenientia, non *Communitati* sive operantium duntaxat usibus proficiant.

Un-

Unde Octavius Frangipanus Episcopus Tricaricensis, Apostolicæ Sedis per Germaniam inferiorem, & Belgarum Provincias Nuntius, in suo Directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, Coloniensi præsertim Ecclesiæ accomodato, ac per Facultatem Lovaniensem approbato, postquam monuit Monasteriorum Superiores » ut curam in hoc omnem ponant, ne quod hactenus passim in » multis Monasteriis factum est, *aliquis sibi aliquid operetur, sed* » *ut præscribit in Regula sua D. Augustinus, omnia opera sua in* » *unum faciant majori studio & alacritate, quàm si singula sibi* » *facerent propria*," tanquam consequens subjungit: „ac proinde omnis pecunia, vel res, quam Monachus, vel Monialis, sive » labore, sive industria, sive amicorum liberalitate, seu denique » quâlibet aliâ occasione acquirere potest, Superiori mox tradatur; » & in commune *ærarium*, vel commune *vestiarium, vel aliàs in* » communes usus *reponenda*, & ad nutum Superioris tanquam » res, *non quidem* uni peculiaris, sed omnibus ex æquo communis, administranda; ne contingat in Monasteriis illa perversitas, » ut qui divites & liberales habet in seculo consanguineos, etiam » superfluis quibusque abundet, & alius frater necessariis destituatur."

§. IV.

Proponitur tertium argumentum ex Regula S. Augustini.

POstquam in Regula dictum fuit: Nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra fiant in commune, subjungitur: » Consequens ego est, ut etiam qui suis filiis aut aliqua ne» cessitate ad se pertinentibus in Monasterio constitutis, aliquam » contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, » *ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur.*" Cap. 8. Reg.

Quòd per hæc Regulæ verba improbentur peculia sive particularia Religiosorum deposita conflata ex illis, quæ ex parentum aut aliorum liberalitate Religiosis obveniunt, non difficulter intelligitur.

Cùm enim Regula velit, ut si quis filiis in Monasteriis constitutis aliquid contulerit, illud non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, *ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur*; manifestum est Regulam nolle, ut illud, quod Religioso ex parentum liberalitate offertur, ad *particulares* ipsius *usus* & *necessitates* reservetur; sed è contrario Regulam velle, ut redigatur *in rem communem*, per Præpositum, cui necessarium fuerit, distribuendum; quod quàm directè Peculiis seu particularibus depositis repugnet, tum per se, tum ex ante dictis planum est.

Qui igitur vitæ communionem juxta Augustini Regulam (idem est de Regula S. Benedicti, ut in Dissertatione ostensum est) professi sunt, nihil à parentibus, aut alio quoquam, suis particularibus usibus reservandum, & non *toti* Communitati profuturum, accipere possunt; imò si offerentes omnibus Fratribus *commune* esse nollent, potius recusandum quàm eam conditione accipiendum esse; ut suo exemplo jam pridem S. Anselmum docuisse, Eadmerus individuus vitæ illius comes testatur. » Cùm enim Monasterii Beccensis » Prior esset, illi sæpè plura auri & argenti pondera à nonnu» lis sunt oblata, ait Eadmerus, quatenus ea in suos, suorum» que usus susciperet, servaret, dispenderet; quæ ipse *nulla pa*» *tiebatur ratione suscipere, nisi fortè* communi fratrum utili» tati *profutura*, Abbati præsentarentur. Sed cum hic, qui sua » offerebat, è contra diceret, se nullam tunc voluntatem habere, vel Abbati vel Monachis aliquid dare, nisi *ei soli*, refe» rebat ille, *se talium opus non habere*, nec aliter à quoquam » velle accipere." *In ipsius Vita apud Bollandum ad* 21. *Apr. cap.* 4.

§. V.

Ostenditur ex Sermone 49. *de Diversis, sive* 355. *ult. edit. S. Augustini, peculia sive deposita particularia Religiosorum Regulæ S. Augustini contrariari.*

DUos sermones Augustinum habuisse de vita & disciplina, quam in Monasterio inter fratres suos institueret, servatamque vellet, dum *fortè de possessionibus invidia ipsis Clericis fieret*, memorat Possidius.

In utroque latè ac dilucidè exponit, quam paupertatem, ac vitæ communionem in Monasterio cum Fratribus suis servare intenderet, quamque ipsa *sancta* Fratrum *possesio* exigeret.

In primo itaque, ita de suo vitæ instituto ad plebem disserit.

» Ut non vos diù teneam, præsertim quia ego sedens loquor, » vos stando laboratis: nostis omnes, aut penè omnes, *sic nos* » *vivere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi*, ut quantum » possumus, imitemur eos Sanctos de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum, *Nemo dicebat aliquid proprium, sed* » *erant illis omnia communia*..... Apprehensus Presbyter factus » sum, & per hunc gradum perveni ad Episcopatum. Non » attuli quid, non veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum iis in» dumentis quibus illo tempore vestiebar. Et quia hoc dispone» bam, in Monasterio esse cum Fratribus, cognito instituto & » voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hor» tum illum, in quo nunc est Monasterium. Cœpi boni propo» siti fratres colligere compares meos, nihil habentes, sicut ni» hil habebam, & imitantes me, ut quomodo ego tenuem pau» pertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic face» rent & illi, qui mecum esse voluissent, *ut de communi vive*» *remus*; commune autem nobis esset magnum & uberrimum » prædium ipse Deus..... *Ecce quomodo vivimus.* Nulli li» cet in societate nostra habere aliquid *proprium*; sed fortè aliqui » habent. Nulli licet: si qui habent, faciunt, quod non licet."

Quinam vero sint, qui juxta Aug. habere *proprium*, & à proposito, sive voto cadere censeantur, subjicit: » Sanè etiam » hoc noverit Charitas vestra dixisse me fratribus meis, qui me» cum manent, ut quicunque habet aliquid, *aut vendat & ero*» *get*, *aut donet* & commune *illud faciat*. Ecclesiam habet, per » quam nos Deus pascit. Et dedi dilationem usque ad Epipha» niam, propter eos, qui vel cum fratribus suis non diviserunt, » & dimiserunt quod habent apud fratres suos, vel nondum de » re sua aliquid egerunt, quia expectabatur ætas legitima. Faciant » indè quod volunt: dum tamen sint *pauperes* mecum, simul » expectantes misericordiam Dei. Si autem nolunt, qui fortè no» lunt: certè ego sum qui statueram, sicut nostis nullum ordina» re Clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet disce» dere à proposito, rectè illi tollerem Clericatum, quia desere» ret *sanctæ Societatis promissum*, cœptumque consortium. Ecce » in conspectu Dei & vestro, muto consilium: qui volunt habere » aliquid *proprium*, quibus non sufficit Deus & Ecclesia ejus, » maneant ubi volunt, & ubi possunt, non eis aufero Clerica» tum. Nolo habere hypocritas. Malum enim est, quis nesciat? » *Malum est cadere à proposito*: sed pejus est simulare proposi» tum. *Ecce dico*, audite: *qui societatem* communis vitæ *jam* » *susceptam*, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, *deserit, à* » *voto suo cadit, & à professione sancta cadit. Observet judicem,* » sed Deum, non me. Ego ei non aufero Clericatum. Quantum » sit periculum, ante oculos ejus posui: faciat quod vult. Novi » enim, quia si aliquem hoc facientem degradare voluero, non » ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores, & hîc & » apud Episcopos, qui dicant, quid mali fecit? Non potest te» cum tolerare istam vitam: extra Episcopum vult manere, & » de proprio vivere, ideone debet perdere Clericatum? Ego scio » quantum malum sit *profiteri aliquid, nec implere*, vovete, in» quit, & reddite domino Deo vestro, & melius est non vove» re, quam vovere, & non reddere.

Ex hoc Augustini discursu colligę sequentia. Primò: Fratres Institutum Augustini profitentes, vovere vitam communem, quæ in Actibus Apostolorum laudatur; adeoque inter ipsos omnia debere esse communia, ut distribuatur singulis, prout cuique opus est.

Secundò: Quòd juxta S. Augustinum, qui societatem communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, *à voto suo cadat*; *& professione facta cadat.*

Hinc ulteriùs collige, quòd ad mentem Augustini rectè dixerit Synodus Audomarensis: » Prorsus *omnia* in communem » usum convertantur; ita ut impleatur à Religiosis, quod sibi » imitandum sumpserunt, & *ad quod Religione sempiternâ se* » *obligarunt* (non potest res ista inculcari satis) *illud primitivæ* » *Ecclesiæ*: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima* » *una*: *nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse* » *dicebat, sed erant illis* omnia communia: *dividebatur autem* » *singulis prout cuique opus erat.*" Vide Dissert. Can. *p.* 1. *c.* 1. §. 4.

Tertiò ex hoc Augustini sermone habemus, quòd ipse judicaverit, imò nec dubitaverit Fratres, qui societatem vitæ communis in Actibus Apostolorum laudatam non servarent, à voto suo cecidisse, & coram Deo votifragos esse, licèt illos à se eo tempore puniendos non crediderit. Hinc collige, nullatenus sequi: Religiosos hoc illove modo peculia habentes coram Deo non esse proprietarios, qui per Constitutiones, ut *proprietarii* non puniuntur.

Quartò: prædicta verba ostendunt, Augustinum permisisse libertatem Ingredienti, ut omnia sua vendat, & eroget, vel donet & *commune faciat*, ut inde pauperes Christi Monasterio vivant.

§. VI.

Petuntur argumenta contra peculia, & particularia Religiosorum deposita ex sermone 50. de Diversis, sive 356. ult. edit. *S. Augustini.*

SErmonem secundum de vita, & moribus Clericorum suorum in hunc modum Augustinus exorditur: » Charitati ves» træ hodie de nobis ipsis sermo reddendus est. Quod enim ait » Apostolus, *spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & ho*» *minibus.* Qui nos amant, quærunt quod laudent in nobis: qui » autem nos oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in utroque » medio constituti, adjuvante Domino Deo nostro, & vitam, & » famam nostram sic custodire debemus, ut non erubescant de » detractoribus laudatores. *Quomodò autem vivere velimus, quo*» *modò Deo propitio jam vivamus*, quamvis de Scriptura Sancta » multi noveritis, tamen ad commemorandos vos, ipsa de li» bro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis » ubi descripta sit *forma, quam desideramus implere.* Dum ergo » recitatur, vos intentissimos volo, ut post ejus recitationem, » quod institui, loquar, Deo donante, intentioni vestræ. (Et La» zarus Diaconus legit:) *Cum orassent, motus est locus in quo* » *erant congregati, & impleti sunt omnes Spiritu Sancto, & lo*» *quebantur verbum Dei cum fiducia omni volenti. Multitudinis* » *autem credentium erat anima una, & cor unum, & nemo eo*» *rum quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis* » *omnia communia. Et virtute magna reddebant Apostoli testi*» *monium resurrectionis Domini Jesu: gratiaque magna erat* » *super omnes illos. Neque enim quisquam egens erat inter illos.* » *Quotquot enim possesores prædiorum vel domorum erant, ven*» *dentes afferebant pretia illorum, & ponebant ante pedes Apos*» *tolorum. Distribuebatur autem unicuique prout cuique opus* » *erat.* (Cumque Lazarus Diaconus recitâsset, & Episcopo co» dicem tradidisset, Augustinus Episcopus dixit,) & ego legere » volo. Plus enim me delectat hujus verbi esse lectorem, quam » verbi mei disputatorem. *Cùm orassent*, &c. *Audistis quid ve*» *limus: orate ut possimus.*"

Ex his rursus constat, S. Augustinum à Fratribus suis servatam voluisse vitam communem in Actibus Apostolorum tantoperè laudatam. Sed ne per oblationes fidelium alicui Fratrum in particulari faciendas, forsitan hæc omnimoda rerum communio læderetur, ad populum conversus, eum his verbis admonendum censuit: Et vos exhortor, inquit, » Fratres mei, si aliquid » vultis Clericis dare, sciatis, quia non debetis, quasi *vitia eorum* » *fovere contra me.* Omnibus offerte quod vultis, offerte de vo» luntate vestra. Quod *commune* erit, *distribuetur unicuique si*» *cut cuique opus erit.* Valdè me delectat, si ipsum fuerit præse» pe nostrum, ut nos simus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo » det byrrhum, vel lineam tunicam, seu aliquid nisi in commu» ne: *de communi accipio & mihi ipsi*, cùm sciam *commune* me » habere velle, quidquid habeo. Nolo talia offerat sanctitas vestra, » quibus ego solus quasi decentiùs utar: offerat mihi, verbi gratiâ, » byrrhum pretiosum: fortè decet Episcopum, quamvis non de» ceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperi» bus natum. Modò dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas » vestes, quas non potuissem habere vel in domo Patris mei, » vel in illa seculari professione mea. Non decet: *Talem debeo* » *habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare.* » *Qualem potest habere Presbyter, qualem* potest *habere decen*» *ter Diaconus & Subdiaconus, talem volo accipere*: quia *in* » *commune* accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod & » facere soleo, ut quando non potest vestis esse communis, pre» tium vestis possit esse commune."

Hic Augustini discursus ostendit, quòd ad exemplum sui legislatoris, Superiores meritò moneant fideles, præsertim parentes Fratrum suorum, ut si quid offerre voluerint, vitia Fratrum non foveant, illis nimirùm in particulari offerendo; sed si quid offerre voluerint, omnibus offerant. Nullus det vestem, seu aliquid, nisi in commune; atque ita, quod commune erit, distribuetur unicuique sicut cuique opus erit.

Quod & S. Benedictum desiderâsse, in Dissertatione Canonica *part.* 1. *cap.* 1. §. 8. ostensum fuit.

Insuper ex allegato Augustini discursu planum est, ipsum voluisse, ut quidquid Fratribus, vel sibi offerretur, esset commune; non tantum quoad proprietatem, sed quoad usum; id est, ut omnibus, prout cuique necessarium est, in usum cedat: talem vestem debeo habere, inquit, qualem possum, si *non habuerit, fratri meo dare.* Qualem potest habere Presbyter, qualem potest habere decenter Diaconus, & Sabdiaconus, talem volo accipere::: quia *in commune* accipio. Quo quid evidentius, quàm, quod in commune accipere idem sit Augustino, quod in usum communem, sive ad communes fratrum necessitates accipere? Unde & subjicit: si quis meliorem dederit, vendo: quod & facere soleo; ut quando non potest vestis esse *communis* (nimirùm quoad usum, nam quoad nudam proprietatem, quidni posset esse communis?) pretium vestis possit esse *commune.*

CAPUT II.

EX DOCTRINA, ET PRAXI S. FULGENTII EPISCOPI RUSPENSIS, FIDELISSIMI S. AUGUSTINI DISCIPULI, PECULIA, SIVE PARTICULARIA RELIGIOSORUM DEPOSITA IMPROBANTUR.

PARAGRAPHUS I.

Ostenditur quòd S. Fulgentius quoad vitam communem Religiosis necessariam per omnia Augustino consentiat.

DE S. Fulgentio Episcopo Ruspensi fidelissimo S. Augustini discipulo, & à Cardinali Baronio *ad ann.* 522. dicto *redivivus Augustinus, apud Bollandum ad* 1. *Januarii cap.* 27. leguntur sequentia. » Noluit planè jam B. Fulgentius in priori » domo multis Fratribus comitantibus diutiùs habitare, sed juxta » Basilicam S. Martyr Saturnini procul à strepitu civitatis va» cantem reperiens locum, Brunasio Calaritanæ civitatis Antis» tite venerabili priùs, sicut decuit, postulato, novum sump» tibus propriis Monasterium fabricavit. In quo quadraginta & » amplius Fratribus congregatis, disciplinæ cœnobialis Ordinem » custodivit illæsum, nemini dans licentiam *professionis sanctæ* » *Regulam* præterire; sed principaliter hoc observandum Mo» nachis tradens, ut nullus eorum quidquam sibi proprium » vendicaret, sed essent *omnibus omnia* communia. Dicebant » enim frequenter, nec debere nec posse Monachum judicari, » cui voluntas habere privatum Peculium persuaserit. Ut enim » Monachus lautioribus forsitan cibis utatur, interdum cogit in» firmitas corporis; ut autem cupiat in quibuslibet exiguis re» bus juris proprii dominium vendicare, superbæ voluntatis, » & avaræ cupiditatis evidens testimonium est."

Quis hisce verbis non videat miram inter fidelissimum discipulum, & Patrem sanctissimum expressam consonantiam?

Augustinus tanquam primum, & principale vitæ Religiosæ punctum ponit, ut nemo dicat aliquid proprium, sed sint Fratribus *omnia communia.* Fulgentius principaliter hoc observandum Monachis tradebat, ut nullus quidquam sibi *proprium* vendicâret, sed essent omnibus *omnia* communia.

Proprium erat Augustino, quod non erat omnibus commune; similiter & Fulgentio. Dicebant enim, ut nullus sibi proprium vendicaret, *sed* essent omnibus omnia communia; ex qua oppositione evidens fit, proprium ipsi fuisse, quod non erat omnibus commune.

Augustinus dicebat, quod Frater ille à voto suo cadat, à professione sancta cadat, qui societatem vitæ communis, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit; nonne idem sensit Fulgentius, dum dicebat frequenter, nec debere nec posse Monachum judicari, cui voluntas habere *privatum Peculium* persuaserit?

Cui enim voluntas habere privatum peculium persuaserit, etiam persuadet non omnia omnibus facere communia; quia, ut anteà sæpius ostensum est, privatum peculium perfectè, & omnimodæ bonorum communioni directè opponitur, ac per consequens societati vitæ communis in Actibus Apostolorum laudatæ: quia hæc vult omnia esse communia ut distribuatur &c.

Adhæc ex verbis jam relatis patet, proprium, & peculium, item proprii dominium quoad Religiosos, ipsi etiam Fulgentius synonyma fuisse.

Universa verò Religiosorum peculia, sive particularia deposita hac S. Fulgentii sententiâ improbari jam plusquam sufficienter probatum est: constat enim ex dictis, directissimè sibi opponi, inter Monachos *omnibus omnia esse communia*, & esse inter ipsos privata peculia, sive deposita, ad particulares usus, & necessitates hujus illiusve Religiosi reservata.

§. II.

S. Fulgentius occassionem, sive prætextum Peculiorum Religiosis adimit.

NUllum esse aptius, efficaciusque remedium, ut vitium proprietatis sive peculiaritatis è Monasteriis evellatur, quàm ut Superiores è *communi* Monasterii substantia placidè, atque benignè necessaria subministrent, à Patribus jam pridem notatum fuit.

» Ut hoc vitium peculiare radicitùs amputetur (ait Magnus » ille Monachorum Patriarcha S. Benedictus, *cap.* 55. *Reg.*) den» tur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria.... ut omnis aufera» tur necessitatis excusatio."

Quàm sedulò hoc remedium adversus peculiaritatis vitium

S.

S. Fulgentius adhibuerit, vitæ ipsius actuor testatur.

„ Distribuebat sane ipse cum summa discretione servis Dei „ *necessaria* vitæ subsidia, singulorum vires infirmitatemque „ considerans. Verumtamen quibuscunque plus cæteris consule- „ bat, eos humilitatem custodire ampliùs admonebat, dicens „ eis: De substantia *communi* quisquis aliquid plus accepit, *om-* „ *nium* fit debitor, quorum est illa substantia: debitorem por- „ rò sola juvat humilitas. Sic efficiebat ne quis *scandalum* pate- „ retur, quando uni propter infirmitatem plus dare aliquid vi- „ debatur. Erat quoque ei aliqua solicitudo, prævenire cune- „ torum Monachorum petitiones, ante tribuendo quidquid tri- „ buendum cuilibet vel necessitas, vel ratio manifesta monstra- „ ret. Si quis autem præsumpsisset, priusquam acciperet, pe- „ tere; negabat ei continuò, etiamsi mereretur accipere, di- „ cens: Monachos debere his, quæ acceperint, esse contentos. „ Cæterùm qui sibi, tanquam indigeant, petunt, desideriis „ adhuc carnalibus serviunt, & omninò non perfectè de cœles- „ tibus cogitant, quandiu quid sibi necessarium sit, ipsi sibi, „ quia non possunt negotiando, petendo saltem providere „ festinant. "

Ex his omnibus clarum est, S. Fulgentium non verbis duntaxat privata Religiosorum peculia improbâsse; sed & summam ei fuisse curam, ut occasionem sive prætextum, quo peculia defendi solent, amputaret: placidè nimirum, magnaque cum discretione, necessaria non ex *particularibus* depositis, sed *communi substantia*, omnibus administrando.

Hanc S. Fulgentii disciplinam si Monasteriorum Superiores imitarentur, quemadmodum ipsis per Patrum Regulas, atque Ecclesiæ Canones injungitur: non dubium, quin facilè *peculiaritatem*, totius disciplinæ regularis exitialem pestem, è Monasteriis eliminarent. Quid enim experientiâ evidentius, quàm unicam penè peculiorum occassionem & prætextum esse, quod à Superioribus ex *communi* Monasterii penu necessaria non dentur? Vide *Dissert. p.* 1. *cap.* 3. §. 1.

Sed vereor, ne & hodie dicere liceat, quod dicebat memoratus Canonicus Regularis: „ Reperiuntur, pro dolor! Præ- „ lati parum curantes quid subditi faciant; aut unde sibi, quæ „ desiderant, acquirant: dummodò ipsi sua marsupia resolve- „ re non cogantur, pecunias plus diligentes, quam fratrum ani- „ mas Christi sanguine redemptas. Hinc est, quod fratres sibi „ ipsis provideant. Hinc proprietas incrementum capit."

Reperiuntur alii, qui quidem marsupia sua non dificulter resolvunt; at non in fratrum suorum necessitates, sed ut domos sibi ædificent magnificas, mensas extruant sumptuosas, supellectilem superbam colligant, famulitium & equos alant, quæ principatum & mundi fastum, nullatenus verò Religiosam paupertatem & rerum terrenarum exprimunt contemptum.

Profectò, si dixerit Christus (Matth. *cap.* 18. *v.* 6.) „ Qui „ autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me cre- „ dunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in colo ejus, „ & demergatur in profundum maris; " quid timendum nonnullis Superioribus, qui cùm teneantur tanquam meri & fideles dispensatores bonorum communium, ea juxta voluntatem offerentium, & Ecclesiæ & Patrum mentem, Fratrum necesitatibus, pauperumque usibus impendere, econtra non secùs ac pleni domini, in usus à Fundatorum intentione & religioso instituto planè alienos impendentes, seu potiùs dilapidantes, subditis suis scandalum ponunt & lapidem offensionis nimirum *necessariorum* defectu eos quodammodò ad sanctæ professionis violationem cogendo.

Verendum sanè, ne similes Superiores incidant in terribilem illam Apostoli sententiam: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. ad Tim. 5. v. 8.

Hæc per occasionem dicta sufficiant; pluribus enim de hoc adversus peculiaritatem remedio, & Superiorum illud adhibendi gravi obligatione, ex Patrum Regulis, & Ecclesiæ Decretis, in Dissertatione Canonica loco citato actum fuit.

CAPUT III.

Ostenditur, peculia, seu deposita ad particulares usus alicujus Religiosi, repugnare Constitutionibus PP. Eremitarum S. Augustini.

PARAGRAPHUS I.

Primum argumentum ex dictis Constitutionibus desumptum.

OMnimodam, ac perfectam rerum omnium communionem, universa peculia, ac particularia Religiosorum Depositа excludentem, per Constitutiones PP. Eremitarum S. Augustini requiri, non uno argumento, ex iis ipsis desumpto evidenter probari hoc capite ostendam; ut inde appareat quosdam peculiorum patronos sine ullo fundamento, contra ipsarum Constitutionum clarissimum tenorem in defensionem peculiorum eas assumere.

Primum itaque contra peculia, & pro necessaria rerum omnium communione, argumentum desumi poset ex formula professionis, quam prædictæ Constitutiones his verbis exprimunt, & à professuris hoc ritu fieri volunt.

„ Sedeat (inquiunt *part.* 2. *Constit. cap.* 4.) Prior, & cæ- „ teri post eum, & Novitius accipiat Regulam S. Patris Au- „ gustini, & deponat eam apertam in manibus Prioris, & po- „ nens manus suas super eam in manibus Prioris profiteatur „ hoc modo: In nomine Domini nostri Jesu Christi benedicti. „ Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo &c. die tali, men- „ se tali: Ego Frater N. de N. filius N. & N. talis loci & talis „ parochiæ, facio professionem, & promitto obedientiam Deo „ omnipotenti, & B. Mariæ semper Virgini, B. Patri Augus- „ tino, R. Patri Fratri N. de N. Priori, &c. nomine & vice „ Rev. P. Magistri N. de N. Prioris Generalis Ordinis Fratrum „ Eremitarum S. Augustini & Successorum ejus canonicè in- „ trantium, & *vivere sine proprio*, & in castitate *secundum hanc* „ *Regulam ejusdem Patris nostri Augustini* usque ad mortem.

Ex hac professionis formula ac ritu habetur.

Primò: quòd Fratres Eremitarum juxta suas Constitutiones voveant *vivere sine proprio* & quidem *secundum Regulam S. Augustini.*

Unde ulteriùs consectarium est, ipsos vovere sine tali *proprio* vivere, quale in sua Regula Fratribus Augustinus interdixit.

Proprium verò juxta Augustinum supra *cap.* 1. §. 2. ostendimus esse omne illud, quòd non est *commune, ut distribuatur unicuique victus & tegumentum*, ac per consequens peculia sive particularia deposita, ut quidam vocant, peculiata, esse vere *propria* ad mentem Augustini; utpote non *communia ut unicuique distribuatur, &c.*

Secundò: quòd Fratres votum emittentes huic Regulæ manus suas imponant; in signum indubiè, quod ad hujus Regulæ normam in futurum vitam suam instituere proponant, & religiosè voveant.

Quod ut religiosiùs observent, & ne aliquando aliquo prætextu ab eo, quod voverunt, recedant, neque per *oblivionem aliquid negligatur*; præscribunt dictæ Constitutiones *part.* 2. *cap.* 9. *ut sextis feriis Regula S. P. Augustini ad prandium legatur, ut in ea tanquam in* speculo *possimus*, ajunt, *inspicere. Quod si fieri non posset, finiatur ad collationem*, &c.

Quid verò in Regula tanquam in speculo inspicere debent? Indubiè qualiter vota sua Deo servare teneantur; atque ita non attendant, qui hi illive agant, quidve hi aut illi vota sua requirere credant, aut dicant; sed quid Regula cui manus imposuerunt, præscribant; non quid Superiores nonnunquam indulgeant, aut etiam licitum dicant; sed quid juxta Regulam ipsa sacra professio exigat.

Quid enim certius, quàm quod interdum, aut ex ignorantia, aut pravâ quâdam, ac inolita consuetudine, sive potiùs abusu, Superiores aliqua licita credant, imò & affirment; quæ tamen ipsis votis ac Regulæ essentialibus repugnant? Sed quid ipsis Fratribus & subditis periculosius?

Hujus periculi magnitudinem prævidens Clemens VIII. postquam multa pro voti paupertatis ac vitæ communis observantia statuit, adversus hoc periculum subditis imminens à Superioribus sibi plura circa relaxationem illius voti licere persuadentibus ipsos præmunire voluit: „ Nulla quorumcunque Su- „ periorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona im- „ mobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominus cul- „ pæ & pœnæ ab ejusdem Concilii Decretis impositæ, ipso fac- „ to incurrendæ, obnoxii sint, *etiamsi Superiores asseverent*, „ inquit, *se hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere* „ *posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.* "

Supponit ergo Pontifex, interdum Superiores eò temeritatis prorrumpere, ut etiam asseverent se, adversus ea, quæ votum paupertatis aut vita communis requirunt, licentias, aut dispensationes posse concedere, quas nequaquam concedere valent.

Ex quo ulteriùs concluditur, ex mente hujus, ac aliorum Pontificum, qui dictam Constitutionem innovârunt, ac confirmârunt, Fratres non semper reddi securos, quòd hoc illudve sit licitum, neque voto contrarium, tametsi Superiores, quicunque illi sint, non tantùm permittant, sed insuper licitum esse asseverent.

Prudenter proinde præcipiunt sæpè dictæ Constitutiones, ut Regula, quam Fratres sanctè Deo voverunt, & cui voventes manus suas imposuerunt, continuò prælegatur, ut in illa *tanquam speculo* conspicientes, quid voverint; nec Fratrum malè viventium consuetudine, neque crudeli quorundam Superiorum conniventiâ vel damnabili negligentiâ, aut supinâ ipsorum ignorantiâ, quâ sibi licere autumant, quod non licet, à sacra professione debitaque votorum persolutione abducantur.

Ex his omnibus habentur sequentia. Primò, quòd constitutiones PP. Eremitarum S. Augustini velint Fratres vivere usque ad mortem *sine proprio* secundum Regulam S. Augustini.

Secundò, quòd velint illos vivere sine peculiis, sive particu-

cularibus depositis ; utpote quæ juxta Augustini Regulam *proprium* sunt ; ut suprà sat superque probatum fuit.

Tertiò, quòd solicitè velint, ut Fratres in ipsa Regula, tanquam in *speculo*, continuò oculos, mentemque defigant ; ne fortè per oblivionem aliquid negligatur.

Quartò, quòd profitentes imponant manus suas ipsi Regulæ, non autem constitutionibus, aut decretis Superiorum ; ut inde intelligant, se ad Regulam debere vitam componere, votaque sua persolvere : Superiorum verò decretis, aut constitutionibus, & præceptis, obedientiam non nisi secundum ejusdem S. Patris Regulam debeant ; id est, modò à Regula illa, præsertim in his, quæ bases & fundamenta sunt, non recedant.

Nulla proinde est hæc consequentia : In Constitutionibus alicujus Capituli sive Provincialis sive Generalis, peculia, aut particularia Religiosorum deposita permittuntur, vel etiam licita dicuntur ; ergo per illorum reservationem à voto paupertatis, aut vita communi, quam professio religiosa exigit, non receditur ; quandoquidem, ut dictum est, Superiorum indulta, aut etiam præcepta, non excusent, aut obligent, si ab essentialibus Regulæ recedant ; quod contingere posse, exemplo constitutionum Capitulorum etiam Cathedralium Ecclesiarum à Sede Apostolica approbatarum, in *Vindiciis ex Concilio Tridentino* demonstratum fuit.

Nullus tamen hinc inferas, me asserere, quòd Constitutiones Fratrum Eremitarum S. Augustini peculia, aut particularia Religiosorum deposita probent ; sed duntaxat assero : malè inferri, illa esse licita, & habentes ab omni voti transgressione esse immunes, tametsi supponeretur, quòd ista per Constitutiones alicujus Capituli etiam Sedis Apostolicæ auctoritate confirmatas, essent permissa.

§. II.

Proponitur secundum argumentum contra peculia ex Constitutionibus Eremitarum S. Augustini.

NUlla est fœcundior peculiorum radix, quàm metus quòd Coventus nequeat necessaria suppeditare ; ac per consequens, quòd nisi per peculia, seu particularia deposita, Fratres sibi provideant, necessariis sint destituendi ; consequenter incident in multiplicia illa incommoda, quæ necessariorum defectus secum trahere solet.

Hanc quorundam parùm religiosam anxietatem, jam pridem exagitavit Octavius Frangipanus Episcopus Tricaricensis in suprà laudato Directorio : » Procul, inquit, & illi à voluntaria » paupertate absunt, qui ut in lectulo ægritudinis suæ non egeant, » & penuriam, aliaque paupertatis incommoda non sentiant, » *pecuniam* corradunt, atque seponunt : vel *redditus* vitales, » aut perpetuos habent, unde tempore ægritudinis, & *necessi-* » *tatis suæ* consolationem habeat, & se *à molestiis* paupertatis » tueantur, atque defendant. «

Eandem hanc peculiorum radicem summo studio eradicatam voluêre Patres Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui concinnandis, atque concipiendis sæpè dictis Constitutionibus præfuêre ; ut vel inde non obscurè intelligatur, peculia, sive privata Religiosorum deposita, ipsis non placuisse.

» Quoniam per solemnem, sive expressam, sive tacitam » professionem Fratres nostri omnibus, & singulis quibuscun- » que bonis, juribus, & actionibus ad ipsos tunc vel imposte- » rum quovis modo attinentibus, & quoad omnem & totum » penitùs eorundem usumfructum nihil de eis sibi *quovis modo* » *reservantes*, efficaciter, & cum effectu renuntiant, ita ut » deinceps nec etiam verbo aliquid proprium sive suum dicere » debeant : strictè præcipimus omnibus (inquiunt) & quibuscun- » que Fratribus Ordinis nostri professis, ut nullus eorum (*sicut* » *canis, qui revertitur ad vomitum*) per se, vel interpositam » personam, habeat privatum dominium, *usum*, vel usumfruc- » tum pecuniarum, redditum, vel quorumcunque bonorum » mobilium, aut immobilium, aut se moventium ; sed omnia » quantacunque & qualiacunque & quomodocunque acquisita » habuerint, vel eis donata fuerint, in mera & libera potesta- » te sui Prælati teneantur resignare, nihil *penitùs* sibi retinen- » tes, seu *quovis modo reservantes*, dicentes : *Quid manduca-* » *bimus ? Aut quid bibemus ? Aut quo operiemur ? Hæc enim* » *omnia gentes inquirunt.* Imò potiùs deponentes omnem so- » licitudinem in crastinum, totam penitùs spem in illum pro- » jiciam, qui sic *abundè pascit volatilia cœli, quæ neque se-* » *runt, neque metunt, neque congregant in horrea, & sic or-* » *natè vestit lilia agri, quæ non laborant, neque nent* : & obe- » dientes consilio Domini Salvatoris, *primum quærant regnum* » *Dei, & justitiam ejus* ; servando ejus mandata, & redden- » do ei quod in *professione voverunt*, ut consequi mercantur li- » beralissimam, ac certissimam promisionem ejusdem Salvatoris » dicentis : & *hæc omnia adjicientur vobis.* «

Ut igitur Fratres Ordinis Erem. S. Augustini voto paupertatis satisfaciant, tenetur juxta suas Constitutiones, omnia quantacunque & qualiacunque & quomodocunque acquisita habuerint, vel eis donata fuerint, in mera ac libera potestate sui Prælati resignare, nihil *penitùs* sibi retinentes, seu *quovis modo* reservantes.

Quibus verbis ipsa reservatio reddituum vitalitiorum, aut aliarum rerum in usus ac necessitates *particulares*, non obscurè improbatur.

Quis enim dicet, quòd ita reservantes redditus, pecunias, aliasve res, resignent omnia sua in mera & libera potestate sui Prælati, *nihil penitùs sibi retinentes*, *sive* quovis modo *reservantes* ? Cum ipsum *usum* reservent.

Verùm, si unà cum prædictis verbis expendantur ea, quibus, ut suprà vidimus, ad confidentiam in Deum incitantur, clariùs apparebit, Patribus illis peculia, sive deposita displicuisse atque improbata fuisse.

Quæ enim alia hodie peculiorum causa, & in speciem honesta defensio prætenditur, nisi Conventus seu Monasterii penuria. » Utinam, *inquit Exim. Pater*, suppeterent Conventi- » bus *media*, abessentque incommoda, quæ novimus cætera, » ut illis (*peculiis*) non indigeremus. *Et alibi* : Nos verò qui cre- » dimus retinenda *peculia*, non propter cupiditatem credimus, » sed propter *necessitatem.* «

Hunc communem peculiorum prætextum nullatenus ut justum agnoscunt Constitutiones ; sed volunt ut nihil penitùs sibi retinentes, seu quovis modo reservantes, & deponentes omnem solicitudinem in crastinum, *totam penitùs spem in illum projiciant, qui sic abundè pascit volatilia cœli* &c.

Si cui tamen hæc non sufficiant, ut agnoscat quòd Constitutiones ipsum ordinarium & pene unicum peculiorum prætextum rejiciendo, ipsa peculia absolute improbent : illa quæ immediatè subjiciuntur, quæque tertii argumenti materiam suppeditabunt, plenè, ut credo, persuadebunt.

§. III.

Tertium argumentum ex Constitutionibus PP. Eremitarum S. Augustini desumptum.

POstquam sæpedictæ Constitutiones excitando Fratres ad christianam ac religiosam in Deum confidentiam præcipuam peculiorum radicem ex ipsorum animis eradicare studuerunt, ut magis ostendant, hanc suam exhortationem præmitti, ut Fratres ad plenam rerum suarum abdicationem, ac perfectam communionem juxta Regulæ suæ præceptum facilius abducerentur, tanquam consequens immediatè subjungunt : » Un- » de quidquid Fratribus datur in eleemosynam pro Missis, vel » quibuscunque orationibus, prædicationibus, lectionibus, aut » confessionibus, vel pro quacunque arte vel artificio, indus- » tria vel labore, in rem *communem* redigatur : & *cui necesse* » *fuerit præbeatur, ita ut juxta S. P. N. Augustini Regulam,* » *nemo* sibi *aliquid operetur*, sed omnia opera nostra in unum » fiant, majori studio & frequentiori alacritate, quàm si no- » bis singuli *propria* faceremus, & unusquisque tantò se am- » plius proficere noscat, quantò libentiùs & ferventiùs pro *com-* » *muni*, quàm pro *particulari* utilitate prædicaverit, legerit, » vel quodcunque aliud fecerit. «

Quomodo evidentiùs peculia seu particularia deposita improbari potuissent?

Jubent enim Constitutiones, ut quidquid ex lectionibus, aliove justo labore Patribus obvenerit, *in rem communem* redigatur, & cui *necesse fuerit præbeatur*, ita ut juxta S. P. Augustini Regulam *nemo* sibi *aliquid operetur* &c. quod directè, atque diametraliter peculiis, sive particularibus depositis opponitur. Hæc enim non in *rem communem* rediguntur, ut cui necesse fuerit distribuantur ; sed reservantur impendenda in particulares usus & necessitates illius, qui v. g. labore aut industriâ illa acquisivit.

Adhæc clarum est, per peculia sive privata deposita fieri, ut quisque *sibi* operetur, hoc est, non pro communi, sed pro particulari utilitate.

Utilitas enim eorum, quæ ex justo labore Fratribus obvenit, non in ipsa civili proprietate aut dominio, sed ipso rerum usu consistit.

Cùm ergo per peculia fiat, ut res non *in communem usum* redigantur, sed ipsorum laborantium *usibus* reserventur, ac peculientur, patet peculia illa, rursus hoc ex capite dictis Constitutionibus contrariari, quòd his præcipiatur, ut quidquid Fratribus datur in eleemosynam pro Missis &c. *in rem communem redigatur* ; *& cui necesse fuerit præbeatur* ; *ita ut juxta S. Patris Augustini Regulam* sibi *nemo aliquid operetur.*

Sed dicet quispiam : *Hæc omnia confunduntur quoad proprietatem, quod sufficit* ; *non confunduntur quoad usum facti, quod non requiritur.* Resp. ut alia argumenta, quibus hujus asserti falsitas satis in anterioribus ac aliis opusculis probata est, omittam : ipsæ Constitutiones falsitatem illius manifestè evincunt ; nec enim solùm præcipiunt ut simpliciter ex Fratrum labore, aut industria provenientia redigantur in rem communem ;

nem; sed addunt, *& cui necesse est præbeantur*, quo evidenter ostendunt, illa esse confundenda non tantùm quoad proprietatem, sed insuper quoad *usum facti*, id est, ut ex illis, tanquam quæ *omnibus* sint *communia*, indigentium necessitatibus & usibus succurratur: atque ita fiat, quod Constitutiones præcipiunt, ut non pro *particulari*, sed pro *communi* utilitate Fratres *operentur*.

Incorporari enim Conventui quoad usum facti, aliud non est quàm incorporari in eum finem, ut res incorporatæ totius Conventûs sive Fratrum necessitatibus subserviant; usus quipe facti, ut sæpiùs dictum, præcipuè in *appendice Cap.* 1. §. 2. est usus simplex, sive necessariorum.

Ex his suficienter patet, verba Constitutionis quæ immediatè subjunguntur: „ Pia tamen, & laudabilis discretio ita à „ Superioribus observetur, ut ipsorum fratrum, quorum causâ „ hujusmodi bona ad Monasterium venerunt, quoad eorum ne„ cessitates pro loco & tempore in hujusmodi bonis eis donatis, „ vel relictis, ab eis utcunque acquisitis dispensantes, specia„ lem habeant rationem.“ Patet, inquam, verba illa non posse eum sensum admittere, ut piam, ac laudabilem discretionem quoad dispensationem bonorum, quæ Fratribus ex quacunque causa obveniunt, ita à Superioribus observari vellent, ut bona illa *specialiter* Fratrum illorum, quorum causâ proveniunt, necessitatibus sive usibus reservarentur, sicuti in peculiis solet; id enim non solùm Regulæ, sed etiam Constitutioni contrariaretur.

Ut enim mox ostensum est, volunt ipsæ Constitutiones, „ *quidquid* Fratribus datur in eleemosynam pro Missis, vel qui„ buscunque orationibus &c. *in rem communem* redigatur: *cui* „ *necesse fuerit præbeatur*: ita ut juxta S. P. Augustini Regu„ lam, *nemo* sibi *operetur*, sed opera nostra in unum fiant, ma„ jori studio, & frequentiori alacritate, quàm si nobis singuli „ *propria* faceremus, & unusquisque tanto se ampliùs proficere „ noscat, quantò libentiùs & ferventiùs pro *communi*, quàm „ pro *particulari utilitate* prædicaverit, legerit, vel quodcun„ que aliud fecerit.“

Præcipunt proinde Constitutiones, ut *quidquid* Fratribus quacunque de causa obvenit, in rem *communem redigatur*, *& cui necesse fuerit præbeatur*; quod nullatenus cum jam dicto verborum illorum sensu consistit.

Si enim Superiores in dispensandis rebus, quæ Fratribus obveniunt, eam *specialem* rationem quoad horum Fratrum necessitates habere debeant, nullatenus dici possunt redigi in rem *communem*, ut cui *necesse* fuerit præbeantur; erunt enim aliquo modo illorum, quorum necessitatibus *specialiter* impendi deberent.

Adhæc, allegatum verborum sensum etiam Constitutiones ipsæ excludunt, dum juxta S. P. Augustini Regulam mandant, ut nemo sibi *aliquid* operetur, id est, pro particulari utilitate, sed omnia opera fiant in unum seu in *commune* (ut ultima & correctior Augustini editio habet) sive pro *communi utilitate*; nonnè enim *sibi* & pro *privata utilitate* Fratres *aliquid* operarentur, si per relata verba Constitutiones vellent, ut pia & laudabilis discretio à Superioribus ita observaretur, ut ipsorum Fratrum, quorum labore bona proveniunt, quoad eorum necessitates in dispensandis bonis illis *specialem* haberent rationem; non quod illi *amplius*, quàm cæteri Fratres hîc & nunc indigerent, sed quia eorum causâ obvenerunt? Possentne vel in speciem verificari ipsos pro *communi*, & nihil *sibi* seu pro *privatâ utilitate* operari, quando in bonis labore suo partis, quoad ipsorum necessitates, deberent Superiores *specialem* habere rationem? Id nemo, ut credo, non præocupatus dicet.

Ipsæ proinde Constitutiones illum verborum sensum, qui posset favere peculiis, aut depositis ad usus particulares illorum, quibus bona obvenerunt, manifestè excludunt; sed nec alia Constitutionum clarissima verba & præcepta, illum vel in speciem patiuntur, nî manifestam contradictionem in eodem Constitutionum capite admittamus: quod sequentia Constitutionum verba, quæ quarti argumenti materiam subministrant, etiam evincent.

§. IV.

Proponitur quartum argumentum ex prædictis Constitutionibus desumptum.

„ AD hanc autem communitatem *integrè* servandam (prose„ quuntur Constitutiones) in *omnibus & per omnia*, & „ ipsi Priores locorum teneantur. Præcipimus autem in virtute „ Sancti Spiritus, ac salutaris obedientiæ, ut si pecuniæ alicui „ Fratri *intuitu privatæ personæ* ab aliquo donatæ fuerint, Su„ periori exhibeantur infra viginti quatuor horarum spatium à „ receptione earum, vel à reversione Fratris in Conventum; „ Prior verò illas in deposito pro *communi utilitate* reponat. „ Prior etiam pecunias sibi in eleemosynam datis *intuitu suæ* „ *personæ* in deposito pro *communitate* (ut supra) habere *om„ nino teneatur*.“

Ex Constitutionum verbis, rursus peculiorum sive particularium depositorum evidentem reprobationem habemus.

Præcipiunt enim in virtute S. Spiritus, ac salutaris obedientiæ, ut si pecuniæ alicui Fratri *intuitu privatæ personæ* ab aliquo donatæ fuerint, illæ non tantum Superiori exhibeantur, sed insuper præcipiunt ut Prior illas in deposito, non pro *particularibus* usibus, ac necesitatibus illius *cujus intuitu* donatæ fuerunt (quemadmodum per peculia atque particularia deposita contingit) sed pro *communi utilitate* reponere teneatur. Quod ipsum, & quoad pecunias Priori, intuitu suæ personæ datas, observari mandant.

Hinc consectarium est, nec *de consensu*, aut *beneplacito* Superioris peculia, sive privata deposita haberi posse; quandoquidem præcipiatur, ut Prior pecunias, Religiosis *intuitu privatæ personæ* datas, in deposito pro *communi utilitate* habeat, quod directè peculiis opponi, ambigi nequit; quia peculia non reponuntur pro *communi utilitate*, sed ad usus *particulares* illius, cujus intuitu res in peculio reservatæ obvenerunt.

Ulteriùs collige, quòd juxta prædicta statuta quoad confusionem nulla haberi queat distinctio, ut quidam voluit, inter pecunias *intuitu totius communitatis*, & pecunias *intuitu privatæ personæ* obvenientes; sed omnes pro *communi utilitate* esse reponendas.

Cùm enim ille à me quæsivisset, utrum censerem in Monasteriis omnia esse confundenda *physicè* an *moraliter*, reposui: „ Consideret, utrum in suo, aliisque Conventibus eleemosynæ „ religiosè ostiatim emendicatæ, item proventus & canones an„ nui ex villis, aut censibus Monasterii provenientes physicè, an „ moraliter confundantur, & in usum communem ipsius Con„ ventûs convertantur.“ Huic meo quæsito ipse hæc reposuit: „ Quàm inconstanter procedas, ex temetipso demonstro tibi. „ Eleemosynæ illæ, proventus illi, & canones nunquid confe„ runtur Communitati *intuitu totius communitatis*? Quid mira„ ris ergo ista confundi *physicè*? Nunquid autem præcipua no„ bis est quæstio de istis parvis precariis, quæ Communitati con„ feruntur *intuitu particularis*? Hæc solent *particularium* des„ tinari *usibus*; & hoc statuta nostra probant &c.“ Quid hîc per physicam confusionem, quâ eleemosynas, & proventus intuitu totius Communitatis obvenientes dicit esse confundendos, velit, non intelligo; hoc dico, quod contra evidentissima statutorum verba asserat, aliter bona intuitu *totius Communitatis*, aliter bona *intuitu particularium* oblata, esse confundenda, cùm non secùs hæc, quàm illa, pro *communi* utilitate sint reponenda, ac per consequens, nec magis hæc, quàm illa, particularium usibus juxta statuta sint destinanda. Quid verò fieri soleat non inquiro sed solùm quid statuta fieri præcipiant.

Denique ex hactenus dictis patet, verba illa, *pia tamen & laudabilis discretio* &c. sine manifesta statutorum contradictione non posse admittere sensum, qui peculiis aut particularibus depositis faveat.

Adhæc, cùm juxta Augustini Regulam, & ipsa statuta, quidquid Fratribus ex labore acquiritur, vel *intuitu privatæ personæ* datur, debeat esse *commune*, id est, cedere in *utilitatem communem*, sequitur; quòd etiam velint, ut quæcunque Fratribus obveniunt, nulli magis quàm alteri sint particularia, sive peculiaria, sed sint *omnibus* communia, ut, *cui necesse fuerit*, *præbeantur*; adeoque nequaquam *pia*, ac *laudabilis* dicenda esset *discretio*, si Prior in bonis dispensandis, quoad necessitates Fratrum, quorum causâ hujusmodi provenerunt, eam rationem *specialem* observare teneretur, ut *potiùs ipsorum, quàm aliorum* Fratrum necessitatibus impenderentur. Nonnè ex illa discretione Fratribus indicaretur, imò tacitè diceretur bona illa aliquatenus *magis* ad *ipsos*, *quàm alios* de Communitate pertinere? Nonnè Fratribus insinuaretur, contra manifesta tum Regulæ tum statutorum verba, quòd non *omnia* debeant esse *communia*, ut *distribuatur unicuique* &c.

Hoc perpendentes Canonici Regulares Congregationis Windesemensis, qui & ipsi Regulam S. P. Augustini profitentur, hanc *specialem* rationem in rebus dispensandis quoad necesitates Fratrum, quorum causâ obvenerunt, haberi desiderârunt: „ Quòd si alicui nostrûm, vestis aut cultellus, aut aliud quid „ missum fuerit, inquiunt, ad Priorem deferatur; *& ex bonâ* „ *consuetudine non* ei *cui missum est*, sed *alii potiùs* detur.“ Vide *dissert. part.* 1. *app.* 1. *ad Coroll.* 1.

§. V.

Solvitur objectio ex dictis Constitutionibus deprompta.

LIcèt ex ipsis Constitutionibus PP. Eremitarum S. Augustini, argumentis plusquam sufficientibus me ostendisse credam, per illas ipsas peculia, sive deposita particularia ad *singulares* necessitates sive usus Religiosorum esse improbata, unus tamen in iisdem Constitutionibus occurrit articulus, quo à nonnullis creditur illa peculia, sive deposita particularia evidenter non tantùm permitti, sed & probari.

Ar-

Articulus ille dessumitur *ex part. 2. dictarum Const. c. 15.* cujus capitis hic est titulus: *De cura habenda circa fratres decedentes ab hac vita & quid fiet de rebus eorum* usui *concessis.* Articulus verò in peculiorum defensionem adductus ita sonat: „Si » verò Frater tempore mortis aliquas pecunias de licentia sui Su» perioris, pro libris emendis, vel quovis alio, *in deposito*, vel » alibi habuerit, quotquot illæ sint, ad Conventum suæ profes» sionis devolvantur, nisi essent in quantitate contemnenda."

Hoc articulo relato infert unus; » Ergo statuta nostra per» mittunt, ac probant *deposita* tanquam minimè proprietaria, » aliàs talem Religiosum damnarent ad pœnas proprietariorum » statutas *p. 6. cap. 9.*

Huic objectioni, quæ primo intuitu aliquid difficultatis habere videretur, ut clariùs satisfiat, prænotanda sunt sequentia.

Primò: in Ordine PP. Eremitarum S. Augustini, Conventus singuli habent proventus separatos, & jura propria ab aliis planè independentia.

Secundò: juxta Constitutiones ejusdem Ordinis, illa quæ Religiosis intuitu privatæ personæ obveniunt, devolvuntur ad Conventum suæ professionis, sive filiationis.

Tertiò: præcitato capite tractatur, ac decernitur ad quem Conventum res usui Religiosorum concessæ post mortem debeant pertinere.

Quartò: citatus articulus supponit Religiosum aliquem habitare extra Conventum suæ professionis, seu filiationis & extra eadem vitâ discessise.

Quintò: in dictis Constitutionibus depositum non sumitur pro particularibus depositis, sed communi, quod præterquam sufficienter patet ex verbis supra relatis: Prior pecunias sibi in eleemosynam datas intuitu suæ personæ, in *deposito pro Communitate* habeat; evidentiùs in capite de officio depositariorum exprimitur: » Ad horum, inquiunt Constitutiones, officium » pertinet quod quilibet eorum habeat clavem unam arcæ de» positi, nec eam alicui unquam committat, nec in cella relin» quat, sed secum semper deferat, solicitè custodiat; tertiam » clavem habebit Prior, nec eam alicui dabit præterquam Su» periori quando foras iverit.... & in domo sit archivum cum » armariis, seu capsis, in quibus scripturæ, privilegia, con» tractus, & omnia jura ad Conventum pertinentia asserven» tur ita cautè, quòd nullo modo damnificari possint, cujus » clavis in deposito sub tribus clavibus serventur &c." Evidens proinde est depositum dici arcam, in qua communes Conventûs pecuniæ, aliave ad Conventum pertinentia custodiuntur.

His prænotatis, sufficienter apparet, prædictum articulum nec in speciem peculiis aut particularibus depositis favere. Nec enim aliud intendit articulus, nisi quòd pecuniæ, quas Religiosus extra proprium Conventum habitans & ibidem moriens, pro libris, aliisve necessariis comparandis de licentia Superioris habuit, si quæ tempore mortis supersint, revertantur ad Conventum suæ professionis, sive filiationis: quod verò hoc nullatenus peculiis, ac privatis depositis suffragetur, exemplo obvio, ac quotidiano declaro.

Ponamus ex Abbatia aliqua Præmonstratensi v. g. aut Cisterciensi, quæ peculia nulla agnoscit, sed plenam absolutamque communionem strictissimè observat, mitti ad aliam Abbatiam, similiter peculia reprobantem, aliquem Religiosum: nonnè de consensu Superioris poterunt apud Superiorem posterioris Monasterii, vel alium, aliquæ pecuniæ deponi, quibus libri aliave necessaria huic Religioso comparentur? idque sine ulla specie peculii; eo quod pecuniæ illæ dentur Religioso illi, *ex communi* Monasterii substantia; non quia ipsius intuitu, aut labore ad Conventum pervenerunt, sed quia Superior judicat illas ipsi esse *necessarias.* Peculia verò, sive deposita particularia non servantur præcisè huic, aut illi Religioso, quia ipsis hîc & nunc necessaria sunt, sed quia pecuniæ, aut res illis reservatæ eorum intuitu, aut labore, vel industria, obvenerunt; unde sæpiùs contingit, ut qui minùs indigent majora habeant peculia, & magis indigentes nulla, aut minora, ut infra ampliùs dicetur.

Ex citato igitur articulo aliud non habetur, quàm quod si Frater tempore mortis aliquas pecunias de licentia Superioris pro libris emendis, vel quovis alio in deposito, vel alibi habuerint, quotquot illæ sint, ad Conventum professionis devolvantur; per quod non magis peculia probantur, quàm in exemplo proposito illa probentur per hoc, quod una Abbatia ex communibus proventibus provideat de *necessariis* Religioso in alia Abbatia existenti.

Nec enim in articulo dicitur, utrùm Religiosus pecunias illas acceperit ex particularibus depositis; utrum verò ex communi Conventûs sui substantia; adeoque nihil ex articulo illo pro peculiis aut particularibus depositis concludi potest.

Impertinenter quoque concluditur pro particularibus Religiosorum depositis, eo quod articulus supponat contingere posse, ut Religiosus tempore mortis de Superioris sui licentia habeat pecunias pro emendis libris *in deposito*; quia ut ante ostensum est, per depositum in prædictis Constitutionibus intelligitur *commune* depositum seu arca *communis*; adeoque ex indè non magis concluditur pro particularibus depositis, sive peculiis, quàm pro illis concluderetur in exemplo allegato, si pecuniæ, quas Abbatia ex communi Monasterii substantia pro necessariis sui Religiosi mittit ad Superiorem alterius Abbatiæ, ponerentur in communi arca hujus Abbatiæ.

§. VI.

Exhibetur Epistola Circularis R. P. Joannis Nevii Provinciæ Belgicæ Ord. Erem. S. Augustini Provincialis.

REv. PP. Priori & aliis Conventûs N.

» Quia intelligo sensim corruptelas aliquas morum in Con» ventus nostros irrepere, animosque Fratrum paulatim à rec» to Regulæ, & statuorum nostrorum tramite abduci, hinc » est, quod nostrum duxi, vos admonere de uno præcipuè » religiosæ vitæ puncto, quod si non in sua puritate conser» vetur, innumera secum vitia trahit, estque id, quod ipsi » R. Patri ante omnia in statutis in Ordine conservandum » præcipitur, punctum videlicet paupertatis, utque Fratres » omnes *in commune* laborent & è communi victum, & ves» titum à Superiore suo accipiant, hisque contenti sint; & hæc » recipientes, animosè Deo, ac Ordini inserviant, expectantes » beatam spem æternæ retributionis. Ad quam vivendi formam » constanter retinendam omnes nos obligat Beatiss. P. N. *in Re» gula*, & Ordo *in statutis.* Quia tamen audio, in quibusdam » Conventibus non ita ambulare Fratres, quòd Priores dissi» mulent, & Procuratores lucro inhient; Priores *permittendo*, » ut Fratres pecunias aliquas habeant, acquirant, ac apud se, » aut Procuratorem deponant; Procuratores verò promendo » eis pretio vinum, quod cum sociis aliquot quisque por» tionem suam afferentibus, simul consumunt; cùm hoc con» tra *Statuta* PP. nostrorum fiat, & rectam Ordinis discipli» nam, qui *communi* mensæ dispensatione contenti vivere de» bemus, & extra eam, ac consuetas horas, nihil requirere, » aut sumere; mando omnibus Patribus Prioribus & Procura» toribus, ut statim post harum publicationem (quam celerri» mè fieri cupio) omnes Religiosorum *depositas* pecunias in *com» munem bursam* Conventus conjiciant, ex qua *vivant Fratres*; » aut indusia, vestes inferiores, & similia, iis Fratribus, qui ea » deposuêre, pro hac vice tantùm conficiant: si quis autem vel » extra Conventum, vel in Conventu, & non apud Patrem » Priorem, Superiorem aut Procuratorem eas deposuerit, dis» ciplina ei imponatur in Capitulo, earumque fructu prive» tur; hocque & ad studiosos nostros extendimus, quibus Pa» ter Prior non possit ejusmodi potitandi cùm sociis, quos » invitant, licentiam dare; sed si infirmi sunt, aut probat me» dicus, conventualibus det Conventus, non vendat; studio» sis concedat Pater Prior, quod ipsis necessarium est & utile; » si autem hospites sunt, nec tales, ut eis Conventus debeat » vinum fundere, si ob molestias itineris meliùs ferendas desi» derant haustum vini, detur eis pinta vini non amplius, nisi » Pater Prior permiserit unum, aut alterum, quod rarò fiat, » & non nisi rationabiliter ex causa eis in mensa adesse, qui» bus ob numerum personarum eadem vini mensura multipli» cetur, nihil ultra; debemus enim sobrii esse, si decorè » officio nostro fungi velimus, & nunquam hujus sobrietatis » terminos egredi: sic ergo facite, & saluti vestræ, & Ordi» nis honori subservietis. Datum Mechilinæ 1. Februarii 1639."

Fr. Joan. Nevius Rector Provincialis.

§. VII.

Notæ in Epistolam R. P. Joannis Nevii.

UT non videar privato sensu Constitutiones Ordinis Erem. S. August. interpretatus, opportunum credidi hanc R. P. Nevii Epistolam, ab ipso ut Provinciali ad suæ Provinciæ Conventus scriptam, adjungere. Ex illa enim constat.

Primò, quòd R. P. Generali prædicti Ordinis ante omnia in *Statutis* in Ordine conservandum præcipiatur punctum paupertatis, utque Fratres omnes in commune laborent, & è communi victum, & vestitum à Superiore suo accipiant, hisque contenti sunt.

Secundò, quòd ad hanc vivendi normam constanter retinendam Fratres omnes obliget B. P. Augustinus in Regula & *Ordo in statutis.*

Tertiò, quòd, deplorante prædicto R. Patre, jam audiretur in quibusdam Conventibus non ita ambulare Fratres, quod Priores dissimulent, & Procuratores lucro inhient.

Quartò, juxta prædictum Patrem Provincialem, Fratres non ambulare juxta normam, ad quam constanter retinendam Augustinus in Regula, & *Ordo in statutis* eos obligat, quia Priores dissimulant, permittendo ut Fratres pecunias aliquas habeant, ac apud se, aut Procuratorem *deponant.*

Pro-

Procuratores verò promendo eis pretio vinum, quod cum sociis aliquot quisque portionem suam afferentibus simul consumunt.

Quintò, quòd Pater ille non dubitaverit simile pecuniarum depositum esse contra *Statuta Patrum suorum*, & *rectum Ordinis disciplinam.*

Sextò, quòd Provincialis, ut revocaret Fratres sibi subjectos ad eam vivendi normam, quam Augustinus in Regula, & *Ordo in statutis* constanter retinendam præscribunt, mandandum censuerit omnibus PP. Prioribus & Procuratoribus, ut statim post harum publicationem (quam celerrimè fieri cupiebat) omnes Religiosorum depositas pecunias in *communem bursam Conventus* conjiciant, ex qua vivant Fratres. Sed quia abusus jam inoliti, ut faciliùs eradicari queant, nonnunquam Superiores ad aliqualem condescensionem sive indulgentiam cogunt, adjungit prædictus Pater hanc disjunctivam: aut indusia, vestes inferiores, & similia, iis Fratribus, qui ea deposuêre, *pro hac vice tantùm* conficiant.

Septimò, quòd hanc tantillam indulgentiam tantùm indulserit illis, qui pecunias suas apud Priorem, Suppriorem, aut Procuratorem depositas habeant: subjungit enim: » Si quis autem » vel extra Conventum, vel in Conventu, & non *apud Pa-* » *trem Priorem*, *Suppriorem*, *aut Procuratorem* eas deposue- » rit, disciplina ei imponatur in Capitulo, earumque fructu » privetur. «

Planum ergo est ex Epistola illa circulari, per modum statuti, sive potiùs declarationis priorum statutorum, ad omnes Conventus Provinciæ Belgicæ destinatâ, quòd non tantùm Regula S. Augustini, sed etiam ipsæ Ordinis Constitutiones *particularia* deposita improbent; quodque præcipiant, ut Superiores pecunias omnes in *communem Conventûs bursam conjiciant*, *ut inde Fratres vivant*, id est, in communes Fratrum usus, sive necessitates cedant.

Deinde clarum est, quòd verba illa Constitutionum, *pia tamen & laudabilis discretio ita à Superioribus observetur &c.* non eo modo sint intelligenda quasi bona potiùs essent impendenda necessitatibus Fratrum, quorum causâ obvenerunt, quam aliorum: quandoquidem Epistola illa velit, pecunias, quæ intuitu privatæ personæ obvenerunt (quales in deposito, sive peculio haberi solent) in communem bursam conjici, ut inde Fratres vivant; permittendo duntaxat per modum alicujus indulgentiæ (indubiè ut faciliùs Fratres deposita jam habentes, ad absolutam communionem se induci paterentur) ex illis pecuniis depositis *pro hac vice tantum* iis Fratribus, qui eas deposuêre, vestes, aliave necessaria procurentur; modò tamen pecunias apud Priorem, Superiorem, aut Procuratorem depositas habuissent. Ex quo evidens est, quòd Pater ille non crediderit, quòd juxta *statuta* Ordinis, in dispensandis rebus illis, habenda sit à Prior *specialis* ea ratio quoad necessitates Fratrum, quorum gratiâ obvenerunt; quasi illæ horum potiùs, quàm aliorum Fratrum usibus forent impendendæ.

Denique quòd in prædicta Epistola distinctio fiat inter Conventuales, & Studiosos, ut nimirùm illis Conventus necessaria suppeditet, his verò Prior, probat id, quod suprà diximus; scilicet, singulos Conventus habere redditus separatos, ideoque Conventualibus à Conventu, Studiosis autem non Conventualibus à Priore necessaria esse danda: nimirùm ex rebus & communibus Provinciæ vel aliorum Conventuum bonis in studiosorum sustentationem subministratis.

Hæc ex Epistola circulari, registratâ in libro, inscriptioni actuum Capitularium & litterarum, quæ per Conventus publicari debent, deputato.

APPENDIX. I.

IN QUA PROPONUNTUR ALIQUA REFLECTENDA IN LIBELLUM, CUI TITULUS: *PALINODIA PALINODIÆ*, &c.

REFLEXIO I.

Super illis, quæ dicuntur occasione translationis Libelli de peculiaritate in idioma Flandricum.

EXimius prædicti Libelli auctor non tantùm in hoc, sed etiam in præcedenti suo Libello, multa contra flandricam Libelli mei de peculiaritate translationem, ejusque tituli affixionem vehementissima cum indignatione proponit; atque inter alia pag. 52. hujus Libelli ita exclamat: » Tune indignaris ti- » tulum veritatis, affixum loco, & tempore, quibus affigi de- » buit? Tunc, qui & modestiæ & gravitatis (quidni & chari- » tatis) immemor, famosum (ne graviora dicam) titulum *verna-* » *culum*, non tantùm platearum angulis, atque Ecclesiarum, & » Collegiorum valvis antè affixeras; sed ipso die festo? Ut sci- » licet sanctificares sabbathum; ut scilicet nulla deesset circums- » tantia tanto errori. Habe, & considera tuum titulum, cu- » jus, *te jubente*, ad Ecclesiam ac Monasterium nostrum in

» die festo, non unum, sed omninò quinque (quod nunquam » factum est) affixa sunt exemplaria. «

His, aliisque, quibus Libelli hujus plures paginæ implentur, ut satisfiat, dice me hujus translationis aut impressionis auctorem non esse. Translationis auctor est, quidam osor peculiorum, non Monachorum, ipse Monachus; qui etiam me inscio translationem inchoaverat, ac pro parte perfecerat.

Quod ad impressionem attinet, curam illius non habui; sed alius nullatenus mihi, aut cohabitatione, aut familiaritate conjunctus, neque à me ad hoc rogatus, vel excitatus.

Quod verò dicat, *me jubente*, ad Ecclesiam ac Monasterium suum in *die festo*, non unum, sed omninò quinque tituli illius affixa fuisse exemplaria; dico veritate carere, *me jubente*, imò vel sciente, affixum esse vel unum tituli exemplar. Cùm enim sine mea cura impressio perageretur, etiam me ignorante absoluta fuit; unde nec scivi, quo die tituli affixio futura esset. Si scivissem, non dubium quin egissem, ne in die festo facta fuisset; quemadmodum impedivi, ne *Vindiciarum*, quarum impressio in professo absoluta erat, affixio die festo fieret.

Quæ ratio fuerit, ut contra morem usitatum *quinque* exemplaria valvis Monasterii iteratò fuerint affixa, malo ut à juvene, cui cura affigendi demandata fuit, quàm à me (cui nugari non lubet) intelligatur.

Omnia igitur, quæ occasione dictæ translationis flandricæ in hoc libello congeruntur, & magno impetu in me conjiciuntur, prætereo; partim quia me minimè concernunt, partim quia punctum quæstionis non attingunt, vel si in aliquo veritati officere possent, scio illos, qui translationis, & impressionis curam habuêre, respondendo esse plusquam sufficientes.

Profectò sat mirari nequeo, quòd tanta levitate Eximius ille facta aliqua asserere non vereatur: hic me dicit translationis Auctorem, & affixionis die festo peractæ reum agit; cùm nec illi verbum contribuerim, imò nec hactenus legerim, hanc verò planè ignoraverim; alibi verò me in suspicionem adducere audet, quasi libellos ab aliis compositos sub nomine meo patiar divulgari: » Tu, inquit *pag.* 2. & 3. ex electione paucorum, » indicis reformationem, inde videris. Malumus credere non es- » se tua, quæ dicuntur tua. Tua sunt tamen, dum pateris di- » ci tua. Unde veniant, facilis nobis conjectura est. « Mirum! si mihi revelare sciat illa ab alto, quàm à me venire.

Eximius ejus Collega in libello, cui titulus *Susanna innocens*, &c. *p.* 2. *pag.* 110. postquam suam circa peculia sententiam aperuit, hoc monitum subjicit: » Si de jure conveniens, » de factis disputes, hoc ego dico, quòd cura non committa- » tur prudentiæ vestræ Monacho theoreticæ. Vide Thesim 6. » & pertinens ad illam 18. Aug. 1684. In facta Collegii vestri » non inquirimus nos. Relinquentes illa vigilanti Præsidi. Nun- » quid de nobis cura est tibi? « Quo monita illa salutaria tendant, aliorum sit judicium. Hoc dico, me nunquam curiosè inquisivisse, quid circa peculia in Monasterio ipsorum agatur, quæque eorum sit praxis; protestor enim, nunquam mihi animum fuisse, Patrum illorum praxim aut vivendi modum specialiter taxare, sed sententiam meam simpliciter & generaliter proponere. Cur verò aliqui ex Ordine illo specialiter sibi illam attraxerint, ipsi viderint. Quod verò dicat, in *facta Collegii vestri non inquirimus nos*; optarem, ut propriùs modum nostrum, ac normam vivendi Patres illi inquirerent; cognoscerent enim, quomodo illi, qui mihi consulere possent, particularibus negotiis, & occupationibus totâ die ita detineantur, ut rarissimè, excepto prandio, & cœnâ, vel illis loqui obtingat; scirent, quod tantùm absit, ut aliquis ipsorum mihi in componendis libris opem ferat, ut vix occupationes eorum permittant, ut vel uni eorum *probam*, ut ajunt, jam impressam leviter prælegere queam.

Minutiora hæc forsan sunt, quàm ut illis respondendum fuisset; nam hæc omnia parum, aut nihil ad ipsam Veritatem, aut materiam pertinent; ut tamen publico aliquatenus satisfiat, hæc notanda censui.

Hæc itaque eo fine dicta sint, ne ulteriùs Eximii sibi & aliis persuadeant, plures, imò Synodum integram (cujus multoties in ultimo Libello mentio occurrit) refutandis Libellis ipsorum occupari, aut allaborare; neque aliis invidiam conflare pergant. Sed si quid in meis Libellis displiceat, mihi soli totum, tanquam totius operis auctori, non aliis imputetur.

REFLEXIO II.

Super corruptionibus Bullæ Clementis VIII. quæ mihi imputantur.

NOn in Libello duntaxat, sed in ipsius Libelli titulo quintuplicis capitalis corruptionis Bullæ Clementis VIII. reus agor.

Primam, quæ omissam particulam *vero* concernit, in quadam Epistola Eximius hujus Libelli auctor, jam ante mihi ob-

jecerat ; sed ab ea me in Apologia ita purgâsse credideram, ut etiam Eximio satisfactum putarem, sed erravi, non enim purgationem meam admittit ; an jure an injuria Lector dijudicet: interim hoc notet, quod Eximius, ut corruptionem à me esse factam sustineat, non vereatur admittere *pag.* 6. *cap.* 9. contra omnia jura, imò contra expressum Constitutionum suarum tenorem (quas ut unicum fundamentum per totum Libellum inclamat) Religiosos posse habere *usumfructum* rerum mobilium. Deinde notet, quòd omnia, quæ *Pag.* 82. allegata ad probandum, quòd particula *verò* significet *Antithesim*, nihil probent; quia licèt evincant, illam interdum, imò frequenter per hanc particulam significari, certum tamen est, eam subinde *Antithesim* non indicare; quodque hanc in Bulla minimè significet, sola illius inspectio Lectori facilè persuadebit. Unde ad alia pergo.

Tres subsequentes capitales corruptiones dictæ Bullæ prætendit à me esse admissas *in Appendice cap.* 1. §. 8.

Primâm contigisse dicit, eò quod verbis Bullæ alia verba substituerint ; sed sola lectio id falsum esse evincet. Patebit enim, verba, quæ Eximius *pag.* 112. charactere Italico tanquam verba textus ex Appendice refert, nec ejusmodi charactere, nec tanquam à me fuisse expressa.

» Secundam à me prætendit esse admissam, eo quod inter » particulas *aut custodiæ nomine*, & inter particulas *quod nullæ* » *quorumcunque* suppresserim voces omninò triginta sex, quarum aliquæ inducunt sensum toto cœlo diversum. « Verum est, inter prædictas particulas integram Bullæ illius periodum à me omissam ; sed falsum est, quod particulas ita conjunxerint (ut ibidem asserit Exim. Pater) quasi facerent unum contextum ; sola enim lectio planum faciet, articulos numeris suis omninò distingui ; adeoque nec magis me argui posse corruptionis istius Bullæ, quàm si aliquis per distinctos articulos doctrinam suam exprimeret verbis aliquibus Scripturæ Sacræ, nonnullis tamen omninò disparatis intermissis ; qualia & esse verba Bullæ à me prætermissa, nuda Bullæ inspectio ostendet.

Tertiam dicit à me factam, eò quòd *citato* §. 8. *Appendicis*, *num.* 5. exprimens articulum doctrinæ meæ verbis prædictæ Bullæ, inter verba Bullæ parenthesi incluserim, *ut jam ordinatum est.*

Certè includendo verba illa *parenthesi*, nonnè sat ostenderam illa non Bullæ, sed mea esse, aut saltem suspicionem sufficientem moveram, ut meritò quis dubitaret, dubitansque Bullarium consuleret? Potuissent quidem verba illa alio charactere exprimi, sed per inadvertentiam aut oblivionem contigit, nec nisi post impressionem adverti.

Num propterea publicè *capitalis corruptionis* illius Bullæ arguendus veniebam? Nonnè per inadvertentiam (ita enim interpretor) factum, ut ipse Eximius *pagina* 110. dictam Bullam Clementis VIII. *originalem* referre volens, prætermiserit hæc primæ periodi verba, *aut donationes fuerint, tanquam propria.*

Quarta Bullæ capitalis corruptio admissa dicitur *pagina* 132. Apologiæ, eò quòd ibidem asseruerim Pontificem in Bulla præcipere, ut omnia ita confundantur, ut ex illis *indifferenter* necessaria omnibus subministrentur ; sed Lectorem rogo, ut citatam paginam, vel solùm leviter aspiciat, & evidenter patebit, particulam illam litteris cursivis non alium in finem fuisse possitam, quàm ut in illa vim positam esse ostenderetur. Patebit quoque, quanta fides imposterum adhibenda sit illis, qui me corruptionis, alteriusve defectûs tam audacter arguere, publicè non erubescunt.

REFLEXIO III.

Super illis, quæ de Prospero Fagnano, & Bulla Clementis VIII. dicuntur.

IN responsione brevi dixeram, Prosperum Fagnanum ejusdem mecum, in materia de Peculiaritate, esse sententiæ; ac per consequens Corollaria ex mea doctrina educta pariter ex Fagnani doctrina educi. Huic meo asserto respondit Eximius *in sua Epistola Familiari* me loqui de *essentialibus*, Prosperum verò tantùm de *accidentalibus* ; cui in Apologia rursus reposui, clarum esse Prosperum etiam de *essentialibus* loqui ; quod non indè probavi, ut prætendit Eximius *pagina* 130. quia Prosper in sua conclusione dixit, *nemini* prorsus Regularium, cujuscumque conditionis existat, nisi sit Officialis, *fas esse* habere peculium, etiamsi illud non sit superfluum, sed ad necessarios, honestos, & pios usus à Superiore ex quacunque causa concessum, & *dependenter* ab ejus voluntate & nutu ; non, inquam, assertionem meam probavi, quia Prosper dicit *fas non esse* Regularibus simile peculium habere; sed quia idem asserit, nec quemquam Regularium tale peculium habentium *à culpa lethali*, & pœna proprietariis inflicta, ex quavis *consuetudine* Monasterii, vel Religionis, aut *ex varietate seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu vel causa excusari.* Quis enim credat, Canonistam, vel exiguæ scientiæ, docere, quòd accidentalia solo jure positivo inducta, nullâ consuetudine Monasterii vel Religionis, aut ex varietate seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu vel causa, ita saltem posse abrogari aut obscurari vel ignorari, ut saltem à culpa lethali transgressores eximant? Integram Fagnani conclusionem vide in *Vindiciis cap.* 2. §. 1. & *Appendice cap.* 1. §. 8. & observanda ibidem adjuncta.

Ut verò Eximius probet Fagnanum de *accidentalibus* duntaxat loqui, sequentia ipsius verba citat : » neque verò hoc ca- » su, quod nonnunquam temerè fieri solet, objici potest, quòd » Decreta Clementis non sint in usu, siquidem omninò cessat hoc » subterfugium, cum decreta ipsa postea fuerint innovata à Pau- » lo V. item à Gregorio XV. in decretis de Apost. & eject. & „nuper à Sanctissimo D. N. Urbano VII. in decretis de celebra- „tione Missarum. Explorati enim juris est, contra decreta „ Apostolica non usum minimè suffragari, si non sit temporis „ annorum 40. cum scientia & patientia Papæ. "

Quod hæc ad quorundam objectionem solutio, non probet Fagnanum credidisse Bullam Clementis VIII. loqui de *accidentalibus*, exemplo declaratur. Fingamus à centum annis Jurisconsulto volenti probare ex Concilio Tridentino, Clericis vetitas esse comessationes, choreas, aleas, &c. objectum fuisse : Decreta Concilii Tridentini non sunt in usu; nonnè rectè Jurisconsultus ille reposuisset : cessat omninò hoc subterfugium, cùm nondum elapsi sint 40. anni ab editis Concilii illius decretis? Et tamen nullus inde concludere potuisset, ergo Jurisconsultus credit decreta illa Concilii Tridentini esse merè juris positivi ; eò quòd Jurisconsultus ille, isto tempore argumentum modo magis palpabili, & minoribus argutiis obnoxio, solvere & refellere maluerit ; aliter postmodum indubiè responsurus. Quidem de Fagnano idem dicatur : ac per consequens nihil ex verbis illis Eximius concludere potest ; præsertim cum in conclusione adeò apertè contrarium dicat.

Quod ad Bullam Clementis VIII. attinet, eam de essentialibus voti paupertatis, & vitæ religiosæ loqui dixeram ; si enim de accidentalibus ejus egisset Pontifex, „ Dixissetne, in- „ quiebam in Apologia §. 4. quòd nulla quorumcunque Superio- „ rum *dispensatio*, nulla *licentia*, quantum ad bona mobilia Fra- „ tres excusare possit, quominus culpæ & pœnæ à Concilio Tri- „ dentino impositæ & ipso facto incurrendæ, obnoxii sint. "

Huic meæ probationi reponit Eximius *pag.* 141. quòd expediti juris sit, inferiorem in lege Superioris dispensare non possit : ideoque non sequi : Superior Monasterii non potest dispensare in illis, quæ Pontifex constituit, ergo agitur de essentialibus. Resp. verum esse, absolutè ac generaliter non sequi: Superior in hoc illove statuto dispensare non potest, ergo illud ad *essentialia* Religionis spectat : sed hoc ratiocinio me nequaquam usum fuisse, verba mea mox relata sat indicant. Hoc me voluisse ostendunt, non esse verisimile, quod Clemens aliique tres Pontifices, qui Bullam illlam innovârunt, expressè declarassent, *quòd nulla dispensatio, nulla licentia Superioris efficere posset, quominus culpæ, & pœnæ à Concilio Tridentino impositæ & ipso facto incurrendæ obnoxii sint* : addentes insuper, *etiamsi Superiores asseverent, se hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse : quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus*: Quomodo, inquam, verisimile, quòd Pontifices omnibus Monasteriis imposuissent talem legem, quæ nulla Superiorum quacunque de causa dispensatione solvi posset, si credidissent eam non monasticæ professioni *essentialem*, sed *perfectionis* tantùm, imò talis *perfectionis*, quam Eximius æstimat *heroicum paupertatis gradum*, quem non omnium *commiseranda fragilitas* ascendere sinit? Num fortè ea erat omnium monasteriorum in regulari observantia exactitudo, ut Pontifices credidissent, jam omnia potuisse ad summum perfectionis gradum, omni *dispensandi facultate adempta*, constringi. Judicent illi, qui sæculi nostri historias & Conciliorum decreta circa disciplinam regularem pervolverunt.

APENDIX II.

Reflexiones aliquæ super Libello, cui titulus: *Susana innocens, etc.*

REFLEXIO I.

Super bino tractatu dicti Libelli, in qua specialiter ostenditur differentia inter permissa ad necessitatem, & particularia deposita, quodque illa haberi debeant dependenter à nutu Superioris, hæc verò absolutè haberi nequeant.

PRimo suo tractatu Eximius libelli Auctor confutationem Triadis meæ, sive trium libellorum nimirum Dissertationis Canonicæ, Vindiciarum, & harum Appendicis suscipit ; in quo si ea, quæ ad causam paupertatis non pertineant, ut loquitur Eximius Pater *pag.* 48. missa faciam ; eaque omittam quo-

quorum ex sola libellorum meorum inspectione veritatis discipulo solutio facilè haberi potest; super duobus duntaxat præcipuè reflectendum putavi.

Primò, super duabus glossis, quas Eximius hujus libelli Auctor omnibus quæ sibi adversari animadvertit, penè indifferenter applicat.

Harum una est, quòd Concilia, seu Doctores peculia improbantes loquantur de peculiis, quæ habentur sine dependentia, aut cum ea cordis affectione, ut nolint illa arbitrio Superioris subjicere. Hoc subtili glossemate tam familiariter utitur, tantaque indifferentia omnibus assuit, ut ne quidem illis, qui illud in terminis refutârunt, affingere dubitet. Loquens enim *p.* 1. *pag.* 41. de Dionysio Carthus. (cujus verbis argumentum ex *Cap.* monachi ;; *De Statu Monachi.* petitum solveram) ita disserit: » Hæc & similia apud Carthusianum, aliosque intelliguntur de administratione Peculii *tanquam proprii, nomine proprio, sine dependentia, & precaria revocatione Prælati*:« non advertens, quòd Carthusianus eodem loco se opponat Doctoribus, qui etiam eo tempore excussabant *peculium* Monachorum, & Monialium à vitio proprietatis, dummodò Superioribus suis, videlicet Abbati, aut Abbatissæ *nil celent, & ad reddendum seu dimittendum paratæ sint juxta Superiorum voluntatem, nihilque recipiant vel expendant sine illorum licentia.*« Vide Dissert. *part.* 1. *cap.* 2. §. 1.

Hinc judicet Lector, quàm appositè glossas suas apponat Eximius hic Auctor.

Fateri tamen oportet, hanc Eximii glossam novitatis argui non posse, sed eam jam à ducentis & ampliùs annis patronis *peculiorum* fuisse familiarem. Unde & apud Auctorem (quem nonnulli Joannem Gersonem credunt) Tractatûs contra Proprietarios, hæc leguntur: » Quintò objiciunt defensores proprietatis, dicentes non esse proprium per hoc, quod ad *nutum* manet Abbatis, quoties volet revocare.« *P.* 1. *Oper. Gersonis tit.* 23. Quòd hæc glossa solis defensoribus Peculiorum digna sit, mox ostendetur.

Altera glossa, similiter Eximio familiaris, quamque potissimum Pontificum, atque Conciliorum decretis, affingit, est, quòd sæpenumero Pontifices, & Synodi decernant aliqua » potiùs ad evitanda quorundam peccatorum pericula, & scandalorum occasiones, ac pusillorum murmura; non autem, quòd » decernant illa tanquam stricti juris, & obligationis essentialia penitùs ac necessaria.« *P.* 1. *pag.* 25. Hæc quidem in aliquibus vera esse cum Eximio facilè agnosco; sed miror, quomodò non viderit ab eodem Concilio eodemque decreto, cui suam glossam assuit, illam quoad præsentem materiam non sinè divina providentia fuisse præoccupatam & rejectam.

Patres enim Concilii Audomarensis, cùm animadvertissent, quòd, » ex quo in oblivionem abiit exemplum in initio nascentis Ecclesiæ in Ananiam, & Saphiram editum, invasit plerasque Monasteria exitiosa rerum Proprietas, ex diametro monasticæ professioni contraria:« nonnulla conformiter ad Concilium Tridentinum, & Provinciale Cameracense pro religiosæ paupertatis custodia, & vitæ communis observantia statuerunt; hanc adjicientes protestationem, supradictæ glossæ contrariam: *Nec* aliud *præcipimus, quàm id quod Superiores quidem ex officio prorsus curare tenentur nulla ipsis relicta dispensàndi facultate; Religiosi verò ex ea quam Deo fecerunt sponsione, observare.* En glossam in cunis, vel forte nondum natam, jam suffocatam, quod ex integro decreto ampliùs patescit, quod similiter ostendet æquè appositè illi decreto, ac Carthusiano primam glossam applicari. Vide Dissert. *part.* 1. *cap.* 1. §. 5.

Secundum, super quo specialiter reflectendum credidi, est, quod *pag.* 37. profert, occasione eorum quæ in *Dissert. part.* 1. *cap.* 1. §. 10. dicta sunt.

Argumenti illius §. hoc mòdo ab Auctore exprimitur: *Cavere debet Religiosus ne re ulla utatur ut propria.* In Dissertatione verò ita erat expressum: *Cavere debet Religiosus, ne eorum, quæ ad necessitatem vel dispensationem conceduntur, quidquam possideat ut* proprium, *vèl utatur* ut proprio.

Argumento §. sic truncato, & alieno planè sensu relato, prosequitur Eximius: » hoc tunc fieri censeretur, ait *Clarissimus*, si id quod ad necessitatem est indultum, eo loco haberet, ut in illud quid juris præ reliquis de Communitate prætenderet, ac per consequens istud ad nutum Superioris à se auferri, & alteri Fratrum applicari ægre permitteret.«

His ita permissis, subnectit: Sed est de quo conveniamus hominem. Hîcne præscribit cavenda omnia? Igitur qui hæc cavet, proprietarius non est. Cavent Religiosi gaudentes depositis: ergo vel sibi contradicit, vel palinodiam canit. Si cavenda præscribat duntaxat aliqua, igitur & doctrinam tradit mutilam, & saltem plebejos decipit: Sed est & mihi de quo Eximium conveniam. An non advertat, me in dicto §. non de re quacunque Religioso concessa tractare, prout mutilatum ejus argumentum præfert, sed solùm de rebus Religioso *ad necessitatem*, aut Prælato ad dispensationem concessis. Si non vidit, cæcus fuit, aut esse voluit. Si vidit, an forsan nescivit, inter ea quæ *ad necessitatem*, conceduntur & *Deposita* sive *Peculia* summam intercedere differentiam? Si nescivit in re monastica exiguam ostendit peritiam. Interim differentiam paucis ostendo; ac unà ostensurus illa sine *dependentia* haberi non posse, hæc verò nec *cum dependentia* permittenda esse.

Peculia, sive particularia deposita distingui ab iis, quæ *ad necessitatem* conceduntur, evidenter probant Monasteria in Belgio aliisque partibus, quæ deposita illa non agnoscunt, imò exhorrent; quæque nulli alii Fratrum aut Sororum Peculium habere permittunt, & tamen, quæ ad *necessitatem* conceduntur, non negant, sed placidè ac benignè singulis subministrant.

Differentia quoque multiplex inter hæc & illa ad oculum patet. *Necessaria* enim, v. gr. vestes, libri &c. Religiosis singulis indulgentur *solo intuitu necessitatis* sive *prout cuique opus* est; peculia verò non reservantur *solo intuitu necessitatis*; sive habitu respectu *quid cuique opus* sit, sed prout cuique plura intuitu *privatæ personæ*, sive ex liberalitate amicorum, sive privato labore vel industriâ obveniunt.

Hinc aliud exurgit discrimen, quod necessaria dentur plura, vel pauciora, prout quisque pluribus, vel paucioribus indiget; depositorum verò magnitudo non à *necessitate* Fratrum desumatur, sed à majore amicorum liberalitate, aut Religiosorum industria, quarum occasione plura huic illive Religioso obveniunt.

Unde ulteriùs frequenter contingit, ut minùs indigens majus habeat depositum, & econtra magis indigens, minus habeat.

Ulteriùs *necessaria* dantur, ut præsentibus necessitatibus Fratrum succurratur, sive ut detur unicuique prout hîc & nunc circumstantiæ singulorum postulant; peculia, seu deposita reservantur pro necessitatibus Religiosi, tametsi ipse *hîc & nunc non indigeat*, imò forsan nunquam indigebit. Quare naturalis peculiorum radix, ut ante notavimus, est illa parum religiosa anxietas, qua metuitur, ut à Superiore tempore, & loco necessaria sufficientia sint supeditanda.

Inde quoque fit, ut peculia etiam habeant illi, qui illis non indigent, imò moriuntur priusquam illis indigeant; quæ autem ad necessitatem conceduntur, ita dantur, ut hîc & nunc pro indigentia Religiosi, tanquam necessaria requirantur.

Si igitur à me quærat Exim. Pater: *hîcne* (scilicet citato §. 10.) *præscribam cavenda omnia.* Respondeo, præscribo cavenda omnia, quoad ea quæ ad necessitatem Religiosis conceduntur, de quibus solis in dicto paragrapho sermonem esse, vel unicum paragraphi argumentum non mutilatum evincit.

Hæc enim cavenda esse, etiam quoad ea, quæ in Monasteriis peculia reprobantibus, *ad necessitatem* dantur, omnes agnoscunt; si autem caveantur, illa sine nota proprietatis haberi posse, nemo ambigit.

At inde inferre, ergo si Religiosi hæc caveant *gaudentes depositis* ab omni quoque proprietatis nota erunt immunes, quis hanc consequentiam à planè disparatis esse non videat?

Ad necessitatem igitur concessa Religiosus habere debet *dependenter* à nutu Superioris tanquam *precario* sibi concessa, *paratus* omni tempore ad arbitrium Prælati ea abdicare; peculia autem seu particularia deposita ne quidem cum ea dependentia seu animi ad resignandum promptitudine permittenda. Quod & ipsa Concilia sufficienter declarant dum dicunt: *Monachi peculium habere non permittuntur*: si enim hæc prohibitio intelligenda esset, ut vult Ex. Pater de retentione peculii *cum independentia* sive *aliqua cordis adhæsione*, eadem Conciliorum inhibitio locum sibi vendicaret quoad illa, quæ ad *necessitatem* conceduntur; quia nec hæc cum simili *independentia*, aut *cordis adhæsione* permittenda sunt: scimus tamen nihil amplius Concilia, & Patres inculcare, quàm ut Religiosis necessaria non solùm permittantur, sed etiam placidè & benignè subministrentur.

Ut igitur verbo dicam, *necessaria*, sive *usum necessarium* Religiosus potest, & debet habere cum *plena dependentia à nutu Superioris*, peculia autem & deposita, ab his planè diversa, nullatenus permittenda sunt.

Hinc ergo clarum est, quòd paupertas religiosa exigat dependentiam à nutu Superioris in rebus, quæ ad necessitatem conceduntur: in reliquis verò v. gr. peculiis, aut depositis, quæ, ut diximus, ad *necessitatem* non conceduntur, non sufficit illa dependentia, sed ut his *reipsa* Religiosus sit privatus, exigit religiosa professio; requirit enim hæc ut religiosus non *solo affectu* (quemadmodum omnes Christiani tenentur) omnibus rebus temporalibus renuntiet, sed requirit, ut omnibus *reipsa* nudetur; illis duntaxat exceptis sine quibus hæc misera vita transigi nequit; ità tamen, ut etiam hæc nonnisi cum plena dependentia à nutu Superioris, sine cordis affixionne habere possint, atque ita universis *reipsa*, quantum vita hæc mortalis paritur, sit nudatus.

Unde quod quidam nuper dixit (*in Thesi defensa* 2.

Sept. 1686.) » Qui paupertatem vovimus, paupertatem solvi-» mus, cùm sine Prælati consensu de nullo disponimus; sicque » etiam *deposita* habentes quasi non habentes in hoc mundo » vivimus,« verum dixisset, si de rebus ad *necessitatem* concessis vel de sola paupertate spiritûs, Christianis omnibus mandatâ, verba fecisset.

His prænotatis, facilè solventur ea, quæ ex Cæremoniali Benedictino profert, *pag.* 15. Patet enim, de solis rebus ad *necessitatem* concessis ibidem sermonem institui.

Hæc præcipua sunt, quæ in duobus primis hujus libelli tractatibus notanda credidi: reliqua enim vel materiam controversam non tangunt, vel talia sunt, quæ reflexione speciali digna non videntur, aut ex præcedentibus meis libellis facilè solvi possunt.

V. gr. quod *pag.* 34. *de statu Canonicorum Regularium Hispaniæ*, probato à Martino Navarro adducit. An meum est, vitam horum illorumve studiosè inquirere; vel ea, quæ probat Navarrus (cui in hoc puncto expressè Fagnanus se opponit) probare: Item quòd *p.* 46. dicat, me supponere, quod Religiosi arguant sive argumententur *à praxi simpliciter* : *quod est falsum*, inquit, *quia sua nunquam defendunt peculia, nisi à praxi præscripta, vel fundata in statutis suis, à S. R. E. approbatis, quibus profitentes manus imposuerunt*, quis hæc non intelligat esse frivola? Ut enim poneremus, ipsum suosque confratres, non nisi à tali praxi, sua defendere *peculia*, num inde sequitur, alios peculia sua à *communi praxi simpliciter* non defendere? Videtur Eximius hîc procedere, ac si libellus meus contra solum ipsius Ordinem esset directus.

Glossa, quæ pag. 29. verbis P. Lupi apponitur, ut illa cum sententia Eximii Auctoris concilientur, quàm sit apposita, ex præcedentibus planum est.

Nonnulla quoque in his tractatibus occurrunt, super quibus infra reflexio fiet, v. g. super iis quæ pag. 53. de auctoritate suorum statutorum adfert: item quæ de auctoritate Ambrosii Beltrami pag. 12. & 13. Martini Navarri &c.

Verùm prinsquam finiam, omittere nequeo, quia Lectoris oculos facilè fugeret, quod *pag.6. reflex.* 8. ut Petrum à S. Audomaro vulgò *Wallon Capellæ*, vel in speciem sibi favere, aut saltem non contrariari ostendat, particulam *certò* à dicto auctore positam adjectivè; ut idem sit quod particulari, cum nota adverbiali expresserit, quod reddit sensum planè diversum.

Quòd verò subjicit: *qui* (Petrus à S. Audomaro) *interim idem per omnia doceat, quod Espenius, cum socio errat*; quidni mihi liceat de Ambrosio Beltramo, Raphaële de Pornasio dicere, *si idem per omnia doceant*, quod de me Eximius, *cum socio errant?*

REFLEXIO II.

Ad Tract. IV. V. & VII. hujus Libelli.

TRactatum tertium libelli sine speciali reflexione prætereundum duxi, quia ille totus circa quandam Epistolam incendiariam (ut eam vocat Eximius) cujusdam Josephi Van Saud versatur, totusque in dehortatione à prætenso Jansenismo insumitur. Quæ omnia, tanquam planè impertinentia, nec ad me, nec ad præsentem de religiosa paupertate materiam ullatenus pertinentia, prætereo. Hoc unum dico, æqui mihi notum esse Josephum Van Saudt, quàm magnum Turcarum Visirium, aut Bassam Budanum. Quòd verò scribat: » Occasionem huic » Tractatui præbuit laudati Doctoris (me indicat) de invasione » *Jansenii Iprensis quærela* in Responsione brevi p. 102. nu-» gæ sunt: ubi quæso mea de invasione Jansenii querela? Nulla » mea de invasione viri illius fuit querimonia; sed me mirari » subiit, quid mysterio divinæ gratiæ, & prædestinationis, » de quo Jansenius, cum mea de peculiaritate, aut Simonia » sententia affine. Quid, quæso, Jansenii oppugnationi cum » oppugnatione dogmatis P. Lupi commune: " Nonnè idipsum omnes mecum mirari debebunt? Oppugnet Eximius, quantum veritati convenire credit, Jansenium, & Bajum, sed quid illa me, aut præsentem materiam tangunt? Igitur ad ea, quæ in sequentibus tractatibus occurrunt, reflexionem faciamus.

In quarto, quinto, & septimo tractatu in defensionem peculiorum, seù depositorum, quorundam Doctorum auctoritatem, imò integros tractatus adducit; miror, quod non plures, aut saltem antiquiores.

Teste enim Dionysio Carthusiano jam à ducentis annis non defuêre Doctores, qui Eximio in hac materia plane consenserunt, excusantes Peculium Monachorum & Monialium à vitio proprietatis, dummodo Superioribus suis, videlicet Abbati, aut Abbatissæ nil celent, & ad reddendum, seu dimittendum paratæ sint juxta Superiorum voluntatem, nihilque recipiant, vel *expendant* sine illorum licentia. Certè mirum, si perlustrando Bibliothecas, etiam Romanas, nullum illorum Doctorum Scriptum offenderit, atque libello adjunxerit. Sic enim titulus Tractatui quarto præfixus majorem præferret veri speciem. *Novitas Espeniana per antiquitatem Augustinianam refutata, antequam nata.* Quæ ista antiquitas? Sententia cujusdam Ambrosii Beltram Veneti, ejusdem cum Eximio instituti, & voti; sub finem præteriti seculi in lucem protrusa. O veneranda antiquitas, à quo peculiorum inchoatur traditio.

Licèt de hoc, aliisque recentioris ætatis Auctoribus, quos tanquam alios Daniëles in liberationem *Susannæ* suæ *Innocentis* adducit, dicere possemus verbis Eximii suprà relatis: qui si idem per omnia doceant, quòd Eximius, cum socio errant; aut cum S. Augustino: „ Solis eis Scripturarum libris, qui *Canonici* appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum » Auctorem eorum scribendo aliquid errâsse firmissimè cre-» dam: alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doc-» trinaque fulgeant, non ideo verum putem quia ipsi ita » senserunt:" Licèt, inquam, de omnibus Auctoribus hîc citatis illud dicendo, reflexionem finire possem, pauca tamen circa Beltramum notanda censui; ut ex illis appareat, an non meritò is, tanquam antesignanus in peculiorum, seu depositorum defensionem reproducatur. Quantæ verò auctoritatis hic Beltramus Eximio sit, ex his ejus verbis collige: relatâ illius sententiâ ita exclamat p. 1. pag. 13. „ Et hanc » suam, nostramque sententiam, non Doctor novitius ab heri » aut nudiustertiùs bella indicens Monachis oligophantastica, » sed Beltramus noster ex tot Pontificibus, Canonibus, Bullis, » privilegiis, legibus aliisque auctoritatibus & rationibus tam » evidenter demonstrat, ut peremptorium sit hoc trilemma: » vel C. D. Van Espen Sacris Bullis, & Canonibus non stu-» det: vel etsi studeat, non intelligit, vel etsi intelligat, » non reveretur." Alta verba! quàm vera videamus.

Ex Pontificibus suane probat? Imò verò, & quidem primis Petri successoribus, nimirum Epistolis Clem. I. Urban. I. & Melchiadis, relatis in Decreto Gratiani. O quàm sincera antiquitatis monumenta! scilicèt à Pseudo-Isidoro ex Hispania ad nos advecta.

Sed nunquid & recentiorum Pontificum nititur auctoritate? Omninò: Clementis etiam IV. Sixti IV. Alexandri IV. qui omnes „declarârunt, ut nimirùm Beltramus asserit, quòd » Fratres in temporalibus bonis, in quibus succederent in se-» culo existentes, licitè possint succedere, & bonorum ipso-» rum possessionem apprehendere, ac vendere liberè bonâ » conscientiâ, & eorum pretium in suam utilitatem conver-» tere; prout melius eis videtur." Ita de Clemente IV. & Alexandro IV. testatur Beltramus, nullo alio relato 300. annis post illorum Pontificum mortem: & 100. annis post obitum Sixti IV. Authentica profecto probatio! Sed ait Beltramus; » Ambrosius de Cora noster olim Generalis, fatetur se vidi-» se, ac legisse Alexandri IV. ad decorem, utilitatemque » Ordinis nostri, quatuor & viginti privilegia..... quin & una » Bulla sic incipit; *Religionis vestræ mereretur honestas*, &c. » Transsumptum, ut scilicèt Ambrosius de Cora, est in Nu-» merberges Provinciæ Bavariæ:" Nunquid bene reservatum? & quàm legitimè publicatum!

Sed nonnè ex Patrum Regulis peculiorum antiquitatem deducit? Planè: ex prima scilicèt & secunda Augustini Regulis, quas Augustinum Hipponensem nunquam vidisse sciunt Eruditi. O sacra antiquitatis monumenta! quibus Novitas Espeniana per antiquitatem Augustinianam refutata, antequam nata.

Quantus hic Beltramus Canonista fuerit, ut ab eo Canonum interpretationes tanquam ab Oraculo pendere debeant, specimen accipe: „ Ista prima regula..... valdè est authentica, » inquit, atque in sanctis Decretis à Domino Gratiano *Canonizata*, ut maximè patet 12. *quæst.* 1. *Cap. non dicatis*, in » quo ista verba formalia in calce illius Capituli, ab ipso re-» citantur & scribuntur." Ecce quantus Canonista, cui omnia in Decretum Gratiani relata creduntur *Canonizata*; quidni, & libellum fidei Pelagii-Hæresiarchæ *Canonizatum* dicat; quia sub nomine Hieronymi Decreto Gratiani inseritur?

Quis ex his non intelligat, supra relata verba de hoc Ambrosio, nihil esse præter verba, ipsumque dignum esse, ut aciem in defensionem peculiorum, sive depositorum dirigat.

At, quid de Scriptis Raphaëlis de Pornasio Ordinis Prædicatorum, quibus tractatus V. hujus libelli impletur? Resp. æquè authenticis penè, atque venerandis antiquitatis monumentis, ac Beltrami tractatus, abundat; benè meritus, ut hactenus latuerit.

Sed audio susurrantem, ex hoc auctore constat S. Thomam Aquinatem habuisse peculium. Imò verò, tàm authenticè illud ex hoc auctore (qui centum & ampliùs annis post S. Thomam vixit) probatur, quàm fabella de Joanna Papisa ex Martino Polono.

Verùm quid ad Navarrum, Joannem de la Cruz Dominicanum, Augustinum Barbosam, Antonium Fabrum, alios-que in defensionem peculiorum tract. VII. ab Eximio citatos? De his audacter dico: *si idem per omnia doceant, quod Eximius*

mius, cum eo errant, omnibus enim sat probatum est, illos non ejus esse auctoritatis, ut verum putemus, quia ipsi dixerunt. Et quidem inter Scriptores modernos, qui quod ad extirpandam Regularium proprietatem providè sancitum est à Concilio Trid. in sensus tam varios & à mente Synodi tam alienos detorserunt, ut ferè ad *nihilum redactum* videatur. Fagnanus primo loco ponit Navarrum, cui etiam ex professo Fagnanus se opponit.

Fallor (inquit Eximius, relata sua paupertatis religiosæ descriptione) si non ita censuerit Estius, *ad cap.* 4. *Act. Apost.* v. 34. Verè fallitur, nam omni legenti evidens erit, Estium loco citato loqui de concessis *ad necessitatem*, quæ ut propria à primis Christianis possessa non fuisse, recte notat, sed quàm hinc ad peculia seu deposita malè fiat illatio, præcedens reflexio ostendit.

Rescripta ex Urbe, (c) ab Eximio pag. 122. reproducta, atque inter argumenta, *luce clarissima clariora* reposita, æqualis sunt auctoritatis cum testimonio alicujus testis anonymi, cujus quanta sit fides, Juris-Consultis notius est quàm ut probari debeat.

Interim quàm vir ille ex Urbe rescribens, sit ab omni passione, quæ intellectum à perceptione veritatis impedire posset, vacuus, ex conclusione accipite. *Quid ultra volunt, ait, isti Anti-Monachi? Si quando fiunt pingues Beneficiati, & Ecclesiæ bonis dilatati, qui ante erant paupertate contracti, recalcitrant; & ut Pharisæi aliis onere conantur imponere, quæ digito nolunt attingere.* Quàm modeste! quàmque appositè mihi, scilicèt ante paupertate contracto, & jam bonis Ecclesiæ dilatato aplicata! (d)

REFLEXIO III.

Super Tractatu VI. prædicti Libelli.

IN hoc sexto tractatu Eximius Pater tanquam palmare argumentum reproducit Bullam Clementis X. non universis fidelibus, aut Religiosis, vel alicui integræ Provinciæ, aut Communitati, sed uni particulari Hieronymo Valvosorio directam. Idque non *motu proprio*, ut ajunt, sed ad *supplicationem partis*.

Unde hæc Bulla annumeranda illis, quæ frequentioribus sub & obreptionibus sunt subjectæ.

Item his, quas interdum per importunitatem, atque multiplicatas preces à se extorqueri summi Pontifices conqueruntur. *Extravag.* 2. *De Præb. in Com.*

His, quæ (Pontificibus diversis occupationibus impeditis, nec singulis causis examinandis sufficientibus) conscientiam ipsorum interdum fugiunt, ut declarat Lucius III. *Cap.* 10. *De Rescript.* aut quibus subinde aliqua à Ministris, contra mentem Pontificis inseruntur; ut sibi contigisse in Bulla *Et si mendicantium*, sæpius questum fuisse Pium V. testis est Gregorius XIII. *in Constit.* quæ incipit: *In tanta.*

Quid circa Bullam hanc, seu *particulare* rescriptum contigerit, nescio; scio, quid contigere potuerit; scio quoque nostrum non esse, in particularia Pontificum facta inquirere, eave publicè discutere.

Adhæc, scio particularia hujusmodi rescripta jus non facere, nisi forsitan in materia peculiorum, omni alio jure deficiente.

Denique Clemens X. non dixit P. Valvosorium *licitè* pecunias acquisivisse; id enim duntaxat in *narrativa* asseritur; ex qua nihil ad decisionem causæ sumi posse, norunt Juris Consulti.

Secundo loco huic tractatui inserit Eximius Epistolam Cardinalis Sabelli, Ord. Erem. S. Aug. Protectoris, quæ ostendit, quâ formâ Constitutiones dicti Ordinis à Gregorio XIII. confirmatæ fuerint.

Refert enim, quomodo secum egerat Generalis dicti Ordinis, ut intentionem suam de emendatione statutorum ad Gregorium XIII. referret: »Quem ego, inquit, libenti animo, »uti Protector vester, audiens, impetravi, ut volumen ha»rum Constitutionum duobus Ampliss. Cardinalibus Alciato & »Justiniano, alteri Jurisprudentiæ, alteri Theologiæ laude »præstantissimo, denuo considerandum, atque extremâ manu »emendandum tradere. Ergo, pergit, cùm tandem, post tot, »ac talium virorum discussiones opus ipsum magis, magisque »limatum ac purgatum accepissem, ne ejus protectioni, quo »fungor officio, ulla ex parte deesem, iterum examinatas, »correctas, reformatas, Constitutiones eidem S. D. N. Gre»gorio obtuli, eisque ut benedicere dignaretur, rogavi, sicut »benigne Apostolica auctoritate benedixit.«

Quæritur, num ea sit prædicti examinis per duos Cardinales, & hujus Pontificiæ Benedictionis vis, ut Constitutiones illæ in *forma speciali* sive ex *certa scientia* confirmatæ dicantur? Affirmativam prætendit Eximius *p.* 1. *pag.* 54. Verùm cùm hæc materia Canonistas magis, quàm Theologos spectet, Eximio facilè in hac materia error condonandus. Dicitur ergo fieri confirmatio ex *certa scientia*, quando fit cum *perfecta notitia totius* negotii, & *omnium* ejus circumstantiarum, & quando tenor *totius privilegii*, aut *instrumenti* inseritur in ipsa confirmatione; ita post alios etiam Barbosa *ad cap.* 4. *de Conf. util. vel inut.* suprà in peculiorum defensionem ab Eximio adductus.

Quid quæso, illorum in prædicta simplici benedictione? Neque Pontifex perfectam notitiam Constitutionum omniumque ejus articulorum in particulari habuit; neque ullâ confirmationis Bullâ, cum insertione integri tenoris dictarum Constitutionum, legitur expedita. Unde certum est, Constitutiones illas non nisi in *forma communi*, cum subintellecta clausula: *Modò Sacris Canonibus Tridentini, Concilii Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non adversentur*, esse confirmatas.

Hinc consequens est, non sequi: hoc illudve in his Constitutionibus reperitur, ergo voti essentialibus, aut Sacris Canonibus non adversatur; quemadmodum ex Concilio Tridentino in Vindiciis *cap.* 3. §. 4. ostensum est.

Adhæc, ex lectione hujus epistolæ constat, eam à Cardinale nomine *privato* scriptam. Atque ita omnia, quæ in dicta epistola, Fratribus juxta suas Constitutiones viventibus promittuntur, ea haud nomine Ecclesiæ, sed à Cardinale Sabello *privato* nomine dicta sunt.

Quo ergo ex capite hæc statuta habent, ut præ statutis Ecclesiarum etiam Cathedralium, auctoritate Apostolicâ similiter confirmatis, quæque Canonici juramento quoque interposito observare promittunt, sint *infallibilia hoc sensu*, ut ait Eximius, *quòd sint in praxi tuta?* Quòd enim hæc prærogativa prædictis Canonicorum Statutis non competat, in Vindiciis ex Synodo Coloniensi, & Tridentinâ ostendimus.

Hæc pro reflexionibus super binis Eximiorum libellis sufficiant; imò nimia esse plures judicarunt, eò quòd pauca in illis occurrant, quæ, aut materiam tangunt, aut jam antè ad nauseam non fuêre refutata & soluta.

Die 15. Septemb. 1686. *Imprimatur.*

B. Pasmans S. T. D. et Lib. Censor.

EPISTOLA

Cujusdam Canonici Regularis ad quendam Religiosum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, qua ostenditur, quàm enixè & solicitè Sanctus Augustinus à suis Discipulis voluerit servari absolutam omnium rerum temporalium communionem.

REVERENDE PATER.

SImpliciter Tibi, & ingenuè significabo sententiam meam meorumque amicorum de controversia, quæ vestros Patres inter & Dominum Van Espen agitatur circa materiam peculiorum, vel depositorum particularium, quæ Religiosi habent cum approbatione Superiorum, qui ea vel servant, vel procuratori alicui concredunt, ut de ipsorum consensu distribuantur ad beneplacitum eorum, qui ea labore, ac industria sua comparârunt, vel à parentibus amicisve acceperunt. Contendit, quòd non possint Superiores talia peculii genera permittere, quodque ad observandum Votum paupertatis oporteat omnia esse perfectè communia, quodque Superior distribuat vel distribui faciat Religiosis sanis aut ægrotis, id quod eis fuerit opus, sumendo ex iis, quæ incorporata sunt bonis communibus Monasterii. Admittunt Religiosi Vestri perfectiùs fore, perfectam in rebus omnibus communionem servare, at non existimant Religiosos omnes, cujuscunque conditionis esse possint, sive Generales, Provinciales, Doctores, Prædicatores, Confessores, &c. teneri in massam commùnem re-

(c) *Scilicèt Romæ*, quam *Itali* Urbem *Antonomastico nuncupare solent.*

(d) *Hæc sanè Domino Van Espen tribui non poterant, cùm nullius Beneficii possessor extiterit, nec annuis atributionibus in aliquod* Beneficium *Ecclesiæ potitus fuerit.*

redigere munera, quæ ipsis donantur, honoraria, ut horum locorum utamur terminis, quæ accipiunt ex eo, quòd præsideant Thesibus, vel quod in celebribus aliorum Ordinum Monasteriis doceant Theologiam, quod per Adventus vel Quadragesimas concionentur, denique omnia amicitiæ testimonia, quæ ipsis largiuntur vel consanguinei, vel amici, vel viri, fœminæve, pœnitentes vel alii quocunque modo. Ecce punctum, in quo, ni fallor, figunt pedem, vallum, quo se muniunt, quodque deserere nolunt. Si quid plus minusve concedant vel negent, cura id ego ut resciam.

Nihil fuisset magnopere admirandum, si inimici gloriæ S. Augustini scripsissent contra D. Van Espen, qui ipsius principaliter auctoritate firmat obligationem Religiosorum, ne aliquid proprii habeant, imò ne vel dicant, quid esse *suum* sed *nostrum. Nec dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Non magnus stupor fuisset excitatus, si illi, qui contenderunt eum excessisse loquendo de gratia *Jesu* Christi fuisseque sub caligine ac tenebris, pronuntiassent plus eum à suis Religiosis exegisse, quàm in conscientia præstare teneantur; non satis eum ingenii habuisse ad intelligendum textum Actuum Apostolorum circa vitam communem primorum Christianorum, sicuti non satis acuminis habuerat ad intelligendum Apostolum Paulum circa Prædestinationem, & Gratiam. Nihil in his fuisset insolitum, quandoquidem eo processerit petulantia, ut virum illum incomparabilem impetant, ea in materia, in qua Concilia, & Pontifices sibi gloriæ duxerunt eum sequi tanquam Doctorum omnium Aquilam. Nihil, inquam, fuisset obstupescendum in contemptu, quo exciperent regulas, quas edidit pro directione Clericorum, ac Monachorum; sed quod ii, qui gloriantur se esse ipsius discipulos, qui modis omnibus volunt esse de numero filiorum ejus, conentur ipsi obscurare, quod luce meridiana clarius est, tum in ejus Regula, tum in binis Sermonibus, quos habuit de vita communi Clericorum, hoc est, quod mihi stuporem parit, quem exprimere non valeo.

Si Religiosi qui studio cùm careant, quo se in cellis suis occupent, coguntur aliquo modo tempus impendere colendo aliquo horto florum, animumque suum cum amicis, quibus visuntur, relaxare, considerarent vitæ communis quoad omnia praxim tanquam onus aliquod insupportabile, eorum me infirmitatis miseresceret; ingemiscerem coram Deo, eumque rogarem, ut dignaretur eis dare lumen necessarium, quo doceret posse eos evitare otiositatem, colendo hortum aliquem communem, majori cura quam eum, quem in particulari habent, prout milleni Religiosi faciunt in Ordinibus, Congregationibus, domibusque particularibus bene compositis. Verùm quòd Doctores, ac Professores Theologiæ, qui in manibus habent Scripturas Sanctas, Concilia & Patres, qui prima sui Ordinis munia obierunt, qui nequeunt ignorare incommoda maxima, funestasque perturbationes, quæ nascuntur ex permissione vel conniventia Superiorum tolerantium peculia in Monasteriis; qui fatentur optandum fore, ut nulla essent, idque præstare: Quod, inquam, hi dicant imbecillitatem humanam commisseratione dignam id non ferre (his terminis utuntur Sodales vestri, quibus datur titulus Magistri Eximii, *Eximius Magister*) citra mendacium, hoc facit sanctè indignari omnes qui zelo aliquo feruntur pro gloria Dei, proque honore S. Augustini adeo turpiter dedecore obruti per eos, qui dictitant se ipsius filios. Non eos latet ipsum esse Doctorum Aquilam, pullosque eum suos provocare ad volandum, fixoque oculo fulgentes veritatis radios intuendum, eumque excepturum omnes, qui non habuerint satis vigoris ad eam contemplandam, & practicandam, sicut aquila excipit suos pullos nictantes, quique non valent intueri solem. Quo igitur pacto excusare possunt tanquam infirmitatem insuperabilem, id quod Sanctus ille Doctor existimavit fragiles puellas, omnesque Clericos, qui cum ipso vivebant in domo Episcopali, obligari necessariò servare, si quidem ipsum vellent agnoscere tanquam suum Patrem, ac Institutorem, sique hi cuperent, ut ipse eos haberet filiorum loco.

Censeo, mi Reverende Pater, ut errore liberentur illi Eximii Magistri non abs re futurum circa articulum vitæ communis, & abrenuntiationem cujuscunque proprietatis quocunque tandem prætextu niteretur, eis dicere id quod Castitas sub figura venerabilis Matronæ dicit S. Augustino, antequam esset conversus, quo ipsi persuaderetur non esse impossibile, sicut existimabat servare castitatem. *Tu non poteris quod isti & istæ: An verò isti & istæ in semetipsis possunt & non in Domino suo?* Quid ergo? Vos non poteritis observare, quod tales ac tales observant fidelissimè? An putatis suis ipsorum eos innati viribus? An vos fugit non confidere eos nisi in gratia divina, qua facile fit quod naturæ apparet difficile ac impossibile? Quid igitur, viri fortes, atque robusti, qui profitentur se esse Eremitas, atque adeo magis austeros quam Monachos, quosque rigidissimos, non poterunt bono animo nuntium remittere suavitatibus reddituum & commoditatibus peculiorum, qui milleni ac millenæ Religiosi & Religiosæ omnis generis Ordinum & Nationum summo gaudio & voluptate inexplicabili abdicant? Profecto Magistri illi, qui compellantur *Eximii* justissimè merentur, ut hoc eis exprobretur, quod olim Apostolus Paulus exprobrabat illis, qui studebant haberi Doctores inter Judæos conversos ad fidem, cùm non haberent zelum necessarium ad vivendum juxta elementa spiritus Christianismi. » Cum deberetis Magistri esse propter tempus, rursum indi- » getis, ut vos doceamini quæ sint elementa exordii Sermonum » Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo! « Ad Hebr. *cap.* 5. *v.* 12.

Quid igitur, Reverendi Patres? Fierine potest, ut postquam Religioni adscripti estis, postquam singulis septimanis vobis prælecta est Regula gloriosi nostri Patris Sancti Augustini, postquam Novitios instruxistis, opus sit vos ipsos iterum instrui, & vobis repeti? *Primum propter quod in unum estis congregati &c. Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia &c.* Dum diuturna vitæ religiosæ exercitatione debuissetis vos reddere capaces solidi perfectionis cibi, facti estis, quibus lacte, redditibus dulcibus, & particularibus opus sit: quasi verò infantes essetis, qui trahamini saccharis & condimentis; seu ut dicam quod res est, facti estis quibus peculiis opus sit, ad vobis comparandum *vinum*, *lac senum.* Profectò qui Augustinum æstimant ac diligunt, & gloriam suam in eo constituunt, ut sint ipsius filii, pudore confundi deberent, quod excusationes prætexant, ad defendenda *peculia* & *particularia*, vitæ communi per ipsum doctrinâ, & exemplo stabilitæ, directè opposita. Augustinus namque in duobus Sermonibus, quos composuit de vita communi Clericorum in domo Episcopali, quam *Monasterium Clericorum* appellat, sibi cohabitantium, dilucidè asserit, nemini convictorum suorum licere, ut proprium quid possideat, prævaricatoremque esse, si quis sibi aliquid proprium vindicet, » Ecce, inquit, » quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid » proprium, sed fortè aliqui habent. Nulli licet: Si qui ha- » bent, faciunt quod non licet. Bene autem sentio de Fratri- » bus meis, & semper bene credens ab hac inquisitione dissi- » mulavi: quia & ista quærere, quasi malè sentire mihi vide- » batur.“ Eodem loco ad populum suum verba dirigens disertè prouuntiat; „Omnes offerte quod vultis, offerte de vo- » luntate vestra. Quod commune erit, distribuetur unicuique » sicut cuique opus erit. Nemo det byrrhum, vel lineam tu- » nicam, seu aliquid, nisi in commune: de communi accipiam » mihi ipsi, cum sciam commune me habere velle quidquid » habeo. Nolo talia offerat Sanctitas vestra, quibus quasi ego » solus decentiùs utar. Offeratur mihi v. g. byrrhum pretio- » sum, fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augus- » tinum, id est: hominem pauperem, de pauperibus natum. » Talem vestem debeo habere Presbyter, qualem potest ha- » bere decenter Diaconus, & Subdiaconus, talem volo ac- » cipere. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere » soleo, ut quando non potest vestis esse communis, pretium » vestis sit commune.“

An non post hæc Rev. Pater, Magistris illis excellentibus qui gloriantur esse discipuli S. Augustini, jure dicere liceat: *Non est discipulus supra Magistrum, sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus?* Ergone Religiosus inveniatur aliquis Augustinum Patrem ac Magistrum suum agnoscens, ac Regulam ipsius imitandam proponens, qui prætextu alicujus dignitatis, aut eminentiæ cæteris suis Religiosis amaret præferri. Cur igitur Generalis, Provincialis, Visitator, Abbas, Doctor, &c. contentus non erit eo, quod suffecit aliquando Illustri illi Episcopo, qui in Conventu Episcoporum, ac Confratrum (qui vitam communem ut ille non profitentes deferebant vestes pretiosiores) nullatenus credidit minus dignitatem Episcopalem ex eo quòd eisdem vestitetur, quibus suæ communitatis Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi vestiebantur, nullam sibi, vel in mensa, vel in reliquis peculiaritatem usurpans? Et Eremitas Mendicantes, qui ex instituto suo ducere debent vitam pœnitentem, & magis austeram quàm Clerici, credent licere sibi distinguere se & accipere sibi, si Superiores sint, plura particularia in vestibus, alimentis, & cæteris, quæ non habent illorum subditi, nisi aliis viis ea sibi procurent ex Superiorum consensu, quos puderet non concedere aliis viis quod ipsi faciunt. Sanctus ille Doctor, cujus benignitas, & indulgentia summa fuit, significat quod etsi initio, dum vitam communem apud omnes suæ Ecclesiæ Clericos stabiliverat, decrevisset à gradu suo dejicere omnes, qui in spiritu communitatis, quam introduxerat, non perseverarent, vellentque habere aliquid proprii, postea tamen consilium mutârit, relicto Clericatu iis, qui se vellent alio recipere: sed tandem omninò statuit non ferre ampliùs ullum Ecclesiæ suæ Clericum, qui vitam communem non amplecteretur. Verba illius notabilia sunt: » Ecce dico, audistis: qui habere voluerit pro- » prium, & de proprio vivere, & contra ista præcepta nostra » facere, parum est, ut dicam, non mecum manebit; sed nec » Clericus erit. Dixeram enim, & scio me dixisse, quod si nol- » lent suscipere socialem vitam mecum, non illis tollerem Cle- » ri-

» ricatum, sed seorsum manerent, & seorsum viverent, quomo-
» do noscent, Deo viverent. Et tamen ante oculos posui, quan-
» tum mali sit à proposito cadere. Malui enim habere cæcos
» vel claudos, quam plangere mortuos. Qui enim hypocrita est,
» mortuus es. Quomodo ergo quicunque voluisset extra mane-
» re & de suo vivere, non tollerem ei Clericatum, ita modo
» quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis
» cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens pro-
» prium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed
» delebo eum de tabula Clericorum. Interpellet contra me mil-
» le Concilia, naviget contra me quo voluerit, certè ubi po-
» tuerit, adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, illic
» Clericus esse non possit. Audistis, audierunt. Sed spero in
» Deum nostrum, & misericordiam ejus, quia sicut dispositio-
» nem meam istam hilariter acceperunt sic eam purè fideliterque
» servabunt. «

Plures in hunc locum observationes faciendæ forent, sed unam videor omittere non posse, quæ mirè ad rem nostram facit: Tanquam cæcos, & claudos habet omnes qui non contenti Deo & iis, quæ Monasterium illi subministrabant, substrahebant se is vitæ communi, ut viverent ex eo quod in particulari habebant. Juxta hoc gloriosi Patris Nostri judicium cæci & claudi sunt Generales, Provinciales, Visitatores, Doctores, Prædicatores, & Superiores omnes Ordinis ipsius, qui contenti non sunt Deo & iis, qui Monasterium in quo vivunt ipsis subministrat, sed habere volunt peculia particularia & deposita, quæ ex oficiis, muniis, prædicationibus &c. recipiunt. Quàm deploranda omnium illorum sors, qui in via, quæ nos ducit ad æternitatem felicem vel infelicem, diriguntur per cæcos & claudos! *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Math. 15. v. 14.

Si Reverendi Vestri Patres speciatim à D. Van Espen invasi fuissent, isque librum composuisset, ad probandum de industria hoc unum, quòd Religiosi Ordinis Eremit. Sancti Augustini non observent illius S. Doctoris Regulam, nec exemplum, quod illis dedit in praxi vitæ communis sequatur, & hac exprobatione, quæ certè ipsis acerba esse debet, offensi suscepissent illi ostendere, quòd post Dei gratiam existimarent se ab ea non deflectere, aut si per subreptionem, infirmitatem, aut alium casum ab eo deflexissent, statuerent se exemplari illi tam perfecto conformare: verùm non posse uno die, uno mense, & ne anno quidem bonum restitui, magnos morbos curandos esse sensim, ne, dum malo remedium afferri volumus, magis irritemus; ipse ille Dominus non malus moderationem illorum comendàsset, & si quod verbum durius ipsi excedisset, optimi ipsius amici eum commonuissent, reprehendissentque: sed cùm nullo modo speciatim aggressus sit RR. PP. Erem. S. Augustini, obstupuimus, quòd soli isti causam istam susceperint pro Religiosis omnibus, qui peculia habent, aut ut loquar clariùs, qui habent causas peculiares sub Superiorum suorum beneplacito. Non tibi dissimulabo quid Ecclesiastici & Religiosi pietate & scientia præditi de eo sentiant & dicant. Alii persuadent sibi, quòd si vester Generalis, Provinciales, Visitatores, Doctores, Superiores &c. tam pauperes forent, ac sunt illi qui sunt de Congregatione Benedictinorum S. Mauri, aliisque benè reformatis; ubi primum Fundatorum institutum servatur, gavisi fuissent, quòd Domini Van Espen fortiùs etiam, quam præstitit, probàsset nec licitum esse ipsis habere, nec permittere Religiosis ut habeant redditus dulcedinum (vel ut meliùs loquar amaritudinum) quia omnis illa indulgentia & relaxatio viam aperit ad proprietatem veram introducendam, simulque evertendam voti paupertatis observationem. Hanc suam persuasionem ut fulciant, notare me jussêre, quòd Religiosi omnes Ordinum Fundatorum, vel Mendicantium, qui Regulam suam, & primas Constitutiones in SS. Congregationibus stabilitas accuratè observant conservantque primum instituti sui fervorem, sine offensa legerint opera Domini Van Espen contra peculia. Intuiti sunt se ipsos in hoc speculo sine pudore, quia nil illic viderunt, quod in praxim non redigerent: quin etsi illic deprehendissent sanctius aliquid, aut religiosius quam quod observant, læti didicissent modum in virtute proficiendi, rogàssentque Superiores suos ut dignati fuissent praxim illam magis à cupiditate alienam introducere. Itaque cùm sciant omnes quod in omnibus Congregationibus benè ordinatis, & reformatis Canonicorum Regularium, Benedictinorum, Cisterciensium, Præmonstratensium, S. Dominici, S. Francisci, &c. Religiosi observent cum gaudio vitam communem, nec ferre velint, ut ullus habeat peculium, nec permittere relaxationes & indulgentias inductas eo casu, qui rebus humanis, quæ tempore semper diminuuntur, accidere solet; libri, quos Confratres vestri Provinciæ Flandriæ scripsêre contra Domin. Van-Espen apertam injuriam faciunt iis, qui honorem amant Ordinis S. Augustini, qui inter omnes Religiosorum Ordinum Fundatores exactissimus fuit in materia vitæ communis, quam per exemplum suum stabilivit eo modo, cui contradici non possit, quique os obstruit omnibus ipsius discipulis iisque omnibus qui genuini ipsius filii esse desiderant.

Extra controversiam est, Reverende Pater, quod Religiosi omnes Eremitæ Ordinis S. Augustini, per Ecclesiam universam in Regnis, & Provinciis Catholicis diffusi, qui Regulas suas & constitutiones accuratè observant, abdicaturi sint Reverendos Vestros Patres, qui nullo ad hoc mandato accepto, faverunt relaxationi, adversus quam Capitula Generalia, primæ Constitutiones, zelosissimi quique Provinciales, ipsique Religiosi privati, gloriæ Dei & bono Religionis, suæque salutis addicti, sese declarârunt tàm disertè. Postquam inquisitum est, quid Reverendos Vestros Patres movere potuerint ut in materia peculii contra D. Van Espen scriberent (non jam loquor de eo quod ad Simoniam spectat in receptione Religiosorum, aut Monialium) quisque suo modo ratiocinatus est. Non dissimulabo tibi id judicatum est verosimillimum. Dicebatur, quòd si illi, qui librum D. Van Espen oppugnarunt, eâ felicitate gavissi essent, ut in Ordinem Eremitarum S. Augustini recepti fuissent in Provincia aliqua, ubi prima & perfecta Regulæ statutorumque Ordinis observatio vigeret, judicaturi fuissent, librum D. Van Espen honorificum sibi esse & utilem, cùm occasionem præbere posset Monasteriis, ubi eadem regularitas & accuratio non erat, eorum se corpori jungere, & reformationem amplecti: sed cum aliter se res haberet, cum ægritudine se conspexerunt in speculo, quod illorum defectus detegebat. Gloriosus Pater noster S. Augustinus explicans hæc Jesu Christi verba, *Mundus me odit, quia testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sint*, observavit, quòd cùm vita Jesu Christi, ejusque doctrina condemnatio esset vitæ Scribarum, & Pharisæorum aliorumque Doctorum legis, & hi ferre non possent exprobationem illam assiduam, consilium inierint speculum illud confringendi, quòd suam ipsis turpitudinem manifestè demonstrabat, & facies illorum pudore suffundebat: sic, ajebant (nulla per hanc comparationem offensionis ansa datâ Patribus istis) cùm Religiosi omnes, qui in communitate perfecta & integra vivunt, per librum D. Van Espen commoti & offensi non fuerint, necesse est eos, qui splendorem luminis ferre non potuerunt, oculos habuisse ægros, & qui panem illum fortium non potuerunt digerere, fuisse infirmos: » Oculis ægris odio-
» sa lux quæ puris est amabilis, & palato non sano pœna est
» panis, qui sano est suavis. « *Offic. S. August.*

Sed unde fit, dicebatur his, qui ita ratiocinabantur, ut plures diversorum Ordinum Religiosi, qui habent peculia, redditus, pensiones, distributiones, quibus sibi de vestibus prospiciant, quique etiam libertate utuntur multò majori quàm Eremitæ S. Augustini, non se opposuerint D. Van Espen? Nil te celabo eorum, quæ audivi & quæ hac de re cogitata sunt. Viri spirituales, & docti, inquiebant, ubique in pretio sunt, idque ipsis conciliat affectionem, venerationem, benevolentiam, favores, & liberalitates hominum, qui ingenio & meritis præstant in mundo, ubi nihil obstante corruptione per status omnes diffusa, virtus & pietas veneratione sunt; & dum junguntur eruditioni singulari, & scientiæ insolitæ, provocant in eos, qui illas possident venerationem hominum, qui, sive natalibus, sive dignitatibus in seculo maximè excellunt: Contra quæcunque scientia possideatur, ea contemnitur, & cum bona opera non producat, dicitur esse talentum defossum in terram, & sine virtute ac pietate inflare & non ædificare, quemadmodum pietate sine scientia errori obnoxia est: *Scientia sine pietate inflat, pietas sine scientia errat.* Bern. in Cant. Quare cùm existimatio in mundo, & perutilis sit & admodum honorifica, molestum est haberi pro dissoluto, & pro homine qui in sanctitate, quam professio ipsius postulat, non vivit: itaque ne numeremur inter Religiosos parum regulares, & parum reformatos, conamur abusibus auctoritatem conciliare, aut saltem eos diminuere, dum in religionem, quam amplexi sumus, introducti sunt. Dicere licet absque adulatione, esse in Provincia RR. PP. Augustinianorum in Belgio & Patria Leodiensi plures viros ingenio & doctrina insignes, qui abusum hunc vident, sed eo discrimine, quod aliàs notabat S. Bernardus in Tractatu, cui titulus: *Apologia de Vita & Moribus Religiosorum, cap.* 7. ubi loquitur de relaxationibus introductis in ordinem Cluniacensium: » Sub hac, ait, abusione jam fere ubique sic pro
» ordine tenentur, fere jam ab omnibus sine querela, atque ir-
» reprehensibiliter observantur, quamquam dissimiliter. Non-
» nulli quippè his omnibus tanquam non utentes utuntur, &
» ideò aut cum nulla offensa, aut cum minima. Aliquanti quip-
» pè hæc agunt ex simplicitate, aliquanti ex charitate, aliquan-
» ti ex necessitate. Quidam namque simpliciter ista tenent,
» quoniam sic eis præcipitur; parati aliter agere, si aliter præ-
» ciperetur. Quidam autem ne discorditer vivant ab eis qui-
» buscum habitant, sectantes in his non suam libidinem sed
» aliorum pacem. Alii verò quia resistere non valent multitu-
» dini contradicentium, qui hæc utique tanquam pro ordine li-
» bera voce defendunt, & quoties isti aliqua (prout ratio dic-
» tat) restringere, vel mutare incipiunt, illi mox tota eis aucto-
» ritate resistunt. «

Di-

Dicebant nolle se instituere comparationem omnimodam, & parallelum perfectum inter abusus, qui in Ordinem Cluniacensium irrepserant, & abusus, quos peculia in plurium Ordinum Monasteriis per Superiores permissa, aut tolerata introduxere in ruinam boni spiritualis, & sæpè etiam temporalis illorum Monasteriorum: Nimirum noti sunt, & quisquis pro honore Ecclesiæ Dei, & Religiosorum Ordinum gloria vel modicum zelum habet, ingemiscit illis quotidie, Divinamque Majestatem, ut remedium iis afferat, precatur: sed ut oculi aperirentur RR. Patribus Augustinianis, qui D. Bernardo Van Espen sine causa questi sunt, quemadmodum Religiosi laxiores Ordinis Cluniacensis querebantur de S. Bernardo, utile esse ipsis ostendere, honorificum illis fore, si imitarentur Venerabilem Petrum, illius Ordinis Generalem, Guillelmum Abbatem S. Theodorici aliosque Abbates, qui non modo profundam erga magnum illum Sanctum venerationem retinebat, sed & qui inde occasionem sumebant reformandi abusus, de quibus querelæ erant, quosque Sanctus Bernardus coloribus tam vivis depingit: sic sperâse se fore, ut plures Superiorum, & Eremitarum Ordinis S. Augustini, quin & aliorum Ordinum Religiosorum, quos Tractatus ille D. Bernardi Van Espen tangit, multò magis quàm Patres Augustinianos, occasione utentur rescindendi permissionem, ac indulgentiam peculiorum tanquam malorum innumerorum originem. Possum tibi. Rev. Pater, asseverare, quòd plures, quibus res, quæ in Ordine vestro geruntur, magis quàm mihi perspectæ sunt, mihi asseverint, multos in eo esse qui peculia habent animo tam integro, ut si Superior illorum vel significaret optare se, ut omnia in communi redigerentur, omninò parati forent id facere; multos esse quibus grave est peculia habere, quique ea indulgentia non utuntur nisi ut difficultates non habeant cum iis qui peculiis gaudent; multos, qui nequaquam velint peculiis abuti ad desideria sua sequenda, sed ad pacem servandam; quin & esse plures scientia, & muniis, quæ in Ordine suo obierunt, spectabiles, qui decrevêre firmiter vitam communem in omnia sua perfectione amplecti, nulla ratione habita oppositionum, & contradictionum, quas in exequendo hoc sancto consilio eos ferre opportebit. His ita se habentibus, Reverende Pater, visum fuit expedire, ut tibi significaretur quid optimi Ordinis vestri Amici, qui in pretio & veneratione habent privatos illos, qui contra D. Van Espen scripserunt, eo quod cum gaudio legerint plures illorum Theses, & opera quæ composuere; quid, inquam, Ordinis vestri & honoris Sancti Augustini Amici Reverendis illis Patribus suaderent. Primum, ut imitarentur S. Augustinum, qui non erubuit Retractationes scribere, quique in hoc vitæ communis, de quo agitur, puncto cùm primùm permisisset, ut qui vitam communem in suo Clericorum Monasterio servare non vellent, sine jactura Clericatus inde exirent, tandem decrevit ex eo gradu dejicere omnes, qui vitam communem, quàm amplexi erant, non perfectè servarent. Alterum consilium est, ut ex eo opere D. Van Espen contra peculia proficiant, quemadmodum ex opere S. Bernardi profecerunt Religiosi Cluniacenses reformationem amplexi. Tunc agnoscent quidquid hac super re scripsit, non scripsisse, ut inferret ipsis injuriam, sed ut ad bonum ipsos attraheret: gratificabuntur pluribus è suis Confratribus, qui ardenter optant, ut perfecta rerum omnium communitas tam accuratè servetur in sua Provincia, quàm servatur in Reformatione stabilita per S. Thomam à Villa-Nova, cujus hodie festum celebramus, & in ea, quæ stabilita est in vicis Tholosanis, &c. Hæc una ratio est qua sesse expurgent: frustra autem se expurgare conantur, Dominum Van Espen, ut Rigoristam, ut Anti-Monachum, ut Jansenistam traducendo. Enimvero qui occupati non sunt, neque in hac dispensatione ullo affectu ducuntur, nisi quo duci debent boni omnes quærendæ & amplectendæ veritatis, intelligere non possent, quomodo haberi possit, ut Rigorista, qui nil docet nisi quod Patrum dulcissimus (Augustinus) modo irrefragabili stabilivit. Docet nos in omnibus suis operibus Sanctus ille Doctor, quod amor suave & facile reddat quod ante rigidissimum & dificillimum videbatur: *Omnia sæva, & immania facilia & quasi nulla facit amor.* Serm. 9. *de verb. Dom.* Docet ubique nos, quòd magnum Legem veterem inter & novam discrimen sit, Timor, & Amor: *Brevissima*, inquit, *differentia novi, & antiqui Testamenti, Timor & Amor*: Timor Judæos fecit servos, lex rigoris est, onus non portabile: Lex nova cùm sit Lex amoris, veros Christianos reddit liberos, molestias omnes emollit corda dilatando, facit, ut cum gaudio curramus viam arctam, quæ ducit ad vitam. Itaque juxta S. Augustini principia quicunque non credunt præceptum esse, Deum ante omnem vitæ suæ cursum amare, qui amorem Dei super omnia non postulant, habendi sunt pro Rigoristis, qui Christianos sub lege rigoris constituunt. Habueruntne Reverendi Vestri Patres vel minimum prætextum imputandi Domino Van Espen, quòd sensa teneat tam S. Augustino contraria? Unquamne se declaravit pro iis, qui oppugnârunt Patrem Lupum & Patrem Farvacques super necessitate amòris Dei, & contritionis? Minorem autem prætextum habent Anti-Monachum vocandi eum, qui tantam ubique erga S. Augustinum venerationem testatur. Sancto illi Doctori reprobârunt Donastitæ, quòd in Ecclesiam introduxisset vitam monasticam (*lib. 3. contra Petil. cap.* 39.) Tantam ubique æstimationem ostendit eorum qui vitam religiosam amplexi sunt, ut in libro de Moribus Ecclesiæ eo utatur tanquam argumento convincente adversus Manichæos, quo ipsis probaret discrimen, quod puritatem, ac integritatem primorum inter & corruptionem ac cupiditatem secundorum intercedit. Opus ipsius de Opere Monachorum argumentum est, quòd amaret statum, cujus defectus oppugnabat. Adeò nitidè explicuit se super discrimine, quod constituendum est inter Religiosos veros, & eos qui Religiosi sunt & mores Religiosos non habent, ut nihil unquam fortius reperias. »Simpliciter fateor Charitati vestræ coram »Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, »ex quo Deo servire cœpi, quomodo dificile sum expertus »meliores quàm qui in Monasteriis profecerunt, ità non »sum expertus pejores quàm qui in Monasteriis ceciderunt, »ità ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum (21. v. 11.) »*Justus justior fiat, & sordidus sordescat adhuc.* Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consulamur »tamen etiam de pluribus ornamentis: nolite propter amurcam, qua oculi vestri offunduntur, torcularia detestari unde Apothecæ Dominicæ fructu olei luminiosioris se implentur.“

Vivaciùs etiam sese explicuit in hæc verba Psalm. 132. *Ecce quàm bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Cùm nimis longum foret ea quæ hîc dicit Epistolæ inserere, sufficiet eos monuisse, ut explicationem istam legant cum otio, ac dixisse quod versum illum S. Augustinus appellat *tubam*, quæ homines ad ædificanda Monasteria excitavit; verborum Cantici illius effectum esse vitam communem stabilitam & observatam per Apostolos ac primos fideles, quæ deinceps per orbem totum produxit desiderium illud habendi omnia in communi, atque in perfecta cordis, & animæ unione vivendi. Hæc cùm ita se habeant, qui tandem illi sunt, R. P. quos habere oportet, ut Anti-Monachos & ut Magni Augustini hostes professos, nisi illos omnes cujuscunque conditionis sint, qui student introducere *peculia* & *particularia*, *meum* & *tuum*, quæ omnium divisionum causæ sunt? Ut R. illi Patres absque dubio in iis, quæ ad Historiam Ecclesiasticam & Religiosam spectant, versati sunt, ita observârint facilè, vitam communem in plurimis Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis usitatam fuisse: Claustra, Dormitoria, Refectoria, aliaque loca regularia, illius rei argumenta sunt irrefragabilia: animadverterint, plurium Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, Abbatiarum, & Prioratuum Ordinis Sancti Augustini Benedicti secularizationem, aliam non habere originem quàm peculia & particularia, quæ lapsu temporis invecta sunt: ac tandem res eo, ubi nunc sunt, deduxerunt, ut Canonici & Monachi, qui in communi vivebant, habitare cœperint in domibus privatis, redditusque communes in Præbendas partiti sint. Ignorare minimè possunt, quòd ea sit origo Abbatum secularium, & comendatariorum qui præcipuos Abbatiarum & Prioratuum redditus à suo corpore dilacerarunt; quòd hinc orta separatio redituum Monasterii, quam, ut mensam & reliqua seorsim haberent, Abbates Religiosi fecerunt: sic omnes, qui vitam communem omninò perfectè tum in Abbatiis & Monasteriis, tum etiam in ipsis, si fieri posset, Collegiatis & Cathedralibus restaurare laborant, veri monasticæ & regularis vitæ amici sunt. Quare D. Van Espen, dum *in suo adversus peculia libro*, & in Tract. *de Canonicis*, tam manifestum restaurandæ ubique vitæ communis desiderium ostendit, meritò dicere potest, adeo se Anti-Monachum non esse, ut non nisi pro honore, & bono Monasteriorum, omniumque Domuum Regularium scripserit.

Dum vocant illum Jansenistam, multò ostendunt evidentiùs non habuisse se, quod illi verè exprobarent. Optimè respondit Lovaniensibus Lovaniensium more per impertinentia: nihil id ad rem facere, nihil materiam de gratia per se efficaci & prædestinatione, cum materia de peculiis commune habere, ut ad lectionem libri *Phantome du Jansenisme*, non remittantur. Porrò ut non libeat ipsis ampliùs vano illo prætextu uti, quod homines timidos & scrupulosos avertunt à lectione libri Domini Van Espen, qui, ut audio, flandricè versus est, & brevi gallicè vertendus, videtur mihi dici illi posse, quod priusquam Jansenius natus esset, Concilia Generalia & Provincialia, Summi Pontifices, Institutores Ordinum, & omnes vitæ religiosæ Reformatores, vehementius, quàm in suo libro. D. Van Espen, locuti sunt: quemadmodum ipsis exhibebitur per fidele extractum, quod jam in manibus erat priusquam D. Van Espen scripsisset. Sic juxta RR. illos Patres honorificum erit Domino Van Espen Jansenistam esse, quales Concilia Generalia & Pontifices fuerunt. Quod si Jansenistam vocaverint, eo

quòd

ralia & Pontifices fuerunt. Quod si Jansenistam vocaverint, eò quòd Jansenius Iprensium Episcopus, occasione reformationis in Monasterio quodam Ordinis S. Benedicti stabilitæ, insignem de Reformatione hominis interioris Orationem habuerit; non est quòd vel ipse vel ullus alius pietate præditus eo sensu Jansenista haberi timeat: nec credimus Patres illos Reverendos ità Reformationi adversos esse, ut nomen istud ipsis timorem incutiat; sola fides Catholica reformationem non patitur. *Sola immobilis*, ait Tertullianus, *lib. de vel. Virgil.* ideoque meritò seculi nostri Hæretici ut prætensè Reformati habiti sunt. Sed quod ad mores attinet, Sanctus Augustinus Cleri Reformator dictus est, & plures in omnibus sancti Reformatores fuerunt. Itaque RR. illi Patres solidas rationes quærant, quas Domino Van Espen opponant, si possint, quòd non creditur, illas invenire: verùm ab illo accusationum genere, Rigorista, Anti-Monachus, Jansenista &c. desistant. Nomina ista sunt instar terriculamenti, quo timor incutiatur passerculis; sed boni sensus homines ista explodunt. Cùm mea non intersit, stare à partibus D. Van Espen contra RR. illos Patres, qui adversus illum scripserunt, finiam hasce Consilio Gloriosi Patris Nostri serm. 15. de verb. Apostoli: *Proficite fratres mei, discutite vos semper, sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & peristi: semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere, noli retrò redire, noli deviare, &c.* Perhonorificum & gloriosum illis erit sequi vestigia magni illius Sancti & primorum Christianorum, qui sub Apostolis & cum Apostolis vitam communem duxerunt, qui juxta S. Ivon. Episcopum Carnotensem primi fuerunt sub *Jesu Christo* Patre ipsorum & Abbate Regulares Canonici. *Erant Apost.* ait, *Canon. Reg. sub Abbate Christ.*

En R. Pater, partem reflexionum, quas fecit super controversia inter D. Van Espen & ipsos excitata; quamquam non magis ipsos quàm alios Religiosos aggresus fuerit. Plura adhuc dicenda forent, sed jam inde hæ longiores sunt. Deum oro, ut gratiam illis det efficacissimam, quæ faciat illos ore & corde cum Propheta Regio dicere: *Corripiet me justus in misericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Psalmo 140. Bonitatem ipsius infinitam obtestor, ut faciat illos intelligere, quòd meliora sint vulnera amici diligentis, quàm oscula blandientis inimici. *Prov. cap.* 27. Sum, R. Pater, cum multa æstimatione, veneratione, ac sinceritate.

Famulus tibi addictissimus & frater in D. N. Jesu Christo.

F. N. M. C. R.

Hac 18. Septemb. 1678.

DECRETA SACRÆ CONGREGATIONIS

A SANCTISSIMO D. N. INNOCENTIO PAPA XII.

SUPER DISCIPLINA REGULARI SPECIACITER DEPUTATÆ,

Ejusdem Sanctissimi Domini Nostri auctoritate edita.

SAnctissimus in Christo Pater, & D. N. *Innocentius* Divina Providentiâ Papa XII. pro paterna charitate, quâ Religiosos Ordines multis, magnisque in Ecclesiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga sedem Apostolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conservationi, & propagationi consulere, simulque ex injuncto sibi cœletiùs Pastoralis Officii debito providere, ut regularis in iis disciplina ad Religiosorum salutem, & totius christiani populi ædificationem, utilitatemque sarta tecta custodiatur, ac vigeat; & sicubi collapsa est, adjuvante Domino reparetur, constituit & declaravit se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benignè concessurum, ut volentibus è periculosis seculi fluctibus ad Religionis portum confugere facilis, tutusque aditus aperiatur, dummodò tamen ea, quæ pro regulari vita rectè instituenda, tam à Sacrosancta Tridentina Synodo, quàm à prædecessoribus suis Romanis Pontificibus, præcipuè verò fel. recor. Clemente VIII. in decretis Generalibus pro Regularium reformatione, nec non Innocentio X. & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione & Professorum educatione salubriter constituta sunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas sua, eaque quatenus opus sit, confirmat & renovat (salvis tamen in hac parte singulorum Ordinum Statutis, seu aliis Ordinationibus ab Apostolica Sede in forma specifica post eadem decreta forsitam approbatis aut edictis) exactè & inviolatè serventur.

Quocirca Sac. Congreg. ab eodem Sanctissimo Domino Nostro super *disciplina Regulari* specialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum Monasteriorum gubernatione decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus præfata ejusdem sanctissimi Domini nostri mens pateat, ac plenius & celeriùs innotescat, de mandato Sanctitatis Suæ præsentis decreti tenore denuntiat omnium, & singulorum Ordinum Regularium (iis duntaxat exceptis, qui in præfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur) Superioribus tam Generalibus, quàm Provincialibus quocunque nomine nuncupentur, cæterisque ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam & Insulas adjacentes quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint vel unum saltem, ibique auctoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulæ, Constitutionum uniuscujusque Ordinis & Decretorum Apostolicorum, præcipuè verò exactæ Vitæ Communis ac formam eorundem decretorum ab omnibus Religiosis, quæ in Conventibus, ubi recipiendi Novitii & Professi educandi sunt, morabuntur, omninò servandæ. Postquam verò Regularem Observantiam, & signanter quoad exactam Vitam Communem cum affectu stabilitam fuisse, tam ex eorundem Superiorem Generalium seu Provincialium relatione, quàm Præpositi & Fratrum in præfatis Conventibus degentium jurejurando firmato testimonio, necnon per Secretas Informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apostolicos Visitatores ad hoc specialiter deputandos, eidem Sac. Congr. sufficienter constiterit, tunc Sanctitas Sua antedictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi benignè concedet, & locum ad Professos pietate & litteris instituendos usque ad Sacerdotium; vel aliàs juxta constitutiones, & laudabiles cujusque Ordinis consuetudines, in iisdem Conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem observantiæ, destinabit.

Quæ quidem omnia quò faciliùs, efficacius & durabiliùs ad praxim deduci valeant, eadem Sac. Cong. Sanctitatis Suæ auctotitate committit, & in virtute S. Obedientiæ præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supra dictis Conventibus non collocent, nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, regularis observantiæ, & puritatis Regulæ studiosos, orationi præsertim ac mortificationi, sine quibus non potest Religiosa vita consistere addictos, quique consentiant exactè servare Vitam Communem, atque inde amoveant eos omnes qui tam Sanctæ Ordinationi contradicere, seu verbis aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

Ut autem tam laudabilis vitæ institutum & regulari professioni maximè proprium Religiosi alacriùs arripiant; omnisque excusatio infirmioribus præcludatur, eadem Sacra Congregatio similiter præcepit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (imploratâ etiam, ubi opus fuerit Apostolica auctoritate) præfici omninò curent viros non solùm disciplinæ zelo, sed etiam charitate, & morum suavitate prædictos, compatientes, Fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant. Studeant verò præcipuè, ut ea omnia quæ tam ad victum & vestitum, quàm ad reliquas vitæ necessitates pertinent, singulis Religiosis promptè subministrentur, ac præsertim ægritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat. Ac propterea Religiosos in iisdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum redditibus & consuetis communibus, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisque quibuscunque obventionibus pariter in commune conferendis valeat commodè sustentari. Eos verò, qui semel præfatæ observantiæ & exactæ vitæ Communi libenter, ut verè Religiosos viros decet, sesse subjecerint, & in ea laudabiliter perseverant, nullatenus à memoratis Conventibus nolentes transferant, nisi fortè ad alia Monasteria, ubi similis observantia vigeat, iisque pariter de omnibus ad vitam necessariis possit commodè provideri.

Quòd si redditiuum & eleemosynarum tenuitas hujusmodi exactæ vitæ Communis observantiæ alicubi videatur obsistere, liceat eisdem Superioribus, vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic necessitati prospicere, vel ab Apostolica Sede per Supressionem alicujus Conventûs minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel aliâ demum ratione, quæ opportunior visa fuerit, remedium postulare.

Sciant verò Superiores prædicti, eos, qui præfata omnia sedulò, ut par est, adimplere curaverint, specialem à Sanctitate sua, & Sede Apostolica inituros gratiam, & protectionem, atque in iis præcipue, quæ ad antedictam observantiam stabiliendam pertinent, favorem omnem, & auxilium experturos: qui verò è contra negligentes, aut (quòd absit) contumaces reperti fuerint, gravibus pœnis pro modo culpæ, & etiam privationis Officiorum ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia imposterum obtinenda puniendos fore: præfatæ autem observantiæ nihilominus stabiliendæ per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem assumendos, à Sancta Sede efficaciter providendum, omnemque interim, ubi eadem observantia non vigebit, recipiendi Novitios licentiam denegandam.

Porrò ne regularis disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte constituitur, simul ex altera destruatur, & Sacra Congregatio Sanctitate Sua similiter approbante, statuit atque decernit, nulla imposterum Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religiosorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo instituti debere, nisi sub expressa obligatione exactæ Vitæ Communis ab omnibus Religiosis ibi comorantibus perpetuò & inviolatè servandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi præter alia ad id requisita priùs legitimè consisterit, adesse annuos reddituς, vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltem Religiosi in exacta Vita Communi commodè valeant sustentari.

Non obstantibus circa præmissa omnia & singula Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non quoruncumque Ordinum Statutis, consuetudinibus, privilegiis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cujuscunque Ordinis & Instituti sint, Sanctitatis Suæ verbis, seriò admonet & in Domino obtestatur, ut omni morâ postpositâ, sicuti filios obedientiæ decet, ad Regulæ, quàm amplexi sunt præscriptum vitam instituant & componant, Decretisque Apostolicis pro æterna illorum salute editis sincerè ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excusandas excusationes in peccatis, abduci se sinant; sed professionis suæ memores, quâ se totos Dei obsequio mancipârunt, susceptum Christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed divinæ charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur. Nimis enim turpe esset, ad secularia desideria, quibus semel aspirante Domino renuntiârunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris Nostri sequelam vocatos, qui, cùm dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum Fidelium gloriosos imitatores ac veluti hæredes esse, quorum erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in regularis vitæ, ac præcipuè Santæ Paupertatis, quæ est parens quædam generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem solicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia centuplum & vitam æternam propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit. Datum Romæ die 18. Julii 1695.

G. Cardinalis Carpineus.

Loco † Sigilli.

Carolus Augustinus Frabronus,
S. Congr. Secret.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, Indictione tertiâ, die verò vigesimâ primâ Julii Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Innocentii Divina providentia Papæ XII. anno ejus Quinto, supradicta decreta affixa, & publicata fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ & Curiæ Generalis in Monte Citorio, ac in aliis locis solitis & consuetis urbis per me Gregorium Stagium ejusdem SS. D. N. Papæ Curs.

Joannes Græcus Mag. Cur.

ZEGERI BERNARDI VAN ESPEN
J. U. D. & SS. Can. Prof. Lovan.

DISSERTATIO CANONICA

De Instituto, & Officiis Canonicorum sigillatim deducta ex obligatione, & muniis Clericorum.

AD LECTOREM.

JAm pridem animus mihi fuit publico Ecclesiæ bono consecrare, quæ in Canonum studio compillavi pro ritè instituenda Canonicorum vita. Sed unum vereor, quod hanc meam Dissertatiunculam lecturi illicò reponant argumentum à consuetudine contraria, & communi, *ut ajunt*, praxi desumptum.

Verùm quòd nihil eo argumentandi genere perniciosius sit, nunquam non deploravit Ecclesia. Ut taceam, quòd turpissima in moribus flagitia & intolerabiles abusus pro lege custodiri faciat consuetudo, evidens est, quòd universa moralis christiana, hoc est, ipsa Veritatis doctrina in gentilem abibit politicam, ne dicam, peccandi impunitatem, si torrentem consuetudinis & praxis sequi liceat. » Mala consuetudo, inquie» bat jam pridem Nicolaus I. quæ non minùs quàm perniciosa » corruptela vitanda est, nisi radicitùs evellatur, in *privilegio*» *rum jus* ab improbis assumitur, & incipiunt *prævaricatio*» *nes* & *vanæ præsumptiones* cellerrimè non compressæ pro *le*» *gibus* venerari, & *privilegiorum more* perpetuo celebrari. « *Apud Gratian. Diss.* 8. *Can.* 3. Mirùm! quod Christiani, nec quidem Christianorum dignior portio, Clerici non videant quod & in mediis gentilitatis tenebris sedens Seneca vidit: » Inter causas, *ait*, nostrorum malorum est quod vivimus ad » exempla, nec ratione componimur, sed *consuetudine* abdu» cimus, quod si pauci facerent, nollemus imitari: cùm plures » facere cœperunt, quasi honestius sit, quia frequentiùs, sequi» mur, & rectè apud nos locum tenet error, ubi publicus fac» tus est. « *Epist.* 121. Corripis aliquem, quod ex præscripto Canonum non vivat, mox reponit: *Illi Canones non sunt ampliùs in usu: sunt abrogati*, & quæ his similia aut pejora ut cum Augustino dicere liceat: *Circumdederunt te canes multi pro consuetudine non pro veritate latrantes.* In Psalm. 21. Hæc tamen non eo dicta velim, quasi omnes Canones vitam clericalem concernentes in omni suo rigore nunc ac olim observandos dicam; sed ut ostendam, quod Simoniaca Sacerdotiorum nundinatio, sacrilega divinorum Mysteriorum pertractatio, licentiosa vivendi ratio, &c. à crimine eximenda erunt, si consuetudine Canones passim abrogari, & in illis per contrarium agentes illico dispensari contendant. Illud vel modicum perito constat, quòd neutiquam abrogari possint, vel ulla humana relaxatione immutari Canones, qui versantur circa ea, quæ sunt juris naturæ. Quod atinet ad illos, qui agunt in communi vita & honestate Clericorum, tantùm abest, ut eos censeat Ecclesia, ut etiam in ultimo Generali Trid. Conc. *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* statuerit, ut » quæ aliàs à Summis Pontificibus & à Sa» cris Conciliis de Clericorum vita, cultu, doctrinaque reti» nendaque copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem im» posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio Ordinarii im» ponendis, observentur. « Cæterùm, Benevole Lector, si consuetudinem huic meæ Dissertationis fortasis opponas, » ad» ver-

„ vertendum (ut cum Gregorio VII. loquar) quòd Dominus di-
„ cit: *Ego sum veritas & vita:* Non dixit: *Ego sum consuetu-*
„ *do, sed Veritas.*“ Apud Gratian. Dist. 8. Can. 5. Hanc regu-
lam suscipe, & argumentum, quod malè à mala consuetudi-
ne petitur, sepone, seu potiùs explode, hasce meas lucubra-
tiones æqui bonique consules.

PARS PRIMA.

DE PRIMO OFFICIO CANONICORUM,

NIMIRUM

Obire Functiones Hierarchicas.

CAPUT I.

CLERICI, ATQUE ADEO CANONICI, ORDINANTUR AD FUNCTIONES ECCLESIASTICAS.

PARAGRAPHUS I.

Nullus insigniendus est Tonsura Clericali, nisi qui intendit fidelem Deo cultum exhibere.

CUM de numero Clericorum sint Canonici, horum officium primitùs despiciendum ex fundamentali obligatione illorum. Ex mente, ac sententia Ecclesiæ Tonsuram Clericalem conferri, ut per eam Tonsurandus Christi militiæ adscribatur; itaque à seculi servitute liberatus, *Deo fidelem cultum* præst, ambigere nequit, qui vel obiter perpenderit ritus, atque cæremonias, quas in collatione Tonsuræ adhibendas Ecclesia censuit.

Primò quidem ex præscripto Ecclesiæ, Tonsurandi habitum secularem deponere, & clericalem assumere debent, priusquam ad Pontificem ordinantem accedant: oratio enim quæ super Tonsurandos prævie ad ordinationem pronuntiatur, eos jam per habitum Religionis assumptum immutatos & innovatos insinuat; utque ea exterioris habitûs innovatio utilis, ac fructuosa sit, precatur Episcopus: *Oremus*, inquit, *Fratres charissimi D. N. J. C. pro his famulis suis, ut donet eis Spiritum S. qui* habitum Religionis *in eis perpetuum conservet, & à mundi impedimento, ac seculari desiderio corda eorum defendat.*

Per hanc habitûs secularis depositionem, atque Religionis habitûs assumptionem, quid aliud insinuatur, nisi quòd Tonsurandi seculo renuntiare, & post hac Deo, atque Ecclesiæ servitio se consecrare intendant? Quare Tonsurando in habitu clericali coram Pontifice comparente, & prædictâ oratione finitâ, Schola Cantorum inchoat ac prosequitur Antiphonam: *Tu es, Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi*, & Psalmum: *Conserva me Domine*, &c. eoque finito rursus prædictam Antiphonam repetit: quibus omnibus devoventis se Deo, ac se ipsum divino cultui dedicantis vota affectusque panduntur, ut ad eorum modulationem tonsurandus similes affectus interea in se excitet, & totum se Deo offerat.

Ut verò tonsurandus votis Ecclesiæ, tam per Antiphonæ, Psalmique modulationem, quàm capillorum attonsionem expressis, se consentire profiteatur, interim dum Pontifex tondendo capillos occupatur, palam exclamat: *Dominus pars hæreditatis meæ, ac Calicis mei: Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Quasi diceret, posthac nihil terreni concupiscam, sed *Tu Deus, mea eris portio & hæreditas.*

Hac professione emissâ, Pontifex precatur, ut ipsis Deus in tam Sancto proposito constantiam concedere dignetur: quo finito induit ipsos superpelliceo dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in Justitia & Sanctitate veritatis.*

Quibus peractis ad tonsuratos sese convertens Episcopus, eos monet; ut Ecclesiæ Dei ejusque servitio adscriptos se esse recordantes, vitam tali ministerio dignam agerent satagant: „ Filii charissimi, inquit, animadvertere debetis, quòd hodie de „ foro Ecclesiæ facti estis, & privilegia clericalia sortiti estis: „ cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis; & ha- „ bitu honesto bonisque moribus atque operibus Deo placere „ studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum „ suum.“

Nec enim aliam ob causam de foro Ecclesiæ per Tonsuram facti sunt, nisi quòd militiæ Ecclesiæ sint adscripti.

Ex hisce plusquam manifestum est, quòd nec hodie Ecclesia velit quemquam Clero adscribi, nisi unà se seculo renuntiare, atque Deo ejusque servitio seipsum dedicare profiteatur. Meritò proinde seculo proxime elapso tonsurandum promoveri voluit Synodus Coloniensis, Anno 1536. *p.* 1. *c.* 27. „ ut „ expendat, quod qui in Clerum alleguntur, rem profiteantur „ minimè ridiculam, nempe se peculiariter in sortem Domini „ adscriptos, quibus posthac omnia terrena sordeant, ac solus „ Dominus sors, ac pars hæreditatis futurus sit.“

§. II.

Episcopi debent inquirere vocationem & intentionem Tonsurandorum.

NEminem tonsurâ clericali insigniendum esse, nisi seculo renuntiare, & fidelem Deo, ejusque Ecclesiæ cultum præstare intendat, quæ ex Pontificali præcedenti §. prolata sunt, evincunt.

Hinc collige prævie ad collationem tonsuræ, inquirendum esse, num in tonsurando appareant sufficientia signa ac indicia, quæ non improbabiliter suadeant, tonsuram seu Clericatum peti, ut mundo renuntiet, *ac Deo fidelem posthac cultum præstet*; atque ita non verbis tantùm sed etiam ex animo dicere queat: *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei, Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.*

Similiter num & Pontifex cum veritate chorum interpellare audeat, ut orent *D. N. J. C. pro his famulis, qui ad deponendum comas capitum suorum* pro ejus amore *festinant.*

Quare Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* statuit, *primâ tonsurâ initiandos, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicis fugiendi fraude*, sed ut Deo fidelem cultum præstent, *hoc vitæ genus elegisse.* Hoc Concilii Decretum expedenti dubium superesse nequit, quin ex mente Ecclesiæ sit, ut priusquam ad tonsurationem procedant Episcopi, inquirant, num conjectura probabilis sit, quòd tonsurandus statum Clericalem eligat, *ut fidem Deo cultum exhibeat.*

De hac Concilii mente apprimè instructus fidelissimus illius custos & executor S. Carolus circa initiandos primâ tonsurâ inter alia inquiri voluit „ Quam ob causam se Clericos fieri ve- „ lint? An tales sint, qui spem præbeant, Ecclesiæ ministros „ utiles se fore? A quo Sacerdote, sanctioris vitæ magistro, „ institui sint ad clericalis vitæ modum? An vitæ christianæ „ præcepta, institutaque sciant? In Concil. Mediol. V. *p.* 3. „ *cap.* 2.“

Sancto Carolo consonat Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis, qui & ipse è Concilio Tridentino redux, in Synodo sua pro executione Concilii Tridentini habita decrevit, ut ad tonsuram non admittantur, nisi *qui fidem faciunt* se eo animo hunc gradum optare, ut Deo, & Ecclesiæ serviant.

Nec immeritò Ecclesia eam Episcoporum solicitudinem circa tonsurandos desiderat; quoniam prima Tonsura, ut notat S. Carolus, ad ordines suscipiendos quædam præparatio iis est, qui Dei ministerio dicandi sunt: permultum propterea refert, arguit Carolus, *omnem* in illa *conferenda* & suscipienda *diligentiam adhiberi.*

Quin & eo diligentior hodie deberet esse Episcoporum solicitudo, quo hoc tempore „ videamus in nulla re magis labo- „ rare homines hujus seculi (ut anno 24. præsentis seculi quere- „ bantur Patres Concilii Burdigalensis *cap.* 6. §. 2.) quàm ut „ filii, præcipuè deformes, & ad negotia secularia inepti in sor- „ tem Domini assumantur, ad Beneficia certè, non ad officia „ ecclesiastica quacunque ratione, cùm eos non vocet Dominus, „ promovendi.

Quapropter prædicti Prælati, ut hominum secularium perniciosis studiis ac conatibus efficaciùs occurrerent, neque per car-

carnem, & sanguinem in sortem Domini pateret ingressus, statuerunt: ut »quicunque ad primam tonsuram eligi petunt, »ejus sint ætatis, in qua quid agant, & quam viam sibi aperiant, »plenè dignoscere possint. Cumque ea sit, quæ circa duodeci»mum annum versatur, statuimus, nullum deinceps ad pri»mam Tonsuram admitti debere, quin duodecimum suæ æta»tis annum attigerit: de qua, ac etiam de vita, moribus, con»versatione, rudimentis fidei studiosè memoriæ commissis, le»gitimis parentibus, *propensione* denique *ad vitam Ecclesias»ticam*, debitam à Parocho & Præceptoribus scholæ attes»tationem afferre teneatur, & ne levitate ductus funes sibi pu»tet casuros in præclaris, ejus animum tentari. Ideoque certæ »cuidam Ecclesiæ adscribi, ut in ea diebus Dominicis & »festis solemnibus saltem habitum clericalem gestet, & Sacer»dotibus ministret, præcipimus. De quibus cùm ab eodem at»testatio relata fuerit Ordinationum tempore, ad Tonsuram »demum, si aliàs idoneus repertus fuerit, promoveri pos»sit."

Ex his collige, quantopere à mente Ecclesiæ recedant Episcopi, & ministerium suum profanent, qui nullâ penè circa tonsurandos, de vocatione, vel recta intentione aut de moribus facta inquisitione, Tonsuram Clericalem conferunt; quinimò, quod ampliùs delendum est, in sortem Domini admittunt, quos constat, aut certè non nisi cæcos latere potest, nullo alio fine Clericatum petere, aut à parentibus ad illam protrudi, quàm ut per Tonsuram clericalem Beneficium aliquod impetrare queant, nihil minùs cogitantes quàm seculo renuntiare, & Deo ejusque Ecclesiæ posthac se consecrare, quin econtra Christi militiæ ob lucra seculi unicè adscribi velle satis ostendunt.

§. III.

Ordinibus singulis, etiam minoribus functiones ab Ordinatis obeundas Ecclesia præscripsit.

PRimis Ecclesiæ seculis nullum in Clerum adscitum fuisse, nisi unà ministerio Ecclesiæ addiceretur, evidentiùs est quàm ut probari debeat. *Cuncti in Clericali ministerio constitui*, ait S. Cyprianus lib. 1. epist. 9. *non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debent.* Quapropter nec eo tempore quispiam ad Ordines, seu minores, seu majores promovebatur, quin Ecclesiæ alicui adscriberetur, in qua Ordinis suscepti officium sedulo impleret.

Ex quo ulteriùs factum est, ut omnes minores Ordines neque uni eidemque personæ, neque eodem tempore conferrentur; cùm enim singulis Ordinibus sua distincta officia essent annexa, neque unus omnibus exercendis foret sufficiens, diversis, prout officia huic, aut illi magis congruerent, conferebantur.

Hanc Ecclesiæ disciplinam vel unum S. Ambrosii testimonium apertè evincit: »Alius, inquit *lib.* 1. *Offic. cap.* 44. »distinguendæ lectioni aptior; alius Psalmo gratior; alius exor»cizandis, qui malo laborant spiritu, solicitior; alius sacra»rio oportunior habetur. Hæc omnia spectet Sacerdos, & quid »cuique congruat, id oficii deputet. Quo etenim unumquem»que suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id ma»jore implet gratia."

Quin nec tempore illo suffecisse, functiones Ordinibus annexas aliquoties exercuisse, sed in illis obeundis notabili tempore persistendum fuisse, priusquam ad ulteriorem Ordinem ascensus concederetur, epistolæ Syricii, Innocentii I. Zosimi, atque Gelasii I. Romanorum Pontificum, quibus Ordinum interstitia præscribuntur, luculenter evincunt. *Apud Grat. dist.* 77.

Aliquem proinde ordinare, eodem tempore idem erat atque quempiam certo Ecclesiæ ministerio, aut functioni addicere.

Neque ab hac disciplina umquam Ecclesia adeò recessit, quin semper optaverit atque desideraverit, ut quicunque Ordinem reciperet, unà functionibus eidem annexis reverenter ac strenuè tanquam ministret Ecclesiæ, obeundis applicaretur. Hanc suam mentem ac votum Ecclesia nunquam non ostendit, dum in omni etiam minorum Ordinum collatione, singulis suas functiones, quas obire deberent, asignari curavit; utque illis sedulo, ac omni diligentiâ & reverentiâ adimplendis incumbant, iterato per Antistitem ordinandos moneri curavit, ut in ipso Pontificali videre licet.

Imò ut ostendam, quantæ virtutis sit, functiones, etiam minorum Ordinum, (quæ proh dolor! hodie adeò viles ac abjectæ multis apparent) ea qua decet reverentia ac sanctitate obire, multoties Deum, dum ordinantur, invocandum censuit, ut ordinatos sua virtute & gratia confirmare, atque benedictionem suam in illos clementer effundere dignetur. Et quidem pro Ostiariis: *ut sit eis fidelissima cura in domo Dei diebus, ac noctibus ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini.* Pro Lectoribus: *quatenus distincte legant, quæ in Ecclesia Dei legenda sunt, & eadem operibus impleant.* Pro Exorcistis: *ut per impositionem manuum, & oris officium, potestatem & imperium habeant spiritus immundos coercendi, ut probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ gratiâ curationum, virtuteque celesti confirmati.* Denique pro Acolythis: *ut eorum mentes & lumine scientiæ illustret, & pietatis suæ rore irriget, ut ita ministerium te auxiliante peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur.*

§. IV.

Functiones minorum Ordinum, ubi intermissæ erant, Synodus Tridentina restituendas esse decrevit.

LAudabilis illa Ecclesiæ disciplina, quæ suis quibusque Ordinibus ministeria annexuit, per ipsos ordinatos actualiter exercenda; nec eorum ministerium per alios quàm Ordinibus illis initiatos exerceri permittebat: posterioribus seculis in tantum paulatim elanguit, ut anno 36. superioris seculi eò ventum esset, deplorante Synodo Colon. »Ut qua»tuor illi minores Ordines nempe Ostiarii, Exorcistæ, Psal»mistæ, ac Lectoris, non temere ab Ecclesia instituti ac re»cepti, *præter nomen nihil* in Ecclesia tenuissent, atque il»lorum loco tenues aliquot homines Laici, inquit dicta Syno»dus, qui per Ecclesiæ Prælatos compendii gratia subrogan»tur, illorum officiis sese ingesserint, idque indecorè."

Huic abusui occurrere cupiens Synodus Tridentina atque unà impedire, ne »Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Os»tiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia »laudabiliter receptæ, ab hæreticis tanquam otiosæ traducan»tur; decrevit: ut in posterum hujusmodi ministeria non nisi »per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur, omnesque & »singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, & illis »præcipit, in quantum fieri commodè poterit, in Ecclesiis Ca»thedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si »populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hu»jusmodi functiones curent restituendas, ex aliqua parte red»ditum aliquorum simplicium Beneficiorum, fabricæ Ecclesiæ »si proventus suppeditant, aut utriusque illorum, eas func»tiones exercentibus stipendia assignent; in quibus si negli»gentes fuerint, Ordinarii judicio, aut ex parte mulctari aut »in totum privari possint." *Sess.* 23. *cap.* 17. *de Reform.*

Quin ut efficaciùs Ordinatos functionibus obeundis adstringeret, Sancta Synodus vestigiis »Concilii Chalcedonensis in»hærendo statuit, ut nullus imposterum ordinetur, qui illi »Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate »assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus." *Ibid. cap.* 16.

Concilii Tridentini decreto, atque Ecclesiæ desiderio, ut satisfaceret S. Carolus, non tantum præcipit, ut Episcopi ex Tridentini Concilii præscripto, veteres minorum Ordinum functiones, quibus in locis intermissæ essent, ad usum revocandas omni diligentia curarent, sed insuper functiones, quas juxta modernam Ecclesiæ disciplinam minoribus Ordinibus insigniti obire possent, in prima sua Provinciali Synodo *p.* 2. *cap.* 45. & *seq.* proposuit: ita tamen ut Episcoporum judicio permittatur, alia ad cujusque Ecclesiæ utilitatem, dignitatemve pro temporis ratione Ordinibus illis initiatis imponere.

Quantâ verò sedulitate, atque reverentiâ functiones etiam Minorum Ordinum à Clericis obeundas crediderit S. Carolus, ex decreto Conc. V. Mediol. constat, quo insuper ipsos Clericos, ad functiones illas strenuè ac reverenter persolvendas incitat exemplo SS. qui functionibus etiam Minorum Ordinum totâ vitâ insistere maluerunt, quàm ad altiorem in Ecclesia gradum ascendere: »Quicunque Clericus, inquit *part.* 3. *c.* 3. »alicui Ecclesiæ adscriptus, ubi Ordinis à se suscepti func»tiones obeat, memor complurium Sanctorum, qui vel toto »vitæ tempore, vel multis saltem annis, in alicujus etiam »*Minoris Ordinis ministerio munereve religiosè versati*, ad »altiorem se Ordinis gradum provehi passi non sunt, eorum »recordatione, exemploque excitatus illud sedulò curet, at»que adeò efficiat, ut Ordinis, quo proximè initiatus est, præs»criptas functiones, non negligenti studio, sed acuratâ, ve»râque clericali solicitudine & disciplina, piè, rectè, atque »ritè præstet. Alioqui si in sanctis iis functionibus negligenter, »contraque ac præscriptum est, se gesserit; illud norit, eo »voluntatis suæ testimonio sibi apud Episcopum aditum præ»cludere ad altiorem gradum ascendendi.

»Præfectus autem, Rectorve Ecclesiæ testimonium de Cle»rico facturus, qui functiones in sua Ecclesia obierit, hæc tes»tificationis suæ litteris speciatim, verèque exprimat, quas sci»licet functiones, & quandiu, & quàm diligenter, & quam pie, »& quàm decenter, rectè riteque præstiterit."

Ex his facilè quisque intelligit, ab Ecclesiæ mente ac desiderio multum deflectere, qui cum Ordinibus minoribus sint initiati, functionibus Ordinibus illis ab Ecclesia annexas aut obi-

obire negligunt, vel dispiciunt: adeo ut Ordines illos ab Ecclesia sanctissimè institutos, ut meras ac inanes cæremonias susceptisse videantur.

Episcopi quoque votis Ecclesiæ non obsequuntur, dum passim ad sacros Ordines promovent, quos constat nulla inferiorum ministeria obiisse, quinimò nec obire voluisse.

§. V.

Qui ad Ordinem Subdiaconatus promoventur, non tantùm Corpori Christi vero, sed etiam mystico inservire debent.

PErgraves & summi momenti functiones Ordini Subdiaconatus esse annexas, sufficienter insinuat Ecclesia, dum per Pontificem Ordinantem prævièad ordinationem, monitos vult ordinandos his verbis: *Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum considerare debetis attentè, quod* onus *hodie ultrò appetatis.*

Secundò, quàm sanctæ sint functiones Ordini Subdiaconatus annexæ, innuit Ecclesia, dum Ordine illos initiatos ad perpetuam castitatem servandam adstringit.

Nec verò quis ordinandorum officii sibi adjuncti ignorantiam prætendat, antequam ad Ordinationem procedat Episcopus, ipsos nomine Ecclesiæ monet, *ut adepturi officium Subdiaconatus, sedulò attendant, quale ministerium sibi tradatur.* Hoc modo attentione conciliatâ officia ipsorum exponit.

Subdiaconum oportet: 1. Aquam ad ministerium præparare. 2. Diacono ministrare. 3. Pallas Altaris, & Corporalia abluere. 4. Calicem & Patenam in usum sacrificii eidem offerre. 5. Potestas legendi Epistolas in Ecclesia datur his verbis: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tan pro vivis, quàm pro defunctis.*

Ne verò crederent totum Subdiaconorum officium in visibilibus illis & externis functionibus consistere, eos per ordinantem ulterius monet Ecclesia, studeant *ut ista visibilia ministeria, nitidè, & diligentissimè complentes, invisibilia horum exemplo perficiant: Altare quidem Sanctæ Ecclesiæ,* pergit Pontifex... »Ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apo»calipsi sua Altare aureum se vidisse perhibet stare ante Thro»num, in quo & per quem oblationes fidelium Deo Patri con»secrantur. Cujus Altaris Pallæ & Corporalia sunt *Membra* »*Chtisti*, scilicet *fideles Dei* quibus Dominus quasi vestimen»tis prætiosis circumdatur, ut ait Psalmista: *Dominus reg»navit, decorem inductus est.* Beatus quoque Joannes in Apo»calipsi vidit filium hominis præcinctum Zonâ aureâ, id est, »Sanctorum catervâ. Si itaque humanâ fragilitate contingat in »aliquo fideles maculari, *præbenda est à vobis aqua Cœlestis* »*doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum Altaris, & cultum* »*Divini Sacrificii redeant.* Estote ergo tales, *qui Sacrificiis* »*divinis, & Ecclesiæ Dei*, hoc est, *Corpori Christi*, digne servire valeatis, in vera & Catholica fide fundati.« Subdiaconi proinde non tantùm Altari ministrare, sed insuper *fidelibus aquam cœlestis doctrinæ præbendo*, Episcopis in procuranda fidelium salute cooperari tenentur; quare etiam immediatè subjungit Antistes: *Estote ergo tales, qui Sacrificiis Divinis, &* Ecclesiæ Dei, hoc est, corpori Christi *dignè servire valeatis.*

Quàm verò strenuè, soliciteque, quantaque sanctitate hisce suis functionibus Subdiaconos insistere oporteat, aperit Pontifex per orationem, quam super ordinatos nomine Ecclesiæ fundit.

»Domine S. Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere »dignare hos famulos tuos, quos ad Subdiaconatûs officium »eligere dignatus est; ut eos in *Sacrario sancto strenuos solici»tosque cœlestis militiæ instituas excubitores, sanctisque Al»taribus tuis fideliter subministrent*: & requiescat super eos »spiritus sapientiæ & intellectûs, spiritus consilii & fortitudi»nis; spiritus scientiæ & pietatis; repleas eos spiritu timoris »tui; & eos in ministerio divino confirmes, ut obedientes fac»to, ac dicto parentes tuam gratiam consequantur.«

Hunc sanè spiritum, quem adeo enixè Ecclesia pro Ordinatis efflagitat, se non recipisse plurimi sufficienter ostendunt. Sacrum enim Ordinem ut meram quandam cæremoniam considerare videntur; cùm nullum studium, functiones eisdem annexas strenuè ac reverenter obeundi præferant; imò eas nonnunquam tanquam nimis viles & abjectas obire respuant. Quibus evincitur illos non esse à Deo, ad preces Ecclesiæ, *in Sacrario suo sancto strenuos solicitosque cœlestis militiæ institutos excubitores, sanctisque Altaribus fideles subministros constitutos.*

§. VI.

Ex Pontificali ostenditur, quòd Diaconi assumantur ut cooperatores Episcoporum in procuranda fidelium salute.

UT Ecclesia ostendat quàm sublimia sint quæ Ordinandis in Diaconum imponenda veniunt officia, eos non tanquam ad honorem, sed ad *onus*, Pontifici ordinandos præsentat: *Reverendissime Pater*, inquit Archidiaconus, *postulat S. Mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Subdiaconos ad* onus *Diaconii ordinetis.*

Immò ut ampliùs ostendat hujus *oneris* gravitatem, Pontifici interroganti, num *scias illos dignos esse*, non audet absolutè & simpliciter eos ad tanti officii *onus* sufficientes dicere; sed timidè respondet: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio & testificor ipsos dignos esse ad hujus* onus *officii.*

Hoc onus officii non consistere solùm in ministrando Sacris Altaribus, & cooperando Sacerdoti in confectione Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini, sed insuper in cooperando Episcopo ad fidelium salutem, ex ipso Pontificali luculenter evincitur.

Præsentantis ad officium Diaconis, ut Episcopus in memoriam revocet, ad quantum gradum in Ecclesia sint assumendi, onera officii ipsis proponit: *Provehendi*, inquit *filii delectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis, Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare &* prædicare.

Deinde expositâ dignitate, & speciali prærogativâ Tribus Leviticæ, quæ in veteri Testamento singulariter electa erat, ut ex ea assumerentur, qui Tabernaculo Dei, ejusque Sacrificiis deservirent; ipsos Ordinandos monet, quòd tanquam veri ordinis Levitici Successores, *Ecclesiam Dei veluti Tabernaculum portare & munire debeant ornatu sancto*, prædicatu divino, *exemplo perfecto.*

Quæ omnia evidenter probant, quòd Ecclesia Diaconos non tantùm assumat, ut sacris Altaribus assistant, aut in cooperatores Corporis & Sanguinis Domini, sed insuper, ut Episcopis & Presbyteris in procuranda Fidelium salute cooperatores existant.

Quam ob rem, quia populi magnoperè interest fideles habere salutis suæ ministros, antequam ad hujus Ordinis collationem procedat Episcopus, populum interpellat, *ut si quis habeat aliquid contra Ordinandos, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat, veruntamen memor sit conditionis suæ.*

§. VII.

Constat ex Pontificali, quòd Presbyteri assumantur in adjutorium Episcoporum.

PResbyteros in Ecclesia assumi non tantùm, ut Episcopis in ipso Altaris ministerio cooperentur, sed insuper ut in fidelis populi directione partem oneris Episcopalis ferant, & in ejus adjutorium veniant, tametsi omnis antiquitas evincat; hîc tamen ex solo Pontificali, quo hodie Ecclesia utitur, illud probare intendo.

Mox ut nomine Ecclesiæ Diaconos ad *onus* Presbyterii Archidiaconus Episcopo Ordinandos obtulit; *illosque dignos esse quantum humana fragilitas nosse sinit, testatus est*, Episcopus ad populum sermonem convertit: *Quoniam, Fratres charissimi*, rectori navis & navigio deferendis *eadem est, vel securitatis ratio, vel communis timoris, par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit.* Quis ex hisce non videt, Ordinandos in Presbyteros ex intentione Ecclesiæ assumi in secundi Ordinis Sacerdotes, ut fidelem populum per hoc periculosum mare in portum felicis æternitatis perducant? Quod ipsum rursus indicat Ecclesia, dum per Pontificem ordinantem assumendis in Presbyteros officia Presbiteratûs proponit: »Sacerdotem, inquit, oportet offerre, be»nedicere, *præesse, prædicare*, & *baptizare*.... Tales esse »pergit Pontifex, ut in *adjutorium Moysi & duodecim Apos»tolorum Episcoporum* videlicet Catholicorum, qui per Moy»sen & Apostolos figurantur, dignè per gratiam Dei eligi va»leatis.... Itaque filii dilectissimi, quos ad nostrum *adjutorium* »Fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in »moribus vestris castæ & sanctæ vitæ integritatem. Agnosci»te quod agitis: imitamini quod tractatis: quatenus mortis Do»minicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra à »vitiis & concupiscentiis omnibus procuretis. *Sit doctrina ves»tra spiritualis medicina populo Dei.* Sit odor vitæ vestræ de»lectamentum Ecclesiæ Christi; ut *prædicatione* atque exem»plo *ædificetis domum*, id est, *familiam Dei*, quatenus nec »nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione »damnari à Domino, sed remunerari potiùs mereamur.

His præmissis ad Deum confugit Episcopus, ut sicuti Moysi, Aaron, necnon Apostolis officii sui adjutores adjungere dignatus est, ita quoque ipsi hæc adjumenta, nimirum Presbyteros assumendos, concedere dignetur. »Quapropter *infirmi»tati* quoque nostræ, inquit, quæsumus, hæc *adjumenta* lar»gire; qui quantò fragiliores sumus, tantò his pluribus indige»mus. Da quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos »Presbyterii dignitatem, innova in visceribus eorum Spiritum »sanctitatis, ut acceptum à te, Deus, *secundi meriti mu»nus* obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversatio-

» tionis insinuent. Sint providi cooperatores Ordinis nostri, elu-» ceat in eis potiùs forma justitiæ, ut bonam rationem dispen-» sationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia » consequantur. «

Constat proinde, vel ex solo Pontificali, quòd omnes ad officium Presbyteratûs, ex intentione Ecclesiæ in adjutorium Episcoporum assumantur ad exemplum discipulorum, qui in subsidium Apostolorum à Christo designati fuêre. Quod ipsum Tridentina Synodus indicat, tum definiendo in Ecclesia Catholica esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat *ex Episcopis*, *Presbyteris*, *& aliis ministris*, tum præcipiendo, » ut nulli in Præsbyteros ordinentur, nisi ad popu-» lum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad » salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præ-» cedente idonei comprobentur: atque ita pietate ac castis mo-» ribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, » & *vitæ monita* ab iis possint expectari. «

§. VIII.

Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta sunt.

EX dictis hoc capite collige, primò quod Ecclesia neminem Tonsurâ Clericali insignire intendat, nisi ut per illam Tonsurandus militiæ Christi adscriptus, posthac *fidelem Deo cultum exhibeat.*

Secundò, quod Tonsurandus tum per capillorum depositionem & habitûs immutationem, tum verborum illorum *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* recitationem solemniter in facie Ecclesiæ profiteatur, se seculo renuntiare & Christo ejusque Ecclesiæ velle militare. Hinc ulteriùs sequitur, Pastoribus aliisque Directoribus adolescentum, quos Tonsuræ Clericali destinari non improbabiliter credunt, incumbere, ut ipsis solemnem illam atque sanctam professionem, quam in ipsa Tonsuræ susceptione sunt emissuri, sæpiùs exponant; ut priusquam ad ejus susceptionem properent, expendant num talem professionem ex animo emittere poterunt; eaque intentione, ut Deo fidelem cultum exhibeant, Clero adscribi petant.

Sed quia hodie frequentissimè contingit, ut parentes filios suos, priusquam vix ad plenum rationis usum pervenerunt, Tonsura Clericali initiari curent; necessarium est, ut non modò adolescentibus, sed præcipuè parentibus inculcetur, quàm sancta sit solemnis illa professio, quam debet emittere in facie Ecclesiæ filius tonsurandus. Præmoneantur insuper, tertiò, ne sacra illâ in Clerum designatione ad sua commoda abutentes, Episcopalem benedictionem ad suas ambitiones convertentes, ac denique sacra ad obtinenda temporalia ordine perverso assumentes, inducant super se maledictionem pro benedictione. Quare optandum esset, ut sæpiùs in animum inducerent non tantùm adolescentes, sed & parentes (qui in filiorum tonsuratione lucra seculi frequenter præ oculis habent) illud Hieronym. ad Nepot. *Epist.* 2. » Obsecro te, & » repetens iterum, iterumque monebo, ne officium Clericatûs » genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Chris-» ti quæras militia. «

Quartò ex dictis hoc capite constat, quòd nullus Ordo hodie conferatur, qui suas non habeat functiones annexas; nullusque ex mente Ecclesiæ ordinari possit, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, *ubi suis fungatur muneribus.* Hinc ulteriùs intellige, neminem ad Ordinem assumi, etiam minorem, quin unà humeris ipsius *onus* aliquod imponatur: quo patet, quòd Ecclesia non nisi Clericos *operarios* per sacram ordinationem in vineam suam mittere intendat; exemplo Christi, qui discipulos suos monuit, *orandum esse Dominum messis, ut mittat*, non Clericos, aut Sacerdotes, sed *operarios in mesem suam.*

Quintò ex assertis hoc capite concluditur, Canonicos vel titulo, quòd clericali militiæ, vel Ordinibus Sacris sint initiati, Ecclesiæ servitio specialiter esse adstrictos, atque in Ecclesia, cui adscripti sunt, debere muneribus Hierarchicis obeundis pro ratione Ordinum, quos susceperunt sedulò incumbere.

CAPUT II.

OSTENDITUR, QUOD CANONICI SPECIALILER SINT INSTITUTI, UT EPISCOPIS SINT IN COADJUTORES ET COOPERATORES.

PARAGRAPHUS I.

Præcipuum officium Canonicorum Cathedralium est, opera & consilio Episcopis in Ecclesiæ regimine assistere.

LIcèt præcipua in Ecclesias auctoritas ad Episcopos pertineat, quos Spiritus Sanctus *posuit regere Ecclesiam Dei*; ea tamen semper à temporibus Apostolorum fuit Ecclesiæ disciplina; ut non dedignarentur Episcopi Presbyteros aliosque inferiores ministros sibi adsciscere, quorum operâ & consilio navem Petri in hoc periculoso & turbulento mari dirigent. Hi in ipsis Ecclesiæ exordiis erant universi Presbyteri atque Diaconi, unà cum Episcopo in civitate commorantes, *Presbyterium* atque *Senatum* Ecclesiæ constituere dicebantur; quos vir Apostolicus S. Ignatius Epist. ad Tralliam. in *cap.* 3. Isasiæ, *Consistorium sacrum*, *Consiliarios*, *Assessores* Episcopi vocat: de quibus & Hieron. » *Et nos habemus, in Ecclesia, Se-» natum nostrum, Cœtum Presbyterorum.* « His inconsultis majora Ecclesiæ negotia non resolvere à primordio Episcopatûs sui S. Cypr. statuerat: » Ad id quod scripserunt Compresby-» teri nostri solus rescribere nihil potui, cum à primordio » Episcopatus mei statuerim nihil sinè consilio vestro & con-» sensu plebis, mea privatim sententia gerere. Epist. 5.

Hortatur eosdem, ut ipso propter persecutionem absente, vice suâ fugantur, in iis quæ administratio religiosa deposcit.

Molem Episcopalis solicitudinis sibi incumbere, mortuo Fabiano Romano Pontifice, ad Cyprianum scribit Clerus Romanus: *Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque Provincias membra digesta sunt, excubare.* Epist. inter S. Cypriani. Hi Clerum componebant sine cujus consilio Clericos ordinare Episcopis interdixit Synodus Carthaginensis IV. statuens insuper: » Ut Episcopus nullus causam » audiat absque præsentia Clericorum suorum: alioquin, in-» quit, irrita erit sententia Episcoporum, nisi Clericorum sen-» tentia confirmetur. «

Talis primis Ecclesiæ seculis erat Episcopi Senatus, donec excrescente Presbyterorum, atque inferiorum Clericorum Ordine, è pluribus nonullos elegerint Episcopi, qui sibi tanquam Consiliarii, & Assessores assisterent: quos Canonicos Cathedrales tanquàm Cathedræ Episcopali propiùs adhærentes, posterior ætas nuncupavit. Hi in pristinum Presbyterorum, & Diaconorum Presbyterium atque Senatum successerunt; quo fit, ut quemadmodum olim Presbyteri & Diaconi civitatis Episcopalis unum cum Episcopo tanquam Capite corpus constituerent, Fratresque Episcopi dicerentur; ità Canonici Cathedrales in locum ipsorum suffecti, unum cum Episcopo corpus componere dicantur; & ut Episcopi ipsos tanquam Fratres agnoscant, canonica decrevit auctoritas.

Hi sunt sine quorum consilio hodie, ut olim, majora Ecclesiæ negotia Episcopus absolvere non potest, qui similiter ut olim, absente, aut mortuo Episcopo pro corpore totius Diœcesis debent excubare. Cap. *novit* ✠ *De his quæ fiunt à Præl. sine cons. Cap.* Non mirùm proinde quod, ut Martyr Ignatius Presbyterium Ecclesiæ Senatum vocavit, eodem titulo Synodus Tridentina hodierna Cathedralia Capitula exornet.

Quare jam pridem Canonicos suos monuit magnus ille Gandensium Antistes Lindamus: *Ut nulla ratione putarent se apud Deum excusari, si solùm officio recitando occupentur: imprimis vero*, inquit, *per Germaniam, qui ad docendum, Episcopoque suo serviendum præcipuè sunt à Carolo Magno instituti, quemadmodum tabulæ fundationum sonant.* Apol. p. 2.

Totum hoc Canonicorum officium brevi verborum periodo complectitur Synodus Rothomagensis *ann.* 1581. *tit. De Ep. & Capit. num.* 28. dum declarat, *præcipuam in ipsis Ecclesiis auctoritatem ad Episcopos pertinere*, eosque consilio & opera Capitulorum, & dignitatum juvari debere, ut membrorum capiti cohærentium & obsequentium.

Decet proinde, ut cum Synodo Burdigalensi *ann.* 1624. *cap.* 9. *num.* 8. loquar, *Metropolitanam, & alias Cathedrales Ecclesias, eas personas ita probitate ac scientia commendatas, ad Canonicatus eligere & assumere, ut ex iis corpus Capituli coalescens, Senatus Episcoporum unde consilium accersant, merito dici possit.*

§. II.

Canonici Collegiatarum Ecclesiarum ex instituto suo tenentur Episcopis allaborare in regimine Ecclesiæ.

QUandoquidem universus Clerus, ut Capite præcedenti probatum est, ex muneris sui ratione in subsidium Episcoporum venire debeat; nemini dubium esse potest, quin Canonici (quorum institutum antonomasticè *militia clericalis* dicitur; & ab exactiore, quam profitentur, *Canonum* custodia nomen sortiuntur) subsidio & adjutorio Episcopis esse teneantur. Et quidem Canonicæ Regulæ primaria fuit institutio, quemadmodum notat Molanus *lib.* 1. *De Canon. cap.* 17. » ut essent » sub Episcopo Clerici, qui nunc *Canonici* dicuntur, sanctè » viventes & prompti ad *omne Ecclesiasticum ministerium*, ad » quod à Præposito suo ordinarentur. «

Primis quidem temporibus hujusmodi Clerici, dicti *Canonici* prope Domum Episcopalem sub uno Directore habitare solebant; at postmodum multiplicato populo dum Episcopi plures Ecclesias sub uno regimine habere cœperunt; nec eis omnibus

per

per se continuò invigilare possent ; Canonicorum Collegia aliis in locis, ab Episcopis, aut Fidelibus constructa fuere : tum ut ipsi, ut pote *Canonum* singularem custodiam profitentes, reliquo Clero superintenderent (ex quo illa auctoritas, quam in Clerum civitatis, aut loci, pleraque Capitula Collegiata etiam num sibi vindicant, indubiè profluit) tum etiam ut in ipsis Capitulis personas haberent Episcopi, quæ sibi in regimine Populi forent adjutores.

Quod posteriùs Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. evidenter expressit, præcipiens » non tantum in Cathedralibus, sed etiam *Conventualibus* Ecclesiis viros idoneos » ordinari, quos Episcopi possint *coadjutores*, *& cooperatores* » habere, non solum in prædicationis officio, verùm etiam in » audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cœteris quæ ad salutem pertinent animarum. « *Cap.* 15. ✠ *De Off. Ordinarii.*

Cui censentit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* exortans, » ut in Provinciis, ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatuum » in Cathedralibus Ecclesiis, & *Collegiatis insignibus* conferantur tantùm Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia aut jure Canonico. «

Quem enim in finem Doctores aut Licentiatos in Ecclesiis Collegiatis desiderat, ut in Capitulis sint Viri scientiâ & eruditione insignes, qui Episcopis in iis, quæ ad salutem pertinent animarum, cooperatores & coadjutores existimant?

Rectè proinde præterito seculo de universis Canonicatibus dixit Cardinalis Polus : » Canonicatus & Præbendas instituendi » ratio & causa hæc fuit, ut qui ad eas assumuntur Episcopo » assistant, eumque in muneris sui functione *consilio & opera* » adjuvent, & in Divinis celebrandis Ecclesiæ inserviant. « *In Decreto de reform. Cleri Angl. n.* 4. *hab. Tom.* 14. *Conc. edit. pag.* 1743.

Quare non malè recentior quidem auctor specificum discrimen Monachismi ab instituto Canonicorum in eo constituit: » quod Monachismus præter continentiam, vitam communem, » & facultatum contemptum, quæ sunt quid genericum æquè » conveniens statui Clericali & Laicali, addat insuper propositum renuntiandi, non solùm negotiis secularibus, sed etiam » muniis illis spiritualibus & *Hierarchicis* ; ut uni Deo in contemplationis otio adhæreatur, salutisque propriæ sola provincia suscipiatur ; arte illa artium, regimine scilicet animarum penes *Clericos* & *Hierarchas* derelicta. « Nicolaus Desnos *in Tract. cui tit.* Canonicus Secularis & Regularis, *lib.* 3. *cap.* 15.

§. III.

Nonnulla ex dictis hoc capite consectaria.

CUm ex dictis hoc capite constet Canonicos institutos esse, ut Episcopos *opera* & *officio* juvent, facilè ex illis colligere licet.

Primò, multùm à verò aberrare, qui totum Canonicorum officium in sola divini officii persolutione consistere credunt.

Secundò, verissimè jam pridem à Guillielmo Parisiensi notatum fuisse, quòd » *Canonicus* nomen sit *officii*, *operis* & *mi*» *litiæ clericalis* : non autem reddituum, præbendarum, aut » emolumentorum. « *De Collat. Benef. cap.* 4.

Tertiò, quòd Canonici, si officio suo secundum Ecclesiæ, atque fundatorum intentionem satisfaciant, veris Ecclesiæ *operaris* annumerari possint, & communicare sinè injustitia decimis, quæ Pastoribus alioquin competunt ; utpote qui portionem oneris pastoralis sustineant.

Quartò cùm ex dictis constet, Canonicos Ecclesiarum Cathedralium *Senatum* Ecclesiæ constituere, cujus *consilio*, & *opera* majora Ecclesiæ negotia ab Episcopis sunt pertractanda, imò unum cum Episcopo *corpus* in regenda Ecclesia conficiant, facilè ex illis apparet, quanta debeat esse cura & solicitudo Collatorum & Patronorum, ut personas ad hujusmodi Canonicatus præsentet, quæ suo muneri respondere possint ; eâque morum integritate polleant, ut meritò sperari possit, fore ut ex illis tale corpus coalescat, quod *Senatum* Ecclesiæ dignè exhibere queat. Si enim non exigua Reipublicæ aut Regno injuria fieri existimetur, si in *Senatum* illum, cujus consilio præcipua Regni negotia essent pertractanda, intruderetur persona negotiis Regni tractandis incapax, quanta non erit Ecclesiæ facta injuria, si in ejus *Senatum* intrudantur personæ, quæ Ecclesiæ regendæ nullatenus capaces, aut, quod pejus est, si quid industriæ aut capacitatis in ipsis est, potiùs in Ecclesiæ perniciem, quàm in ipsius utilitatem convertunt ?

Quintò, ex dictis consequens esse facilè intelligitur, non passim omnes, qui horas canonicas recitare possunt (ut hodie prò dolor ! communiter creditur) Canonicatibus Ecclesiarum Collegiatarum esse idoneos, sed tales esse debere, de quibus saltem spes sit admodum probabilis, quòd Episcopis in functionibus Hierarchicis poterunt esse coadjutores : ut ità ex ipsis corpus exurgat, quod juxta Fundantium mentem, & Ecclesiæ votum, sit adinstar seminarii cujusdam, ex quo Episcopi possint *coadjutores*, & *cooperatores habere*, ut loquitur Concilium Generale Lateranense, » *non solùm in prædicationis of*» *ficio*, verùm etiam in audiendis Confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. «

» Beati sunt ergo (verbis loquor Molani) illi Canonici, & » verè omni laude dignissimi, qui non contenti bonâ vitâ & » canonico Ecclesiæ officio, secundum mensuram donationis, » opitulatores esse cupiunt in Ecclesia Dei, *scientes hanc es*» *se vocationem suam.* Unicuique enim datur manifestatio Spiritûs Sancti, ad utilitatem addit Apostolus, ut significet di» vissiones gratiarum, ministrationum, operationum dari, non » ut iis habitis quiescamus, sed ut ad utilitatem commu» nem eis utamur. Quod quàm maximè locum habere de» bet in iis, qui ad *sortem ministerii Ecclesiastici vocati sunt*, » *& de altari vivunt.* Unde & Canonicæ Regulæ primaria fuit » institutio, ut essent sub Episcopo clerici, qui nunc *Cano*» *nici* dicuntur, sanctè secundum canonem suum viventes, & » *prompti ad omne Ecclesiasticum ministerium*, *ad quod à* » *Præposito suo ordinarentur.* Quamquam autem hæc vetus » disciplina collapsa sit, non sic tamen defecit, quin boni Ca» nonici in hujusmodi sanctis officiis aut à Superioribus requisiti, » aut (ultroneâ voluntate, charitate in Rempublicam christia» nam eos impellente) libenter sese exerceant : unde & se, & » Ordinem suum non solùm apud bonos, sed etiam apud ma» los plurimum commendant : sicut alios esse dolendum est, » qui per dissolutam vitam & se, & professionem canocicam » apud homines infirmos & malitiosos quamplurimùm deho» nestent. « *Lib.* 1. *De Canonicis*, *cap.* 27.

CAPUT III.

Quæ scientia præcipue conveniat Canonicis.

PARAGRAPHUS I.

Convenit, ut inter Canonicos alii sint Theologi, alii Canonistæ.

CUm Canonicos Cathedrales consilio & operâ Episcopis asistere oporteat, ipsosque, tanquam *Senatum* Ecclesiæ in Diœcesis suæ regimine audire, & consulere Episcopi debeant ; necesse est, eâ eruditione & sapientiâ sint ornati, ut sana consilia Prælatis suggerere & operâ sua molem Episcopalis solicitudinis sublevare, quin & portionem ejusdem non modicam valeant sustinere.

Quandoquidem ergo præcipuum Episcoporum munus esse non ambigatur, errores extirpare, veritatem Evangelicam propugnare, vitia eradicare, virtutes plantare, necnon disciplinam Ecclesiæ Conciliorum, ac Patrum decretis expressam, vigentem sedulò conservare, collubentem sustinere, collapsam diligenti curâ restaurare ; quin & controversias inter Fideles subortas nonnunquam decidendo sopire: quis ambigat, quin admodum conveniat, ut inter Canonicos sint, qui ea scientia polleant, qua Episcopus in eliminandis hæresibus, aliisque perniciosis in doctrina erroribus, vitiis extirpandis, virtutibus atque Evangelii maximis plantandis operâ & consilio assistere valeant. Hoc munere fructuosè fungentur Theologi, qui divinam sapientiam ex purissimo Scripturarum & SS. Patrum fonte abundanter hauserint : in Ecclesiasticæ verò disciplinæ puritate conservanda, collabente stabilienda, consiliis suis utiliter assistent Canonistæ, edocti Sacros Canones, quibus Ecclesiæ externa disciplina exprimitur.

§. II.

Quorum Canonum notitia Canonicis præcipuè utilis esse possit.

PRima Episcoporum solicitudo indubiè in vitiis subditorum præcipuè Clericorum corrigendis, ac moribus eorum reformandis, eisque ad rectam vivendi normam reducendis versari debet. Quod ipsum Episcopis in consecratione insinuat Ecclesia tradendo baculum Pastoralem his verbis : *Accipe baculum Pastoralem Pastoralis Officii*, *ut pie sævias*, *judicium sine ira teneas.* Ea propter in Concilio Lateranensi *cap.* 13. ✠ *De Off. Ord.* sub Innocentio III. irrefragabili constitutione sancitum est, » ut Ecclesiarum Prælati ad *corrigendos sub*» *ditorum excessus*, maximè *Clericorum*, *& reformandos mo*» *res* prudenter, ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de » suis manibus requiratur. «

Si igitur in corrigendis subditorum excessibus, & moribus reformandis primam curam Episcopalem versari oporteat; jam intelligimus, quod non tantùm Episcopo, sed & Canonicis, qui *consilio & opera* Episcopis Assessores constituuntur,

tur, congruat ea Canonum notitia, in quibus disciplinæ Ecclesiasticæ vigor adversus vitia præcipuè elucet, in quibus etiam morum illa sanctitas & integritas, quam Episcopi, adjuvantibus & collaborantibus Canonicis, aut collapsam restituere, aut collabentem sustinere, vel vigentem suâ auctoritate conservare tenentur, clariùs exprimitur, & splendescit.

Hic verò Ecclesiasticæ disciplinæ vigor, eaque morum integritas atque Sanctitas, manifestiùs elucent in Canonibus illis, quos Ecclesia adhuc florens, nec abundantia vitiorum aggravata, aut filiorum suorum fragilitate, aut duritia inclinata, aureis illis seculis pro filiorum suorum, præsertim ministrorum moribus formandis, nascentibusque & succrescentibus vitiis resecandis, sanxit, quos Canones Spiritu Dei conditos, & totius orbis reverentia consecratos S. Leo dicere non dubitavit.

Ex quo ulteriùs efficitur, admodum utile futurum Canonicis studium veterum Canonum, quibus illa disciplinæ Ecclesiasticæ integritas, Spiritu Sancto suggerente expressa est, horum enim notitiâ habita, optimum Ecclesiæ administrandæ genus, quod ex illis hauritur, Episcopis suggerere poterunt.

Quod non ignoravit S. Carolus: » Canonum ea scientia » ipsi perjucunda erat, inquit vitæ illius auctor, *quæ Patrum* » *mores & acta representant*, Ecclesiæ componendæ atque » ornandæ rationem continet; dolens autem eos communi consuetudine tantummodo Canones ad interpretandum seligi, qui » ad lites judiciaque valeant, constituit ipse, qui iis declarandis præesset, *unde sacra majorum instituta & ritus*, optimum administrandæ Ecclesiæ genus hauriretur. Petrus à Basilica *in vita S. Caroli, lib. 7. cap.* 11.«

§. III.

Ut clariùs appareat, quàm utilis sit Canonicis notitia Canonum, quibus purior morum disciplina continetur; ostenditur, quòd Ecclesia Canones illos nunquam in totum abrogare intendat.

UT liquidò intelligi queat, qua ratione contingat, quòd pro temporum varietate Ecclesia in exteriore sua disciplina à pristinis suis decretis nonnihil ad tempus recedat, ut tamen pristina illa Patrum decreta, in quibus purior disciplinæ Sanctitas continetur, restitui nunquam non exoptet, duo prænotanda sunt.

Primum, fidem Ecclesiæ ejusque spiritum, quo sanctificatur & regitur, immutata semper, atque inviolata manere.

Secundum, quòd fide spirituque Ecclesiæ manentibus incorruptis, possit ipsa filiorum suorum malis moribus offuscari ac denigrari. Utrumque Evangelium docet: Ecclesiæ quidem finem corruptionis expertem, dum portas inferi prævalituras adversus eam negat: mores verò sensim in deterius lapsuros, ubi prædicit quòd refrigescet charitas multorum; Filiusque hominis, secundo adventu, vix inveniet fidem in terra. Hinc intrepidè fatetur Cardinalis Petronius, Ecclesiam ad mundi finem de se illud prædicaturam: *nigra sum sed formosa*, nigra nimirum moribus, formosa doctrinis. *Repl. lib.* 1. *cap.* 59.

Ubi ergo Ecclesia intelligit tantam in moribus filiorum suorum corruptelam, charitatem adeo refrigeratam, cupiditatem è contrario tantopere accensam, ut quodammodo malis undique se oppressam sentiat, imitatur prudentium nautarum & quædam exonerat, ut loquitur S. Cyrilus, *ut cætera salva maneant*, sive, ut verbis loquar Augustini: » In hujusmodi causis, ubi per gra» ves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis est » periculum, sed populorum strages jacent; detrahendum est » aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas since» ra subveniat.«

Propter prolapsos igitur filiorum mores exteriorem suam disciplinam interdum mutare, atque Canonum rigorem non nihil pro tempore relaxare cogitur Ecclesia, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat; spiritu tamen Ecclesiæ, atque interiore ejus de moribus sensu, fixo planè ac immobili perseverante.

Hic namque Spiritus, cùm sit ipsemet Spiritus Sanctus, neque temporum decursu, aut hominum malitiâ, labem ullam pati vel mutationem potest. Quo fit, ut non minus nunc, quàm olim scelera detestetur Ecclesia, non minorem ad Sacramenta præcipienda desideret Sanctitatem; non minùs castos optet esse Sacerdotes; non minùs quam olim avaritiam & ambitionem in ministris suis aversetur; nec minùs illos execretur, qui sibi honorem rapiunt, & in sacros sine Dei jussu Ordines involant.

Cùm igitur certum sit, illam morum sanctimoniam, criminum vitiorumque detestationem, atque totius ecclesiasticæ disciplinæ puritatem ac vigorem præcipuè contineri & expressam esse Canonibus, seu regulis illis, quas Ecclesia in primo suo flore, nec dum abundantia vitiorum prægravata, aureis seculis primâ Christianorum charitate adhuc fervente condidit; nullus ambigere potest, quin Canones illos etiam hodie probet, eosque vel nunc teneat, aut certè si in totum tenere, temporum difficultatibus præpedita non possit, ingemiscat & doleat; optetque, ut filii sui, præsertim Sacerdotes, spiritu illo animati, illas patrum regulas non tanquam Lacedæmoniorum, aut Atheniensium leges abolitas pridem & extinctas spectent; sed tanquam cœlestia quædam Dei Spiritu instituta ad formandos in temporum perpetuitates Christianorum mores venerentur & probent: atque hinc gravis in ipsis exoriatur dolor, quòd tam sancta præcepta passim conculcentur; ardens desiderium, ut instaurentur; diligens cura & studium, ut adhuc vigentia teneantur, retineantur collabentia, collapsa secundum prudentiam Christianam renoventur.

§. IV.

Synodus Tridentina desideravit, ut sacri Canones quoad ejus fieri posset, observarentur.

» SCiant universi, inquit Tridentina Synodus *Session* 25. » *cap.* 18. *De Reform.* sacratissimos Canones exactè ab » omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. «

Quis hîc non videat ardens ipsius Concilii desiderium, ut sacratissimi Canones indistinctè, quantum temporis circumstantiæ permittunt, observentur?

Hoc desiderium adeò dilucidè, tum facto, tum verbo, Patres Concilii expresserunt, ut de eo nec dubitandi locus relictus sit.

In ipso Synodi exordio conspicientes Patres, » Rempubli» cam Crihstianam malis, quibus jam dudum vexata erat, pro» pemodum oppresam, ut loquitur Paulus III. *In Bull. Indict.* » omniaque invenirent odiis & dissensionibus plena, dissentien» tibus præsertim iis inter se, quibus summa rerum penè omnis » à Deo permissa est. Denique omnia sic in deterius mutata, » ut paucis ante annis testatur Adrianus VI. ut lues à capite » ad membra, à summis Pontificibus ad minores Præsules de» vergens, latè se diffudisset, ac vix unus aliquis reperiretur » rectè faciens atque ab ea labe immunis. « Hujusmodi, inquam, luctuosissimi ac miserrimi temporis calamitatem considerans Sacer ille Patrum Cœtus, decreta sua multum attemperare, multaque pristinæ Patrum disciplinæ in sacris Canonibus expressæ contraria, dissimulare coactus fuit; ne festinatio ipsa cuncta reformandi, cuncta potiùs perturbâsset.

Verùm decreta hæc ob temporis duritiam adeo emollita ad puriorem atque absolutiorem formam sacris Canonibus conformiorem, mox ut morbum aliquatenus remissum novit, attollere non dubitavit; quod ex collatione decretorum, quæ in primis Sessionibus, & eorum quæ postremis edita fuêre, & signanter ex illis, quæ contra pluralitatem Beneficiorum, item contra Episcoporum ac Pastorum absentiam decreta sunt, ad oculum patescit.

Tantum ergo Patribus Tridentinis sacros Canones restituendi fuit desiderium, ut ne decreta antè promulgata quodammodo mutare dubitaverint, ut quoad ejus fieri posset, temporum nimirùm duritiâ nonnihil remissa, sacratissimi Canones restituerentur. Et certò si morbos Reipublicæ Christianæ tantum remissos Synodo videre licuisset, ut graviora illa medicamenta à Spritu S. Patribus olim dictata, & ab ipsis per sacros Canones proposita, ferre potuisset; nihil sibi jucundius, nihil lætius duxisset, quàm omnia ad sacrorum Canonum normam reducere: quod ne sine fundamento dicere videar, audire lubet ipsos Patres in ultima ipsius Concilii Sessione reformatione monasticæ disciplinæ intentos. » Cùm pleraque Monaste» ria, etiam Abbatiæ, Prioratus & Præposituræ, ex mala eo» rum, quibus commissa fuerunt, administratione non levia » passa fuerint, tam in spiritualibus quàm in temporalibus de» trimenta; cupit Sancta Synodus ea ad congruam monasticæ » vitæ disciplinam omnia revocare. *Verùm adeò dura diffi» cilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim om» nibus nec commune ubique*, quod optaret, *remedium possit* » *adhiberi*: ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis salu» briter aliquando provideri possit, primùm quidem confidit » Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate, & pru» dentia curaturum, quantùm hæc tempora ferre posse viderit » &c. *Sess.* 25. *cap.* 21. *De Regul.*«

Soli igitur temporum calamitati imputandum, si per omnia sacris Canonibus expressa disciplina, per Concilium restituta non fuerit: summopere interim desiderat & optat, ut quandocunque temporis duritia cessaret, sua sacris Canonibus auctoritas restitueretur.

Hinc Cardinali cuidam, qui toties à S. Carolo Concilia haberi necessarium non judicabat, reponere non dubitavit idem Sanctus: » Cùm Tridentina Synodus *Veterem Ecclesiæ disci» plinam in usum revocari jussisset*; Concilia sibi usque eo co» genda, dum eam in primævam integritatem restituisset. «

§. V.

§. V.

Ex præcedentibus concluditur, quod Episcopi, & Canonici aliique Ecclesiæ Ministri præ oculis habere debeant sacros Canones, ut quoad fieri possit, illi observentur.

QUod Ecclesia temporum malignitate præpedita non semper & ubique possit purissimam illam sacris Canonibus expressam disciplinam in totum restituere, nunquam tamen non desideret, ut quoad ejus fieri possit, aut vigens conservetur, vel collapsa renovetur, in præcedentibus abundè probatum.

Ex quo facilè intelligitur, quòd Episcopi, ac Canonici, aliique Ecclesiæ Ministri sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, sibi ob oculos ponere debeant, ut purissimam illam morum disciplinam, in ipsis contentam, quantum temporum atque locorum circumstantiæ patiuntur, juxta Ecclesiæ præscriptum aut superstitem teneant, aut abolitam restaurent.

Hujus sui muneris apprimè conscius, Sacerdotum gemma quem Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit S. Carolus, totis viribus, ac studiis avitam Patrum disciplinam redintegrare satagebat; nihil se profecisse putabat, quousque illam in Ecclesia sibi credita resplendentem non conspicere. Hinc una ipsius in reformatione Ecclesiæ vox erat: *Patres imitari oportet.* »Num adumbratam quandam, inquiebat ad Episcopos in »secundo Provinciali Concilio congregatos, sed expressam il»lam christianæ disciplinæ formam afflante Spiritu S. decretis »nostris restituere curemus, *quam nascente Ecclesia instituit* »*vivus sermo Dei & efficax.*

»Non est cur nos vel cum iis, quæ proximè antecesse»runt, temporibus, vel cum aliorum factis actiones nostras »expendamus: sed comparemus oportet cum ea sanctè agen»di formula nobis divinitus præscripta, quæ si ob oculos ver»sabitur, facile cernemus, quam longè ab ea distemus. Aliud »Apostolorum instituta monent, aliud Patrum exempla de»clarant, aliud Canonum leges jubent, *aliud vetus Ecclesiæ* »*usus in omnes partes utilis postulat.*

»Ideò, ut jam dictum est, Canonum ea scientia ipsi per»jucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræsentans Ec»clesiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet. »Dolens autem eos communi consuetudine tantummodo Ca»nones ad interpretandum seligi, qui ad lites, judiciaque va»lent; constituit ipse, qui iis declarandis præesset, unde sa»cra Majorum Instituta, & ritus, optimumque Ecclesiæ ad»ministrandæ genus hauriretur.« Petrus à Basilica in *vit. S. Carol. lib. 7. cap.* 11.

Et quid mirum, si vigilantissimus Præsul tantopere solicitus fuerit, ut his quoque, qui ad Ecclesiæ regimen destinantur, Canones illi prælegerentur, unde sacra Majorum instituta hauriantur, cùm ignorare non posset, quòd nisi sacris istis regulis forent imbuti, nihil aut parum Episcopis in reductione purioris disciplinæ asistere possent.

Non possunt proinde Ecclesiæ Ministri eandem semper Canonum relaxationem seu moderationem in Ecclesia sibi commissa permittere, quam necessitate cogente Ecclesia permittere debuit. Quis enim ambigat quin contingere possit, ut sine notabili incommodo & scandalo Canonum vigor per universam Ecclesiam reduci nequeat, possit tamen illum Episcopus aliusve Ecclesiæ Minister in populo sibi credito, sine hujusmodi incommodo aut vigentem conservare, aut collapsum paulatim restituere. Accedit, quod, si quid uno tempore necessitas extorsit, necessitate cessante, illud quoque cessare debeat, jux a probatam à Patribus in relaxatione Canonum cautionem; quam in simili moderatione jam pridem tradidit S. Innocentius I. »Quod necessitas pro remedio invenit, cessante ne»cessitate debet utique cessare pariter, quod urgebat.« *Epist.* 12. *cap.* 5. *Quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit.*

Eandem quoque cautionem Episcopis aliisque suis Ministris non obscure proposuit Trident. Synodus, præcipiens: *Ut Sacratissimi Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observentur.* Sess. 15. cap. 18. De Reform.

§. VI.

Canonicis, qui à professione Canonum Canonistæ dicuntur, etiam necessarium est studium Scripturæ Sacræ.

OMnis Scriptura *divinitùs*, inquit Apostolus, *utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo ad omne opus bonum.* Quod igitur studium utilius Clericis, præsertim Canonicis, studio Scripturæ sacræ esse potest? Quandoquidem universi, qui Clero adscribuntur, singulariter tamen Canonici ad docendum, corripiendum, & erudiendum in justitia secundum mensuram donationis & ministerii sibi commissi destinentur. Hinc illud Concilii Toletani IV. Can. 24. *Sciant Sacerdotes* Scripturas Sanctas, *& Canones meditentur.*

Quare inter alia Nepotiano charissimo filio suo tanquam Clerico summè necessarium Sanct. Hieronymus præscripsit: Sacras Scripturas *lege: imo de manibus tuis nunquam* Sacra Lectio *deponatur.*

Et si ad universos Sacerdotes dictum sit: *Malach. 2. v. 7. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent*, indubiè Scripturas solidæ sapientiæ fontes, & scatutigines jugiter pervolvant, & scrutentur, necesse sit; immò quicunque Sacerdotio fungitur, sibi dictum autumet, quod olim ad Prophetam dixit Dominus: *Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel. Ezech. 2. v. 1.* Et ad Joannem *Accipe librum, & devora illum, Apocal. 10. v. 9.* Ex Scripturarum quippe meditatione, & spirituali masticatione, mysticaque devoratione, homo impletur divina & sapidâ scientia, qua repletus eructat verbum bonum. Quin sermone Dei tanquam ignito clypeo munitus, fortiter in vitia insurgere, & omnia tela ignita Adversarii extinguere poterit. Ulteriùs in illa omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi sunt; adeò ut doctrina, quæ in illa traditur, præterquam quod divina sit & cibus spiritualis, quo anima pascitur juxta illud Christi, *Matth. 4. v. 4. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*; doceat singulos, quid sui sit muneris & officii: hinc Machabæi in magna aflictione constituti scribebant Sparciatis, se nullius indigere, habentes omnia in Scripturis Sanctis 1. *Mach. 12. v. 5. Nos cum nullo* (nempe nec Romanorum nec Spartiatarum auxilio & solatio *indigeremus, habentes solatio* sanctos libros *qui sunt in manibus nostris.*

Has, aliasque sacrorum codicum prærogativas præ oculis habentes Sancti Patres summo studio, & unanimi consensu auditores suos ad lectionem illorum codicum adhortati sunt, ut ex Athanasio, Augustino, Hieronymo, aliisque Patribus accuratè ostendit Reverendis. D. Episcopus Castoriensis per Provincias confœderatas Vicarius Apostolicus, in tractatu suo *de lectione Scripturarum*, ad quem recurrere poterit qui Bibliorum dotes, & prærogativas, necnon lectionis utilitatem, & necessitatem PP. testimoniis assertas videre dessiderat; unum tamen S. Gregorii illustrem locum, quo Theodorum Medicum invitat ad studia Scripturarum, omittere non potui: »Quia »inquit *Lib. 4. epist. 40.* ille plus diligit, qui plus præsumit, »erga dulcissimam mentem gloriossimi filii mei Theodori habeo »aliquam querellam; quia donum ingenii, donum rerum, do»num misericordiæ atque charitatis à Trinitate percepit: sed »tamen secularibus indesinenter causis adstringitur, assiduis »processionibus occupatur, *quotidie legere negligit verba Re»demptoris sui. Quid est autem Scriptura Sacra, nisi quædam* »*Epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Et certè si»cubi esset gloria vestra alibi constituta, & scripta terreni Im»peratoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum »oculis non daret, nisi prius, quid sibi Imperator terrenus scrip»sisset, agnovisset. Imperator cœli, Dominus hominum & An»gelorum, pro vita tua tibi suas Epistolas transmissit: tamen »glorioſe fili, easdem Epistolas ardenter legere negligis: *Stu»de ergo, quæso, & quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspi»res, ut mens vestra ad cœlestia gaudia majoribus desideriis accendatur.*

Si S. Gregorius culpabilem censuerit Theodorum Medicum, & Laicum, eò quòd secularibus indesinenter causis adstrictus, assiduis processionibus occupatus, quotidie legere negligeret verba Redemptoris sui, quantoperè putamus culpabiles censuisset Clericos, qui secularibus studiis aut negotiis adeò se implicant, ut lectioni Scripturæ Sacræ nihil aut parum temporis impendant?

Denique qua veri specie Canonici indies exclamare poterunt: *Quomodo dilexi legem suam, Domine, tota die meditatio mea est, Psalm. 118. v. 97.* si negligant legem Domini legere? Quod enim diligitur, non negligitur; & cujus meditatio est in lege Domini, indubiè verus erit legis Domini studiosus.

Meritò proindè Synodus Coloniensis *Part. 3. cap. 14.* desiderans ut exemplo SS. Patrum in Capitulis, seu Conventibus disciplinæ, ut vocant, »ex temporali oratione interdum com»moneantur Fratres, voluit, ut imprimis ad *sacras Litteras* »*capessendas, atque ut in his optimas horas collocarent*, in»citarentur; quod hìc reperiatur fons vitæ scaturiens, ex quo »qui haurit, non sitit in æternum; hìc thesaurus Evangeli»cus, propter quem oportet vendere universa, reconditus »sit, ex quo prudens ille Pater-Familias profert nova, & »vetera.«

§. VII.

Lectio SS. Patrum admodum conveniens est Canonicis, qui à studio Canonum Canonistæ *dicuntur.*

SAnctorum Patrum scripta, & acta pervolvere, non uno titulo Canonicis, qui à studio Canonum, *Canonistæ* dicuntur, conveniens est.

In primis enim, ut mox ex S. Carolo notatum est, Canonum scientia optimam Ecclesiæ componendæ, atque ornandæ rationem continet, quæ Patrum mores & acta repræsentat. Quinimò, teste Joanne Gersone, »ex primis principiis, »quæ nobis SS. Patres in scriptis suis exhibuerunt, originan»tur, sicut à fonte fluvii conclusionum particularium in sa»cris Canonibus, in Conciliis Generalibus, in Pontificum »Decretalibus contentarum.« *In recomendat. Licentian. in decretis, part. 2. oper. tit. 52.*

Ex quibus consectarium est, lectionem, ac perscrutationem scriptorum actorumque SS. Patrum, eo in primis titulo, Canonum studioso conducere, quòd genuinæ Canonum notitiæ, illorum studium multùm subserviat. Cùm enim sint principia & scaturigines, è quibus Canones præfluxêre, ipsos persolvere, & intelligere, erit principia atque scaturigines Canonum persolvere, & intelligere. Quapropter notat ibidem Joannes Gerson, facilius esse per Theologiam (cujus proprium est intelligere Scripturam S. & Sanctos Patres) cognoscere canonicam scientiam, quàm è contra; *Quia* inquit ibidem, *facilius est & ordinatius deducere ex principiis conclusiones, quàm ex conclusionibus ad principiorum notitiam devenire.*

Ulteriùs cùm Clerici, ac præsertim Canonici, *in sortem Domini vocati*, divinis tantùm vacare debeant, alia quàm spiritualis eorum doctrina esse non debet: *Sit*, inquit Ecclesia per Episcopum in ordinatione Presbyterorum, *doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei.*

Hanc verò doctrinam quis nesciat abundè reperiri in Scriptis Sanctorum, qui spiritu Dei pleni, eodem Spiritu inspirati, spiritualia non steriliter, sed ex plenitudine illius Spiritûs, ita eructârunt, ut non tantùm mens pii Lectoris rerum divinarum intellectu instruatur, sed insuper voluntas earum rerum gustu, ex unctione, qua Scripta illa perfusa sunt, impleatur.

Hac de causa Honorius III. deprehendens quòd Regulares quidam, & Claustrales scientiam & legem Domini animas convertentem, & sapientiam dantem parvulis, quàm super aurum & topacium amare debuerant, respuentes, *abirent post vestigia gregum, & illicitè se converterent ad pedissequas amplectendas, quæ plausum desiderant populorum*, extendit Constitutionem Alexandri III. in Concilio Turonensi promulgatam, qua præceptum erat, ut nulli post votum Religionis ad Physicam legesque mundanas permiterentur exire, *ne occassione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur*; (cap. 3. ✠ *Ne Cler. vel Monach. secul. neg.*) hanc, inquam, Constitutionem Honorius III. extendit *ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos Personatus habentes, nec non Presbyteros*; (c. 10. *eod. tit.*) ne scilicet & hi scientiam Scripturæ Sacræ, ac Patrum negligentes, occasione scientiæ *mundanis actionibus involverentur*, ac tandem spiritualibus toti terreni & seculares fierent.

Quia ut advertit jam pridem Magnus ille Bathoniensis Archidiaconus Petrus Blesensis in *epist.* 26. »Res plena discrimi»nis est in Clericis usus Legum, totum enim hominem adeò »sibi vendicat, ut eum rei familiaris providentia fraudet, sus»pendat à spiritualibus, à divinis avellat.«

Hinc tamen nemo arguat, legum humanarum studium Canonicis, aliisve Clericis planè esse interdictum. Quod enim earum notitia intelligendo juri Canonico, præsertim quo hodie utimur, conducat, dubium non est.

Teste enim ipso Honorio III. *Cap.* 28. ✠ *De privil. Sancta Ecclesia legum secularium non respuit famulatum, quæ æquitatis* & *justitiæ vestigia imitantur.* Et teste Lucio III. Cap. 1. ✠ de nov. op. nunt. *Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari*, & *Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.*

Canonici proindè, nec à professione sua, nec à mente Pontificum recedunt, dum ad faciliorem Canonum notitiam, legum humanarum studium, ea moderatione adjungunt ut nec contra Apostoli præceptum, Deo militantes *negotiis secularibus implicentur*; neque disceptationum Forensium peritiam per studium illud affectent; jam enim pridem judicatum fuit *absurdum Clericis esse, imò opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum Forensium L. 41. Cod. de Episc. & Cler.*

Hanc esse mentem suam non obscurè innuunt Pontifices, quando in Litteris, quibus beneficiatis conceditur facultas studendi Juri civili, adjectam volunt hanc clausulam: *Pro majori Sacrorum Canonum intelligentia.*

§. VIII.

Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta sunt.

EX illis, quæ hoc capite dicta sunt, infertur:

Primò, quòd licèt Ecclesia interdum, duritiâ temporum cogente, disciplinam exteriorem nonnihil mitiget, nunquam tamen non desideret, ut quoad fieri possit, purior morum disciplina in Canonibus jam pridem expressa, aut vigens conservetur, aut collapsa restauretur.

Secundò, quòd Episcopis ac Canonicis summopere necessaria sit ea notitia Canonum, quibus purior illa Patrum disciplina continetur; ut eam, quantum locorum atque temporum conditio tulerit, vel superstitem custodiant, vel collapsam invenent.

Tertiò, quòd Canonicis, qui à speciali studio Canonum *Canonistæ* dicuntur, plurimum conducat lectio atque perscrutatio Scriptorum, actorumque SS. Patrum, quia ex illis, tanquam ex suis principiis, Canones illi qui optimam regendæ atque ornandæ Ecclesiæ rationem continent, sunt desumpti.

Quartò ex dictis, non difficulter intelligitur, cur S. Carolus *doleret eos communi consuetudine tantummodo ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciaque valent*; probè enim noverat disciplinæ Ecclesiæ amantissimus Præsul, his in Canonibus minimè reperiri illam morum disciplinam, quam tantopere Ecclesia restitui exoptat, neque in ipsis contineri castissimas illas vitæ regulas, quibus vitam suam Clerus conformare deberet. Non ignorabat quoque Canones illos, qui ad lites judiciaque valent, non eâ unctione Spiritus, quæ in Canonibus acta & mores Patrum representantibus reperitur, esse refertos, ut spes esset, quòd Clerici ex eorum studio rerum cœlestium desiderio inflamarentur, imò è contra per nimium eorum studium forensibus controversiis implicati, à divinarum rerum gustu & contemplatione avocari possent. De his enim Canonibus indubiè accipiendum illud Joan. Salisberiensis Carnotens. Antistitis ad S. Th. Cantuariensem effatum: *Quis à lectione Legum, aut etiam* Canonum *compunctus surgit.* Apud Baron. ad ann. 1165. num. 2.

Quintò ex dictis consequens est, studium legum à Canonicis, qui Canonibus intelligendis incumbunt, ad Canonum faciliorem intelligentiam posse assumi, ita tamen sobriè, ut nec per illud rebus secularibus contra professionem suam implicentur, neque à rebus divinis, quibus Clerici vacare debent, avocentur.

Denique ex assertis habetur, studium Scripturæ omnibus Canonicis admodum esse necessarium, in eoque *optimas horas esse collocandas*, ut monet Synodus Coloniensis, *quòd hic reperiatur fons vitæ scaturiens, ex quo qui hauriit, non sitit in æternum.*

Si quis ulteriùs ex illis, quæ hoc capite dicta sunt, consectarium esse contenderet, Canonistis solam priscorum Canonum stientiam, non verò recentiorem, utilem aut necessariam esse, multum à mente ac scientia mea aberraret; ad illorum enim Canonum studium Canonicos excitare voluit; non tamen ita, ut recentiorum Conciliorum vel Decretalium studium necessarium haud credam. Quis enim avitam morum disciplinam, atque pristinum judiciorum morem in totum postliminio revocandum sperare ausit? Adeoque quæ recentioribus Ecclesiæ decretis, licet subinde minùs perfecta continentur, saltem conservanda veniunt. Quidnî quoque hujusmodi sint subinde hominum mores & præsens Ecclesiæ regimen, ut circa nonnullos morum articulos utilior, & convenientior sit illa, quæ novissimis Ecclesiæ constitutionibus continetur, quam Patrum ætate obtinebat, disciplina.

Nova proinde & vetera in thesauro suo recondita habet Canonista, ut optimum administrandæ & ornandæ Ecclesiæ genus, pro temporum conditione, proferre valeat.

CAPUT IV.

De Gradibus Academicis, quibus tanquam publicis eruditionis testimoniis, Canonicos insignitos desiderat Ecclesia.

PARAGRAPHUS I.

Ecclesia Dignitatibus Ecclesiasticis Gradus Academicos annexuit.

ECclesia præcavere volens ne in Ecclesiasticas Dignitates, aut Senatum suum intrudantur, qui muneri suo respondere non possint; eficacissimum ad id consequendum credidit medium, si neminem ad similia Ecclesiæ munia idoneum reputaret, nisi Gradu Academico ut publico eruditionis testimonio insignitum.

Quod

Quod in Constantiensi atque Basiliensi Conciliis pridem statutum, in Tridentino *Sess. 24. cap. 21. De Reform.* renovatum fuit. *Archidiaconi*, inquit Tridentinum, » qui oculi » dicuntur Episcopi, sint omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, » Magistri, seu Doctores aut Licentiati in Jure Canonico.

» Pœnitentiarius similiter in omnibus Ecclesiis Cathedrali- » bus, ubi id commodè fieri poterit, ab Episcopo instituatur, » qui (ait eadem Synodus, *ead. Sess. cap.* 8.) Magister sit, vel » Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, & » annorum quadraginta, seu aliàs, qui aptior pro loci qualitate » reperiatur. «

Vicarium à Capitulo post mortem Episcopi constitui vult dictum Concilium *dicta Sess. cap.* 16. qui saltem in *Jure Canonico sit Doctor vel Licentiatus*, vel aliàs, quantùm fieri poterit, idoneus.

Nec ad prædictas tantùm Dignitates Graduatos assumi Concilium Trident. desideravit, sed hortatur insuper, » ut in Pro- » vinciis, ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes, & » saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus & Colle- » giatis insignibus, conferantur tantùm Magistris, vel Doctori- » bus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel Jure canonico. *Ea- » dem Sess. cap.* 12. «

Hisce Ecclesiæ piissimis votis suffragatus est Philippus II. Hispaniarum Rex, dum probante Paulo IV. in ultima Episcoparuum per Belgium erectione voluit, ut in singulis Ecclesiis noviter erectis decem Canonicatus, & præbendæ primò vacaturæ afficerentur respectivè pro Episcopo, & *novem Graduatis Doctoribus vel Licentiatis, quorum tres sint Theologi, tres Juris Periti, tres denique Nobiles ejus Diœcesis, qui vel Theologiæ, vel Juris Canonici sint Doctores, aut Licentiati.* » Qui » omnes, & singuli ratione suarum hujusmodi præbendarum, » consilium, & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, cæ- » terisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab » Episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim » præstare teneantur. « Priores quidem Scripturarum atque Canonum scientiâ eruditione; posteriores verò & scientiâ & auctoritate, quam Natalium splendor conciliare solet. Nec aliis quàm dictis Graduatis, Dignitates in auxilium Episcoporum institutæ conferri possunt; ut consequenter hodie ad hujusmodi Dignitates in Belgio assumendi, Doctores vel Licentiati in Theologia vel Jure Canonico esse debeant.

§. II.

Gradus, & Tituli Accademici ex mente Ecclesiæ dari debent tanquam publica eruditionis testimonia.

GRadus Academicos reputari ab Ecclesia, ut publica quædam testimonia eruditionis illorum, qui eis solemni ritu insigniuntur; quibus condecorati credantur idonei obeundis muniis, cujusque respectivè Gradui congruentibus, ex decretis, quibus Gradus illos Ecclesia requirit, manifestum est.

Synodus Basileensis reformandæ Ecclesiæ incumbens, » hoc » unum singulari solicitudine prosequendum arbitrabatur; ut » per singulas Ecclesias Ministri instituantur idonei, qui scien- » tiis & virtutibus effulgeant ad Christi gloriam & universi po- » puli christiani ædificationem salutarem. «

Hoc unum, quod tantopere exoptabat, ut assequeretur, voluit, » quod in qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiata ul- » tra Præbendam Theologo assignandam, tertia pars Præben- » darum conferatur *Graduatis.* «

Exhortatur insuper » Collatores, quòd in conferendis Be- » neficiis hujusmodi præsertim quoad Dignitates, respectum ha- » beant singulariter ad Magistros, nec non Licentiatos & Bac- » calaureos Formatos in Theologia. «

In Ecclesiis quoque Parochialibus, quæ in civitatibus aut villis muratis existunt, personas Graduatas institui voluit.

Quis hic non videat, Basileensis Concilii Patres Gradus Academicos non ut vacuos honoris titulos, sed tanquam publica quædam eruditionis testimonia spectâsse? Ut dum promovendi ad Ecclesiastica munia illis instructi esse jubentur, non nisi eruditione insignes ad illa munia assumantur.

Non minùs evidenter idipsum Concilii Tridentini Patres *Sess. 24. cap. 12. De Reformat.* expresserunt. Postquam enim præmonuerunt, » Dignitates in Ecclesiis, præsertim Cathedra- » libus, ad conservandam, augendamque Ecclesiaticam disci- » plinam fuisse institutas, ut, qui eas obtinerent, pietate præ- » cellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos operâ & » officio juvarent: « mox adjungunt: » Merito, qui suo mune- » ri respondere possit; *Quod ut obtineant, decernunt*: Ut » Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus » Ecclesiis ubi fieri potuerit, Magistri in Theologia, seu Doc- » tores aut Licentiati in Jure Canonico. « Et nonnullis interjectis, quæ omnia eo spectant, ut digniores ad Canonicatus, & Dignitates assumerentur, hortatur S. Synodus: » Ut in Pro- » vinciis, ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes & » saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccle- » siis, & Collegiatis insignibus, conferantur tantùm Magistris, » vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure » Canonico. «

Quis hîc rursus non videat, Concilium Tridentinum Gradus Academicos suspexisse ut publica eruditionis testimonia, quibus instructi, qui Gradus illos sunt assecuti, præcipuis Ecclesiæ muniis obeundis, præ cæteris idonei reputentur?

Verùm ut nec apparens de mente Concilii Tridentini supersit dubium, Decretum, quo in terminis, ut ajunt, declarat, Gradum Academicum publici testimonii eruditionis loco esse, adjungo. » Quicunque posthac ad Ecclesias Cathedrales » erit assumendus, ait Synodus *Sess. 22. cap. 2. De Reformat.* » scientia ejusmodi polleant, ut muneris sibi injungendi neces- » sitati possit satisfacere, ideoque, infert Synodus, antea in Uni- » versitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in » Sacra Theologia vel Jure Canonico meritò sit promotus, aut » publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alias docen- » dos ostendatur. «

Exigit igitur Concilium, ut promovendus ad Ecclesiam Cathedralem publico Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur, nisi Gradu Academico fuerit insignitus. Quomodo potuissent Patres evidentiùs declarare Gradum Academicum sibi pro publico capacitatis testimonio esse?

§. III.

Ex Visitatione Universitatis Lovaniensis ostenditur, Gradus Academicos esse publica testimonia eruditionis illorum, qui illis condecorantur.

QUod §. superiori ex Conciliis astructum fuit, illud ex omnibus Regulis, Doctoribus Graduandorum promotioni præfectis, præstitutis facilè, ut credo, evinci posset; verùm exterarum Universitatum Statutis omissis, sufficere credidi, si in probationem rei ex se adeo dilucidæ, adducam ea, quæ Visitatio hujus Universitatis, Apostolicâ ac Regia auctoritate peractâ, Doctoribus in admissione ad Gradus servanda præstituit. Ex illis adeò manifestè elucet, Gradus Academicos ut publica scientiæ testimonia esse consideranda, ut nesciam, quis illis perlectis de eo posset ambigere.

» Tam ad Baccalaureatum, quàm ad Licentiam (in Theo- » logia) promovendi *strictè* examinentur, *solique idonei* admit- » tantur, (inquit Visitatio *titulo De Facult. Theolog. art.* 70. » *& seqq.*) *inidonei autem omni privato affectu seposito repel- » lantur.*

» Cùm autem Reipublicæ christianæ plurimùm intersit, » pergit Visitatio, ac multùm pertineat ad Facultatis Theolo- » gicæ splendorem & gravitatem, ut qui Doctorali Laureâ sunt » insigniendi, sint Viri præclarissimi, ætatis maturitate graves, » acerrimo ingenio prædicti, ac in Sacris Litteris, reliquisque » Theologicis scientiis exercitatissimi, ut si quando cum Hære- » ticis, aliisque in Palæstram disputandi gratiâ est descenden- » dum, cum Gradûs sui honore Facultatisque suæ gloria, quæ » suarum sunt partium, debitè perfungi possunt: volumus, ut » nemo ad Doctoralem Gradum admittatur, nisi *dotes habeat » competentes, eximiam Theologiæ scientiam*, & etiam ætatis » maturitatem ad minus trigessimum annum attingentem; nisi » propter singularem scientiæ præcellentiam Facultas in ætate » censeret dispensandum. «

Hujus rei momentum, ac enixam suam voluntatem, ut ampliùs declararent Universitatis Superiores, subjungunt: » One- » ramus autem districtè Facultatis conscientiam, ut sicut, ad » nullum, ita potissimum ad supremum Gradum sive ad Lau- » ream Doctoralem neminem admittat, *nisi, sicut præscriptum » est, egregiè aptum idoneumque.* «

Ex hisce Theologiæ Magistris præscriptis legibus patet Gradus in Facultate illa nulli concedendos, qui scientia Gradui correspondenti fuerit destitutus: ex quo evidenter consequitur, quòd dum Doctores Gradum alicui annuunt, unà de scientia ipsius ad talem Gradum requisitâ, testimonium ferant.

Quod Leges in admissione ad Gradus, Doctoribus Juris præstitutas attinet, illæ non minus evidenter, si non evidentiùs, quàm præcedentes, intentum evincunt.

» Ne paucarum Legum, ait Visitatio, aut Canonum Licen- » tiati fiant, sed in Theorica Juris perfectè versati in Palæstram » praxeos, ut docti & spectabiles viri prodeant qui clientibus » prudenter & candidè patrocinentur, *atque Cathedralibus aut » Collegiatis Ecclesiis probè consulant*, statuimus, & ordinamus, » Doctores utriusque vel alterius Juris quibus examen Licen- » tiandorum committitur, passim *ubicunque libuerit per totum* » Jus civile, vel Canonum respectivè Licentiandos examinent, » & si idoneos repererint, admitant; sine minùs, saltem ad » tempus repellant. «

Repellant, inquam ad tempus à gradu Licentiæ, ut si nimirum tempore illo intermedio, se capaces, atque idoneos

ad Gradum illum reddiderint (quod ex novo examine deprehendetur) ad Gradum admittantur. Nec enim ullum, tametsi tempore longissimo studio Juris incubuisset, ad Gradum Licentiæ admitti voluêre Visitatores, nisi quem *rigoroso* præmisso examine idoneum reperint, inidoneis absolutè exclusis.

Verùm ne studiosis dedecori sit repulsam pati, statuerunt, *ut notabili tempore ante repetitionem dictum examen* rigorosum *fiat*.

» Et hæc, cum in Universitate Lovaniensi ita expedire in» venimus, inquiunt Visitatores, in Universitate nostra Dua» censi idem observandum statuimus.

» Quandoquidem autem Universitatis nostræ splendor cu» juscunque Facultatis celebritas & Reipublicæ quoque nostræ » bonum, maxima ex parte ex eo dependent, ajunt Visitato» res, aut ad Doctoralem Lauream non admittantur, nisi in ea » scientia, in qua volunt promoveri, præclarissimi & maximè » eminentes, qui ingenii acrimoniâ, & laboris infatigatâ cons» tantiâ ad eam pervenerê doctrinæ præcellentiam, ut Facul» tati suæ honori, & Reipublicæ nostræ utiles esse possint: ideò » in eo singulariter vobis providendum esse existimamus, *ut* » *exclusis inidoneis & minus peritis solùm selectissimi* ad Doc» toratum provehantur. «

Quod ut fiat, statutum est, ut priusquam quis ad Lauream Doctoralem in Jure admittatur, priùs *rigorosè per totum Jus* à stricto Collegio examinetur. Secundò, ut unusquisque judicium suum de promovendo ad Gradum illum ferre queat, præmittendas censuerunt tres disputationes de materia per strictum Collegium assignanda, easque sine subsidio Præsidis una hebdomadâ esse absolvendas. » Cui disputationi volumus (ver» ba sunt Visitationis) omnes doctores interesse, ut de repen» te verum judicium ferre possint; & si eum verè idoneum re» perint, admitent; si verò in conscientia sua judicaverint eum » non qualeficatum, ne inferant noxam Reipublicæ, injuriam » suæ Facultati, & quod majus est, ne efficiantur *juramenti* » *sui* (*quod volumus expresè continere se non admisuros, nisi* » *quos verè judicaverint idoneos*) violatores, absque ulla dissi» mulatione eum repellent. «

Quis hisce perpensis ambigat, nullum ad Gradum in Jure admitendum, nisi de quo per examen aliave publica Scholastica exercitia constat, eum scientiâ Gradui illi respondenti sufficienter esse instructum, quo fiat, ut qui Gradu illo est insignitus testimonio publico sit probatus idoneus; *qui clientibus prudenter, & candidè patrocinetur*, atque Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis probe consulat.

§. IV.

Ostenditur, quàm multa incommoda in Ecclesiam redundent ex mala Graduum collatione.

QUæ præcedentibus duobus §§. tum ex Conciliorum Sanctionibus, tum universitatis Lovaniensis Visitatione prolata sunt, abundè ostendunt, Ecclesiarum, atque Universitatum Fundatores omninò velle, ut Gradus Academici conferantur tanquam publica eruditionis testimonia, quibus qui condecorati sunt, ostendantur tales, ut eruditione atque prudentiâ Ecclesiæ prodesse possint.

Hoc suo scopo Ecclesiam piosque Universitatum Fundatores frustrandos fore, si Gradus illi conferantur illis, qui scientiâ, aliisque qualitatibus Gradibus correspondentibus carent, evidentius est quàm ut probari debeat. Quinimò non tantùm inutilis Ecclesiæ reddetur Gradum illorum requisitio, sed noxia sæpiùs ac perniciosa. Per ilios quippe titulos tanquam publica eruditionis testimonia, major ministris illis accedit auctoritas; cui dum eruditio aliæque animi dotes non respondent, illa non rarò in Ecclesiæ perniciem abutuntur.

Ulteriùs per indignam Gradum illorum concessionem natum est contingere, ut indocti atque muniis ecclesiasticis incapaces, aliàs non assumendi, assumantur: quidnî enim fiat, ut illi, ad quos Dignitatum, aut Canonicatuum provisio expectat, credant personas Beneficio aut Dignitati sufficientes, ob Gradum Academicum, quo sunt insignitæ, quas tantæ capacitatis non credidissent, si testimonio illo publico non fuissent instructæ, nec unquam ad Beneficium vel Dignitatem seposito illo Gradu, illas promovissent. Quo tandem fit, ut Gradus, qui ex intentione Ecclesiæ servire debent, ut capaciores ad munia ecclesiastica vocentur, & incapacibus porta ad illa occludatur, subserviant incapacibus, ut ipsis facilior ad similes Dignitates pandatur introitus.

Denique, quandoquidem Gradus Academici quædam sint capacitatis indicia, populo manifestè per indignam Graduum collationem imponitur: credit enim populus, quod eâ capacitate sint prædíti, quàm signa illa exprimunt; ac propterea negotia sua, etiam salutis illis securiùs committit, quæ capacitas, si desit, evidenter fidelis populus decipitur.

Si his aliisque incommodis, quæ infallibiliter quodammodo secum trahit festina nimis ac facilis Graduum Academicorum concessio adjungantur commoda omnia, quæ ex debita Graduum collatione sperari possent & per eorum indebitam concessionem impediuntur; majoris momenti, quam vulgò apprehenditur, sanè reputanda est Graduum illorum collatio. Si enim Gradus illi non annuerentur nisi idoneis, id est, optimis scientiis, prout Gradus præfert, instructis, contingeret, ut ad præcipuas ecclesiæ Dignitates Graduatis affectas, assumi non possent, nisi qui Theologicis aut Canonicis scientiis benè instructi, optimum gerendæ ac ornandæ Ecclesiæ consilium Episcopis suggere possent. Ulteriùs cùm Dignitates illæ ad conservandam, augendamque ecclesiasticam disciplinam sint institutæ, & qui illas obtinent, Episcopalis solicitudinis non exiguam portionem sibi impositam habeant, non difficulter cognoscitur, quantus in Ecclesiam fructus redundaret, si non nisi eruditione ac optimâ scientiâ imbuti ad illas ascendere valerent: quod fieret, si Gradus denegarentur iis qui sufficienti eruditione sunt destituti.

Denique, si tantùm docti, ac benemeriti ad Gradus promoverentur, fieret, ut populo christiano non imponeretur; sed econtrà ostenderetur, quibus sua negotia, præsertim salutis, securius confidere posset.

Verissimè igitur dici potest, quòd pridem notavit P. Tholosanus, *lib.* 18. *De Rep. cap.* 9. *n.* 6. » Multum nocent Rei» publicæ, quòd Professores aliqui reperiuntur parum timoratæ » conscientiæ, & non considerant, quale pecus Arcadicum » intrudant Ecclesiis & Subselliis, ad gratiam sæpe Gradus pro» fanis concedentes: nec considerant, se redditurus rationem » coram Deo, & hominibus de tantâ in probandis studiis ne» gligentia. «

Quid nimirum proinde, si debitam Graduum Academicorum concessionem ejus ponderis & momenti crediderit Petrus de Aliaco Cardinalis & Episcopus Cameracensis, ut inter cætera, quæ pro reformatione Ecclesiæ Concilio Constantiensi ann. 1400. suggessit, nec illud suggerere dubitaverit, *ut Gradus distribuerentur dignis sine favore aut aceptione personarum, & cum rigore examinis in scientia & moribus.* In lib. De reform. Eccles. Consid. 5.

§. V.

Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt.

SI quis expendat ea quæ toto capite præsenti, præsertim §. superiori probata fuerunt, agnoscere debebit, examini atque admissioni Graduandorum præficiendos esse viros non tantum doctrina atque eruditione præstantissimos, qui dijudicare queant, num Gradum postulans ejus sit eruditionis, ut testimonium, quale Gradus petitus exprimit, mereatur; sed insuper ab affectu humano judicium pervertente vacuos. Si enim simili aliquo affectu, præsertim tamen avaritiæ, fuerint infecti, quantumvis forent sapientes, de facili continget oculos eorum ita excæcari, ut revera inidoneos spe lucri ex admissione ad Gradum obventuri admittent; vel timore homines offendendi, inidoneos repellere verebuntur.

Merito ergo attendant, quibus incumbit provincia constituendi Doctores, qui examini Graduandorum præsint, ut ordinent *Viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam*, Deut. 18. ℣. 21.

Intelligitur insuper, quàm meritò soliciti sint, quibus Ecclesiæ, atque Reipublicæ bonum cordi est, ut ingenio, doctrina, & præcipuè moribus præstantissimi, Graduandorum examini præficiantur.

Ex dictis quoque non difficulter colligitur, quantum onus incumbat illis, qui Graduum collationi sunt præfecti, quodque hujusmodi officium non immeritò periculosioribus Ecclesiæ, aut Reipublicæ muniis annumerari queat.

Quis enim munus illud non dicat admodum periculosum, vi cujus respondendum est de tot publicis capacitatis testimoniis, quot Gradus Academici conferuntur, quæ si leviter nimis concessa fuerint, tantam malorum stragem secum trahunt? Quis se credet satis illuminatum, aut ab humanis affectibus liberum, ut non timeat se interdum, etiam culpabiliter Gradus illos daturum immerentibus, & consequenter influxurum in omnia illa mala, quæ ex indebita illa collatione in Ecclesiam vel Rempublicam nata sunt, redundare.

Accedit, quòd nemo securus sit, se pro debito muneri satisfecisse, quia forsitam Gradus Academicos non eâ facilitate annuit, quâ in aliis Universitatibus, aut Confratribus suis concedi solent. Sæpe enim tan gravis est officiorum neglectus, ut si quis mediam partem eorum, quæ officium exigit, præstiterit, in comparatione aliorum multum præstitisse videatur. Quare monet Apostolus *Ad Galat.* 6. ℣. 4. *Opus suum probat unusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero*, Quasi diceret; diligenter examinet unusquisque, quale sit opus suum in se, non ex comparatione aliorum.

Ex quibus ulteriùs consequitur, quod si de omni Magis-

te-

terio dictum sit ab Apostolo Jacobo 1. ℣. 1. *Nolite plures Magistri fieri* (id est, nolite desiderare Magisterium) *Fratres mei, scientes, quoniam majus judicium sumitis*; illud vel maximè dictum esse de Magisterio, quo non tantùm quis ad alios docendum constituitur, sed insuper auctoritatem alios Magistros constituendi suscipit.

Ex his non difficulter intelligitur, quòd sicuti officium examinandi & admittendi Ordinandos, Confessarios, Concionatores, &c. ob multa gravia, quæ illis annexa sunt pericula, non pro beneficio, sed magno onere est reputandum; ita quoque officium admittendi Graduatos, ut onus potiùs quàm beneficium habendum sit.

Præterea ex illis, quæ hoc capite dicta sunt, sequitur magnum esse abusum, admittere ad Gradum Licentiæ in Jure illos, qui eruditioni, aliisque qualitatibus ad Gradum requisitis destituti sciuntur; eò quòd ad praxim forensem exercendam destinari non videantur. Imprimis enim quis hominis animum mutabilem esse nescit, ut qui hodie à forensibus abstineri proponit, eras mutato consilio eisdem se occupet? Sed ut detur, quòd nunquam ad Advocati aliudve in Republica officium, per Gradum illum ascendere posset, vel juramento constrictus, vel jam statui ecclesiastico applicatus; forsitan tamen illo mediante ad Dignitatem ecclesiasticam, cum summa Ecclesiæ pernicie, promovebitur.

Ulteriùs supponatur, Gradum illum eâ cautione concessum esse, ut nec ad Reipublicæ, nec ad Ecclesiæ munia adipiscenda, illo uti posset; plura tamen incommodi secum trahit inordinata illa Graduum concessio; præterquam enim quod titulorum Academicorum, per hujusmodi præcipitatam indulgentiam, vilescat auctoritas, nunquam cautio illa interposita impediet, quin hi, qui publicè titulo scientiæ sunt insigniti, reputentur eam, quam Gradus adeptus exprimit, habere sufficientiam. Ex quo fiet, ut dictis, atque resolutionibus ipsorum, ob Gradum, quo decorati sunt, eadem apud populum, qui cautionem privatim interpositam ignorat, sit futura fides, ac si omnem, quam Gradus requirit, capacitatem haberent.

Mirùm igitur non est, si nec in hujus Universitatis Visitatione, nec aliarum Universitatum, quod sciam Statutis limitatæ illius admissionis ad Gradum, mentio occurrat, sed generaliter atque indefinitè Doctoribus præcipiatur, ut seposito omni humano affectu à Gradibus absolutè repellant, quos præmisso rigoroso examine idoneos non repererint. Ea propter legum sibi præscriptarum prævaricatores constituuntur, qui inidoneos ad gradum Academicum admittunt, quamcunque licèt cautionem interponant.

Non difficulter quoque ex antedictis intelligitur, admodum exactam circa scientiam cæterasque qualitates meritò esse instituendam inquisitionem, si Nobilis quispiam aut alius, qui potentes noscitur habere amicos, Gradum expectat, cùm, enim similes faciliùs ad Reipublicæ subsellia, aut Ecclesiæ Cathedras amicorum potentiâ, vel auctoritate ascendant, majus etiam periculum est, ne si insufficientes Gradum adipiscantur, illo sint abusuri.

Denique qui incommoda ex festina Graduum maximè Theologiæ, & Canonum collatione in Ecclesiam redundantia seriò expenderit, facilè agnoscet, non sine magno fundamento docuisse P. Adam Courzen, ut refert Andreas Bewens *eos Academicos peccare* mortaliter, *qui Gradibus, & titulis insigniunt indignos, adeoque velut publico testimonio Tribunalibus & Dei Ecclesiis imponunt. Lib. 2. De Juris Justitiæque usu & abusu, cap. 3.*

Perpendens hæc pius ille ac doctus Academiæ Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius, inter alias causas, quibus se inclinatum fuisse testatur ad dimittendum Cancellariatum Academicum, unam his verbis expressit: » Cogor ad deliberatio» nem aliorum, vel pro consuetudine temporis, ignaros scien» tia, & perniciosos moribus promovere.

» Censuit, nimirum, ait Exim. D. Joannes Sinnichius, in» dignorum ad Gradus Academicos promotionem *gravem* es» se iniquitatem, ideo utique, quia *immanem* Reipublicæ tam » ecclesiasticæ, quàm politicæ infert perniciem. « *Saul Exrex. l. 1. cap. 122. §. 465.*

PARS SECUNDA.

DE SECUNDO OFFICIO CANONICORUM.

Quod est, Morum integritate Ecclesiam ædificare.

CAPUT PRIMUM.

CANONICI NON TANTUM POPULO, SED ETIAM CLERO EXEMPLO SUO PRÆIRE DEBENT.

PARAGRAPHUS I.

Clerici, atque ita Canonici laicos exemplo suo ad virtutem excitare tenentur.

» NIhil esse, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum » assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui » se divino ministerio dedicârunt, post SS. Patres monuit Sy» nodus Tridentina *Sess. 22. cap. 2. De Reformat.* cùm enim » à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur; in » eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iis» que sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omninò » Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos » omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliis» que omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac Religione » plenum præ se ferant, levia etiam delicta, quæ in ipsis ma» xima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant ve» nerationem. «

Præterea cùm Clerici laicorum sint constituti Magistri, eâ tenentur morum integritate fulgere, ut quæ verbo ædificant, operibus non destruant. Quapropter Synodus Tridentina *Sess. 14. in Proœmio, de Reformat.* præcepit Episcopis, ut moneant suos Clericos, » in quocunque Ordine fuerint, ut » conversatione, sermone, & scientiâ commisso sibi Dei po» pulo præeant; memores ejus, quod scriptum est: *Sancti es» tote, quia & ego sanctus sum.* Juxta Apostoli vocem: *Ne» mini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium » eorum; sed in omnibus exhibeant se sicut Ministros Dei*: ne » illud Prophetæ dictum adimpleatur in eis; *Sacerdotes Dei » contaminant Sancta & reprobant legem.* «

Quæ omnia jam ante à Christo & Apostolo ad Clerum dicta fuisse Ecclesia noverat. » Vos estis lux mundi, *inquit Christus*, Matth. 5. ℣. 14. & 16. sic luceat lux vestra coram homi» nibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem ves» trum, qui in cœlis est. *Et Apostolus in persona Titi*: In » omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.... ver» bum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, ve» reatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Ad Titum cap. 2.* » ℣. 7. & 8. «

Si quis verò contendat hîc ex Sacro Textu prolata tantùm ad Episcopos Apostolorum Successores, aut Presbyteros animarum Directores dicta esse; audiat, quæso S. Hieronymum, *quem Deus Ecclesiæ suæ in exponendis Sacris Scripturis Doctorem maximum providere dignatus est*: » Qualis ædificatio erit » discipuli, si se intelligat Magistro esse majorem? Unde non » solùm Episcopi, inquit hic Doctor Maximus, Presbyteri, & » Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, » cui præsident, conversatione, sermone & scientiâ præcedant, » verùm etiam & *inferior Gradus*, Exorcistæ, Lectores, Ædi» tui, & omnes omninò, qui domui Dei serviunt. Quin vehe» menter Ecclesiam Christi destruit meliores Laicos esse, quàm » Clericos. « *In comment. sup. Epist. ad Tit. cap. 3. apud Grat. Caus. 8. quæst. 1. Can. 21.*

Clerici ergo & proinde etiam Canonici, qui à rebus seculi in altiorem locum sunt sublati, quique Laicorum constituti sunt Magistri, tales esse debent (ut paucis his Augustini verbis concludam) *quorum vita aliorum sit eruditio; & assidua salutis prædicatio. Serm. 259.*

§. II.

Canonici ab exactiore Canonum observantia nomen mutuantes ad sedulam illorum custodiam præ reliquo Clero tenentur.

UNiverso Clericorum Ordini, Canonum seu regularum Ecclesiasticarum observantiam præscriptam esse quis ambigat? Quare tertia Carthaginensis Synodus præcipit, *ut omnibus Ordinandis Canones prælegantur.* Et Toletana IV. jubet, *ut sciant Sacerdotes Scripturas sanctas & canones.* Unde olim in more positum fuisse notat Morinus, quòd Ordinandus interrogaretur, num *Canones* pleniter disceret, & intelligeret. *De Sac. Ordinat. pag. 308.*

Ab

Ab hac Canonum observantia Clerici omnes multo tempore *Canonici* dicti fuêre; & Clericorum professio, *vita canonica*, *institutio canonica*, aut *Religio canonica*.

Hinc quoque factum est, ut Clerici à regulis, seu Canonibus præscriptis deviantes, *non Canonici* appellati sint.

Non malè proinde à quibusdam notatum fuit, primitùs *Canonicos* dictos fuise Clericos secundum *Canones* viventes.

Verùm successu temporis multiplicato Clero, ac Canonum custodiâ in Clero deficiente, specialiter *nomen* illud appropriatum fuit illis, qui una cum Episcopo in Domo Episcopali, aut certè in alio loco sub directione Abbatis, aut Præpositi in unum congregati, exactiorem præ reliquis de Clero *Canonum* observantiam profitebantur.

Unde seculo IV. Synodus Aquisgranensis, postquam omnibus Clericis salutaria monita, atque vitæ clericalis rite instituendæ normam præscripsisset, ad *Canonicos* sese convertens, eos ante omnia à professionis suæ perfectione, ad singularem præ reliquis de Clero, vitæ integritatem excitare non dubitat.

» Quia evidenti auctoritate, ait Synodus, liquet canonicam » institutionem cæteris præstare institutionibus, debent, neces- » se est, qui hujus professionis censentur *nomine*, procurare, » qualiter in semetipsis *eodem institutionem vita & moribus* » *exornent potiùs quàm dehonestent*. Quoniam qui tantæ auctoritatis institutione pollent, & se aliis imitabiles præbere de- » bent, verendum est, ne si (quod absit) à proposito exorbita- » verint, regno Dei indigni fiant. «

Quapropter sub idem penè tempus in Synodo Remensi (*Ann.* 813. *Can.* 8.) Monachis S. Benedicti regula fuit: Canonicis verò sacri Canones, *ut quisque Canonicus*, ait Synodus *legem vitamque suam minimè ignoraret*. Ab hac igitur *Canonum* exactiore custodia Clericos, qui *Canonici* dicuntur, nomen suum derivâsse, atque eo titulo ad eorum observantiam sese excitare debere, jam dudum observatum fuit.

Et quidem Ivo Carnotensis Canonicis suis hanc nominis Etymologiam, ut eos ad vitæ integritatem reduceret, proponere non dubitavit: *Ideo*, inquit Epist. 69. *Canonici appellati estis, quod canonicas regulas velle vos observare* cæteris arctius *devovistis*.

Similiter Radulphus Canonicus Tungrensis eodem argumento Confratres suos ad sedulam Canonum custodiam inducere studuit: » Cùm sacri Canones, inquit, sunt custodien- » di, apud vos tamen, qui ab illis græcè *Canonicorum* nomen » vindicâstis, à Sancta Romana Ecclesia depositi sunt, non tra- » dentis, sed recipientis gratiâ. « *Lib. de Canon. observ. prop.* 3.

» Clerici, inquiebat seculo XV. Dionysius Charthusianus, » vocantur Canonici, quoniam regularem & rectam tenentur » deducere vitam, vitiorumque obliquitates vitando, sinceri- » ter gradiri juxta præfixa eis à SS. Patribus statuta. « *Tract. de Vita Canon. cap.* 4.

Utque propriùs ad nostram ætatem descendamus, præcedenti seculo Synodus Coloniensis, *ut de Canonicis dicamus paucis*, inquit, *respondeat eorum vita titulo*, *respondeat* nomini: *sit* reipsa, *ut sunt* nomine Canonici, *id est*, Regulares. *Ann.* 1536. *part.* 3. *cap.* 4.

Quin & sub finem ejusdem seculi Clerus Gallicanus ut Canonicos ad vitæ rectitudinem, morum integritatem, Canonumque sedulam observantiam efficaciùs reduceret, ut *nominis* sui memores essent, admonuit, *Ann.* 1597.

» Canonicos semper suæ *denominationis* memores esse opor- » tet, inquit, ne quis eorum *Canones & regulas* vitæ aut mo- » rum private unquam transgrediatur; sed è contrà, qui ex- » leges sunt, aut in futurum esse possent, eorum exemplo » ad pietatis & probitatis totius formam & regulam revo- » centur. «

Clerici ergo *Canonici dicuntur* ab ipsa Canonum exactiore custodia, seu ut clariùs dicam, ab ipsa professione, qua exactiorem *Canonum* observantiam, dum in *Canonicos* recipiuntur, profiteri censentur. Quare sicuti Christiani dicuntur, non tantùm, qui Christi vestigia sectantur, sed quotquot in Baptismate sathanæ & pompis ejus renuntiârunt, & Christo se adhæsuros professi sunt; eum in modum Clerici à prædicta professione, quandiu Canonicatum retinent, *Canonici* dicuntur, tametsi ab illa vitæ professione degenerent.

Sed sicut de Christianis dicit Salvianus *Christianum nomen aureum decus est. Quo si indignè utamur, fit, ut sues cum ornamento esse videamus.* » Eum in modum Canonici dictum » accipiant, (ait Joannes Molanus de hoc glorioso Canonicorum » nomine agens, *Lib. de Canon. cap.* 4.) *Canonici nomen* ho- » noris titulus est, sed si eo indignè utamur, fit, ut sues cum » ornamento esse videamur. Qui Christianus est, & Christia- » nè non vivit, pergit idem Molanus; qui Canonicus est, & » Canonicè non vivit, *nomina* hæc secum ad damnationem suam » portat, & in iis seipsum, quòd malè vixerit, damnat: Hæc » sunt *nomina*, quæ eos accusabunt, dum Majestas venerit » judicantis, & quæ illis erunt in testimonium suæ perditionis, » cùm audietur sententia judicantis. «

§. III.

Canonici, qui auctoritate inferiori Clero præstant etiam morum integritate prælucere jubentur.

» TAntò utique quemque antestare cæteris oportet devo- » tione, inquit Salvianus *lib.* 2. *adv. Avarit.* quantò an- » testat dignitate. Nihil est enim turpius quàm excellentem esse » quemlibet culmine & despicabilem vilitate. Quid est enim » aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris » titulus sine homine?

» Cùm igitur evidenti auctoritate liqueat canonicam institu- » tionem cæteris præstare institutionibus, « ut loquitur Synodus Aquisgranensis, tantò utique eos antestare oportet devotione, quantò antestant dignitate, ne aliàs excellentes culmine, despicabiles fiant vilitate, & principatum, seu superioritatem sine meritorum sublimitate habentes, honoris titulum sine homine habere dicantur.

Eapropter dicta Synodus Aquisgranensis postquam dixit, Canonicam cæteris præstare institutionibus, tanquam illi, necessariò consequens, Canonicos monet, *ut videant*, *qualiter in semetipsis eandem institutionem vitâ & moribus exornent: Quoniam qui tanta auctoritate pollent, & aliis se imitabiles præbere debent. Ann.* 816. *Can.* 115.

Eâdem ratione Synodus Tridentina dixit, » Dignitates in » Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conservandam augen- » damque ecclesiasticam disciplinam fuisse institutas, *ut qui eas* » *obtinerent*, *pietate præcellerent*, *aliisque exemplo essent*. «

Monetque Canonicos universos, » ut vestitu decenti tam » in Ecclesia quàm extra assiduè utantur; ab illicitisque vena- » tionibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant; » eâque morum integritate polleant, ut meritò Ecclesiæ Sena- » tus dici possint. «

Quare Concilii Aquensis Patres decernere non dubitârunt; » Quæ de vita & honestate Clericorum à Synodo statuta erant, » ea omnia, quàm diligentissimè à *Canonicis* esse observanda sub » eisdem, ac gravioribus etiam pœnis, cùm deceat illos, in- » quiunt, eâ morum integritate ornatos esse, ut *nomen* suum » tueri & retinere possint, ac præ aliis Clericis *Canonici* seu » *Regulares*, ex observata ecclesiasticæ disciplinæ *perfectiùs* » regula nominari mereantur, *à quibus cæteros studium*, & » *amorem*, *ac tanquam regulam cultûs divini non pigeat ac-* » *cipere*. «

De hac Canonicorum obligatione inferiori Clero exemplo suo prælucendi adeò persuasus erat S. Carolus, ut eosdem ad eorum, quæ ipsis præscripta erant, sedulam observantiam per illam obligationem excitandos crediderit. » Accuratè demum » omnia observate, inquiebat, quæ vobis præscripta sunt, *ita* » *ut vestro exemplo aliis Sacerdotibus*, *Clericisque*, *& rec-* » *tè orandi*, *& piè vivendi animum addatis*. «

§. IV.

Corollaria ex illis, quæ hoc capite asserta sunt.

QUæ hoc capite asserta fuerunt, probant:

Primò, quòd Clerici ac proinde Canonici debeant esse eâ morum integritate, aut vita eorum sit tanquam speculum loco sublimiori positum, in quod Laici oculos conjicientes, quid sibi agendum sit, videant.

Secundò, quòd Clerici debeant ita vitam suam componere, ut quod Laicis servandum prædicant, priùs per opera sua factibile studeant: » Sermo enim vivus & efficax, ajebat S. Ber- » nardus, *epist.* 102. exemplum est boni operis, facilè faciens » suadibile, quod dicitur, dum monstret factibile quod sua- » detur. «

Tertiò, quòd Canonici ab exactiore Canonum, seu regularum custodia nomen suum sortiantur; adeoque vi suæ professionis ad eorum exactiorem præ cæteris Clericis observantiam teneantur.

Quartò, quòd sicuti Religiosi vitam suam ad regulam, quam professi sunt, instituere jubentur; ita Canonici Sacros Canones tanquam suam regulam suscipere debeant.

Quintò, quòd etiam Canonici, qui hodie *seculares* dicuntur, à Canonum exactiore observantia *nomen* suum habeant & retineant; ac propterea ad eam morum integritatem, quam Canones præscribunt, non minùs nunc ac olim, dum in communi vivebant, teneantur: ut licèt *seculares* ob vitæ communis desertionem nominentur, moribus tamem *Canonici*, id est, *Regulares* sint.

Ex quo ulteriùs consequitur, quòd Canonici in vitæ suæ directione attendere non debeant, quid alii faciant, sed quid Sacri Canones Clericis faciendum præscribant.

Sep-

Septimò, quæ præsenti capite diximus, probant, quòd sicuti Canonici aliis Clericis auctoritate & vitæ professione præstant, ita quoque vitæ integritate præstare debeant.

CAPUT II.

OSTENDITUR, QUOD MULTIS SECULIS NON PROMOVERENTUR AD CLERUM, QUI POST BAPTISMUM IN CRIMEN, MAXIME CARNIS, ERANT PROLAPSI, ET QUI POST CLERICATUM SIMILE COMMISISSENT, NUNQUAM ORDINIBUS RESTITUERENTUR. QUID DEMUM CIRCA DISCIPLINAM ILLAM MUTATUM SIT, ET QUA RATIONE ILLA MUTATIO SUPERVENERIT.

PARAGRAPHUS I.

Pristina Patrum disciplina nullum admittebat ad Clerum, qui innocentiam Baptismalem crimine aliquo, præsertim carnis, maculâsset.

CAnonem, seu regulam electionis Magistratuum Ecclesiasticorum, quem SS. Patres plurimis seculis pressiùs secuti sunt, Apostolus scribens ad discipulum suum Titum, ita exposuit: *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicuti & ego disposui tibi.* Ad Titum, cap. 1. v. 5. 6. 7.

Quales verò: *Si quis* sine crimine est, *unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet Episcopum* sine crimine *esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, &c.* Eadem præcipit scribens ad Timotheum, & addit: *Oportet illum* (Episcopum) *& testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in oprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* 1. ad Timoth. 3. v. 7. 8. 9. 10.

Similem deinde probationem in Diaconis postulat: *Diaconos*, inquit, *similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: Habentes mysterium in constientia pura. Et hi probentur primùm: & sic ministrent, nullum crimen habentes.*

Hunc, inquam, canonem Apostolicum in electione Ministrorum Ecclesiæ præ oculis habentes SS. Patres nullum ad Clerum admittendum censebant, nisi qui *sine crimine esset*, id est, nullo crimine, præsertim carnis, innocentiam Baptismalem maculâsse. » Non eò tantùm tempore (inquit Hieronymus, agens de puritate in ordinando requisita) quo ordinandus est, sine ullo sit crimine & præteritas maculas novæ conversatione diluerit, *sed ex eo tempore, quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur.*

Hanc Ecclesiæ disciplinam nullum scilicet ad ministerium suum admittendi, qui graviori aliquo crimine, præsertim carnis, Baptismum suum maculâsset, tanquam indubitatam ante Hieronymum Celso Hæretico opposuit Origines; » asserens, » quod Christiani, lapsos in crimen carnis rursum resipiscentes, aut secùs quàm redivivos (verba ejus sunt) recipiant, » tandem post longiorem melioris meriti approbationem; » quàm cùm primùm, ad religionem discendam admitterentur, » *ea tamen conditione*, inquit, *ut quoniam lapsi sunt, excludantur imposterum ab omnibus dignitatibus & Magistratibus Ecclesiasticis.*« Lib. 3. contra Cels.

Eandem Ecclesiam disciplinam etiam seculo VIII. multis probat & exagerat Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad Joannem Presbyterum & Hegumenum, in qua inter multa hæc habet: » In scortatione, aut adulterio, si quispiam post Baptismi fuerit deprehensus, *Divini Canones* illum » ad Sacerdotium non admittunt.« *Habetur Act. 7. Concil. 7.*

Nullum igitur ad Sacerdotium admittendum credebant Sancti Patres, qui sanguinem testamenti, in quo sanctificatus fuerat, pollutum duxisset præsertim crimine carnis, quantumvis copiosis pœnitentiæ lachrimis pollutionem eluisset.

Ex pœnitentibus, quamtumvis sit bonus (inquit Concilium Carthaginense IV. Can. 68.) *Clericus non ordinetur.* Quinimò teste Innocentio I. *Canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam* ab infimis officiis *Clericorum excludunt.* Utque plura tum Conciliorum, tum Patrum testimonia, quibus probatur pœnitentes ab omni ministerio Ecclesiæ fuisse exclusos, præteream, unicum Siricii Papæ luculentissimum illius disciplinæ testimonium adjungo: » Illud quoque (inquit *Epist. 1. cap. 14.* » nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere cuiquam » non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam Laico liceat honorem Clericatûs adispici: *Qui quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.*«

Præterquam quòd ex dicto Siricii responso evidenter constet, pœnitentes à clericatu fuisse seclusos, insuper ex eodem responso perspicuum est, non alia de causa pœnitentibus ad sacra munia portam fuisse occlusam, nisi *ob crimen*, cujus causa pœnitentiæ subjiciebantur. Quare tanquam indubitatum asserit Morinus: *Criminum reos, vel Pœnitentiam agentes ab Ordinibus Ecclesiasticis prohiberi, apud Veteres æqui pollebant.* Lib. 4. De Administrat. Sacram. Pœnit. *cap.* 13. *num.* 5.

§. II.

Pristina Patrum disciplina non permittebat Clericos in crimen præsertim carnis, prolapsos, etiam post pœnitentiam peractam, pristino honori restitui.

QUantam conscientiæ puritatem, vitæque innocentiam Patres requisiverint in illo, qui illius Sacerdotio fungitur, qui nobis constitutus est Pontifex sanctus, innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus, facilè intelligitur; tum ex illis, quæ *superiori* §. dicta sunt, tum ex eo, quod per multa secula Clericos post susceptum Ordinem in grave aliquod crimen, maximè carnis, prolapsos, nec post peractam pœnitentiam sacris ministeriis unquam restituendos, censerent, ut luculentissimis Canonum atque Patrum testimoniis hoc & sequentibus §§. ostendetur.

Antiquissimus, qui sub nomine Apostolorum circumfertur Canon, Clericum propter crimen depositum, quantumlibet pœnitentiam agat, honori pristino non esse restituendum, decernit *Can.* 61. *Apost.* » Si quis Clericus propter metum humanum, vel Græci vel Hæretici; negaverit, siquidem nomen Christi, ab Ecclesia rejicitor; si verò nomen Clerici, » deponitor: *pœnitentia tamen ductus, ut Laicus recipitur.* » Quod verò Canonis illius depositio in praxim deducta fuerit, » antiquissima & illustria evincunt exempla.«

Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium refert è tribus Episcopis, qui Novatum simplicitate animi ab eo decepti ordinaverant, unum facti sui *pœnituisse*, & peccatum *flebiliter* lamentantem, & apertè confitentem ad Ecclesiam rediisse, *quem*, inquit Cornelius, *populo universo pro eo rogante tandem ut* Laicum *in communionem recepimus.* Dixerat quoque paulo ante, tres illos Episcopos homines simplices *& in perditorum fallaciis, dolisque discernendis minus perspicaces.* Quanquam talis esset Episcopus ille & Novati astu, enarrat, circumventus, tantaque animi contritione publicè pungeretur, universus insuper pro eo populus rogaret, pristinæ tamen dignitati non restituitur; sed *laicam* tantummodò communionem obtinere potuit.

Plura similia exempla occurrunt in Epistolis S. Cypriani, inter illas tamen ad hanc disciplinam probandam singulariter valet Epist. 68. quæ ad disciplinam illam adstruendam unicè composita videtur. Et Epist. 64. in qua excandescit Cyprianus adversus Fortunacianum, eo quod in criment lapsus, gradum, quem admisserat, recuperare conaretur; quin & in eos acriter invehitur, qui hæc tentari applaudebant.

Hujus disciplinæ prioribus seculis locuples quoque testis est S. Basilius *Epist. 1. Can. Cap. 3.* dum » Diaconos post Diaconatum fornicatos à Diaconatu haud dubiè ejectos *docet*: eaque » ratione post perfectam suæ curationis demonstrationem, communione *laicæ* facilius restitutos, ne bis in idipsum vindicare» tur; & *quia nunquam in eum, ex quo ceciderant, locum restituebantur.*«

Hanc disciplinam Canonum auctoritate stabilitam multis asseruit, nec ullatenus, ab ea recedendum scripsit seculo VI. Joannes II. ad Cæsarium Arelatensem in causa Contumeliosi Regiensis Episcopi in fornicationem prolapsi: » Dolemus, inquit, » de amissione Pontificis, rigorem tamen Canonum servare ne» cesse est; atque ideo prædictum (Contumeliosum) ab Epis» copatûs Ordine nostra suspendit auctoritas. Neque enim fas » est pollutum criminibus sacris ministeriis deservire. Sed te or» dinante in Monasterio dirigatur, ubi delictorum memor, in » pœnitentia lachrymas effundere non omittat, ut ab eo, qui » omnium miseretur, Domino N. Jesu Christo misericordiam va» leat obtinere.«

Testatur deodem Canonum rigore adversus Clericos in crimen prolapsos ipse Cæsarius Arelatensis in eadem Contumeliosi causa, qui post accuratum variorum Canonum syllabum è Joanne Papa ad se missum, quibus demonstratur ex ipsa illorum inscriptione, *Clericos post crimina non posse ad honorem pristinum revocari*: » Ecce, inquit, manifestissimè constat, se» cundum quod *& tituli à S. Joan. Papa transmissi, & re» centiorem octodecim Episcoporum sententia, sed & Canones* » *Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehensi,* » *aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti ad honorem redire non* » *possunt*: ideò aut plenâ voluntate, præceptis illorum consen» tiant; aut si non fecerint, omnibus se contrarios & inimicos » esse cognoscant. Quæ est illa justitiæ inimica benignitas pal» pare criminosos, & vulnera eorum usque ad diem judicii in » curata servare.«

§.

§. III.

Disciplina de Clericis in crimen prolapsis astruitur auctoritate SS. Gregorii & Martini I.

DIsciplinam de Clericis in crimen prolapsis, pristino honori non restituendis, S. Gregorii tempore viguise ab eoque probatam tam dilucidè ex Epistolis ejus evincitur, ut nesciam, quis eas legerit, & de eo dubitare possit; imò & post ipsius Gregorii tempora eam illibatam mansisse, abundè Epistola Martini I. mox subjicienda ostendit.

Pervenit ad nos, inquit S. Gregorius scribens Januario Episcopo Calaritano (*lib. 3. Epist. 26. apud Gratian. Dist. 50. Can. 9.*) quosdam de Sacris Ordinibus lapsos *vel post pœnitentiam*, vel ante, ad officii sui ministerium revocari, quod omninò prohibemus, & *in hac re sacratissimi Canones contradicunt*. Qui igitur post acceptum Sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, Sacro Ordine ità careat, *ut ad ministerium* ulterius *non accedat*.

Venantio Episcopo Lunensi interroganti, quid circa lapsos Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos esset agendum, respondit in hæc verba: » Ad Fraternitatis tuæ consulta respon» dentes statuimus, Diaconum & Abbatem de Portu Vene» ris, quem indicat cecidisse, ad Sacrum Ordinem *non debere* » *vel posse ullo modo revocari*. Subdiaconi quoque, quos simi» les culpa constrinxit, ab officio suo *irrevocabiliter* depositi, *in» ter laicos* Communionem accipiant.« *Lib. 4. Epist. 16.*

Quin Constantio Episcopo Mediolanensi rescribere non dubitat: » Si lapsis ad suum Ordinem revertendi licentia conce» datur, virgor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ: ac » postmodum subjungit: Illud igitur præ omnibus studere, ut » lapsos in sacrum Ordinem nullius vobis supplicatio aliquo mo» do revocare suadeat, ne ejusmodi non statuta sed tempora» liter eis delata credatur esse vindicta.« *Lib. 4. Epist. 17.*

Plura in eadem Epistola Lector videre poterit, quæ tam evidenter de hac disciplina Sancti Gregorii mentem exprimunt, ut sensu communiori destitutus videri posset qui in hac parte de Sancti Gregorii sententia ambigeret.

Etiam post S. Gregorii tempora hanc disciplinam viguisse Epistola Martini I. ad Amandum Trajectensem Episcopum luculentissimè evincit. Hortatur Amandum summo mœrore propemodum obrutum, & Episcopatum abdicare meditantem, eò quòd Presbyteri, Diaconi, aliique Ecclesiæ ministri post suas Ordinationes in crimen prolapsi, juxta *SS. Canones ab Altaris ministerio* recedere detrectarent, ipsum, inquam, hortatur ad perseverantiam, utque Canonum regiorem contra hujusmodi Clericos viriliter tueatur. Verba ejus plena vigore audire lubet: » Nullatenus, inquit, in hujusmodi peccato delin» quentibus *ad destructionem Canonum*, compassionem exhibeas. » Nam qui semel post suam Ordinationem in lapsum ceciderit, » *deinceps jam depositus erit*, *nullumque gradum Sacerdotii po» terit adipisci*: sed sufficiat ei lamentibus, fletibusque assiduis » *quousque advixerit in eadem pœnitentia perdurare*, ut com» missum delictum divinâ gratiâ extinguere valeat Si enim tales » quærimus ad Sacros Ordines promovendos, quibus nulla ru» ga, nullumque vitæ contagium mentes, & corpora præpediat: » quanto magis, si post Ordinationem suam quispiam in lap» sum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur ob» noxius, *omninò* prohibendus est cum manibus utulentis, at» que pollutis ministerium nostræ salutis tractare? Sitque hujus» modi *semper*, *juxta Sacrorum Canonum Statuta in hac vita* » *depositus*; ut ab illo, qui mentis arcana scrutatur, nullamque » de ovibus errare congaudet, dum aspexerit sinceram pœni» tentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. *Tom. 6.* » *Conc. Labb. edit. pag. 383.*«

Ex quibus liquidò cerni potest, per sex & ampliùs secula disciplinam illam viguisse, ut Clerici post Ordinationem in crimen lapsi in perpetuum Ordinis sui exercitio privarentur: quin Morinus asserere audet: *per mille ampliùs annos Sacerdotibus sive clam, sive palam in carnis flagitia lapsis, redditum ad suam dignitatem nullum patuisse*. Lib. 4. de Administ. Sacram. Pœnit. cap. 15.

Non tamen inficior quin aliquando ob magnam Ecclesiæ utilitatem & necessitatem, v. g. ad schisma componendum aliquid de Canonum rigore circa lapsos Sacerdotes remissum fuerit. » In » hujusmodi enim causis, inquit August. *Epist. 50. ad Bonif.* » ubi per graves dissensionum scissuras non hujus, aut illius ho» minis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahen» dum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis chari» tas sincera subveniat.«

Ob hanc causam Episcopi, & Presbyteri Donatistæ ad Ecclesiam redeuntes, post actam de schismatis crimine pœnitentiam gradu suo non sunt dejecti. » Quod tamen non fieret, ut » ibidem Augustinus, quoniam reverà, quod fatendum est, fieri » non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.«

Sed hæ exceptiones à regula eam non infringunt; sed ut cum Jurisconsultis loquar, *firmant Regulam in casibus non exceptis*.

§. IV.

Nihil solidi contra disciplinam de Sacerdotibus lapsis non restituendis, haberi potest ex Epistolis Calixti I. S. Gregorii ad Secundinum, *aut Isidori* ad Massanum.

TRia potissimum sunt, quæ disciplinam de lapsis Sacerdotibus non restituendis hactenus ex Canonibus, & Patrum scriptis assertam infringere videntur.

Primum quidem ex Epistola secunda Calixti I. desumitur; in hac enim disertè dicitur: » Errant, qui putant Domini Sacerdo» tes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino » ministrare non posse, & suis honoribus non frui, si bonam » deinceps vitam duxerint, & suum Sacerdotium condignè cus» todierint.«

Secundum ex Litteris S. Gregorii ad Secundum petitur: in his enim Secundino de lapsis Sacerdotibus quid agendum esset interroganti, dicitur S. Gregorius respondisse: *Post dignam satifactionem credimus posse* (Sacerdotes) *lapsos redire ad honorem*.

Tertium denique accipitur ex epistola S. Isidori Hispalensis ad Massanum, in qua apertè scribitur: *Illos* (Sacerdotes lapsos) *ad pristinos Gradus redire Canones præcipiunt*, *quos pœnitentiæ præcessit satisfactio*, *vel condigna peccatorum confessio*.

Non diffiteor, quòd si hæc tria monumenta essent illius venerandæ, quam præferunt, antiquitatis, quin ea, quæ §§. præcedentibus de disciplina non restituendi, etiam peractâ pœnitentia, Sacerdotes lapsos, dicta sunt; multùm labefactarentur; verùm omnia tria spuria esse, falsoque Auctoribus illis adscriptas pluribus, iisque urgentissimis rationibus evincitur, & eruditis plerisque persuasum est.

Et quidem quod Epistolam Calixti attinet, constat eam esse unam ex illis Epistolis Romanorum Pontificum, qui Siricium antecesserunt, quæ ante seculum VIII. numquam visæ, tandem eo seculo sub nominibus illorum Pontificum prodierunt; quarum suppositio, & confictio à nonnullis præsertim hoc seculo (quo criticandi studium plusquam ullo præcedenti floruisse videtur) adeò dilucidè detecta est, ut R. P. Labbæus S. J. in ultima Conciliorum editione ad Epistolam 1. S. Clementi adscriptam notare non vereatur: » Mirum est viris doctissimis Tur» riano, Binnio, & quibusdam aliis in tanta eruditionis Eccle» siasticæ luce probari potuisse illas Epistolas, à quocunque, seu » Mercatore seu Peccatore fabricatas, & antiquis Romanæ Ur» bis Pontificibus circiter annum Christianæ Epochæ octingen» tesimum suppositas: adeo enim perspicacibus viris defor» mes videntur, hoc saltem tempore, ut nullâ cerussa, aut pur» purisso fucari possint. Eas omnes, saltem plerasque repu» diârunt Eruditissimi quique Tractatores Catholici, *Baro» nius Contius*, *Antonius Augustinus*, *Murinus*, *Sirmundus*, » *Ducæus*, *Petavius*, *Marca*, *Bosquetus*, ut alios modò, si» ve antiquiores, sive recentiores silentio obvolvam.« Hæc Labbæus.

Similiter P. Christianus Lupus alibi de dictis Epistolis sermonem faciens, scribere audet: *Quisquis earum natales jam credit legitimos*, *atque authenticos*, *censetur nugas vendere*, *& fabulas*.

Epistolam S. Gregorii ad Secundinum non majorem quàm præcedentem Calixti Epistolam, fidem mereri multa evicunt.

Imprimis de ea scribit D. Gussanvillæus Operum S. Gregorii accuratissimus Repurgator, & criticus Examinator: Hæc Epistola facilius expungeretur quam sanaretur. Eam variis assumentis auctam fuisse probant M. SS. Codices, consentiunt Eruditi, quibus palatum sapit. Disciplinam circa lapsos S. Gregorii placitis ex adverso repugnantem ingessit lomo, quisquis est audacissimus... Ex 30. M. SS. vix unus, aut alter Codex continet enorme fragmentum de *lapsis*, quod incipit: *Et quia tua fraternitas*. Quis hæc sufficere non credat, ut omnis huic Epistolæ fides negetur? Verùm etsi argumento predicto, licèt fortissimo destitueremur, tanta est hujus laciniæ à reliquis genuinis Gregorii Scriptis dissonantia, ut fraus satis se ipsam prodat.

In hoc Gregorianæ ad Secundinum epistolæ assumento disertè statuitur: *Sacerdotes lapsos post dignam satisfactionem ad Ecclesiæ ministerium debere revocari*; quis verè mortalium credat S. Gregorium, qui tot locis tan constanter affirmavit, ut §. superiori vidimus, Sacerdotes qui ceciderint, ac Sacrum Ordinem non debere, nec posse ullo modo revocari: qui toties & tam severè Apostolica auctoritate prohibuit ne de Sacris Ordinibus lapsi, *vel post pœnitentiam*, *vel ante*, *ad officii sui ministerium revocarentur*; *quia id nec liceret*, *nec fieri ulla ratione posset*: qui tam apertè pronuntiavit *sacratis Canonibus* id interdictum esse; quis credat, inquam, gravissimum sanctissimumque Pontificem, Gregorium *Magnum* dico, ea levitate usum fuisse, ut scribens ad Monachum inclusum (qualis erat Secundinus, ad quem res illa minimè omnium pertinebat) decreta sua refi-

ge-

geret, suique immemor perpetuam illorum temporum disciplinam à se toties propositam propugnatam, atque roboratam, labefactaret? Quis homo sanæ mentis in tam verbosa disputatione paucis saltem non explicaret, quomodo hæc sua de revocandis lapsis Sacerdotibus decreta cum iis consentirent, quibus eos minimè revocandos esse toties ante decreverat, hac gravissimâ addita ratione, qua tota hæc lacinia corruit: » Si lapsis ad Ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul » dubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quis concipere non reformidat. «

Doctrina, quæ in Epistola ad Massanum S. Isidoro adscripta traditur de restitutione Clericorum in pristinos honores, & Ordinum officia post peractam pœnitentiam adeò dilucidè repugnat doctrinæ in aliis indubitatis & genuinis ipsius Isidori Scriptis traditæ, ut ideò Viri in discernendis sinceris ab apocriphis momentis vel parum nasuti, hanc Epistolam tanquam commentitiam, ac S. Isidoro falsò adscriptam rejicere cum Morino non dubitaverint: » Quod ad illam S. Isidoro tributam Epistolam (ad » Massanum) attinet, inquit Morinus, *planè commentitia est*, ut » aliæ nonnullæ ipsi nuncupatæ.

§. V.

Epistolis Calixti I. S. Gregorii ad Secundinum, & Isidori ad Massanum nihil accedit auctoritatis, eò quòd in Decretum Gratiani relatæ sint.

GRatianus Monachus Benedictinus seculo XII. scripsit Opus, quod ipse *Concordiam discordantium Canonum* nominavit hodie vulgò *Decretum Gratiani* dicitur, in Canones plurimos ex Scripturiis, & Responsis Pontificum, Conciliis, Patribus; imò & Legibus Principum in uno collegit. Et quamvis multi alii Viri docti in hoc genere Scriptionis ante ipsum laborâssent, ut Dionysius Exiguus, Cresconius, Regino, Abbas, Buchardus, Episcopus Wormatiensis, Ivo Carnotensis & alii: ipse tamen Gratianus solus obtinuit, ut Opus suum publicè in Universitatibus prælegeretur, & Doctorum Commentariis illustraretur.

Duo tamen sunt, quæ circa hoc Gratiani Opus notanda sunt. Primum quidem, quod nullus in hoc Opere à Gratiano habitus fuerit Auctorum, è quibus Canones deprompti fuerint, delectus. Hinc factum, & rectè notavit Magnus ille Canonista Gratiani criticus Examinator Antonius Augustinus in *lib.* 1. *De Emend. Gratian. Dial.* 1. » sæpe erratum esse in nominibus hominum, » urbium, Provinciarum, Conciliorum & aliarum rerum. Sæ» pè falsæ sunt inscriptiones; & quæ Conciliorum sunt, Pon» tificum Maximorum esse dicuntur; & quæ sunt unius Epis» copi inferioris, Romano Pontifici aut Concilio Generali vel » Provinciali tribuuntur. Ex hoc genere sunt illa, quæ ex Con» cilio Martini Papæ, aut Adriani Papæ sumpta esse feruntur, » quæ vel Martino Bracarensi & Græcis Conciliis, vel Engelra» mo Episcopo, vel Adriano ad Engelramum inscribi debuerunt. » Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba » esse dicuntur, quæ aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa » quoque ipsa, quæ inscriptiones habent veras, non rectè refe» runtur. Sæpè enim contrarias sententias referri scimus, sæpè » valdè præcisas. Jam verò quæ ex græcis fontibus manant, ex » variis interpretationibus afferuntur, quasi sint aliorum Scrip» torum, ac sæpè aliud græce, quàm latinè significant. «

Secundum, quod in Gratiano desideratur, est: quòd ex » multis constet (ut observat rursus Antonius Augustinus *ibid.* » *dialogol.* 4.) ipsum neque Concilia vidisse, neque registra » Pontificum, neque alia SS. Patrum Scripta; sed eum quæ in » variis Collectionibus reperta ab eo sunt, ea in medium protu» lisse. « Atque hinc rursus fertilis errorum seges; nec enim inter falsa, & vera monumenta per Collectores Canonum adducta discernens, omnia penè istorum Collectorum errata (quæ non pauca erant) suo quoque Operi inserit.

Si quis ergo epistolas Calixti I. Sancti Gregorii ad Secundinum, & S. Isidori ad Massanum, legitimos istorum auctorum fœtus contendat eò quò collectioni Gratiani insertæ sint, eâdem ratione infinitæ penè, quæ ab omnibus pro apocriphis habentur, vera, & legitima Patrum scripta esse credere debebit.

Num forte omnes illas Romanorum Pontificum, quarum hodie confictio adeò manifestè detecta est, id circo veras esse dicemus, quia in Decreto Gratiani sub nomine istorum Pontificum referuntur? Num propterea librum de conflictu vitiorum, & virtutum (in cujus fine mentio injicitur Regulæ S. Benedicti, quæ centum & amplius annis post S. Augustinum edita est) Augustino vindicabimus, quia illum sub nomine Augustini refert Gratianus *Caus* 22. *q.* 2. *Can.* 13. Num fortè verba desumpta ex libello fidei Pelagii hæresiarchæ (ut notat Bellarminus) dicemus esse S. Hieronymi, eo quod Gratianus ea tanquam Hieronymi retulit?

Plurima similia exempla referre non esset difficile; sed hæc sufficient in re adeò clara, & vel parum Eruditis probata. Si quis plura desiderat, adeat Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis, Antonium Augustinum in Dialogis de emendatione Gratiani, item Stephanum Balluzium in notis, quas Dialogis Antonii Augustini recenter adjecit.

Rectè proinde monet Antonius Augustinus, quem omnes passim Canonistæ sequuntur: » Gratianus unius Magistri, & » Monachi personam gerens, ea, quæ refert, non majori pol» lere potuit efficere auctoritate, quàm antea fuerint. Itaque si » qua sunt ab eodem relata ex Pontificiis Epistolis, aut ex Con» ciliis Generalibus sumpta; ea supremâ illâ potestate, qua ex» cellunt, apud omnes vim legis obtinent. At quæ ex Provincia» libus Conciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum Sanctorum » libris, aut Epistolis accepta sunt, ea generalem non habent » auctoritatem. Accedit autem sæpè, ut falsæ sint apud Gra» tianum inscriptiones singulorum capitum. Ità fit, ut ne illa » quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sump» ta ex Romanorum Pontificum, aut ex Generalium Concilio» rum decretis: sed necesse est adire fontes, unde emanârunt, » ut certa ab incertis distinguamus. « *In Ep. Canonib. Pœnit. præfixa.*

§. VI.

Spuriæ illæ Epistolæ Calixti I. S. Gregorii, & Isidori *occasionem dederunt mutationi disciplinæ circa Sacerdotes in crimen prolapsos.*

SPurias illas Calixti I. Gregorii ad Secundinum, & Isidori litteras occasionem dedisse immutationi disciplinæ de Clericis in crimen prolapsis S. Ministeriis non restituendis, haud difficulter probari potest. Nam qui adulterinas illas litteras, gravissimis istorum Auctorum nominibus cohonestatas (à quodam Isidoro Mercatore primùm seculò VIII. in Hispania imprudenter confictas, & imprudentius promulgatas, ut Eruditi passim agnoscunt) primi legerunt, suppositionem ignorantes tantæ auctoritati repugnare non ausi, novis distinctionibus Canones conciliare coacti sunt; ut scilicet, id quod canonicâ auctoritate per plura secula statutum & servatum intelligebant, cum iis, quæ in prædictis Epistolis decreta credebant, conciliare possent. Quod pluribus, iisque illustribus exemplis ostendere non erit difficile.

Hincmarus Remensis in capitulis ad Presbyteros datis acriter confutat eos, qui dicere audebant, *non debere Presbyterum vel Diaconum de crimine confessum sive convictum deponi, sed tantum suspendi... quia*, inquiebant, *sic possunt confessionem & pœnitentiam, sicut & alii homines, facere*: sed » viderint » inquit, qualiter se à laqueo liberent quo se innectant ponen» tes in Cœlum os suum, & loquentes adversus sacros Cano» nes, ut Leo dicit, Spiritu Dei conditos, & totius mundi re» verentia consecratos; qui (Canones) sequentes Apostolicam » doctrinam, dicunt *in crimine detectos non oportet ad Eccle» siasticum Gradum accedere, vel in Clericatu manere vel » ad Clericatum redire.* «

Quod postquam firmavit luculentissimis Patrum testimoniis in quibus nullum, vel apparens quidem, inter *detecta* & *occulta* crimina distinctionis vestigium occurrit; huc tamen tandem relabitur, ut dicat ea, quæ de Sacerdotibus lapsis non restituendis Patres dixerunt, solum in criminibus *publicis* locum habere; ut scilicet, quod à Calixto & Gregorio in sæpè dicta Epistola ad Secundinum de Sacerdotibus lapsis in locum suum revocandis statutum fuisse existimabat (quia Epistolarum istarum suppositio nec dum plenè innotuerat) in occultis saltem criminibus servaretur.

» Lapsos autem, inquit ordine Ecclesiastico, sed *non de» tectos judicio Dei committimus*; cujus misericordiæ, ut *Leo* » *dicit*, nec mensuras possumus ponere, nec tempora defini» re «..... *Et S. Gregorius quod & prædecessor ejus S. Calixtus scripserat,*) *de lapsis ordine Ecclesiastico*, sed non detectis, *interroganti se respondit*: *Nos præcedentes Patres sequimur, &c.* Quæ verba deprompta sunt ex adulterina Epistola ad Secundinum. Hac sola fretus auctoritate mox addit: *sic nimirum erga lapsos, atque detectos cum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrina S. Canonum severitatis censuram sequimur*: *sic de lapsis, sed* non detectis, *peccata sua perfectè lugentibus, cum Ecclesia Catholica de omnipotentissima Dei benignitate sentimus.*

Ex quibus manifestum est: Hincmarum novam illam, occulta inter & manifesta crimina distinctionem (cujus nulla in Patrum genuinis scriptis, nec etiam in dictis Pseudo-Epistolis mentio occurrit adinvenisse, ut quæ in apocriphis istis litteris credebat statuta, cum illis, quæ aliis Patrum scriptis Statuta videbat, vel apparenter conciliaret.

S. Anselmus Cantuariensis Archiep. iisdem Calixti & Gregorii adulterinis Epistolis inductus & deceptus, negat » asse» rendum esse de lapsis sacros Ordines habentibus, & spon» taneâ humilitate secretè, quibus debent confitentibus, quod

» eisdem Ordinibus amplius uti nullatenus possunt, si per Sa-
» crificium spiritus contribulati, cordisque contriti, & humi-
» liati Deum placantes ad virtutum profectum studiosè conten-
» derint.... qui autem, inquit, huic sententiæ, quæ ad sacri
» Ordinis officium reditum post lapsum concedit, nequaquam
» aliqua ratione, nisi auctoritate fulciatur Divinarum Scriptu-
» rarum, vult consensum adhiberi, *legat, Epistolam B. Calix-
» ti Papæ, Decretum universis Episcopis per Galliam consti-
» tutis, & B. Gregorii ad Secundinum inclusum....* sed quo-
» niam, inquit, idem B. Gregorius in aliis suis quibusdam Epis-
» tolis, studiosè prohibet: *ne sibi ipse contrarius sit de apertis
» quidem prohibuisse, de occultis verò post condignam pœniten-
» tiam concessisse intelligitur... Lib. 1. Epit. 56.* «

Ex his patet, supposititiis illis Calixti, Gregorii, atque Isidori Epistolis, novitiæ istius distinctionis occulta inter & aperta crimina ortum esse adscribendum: quod clarissimè quoque demonstrant antiqui Canonum collectores, Buchardus, Ivo Carnotensis atque Gratianus, qui cum in hac quæstione versantur, hinc multa Pontificum, Conciliorum, Patrum solida & germana loca congerunt, quibus lapsi Sacerdotes in perpetuum sacris ministeriis abdicantur: illinc illa fictitia Calixti, Gregorii, atque Isidori loca opponunt, quibus conturbati, nec falsitatem subodorantes ad varias distinctiones, præsertim tamen ad jam dictam confugerunt.

Et quidem Gratianus relatis ab una parte variis testimoniis, quibus asseritur Sacerdotes in crimen, præsertim carnis, prolapsos esse deponendos, & ab alia sæpè dictis pseudo-Epistolis in terminis eam distinctionem pro conciliatione adduxi: » Pos-
» sunt (inquit *Dist.* 50. *post Can.* 23.) sic distingui præmissæ
» auctoritates. Quorum enim crimina manifesta sunt, ante vel
» post Ordinationem, à Sacris Ordinibus dejiciendi sunt; quo-
» rum autem peccata occulta sunt & satisfactione secretâ secun-
» dum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Ordinibus re-
» manere possunt. «

§. VII.

Distinctio inter crimina occulta, & manifesta necdum seculo XI. ubique obtinebat.

SEculo XI. distinctionem inter crimina occulta, & manifesta, quoad depositionem Sacerdotum, qui in illa essent prolapsi, necdum ubique fuisse receptam, probant imprimis ea, quæ eo seculo scripsit B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis in libro, quem *Gomorrhianum* vocat, & S. Leoni IX. examinandum, atque probandum obtulit, cujus approbationem obtinuit, adeò ut præcipua ejus dicta Pontificiâ auctoritate confirmata sint. Quare hæc sententia non tantùm P. Damiani, sed & Leonis IX. dicenda erit, ut ex dicendis ampliùs patebit.

In hoc libro quærit Damianus, qua pœnâ afficiendi sint Clerici, qui in crimen carnis, quod sine altero sexu comittitur, prolabuntur. » Ut autem res vobis, inquit, tota per or-
» dinem pateat, ex hujus nequitiæ scelere quatuor diversitates
» fiunt. *Alii siquidem secum*, alii aliorum manibus, alii inter
» femora, alii denique consummato actu contra naturam delin-
» quunt. «

Hac sceleris illius distinctione præmissâ subjungit Damianus: » Quidam Rectores Ecclesiarum circa hoc vitium humaniores
» forsan, quàm expediat, absolutè decernunt propter tres illos
» gradus, qui superiùs enumerati sunt (inter quos est peccatum
» pollutionis, quod quis secum committit) neminem à suo Or-
» dine debere deponi, eos autem solummodo non abnuunt de-
» gradari, quos ultimo actu (consummatâ scilicet Sodomiâ) ce-
» cidisse constiterit. «

Istis Rectoribus sic obviam it Petrus Damianus: » Quæ pro-
» cul dubio impia pietas, non vulnus amputat, sed ut augea-
» tur, fomitem subministrat.... Carnalis quippe cujuslibet Ordi-
» nis homo magis formidat, & expavescit in conspectu homi-
» num despici, quàm in supremi Judicis examine condemnari,
» ac per hoc mavult quemlibet *districtè*, quemlibet *annossæ
» pœnitentiæ* sustinere laborem, quàm sui gradûs subjacere pe-
» riculo. «

Peccata illa, de quibus contendebatur fuisse occulta, & à Rectoribus gravi pœnitentiâ castigata, ex prædictis verbis manifestum est. Pœnitentiam autem quantumvis gravissimam non sufficere contendit P. Damiani, sed addendam degradationem, seu absolutam depositionem; quare capite tertio sui Opusculi subjungit: » Sed ut nobis videtur, valde præposterum est, ut
» consuetudinaliter hac purulentâ contagione fœdati, vel ad Or-
» dinem provehi, vel in gradu persistere audeant jam promo-
» ti; quia & rationi contrarium, & canonicis Patrum sanctio-
» nibus probatur adversum. Quod autem ad Ecclesiasticum Or-
» dinem promoveri non debeat, qui in illud crimen lapsus est,
» quod vetus lex præcepit morte damnari, testatur B. Papa
» Gregorius, qui in suis Epistolis Passivo Episcopo scribit, &c.
» Patet profecto, quia quem dignum morte crimen abjecerat,
» quælibet religiosa vitæ subsequens ad suscipiendum Ecclesias-
» tici gradûs Ordinem non reformat, *nec valet ad obtinendum
» honoris culmen assurgere, qui in mortalis culpæ barathrum
» non ambigitur cecidisse.* «

Postea *cap.* 4. multis probat lapsos in hujusmodi vitium nec esse promovendos, nec si fuerint promoti, permittendum, ut in officio ministrent. Cap. verò 5. probat *quòd in reprobum sensum lapsi sint, qui post hoc vitium habere Sacrum Ordinem concupiscunt.*

Ex his omnibus evidenter intelligimus, B. Petrum Damiani seculo XI. sustinuisse, neminem in crimen carnis quantumvis *occultum* prolapsum, ad sacrum Ordinem, etiam post peractam pœnitentiam, obstantibus canonicis decretis posse ascendere, aut in eo continuare.

Nunc quæ fuerit S. Leonis IX. sententia circa lapsos Sacerdotes, expendamus.

Ad hunc Pontificem opusculum suum miserat Damianus, ab eoque quid cum similibus Sacerdotibus lapsis faciendum esset, edoceri postulabat.

Quia verò summi momenti existimabat Damianus de hac disciplina judicium proferre, rogat Pontificem, ut antequam responsum ferat, Canones diligenter consideret, viros pios, doctosque consulat, ita sermonem in fine libri ad Pontificem dirigens: » Petimus igitur, & humiliter imploramus, ut cle-
» mentia vestra, si dicere fas est, sacrorum Canonum decre-
» ta, quæ tamen vobis notissima sunt, solerter inspiciat, spi-
» rituales, & prudentes viros ad consultum hujus necessariæ
» indagationis adciscat, nobisque super his capitulis ità respon-
» deat, ut omnem de nostro pectore dubietatis scrupulum tol-
» lat. «

Pontifex, diligenter examinatis quæstione & libro & Damiani, respondit in hæc verba: » Omnes illi, qui quavis qua-
» tuor generum, quæ dicta sunt, fœditate polluuntur, pros-
» pecta æquitatis censurâ ab omnibus immaculatæ Ecclesiæ Gra-
» dibus, tam sacrorum Canonum, quàm nostro judicio de-
» pelluntur. Sed nos humaniùs agentes, eos, qui vel *propriis
» manibus*, vel invicem inter se egerunt semen, vel etiam in-
» ter femora profuderunt, & non longo usu, nec cum *pluri-
» bus*, si voluptatem refrænaverint, & dignâ pœnitudine pro-
» brosa commissa luerint, admitti ad eosdem Gradus, in qui-
» bus in *scelere manentes, non permanentes fuerant*, divinæ
» miserationi confisi volumus, atque etiam juvemus, ablatâ aliis
» spe recuperationis sui Ordinis, qui vel per longa tempora
» *secum*, sive cum aliis, vel cum pluribus, *brevi licèt tempore*,
» quolibet duorum fœditatis genere, quæ descripseras, macu-
» lari, vel quod est horrendum dictu & auditu, in terga pro-
» lapsi sunt. Contra quod nostrum Apostolicæ sanctionis de-
» cretum, si quis ausus fuerit vel judicare vel latrare, Ordinis
» sui se noverit periculo agere. Qui enim non pungit vitium,
» sed palpat, cum eo qui vitio moritur, ipse quoque mortis reus
» meritò judicatur. «

Agnoscit ergo apertè Pontifex, quòd omnes qui simplici pollutione fœdantur, prospecta æquitatis censura ab omnibus immaculatæ Ecclesiæ gradibus, tam sacrorum Canonum, quàm suo judicio esse depellendos. Tum ipse humaniùs agens, divinâ miseratione confisus Canonum rigorem ita relaxat, ut retinere gradum possint Clerici, qui fuerint in pollutionis crimen prolapsi, modò non longo usu, nec cum pluribus fœditatem illam admiserint, si voluptatem refrænaverint, & dignè pœnitudine commissa diluerint. Illis verò spem omnem recuperandi Ordinis exercitium aufert, qui per longa tempora *secum* hoc crimine fuerint maculati. Patet ergo quòd Pontifex nullo modo attendat, an crimina sint publica, an occulta; cùm hujus distinctionis nulla occurrat mentio; imò prima species semper sit occultissima, quandoquidem illam solus nemine conscio perpetret criminis reus. Quod ad alias species attinet, crimen cum socio committitur, sed quàm potest occultissimè ob ejus fœditatem.

Quid eodem seculo de hac disciplina senserit Urbanus II. ex Epistola ipsius Constantiensi Episcopo inscripta intelligere licet: » De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, qui post ac-
» ceptum Ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint, *sive palam,
» sive clam*, constat quidem Canonum censura ab Ecclesiasti-
» cis eos officiis inhiberi, tuæ tamen providentiæ, discretioni-
» que commitimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ
» notis non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiæ urgente, &
» ipsorum sancta conversatione promerente, in suis gradibus
» recuperari debeant. Hoc autem secundum indulgentiam di-
» co, non secundum imperium.... Si quem verò, quod ab-
» sit, aut post acceptum aut ante acceptum officium continge-
» rit, peremptorio quolibet eorum, qui in lege morte mul-
» tantur, *sive palam, sive clam*, occupatum crimine inveni-
» ri, eos maximè, qui adhuc mundo vivunt, *ab omni eos Al-
» taris ministerio sequestramus.* Sicuti enim pœnitentiam agere
» cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudi-
» nem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem
» Clericatûs adispici, vel Clerico ad altiores Ordines promoveri. «

Hoc

Hoc Urbani II. Responsum evincit primò, eo adhuc tempore Clericos, sive *clam* sive *palam* in crimen prolapsos, secundum Canonum censuram ab Ecclesiasticis officiis fuisse inhibitos.

Secundò ex eodem Responso colligitur: Pontificem commisisse discretioni, ac providentiæ Episcopi, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notis non essent aspersi necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente, in suis gradibus perseverare, sive restitui iis debeant.

Ex quo ulteriùs intelligitur, eo adhuc tempore credidisse Pontificum, quod secundum canonicam auctoritatem, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi in crimen etiam *occultum* prolapsi nunquam officiis Ecclesiasticis essent restituendi.

Hoc tamen etiam vidimus, quod dispensandi facultas dari Episcopis inciperet, ut necessitate Ecclesiæ postulante lapsos in crimen *occultum*, quo notâ infamiæ non aspergebantur, ministeriis Ecclesiasticis restituerent, modò illam restitutionem eorum sancta conversatio promereret.

Qua dispensandi facultate cùm liberaliùs Episcopi usi fuerint, paulatim rimâ factâ janua aperta fuit, & quod initio non nisi per dispensationem fiebat, tandem sine ea factum est, imò quasi in jus commune transivit.

§. VIII.

Licèt posterior Ætas Clericos in crimen lapsos restitui nonnunquam permiserit, nunquam tamen illud fieri Ecclesia patitur, nisi post peractam pœnitentiam.

CErtis, atque dilucidis, ut credo, argumentis ostensum fuit, veram, ac germanam fuisse Ecclesiæ disciplinam multis Conciliorum, Pontificum ac Patrum testimoniis constitutam, & per plurima secula Religiosè servatam, ut Sacerdotes, qui crimen aliquod præcipuè luxuriæ commisissent, per omnem vitam à sacris ministeriis arcerentur, laicâ post actam pœnitentiam Communione contenti.

Ostensum deinde est, quòd hanc sanctissimam Ecclesiæ disciplinam circa seculum IX. viri aliqui eruditione, & sanctite illustres temperare cœperint; decepti nimirum falsis illis ac spuriis Calixti I. & Gregorii I. Epistolis.

Hoc quoque observare licuit, quòd omnibus illis Scriptoribus à nobis allatis, qui Clericos in crimen prolapsos in integrum restitui posse existimârunt, certum fuerit, non nisi post actam pœnitentiam, eamque sceleribus suis condignam, esse restituendos. Sic Hincmarus lapsis tantùm *peccata sua* perfectè *lugentibus* eam indulgentiam concessit.

Similiter S. Anselmus tunc demum Sacerdotes in crimen occultum prolapsos, suis Ordinibus uti posse censuit, si per sacrificium spiritûs contribulati, cordisque contriti Deum placantes, ad virtutum profectum studiosè contenderint: si pro illis supplicet humilitas, suggerat contritio, intercedat vitæ mutatio.

Restituendum ergo S. ministeriis Clericum lapsum credidit, modò per sacrificium spiritû contribulati, cordisque contriti Deum placuerint, atque vitæ mutatio intercesserit. » Sed quo» niam, inquit, fermè semper est occultum, quorum remissæ » sint iniquitates, & quorum tecta sint peccata, quorum ve» rò minimè tutius semper est, conscium sibi criminis, ab his, » quæ placitam Deo personam exposcunt, per laudabilem hu» militatem abstinere, quàm per culpabilem securitatem præ» sumere. «

Rectores quoque, quibus se opposuit B. Petrus Damiani, Clericos secretò pollutionis crimine fœdatos non nisi *post distinctæ pœnitentiæ laborem* suis functionibus reddendos censebant.

Nec Leo IX. Clericos in crimen pollutionis semel prolapsos ex humanitate aliter restituendos concessit, quàm si *digna pœnitudine probrosa commissa luerint*.

Gratianus quoque non aliter Clericos in crimen occultum lapsos officiis Ecclesiasticis admovendos credidit, nisi crimina eorum per *satisfactionem secretam secundum edictum Sacerdotis essent purgata*.

Utque propiùs ad eam ætatem, qua relaxatio disciplinæ de non restituendis Clericis in crimen prolapsis invaluerat, descendamus, etiam in ipsis Decretalibus Gregorii IX. illud constanter decretum reperiemus, Clericum in crimen prolapsum non *nisi post actam condignam sceleris pœnitentiam*, esse restituendum. Alexander III. de Sacerdotibus in impudicitiam prolapsis scribit: (*Cap.* 4. *de Cleric. conjug.*) » Post *longam* pœni» tentiam, & vitam laudabilem continentes, officio suo res» titui poterunt: & ex indulgentia sui Episcopi ejus executio» nem habere.« Quinimò Urbanus III. Ligoniensi Episcopo indulgens, ut cuidam Clerico in crimen prolapso misericordiam faciat, addit: „ Ut autem ei securiùs possis hanc misericor» diam facere de *agenda pœnitentia diligentem circa eum cu» ram non desinas* exhibere; salubrius autem sibi proculdu» bio providebitur, si ad regularem vitam se duxerit trans» ferendum. « Capite 2. *de Cler. non ordinan. minist.*

Quantumvis igitur Ecclesia mitigationem severissimæ illius disciplinæ, quæ Clericos in crimen, maximè carnis, prolapsos in perpetuum à sacris functionibus removebat, patiatur, nunquam eam adeò prolabi passa est, nec pati potuit, ut sine acta condigna pœnitentia, & criminis sufficienti ablutione, sacrosancto, ac tremendo Sacrificio assisterent. Ut enim disciplinæ rigor temperare potuerit; extingui tamen non potuit ratio naturalis quæ clamant, *Sancta sanctis*; & ipse communissimus pietatis, & reverentiæ erga sacras functiones instinctus, qui eam impudentiam, qua quis nondum à crimine purgatus sancta tractare auderet, refugit, horret & detestatur.

Quare nec ipsi Canonistæ eam quæstionem instituunt: Utrum ante peractam pœnitentiam possint lapsi Sacerdotes in integrum restitui: sed, Utrum post eam peractam possint.

Illud denique ex dictis de prolapsione disciplinæ facilè colligi potest, quod Auctores, qui Sacerdotes lapsos post peractam pœnitentiam Ordinibus suis reddendos censebant, eam restitutionem nonnisi in crimine occulto locum habere censuerint, quod ex prolatis testimoniis Hincmari, Anselmi, Gratiani, item Urbani II. evidens est. Unde Sanct. Ivo Carnotensis, qui seculo XI. floruit, censens Clericum lapsum posse restitui, hanc addit cautionem: *Si tamen publicam non egerit pœnitentiam.* „ Talibus enim ideò Clericatus denegatur, quia ab » Insidiatoribus divinis Sacramentis pro hujusmodi derogatur, » & simplicium animus, aut scandalizatur, aut infirmatur. «

§. IX.

Sacerdotum lapsorum crimen specialem malitiam à dignitate Sacerdotali mutuat, & ideo majori cæteris paribus, quàm crimen Laicorum Pœnitentia dilui debet, priusquam sacris ministeriis restitui possint.

FAcite, clamabat magnus ille pœnitentiæ Prædicator Joannes Baptista, *fructus dignos pœnitentiæ*. *Luc* 3. *v.* 8. » In » quibus verbis notandum est, ait S. Gregorius *Homil.* 20. *in* » *Evang.* quòd amicus sponsi, non solùm fructus pœnitentiæ, » sed *dignos pœnitentiæ* admonet esse faciendos. Aliud nam» que est pœnitentiæ fructum facere, aliud *dignum pœniten» tiæ* fructum facere. Ut enim secundum dignos pœnitentiæ » fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla » commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur: sicque pie» tatis opera faciat, ut tamen, si noluerit, ea, quæ mundi » sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel » fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto à se » licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita per» petrâsse. Neque enim par fructus boni operis esse debet ejus, » qui minùs, & ejus qui ampliùs deliquit; aut ejus, qui in nul» lis, & ejus, qui in quibusdam facinoribus cecidit, & ejus, » qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur, *facite* » *dignos fructus pœnitentiæ*, uniuscujusque conscientia conve» nitur: *ut tantò majora quærat bonorum operum lucra per* » *pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.*«

Non ego sufficiunt fructus pœnitentiæ, sed *digni*, id est, criminum gravitati respondentes exiguntur. Ex quo facilè colligere, Sacerdotum lapsorum majorem debere esse, quàm laicorum pœnitentiam, quò enim major requiritur sanctitas in eo, qui peccat, tantò majus ejus reputatur delictum. Hinc S. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 3. *ad* 3. secutus SS. Patres, docet » quòd si idem peccatum committatur à Fideli, & ab Infi» deli, cæteris paribus graviùs punitur Fidelis, quàm Infi» delis: tum propter notitiam veritatis ex fide, tum etiam » propter Sacramenta quibus est imbutus, quibus peccando » contumeliam facit. « Quo igitur major est Sacerdotalis gratia, quo celsior illius Ordinis dignitas, quo majoribus Sacramentis est imbutus, eo gravior Sacerdotum casus. Hinc eos monet Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 1. *De Reform.* ut *levia delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant.* Notum quoque illud Bernardi: *Nugæ in ore laicorum blasphemiæ sunt in ore Clericorum.*

Verùm tametsi omnia vitia à Sacerdote perpetrata ab illius dignitate, & charactere mutuent enormitatem specialem, tamen præ aliis mutuat crimen incontinentiæ.

Tanto enim crimen alicujus est enormius, quo magis statui illius contrariatur, & quo arctiùs ad virtutem illi oppositam tenetur. Quid verò officio Sacerdotis tam contrarium, quàm carnis immunditia? An non oportet illum esse mundissimum, cujus officium est consecrare, tangere, & Deo offerre, ac populo distribuere corpus illud mundissimum, quod Virgo purissima de Spiritu Sancto concepit, & Virgo manens mundo edidit? Si Sacerdotes veteris legis sacrificaturi carnes animalium, continere se debebant à conjugali complexu, & conjuges Christiani jubeantur tempore orationis ab eo abstinere; quantò magis Sacerdos novæ legis cujus est offerre hostiam illam immaculatam, & impollutam, cui insuper incumbit pro

populo orare, ab omni carnis illecebra debet esse remotus?

Hinc Ecclesia à Spiritu Sancto edocta perpetuam castitatem Sacerdotibus semper indixit, lege ipsi Evangelio coëva, ac se juxta legem illam ad castitatem servandam solemni voto obstringunt, quotquot in Ecclesia Latina Sacris Ordinibus insigniuntur; quo titulo rursus novam, ac admodum gravem malitiam induit vitium incontinentiæ à sacro Ministro perpetratum.

Graviora proindè cæteris paribus sunt Clericorum quàm Laicorum vitia; ac consequenter, ut fructus pœnitentiæ sint *digni*, necesse est, cæteris paribus, pœnitentia Clerici pœnitentiam excedat Laici.

Ulteriùs si majorem præ cæteris enormitatem tum ab officio Sacerdotis, tum voto castitatis vitium impudicitiæ mutuet, magna quoque debet esse, quæ malitiæ correspondeat, pœnitentia, ut dici queat *dignos fructus pœnitentiæ* fecisse.

De hac malitia quam vitia, præcipuè carnis, à dignitate Sacerdotali contrahunt, & pœna graviori quam ob eam merentur, audire lubet aurea S. Chrysostomi verba.

» Non sunt eadem in omnibus peccatis, sed multa varia» que supplicia. Nam de ætate, educatione & *dignitate*, & in» genio & usu rerum, atque prudentiâ aliisque compluribus » variantur, verùm ut clarius id fiat, in fornicationis delicto » examinetur. Perpende igitur quantam diversitatem punitio» nis, non à me, sed à Divinis Scripturis, comperio. Forni» catus quispiam ante legem fuit, alio quodam modo illum » puniri Paulus ostendit, dicens: Quicunque sine lege pecca» verunt, sine lege quoque peribunt. Idem: Alius post le» gem deliquit, graviora sustinebit. Quicunque enim in le» ge peccârunt, inquit, per legem judicabuntur. *Lapsus si» militer Antistes est, non parva pœna propter* dignitatem » *afficietur*. Propterea aliæ quidem fornicatrices necabantur, » Sacerdotum verò filiæ igne cremabantur. Qua ex re *quàm* » *magnus pœnarum cumulus Pontificem expectet peccantem, le» gis Conditor* voluit significare. Nam si filiam ejus atrociùs » puniri jussit, *quid erit de ipso*? Homilia 76. in Matth.“

§. X.

Tametsi hodierna Ecclesiæ disciplina permittat Clericos in crimen prolapsos sacris functionibus restitui, illa tamen restitutio tarda esse debet, eo quod tarda, & rara soleat eorum esse conversio.

PRistinam Patrum disciplinam, quæ Sacerdotes in crimen, præsertim carnis, prolapsos in perpetuum à sacris Altaribus amovebat, in tantum relaxatam esse, ut in crimen *occultum* lapsos restitui sinat, in anterioribus conspeximus. Verùm & illud quoque vidimus, non adeò Ecclesiæ disciplinam collapsam esse, ut ante actam condignam sceleribus pœnitentiam, & veram cordis conversionem unquam functionibus sacris restitui permittat. Hinc facilè videbimus, etiam juxta modernam Ecclesiæ disciplinam rarò admodum, ac tardè Sacerdotes lapsos ministeriis sacris restituendos; quia nulla ob varias causas & tardior & rarior quàm Sacerdotum conversio.

Primò quidem, quia Sacerdotes crimen suum perpetrare nequeunt sine divinissimi Ordinis ignominia, sine cœlestium Sacramentorum, quorum ministri sunt, enormi injuria, sine fidei, quam Christo spoponderunt, sacrilega violatione, sine contaminatione Corporis ejus, quod de Spiritu Sancto conceptum ab Angelis adoratur, à dœmonibus formidatur. Unde nec in illud ferri posse videntur, nisi abjecto omni metu eorum malorum, quæ à Deo tam enormiter offenso, imminent. *Qui verò sine timore est*, (ait Sapiens, *Ecclesiast.* 1. *v.* 28.) *non poterit justificari.* Deinde is toto in flagitia ruat impetu quodammodo necesse est, quem ab illis, nec officii religio, nec professionis sanctitas, nec solemnis Christo facta sponsio retardant; hinc fit, ut Sacerdotes arctiùs, quàm laici flagitiis commissis implicari soleant.

Secunda tardioris, ac rarioris conversionis Sacerdotum causa petitur ex gravitate, quam crimina ipsorum à sacris functionibus, inter quas peccant, mutuare ostendimus.

Tertia causa rarioris, & tardioris Sacerdotum conversionis est, quòd nulli magis à Deo deserantur, quàm Sacerdotes, qui ipsum deserunt, ut se criminibus addicant. Si enim dicat Apostolus: » Impossibile est enim eos, qui semel sunt » illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes » facti sunt Spiritûs S. gustaverunt nihilominus bonum Dei ver» bum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus re» novari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Fi» lium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpè venien» tem super se bibens inbrem, & generans herbam opportu» nam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo; » proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & ma» ledicto proxima: cujus consumatio in combusionem.« *Ad Heb. cap.* 6. *v.* 4. Si *inquam*, adeò difficilem eorum renovationem ad pœnitentiam dicat Apostolus, qui per Baptismum illuminati gustaverunt donum cœleste; & in Sacramento Confirmationis participes facti Spiritus Sancti, gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & in crimen prolapsi sunt, quis non difficilem dicat Sacerdotum ad pœnitentiam renovationem; qui ad peccata ruentes, adeò præfractæ fuerunt audaciæ, & induratæ mentis, ut divinis monitis quæ quotidie legunt, audiuntque, aures obturârint, frequentioribus divinis vocibus cor occluserint, gratiæ Sacerdotii susceptî restiterint, nec divinorum mysteriorum, quæ quotidie pertractant, nec dignitatis eximiæ, quam habent, veneratione fuerint retracti.

Denique tardior, ac rarior est Sacerdotum conversio, ex eo quòd minùs adsint Sacerdotibus in crimen prolabentibus illa auxilia, quibus laici, dum peccant, adjuvantur. Cùm Sacerdotum sit pro populo, ne peccet, orare; & ubi peccaverit, ut citò resurgat, gratiam poscere, laicisque ne errent, veritatis lumen ostendere, & ubi erraverint, monendo ab errore revocare: qui pro lapsis Sacerdotibus oret, nullus speciatim ordo constitutus est, ipsosque peccantes tantò difficilius est sale saluberrimarum admonitionum aspergere & errantibus lumen veritatis ingerere, quantò magis sibi persuadent, se esse magistros insipientium, ducesque ac lumen eorum, qui in tenebris sedent.

Hinc S. Gregorius in *cap.* 3. *lib.* 1. *Reg.* exponens illa verba Heli ad Filios suos: » *Si peccaverit vir in virum, placari ei* » *potest Deus: si autem in Deum peccaverit, quis oravit* » *pro eo*? Quia, inquit, peccata subditi populi, quæ ad Sa» cerdotes respiciunt, ipsorum Sacerdotum precibus delen» tur: cùm Sacerdos in culpam labitur, superior persona non » est, cujus precibus expietur; quod & ipsa Veritas per se » insinuat dicens: *Si sal evanuerit, in quo salietur*? Dicat er» go, quis orabit pro eo? Quasi dicat: Quis ei intercessor » remanet, cùm ille se transgrediendo præcipitat, qui ad inter» pellandum pro aliis ordinatus est? Quo profectò culpæ mag» nitudo monstratur: *quia plerique eorum in impœnitentis cor» dis caliginem projiciuntur, & nulla hominis adhortatione re» sipiscunt.*«

Et Auctor Operis imperfecti *Homil.* 40. *in Matth.* Putasne, » inquit, Deus quasi crudelis pœnitentiam denegavit, dicens: » *Si sal infatuatum fuerit*, in quo condietur? Sed quasi na» turalem rem consideramus, *quia non est, qui doceat illum* » *errantem, qui errantes corrigebat.*« Unde & subdit idem Auctor: » Quis aliquando vidit Clericum citò pœnitentiam agen» tem? Sed etsi deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet, » quia peccavit, sed quia confunditur.«

His omnibus adjungi non immeritò potest, quòd Sacerdotes lapsi rarò se à sacris functionibus contineant, quoad usque per condignam pœnitentiam veramque cordis contritionem, ac spiritus contribulationem se expurgaverint.

Cùm enim ab illis ordinariè sine incommodo, vel infamiæ nota, aut saltem alicujus delicti suspicione se subtrahere nequeant; natum est contingere, ut ex desiderio evitandi incommodum, aut infamiæ, vel suspicionis notam, nullâ, aut saltem non sufficienti criminis eluitione præmissa (quæ sine notabili temporis mora haberi non solet) sacrosanctis, Divinisque mysteriis se accingant: atque hinc contingit, ut divina illa, & salutaria mysteria, quæ laicis lapsis, humiliter se ad tempus ab illis subtrahentibus subserviunt ad salutarem conversionem, Sacerdotibus lapsis nimium audacter illa frequentantibus sint in obdurationem.

Ex quibus omnibus facilè patescit, quòd tametsi Ecclesia hodie permittat Sacerdotes in crimen *occultum* prolapsos, sacris ministeriis restitui; ea tamen restitutio non debeat, nisi magnis, & multis veræ conversionis indiciis præeuntibus, à Prælatis, aliisque Sacerdotum Directoribus indulgeri, quandoquidem jam ostensum sit, raram admodum, ac tardam esse Sacerdotum lapsorum veram conversionem, & per condignam pœnitentiam expurgationem.

§. XI.

Quid circa lapsos in crimen occultum à sacris Ordinibus repellendos, aut ab iis suspendendos Synodus Tridentina decreverit.

COncilii Tridentini Patres expendentes, quod præcipuum Episcoporum munus sit subditorum vitia redarguere, hoc illis præcipuè cavendum esse monent, ne Clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, nevè inhonestam vitam, ipsis conniventibus, ducant: » Nam si eos » pravis, & corruptis moribus esse permittant, inquit Syno» dus *Sess.* 14. *in proœm. de Reform.* quo pacto laicos de ip» sorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convici pos» sent, quod Clericos ipsis patiantur esse deteriores? Quâ » etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes cùm

tacitè sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quæ corri-
» piunt. «

Ut autem ipsi Episcopi id liberiùs exequi possint, ac quoquam prætextu desuper impediri nequeant, eadem sacrosanta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus hos, qui sequuntur, Canones statuendos, & decernendos duxit. Quorum primus his verbis exprimitur.

» Cum honestius ac tutius sit subjecto debitam præpositis
» obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire,
» quàm cum præpositorum scandalo, graduum altiorum ap-
» petere dignitatem : ei, cui ascensus ad sacros Ordines à suo
» Prælato, ex quacunque causa etiam ob *occultum* crimen quo-
» modolibet, etiam *extrajudicialiter*, fuerit interdictus; aut
» qui à suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Eccle-
» siasticis fuerit suspensus, nullâ contra ipsius Prælati voluntа-
» tem concessâ licentiâ de se promoveri faciendo; aut ad prio-
» res Ordines, gradus, & dignitates, sive honores, restitutio
» suffragetur. «

Ex verbis hujus decreti evincitur primò, Episcopis datam esse potestatem, non tantum admonendi occultum criminosum, ne ad Ordines ascendat, sed etiam ipsi absolutè sacros Ordines recusandi : ac per consequens correctam esse Decretalem, qua declarabatur *occultum* criminosum posse quidem moneri, ne ad S. Ordines ascenderet, sed si promoveri vellet *non debere aliqua ratione prohiberi.* Quod S. Congregationem Card. jam pridem declarâsse refert Prosper Fagnanus *ad cap.* 4. ⁂ *De temp. Ord.*

Secundò ex eodem decreto habemus, concessam esse Episcopis auctoritatem suspendendi criminosos *occultos* ab Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus, nam etsi verba illa, *ex quacunque causa, etiam ob crimen occultum*, &c. non sint opposita nisi in priori parte dicti cap. 1. ubi agitur de interdictione ad SS. Ordines, » tamen inquit Fagnanus ad *cap.* 5. » ⁂ *eod.* censeri debent repetita etiam in sequenti, ubi agitur » de suspensione; tum quia Concilium sub unica ratione, ac » verborum structura complectitur interdictionem à suscipien-
» dis, & dejectionem à susceptis, ideoque censeri debet utrum-
» que casum æqualiter determinare; tum quia alioquin Con-
» cilium in secunda parte nullam potestatem Episcopis attri-
» buisset; nemini enim dubium esse poterat, quin ob crimen
» manifestum, & judicialiter liceret Episcopis Sacerdotes sus-
» pendere. «

Ulteriùs non obscurè intelligitur, Episcopos in vim hujus decreti posse *extrajudicialiter*, & ob *occultum* delictum prohibere non tantum ascensum ad Ordines, sed etiam ad gradus, & dignitates, nam etsi » littera illa non loquatur (ait » sæpè nominatus Prosper Fagnanus, ibidem *num.* 9.) nisi de » interdictione ascensus ad Ordines, tamen idem dicendum in » prohibitione promotionis ad gradus, & dignitates, quia cum » ex dicto cap. 1. possint jam promotum ab hujusmodi gradi-
» bus & dignitatibus dejicere, multò magis possunt impedire
» promovendum. «

Denique ex eodem decreto intelligimus, quòd Patres Concilii Tridentini, Episcoporum ab Ordinibus, aliisque Ecclesiæ muniis exclusionem, aut ab eiisdem suspensionem ex quacunque causa etiam ob *occultum* crimen *extrajudicialiter* factam ejus voluerint esse efficatiæ, » ut nulla contra ipsius Præ-
» lati voluntatem concessâ licentiâ, de se promoveri facien-
» do, aut ad priores gradus, & dignitates sive honores resti-
» tutio suffragetur. «

Quæ omnia dilucidè demonstrant, quod antè fusiùs probatum fuit, Patribus Concilii Trident. ardens fuisse avitam Patrum disciplinam restituendi disiderium. Quis enim non videat, quòd si Episcopi uterentur auctoritate criminosos, etiam *occultos*, ab Ordinum susceptione repellendi, vel ab iis susceptis suspendendi, ipsis per Concilium tributa, quin sanctissima illa Patrum disciplina, quæ criminosos sacris Altaribus assistere non sinebant, postliminio in totum, aut saltem pro magna parte conspiceretur reducta?

§. XII.

Varia Corollaria ex iis, quæ hoc cipite dicta sunt.

EX illis, quæ præsenti capite dicta sunt varia consectaria, eaque non innutilia colligi possunt.

Primò, Sanctos patres tantam vitæ puritatem in Clericis necessariam credidisse, ut neminem ad clerum admittendum censuerint, qui crimine aliquo, præsertim carnis, vestem candidam in Baptismo acceptam conspurcâsset, tametsi eam copioso lacrimarum fonte abluisset.

Secundò, colligitur eodem motivo, ab omni Sacerdotii functione in perpetuum removisse eum, qui Ordinis suscepti dignitatem & sanctitatem hujusmodi crimine, sive occulto, sive publico maculâsset.

Tertiò, ex dictis planum est, hanc santissimam Patrum disciplinam, non aliquo Ecclesiæ decreto temperatam fuisse, sed consuetudine potiùs contra mentem ejus invalescente : quæ, dum huic præstantissimi aliqui Ecclesiæ Prælati spuriis Calixti I. & Gregorii I. decretis decepti, minus fortiter repugnarent, ne tantis Pontificibus contrariari viderentur, tandem pro lege invaluit.

Quartò intelligitur, quòd quantumvis purissimæ Patrum disciplinæ aliquid decesserit, nunquam eò usque permittente Ecclesia temperata fuerit, nec unquam gravibus Ecclesiæ Scriptoribus persuasum fuerit, ut lapsi in carnis flagitia Sacerdotes, ante actam pœnitentiam, eamque suis sceleribus condignam, sacris functionibus restituerentur.

Ex quo ulteriùs cernere licet, omnibus illis auctoribus, qui Clericos lapsos post actam pœnitentiam restitui posse censuerunt, detestatam fuisse horrendam illam, ne dicam nefandam quorundam Casuistarum sententiam, quos docere non puduit, permitti posse, ut Sacerdos, qui nocte præcedente quavis impudicitia se polluit, nihilominus sacris operetur. » Si ista doc-
» trina possit componi, inquit Antonius Godeau Venciensis
» Episcopus, cum disciplina in Ecclesia multis seculis servata,
» & cum *puritate victimæ corporis Domini*, componi quoque po-
» test lux cum tenebris, & Christus cum Belial. « *In hist. Eccles. ad ann.* 594.

Si Emericus de Bonis, è Societate Jesu censeat esse *scelus horrendum dictu, & Angelis ipsis detestabile, quodve valeat soli tenebras offundere, terram tremefacere, & elementa permiscere* : » si quis Laicus eodem, vel postero, vel tertio, aut
» quarto die ab Eucharistia ad suas sordes revertatur; aut illam is sumere audeat, qui pridie, nudius tertius, vel quartus ante peccaverat, » nonne idem scelus in Sarcerdotibus detestabilius,
» horribilius erit « (inquit magnus ille ac verus Apostolorum Successor Reverendiss. Episcopus Castoriensis per Provincias unitas Vicarius Apostolicus in *Amore Pœnit. l.* 2. *cap.* 16. §. 4.)
» si recentes à propudiis, atque flagitiis non solùm Eucharis-
» tiam sumere, sed etiam consecrare, & mediatoris officium
» assumere audeant? «

Quantumcunque igitur Canonum rigor connivente Ecclesiâ sit mitigatus, non priùs sinendum est, ut Sacerdotes sa-
» cris ministrent (verbis rursus loquor præfati Antistitis) licèt
» ipsorum propudia manserint *occulta*, nisi priùs *diuturno* la-
» chrymarum fonte impurum extinxerint ardorem; nisi priùs
» *dignis* pœnitentiæ fructibus se emendatos ostenderint; nisi
» prius pro ipsis suplicet humilitas loci superioris refugat; nisi
» pro ipsis intercedat contritio, non Sacerdotii commoda aut
» honorem quærens, sed Dei justitiam amare, & placare con-
» tendens; nisi pro ipsis deprecetur vitæ mutatio voluptati-
» bus infesta, & castis de æterna puritate deliciis intenta. «

Quintò ex assertis hoc capite patet, quod nulla, ob varias causas, tardior ac rarior sit quam Sacerdotum conversio.

Cui consequens est, magna exigenda esse veræ conversionis signa, priusquam lapsi Sacerdotes sacris restituantur; ut proinde rectè moneat laudatus Antistes, » quòd imprudenter
» Sacerdotibus in crimen, præsertim incontinentiæ prolapsis
» credatur, quando dicunt se ex animo pœnitere, nisi *ex fruc-*
» *tibus dignis* pœnitentiæ sinceritatem suæ conversionis testa-
» tum fecerint, nisi per *notabile* temporis spatium ab omni cri-
» mine seipsos continuerint, nisi à peccatorum illecebris re-
» cesserint, nisi jejunando carnem spiritui subjecerint, nisi
» orando spiritum Deo subdiderint, nisi eleemosynis peccata
» redemerint, nisi lectionibus sacris mentem à terrenis, & obs-
» cœnis imaginibus expurgaverint.

Denique vidimus quomodo Patres Tridentini desideraverint, ut criminosi omnes, tum publici, tum occulti, à sacris Ecclesiæ ministeriis procul arcerentur, ne aliquando impleretur illud Prophetæ : *Sacerdotes Dei contaminant sancta, & reprobant legem.* Ezech. 22. Utque illud consequi possent, vidimus Episcopis datam esse potestatem repellendi ab Ordinibus, aliisque Ecclesiæ functionibus, aut ab illis suspendendi, sine ullo strepitu judicii quoscunque criminosos quantumvis *occultos*.

Unde liquidò cerni potest, quòd si Episcopi auctoritate per Concilium Tridentinum ipsis concessâ uterentur, sperare liceret, quod pollutos à mundissimis Ecclesiæ Altaribus videremus exclusos.

Ex eodem perspicuum quoque est, menti, & intentioni Ecclesiæ contraire, seu Seculares, seu Regulares, qui nescio, qua temeritate se opponunt Episcopis, litesque ipsis movere non verentur, si illos ad Ordines Sacros, aut alia Ecclesia munia provere renuant, aut aliquibus functionibus Hierarchicis interdicant.

Ostendunt similes Ordinum, atque muniorum Ecclesiasticorum venatores & aucupatores, se non luce veritatis (quæ in Ordinibus Sacris, atque Ecclesiasticis dignitatibus, ac muniis non nisi onera fugienda, non ambienda ostendit) esse illuminatos; sed tenebrosâ cupiditate, quæ in Ecclesiasticis gradibus ac functionibus, honorem, divitias, aliave temporalia commoda intuetur, se excecatos, ut minus obnubilatos.

Christianam quoque humillitatem similibus deesse non minùs pers-

perspicuum est ; hæc enim mavult in humili loco abscondita sedere quam elevata in alto videri ; immo , nec humilem locum deserit , nisi in altiorem protrudatur.

Hæc proinde si in cordibus eorum esset radicata , veramque sacrorum Ordinum ac ministeriorum Ecclesiasticorum ideam haberent , nunquam eo temeritatis prorumperent , ut Episcopis , qui juxta sibi datam potestatem ad sacros Ordines, aut alia Ecclesiæ munia ob causam sibi notam ipsis ascensum negant , aut ab illis suspendunt , se opponerent ; sed è contra se ab hujusmodi onere exemptos gauderent , juxta sanctissimam illam à Spiritu Sancto Patribus Trident. suggestam sententiam : » Honestius , ac tutius est subjecto , debitam Præpositis » obedientiam impendendo , in inferiori ministerio deservire, » quàm cum Præpositorum scandalo , graduum altiorum appe» tere dignitatem. «

CAPUT III.

OSTENDITUR EX PONTIFICALI ROMANO, QUAM VITÆ SANCTITATEM , AC MORUM INTEGRITATEM HODIE IN CLERICIS, AC PROINDE IN CANONICIS DESIDERET ECCLESIA.

PARAGRAPHUS I.

Ex Ritibus , quibus Tonsura Clericalis confertur , demonstratur , quod Clerici , ac proinde Canonici , profiteantur se mundo renuntiare , & se Dei Ecclesiæ servitio consecrare.

PRima , eamque præcipua , ac fundamentalis Clericorum virtus , in qua spiritus clericalis meritò reponitur , est charitas , qua homo se totaliter à rerum mundanarum affectu, & desiderio exuens , rerum verò divinarum gustu , & desiderio se accendens , totus Dei ac Ecclesiæ servitio mancipatur.

Quia per Tonsuram clericalem ad statum eclesiasticum quis intrat , Ecclesia per cæremonias , quas in illa adhiberi præscribit , hanc virtutem specialiter exprimere voluit , ut ostenderet hanc esse virtutem , quæ & in Tonsurando jam esse, & continuò crescere debet.

Hanc animi à rebus mundanis separationem indicat in primis capillorum rescissio ; *rasio enim capillorum* , ait Hieronymus *Caus.* 12. *q.* 1. *Can.* Duo sunt , *est temporalium omnium depositio* ; unde Ecclesia priusquam ad comæ abscissionem procedatur , populum interpellat ut oret Dominum nostrum Jesum Christum , pro his famulis suis , qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant , ut donet eis Spiritum Sanctum , qui habitum Religionis eis in perpetuum conservet ; *& à mundi impedimento , ac seculari desiderio corda eorum defendat.* Quo non obscurè innuit , per comæ depositionem ipsius mundi , ac rerum mundanarum contemptum designari.

Dum Clericus attondetur , hæc verba solemni ritu recitare jubetur : *Dominus pars hæreditatis meæ , & calicis mei, tu es , qui restitues hæreditatem meam mihi* : ut exteriori Antistitis actioni Clerici verba consentiant , & quorum bonorum renuntiationem , per capillorum attonsionem , signat Pontifex , eam Clericus verbis profiteatur , solique Deo se adhærere velle testetur.

Unde ad ea verba alludens Sanctus Hieronymus : » Propterèa Clerici dicuntur , quod de sorte sunt Domini , vel » quia Dominus sors , id est , pars Clericorum est. Quia autem vel ipse pars Domini , vel Dominum partem habet, » talem se exhibere debet , ut ipse possideat Dominum , & » possideatur à Domino. Qui Dominum possidet , & cum » Propheta dicit : *Pars mea Dominus* , nihil extra Dominum » habere debet. « *Caus.* 12. *quæst.* 1. *Can.* 5.

Cui consonat illud Ambrosii *Can. Cui portio , eodem.* » Cui » portio Deus est , nihil debet curare nisi Deum , ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia offi» cia confertur , hoc religionis cultui , atque huic nostro offi» cio decerpitur. Hæc enim verba Sacerdotis fuga , abdicatio » domesticorum , & quædam alienatio charissimorum : *ut suis » se abneget , qui servire Deo elegerit.* «

Hæc & mens Isidori , *lib.* 2. *de Offic. cap.* 1. qui Clericos vocari refert , » eo quòd in sortem hæreditatis Domini den» tur , vel pro eo , quòd ipse Dominus sors illorum est si» cut de eis scriptum est , loquente Domino : *Ego hæreditas » eorum.* Unde oportet , inquit , ut qui Deum hæreditate pos» sident , *absque ullo impedimento seculi Deo servire studeant, » & pauperes spiritu esse contendant* , & congruè illud Psalmis» tæ dicere possint : *Dominus pars hæreditatis meæ.* « Hac professione emissâ Pontifex superpelliceum , seu vestem albam Clerico his verbis imponit : *Induat te Dominus novum hominem , qui secundum Deum creatus est , in justitia , & sanctitate veritatis.* Quibus ostendit , Clericum in novum quemdam hominem esse mutandum ; utpotè qui jam omnibus seculi desideriis , & mundi voluptatibus renuntiavit , & soli Deo, ejusque servitio in justitia & sanctitate veritatis vivere professus est.

Ut verò omnia hæc terrena ampliùs contemnat , solumque Deum partem hæreditatis suæ constanter eligere & possidere pergat , orat Ecclesia , *ut ab omni cæcitate spirituali , & humana , oculos eorum aperiat , & lumen eis æternæ gratiæ concedat* ; ut hoc lumine illustratus Clericus videat quàm verè de his , quæ mundus dare potest , dixerit Ecclesiastes : *Vanitas vanitatum , & omnia vanitas.* Et de universis , quæ mundus pro magnis extollit , dixerit Christus : *Quod hominibus altum est , abominatio est apud Deum.* Ut tandem ex animo cum Apostolo dicere queat : » Mihi quæ fuerant lucra, » hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse , propter eminentem » scientiam *Jesu Cristi* Domini mei ; propter quem omnia de» trimentum feci , & arbitror ut stercora , ut Christum lucrifaciam. « Quibus Apostoli verbis perfectissimè exprimitur ipse Spiritus Ecclesiasticus (nimirùm ardens Charitas , quæ hominibus libenter renuntiat , omniaque arbitratur ut *stercora*, ut *Christum* in se & aliis *lucrifaciat*) quem Tonsurandus se habere profitetur , utque in eo perseveret, ac in finem augeat, commendat Ecclesia.

§. II.

Ex iis , quæ in ordinatione Ostiariorum interveniunt , ostenditur , quòd in Ecclesiasticis debeat esse zelus pro decore Domûs Dei.

DUbium non est , quin attentiùs expendens ea omnia , quæ Ecclesia, suggerente Spiritu Sancto, in singulorum Ordinum collactione seu facto seu verbo exprimit , in illis sit reperturus, quæ mirum in modum sanctitatem Ordinandorum commendant ; illud tamen quoque observare licet , quòd in singulis quandam virtutem officio cujusque Ordinis specialiter congruentem eminere videamus.

Et quidem , ut ab Ordine Ostiariatûs exordiamur : quamvis Ritus Consecrationis varias virtutes exprimant , singulariter tamen ordinando in Ostiarium commendatur, *ut sit ipsi fidelissima cura in Domo Dei , diebus , ac noctibus , quo zelus pro decore Domus Dei* insinuatur.

Et quidem Ostiarii officium , ejusque zelus maximè in eo elucere debet , ut *certis horis Domum Dei aperiat Fidelibus & semper claudat infidelibus.*

Si horum verborum corticem solùm attendamus , officium Ostiarii ad solam infidelium exclusionem pertinere videbitur; at si mentem Ecclesiæ quis attendat , facilè intelliget , verbis illis injungi Ostiariis , ut ipsis sic diligens cura , ut à Domo Dei excludant , non idolatras tantùm , sed omnes , qui licèt Deum verbis agnoscant , actionibus tamen suis amplius quàm Infideles Domum Dei dehonestant.

Hinc S. Carolus inter officia Ostiarii reponere non dubitat: » ut Infideles , Hæreticos , Excommunicatos , & alios , qui» bus jure interdictum est, ab Ecclesia arceat , & ejiciat. Ne » populum propiùs ad Sacerdotem , rem divinam facientem, » accedere patiatur. In Ecclesia dormientes , videntes , ementes , deambulantes , colloquentes , aliàve ratione Officia di» vina perturbantes , & quovis modo indecorè , atque irreve» renter se habentes , moneat ; si pertinaces sint , expellat, aut » ad Superiorem deferat. Mendicantes excludat. Bruta deni» que canesque expellat ; quidquidve in Ecclesia dedecet, amoveat. « *Conc. Med. I. p.* 2. *cap.* 26.

Quamvis ergo (verbis loquor Venciensis Episcopi Antonii Godeau , quæ utinam Ecclesiasticorum cordibus altè essent impressa) » Templa nostra non ingrediantur Idololatræ , quia » nulli eorum in christiano orbe tolerantur ; tamen plerique, non » dico ingredientium , hoc enim dixisse parum est , sed pleri» que eorum , qui in Templis nostris prima sibi loca vendicant: » infidelibus sunt deteriores. Quid enim? Libertini illi , seu dis» soluti Christiani , qui publicè Deum irrident , qui sanctissima » ejus mysteria in abominabiles jocos convertunt , qui ipsis adstantes altaribus eum blasphemant , sine pudore rident , sine » fronte garriunt , & in sexcentos gestus , situsve exoticos sese » transformant ; qui vix genua incurvant , dum is exibetur ado» randus , coram quo se prosternunt Seraphim , dœmones con» tremiscunt : addamus & illud verissimum , qui eodem oculo » Christum Jesum in Eucharistia aspiciunt , & vident mulierem » ad eam concupiscendam , imò qui à Christo Jesu oculos aver» tunt , ut faciem fuco fœdatam contemplentur ; qui cor suum » diabolo sacrificant illo ipso tempore , illo ipso in loco , quo » Christum Jesum Deo Patri immolat Sacerdos : quid inquam? » Nònne majori insolentiâ Basilicas ingrediuntur ejusmodi Chris» tiani , quàm modesti quidam pagani? Ostiarii desunt , qui pro » munere suo eos expellant. At ò Sacerdotes! Ubi hic *zelus ves» ter*? Ordo vester *Ostiariorum ordinem eminenter in se continet*, » eorumque functiones à vobis supplendæ sunt. Tunc demum » opere comprobabitis , an diligatis eum , qui nequaquam ad » tem-

templi portam vos collocavit, se ad Sacrum Altare suum vos sublimavit. Tunc omnibus palam fiet, an vos sincere tangat gloria summi istius Magistri, qui & Templo præest, & in manus vestras sese tradit in illo sacrificio, quod quotidie celebratis. Si ejus honor vobis cordi sit, non reformidabitis faciem potentium. Dicetis ad profanatores istos, domum Dei domum esse orationis, non garrulitatis, non petulantiæ, ac procacitatis; illam adeundam ad eluenda peccata commisa, non ad nova commitenda; in eam ingrediendum non extento collo, sed corde contrito, & humiliato. Correptionem vestram committetur prudentia, at non molis, non carnalis. Regat illa zelum vestrum, sed nullatenus extingat ejusmodi considerationibus, quibus expediti erant olim Ostiarii inferiores tantùm Clerici, dum adhuc vigebat eorum in Ecclesia Ministerium.

» Cùm à Christianæ pietate ratione illud quoque alienum sit » (ut rectè monet S. Carolus in II. *Concil. Mediol. tit.* 2. » *dec.* 18.) ad ornatum Templorum adhiberi ea, quæ non modò Religionem non excitant, sed per quæ intuentium mentes facilè incidunt in fœdas, turpesque cogitationes; propterea » Ecclesiastici, quibus in susceptione Ordinis Ostiariatûs imposita est pro decore Domûs Dei, quantum in ipsis est, impedire debent, ne quis ad illa ornanda, ut loquitur S. Carolus, peristromatis aulæisque utatur, quæ obscœnis figuris intexta sint, neque item pictas imagines, & signa adhibeant, quæ vel Ethnicorum hominum, vel aliarum rerum, loci sanctitati repugnantiam, formam ac speciem præ se ferant; in omni præterea publicarum Supplicationum, Processionumque apparatu, qui obscœnarum rerum speciem obstendunt, ea ne adhibeantur.«

Meritò quoque curam illam pro Domo Dei ostendent Ecclesiastici, quibus in Cantores, Organistas, Campanarios, aliosque Ecclesiæ inferiores ministros aliqua est auctoritas, ut eos cohibeant *à lasciva, militari, & quavis indecora musica* (ut loquitur Synodus Mechliniensis *ann.* 1570. *tit. De Offic. Divin. cap.* 10.) *in cantu, organis & campanis.*

Utque verbo absolvam, studium Ecclesiasticorum, quos Ecclesia in Ostiarios elegit *ut sit eis fidelissima cura in Domo Dei diebus, ac noctibus*, ad hoc tendere debet, ut quidquid debitam locis sacris reverentiam diminuere, aut populum à solida pietate, & vera devotione abstrahere potiùs, quàm ad eam promovere posset, omni, qua possint, diligentiâ a Domo Dei amoveant.

§. III.

Officium Lectoris *requirit, ut Ecclesiastici piè ac devotè ad lectionem Scripturæ accedant.*

PRræcipuum officiun Lectorum sic exprimit Pontificale: » Lectiones Sacras distinctè, & apertè ad intelligentiam, & » ædificationem Fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuriâ vestrâ ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, » corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores » vestros, verbo pariter & exemplo vestro docere positis. «

Ita ergo Scripturas Sacras legere oportet *Lectorem*, ut à vero ejus sensu nec ipse aberret, nec alios aberrare faciat, sed *absque omni mendacio falsitatis proferat.*

Ut verò Lector Scripturæ verum ejus sensum assequatur, debitè dispositus ad ejus lectionem accedat, necesse est.

Prima verò dispositio est, ut, sicut monet Ecclesia, *ea quæ legunt opere compleant. Si quis enim*, inquit Christus, *voluerit ejus* (Patris) *voluntatem facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit*; intellectus enim bonus omnibus facientibus eum. Nam ut observat Augustinus *Quæst.* 96. *sup. Exod.* „Priùs » oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, meritò » devotionis istius ipse perducat.“ Et alibi. „Quis nesciat, tantò citiùs quemque proficere cùm bona legit; quantò citiùs facit, quod legit?“ *A mandatis tuis*, ait Psalmista Ps. 118. v. 104. *intellexi*: quòd videlicet, inquit Hieronymus, *post opera* cœperit habere scientiam secretorum.

Secunda dispositio, Lectoribus ad intelligentiam Scripturæ necessaria, est mundities cordis, quæ est veluti *clavis David*, qua aperiuntur arcana Scripturarum, sicuti è contra sordes concupiscenciæ cor claudunt, ne earum lumine illustretur. „Im» puris non se ostendit veritas (inquit Doctor Melifluus *Serm.* 62. » *in Cant.*) non se credit sapientia.... superbo oculo veritas de„ neget intuendam puro corde. «

Qui ergo per lectionem Scripturæ ad verum ejus intellectum pervenire desiderat, ante ejus lectionem cordis munditiam postulet, dicens cum Propheta Regio: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Amplius lava me Domine. Psal.* 50.

Tertiò ad lectionem Scripturæ, ut cum fructu legatur, accedere oportet non merè ut sciatur, quod curiositatis est, sed ut ex ejus lectione cognoscamus Dei voluntatem. „Si magnitu» dine suâ (ait S. Augustinus *Conc.* 17. *in Psal.* 118.) præcedit » scientia magnitudinem charitatis, non ædificat, sed inflat. « » Hinc idem Doctor *lib.* 2. *De Doct. Chris. cap.* 9. In omnibus » Scripturæ libris timentes Deum, & pietate mansueti, quærunt » voluntatem Dei.“

Eo ergo fine à pio Lectore legenda Scriptura Sacra, ut edoctus quid credere, & sperare debeat, in gemina charitate, *in qua tota lex pendet & Prophetæ*, crescat.

» In nullis Scripturis aliud inquiratur, ait rursus S. Aug. *in* » *Præfac. ad Psal.* 140. nemo vobis aliud præcipiat quàm charitatem de corde puro. Quidquid obscurum est in Scriptura, » hæc ibi occulta est. Quidquid ibi planum est, hæc ibi aper» ta est. Unde, eodem S. Doctore teste, quisquis Scripturas » divinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi vide» tur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. « *Lib.* 1. *de Doct. Christ. cap.* 37.

Quartò ut quis S. Scripturæ sensum assequatur, » opus est, » ut ait August. *lib.* 2. *de Doct. Christ. cap.* 7. mitescere pie» tate, neque contradicere divinæ Scripturæ, sive intellectæ, » *si vitia nostra percutit*, sive non intellectæ, quasi nos me» liùs sapere, meliusque præcipere possimus; sed cogitare po» tiùs & credere id esse melius & verius, quod ibi scrip» tum est, etiamsi lateat, quàm id quod nos per nosmetip» sos sapere possumus. «

Corde ergo humiliato pius Lector verba S. Scripturæ ruminat, ut licèt *vitia sua percutiat*, non propterea ad alienum sensum retorqueat; sed corde simplici ita sese ei subjiciat, » ut neque hominibus placendis studio detorqueatur » à vero (verba sunt Augustini *dict. cap.* 7.) nec respectu de» vitandorum quorumlibet incommodorum, quæ adversantur » huic vitæ. «

Hac animi puritate, eoque sincero affectu, si ad lectionem Scripturæ S. Canonici, aliique Ecclesiastici accederent, spes esset, quod *veri essent relatores verbi Dei habituri, si fideliter & utiliter impleverint officium*, sibi in susceptione Ordinis Lectoratûs *impositum, partem cum iis, qui verbum Dei benè administraverunt ab initio.* Pontifi. in Ordinat. Lect.

§. IV.

Ex illis, quæ in ordinatione Exorcistarum Ecclesia præscribit, ostenditur, quod Ordine illo initiati debeant specialiter cor suum ab omni affectu rerum temporalium mundare.

» ACcipitis, inquit Pontifex ad Ordinandos in Exorcis» tas, potestatem imponendi manum super Energume» nos, & per impositionem manuum vestrarum gratiâ Spiri» tus S. & verbis exorcismi pelluntur spiritus immundi àcorpo» ribus obsessis. Studete igitur, ut sicut à corporibus alio» rum dæmones expellitis, ita à mentibus & corporibus ves» tris, omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis; ne illis » succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. «

Quantumvis non omnibus Exorcistis ob varias rationes, hodie permittatur ut manus super energumenos imponant, ad expellendos dæmones è corporibus obsessis; semper tamen Ecclesia vult, ut continuum illis sit adversus spiritus illos immundos spirituale luctamen, illosque è suis aliorumque cordibus expellant. » Deum Patrem omnipotentem, Fratres cha» rissimi, inquit Episcopus, simpliciter deprecemur, ut hos » famulos suos benedicere dignetur in officium Exorcistarum, » ut sint *spirituales Imperatores* ad abjiciendos dæmones de » corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi.

Specialiter igitur Canonicis, aliisque Ordine Exorcistarum insignitis ingeminandum illud, quod ad omnes Christi Fideles dixit Apostolus *ad Ephes.* 6. *v.* 11. *&* 12. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.*

Sicuti verò Exorcistis speciale debet esse cum spiritibus immundis spirituale certamen, sic specialiter ab omni affectu terreno, ut superent, se exuant necesse est; nam ut bene monet Gregorius verè Magnus, » nihil maligni spiritus in » hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luc» tari debemus. Nam si vestitus quisquam cum nudo lucte» tur, citiùs ad terram dejicietur, quia habet unde tenea» tur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corpo» ris indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen » properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. Nihil in hoc » mundo amando possideat, nullas rerum labentium delecta„ tiones requirat, ne unde ad votum tegitur, ad casum in„ de teneatur.“ *Homil.* 32. *in Evang.*

Cui consonat illud S. Leonis *Serm.* 7. *de Nativ.* „Ita „ diabolus omnium discutit consuetudines, ventilat curas scru„ tatur affectus; & ibi causas quærit nocendi, ubi quem„ que viderit studiosiùs occupari.“

Quàm

Quàm vera sit Patrum illorum sententia exemplo Pilati nos docet Scriptura.

Animadvertens enim diabolus Pilatum omnibus hactenus Judæorum allatis argumentis, & populi clamoribus invictum stare, eum ex parte Cæsaris aggreditur; ejus enim amicitiæ retinendæ affectu, tanquam vestimento ipsum teneri posse sciebat. Clamabant itaque Judæi, diabolo instigante: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.*

Invenit Adversarius vestem, qua teneret; & ecce mox victoria, mox dejicitur Pilatus: subdit enim Sacer Textus: *Pilatus autem cùm audisset hos sermones*, de læso Cæsare, cui eum suspectum facere minabantur, *adduxit foras Jesum*, prorsus succumbens timori, qui omnibus Judæorum clamoribus infractus fuerat; „similis videlicet illis (ait Auctor quidam pietate, & eruditione conspicuus) qui tandiu fortiter »pro justitia certant, quandiu nullum imminet fortunarum »aut honoris aut status aut vitæ periculum.« *Jansenius in cap. 19. v. 13. Joan.*

Rectè ergo Exorcistas monet Ecclesia: *Disciti per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare.*

Ex quibus concludere licet, quod si adeo solicitè curare debeant Exorcistæ, ne quid in *moribus eorum sui juris inimicus valeat vindicare*, ut dæmoniis imperare, eorumque astus evadere possint; quantò solicitiùs Sacerdotibus, aliisque in eminentiore Ecclesiæ gradu constitutis vigilandum sit, ne quid in ipsis sui juris, quo ipsos sibi subjiciat, reperiat inimicus. Quo enim altiori & magis conspicuo loco sunt positi, eo ampliùs sagittas suas adversus illos evibrat adversarius.

§. V.

Ex illis, quæ in Ordinatione Acolythorum occurrunt, ostenditur, quòd qui illo Ordine sunt insigniti, debeant specialiter attendere, ut proximo bonis operibus præluceant, & caveant, ne actionibus suis populum scandalizent.

»AColythum oportet (ait Pontificale) ceroferarium ferre, lu»minaria Ecclesiæ accendere, vinum, & aquam ad Eu»charistiam ministrare. Studere igitur susceptum officium dig»nè implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo »manibus præferentes operibus tenebrarum inserviatis, & per »hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis. Sed sicut veritas dicit: »*Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera ves»tra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* »Et sicut Apostolus Paulus ait: *In medio nationis pravæ, & »perversæ lucete, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ »continentes. Sint ergo lumbi vestri præcincti; & lucernæ »ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abjiciatis »opera tenebrarum, & induamini arma lucis. Eratis enim ali»quando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis »ambulate.* Quæ sit vera ista lux, quam tantopere inculcat »Apostolus, ipse demonstrat, subdens: *Fructus enim lucis est »in omni justitia, bonitate & veritate.* Estote igitur soliciti in »omni justitia, bonitate, & veritate, ut vos & alios, & Dei »Ecclesiam illuminetis.“

Ex hisce patet evidenter, quòd speciali studio & curâ teneantur Canonici, aliique Ecclesiastici in Acolythos ordinati ratione Ordinis illius, per bona opera populo lucis exempla monstrare; atque solicitè cavere, ne quid in eorum actionibus occurrat, quod populo in scandalum cedere possit.

Tenentur ergo Ecclesiastici singulariter attendere, non tantùm an eorum actiones in se licitæ sint & honestæ, sed etiam num hîc, & nunc, ob hominum infirmitatem, aut temporis duritiam non sint futuræ aliis in petram scandali, & lapidem offensionis; quapropter speciali ratione vi Ordinis sui jubentur Ecclesiastici dicere, & observare illud Apostoli 1. *ad Corinth. 8. v. 13. Si esca* (idem die de omni eo, quod sine peccato omitti potest) *scandalizat Fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et illud: *Ab omni specie mali abstinere vos. 1. ad Thessal. 5. v. 22.*

Hoc quoque exemplo suo docuit Apostolus 1. *ad Corinth. 9. v. 4. 5. 12. 13. 14.* habens *enim potestatem manducandi, & bibendi*, id est, accipiendi à Corinthiis ea, quæ ad victum necessaria erant, *sicuti cæteri Apostoli, & Fratres Domini*; *sed non usi sumus* inquit, *hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* Sciebat quidem, *quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant. Ita & Dominus ordinavit*, ait, *iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem*, inquit, *nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me: bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.*

Hoc Apostolico exemplo docentur Canonici, aliique Ecclesiæ ministri, qui *lucere debent ut luminaria in mundo verbum vitæ continentes*, ut expendant non tantùm, an potestatem habeant accipiendi aut exigendi à populo hæc, illave jura, v. gr. decimas, funeralia vel his similia; sed insuper num similium exactio non tanta in populo excitatura sit scandala, tantumque Evangelio datura offendiculum, ut tanquam veri Acolythi deberent dicere cum Apostolo: *Habemus potestatem manducandi, & vivendi*, id est, hæc, aut illa jura accipiendi, *sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.*

§. VI.

Officium Subdiaconi exigit in Ecclesiasticis castigationem vocis.

PLura in ordinatione Subdiaconorum occurrere, quæ mirificè sanctitatem, quam in ipsis requirit Ecclesia, commendant, non difficulter intelliget, qui vel leviter ritus Ordinationis perlustraverit. Et quidem eximia illa carnis munditia, quam Subdiaconi profiteri jubentur, Ordinis illius sanctimoniam non parùm commendat; verùm cùm de illa, & ad eam pertinentibus capite speciali agere instituerim, nihil de ea hîc dicendum putavi; sed aliam virtutem, eamque Ecclesiasticis summè necessariam, at hodie parùm usitatam, scilicet *castigationem vocis*, specialiter Subdiaconis in traditione amictus commendatam, fusiùs proponere intendo.

Accipe amictum, inquit Pontificale, *per quem designatur castigatio vocis.* Verba hæc pauca sunt, sed magnam, sumeque necessariam omnibus Ecclesiasticis in se concludentia instructionem.

Quid enim adeo Christi ministro necessarium, quàm *castigatio vocis*? Nonne ministrorum Christi est, se in omnibus exhibere, sicut Dei ministros, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum? Ea consequenter ipsorum esse debet *vocis castigatio*, seu moderatio, ut nihil in eorum verbis occurrat, quod ministrum Christi dedeceat, aut in ministerii illius vituperium cedat; ac proinde præ reliquis Fidelibus fideliter impleant illud Petri: *Si quis loquitur, quasi* sermones Dei; *si quis administrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus per Jesum Christum.* 1. Petri 4. v. 11.

Credant quoque sibi specialiter dictum illud Apostoli ad Colos. 4. v. 6. »Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, »ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Et »illud ad Ephesos 4. v. 24. Omnis sermo malus ex ore ves»tro non procedat: sed si quis bonus ad *ædificationem fidei*, »ut det gratiam audientibus.

Ita ergo *vocem suam castigare*, debet Subdiaconus, ac proinde magis Sacerdos, ut vox ejus Christum, cujus ministerium gerit & pro quo legatione fungitur, in omnibus sonet. Ubi non impudica tantùm, aut obscœna, aliave similia monstra ab ore Subdiaconi, aut Sacerdotis fugere debent, sed omnia, quæ nec Dei gloriam, nec proximi ædificationem spirant, abesse debent, ne linguam ministerio Dei, ejusque laudibus decantandis consecratam, vano sermone profanari contingat.

Hinc notissima, sed utinam Sacerdotum cordibus impressa S. Bernardi sententia! »*Inter seculares*, inquit, *nugæ, nu»gæ sunt, in ore Sacerdotis, blasphemiæ.* Interdum tamen si »incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam... *Consecras»ti os tuum Evangelio, talibus jam aperiri illicitum, assues»cere sacrilegium est. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, »& legem requirent de ore ejus*, non nugas profectò vel fabu»las. Verbum scurrile, quod faceti, urbanive nomine colo»rant, non sufficit peregrinari ab ore; procul & ab aure re»legandum. Fœdè ad cachinnos moveris, fœdiùs moves.« *Lib. 2. De Consid. cap. 13.*

Non alia fuit ante S. Bernardum B. Petri Damiani de hujusmodi Sacerdotum nugis sententia: »Fuit, fuit olim, inquit, »sed jam elapsum est tempus, ut modestiæ pudor, mortifica»tionis insigne, digna severitas, Sacerdotalis genii valeat cen»sura servari. Nam, ut me solùm dignè coarguam, videtis ip»si, quia protinus, ut ad vos venio, ecce sales, ecce face»tiæ, lepores, urbanitates, dicacitates, volumina quæstionum, »omnesque verborum inanium pestes insolenter erumpunt, quæ »nos, non jam Sacerdotes, sed potiùs Oratores, ac Retho»res, sive, quod inhonestum est, scurras ostendunt. Mox enim, »ut verba conserimus, paulatim quædam lenocinia confabula»tionis alternæ surrepunt, quæ omnem animi vigorem indi»center emolliant, & severitatis robur in excussum risum, »& turpia joca disolvant. Hinc est, quòd mens extra se spar»sa confunditur, acies cordis obtunditur, lux divini amo»ris extinguitur, terror in alios, & reverentia Sacerdotalis »amittitur; & quod periculosius est, rectè vivendi linea, quæ »aliis ad exemplum proponenda fuerat, non tenetur. Quod si

»nos,

» nos, vel pudore, vel metu in hæc declinare contemnimus, » mox inhumani, rigidi, & quos hircanæ genuerint tigres, sa- » xei judicamur. «

Quàm æqua sit Patrum illorum censura, ipsi quoque Canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia roborati, abundè ostendunt. Ut quid enim S. Canonibus 47. & 48. Synodi Carthag. IV. adeò severè decretum: ut *Clericus per plateas, & andronas, nisi maxima sui officii necessitate non ambulet*? Item *Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur*? Ut quid, inquam, hæc severa per andronas, aut in foro, deambulationis interdictio? Non ob aliam indubiè causam, nisi ut vana colloquia, quæ in locis illis frequentiora esse solent, clerici evitarent.

Ne quis me hæc divinare credat: Patres Concilii Narbonensis *Ann.* 589. *Can.* 3. prædictorum Canonum censuram renovantes audiamus: » Nam & hoc, inquiunt, secundum pris- » corum censuram Canonum finitum, ut nullus Clericus, Sub- » diaconus, Diaconus, vel Presbyter in *plateis* resideat: certè » nec in *plateis*, & *stare*, & *fabulis diversis commisceri*. Quod » si quis facere præsumpserit, repellendum omninò ab officio, » & execrandum, si non emendaverit, & à communione, & ab » officio privetur.

Hisce consonat S. Ambrosius *lib.* 1. *offic. cap.* 23. agens enim *de Officiis* multa quæ de ratione dicendi dant præcepta seculares viri, novis inquit, prætereunda arbitror, ut de *jocandi disciplina. Nam licet interdum honestajoca, ac suavia sint tamen ab ecclesiastica adhorrent regula.*

Ipsum proindè *amictus* insigne, quo *castigatio vocis* indicatur, ipsa SS. Patrum gravissima effata, ipsa denique sanctissima Canonum decreta, condemnabunt Canonicos, aliosque Ecclesiasticos, qui os Dei ministerio ac divinis laudibus consecratum, nugis, facetiis, vaniloquiis, ut pejora taceant, magno diei tempore impendunt, quibus in more positum est andronas, plateas, ac fora, cum magno Sacerdotii vilipendio obambulare, ad nihil aliud vacantibus, *nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.*

Imò quod deterius est, qui in plateis aut in foro stare, & fabulis seu inutilibus sermonibus commisceri malunt, quàm ut divinis laudibus decantandis devotè incumbere, aut animam suam prævièt ad orationem adversus ocurrentes distractiones, mentisque evagationes præparare.

§. VII.

Ordo Diaconatus in Ecclesiasticis requirit christianam fortitudinem, ut libere anuntient Evangelium, nec Christum, ejusve Sermones erubescant.

MAgnam morum sanctitatem vitæque puritatem in Diaconis requirit luculenter expressit Pontificale. Postquam enim Diaconorum Ordinem levitici officio succedere asseruit, dicit, Diaconos debere *Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum, portare & munire ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto.* Deinde subjungit: » Levi interpretatur additus, sive » assumptus. Et vos filii dilectissimi, qui ab hæreditate paterna » nomen accipitis *estote assumpti à carnalibus desideriis à ter-* » *renis concupiscentiis, quæ militant adversus animam*; *estote* » *nitidi, mundi, puri, casti, sicut* decet ministros Christi, & dis- » pensatores mysteriorum Dei; ut dignè addamini ad numerum » ecclesiastici gradus; ut hæreditas, & tribus amabilis Domini » esse mereamini. Et quia comministri, & cooperatores estis » Corporis & Sanguinis Domini, estote *ab omni illecebra car-* » *nis alieni*, sicut sit Scriptura, *mundamini qui fertis vasa Do-* » *mini*.... curate, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis » operibus exponatis. «

Quis ex his non videt omnium virtutum genera in Diaconis desiderari? Unde ad Deum Episcopus se convertens, erat, ut emittat in eos » Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui » fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere *roborentur.* Abundet in eis *totius forma virtutis*, » auctoritas modesta, pu- » dor constans, innocentiæ puritas, & spiritualis observantia » disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ » castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat. «

Verùm licet divinorum charismatum donis repletos Diaconos desideret Ecclesia, specialiter tamen christianam fortitudinem, seu christianum *robur* in ipsis exoptat. Hinc Episcopum *manum* imponendo (quâ solâ manus impositione Ordinem Diaconatus plurimis seculis, etiam in Ecclesia Latina, collatum fuisse ostendit Morinus De SS. Ordin. *part.* 3. *exerc.* 9. *cap.* 1. & 2. dicit) *Accipe Spiritum Sanctum ac* robur *& ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini.* Quibus dictis mox orationem interruptam prosequitur dicens: *Emitte in eos, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere* roborentur.

Et quid mirum, si *fortitudinem*, seu *robur* christianum singulariter in Diacono desideret Ecclesia? Cum enim ipsis imponant, ut *Evangelium ore anuntient & vivis operibus exponant*, quin magna ipsis animi fortitudine opus sit, ignorari non potest.

Novit enim Ecclesia, nihil mundo esse magis odiosum quàm ipsa Evangelii annuntiatio. Novit ipsa, inter persecutiones, & mundi odia Evangelium esse per Christum annuntiatum, ac per Apostolos promulgatum; consequenter nec per illos, quos in Diaconos assumit, sine mundis persecutionibus, & odiis fideliter esse annuntiandum, neque enim ignorat verissimam, ac certissimam hanc Christi sententiam: *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum: sufficit discipulo, ut sicut Magister ejus: & servo sicut dominus ejus: Matth.* 10. ℣. 24. 25. Quasi diceret, nolite vos, qui annuntiatione Evangelii *servi* mei estis, melioris conditionis vos putare, quàm ego fui, qui calumnias, persecutionem, imò mortem ipsam Evangelii causa patior.

Neque ea animi fortitudo adversus mundi odia, ejusque obloquia, atque irrisiones solum necessaria est Diaconis, ut Evangelii veritatem libere constanter *ore* anuntient, sed vel maximè, ut eam *vivis operibus exponant.*

Sicuti enim Evangelium, ejusque annuntiatio, mundo, atque ejus dilectoribus est gravis & molesta, ac propterea continuum in ejus annuntiatores mundi certamen; ita vita justorum, quæ est viva Evangelii expositio, & annuntiatio, mundo ejusque amatoribus contraria est, imò, gravis atque molesta; ideoque implacabile quoque adversus eam mundi odium, continuæ derisiones, quæ sæpius in apertas quoque erumpunt persecutiones.

Quare Diaconi, si juxta officii sui exigentiam Evangelium *vivis operibus* strenuè ac constanter exponant, singulariter experientur, verum esse, quod de hominum mundanorum adversum Christum conspiratione expressit Sacer Textus: *Circumveniamus* (inquiunt *Sap.* 2. ℣. 12. *& seq.*) » Justum, quoniam » inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris: & impro- » perat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ » nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se » nominat. Factus est nobis in *traductionem* cogitationum nostra- » rum *gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est* » *aliis vita illius*, & immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam *nugaces* » æstimati sumus ab illo, & abstinens se ab viis nostris tanquam » ab *immunditiis*, & præfert novissima Justorum, » gloriatur » patrem se habere Deum. «

Experientur similiter quàm verum sit illud S. Gregorii *lib.* 10. *Moral. cap.* 16. » Deridetur justi simplicitas.... quia ab hujus » mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur, Omne » enim, quod innocenter agitur, ab eis proculdubio stultum » putatur; & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapien- » tiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videretur mundo, quàm » mentem verbis ostendere, nihil calida machinatione simulare, » nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare, » paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resis- » tere, percutienti alteram maxillam præbere? «

Merito ergo Ecclesia Diaconis, quibus incumbit, ut publicè Evangelium *ore anuntient* atque *vivis operibus exponant*, postulat Spiritum Sanctum ad *robur, & ad resistendum diabolo*, qui Evangelio, ejusque annuntiatoribus per se: suaque instrumenta bellum continuum indixit. Merito quoque ipsis invictum illum Levitam S. Stephanum imitandum proponit, ut hujus exemplo excitati fortiter pro Evangelio pugnare pergant; tametsi mundi amatores *audientes dissecarentur cordibus, & striderent dentibus in eum.*

Meritò proindè verentur Diaconi, & Sacerdotes, ne ad impositionem manus Episcopalis *Spiritum Sanctum ad robur* non acceperint, qui timore offendendi homines, aut honoris, fortunarum, aut rei alicujus temporalis perdendæ periculum Christum, seu veritatem publicè annuntiare, vel propugnare omittunt.

Si de omnibus dixerit Christus, *Luc.* 9. *v.* 26. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*: si, inquam, hoc omnibus comminatus sit Christus, quantò magis *erubescet* Ecclesiasticos, quibus Sermonum ejus confessio & annuntiatio singulariter erat credita, si ipsum ejusque sermones, ex humana aliqua consideratione facto, aut verbo annuntiare *erubuerint.*

§. VIII.

Ex Pontificali ostenditur quàm eximia vitæ puritas, ac morum integritas in Presbyteris desideretur.

» CUm magno timore ad tantum gradum ascendendum est, » ait Pontifex ad Ordinandos in Presbyteros, ac provi- » dendum, *ut cœlestis sapientia, probi mores, & diuturna jus-* » *titiæ observatio* ad id electos commendet. « Non sufficit ergo, ut ordinandus in Presbyterum in præsenti sit justus, sed re-

requiritur ut *diuturna justitiæ observatio* ipsum commendet; adeoque credatur jam *in charitate radicatus, & fundatus.*

Subdit Pontifex : » Filii dilectissimi, quos ad nostrum adjuto» rium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, *ser*» *vate in moribus vestris castæ & sanctæ vitæ integritatem:* » *Agnoscite quod agatis, imitamini quod tractatis, quatenus* » *mortis dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra* » *vestra à vitiis, & concupiscentiis omnibus procuretis.* «

Si enim teste Apostolo *ad Galat. 5. versic. 24. qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*, quantò magis Presbyteri mortis dominicæ mysterium continuò tractantes, & sacrificium incruentum in commemorationem passionis ipsius offerentes, debent se ipsos, & carnem crucifigere cum vitiis, & concupiscentiis, ut ita sibi ipsis secundum veterem hominem, ejusque inclinationes morientes, quotiescunque dominicæ passionis sacrificium offerunt etiam spirituale, secundum carnem moriendo, sacrificium exhibeant.

Et quidem cum præcipuum, excellentissimumque Presbyteri officium sit, incruentum Altaris sacrificium in memoriam dominicæ passionis offerre, singularis quoque Presbyterorum virtus dicenda membrorum mortificatio, seu carnis, & concupiscentiarum crucifixio, & spiritualis immolatio; ideoque charitatem, quæ per *casulam* omnibus reliquis Sacerdotalibus vestribus superpositam designatur, meritò intelligitur *charitas mortificans*, quæ adinstar *casulæ* omnibus aliis virtutibus sic dominetur, ut dicere possit Presbyter: „vetus homo noster simul cruci„fixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato. *Ad Rom. 6. v. 6.* Item cum Apostolo: „Non indicavi „me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Cristum & hunc *crucifixum.*“ *1. ad Corint. 2. v. 2.*

Prosequitur Pontifiex monendo ordinandos : *Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitæ vestræ, delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione, atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei.*

Rectè ergo dixit S. Gregorius : » quòd sicuti sæpè videmus, „ quòd petra salis brutis animalibus anteponitur, ut ex eadem „ salis petra lambere debeant, & meliorari, quasi ergo inter bruta „ *petra salis debeat esse Sacerdos in populis.* Curare namque Sa„ cerdotem necesse est, *inquit*, quæ singulis dicat, unumquem„ que qualiter admoneat : *ut quisquis Sacerdoti jungitur quasi* „ *ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur.*“ *Hom. 16. in* „ *Evang.*

Quis hinc non videat eximiam quamdam vitæ puritatem ab Ecclesia in Presbyteris desiderari, quod ampliùs patebit, si oratio, quæ pro Presbyteris funditur, expendatur.

„ Deus sanctificationum omnium auctor, inquit, cujus vera „ consecratio, plenaque benedictio est, tu Domine, super hos „ famulos tuos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, mu„ nus tuæ benedictionis infunde, *ut gravitate actuum, & cen„ sura vivendi probent se* seniores, *his instituti disciplinis, quas* „ *Tito & Timotheo Paulus exposuit : ut in lege tua die, ac noc„ te meditantes, quod legerint, credant, quod crediderint, do„ ceant, quod docuerint, imitentur, justitiam, constantiam,* „ *misericordiam, fortitudinem, cæterasque virtutes in se osten„ dant, exemplo præbeant, admonitione confirment; ac purum,* „ *& immaculatum ministerii sui donum custodiant.*“

Hanc orationem, aliaque, quæ ex Pontificali retulimus, expendentibus planum erit, non absimilem vitæ puritatem, ac integritatem in Presbyteris hodie ab Ecclesia desiderari, quam Apostolus & qui eum secuti SS. Patres olim exegerunt, scriptisque suis expreserunt. Nec mirum non enim minus sancta, ac immaculata à Presbyteris hodie quàm olim hostia immolatur; ac proinde eâdem ratione modò qua olim Chysostomus *Homil. 83. in Matth.* dicere licet : *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem esca? Quo solari radio non splendidiorem manum* carnem hanc dividentem, os, quod igni spiritali repletur, *linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit.*

Nec minus hodie quàm olim verum est, quod omnis Sacerdos *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quæ sunt ad Deum* : debet proinde omnis Sacerdos ejus esse sanctitatis, & innocentiæ, ut officium mediatoris inter Deum, & homines exercere valeat, id est, ut per preces, ac sacrificia, vice populi Deum dignè laudare, honorare, ei gratias agere, nova beneficia populo impetrare, ac denique ipsum populum Deo reconciliare valeat : quæ omnia requirunt, ut per se notum est, ut Presbyter singulariter Deo gratus sit.

Denique non minùs hodie quàm olim debent Sacerdotes, ad exemplum Christi, pro populo seipsos sanctificare, ut sit & *ipse* (populus) *sanctificatus in veritate. Joan. 17 v. 19.*

§. IX.

Corollaria ex illis, quæ præsenti capite dicta sunt.

PRræcipuam, ac fundamentalem Clericorum virtutem, in qua ipse spritus clericalis meritò reponatur, esse charitatem, qua homo se totaliter a rerum mundanarum affectu exuens, rerum verò divinarum desiderio accendens totus Dei, atque Ecclesiæ servitio mancipatur, §. 1. hujus capitis ostensum fuit.

Ex quo consequens est, quòd Episcopi, & quicumque de vocatione alicujus ad statum ecclesiasticum judicare debent, præcipuè attendere teneantur, num charitatis illius indicia sufficientia appareant; & quidem tantò majora, quantò majore ordine quis insigniendus est.

Constat quoque ex omnibus, quæ hoc capite ex Pontificali protulimus, magnam in Sacris Ministris morum puritatem, vitæque integritâtem desiderari; quinimò si singula, quæ Ecclesia in ipsis ordinationum ritibus proponit, attentè considerentur, non difficulter deprehendetur eandem de Sacrorum Ministrorum puritate hodie esse Ecclesiæ mentem, quam in Patrum, scriptis expressam legimus.

Hinc collige, non minorem hodie quàm olim ab Episcopis, aliisque Ecclesiæ Ministris, quibus judicium de qualitatibus ordinandorum creditum est, inquisitionem de moribus ordinandorum esse instituendam; nec minus hodie quàm olim cavendum, *ne citò manus aliqui imponant.* Non minus quoque hodie, quàm olim observandum esse monitum S. Gregorii *Lib. 5. Epist. 27.* datum Candido Episcopo, quo monetur in assumendis è Monachis ad Presbyteratum, *præ omnibus esset solicitus, ut vitam, actusque eorum, qui in hoc sunt officio constituendi, subtiliter debeat inquirere & tunc eos, si digni fuerint, ordinare.*

Ex quo ulteriùs concluditur, quod meritò Tridentina Synodus, conformiter ad ea quæ SS. Patres prioribus seculis adeo enixè Episcopis inculcaverant, statuerit *Sess. 23. cap. 7. De Reform.* » Ut Episcopus Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, » peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, » sibi adsciţis, ordinandorum genus, personam, ætatem, mores, » doctrinam, & fidem *diligenter* investiget, & examinet : volens „ insuper, ut nec regulares sinè diligenti Episcopi examine ordi„ nentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitùs exclusis.“

Non difficulter quoque ex assertis concluditur, quòd Episcopi multum à mente Ecclesiæ recederent, & contra Apostoli præceptum frequenter *manus suas* nimis citò *imponerent*, si omnes illos sacris Ordinibus dignos judicarent, qui Præfectorum, aut Præsidum suorum testimoniis digni judicantur.

Quid enim certius, ac evidentius, quàm quòd hodie plurimi, qui juventuti ad statum ecclesiasticum formandæ præsunt, diversam planè de morum integritate in Ecclesiæ ministris requisita, ideam habeant ab illa, quam Spiritu Sancto edocta, & directa Ecclesia in Pontificali, ac Sacris Canonibus expressit.

Nonnè plurimos juventutis Moderatores hodie videmus testimonia capacitatis ad Sacros Ordines annuere omnibus suis subditis, modo tempore aliquo studuerint, ac ab externis illis defectibus, qui etiam laicos contemptibiles redderent, se continuerint, parùm attendentes, num in illis Spiritus Ecclesiasticus, id est, charitas, qua rebus terrenis renuntiant, & se Dei, ac Ecclesiæ servitio consecrare intendunt, effulgeat; num ad Subdiaconatum promovendi tales sint, ut spes sit non incerta, quòd perpetuam castitatem servabunt; num tales, ut si humanâ fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præberi ab illis possit, ut loquitur Pontificale, *aqua cœlestis doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum Altaris, & cultum divini Sacrificii redeant.*

Num ordinandi in Diaconos ejus sint vitæ integritatis, ut in ordinem Leviticum succedentes *Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum portare, & munire possint ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto.*

Circa ordinandos in Presbyteros parùm soliciti, num tales sint, ut sperari possit, *quod eorum doctrina sit futura spiritualis medicina populo Dei, odor vitæ eorum, delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione, atque exemplo ædificent domum, id est, familiam Dei.*

Nec tantùm in secularibus Seminariorum, ac Collegiorum Directoribus hæc facultas dandi capacitatis testimonia deprehenditur; sed in plurimis quoque Regularium Superioribus, qui passim, *ut experientia notissimum est*, Episcopis tanquam dignos præsentant indifferenter omnes, qui ad ætatem legitimam pervenerunt, & tempore aliquo professi sunt; sufficienter per hoc ostendentes, se non habere illam, de morum integritate, & vitæ innocentia in ordinandis prærequisita, ideam, quam in Pontificali, ac in suis decretis Ecclesia expressit.

Unde non immeritò ob hanc, aliasque rationes monuit Franciscus Hallier in *Append. ad Sect. 1. De SS. Ord. §. 3.* » Non adeò Superiorum Regularium fidei credendum esse, ut » quos illi tanquam dignos obtulerint absque alio examine, at» que discussione ad Sacros Ordines Episcopi recipiant : tum, » inquit, quia testimonium ab iis, qui *foris sunt*, habere de» bent, qui ad Ordines promovendi sunt Regulares; tum aucto» ritate Pauli universum id statuentis; tum Hieronymi de Mona» chis expressè id exponentis. At, si solius Abbatis, seu Supe» rioris Regularis testificatione idonei comprobarentur Regula» res, jam non ab iis, qui foris sunt, sed domestico solùm ab » iis, qui intus latent, testimonio niterentur; tum quia nemini, » ut

„ut Jure Canonico cautum est, in propria causa credendum est; „nec testes domestici, seu ex eadem familia idonei ad testifican- „dum creduntur: quæ igitur fides Superiori Regulari, aut cui- „cumque alteri ex eadem, cum eo, qui ad Ordines suscipien- „dos accidit, familia adhibenda erit? Maximè cùm notum sit „totius Monasterii interesse, ut quamplurimos Ordinibus Sa- „cris initiatos habeat: & facilè probi etiam, & boni, insitâ „hominibus omnibus cupiditate Ordinis sui gloriam promoven- „di (qua Regulares præ cæteris maximè flagrant, quod Ordinis „sui ampliationem & ornamentum ad Dei gloriam & Ecclesiæ „utilitatem spectare præsertim arbitrentur) facilè, inquam, hac „cupiditate ducti abripiantur, ut leviùs de suis censeant quàm „par sit, & *in pondere*, & *pondere* judicent suorum industriam „ac dotes magnificè, Sacerdotii & reliquorum Ordinum eccle- „siasticorum dignitatem tenuiter æstiment."

Parùm igitur securè procedent Episcopi, si non aliunde de Ordinandorum moribus, quàm per Superiorum, aut Præsidentium testimonia ipsis constet; nisi præviè sciant quòd illi, qui testimonia dederunt, sint tales, qui veram de Sacris Ordinibus ideam habeant, ejusque sint probitatis & fortitudinis, ut nullis illa testimonia sint daturi, nisi quos secundum veram ideam credunt Sacris Ordinibus idoneos.

CAPUT IV.

Canonici, aliique Ecclesiæ Ministri ab omni carnis immunditia, et intemperantia alieni esse debent.

PARAGRAPHUS I.

Ostenditur, quod sacris Ecclesiæ Ministris specialiter conveniat castitas.

SAcerdotibus veteris legis per Moysen dixit Dominus: *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt; sint sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.* Levit. 21. v. 6. Et rursus: *Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Et iterùm: *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo..... nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos.* Et infrà: *Dic ad eos & posteros eorum: Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerint filii Israel Domino, in qua est immunditia, peribit coram Domino. Ego sunt Dominus.* Levit. 22. v. 3. 4. &c.

Si tantam munditiam, atque vitæ innocentiam requisiverit Deus in Sacerdotibus, ac Ministris sanctuari veteris legis, quis non fateatur, summam munditiam, ac puritatem requiri in Sacerdotibus novæ legis? Qui non hircorum, aut vitulorum sanguinem, vel panes propositionis Deo offerunt; sed quorum officium est consecrare, tractare, tangere, Deo offerre, sumere & distribuere hostiam illam immaculatam, agnum sine macula, corpus impollutum, quod Virgo castissima de Spiritu Sancto concepit: cujus sanctitatem considerans ille, quo *non surrexit inter natos mulierum major*, confessus est, & non negavit: *venit fortior me post me: & cujus non sum dignus procumbens solvere corrigeam calceamentorum ejus.* Marci 1. v. 7. Et Princeps Apostolorum contremiscens *procidit ad genua* ejus *dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Cujus vultum desiderant Angeli prospicere*; & aspicientes propter majestatem vultûs ejus velant facies suas.

Si Apostolus conjuges Christianus optet ad tempus abstinere ab actu conjugali, ut vacent orationibus; quomodo non ab omni impuritate & carnis immunditia alienus esse debet Sacerdos, *qui ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*; id est, ut per continuas ad Deum preces, tamque juge labiorum suorum sacrificium, populum Deo reconciliet, vice populi Deum laudet pro beneficiis aceptis Deo gratias agat, ac nova beneficia populo impetret?

Quomodo in oratione pro populo levabit puras manus, qui corpus suum carnis immunditiâ conspurcaverit?

Sed quid huic rei adstruendæ tantoperè immoror, quandoquidem ut benè notàrunt Patres Concilii Trident. „quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixe- „runt sit indignum, in impudicitiæ sordibus, immundoque „concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium om- „nium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore testetur." *Ses. 25. cap. 14. de Reformat.*

Quantopere quoque in Ministris suis carnis immunditiam execretur Ecclesia, satis ostendit, dum per multa secula ab omnibus sacris functionibus in perpetuum dimovit, qui in hujusmodi immunditiam esset prolapsus, quantumvis multis pœnitentiæ lacrymis se ab illa immunditia emundâsset.

§. II.

Castitas debet se ostendere in omnibus actionibus Clerici.

NOn *est arbor bona*, inquit Christus Luc. 6. v. 43. & seq. *quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; & malus homo de malo thesauro profert malum.* Quasi diceret, si dignoscere cupitis, num thesaurus, seu amor cordis bonus sit, fructus expendite; de bono enim cordis thesauro boni fructus, de malo mali fructus nascuntur. Si igitur amor castitatis tanquam quidam thesaurus in corde Clerici lateat, fructus boni illius thesauri in omnes exteriores actiones se diffundent. Amor enim seu thesaurus cordis actionum exteriorum fons est, & origo; ut propterea ad imitationem ejus, quod dixit Christus, *Matth. cap. 12. v. 34.* & *Luc. cap. 6. v. 45. Ex abundantia cordis os loquitur*, dicere liceat: ex abundantia, seu thesauro cordis oculi moventur, pedes incedunt, manus operantur, & sic de reliquis exterioribus corporis operationibus.

Si proinde cor Clerici castum sit, vivatque in eo amor castitatis, ex abundantia cordis os ejus pudica loquetur, in oculis, manibus, omnibusque membris, ac gestibus nonnisi pudica, tanquam boni illius thesauri fructus apparebunt.

E contrario verò, si verba Clerici sint minus casta, si aures suas sermonibus obscœnis, aut cantinelis parùm pudicis non occludat, imò facilè accomodet, si aliorum minùs honestis actionibus, aut gestibus libenter eas inclinet, aut quod pejus est, eis annuendo, illas foveat; picturas, statuas, aut imagines non satis honestas toleret; si in familia sua mulieres habitu lascivo vestitas secum patiatur; difficulter persuadebitur in corde illius Clerici amorem castitatis dominari.

§. III.

Ob periculum incontinentiæ Canonicis, aliisque Ecclesiasticis familiarior mulierum conversatio fugienda est.

INcontinentiam seu vitium carnis non vinci resistendo, & quasi ex adverso turpitudinem ejus aspiciendo, sed fugiendo, omnibus constat. „Et Apostolus Paulus evidenter (inquit „Augustinus, seu Cæsarius Arelat. ut alii volunt, *Serm. 293. in Append. novæ edit.*) ostendit, qui cum omnibus vitiis præ- „dicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non „dixit, *resistite*, sed *fugite fornicationem.* Ac si contra reliqua „vitia, Deo auxiliante, debemus in præsenti resistere, libi- „dinem verò fugiendo superare. Sic & alibi in *Scripturis „divinis* legimus: *Noli*, inquit, *in faciem virginis intende- „re, ne te scandalizet vultus ejus.*

Beatus Joseph, ut impudicam Dominam posset evadere, „pallium, quo apprehensus fuerat, reliquit, & fugit. *Er- „go contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis ob- „tinere victoriam.* Nec tibi verecundum sit fugere, si cas- „titatis palmam desideras obtinere. Unde, Fratres charissi- „mi, ab omnibus Christianis, præcipuè tamen Clericis sive „Monachis, indigna & inhonesta familiaritas fugienda est: „*Quia sine ulla dubitatione, qui familiaritatem non vult vi- „tare suspectam, citò dilabitur in ruinam.*"

Quod periculum & ipsa Scriptura non uno loco expressit: *Nunquid*, ait Sapiens, Proverb. cap. 6. v. 27. & seq. *potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non amburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.* Et Ecclesiastici cap. 19. v. 2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos.* Et ibid. cap. 42. v. 12. & 13. *Omni homini noli intendere in specie, & in medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

Unde S. Hieronymus in Nepotiano suo omnes erudiens Clericos „hospitiolum tuum, inquit, aut rarò, aut nunquam „mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, „aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige: ne sub eodem „tecto manseris, nec in præterita castitate confidas. Nec Samp- „sone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone potest „esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de „possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanc- „tus frater assistat, & germana, vel mater, aut probatæ quæ- „libet apud omnes fidei.

„Sed dicet aliquis, inter mulieres extraneas habitans con- „tinentiam teneo, & volo habere quod vincam. Quid est di- „cere, inquit Augustinus, vel Cæsarius Arelat. volo habere „quod

» quod vincam, nisi vivere desidero sub ruina? Sed ego, » inquit, libidinis impetum tanquam adversarium meum vo- » lo captivum jugiter retinere. Vide ne contra te incipiat » ipsa captivitas prævalere, & ubi te putabas obtinere trium- » phum, inde in æternum incurras oprobrium. « Loco citato.

§. IV.

Familiarior mulierum conversatio à Canonicis, aliisque Ecclesiasticis cavenda est, ob aliorum offensionem & scandalum.

SI omnibus inclamet Apostolus, *providentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus*, quomodo non solicitè Ecclesiastici providere tenentur? Qui tanquam lux mundi exemplo suo populo prælucere jubentur, bono vitæ odore fideles condire, tanquam sale, & non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus bona providere. Hinc illud ejusdem Apostoli universis Ecclesiæ Ministris adeò inculcatum: *Nemini dantes ullam* offensionem, *ut non vituperetur ministerium nostrum; sed exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in castitate.* 2. ad Corinth. 16. v. 4.

Hanc speciem mali, atque ministerii offensionem sacros Ministros ex familiariori mulierum conversatione facilè incurrere, experientiâ satis superque notum est. Hinc cuidam familiare consortium volenti excusare his Scripturæ verbis: *qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*, reposuit S. Hieronymus *Epist. ad Rust.* „Benè & argutè: sed oportet bonum » habere testimonium ab his qui fori sunt. Licèt coram Deo » rectè ambules, tamen coram hominibus bona providenda; » quia astutiores sunt filiis lucis filii tenebrarum. Cùm ergo » à te hoc genus non amputatur, das reprehendentibus te lo- » cum, cum ipse te detrahentium morsibus tradidisti.“

Debent igitur Canonici, aliique Ecclesiastici ità esse moderati in conversatione mulierum, ut non tantùm se ab omni incontinentiæ vitio contineant; sed insuper provideant, ne ex ea conversatione offensionem fidelibus tribuant, ut non vituperetur ministerium ipsorum. Certum enim est inter omnia vitia nullum tantopere dedecere ordinem ecclesiasticum, quàm vitium incotinentiæ, ita ut vel minima illius suspicio populum graviter offendat, Ecclesiasticosque laicis facilè contemptibiles reddat: quapropter admodum solicita semper fuit Ecclesia, ut familiariorem, suspectamque mulierum conversationem Clerici sedulò evitarent; ne vel minimâ vitii illius maculâ fama ipsorum denigraretur, & vita ipsorum malè olere inciperet.

Utque veteres Nicænos, Carthaginenses, aliosque Canones olim contra familiariorem mulierum conversationem, earumque cum Clericis cohabitationem editos, ac frequentissimè renovatos silentio obvolvam, solùm decreta, quæ in Conciliis nostris Belgicis, & quidem nostrâ propemodum ætate contra dictam conversationem & cohabitationem edita fuêre, subjiciam.

Biennio à finita Tridentina Synodo congregati Patres Provinciæ Cameracensis, contra familiaritatem Clericorum cum mulieribus Canonem sequentem ediderunt: „ Consortium mu- » lierum Sacerdoti non convenit, quem castitas, & continen- » tia ornare perpetuò debent: & ut castitas servari queat in » muliebri consortio, rarò tamen bonum nomen retineri po- » test. Quare præcipit Sancta Synodus, ne qui Sacros Ordi- » dines susceperit, in familia secum habeat mulierem exter- » nam, de qua suscipio facilè sinistra accipi possit. Quam sus- » picionem vitare nequeunt qui juvenes cultas, procaces, otio- » sas, impudentes, mali nominis, ac famæ, aut quas anteac- » tæ vitæ macula contaminat, vel secum alunt, vel frequen- » ter, aut adeunt, aut admittunt. Si quis hac in parte pecca- » verit, monitus, castigatusque, nisi animum, & vitam mu- » taverit, graviter Ordinarii judicio puniatur.“ *Ann.* 1563. *tit.* 8. *cap.* 3.

Canoni prædicti Provincialis Concilii consonat decretum Synodi Audomarensis *Ann.* 1583. *tit.* 16. *cap.* 2. in quo nonnulla præterea notanda occurrunt: » Cum fœminis etiam sanc- » titate spectatis, extra honestatis necessitatem, non conver- » sentur: *De vestimentis enim* (quod inquit Sapiens) *procedit* » *tinea, & à muliere iniquitas viri: & melior est*, minusque » periculosa in virorum conversatione *iniquitas viri, quàm mu-* » *lier bene faciens*: denique *vinum, & mulieres appostatare* » *faciunt sapientes.* Ancillam non accipiant per quam incontis » nentiæ periculum, opinionem, aut suspicionem possint incur- » rere. Quare non nimis familiariter utantur ancillis suis, quan- » tumcunque honestis, nec cum eis ad convivia, quantum- » vis honesta, etiam vocati, accedant; etiam ad forum, mul- » toque minus ad tabernas, aut ad choreas. *Sciant verò multò* » *fore & tutius, & honestius, si ancillarum loco, viri viris* » *inserviant, atque iis præsertim qui soli agunt.*“

Concilium Provinciale Mechliniense Ann. 1570. præcipit, ut Clerici à tabernarum frequentatione, & *suspecta cum mulieribus conversatione, & cohabitatione omninò abstineant.* Tit. *de vita & honest. Cler. cap.* 5.

Huic Provinciali Concilio consonant ejusdem Provinciæ Diœcesanæ Synodi Mechliniensis *Ann.* 1609. *tit.* 18. *cap.* 8. Gandens. *tit.* 17. *cap.* 5. quæ insuper ostendunt, quòd Clerici ab omni specie incontinentiæ cavere debeant: » Ut in hac homi- » num malignitate, inquiunt, omnis Cleri sugillandi occasio adi- » matur, & scandalis tempestivè occurratur, non tantùm in- » continentiam, sed omnem quoque ejus speciem unusquisque » caveat; ideoque si quis ancillam habeat, vel cum alia mu- » liere sic conversetur, ut obloquium inde vel scandalum oria- » tur, ad monitionem nostram vel etiam Capituli, sub quo » degit, hanc ancillam abdicare, seu ab hujus mulieris fami- » liaritate se subtrahere, mox teneatur. Quod nisi fecerit. &c.

Prædictis Synodis convenit quoque Antuerpiensis *Anno* 1610. *tit.* 17. *cap.* 6. » Quia verò, ait, incontinentiæ cri- » men maximum dedecus parit ordini Ecclesiatico, ità ut so- » la illius suspicio populum graviter offendat; districtè prohi- » bemus, ne quis Clericorum habeat ancillam, per quam in- » continentiæ periculum, opinionem, vel suspicionem possit in- » currere. Neque cum ancilla unquam ad convivia, multò mi- » nùs ad tabernas accedat, teneaturque unusquisque suam an- » cillam sine strepitu judicii dimittere, quamcunque nos in Vi- » cariatu nostro, aut Decanus & Capitulum quoad sibi sub- » ditos, dimittendam judicaverimus.

Ut reliqua Synodorum decreta præteream, unum Iprensis subnecto *ann.* 1577. *tit.* 3. *cap.* 3. » Et quia non solùm à » malo, inquit Synodus, sed etiam ab omni specie mali, mi- » nistris Dei abstinendum est, inhibemus omnibus Presbyte- » ris, ne cum suis ancillis, quantumcumque honestis nimiam » contrahant familiaritatem, aut cum eis ad convivis quantum- » vis honesta, etiam vocati, accedant, aut etiam ad forum, ne- » gotiorum causa, multoque minus ad tabernas, aut ad cho- » reas. Imagines quoque, aut picturas lascivas aut obscœnas in » suis domibus, aut hortis, nullo modo servent, aut ha- » beant. «

Ex his omnibus Conciliorum Sacrosanctis decretis patet, quàm solicita fuerit Ecclesia, ut & periculum incontinentiæ & omnis ejus suspicio, quæ ex conversatione, & magis ex cohabitione mulierum, nonnunquam contrahitur, à Clerico amoveantur.

§. V.

Canonicis, aliisque Clericis summopere cavenda est ebrietas, & commessatio.

OMnia, quæ hoc capite dicta fuerunt, ostendunt nihil adeo Clericum dedecere ac luxuriam, seu carnis immunditiam; ex quo non difficulter inferri potest, Clricis singulariter studendum esse sobrietati in cibo & potu, omnesque ebrietates, ac comessationes summo studio esse cavendas. Nec enim ambigi potest, quin ebrietates, atque comessationes libidinem provocent, juxta illud Apostoli: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ad Ephes. 5. v. 18.

Hinc S. Hieronymus: » Secundum Apostolum *in vino lu-* » *xuria est*, & ubicunque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi » libido dominatur. Nunquam ego, pergit Hieronymus, ebrium » castum putabo: qui etsi vino consopitus dormierit, tamen » poterit peccare per vinum. « Item *lib.* 2. *cont. Jovinian.* » Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, semina- » rium libidinis est.“ Hinc & illud Sapientis: *luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas.*

Nec tantùm libido per ebritatem comessationesque incenditur, & provocatur, sed „ accendit insuper, ut notat S. Am- » brosius, cupiditates corporis: ipsam quoque mentem subruit, » & animum capit, sensum extorquet. Nesciunt quid loquan- » tur, qui nimio vino indulgent, jacent sepulti.“ *Lib.* 1. *De Abrah. cap.* 6.

Unde ibidem adjungit Ambrosius: *Sanè discimus vitandam ebrietatem, per quam crimina cavere non possumus.*

Quid igitur turpius, ac fœdius ipsâ ebrietate Sacerdotibus esse potest, per quam, dum, crimina cavere non possumus, omnium vitiorum seminarium efficitur?

Hinc Synodus Agathensis *Can.* 41. „ Ante omnia, inquit, » à Clericis vitetur ebrietas, *quæ omnium vitiorum fomes ac* » *nutrix est*: itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit (ut » ordo patitur) aut triginta dierum spatio communione statui- » mus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. « Apud Grat. *dist.* 35. *Can.* 9.

» A crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant » (inquit Concilium generale Lateranense sub Innocentio III.) » unde vinum sibi temperent, & se vino. *Cap.* 14. ✠ *De Vit.* » *& honest. Cleric.*

Sed quid necesse est plura Conciliorum decreta hîc adducere, ut ostendatur ebrietatem Clericis abominandam, & summè

mè probrosam esse? Quandoquidem ut rectè observârunt Patres Concili Cameracensis *ann.* 1565. *tit.* 8. *cap.* 1. „Quantum „probri & incommodi ebrietas adferat, cum omnibus ordini„bus Reipublicæ, *tum Clero maximè, res ipsa doceat.* Atque „ob eam rem ebriosium hominem, inquiunt prædicti Patres, „navigio jactato sine ullo gubernaculo Salomon comparat. *Nec „enim ullum potest virtutis, aut mentis constans officium præs„tare, qui temulentiam, & ebrietatem sectatur.* Propterea le„ge veteri Sacerdoti mandabatur, vino ut abstinerèt, quo tem„pore munus Sacerdotii esset obliturus. Quare præcipit Sanc„ta Synodus, ut quicunque in Clero, id est, in sorte Domi„ni fuerit annumeratus, ab hac ebrietatis & crapulæ macula „abstineat."

§. VI.

Canonicis, aliisque Ecclesiasticis tabernas frequentare severissimè per Canones inhibitum est.

NIhil adeo Clericis turpe ac probrosum esse, quàm ebrietati & comessationibus vacare, paragrapho superiori ostensum est; ut proinde mirum non sit, quod ab ipsis penè nascentis Ecclesiæ temporibus severissimè inhibitum legatur Clericis, ne ad loca accedant, in quibus ebrietates, comessationes & quæ illas comitari solent vitia, commiti consueverunt; quo contingeret, ut vel in similia Clerici inciderent, vel ad minus de ebrietate & comessationibus suspecti redderentur.

Et quidem sub initium seculi IV. Synodus Laodicena *Canon XXIV.* decrevit: „Quòd non oportet sacratos à Præs„byteris usque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Ecclesias„tici ordinis usque ad ministros, vel Lectores, vel Cantores, „vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Exercitatorum ordinis, in „cauponam ingredi.

Seculò sequenti Concilium Carthaginense III. statuit Canon. XXVII. *ut Clerici edendi, vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi:*

Hunc Canonem rursus seculo IX. Aquisgranensis Synodus innovavit & confirmavit anu. 816. *Can.* 90.

Eodem quoque seculo adeò indecens credidit Hincmarus Remensis, ut Presbyteri *tabernas* intrarent, ut decreverit inquirendum, „si de tabernis & de comessationibus & de Fami„liaritate indebita mulierum se custodiant Presbyteri, sicut sæ„pissimè interdiximus, & interdicimus; quia ad contumeliam „nostram laici me petunt, ut si evidenter cum testibus, quo ne„gari non possit à quoquam, Presbyterum in tabernis invene„rint, caballum & cappam inde eis habere liceat. Quapropter „si abhinc Presbyteri se de talibus non caverint, quia divinum „non timent judicium, temporalem illis inveniemus contume„liam, & seculare illorum incorrigibilitati adinveniemus detrimentum. Habetur *tom.* 8. *Conc. edit. Labb. pag.* 574.

Prædictos aliosque plures Canones ingressum tabernarum Clericis interdicentes, seculo XIII. innovavit Concilium Lateranense sub Innocentio III. decernens, *ut Clerici tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Cap.* 15. ℵ *De Vita, & honest. Cleric.*

Tandem ad nostræ ætatis Concilia descendendo Synodus Tridentina mandat omnibus Canonicis, *ut à tabernis abstineant. Sess.* 14. *cap.* 12. *De Reform.*

Nec tantùm ebrietatis vitandæ causa tabernæ à Clericis vitandæ sunt, sed insuper, ne dum Laicis compotantibus immiscentur Clerici, Ministerii Ecclesiastici vilescat auctoritas ut Patres Concilii Cameracensis prudenter notârunt. *An.* 1565. *tit.* 8. *c.* 6.

„Clerici, inquiunt, ne tabernas potatorias adeant, neque „diversoria frequentent, nisi sint viatores, nec omnino se mis„ceant laicis compotantibus" *Vilescit enim plurimum ex ea turpi & indecora consuetudine Ecclesiastici ministerii dignitas.*

Similiter Concilium Provinciale Mechliniense sub pœna arbitraria interdixit „omnibus Clericis, ut neque edendi, vel bi„bendi causa tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis, vel „alia necessitate compulsi." *An.* 1607. *tit.* 17. *c.* 6.

Et ne ob quacunque in specie honestam causam, Clerici sibi tabernarum ingressum licitum crederent, ejusdem Provinciæ Synodi Diœcesanæ declararunt, nec ipsis licitum esse tabernas ingredi sub „prætextu contractuum ibidem celebran„dorum, ad quas tanquam Notarii, vel aliàs publicæ personæ „vocantur, quibus contractibus interesse in tabernis similiter, „inquiunt, prohibemus." *Mech. tit.* 18. *cap.* 6. & *Gandens. tit.* 18. *cap.* 4. *sub Episcopo Triest.*

Hæc clarissima, atque gravissima hactenus prolata decreta plusquam sufficienter convincunt, quàm enixè Ecclesia Clericis accessum ad tabernas, excepta causa necessitatis, inhibuerit; omittere tamen non possum, quin illis adjungam, quod ex zelo verè paterno, & Pastorali, ad arcendos Clericos à tabernarum introitu S. Carolus decrevit: „Ut flagitii, inquit, in „*Con. Mediol.* 1. *part.* 2. *tit.* 25. occasionem, quæ in cauponis „& tabernis deesse non solet, Clericis adimamus, cauponarum „aditu & usu eos omninò interdicimus, nisi in itinere neces„sitatis causa, quo loco cum mulieribus ne discumbant. Mone„mus autem Episcopos, & vehementer hortamur, ut in singu„lis eorum civitatibus curent parandum unum, aut alterum pu„dicum, & honestum diversorium, quo suarum Diœceseon „Clericis rusticanis necessitatis causa convenire liceat, nec in „eo hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit neve „fœminis ullo modo; sed tantùm Clerici, ac Religiosi viri, si „fieri possit, in eo recipiantur."

Quàm foret optandum, ut hoc Sanctissimis Pastoris monito inducti Episcopi similes domos, ad quas Clerici ad civitatem negotiorum causa divertentes, accedere possent, atque ita tabernas, & quæ in illis occurrit flagitiorum occasionem, evitare possent imò evitare compellerentur.

Optandum quoque esset, ut Clerici, qui quandiu domus similes ab Episcopis non sunt designatæ, necesitate urgente ad diversoria communia divertere coguntur, à mulierum imo & Laicorum, quantum fieri potest, communi mensa se separarent, ut ità occasionem peccatorum, quæ in illa conversatione sæpè adesse solet, evaderent.

§. VII.

Canonici, aliique Ecclesiastici convivia, quantum fieri potest, evitare debent.

QUemadmodum magnæ & raræ artis est continuo versari inter spinas & ab eis non lædi, ita quoque inter concupiscentiarum objecta, quæ spirituales spinæ sunt, degere, & concupiscentiis non indulgere Angelicæ potiùs, quàm humanæ virtutis est. Cum igitur in conviviis occurrere soleant ea quæ concupiscentiam carnis, seu intemperantiam excitant, atque alliciunt, nullus non videt, quantopere à conviviis abhorrere debeant Clerici, tum quia ipsis præ cæteris temperantia in cibo & potu, ob castitatis votum, quo astringuntur, summopere est necessaria; tum etiam, quia ipsi suo exemplo Fideles docere jubentur, alimenta non voluptatis, sed necessitatis causâ esse sumenda, id est, quod ad *alimenta* tanquam ad *medicamenta accedere* debeant. Hoc verò difficulter suo exemplo persuadebunt Clerici, qui conviviis interesse amant.

Imò experientia notissimum est, verissimum esse, quod jam pridem in Nepotiano suo omnibus Clericis intimavit Hieronymus: *Facilè contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat.* In Epist. ad Nepotianum.

Si insuper attendamus, quam difficulter se quis in conviviis à vaniloquiis, nugis, aliisque facetiis, ut pejora sileam, & quæ illa consequuntur, mentis evagationes, ac ipsius spiritus devotionis diminutio, ne dicam extinctio, continere queat; quàm insuper difficile sit, quâ decet Ecclesiasticum fortitudine, servatâ tamen christiana prudentia, corrigere, vel arguere illa, quæ contra temperantiam, castitatem, aliasque virtutes in conviviis sæpè incidunt: si his addatur, quàm multum illius brevissimi temporis, quod Sacerdotibus ad suam, aliorumque salutem procurandum est datum, in conviviis inutiliter perdatur: si denique expendatur, quantæ difficultatis sit, ut Sacerdotes eâ moderatione in conviviis sint, ut ad sancte obeunda ea, quæ occurrunt sui muneris sacra negotia, sint dispositi: hæc inquam, si seriè expendantur, facilè apparebit, quàm meritò Sancti Patres tum factis, tum scriptis ostenderint omnibus, præsertim tamen Clericis, convivia, tanquam malorum multorum occasiones esse vitanda, servandumque illud Sancti Hieronymi *loco cit. Nunquam* (convivia) *petentes, rarò accipiamus rogati.* Et addit, quod quotidie experimur nimis quàm verum esse: *Nescio enim quomodò etiam ipse qui deprecatur, ut tribuat, cùm acceperis, viliorem te judicat; & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plùs te posteriùs veneratur.*

Imò verò, si prædicta incommoda, ex frequentatione conviviorum provenientia, attendantur, vix dubito, quin admodùm consultum esset, ut Pastores, præsertim in magnis civitatibus, qui ex quodam non contemnendo affectu à subditis suis sæpius ad convivia invitari solent, nec uni ordinariè negare possunt quod aliis annuunt; consultum, inquam esset, ad imitationem S. Ambrosii, quem sibi imitandum quoque proposuerat S. Augustinus, semèl & simul ab omnibus conviviis se excusarent. Servandum quoque in vita & moribus hominis Dei referebat „(ait Possidius in Vita Sancti Augustini *cap.* 27.) quod in „Institutis sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ne in *sua „patria petitus iret ad convivium. Ne per frequentiam in pa„triæ conviviis constitutus temperantiæ amitteretur modus.*"

§. VIII.

Ecclesiastici, præsertim Canonici, frugalitatem, ac temperantiam in mensa sedulò servare jubentur, ut ab illis laici frugalitatis exempla petere possint.

PEr crapulam excessumque in cibo & potu innumera in homines tum quoad animam, tum quoad corpus mala derivare, experientia, & auctoritate probatissimum est. Quare Christus suos ad præparationem terribilis illius extremi Dei exhortans, specialiter monuit, ut abstineant à crapula tanquam quæ maximè homines à debita præparatione ad diem illum abstraheret; *Attendite autem vobis*, inquit, *ne graventur corda vestra in* crapula & ebrietate, *& curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa.* Luc. 21. v. 34.

Quod verò non animæ tantùm, sed & corporibus admodum noceat crapula, unum hoc Sapientis effatum convincit *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Eccles. 37. v. 54.

Facilè hinc videre est, quod frugalitas in mensa à Clericis servanda sit, non tantùm ut in seipsis sobrietatem, sibi adeò necessariam, servent; sed insuper, ut laici ab ipsis *frugalitatis*, tantoperè commendatæ, exempla petere possint; atque ita fiat, quod olim monuit S. Basilius *in Regul. fus. disp. interrogat.* 20. » ut si quis veniat ex seculari vita, discat operibus » quod ei ratio non persuasit, formam, & exemplar vitæ *frugalioris* accipiat: recordetur mensæ Christianorum (dico ergo » Canonicorum, aut Clericorum) & non pudendæ propter » Christum paupertatis.

Hinc tantopere non tantùm Canonicis, aut inferioribus Clericis, sed etiam Episcopis Ecclesia frugalitatem inculcavit.

» Episcopus, inquiunt Patres IV. Concilii Carthaginensis » *Can.* XV. vilem supellectilem, *& mensam ac victum pauperum habeat*, & dignitatis tuæ auctoritatem fide & vitæ meritis » quærat.

Infinita propemodum tum Patrum, tum Conciliorum decreta, eandem frugalitatem Episcopis & Clericis inculcantia, passim occurrunt: sed iis omissis, ea, quæ nostræ ætati magis appropinquant, referam.

Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 1. *De Reform.* animadvertens „præcipuum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam » remedium esse, ut Episcopi, aliique Ecclesiastici, factis ipsis, » ac vitæ actionibus, quod est veluti *perpetuum quoddam prædicandi genus*, se muneri suo conformes ostendant: monet » Episcopos, omnesque Ecclesiasticos, ut ita mores suos omnes » componant, ut reliqui ab eis *frugalitatis*, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere comendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter, subjungit Synodus, „exemplo *Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi*, non „solùm jubet, ut Episcopi modesta supellectili, *mensa, ac frugali victu* contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, „ac tota ejus domo caveant, ne quid appareant, quod à sancto „hoc instituto sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatem contemptum præ se ferat... Eadem non solùm *in quibuscumque beneficia Ecclesiastica, tam secularia „quam regularia, obtinentibus pro gradus sui conditione observari*, sed & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales permitere decernit; quorum consilio apud Sanctissimum Romanum „Pontificem cùm universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos „convertant."

Patrum Concilii Tridentini vestigia premens, fidelissimus Concilii illius executor, & frugalitatis, atque abstinentiæ seculi præteriti admirabile exemplar, ne dicam prodigium Sanctus Carolus, miram frugalitatem Episcopis servandam præscripsit, omniaque escarum lenocinia, quæque ad luxum magis, quàm ad necessariam corporis refectionem spectant, à mensa Episcoporum abesse voluit. Quæ omnia à Clericis quibuscunque, cujusve conditionis, Ordinis & dignitatis sint, accuratè, inquit, servare jubemus. Ac tandem subjungit: „Meminerint autem (Clerici) in „quibusdam, quæ Episcopis permissa, ipsis communia esse possunt, eo majorem sibi moderationem esse adhibendam, quo „dignitatis gradu Episcopis sunt inferiores." *Loco cit. cap.* 23.

Nec tantùm frugalitatem illam servari voluit in privata Clericorum mensa, sed nec ab ea in hospitum receptione recedendum credidit. Unde inter monita, quæ Clero suo ex affectu verè paterno deprompsit, & hoc unum fuit: „Excipite hospites, „at illis excipiendis intra parcimoniæ fines vos continete, ita ut „*frugalitatis, non sumptuosi convivii testes illos habeatis.* In „Concil. 4. Mediol. p. 3. c. 7. tom. 15. Conc. Labb. Col. 527.

Eodem indubiè affectu Synodus Mechliniensis ann. 1606. *tit.* 18. *c.* 14. „hortatur, & rogat omnes in Domino præsertim „Clericos, & quoscunque viros Ordinis Ecclesiastici, qui cæteris *& temperantiæ, & modestiæ exemplo prælucere meritò „debent*, ut amicitiæ, honestatis, vel alia quacunque ex causa, „quodcunque convivium instituturi, unicum tantùm missum „adhibeant præter bellaria.

Rationen hujus suæ exhortationis, quæ meritò Clericos ad ejus observantiam inducere deberet, his verbis præmiserat: „Cùm pluralitas missuum non modo longiorem faciat sessionem, „unde temporis, quo nihil pretiosius est, magna provenit jactura, verùm etiam multum pecuniarum vanè absumat, non „absque injuria vel detrimento pauperum, luxusque, ac gulæ „magnum irritamentum, & multorum sæpè causa excessum, „hortamur." &c.

Frugalitas igitur ab Ecclesiasticis omnibus eo etiam titulo solicitè servanda est, ut laici ab ipsis frugalitatis exempla petere possint, utque discat laicus operibus, quod ei ratio non persuasit. Imò ut ipsi sine ignominia de sobrietate ad populum dicere possint, frugalitas tenenda est; quia quemadmodum olim ad Ecclesiasticos dicebat S. Hieronymus *in Michæam cap.* 2. *An non confusio, & ignominia est Jesum crucifixum Magistrum pauperem, atque esurientem fartis prædicare corporibus? Jejuniorumque doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre?* Eodem, inquam, jure liceret dicere; an non confusio & ignominia est inter sumptuosa splendidaque convivia, & escarum delicias mensarumque luxum christianam deprædicare sobrietatem & tantopere commendatum laudare temperantiam?

§. IX.

Ecclesiastici cavere debent luxum omnemque conviviis, ne proventus Ecclesiasticos inutiliter consumendo bona pauperum sacrilegè dilapident.

ANteriori Paragrapho ostendimus frugalitatem ab Ecclesiasticis solicitè custodidendam, ut laicis non verbo tantùm, sed magis exemplo, virtutem tantopere necessariam & commendatam persuadeant; quo titulo ad eam servandam tenentur, non solùm Ecclesiastici, qui ex bonis Ecclesiæ vivunt, sed & illi, qui censu patrimoniali abundant; quandoquidem & hi, utpote Christi Ministri debeant, tanquam lux mundi, reliquis bonis operibus prælucere.

Verùm si non proprium duntaxat patrimonium, sed ipsos proventus Ecclesiasticos, id est, ipsum patrimonium Crucifixi, seu pauperum, in luxum mensarum, aut alias vanitates convertant, non scandali solùm, sed furti, imò sacrilegii unanimi Patrum judicio condemnantur.

Utque pristina Patrum tonitrua potiùs, quàm clamores, contra crudelem illam proventum Eclesiasticorum dissipationem præteream, aliqua ex illis, quæ seculis multis quadripartitâ bonorum Ecclesiasticorum divisione sunt posteriora, in condemnationem sacrilegæ rerum Ecclesiasticarum profusionis, adducam.

„An ignoras (scribebat seculo XI. ad quendam Episcopum „B. Petrus Damiani) quia ad hoc Ecclesiis prædia conferuntur, „ut ex iis pauperes sustententur, indigentes alantur, & ex eis „viduis atque pupilis subsidium procuretur? Perpende ergo „quantorum homicidiorum in die judicii reus erit, qui modo „tot orphanis, diversisque pauperibus, unde vivere debeant, „subtrahit. Si damnatur ille, qui vel unum perimit hominem » ferro; qua sententia dignus est, qui bona Ecclesiæ profligando, complures interficit famis, & inopiæ gladio?" *Apud Baron. ad ann.* 1055.

» Res pauperum (clamabat annis, ut minus sexcentis à facta rerum Ecclesiæ divisione S. Bernardus) non pauperibus dare par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sanè patrimonia sunt » pauperum, facultates Ecclesiarum: & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri, & dispensatores, non » utique Domini vel possessores, ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, » de Evangelio quærere delicias vel ornatum, sed vivere, ait » Paulus, ex eo, ut videlicet sint contenti alimento corporis; » non irritamenta gulæ, aut libidinis, & quibus tegantur, non » quibus ornentur, accipere." *In declamat. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia.* §. 17.

Et rursùs *Epist.* 2. §. 11. scribens ad fulconem Canonicum: » Conceditur tibi, ut si benè deservis, de Altario vivas, non » autem, ut de Altario luxurieris, ut de Altario superbias, ut » inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque pellicea à collo, & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum » non est, rapina est, sacrilegium est." *sed hoc faciunt*, inquis, *cum quibus habito, si non facio quod cæteri, de singularitate notabor.* Ecce Mellifluum Bernardi responsum (utinam omnibus Clericis, qui se ob aliorum consuetudinem, in dilapidatione proventuum Ecclesiasticorum securos credunt, saperet!) *Propterea, inquam, exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo pereas aliorum.*

Scie-

Sciebat quoque superioris seculi verus Pauperum Patronus S. Carolus: „Quod ubi primùm Ecclesiæ bona esse cæperunt, „verba ejus sunt, eam naturam, & conditionem consecuta sunt, „ut in alium quàm in sacrum & pium usum eorum fructus con„verti nefas esset. Quamobrem universos, qui Ecclesias & Be„neficia Ecclesiastica quæcumque obtinent, per viscera miseri„cordiæ Jesu Christi obtestatur, atque monet, ut meminerint „ea bona non *esse sibi credita ad luxum.* Neque ad augendos „consanguineos, sed ad vitam honeste, ut fidelium Dei minis„trum & pietatis christianæ Magistrum decet, traducendam. „Ex eo verò quod supervenit, si necessaria pauperibus alimen„ta denegârint, *intelligant se, quos non paverint, occidisse*; at„que ob violatam sanctissimæ charitatis legem *mortale pecca„tum commisisse, quo sibi iram in die iræ thesaurizaverint.* „Modum autem, & rationem, qua metiri se pro conditione, „& gradu unumquenque oporteat ad vitam suam fructibus Ec„clesiasticis honestè ducendam, eam esse omnes debent intelli„gere, quæ ab iis non discrepet, *quæ in Sacris Canonibus*, & „præsertim in his nostris Constitutionibus de Clericali frugalita„te & modestia statuta sunt.« *In Concil. Mediol. I part. 2. cap. 64. edit. Labb.*

Et in *Concil. Mediol. IV. p. 3. c. 7.*» Christi visceribus subs„tantiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet, peregri„nis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis, „quibus egentibus & esurientibus cùm subvenire possitis, *si „alimenta necessaria denegatis, violatæ charitatis rei estis in „conspectu Domini.* Memores estote ejus; quod à Sanctissimo „P. Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse Ec„clesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei atque in„tegritati summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.«

Canonici proinde, aliique Ecclesiastici; qui de bonis Ecclesiæ neglectis Christi pauperibus, splendidè convivantur, aut in alium superfluum, vanumque usum convertunt, utinam tempestivè recogitent, & advertant, quod quidam Prælatus (qui se aliorum moribus conformans, res Ecclesiæ in vana & sumptuosa convivia expenderat) ex conscientiæ remorsu compunctione, ac Dei illustratione disseruit: „Hæc omnia judicabit, cu„jus judicia occulta sunt, & ideò plus timenda. Sumptus tam „detestabiles, & enormes non de labore, aut patrimonio nos„tro fiunt, sed de eleëmosynis fidelium, de oblationibus, at„que decimis, & de tributis egentium animarum, de exactio„nibus, & opressionibus pauperum, de obventionibus etiam „placitorum. Quique in sudore vultus pane nostro vesci debui„mus, labores miserorum nobis usurpamus ad delicias, atque in „crapula, & ebrietate sudorem bibimus alienum. Scriptum est, „judicia ejus abyssus multa. Ille, qui intuetur abyssus, & se„det super Cherubim, terribilis in consiliis super filios homi„num, judicabit causam pauperum, quando stabunt in magna „constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Vindicabit „hæc omnia pater orphanorum, & judex viduarum: patientia „verò pauperum non peribit in finem.“ Apud P. Blesens. *Epist.* 102.

§. X.

Perversa est quorundam Ecclesiasticorum persuasio, qua credunt sibi licitum proventus Ecclesiasticos in splendida convivia, aliumque secularem luxum convertere, ut auctoritatem sibi apud populum concilient.

INanis profectò, ne dicam perversa est quorundam Canonicorum, aliorumque Ecclesiasticorum persuasio, qua sibi licitum credunt, *bona pauperum & Crucifixi patrimonium* in luxum ac vanitatem, pompamque seculi convertere, *ut sibi auctoritatem*, ut ajunt, *concilient*; quasi alia auctoritas Ecclesiasticis necessaria esset, quàm ut verbis & exemplis fideles ad omne virtutum genus excitare ac permovere possint. Hanc verò auctoritatem non per seculi fastum, ac mundi vanitatem, sed horum contemptu comparari evidens est. Quis enim nesciat, populum ad mundi contemptum potentiùs promoveri, si ille, qui ad mundi contemptum hortatur, priùs suo exemplo mundi contemptum persuadeat? E contra quis nescit, sine auctoritate, & virtute voces esse Ecclesiasticorum, dum aliud ore proclamant, aliud factis denuntiant?

Sciebant Concilii Carthaginensis IV. Patres, necessariam Episcopis esse auctoritatem, sed quibus mediis eam sibi conciliandam putarent, audiamus: „Episcopus vilem, inquiunt, supellectilem, mensam, ac victum pauperem habeat, & dig„nitatis suæ auctoritatem fide, ac vitæ meritis quærat.“ *Can. 15.*

Nonne Concilium Tridentin. *Ses. 25. cap. 17. de Reform.* ostendit quantopere desideraret, ut auctoritatem suam Episcopi integram conservarent, dum Sacros Canones omnes Conciliaque Generalia, atque alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorem, & gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut Episcopi ab eo, quod eorum auctoritatem labefactaret, abstineant: nonne, inquam, his abundè ostendit, quantopere auctoritatis Episcopalis decorem sartum tectum desideraret? Et tamen prædictum Canonem Carthaginensem repetit, & novæ auctoritatis pondere corroborat, hortaturque Episcopos, omnesque Ecclesiasticos, ut etiam in reliquo vitæ genere, ac tota sua domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. *Ses. 25. cap. 1. de Reformat.*

Absit ergo, ut per conviviorum luxum, aliaque mundi vanitatem, auctoritatem Ecclesiasticis accedere Patres Spiritu Sancto edocti crediderint; sed ut eorum major esset auctoritas, ea omnia summopere cavenda præmonuerunt, & præceperunt. Unde ut ad materiam nostram propiùs accedamus, verissimè dixerunt Patres Concilii Cameracensis, *an. 1565. tit. 8. cap. 2.* „homini Ecclesiastico, quacumque dignitate ful„geat, plus laudis affert frugalitas in mensam, quam sump„tus; plus dedecoris exquisitus apparatus, quàm simplex; plus „molestiæ longus accubitus, quam brevis & naturæ sufficiens. „Sit ergo cultus in mensa & conviviis potius in gravitate, „sobrietate, sale conditis sermonibus quam in pompa deliciis; „atque ita detestetur Clericus comessationes, quæ ventri sic „serviunt.“

Hinc illud S. Hieronymi: *Judex seculi plus defert Clerico continenti, quam diviti: & magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes.* Epistol. ad Nepotianum.

Ratione proinde, ac patrum Conciliorumque testimoniis constans est, & luculentum: *Eorum qui Dei Ministri sunt*, ut dicere solebat S. Carolus, *dignitatem, ac existimationem non in humanis ornamentis, sed in religiosis virtutibus consistere.* Apud *Car. à Basil. S. Petri*, lib. 7. Vitæ S. Carol. cap. 6.

§. XI.

Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt.

EX dictis constat, summo studio, & curâ Ecclesiasticis advigilandum esse, ne vel in nimiam de incontinentia per familiariorem mulierum conversationem incidant suspicionem.

Hinc consectarium est, quòd diligenter teneantur advigilare, ne vel ipse mulieres quibuscum conversantur, ea agant, ex quibus suspicio nimiæ familiaritatis nasci posset.

Unde singulariter attendere debent Canonici, Pastores, aliique Ecclesiastici, qui in familia sua ancillas habent, ut hæ semper ita se gerant, ne ex modo earum agendi videantur majorem quandam auctoritatem, quam ancillarem sibi arrogare; certum enim est, quod dum ancillæ se gerunt, non ut ancillæ, sed auctoritatem matrum familias, aut totam, aut saltem pro parte usurpant, quòd facilè opinio aliqua sinistra & laicorum offensio incurratur.

Quia verò non rarò, quo Ecclesiastici circa similia in propria causa cæcutiant, aut non advertant, quantopere populus ex hac, aut illa conversatione, vel ex modo agendi ancillæ scandalizetur, & offendatur; hinc consequitur, admodum prudenter multis Synodis statutum esse (ut in præcedentibus vidimus) quòd Clerici sine ullo judicii strepitu ad Superioris admonitionem tenebuntur, quancumque ancillam, quam judicaverit ipse Superior dimittendam, dimmittere, aut à conversatione mulieris, quam Superior suspectam, aut populo in offendiculum esse putaverit, abstinere.

Ex quo ulterius consectarium est, quod Archipresbyteri, aliique Superiores solicitè invigilare, & inquirere teneantur, num ex cohabitatione, vel conversatione Ecclesiasticorum cum mulieribus nulla suspicio, nullum obloquium, aut scandalum in populo sit exortum, ut ex officio suos ipsos Ecclesiasticos ad dimittendam hujusmodi ancillam, aut mulierem moneant, aut etiam compellant.

Constat quoque ex antedictis severissimè per Canones vetitum esse Clericis edendi, vel vivendi causâ, exceptâ causâ necessitatis, tabernas intrare, tum ne vitium ebrietatis aut comessationis, Ecclesiasticis summopere probrosum & nocivum, incurrant, tum ne se miscendo laicis compotantibus vilescat ministerii Ecclesiastici dignitas.

Cui consequens non tantùm tabernarum introitum ab Ecclesiasticis vitandum esse, sed insuper evitanda esse consortia illa, quocunque loco habeantur, ad quæ non nisi compotandi, atque confabulandi gratiâ, ut ajunt, conveniri solet. Nec enim minus in similibus conventiculis, licèt extra tabernam instituantur, comessationum, atque intemperantiæ periculum est, quam in ipsis tabernis; imò nec rarò ex frequentatione similium conventiculorum scandala oriuntur, non minora, quam ex frequentatione tabernarum; neque Clericos, qui similia consortia accedere consueverunt ministerii sui dignitatem diu integram conservare experientiâ est manifestum. Ex quibus proinde non malè concluditur, quòd Ecclesia ingressum tabernarum, ob intemperantiæ ac scandalorum periculum, vetando etiam prædictorum consortiorum frequentationem videatur prohibuisse; quantumvis, ob ea, quæ dicta sunt, etiam præveniendo omnem

nem Ecclesiæ positivam prohibitionem Clericis omninò à frequentatione talium consortiorum sit abstinendum.

Tertiò, ex dictis hoc capite constat, Ecclesiasticis summopere studendum esse frugalitati, tum ut laici ab ipsis frugalitatis exempla petentes, ad servandam frugalitatem invitentur, tum ne convivia lautiora, & splendida extruentes, proventus ecclesiasticos, id est, patrimonium Crucifixi & pauperum, in luxum crudeliter insumant.

Hinc collige, quòd luxum illum & vanitatem in conviviis singulariter præcavere teneantur, qui non modò laicos, sed ipsos quoque Ecclesiasticos verbo docere, & exemplo tenentur.

Ex quo ulteriùs non difficulter intelligitur, quantopere esset optandum (quod plures jam diu vehementer desiderârunt) ut in ipsis Universitatibus sumptuosa illa convivia, quæ in actibus, præsertim Doctoralibus, multis in locis exhiberi consueverunt, abrogarentur; aut saltem si quæ fieri debeant, ad debitam frugalitatem revocarentur. Quid enim magis à ratione alienum, quàm ut in Universitatibus, in quibus non laicis tantùm, sed etiam laicorum Magistris, id est, Ecclesiasticis christiana vivendi norma tradenda est, ubi quotidiè leges frugalitatis, & temperantiæ præleguntur & inculcantur? Quid, inquam, magis à ratione abhorret, quàm ut illic convivia illa, quæ à christiana modestia & frugalitate sunt aliena, instituantur, imò ut instituantur, imperetur?

Utinam attenderent hujusmodi conviviorum & consetudinum fautores, quàm sit natum contingere, ut horum exemplo ab aliis Ecclesiasticis sumptuosa celebrentur convivia, in quibus dum patrimonium pauperum crudeliter profanatur ob *violatam sanctissimam charitatis legem*, ut ait S. Carolus, *mortale peccatum committitur*; *quo sibi iram in die iræ thesaurizant*, ac per consequens, expendant, num crudelis illius profanationis non sint fortè futuri participes.

Scio non deesse qui similia convivia necessaria credunt, ne Graduum Academicorum vilescat auctoritas: verùm summopere esset optandum, ut hi seriò expenderent, quantum per conviviorum illorum instructionem vilescat Universitatum auctoritas, quantaque apud exteros pariant obloquia. Nonne luxus ille conviviorum in causa est, ut Doctorum dicta sepiùs pondus suum & virtutem amittant, dum aliud docere, aliud facere videntur? Dicant, imò clament Doctores contra comessationes & ebrietates, contra profusionem redituum Ecclesiasticorum, in vanum & superfluum mensarum apparatum, nonne illicò reponetur, *Medice, cura teipsum: & qui alium doces, teipsum non doces*? Luc. cap. 4. v. 23.

Econtrario si convivia illa ad christianam reducerentur sobrietatem, & pecunia, quæ in illa consumi hactenus consuevit, in pios usus, vel pauperum alimenta erogaretur, quàm bono odore universa Christiana Respublica exinde non aspergeretur! Quantâ efficaciâ & virtute alumnos suos ad sobrietatem, ac frugalitatem servandam Magistri movere possent! Quanta exindè apud bonos omnes longè, lateque Universitatibus non accederet auctoritas! vera scilicet & solida quæ juxta sanctissima ac verissima Conciliorum & Patrum effata fide & vitæ meritis quæritur.

Nonne & hodie contingit per similium conviviorum instructionem, quòd jam pridem deplorabat Clemens V. ut in assumptione Gradus tantæ debeant fieri expensæ, *quod & ipsi* (Gradus assumentes) *transeunte expensarum ejusmodi vanitate vacui remaneant & gravati. Et cæteri, qui vel nolunt vel nequeunt similes expensas subire, ac occasione frequenter à receptione honoris hujusmodi retrahantur*? Clem. *de Magistris*.

Sed videor audire, qui dicant: permittit Clemens V. ut in assumptione ipsius Gradus expendantur *tria millia Turonensium argenteorum*, quanta summa hodie in promotione ad Gradum, etiam Doctoralem, non videtur expendi. Verùm Clemens non dicit summam illam consumi posse in sumptuosi convivii apparatum, sed tantùm dicit, quòd expensæ in actu faciendæ dictam summam excedere non possint. Ulteriùs nullatenus ex ipsa Clementis Constitutione argui potest, quòd Pontifex approbet illas expensas, sed cùm summus esset circa expensas illas excessus, statuit, ut prædictam summam excedere non possent, non approbans quòd tanta summa expenderetur, sed præcavens, ne major impenderetur. Quemadmodum Romani Pontifices »tam antiquis temporibus quàm modernis (verba sunt Innocentii III. Lib. 1. Epist. 460.) certum tempus Canonicis & Capitulis præfixerunt ultra quod nec »Ecclesiæ debeant, nec Ecclesiastica Beneficia, seu Præbendæ vacare, *non approbantes quod tandiu vacent, sed præ»caventes nediutius Ecclesia quælibet solito ministrorum obse»quio defraudetur.*«

Vel ut exemplo præsenti materiæ admodum apposito utatur, Concilium Lateranense sub Alexandro III. deprehendens, quomodo tum Episcopi, tum Archidiaconi in visitatione multis inutilibus expensis populum gravarent, statuit ut Episcopi 20. vel 30. evectionum numerum, Archidiaconi 5. vel 7. nunquam excedant; inde tamen inferre, ergo licitum credidit Concilium, ut Episcopi, aut Diaconi tot evectionibus in visitando uterentur; id omninò esse à mente Concilii alienum, verba sequentia ipsius Concilii ostendunt: *Sanè quod de prædicto numero evectionis* secundum tolerantiam *dictum est in illis locis &c.* Proinde toleravit, non approbavit Concilium prædictum evectionem numerum.

Aliena igitur à mente Pontificis, & Conciliorum est hæc consequentia: *hoc illudve pro moderando excessu statutum est, ergo illud approbatur.*

CAPUT V.

Canonici, cæterique Ecclesiastici debent singulariter esse alieni ab omni specie avaritiæ.

PARAGRAPHUS I.

Avaritia directè professioni clericali opponitur.

Avaritia est nimius pecuniarum vel rerum pecuniâ æstimari solitarum affectus.

Excessus ille potest, esse vel ex parte objecti, quòd scilicet nimis multa appetantur, vel ex parte actûs, quia etsi non nimis multa, nimio tamen affectu expectantur aut possideantur. Hinc Christus volens à vitio hoc liberare fratres illos, qui ipsum judicem familiæ erciscundæ constituere volebant, non dixit tantùm, *attendite, & cavete ab avaritia.* Lucæ 12. v. 15. sed addit, *ab omni*: „quia, inquit Augustinus, non »solùm avarus est, qui rapit aliena; sed & ille avarus est, qui »cupidè servat sua.“ *Serm.* 28. *de Diversis.*

Hinc nimius rerum temporalium amor, qui avaritia dicitur, tametsi omnem Christianum, cujus conversatio, & desiderium in cœlis esse debet, in tantum dedeceat, ut propterea Apostolus *ad Ephes.* 5. v. 3. in persona Ephesiorum omnibus fidelibus dicat: *Avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos*; specialiter tamen adversari statui & profesioni clericali facilè intelligitur, si ad ea, quæ superiùs cap. 3. §. 1. dicta fuerunt, reflectamus.

Ostensum enim ibidem fuit, primam ac fundamentalem Clericorum virtutem esse charitatem, qua homo se totaliter à rerum mundanarum affectu exuens, rerum verò divinarum gustu, & desiderio accedens, totus Dei ac Ecclesiæ servitio mancipatur; atque propterea, ut eodem loco mostravimus, virtutem illam tonsurandis, seu assumendis ad statum ecclesiasticum, specialiter inculcat Ecclesia, utpote in qua spiritus ecclesiasticus, qui in promovendis ad statum clericalem & esse, & continuò crescere debet, jure & meritò reponitur; imò à qua *Clerici* nomen suum sortiuntur.

Hanc igitur Clericorum præcipuam, ac fundamentalem virtutem, imò ipsum ecclesiasticum Spiritum, si quis conferat cum nimio illo temporalium affectu, in quo vitium avaritiæ consistit, cæcus sit oportet, qui diametralem inter illam non videat oppositionem.

Avaritia enim animum rebus terrenis affixum tenet; spiritus verò Ecclesiasticus, seu professio clericalis animum à rebus terrenis planè avulsum, ut Deo soli & ejus Ecclesiæ cultum fidelem exhibeat, profitetur.

Hanc contrarietatem perspectam habentes Patres Synodi Aquisgranensis, dicere non dubitârunt, quòd Clerici juxta professionem, quam in tonsuræ susceptione professi sunt, contendere debeant esse *pauperes spiritu*, ut congruè dicere possint illud Psalmistæ: *Dominus pars hæreditatis meæ.*

Hinc quoque contingit, ut inter vitia, quæ statum clericalem reddunt contemptibilem, emineat avaritia; quo enim vitium aliquod professioni alicujus ampliùs contrariatur, eo contemptibiliorem eum reddere solet.

§. II.

Nihil Ecclesiæ potest accidere luctuosius, aut perniciosius, quàm habere avaros Ministros.

Radix omnium malorum, inquit Apostolus, *est cupiditas*, vel, ut textus originalis exprimit, *pecuniæ amor*, seu avaritia: unde juxta Sapientis infallibile testimonium: *Avaro nihil scelestius*; nullum enim scelus refugit avaritia, modò habendi expleat cupiditatem; omnia enim pecuniæ tanquam idolo suo consecrat avarus: quare ob eodem Apostolo *idolorum servitus* vocatur, ad *Ephes.* 5. v. 5.

Hinc fit, »ut mens avari teste S. Ambrosio *Sermone* 81. se»mel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper ar»gentum videt, semper redditus computat.

»Gratiùs aurum intuetur, quàm solem videt: ipsa ejus ora»tio, & supplicatio ad Dominum, aurum quærit, & vellet, ut »omnia ei in aurum converterentur.

»Denique quod potest, frumentum in aurum mutat, lana »ei

» ei aurum efficitur ; omnes fructus ejus , omne quod move-
» tur in aurum vertitur. «

Quis jam non videat , nihil Ecclesiæ posse contingere pernicio-sius, aut luctuosius, quàm Ministros seu Sacerdotes ejus avaritiæ vitio esse infectos ?

Quidquid enim Ministrorum dispensationi commissum fuerit , ad suum referent idolum , id est , avaritiæ suæ consecrabunt ; imò *quæstum esse pietatem* existimabunt.

Quid hinc ulteriùs expectandum , nisi horrendæ sacratissimorum omnium mysteriorum , quæ Sacerdotum dispensationi credita sunt, sacrilegæ profanationes? Unde enim omnes illæ sordidæ pactiones , & exactiones in ipsa Sacramentorum administratione ? Nonne ex Sacerdotum avaritia? In tantùm ut meritò interrogare liceret cum Propheta : *Quis est in vobis , qui claudat ostia , & incendat altare meum gratuitò* ? Malach. 1.

Quin si Sacerdotum animus occupaverit avaritia , nec ipsum tremendum sacrificium ad sua convertere lucra verebuntur. Hinc enim , ut deplorant Patres Concil. Trid. tot in honesta cujusvis generis pacta , & mercedum conditiones circa ipsum Missæ Sacrificium , quæ Sacerdotum avaritia induxit.

Nonne ipsa est Sacerdotum cupiditas , & sordida avaritia, quæ induxit deplorandum & lacrymis sanguineis defleudum abusum , quem hodie circa celebrationem Missarum invaluisse videmus ; ut nimirum illud , quod sanctius nec cœlum , nec terra habere potest , quæstui & lucro Sacerdotum videatur subservire ? Adeò *ut de Missis faciant artem de pane lucrando* , ut loquitur Cardinalis Bellarminus in *epist. ad Nepot.* Nonne hinc sordidæ cursationes, utinam non & nundinationes , ad celebranda Sacra , ubi sciuntur accipienda salaria ? Sæpiùs non sacrificatur , si sua Sacris desint salaria ; multi ostendunt quòd *sacrificent , ut manducent* , adeoque ordine perversissimo ipsum Sacrificium tanquam medium ordinent ad cibum ut finem.

» Ejusmodi Sacerdotes (rectè dixit nuper quidam) dum Sa-
» cra & preces pro obtinenda stipe ultrò novis offerunt , ne
» dicam , venum exponunt , malim ego nummo invitare , ut
» à celebrando abstineant. «

Ipsa est non rarò Sacerdotum avaritia , quæ nec *sancta* veretur *dare canibus* , modò auro acquirendo aut retinendo hæc sanctorum profanatio subserviat.

Ulteriùs ubi ministri Ecclesiæ semel illo avaritiæ vitio fuerint infecti , *semper argentum videbunt* ; atque ità fiet , ut qui tanquam lux mundi , & tanquam candelæ positæ super candelabrum ad aliorum illuminationem lucere deberent , *sint futuri cæci & duces cæcorum.*

Oculi enim caligine cupiditatis obtenebrati , ipsam Evangelicæ veritatis lucem ferre non possunt ; unde illis contingit, quod de Pharisæis refert Sacer Textus : audiebant. *autem omnia hæc Pharisæi , qui erant avari ; & desiderabant illum.* Lucæ 16. v. 14.

Hinc contingere videmus , quòd nihil eorum , quæ contra simoniacas , sordidasque Beneficiorum , Dignitatum , aliarumque rerum spiritualium nundinationes , vel pactiones , tantà severitate Pontifices Conciliaque decernunt , Patres clamant, Sacerdotes , ac Ministri Ecclesiastici , qui sunt avari , intelligant , aut veriùs , intelligere nolint : imò veriùs Pharisæos imitantes , ipsos Pontifices , ipsa Concilia , & Ecclesiam ipsam *deridere* videntur ; dum sanctissima illa decreta ad ridiculum planè sensum (ut illa cum idolo suo , id est , habendi libidine componant) contorquent ; aut si ob claram nimis & evidentem expresionem contorquere non ausint , ea tanquam præteritis temporibus, pro aliis non pro se statuta , aut dicta fuisse asserunt, atque ita Christum per Ecclesiam docentem , quia *avari* sunt, derident , & illudunt.

Quod Judam Collegio Apostolorum associatum , ad proditionem Christi adduxit, nisi hæc *idolorum servitus*? Et quid hodie tot Ecclesiæ Ministros ad prodendam veritatem , & tot animarum seductionem inducit , nisi ipsa avaritia , seu amor habendi : adeò ut hodie impletum videatur illud deplorandum Ezechielis vaticinium: *Et violabant me ad populum meum propter* pugillum hordei , *&* fragmen panis, *ut interficerent animas quæ non morientur.... mentientes populo meo credenti mendaciis.* Cap. 13. v. 19.

Denique si munera excæcent oculos sapientum , & mutent verba justorum , ut justa ab injustis , iniqua ab æquis discernere nequeant ; qui erunt Sacerdotes *avari*, ut judicent inter *lepram & lepram , ut more periti medici superfundant vinum & oleum vulneribus sauciati*? ut loquitur Concilium Leteranense *Cap.* 12. *de Pœnit. & Remiss.* Denique *ut quantum spiritus & prudentia suggesserit , pro qualitate criminum , & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungant*? Hoc inquam, justum judicium , quis à judicibus *avaritia* excæcatis exspectet? Verendum potiùs , ne impleatur illa ejusdem Prophetæ prophetia *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubitu manus ; & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas; & cum caperent animas populi mei , vivificabant animas eorum* , nimirùm prout credent suæ conducere cupiditati. *Cap.* 13. *v.* 18.

Meritò proinde XVI. seculo dixit Synodus Colonien sis : *Ex quo in Ecclesia Dei crevit* avaritia , *periit lex de Sacerdote, & visio de Propheta.* Et alio loco : *Præcipuè causæ omnes mali sint fastus , luxus ,* & avaritia *à quibus Clerici potissimum malè audiunt* Ann. 1536. *p.* 2.ª *c.* 29.

Ex his omnibus benè apparet quàm meritò in Clericis requiratur, ut omnibus rebus terrenis affectu renuntiantes, profiteantur corde & ore, *Dominus pars hereditatis meæ , & calicis mei tu es , qui restitues hæreditatem meam mihi* : quæ professio directè avaritiæ opponitur.

§. III.

Sordidâ Avaritiâ laborant Canonici , aliique Ecclesiæ Ministri, qui officium eo solo intuitu suscipiunt , aut tenent , ut temporalia recipiant.

SI avaritia sit , ut jam dictum est , aut temporalia nimis multa aut nimio , & inordinato affectu appetere , quis ambigat esse avaritiam , tanto affectu temporalia prosequi , ut etiam ipsa spiritualia ordinentur tanquam media ad consequendum temporalia , imò spiritualibus terrena mercandum?

Id facere convincitur, qui evangelizat , ut manducet. Qui enim Officium Ecclesiasticum eo quærit , aut tenet animo , eoque intuitu , ut huic vitæ habeat necessaria, *perverso nimis ordine* , ut ait Bernardus , *cœlestibus terrena mercatur. L.* 2. *De Serm. Dom. in Monte* , *c.* 16.

» Rationem reddit Magnus Augustinus; quia quæcunque res
» propter aliud aliquid quæritur , sine dubio inferior est (nimi-
» rùm in æstimatione quærentis) quàm id propter quod quæri-
» tur : & ideo illud primum est , propter quod istam rem quæ-
» ris , non ista res , propter quam istud quæris. Quapropter si
» Evangelium , & regnum Dei propter cibum quærimus , prio-
» rem facimus cibum , & posterius regnum Dei. «

Quinimò , teste eodem Augustino, si ideò Evangelizamus , ut manducemus , vilius habemus Evangelium quam cibum.

Unde & ille , qui eo animo Evangelizat , aut functiones Ecclesiasticas exhibet , non tam spirituale diligit , quàm temporale, quod expectat ; ac propterea nec mercedem Evangelii à Domino , ait idem Doctor *ibidem* , recipiet : » Si coactus inopia ea-
» rum rerum , quæ temporali vitæ sunt necessariæ , prædico
» Evangelium , alii per me habebunt mercedem Evangelii , qui
» Evangelium ipsum me prædicante diligunt; ego autem non ha-
» bebo , quia non ipsum Evangelium diligo , sed ejus pretium
» in illis temporalibus constitutum. «

Hinc tamen ne inferas omnes Ecclesiæ Ministros , qui tanquam operarii debitam sibi mercedem corporalem recipiunt, vitio avaritiæ , seu nimio erga temporalia affectu laborare.

Si enim juxta Christi sententiam dignus sit operarius mercede sua , etiam illam Christi Minister suscipere potest ; non ut pretium operis, sed ut operi *gratis* exhibito debitam sustentationem ; quia ut ait Agustinus *lib. De Pastorib. cap.* 2. » non
» redditur sustentatio necessitatis à populo , *quasi merces* illis,
» qui sibi in charitate serviunt ; sed tanquam *stipendium , quo,*
» *ut possint laborare pascantur.* Quare veri Christi Ministri *non*
» *Evangelizant ut manducent*; & propterea, secundum eundem
» Doctorem, non in victu constituunt finem Evangelizandi, sed
» ipsius victûs sui finem in Evangelio collocant. «

Non ergo avaritiæ perversitas in ipsa receptione temporalium consistit , sed in ordinis perversione ; quòd illi , qui Officium Ecclesiasticum suscipiunt, aut tenent ut manducent, spirituale dirigant ad manducationem seu temporale; facilè ergo dignoscetur utrum quis *Evangelizet , ut manducet* , an è contra *manducet , ut Evangelizet* , ut noscatur quid rationem finis qui rationem medii in animo Evangelizantis obtineat.

§. IV.

Proponuntur indicia , è quibus dignoscitur , num quis Evangelizet ut manducet.

QUæ præcedenti paragrapho dicta sunt, ostendunt, quod is, qui *Evangelizat , ut manducet* , ordine perverso ordinet Evangelium , ut medium ad manducationem , manducationem ut finem , ac per consequens , in animo hujusmodi Clerici manducatio obtinet primum locum tanquam finis , Evangelium verò posteriorem tanquam medium.

Ur ergo dignoscatur , num quis *Evangelizet , ut manducet*, num è contra *manducet , ut Evangelizet* , solùm ad ipsius voluntatis motiones reflectendum erit; hæc enim pro diversitate finis , quem diligit , movetur , & fertur , juxta illud vulgatum S. Augustini : *Pondus meum , eo feror , quocunque feror.* Unde enim timor rei amittendæ nisi ex amore habendæ & retinendæ? Unde aviditas adipiscendi , nisi ex amore assequendi rem , quam non habemus? Unde cura , & anxietas conservandi , nisi ex affectu erga rem , quam possidemus? Et sic de reliquis motio-

nibus animæ rationando, omnium radicem solum amorem esse deprehendemus.

Si itaque Canonicus, seu alius quivis Ecclesiasticus scire desideret, num Canonicatum, aut aliud officium eo quærat aut teneat animo, eoque intuitu, ut temporalia habeat, & consequenter Evangelizet, seu functiones Ecclesiasticas faciat, ut manducet, & perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercetur; attendat solerter quid diligat, quid metuat, unde gaudeat, aut contristetur: *Totum enim cor*, ait Bernard. *in his quatuor affectionibus est.* Serm. 2. *in Quadrag. num.* 3.

Si igitur prima cura Clerici, dum de Canonicatu, aliove Beneficio obtinendo tractatur, sit de proventibus temporalibus, parùm solicitus an spiritualia debitè obire poterit, indicium erit, quòd ordine inverso temporale priorem, spirituale posteriorem in ejus affectu locum obtineat.

Rursus, si multum sit solicitus, ut nullus in temporalibus contingat defectus, num verò circa spiritualia error aut defectus occurrat parum anxius, inversi illius ordinis signum erit.

Si Canonici, Pastores, aut alii Beneficiati solicitè perquirant de fidelitate, ac sufficientia illorum, quibus temporalium curam committant, nihil aut parum anxii, quibus spiritualia concredant, hæc non obscurè rursus produnt perversam in corde ipsorum latere rerum æstimationem.

Ulterius, si Canonici etiam contra ipsa Conciliorum decreta, quæ volunt, ut in Capitulis seu Congregationibus Capitularibus primum tractetur de iis, quæ ad Ecclesiæ cultum, & ad pietatem promovendam spectant, demum de privatis rebus temporalibusque negotiis agant; si inquam, etiam non obstantibus his decretis, non tantùm tractandorum negotiorum ordinem pervertant; sed adeò temporalibus suis occupentur, ut nulla, aut admodum exigua de Ecclesiæ cultu & officio divino aliisque ad pietatem, & mores spectantibus sit cura, indicium est, quod magna sit de temporalibus solicitudo, nulla aut exigua de spiritualibus anxietas. *Optimi videlicet rerum æstimatores*, ut de similibus jam pridem per ironiam dixit Bernardus, *qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant.* Lib. 4. *de Consid. c.* 6.

Quod si Canonici contemptis sacris Canonibus (quis volunt ut Clericus Beneficio semel adscriptus stationem suam sine necessitate, aut utilitate Ecclesiæ non deserat) mox ut pinguiorem præbendam obtinendi occasio affulget, Canonicatum, & Ecclesiam deserant, indicium est, quod Canonicatum tanquam medium ad temporale, ipsum verò temporale tanquam finem habeant; nec tam sponsam suam, id est, Ecclesiam, quam in adeptione Canonicatus sibi quodammodo desponsaverant, quam ipsius dotem dilexerint.

Unde hanc Sacerdotum avaritiam ideo execrandam credidit Ecclesia, ut non semel decreverit, *quod si Clerico ambitionis vel cupiditatis causa ad aliam* dictiorem *migraverint Ecclesiam, utramque amittant.*

Et seculo XIII. de similibus dicebat P. Cantor: »Si quis »legitimè sortitus est Ecclesiam, & quærit occasionem ut eam »dimittat, *quia alia pinguior est, & uberior*, secundum pœ»nam constitutam in Canonibus puniri deberet, & in ea ma»nere omni tempore vitæ suæ.« *In verb. Abbrev. cap.* 40.

Ulterius Canonici, aliique Beneficiati, qui lucri causâ Canonicatus, & Ecclesias suas deserunt, evidenter quoque ostendunt se parùm de vocatione sua ad munia Ecclesiastica fuisse aut esse solicitos; si enim se ad hanc Ecclesiam divina vocatione pervenisse crederent; quomodo ex humano, & carnali motivo, nullo divinæ voluntatis apparente indicio, tam facilè stationem suam, in qua se à Deo positus putarent, deserere auderent? Cùm Apostolus omnes adeò ferventer moneat, *ut unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Cor. 1. cap. 7. v. 20.

Non obscurum proinde est, quòd sicuti ex cupiditate stationem suam facilè mutant, ita non nisi per cupiditatem in illam involaverint.

Quare non immeritò jam olim Ecclesia censuit, Clericum, qui »propter luxum vanitatemque præsumptam de officio spon»te discedat, ita de Ecclesia repellendum, ut nisi rogando aut »obsecrando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur; »utpote cujus vocatio admodum haberetur suspecta.« Synod. Tarracensis. *Can.* 6.

Hæc indicia aliaque, quæ indicant Spiritualia propter temporalia quæri, si quis attentè consideret, & una expendat modum quo hodie Canonicatus præsertim, aliaque Beneficia non habentia curam annexam, quæruntur & possidentur; nescio num exclamare non poterit cum sancto Bernardo *in Declamat.* §. 13. »Quis ea intentione gradus ecclesiasticos & minis»teria sanctuarii quærit, imò quæritur (quæri nempè, quam »quærere ipse debuerat) ut sine curis seculi, in sanctimonia »cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & »suam pariter ac proximorum operetur salutem, *orationis stu»dio deditus* & verbo prædicationis?«

§. V.

Utrum Canonici, aliique Clerici sine injustitia possint reservatis proventibus patrimonii vivere de Ecclesiasticis.

CErtum imprimis est & indubitatum, quòd omnes Ecclesiæ ministri teneantur ministerium seu officium suum populo exhibere *gratis*, ad sensum nimirum illius præcepti, *Gratis accepistis, gratis date.* Matt. cap. 10. v. 18.

Huic Christi præcepto non contraveniunt Ministri Ecclesiæ, qui unde vivant non habentes, ex proventibus Ecclesiasticis, ut laborare *gratis* possint, alimenta accipiunt, seu quos ad accipiendum cogit *vivendi necessitas*, non *habendi cupiditas*, ut loquitur Synodus Aquisgr. *Ann.* 816. *Can.* 107. tales inquam, Christi præcepto non contraveniunt, quia ut supra ex Augustino notavimus, similes accipiunt sustentationem *necessitatis à populo, non quasi mercedem operis, quod populo ex charitate impendunt, sed tanquam stipendium, quo, ut possint laborare, pascantur*: sive accipiunt alimenta, ut *gratis*, & ex charitate populo servire queant.

Illi verò, qui patrimonium possident, & servato patrimonio de Evangelio vivere volunt, dici nequeunt accipere sustentationem necessitatis à populo, *tanquam stipendium, quo ut possint laborare, pascantur*: nec potest dici, quòd eos ad accipiendum *cogat vivendi necessitas, sed potiùs habendi cupiditas.* Nec etiam dici potest, tales sustentationem ex Evangelio sumere, ut possint *gratis* Evangelium annuntiare: quandoquidem supponatur, abundè ipsis provisum esse unde vivant, & *gratis* Evangelium annuntient.

Unde non immeritò concluditur, quòd tales sustentationem ex proventibus Ecclesiasticis non prætendant, ut Evangelizare queant; sed potiùs *ne censum suum patrimonialem*, ut notat Synodus Aquisgranensis, *expensis quotidianis minuant.* Quomodò igitur tales *gratis*, ad sensum prædicti præcepti evangelicent, aut functiones Ecclesiasticas exerceant, non video. Ideò enim Ministri Ecclesiæ ex Evangelio viventes *gratis* nihilominus evangelizare dicuntur, quia nihil de Evangelio prætendunt, nisi quod necessarium est, ut *gratis* & ex charitate evangelizare queant; quod de illis, qui patrimonium possident, & eo reservato, de Evangelio vivere prætendunt, verificari non potest.

Secundò, Canonum atque Patrum omnium testimonio adeò certum est, res Ecclesiæ esse vota fidelium, patrimonium pauperum, & redemptionem animarum, ut trecentis & ampliùs annis à facta rerum Ecclesiæ divisione Patres Concilii Vernensis Anno. 844 *Can.* 12. dicere non dubitârint: *Certè nullus quamquam impudentissimus, negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est fidelium*, patrimonium *pauperum, redemptio animarum.*

Quis proinde non indignum, imò injustum dicet, quòd divites ex patrimonio pauperum, redemptione animarum, votis fidelium accipere præsumant, non unde ditescant, & patrimonium suum augeant; quidni quoque hoc reputetur injustum in Ministro illius, *qui pro nobis egenus factus est, cùm esset dives*: qui adeò paupertatem dilexit, ut ne ubi *caput reclinaret* habere voluerit?

Si S. Bernardus *Serm.* 1. *in fest. omn. Sanct.* exclamet, *Qua fronte Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit*; quomodo non potiori jure exclamare licebit: *Qua fronte*, non tantùm *Christianus*, sed minister Christi, *divitias*, idque ex patrimonio pauperum, *quærat, postquam Christus*, cujus servitio se specialiter consecravit, *beatos esse pauperes prædicavit*?

Si ad universos Fdeles dixerit Apostolus 1. *ad Tim. cap.* 6. *v.* 8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contempti simus*: quomodo non pudere debet Clericos, qui specialiter contemptum rerum temporalium, & divitiarum profitentur, quod *habentes alimenta & quibus tegantur* non contenti, insuper ex patrimonio pauperum divitias quærant.

Si cui forsitan allegatæ rationes non videantur evincere, quòd Ministris Ecclesiæ reservato patrimonio illicitum sit sustentationem ex proventibus Ecclesiæ accipere; saltem, ut credo, convincit illum omnia illa sacratissima decreta, quibus Spiritu S. inspirata Ecclesia idipsum declaravit.

Canon quadragessimus primus Apostolorum ex illis, quos Dionysius Exiguus in Codicem suum retulit, & Ecclesia Latina recepit, præcipit *ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat: & ex iis in suas necessitates sumere queat*, additâ tamen hac conditione: *Si tamen indiget.* »Ex iis autem »(rebus Ecclesiæ) ait, *quibus indiget, si tamen indiget*, ad »suas necessitates, & peregrinorum Fratrum usus ipse per»cipiat, ut nihil eis posset omninò desse. Lex enim Dei præ»cipit, ut qui altari deserviunt, de altari pascantur: quia nec »miles stipendiis propriis contra hostes arma suscipit.«

Canoni Apostolico consonat per omnia Synodi Antiochenæ decretum *Can.* 25. »Episcopus Ecclesiasticarum rerum ha»beat potestatem ad dispensandum erga omnes, *qui indigent*

»cum

» *cum summa reverentia*, & *timore Dei*. Participet autem ip» se, *quibus indiget*, *si tamen indiget*, tam in suis, quàm in » fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis.“ Apud Grat. *Can. Episc.* 12. *q.* 1.

Si Episcopi præcipui Ecclesiæ Ministri, & vineæ Domini cultores ex rebus Ecclesiæ dispensationi suæ concreditis, in usus suos insumere non possint, nisi *indigeant*, quo jure inferiores Ministri minùs laborantes, proventus Ecclesiasticos in suos usus privatos convertere præsument, si *non indigeant*? Ut mirum non sit, quòd olim suo & omnium Ecclesiæ Catholicæ Ministrorum nomine contra Donatistas dixerit S. Augustinus *Epist.* 50. *ad Bonif. Si privatum possidemus*, *quod nobis sufficiat*, *non illa* (scilicet bona Ecclesiæ) *nostra sunt*, *sed* pauperum, *quorum proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Apud Grat. *Can. fin.* 12. *q.* 1.

Augustino consona sunt, quæ sub nomine S. Hieronymi decreto suo inseruit Gratianus *Can. fin. caus.* 16. *q.* 1. » Cle» ricos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, qui» bus parentum, & propinquorum nulla suffragantur. Qui au» tem bonis parentum, & opibus sustentari possunt, si quod » pauperum est accipiunt, sacrilegium profectò commitunt, & » per abusionem talium judicium sibi manducant, & bibunt. «

§. VI.

Ostenditur, quòd sententia Ecclesiæ §. præcedenti expressa, eadem manserit post rerum Ecclesiæ divisionem institutam, & receptam.

QUo præcisè tempore quadripartita rerum Ecclesiæ divisio instituta sit, certò non constat; eam tamen sub medium seculi quinti in usu fuisse, sufficienter indicat Simplicius Papa *Epistola* 3. ad Florentinum, Equitium & Severum Episcopos scribens in hæc verba: » De redditibus Ec» clesiæ, vel oblatione Fidelium quid deceat nescienti, nihil » licere permittat, sed sola Episcopo ex his una portio remit» tatur. Duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi peregrino» rum, & pauperum profuturæ à Bonagro Præsbytero sub pe» riculo sui Ordinis ministrentur, ultima inter se Clericis pro » singulorum meritis dividatur.“ Apud Gratian. 12. *Can.* 28. *quæst.* 2.

Imò eodem seculo Gelasius Papa divisionem bonorum dudum receptam fuisse testatur *Epist.* 9. *cap.* 27. „ Quatuor au» tem tam de redditu, quàm oblatione Fidelium (inquit) prout » cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit (*sicut dudum rationa» biliter est decretum*) convenit fieri portiones: quarum una » sit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta » fabricis applicanda. « Apud Gratian. *Can.* 27. *caus.* 12. *q.* 2.

Constat igitur ex prædictis Pontificum responsis, divisionem reddituum Ecclesiasticorum in quatuor portiones seculo V. factam & receptam fuisse. Ex illis proinde, quæ Concilia ac Patres, vel seculo VI. vel sub finem seculi V. dixerunt, intelligere licebit, quid Ecclesia post receptam rerum Ecclesiæ partitionem senserit.

Auctorem librorum de *Vita contemplativa* non fuisse Prosperum Aquitanum, ut à multis creditum fuit, sed Julianum Pomerium eruditis hodie abundè est persuasum. Floruisse Julianum circa finem seculi V. adeoque post institutam & receptam prædictam rerum divisionem, constat; ac per consequens, quidquid de dispensatione reddituum Ecclesiæ dixit, post factam illorum partitionem dictum fuisse intelligitur.

» Pastor Ecclesiæ iis (ait *lib.* 2. *de Vita Contempl. cap.* 10. & » *seqq.*) quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, *quan» do nihil aliud sit habentibus dare*, *quàm perdere*. Nec *illi*, » *qui sua possidentes*, *dari sibi aliquid volunt*, sine grandi pec» cato suo, *unde pauper victurus erat*, *accipiunt*. De Clericis » quidem dicit per Prophetam Spiritus Sanctus: *Peccata popu» li mei comedunt*; sed sicut *nihil habentes* proprium, non pec» cata *sed alimenta*, quibus indigere videntur, accipiunt; ita » possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena pec» cata suscipiunt. « Apud Grat. *Caus.* 1. *q.* 2. *Can.* 7. & *seq.*

» *Non est meum dicere* (exclamat idem Auctor) *quali pec» cato pauperum cibos suscipiunt*, qui Ecclesiam quam juvare, » de propriis facultatibus debuerant, suis expensis insuper gra» vant, propter hoc fortassis in Congregatione viventes, *ne cen» sum suum expensis quotidianis minuant*. «

Pergit ulterius ostendens, quinam Clerici ab Ecclesia alimenta cum laude petant: » Clerici (inquit) quos pauperes aut » voluntas aut nativitas fecit cum perfectione virtutis, vitæ ne» cessaria, sive in domibus suis, sive in Congregatione viven» tes accipiant; *quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cu» piditas*, *sed cogit vivendi necessitas*. «

In sequentibus verò docet nimis carnaliter sapere, qui Ecclesiæ fideliter servientibus, & necessaria habentibus, tanquam operariis mercedem terrenam, non potiùs præmia æterna expectanda credunt: » qui autem Ecclesiæ serviunt, & labo» ri suo velut debita reddi oportere credentes, ea, quibus opus » non habent, aut accipiunt libenter aut exigunt, nimis carna» liter sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ fideliter servientes sti» pendia terrena, ac non potiùs præmia æterna percipiunt..... » quod si quilibet Minister Ecclesiæ non habeat unde vivat, non » ei reddat hic, sed necessaria præstet Ecclesia, ut in futu» ro præmium laboris recipiat, quod in vita jam spe domini» cæ promissionis expectat. «

Tandem exemplo S. Pauli ostendit, quod indignum sit sua possidentes Ecclesiam impensis velle gravare, dum hic, cùm pauper esset, maluit manibus necessaria quærere, quam Ecclessiam gravare. » Si ergo ille (inquit) qui nihil habebat, » noluit de Evangelio, ubi laborabat, sed suis manibus vivere, » ne gloriam suæ mercedis amitteret; quid nos, qui propria » nolumus amore possidendi, non vivendi necessitate, relin» quere, & accipere insuper volumus, *non unde vivamus*, *sed* » *unde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus*? «

Anno 816. tribus & ampliusà divisione rerum Ecclesiæ seculis, totius Romani Imperii Prælati ad Aquisgranense Palatium, jussu Lotharii convenientes, ut Canonicis, & Sanctimonialibus normam vivendi præscriberent, regulas ipsis convenientes, sparsim in Patrum scriptis contemptas in unum collegerunt, per quas de spiritualibus instruerentur, & qualiter temporalibus Ecclesiæ uti deberent, Canonici docerentur.

Quòd verò generalis illæ Gallicanæ Ecclesiæ Conventus injustum putaverit, illo etiam tempore, ut Canonici de ecclesiasticis proventibus, patrimonio reservato viverent, clarissimè expressit, dum allegatam Juliani Promerii sententiam sub nomine Prosperi, Canonibus suis inserens recepit, & auctoritate suâ confirmans pro regula Canonicis proposuit. Sed quid pluribus Synodi sententiam probare volumus, solum enim argumentum capitis 107. paucis verbis conceptam sententiam Synodi dilucidè evincit: *cum quo damno animæ ab Ecclesia*, *quæ pauperes pascit*, *accipiunt illi*, *qui sibi de suo sufficiunt*.

Consentiunt Patribus Aquisgranensibus Regum Francorum Capitularia, quæ ex diversis Conciliis, iisdem penè temporibus celebratis, collecta fuêre: » Quod habet Ecclesia (inquiunt) cum » omnibus *nihil habentibus* habet commune, nec *aliquid inde eis*, » *qui sibi de suo sufficiunt*, *convenit erogare*, quando nihil aliud » sit habentibus dare, quàm perdere. Nec illi, qui sua pos» sidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, un» de pauper victurus erat, accipiunt. « *Addit.* 3. *cap.* 113. 114.

§. VII.

Quòd etiam seculo XII. eadem fuerit sententia Ecclesiæ circa dispensationem proventuum Ecclesiæ, quæ paragraphis præcedentibus exhibita fuit, ostenditur auctoritate Gratiani.

ELapsi erant 600. & amplius anni à divisione rerum Ecclesiæ, cùm Gratianus Canones, atque SS. PP. aliorumque sententias in unum volumen, & in ordinem secundum materiarum diversitatem colligere instituit. Sed nec nuda relatione Canonum contentus etiam in specie discordantes ad concordiam revocare conatur: quapropter opus suum *Concordiam discordantium Canonum nominavit*, quo titulo & hodie in Corpore Canonico exhibetur, licèt communiter *Decretum Gratiani* nuncupetur. Apparens illa Canonum discordantia, quam Gratianus tollere nititur, subindè provenit ex varia quarundam particularium Ecclesiarum disciplina, vel ex eo, quòd subinde Ecclesia exteriorem, pro temporum circumstantiis mutet disciplinam. Ad concordiam frequenter reducit Gratianus, ostendendo, quod illæsa veritate & manente fidei unitate, varia possit esse Ecclesiarum particularium externa politia, ipsaque interdum potuerit variari, manente unius fidei immutabilitate.

Cùm igitur Gratianus relatis Conciliorum, & Patrum sententiis, quas §§. præcedentibus ex ipsius Decreto retulimus, non laboret vel apparentis alicujus contrarietatis conciliationem adferre, sed omnium Canonum, quos retulerat, in compendium contractâ sententiâ opinionem suam simpliciter retulerit, non obscurum est, Gratianum nec seculo XII. diversam ab antiqua in Canonibus aut Sanctorum Patrum scriptis, doctrinam ostendisse.

Sententiam verò suam ex præmissis Canonibus his verbis post *Can.* 7. *caus.* 1. *q.* 2. reddidit Gratianus: » Verùm his auc» toritatibus, inquit, prohibentur ab Ecclesia suscipi, non illi, » qui quondam fuerunt divites, postea verò omnia reliquerunt, » ut Petrus, & Mathæus, & Paulus; aut pauperibus distribue» runt, ut Zachæus; aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut il» li qui prædia sua vendentes ponebant pretia ante pedes Apos» tolorum, ut essent omnia communia: *Sed illi*, *qui in domi» bus parentum residentes*, *vel sua relinquere nolentes*, *eccle» siasticis facultatibus pasci desiderant*. « Ex his patet, quod seculo XII. Gratianus crediderit Canonum, & Patrum auctoritate inhibitum fuisse, ne illi, qui sua nolebant dimittere, de facultatibus Ecclesiæ pascerentur.

§. VIII.

Proponitur sententia Dionysii Carthusiani circa doctrinam §§. præcedentibus traditam.

SEculo XV. Dionysius Carthusianus, vulgò dictus *Doctor Extaticus*, in tractatu contra pluralitatem Beneficiorum, item in libro, quem *de vita Canonicorum* conscripsit, speciali titulo examinat: » an Canonici, & Ministri Ecclesiæ, qui de » suo patrimonio possunt se sustentare, licitè convertant in usus » suos bona Ecclesiæ. « Priusquam verò quæstionis resolutionem depromat, hæc pauca præmittit.

» Quemadmodum, inquit *de vita Canonic. art.* 24. recitat » Augustinus, & Thomas allegat, non solùm Christi, sed & » SS. PP. verba & facta ad imitationem & auctoritatem trahen- » da sunt. Securiùs quoque ac salubriùs creditur ac paretur dic- » tis Sanctorum, per quos locutus est Spiritus Dei, quàm Scho- » lasticorum quorundam, *qui suo magis quàm expedit, cre- » dunt, & nituntur ingenio*, auctoritatem Sanctorum ad suam » retorquentes opinionem. «

Quamvis ergo, pergit idem Doctor, de proposita quæs- » tione quidam dicant Scholastici, posse id licitè fieri, con- » sultiùs tamen credendum, & standum est verbis Hieronymi » & Bernardi, imò & summi Pontificis, Beatique Prosperi. Ait » enim Damasus Papa: Qui bonis Parentum sustentari possunt, » si accipiant quod pauperum est, Sacrilegium incurrunt. «

Huic Damasi dicto SS. Hieronymi Prosperi & Bernardi sententiis subjunctis, concludit: » Horum itaque Patrum senten- » tiis statur securiùs, quàm aliorum aliter opinantium. «

Post hæc idem Doctor objectionem quorundam prævenit, & solvit, » Præterea, inquit, si objiciatur prædictis, quod bona » Ecclesiæ sunt Ministrorum ejus stipendia, & faciunt ea sua, » Deo, atque Ecclesiæ serviendo, respondendum, quod sunt » stipendia ministrorum indigentium eis: *Si autem non indigent » ipsis, faciunt ea sua sic, ut pauperibus erogent ea, non ut » in suos usus illa convertant.*

» Cùm enim temporalia ad spiritualia ordinentur, qui tem- » poralibus non indiget, non habet ea convertere ad suum pro- » fectum in spiritualibus donis, sicut qui sanus est, medici- » nâ non eget. Nec fit ei injuria, si temporalia illa non accipit » ad commoda sua, sed promeretur spiritualia, ac divina cha- » rismata incomparabiliter temporalibus digniora. «

Finaliter ex antecedentibus infert subsequentia: » Constat, » inquit, ex introductis, quantis se exponant periculis, qui » ecclesiasticis Beneficiis benè provisi, *eorum se sustentant red- » ditibus, suumque patrimonium largiuntur suis propinquis, » etiam quamvis juxta suum statum satis habentibus.* Nec mi- » nùs damnabiles sunt, qui unà cum bonis Ecclesiæ suum pa- » trimonium immoderatè, carnaliterque consumunt. «

Ex hoc igitur discursu Dyonisii Carthusiani habemus, quòd vir ille multæ lectionis & eruditionis non dubitaverit quin ex Patrum sententia Clerici, qui ex patrimonio vivere possunt, illicitè sustentationem ex proventibus ecclesiasticis accipiant; quodque contra Patrum opinionem Scholastici nonnuli, *qui suo magis quam expedit, credunt, & innituntur ingenio, auctoritates Patrum ad tuam retorquentes opinionem*, contrarium docere incœperint. Ac per consequens teste Dionysio, opinio, quæ dicit Clericos divites posse reservato patrimonio, vivere ex redditibus Ecclesiasticis, nova est, ac proinde ut talis meritò rejicienda, & eliminanda.

§. IX.

Ex sententiis Concilii Tridentini illicitum est, ut Beneficiati vivant ex redditibus Ecclesiæ, & proventus patrimoniales relinquant consanguineis divitibus.

SYnodus Tridentina secuta Sacros Canones » omninò inter- » dicit Episcopis ac omnibus quæcunque Beneficia ec- » clesiastica obtinentibus, nec ex redditibus Ecclesiæ consan- » guineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apos- » tolorum Canones inquit, prohibeant, ne res Ecclesiasticas, » quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si *pauperes sint, » iis ut pauperibus* distribuant. « *Sess. 25. cap. 1. de Reform.*

Hoc Concilii decretum tamquam justissimum, & redditum ecclesiasticorum naturæ planè consonum, omnia penè Concilia pro executione Concilii Tridentini celebrata suis decretis inseruerunt, & plerumque latiùs exposuerunt. Ut plura omittam, unum Synodi Burdigalensis anno 24. currentis seculi habitæ subjungam.

» Præcipuè perpendant (Episcopi) inquit, redditus Eccle- » siæ *bona Christi & pauperum patrimonia esse.* Quare videant, » ne ex iisdem redditibus consanguineos familiaresve suos au- » geant & ditent, ac nisi *ut pauperibus* aliquid concedant.

Si ergo ex sententia Ecclesiæ non liceat Ecclesiasticis consanguineos familiaresve suos ex redditibus Ecclesiasticis augere, & ditare, evidenter sequitur, quòd non liceat Ecclesiasticis vivere ex proventibus Ecclesiasticis, & redditus suos patrimoniales in favorem consanguineorum reservare. Quis enim non videat, quòd hoc faciendo consanguineos suos æquè ex redditibus Ecclesiæ censeantur augere, quàm si ex patrimonio suo viverent, & proventus Eclesiasticos consanguineis donarent? Quid enim interest, num simpliciter proventus Beneficii elargiantur parentibus, num verò ipsi ex bonis Ecclesiasticis viventes, in favorem consanguineorum censum suum patrimonialem expensis quotidianis non minuant, sed quotidie augeant; atque ita efficiant, ut in effectu per bona Ecclesiastica consanguinei ditentur.

Ut res clariùs pateat, ponantur duo Beneficiati, quorum uterque patrimonio abundant, & alter ex patrimonio expensas quotidianas desumens redditus ecclesiasticos consanguineis donant: alter verò redditus patrimoniales consanguineis relinquens, de redditibus Beneficii sui vivit: nonne evidentissimum est, quòd uter in effectu & reipsa æqualiter (si ponantur redditus æquales) consanguineis ex bonis Ecclesiæ consulat, nec non uno & altero modo Ecclesiæ res æqualiter pauperibus substrahantur.

§. X.

Ex eo, quòd Canonici, aliique Beneficiati non possint reservato patrimonio proventus ecclesiasticos in suos usus convertere, nullatenus sequitur, quòd Clericis divitibus Canonicatus, & Præbendæ, aut alia Beneficia conferri non possint.

DUo in omni Beneficio ecclesiastico considerari debent: Ministerium scilicet, sive servitium, quod Clericus Ecclesiæ, cujus per Beneficii adeptionem constitutus est minister, præstare debet.

Alterum, quod in omni Beneficio ecclesiastico hodie occurrit, est jus percipiendi proventus Beneficio annexos.

Primum quidem, ministerium videlicet Ecclesiæ impendendum (quod ut longè præcipuum in Beneficio ecclesiastico Ecclesia semper suspexit) divitibus ob hoc solùm, quòd bona temporalia multa possideant, nunquam Ecclesia negavit. Novit enim illa non semper amplam temporalium possessionem ministris Evangelii obesse, imò nonnunquam conducere, & ministerium ecclesiasticum meliùs obire, & cum majori fructu & auctoritate spiritualia seminare queant. Dum nimirum sunt tales, de quibus Apostolus dicit: *Quasi nihil habentes & omnia possidentes*; observantes illud Prophetæ Regii: *Divitiæ si affluent, nolite cor apponere.* Qui quidem sunt divites divitiarum possessione, sed affectu & spiritu earum contemptores: his, inquam, opulentia non præstat in ministerio spirituali impedimentum, sed præstat in fructificando subsidium; quare nec ullus unquam ob solam divitiarum affluentiam credidit aliquem à ministerio Ecclesiæ repellendum, aut excludendum.

Jus percipiendi fructus, quod alterum est in Beneficio ecclesiastico, minùs principale & priori accessorium, juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, Clericis etiam divitibus, & sufficiens patrimonium possidentibus Ecclesia concedit, tanquam ipsius ministerii, quod illis conceditur, juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, accessorium.

Cùm enim hodie singulis officiis, sive ministeriis ecclesiasticis annexa sit quædam proventuum ecclesiasticorum portio, cujus libera dispensatio ministro conceditur, fit, ut Ecclesia illam indifferenter omnibus, qui officium illud subeunt, concedat. Cùm enim non sine magna difficultate scire queat, quorum patrimonium vitæ sustentandæ sit sufficiens, omnibus liberam dispensationem concedere vult, ut proventus suis necessitatibus, *si indigeant*, impendant; sin minùs, in alios pios usus non arbitrio suo, sed juxta sacros Canones & offerentium voluntatem, expendant: non secus ac olim indifferenter omnibus Episcopis solerent Ecclesiæ facultates expendendæ concedi, ut eas etiam in suas necessitates impenderent, *si tamen indigerent*; num verò *indigerent*, eorum permittebantur conscientiæ, rationem Deo reddituri.

Ex quibus concluditur, quòd dum hodie portio fructuum, sive Præbenda temporalis Canonicis singulis, sine discrimine *divites* inter & *pauperes* conceditur, constituantur ipsi portionis illius liberi dispensatores, quemadmodum olim Episcopi omnium Ecclesiæ suæ proventuum; ut nimirum ex illa portione in suos propios usus accipiant illi, *quos ad accipiendum non habendi ducit cupiditas, sed cogi vivendi necessitas.* Dumque Ecclesia singulorum ignorat facultates, cuiquam necessaria desint, omnibus unde indigentiæ suæ occurrere queant, concedere maluit, singulorum interim conscientiæ expendendum committens, num ad ea percipienda *vivendi cogat necessitas, an habendi ducat cupiditas*: & an alimenta ab Ecclesia accipiat *ut Evangelizet*, an verò contortâ & perversâ intentione *Evangelizet, non tantùm ut manducet*, sed insuper ut *censum suum patrimonialem incrementis damnabilibus augeat.*

Pru-

Prudenter proinde Ecclesia non tantùm spirituale Canonicorum officium Clericis benè meritis, sed & præbendam temporalem illi annexam concedit, ut ex illa sibi de alimentis, aliisque vitæ subsidiis provideant, illi qui à Domino, cui ministrant, bona, unde ea sumant, non acceperunt. Qui verò jam tum à Christo, cujus sunt operarii & ministri, sufficientia vitæ subsidia susceperunt, eam proventuum portionem, non in usum proprium, sed pauperum alimoniam, aut alium pium usum expendant. Quod jam pridem appositè expressit Dionysius Carthusianus *Tract. cont. Plural. Benef. art.* 14. » Bona Ecclesiæ, inquit, sunt stipendia ministrorum ejus in» digentium hujusmodi bonis, quod si eis non egeant, non sunt » capaces talium bonorum *ad propium usum. Verumtamen ser» viendo Ecclesiæ faciunt hujusmodi bona esse sua, ut ea in» digentibus piè dispensent, non ut sibi ea thesaurizent, pos» sideant, & immoderatè seu absque necessitate, & indigen» tia assumant.* «

§. XI.

Occurritur objectionibus, quæ adversus hactenus dicta formari possent.

ADversus hactenus dicta, quibus probatum est, Clericis nefas esse, reservato patrimonio, vivere de proventibus ecclesiasticis, militare credunt nonnuli omnia illa Apostoli divina oracula: » Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plan» tat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, » & de lacte gregis non manducat?... Nescitis quoniam qui in » sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari » participant. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium an» nuntiant, de Evangelio vivere. «

Certum imprimis est, quòd si allegata Apostoli verba hactenus traditæ sententiæ obstarent, atque evincerent Ecclesiasticis reservato patrimonio fas esse de rebus Ecclesiæ sustentationem accipere, idem quoque ante rerum Ecclesiæ divisionem licitum fuisse convincerent. Illo quippe tempore, quæcumque ex Apostolo prolata sunt, dicta erant, neque tunc minùs, quàm hodie dignum & justum erat, ut observarentur.

Constat tamen, neque ob Canonum nimiam evidentiam ab ullo negari posse videtur, quòd ante rerum divisionem, non obstantibus prædictis divinis oraculis, Ecclesia crediderit fas non esse Ecclesiasticis de Evangelio vivere, si aliunde, ex quo viverent, haberent. Nec mirum, quòd Ecclesia Spiritu Sancto inspirata, illa semper ita intellexerit; sciebat enim per totum illum discursum, aliud non intendere Apostolum, quam Corinthiis, & in ipsis universis Fidelibus ostendere, quàm justum ac æquum esset, *ut qui altari deserviunt, de altari vivant*, non quasi mercedem sui operis accipientes: *sed tanquam stipendium, quo ut possint laborare, pascantur. Quid est aliud* (pergit Synodus Aquisgranensis *ann.* 816. *Can.* 111.) *de Evangelio vivere, nisi laborantem inde, ubi laborat, necessaria vitæ percipere?* Qui verò patrimonium habentes insuper de redditibus Ecclesiæ sustentationem accipere volunt, non unde *vivant*, sed unde *censum suum incrementis*, ut loquitur dicta Synodus, *damnabilibus augeant*, sumere præsumunt.

Absit verò, ut Apostolus militiam Christi militiæ seculari per omnia similem voluerit. » Secularis quippe militia, quia cœ» lestia non habet, terrena strenuè militantibus præstat (ait rur» sus dicta Synondus *Can.* 107.) qui autem Ecclesiæ serviunt, » & labori suo velut debita reddi opportere credentes, ea, qui» bus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, ni» mis carnaliter sapiunt, si putant quòd Ecclesiæ servientes, sti» pendia terrena, ac non potiùs præmia æterna percipiant. «

Hinc tantoperè omnibus Clericis in persona Nepotiani, S. Hieronymus inculcatum desideravit: » Obsecro itaque te, & re» petens iterùm iterumque monebo, ne officium Clericatûs ge» nus antiquæ militiæ putes, *id est, ne lucra seculi in Christi* » *militia quæras; ne plus habeas, quàm quando Clericus esse* » *cœpisti.* «

Reponet forsitan alius, licitum est, non tantùm operario pauperi & indigenti, sed & diviti, recipere mercedem ab illis, quibus operam impendit; quare igitur & Ministro Ecclesiæ, ut potè operario, non licebit mercedem suis usibus, reservato patrimonio, applicandam recipere? Summam profectò ac evidentem inter operarium operas temporales impendentem, & operarium Christi operas spirituales exhibentem esse diversitatem quis non videat? Ille enim non tantùm stipendium, quo, ut possit laborare pascatur, seu sustentationem necessitatis exigere potest; sed mercedem tanquam æquatum pretium operis exigere, ac recipere potest, imò & operas illas locare, & vendere licet; at Ministri Ecclesiæ *gratis* operam suam exibere jubentur; nec sine summa ipsius Evangelii ac functionum suarum irreverentia, & execrabili ordinis rerum inversione, mercedem tanquam illarum pretium fas est ipsis recipere, adeoque ut jam sæpiùs dictum fuit, quidquid accipere possunt, id unicè accipere possunt, tanquam stipendium necessarium, quo, ut possint *gratis* ex charitate laborare, pascantur: sive ad quod accipiendum *cogit vivendi necessitas.*

Ut ergo verbo dicam, opificibus, & similibus operariis non obstantibus divitiis, fas est mercedem operarum exigere, quia illam exigunt, non tanquam *sustentationem necessitatis*, sed tanquam *pretium operarum*: operariis verò Ecclesiæ nefas est mercedem exigere ut pretium operarum; sed si quam exigant, eam ut *sustentationem necessitatis* recipiant necesse est; quæ *necessitas* cùm in divitibus cesset, titulus quoque exigendi, aut recipiendi ex Evangelio mercedem, tanquam *sustentationem necessitatis*, deficit.

§. XII.

Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta fuerunt.

EX dictis hoc capite facilè apparet, quanta diligentia, & cura adhibenda sit ab Episcopis, aliisque Beneficiorum maximè tamen Curatorum, Collatoribus, ut inquirant, num ille, cui Beneficium conferre intendunt, vitio *avaritiæ* non sit infectus. Quia, ut fusè hoc capite ostensum fuit, Clerici *avari* nihil nisi aurum & argentum videntes, sacratissima quæque cupiditati suæ tanquam *idolo* servire faciunt.

De hoc vitio singulariter suspectos esse, qui mox ut pinguius aliquod Beneficium obtinere possunt, stationem suam deserere volunt, ante probatum fuit.

Hinc facilè patet, quàm meritò S. Carolus à præficiendis Ecclesiis Parochialibus inquiri voluerit, » an alias unquam ani» marum curam gesserint; quod si affirment; tum interrogen» tur etiam, & ubi gesserint, & *cur inde discesserint.* « Quis enim dubitet, si volentes transire de uno Pastoratu (idem est de aliis Beneficiis) ad alium, interrogarentur & examinarentur, cur Pastoratu, cui hactenus prefuerunt, discedere velint; quis inquam, dubitet, quin sæpiùs, unicam mutationis causam cupiditatem seu avaritiam esse reperiretur.

Porrò cùm plurimum Episcopi intersit scire, num Ministri sui cupiditate seu avaritiâ ducantur; ut vel à regimine populi, cui minimè conveniunt, amoveantur, aut saltem, in modum ipsorum agendi singulariter invigilet, jure meritò ad exemplum S. Caroli, dum de translatione, aut mutatione Beneficii tractatur, investigabit qua ex causa transitum illum meditentur.

Secundò ex dictis consectarium est, quòd quicumque ministerio ecclesiastico se addicere intendit, ab animo suo amorem mercedis temporalis excludere debeat, si mercedem sui laboris à Deo habere veluerit; quia, ut antè probavimus, *qui evangelizat, ut manducet*, non manducationem ad Evangelium, sed Evangelium ad manducationem referre censetur, adeoque non tam Evangelium diligit, quàm manducationem; ac per consequens, ut docet Augustinus *lib.* 2. *de serm. Dom. in monte, cap.* 16. nec mercedem Evangelii, quod non diliget, consequentur. » Si coactus inopia earum rerum, ait, quæ temporali » vitæ sunt necessariæ, prædico Evangelium (idem est de quo» cumque alio ecclesiastico ministerio) alii per me habebunt » mercedem Evangelii, qui Evangelium me prædicante diligent: » ego autem non habebo, quia non ipsum Evangelium diligo, » sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum. «

Verè miser dicendus hujusmodi Clericus, qui non tanquam filius, sed tanquam servus ministrans Evangelium, ut » tanquam » alienum eroget, subjungit idem Doctor, nihil inde ipse acci» piat præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad » sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecùs. «

Hæc omnia, una cum indiciis, è quibus dignoscitur, num quis *evangelicet, ut manducet*, si maturè perpendantur, vereor, ne plures de Clero, qui ut felices suspiciuntur, deprehenderentur miseratione dignissimi, utpote nihil de Evangelii prædicatione, aliave ministerii ecclesiastici persolutione recepturi, *præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecùs.*

» Quàm certè dignius, ampliusque consentaneum rationi, » *quod evangelizans ut manducet*, pro carnali victu, (verba » sunt Bernardi *in Declamat.* §. 13.) carnalia magis opera, & » negotia exerceret! nec fieret inversor rerum, aut inhonoraret » ministerium spirituale. «

Ante dicta quoque evincunt, quàm utiliter, etiam communi populo proponi queat, sacrilegam esse Evangelii atque sacrarum functionum profanationem, si illa ad temporalia commoda, imò & ipsa vitæ necessaria ordinentur, ut ita ipsum vulgus intelligat, quàm sit inordinatum filios studiis applicare eo fine, ut postmodum ad statum Ecclesiasticum promoti, & ipsi & filii ex Evangelio vivant, atque ita Evangelium tanquam opificium seu *artem de pane lucrando* considerent.

CA-

CAPUT VI.

An Canonicis, aliisque Clericis liceat vacare lusibus, aut venationi.

PARAGRAPHUS I.

Lusus interdum ad animi relaxationem licitè adhibentur.

NOn corpus tantùm, sed & animum honestâ recreatione relaxare non utile modò, sed & subinde necessarium. » Quia sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocilla» tionem, quia non potest continuè laborare propter hoc, quod » habet finitam virtutem, quæ determinatis virtutibus propor» tionatur, ita etiam est, inquit S. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. » *in Corp.* ex parte animæ, cujus est virtus finita, ad determi» natas operationes proportionata. Et ideo quando ultra modum » suum in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc » fatigatur, præsertim quia in operationibus animæ simul etiam » laborat corpus, in quantum scilicet anima intellectiva utitur » viribus per organa corporea operantibus... Et ideo quando su» pra sensibilia elevatur, operibus rationis intenta, nascitur » exinde quædam fatigatio animalis, sive homo intendat ope» ribus rationis practicæ sive speculativæ..... Sicut autem (per» git Doctor Angelicus) fatigatio corporalis solvitur per corpo» ris quietem, ita etiam oportet, quod fatigatio animalis solva» tur per animæ quietem; quies autem animæ est delectatio. Et » ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhibe» ri per aliquam delectationem, intermissâ intentione ad insis» tendum studio rationis. Hujusmodi autem dicta vel facta, in » quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur *ludicra* » vel jocosa: & ideo necesse est talibus interdum uti, quasi ad » quandam quietem animæ. «

Ex hoc Doctoris Angelici discursu patet, lusum esse adhibendum, ut animam per operationem rationis fatigata nonnihil quiescat, atque ita per quietem rursus capacior ad functiones mentis exercendas reddatur. Unde rectè monet S. Salesius *Introd. ad Vitam Devotam p.* 3. *cap.* 31. ne nimis multum temporis lusui impendatur: » Si enim (ait) plus æquo temporis il» lis impendatur, non jam amplius recreatio, sed mera occu» patio & studium, neque iis tam animus corpusve relaxatur, » quam è contra obstupescit, & obruitur. Si enim quinque » aut sex horis continuo lusu schacorum luseris, ab eo surgens, » exhaustus velut eris, & spiritu defatigatus: diu pila in spheris» terio ludere, non tam corpus recreare est, quàm id obruere. «

Tria insuper in iis, quæ in recreationem assumuntur, attendenda esset monet S. Thomas, *ibidem.* » Quorum primum » & principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in » aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis.

» Aliud autem attendendum, ne totaliter gravitas animæ re» resolvatur: unde Ambr. dicit 1. *de Of.* Caveamus ne dum re» laxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi » concentum quendam bonorum operum.

» Tertiò autem attendendum est, sicut & in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat personæ, tempori, & loco, » & secundum alias circumstantias debitè ordinetur, ut scili» cet sit & tempore & homine dignus. «

His omnibus meritò additur, de quo Philotheam suam monet S. Salesius: » Ante omnia cave, ne affectum tuum his om» nibus applices: quantumvis enim honesta sit recreatio, vitio » certè non caret, animum ei & affectum applicare.

§. II.

Clericis severissimè per Canones inhibitus est lusus alearum, chartarum, aliusve à fortuna dependens.

ALearum lusum (quo nomine intelligitur omnis ludus ut notat S. Antoninus *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 23. §. 6. » Qui » innititur fortunæ, etiamsi fiat ibi aliquid de industria, si» cut ludus taxillorum, chartarum, & alia hujusmodi) non » esse solùm recreationem periculosam, verùm etiam simplici» ter malam, ut loquitur S. Franciscus Salesius, & vitupe» rabilem, multa, quæ ex eo mala oriuntur, facilè persuadent.

» Aleas tractare (dicebat S. Chrysostomus) perniciosum » est, & infinita vitæ mala solet inferre. Circa aleas studium » (subjungit idem) blasphemias, jacturas, iras, convitia, infini» taque alia his graviora sæpè produci.“ *Serm.* 15. *ad Pop. Ant.*

Tria incommoda, quæ similem ludum comitari solent, expressit S. Salesius *Introd. ad Vitam Devot. p.* 3. *cap.* 32. Primò, quod lucrum secundum sortem potiùs, quàm secundum rationem cedat. Secundò, quòd contra finem ludi spiritus affligatur, potiùs quàm recreetur. Tertiò, quòd de lucro gaudere non possis, nisi collusori par sit causa tristandi de perditione.

Quibus meritò additur frequens periculum murmurandi, dum ad votum jactus aleæ non succedit.

Alia insuper graviora mala frequenter ex lusu illo occasionem sumere experientia quotidiana docet, quæ jam pridem in *Summa sua, tit. de Excess. Præl.* Cardinalis Hostiensis his versibus expressit:

Hæc cum taxillis ludendo crimina fiunt,
Ecclesiæ spretus, usuraque sive rapina:
Scandala, vel nugæ, blasfemia, seu faciendi
Furti doctrina, violentia, crimina falsi,
Et mortis causa, deceptio, perditioque
Temporis, & desiderium; corruptio, junges
Istis prædictis, adulatio, vitaque turpis.

Hinc patet, quàm justè ejusmodi ludos (etiam laicis summopere perniciosos, ac propterea per Leges jam pridem ipsis prohibitos) Canones non tantùm Clericis severissimè inhibuerint, sed etiam vel ludentes spectare vetuerint.

Decernimus, inquit Synodus V. » nullum omnium sive Cle» ricum, sive Laicum, ab hoc deinceps tempore *alea ludere.* «

Hoc Synodale decretum confirmavit Imperator Justinianus interdicens omnibus » Episcopis & Presbyteris, Diaconis » & Subdiaconis & Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet ordi» nis venerabilis Collegii aut schematis constitutis, ad tabulas lu» dere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri, » aut ad quodlibet spectaculum spectandi gratiâ venire. « *Auth. Interdicimus, Cod. de Episc. & Cleric.*

Plura jam olim contra ludum alearum edita decreta hîc adjungere non esset difficile; sed cùm hodie ea videamus esse plurimorum ingenia, ut pristina & avita Patrum gravissima, ac summâ veneratione digna testimonia passim ut antiquata rejiciant, vel pro aliis conscripta suscipiant, atque ita illis parùm moveantur, ad ea, quæ nostræ ætati magis appropinquant, descendendum est.

Et quidem magnum Lateranense sub Innocentio III. Concilium (cui interfuêre Episcopi 412. inter quos Patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus; Primates autem & Metropolitani 71. Abbates & Priores ultra octingentos: Legatorum verò Imperatorum, Regum, & aliorum Principum & Magnatum ingens multitudo) hic, inquam, numerosissimus sacer Conventus, illud, quod fusius in lege Justiniani est expressum, paucis verbis comprehendit, & innovavit: *Clerici*, inquit, *ad taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.*

Quanti ponderis, atque auctoritatis hoc decretum ob sui auctoris dignitatem, habendum sit, quantaque submissione complectendum, quis non videat? Cui insuper accedit, quod per relationem in Decretales Gregorii IX. *cap.* 15. ✠ *de Vita & honest. Cler.* juris communis auctoritatem obtineat.

Hujus decreti æquitatem & justitiam, atque cum pristinis Patrum Canonibus consonantiam, perspicientes Ecclesiarum Prælati, illud passim Synodorum decretis inseruerunt, & innovârunt, ut videre est in Synodis Albigensi ad instantiam S. Ludovici Galliarum Regis, *Ann.* 1255. *Can.* 24. Salzburgensi, *anno* 1420. *Can.* 4. Toletana *anno* 1473. *Can.* 11.

Quæ omnia rursus decreta novissimè Synodus Tridentina innovanda, ac sub iisdem, aut gravioribus pœnis arbitrio Ordinarii observanda decrevit *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* Quæ alias à Summis Pontificibus, & Sacris Conciliis, inquit, de » Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, » ac simul de luxu, comessationibus, choreis, *aleis*, *lusibus*..... » copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iis» dem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis ob» serventur. « Et *Sess.* 14. *cap.* 12. *de Reform.* specialiter hortatur Canonicos, *ut ab illicitis lusibus abstineant.*

Qui verò sint ludi illiciti, ab ipso Sanctissimo ac zelosissimo Concilii Tridentini Interprete S. Carolo accipiamus.

» Clericalis ordinis hominibus. « (inquit in primo suo Provinciali Concilio *part.* 2. *cap.* 25. pro executione Synodi Tridentinæ habito) » omni genere saltationis, & ludi, præsertim » vero aleæ & tesserarum ac talorum interdicimus.... nec solum » ludere vetamus, sed eos ludorum spectantes esse nolumus, » aut quemquam ludentem in suis ædibus permittere. «

Dicet quispiam in nullo hactenus adducto decreto lusum chartarum vetitum videmus: verùm cùm hic ludus annumerandus sit lusibus illis, qui in varietate fortunæ consistunt, indubiè ludo alearum vetito, & hic interdictus censetur: ut enim ante notatum est, & Canonistæ, ac Theologi observant, *ludus aleæ* dicitur omnis lusus in varietate fortunæ consistens, quique non ab arte tantùm, sed à casu potiùs dependet.

Hinc etiam factum, ut recentiora Concilia (cùm chartarum lusus invaluisset) iisdem decretis, eisdemque pœnis & alearum, taxillorum, chartarum, similesque ludos interdixerint.

Synodus Burdigalensis anno 1583. » Clerici, inquit, ab » alea, tesseris, chartis, & quovis alio vetito, & indecoro lu» do, cum *privatim*, tum publicè *penitùs* abstineant. « *Cap.* 21.

Sub idem penè tempus Patres Concilii Bituricensis similiter lu-

ludum chartarum, & alearum eodem decreto comprehendere non dubitârunt: *Aleam, tesseras*, chartas, *omnes ludos vetitos*.... Clerici, inquiunt, *devitent*. Ann. 1584. *tit.* 25. *Can.* 7.

Anno subsequenti Aquensis Synodus decrevit: » ne Clerici pagellis pictis, aut aleâ, aliove hujusmodi ludi genere ludant, aut ludentes spectent. « Titul. *de vita & honest. Cler.*

Consentit Concilium Avenionense, Clericis præcipiens, *ut ludos prohibitos non exerceant, & taxillorum videlicet* & pacellarum: *ann.* 1594. *cap.* 32.

Denique ut finem citationibus Conciliorum, quæ facilè in tomis Conciliorum videri possunt, faciam, unicam Synodum Narbonensem adjungo, quæ & anno IX. currentis seculi chartarum ludum eodem decreto cum alearum lusu interdixit. *Clerici*, inquit, *non ludant aleis*, chartis, *aut alio ludo prohibito vel indecoro.*

Quis hanc Canonum omnium consonantiam, ac per illos adeo enixam, nunquam intermissam Ecclesiæ probibitionem contra omne genus ludi à fortuna dependentis perpendens, non vereatur, si ab hujusmodi lusibus se non contineat, ne frustra se fidelem Ecclesiæ Magistræ discipulum in fide jactet, qui in moribus & disciplina genuinum ejusdem matris filium se esse negaverit; nimirum sanctissima, ac toties iterata ejus decreta moralia negligendo, imò quodammodo contemnendo.

§. III.

Quænam specialiter ab Ecclesiasticis, etiam in lusibus licitis, cavenda sint.

IN omni ludo, aliave recreatione, ut licitè fiat, attendendum est, ut ait S. Thom. 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. *in corp.* » sicut » & in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat personæ, & tempori, & loco, & secundùm alias circunstantias debitè ordinetur, ut scilicet sit & tempore, & homine » dignus &c. «

Tenentur proindè singulariter attendere Ecclesiastici, non tantùm, an ludus quispiam in se sit licitus, sed etiam, an loco, tempori, ac precipuè personæ Ecclesiasticæ conveniat.

Ludum igitur, & quamcunque aliam animi relaxationem ità temperare, ac moderari tenentur, ut nihil indè ordini suo detrahatur.

Hinc multis Synodorum decretis monentur Ecclesiastici, ne publicè & coram secularibus se ludendo exerceant, seu recreent.

Et quidem S. Carolus postquam omnis generis illicitos lusus interdixit, adjungit: » Si autem valetudinis interdum causa, parva pila, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, *ne publicè* id faciant. « *In Concil. Mediol.* I. *p.* 2. *c.* 25.

Similiter Patres Provinciæ Mexicanæ anno 85. superioris seculi: » ut omnem gravitatem, & modestiam (prout decet » Clericalem statum) Clerici profiteantur, eis prohibuerunt, *ne » publicè pila ludant, & privatim quoque cum secularibus vel » coram secularibus personis*; Globos ligneos *publicè* ludendo » ne impellant, sub pœnis statutis, præter quas amittant etiam » vestes, quibus ad globorum ludum exercendum exuti fuerint. « *Lib.* 3. *tit.* 5. *de lud.* §. 2.

Eodem indubiè motivo Patres Synodi Gandensis scandalosum esse dixerunt, » Pastores, aliosque Sacerdotes ad psittacum jaculari, aut in *locis publicis* ludere pilâ palmariâ. Ideoque etiam quilibet ab eo abstinebit sub pœna arbitraria. « *Anno.* 1650 *tit.* 17. *cap.* 7.

Notat quoque S. Thomas advertendum esse, ut ludus, aliave animi relaxatio *tempori* conveniat; hinc singulariter convenit Ecclesiasticis, ut à recreatione quantumvis honesta & licita, tempore Quadragesimæ, Adventûs, aliisque diebus, quæ ab Ecclesia operibus pœnitentiæ, & luctûs destinatæ sunt, abstineant; ut suo exemplo laicis ostendant, illis diebus se à licitis temperare, ut pro illicitè perpetratis Deo satisfaciant.

Unde Patres prædicti Concilii Mexicani declarantes se velle, quòd non obstantibus præviis suis decretis, ut recreandi animi causâ ludi liciti Clericis permittantur, expressè addendum censuerunt: *extra tempus Quadragesimæ, & Adventûs.*

Ulteriùs summopere Ecclesiasticis cavendum est, (quod & laicis inculcat S. Salesius) ne affectum suum lusibus quantumvis licitis, & honestis applicent. » Quantumvis enim honesta sit recreatio (ait Salesius) vitio certè non caret, animum » ei & affectum applicare. « *Introd. ad vitam Dev. p.* 3. *cap.* 31.

Adhæc super omnia nefas est Ecclesiasticis ad quemcunque, etiam licitum ludum sordidi lucri cupiditate duci: quod jam pridem Synodus Remensis monendum duxit: » Ab alea, » inquit, & omnium ludorum genere Ecclesiasticis personis interdicto, & indecoro, prorsus abstineant, *nec unquam aliis » quàm honestis recreationibus sese exerceant, nulla ducti sordidi lucri cupiditate.* « *Anno* 1583. *tit. de Cler. in genere*, §. 6.

Huic periculo ut securiùs provideret S. Carolus statuit, » ut » si valetudinis interdum causâ, parvâ pilâ, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, nè publicè » id faciant. « *Nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam » quod facile pecunia æstimari potest.*

Denique pro coronide meritò memoriæ, præsertim Ecclesiasticorum, imprimendum, quod ex Philosopho refert S. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 4. *in corp.* » Quia ludus est utilis propter » quietem, & delectationem; delectatio autem & quies non » propter se quæruntur in humana vita, sed propter operationem..... Ideo defectus ludi est minus vitiosus, quàm ludi » superexcessus. Unde Philosophus (pergit S. Thomas) dicit, » quòd pauci amici propter delectationem sunt habendi, quia » parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento; sicut parum de sale sufficit in cibo. «

Hanc in ludicris, aliis oblectamentis tum corporis, tum animi moderationem non difficulter observabunt Ecclesiastici, qui meminerint, universos ecclesiasticæ militiæ adscriptos, *ad pietatis religionisque exercitationes*, ut jam pridem Clericos suos monebat zelosissimus Pater S. Carolus, *vocatos esse*: atque ita intelligant tempus non ludicris illis, sed pietati, eisque, quæ ad pietatem sibi ac proximo procurandam conducunt, esse transigendum; juxta illa, quæ S. Carolus subjungit, piissima monita *in Conc. Med.* IV. *p.* 3. *c.* 7. *Edit. Labb. tom.* 15. *col.* 525. 526.

» In omni imprimis sancta oratione vos assiduè exercete, tum » in meditationis, tacitæque piæ orationis studio singulis diebus, » certo temporis spatio, toto castissimi animi sensu incumbite.

» Quidquid verò temporis à divinis officiis, ab orationis, » contemplationisque exercitatione ab ecclesiasticis functionibus, & ab aliis necessariis actionibus vacuum habetis, non » in otio, neque in desidia, nec verò in rerum novarum curiositatibus illud conterite; sed cùm in sortem Domini vocati » sitis, in ejus lege die ac nocte meditemini. Sacrarum igitur » litterarum studia diligentiùs colite, quæ usque adeo complecti debetis, ut qui aspernetur, contra eum dicat Dominus: « Osee cap. 4. v. 6. *Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

§. IV.

Ostenditur, quòd Canones venationem Clericis interdixerint.

» NUllum invenimus divinarum in serie scripturarum de » venatoribus justum, « inquit Ambrosius *Serm.* 8. *super Psalm.*

Cui consonat illud Hieronymi in *Psalm.* 90. *v.* 3. Piscatores » invenimus Sanctos in Scripturis sanctis, sed penitùs non » invenimus sanctum aliquem venatorem. «

Quid mirùm; præterquam enim quòd venatio parum Reipublicæ sit utilis, ideòque tempus, quod illi impenditur frequenter, inutiliter transigatur; & ut notat S. Augustinus, post summos labores, summa discrimina, quæ Venatores subeunt, *nec ipsius bestiæ carnes, propter quam hæc tanta sustinent, sint epulis necessariæ*; præterquam, inquam, quòd multum temporis inutiliter in hisce insumatur, ac insuper expensarum inutilium fiat profusio, habet venationis exercitium illud quoque particulare, quod hominem ità capere & involvere soleat, ut à rerum, præsertim cœlestium consideratione abstrahat & abripiat.

Hinc mirum non est, si Ecclesia Clericis semper venationem interdixerit.

» Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, inquit Synodus » Aurelianensis, canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quòd si quis talium personarum in » hac voluptate sæpiùs detentus fuerit; si Episcopus est, » tribus mensibus à communione; si Presbyter, duobus; si » Diaconus ab omni officio suspendatur. «

Deindè Canone sequenti omnibus servis Dei idem prohibuit: » Venationes (inquit) & silvaticas vagationes cum canibus, aut accipitres, falcones habere interdicimus. « *Cap.* 1. 2. *de Cler. venat.*

Hæc decreta non tantùm Concilii alicujus particularis, sed juris universalis, & communis auctoritate, per relaxationem in Decretales Gregorii IX. donata sunt.

Utque Agatensis, Eponensis, Matisconensis II. Liptonensis sub S. Bonifacio aliorumque veterum Conciliorum contra Clericorum venationem decreta præteream, Innocentius III. seculo XIII. eandem inhibitionem in Concilio Generali omnibus Clericis fecit: » Venationem universis Clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere præsumant. « *In Concil. Lateran. Can.* 15.

Synodus Nannatensis monet Episcopos, ut sint soliciti & intenti in puniendo Clericos venatores: » Quia nullum venatorem (inquit) invenimus sanctum: præcipimus, ut Prælati » soliciti & intenti in puniendo Clericos venatores, & præcipuè Presbyteros, & Religiosos, de quibus majus scandalum » generatur. « *Ann.* 1264. *Can.* 3.

Os,

Hos, aliosque plures contra Clericos venatores editos Canones innovavit Concilium Tridentinum, dum omnia, quæ aliàs à summis Pontificibus, & à Sacris Conciliis de Clericorum vita & honestate retinenda copiosè, ac salubriter statuta fuerunt, sub iisdem & gravioribus pœnis arbitrio Ordinarii, observanda decrevit; tum etiam mandando in specie Canonicis omnibus, ut ab *illicitis venationibus*, & *aucupiis abstineant*. Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Quare Concilia pro Synodi Tridentinæ executione indicta, ad mentem ejusdem, venationem Clericis interdicere non dubitârunt: unicum Concilii Aquiliensis decretum, ex quo unà intelligere licebit quàm meritò Ecclesia venationes Clericorum abhorreat, subjicio.

Dicit Canon: » Esau venator erat, quoniam peccator erat: » quàm verò sit modestia clericali indignum, qui paulò antè » Breviarium manibus tractabat, sacræ lectionis studio intendebat, eum publicè accipitrem deferre, & sua in eo studia » profiteri; quique cum Angelis in Ecclesia gratiarum actiones, » & laudes Deo persolvebat, eum inter canum latratus & multitudinem versari, & incomptis obstrepere vocibus, Sacri » Canones declarant, omnes verò facilè intelligunt. Consequitur autem, *ut panis, qui miserorum pauperum victui sufficeret*, *panis*, inquam, *de redditibus ecclesiasticis collectus, quod est patrimonium Christi, ad bestiarum cibum indignè transferatur*: cujus criminis ratio districtè in die Domini » reddetur. Quod ut longè à Clericorum vita & honestate removeamus, omnibus Clericis cujuscunque conditionis & gradûs sint, venatorium studium interdicimus, & districtè prohibemus, ac in eos graviùs per illorum Ordinarios procedendum statuimus; ac si contumacia fuerit obstinatior, & inhibitionis mollioris ratio contemptui esse cœperit, graviori » etiam animadversione prospiciendum mandamus. «

§. V.

Corollaria ex illis quæ hoc capite dicta sunt.

QUi Canones contra alearum, chartarum, aliumve fortunæ ludum præsenti capite adductos seriò expenderit, non difficulter intelliget, Canones, non tantùm frequentem illius usum, sed *absolutè* omnem illius usum Clericis interdicere, ac proinde à sensu Canonum aberrare, qui credunt Clericum Canonibus non contravenire, si tantùm ex occasione semel, atque iterum luserit, aut non multum temporis in istis terere soleat, modò tamen id quoque fiat sine scandalo, *quia talis non dicitur simpliciter vacare aleis, aut taxillis*. Hos, inquam, à sententia Canonum recedere, ex verbis Canonum sat est manifestum. Canones enim non tantùm inhibent Clericis, ne aleis aliove ludo vetito *vacent*, sed simpliciter & absolutè prohibent *ne ludant*, imò nec hujusmodi *lusibus intersint*, ut loquitur magnum illud Lateranense Concilium, ann. 1215. celebratum, & plura ex ante allegatis consentiunt.

Quare B. Petrus Damiani Episcopum Florentinum pro unico in itinere lusu (quem aleæ nomine contineri credebat) acriter monere, & ad pœnitentiam inducere non dubitavit, cujus monito auscultans Episcopus, pœnitentiam à B. Petro Damiani sibi injungendam humiliter postulavit, cui mox præcepi, ait Damianus, » ut ter Psalterium meditando percurreret; » ac duodecim pauperum pedes sub totidem numismatum erogatione, eorumque recreatione lavaret. Sic ostendere volens, » quàm inhonestum, quàm absurdum, quàm denique fœdum » sit hoc in Sacerdote ludibrium. *Lib.* 1. *Epist.* 10.

Non dubitabit proinde S. P. Damiani, quin Canones *absolutè*, & simpliciter hujusmodi ludum alearum Episcopis prohibuissent, ac per consequens & Clericis, iisdem quippe Canonibus, & Clericis & Episcopis lusus ille interdicitur.

Secundò, qui dicta hoc capite attentè consideraverit, non difficulter intelliget, Clericos, alearum, chartarum, similique ludo vacantes, nullatenus per consuetudinem contrariam posse se reddere securos.

In primis enim si (teste Innocentio III. *Cap.* 3. ✠ *de Consuetud.*) *consuetudo, quæ Canonicis obviat Institutis, nullius debeat esse momenti*; quomodo non reputanda erit nullius momenti consuetudo, ubi contra prædictos ludos adeò est aperta Pontificum voluntas, & tam seria, solicita, & expressa totiesque repetita Canonum prohibitio?

Ulteriùs, si expendantur universa illa mala, quibus lusus illi occasionem dare consueverunt, & ob quæ S. Salesius lusus illos non solùm periculosos, verùm etiam *simpliciter malos*, & *vituperabiles*, esse asseruit: si, inquam, illa expendantur, planum erit, Canones, qui lusuum illorum exercitium ob mala comitari solita Clericis interdixerunt, non esse merè positivos, sed aliquid juris naturalis habere admixtum, ac per consequens nec eatenus posse per consuetudinem abrogari.

Deindè si rationes illius prohibitionis attendantur, apparebit, quòd si unquam ratio S. Thomæ (qua probat quòd lex vincat consuetudinem) obtineat, hîc obtinere debeat: » Si ad» huc (inquit 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 2.) maneat ratio eadem, » propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, » sed lex consuetudinem vincit. « Quis enim negare ausit, hodie adhuc manere easdem rationes, ob quas Canones lusum alearum proscripserunt?

Hinc est, quòd Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* Leges Canonicas de *aleis* & *luxibus* observari & in usum revocari præcipiat, *non obstantibus consuetudinibus quibuscunque*, idque sub gravissima hac comminatione, *ne subditorum neglectæ emendationis ipsi* (Episcopi) *condignas Deo vindice pœnas persolvant*.

Similiter Innocentius III. in Epistola Decretalibus Gregor. IX. inserta, Clericum quendam, alearum lusui vacantem, & obtentu consuetudinis *Clericorum Gallicanorum*, *qua ferè universi Clerici frequenter sic ludunt*, se à culpa eximere volentem, refellit, his verbis: » Nos ex officii nostri debito pes» tes hujusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuo» sos (occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad » dissolutionis materiam venitur) penitùs improbamus, *excu» sationem* prædictam, quæ per pravam consuetudinem (*quæ » corruptela dicenda est*) palliatur, *frivolam* reputantes, cùm » in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas » excusationes in culpis, delinquendi auctoritas usurpatur. « *Cap.* 11. ✠ *de Excessib. Præl.*

Quis Canonicorum, aut Clericorum hæc omnia expendens, tutum credet, contra tam severam atque constantem Ecclesiæ prohibitionem luxui alearum aut chartarum se dare, obtentu consuetudinis toties reprobatæ, quæ quidem universalis non est, cùm plures in Clero nec hodie desint, consuetudinem illam facto & verbo improbantes?

Sed dicit aliquis, potest contingere, ut illæ sint circumstantiæ, ut incommodorum, quæ lusum chartarum, aut alearum comitari solent, nullum sit periculum: adeoque tali casu cessante ratione prohibitionis dicenda erit cessare prohibitio. Respondeo, ut supponatur aliquo casu periculum illud planè abesse, imò nec scandalum timeri, quis tamen inde inferet, eo casu cessare obligationem legis, nisi unà inferat, quòd cessante ratione legis *negativè*, ut ajunt, etiam cesset obligatio legis: quam consequentiam perniciosam esse, quis non videat?

Quod de consuetudine ludendi, idem quoque dicendum esse de consuetudine circa venationes per Canones inhibitas, ex antedictis facilè quisque intelligere potest.

PARS TERTIA.

DE TERTIO OFFICIO

CANONICORUM,

SCILICET,

Divini Officii persolutione.

CAPUT PRIMUM.

UNDE HORARUM CANONICARUM ORIGO PROFLUXERIT, ET QUINAM AD EAS PERSOLVENDAS TENEANTUR.

PARAGRAPHUS I.

Olim distinctis ad horis adorandum Fideles conveniebant, ut divino præcepto de semper orando satisfacerent.

OPortet *semper orare*, inquit Christus, & *non deficere*: & Apostolus: *Sine intermissione orate*; non igitur certis temporum intervallis, *sed semper sine intermissione* orandum est.

Quâ ratione *sine intermissione oretur*, docet Augustinus *Epist.* 121. *cap.* 9. » In ipsa fide, & spe, & charitate, in» quit, continuato desiderio semper oramus.... ac per hoc, & » quod ait Apostolus, *sine intermisione orate*, quid est aliud » quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui » eam solus dare potest, *sine intermisione desiderare*? Sem» per ergo hanc à Domino Deo *desideremus*, & *oramus sem» per.*« Et De Morib. Eccles. lib. 1. cap. 17. *Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo, quod revelatum est, permanetur.* Unde in Psal. 37. *Tacebis, si amare destiteris. Frigus charitatis silentium cordis est.*

Quare continuam orandi obligationem paucis his verbis expressit: *Tota vita christiani boni sanctum desiderium esse debet.* In Tract. 4. in Joan.

Causa itaque orationis *est desiderium charitatis*, quod ut ex Augustino audivimus, in nobis debet esse continuum. » Ideo » (inquit idem Doctor in *cit. Epist.*) ab aliis curis, atque nego» tiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis ho» ris ad negotium orandi mentem revocamus, verbis oratio» nis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, » ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitùs ex» tinguatur, nisi crebriùs inflammetur.«

Imò, eodem Doctore teste, » ideo per certa intervalla ho» rarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis re» rum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio » profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hac augendum » nos ipsos acriùs excitemus.« Ut igitur præcepto sine intermissione orandi Fideles satisfacerent, ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio certa temporum intervalla elegerunt, quibus ab aliis curis, & negotiis mentem ad negotium orandi certis horis revocarent; utque oratio & esset ferventior, & efficacior, simul orandi causâ convenire consueverant.

Sanctus Cyprianus postquam ostendisset, etiam in veteri testamento per Danielem, aliosque sanctos homines in orationibus celebrandis observatas fuisse Tertiam, Sextam & Nonam, statim subjungit: *Sed nobis præter horas antiquitùs observatas orandi, nunc & spatia; & Sacramenta creverunt....* » Quod si » in Scripturis Sanctis sol verus, & dies verus est Christus, hora » nulla à Christianis excipitur, quominus frequenter, ac semper » Deus debeat adorari, ut qui in Christo, hoc est, in sole, & » die vero sumus, insistamus per totum diem precibus, & ore» mus..... Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper su» mus, nec noctibus ab orationibus cessemus.« Quâ ratione die ac nocte orandum esset, indicat eodem loco: » Nam & *manè* » *orandum est*, ut resurrectio Domini matutina oratione cele» bretur..... recedente item sole, ac die cessante, *necessariò* » *rursum orandum est.* Nam quia Christus sol verus & dies ve» rus est, sole ac die seculi recedente, quando oramus & peti» mus, ut super nos lux denuò veniat, Christi precamur adven» tum, lucis æternæ gratiam præbiturum.« *De Orat. Domin.*

Quis hinc non videat, primos Fideles distinctis temporum intervallis ad orandum convenisse, ut ab aliis curis & negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, liberi, ad negotium orandi mentem revocarent; quo fieret, ut pium desiderium in se resuscitando, *in fide & spe & charitate continuato desiderio* semper *orarent*: non quòd omnis, qui per diversa temporum spatia ad negotium orandi mentem revocat, *semper* oret, sed quòd media opportuna pertingendi ad continuam orationem impendat.

§. II.

Olim etiam Fideles laici ejusdem penè horis ad orandum conveniebant, quibus hodie Ministros suos orare jubet Ecclesia.

PRimis Ecclesiæ seculis Fideles eisdem penè distinctis temporum intervallis ad orandum convenisse, quibus hodie Ministros suos orare jubet Ecclesia, Patrum testimoniis luculenter evincitur.

Et quidem inter Constitutiones, vulgò *Apostolicas*, una præcipit omnibus Fidelibus, *precationes facere manè, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum.* Lib. 8. c. 54.

Observat Tertulianus, suo tempore morem fuisse Christianorum de nocte ad orationem surgere, eumque causam sobrietatis, quam in cœnis servabant, fuisse: *Ita saturantur, ut meminerint etiam* per noctem *adorandum sibi Deum esse.* In Apolog.

Populum Cæsareæ in Capadocia de nocte unà cum Episcopo suo in Eclesiam convenisse irrefragabili ipsius Basilii testimonio comprobatur: » De nocte siquidem populus, inquit, consur» gens antelucano tempore domum precationis petit, inque la» bore, & tribulatione, ac lachrymis indesinentibus ad Deum » facta confessione, tandem ab oratione surgentes *ad psalmodiam* » *transeunt.* Et nunc quidem in duas partes divisi alternis suc» cinentes psallunt, atque ex eo simul eloquiorum Dei exerci» tationem ac meditationem corroborant: & cordibus suis atten» tionem, & rejectis vanis cogitationibus mentis soliditatem » suppeditant. Deinde uni ex ipsis hoc muneris dato, ut quod » canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt: atque ita » psalmodiæ varietate, precibusque subinde intersertis noctem » superant. Illucescente jam die pariter omnes velut ore uno ac » corde uno confessionis psalmum Deo offerunt, ac suis quis» que verbis resipiscentiam profitentur.« *Epist.* 63.

Ad hanc piam consuetudinem servandam universos Fideles excitat S. Chrysostomus: » Non ideò facta est nox, ut per to» tam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc & opifices, » nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus. Sur» ge & tu, & vide astrorum choream, obstupesce admirabilem » Dei dispensationem. Ad viros & mulieres mihi sermo est, » flecte genua, ingemisce, ora.« *Homil.* 26. *in Acta.*

Nonne ejusdem laudabilis praxeos locupletissimus testis est Ambrosius, dum dicit Christianis non esse fas matrimonium inire cum non Christianis? *Quia*, inquit, *simul ad orationem nocte vobis surgendum est, & conjunctis precibus obsecrandus Deus.* lib. de Abrah. cap. 9.

Imò ad cantum Psalmorum non Clericos tantùm, sed etiam laicos, tam viros quàm mulieres convenisse refert: *Bene mari*, ait, *plerumque comparatur Ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis undas vomit: deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus stridet, cum responsoriis Psalmorum, cantus virorum, mulierum, virginum, parvulorum, consonus undarum fragor resultat.* Hexam. lib. 3. cap. 5.

Magnum illum, ac primum fervorem quotidie statis horis ad orationem accedendi nonnihil refriguisse circa tempora S. Augustini, vel Cæsarii Arelat. satis insinuatur in quadam alteru-

trius ad populum exhortatione, ut saltem tempore Quadragesimæ omnibus horis diligenter: » Ad Vigilias maturiùs surgite, ad » Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite. Nullus » se a sancto opere subtrahat; nisi quem infirmitas, aut publica » utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupa- » tum. « *Serm.* 55. *de temp.*

Quis hinc non intelligat, *horas*, quas hodie dicimus *Canonicas*, olim non Clericis duntaxat, sed etiam laicis, ut media ordinatissima, quibus ad satisfaciendum divino præcepto de orando *sine intermissione* sese pararent, à Patribus præpositas fuisse: ac per consequens quòd obligatio interpolatis temporibus orandi, ex indispensabili illa obligatione *sinè intermissione* orandi profluxerit?

§. III.

Quinam ex Clericis ad Horas canonicas obligentur, & in quo hæc Clericorum obligatio fundetur.

PRæcipuis Ecclesiasticorum muniis annumerari debere studium orationis, Apostoli suo exemplo docuerunt, mensarum & pauperum curam abdicantes, ut *orationi & ministerio verbi Dei instantes* essent: sciebant enim, quod Apostolus postmodum dixit, *quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*: adeoque & plantationem & irrigationem futuram esse sine fructu, nisi per continuas ad Deum preces cœleste attraherent incrementum.

Quis rursus nescit, quod omnis, qui Christi Sacerdotio associatur, *pro hominibus constituatur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*? Ad Heb. 5. v. 1.

Hinc S. Bernardus in *Declam.* §. 11. intrepidè asserit, quòd omnis verus Christi Minister tripliciter pascere populum debeat: *exemplo conversationis, verbo prædicationis*, fructu orationis.

Si igitur tanto fervore fideles laici distinctis per diem, ac noctem horis ad divinas laudes persolvendas convenirent, ut paragrapho præcedenti notatum est; quis ambigat, quin majore diligentiâ, atque ardore ad horas illas convolaverint Clerici? Qui ultra communem orandi, ac laudandi Deum obligationem, specialiùs insuper vi officii sui, non pro seipsis duntaxat, sed & pro populo *orationi instantes* esse jubentur. Qui, ut *fidelem Deo cultum exhibeant*, in sortem Domini vocati sunt. Qui verbo pariter, & exemplo reliquos fideles ad orationem & Dei cultum excitare debent. Qui denique, ut jam dictum est, tanquam spirituales agricolæ jubentur per continuas ad Deum preces rorem divinæ gratiæ super plantata ac rigata attrahere?

Si SS. Patres adeo ferventer communem populum, ut anteriori paragrapho ex eorum scriptis observavimus, ad horas, quas hodie *Canonicas* dicimus, excitaverint & adhortati fuerint; quis audeat dubitare, quin amplius ipsum Clerum, ne deesset, exhortati fuerint? Imò verò nec Clericum habendum esse, qui ad divinum officium ex ignavia non accederet, decernere non dubitârunt.

» Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel *quilibet* » Ecclesiæ deputatus Clericus, inquit Synodus Toletana I. » ann. 400. *Can.* 5. si intra civitatem fuerit, vel in loco, » quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, & ad » Ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, *Cle- » ricus non habeatur*, si castigatus veniam ab Episcopo nolue- » rit promereri.

» Clericus (ait sub idem penè tempus Concilium Cartagi- » nense IV. *Can. XLI.*) qui absque corpusculi sui inæquali- » tate vigiliis deest, stipendiis privetur. «

Consentiunt Patres Concilii Venetici circa annum 65. supra 400. statuentes *Can. XIV.* ut » si Clericus, quem intra » muros civitatis suæ manere constiterit, à matutinis hymnis si- » nè probabili excusatione ægritudinis inventus fuerit defuisse, » semptem diebus à communione habeatur extraneus. « Rationem statuti subdunt: » *quia ministrum sacrorum eo tempore,* » *quo non potest ab officio suo ulla honesta necessitas occupare,* » *fas non est, à salubri devotione cessare.* «

Ex his Conciliorum Sanctionibus sat apparet, universis Clericis obligationem officium persolvendi injectam fuisse. Hinc indubiè contigit, quòd posteriora Concilia præceptum illud supponentia, Clericos ad divini officii persolutionem non obligent, sed solùm præcipiant ut obligationi sibi injectæ dubitè satisfaciant; districtè mandantia, *ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum*, ut loquitur Synodus Lateranensis sub Innocentio III. *quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & devotè*; sin minus, ut in Officii illius persolutione defectuosos Prælati pœnas decernant. *Cap.* 9. ✠ *de Celebrat. Miss.*

Quin tamen aliqua circa hanc Ecclesiæ disciplinam varietas successu temporis intervenerit, qui Conciliorum Sanctiones, & Ecclesiæ praxim vel leviter attenderit, negare non poterit.

Multis enim seculis omnes generatim Clericos ad Horarum canonicarum persolutionem adstrictos fuisse, vel ex solis Canonibus suprà relatis manifestum est: ac postrema ætate ea tandem obligatio penès solos Beneficiatos, & Sacris Ordinibus insignitos remansit.

Mutationis illius quasi crepusculum in Synodo Coloniensi seculo XIII. ostenditur: » Nullus, ait Synodus, Horas cano- » nicas, & Horas de Domina, ullâ unquam die distinctè & dis- » cretè dicere prætermittat, *maximè qui est in Sacris Ordinibus* » *vel Beneficiis constitutus.* «

Quis ex hoc Canone non intelligat, quòd Synodus illa, etiam seculo XIII. nullum Clericum ab Horis canonicis persolvendis exemptum dicere voluerit; præ aliis tamen strictiùs obligatos esse Beneficiatos atque in Sacris Ordinibus constitutos affirmaverit? Ex quo contingit, ut sensim per quandam Ecclesiæ conniventiam ad hos solos obligatio devoluta fuerit. Quare postrema tandem Concilia de divini officii persolutione tractantia, hos solos ad illius lectionem excitant & urgent.

» *Quoscumque Beneficiatos seu in Sacris constitutos*, (in- » quiunt Patres Concilii Basileensis) *cùm ad Horas Canoni- » cas teneantur*, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive as- » sociati, diurnum, nocturnumque officium reverenter verbis- » que distinctis peragant, « *Sess.* 21. *Can.* 5.

Itaque ex omnibus his intelligimus, & Canones quidem olim omnes indifferenter Clericos ad Divini Officii recitationem obligâsse; at successu temporis, connivente Ecclesia obligationem penè solos Beneficiatos, & Sacris Ordinibus initiatos remansisse.

Non difficulter quoque ex dictis colligitur, hanc Clericorum obligationem ex eorum indispensabili & specialiori præ reliquo populo orandi & Deum laudandi obligatione, profluxisse.

Unde Ecclesia monens Sacerdotes, *ut signa tangant Horis canonicis, & illorum officium agant, sive diurnale sive nocturnale*; hanc suæ admonitionis rationem subnectit: *quia scriptum est: sine intermissione orate.* Vide *Capitul. Caroli M. lib.* 6. *cap.* 171.

Non igitur proventuum Ecclesiasticorum receptio istius obligationis est fundamentum sed ipsum clericale officium; cui, ut liberiùs & attentius sine curis vacare possent, temporalia, unde vivant, eis assignantur. » Nam qui constituerunt vel fun- » dârunt sanctissimas Ecclesias, ait Imperator Justinianus *Leg.* » 42. *C.* §. 10. *de Episcop. & Cleric.* pro sua salute & com- » munis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias: *ut per eas* „ *debeant sacræ liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus* „ *piis Clericis Deus colatur.* "

Quare Clerici dum officium suum non persolvunt, meritò proventibus ecclesiasticis (qui dantur ut liberiùs illud persolvere queant) privantur, nec eo casu sine injustitia illos recipiunt.

§. IV.

Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta sunt.

EX assertis hoc capite planum est, quòd Clerici Officii Divini persolvendi obligationem considerare debeant tanquam medium suavissimum ab Ecclesia ordinatum, quo obligationi orandi, ac laudandi Deum, sibi ratione muneris clericalis specialiter incumbenti, aliquatenus satisfacere possint; quemadmodum ipsos quoque pios fideles illud suspexisse in anterioribus probatum fuit.

Ex quo alteriùs consequitur quòd Clerici Horarum canonicarum pensum considerare non debeant, ut merum obsequium perceptioni fructuum temporalium correspondens, sed tanquam partem servitii quod Ecclesiæ præstare jubentur, dum in illius ministerium electi & instituti sunt.

Quare, ut §. *præcedenti* ostendimus, plurimis seculis omnes Clerici Horis canonicis interesse tenebantur; posterioribus verò (quando Clerici ordinari cœperunt absque eo quòd speciali alicui Ecclesiæ adscriberentur) generatim omnes, qui per Beneficium seu titulum ecclesiasticum alicui Ecclesiæ adscripti sunt, ad Horas canonicas Ecclesia adstrictos declarat, nullâ fructuum seu emolumentorum habitâ consideratione.

Hinc provenit, ut ab aliquibus numerentur inter eos Scholasticos, *qui suo magis, quàm expedit, credunt & nituntur ingenio* (ut loquitur Dionysius Carthusianus *Tract. de Vita Can. art.* 24.) *auctoritatem Sanctorum ad suam detorquentes opinionem.* Theologi illi, qui asserunt, Beneficiatum, si nullos fructus absque sua culpa & negligentia percipiat, non obligari ad Horas canonicas: neque illum obligari ad plenam recitationem Officii ecclesiastici, qui admodum tenues percipit fructus, ut si *sint inferiores tertia parte mediocris sustentationis pro Clerico communis conditionis.* Pergunt ulteriùs Theologi illi, & quæ sit reputanda tertia sustentationis pars, è proprio cerebro determinare non verentur. Tertiam verò partem sustentationis, inquit eorum unus, videtur Suarez æstimare ad minus *ad triginta aureos*: *Sed in his partibus*, subdit ipse, *videtur, quòd tertia pars posset æstimari ad* 12. *aut* 15. *aureos, æstimando Aureum ad* 3. *florenos.* Joan. Wiggers. *de Jure & justit. tract.* 8. *cap.* 2. *dub.* 10.

Uti-

Utinam similes Theologi in formandis sententiis sacros Canones potiùs, quàm proprium ingenium & rationem consuluissent! nunquam ad mercenarias, & exoticas illas opiniones declinâssent: hinc Canonistæ verbis & menti SS. Canonum presiùs inhærentes, asserere non dubitant, quòd *sicut non excusatur Clericus à residentia ex eo quod ex beneficio vitæ necessaria non percipiat, ita nec excusetur ab Horis dicendis.* Verba sunt Prosperi Fagnani ad Cap. *conquirente* ¤ *de Clericis non resid.*

CAPUT II.

CANONICI TENENTUR CESSANTE LEGITIMO IMPEDIMENTO OFFICIUM DIVINUM SOLEMNITER PERSOLVERE *PER SE*: NON INUTILITER TAMEN IN ADJUTORIUM SUUM VICARIOS ASSUMUNT.

PARAGRAPHUS I.

Probatur à ratione, quòd Canonici teneantur cessante legitimo impedimento per se *officium divinum peragere.*

INter præcipua Canonicorum munia reponendam esse solemnis Officii persolutionem, qui ipsas Canonicorum institutionem ac regulas vel leviter expenderit, dubitare nequit; imò facilè tertia pars regulæ in Aquisgranensi Concilio Canonicis præscriptæ, circa modum Officium Divinum persolvendi versatur, unde in ipsis Conciliis, nihil adeò Canonicis inculcatur, quàm *ut in Choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter* (verba sunt Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 12.) *distinctè devoteque laudent.* Quare rectè ad quæmdam Canonicum jam pridem scripsit S. Ivo Carnotensis *Epist.* 318. *Ad hoc instituta est clericalis militia, ut psalmodiæ, & hymnodiæ quotidianum Deo offerat Sacrificium.*

Si ergo Canonici ad hoc sint instituti, hocque eorum sit officium, ut hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devoteque laudent; quis non injustum, imò & ab ipsa ratione naturali alienum videt esse, munus sibi impositum non velle implere, sed in alios transferre, atque ita nomen & proventus Canonicorum velle retinere, officium verò à se rejicere?

Hanc quorundam Clericorum inertiam, imò injustitiam notavit, & execratus est, nec tolerandam esse jam pridem censuit Imperaror Justinianus: » Sancimus (inquit *Leg.* 42. §. 10. *C. de Episc. & Cler.*) ut omnes Clerici... per se ipsos psallant » nocturna, & matutina, & vespertina, ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei: turpe enim est, pro ipsis scriptos, necessitate ipsis indictâ, psallere. Si enim multi Laicorum, ut suæ animæ consulant, ad sanctissimas Ecclesias confluentes, studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo » indecens non fuerit Clericos ad id ordinatos non implere suum » munus? Quapropter omnimodo Clericos psallere jubemus, & » ipsos inquiri à Deo amantissimis pro tempore Episcopis, & » duobus Presbyteris in singulis Ecclesiis, & ab eo, qui vocatur Archos vel Exarcos, & ab Ecdico, sive defensore » cujusque Sanctissimæ Ecclesiæ, & eos, qui inventi non fuerint » inculpatè in liturgiis perseverantes, extra Clerum constitui. » Nam qui constituerunt vel fundârunt Sanctissimas Ecclesias » pro sua salute & communis Reipublicæ, relinquerunt illi substantias, ut per eas debeant sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis » à ministrantibus piis Clericis Deus colatur. «

Consonat Dionysius Cartusianus *Tract. de Vita. Canon. art.* 19. » qui Canonicos non cantantes, quamvis in choro stent, » sed pueris & cantoribus id committentes, monet; ut attendant quod ait Apostolus: *Qui non laborat, non manducet.* » Nonne Beneficium ad Officium ordinatur; nec ecclesiastici » redditus nisi officiantibus in Divinis debentur. «

§. II.

Probatur auctoritate Conciliorum Canonicos teneri per se, *non per solos substitutos divina obire Officia.*

IGnaviam, ne dicam injustitiam, Canonicorum proventus ecclesiasticos percipientium, officium verò obire refugientium, ex ratione naturali plusquam sufficienter non præoccupatis, nec propriâ cupiditate excæcatis probatam, ipsa Concilia quoque uno eodemque consensu declarare, atque contrarium abusum improbare non dubitârunt.

Synodus Basileensis reformationi Ecclesiæ intendens hunc Canonicorum abusum notare non prætermisit: » in cunctis Ecclesiis, inquit, Cathedralibus, ac Collegiatis horis debitis Laudes divinæ reverenter ab omnibus persolvantur... & cùm psallendi gratia conveniunt, inquit, juncta ac clausa labia tenere » non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur » honore, in psalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter mo» dulentur... nemo ibidem dum horæ in communi publicè can» tantur, legat vel dicat privatim Officium: nam non solùm » obsequium, quo obnoxius est choro, substrahit, sed alios » psallentes perturbat. « *Sess.* 21. *Decret.* 3. *coll.* 553. *Edit. Labb.*

Hoc Basileensis Concilii decretum Concilium Senonense *ann.* 1528. *Can.* 18. innovavit, declarans, quòd Canonici, cùm psallendi gratia ad chorum conveniant, muta ac clausa labia tenere non debeant; sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis, & canticis, Deo alacriter modulentur.

Consonat Synodus Coloniensis *ann.* 1536. celebrata, quæ Canonicorum hujusmodi inertiam acriter, non tamen ultrâ meritum, perstringit, *part.* 3. *cap.* 5. » Cùm psallendi gratia ad » chorum conveniatur, (inquit Synodus) ibidem muta aut » clausula labia nemo tenuerit.

» Statis erga ac debitis horis laudes divinæ, non cursim ac » festinanter, sed tractim, non truncatè, sed integrè, distinctè, devotè, reverenterque ab omnibus decantentur, persolvanturque. Et cùm psallendi gratia conveniatur, ibidem muta aut clausa labia nemo tenuerit; sed omnes pariter senes » cum junioribus laudent nomen Domini in Psalmis, hymnis, & » canticis, Deo alacriter modulantes; sic tamen, ne boatus » confundat recitationem. Nemo tum, cùm publicè vel preces » horariæ, vel Missæ Sacrum cantando peragantur, legat vel » dicat privatum Officium: nam is id, cui obnoxius est, choro » subtrahit... Quem tamen aliud Officium ecclesiasticum, aut » publicum alio statim rapiet, ut nisi legens preces horarias, » tempestivè absolvere haud possit, hac lege teneri nolumus. » Quàm autem à vero aberrant qui existimant sese non alicujus officii in Ecclesia exercendi, sed quietis & inertiæ tantùm causâ Canonicatus esse adeptos: perinde atque satis sit, » paucis quibusdam Clericis admodùm ignaris, tenui pretio conductis, curam divini Officii committi, quod deinde ejusce» modi mercenarii, non servatis temporum interstitiis, syncopando transcurrunt, interim ipsis Canonicis tota vitâ torpentibus. «

Prædictam Canonicorum inertiam atque ignaviam, nec Conciliorum illorum auctoritas, nec ipsa Officii ratio omninò extirpare potuit; undè rursus Synodus Generalis Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* præcipere debuit, *ut omnes* Canonici *divina* per se, *non per substitutos compellantur obire Officia.*

Præditam Canonicorum obligationem divina *per se* obeundi Officia, præsertim *psallendi*, claris sed paucis verbis in Concilio Tridentino expressam, fusiùs in Synodis pro executione ejusdem Concilii celebratis expositam habemus.

S. Carolus fidelissimus Concilii Tridentini interpres postquam monuisset, » quòd qui Dignitates, aut Personatus in Ecclesiis obtinent, & Canonici nominis, ac institutionis suæ » memores ea pietate & assiduitate divina Officia colere debeant, ut alii eorum exemplo ad studium & amorem divini » cultus accendantur; subjungit *in Conc. Mediol. p.* 2. *cap.* 38. » Itaque *auctoritate etiam Tridentini Concilii* præcipi, ut cùm » in choro psallendum est, ipsi quoque quanto honoris gradu » præ cæteris præstant, tanto studiosiùs psalmis, hymnis & » canticis una cum *aliis modulantes Dei laudes concelebrent.* „ Cui officio si defuerint, pro absentibus habeantur, & earum „ horarum, quas ea ratione non obierint, distributionibus mulc„ tentur. "

Non dubitavit ergo S. Carolus, quin ex præscripto Concilii Tridentini Canonici in quacumque etiam dignitate constituti teneantur studiosiùs in *psalmis* modulari, quantum honoris gradus cæteris præstant.

Utque Burdigalense, Turonense aliaque plura extera Concilia omittam, quæ dictam Canonicorum obligationem proponere non omiserunt, ad nostra Belgica descendo.

Et quidem Cameracense biennio à soluta Tridentina Synodo celebratum, cui & plures è Tridentina Synodo reduces interfuerunt, adeo luculenter prædictam Canonicorum obligationem expressit, & contrarium abusum reprobavit, ut clariùs proponere non potuisset: „ In choro, inquit, cùm psalli„ tur, Canonici omnes, qui in choro fuerint, & sacellani „ *psallant*; nec sint in sedibus suis otiosi; nec putent se func„ tos officio, *si vicariâ tantùm operâ* cultum divinum celebra„ ri curent: modo tamen psallere per valetudinem queant, nec „ aliis impediti justis de causis fuerint. Ann. 1569. *tit.* 6. *cap.* 7. "

Consonat ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis, ann. 1583. quæ simul unam ex præcipuis radicibus pravæ illius consuetudinis, nimirum *superbiam* notat & sugillat: » Canonici, inquit *tit.* 12. *cap.* 6. in sedibus suis non » sint otiosi, sed Deo laudando incumbentes, & voce & corde psallant Domino. Minimè enim se indignum existiment » Canonici, aut alii Canonicis etiam superiores, si canant cum

» aliis & ipsi psalmos, quos non dedignatus est Rex & Pro-
» pheta David canere; cùm Deo canant, *sitque hoc proprium*
» *ipsorum officium*, denique & hæc nostra omnium, quàm
» omnes expectamus, beatitudo, Dei laudibus, cum omni-
» bus Dei Sanctis cantandis & celebrandis æternum occupari. «

Finem citationi Conciliorum facio, si unum Provinciæ nostræ Mechliniensis decretum adjunxero: » Meminerint omnes, » inquit Synodus, tam in Dignitate constituti, quàm Cano-» nici, Capellani, Vicarii, Beneficiati, & reliqui habituati, » mandati Concilii Tridentini; ut omnes divina *per se*, non » *per substitutos* compellantur obire officia, atque in choro ad » psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reve-» renter, distinctè devoteque laudare. « Ann. 1607. *t.* 12. *c.* 2.

Quis Canonicorum hunc unanimem Conciliorum consensum circa obligationem divina *per se* obeundi Officia conspiciens, adhuc de hac obligatione vel dubitare audebit?

§. III.

Theologi etiam justo laxiores docent Canonicos non facere distributiones suas, *si cessante justo impedimento in choro* non canant.

UT Canonicis perspicuum sit, quàm sit evidens & certa obligatio *per se psallendi in choro*, etiam è receptioribus Theologis de rigore non suspectis proferre volui, qui perculsi evidentiâ rationis obligationem illam negare non sunt ausi, quantumvis aliàs magis ad extenuandas quàm augendas obligationes sint proclives.

Et quidem Lælius Zecchius disserens de *Canonicorum psallendi officio*, non tantùm arguit peccati, qui cessante legitimo impedimento cum reliquis in choro non cantant, sed insuper probat sententiam Navarri, qui docet tales nec tutâ conscientiâ distributiones percipere posse. „ Omnes Canonici (in-» quit *de Reip. Eccl. cap.* 24. *num.* 6.) sub peccato (impedi-» mento legitimo cessante) tenentur Horas simul cum aliis in » choro recitare; & ad id cogi possunt per penas & multas à » Prælatis. *Extantes nec psallentes cum aliis, etiamsi Canoni-» ci sint, tuta conscientia in choro non possunt distributio-» nes percipere.*"

Consonat prædictis Joannes Azorius, qui probatâ opinione Navarri, obligante Canonicos ad psallendum divinum Officium cum aliis in choro, quærit ulteriùs: „ an sibi acqui-» rant eos fructus, quos distributiones quotidianas appellant, » si in choro non cantent? Respondeo, inquit, *minimè*: quo-» niam hujusmodi fructus, dantur Canonicis *ratione cantus* in » choro & non ratione solius præsentiæ; at quod datur ob cau-» sam, eâ non secutâ minimè debetur." *P.* 1. *instit. Moral. l.* 10. *cap.* 11. *quæst.* 5.

Consentit Rodriguez, docens *part.* 1. *cap.* 146. *num.* 5. » Canonicum recitantem submissâ voce, aliis canentibus, non » posse distributiones, quæ conferuntur, percipere. Tum quia » distributiones conferuntur canentibus & inservientibus in cho-» ro cum aliis, si quidem institutus est ad communicationem » unius cum alio, ita ut quidquid divini Officii sibi dicitur, sit » commune alteri; sed non potest commune esse alteri, quan-» do dicit sibi soli, quoniam ut sic, est sibi proprium. Tum » quia, qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. » Tum quia hic facit contra justitiam commutativam: ergo te-» netur ad restitutionem."

Huic sententiæ similiter subscribit Paulus Comitolus *Lib.* 1. *resp. moral q.* 62. & *nec dura hæc*, subjicit, *nonnullis videatur esse sententia, sciant de Canonicis in choro non psallentibus hoc ab illustrissima Congregatione Romana redditum esse responsum*, nisi psallant ipsi officio suo minime satisfacere.

Hanc Teologorum sententiam non obscurè confirmat Synodus Tridentina declarans, „ quòd Canonici si *personaliter* com-» petens sibi servitium, juxta formam ab Episcopis præscri-» bendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distri-» butionem amittant." *Sess.* 22. *cap.* 3. *de Reform.*

Hæc eo fine dicta sunt, ut cognoscant Canonici quanto se periculo exponant, dum nullo occurrente justo impedimento juxta officii sui exigentiam cum aliis in choro *psallere* aliaque divina Officia *per se* obire negligunt, quando etiam præfati Scholastici ipsos securos non reddunt.

§. IV.

Statuta Capitulorum eximere non possunt Canonicos ab obligatione divina per se *obeundi Officia.*

STatuta inferiorum legibus Superiorum præjudicare non posse, certum est, & nullus negare potest. Cùm igitur in præcedentibus luculentissimè ostensum sit, unanimi Conciliorum consensu declaratum esse, quòd Canonici juxta officii sui exigentiam teneantur divina *per se* obire Officia, quis non videat, per Capitulorum statuta hanc obligationem infringi non posse; maximè cùm hæc obligatio ex ipsa Canonicorum primaria institutione profluat.

Frustra proinde per Capitulorum suorum statuta Canonici securitatem sibi promittunt; præsertim quia scitur, quàm sit natum contingere, ut Canonici suaviter & commodè vivere volentes, & propria commoda affectantes, onera verò subterfugientes (qui subinde majorem Collegii partem constituunt) non difficulter in leges consentiant, quæ eorum favent concupiscentiis, parùm attendentes, num religionem aut disciplinam Ecclesiasticam promoveant, vel superiorum decretis non adversentur; dumque reliquorum zelus se non opponit, paulatim pro lege invalescunt: quo fit ut inter Capitulorum statuta reperiantur plurima quæ quæstum magis, quàm pietatem resipiunt; quæ & juramento nonnunquam à Canonicis confirmantur: cujus generis plurima Patres Synodi Coloniensis reperisse deplorant: » habent (inquiunt *part.* 3. *cap.* 19.) ferè » quot quot sunt Cathedrales, ac Collegiatæ Ecclesiæ suum » volumen peculiarium statutorum, quæ interdum pro affectu » privato cujuslibet augentur, ac crescunt. *Inter hæc reperias* » *quamplura, quæ quæstum magis quàm pietatem resipiant,* » & ad inæqualitatem magis quàm æqualitatem faciant: unde » discordia inter fratres (ut fieri solet) frequenter alitur, con-» cordia verò scinditur, laceraturque. *Et quantumvis plera-» que inter hæc iniqua reperias, adiguntur tamen omnes qui » recens admittuntur, ut ad ejusmodi statutorum observatio-» nem* (etiam penitùs ignari quid contineant illa) *citrà ullum » delectum jurejurando se alligent*, cùm tamen juramentum non » debeat esse iniquitatis vinculum, nec ad ignorata extendi. » Operæ pretium itaque nobis videtur, hujusmodi statutorum » volumina inter visitandum excutere, & quæ Evangelicæ pu-» ritati atque fraternæ charitati, denique disciplinæ Ecclesias-» ticæ minùs consentanea reperta fuerint, resecare, cavereque, » ne posthac ulla nova statuta in ejusmodi Ecclesias (nisi ta-» men noster accesserit calculus) edantur. «

Hinc habemus, quòd, teste Synodo Provinciali Coloniensi, inter ipsa Statuta, etiam Ecclesiarum Cathedralium, quorum observationem quoque ipsi Canonici *juramento* promittebant, reperta sint quamplurima, quæ *quæstum* magis quàm *pietatem* saperent.

Ipsa quoque Generalis Tridentina Synodus *Sess.* 24. *cap.* 14. *de Reform.* deplorat, quòd „ in pluribus Ecclesiis, tam Ca-» thedralibus, quàm Collegiatis, & Parochialibus ex earum » *constitutionibus* aut ex prava consuetudine in electione, præ-» sentatione.... sive admissione ad possessionem alicujus Cathe-» dralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præben-» darum certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, com-» pensationesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis » dicuntur turnorum lucra, interponantur: quæ omnia S. Sy-» nodus detestans mandat Episcopis, ut quæcunque hujusmo-» di in pios usus non convertuntur, atque ingressus eos, » qui *simoniacæ labis*, aut *sordidæ avaritiæ* suspicionem ha-» bent, fieri non permittant, ipsique diligenter de earum *cons-» titutionibus*, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant; » & istis tantùm, quas laudabiles probaverint, exceptis, re-» liquas ut *pravas, ac scandalosas rejiciant & aboleant.* Et qui » adversus prædicta quavis ratione commisserint, pœnis Simo-» niacorum subjacere decernit, non obstantibus (inquit Syno-» dus) quibuscunque *statutis, constitutionibus*, consuetudinibus, » etiam immemorabilibus, etiam *Apostolica auctoritate confir-» matis*: de quarum subreptione, obreptione, & intentionis » defectu Episcopos, tanquam Apostolicæ Sedis Delegatus cog-» noscere potest."

Ex his quis non videat, per Synodum Tridentinam supponi, in statutis, & constitutionibus, etiam Cathedralium Ecclesiarum (tametsi per Sedem Apostolicam confirmatis) posse reperiri aliqua, quæ Synodus tanquam de simoniaca pravitate suspecta detestatur.

Ex his apparet, quàm periculoso fundamento nitantur Canonici, dum ab officii sui obligatione, tàm enixè ab Ecclesia inculcatâ, prætextu Statutorum Capitularium, quæ tam frequenter à regulis Ecclesiæ dissona reperiuntur, se eximere non verentur.

§. V.

Canonici justè Vicarios sibi in divini Officii persolutione adjutores assumunt, & quid præcipuè illorum assumptione attendere debeant.

COnstat ex dictis hoc Tractatu, præsertim primâ parte, Canonicos non tantùm ad divini Officii persolutionem, sed etiam Hierarchicas functiones pro Ecclesiæ necessitate, & utilitate obligari; unde non difficulter intelligi potest, quod Ecclesiæ negotia nonnunquam à divini Officii personali persolutione eos avocare queant, quapropter Ecclesia, dum Canonicos ad divina *per se* obeunda Officia adstrictos declarat, hanc salu-

lutarem clausulam adjicere non duvitavit, modò tamen psallere per valetudinem queant, nec aliis impeditis justis de causis fuerint. Unde & Synodus Coloniensis, quæ Canonicos non *psallentes* tam acriter perstringit, hanc tamen exceptionem addendam censuit: *Quem tamen aliud officium Ecclesiasticum, aut publicum alio statim rapiet, ut nisi legens preces horarias tempestivè absolvere haud possit, hac lege teneri noluimus.*

Ne tamen ob Canonicorum occurrentia impedimenta Officium divinum interrumpatur, aut non eâ quâ decet solemnitate absolvatur, merito Canonici assumunt Vicarios, qui sibi in persolvendis divinis laudibus sint coadjutores.

Hunc esse Vicariorum finem indicat sæpè nominata Synodus Coloniensis monens Vicarios, » ut attendant, quòd Canonicis adjutores accedant: horum nimirum vice, qui vel adversa valetudine detenti, vel negotiis necessariis avocati interesse non possunt.

» Ita vicariâ operâ (inquit ante citata Synodus Audomarensis *cap.* 6.) Officium peragatur, ut nihilominus ii ipsi, quorum propriè est illud agere, qui Dignitatem, Canonicatum, aut quodvis aliud Beneficium vel officium in Ecclesia obtinent, nisi legitimè impediantur, per se ipsos & non per alios duntaxat, illud faciant. «

Laudabiliter itaque à Canonicis assumuntur Vicarii, qui ipsis in peragendo divino officio accedant coadjutores. Verùm in assumendis Vicariis, qui vice suâ Deo laudes persolvant, meritò attendent Canonici, quod jam pridem Regula Canonicorum præscripsit: » Tales ad legendum, *cantandum & psallendum* in Ecclesia constituantur, qui non superbè, sed humiliter debitas Domino laudes solvant, & suavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minùs doctos erudiant; plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. « *In Synodi Aquisgran. ann.* 816. *lib.* 1. *cap.* 133.

Et quia optima Symphonia est, quæ non in vocibus tantùm, sed & moribus resonat, & in certò virtutum temperamento, juxta illud S. Augustini *Psal.* 146. » Vis rectè psallere? Non solùm vox tua sonet laudes Dei, *sed opera tua concordent cum voce tua.* Vis, ut Deo tua jucunda sit laus? Noli bonæ cantinelæ obstrepere malis moribus. Plus ille attendit quid vivas, quàm quid sonas. «

Hinc exclamat: » Quàm multi sonant voce, & corde muti sunt! Quis putas interrogat Origines *Homil.* 6. *in Judic.* ita sonoræ vocis est, & ita spiritus puræ mentis, qui sincerè canat, ut cantilena ejus divinum delectare possit auditum? Ille profectò est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offenssionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu gerit.“ *Quid prodest sonoris vocibus personare, si vita dissona sit.*

Ut igitur Canonicorum laudes, quas per Vicarios suos persolvunt, Deo sint gratæ, & orationes eorum exaudiantur, magis ad mores quàm ad voces attendere debent, ne alias cantando non Deum laudent, sed offendant.

Quare Patres Concilii Cameracensis *ann.* 1565. *tit.* 6. *cap.* 15. decreverunt » ut in Ecclesiis, sive Cathedralibus, sive Collegiatis non constituantur Vicarii, qui Canonicas, quas vocant Horas in choro canant; nisi aut Sacerdotes, aut in sacris Ordinibus constituti, aut saltem Lectores ordinati; atque hi quantum fieri potest, sint cælibes, *quorum mores vitaque probata fuerit.* Nec permittantur in choro psallere, *nisi vestitu & habitu corporis ministros se esse Dei & Ecclesiæ demonstrent.* «

Cui consentit Synodus Audomarensis decernens, » ut nulli in quacunque Ecclesia constituatur Vicarii, aut stipendiarii ad cantandum Horas Canonicas, nisi qui Lectores ut minimum sint ordinati, *vitæque honestate ac vestitus decentia ministros se esse Dei, & Ecclesiæ monstrent.* «

§. VI.

Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta fuerunt.

Dicta hoc capite ostendunt quod Canonici vi officii adstringantur legitimo cessante impedimento, per se, & non per subditos *divina obire Officia, atque in choro*, ad Psallendum instituto, ut ait Synodus Tridentina, *Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devoteque laudare.*

Constat quoque hanc Canonicorum obligationem adeò evidenter, & in ratione naturali esse fundatam, & Conciliorum decretis expressam; ut & Scholastici de rigore non suspecti eam agnoscere debuerint; imò Canonicos obligationi illi non satisfacientes, distributiones salvâ justitiâ recipere posse negaverint.

Ex dictis non difficulter quoque deducitur, quòd non tantùm Canonici, sed etiam Capellani, aliique choro adstricti *per se psallere* teneantur; cùm enim *chorus ad psallendum sit institutis*, ut declarat Concilium Tridentinum, sequitur, quòd ad illum *psallendi* gratiâ conveniatur; ac per consequens quòd omnes, qui illum frequentare obligantur, unà jubeantur *hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devoteque laudare*; unde præcitatæ Synodi Cameracensis & Mechliniensis non Canonicos tantùm, sed & Capellanos *ad psallendum per se* obligatos declarant.

Colligitur quoque ex ante dictis, quòd Canonici non sint omninò securi ex Capitulorum suorum statutis, præsertim si talia sint, ut ad relaxationem potiùs quàm instaurationem tendant disciplinæ; magisque cupiditati, quam charitati aut religioni favere videantur. Ex quo non difficulter ulteriùs intelligitur, quod nihil securitatis Canonici accipere queant ex quibusdam, quæ hinc indè invaluisse videntur, consuetudinibus. Quis enim ignorat, quin facilius abusus ex quorundam ignavia & cupiditate, accedente Superiorum in corrigendo negligentiâ, sensim & quasi insensibiliter irrepant, quæ consuetudinis nomine paulatim cohonestentur, quàm iniqua condantur statuta? Hæc enim, quia nonnisi communi consilio & publicè fiunt, facilius si injusta sint, rectè sentientium oppositionibus & contradictionibus impediuntur; hinc etiam videmus omnes pasim abusus consuetudinis, non statuti nomine aut titulo palliari: quare & quæcunque unquam Concilia pro reformatione disciplinæ habita sunt, nonne in hoc unum penè incumbere debuerunt, ut pravas consuetudines extirparent.

Qui præcitatos Canones pervolverit, non dificulter quoque intelliget, quod quo majorem in Ecclesia quisque obtinet dignitatem, ea præ reliquis in divinis per se obeundis Officiis debeat esse diligentior, nisi impediatur: ut suo exemplo alios excitet, ostendatque nihil in divinis Officiis esse humile vel abjectum, atque ita ex animis Canonicorum facto suo ejiciat indignam illam de divina psalmodia ideam; quasi statui canonicali injuria aut ignominia irrogaretur, si cum inferioris Ordinis Clericis psalmis, hymnisque decantandis insisterent. Quod enim ob hanc causam Canonici canere omittant, jam pridem notavit Dionysius Carthusianus *De Vita Can. art.* 19. » Canonici, inquit, *omninò non cantant, quamvis in choro stent, sed pueris & cantoribus id committunt: consuetudo illa videtur esse corruptela, non lex; nec ex humilitate, & devotione, sed magis ab* elatione, *abusu, & acedia procesisse videtur.* «

Quod idem & Dominicus Soto observâsse legitur: cùm enim multis asseruisset stipendia Canonicis non tantùm ut assistant, sed ut *psallant*, esse conferenda, subjungit: » Imò verò..... eo res pervenit, ut dedignentur canere, putentque suæ *majestati derogare*, sed Capellanis inferioris classis id committunt. «

Denique quæ anteriori §. dicta fuerunt, evincunt, quod ii Canonici parùm sint soliciti, num acceptæ & gratæ Deo laudes offerantur, qui in Vicariis constituendis non tam attendunt, quinam ea morum sine honestate & gravitate, ut in divinis persolvendis gratum Deo offerant labiorum suorum sacrificium, quam potiùs, quinam minori stipendio pensum illud persolvere velint; quales non tanquam Christi Ministri in hymnis & canticis voluntariè Deo sacrificare; sed tanquam mecernarii sine ullo affectu aut reverentia pensum suum festinando, & syncopando absolvere solent.

Denique cùm ex dictis constet, obligationem *per se psallendi* oriri ex ipsa Officii Canonicalis ratione consectarium est, Canonicos illa constringi, tametsi Superiores in compellendo sint defectuosi, quare etiam Synodi pro executione Concilii Tridentini habitæ declarant absolutè Canonicos ad *psallendum per se*, nisi legitimè impediantur, obligatos.

CAPUT III.

OFFICIUM DIVINUM *REVERENTER, DISTINCTE, DEVOTEQUE* PERSOLVI DEBET.

PARRAGRAPHUS I.

De externa reverentia, quæ in Officio divino servanda est.

Ecclesiastica Hymnodia tametsi secundum se opus sit excellentissimum, si necessariis tamen conditionibus careat, nequaquam altissimo Deo placere poterit, qui modum operis magis attendit quàm opus ipsum. *Justè*, inquit, *Deut.* 16. 20. *quod justum est, persequeris.* E qua doctrina illud Gersonis pronutiatum à viris spiritualibus proverbialiter usurpatum prodiit: *Deum* scilicet *esse non verborum, sed adverbiorum remuneratorem*; hoc est, Dominum non tam respicere ad actionis bonæ substantiam, quam ad modum & circunstantias, quas Gramatici solent adverbialibus terminis explicare. Sunt autem tres conditiones necessariæ, ne oratio nostra fiat nobis in peccatum: nimirùm *ut reverenter, ut distinctè, ut devotè* psallamus.

Reverenter divinum Officium persolvi dicitur, si debitâ reverentiâ eidem assistamus. Reverentia verò est virtus, quæ aliqua prælatione sublimitatis honorificationis cultum exhibet.

Er-

Erga Deum est actus Religionis, & adoratio, qua Latini *servitutem*, Græci *latriam* vocant.

Quia verò totus homo se totum conferre debet ad laudandum & orandum Deum, ideò externus & animalis homo suam quoque exigit ordinationem secundum externas potentias per actum reverentiæ. Ejus necessitatem, dum divinas laudes persolvimus, elegantisimè & piè explicat S. Bernardus *Serm. De quatuor modis orand.* „Nonnullos, ait, arbitror experiri „interdum in oratione ariditatem & hebetudinem quandam „mentis, pro eo, quod velut ex consuetudine quadam cum „minùs digna reverentiâ, & solicitudine accesserunt. Quid „enim alium cogitare debet frater intrans ad orationem, quàm „Propheticum illud: *Ingrediar in loco tabernaculi admirabilis „usque ad Domum Dei?* Omninò siquidem oportet nos ora„tionis tempore curiam intrare cœlestem, illam utique curiam, „in qua Rex Regum stellato sedet solio circumdante innu„merabili & ineffabili BB. Spiritum exercitu. Quanta ergo cum „reverentia, quanto timore, quanta illic humilitate accedere „debet à palude sua procedens, & repens ranucula vilis! Quàm „tremebundus, quàm supplex, quàm denique humilis, & so„licitus, & toto intentus animo. Majestati gloriæ in præsen„tia Angelorum, in Concilio justorum, & congregatione assis„tere poterit homuncio! Hic primus stimulus est, ait Bona, „orantes excitans ad reverentiam, divinæ scilicet præsentiæ „consideratio. Nam si mortalium regum ministri, cùm se Do„minorum conspectibus præbent, quicquid sordidum, quic„quid deforme, quicquid incompositum est, à se amovere „summo studio nituntur, quanto majori tum gravitate vitæ, „tum puritate cordis, tum morum elegantia æterno Regi „assistere debent inutiles servi!" *De Div. Psalm. cap.* 19. §. 2.

Ad exteriorem verò reverentiam pertinet sensuum exteriorum custodia, gravitas morum, habitûs decentia, totiusque externi hominis hujusmodi compositio, quæ actioni peragendæ non sit indigna.

» Cum igitur in Officio divino negotium nobis sit, cum » Deo ipso (ait Synodus Provincialis Mechliniensis *Ann.* 1607. » *tit.* 12. *cap.* 1.) qui Rex Regum est, & Dominus Dominan» tium, meritò non modò statis horis ad chorum convenia» tur, *sed in eo etiam à fabulis, risibus, & aliis insolentiis* » omninò abstineatur, sub pœna amittendæ distributionis, & » alia arbitraria pro modo scandali. «

Sub eadem pœna alia ejusdem Provinciæ Synodus prohibuit, ut » nemo, cùm publicè preces horariæ cantantur, vel » Sacrificium Missæ peragitur, *prophanum* quidpiam, aut ab ins» tituto *alienum* legat; neque etiam *dormiat*, aut *fabuletur*. «

Alia plurima, quæ divini Officii Majestate sunt indigna, jam pridem Seraphicus Doctor notavit *in speculo discipl. p.* 1. *cap.* 15. » Ad hæc, inquit, honesti fratres in corporis disposi» tione, decenter, & uniformiter sint in choro: decenter, qui » sine vaga dispositione vel turpi; ut quando chorum ingressi, » vel intrante vel adstante conventu, nunc segniter resident, » nunc stantes quidem hac & illac membrorum, ut languen» tium incongrua quadam exagitatione se gyrant: nunc sta» tuæ instar stallo affixi, & è regione dispositi velut sui obliti, » nec ad altare demissis, ut decet, luminibus, ante incœptum » officium, oraturi se vertunt, vel aliàs irreligiosè disponunt: » sed nudato etiam aliquando capite circumquaque, ut Cer» vus in saltu, vel ruralis in theatro, gyro vagando respec» tibus, oculos in advenientium, vel coadstantium vultus in» figunt, suoque indisciplinato intuitu collateralium orationem, » quam ipsi negligunt, etiam impediunt. Turpis autem erit si» tus, si sint ibi molliter, aut remissè se in stalis suis brachiis » tibisque resolutis, notabiliter incurvando, aut in partem » unam penitùs, ut possunt, protenso in alteram corpore ac» cubando, ita, ut lecti mollitiem quærere videantur: aut dùm » ad altare versi super lignum, quod stallum dividit, se incli„nant extensione scapularum, vel capite anterioris stalli spatium „occupando, & tergum ad retrò stantem socium proten„dendo. "

Canonici proinde, aliique divino Officio persolvendo occupati, ita sensus suos exteriores custodire, eamque morum gravitatem tenere, ac in tali totius corporis compositione esse debent, ut nihil in illis appareat, quod non reverentiam, & pietatem præ se ferat. „Chori enim disciplina inquit S. Carolus, „plena Religionis est, plena pietatis; ac propterea ab iis ob„servanda est, qui in eum locum conveniunt ad Dei laudes „concelebrandas. " *In Conc. Mediol. V. part.* 3. *cap.* 6.

Ut hanc pietatem ac reverentiam Canonicus divino durante Officio meliùs servare queat, hisce se præmuniat, monet S. Carolus.

» Primò, ut studio quodam intimæ pietatis, cujus splen» dor foris etiam eluceat, unusquisque vel Canonicus, vel » alius minister quicunque, qui chori officiis adstrictus est, ad » chori disciplinam sese instruat. Antea verò quàm eo con» veniat, paululum attente secum cogitet, & illius Sanctita» tem, & conveniendi causam, & divinarum laudum, quarum munus Angelorum est, officia, quæ castissimè ab omnibus concelebrari oportet. Hac ipsa in cogitatione firmiter inhærens, nec quidquam quidem mente, animoque concipiet ab illius loci religione alienum, nedum aget quod „Dei oculos offendat. "

§. II.

Laudes divinæ distinctè *persolvendæ sunt.*

QUin magnum sit erga divinum Officium reverentiæ indicium, & singulare ad devotionem excitamentum illius modesta, distincta ac gravis decantatio, dubium non est. Quare rectè Canonicos docet Generalis Synodus Tridentina, *in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei* non tantum *reverenter*, *sed etiam* distinctè *laudare.*

Quod idem, sed aliis verbis, expresserat Synodus Basileensis *Ses.* 21. *cap.* 3. „præcipiens, ut Laudes divinæ per singu„las horas, non *cursim* ac *festinanter*, sed tractim & cum *pau„sa decenti*, *præsertim in medio cujuslibet versiculi psalmo„rum*, debitam faciendo inter solemne, & feriale Officium „differentiam reverenter ab omnibus persolvantur. " Quibus Patres Concilii Viennensis præiverant rescindentes abusum Horas Canonicas *transcurrendo* & *syncopando* persolvendi. *Clement.* 1. *de Celebr. Miss.* Quid de hac conditione senserit piissimus Mediolanensis Antistes S. Carolus, ex decreto ipsius in prima Provinciali Synodo *part.* 2. *cap.* 25. promulgato intelligere licet: „Omnes, ait, in choro divina Officia, ut tem„poris ratio postulârit, alternis vocibus canant, recitent, atten„tèque audiant, *idque non cursim*, *non perturbatè*, *non oscin„tanter*, *sed leniter*, *distinctè*, *ac studiosè faciant*."

Canere igitur *distinctè*, est canere non syncopando, non mutilando, non cursim, non festinanter, non commiscendo verba vel syllabas, faciendo pausam in medio, vel inter utrumque versiculum. Hinc melifluus Pater filiis suis hoc monitum reliquit: „Psalmodiam, inquit, non nimiùm protrahamus, sed „rotundâ & viva voce cantemus. Medium, & finem versus „simul intonemus, & simul dimittamus. Punctum nullus te„neat, sed statim dimittat. Post medium bonam pausam fa„ciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere presu„mat, aut post alios pneuma trahere vel punctum tenere. Si„mul cantemus, simul pausemus semper auscultando. Qui„cumque incipit Antiphonam, aut Psalmum, Hymnum, Res„ponsorium, Alleluia, unum aut duas partes solus dicat aliis „tacentibus: & ab eo loco, quo ille dimittit alii incipiant, non „repetentes quod ille jam dixit. Monemus vos, dilectissimi, ut „sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis non pigri, „non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non „præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non „fractis, & remissis vocibus muliebre quiddam de nare so„nantes, sed virili sonitu, & affectu voces sancti Spiritûs de„promentes.

„Videant igitur Chorales & Cantores Christiani (adde Ca„nonici) verba sunt Cornelii à Lapide, ne in divina psalmo„dia, ex festinatione *verba præcipitent*, *præmordeant*, *cum „altero choro commisceant*, *& confundant*; ne audiant à Deo: „*aufer à me* tumultum *carminum tuorum*: *& cantica lyra tuæ „non audiam.*" Apud Cardin. Bona *de divina psal. cap.* 17. §. 5.

§. III.

Ut Canonici aliique ad Officii divini persolutionem adstricti suæ obligationi satisfaciant, debent illud devotè *persolvere.*

REverenter & distinctè divinum Officium persolvendum esse ostendimus: verùm parum proderit reverenter, ac distinctè laudes Deo persolvere, nisi *& devotè*, id est, intimo cordis affectu persolvantur, ut scilicet dum psallimus, id versetur in corde, quod ore profertur; alioquin sugillabit nos Prophetica objurgatione Salvator noster dicens, *Hyppocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias dicens, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Scitè Prosper Aquitanicus cecinit:

Laus vera in Dominum depromitur ore precantis,
Si quæ voce fluunt, intima cordis habent.

Unde illud S. Hieronymi apud Gratianum *Dist.* 92. *Can.* 1. *Cantantes, & Psallentes in cordibus vestris Domino.* Audiant hæc adolescentuli, audiant ii, *quibus in Ecclesia est psallendi officium*: *Deo non voce, sed corde cantandum.*

Ad hæc S. Hieronymi verba appositè Glossator Gratiani reproducit hos versus.

Non vox, sed votum: non cordula musica, sed cor:
Non clamans, sed amans, clamat in aure Dei.

„Et

„ Et quæ segnitia est, ut loquitur S. Cyprianus *De Orat. Dom.* alienari & rapi ineptis cogitationibus, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodò te audiri à Deo postulas, cùm ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis?"

Merito proinde Œcumenica Lateranensis Synodus sub Innocentio III. „ Clericis distinctè præcipit in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit, Deus, studiosè celebrent & *devotè*." Cap. 9. ✠ de Celeb. Miss.

„ Hæc verba apertè ostendunt) inquit Fagnanus *Ad cap. dolentes* ✠ *de Celeb. Miss. num.* 40.) Concilium præcepisse devotionem illam, quæ est donum Dei, & sic devotionem formalem, & internam quæ cum sit actus virtutis, divino indiget auxilio. Non autem nudam devotionem materialem, & apparentem. "

Non sufficit proinde ad debitam horarum recitationem attentio intellectus, sed requiritur insuper pius affectus voluntatis. Perspicuum igitur est, attentionem ad sola verba, ne in illis erretur, esse insufficientem: quia similis attentio in solo hæret intellectu. Attentio verò ad finem orationis in idiotis, sive in illis, qui verba orationis intelligere nequeunt, sufficere potest; per hanc enim & voluntas in Deum ferri valet.

Hinc de communi populo refert Augustinus *tract.* 22. *in Joan. Cantat populus credens, nec putat se male optare, quod dicitur à divina lectione, & si parum intelligit, credit aliquid boni esse, quod cantat.*

Illi verò qui & sensum verborum percipere possunt, non tantùm ad finem orationis; sed & sensum verborum attendere debent, unde non tantùm pio in Deum affectu ferri debent, sed affectu verbis orationis correspondente.

§. IV.

Quandonam distractiones censeantur voluntariæ, ut ab illas attentio debita non haberi censeatur.

NOrunt omnes, qui orant, quantis evagationibus subjecta sit mens humana non volens, sed vel invita; & ne ad imperfectos tantùm vel imbecilles id pertinere putes, audiamus quid de se dicat in *Psal.* 75. eximius ille Dei cultor S. Augustinus: „ Verè dicam, ait, tanquam homo in hominibus, & ex hominibus, attendat quisque & videat quanta agantur in corde humano, quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vagis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenere, ut stet, & quodammodo fugit à se, nec invenit cancellos, quibus se includat, aut obices quosdam, quibus retineat avolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet jucundari a Deo suo."

Unde S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 13. ad 3. *Evagatio mentis quæ sit præter propositum, orationis fructum non tollit*, juxta illud S. Basilii in *Serm. De orando Deo*, à Doctore Angelico allatum. „ Si debilitatus fixè nequis orare; quantumcunque potest, te ipsum cohibeas, & Deus ignoscit, eò quòd non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo.

Si quis verò, ex proposito, seu voluntariè evagationes seu distractiones patiatur, indubiè peccatum est, & impedit orationis fructum, ut notat ibidem Doctor Angelicus: his enim attentionem, seu pium affectum inter orandum non velle habere censetur.

Cùm verò actio, seu opus aliquod censeatur alicui voluntarium, non tantùm si illud ex proposito voluerit, sed etiam si sequatur ex aliquo voluntariè proposito, quod ne illud sequeretur, omittit debuisset, quale à Theologis, & Canonistis voluntarium in causa, seu indirectum vocari solet: hinc quoque sequitur distractiones censendas esse voluntarias, dum oriuntur ex illis causis, quæ omitti debuissent, ne evagationes illæ orirentur.

Hinc facilè colligitur, quòd Canonici aliive Horis canonicis legendis adstricti voluntaria laborent distractione, si loco, quo juxta Sapientis Consilium *ante orationem præpararent animam suam*, præeligant superfluis colloquiis, & vanis confabulationibus vacare. „ Quæcunque enim (ait Venerabilis Beda *De Temp. Salom.*) sæpiùs agere, loqui vel audire solemus, eadem necesse est sæpiùs ad animam quasi solitam, propriamque recurrent sedem. "

Similiter Canonici, qui sensibus suis exterioribus, inter divini Officii persolutionem, nimiùm concedunt libertatem voluntario defectu attentionis laborare convincuntur: nec dubium est, quin eo tempore sensus suos custodire deberent, ne mentis evagationes nascerentur. Vulgaris enim paræmia est, *incustoditum captat ovile pecus*, ita mentem non custoditam per apertas sensuum fenestras expugnat dæmon.

Distractiones quoque, quæ ex magna nimis & superflua negotiorum mole nascuntur, frequentes ipsum defectum attentionis inficiunt. „ Sunt enim, (ait Cardinalis Bona) quidam magni ardeliones, qui non nisi terram, & carnem sapiunt, & quasi gigantes sub pondere negotiorum gementes, vel non orant omninò, vel tumultuariâ celeritate suos psalmos deglutientes, corpore in templo, mente in foro sunt, quibus illud profectò convenit, quod scriptum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos.*" De Divina Psal. cap. 19. §. 5. *num* 3.

His non immeritò addi possunt distractiones illæ, quæ ex nimia & anxia solicitudine ad res terrenas, etiam vitæ necessarias, originem ducunt. Quis enim ambigat, quin anxietas ad externa varias pariat mentis evagationes? Adeoque ob has meritò essent ommittendæ hujusmodi anxietates, & superfluæ solicitudines; & consequenter si quis eas deponere non studeat, reddentur ejus distractiones voluntariæ in causa.

§. V.

Proponuntur media ex Concilio Mediolanensi V. desumpta, ad devotionem excitandam & fovendam tempore divini Officii accommoda.

SAnctus Carolus magno erga Dei cultum fervore excitatus, quantâ potuit cura & studio Canonicos suos ad illius devotam & piam persolutionem excitare volens, piissima ac saluberrima media excitandæ ac fovendæ devotionis præscripsit; quæ non inutiliter hîc, pro opportunitate eorum, qui Concilium, è quo desumpta sunt, non habent, adjungi posse credidi.

„ Chori disciplina (inquit in *Concil. Mediol. V. part.* 3. *cap.* 6.) plena Religionis est, plena pietatis; ac propterea sanctè ab iis observanda est, qui in eum locum conveniunt ad Dei laudes concelebrandas.

„ Quare præter illa, quæ in Concilio Provinciali I. de illius cultu præfinivimus, hæc admonemus, quo religiosiùs non modo excolatur, sed multis partibus augeatur sancta ejusdem chori institutio.

„ Primò, ut studio quodam intimæ pietatis, cujus splendor foris etiam eluceat, unusquisque vel Canonicus, vel alius Minister, quicunque sit, qui chori officiis astrictus est, ad chori disciplinam sese instruat.

„ Dumque ad chorum procedit, quamquam alii comes adjunctus, at quasi solus accedat, in ea meditatione fixus, ut secum cogitet, se ad chorum, nempe ad Sancta Sanctorum, ut canone antiquo cautum est, & ad publicæ orationis sacrificium accedere.

„ Cùm in choro est, animum, mentemque ab omnibus curis, perturbationibus, & cogitationibus à rei, quæ geritur, sanctitate alienis, quoad ejus fieri potest, abducat, sese totum in Dei cultu colligat.

„ Illud etiam cogitet, quam ob causam eò se contulerit, tum sibi statuat, se in conspectu Dei omnipotentis, & in corona inummerabilium Angelorum, & Sanctorum esse.

„ Qua cogitatione videat, perpetuoque reputet, se eo loci consistere, ut Deo sanctissimum cultum, venerationemque tribuat, atque ab eo, & sibi, & aliis omne bonum deprecetur.

„ Consideret verò ipsum Deum tanquam patrem & redemptorem amantissimum, optimum, sapientissimum, misericordiosissimum, quique omnia intuens ubique & semper est.

„ Tum cordis castitatem, beneque orandi donum, & gloriam à Deo supplex petat, rationisque Sacrificium simul cum „ meritis Jesu Christi, & SS. ejus, præsertim cujus memoriam Ecclesia illo die celebrat, ad gloriam Sanctæ & individuæ Trinitatis, & ad suam, proximorumque utilitatem dirigat.

„ Cùm psallendum est, primum Psalmi argumentum mente, animoque concipiat.

„ Observet præterea quis in Psalmo loquatur, an Deus, an „ Ecclesia, an pœnitens, an aspirans ad perfectionem atten„ dat; item ad quem præcipuè salutarem affectum Psalmus „ referatur.

„ Cum ita se religiosè, parârit, magnâ animi attentione se „ ad verba, sententiasque Psalmi accommodet, ita ut laudet, „ gemat, extimescat, sicut Psalmorum voces indicant: & quod „ denique ore profert, animo primùm concipiat.

„ Tum verba singula notet, interpretationem studio asse„ quatur, unde mens, animusque ad aliquem salutarem affec„ tum incendantur.

„ Ad verba etiam adjungat animo cogitationem, vel amo„ ris, vel reverentiæ, vel humilitatis. Atque ita quidem affec„ tum aliquem excitet, ut si de virtute verba Psalmi profert, „ desiderio accendatur imitationis; si de peccatis, intimè doleat, „ quod in eo statu ipse fuerit, aut certè proximi ejus. Et sic de „ aliis, item quæ Psalmo significantur.

„ Eam porrò attentionem initio uniuscujusque Psalmi, ora-

„ tio-

„ tionis, & aliarum divini Officii partium, tum singularum Ho-
„ rarum canonicarum renovare, atque excitare studeat, præ-
„ sertim dum illa verba, quæ ad sanctæ orationis spiritum in-
„ flammandum valent, pronuntiat; *Deus in adjutorium meum*
„ *intende*, *&c.* Itidem faciat, cùm aliorum se cogitationibus
„ distrahi animadvertit.

„ In fine etiam uniuscujusque Psalmi sesse excitet illis ver-
„ bis: *Gloria Patri, &c.*

» In conclusione item orationum, cum dicitur: *Per Domi-*
» *num nostrum Jesum Christum* spe sancta erga illum redemp-
» tionis nostræ auctorem sese confirmet.

» Et quoniam attentio valdè admodum excitatur; si quæ
» quisque profert, rectè intelligit; ideò in ea potissimum ex-
» positione Psalmorum assiduè versetur, quæ non varia sit,
» sed quæ tota in excitandis, exercendisque sanctis affectibus
» versetur; cùm autem magnus psallendi fructus in Psalmo-
» rum affectibus versetur, sive quis in choro, sive privatim,
» sive submissâ, sive altâ voce oret: idcircò certos sibi lo-
» cus Psalmorum præfiniat, quibus omnis oratio includatur.

» Loci præcipui præter cæteros hi sint, unde salutares af-
» fectus existunt: Laus Dei, memoria bonorum nostrorum,
» commemoratio nostræ miseriæ, & reprehensio malè agentium.

» Psalmorum verbis cùm Dei bonitas prædicatur, ad illius
» dilectionem, & ad gratiarum actionem de beneficiis, quæ
» à divina benignitate proficiscuntur, se toto animo accendat.
» Cùm illius infinita sapientia, aut potentia commemoratur,
» admiratione afficiatur: tum intime gratuletur, cùm aliquid
» Dei auxilio benè gestum narratur.

» Cùm bonorum memoria, recordatioque Psalmorum vo-
» cibus excitatur desiderium quoddam concipiat, illa sibi &
» aliis consequendi; tum illa eadem à Deo petat, tum in Deo
» spem animo capiat fore, ut divina ejus ope, non modo quæ
» bona sunt quæque salutaria assequatur, sed quæ mala, ac
» quæ perniciem afferunt, vitet.

» Aliquando etiam intimè in Domino gaudeat, se bona
» Deo juvante adeptum esse, & mala cavisse.

» Ex miseriarum commemoratione timorem concipiat, do-
» lorem, ac humilitatem, cùm suas agnoscit infirmitates.

» Ex reprehensione malè agentium agnoscat zelum divinæ
» vindictæ & indignationem contra nequitiam: atque ita qui-
» dem ex salutaribus his affectibus fructum psallendi uberri-
» mum capiet.

» Peroratis psalmis absolutoque canonico officio, paulu-
» lùm tacitus consistat, genibusque flexis veniam deprecetur &
» negligentiæ, & distractionis, alteriusve culpæ quam in ea
» præcationis officio admiserit, tumque hoc oret, ut pro Chris-
» ti, totiusque Ecclesiæ meritis, orationis suæ obsequium, ac
» ministerium gratum sit, atque acceptum.

» In eo psallendi officio, cum ea mentis attentio, & sa-
» lutaris affectus, tum corporis decens composito requiretur. «

§. VI.

Proponitur mystica Vestituum Canonicalium significatio.

VArii varia de origine ac significatione sacrarum Vestium, & inter alias de illis, quibus hodie in divino Officio Canonici uti solent, curiosè magis quam utiliter inquirunt, & in medium proferunt: quibus prætermissis, ea hîc tantum adjungenda arbitratus sum, quæ de earum mystica significatione piissimus Pater S. Carolus in *Concil. Mediol. V. p. 3. c. 6.* Canonicis proposuit, ut vel ex sola vestium conspectione & consideratione ad reverentiam ac devotionem excitarentur, monerenturque mores suos ita componere, ut nihil in illis occurreret, quod persona simili ornatu decoratâ esset indignum.

» Dum superpelliceum, qui amictus ex tela linea candi-
» da constat, induit, cogitet, quam personam sustineat, nem-
» pe à sordibus, labeque puram, qualem vestitus ille indicat.

» Cùm almutiam pelliceam, quod insigne Canonicorum
» est, humeris vel brachiis, prout moris est, Canonicus im-
» ponit, eam cogitationem suscipiat, in se restrictas ac planè
» mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones, at-
» que cupiditates, ut ejus rei significans est illa animalis in-
» termortui pellis, quam de more induit.

» Si verò, ut plerisque in Ecclesiis instituti, consuetudinis-
„ ve est, cappam induit, quæ humeros contegit, & brachia,
» quasi devincit, ex eo amictu intelligat, se expressas, qua-
„ sique devinctas habere oportere appetitiones, ac se totum ad
» Dei voluntatem accomodare.

„ Cùm igitur iis chori vestibus, alium vestitum, quo fo-
» ris utitur, contegat, sicque aliam personam habitu gerat,
» caveat ne quidquam, etiam in sacristia agat admittatve, quod
» cum actione non rectè conveniat, ob quam illum habitum
» induit. Ne in colloquiis quidem ab ea actione alienis se oc-
» cupet; nisi curæ præsit, quæ id necessariò postulet.

» Abstineat autem semper, sed maximè dum chori vestibus
» indutus est, ubi sit in sacristia, vel alio loco, & à jocis,
» à ridiculè dictis facetiisque, à cachinnationibus, à verbis fu-
» tilibus, atque inanibus quæ temerè & imprudenter effun-
» duntur.

» In choro ne properanter quasi distributionem quæstu in-
» citatus, accedat, sed gravi incessu. «

§. VII.

Corollaria ex iis, quæ hoc capite dicta sunt.

EX dictis consequens est, quod Canonici, aut ipsi Superiores jubeantur, quantum in ipsis est, providere, ne quid in divini Officii persolutione incidat, quod reverentiæ, aut devotioni, qua persolvendum est, contrarietur.

Hinc Canonicis invigilandum, ut si quæ musica adhibeatur, *non sit lasciva*, ut loquitur Synodus Cameracensis, *nec choreis potiùs, quàm choro congruens, sed gravis, ac movens pios affectus.* Ann. 1565. *tit.* 6. *cap.* 2.

» Similiter ne & organa, & quæcunque instrumenta mu-
» sica, tam in processionibus quàm in Ecclesiis, ut loquitur
» Synodus Mechliniensis, modulatione suâ lascivas cantiones
» imitentur. Tintinnabula quoque, & campanas ad harmoniam
» quandam pulsantes, ejusmodi pulsatione turpes, inhones-
» tas vel scandalosas cantiones non exprimant, vel imitentur,
» sed potius hymnorum & canticorum Ecclesiæ modulationes.
» Et sic ubi necesse fuit, ait Synodus, cum Magistratu de-
» super agatur. « *Ann.* 1607. *tit.* 12. *cap.* 8.

„ Quæ omnia consonant Concilio Tridentino decernenti, ut
» Episcopi *ab Ecclesias musicas eas, ubi sive organo, sive*
» *cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, arceant.*“

Consectarium quoque est, quòd meritò in usum revocarentur, quantum temporum ratio permittit, Canones illi, qui decernunt » ut laici secus altare, quando sacra celebrantur
» (verbis loquor *Cap.* 1. ✠ *de vita & honest. Cleric.*) stare
» vel sedere non præsumant. Sed pars illa, quæ Cancellis ab
» altari dividitur, tantum psallentibus pateat Clericis.“

Hos, inquam, Canones non immeritò renovandos esse ex dictis facilè colligitur; quis enim ambigat, quin laicorum, præsertim mulierum, ad chorum accessus psallentim devotionem turbare, & divini Officii reverentiam natus sit diminuere?

Quare Canonum illorum sanctissima decreta expendens Synodus Aquensis *Ann.* 1585. *tit. de Choro*, & unà videns Ecclesiarum » choros hoc tempore, ut ipsa deplorat, non ma-
» gis Clericorum quam laicorum, imò quod deplorandum est,
» & mulierum conventus dici posse, & ob eam causam di-
» vina Officia eâ, qua decet reverentiâ, minimè celebrari;
„ priscum ordinis decorem ad Divinæ Majestatis obsequium re-
» vocare cupiens, decrevit, laicos homines, (& multo mi-
» nus mulieres) dum divina celebrantur, intra cancellos cho-
» ri nequaquam esse admittendos: his tantum, præter canto-
» res & alios hujusmodi chori ministros, in eum ingressuris,
» qui Ecclesiastici sunt, & honesto ac decenti habitu induti.

» Laici verò nobiliores, & qui vel Christianissimi Regis
» Consiliarii & Officiales, aut ex Militaribus ordinibus, aut
» communitatum Magistratibus fuerint, poterunt intra cho-
» rum admitti, si eo in loco divinis Officiis interesse velint;
» ità tamen ut post Clericos sedeant, nec inter Clericos ipsis
» sedere liceat.

» Fœminæ verò cujuscunque conditionis & status sint, nullo
„ unquam tempore, nullave ex causa, dum divina officia ce-
» lebrantur, aut verbum Dei prædicatur, denique iis horis,
» quibus Clerici tam Seculares, quam Regulares, in choro
» præsentes esse debent, intra eundem chorum aliquemve ejus
» locum secretum, etiam superiorem admittantur.“

Procul ab eorum Patrum zelo alieni esse convincuntur, Canonici, aliique, seu Regulares, seu Seculares, qui tantum abest, ut laicos à choro excludant, ut eos etiam quasi invitari, & sibi honori ducere videantur, si locum in choro, imò & ipsa psallentium sedilia occupatum veniant; quin nec ipsas mulieris, quantumvis lascivo habitu ornatas, inter psallentium choros admittere vereantur.

Denique ex assertis hoc capite facilè patet, quòd si Officii divini solemnis decantatio eâ reverentia, distinctione, ac devotione, quæ tanto operi congruit perageretur, quod etiam sperari posset major ad illud frequentandum populi ardor, & pietas; tunc enim spes esset, quòd plurimi ad suave-sonantis Ecclesiæ voces similes in se sentirent affectus, quos se expertum fuisse refert Augustinus *lib.* 9. *Confes. cap.* 6. „Quan-
„ tum flevi in hymnis & canticis tuis, inquit, suave-sonantis
„ Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant
„ auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & exæs-
„ tuabat; inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & benè
„ mihi erat cum eis.“

CAPUT IV.

De quotidianis distributionibus.

PARAGRAPHUS I.

Canonici non tantùm majoribus, sed etiam minoribus horis interesse debent.

SEptem esse hodie horas, seu preces horarias, quæ nocturnum pariter, ac diuturnum officium Ecclesiasticum constituunt, nimirum *Matutinum*, quod & Laudes comprehendit, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas & Completorium, indubitatum est. Multæ hujus septenarii numeri rationes mysticæ à diversis assignantur, è quibus plures Cardinalis Bona adducit; quarum una, eaque præcipua, & omnium scriptorum calculo, teste dicto Cardinale, approbata, hæc est: ut conservemus copiosæ redemptionis nostræ per Christum memoriam, juxta vulgatissimos Glossographi Juris canonici versiculos. *Ad cap.* 1. ✠ *de celebr. Miss.*

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina *ligat Christum, quæ crimina purgat.*
Prima *replet sputis. Causam dat* Tertia *mortis.*
Sexta *cruci nectit. Latus ejus* Nona *bipertit.*
Vespera *deponit. Tumulo* Completa *reponit.*

Cùm igitur Canonici, aliique choro adstricti teneantur *Divinum officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis dederit Deus studiosè celebrare*, ut ait Concilium Generale Lateranense, *pariter & devotè*; evidens est, Canonicos, ut officio suo satisfaciant, non tantùm Matutino, & Sacro & Vesperis, sed & reliquis Horis interesse debere: quandoquidem & illæ, quas hodie *minores* dicimus, notabilem Officii divini partem constituant: ac per consequens sicuti Clericus Officium divinum recitare constrictus judicaretur notabiliter culpabilis, si minores Horas ex negligentia omitteret, ita quoque Canonicus obligatus solemniter officium divinum nocturnum pariter & diurnum celebrare, notabiliter dicendus erit culpabilis, si Horas minores, notabilem officii sui portionem constituentes negligat.

§. II.

Ut Canonici desidiosi ad frequentandum divinum officium incitentur, repertæ sunt distributiones quotidianæ.

DIstributionum, quas hodie *quotidianas* dicimus, eo quotidie Clericis Divinis assistentibus distribuantur, exemplum apud S. Ivonem Carnotensem *Epist.* 219. qui seculo XI. floruit, occurrit.

Is enim ad Paschalem scribit: » Cùm in pluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigilantes, de tardis assiduos ad frequentandas Horas Canonicas, deliveravi apud me, ut darem iis dimidiam præposituram, ut inde fieret *quotidianus panis*, quem accipe-rent assidui, amitterent tardi, ut ad quas eos panis inter-ni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provo-caret, quamvis eorum annua Præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet. "

Similiter Coloniensis Synodi Patres cùm deliberâssent de modo, quo Canonicorum in divini Officii negligentia castigaretur, tandem facilem modum, quo emendaretur, se recepisse testantur: „ Facilè, inquiunt, castigabitur hic lapsus, „ si negligentes substractione proventuum seu distributionum „ mulctentur. "

Ipsa denique Synodus Trid. distributiones probans, easque, ubi desierant, reduci desiderans, ac ob id præcipiens, „ tertiam fructuum, & quorumcumque proventuum, & ob-„ ventionum, tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, Perso-„ natuum, portionum & Officiorum, separari debere, & in „ *distributiones quotidianas* converti; " hanc suæ præceptionis rationem præmiserat: „ cùm Beneficia ad divinum cul-„ tum, atque ecclesiastica *munia obeunda sint constituta, ne* „ *qua in parte diminuatur divinus cultus: sed ei debitum* „ *omnibus in rebus obsequium præstetur, statuit &c.* " Ses. 21. cap. 3.

§. III.

Distributiones quotidianæ assignari debent non tantùm majoribus, sed etiam minoribus Horis, ne qua in parte cultus divinus negligatur.

DIstributiones quotidianas ab Ecclesia esse ordinatas, ut Canonici excitarentur ad divini Officii frequentationem paragrapho superiori ostendimus; cumque Officium divinum septem Horis Canonicis constet, ut §. 1. notavimus, non mirum, quòd Ecclesia non majoribus tantùm, sed omnibus Horis suas assignatas voluerit distributiones; ne *qua in parte*, ut ait Synodus Trident. *Ses.* 21. *cap.* 3. *Cultus divinus minuatur, sed ei debitum* omnibus *in rebus obsequium præstetur.* Unde Synodo Basileensi non sufficit aliquibus Horis distributiones assignatas esse; sed jussit *quòd illis Ecclesiis, in quibus* singulis *Horis certæ distributiones statutæ non essent, omninò etiam de grossis fructibus (si opus sit) deputetur.*

Eandem fuisse Patrum Concilii Trident. mentem, luculenter ex contextu decreti & præcipuè ex ratione ipsius decreti patescit. Vult enim, ut mox notatum est, distributiones fieri „ *ne qua in parte* cultus divinus minuatur, sed ei debitum „ *omnibus* in rebus obsequium præstetur. "

Verùm ne vel umbra dubitandi de mente Concilii Trid. supersit, ipsius fidelissimos Interpretes, ac Executores nimirum Conciliorum provincialum Patres, & inter eos S. Carolum audiamus.

Hic in quarta sua Provinciali Synodo *part.* 2. *cap.* 13. statuit, ut „ etiam in Ecclesiis vel Cathedralibus vel Collegia-„ tis, quamvis reliquis divinis Officiis congruus quotidiana-„ rum distributionum census assignatus sit, *aliquibus* tamen „ *canonicis Horis* aut cæteris Officiis, etiam extraordinariis qua-„ vis auctoritate institutis, nullæ quotidianæ distributiones ads-„ criptæ, attributæve sint; aut si attributæ sint, exiguæ illæ „ quidem, atque usque adeo tenues, ut verisimiliter negli-„ gantur: in iis Episcopus vel de communi residentiæ, dis-„ tributionumque quotidianarum censu, si amplius sit, certam „ portionem arbitrio suo congruam, Capituli ac reliquorum, „ qui ejusdem censûs participes sunt, consensu detrahat, eam-„ que ipsam statam unicuique ex illis Canonicis Horis Officiisve „ attribuat, adscribatve perpetuò, vel omninò ipse auctori-„ tate, & facultate sibi ab eodem Tridentino Concilio, data „ quemadmodum etiam à S. Sede Apostolica declaratum est. "

Quis ex his non videat S. Carolum ex sententia Concilii, & S. Sedis conformi declaratione credidisse, distributiones omnibus & singulis Horis, & Officiis etiam extraordinariis, ne *qua in parte* cultus divinus negligeretur, esse assignandas.

Credidit quoque Concilium Remense præcipiens, ut in distributiones quotidianas tertia pars fructuum convertatur, & *singulis cujuslibet diei Horis & Missæ distribuatur.*

Utque plura alia Concilia silentio involvam, unum Provinciæ nostræ Mechliniensis adjungo: „ Distributiones chori, „ inquit, dispensentur secundum præscriptum Concilii Tri-„ dentini ad tertiam partem fructuum. Ut verò minores Ho-„ ræ non negligantur, pro illis certæ distributiones asignen-„ tur, aut minores Horæ majoribus adjungantur; ita ut in „ majoribus illis Horis nemo distributione gaudeat, nisi qui in „ minoribus quoque Horis debitè interfuerit. " *Ann.* 1607. *Tit.* 12. *cap.* 3.

§. IV.

Consuetudines, & statuta, quæ distributiones concedunt in una, aut altera Hora præsentibus, æquè ac illis, qui omnibus interfuerunt, ut corruptelæ extirpanda sunt.

QUemadmodum decreta Conciliorum, quibus distributiones singulis Horis assignantur, Canonicorum in iis frequentandis promovent diligentiam, expellunt teporem, atque ad divini cultûs augmentum non parùm conducunt; ita è contrario consuetudines, atque statuta, quibus *integræ diei* distributiones conceduntur illis, qui uni, aut duabus tantummodò Officii partibus interfuerunt, Canonicorum negligentiam fovent, temporem nutriunt, & in divini Officii neglectum inducunt. Quare ejusmodi consuetudines, & statuta non à zelo promovendi divinum cultum, sed quorundam Canonicorum vagandi cupiditate, & in divinis Officiis socordiâ originem & incrementum acceperunt. Hinc etiam eadem tanquam meros abusus & corruptelas Ecclesia rescindere, & eliminare non dubitavit.

Synodus Basileensis *Sess.* 21. *cap.* 4. eodem suo decreto, quo singulis Horis suas assignatas voluit distributiones, extirpari mandavit prorsus abusum illum, *quo in una duntaxat Hora præsens, totius diei distributiones usurpat.*

Non minore zelo statutis *abusum illum* foventibus sesse opposuêre Synodi Aquensis Prælati. » Tridentini Concilii, &

» Bonifacii VIII. auctoritate nixi decernimus, inquiunt, ut » nulla Canonicorum, aut aliorum pactio, remissio, vel col- » lusio fiat, aut facta vim habeat, nullumve statutum, aut » consuetudo quæcumque illa sit, valeat, ut quibus aut ab- » senti quavis de causa ejus, vel sacræ Horæ, in qua muneri » suo defuerit, aut omninò cuiquam contra quam jure com- » muni & ejusdem Tridentini Concilii definitum sit, distri- » butiones quotidianæ dari possint.« *Tit. de Canon.*

Quin de hoc nostro seculo penè eisdem verbis, quibus abusum hunc damnaverat Synodus Basileensis, eundem Synodus Burdigalensis reprobandum duxit: *sed & abusum illud*, inquit, *quo in* una hora aut duabus *Officiorum divinorum, præsens* totius dei *distributiones*; *usurpat, tolli prorsus & aboleri præcipimus.* Anno 1624. cap. 9. §. 4.

Quinimò cum hujusmodi abusibus pallio quodam consuetudinis, aut etiam statui contectis, totaliter evellendis auctoritas ecclesiastica non sufficeret, ipsi Regii Senatus nec suam auctoritatem abjungere dubitârunt.

Et quidem Senatus Parisiensis Anno 7. XVII. seculi abusivum & nullum dixit statutum Canonicorum Aurelianensium, quo statuerant ut *præsens in una Hora lucraretur distributiones totius diei*; tametsi statutum illud per Bullam Gregorii VI. confirmatum diceretur. Fevret. *De Abusu lib. 3. cap. 1. num. 13.*

Similiter Parlamentum Tholosanum nullum declaravit statutum Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Gaudentii, per quod *Canonici, qui aderant tribus Horis, fructus integros lucrabantur*; quin & unà solemne dedit Arrestum, quo generaliter *hujusmodi statuta ut perniciosa & abusiva, rescissa & abrogata fuerunt, sancitumque ut Canonici, aliique Ecclesiæ Ministri* singulis horis *assisterent, absentesque in singulis Horis, ex eorum albo, qui puncta fuerunt, delerentur.* Durant. *De Rit. Eccles. lib. 3. cap. 25.*

Denique idem Regius Senatus statutum Canonicorum Mirapicensium concedens *distributiones totius diei* illi, qui uni duntaxat Horæ interfuisset, nullum pronuntiavit, non obstante *trium seculorum curriculo*, quo prædictum statutum servatum fuisse dicebatur. Dolives *in quæst. notab. cap. 10.*

Rectè proindè Glossator Pragmaticæ Sanctionis agens de reprobatione similium statutorum per Synodum Basileensem subjungit: „ Attendant hinc multarum Ecclesiarum Canonici, ne „ in observatione statuti, vel consuetudinis ejusmodi reperian- „ tur judicium sibi manducare, & bibere. Non enim video „ illos in ea perceptione in foro animæ excusatos esse, etiam „ nec in foro contentioso eorum querelam defendi posse.“ *In Comment. Sanctionis Pragmaticæ tit. Quo tempore quisque debeat esse in choro, §. Tollens.*

Nec dicant Canonici quòd ultrò donent distributiones absentibus: quia ut etiam ipse Navarrus fatetur, talis donatio utpotè in fraudem legis ecclesiasticæ facta prohibita est, & nullius momenti, nec ipsos accipientes à restitutione illarum eximit: quia, inquit, *de Orat. Miscellan.* 59. „ si consensus eorum, „ quibus distributiones accrescerent, sufficeret, facilè fieret, ut „ omnes in absentia perciperent illas: facilè enim consentiret „ unus Canonicus ne alius perdat in absentia, ut alius con- „ sentiat ne ipse perdat, cùm adfuerit, & ita omnes delinque- „ rent. Hoc quoque videtur expressum in Concilio Tridentino, „ pergit Navarrus, ibi, *distributiones verò, qui statis horis in- „ terfuerint, recipiant, reliqui quavis collusione, aut* remisione „ *exclusa his, careant.*“

§. V.

Non sufficit exiguo tempore interesse Officio, aut Horæ alicui, ut quis distributiones illi assignatas lucretur.

DIstributiones quotidianas constitutas, *ne qua in parte* cultus divinus negligatur, supra ostensum est; quare ut quis alicujus Officii, aut Horæ distributiones recipere possit, Officio illi, aut Horæ *personaliter* (nisi justa causa excuset) interesse decet. Hinc facilè est videre, quòd ii, qui ad brevissima tantùm momenta, puta, ad lectionem Epistolæ, seu unius Psalmi, aut Responsorii assistunt, distributiones accipere nequeant. Quis enim dicet illos Officio, aut Horæ interesse, qui majorem illius partem negligunt? Unde meritò Patres Concilii Moguntini *Anno* 1549. *cap* 72. » non dubitantes, quin gravissi- » mæ indignationi divinæ subjacerent, qui census Ecclesiæ, Sanc- » torum Martyrum patrimonia, donaria piæ plebis ad divini » ministerii sustentationem collata otiosè absumunt, pro iis de- » bita Ecclesiis obsequia rependere non curantes, animarum pe- » riculo obviare, & Ecclesiarum necessitati consulere volentes, » decreverunt & ordinârunt, ne quotidianæ distributiones, ad » brevissima quædam momenta, puta, ad lectionem Epistolæ, » seu unius Psalmi, aut Responsorii, *sed integris, ac totis Of-* » *ficiis, & Horis assignentur*, & iis modo tribuantur, qui Of- » ficiis divinis, de quibus hæc emolumenta dantur, *ab initio ad* » *finem interfuerint.... quibuscumque irrationabilibus aut pravis* » *consuetudinibus* (*qua potiùs corruptelæ censendæ sunt*) *non* » *obstantibus.*“

Horum Prælatorum sententiam jam ante expresserat Synodus Basileensis, *Sess. 21. capit. 4.* declarans, » ut qui in Matu- » tinis ante finem Psalmi, *Venite exultemus*, in aliis Horis an- » te finem primi Psalmi, in Missa ante ultimum *Kyrie eleyson*, » usque in finem divino Officio non interfuerit, nisi fortè ne- » cessitate cogente, ac petita, ac obtenta à Præsidente chori » licentia, discedere oporteat, pro illa Hora absens censea- » tur, salvis, inquit, Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ for- » tè circa hoc arctiores existunt.«

Eamdem Synodi Tridentinæ mentem fuisse sufficienter insinuat ratio, qua ad inducendum distributiones mota fuit: *Ne qua in* parte *cultus divinus minuatur, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur.* Sess. 21. *cap. 3. de Reform.*

Quapropter Concilia Provincialia pro executione Tridentini celebrata distributionibus quotidianis privandos non dubitârunt, qui ab initio ad finem ad normam Concilii Basileensis non interfuerint, utque Synodum primam Medional. *Part. 2. cap. 25.* sub Sancto Carolo aliasque præteream, unicum Concilii Mechliniensis decretum subjungo: „ Careant, inquit, distri- » butionibus, qui ante *Gloria Patri* primi Psalmi cujusque Of- » ficii usque ad finem eidem officio *actualiter* non intersunt.“ *Anno* 1607. *tit. 12. cap. 4.*

§. VI.

Quid ad divinum Officium tantum accedunt, ut distributiones accipiant, animum simoniacum habere convincuntur.

MAlitiam simoniæ in hoc potissimùm consistere constat, quòd res spirituales ad vilitatem quandam redigantur; quia quodam modo spiritualia temporalibus coæquantur: quam inordationem in simonia tanquam multùm execrabilem in Simoniacorum Ante-signano notavit Princeps Apostolorum dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecunia possideri.* Act. cap. 8. v. 18.

Qui vero Officium ecclesiasticum eo quærit aut tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat necessaria, *perverso nimis ordine*, ait Sanctus Bernardus, *cœlestibus terrena mercatur.*

Rationem reddit Augustinus, ut supra *part. 2. cap. 4. §. 3.* notavimus, „ quia quæcunque res propter aliud aliquid quæri- » tur, sine dubio inferior est (nimirum in æstimatione quæren- » tis) quàm id propter quod quæritur.“

Si igitur quis Officium divinum eo peragat aut frequentet animo, eoque intuitu, ut distributiones corporales lucretur, convincitur *perverso nimis ordine, cœlestibus terrena mercari*; & inferiori loco in animo suo locare divinum Officium quàm temporalem distributionum emolumentum; ac per consequens nec animum à vitio simoniæ alienum habere censetur. Unde Canonistæ post Glossam condemnare non verentur *Simoniæ mentalis Canonicum qui interest principaliter pro denario.* Vide Fagnan. *ad Cap.* ex patte ✠ *De Offic. deleg. num. 16.*

Hunc perniciosum affectum in multis Canonicis dominari verentes ipsi Patres Concilii Colon. anno 1536. *part. 3. cap.* 13. sequens decretum omnium Canonicorum mentibus altiùs imprimendum ediderunt. „ Utinam, inquiunt, optando à Deo » Optimo Maximo consequi possimus; ne quisquam *lucri causa* » Divinis interesset, *alioquin non accessurus Sacra*, veluti quem » nummi magis quàm Dei amor in templum trahit, quæstum » pietatem esse putantem; qui non dubium, ex numero eo- » rum est, de quibus Isaias dixit: *Omnes diligunt munera,* » *sequuntur retributiones.* Nec multùm is abest, (uti plerisque » doctissimis viris placuit) *ab horrendo crimine Giezi, qui exis-* » *timavit, divinum munus pecunia redimendum.* Quare vide- » rint Clerici nostri, ut eorum mens & intentio tota in Deum » referatur, ut cum David confiteantur *Deo in directione cor-* » *dis, ac in labiis suis pronuntient omnia judicia oris ejus.* In » via etiam testimoniorum Domini delectentur sicut in omnibus » divitiis. Optandum ut Psalmus ille 118. qui toties non sine » causa in Ecclesiis replicatur, ore simul & correspondente » singulis verbis mente decantetur; & cum eodem Psalte ex » animo dicatur: voluntarie *sacrificabo tibi, & confitebor no-* » *mini tuo, Domine, quoniam bonum est.* Non adimit Chris- » tus, sed decernit operanti suam mercedem: *Dignus est enim* » *operarius mercede sua, & qui altario deservit, de altario &* » *vivet.* Sed interim cogitare debet Clericus, *se vivere non ut* » *edat, sed edere ut in Christo vivat*, habereque semper menti » reconditum Christi verbum: *Primum quærite regnum Dei* » *& justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*“

Similiter Stephanus Episcopus Parisiensis dubitâsse non videtur, Simoniam mentalem commiti à Clericis qui divinum Officium ob solam spem materialium distributionum frequentant. » Prohibemus vobis omnibus (inquit in sua Synodo) *ne com-* » *mittatis Simoniam etiam mentalem adeundo ad divinum Of-* » *ficium sub spe materialium distributionum.*“ Synodus Paris. part. 114.

§.

§. VII.

Indicia è quibus colligatur, num quis gratia distributionum principaliter *Officio divino intersit.*

INdicia è quibus in anterioribus ostendimus colligi, num quis evangelicet ut manducet, eadem indicabunt, num quis ad officium divinum distributionum temporalium gratiâ accedat.

Si igitur Canonicus horas illas tantùm frequenter, quibus distributiones majores sunt annexæ, illas verò quibus nullæ, aut exiguæ constitutæ sunt, sine justa causa negligat, nullaque illas frequentandi sit cura, indicium erit non obscurum, quod Horas non amore Religionis, sed amore pecuniæ frequentet, easque tanquam medium ad distributiones ordinet.

Canonicus quoque, qui mox ut Officium, cui distributionum lucrum annectitur, est absolutum, è choro discedere solet neglecto Officio, quod distributiones non pendit, tametsi etiam immediatè sequatur, difficulter se à suspicione Simoniaca liberavit.

Cùm enim nullum sit officium, sive Hora Canonica, quæ non ad Religionem, & cultum divinum pertineat, & pietate atque erga Deum reverentia sit plena; intelligi nequit quomodo Canonici, si zelo & affectu erga divina Officia ducerentur, ea illa negligerent; alia verò, quibus distributionum lucellum est annexum frequentarent.

Rectè proinde Franciscus Probus famosus Jurisconsultus dixit in *Notis Gloss. Prag. part.* 495. » Colliges, Canonicos „ ivisse ad Ecclesias, ut habeant distributiones, quando solo „ chori ingressu cum continuo illius egressu, modico saltem „ dato temporis intervallo, contentantur, *eis tamen prius dis-* „ *tributionibus receptis.*“

Nonne igitur jure Petrus Cantor in *Verbo abbreviato, c.* 26. arguit jam pridem Simoniacæ privatis Clericos illos divinum Officium persolvere paratos, modò nummi numerentur persolvere nollentes, licèt persolvendi adsit facultas, dum nummorum deest distributio? In cujus rei detestationem exemplum adducit cujusdam Prælati petentis in Ecclesia à choro festum S. Stephani duplex fieri in sericis & canticis ecclesiasticis, sed non impetrantis, nisi cum pastum & refectionem annuam Clericis promitteret, insuper nummos matutinalis illius noctis duplicandos, ut sic celebrarent potiùs festum nummi, quam festum S. Stephani..... quibus sunt similes quidam in Ecclesia psallentes, & pro pretio cantantes: » quibus (inquit) *pecunia* » *disciplina est, nummus Decanus & etiam Deus: qui idolo-* » *latræ sunt, nummum potiùs adorantes quàm Deum: non* » *alias Deo cantaturi nisi propter* nummum. « Subdit deinde predictus Petrus Cantor: » Quid vilius, quàm duras Horas in » Ecclesia quadam (quia ad alias decantandas non est consti- » tuta certa pecunia) à laicis dici *Horas Domini, cæteras dena-* » *rii*, imò diaboli, imò ad has Horas decantandas, & Horas » Beatæ Virginis non adsunt Clerici, sed præsentes in aliis, ab » his fugiunt, ut nullum opus sibi *vindicet in Ecclesia Spiri-* » *tus Sanctus, cùm nihil gratis in ea fiat, sed omne sibi vin-* » *dicet nummus.* «

Si hodie superesset Petrus in multis reperiret Ecclesiis, quod in una se reperisse deplorat, & quasdam Horas *Vicariorum*, quasdam *Canonicorum*, & *Capellanorum*, non immerito appellandas videret.

Nonne cum magno divini Officii dedecore conspicitur, à duobus tribusve Vicariis Horas illas passim cursim & syncopando decantari, quibus decantandis nullus nummus est constitutus? Nunquid qui diligunt decorem Domus Dei, magno animi dolore videre coguntur Canonicos, Capellanos, aliosque Clericos Horis Canonicis, quibus distributiones quotidianæ sunt assignatæ, penè non absolutis, quasi aufugere, & ad plateas, aut consortia, confabulationis causâ se conferre, interim illâ Officii parte, quæ distributione caret, neglecta?

§. VIII.

Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta sunt.

ASserta hoc capite sufficienter ostendunt, Canonicos ex vi officii sui obligari, ut diurnum pariter & nocturnum Officium devotè celebrent, & ita adstringantur ratione muneris Canonicalis, nisi justa de causa excusentur, non tantum majoribus, sed etiam minoribus Horis interesse: ex quo consectarium est, Canonicos qui se ab Horis Canonicis absentant coram Deo non excusari, licet distributiones illis forsan assignatas non recipiant. Ecclesia quidem substractione distributionum censuit Canonicos desidiosos puniendos; minimè tamen ab obligatione divinum cultum persolvendi pœnæ persolutione eos absolutos credit, imò ideò eos pœnæ illi potiùs subjicit, quia ipsos obligatos supponit.

Ex dictis quoque hoc capite constat, quod Concilia omnia, quæ singulis horis suis assignatas distributiones volunt, nec alios earum participes esse patiantur, nisi integris horis, aut Officiis assistant, eò unicè tendere, *ne qua in parte cultus divinus negligatur, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium exhibeatur*; patet proinde à veris Ecclesiæ filiis unicè debitum divino cultui obsequium desiderantibus, summâ veneratione illa Conciliorum decreta esse amplectenda.

Nonne profectò absurdum ac injustum esset, si Conciliorum sacratissima decreta Hæreticis, ut fidem suam illis conforment, Catholici obtrudant? Sacerdotes verò atque Ecclesiæ ministri eadem Concilia, ubi eorum cupiditati ignaviæ, aut superbiæ resistunt, agnoscere renuant?

Certè adeò id à ratione alienum censuit Gregorius VII. ut scribat non minus coërcendos qui Sanctorum Patrum decreta de moribus convellunt, quam qui eorum fidem expugnant, & addit: *Nullatenus sanè alicui fidei Sanctorum Patrum proderit, qui eorum canonicis atque moralibus præceptis non obedire, sed pertinaciter resistere studuerit.* In Apol.

Canonici igitur, qui sanctissima illa Conciliorum decreta pro augmento divini cultûs, & contra Clericorum in celebrando desidiam & negligentiam non suscipiunt, sed pertinaciter, ut sua cupiditati liberiùs satisfaciant, rejiciunt, & quodammodò contemnunt, videant qualiter se Ecclesiæ filios probent.

Certè non videtur à vero aberraturus, qui crederet hujusmodi Canonicos obedientiam Matri Ecclesiæ exibere velle, sed *commodam*, id est, quoad ea, quæ earum non obviant concupiscentiis.

Scio quidem interdum factum esse, ut aliquis, etiam generalis Concilii Canon non ubique fuerit receptus; verùm id obtinere potest in iis, qui rationem generalem non habent, sed localem, qualis v. g. fuit Canon Nicænus *de non flectendis genibus die Dominica*; quoad Canones verò qui mores concernunt, vitiisque de corruptelis opponuntur, omni semper veneratione à veris Ecclesiæ filiis recepti fuerunt.

CAPUT V.

De causis legitimis Canonicos a personali residentia excusantibus.

PARAGRAPHUS I.

Canonici ad continuam personalem residentiam tenentur, nisi justa & legitima causa excusentur.

CUm Beneficium detur propter officium *cap. fin. de Rescript. in VI.* etiam nullum ad illud assumendum esse, nisi qui in loco ejusdem residere possit, Canones decreverunt, & quidem cùm olim nullus ordinaretur, nisi una Ecclesiæ alicui adscriberetur, cujus quodammodo Beneficiatus, ut idiomate hodierno loquamur, constitueretur, etiam quotquot Clero adscribebantur, *locales* se futuros profitebantur. Et quidem Patres Synodi Valentinæ in Hispania præcipientes, ut nullum Episcopi ordinent, qui localem se futurum primitùs non responderit, rationem illius reddunt, *ut singuli in delegata sibi Ecclesia assiduum pendant obsequium.* Anno 524. *Canon* 5. & 6.

Quod ipsum & juri communi, quo hodie utimur, conforme est. Hoc enim jure » Beneficium quantumcunque mi- » nimum, verba sunt Fagnani, puta viginti solidorum, ex » quo habetur pro titulo, de jure communi *personalem* resi- » dentiam requirit, adeò ut non residens Beneficio privari » debeat. « Hæc Fagnanus *Ad Cap. Conquerente* ✠ *de Cler. non resid.* Et subdit: » Iste Textus optimè probat Beneficium » quantumvis tenue, de jure communi obligare ad persona- » lem residentiam. «

Hinc collige, quòd Canonici ratione officii, quod Ecclesiæ prestare tenentur, jure communi teneantur ad personalem residentiam, id est, præstandum personale obsequium. Residere enim personaliter, ut benè notant Canonistæ, non est aliud, quàm *personale debitum per se præstare*; quare etiam Concilium Lateranense sub Alexandro III. *residere, & curam Beneficii per se ipsum exercere*, simul conjungere non dubitat. *Cap.* 3. ✠ *de Cler. non resid.*

Hinc ulteriùs concluditur, Canonicos obligari ad personale obsequium in Ecclesia præstandum, nisi justâ & legitimâ causa ab obligatione illa eximantur.

§. II.

Quid de residentia Canonicorum statuerit Synodus Tridentina. Et an sine justa causa Canonici tribus mensibus abesse possint.

CAnonicos vi officii sui teneri ad personalem residentiam, seu ad præstandum personaliter sibi injunctum officium paragrapho anteriori ostensum est, verùm cùm huic suæ obligationi Canonici tempore Concilii Tridentini parùm satisfacerent, sed passim omnes à suis Ecclesiis essent absentes, sufficere credentes, si per substitutos divinum Officium persolverent, ut ex multis Conciliorum decretis contra hunc Canonicorum abusum editis est manifestum, Concilium Tridentinum corruptelam hanc rescindere, quantum temporum conditio patiebatur, desiderans, *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* statuit: » quòd obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis » Ecclesiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, » non liceat vigore *cujuslibet statuti*, *aut consuetudinis*, ultra » tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: *Sal-* » *vis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ lon-* » *gius servitii tempus requirunt.*«

Juxta hoc Concilii Decretum Canonici residere tenentur novem mensibus. „ *Residere*, id est, cum effectu Ecclesiæ in Di- » vinis deservire: Nam residentia, ait Fagnanus, debet esse la- » boriosa, non desidiosa, cùm Beneficia ad divinum cultum, & » Ecclesiastica munia obeunda sint constituta.“ Ad *cap. licet*, ✠ *de Præb. num.* 23.

Ex eodem decreto hoc quoque patet, quòd Canonici nulla consuetudine à residentia novem mensium excusari queant. » Unde, teste Fagnano *ibi. num.* 32. in Cathedralibus, & Col- » legiatis insignibus eo decreto sublata est consuetudo, etiam » *immemorialis* vacandi ultra tres menses à servitio chori, ut » multoties respondit S. Congregatio.“

Tertiò ex eodem habetur, quòd nec vigore *cujuscumque statuti* à residentia novem mensium excusari possint: „ Unde » cùm fuerit quæsitum, inquit idem Fagnanus *ibid. num.* 35. » num valeat statutum ut una vel duabus horis interessantes » lucrentur massam grossam, sive præbendam, amissis distri- » butionibus? Responsum est non valere.“

Hanc Congregationis Cardinalium declarationem meritò attendunt Canonici, qui residentiæ, ad lucrandum fructus Præbendæ suæ, satisfecisse credunt, si vel uno Officio diei intersint.

Facilè quoque colligitur, verisimum esse quod subjungit dictus Fagnanus *ibid. num.* 36. & 37. nimirum prælegatum Concilii decretum obligare Canonicos ad residentiam novem mensium, » non obstante licentia, quam Capitulum concede- » re consuevit vacandi à choro ultra tres menses. Imò censuit » S. Congregatio, referente sæpè dicto Fagnano, non excusa- » re à pœna Concilii licentiam, quam Capitula Cathedralium » Hispaniæ ab *immemoriali* tempore concedere consueverunt, » ut Canonici abesse possint, *quoad Capitulo visum fuerit.* » Quin etiam hanc licentiam nec Episcopum, nedum Capitu- » lum etiam ex rationabilibus causis in jure non expresis, & » supposita immemoriali, posse concedere.

» Ampliatur etiam prædictum Concilii decretum, subdit » Fagnanus *ibid. num.* 40. in Dignitatibus Cathedralium Eccle- » siarum, quæ nullos habent redditus, nam nihilominus obli- » gant ad *personalem* residentiam.«

Colligitur quoque ex verbis decreti Synodum non procedere concedendo, sed prohibendo, ibi: *non liceat prætextu cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses.* Quare expressè præservat constitutiones, quæ longius præsentiæ tempus requirunt: *salvis nihilominus, &c.* » Unde proposito dubio, » ait sæpè allegatus Prosper Fagnanus *ibid. num.* 50. an Cano- » nici, qui majore servitio Ecclesiæ, quàm novem mensium » sunt adstricti, subjaceant, si non resederint, eisdem pœnis » de quibus *in cap.* 12. *Sess.* 24. *de Reformat.* S. Congrega- » tio censuit subjacere. Et Canonicis ut suprà adstrictis, pos- » tulantibus ex gratia vacationem trium mensium S. Congre- » gatio pro eo tempore abnuit.«

Ex quo ulteriùs colligitur, quòd Concilium statuta, aut consuetudines, quæ indulgent trium mensium absentiam non omninò approbaverit, sed toleravit: ut nimirùm, qui juxta statuta eo tempore abest, pœna contra absentes per Canones & ipsum Concilium decreta, puniri nequeat, tametsi nullam è Superiore licentiam obtinuerit, nullamque absentiæ causam allegaverit; relinquens ipsius constientiæ, an justam absentiæ causam habeat. Neque enim Concilium intendit Canonicos ab obligatione præstandi continuum Ecclesiæ obsequium sine causa eximere, & Ministros Ecclesiæ reddere desidiosos; sed an sit justa absentiæ causa absentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, ut in simili idem Concilium loquitur, dum Episcopis simile trium mensium absentiæ spatium permittit. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reformat.*

Semper igitur Canonici servitio Ecclesiæ, ac Divino Officio juxta muneris exigentiam assistere tenentur, nisi æqua causa absentiam justificet; quæ eo justior & urgentior esse debet, quo longior est absentiæ mora.

§. III.

Quandoquidem legentes aut docentes justè fructus in absentia percipere possint.

TAmetsi Canonicos ad residentiam Sacri Canones adstringant, nonnullas tamen esse causas legitimas absentiæ declarârunt.

» Et quidem jam pridem declaratum fuit docentes in Theo- » logica Facultate, dum in shcolis docuerint, integrè per annos » quinque percipere posse de licentia Sedis Apostolicæ pro- » ventus Præbendarum & Beneficiorum suorum non obstante » aliqua contraria consuetudine vel statuto; *cum denario*, in- » quit Pontifex *cap. fin.* ✠ *de Magist. fraudari non debeant*, » *in vinea Domini operantes.*

Quod privilegium Synodus Tridentina ut æquum & justum innovandum censuit *Sess.* 5. *cap.* 1. *de Reformat.*

Cùm verò privilegium, de quo supradicta Decretalis per Synodum Tridentinam innovat, tantummodò per *quinquenium* indulgeat licentiam percipiendi fructus, non difficulter ostendetur, quòd privilegia de percipiendis fructibus indulta per Romanos Pontifices Martinum V. & Eugenium IV. legentibus in hac Lovaniensi Universitate longè excedant privilegium Juris communis.

Hæc enim concedunt ipsis Legentibus, sine ulla temporis præfixione, » ut eorum singuli fructus, redditus, & proven- » tus Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum cum ea integrita- » te, distributionibus quotidianis duntaxat exceptis, liberè » percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in ipsis Ec- » clesiis sive locis personaliter residerent, & ad residendum in- » terim in iisdem minimè teneantur: non obstante, si pri- » mam in Ecclesiis sive locis hujusmodi non fecerint residen- » tiam, &c.

Apparet proindè quod Legentes in hac Universitate gaudeant ampliori privilegio percipiendi fructus in absentia quàm jure communi esset indultum.

Cùm igitur, referente Fagnano, Sancta Congregatio aliàs censuerit, » Docentes Jus Canonicum in publica Universitate » gaudere & potiri privilegio de percipiendis fructibus in ab- » sentia, quamvis Præbendæ, quas obtinent, sitæ sint in Ca- » thedralibus *ejusdem civitatis*, in qua publici Lectoris munere » funguntur.« Quidni & Docentes seu Legentes in hac Universitate gaudere queant fructibus suarum præbendarum, quæ sitæ sunt in hac ipsa civitate, quando docendo, aut legendo sunt occupati, vel ad illud se disponunt?

Constat proindè Legentes & Docentes fructibus Beneficiorum suorum in absentia gaudere posse, modò tamen muneri suo taliter incumbant, *ut in vinea Domini operantes* verè dici queant.

Privilegia enim similia, cùm sint quædam Canonum relaxationes, seu dispensationes, à Romanis Pontificibus non nisi ob utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ conceduntur, juxta illud S. Bernardi *lib.* 2. *de Consid.* » Ubi necessitas urget ex- » cusabilis, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Uti- » litas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, » non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Vel » ut alio loco: Novit fidelis servus & prudens, ibi *tantum* » usurpare dispensationem, unde bonam possit habere *com-* » *pensationem.*«

Hinc & Martinus V. privilegium legentibus & docentibus in hac Lovaniensi Academia indulgens, fructus uberes, qui per legentes & docentes, in Ecclesiam redundarent, præ oculis habuit. » Qui creditum sibi à Domino, inquit, sensuali- » tatis humanæ talentum virtuosis actibus lucrifacere quæren- » tes, cupiunt in agro litterarum studii acquirere scientiæ mar- » garitam, quæ & suos utique provehit, & illustrat possesso- » res, ac domum Dei multipliciter insignit & instruit, Apos- » tolicis sunt privilegiis & gratiis meritò confovendi, eoque de- » cet opportunitatibus eorum benigniùs consuli, quo ex eo- » rum profectibus *major etiam potest in Dei Ecclesia utilitas* » *provenire.*«

Qui igitur privilegio seu dispensatione Apostolica in perceptione fructuum in absentia titulo docentium volunt esse securi, ita officio illo incumbant necesse est, ut ex eorum laboribus meritò ea sperari possit Ecclesiæ utilitas, quæ incommoda ex relaxatione Canonum, & non residentia provenientia compensare queat; alias verendum est quòd ipsis quidem privilegia Apostolica proderunt *in foro fori*, ut phrasi utar Cardinalis Bellarmini, *non in foro poli*; vel ut loquitur Doctor Mellifluus, *velamentum* erunt, *non medicamentum.*

§.

§. IV.

Quandonam studentes in Academiis publicis gaudeant fructibus Beneficiorum in absentia?

QUanta ex ignorantia Clericorum in Ecclesiam mala redundent, & è contra ex eorum eruditione fructus uberes proveniant, nulli est incognitum: quare Pontifices ut Canonicos aliosque Beneficiatos ad studia incitarent, illis fructus Beneficiorum, tempore studii, in absentia concedendos esse decreverunt.

Et quidem ipsa Honorii III. Decretalis per Synodum Tridentinam confirmata & innovata studentibus in Facultate Theologica per annos quinque fructuum perceptionem indulsit; quod privilegium Martinus V. & Eugenius IV. ad studentes in aliis Facultatibus in Academia Lovan. extenderunt.

Hanc percipiendi fructus Beneficiorum in absentia facultatem novissima Concilia Provincialia post Synodum Tridentinam celebrata, ut justam agnoverunt; quasdam tamen conditiones, ut intra æquitatis & justitiæ limites cohiberetur, suis decretis expresserunt.

Et quidem Cardinalis Polus reformationi Cleri Anglicani intentus deprehendit, quòd »eorum, quibus gratiâ ad certum tempus indultum erat, ut fructus in absentia percipe»rent, plerique in nulla ex Universitatibus, in quibus ge»nerale studium viget, sed in locis, ubi nullus est studio»rum usus, atque exercitatio, commorarentur, & non pau»ci etiam in studiis generalibus degentes, quidvis potiùs aliud »agerent, quàm ut litteris operam darent: idcircò, inquit, »ne dolus, & fraus hac in re cuipiam patrocinetur, omni»bus locorum Ordinariis mandamus, posthac antequam ulli »suæ jurisdictionis hujusmodi indulta concedant, diligenter »inquirant, an is ad litterarum studia sit aptus, *& an eæ »disciplinæ, quibus operam se daturum profitetur, tales sint, »quæ ei conveniant*, & *Ecclesiæ futuræ sint utiles, & an »non temerè, vel in fraudem hanc licentiam petat.* Quam si, »omnibus maturè perspectis, illi concedendam duxerint, tunc »curent, ut sciant quibus in locis is degat, *& quam vitam »ducat, & quem in litteris progressum faciat.* Quod si otio»sè eum vivere, aut nihil in litteris proficere cognoverint, »& indultum revocent, & ad residentiam per substractionem »fructuum & alia juris remedia compellant.« *Anno* 1556. *decreto* 3. *tom.* 14. *Conc. Labb. col.* 1744.

Primùm quod hic vigilantissimus Prælatus statuit, nimirum ut Ordinarius inquirat, num Canonicus aut alius Clericus ad studia mittendus ad ea sit aptus, & num eæ disciplinæ, quibus operam se daturum profitetur, tales sint quæ ei conveniant, & Ecclesiæ futuræ sint utiles, privilegio studiorum causâ concesso inest. Ad hoc enim unicè simile privilegium collimat, ut Canonici ea scientia imbuantur, quâ sibi & Ecclesiæ utiles esse possint.

Quia verò huic scopo præcipuè Theologica & Canonica scientia convenit, hinc S. Carolus, aliique Prælati, recipientibus fructus Beneficiorum causa studiorum hanc legem imposuerunt: *ut verè in publico, celebrique Gymnasio Theologiæ, vel sacris Canonibus studeant.* In Concilio Mediol. I. *cap.* 27.

Quibus conformis est praxis Curiæ Romanæ, quæ dando licentiam de non residendo *causâ studiorum*, hanc clausulam addere consuevit: »Orator operam in aliqua appro»bata Universitate studii generalis, seu Gymnasio publico »*studio Theologiæ, aut Decretorum, actu operam navare* »*teneatur.*« Pyrrhus Corradus *de Dispens. lib.* 5. *cap.* 6.

Quod secundo loco prædictus Cardinalis expressit, scilicet ut Ordinarii perquirant, *quam vitam ducat, & quem in litteris progressum faciat* is, qui causa studiorum absens fructus recipit: illud rursus ad finem hujusmodi privilegiorum obtinendum & retinendum rectè statutum est.

Cùm enim dispensationes, seu privilegia hæc indulgeantur, ut Clerici scientiam atque doctrinam sibi comparent, quâ possint in egregios Ecclesiæ ministros aliquando evadere, æquum & justum est, ut Episcopus aliusve Superior ex officio inquirat, num subditus suus privilegio sibi indulto non abutatur.

Eodem collimat quod S. Carolus, aliique Episcopi decreverunt, ut, ii, qui studiorum causâ absunt »singulis sex »mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo »is ipsos in eo studii genere proficere testetur; quod etiam »Episcopus secretò ab aliis cognoscere studeat.« *Loco citato.*

Patres Concilii Tolosani *ann.* 1590. *part.* 1. *cap.* 2. §. 5. voluerunt, ut »studentes Canonici temporis fideliter exacti, »studiorumque progressus, Capitulum singulo anno admo»neant. Cujus rei statim à Capitulo Episcopus certior fiet.«

Patet ergo principalem rationem horum privilegiorum esse, ut Canonicus aliusve Beneficiatus fructuosior in Ecclesia Dei, per studia sua, minister evadat. Unde in licentia *de non residendo* Pontifex addere solet: »Orator studio Theo»logiæ, aut Decretorum *actu operam navare teneatur, alio»quin fructus suos non faciat.*

»Quo fit (inquit Fagnanus ad *cap.* AD HOC, ✠ *de »Cleric non resid. num.* 11.) ut ad residentiam revocari pos»sint etiam illi, qui manentes in universitate de licentia Epis»copi *negligenter & inutiliter* dant operam litteris, quia Scho»lares non intrantes, & non attendentes, nec studentes non »gaudent privilegio Scholarium, nec Scholares sint nominandi.«

Patet secundò quòd meritò Episcopi, aliique Superiores de vita & progressu in studiis Canonicorum studentium inquirant; eosque obligent, ut Doctorum testimonia, quibus suam in studiis diligentiam probent, exhibere quotannis jubeantur.

Ex quibus ulteriùs planum est, quòd Doctores hujusmodi testimonia dare non debeant, nisi ipsis probè de diligentiâ & progressu in studiis constet, ne aliàs Episcopis aut Capitulis imponatur.

Meminisse quoque oportet Canonicos aliosque Clericos, quòd tametsi privilegia Apostolica eos à personali residentia absolvant, ut majori otio studiis incumbere possint, non tamen eximant ab observandis iis omnibus, quæ de vita & honestate Clericorum Canones decreverunt, nec ullum studiis præbent impedimentum.

De quo non dubitantes Patres Concilii Provincialis Mechliniensis, statuerunt ut »Clerici, qui in Academiis, aut »Scholis majoribus vel minoribus vivunt, & in alio quàm in »sui beneficii loco resident, intra mensem à die publicati »hujus Concilii Provincialis, coronâ, pileo, caligis simpli»cibus, & vestitu Ordini suo & vocationi congruo utantur; »& singulis annis hujus rei testimoniales litteras sigillo Uni»versitatis, si in ea resideant, munitas, aut Ludimagistri »manu, si in privatis Scholis agunt, conscriptas, ei, cui lit»teras testimoniales studii exhibere debent, tempore congruo »trasmittant. Qua in re si defectuosi fuerint, fructibus suo»rum Beneficiorum priventur.« Anno 1570. *tit. de Vita & honest. Cler. c.* 4.

§. V.

Quinam in absentia distributiones percipere possint.

DIstributiones quotidianæ quæ *manualia* dici solent, eo quod in manum præsentium quasi dentur, non nisi personaliter & actualiter Officium divinum persolventibus, paucissimis exceptis casibus, conceduntur. (g)

Hinc studiorum causâ absentibus, tametsi grossi fructus debeantur, distributiones tamen negantur.

Similiter Canonici existentes in servitio Episcopi, licèt fructus in absentia lucrentur, distributionibus tamen non gaudent.

Quinimò etiamsi quis obtinuerit rescriptum de recipiendis fructibus, cum clausula: *ac si præsens esset*, »nihilominus »(inquit Fagnanus, ad *cap.* licet ✠ *de Præbend. n.* 101.) »distributiones non deberentur. Nam harum distributionum »ea est propria natura, ut debeantur his tantùm, qui verè »intersunt Officiis divinis, non autem his qui ficte resident, »aut juris interpretatione.«

Utque verbo absolvam, *distributiones* recipere *possunt, qui statis horis interfuerunt*, id est, officium persolverint; unde nec sufficit, inquit Fagnanus *ibid. n.* 89. Horas Canonicas in choro legere, aut submissâ voce recitare: oportet enim psallere altâ voce, ut articulo *diligenter discuso* in Canonicis Basilicæ S. Petri in Urbe declaravit S. Congregatio.

Reliqui verò (ait Tridentinum. *Sess.* 24. *c.* 12. *de Reform.*) »quavis collusione, aut remissione exclusâ, his careant, juxta »Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, *Consuetudinem.* »Quod S. Synodus in usum revocat: non obstantibus qui»buscumque statutis & consuetudinibus.«

Hoc Bonifacii Decretum nullum nisi personaliter officio assistentem distributiones recipere posse declarat, *exceptis illis, quos*

(g) *D. Van Espen distributiones* quotidianas à manualibus *non distinguit: quamvis sint Canonistæ, qui inter eas maximum intercedere discrimen arbitrentur: ajunt enim distributiones* quotidianas *eas esse, quæ à primævo Præbendarum reditu distractæ sunt*; manuales *verò oriri ex anniversariis aliisque fundationibus, quæ ad fundum Capituli non perti-*

nent. Docere solent Canonistæ distributiones quotidianas *deberi non tantum iis, qui Officio divino personaliter adsunt, sed etiam iis, qui absunt, modò justissimis causis eorum absentia probetur; at distributiones* manuales, *inquiunt, non debentur nisi iis, qui actu & præsentia* personali & reali *anniversariis aliisque ejusdem fundationis Officiis intersunt.*

quos infirmitas seu justa & corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.

Ex hac ab universali regula exceptione patet, tribus seu potiùs duobus casibus distributiones absentibus deberi: ob infirmitatem, seu justam & corporalem necessitatem, & evidentem Ecclesiæ utilitatem.

Quæ verò æstimanda sit infirmitas, & justa corporalis necessitas, ut ob eam absentia alicujus in tantum excusetur, ut etiam distributiones recipere possit, Medicorum potiùs quàm Jurisperitorum Judicio terminandum est. Talis enim corporalis infirmitas, aut necessitas exigitur, ut quis sine morali incommodo Officio divino assistere nequeat.

Illud constat, Canonicum infirmum distributionibus non gaudere, nisi sanus solitus esset divinis Officiis interesse; aliàs enim morbus non est causa non residendi in eo, qui etiam sanus non resedisset.

Secundus casus exceptus in Constitutione Bonifacii VIII. in quo debentur distributiones quotidianæ absentibus, *est evidens Ecclesiæ utilitas.*

Hæc conclusio, ait Fagnanus *ibid. n.* 160. intelligenda est procedere, dummodo absentia contingat ob utilitatem Ecclesiæ *in specie*, de cujus distributionibus agitur. Secus si absentia contingat ob utilitatem alterius Ecclesiæ particularis, aut Ecclesiæ generalis. Et hæc est ratio, cur distributiones non debeantur Canonicis existentibus in servitio Papæ, aut absentibus studiorum causâ, aliisque, qui Ecclesiæ notabile servitium impendunt.

Illud equidem constat, distributiones deberi absentibus ob evidentem Ecclesiæ illius, de cujus distributionibus agitur, utilitatem.

Hinc quia interest Ecclesiarum Cathedralium, ut Pœnitentiarius ritè suo munere fungatur, ideo declarat Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 8. de Refor.* quòd Canonicus Pœnitentiarius habendus sit pro præsente in choro, dum confessiones in Ecclesia audit.

Similiter quia in ipsius Ecclesiæ redundat utilitatem, quod Canonicus oneri Canonicatui suo incumbenti satisfaciat, rursus declaravit Concilium Tridentinum *Sess. 22. cap. 3. de Reformatione*, ut absens propter exercitium curæ animarum suæ Dignitati, vel Canonicatui incumbentes, quo tempore illam exercet, pro præsente habeatur, & quotidianas distributiones lucretur.

Unde Synodus Mechliniensis intelligit in Ecclesiæ negotiis occupari, » non solùm eos, qui Capituli vel Fabricæ negotia » tractant, sed Episcopum, Archidiaconum, Pœnitentiarium, » atque illos omnes, qui propria Dignitatum vel Præbendarum suarum munia obeunt, aut Episcopis Ordines conferentibus, visitantibus, ac in aliis Episcopatûs negotiis occupatis adsunt, vel aliquo ab eis misso consilium & operam suam » impendunt; quos pro eo tempore (fraude & dolo seclusis) » decernit pro præsentibus reputari, & omnibus emolumentis » gaudere debere, sicut si *personaliter* divinis interessent.« *Anno* 1570. *tit. de Offic. divino, cap.* 5.

Sed quid de celebrantibus tempore divini Officii, num hi distributionibus gaudere debeant? Resp. Si Ecclesiæ utilitas exigat, ut tempore illo Canonici celebrent, eo casu juxta decisionem Bonifacii VIII. illis gaudere posse videntur: » Si verò » celebrent Missam devotionis causâ, distributiones non lucrari, » nisi celebraverint ex onere sibi subjuncto (referente Fagnano » ad *cap. Licet de Præb. num.* 118.) à S. Congregatione res» ponsum est. Et aliàs decissum, subdit idem, Canonicos Mis» sam celebrantes submissâ voce, dum Divina celebrantur, dis» tributiones itidem percipere non debere, nisi illâ horâ ad » celebrandum Missam ab eo, ad quem pertinet, compulsi » fuerint. Idem responsum de Canonicis, qui absunt à choro, » ut celebrent in Capellis, in quibus tenentur Missas celebra» re, vel devotionis gratia, qui non debent percipere distri» butiones illius horæ. Quod si permissu Superioris id face» rent, admonendum esse Superiorem, ut abstineat ab his li» centiis concedendis.«

Ita à Sancta Sede declaratum fuisse, testis omni exceptione major est S. Carolus: » Quicumque, inquit *in Concil. Me» diol. IV. p. 2. cap.* 13. dum alicujus statæ horæ officium in » choro peragitur, Misam celebrando tunc à choro abfuerit, » illius horæ distributionis, tanquam absens, particeps ne sit, » *ut à Sancta Sede Apostolica declaratum est.*«

Quam Sedis Apostolicæ declarationem Trident. Synodo conformem esse, ex verbis decreti non obscurè intelligitur, vult enim ut distributiones dentur juxta Bonifacii VIII. decretum, *non obstantibus quibuscunque Statutis & consuetudinibus*; illud verò decretum, ut jam notavimus, absentibus distributiones negat, nisi infirmitas, aut necessitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas excuset. Si igitur nulla Ecclesiæ utilitas requirat, ut Canonicus tempore divini Officii celebret, rectè ad mentem Concilii Tridentini ipsi distributiones negantur; præsertim cùm Canonicus juxta ante dicta, causâ cessante, omnibus officiis assistere jubeatur.

Quòd igitur Synodus Mechliniensis *loco citato, cap.* 6. » sub » divinis Officiis celebrantes, aut ad celebrandum se præparan» tes, velit pro eo tempore præsentes in Divinis reputari, mo» do tamen Sacrificio absoluto, sine notabili mora ad cho» rum redeant, « indubie conformiter ad antedicta intelligendum est: absit enim, ut vel suspicemur sapientissimos illos Patres quidquam Tridentino Concilio contrarium statuisse.

§. VI.

Corollaria ex iis, quæ hoc capite dicta sunt.

EX assertis hoc capite constat, quòd & ipsi Romani Pontifices & ipsum Concilium Tridentinum judicaverint justum, ut docentes in Universitatibus à personali residentia excusarentur, ut scilicet tempore, quo Canonici, aliique Deo psallunt, ipsi aut alios ad justitiam erudiant, aut certè ad id præstandum seipsos præparent.

Ex quo facilè colligitur, quantopere cæcutiant Canonici simili officio non adstricti, dum exemplo docentium negligentiam, aut ignaviam suam in frequentando divino Officio palliare volunt; cùm è contrario ipsi tanto diligentiores in officio esse deberent, dum sciunt Confratres suos aliis majoribus negotiis pro Ecclesia occupari.

Patet quoque ex antedictis Canonicis, aliisve Beneficiatis studiorum causâ absentibus concedi fructus Beneficiorum suorum, ut per studia sua *in vinea Domini fructuosiores Ministri evadere possint*: ex quo non difficulter intelliguntur, quòd Canonici eo titulo fructibus in absentia gaudentes, teneantur sedulò attendere, ut tali scientiæ incumbant, quâ in similes ministros evadere queant.

Tertiò ex assertis constat, Canonicos studiorum causâ à personali quidem residentia eximi, ut liberiùs studiis vacare valeant; sed in reliquis, leges Canonicis præscriptas ab ipsis servandas esse. Ex quo evidens est, multùm à Pontificum ac Conciliorum mente aberrare Canonicos, quos hodie, etiam in hac nostra Universitate abjecto habitu canonicali, & cum illo modestia ac gravitate, quam status ille requirit, vagari, & omninò seculariter cum magno Ordinis Ecclesiastici dedecore & studiosorum scandalo vivere conspicimus. (h)

Qui abusus ut tollatur, non inconveniens, imo menti & sententiæ Conciliorum planè conforme videtur, si testimonia studiorum, vel residentiæ ab Universitate, aut Doctoribus non concederentur, nisi illis, qui se Canonicos aut Beneficiatos habitu & moribus exteriùs etiam profiterentur.

CAPUT VI.

De vita communi Canonicorum, quantopere illa Canonicis conveniat, quandonam et qua ratione ad vitam singularem transiverint, et quomodo ex hac vitæ canonicalis collapsio magna ex parte originem sumpserit.

PARAGRAPHUS I.

Seculo IX. Canonicorum vita communis restituta fuit.

SEculo VIII. communem Canonicorum vitam, & canonicam vivendi disciplinam fœdè collapsam nonnulli Ecclesiæ Prælati restituere cœperunt. Et quidem de S. Chrodogango Metensi Episcopo, qui illo seculo vixit, scribit Paulus Diaconus, *lib. de Episc. Metens. tom. 2. de Script. Franc.* » Hic » clerum adunavit, & adinstar Cœnobii intra claustrorum sep» ta conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in Ec» clesia debent conversari: quibus annonas & vitæ subsidia suf» ficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indi» gentes, divinis solummodo Officiis excubare deberent.«

Hæc Canonicorum regula tomo septimo Conciliorum ulti-

(h) *Omisisse videtur Auctor noster Canonicos, qui Consiliarii Clerici dicuntur. Quæritur autem, utrum Officiis divinis præsentes censeri debeant, cum in subselliis Parlamentorum, quorum sunt Senatores, sedent Judices? Respondet Cabassutius* Juris Canon. theor. & prax. lib. 2. cap. fin. num. itidem fin. *his verbis*: » *Istud tenendum, eos, qui sunt simul Canonici &* » *Consiliarii Curiæ Parlamenti, dum Curiæ intersunt jurisdic-*

» *tione fungentes, potiri quidem suarum fructibus Præbenda*» *rum, sed privari distributionibus, quæ solis reservantur* » *Clericis, qui divinis intersunt Officiis.*« *In Actis Cleri Gallicani* tom. 1. *cap.* de Residenc. *referuntur Senatus Parisiensis Arresta quædam, quibus* grossi fructus *decernuntur Canonicis Senatoribus Clericis; at distributionum quarumlibet nulla in iis fit mentio.*

timæ editionis inserta est. Quod seculo VIII. S. Chrodogangus pro sui Cleri reformatione inchoavit, id seculo sequenti omnes penè Episcopi allaborante Carolo Magno pro restauratione vitæ canonicæ inducere studuerunt; ut ex decretis Conciliorum sub initium seculi IX. cognoscere licet. » In omnibus, inquit *Can.* 9. illius temporis Concilium Moguntinum, quantum » humana fragilitas permittit, decrevimus, ut Canonici Clerici » canonicè vivant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam, & » documenta Patrum, & ut simul manducent & dormiant, » ubi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus eccle» siasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & » singulis diebus manè primò ad lectionem veniant, & audiant, » quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem au» diant, & obedientiam secundum Canones suis Magistris exhi» beant. « *Ann.* 813.

Similia in Concilio Turonensi, aliisque sub idem tempus celebratis statuta & decreta leguntur. Majus verò incrementum, imò complementum communis Canonicorum vita accepit seculo IX. operâ piisimè Imperatoris Ludovici, cujus pium & ardens desiderium restituendi Ecclesiasticam, præsertim Canonicorum, disciplinam summis laudibus extollunt Synodi Aquisgranensis Prælati *in Præfat. ad Synod.* fatentes illius suggestu & rogatu se inductos, ut ex Sacris Canonibus, & SS. Patrum dictis, illam canonicæ institutionis formam Canonicis deliberarent, quam in Aquisgranensi Synodo multis capitibus expressam videmus.

» Quam institutionis formam cùm coram memorato glo» rioso Principe prolatam Sacer Conventus (Aquisgranensis) lau» dibus extulisset, & ecclesiastica auctoritate fulcitam laude» que dignam ad Sanctæ Ecclesiæ utilitatem, atque proficuam » consona voce prædicaret, nihilque in ea reprehensionis ab » iis, qui sanum sapiunt, reperiri posse profiteretur, ab eo» dem victoriosissimo Principe, & ab omnibus, qui aderant, » Deo gratias acclamatum est..... Proinde omnium sententia sta» tutum est ab omnibus, qui in Canonica psofessione Domino » militant, hanc institutionis formam tot Ecclesiasticorum vi» rorum vigilanti studio congestam, dignisque præconiis lau» datam juxta virium possibilitatem, modis omnibus observan» dam, quatenus hanc sive aliarum scripturarum documenta » sedulâ meditatione perlegentes, & Prælati, & subditi voca» tione, qua vocati sunt, ope divinâ adminiculati, infatigabi» liter ambulent. «

Hanc Canonicorum regulam, cujus præcipuum punctum erat *vita communis*, non tantùm observari jussit ab illis qui communem vitam eo tempore ducebant, sed omnes Episcopos ad eandem recipiendam & extruenda Canonicorum claustra adegit.

Missa sunt (inquit Jacobus Sirmondus *in Notis ad Concil. Aquisgr. num.* 4.) „ Concilii Aquisgranensis exemplaria in sin» gulas Provincias cum Epistola Imperatoris ad uniuscujusque » Provinciæ Metropolitanum. Hinc Epistolarum quæ passim » occurrunt tituli diversi, omnes verò ejusdem sunt argumenti.“

Exemplaria aliqua exhibuit prædictus Sirmodus, & ultimæ Conciliorum compilationi inserta sunt. *Tom.* 7. *part.* 1437. & 1440.

Unica Hetti Treveriensis Archiepiscopi Epistola, quam de eodem re ad Frotarium Tullensem Episcopum tunc scripsit, luculenter demostrant, duo in litteris illis Imperatorem præcepisse, nempe Regulam observari, & communia Canonicorum claustra instaurari, multumque Episcopos solicitos fuisse, ut Imperatoris litteris parerent. Habetur *tom.* 7. *Concil. pag.* 1440.

» Non nescitis, inquit, cum qua cautela mandatum susce» pimus D. Imperatoris nos in Diœcesi nostra, & Episcopi » singuli in Parochiis suis, id est, de *Regula augendæ Religio*» *nis*, *& de ministratoriis Canonicorum officinis*, ut si quibus » in locis benè comptæ essent, deinceps cum summa diligen» tia ornarentur. Nunc autem in proximo est placitum, quo » sine dubio suscitabitur de obtemperatione mandati. Quapro» ter *scrutemini diligenter* in Parochia vestra, in vestris alio» rumque Monasteriis, *si præfata regula dignè per omnia con*» *servetur*, *& si officinæ juxta ipsius decreta constructæ*, *at*» *que innovatæ contineantur*: ut cum Imperiali solertiæ præsen» tabimur dejecto procul molimento aliorum, una vobiscum » ex omnibus illi à nobis veritas nuntietur.“ (i)

Quis ulterius ambigat, quin tantoperè ad instaurationem vitæ communis allaborante unâ cum Episcopis zelosissimo Imperatore, magno cum successu conatus ad effectum deductus fuerit.

Et quidem cui luberet Canonicorum vetusta monumenta persolvere, non difficulter, ut credo, omnium penè Canonicorum Congregationes olim vitam communem duxisse deprehenderet, sed ut secretiora Capitulorum archiva relinquamus, nonne illa, quæ modò plurimis Canonicorum Ecclesiis contigua supersunt claustrorum vestigia, evidens illius vitæ exhibent argumentum? Audiamus Patres Concilii Coloniensis anno 1536. *part.* 3. *cap.* 4. „ Porrò Ecclesiæ istæ Collegiatæ, » inquiunt, quandam vetustatem spirant, & *Ecclesiæ primiti*» *væ institutum præ se ferunt*, quod vel *forma ædificiorum* os» tendit, quæ Canonicos prope templum in unum penè habi» taculum collocavit, ut procul à promiscua multitudine se» parari, divinis pariter laudibus insisterent. «

Non exiguum quoque vitæ communis indicium est, quod congregationes Canonicorum, quæ hodie *Capitula*, aut *Ecclesiæ Cathedrales*, vel *Collegiatæ* dicuntur, in pristinis monumentis & chronicis *Monasteria* passim dicantur: quemadmodum de plurimis Canonicorum Capitulis Belgicis ex solo chronico Cameracensi per Baldericum conscripto videre licet. Imò hanc vitam multis seculis in pluribus perseverâsse inferius ostendetur.

§. II.

Exhibetur compendiosum specimen disciplinæ, seu normæ vitæ communis ex illis, quæ Synodus Aquisgranensis præscripsit.

CAnonicorum in communi vivendi disciplinam accuratè proposuit Synodus Aquisgranensis, è qua breve hoc & compendiosum specimen subjicio, ut eo pateat, quàm hæc vivendi norma conveniens esset, ut Canonici ritè juxta vocationem suam viverent, ac proindè mirum non appareat, quod omni ætate Episcopi sanctitate & eruditione illustres, eam vivendi disciplinam, quantum temporum circumstantiæ ferebant, in usum revocare studuerint.

Omnes in uno, eodemque claustro seu domo habitabant sub directione vel Episcopi vel alterius Superioris, cui obedientiam & debitum honorem impendere debebant.

In refectorio quotidie unà reficiebantur, nisi fortè quem necessitas abesse compulisset, & hoc non sine licentia Magistri fieri poterat. *Cap.* 123.

Ipsis credentibus & silentium religiosè tenentibus continuatim legebatur lectio. *Ibid.*

In singulis locis in quibus socialiter canonicè Domino militabatur, panem & pulmentum, & eleemosynarum partes æqualiter Canonici accipiebant. Mensura vel cibi & potus à discretione Superioris multum dependebat. Illud tamen specialiter Prælatis injungebatur, ut caverent, ne id quod dare debent aut possunt, qualibet dissimulatione aut tenacitate subditis subtrahant, ne paupertatis occasione compulsi per diversa vagari, & turpibus se implicare negotiis cogantur. *Cap.* 122.

Quotidie ad collationem, seu ut hodierno idiomate loquamur, ad Capitulum venire debebant, ubi & regulam Canonicorum & aliarum Scripturarum Sanctarum lectiones perlegerent, & pro admissis veniam postularent, & sententiam pro qualitate admissi susciperent: ubi etiam de communi profectu & utilitate pertractarent. *Cap.* 123.

Claustra quoque firmis undique munitionibus circumdata erant, ut nulli omninò intrandi, aut exeundi, nisi per portam patere aditus. *Cap.* 117.

Unus similiter ex Canonicis eligebatur, cui officii erat portam Canonicorum cum summa obedientia & humilitate competente tempore claudere, ac reserare, ut nulli per eam nisi per licentiam aditus pateret intrandi aut exeundi. *Cap.* 143.

Fœminis verò non solum in claustris Canonicorum prandendi, aut dormiendi licentia non erat, quin nec in ea intrandi, excepto in Ecclesiam, ulla tribuebatur facultas, quia, inquit regula, *valdè hoc à Sanctis Patribus legitur inhibitum*. *Cap.* 144.

Ne curis rerum temporalium implicarentur, quidam ex ipsis magis excitati, de quibus spes esset, quod quo magis in Fratrum curis implicarentur, tantò magis Cœlestibus studerent obtemperare monitis, eligebantur, qui rerum temporalium curam haberent. *Cap.* 139. & 140.

Singuli juxta capacitatem suam diversarum artium erudiebantur disciplinis, » ut nullus, *ait Regula*, in Collegio Ca» nonicorum inutilis appareat, *nec vota Fidelium otiosus com*» *medat*. *Cap.* 123.

Ad Horas Canonicas omnes quàm diligentissimè convenire debebant. Mox enim, ait Regula, ut auditum fuerit signum, festinatò omnes ad Ecclesiam conveniant, quam non pompaticè, aut inhonestè, vel incompositè, sed cum reverentia & Dei timore ingrediantur. Inter alia specialiter monebantur, *ut laudes Deo in commune persolventes*, *pro suis populorumque quorum oblationibus vivunt*, *delictis Dominum exorent*. *Capite* 131.

Expletis religiosissimo obsequio horis competentibus diurnis Officiis, ab omnibus Canonicis, dato signo, devotissimè ad Completorium veniendum erat. Quo completo oportebat, ut non

(i) *Id descriptum est Schediis S. Petri Carnotensis.*

non epulis, & potationibus vanisque inservirent loquelis, sed his penitus pospositis, humiliter & honestè dormitorium petere debebant. *Cap* 136.

In his omnibus si quid peccatum erat, mox à Prælato arguebatur, & condigna pro delicto impositâ pœnitentia diluebatur. *Cap.* 144.

Hanc vivendi normam seu disciplinam, si quis vel leviter attenderit, & omnia, quæ de obligatione & officiis Canonicorum in præsenti tractatu, ex Conciliorum ac Patrum decretis dicta sunt, unà expenderit, non difficulter intelliget hoc vitæ institutum fuisse medium accommodatissimum, ut Canonici vocatione, qua vocati sunt, digne ambularent.

§. III.

Quo tempore, & qua ratione ad vitam singularem abjecta communi Canonici transiverint.

QUo præcisè tempore Canonici laudabilem illam, ac sanctissimam vivendi normam (cujus specimen §. anteriori exhibuimus) relinquerint, atque ad singulare vitæ institutum transiverint, non ita constat; hoc certum est, non in omnibus Ecclesiis eodem tempore mutationem illam factam fuisse.

Circa seculum XI. seu finem X. cœpisse paulatim disciplinam illam flaccescere testis est Trithemius, qui ad annum 975. in Chronico Hirfrangiæ scribit: » sub Theodorico Archiepis» copo Treverensi, Canonici majoris Ecclesiæ ibidem abjectâ » vitâ regulari, quam hucusque in eadem Ecclesia Majores eorum » continuaverunt, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine » & conversatione seculares. Quorum exemplo malo Canonici » quoque Sancti Paulini Treverenses, Sancti Castri in Confluen» tia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses, & complurium » aliarum Ecclesiarum diversis quidem temporibus, sed uno » impietatis spiritu regularis vitæ communitatem objecerunt. «

In omnibus penè Galliæ Ecclesiis vitam communem seculo XI. desiise deplorat Sanctus Ivo Carnotensis; & seculo XI. Stephanus Tornacensis scribit ad Decanum Rhemensem, eundem exhortans, ut illud, quod eo tempore in Ecclesia Rhemensi de laudabili illa vivendi disciplina superaret, fulcire, & sustinere studeret, ad exemplum multarum Ecclesiarum Germaniæ, in quibus eo tempore vitam communem superfuisse testatur.

In Ecclesia Leodiensi seculo XII. vitam communem fuisse superstitem patet ex iis, quæ refert Fisen in Alberone anno 1143. » Ipso Principe Canonicorum omnis disciplina cor» ruit, quam neque Præsides curarent, nec Episcopus ipse, ut » qui negligere cœpit solemnes decessoribus suis Collegiorum » inspectiones. Claustri ergo ratione sublatâ, dies, noctesque » collegia patuere, etiam equitibus, curribusque: *cùm ad eam* » *ætatem clausa persever. ssent, quo ritu hodie Monasteria.* «

Non tamen omnes Canonicorum Ecclesias Leodienses eo tempore ad singularitatem transiisse patet ex donatione Godefridi III. Ducis Brabantiæ facta Collegio Canonicorum S. Joannis Leodii; in hujus enim donationis diplomate scribitur: » *Residuum fructuum in usum fratrum in Ecclesia vestra resi*» *dentium, juxta portionem, quæ unumquemque fratrum in re*» *fectorio contingere debet, dispensetur.* Apud Miræum in *di*» *plomat. Belg. cap.* 65.

Anno quinquagesimo supra millesimum in plerisque Belgii Canonicorum Collegii superstitem fuisse vitam communem, & inde dicta fuisse *Monasteria* ex Chronico Cameracensi per Baldericum concinnato constat: & quidem Collegio Canonicorum S. Gaugerici in civitate Cameracensi ita loquitur: » Olim fre» quentior numerus fratrum, nunc ad quinquagenos præ ino» pia derivatur, qui D. Gerardo Episcopo satagente, quoti» dianum victum *in Refectorio communiter sumunt.* « Lib. 2. cap. 4.

Canonicos igitur non eodem tempore ad singlaritatem transiisse constat; causam verò illius mutationis graphicè expressit S. Ivo: » Quod communis vita, inquit, in omnibus Eccle» siis penè defecit, tam civilibus, quàm Diœcesanis, non auc» toritati, sed desuetudini & defectui adscribendum est, re» frigescente charitate, quæ omnia vult habere communia; & » regnante *cupiditate*, quæ non quærit ea, quæ Dei sunt & pro» ximi, sed tantùm quæ sunt propria. « *Epist.* 219.

Similiter Stephanus Tornac. in *Epistola* 160. *de Transitu ad singularitatem Ecclesiarum Galliæ* agens, eas transitum illum fecise dicit: *Quia dispensationis levamen libentiùs admittebant, quàm auctoritatis vigorem*: unde insinuat Decano Rhemensi, quòd si Rhemensis Ecclesia, quæ singulari quodam privilegio inter Gallicanas Ecclesias in communione sociali perseverabat, ad singularitatem transiret, reliquæ Ecclesiæ Gallicanæ clamarent » Ecce Rhemensis Ecclesia facta est quasi una » ex nobis, consortio suo *verecundiam* nostram operiens, auc» toritate sua *negligentiam* nostram defendens.

Sed quid plura? Quicunque de misserabili illa metamorphosi loquuntur, uno consensu Canonicorum cupiditati, & spiritui libertatis, atque Prælatorum ignaviæ eam imputare non dubitant: quare rectè dictus Carnotensium Antistes notavit mutationem illam *non auctoritati, sed desuetudini seu defectui adscribendam esse.*

§. IV.

Ostenditur, quòd naturaliter quodammodo vitam singularem Canonicorum sequuta fuerit disciplinæ canonicalis dissolutio.

NUllum penè Auctorem reperire est, qui Canonicorum ad vitam singularem transitum refert, ni unà disciplinæ Canonicalis dissolutionem tanquam eidem conjunctam testatur, & è Regularibus re & nomine seculares factos asserat. » Ete» nim quæ, quanta & qualia vitia orta sint atque quotidie orian» tur (ait Dionys. Carthusian. *de Vita Can. art.* 2.) ex rela» xatione illa *vitæ communis*, dormitoriique ejusdem, experien» tia potiùs docuit, quàm lingua possit explicare. « Nec mirum id videbitur, si norma vivendi, quæ vitam singularem secuta est, consideretur. Quando enim Canonici singulariter vivere, & singuli suas præbendas habere cœperunt, tum non secundum providentiam Prælati cibum & potum acceperunt, sed unusquisque juxtà arbitrium suum mensam suam instruere potuit; si deliciis affluere volebat, nullus obstabat. Non jam bona Ecclesiæ in communi dispensabantur, ut ex illis omnibus quod cuique necessarium esset, tribueretur; sed singulis ad beneplacitum suum erogandi proventus facultas facta fuit; quos si in superfluis & illicitis impendere lubebat, non erat qui dispensationis rationem exigeret. Hinc aperta consanguineis & familiaribus benefaciendi opportunitas. Hinc de patrimonio Christi impiè luxuriandi campus apertus.

Dum in communi viverent, nemini, nisi de licentia Prælati, dabatur egrediendi facultas, atque ita cum hominibus secularibus conversatio rara, cùm mulieribus verò erat rarissima; at cùm deserto claustro domos singulares inhabitare cœperunt, repagula claustri reserata fuerunt, & libera cum secularibus, non viris modò, sed etiam mulieribus conversandi facta libertas. Quæ inde dissolutionis occasio!

Vitâ communi durante erant qui actibus & occupationibus ipsorum intenderent, si quem minùs rectè agentem, vel otio diffluentem reperiebant, pro debitto monebant; & monitis non obtemperantem puniebant. Cùm verò singulariter vivere cœperunt, quidquid lubuit agere, imò alio vacare, licuit; nec qui contradiceret, speculator adstabat.

Florescente Canonicorum vitâ communi, claustro communi & vulgari supellectile contenti esse debebant; post vitam singularem, quisque particulares domos pro commoditate & arbitrio suo extruere, & supellectilia varia exornare cœpit.

Utque verbo absolvam, cum vita singulari, Canonicorum libertas vivendi pro libitu, redditusque Ecclesiasticos pro arbitrio dispensandi irrepsit.

Hanc vivendi libertatem unà cum divitiis, quibus Ecclesia abundanter donata erat, si quis expendat, facile videbit, quòd quasi infallibiliter, consideratâ hominum corruptione, sequi debuerit disciplinæ canonicalis dissolutio. Summum tamen dissolutionis incrementum præbuit, quòd hac normâ vivendi Canonicis concessa cœperint homines carnales, ambitiosi, avari in vita Canonicorum invenire, quo suis possent satisfacere concupiscentiis: & huic contigit ut passim Canonicatus, & Præbendas ambiri cœperint illi, in quibus regnabat avaritia, impetrabat ambitio, dominabatur iniquitas, & principabatur luxuria: sicque aspirare & currere ad Canonicatus, Præbendas, aliasque Ecclesiasticas dignitates & curas cœperunt, non ut curam agerent, sed ut commodè & deliciosè vivere possent. Sic & parvulis nondum penè natis provida parentum solicitudo Beneficia parare cœpit. » Hunc nos, inquiunt apud S. Bernar» dum *in declam.* §. 5. Illi vel illi tradamus Episcopo, apud » quem habemus gratiam, aut cui fortè servimus, ut dite» tur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur » hæreditas. «

Quid igitur mirum, si tum summa cœperit esse Canonicalis ordinis relaxatio: imò mirandum, quòd adhuc disciplinæ canonicalis & clericalis supersint vestigia. Quid enim expectandum ab hominibus, qui nec benè, nec per Christum, sed humano affectu, imò plerumque perversâ intentione, sæpè etiam simoniacè, Canonicatus & Præbendas obtinuerunt?

Si teste Cardinale Bellarmino *De Gemitu Col. lib. 2. cap.* 8. » Multitudo Monachorum ex Monte perfectionis ceciderit ad » vallem profundam nimiæ relaxationis, quia non duxit eos stel» la ad præsepium Christi, id est, non traxit eos divina vo» catio ad humilitatem Christi sectandam; sed carnalis sensus, » qui mentem excæcat, duxit illos vel ad vitam commodio» rem, cùm essent pauperes, vel ad honores ambiendos in » Religione, cùm in seculo non invenirent quâ viâ possent

» as-

» ascendere, vel alio aliquo humano consilio vestem sanctam » induerunt. Et quid mirum, si multi vestem religiosam in- » duunt, cùm non Spiritus Domini, sed carnalis sensus eos » ad religionem duxerit? « Si, inquam, hæc de Religiosis, non rectâ intentione Monasteria intrantibus, verè dixerit Bellarminus, quid dicendum erit de iis, qui vitam commodiorem, & honores, non in Monasterio, ubi adhuc vita quædam communis & austeritas servatur, sed in seculo, ubi ambitio & dissolutio dominatur, cum studio quærunt & sæpè inveniunt? Potiori certè jure timendum, ne multos ad Clericatum ducat carnalis sensus, quos divina vocatio (cujus nulla apparent signa) non traxit ad vitam clericalem.

§. V.

Canonici, qui hodie vivunt vitam singularem, propterea non sunt culpandi.

VItam communem ad normam in Synodo Aquisgranensi expressam, vitæ canonicali ritè peragendæ admodum conduxisse, in anterioribus ostentum est. Similiter §. præcedenti demonstratum est vitæ communis desertionem, summæ relaxationis & dissolutionis fomitem subministrâsse, & propterea non immeritò Episcopos, aliosque pro Ecclesiastica disciplina viros magis zelosos, se omni quo potuerunt studio impendisse, ut vitam communem vigentem conservarent, collabentem sustinerent, collapsam restaurarent.

Verùm cum ubique penè Canonici desertâ vitâ communi ad singularem transivissent, nec spes affulgeret universos ad pristinam illam vivendi normam reducendi, vitam singularem Canonicorum Ecclesia tolerandam censuit: permittens interim Episcopis, ut temporum & locorum conditione ferente, ipsos Canonicos ad vitam communem reducere possint, ut jure communi cautum est, *in cap.* 9. ✠ *de Vita & honest. Cleric.*

Considerabat quidem pia Mater Ecclesia, admodum periculosam esse Canonicorum tantam vivendi libertatem, ideò, quantum potuit, obstitit, ne ad eam vivendi disciplinam descenderent: judicavit tamen posse statum illum tolerari, quia tametsi periculosus sit, nihil interim in illo occurrere, quod naturalem aliquam cum officio canonicali contrarietatem habeat; sciebat adeoque & in hujusmodi vivendi ratione posse obligationes & munia Canonicorum perfectè, licèt difficiliùs, compleri.

Quidni enim inter Canonicos esse possint & sint ejus pietatis, qui non Christianam duntaxat, sed & Clericalem in cibo, potu, aliisque corporis necessitatibus sibi moderationem præscribant & servent? Qui redditus Ecclesiasticos sibi concreditos cum timore & tremore tanquam *patrimonium pauperum* fideliter dispensent? Qui curam temporalium sine curis agant? Qui, ut verbo absolvam, in familia particulari, vel aliquibus confratribus conjuncti, ita vivant, ut Canonicorum munia ad præscriptum Sacrorum Canonum tam perfectè absolvant, ac si in Congregatione vitam agerent communem?

Quidni & subinde contingat, ut tales sint temporum, ac locorum circumstantiæ, ut hic & nunc Canonicis juxta Sacros Canones vivere desiderantibus vita singularis præ vita communi conveniat. Quid enim si adeo quorumdam Canonicorum collapsa sit disciplina, adeo vita dissoluta, ut abusus plures, illique non leves in tantum invaluerint, ut à plerisque pro lege habeantur, vitæ verò canonicalis officia & obligationes ignorarentur, vitam adeo dissonam à Spiritu Christi & Ecclesiæ vivant, ut vitam christianam & clericalem instituere volentes risui & ludibriis eorum, quin & injuriis ac calumniis sint exponendi? Hac, inquam, aut simili temporum malitiâ occurrente, non dubium quin Canonicis vitam verè cononicalem meditantibus vita singularis præ communi convenientior esse queat. Sic enim fiet ut hi à reliqua Canonicorum malè viventium parte segregati, vel soli viventes, aut aliquibus aliis melioris frugis Confratribus conjuncti, facilius vitæ canonicalis partes absolvere possint.

Nequaquam proinde Canonici, qui vitam singularem jam introductam, quandiu ab Ecclesia toleratur, vivunt, culpandi sunt, modo munia & obligationes Canonicorum ad præscriptum Ecclesiæ, & Fundatorum ritè adimpleant.

§. VI.

Quid connivente Ecclesia circa vitam Canonicorum sit mutatum.

ECclesiam tandem Canonicorum vitam singularem tolerâsse paragrapho superiori diximus, nihil tamen circa officium, aut obligationes Canonicorum mutâsse, ea quæ præsenti tractatu dicta sunt ostendunt. Si enim fontes è quibus hæc hausta sunt, vel leviter attendantur, illa non ad Canonicos in communi viventes, sed illos, quos hodie *Seculares* dicimus, fuisse directa, luce meridiana clarius patebit; adeoque eandem hodie, quam olim requiri in Canonicis morum puritatem, vitæque integritatem; non minorem in cibo potuque frugalitatem; parem in Ecclesiasticis redditibus dispensandis fidelitatem, æqualem in divinis Officiis persolvendis assiduitatem, reverentiam & pietatem; non absimilem in functionibus Ecclesiasticis obeundis curam & diligentiam: verbo uno, quidquid connivente Ecclesia circa vitam Canonicorum mutatum est, unicè ipsam exteriorem vivendi concernit disciplinam; nec hanc tamen per omnia collabi permissit, sed in multis, si non in totum, saltem pro parte, quantum potuit, conservavit.

Laudabiliter admodum & utiliter durante vita communi servabatur, ut quotidie Canonici ad *Collationem*, seu ut moderno idiomate loquamur, ad *Capitulum* venirent, ubi Regulam suam, & aliarum Scripturarum lectiones perlegerent, & pro admissis veniam postularent; sententiamque pro qualitate admissi susciperent, ubi etiam de commuui profectu & utilitate tractarent.

Nonne hoc disciplinæ punctum pro parte conservatum voluit Ecclesia, dum etiam inter Canonicos *seculares* Capitula disciplinæ magnâ curâ restituenda & habenda dixit, » in » quibus de moribus inquiratur, vita singulorum expenda- » tur: & quod olim Sancti Patres fecisse dignoscuntur, ex- » temporali oratione interdum commoneantur Fratres. « *In Concil. Colon. ann.* 1536. *p.* 3. *cap.* 14.

Dum item adeò frequenter statuit, etiam postremâ hâc ætate, ut Canonici convenientes ad Capitula primùm tractent de iis, quæ divinum cultum spectant, tum de justa morum reformatione, delictorumque debita animadversione, demum de privatis rebus temporalibusque negotiis agant, ut videre est in Concilio Bituricensi *ann.* 1584. *tit.* 34. *Can.* 9. *Tolosano ann.* 1590. *p.* 1. *cap.* 2. §. 7. aliisque sub idem tempus celebratis.

Non parùm conducebat vita communis, ut Canonicos in officio contineret, quòd eâ durante continuò ipsis adessent Superiores, qui actibus eorum intenderent, & si quid minus rectum deprehenderent, illicò aut punirent, aut certe ut abstinerent, monebant.

Nonne & hic disciplinæ articulus inter Canonicos *seculares* pro parte saltem conservatus est, dum in omnibus Canonicorum Collegiis etiamnum supersunt Decani aut alii Superiores, quibus cura incumbit: » ut Clericos suos (ut lo- » quitur Synodus Coloniensis *ann.* 1536. *p.* 3. *cap.* 2.) ad » observationem priorum rituum provocent, ac reducant, ut » ad agendam vitam Clericis dignam perpetuò exhortentur, » ac impellant; ut à negotiis, à tumultibus mundanis revo- » cent, ne magis seculi, quàm Christi milites videantur; ut » comessationibus, ebrietatibus, ac omni luxui interdicant; » denique ut suo officio satisfacere compellant. «

Punctum erat olim canonicalis disciplinæ, ut in Claustro Canonicis homines non cohabitarent seculares, ne eorum cohabitatione de spiritu seculi communicâssent.

Nonne hanc disciplinam, si non in totum, saltem pro parte, in multis Conciliis servatam videmus, dum in illis statutum est, » ut Canonici Cathedralium & Collegiatarum Ec- » clesiarum habitent in Canonicalibus ædibus, in quibus com- » modè Episcopi judicio commorari possunt (verba sunt Con- » cili Mediolanensis I. *p.* 2. *cap.* 24.) qui inspectis ædibus, si » quid reparandum, instituendumve sit ad habitationis com- » moditatem, pro modo fructuum præbendæ, ab eo, qui » Canonicatum obtinuit, reparari ac restitui jubeat. Quo fac- » to curet, ut in illis ædibus habitent, quibus si abesse etiam » justa de causa contigerit, nemini præterea, nisi Canonicus » sit, in eis habitandi facultas concedatur sine jussu Epis- » copi.

» Quarum ædium atrium, ubi claudi potest, unâ clave » concludatur, quæ à Decano, vel alio, Episcopi & Capi- » tuli arbitratu, asservetur. Quotâ autem horâ atrii janua ape- » riri, claudive debeat, quidquid ad honestè ibi vivendum » pro loci ratione requiratur, judicium sit Episcopi. «

Similiter & in aliis Conciliis constitutum fuit, ne liceat Canonicis, qui domos canonicales habent, in ædibus Laicorum habitare, nec quas à Capitulis habent, ullo modo illis locare, *ut offensiones & scandala*, ut loquitur Synodus Burdigalensis *ann.* 1583. *cap.* 17. *quæ ex contubernio, atque convictu hominum Ecclesiasticorum cum laicis, præsertim matrimonio junctis, oriri solent, tollantur.*

Hanc Conciliorum ordinationem, licèt omnes Canonici, defectu ædium Canonicalium, ad litteram servare nequeant; tamen Canonici pie vivere volentes plerumque se à contubernio laicorum separantes, & vel cum aliis Confratribus aut viris Ecclesiasticis, vel separatim viventes mentem Ecclesiæ servant.

Si ulteriùs & Conciliorum Decreta & piorum Canonicorum praxim quis attendere velit, non pauca alia vitæ communis vestigia, quæ ad vitam Canonicam ritè agendam facilitant, reperiet.

§. VII.

Corollaria ex his, quæ hoc capite dicta fuerunt.

PRæsenti capite ostendimus vitam communem inter Canonicos servatam, & à magis zelosis Prælatis omni studio conservatam, & collapsam, quantum temporum, & locorum conditio patiebatur, restitutam fuisse.

Ostendimus quoque vitam illam communem multa suppeditâsse media, quæ officiis, & obligationibus canonicalibus ritè adimplendis, admodum conducerent; è contra vitam singularem, ad quam sensim ex cupiditate potiùs quàm ex charitate multi delapsi fuerunt, relaxationis fomitem magnum subministrâsse.

Ex quo colligitur, quàm meritò Canonicorum Superiores soliciti sint, ut eam vivendi disciplinam, à Canonicis in communi viventibus observatam, vigentem conservent, & collapsam, quantum circumstantiæ temporis, & locorum permittunt, restituant.

Consectarium quoque est, quòd Canonici verè canonicè vivere volentes, disciplinam illam vivendi, quantum possibile est, meritò æmulentur; ut faciliùs ea, quæ officii sui sunt, præstare possint.

Cùm ex ante dictis quoque constet, quòd per vitæ communis desertionem, & *singularis* assumptionem factum sit, ut homines carnales spiritu carnali in Canonicorum Collegia sese intrudere studuerit, facilè apparet, mirandum non esse, si plurium Canonicorum vita dissona appareat vitæ canonicali hoc Tractatu expressæ. Quid enim mirum, si homines carnali spiritu pleni, & eodem in ministeria Ecclesiastica protrusi, non secundum spiritum Ecclesiæ, sed spiritum carnis vitam instituant?

Hinc ulteriùs consectarium, quòd majori, & potiori ratione ad Canonicos, quàm ad solitarios dici queat illud S. Basilii *de Abdic. rerum, cap.* 6. » Eorum, quos rectè atque ex » virtute videris vivere, æmulator esto, & institutorum vitæ, » actionumque exempla descripta in animum tuum transfer: » *Opta, ut sis de numero paucorum. Rara siquidem quæ bona,* » quæ quidem etiam causa est, quamobrem pauci cœleste » regnum introeant. « Hæc Basilius.

Illud quoque Abbatis Paphnutii, hodie, si unquam, memoriæ Canonicorum *singulariter* viventium, meritò imprimendum: *Festinandum nobis est, ut à* paucis, *ac rarissimis sumamus exempla virtutum.* Apud Cassian. collat. 3. cap. 7. Itidem illud Abbatis Paphnutii: *Considera te de paucis & electis esse effectum, & ne exemplo ac tempore* multitudinis *refrigescas; sed vive, ut* pauci, *ut cum* paucis *inveniri merearis in Regno Dei.* Apud eund. lib. 4. cap. 27.

Ex ante dictis quoque facilè intelligi potest, quomodo ex vita singulari Canonicorum natum sit contingere in multis verificari, quod de Decano Canonicorum in *Speculo vitæ hum. lib. 2. cap.* 13. dixit Rodericus Zamorensis: » Collegium re- » gendum Decanus suscipit, imò veriùs feram indomitam gu- » bernandam. Parva domus ægrè & dificulter; magna Collegia » præsertim sine sapientia aut virtute tantò reguntur difficiliùs, » quantò quot sunt singuli, tot singulis ferantur opinionibus. » Si Decanus lætatur de honoris dignitate, metuat onera, me- » tuat pericula, quæ tot sunt, ut enarrari facilè non possint. «

CENSURA.

Perlegi hanc *Dissertationem* verè *Canonicam* de Institut. & Offic. Canon. &c. Auctore *Zegero Benardo Van Espen.* J. U.D. & Canonum Profess. Mihi quidem videtur tam solidè è sacræ antiquitatis monumentis, & Conciliorum Patrumque sententiis deducta, ut non possim non censere, quòd ob multam illius eruditionem spectabit ad universi Cleri splendorem, & fidelium salutem, si typis edatur, sincerè legatur, & accuratè observetur. Dabam Lovanii decima quarta Septembris 1685.

Bartholomæus Pasmans, S. Theolog. Doctor, & Libror. Censor.

DISSERTATIO CANONICO-HISTORICA DE HORIS CANONICIS, ET SINGULIS EARUM PARTIBUS.

PRÆFATIO.

NOverat jam pridem Eximius Præses Collegii Adriani VI. Pontificis Maximi, quàm magno usui veniat Theologiæ Studiosis scientia SS. Canonum; tum quidem ad mores Clerico dignos juxta eorum præscriptum formandos, tum ad scientiam Theologicam ex Conciliorum, & Patrum decretis solidiùs, quàm ex Casuistarum libris & placitis hauriendam. Quid enim sunt Sacri Canones, nisi *particulares conclusiones, quæ ex primis principiis, quæ nobis SS. Patres in suis Scriptis exhibuerunt, originantur*, ut loquitur pius, ac eruditus Gersonius, *sicut à fonte fluvii*?

Hinc factum, ut Præses contubernii mei in suo Collegio occasionem nactus, me rogaverit, ut SS. Canones Theologis suis exponere vellem. Ego verò pernoscens pariter, quantoperè SS. Canonum scientia Theologis utilis sit, non ægrè admodum me induci passus sum, ut Canones, qui Theologorum & vitæ & studio magis accommodi sunt, in lectione domestica hebdomadaria prælegerem. Cùm ergo decreta de Reformatione Concilii Trident. (Theologis scilicèt & Canonistis scitu cumprimis hodie necessaria) explananda suscepissem, incidi occasione Cap. 12. Sess. 24. De Reform. in argumentum de *Horis Canonicis*: in quo aliquantisper versatus, nonnulla, quæ in domesticis lucubrationibus de earum origine, recitatione ac ritibus corraseram, auditoribus proposui. Cùm verò non pauca, præsertim, quæ ritus concernebant; ex historiis, atque antiquitate essent desumpta, nonnulli ea scripto mandari cupiebant. Facilè morem gessi & intermissis parumper, quæ de *Horis Canonicis* fusè Mystica, tradunt, alia quæ sensum literalem, atque naturalem propiùs attingunt, & elucidant, in has Dissertationis paginas congessi, quæ modico ære scribendi laborem sublevantes, sibi comparare possent.

PARS PRIMA.

De his, quæ Horas Canonicas in generali concernunt.

CAPUT PRIMUM.

Quinam ex Clericis teneantur ad Horas Canonicas, ut minus privatim recitandas.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Pluribus seculis omnes Clerici ad Horas Canonicas adstricti fuêre: hodie tenentur Ordinibus Sacris initiati, & Beneficium Ecclesiasticum obtinentes.

QUi priorum seculorum Canones persolverit, nullam fuisse Clericos majores inter & minores distinctionem quoad obligationem Horas Canonicas recitandi, facilè comperiet. Nec mirum: illis quippe seculis, nullus etiam minoribus Ordinibus initiabatur, quin unà Ecclesiæ alicui, cui tanquam Minister deserviret, adscriberetur; quæ adscriptio vice collationis Beneficii Ecclesiastici, ut hodie loquimur, censebatur, atque ita universi Clerici quodammodo Beneficiati censebantur; & ideo nec ante seculum XI. ullum Beneficiatum inter & non Beneficiatum distinctionis vestigium occurrit. At postquam labente cum temporis lapsu ipsa puriori Ecclesiæ disciplina cœperunt ordinari Clerici, & minoribus Ordinibus insigniri nulla Ecclesiæ facta adscriptione, in qua tanquam Ecclesiæ Ministri deservirent; sensim etiam hi ab Officio Ecclesiæ obeundo se eximere cœperunt.

Et quidem jam seculo XIII. vestigium aliquod distinctionis illius in quodam Concilio Coloniensi occurrit: » Nullus Clericus » Horas Canonicas, ait, & de Domina nostra, ulla unquam die » distinctè & discretè prætermittat, maximè qui est in Sacris » Ordinibus vel Beneficiis constitutus. « *Ann.* 1280. *Can.* 1.

Hîc quidem videmus, Patres Concilii nullum Clericum à recitatione Horarum Canonicarum eximere; quia tamen singulariter ad earum recitationem obligatum dicit in sacris Ordinibus vel Beneficiis Ecclesiasticis constitutum, facilè hinc Clerici in minoribus Ordinibus dumtaxat sine ullo Ecclesiastico Beneficio constituti, suam à recitandis Horis Canonicis exemptionem firmandi occasionem acceperunt; quam tandem seculo sequenti Ecclesia connivente firmatam fuisse, vel inde colligitur, quòd in Canonibus illius ac sequentis ætatis, non omnes universim Clericos, ut in pristinis Canonibus, sed sacris Ordinibus initiatos duntaxat aut Beneficium obtinentes, ad Horas Canonicas recitandas moneri & urgeri videamus.

Unde Concilium Basileense de Horis Canonicis disserens, solos Beneficiatos & in Sacris Ordinibus constitutos Horis Canonicis adstrictos supponere videtur: » Quoscunque Beneficia» tos, seu in sacris constitutos, cùm ad Horas Canonicas, in» quit, teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive as» sociati, diurnum nocturnumque Officium reverenter, verbis» que distinctis peragant. « *Sess.* 22. *Can.* 5.

Itaque quandiù laudabilis illa obtinuit Ecclesiæ disciplina ut nullus ordinaretur Clericus, quin unà Ecclesiæ intitularetur, cui tanquam Minister, vel ut moderna phrasi loquar, tanquam Beneficiatus deserviret, nullus quoque à divini Officii persolutione erat exemptus: at deficiente dicta laudabili disciplina, sensim quoque, connivente Ecclesia, ad solos Beneficiatos & Sacris initiatos Officii recitandi necessitas devoluta est.

§. II.

Qua ratione Clericis meritò injugatur Horarum Canonicarum recitatio

HOras Canonicas esse ab Ecclesia ordinatas, ut per illas certis distinctisque temporibus desiderium charitatis, & spiritus orationis in nobis excitaretur, nemo ambigit. » In ipsa fi» de, & spe, & charitate, ait Aug. continuato desiderio sem» per oramus; atque ideò ab aliis curis, atque negotiis, qui» bus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad » negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ip» sos admonentes in id, quod desideramus intendere, ne quod » tepescere cœperat, omninò frigescat, & penitùs extinguatur » nisi crebriùs inflammetur. Et infrà: Ideò per certa intervalla » *Horarum* & temporum etiam verbis rogamus Deum; ut illis » rerum signis nos ipsos admoneamus, quantunque in hoc de» siderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc au» gendum nos ipsos acriùs excitemus. « *Epist.* 121.

Si igitur per certa temporum intervalla orandi consuetudo, atque Ecclesiastica disciplina, ad excitandum vel fovendum continuum Orationis studium ab Ecclesiæ ipsius incunabulis servata sit, quis non videat, vel hoc titulo Horarum Canonicarum recitationem meritò Clericis fore in præcepto?

Præcipuis quippe Clericorum muniis annumerandum esse studium Orationis, suo docuere exemplo Apostoli mensarum, & pauperum curam à se ablegantes, ut *orationi* & Ministerio verbi Dei instantes essent scientes, quod postmodum dixit S. Paulus, 1. Cor. cap. 3. v. 7. *Quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*: adeoque Cleri plantationem atque irrigationem sine fructu futuram, nî per continuas ad Deum præces cœleste attrahatur incrementum.

Hinc Ecclesia monens Sacerdotes, *ut signa tangant Horis Canonicis, & illorum officium agant, sive diurnale sive nocturnale*, hanc moniti sui rationem subdit; *quia scriptum est: Sine intermissione orate. Et ideo non dimittant Horas Canonicas.* Vid. Capitular. Franc. *lib.* 6. *cap.* 171. *tom.* 1. *Edit. Paris.* 1677.

Ad hæc, quicunque Clero adscribitur, in quantum de Sacerdotio participat, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis; atque hoc rursus titulo, Clerici non pro seipsis duntaxat, sed & pro populo dona, & sacrificia labiorum suorum Deo persolvere tenentur.

Et quidem ut liberiùs & sine curis id facere queant, temporalia, unde vivant, à populo accipiunt. » Nam qui constru» xerunt, vel fundârunt sanctissimas Ecclesias, ut rectè monet » Imp. Justinianus, pro sua salute & communis Reipublicæ reli» querunt suas substantias, ut per eas debeant sacræ Liturgiæ fie» ri, & ut illis à ministrantibus piis Clericis Deus colatur. « *L.* 42. §. 10. *Cod. De Episc. & Cler.*

Qua propter Canonicorum regula in celeberrimo ac frequentissimo illo Patrum Conventu Aquisgranensi præscripta, sedulò inculcat Canonicis, *ut laudes Deo in communi persolventes, pro suis populorumque quorum oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent.* cap. 131.

Ex ipsa ergo Cleri ad orandum pro suis, populique peccatis speciali obligatione, Canonicarum Horarum recitatio singulari titulo Clero congruit.

§. III.

Clerici omnes Beneficium, quantumvis exiguorum proventuum obtinentes ad Horarum Canonicarum recitationem obligantur.

QUemadmodum olim, dum nullus ordinabatur Clericus, qui unà alicui Ecclesiæ tanquam illius minister non adscriberetur, omnes indistinctè Clerici ad Horarum Canonicarum recitationem tenebantur; ita & posterioris ætatis Canones universos Clericos eidem obligationi subjiciunt, qui per Beneficii Ecclesiastici collationem alicujus particularis Ecclesiæ designantur ministri. Et sicuti in pristinis Canonibus sola Clericatus ratio, nulla proventuum exiguorum, aut notabilium factâ consideratione, attenditur; ita quoque in posterioribus Ecclesiæ decretis, nulla ipsius Beneficii quoad annuos proventus facta distinctione, indifferenter omnes, qui per Beneficii alicujus collationem Ecclesiæ Ministri sunt designati, ad Horarum Canonicarum recitationem constricti declarantur.

Et sanè, quid à mente Ecclesiæ remotius, quàm Ministris eum in divinis laudibus decantandis mercenarium agendi modum proponere? ut nimirùm, proventibus temporalibus laudes divinas persolvendas commensuratas vellent, non secus ac alicujus secularis officii mercedem? Hocne foret *voluntariè*, & non potiùs coactè Deo labiorum sacrificia offerre? Ut enim rectè notat S. Augustinus lib. 3. contra Pitil. cap. 58. » Si bonus est, vo» lens hoc facit; si autem malus, hoc est, *sua quærens*, non » quæ Jesu Christi, *invitus* hoc facit, *propter alia, quæ re» quirit.* «

Nequaquam proinde Clerici considerare debent pensum Horum Canonicarum, ut onus aliquod sibi ab Ecclesia, tanquam proventuum perceptioni correspondens impositum; sed potius ut medium suavissimum, quo obligationi orandi, & Deum laudandi, sibi tanquam Ecclesiæ ministris, & in sortem Domini specialiter vocatis & assumptis, incumbenti satisfaciant non *coactè*, sed *voluntariè* propter Deum.

Hinc patet, & à Canonum littera, & à mente Ecclesiæ recedere Theologos, qui mercenario quodam modo divinarum laudum recitationem considerantes, hanc recitandi obligationem Beneficii ecclesiastici annuis proventibus anxiè & scrupulosè commensurant; nimium credentes rigorem, si Ecclesia ministros suos ad laudum divinarum persolutionem, in qua ipsa Sanctorum æterna consistit felicitas & juge gaudium, constringeret, nî notabilem quoque proventuum temporalium portionem, ut quandam operis illius mercedem assignaret.

Conformiùs sanè & Canonum expressioni, & Ecclesiæ menti hîc raciocinantur Canonistæ docentes, quod *sicuti non excusantur Clericus à residentia ex eo quod ex Beneficio vitæ necessaria non percipiat, ita nec excusetur ab Horis dicendis.* Vide Fagnanum ad *cap. Conquerente* ✠ *De Cler. non resid.*

CAPUT II.

De Clericis, qui tenentur Horas Canonicas publice et in communi persolvere.

PARAGRAPHUS I.

Multis seculis obtinuit, ut universus Clerus ad Ecclesiam peragendi divini Officii causa quotidie convenire deberet; hodie verò ad id tenetur Clerus Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum.

QUin Horarum Canonicarum per distincta tempora publica ac solemnis recitatio præcipuam religiosi cultûs, & divini Officii partem constituat, nemo ambigit; unde durante ecclesiastica disciplina, qua omnes indiscriminatim Clerici alicui particulari Ecclesiæ tanquam Ministri assignabantur, etiam omnes, ni legitimæ occupationes alio vocarent, ad Ecclesiam ad Horas Canonicas recitandas accedere jubebantur: *Clericus*, ait Synodus Cartaginensis VI. Canon. V. *qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendiis privetur.* Et Toletana I. » Presbyter, vel Diaconus, vel Sub» diaconus, vel *quilibet* Ecclesiæ deputatus Clericus, inquit, si » intra civitatem fuerit vel in loco, quo Ecclesia est, aut cas» tello, aut vico, aut villa, & ad Ecclesiam ad sacrificium quo» tidianum non accesserit, *Clericus non habeatur*, si castigatus „ veniam ab Episcopo noluerit promereri.“

Seculo IX. adhuc in more positum fuisse, ut non in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis duntaxat, sed etiam Parochialibus Horæ Canonicæ distinctis temporibus quotidiè publicè persolverentur, constat ex decretis, quæ anno 852. Presbyteris suis præcripsit Hincmarus Rhemensium Archiepiscopus.

Quin & anno 1429. celebratum Concilium (k) Dertusanum Præsidente Petro de Fuxo Cardinale Apostolicæ Sedis Legato, supponere videtur obligationem Clericorum Beneficium obtinentium, aut in sacris Ordinibus constitutorum accedendi ad Ecclesiasticum officium, si per occupationes liceat. » Ne divinæ servitutis census, ait *Can.* 4. quem de fructu » labiorum suorum offerre tenetur *quilibet Clericus*, Ecclesias» ticum Beneficium possidens, vel in sacris Ordinibus cons» titutus, dum per occupationes alias *conventui Ecclesiæ in» teresse non valet*, ex defectu Breviarii omittatur, providè » duximus statuendum, ut per locorum Ordinarios Benefi» ciati predicti, & in sacris Ordinibus constitui ad habendum » propria Breviaria infra tempus ipsorum Ordinariorum ar» britrio moderandum, coertitione districta cogantur &c. «

Ex quibus concludi potest, ut etiam advertit R. P. Thomassinus in Opere suo *De ecclesiastica disciplina*, primitùs ab Ecclesia ordinatum fuisse, ut Clerici omnes, si per occupationes liceret, officio publico in Ecclesia, cui erant adscripti, interessent; atque non nisi per quandam Ecclesiæ conniventiam, sive piam condescendentiam factum esse, ut tandem non nisi Clerici Beneficiati, & in Sacris constituti divinum Officium persolvere constringantur, & quidem horum plerique privata horarum recitatione satisfaciant: adeò ut ad solos penè Canonicos aliosque Clericos Ecclesiarum Cathedralium, & Colegiatarum publica & solemnis horarum Canonicarum persolutio devoluta sit: de quibus jam pridem loquens S. Ivo Carnotensis dixit *Epist.* 318. *Ad hoc instituta est clericalis militia, ut Psalmodiæ & Hymnodiæ* quotidianum *Deo offerat sacrificium.* Unde Concilium Vienense specialiter statuit, ut in Cathedralibus Regularibus, & Colegiatis Ecclesiis horis debitis devotè psallatur. *Clem.* 1. *De Celeb. Miss.*

Verùm cùm ex sola Ecclesiæ conniventia contigerit, ut publica & communis in Ecclesia Horarum Canonicarum pia recitatio ad solos penè Cathedralium & Collegiatarum Clericos transierit; hinc colligitur Clericos illos voto & spiritui Ecclesiæ se conformare, qui nec Cathedrali nec Collegiatæ Ecclesiæ adscripti, dum per occupationes licet, in Parochialibus Ecclesiis, quibus subsunt, Dominicis, Festisque ut minùs diebus, divino Officio assistunt, & unà cum Parocho illud persolvunt.

§. II.

Canonici interesse debent quotidie omnibus horis, iisque integris.

QUandoquidem obligatio Horas Canonicas in communi ac publicè persolvendi olim universis Clericis communis, etiamnum hodie Canonicos, aliosque Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Clericos constringat, ipsique teneantur, ut loquitur Concilium generale Lateranense, divinum Officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis dederit Deus, studiosè celebrare; consequitur, ipsos non partem duntaxat, sed integrum debere persolvere, neque uni alterive horæ, sed omnibus horis, quæ nocturnum pariter ac diurnum Officium conficiunt, teneri interesse.

Quis enim dicit, canonicos suæ satisfacere obligationi, qui uni alterive Horæ Canonicæ duntaxat, reliquis neglectis, intersunt? Cum evidens sit, hos officium nocturnum pariter, & diurnum, quod ex septem Horis Canonicis & Missæ Sacrificio constat, studiosè non celebrare, sed illius solummodo partem.

Quapropter Ecclesia volens Canonicos, aliosque Clericos desidiosos & negligentes per distributionum assignationem ad satisfaciendum suæ obligationi incitare, solicitè cavit, ut non aliquibus dumtaxat majoribus, sed singulis etiam minoribus suæ assignentur distributiones, *ne qua in parte*, ut loquitur Synodus Tridentina, *cultus divinus minuatur, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur.* Sess. 21. *cap.* 3. *De Reform.*

Ut proinde à vero aberrare non videatur Joannes Wiggers *Tract.* 7. *c.* 3. *dub.* 20. *De Jure & Just.* dum ait, » ut » Beneficiati, qui præbendas habent liberas, sine alio officio, » v. g. docendi, concionandi, audiendi confessiones, aut si» mili onere non gravatas, ritè peragant suam residentiam, » non sufficere quod in die intersint semel officio chori, etiam » si forsitan ex consuetudine Ecclesiæ permittantur tales gaude» re proventibus cum aliis, sed debent interesse divinis Offi» ciis omnibus: ità ut à peccato mortali non videantur excu» sandi illi, qui justâ cessante causâ absentant se ordinariè ab » uno aut pluribus officiiis.

» Quin & si Fagnano credimus, cum fuisset quæsitum à » S. Congregatione Cardinalium num valeat statum ut una vel » duabus horis interessentes lucrentur massam grossam, sive » præbendam, amissis distributionibus? Responsum est, non » valere. « *Ad cap. licèt, de Præb. n.* 35.

Imò ut Clericus choro adstrictus, nec aliis occupationibus legitimè impeditus, muneri suo faciat satis, non sufficit, ut singulis nocturnis pariter & diurnis horis aliquantulum intersit, sed iis integris ab initio usque ad finem assistere tenetur. Id & ipsa ratio officii, quod ex integris, nequaquam verò ex partibus horarum constat, evincit, & ipsi SS. Canones evidenter declarant, vetantes pro præsentibus in horis reputari, nisi qui ab initio usque ad finem iisdem interfuerint. Qui in matutinis » ante finem Psalmi *Venite exulte» mus*, in aliis horis ante finem primi Psalmi, ait Synodus Ba» sileensis *Sess.* 21. *c.* 4. in Missa ante ultimum Kyrie eleyson » usque in finem divino Officio non interfuerit, nisi forte » necessitate cogente, vel petitâ ac obtentâ à Præsidente „ chori licentiâ, discedere oporteat, pro illa hora absens cen„ seatur; salvis, inquit, Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ „ fortè circa hoc arctiores existunt.“

Utque plura Conciliorum decreta omittam, ipsa etiam Synodus Mechliniensis evidenter eamdem veritatem supponit, dum statuit: „ Ut careant distributionibus, qui ante *Gloria „ Patri* primi Psalmi cujusque officii *usque ad finem* eidem „ officio *actualiter* non intersunt.“ *Ann.* 1607. *tit.* 12. *c.* 4.

„ Quin & Patres Concilii Moguntini decernentes, ut quo„ tidianæ distributiones *integris*, ac *totis officiis & horis* as„ signentur, & iis modò tribuantur, qui Officiis divinis, de „ quibus hæc emolumenta dantur, *ab initio ad finem* inter„ fuerint, adjungunt: *Quibuscunque irrationabilibus ac pra„ vis consuetudinibus (quæ potiùs corruptela censendæ sunt) non „ obstantibus.*“ Ann. 1549. c. 72.

(k) *Dertusa aut Dertosa*, *hispanè* Tortosa, *Urbs Episcopalis Catalauniæ in Archiepiscopatu Tarraconensi.*

§.

§. III.

Ne Canonici abstrahantur à divino Officio, Conventus Capitulares sine urgente causa tempore divini Officii non sunt celebrandi.

COnventus Capitulares tempore divini Officii extra particularem occurrentem necessitatem celebrari passim Concilia improbârunt. »Statuimus (inquiunt Patres Concilii Trviren. *Ann.* 1549. *cap.* 8.) ordinamus, ut deinceps capitula, actus & tractatus capitulares tantùm pro festis seu festialibus teneantur. Sed nec in iis, sub Missa, Vesperis, aut Completorio indicantur, aut teneantur: quinimò ut omnes Missæ intersint districtè mandamus: in aliis verò, si subsit urgens necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas postulet, ut Capitulum teneatur, Decanus indicabit dilationem seu moram Capituli & actuum capitularium non carere periculo, & propterea sub prædictis horis tractandum & augendum esse.« Et S. Carolus in Concilio I. Mediolanensi *P. 2. c.* 38. »Canonici, ait, quo tempore divina Officia celebrantur, non »habeant capitula, nisi fortasse aliter evidens necessitas postulârit. Qui contra fecerint, distributionem nec capiant ejus horæ, »in qua id commisserint.«

Quibus consonat Synodus nostra Mechliniensis mandans »ut deinceps conventus capitularis non fiat sub Officio divino, nisi res, ob urgentes aut repentinas causas, moram non »patiantur,« *Anno* 1607. *tit.* 12. *cap.* 11.

Neque horum decretorum obscura est ratio: cùm enim Canonici teneantur quotidie nocturnum pariter ac diurnum Officium persolvere, omninò consequens est omittenda esse ea omnia, per quæ Canonici ab officio abstraherentur: adeoque cùm eodem tempore nequant conventui capitulari, & divino Officio interesse, necessariò in aliud tempus ille differendus est, ne Canonici sine justa causa à divino Officio, cui assistere tenentur, retrahantur.

§. IV.

Canonici aliique Clerici choro addicti, quotidie divino Officio interesse tenentur, nisi justa causa eos abesse cogat.

PLures esse justas causas, quæ Canonicos à personali divini Officii assistentia seu frequentatione excusent, & ob quas interdum non tantùm quoad *fructus grossos*, ut hodie loquimur, sed etiam quoad distributiones quotidianas pro præsentibus reputentur, expeditum est; de quibus legitimis absentiæ causis sufficienter in Dissertatione *de Canonicis* actum fuit. At cessantibus justis absentiæ causis Canonicos ad continuam residentiam personalem, seu personale obsequium obligari, ratio ipsa evincit.

Cùm enim Beneficium detur propter officium, *Cap. fin. De Rescript. in VI.* & Canonicorum munus sit, nocturnum pariter ac diurnum Officium devotè ac reverenter in Ecclesia persolvere, consequens est, ipsos sine justa causa illud omittere non posse.

Verum quidem est, Patres Concilii Tridentini volentes Canonicos ad residentiam & officii sui personalem persolutionem revocare, *Sess.* 24. *cap.* 12. *De Reformat.* statuisse, »quod obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis »Dignitates, Canonicatus, Præbendas aut portiones, non liceat »vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii »tempus requirunt.« Verum ex hoc decreto nullatenus inferri potest, Tridentinum Concilium Canonicis indulsisse trium mensium sine justa causa à suis Ecclesiis absentiam sed solum illius temporis absentiam tolerâsse; ut nimirum absentes, etiam sine ulla Superioris licentia aut allegata causa tribus mensibus per annum, pœnis per Canones absentibus infligtis puniri non possint: interim Canonicorum conscientiæ permittens, an justa, ac sufficiens subsit causa, quæ temporis illius absentiam Deo probabilem faciat, quemadmodum in alio decreto, de simili Episcoporum à suis Ecclesiis absentia idem Concilium expresse declarat.

Dicendum igitur, ut etiam benè advertit Joannes Wiggers nemini de nimio rigore suspectemus, concessionem, seu »permissionem absentiæ ad tres menses, quam admittit Concil. Trident. non sic esse accipiendam, quasi Canonici liberè, & licitè abesse possint singulis annis tanto tempore pro mero libitu, sed hoc sensu, quòd ex honestis causis abesse possint illo tempore absque particulari licentia Superiorum« *Tract. 7. de Just. & Jure, cap.* 3. *dub.* 20. *num.* 91.

Canonici proinde, aliique Clerici choro addicti, ita officio suo defungi debent, ut nunquam illi deesse sine justa causa velint; quin tamen minor aut major causa sufficiens sit, vel requiratur, pro longioris aut brevioris temporis absentia dubium non est; quemadmodum multò majorem causam ordinariè requiri ad justificandam absentiam Pastorum & curam animarum habentium, quàm Canonicorum: eo quòd majus Ecclesiæ & animarum præjudicium ex illorum quàm horum absentia meritò timeatur; tum quod Pastorum absentiam non tam facilè per alios, quàm unius alteriusve Canonici absentia per Confratrum præsentiam suppleri possit.

§. V.

Canonici & Clerici choro adscripti tenentur per seipsos divinum Officium publicè persolvere.

QUandoquidem, ut suprà notavimus, proprium Canonicorum officium sit, *ut in Choro ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter* (ut loquitur Synod. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.*) *distinctè devoteque laudent*; quis à ratione naturali alienum non reputet, præcipuam officii sui partem nolle implere, sed in alios transferre? Qui, ut jam pridem de talibus dixit Imperator Justinianus, „ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici »apparent, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem »non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei.« *L.* 24. §. 10. *C. de Episc. & Cler.*

Quamque id justum sit hac ratione ostendit idem Imperator, »nam, ait, qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas »Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illi substantias, ut per eas debeant sacræ liturgiæ fieri, »& ut in illis à ministrantibus piis Clericis Deus colatur.«

Eodem fundamento monuit jam pridem Dionysius Carthusianus, Canonicos non cantantes, quamvis in choro stent, „sed pueris & cantoribus id committentes, ut attendant quod ait Apostolus, 2. Thesalon. *cap.* 3. *v.* 10. *Qui non vult operari, non manducet.* Nonne, inquit, Beneficium datur propter Officium nec Ecclesiastici redditus nisi officiantibus in divinis debentur? *Tract. de Vita Canon. art.* 19.

Meritò ergo Synodus Basileensis postquam declaravit in cunctis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, »Horis debitis laudes divinas reverenter ab omnibus esse persolvendas« tanquam subsequens subjungit: „& cum psallendi gratia conveniunt, juncta ac clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur..... nemo ibidem dum »Horæ in communi publicè cantantur, legat vel dicat privatim »officium: nam non solum obsequium, quo obnoxius est, choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat.« *Sess.* 21. *c.* 4.

Hoc Basileensis Concilii decretum plura subsequentia Concilia variis temporibus innovârunt, atque novissimè Generalis Synodus Tridentina evidentissimè eam Canonicorum per se divinum Officium peragendi obligationem his verbis expressit: »Omnes divina *per se* & non substitutos compellantur obire officia; & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, »adsistere & inservire, atque in choro ad psallendum instituto, »hymnis & canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque „laudare.“ *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.*

Quidquam Neotericus asserit Tridentinum non loqui ibi nisi de Ecclesiis Cathedralibus; sed quo fundamento, non video, cùm apertissimè loquatur de retinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Præbendas, Canonicatus, aut Portiones.

Quare nec PP. Concilii Provincialis Mechliniensis anno 1607. *t.* 12. *c.* 2. dicere dubitarunt sine ulla distinctione. „Meminerint omnes tam in Dignitate constituti, quàm Canonici, Capellani, Vicarii, Beneficiati & reliqui habituati, mandati Concilii Tridentini, ut omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia, atque in choro ad psallendum „instituto hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, districtè, devoteque laudare.“

Non minus infirmum est, quod prædictus auctor in defensionem consuetudinis Canonicorum non psallendi, aut divina Officia *per se* non obeundi, adducit tanquam præcipuum fundamentum, „*consuetudinem Urbis & orbis*, cui contradicere „deberent, *inquit*, Ecclesiæ Antistites, & ipse in primis Vicarius Christi summus Pontifex, si judicarent eam esse con„tra jus naturæ corruptelam.“ Ut nihil dicam de *consuetudine Urbis & orbis*, quam tanta confidentia supponit auctor, cùm tamen passim plures sint tam in Cathedralibus quàm in Collegiatis Ecclesiis pii, ac doctiores Canonici, qui eam psallendi per se obligationem agnoscant; & ni aliis negotiis impediantur, in choro præsentes cum reliquis reverenter ac devotè hymnis & canticis Dei nomen laudare non omittunt, ut nihil, inquam, de hac asserta consuetudine dicam, eodem hoc vago ac generali argumento, quidni gravissimi abusus & hodie & jam pridem justificari, ac palliari potuissent?

Nonne hoc argumento varii potuissent defendi abusus abominandi, qui subinde dormientibus Ecclesiæ Pastoribus in medio tritici in area Ecclesiæ seminantur, & succrescunt? »Sci„mus, ajebat Adrianus VI. in hac Sede aliquot jam annis mul-

» ta abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in man» datis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum si „ ægritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in alios „ inferiores Prælatos descenderit.“ Vide Palav. *Hist. Concil. Trid. 2. cap. 7.*

An non hæc, aliaque similia, dum ipso Romano Pontifice aliisque Prælatis videntibus & non contradicentibus invaluerant, atque vigebant, hoc specioso argumento defendi potuissent? Quis ambigat, quin illis majore cum colore, quàm huic Canonicorum prætensæ consuetudini dictum argumentum applicari potuisset: quandoquidem nulla pene sit Episcoporum Synodus post Tridentinum celebrata, quæ consuetudini illi se non opposuerit, Canonicosque de obligatione per se psallendi non monuerit?

S. Carolus, ejusque Episcopi suffraganei simul in Concilio Mediolanensi congregati, postquam monuissent quod qui dignitates in Ecclesiis obtinent, & Canonici nominis & institutionis suæ memores ea pietate & assiduitate divina Officia colere debeant, ut alii eorum exemplo ad studium & amorem divini cultus accendatur, subjungunt: » Itaque auctoritate etiam » Tridentini Concilii præcipimus, ut cum in choro psallendum » est, ipsi quoque quantum honoris gradu cæteris præstant, tan» tò studiosius psalmis, hymnis & canticis unà cum aliis modu» lantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio si defuerint, pro » absentibus habeantur; & earum horarum, quas ea ratione non » obierint, distributionibus mulctentur.« *Part. 2. cap. 83.*

Hinc videmus zelosissimum Ecclesiæ antistitem ejusque Coepiscopos consuetudini Canonicorum non psallendi cotradixisse; imò & defectuosos amissione distributionum mulctâsse.

Sub idem penè tempus Archiepiscopus Cameracensis cum Provinciæ suæ Episcopis ac Pastoribus in Concilio Provinciali non minus fortiter ac acriter hanc Canonicorum consuetudinem improbavit: » in choro cùm psallitur, Canonici omnes qui in » choro fuerint, & Sacellani psallant; nec sint in sedibus suis » otiosi, nec putent se functos, si officio vicaria tantùm operâ cul» tum divinum celebrari curent, modò tamen psallere per vale» tudinem queant & aliis impediti justis de causis fuerint. *Anno 1565. tit. 6. capit. 7.*

Similia in plerisque Episcoporum Conciliis occurrunt: unum duntaxat Synodi Audomarensis anni 1583. quod unà præcipuam hujus consuetudinis radicem detegit, ac sugillat, ipsamque Canonicorum *obligationem psallendi* ex proprio ipsorum officio profluere notat, decretum adjungam: » Canonici, ait *tit. 12.* » in sedibus suis non sint otiosi, sed Deo laudando incumben» tes, & voce & corde psallant Domino. Minimè enim se indig» num existiment Canonici, aut alii Canonicis etiam superiores, » si canant cum aliis & ipsi Psalmos, quos non dedignatus est » Rex, & Propheta David canere; cum Deo canant, sitque hoc » proprium ipsorum officium. Denique & hæc nostra omnium, » quam omnes spectamus, beatitudo, Deo laudibus, cum om» nibus Dei Sanctis, cantandis & celebrandis æternum oc» cupari.«

Numquid hæc Conciliorum iterata decreta abundè evincunt, quàm ineptè vagum illud ac captiosum, imò perniciosum argumentum à non contradictione Antistitum Ecclesiæ desumptum, præsenti materiæ applicetur? Nonne ex decretis evidenter constat, Antistites Ecclesiæ consuetudini illæ contradixisse, eamque tanquam meram corruptelam ex Canonicorum desidia & superbia natam improbasse?

Quòd verò post tot totiesque iterata Conciliorum adversus hanc consuetudinem decreta, subinde ad tempus dissimulaverint Ecclesiæ Antistites, quid mirum! cùm enim experientiâ doceantur, nequidem ipsis Conciliorum adeò enixis sanctionibus Canonicorum hac in parte ignaviam vel superbiam frangi, quidnî desperent, particularibus suis decretis id consecuturos? Præsertim cùm nulli hodie penè sint Canonici, qui adversus Episcoporum decreta, præcipuè in materia disciplinæ canonicalis, se non prætendant clypæo exemptionis munitos.

Quod ad non contradictionem Vicarii Christi Summi Pontificis attinet, si Paulo Comitolo credimus, de Canonicis in choro non psallentibus hoc ab illustrissima Congregatione Romana redditum fuit responsum. *Nisi psallant, ipsi officio suo minime satisfaciunt. Lib. 1. Resp. moral. quæst. 62.*

§. VI.

Canonici rectè assumunt Vicarios, qui in persolvendo divino Officio sibi adjutores accedunt.

Ecclesia dum Canonicos & divinarum laudum decantationem adstrictos declarat, ipsos ab aliis utilioribus interdum & magis necessariis Ecclesiæ occupationibus avocare non intendit, sed providere duntaxat, ne ex inertia aut quadam animi elatione eas omittant.

Hinc Patres Concilii Coloniensis licet stylo satis acerbo Canonicorum non psallentium ignaviam insectentur, hanc nihilominus clausulam salutarem addunt: *Quem tamen aliud officium ecclesiasticum aut publicum alio statim rapiet, ut nisi legens preces horarias tempestivè absolvere haud possit, hac lege teneri noluimus.*

Similiter Patres Concilii Cameracensis in præcitato decreto, quo declarant Canonicos suo non functos officio, si vicariâ tantùm operâ cultum divinum celebrari curent, expressè adjungunt: *Modò tamen psallere per valetudinem queant, nec aliis impediti justis de causis fuerint.*

Ut ergo ob Canonicorum præsertim Cathedralium, aut Collegiatarum, in quibus plures Canonici munere docendi, aut aliis functionibus sunt occupati, incurrentia impedimenta divinum Officium non intermittatur, aut non eâ quâ decet solemnitate peragatur, meritò Canonici Vicarios assumunt, qui sibi in persolvendis divinis officiis adjutores accedant.

Eum debere esse Canonicorum in assumendis Vicariis finem indicat prædicta Synodus Coloniensis, monens Vicarios » ut attendant quòd Canonicis adjutores accedant: horum » nimirùm vice, qui adversa valetudine detenti, vel negotiis ne» cessariis avocati interesse non possunt.« Consonat Concilium Audomarese, dum ait: » Ita Vicariâ operâ officium peraga» tur, ut nihilominus ii ipsi, quorum propriè est illud agere, » qui Dignitatem, Canonicatum, aut quodvis aliud Beneficium » vel officium in Ecclesia obtinent, nisi *legitimè impediantur,* » *per seipsos, & non per alios* duntaxat illud faciant, atque im» primis altaris ministerium, & hebdomadarium in choro of» ficium.«

§. VII.

Quænam in assumptione Vicariorum vel Cantorum à Canonicis aliisque attendenda sint.

Vicarios à Canonicis assumi, ut vices eorum qui vel adversâ valetudini impediti, aut aliis negotiis Ecclesiæ occupati per se ipsos divinum Officium solemniter persolvere nequeunt, suppleant, atque Canonicis adjutores accedant superiori §. ostensum fuit; ex quo consequens est, Canonicis in assumendis Vicariis attendendum esse, ut tales assumantur, qui dignè divinas laudes persolvant; quique non voce duntaxat, sed corde ac spiritu Deo psallant, quorum opera voci concordem, juxta illud S. Augustini in *Psalm. 146. vis rectè psallere? non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua.* Qui modo suo agendi ostendat, se voluntariè sacrificia labiorum suorum Deo offerre non coactè aut mercenariè adinstar famulorum aut opificum mere intuitu lucelli, quod ex decantatione divini officii accipiunt.

Quare PP. Concilii Cameracensis *an. 1565. tit. 6. cap. 15.* monere non dubitârunt Canonicos » ut non constituantur in » Ecclesiis Cathedralibus, sive Collegiatis Vicarii, qui cano» nicas, quas vocant horas, in choro canant: nisi aut sacerdo» tes, aut in sacris Ordinibus constituti, aut saltem Lectores » ordinati: atque hi quantum fieri potest, sint cælibes, quorum » *mores vitaque probata fuerit* Nec permittantur in choro psal» lere, nisi vestitu & habitu corporis Ministros se esse Dei & » Ecclesiæ demonstrent.«

Similiter Regula Canonicorum jam pridem in celeberrimo illo Aquisgranensi conventu proposita decernit: » ut tales ad » legendum, cantandum & psallendum in Ecclesia constituan» tur, qui non superbè, sed humiliter debitas Domino laudes » solvant, & suavitate lectionis ac melodiæ & doctos demul» ceant, & minus doctos erudiant; plusque velint in lectione » vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam » adulationem.«

Hæc si hodie à Canonicis, aliisque, quibus assumptio Vicariorum aut Cantorum incumbit, seriò attenderentur, neque de sonora voce duntaxat, atque parvitate salarii sive mercedis, qua hujusmodi Vicarii seu Cantores quasi quidam Canonicorum famuli conducuntur, essent soliciti, sperandum esset fore, ut in plerisque Ecclesiis, proh dolor! non reperirentur multi, de quibus verissimè dicere possemus, quod de similibus jam pridem dixit *in Panoplia Evang. l. 4. cap. 78.* magnus ille Gandensium Antistes Wilhelmus Lindanus, » non tantum » ut de choro ejiciantur indignissimi, cum propter vitæ im» probitatem, qua passim nimium sunt noti, tum propter im» pudicos amorum, aut indignos bellorum modulos sacris Dei » laudibus insparsos; sed etiam theatricam magis sonorum con» fusionem, quàm religiosam pietatis ac devotionis moderatio» nem, quam piorum animis passim gignere noscuntur. Non enim » nunc suo cantu musici auditorum animos tam ad pietatis cul» tum cœlestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, » alienant:« qui suo agendi mercenario modo laudum divinarum decantationem turpissimè contaminant atque conspurcant: quique divina Officia eo modo persolvendo, maledictionem pro benedictione in populum ac Clerum sæpius accersunt.

CA-

CAPUT III.

Qua ratione ad Horarum Canonicarum frequentationem exhortandi sint Laici.

PARAGRAPHUS I.

Officii divini publica persolutio principaliter à Clericis peragitur ad ædificationem populi.

SAnctus Thomas 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 12. *in C.* quærens, utrum oratio debeat esse vocalis, respondet, quòd » duplex sit oratio, communis & singularis. Communis quidem » oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur : & ideo oportet quòd talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur ; quod non posset » fieri nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, » ut Ministri Ecclesiæ hujusmodi orationes etiam *alta voce* pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. «

Porrò dubitari nequit, quin divini Officii publica in Ecclesia persolutio sit oratio communis, quæ per Clericos, tanquam communes, ac publicos Ecclesiæ ministros peragitur : quod & idem S. Doctor *Opusc.* 29. *cap.* 5. asserit, dum ait: » Orationibus & psalmis vacare in Ecclesia *divinum officium* celebrando, est quodam *opus publicum* ad Ecclesiæ ædificationem ordinatum. «

Igitur non tantùm ad devotionem Cleri divinum Officium publicè in Ecclesia persolvitur, sed principaliter ad ædificationem populi : ut nimirum habeat divina Officia publica, quibus interesse possit & Deum precari, vel laudare per communes ministros Ecclesiæ, suo modo iis cooperando vel assentiendo. Unde rectè notavit pius Gersonius, quòd inter cæteras *causas multiplicationis psalmodiarum vocalium in Ecclesiis una sit vitæ Laicorum laudabilis occupatio.* In Alphab. litt. N.

Et quid sanè S. Ambrosium movit, ut psalmos, ac hymnos in Ecclesia Mediolanensi decantari juxta morem Orientalium juberet? Nonne ædificatio populi, si Augustino credimus? Qui de hoc instituto *Lib.* 6. *de Confess. cap.* 7. ità loquitur : » Annus erat non multo amplius, cum Justina Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causâ, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo » suo, servo tuo.... Tunc hymni & psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est ; & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac penè omnibus gregibus tuis, & » per cetera orbis imitantibus. «

Et de S. Cæsario Arelatensi scribit in ejus vita Cyprianus Episcopus Tolonensis : » De profectibus itaque cunctorum solicitus & providus Pastor statim instituit, ut quotidiè Tertiæ, » Sextæque & Nonæ opus in S. Stephani basilica Clerici cum » hymnis cantarent : ut si quis fortè secularium vel pœnitentium » sanctum opus exequi ambiret, absque excusatione aliqua » quotidiano interesse posset officio. *L.* 1. *M.* 10.

Sed si divinum Officium, eâ quâ decet opus Dei, reverentiâ ac devotione & cordis compunctione decantaretur, non dubium, quin multum ad populi excitandam devotionem conduceret; multique ad cordis compunctionem, & Dei amorem moverentur, ut dicere possent, quod olim Augustinus *L.* 9. *Confess. cap.* 6. » Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter ! Voces » illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor » meum, & exæstuabat inde affectus pietatis & currebant lachrymæ & benè mihi erat cum eis. «

Undè passim Concilia enixè monuere Canonicos aliosque, quibus divini Officii persolvendi munus incumbit, ut nihil in Officio divino, ejusque persolutione fiat aut misceatur, quod non spectet ad populi ædificationem ejusque excitandam devotionem. Qua de re Patres Concilii Provincialis Senonensis *Ann.* 1528. *cap.* 17. ita loquuntur : » Cùm in Ecclesiis Dei » psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium devotio excite» tur, in hoc nocturnum diurnumque officium, & Missarum » celebritates, assiduè à Clero & populo sub maturo tenore, » distinctâque gradatione cantentur, ut eadem distinctione col» libeant, & maturitate delectent. Propterea præcipimus, ut » in Ecclesiis sint musici cantus distincti, ac discreti, moventes » cor ad devotionem compunctionemque. Porrò in Ecclesiis » prætextu musici cantûs non sunt audiendæ publicæ cantilenæ » & lascivæ.... Curent ergo Sacerdotes & Clerici sic suos cantus instituere, ut modesta honestaque psallendi gravitate, placidâque & gratâ modulatione, sic audientium aures deliniant, » ut provocent, excitentque ad devotionem compunctionem» que ; non ad lasciviam cordisve aut animi titillationem. «

§. II.

Intentio Ecclesiæ est, ut populus, præsertim diebus festis, divino Officio assistat.

HOras Canonicas sive Officium divinum publicè in Ecclesiis per Clericos decantari ad ædificationem populi, utque populus ad laudandum Deum per temporum intervalla incitetur præcedenti §. ostensum fuit. Quapropter Ecclesia semper admodum solicita fuit, ut ad frequentationem divini Officii populum christianum excitaret.

Constitutiones vulgò Apostolicæ, quas admodum antiquas esse inficiatur nemo, ad universos fideles ità loquuntur : *Precationes facite manè, tertia hora, ac sexta, & nona, & vesperè atque ad galli cantum.* L. 8. cap. 34.

De Christianis sui temporis scribit *in Apologetico* Tertullianus. *Ità saturantur ut meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.*

Universos quoque fideles excitat & hortatur S. Chrysostomus *Homil.* 26. *in Acta.* » Non ideò facta est nox, inquit, ut per totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc & opifices, nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus, surge & tu, & vide astrorum choream, obstupesce admirabilem Dei dispensationem. Ad viros & mulieres mihi » sermo est, flecte genua, ingemisce, ora. «

Quin & in Capitulari Episcoporum, *Anno* 801. *c.* 8. » ordinatum fuit, non solùm ut Clerici horis competentibus divina agerent Officia, sed etiam campanas pulsarent ad excitandum populum ad adorandum : ut omnes Sacerdotes, horis competentibus diei & noctis suarum sonent signa Ecclesiarum, & sacrata Deo celebrent officia, & populos erudiant, » quomodo aut quibus Deus adorandus est horis. «

Verùm licèt Ecclesia desideret, ut fideles quotidie orationi & divinis laudibus sine intermissione vacent, specialiter tamen desiderat & præcipit, ut dies festos Dei cultui singulariter consecratos, orationi, aliisque piis operibus impendant: quapropter præcipua quoque cura, fuit ut illis diebus divinis Officiis ut minùs interessent.

Hinc S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis in suo ad Parochos Capitulari *Cap.* 23. & 24. voluit, ut populo diceretur, » ut *singulis diebus* qui ampliùs non potest, saltem duabus vicibus oret, manè scilicet & vespere.... & hæc faciant, quibus Basilicæ locus prope est, in Basilica : qui verò in itinere, aut pro qualibet occasione, in silvis, aut in agris est, » ubicunque eum ipsa hora matutina vel vespertina invenerit, » sic faciat, sciens Deum ubique præsentem esse, dicente Psalmista : *In omni loco dominationis ejus* ; & *si ascendero in cœlum, tu illic es.* Psalm. 102. & 138.

Post hæc quid Dominicis diebus faciendum sit subjungit: » Diei vero Dominici, inquit, tanta esse debet observantia, ut » præter Orationes & Missarum solemnia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam si necessitas fuerit navegandi, itinerandi, licentia datur; ita duntaxat, ut horum » occasione Missa & Orationes non prætermittantur. Conveniendum est, Sabbatho die, cum luminaribus cuilibet Chris» tiano ad Ecclesiam : conveniendum & ad vigilias, sive ad matutinum Officium : concurrendum est etiam cum oblationibus ad Missarum solemnia. «

Licèt ergò sancto huic Antistiti sufficeret, si singulis diebus hi, qui per occupationes ampliùs non possunt, bis orent, nullatenus tamen dubitabat, quin diebus Dominicis ad integrum divinum Officium accedendum esset. Et sanè eo tempore adeo constans erat ea Ecclesiæ disciplina, ut Nicolaus I. sub medium seculi IX. dicere non dubitârit, » Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum esse, ut liberiùs ad » Ecclesiam ire, psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus » insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis » divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat » Christianus."

Et quid plura? Etiam seculo X. tam indubitata erat hæc fidelium diebus Dominicis festisque divina Officia frequentandi necessitas ; atque adeo solicita erat Ecclesia, ne obligationi illi populus deesset, ut inter articulos, super quibus acquirere & interrogare teneretur Episcopus, Archidiaconus aut Archipresbyter visitans, hic esset : » Si est aliquis qui in die Dominico vel in præcipuis festivitatibus quidquam operis faciat, » & *si ad matutinas* & ad Missam & ad *Vesperas* his diebus » imprætermissè omnes accurrant. « *Apud Reginon. l.* 2. *de Discipl. Eccles. in Interrog. num.* 17.

Inter decreta quoque Ferdinandi Regis Castellæ & Sanciæ Reginæ & omnium Episcoporum in diebus eorum in Hispania degentium ; & omnium ejusdem Regni Optimatum ann. 1086. hoc erat, » ut omnes Christiani die Sabbathi advesperascente » ad Ecclesiam concurrant, & Dominica *matutinas*, Missas & » *omnes horas* audiant.

Ex

Ex his facilè intelligitur, Ecclesiæ mentem esse divina Officia, diebus præsertim Dominicis festisque in Ecclesiis esse peragenda, ut populus illis piè, ac reverenter assistendo dies istos divino cultui, & Dei laudibus impendat,

Patet quoque, quàm longè à mente & spiritu Ecclesiæ recedant, qui asserere audent, sanctificationi diei Dominicæ, aut Festi satisfieri per Sacri unius etiam privatim auditionem; tametsi reliquum illius diei occupationibus & negotiis secularibus impendatur. Quem errorem, tanquam abusum *divino* & *Ecclesiastico præcepto contrarium* penitùs abolendum pridem censuit Synodus Cameracensis *Ann.* 1604. *tit.* 4. *cap.* 1.

§. III.

Quantus fuerit olim Christianorum, etiam Principum in frequentandis divinis Officiis fervor.

QUomodo populus Cæsareæ in Capadocia unà cum suo Pastore de nocte ad Ecclesiam conveniret, testis est ipse S. Basilius Cæsareensis Episcopus *Epist.* 57. » De nocte si » quidem populus, inquit, consurgens antelucano tempore, » domum precationis petit; inque labore & tribulatione ac la» crymis indesinentibus ad Deum factâ confessione, tandem ab » Oratione surgentes *ad psalmodiam instituuntur*. Et nunc qui» dem in duas partes divisi alternis succinentes psallunt, atque » ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem, ac meditationem » corroborant: & cordibus suis attentionem, & rejectis vanis » cogitationibus mentis soliditatem suppeditant. Deinde uni ex » ipsis hoc muneris dato, ut quod canendum est prior ordiatur, » reliqui succinunt: atque ita psalmodiæ veritate precibusque su» binde intersertis noctem superant. Illucente jam die pariter » omnes velut ore uno ac corde uno confessionis palmum » Deo offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam profitetur. «

De populo Mediolanensi similiter testatur S. Ambrosius non Clericos duntaxat, sed & Laicos, tam viros, quàm mulieres ad psalmorum cantum convenisse. » Bene, ait, mari plerumque » comparatur Ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis undas vomit: deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus stridet; tum responsoriis psalmorum, » cantu virorum, mulierum virginum, parvulorum, consonans » undarum fragor resultat. « *Exam. l.* 3. *cap.* 5.

Sub finem seculi VI. populum ad hymnos matutinos, præcipuè die Dominico convenisse variis locis testatur S. Gregorius Turonensis *Lib.* 6. *Hist. cap.* 25. *Cùm die Dominico*, ait, *ad Urbem Turonicam ad matutinas signum motum fuisset, & populus ad Ecclesiam conveniret* &c. Lib. 2. Hist. *cap.* 7. *venientibus ad matutinos hymnos populis.*

Nec populus tantùm & communis plebs divina frequentabat officia, sed & ipsi Reges & Principes: unum alterumve exemplum proferre sufficiet.

De S. Ludovico Galliarum Rege legitur, quòd cùm exercitu super mare existens coram se in navi totum officium Ecclesiasticum cantare juberet, *ubi quotidiè*, inquit Guillelmus de Nangis vitæ ejus auctor, *divinum Officium solemniter audiebat, videlicet omnes Horas Canonicas. Volebat etiam quod, pueri jam adultæ ætati propinqui, quotidie non solùm Missam, sed & Matutinas ac Horas Canonicas cum cantu audirent.*

Quin & de sanctissimo Rege » refertur, quòd quantum» cunque infirmus aliquando horas solemniter cantari faciens, » in Capella habebat duos Religiosos, vel alios qui Horas jux» ta lectum suum de die, & de Beata Maria dicebant, dicens » cùm eis versus sibi contingentes.

Simon Comes Montis-fortis adeò celebris ob partas contra Albigenses victorias, » cum esset in bellis strenuissimus, ait Ri» gordus, omni tamen die Missam & *Horas Canonicas omnes* » audiebat." *de Gestis Philippi Franc. Reg. ad ann.* 1213.

Philippus Dux Burgundiæ Capellam suam, adeo famosam, fundavit, ut in ea quotidie cantaretur totum Officium ecclesiasticum sicuti in Ecclesia Cathedrali, erantque 21. Capellani. Laboureur, *in vita.*

Ex quo exemplo, uti & S. Ludovici jam relato, notat R. P. Thomasinus, unicum finem fundationis Capellarum Regiarum fuisse, ut iis Horæ Canonicæ quotidie decantarentur, quibus Principes cum familia assisterent *De Disciplina Eccl. p.* 4. *l.* 1. *cap.* 43. *num.* 2.

Plura exempla piorum Principum, qui fervorem suum in frequentandis divinis Officiis ostenderunt, profert dictus Thomassinus. *Ibid. cap.* 43. & 44.

Qui pristinus Christianorum ac ipsorum Principum fervor in frequentandis ecclesiasticis Officiis si populo proponatur, atque unà exponatur, qua ratione publica hæc Ecclesiæ officia primariò ad excitandam ac fovendam populi devotionem peragantur, & quàm enixè Ecclesia semper desideraverit, imò & præceperit, ut fideles, diebus præsertim festivis, divinis illis Officiis devotè asisterent; hæc inquam, si populo debito modo proponantur, sperandum est, hodiernum illum populi torporem in frequentandis divinis Officiis paulatim diminuendum; præsertim si & illud accederet omnium efficacissimum adversum hunc torporem remedium, ut divinum Officium eâ, qua par est, devotione & reverentiâ à Ministris Ecclesiæ persolveretur.

§. IV.

Qua ratione in Parochialibus Ecclesiis, in quibus Horæ Canonicæ quotidie publicè persolvi nequeunt, intentioni Ecclesiæ nihilominus satisfieri possit.

ECclesia volens, ut divina Officia sive Horæ Caconicæ diebus præsertim Dominicis, Festisque in Ecclesiis publicè per temporum intervalla decantentur, atque ad eorum frequentationes fideles solicitè exhortans, id unicè intendit, ut populus iis assistendo, dies illos orationi ac divinis laudibus, aliisque piis operibus impendat & consecret.

Proindè licèt in Ecclesiis Parochialibus, præsertim ruralibus, in quibus frequenter Parochus vel solus, vel uno Vice-Pastore adjuncto, populi curam agit; eique Sacramenta & pabulum verbi administrare tenetur; atque ob id, neque quotidie, neque etiam Dominicis festisque diebus totum officium diurnum pariter ac nocturnum solemniter pro populi devotione persolvi possit, ipsum tamen finem & scopum, quem per divini Officii decantationem intendit Ecclesia, sedulì ac vigilantes Pastores non difficulter assequuntur, eo scilicet modo rem divinam atque exercitia ecclesiastica disponendo, ut populus eo sedulò frequentando, dies festos Orationi ac piis operibus dici possit impendere.

Atque imprimis quod dies festos & Dominicos attinet, sedulus Parochus imprimis curabit, ut tempore matutino, juxta Conciliorum præscripta, certâ ac statutâ horâ Missa Parochialis solemniter celebretur, atque sub illa ad populum exhortationem sive concionem habere nequaquam omittat. Deinde si alium sibi Sacerdotem ajunctum habeat, qui Missam celebret, ut ajunt, matutinalem, curabit, ut nec sub illa ad præsentes adhortatio sive instructio desit.

Tempore pomeridiano, Parochus sedulam sui gregis curam agens, juxta Canonum præscripta, instructionem, quam *Catechismum* hodie dicimus, nullo unquam tempore omittet. Deinde conformiter ad Synodorum sanctiones sæpiùs iteratas, certâ ac statutâ Vesperas solemnes celebrabit, unà cum precibus illis sive hymnis, quæ vulgò hodie *Laudes vespertinæ* vocantur.

His publicis Ecclesiæ officiis, vigilans Parochus alia pietatis exercitia populo adjunget & præscribet; imò poterit, si ita visum fuerit, vel ipsas Laudes à Vesperis separare, vel circa tempus vespertinum rursus ad templum venire, populumque ut eo conveniat, Deo pro beneficiis eo die acceptis gratias acturus, monere & adhortari.

Quæ omnia si sedulò à Parocho observentur, non deerunt publica pietatis exercitia, quibus populus diebus festis ac Dominicis utiliter occupetur; atque ità finis, quem Ecclesia per Horarum Canonicarum solemnem decantationem intendit, obtinebitur.

Diebus verò feriatis, quibus in Parochialibus Ecclesiis, maximè ruralibus, nequidem jam dicta publica Ecclesiæ officia quotidie haberi possunt, nec illis, licèt haberentur, populus victui suo lucrando tùm occupatus interesse posset; vigilans ac luminosa veri Pastoris charitas etiam reperit, quo defectum Officii publici ac Horarum Canonicarum suppleat, ipsumque spiritum Ecclesiæ teneat.

Quotidie mane, hora populo commodiori, ad templum properat, eoque populum per pulsum campanæ convocat, preces aliquas unà eum populo devotè recitaturus, inter earum recitationem, meditationem aliqualem miscendo. Post hæc brevem ad populum exhortationem facit, breviter proponendo illa, quibus ea die populus piè ac christianè etiam inter seculares occupationes, mentem ac cogitationes suas occupare queat.

Deinde sedulus Pastor non contentus si populos semel in die Deum oret, illum instruit, qua ratione, etiam inter ipsas operas, cor suum ad Deum levare possit; imò quasdam breves scribit præcandi aut aspirandi formulas, quibus Deum sæpiùs de die oret ac laudet.

Adhæc sub vesperam, tempore rursus populo commodiori templum oraturus, certasque preces cum brevi aliqua adhortatione recitaturus accedat.

Illos verò qui vel ob distantiam ab Ecclesia Parochiali, aut alia de causa, communi orationi vespertinæ aut matutinæ interesse nequeunt, Parochus sedulam gregis suæ curam agens, instruit & hortatur, ut eo tempore, quo communis oratio habetur (quod per pulsum campanæ indicari potuerit) ipsi, si fieri possit, eo quo sunt loco orent, aliisque in communi orantibus se spiritu conjungant.

Quàm solicitè vespertinam illam, ac matutinam communem orationem introduci, aut introductam conservari, desideraverit S. Carolus, quem Pastoralis solicitudo gloriosum red-

di-

didit, patet ex decreto quod in Concilio suo Provinciali IV. *p.* 1. *c.* 24. edidit: » Nôrint, *ait*, Fideles, quod etiam Conc. » Aurelianensi IV. olim jussum est, sibi sæpiùs singulis die- » bus orandum esse; quod si aliquando frequentiùs non pos- » sunt, saltem non vesperi solùm, sed etiam mane id à se » præstari oportere. Quare Episcopi cura sit, illum *vesperti-* » *næ* orationis *quotidianæ communis* usum, *mane* etiam, paulò » scilicet ante auroram, aut sub ortum solis, id quod in » *plerisque* hujus provinciæ locis jam *servari cœpium est*, » ubique locorum cum in urbe, tum in Diœcesi paulatim » introduci, atque eâ ratione institui, ut vel in Ecclesia, » vel suæ quique domi cum familia certo loco, vel in offici- » nis tabernisve, vel in ipsis etiam agris, atque adeo in iti- » nere, vel in aliis denique locis ubicumque, ut in illo Con- » cilio cautum est, eâ matutinâ hora sint, & patresfamilias, & » liberi, & famuli, & artifices, opificesve & operæ, instito- » resve, & cæteri, quicunque sunt, sive mares, sive fœminæ, » hujus matutinæ orationis officio, antequam artificium, nego- » tium, remve ullam aggrediantur, precibus, litaniis, omni- » que oratione ac toto animo menteque vacent; sicque quo- » tidianorum actionum, operum & negotiorum initium à Deo » faciant, finemque itidem. «

Hujus zelosissimi Pastoris exemplo quanto cum fructu eam communis orationis matutinæ ac vespertinæ praxim non- nulli zelosiores in Belgio Pastores induxerint, & observent, ostendit Eruditissimus D. Opstraet in suo *Pastore Bono*; & indubiè in pluribus Parochiis non sine magna Populi ædifi- catione & utilitate introduceretur, si superiores juxta S. Caroli monitum, ad ejus introductionem sedulo allaborarent.

Hæc si observent Pastores, quis ambigat, quin præci- puus finis, quem in publica Horarum decantatione etiam florentissimis seculis intendit Ecclesia, obtineatur; nimi- rùm ut per temporum intervalla, ad communem orationem ac pias instructiones à præpositis suis accipiendas populus incitetur.

Quid enim aliud fuit, etiam apud sanctissimos illos in Ægypto ac Palæstina Anachoritas, psalmorum recitatio, nisi fervens ac devota rerum divinarum meditatio? Neque ipsi etiam in Palæstina sanctissimi Monachi opera sua manualia intermittebant, ut præter matutinum & vespertinum tempus ad orationem ac psalmorum recitationem convenerint, quia, ut refert Cassianus *Lib.* 3. *Instit. c.* 2. » Ità ab iis incessanter » operatio manuum privatim per cellulas exercetur, ut psalmo- » rum quoque vel cæterarum scripturarum meditatio nunquam » penitùs omittatur. Cui preces & orationes per singula mo- » menta miscentes, in his officiis, quæ nos statuto tempore » celebramus, totum diei tempus absumunt. Quamobrem ex- » ceptis vespertinis ac nocturnis congregationibus nulla apud » eos publica solemnitas, absque die Sabbati vel Dominica » celebratur, in quibus hora tertia sacræ communis obtentu » conveniunt. «

Lectiones verò, quas ex sacro codice Psalmorum me- ditationi & recitationi interposuere sanctissimi illi Anachoritæ, non aliud quàm quædam piæ exhortationes sive instructiones erant; ut infrà, ubi *de lectionibus* agetur, ostendetur.

Ex quibus intelligitur, quod licèt zelosi Pastoris solici- tudo, & ecclesiasticæ disciplinæ ardens zelus non reperiat, quo desideratam Ecclesiæ disciplinam quoad litteram aut vigentem interdum conservare, aut abolitam restaurare queat, ejus tamen spiritum tenet, aut restauret. Quod non in hac tantùm, sed multis aliis disciplinæ articulis à providis, ac vigilantibus Pastoribus fieri, qui Ecclesiæ spiritum novit, fa- cilè advertet.

CAPUT IV.

De Ritu, quo Horæ Canonicæ peragi debent.

PARAGRAPHUS I.

Quis Officii divini ritus præscribere, aut mutare possit.

APostolus postquam Corinthiis, quod à Christo acce- perat de Sacramento Eucharistiæ, tradidisset, subjicit 1. *ad Cor.* 11. *v.* 34. *Cætera autem, cùm venero, disponam*, id est, ordinabo, constituam ac sigillatim præscribam *cætera* spectantia ad dignam, honestatem & ordinatam mysteriorum celebrationem.

Exemplo Apostoli credidere Episcopi Apostolorum suc- cessores, sibi incumbere tanquam Ecclesiæ principibus, & religiosi cultus præcipuis moderatoribus, ordinare, ac sigil- latim præscribere, ad dignam ac honestam divinorum Officio- rum celebrationem spectantia: ut nimirùm juxta ejusdem Apos- toli monitum, *omnia honestè & secundùm ordinem* publicis Ecclesiæ conventibus fiant. 1. *ad Cor.* 14. *v.* 40.

Imò cùm non ambigerent, quin res forte summi momen- ti, ne quid indecens aut minus honestum in divinum Offi- cium irreperet, voluerunt, ut in Synodo Episcoporum priùs, quod in Officio divino recitandum esset, probaretur, atque pro- batum ab omnibus observaretur.

» Placuit etiam hoc, inquiunt Patres Africani, ut preces, » quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive com- » mendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebren- » tur, nec aliæ omninò contra fidem præferantur, sed quæcun- » que à prudentioribus fuerint collecta (f) dicantur *In Concil.* » *Eccles. Afric. Can.* 103.

Et Concilii Bracarensis Patres sub finem seculi VI. » Pla- » cuit, inquiunt, omnibus communi consensu, ut unus atque » idem psallendi ordo in matutinis ac vespertinis officiis teneatur, » & non diversæ ac privatæ, neque Monasteriorum consuetu- » dines cum ecclesiastica regula sint permixtæ. « Anno 565. *Can.* 1.

Quin & ejusdem Provinciæ habitum Episcoporum Con- cilium sancivit, » ut per singulas Ecclesias Episcopi per » Diœceses (id est Parochias juxta temporum illorum phra- » sim) ambulantes primùm discutiant Clericos, quomodo or- » dinem Baptismi teneant vel Missarum, & qualiter quæ- » cunque officia in Ecclesia peragantur. Et si rectè quidem » invenerint, Deo gratias agant; si autem minus, docere » debeant ignaros. « Ann. 572. *Can.* 1.

Ulteriùs progressus S. Theodulphus Aurelianensis Antistes *in cap. ad Præsbyt. c.* 4. decrevit, deferri ad Synodum libros, vestimenta & vasa sacra: » Quando, inquit, more solito ad » Synodum convenitis, vestimenta, & libros, & vasa sacra, » cum quibus vestrum ministerium & injunctum officium pe- » ragitis, vobiscum deferte: necnon duos aut tres Clericos, » cum quibus Misarum solemnia celebratis, vobiscum ad- » ducite, ut probetur quàm diligenter, & quàm studiosè *Dei* » *servitium* peragatis. «

Nullatenus ergo dubitabant Episcopi, quin ad ipsorum præcipuè curam spectaret, ut honestè ac secundum ordinem Officia ecclesiastica persolvantur: nec facilè permittendum credebant, ut quisque pro suo arbitrio ritibus ecclesiasticis addat vel demat: » noverant enim, ut rectè notat Cardinalis » Bona, quàm facilè foret in superstitiones & ineptias incide- » re, si omnibus permitteretur quidpiam vel minimum in » sacris ritibus innovare. « *De Reb. Liturg. l.* 1. *c.* 7.

Hanc quoque ab antiquo Episcopis impositam circa ritus ecclesiasticos solicitudinem & auctoritatem agnoscentes Con- cilii Tridentini Patres, statuerunt, ut Canonici tam Cathedra- lium, quàm Collegiatarum Ecclesiarum distributiones amit- tant illius diei, quo personaliter competens sibi servitium *juxta formam ab Episcopis præscribendam* non impleverint. *Sess- ion.* 22. *cap.* 3. *de Reform.*

Porrò sicut Pastoralis solicitudo, & is, quem in Ecclesia Principatum obtinent Episcopi, eos invigilare jubet, nè quid inhonestum aut indecens in exteriorem Religionis cul- tum irrepat, ita quoque eos attendere cogit, ut si quid ali- quorum incuria aut errore indignum irrepserit, tollatur, & mutetur.

Quapropter etiam in nostræ penè ætatis Conciliis injunc- tum legitur Episcopis, ut diligenter Breviaria, Missalia, An- tiphonalia, aliosque ad ecclesiasticum officium spectantes li- bros diligenter visitent & examinent; & si quid superfluum, aut cultui divino indecens, aut minus dignum repererint, tollant.

Concilium Senonense anno 1520. Lutetiæ Parisiorum sub Antonio à Prato S. R. E. Cardinale, necnon Senonensium Archiepiscopo, & Galliarum Primate celebratum statuit *Can.* 1. » ut Diœcesani statim post dissolutum præsens Concilium di- » ligenter visitent Breviaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sanc- » torum Legendas. Et quæ deprehenderint in illis superflua, » aut non satis pro Ecclesiæ dignitate convenientia, ipsi con- » tinuò tollent & resecabunt, & quæ viderint esse necessaria, » adjicient. «

Similiter sub idem pene tempus, Patres Concilii Colo- niensis attendentes » nonnulla in divinum Officium cæco quo- » dam judicio invecta, judicârunt operæ pretium facturi, si » Missalia proinde atque Breviaria pervideri curarent, ut am- » putatis tantùm superfluis & quæ superstitiosiùs invecta vi- » deri possint, ea tantùm quæ dignitati ecclesiasticæ & pris- » cis institutis consentanea fuerint, relinquantur. « Anno 1536. *p.* 2. *c.* 11.

» Concilium quoque Mechliniense inteligens, quoniam in » divino Officio quandoque, & potissimùm in festis, quæ cer- » tis Diœcesibus propria sunt, in historiis quæ leguntur, & se- » quentiis Missarum quædam occurrunt, quæ subinde pios of- » fendunt, ut curent Episcopi, & quod in eo officio purgandum » videtur & corrigendum, expurgent & corrigant; aut » loco officii hujusmodi jubeant officium de communi can- » tari. « *Ann.* 1570. *tit. de divino Officio, cap.* 7.

(f) *In Collect. Can. Afric. edit. Pit. legitur*: Quæcunque cum prudentioribus fuerint collatæ. *Can. autem iste recensetur LXX.*

Certum proinde atque indubitatum est, præcipuam curam circa ritus divini Officii (salva tamen constitutione Pii V. de qua §. sequenti) penes Episcopos esse.

§. II.

De Breviario Romano, quo hodie utimur, ejusque emendatione.

DEplorat Pius V. summam fuisse, non tantùm omnium penè Ecclesiarum in recitandis Dei laudibus, & decantando divino Officio varietatem ante Concilium Tridentinum, sed etiam summam divini cultûs perturbationem ex eo, quòd Episcopi in Ecclesiis, quæ ab initio communiter cum cæteris veteri Romano more Horas Canonicas dicere & psallere consuevissent, privatum sibi quilibet Breviarium confecissent.

Huic verò divini Officii perturbationi & nimiæ varietati remedium adhibere voluerat Paulus IV. sed eo, nondum opere perfecto, è vivis sublato, Patres Concilii Tridentini »in illa salutari reformatione ab eodem Concilio constituta, »Breviarium ex ipsius Pauli IV. Papæ ratione restituere co»gitârunt. Itaque quidquid ab eo in Sacro opere collectum »elaboratumque fuerat, Concilii Patribus Tridentinum à Pio »IV. Papa missum est. Ubi cùm doctis quibusdam & piis »viris à Concilio datum esset negotium, ut ad reliquam co»gitationem, Breviarii quoque curam adjungerent, instante »jam conclusione Concilii tota res ad auctoritatem, judi»ciumque Romani Pontificis ex decreto ejusdem Concilii re»lata est: qui illis ipsis Patribus ad id munus delectis, Ro»mam vocatis, nonnullisque in urbe idoneis viris ad eum »numerum adjunctis, rem perficiendam curavit.«

Hæc ex Bulla Pii V. qui in eadem subjungit. »Verùm »eo etiam in viam universæ carnis ingresso; nos, inquit, ità »divinâ disponente Clementiâ, licèt immeritò ad Apostola»tus apicem assumpti, cùm sacrum opus, adhibitis etiam ad »illud aliis peritis viris, maximè urgeremus, magnâ in nos »Dei benignitate (sic enim accipimus) Romanum hoc Bre»viarium vidimus absolutum. Cujus ratione dispositionis, ab »illis ipsis, qui negotio præpositi fuerant, non semel cog»nita, cùm intelligeremus eos in rei confessione ab antiquis »Breviariis nobilium urbis Ecclesiarum, ac nostræ Vaticanæ »Bibliotecæ non discessisse, gravesque præterea aliquos in »genere Scriptores secutos esse, ac denique iis remotis, quæ »aliena, & incerta essent, de propria summa veteris divini »Officii nihil omisisse, opus probavimus, & Romæ impri»mi, impressumque divulgari jussimus.«

Hoc Breviarum ita probatum & evulgatum, ab omnibus quibuscunque tàm Regularibus quàm secularibus utriusque sexûs ad Horarum Canonicarum recitationem adstrictis recipi mandavit, atque secundum illius præscriptum Horas Canonicas recitari voluit, »abolendo unà Breviarium novum à »Francisco Cardinale S. Crucis editum, ac etiam quæcum»que alia Breviaria, vel antiquiora, vel quovis privilegio mu»nita, vel ab Episcopis in suis Diœcesibus pervulgata, om»nemque illorum usum de omnibus orbis Ecclesiis, Monas»teriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus & locis virorum »& mulierum, etiam exemptis, in quibus alias Officium di»vinum Ecclesiæ Romanæ ritu dici consuevit, aut debet; »illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione, à Se»de Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ vel ipsa »institutio, ducentos annos intercedat, aliis certis Brevia»riis usa fuisse constiterit: quibus, ut inveteratum illud jus di»cendi & psalendi suum officium non adimimus, sic eisdem, »si fortè hoc nostrum, quod modò pervulgatum est magis pla»ceat, dummodo Episcopus & universum Capitulum in eo con»sentiant, ut id in choro dicere & psallere possint, permit»timus.«

Deinde statuit, „Breviarium ipsum (nimirum Romanum »à se evulgatum) nullo unquam tempore vel totum, vel ex »parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omninò de»trahendum esse.« Hæc ex Pii V. decreto, quod Breviario Romano præfigitur, circa quod notanda sequentia.

Primò, quod Episcopis sive particularibus Ecclesiis, quæ juxta exceptionem in dicto decreto appositam, suis antiquis utuntur Breviariis, sua maneat salva auctoritas ea revidendi, corrigendi, aut mutandi, dum pro divini Officii dignitate, aut populi & Cleri ædificatione ampliùs congruere judicaverint.

Adhæc notandum, quòd licet Episcopi, in quorum Ecclesiis Breviarium Rom. receptum est, nequeant illud vel in totum vel ex parte mutare propriâ auctoritate, illis tamen eo decreto inhibitum non sit, divini Officii persolutioni intendere ac vigilare, suaque auctoritate ordinare, quæ ad conciliandum divino Officio majorem reverentiam, & in Clero ac populo devotionem crediderint expedire: tollere vero, quæ in divinas laudes, vel irreverentia, vel superstitio, vel avaritia fortè induxissent.

Post hæc cùm Pii V. successores Romani Pontifices comperissent, plura in Breviarium Romanum aut lapsu temporis irrepsisse, vel à Correctoribus à Pio V. electis non animadversa remansisse, quæ dignitate divini Officii videbantur prorsus indigna, rursus novam ipsius emendationem instituere muneris sui crediderunt; atque inter alios Urbanum VIII. »in »eandem cogitationem traxere, ut ipse loquitur, & solici»tudo nostra, ait, erga res sacras, quas primam & opti»mam partem muneris nostri censemus, & piorum docto»rumque virorum judicia & vota, conquerentium in eo con»tineri non pauca, quæ à primo nitore institutionis exci»dissent, sive inchoata, potiùs quàm perfecta forent ab aliis, »certè à nobis supremam imponi manum desiderarent. Nos »itaque huic rei sedulam operam navavimus, & jussu nos»tro aliquot eruditi & sapientes viri suam seriò curam con»tulerunt, quorum diligentiâ, studioque perfectum opus est, »quod gratum omnibus, Deoque & Sanctæ Ecclesiæ hono»rificum fore speramus.« In Bulla Breviario Rom. præfixa.

Denique indicatis illis, quæ in hymnorum emendatione ac aliquorum mutatione, aut novorum editione: itemque circa psalmorum & canticorum interpunctionem additis asteriscis ab ipso in hac correctione facta essent, subjungit: »Patrum sermones, & homiliæ collatæ cum pluribus impres»sis editionibus, & veteribus manuscriptis, ita multa sup»pleta, multa emendata, atque correcta, Sanctorum histo»riæ ex priscis & probatis Auctoribus recognitæ; Rubri»cæ, detractis nonnullis, quibusdam adjectis, certiùs & com»modiùs explicatæ.«

Hactenus Urbanus VIII. Quæ ostendunt, non exiguam fuisse impensam operam, ut nihil apocryphum, nihilque divini Officii majestate indignum publicè in Ecclesia recitaretur. Verùm ea est humani ingenii, & maximè circa factorum & historiarum veritatem assequendam, imbecilitas, ut illa etiam sapientissimos ac diligentissimos suos non rarò fugiat scrutatores; ut proinde mirari debeat nemo, quod non obstante adeò diligenti sub Urbano facta historiarum, atque homiliarum, quæ Breviario Romano continebantur, discussione, & inquisitione, aut eo quod in approbatione novorum Officiorum à S. Congregatione Rituum hodie adhibetur examine, nonnulla postmodum à viris eruditis, post iteratam de factis, aut historiis illis discussionem, judicentur, & evidenter ostendantur apocrypha, aut ut minùs de falsitate admodùm suspecta.

Quis enim hodiè est, qui non agnoscat falsò adscribi primis Romanis Pontificibus, qui ante Siricium floruerunt, quæ ex Epistolis Decretalibus eorum nominibus inscriptis sunt dessumpta, & in ipsorum respective festis ex præscripto Romani Breviarii recitantur? Illarum enim epistolarum adeò dilucidè detecta est hodie suppositio, & falsitas, ut R. P. Labbeus S. J. in ultima Conciliorum editione ad Epistolam I. Clementi adscriptam notare non vereatur: »Mirum est vi»ris doctissimis Turriano, Binnio, & quibusdam aliis in tan»ta eruditionis ecclesiasticæ luce probari potuisse Decretales »illas epistolas, à quocumque seu Mercatore, seu Peccato»re fabricatas, & antiquis Romanæ Urbis Pontificibus cir»citer annum Christianæ epochæ octingentesimum supposi»tas: adeò enim perspicacibus viris deformes videntur, hoc »saltem tempore, ut nulla arte, nulla cerussa aut purpurisso »fucari possint. Eas omnes, saltem plerasque earum repu»diarunt eruditissimi quique Tractores Catholici *Baronius*, »*Bellarminus*, *Perronius*, *Contius*, *Antonius Augustinus*: »*Lorinus*, *Sirmundus*, *Ducicius*, *Petavius*, *Marca*, *Bos»quetus*, ut alios modò, sive antiquiores, sive recentiores »silentio obvolvam.«

Neque de isdem dicere veretur P. Christianus Lupus: *Quisquis earum natales jam credit legitimos, atque authenticos, censetur nugas vendere & fabulas.*

Idem propè est judicium eruditorum de lapsu, ac pœnitentia S. Marcellini, cæterisque quæ ex actis cujusdam Synodi Sinuessanæ ad diem 26. Aprilis leguntur.

Item, quæ de Baptismo Constantini ejusque circumstantiis in lectionibus secundi nocturni in festo S. Silvestri referuntur, nonne communi pene calculo pro apocryphis habentur, ac rejiciuntur?

Quid de profectione Dionysii Areopagitæ, Sociorumque ejus in Galliam sub Clemente I. aut scriptis per illum libris de Divinis nominibus, de cœlesti & ecclesiastica hierarchia, de mystica Theologia & aliis quibusdam, quæ ipsi in Breviario Rom. asseruntur & inscribuntur? Numquid illa hodie à plurimis in discernendis veris à falsis expertissimis ac oculatissimis viris tanquam non satis firmo nixa fundamento rejiciuntur? Uti & illa quæ de Marthæ, Mariæ Magdalenæ, Lazari, Marcellæ atque Maximini, in Massiliam appulsu; Lazarique in Massiliensium, Maximini verò in Aquensium Episcopos ordinatione in festo S. Marthæ recitantur.

Denique acta S. Catharinæ Virg. & Mart. à quibus desumpta

ta sunt, quæ in ejus festo recitantur, ob varias, quæ in iis occurrunt falsas narrationes, plurimis hodie suspecta sunt.

Quod in festo S. Paulini Episcopi Nolani legitur, Paulinum seipsum in servitute tradidisse, ut filium cujusdam viduæ à servitute redimeret, cæteraque, quæ in servitute egisse & contigisse narratur, nonne à plurimis hodie magno cum fundamento ut falsa rejiciuntur? Illa, quæ de S. Petro Alexandrino 26. Novemb. referuntur; nimirum de excommunicatione Arii per ipsum facta: itemque de accessu Achillæ & Alexandri deprecatorum Arii ad Petrum in carcere constitutum, responsoque ipsius Petri, *noctu apparuisse sibi Jesum veste discissa, causamque rei scitanti dixisse: Arius vestem meam quæ est Ecclesia, dilaceravit*; nonne similiter hodie de falsitate suspecta à multis reputantur?

Hæc aliaque quæ quotidie deprehenduntur in Breviario Romano, non satis certa & fundata à viris in dignoscendis sinceris ab apocryphis, dubiis ab indubitatis oculatissimis; atque inter cæteros R. P. Papebrochio ejusque sociis, qui non sine ingenti labore, neque exiguo fructu evulgandis atque discutiendis Sanctorum actis occupantur; hæc, inquam, multorum virorum, divini Officii majestatem, ac excellentiam æmulantium, excitant vota, & desideria, ut aliquando Romanus Pontifex, prædecessorum suorum exemplo, Romani Breviarii, quo penè omnis Belgicus Clerus utitur, accuratum examen, emendationemque instituat; quo fiat ut apocryphis, atque dubiis historiis & factis sublatis, nulla nisi firmis fundamentis innixa, & ædificationi Cleri & populi congruentia, ipsiusque divini Officii excellentiæ digna relinquantur aut inserantur.

Idque tanto majori cum fiducia de Sede Apostolica sperandum, quod jam olim à S. Gelasio Papa in Concilio Romano 70. Episcoporum dictum referatur: » Gesta SS. Martyrum, qui » multiplicibus tormentorum cruciatibus, & multiplicibus con» fessionum triumphis irradiant, ideo secundum antiquam con» suetudinem *singulari cautela* in Sacra Romana Ecclesia non » legi; quia, inquit, & eorum, qui conscripsere, nomina pe» nitus ignorantur, & ab infidelibus & idiotis *superflua*, aut » *minus apta*, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur: » sicut cujusdam Quirici, & Julitæ: sicut Georgii, aliorumque » hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ. Propter quod, *ut dictum est*, ne vel *levis* subsannandi » oriretur occassio, in S. Romana Ecclesia non leguntur.“ Hæc Gelasius apud Grat. *dist.* 15. *Can.* 3. Quæ ostendunt, quam solicita jam pridem fuerit Romana Ecclesia, ne gesta aut acta Sanctorum vel falsa, aut depravata in Ecclesia legerentur.

§. III.

Diversitas particularium Ecclesiarum in Ritibus divini Officii unitati Ecclesiæ non officit; & quem ritum quisque sequi debeat.

ONnem Christianorum exteriorem Religionis cultum eo collimare & dirigi, ut per illum fideles moneantur & incitentur, ut tanquam *veri adoratores adorent Patrem in Spiritu & veritate*, nemo Catholicorum ambigit. Quapropter Apostoli, eorumque successores liberum sibi esse non dubitârunt, varios diversosque ritus exterioris illius cultus præscribere prout institutis & moribus gentis aut populi, cui præficiebantur, magis convenire judicabant. Quin & Ecclesiarum Antistites eam sibi crediderunt esse potestatem, ut etiam à Sanctissimis & Apostolicis viris traditos & institutos ritus interdum mutare possent, cùm ob populi aut temporum circumstantias ad pietatem, & verum interiorem Religionis cultum promovendum ritus alios subinde judicarent conventiores: quemadmodum rectè notavit Vir Eruditus Andreas Masius *in Præfat. ad Liturg. Syrorum.* Cùm enim animadverteret breviorem esse apud Syros, quam apud Græcos S. Basilii liturgiam hanc hujus rei affert rationem: » Quippè is fuit perpetuus hominum in Reli» gione sensus, inquit, ut intra præscriptas à Patribus cære» monias, quantumvis sanctissimas sese continere pauci potue» runt. Unde pro temporis tractatu ad illas pro vario Antisti» tum pietatis affectu, alia, atque alia addita, multa etiam » mutata videre est.«

Hinc illa tum olim tum hodie Ecclesiarum & Congregationum in externis Religionis cæremoniis varietas, manente interim ipsius Ecclesiæ immota & inconcussa fidei unitate. » Plu» ra sunt, ait S. Fulbertus Carnotensis Episcopus *Epist.* 2. » in ecclesiasticis Officiis, in quibus Orientales Ecclesiæ & » nostræ communi observatione sibi respondent: sunt verò alia » in quibus alias ab aliis cultu dispari, & varia observatione » audivimus dissonare. Nec tamen nos offendit observantiæ di» versitas, ubi fidei non scinditur unitas.“

Illudque à SS. Patribus traditum esse, nimirum nihil officere consuetudines diversas rituum ecclesiasticorum, si unitas charitatis servetur in Fide Catholica tradit S. Anselmus Cantuariensium Episcopus. Conquerenti enim Waleranno de varietate rituum eclesiasticorum respondet: » Utrique si per uni» versam Ecclesiam uno modo & concorditer celebrarentur, » bonum esset & laudabile: quoniam tamen multæ sunt diver» sitates, quæ non in substantia Sacramenti, neque in virtute » ejus, aut fide discordant, neque omnes in unam consuetu» dinem colligi possunt, æstimo eas potius cum pace concor» diter tolerandas, quam discorditer cum scandalo damnandas. » Habemus enim à SS. Patribus, quia si unitas servatur chari» tatis in Fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa.«

Deinde subjicit. » Si autem quæritur unde istæ natæ sint » cosuetudinum varietates, nihil aliud intelligo, quam huma» norum sensuum diversitates, qui quamvis in rei veritate & » virtute non dissentiant, in aptitudine tamen & decentia admi» nistrationis non concordant: quod enim unus aptius esse ju» dicat, alius sæpè minus aptum æstimat: neque in hujusmo» di varietatibus non consonare, puto ab ipsius rei veritate » exhorbitare. *In Respons. ad quærel. Waleran. cap.* 1.«

Dicendum ergo cum Tertuliano: *Regula fidei una omnino est sola immobilis & irreformabilis. Cætera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem.* De *Veland. Virg.*

Regulam verò in hac rituum, ac cæremoniarum Officii ecclesiastici varietate quisque tenere debet, quam in simili ecclesiasticæ disciplinæ diversitate tradit S. Augustinus: » Nec » disciplina ulla est, ait, in his melior gravi prudentique Chris» tiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, » ad quàm fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, » neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est » habendum, & propter eorum, inter quos vivitur, societa» tem servandum est.« *Epist. ad Januar. cap.* 2.

Conformiter ad hanc regulam, Clerici si alicui particulari Ecclesiæ sint adscripti, atque in ea resideant, necessariò sequi debent ritum illius Ecclesiæ; neque recitando Officium divinum ritu Romano satisfaciunt. « Quoniam (ut rectè » notat S. Thomas *Quolibet.* 6. *art.* 8.) quemadmodum dum » Dlericus, qui Ecclesiæ mancipatus atque addictus est, ad » Officium ecclesiasticum obligatur, sic etiam quia tali Ec» clesiæ ratione Beneficii addictus est, talis Ecclesiæ officium » recitare debet.«

Indecens proinde atque abusivum est, quod interdum Canonici recitari velint in choro per Vicarios divinum Officium justa vetustum ritum suæ Ecclesiæ, ipsi verò illud ad præscriptum Breviarii Romani persolvant.

Illi verò, qui particulari Ecclesiæ sunt adscripti, sed titulo patrimonii sunt ordinati, juxta jam traditam regulam S. August. „ Rectè facerent, ait Bellarminus, si usum illius » Ecclesiæ sequerentur, apud quam ordinariè versari solent.“ *L.* 1. *de Bonis Operib. in partic. cap.* 18.

Imò juxta illam SS. Patrum traditam in hac materia regulam, idem dicendum videtur de Clericis, Ecclesiæ quidem particulari adscriptis, sed legitima de causa non residentibus ut nimirum sequantur ritum & consuetudinem Ecclesiæ, apud quam pro eo tempore morantur.

§. IV.

Cantum in divinis laudibus adhibere ritus est vetustissimus: & quæ ejus utilitas.

CAntum in divinis laudibus adhibere, ritum esse vetustissimum, ab ipsius quoque Christi & Apostolorum exemplo originem trahentem docet S. August. *Epist.* 55. *ult. edit. cap.* 28. „ Sine dubitatione, ait, faciendum est maximè illud „ quod de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis, & „ psalmis canendis, cùm de ipsius Domini & Apostolorum ha„ beamus documenta, & exempla, & præcepta de re tam uti„ li ad movendum piè animum & accendendum divinæ lec„ tionis affectum.“

Nequaquam tamen ubique eodem tempore, neque ab omnibus æquè receptum & probatum fuisse, fatendum est.

Testis enim est S. Augustinus *lib.* 9. *Conf. cap.* 7. suo tempore primum à S. Ambrosio in Ecclesia Mediolanensi institutum fuisse, ut hymni & psalmi canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret.

Ipse verò Augustinus subinde sentiens animum suum in ipsa sonora vocum modulatione nonnihil hærere voluntatemque quærere, dicebat: „ Melos omne suavium cantilenarum „ quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis „ removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ; tutiusque mihi vi„ detur quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe „ mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis facie„ bat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset „ quàm canenti. Veruntamen cum reminiscor lachrymas meas, „ quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recupera„ tæ fidei meæ, & nunc ipso quod moveor, non cantu, sed „ rebus quæ cantantur, cùm liquidâ voce & convenientissimâ

„ modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rur-
„ sus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis & expe-
„ rimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem ir-
„ retractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem
„ aprobare in Ecclesia; ut per oblectamenta aurium infirmior
„ animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit
„ ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat,
„ penaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire
„ cantantem.“ *Lib.* 10. *Conf. cap.* 33.

Hinc collige, S. Athanasio magis probatam fuisse Psalmorum recitationem, quæ *pronuntianti vicinior esset quàm canenti.* Quam & hodie nonnullæ Religiosorum Congregationes amplecti malunt.

Patet deinde, Augustinum, licèt fluctuantem, *cantandi* consuetudinem magis approbâsse in Ecclesia, tum ob affectum, quem in se senserat ex cantu Psalmorum, tum ex efectu, quem cantus in animis infirmorum excitare solet: dum nimirùm *per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgit.*

Hunc ecclesiastici cantûs effectum jam pridem expresserat S. Justinus *in resp. ad quæst.* 107. aut alius quicunque est auctor quæstionum illarum, quæ inter opera Justini reperiuntur: » excitat enim cantus animum ad ardentem cupiditatem ejus, » quod in carminibus canitur; « deinde addit, » ponit insur- » gentes ex carne affectiones; cogitationes malas expellit, quæ » nobis ab invisibilibus inimicis injiciuntur; irrigat animum ad » ferendos fructus divinorum bonorum. « Porrò quòd hodierni cantûs ecclesiastici plerùmque non sint similes effectus, non tam vitio ipsius cantûs, quàm vitio hominum adscribendum. Si enim *liquida voce & convenientissima modulatione* cantaretur, ut loquitur Augustinus, non dubium, quin plures piæ animæ, non minus quàm Augustinus, utilitatem hujusmodi modulationis seu cantûs in se reperirent.

§. V.

De cantu alternativo: & quæ ejus utilitas.

PLerique antiquiores, qui de divinis Officiis scripserunt, secuti Socratem, crediderunt, alternativi cantûs consuetudinem, suam sumpsisse originem à S. Ignatio Antiochiæ in Syria III. post B. Petrum Episcopo, qui, » ut narrat Socra- » tes *Lib.* 6. *Hist. cap.* 8. vidit aliquando Angelos hymnis » *alternatim* decantandis S. Trinitatem celebrantes; & canen- » di rationem, quam in illa visione animadverterat Ecclesiæ » Antiochensi tradidit. Unde ista traditio ad omnes posteà Ec- » clesias permanavit. « Hæc Socrates.

Verùm nonnulli nescientes unde hæc acceperit Socrates, qui ampliùs quàm tribus post Ignatium seculis scripsit, cùm nullus ante ipsum illius visionis aut traditionis meminerit, constanter asserunt, primos omnium, Flavianum ac Diodorum, regnante Constantio, psallentium choros Anthiochiæ bifariam divisisse, & Psalmos Davidicos alternis canendos eis tradidisse: eamque rem primùm Antiochiæ institutam, posteà ad reliquas totius orbis Ecclesias dimanâsse, ut testatur Theodoretus; & ante ipsum Theodorus Mopsuestenus, qui tempore Flaviani & Diodori floruit, referens tamen ante Flavianum cantum alternativum Syris notum fuisse. Vide notas Henrici Vales. *ad cit. c.* 8. *Socratis.*

Porrò quidquid sit, illud constat, tempore S. Basilii populum Cameracensem in *duas partes* divisum *alternis succinentem* Psalmos cecinisse: eumque ritum asserit, servatum fuisse apud » utramque Lybiam, Thebæos, Palæstinos, Ara- » bes, Phænicas, Syros, & qui ad Euphratem habitant, & » ut semel dicam, ait, omnes apud quos vigiliæ, preces, » communesque psalmodiæ in pretio sunt. « *Ep.* 57.

Testis est B. Paulinus, S. Ambrosium » introduxisse in Ec- » clesiam Mediolanensem, quod in alias Ecclesias Occidentis » manavit, ut psalmi, & hymni *alternatim* more Orientalium » dicerentur. « *In Vita S. Ambrosii.*

Refert quoque Cassianus *Lib.* 3. *Instit. c.* 8. sanctisimos Monachos in Palestina, psalmos, uno mudulante, & aliis succinentibus recitâsse; additque rationem, *ut labor hac diversitate divisus delectatione quadam defectionem corporis relevet.*

Adhæc cantûs alternativi hæc est utilitas, quòd nunc canendo, nunc tacendo faciliùs possit animus ad interiorem provocari devotionem, quia *dum lingua paululùm cessat, spiritus magis excitatur*; ideoque ut jam pridem advertit S. Basilius *Epist.* 57. hac forma recitandi contingit, ut oratio mentalis faciliùs conjungantur vocali: *alternis canunt*, ait *atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem & meditationem corroborant.*

Ab omni proinde ævo probat, atque recepta fuit alternatim recitandi aut canendi psalmos, & hymnos, quæ hodie viget Ecclesiæ disciplina: ita ut unusquisque psallentium aut recitantium Horas Canonicas, tam publicè quam privatim, suo muneri satisfaciat; si quisque alternatim versus psalmorum, aut hymnorum recitet, licèt nec psalmorum, nec hymnorum versus ab altero socio vel Choro recitatos privatim repetat.

Patet quoque, cum psallendi ritum receptum fuisse, tum ut labor hac diversitate divisus delectatione quadam defectionem corporis relevet, tum vel præcipuè, ut *lingua paululum cessante spiritus magis excitetur*; atque mens interiùs facilius se recolligere, & ad interiorem devotionem excitare queant.

Ex quo ulteriùs intelligitur, quòd licèt in alterno cantu aut recitatione, dum ab uno versus psalmi, aut hymni canitur vel recitatur, alterius lingua cessare possit, spiritus tamen attendere debeat; ut nimirum, dum alius voce & spiritu Deum laudat, alter spiritu psallat.

Unde de alterno cantu agens S. Carolus, ait » Omnes in cho- » ro divina Officia, ut temporis ratio postulârit *alternis* voci- » bus canant, recitent *attentequæ* audiant. « *in Conc. Mediol* 1. *p.* 2. *c.* 25.

Atque hinc rursus consequitur: divinas laudes alternis vocibus esse decantandas tam distinctè ac tractim, ut uno canente aut recitante, alius intelligere, atque attendere possit. Quare etiam S. Carolus præcitatis verbis subjungit: » Idque non cur- » sim, non perturbatè, non oscitanter, sed *leniter*, *distinctè* » ac studiosè faciant.

§. VI.

De Musica, musicalibus Instrumentis, Musicis, & pueris Chori.

PLurimi sunt, qui jam pridem mirum in modum cantum musicæ extulere, tanquam movendis & excitandis animæ affectibus aptissimum. » Quid enim illa præstantius, ait Cassio- » dorus *l.* 2. *Ep.* 40. quæ naturæ convenientiam ubique disper- » sam virtutis suæ gratiâ comprehendit? Quidquid enim in con- » ceptum alicujus modificationis existit, ab harmoniæ continentia » non recedit. Per hanc competenter cogitamus, pulchrè loqui- » mur, convenienter movemur; quæ quoties ad aures nostras » disciplinæ suæ lege pervenerit, imperat cantum, mutat ani- » mos: artifex auditus & operosa delectatio... Tristitiam noxiam » jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit » blandam, excitat ignaviam, soporantemque languorem, vi- » gilantibus reddit saluberrimam quietem, vitiatam turpi amo- » re ad honestum studium revocat castitatem, sanat mentis tæ- » dium bonis cogitationibus semper adversum, perniciosa odia » convertit ad auxiliatricem gratiam, & quod beatum genus cu- » rationis est per dulcissimas voluptates expellit animi pas- » siones.

Hæc Cassiodorus, cui consonat Maximus Tyrius, *Serm.* 21. » Humanam musicam, ait, quæ animos circuit, quidnam aliud » esse dixerimus, quàm pædagogicum quoddam officium, quod » animæ affectiones moderatur; id enim nimiam elationem, » impetumque animi quasi quibusdam incantionibus demul- » cet, remissionem atque infractionem sublevat, exacuitque.

Ob hos, aliosque tum à veteribus, tum recentioribus recensitos musici cantus convenientes ad modernandas animi passiones effectus, creditum est, non inutilem, aut incongruum ejus futurum in ecclesiasticis officiis usum: nam ut notat S. Thomas 2. 2. *q.* 91. *art.* 2. » laus vocalis ad hoc neces- » saria est, ut affectus hominis provocetur in Deum: & ideò » quæcunque ad hæc utilia esse possunt, in divinas laudes » congruenter assumuntur. «

Verùm » illud ab antiquis observatum est (ait Cardinalis » Bona) numquam ab aliqua gente mutatam fuisse musicam, „ quin & ipsa interiùs mutata sit.“ *De Divina Psalm. cap.* 17. §. 3. *num.* 3.

Musica vetus, inquiebat Sextus Empyricus, *L.* 6. *c.* 22. virilis erat, recens effracta & effœminata. Et Severinus Boetius *l.* 1. *cap.* 1. Amisit musica gravitatis & virtutis modum, ac penè in turpitudinem prolapsa minimùm antiquam speciem servat.

De sui temporis musica ità loquitur Maximus Tyrius *Serm.* 21. Musica ut nunc est extenuato corpore incedens, pulchritudinem, & suavitatem illam veterem abjecit. Quapropter à lege propria deflectens calamitosa nobiscum efficitur, animumque tum publicè, tum privatim in perniciem trahit; relicta autem priori simplicitate in levitatem fatuam abiit, & ut verissimè dicamus, evasit in flagitium.

His, aliisque veterum sententiis de musicæ depravatione relatis, subjicit Cardinalis Bona *loco citato.* „Has veterum „ sententias eò libentiùs transcripsi, quo magis hodiernæ mu- „ sicæ deplorabilis status innotescat. Fastidit ætas nostra con- „ centum gravem & stabilem, amatque modulos quosdam, „ quibus in frusta concius cantus dissiliat & enervetur.“

Et sanè qui etiam Belgii nostri ordinariam musicam attenderit, nonne fateri cogetur & vel invitus, jure meritò veterum illorum dicta, ut plurimùm illi aplicari posse? Hodieque verum esse, quod *in Panopol. Evang. lib.* 4. *c.* 78. dixit mag-

magnus ille Gandesium Præsul Wilhelmus Lindanus: » Musicos » plurimos esse dignissimos, ut de choro ejiciantur, tum propter impudicos amorum, aut indignos bellorum modulos sacris » Dei laudibus insparsos, tum theatricam magis sonorum confusionem, quàm religiosam pietati ac devotionis moderationem, » quàm piorum animis passim gignere noscuntur. Non enim nunc » suo cantu Musici auditorum animos (pergit laudatus Antistes) » tam ad pietatis cultum, cœlestiaque excitant desideria, quàm » avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando divinis me in» terfuisse laudibus, subjungit Lindanus, cùm vel attentissimus » auscultarem, ecquid fortè psalleretur, ne unum quidem po» tuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum repeti» tionibus commista, vocibus confusa, clamoribus potiùs hor» ridulis, quàm cantu, obscurata. «

Nunquid quisque sibi id non semel accidisse, & frequenter accidere, cùm divinis Officiis musicè decantatis interesse contingit, lubenter fatebitur?

Quid igitur mirum, si ob hæc aliaque, quæ in musicam irrepserunt, eamque tam fœdè conspurcârunt, Viri etiam sancti usum illius è templis & divinis Officiis eliminandum censuerint? Atque inter alios B. Aëlredus Abbas Rhievallensis in Anglia S. Bernardo coævus, in sui temporis musicam tanquam divinis laudibus planè indignam acriter invehitur, ejusque vitia graphicè depingit: » Ad quid, rogo, terribilis ille follium fla» tus, tonitrui potiùs fragorem, quàm vocis exprimens suavita» tem? Ad quid illa vocis contractio & infractio? Hic succinit, » ille discinit; alter supercinit, alter medias quasdam notas di» vidit & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc » impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod » pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vi» gore deposito in fœminæ vocis gracilitates acuitur, nonnun» quam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & retor» quetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi inter» cluso halitu expirare, non cantare, ac ridiculosâ quâdam vo» cis interceptione quasi minitari silentium, nunc agones morien» tium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis qui» busdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, ro» tant oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digi» torum flexus respondet. Et hæc ridiculosa displosio vocatur » religio; & ubi hæc frequentiùs agitantur, ibi Deo honorabiliùs » serviri clamatur. « *Spec. char. lib.* 1. *cap.* 23.

Nonne hîc depictum quodammodò intuemur musicorum nostrorum ordinarium agendi modum? Et quidem eò vivaciùs, quò musica creditur nobilior, ac solemnior.

Pergit deinde Aëlredus: » Stans interea vulgus sonitum fol» lium, crepitum cymbalorum, harmoniam fistularum tremens » attonitusque miratur, sed lascivas cantantium gesticulationes, » meretricias vocum alternationes & infractiones non sine ca» chinno, risuque intuetur, ut eos non ad oratorium, sed ad » theatrum, nec ad orandum, sed ad spectandum æstimes con» venisse; nec timetur illa tremenda Majestas, cui assistitur, » nec defertur mystico illi præsepio, cui ministratur, ubi Chris» tus mysticè pannis involvitur, ubi Sacratissimus ejus Sanguis ca» lice libatur, ubi aperiuntur cœli, assistunt Angeli; ubi terrena » cœlestibus junguntur, ubi Angelis homines sociantur. Sic quod » SS. Patres instituerunt, ut infirmi excitarentur ad affectum pieta» tis, in usum asumitur illicitæ voluptatis. Non enim sensui præfe» rendus est sonus, sed sonus cum sensu, ad incitamentum ma» joris affectûs, plerumque admittendus. Ideoque talis debet esse » sonus, tam moderatus, tam gravis, ut non totum animum ad » sui capiat oblectationem, sed sensui majorem relinquat por» tionem. «

Quis quæso vel paululum attendens hodiernum populi concursum ad Ecclesias sive seculares sive regulares, in quibus sciuntur divini Officia musicè, variisque musicalibus instrumentis solemniter decantanda, non fatebitur, & hodiernos musicæ effectus graphicè ab Aëlredo fuisse expressos?

Nunquid enim si quis populum stantem attentiùs consideret, non rarò fateri cogetur, eum non *ad oratorium*, *sed ad theatrum*, *nec ad orandum*, *sed ad spectandum* convenisse.

Quin & subinde fit, ut leves ac lascivas *vocum alternationes & infractiones*, sive musicam non sine cachinno risuque auscultent; imo animo impuro & lascivo excipiant: quod tunc contingere frequentiùs solet, si musicæ atque musicalibus instrumentis voces sonoræ muliebres accedant. Quare si in Monasteriis Monialium musica canatur, specialiter invigilandum est earum directoribus, ne illa auditores ad lasciviam potiùs, quàm ad pietatem & devotionem alliciat; ipsamque lascivam frequentiùs juventutem, quam devotum populum ad Ecclesiam invitet.

Hæc omnia atentiùs quoque expendens sæpè dictus Gandesium Antistes, veritus non fuit dicere: » Illarum magis cons» tantiam admiror Ecclesiarum, quæ istum prævidentes divini » cultûs abusum, semel musicam illam choro excludere malue» runt, uti Trajectensis, & quod audio Lugdunensis; quam » illarum veneror magnificam, quam ipsi & putant, & jactant » adeò majestatem, quâ Dei chorum omni phonascorum syn» tagmate, vocum omnis generis discrimine, imò tubarum clan» gore, cornutorum stridore, alioque strepitu vario, ne quid » prætermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, » sensumque sepeliat & obruat, sibi præclarè gloriantur im» plevisse.

» Verùm, ait sæpiùs citatus Antistes, non me fugit, qui» busdam musicam cum organis & musicis rectiùs videri re» tinendam: quibus, inquit, equidem perlibenter assentiar, si » unà pro isto musices genere, quod nunc passim Ecclesias oc» cupat, aliud introducatur & gravius, & rebus ipsis conve» nientius; & si non, ut oportet, pronuntiationi quàm can» tui vicinius, saltem rebus, quæ canuntur aptius atque ac» commodatius.“

Hæc Lindanus; quibus addi possunt, quæ circa musicam observanda præscripsit Religiosissimus Mediolanensium Præsul S. Carolus: „ In Divinis Officiis, aut omninò in Ecclesiis nec » profana cantica, sonive, nec in sacris canticis molles fle» xiones, voces magis guttere oppressæ, aut denique lasciva » ulla canendi ratio adhibeantur. Cantus & soni graves sint, pii » ac distincti, & domui Dei ac divinis laudibus accommodati si» mul & verba intelligantur, & ad pietatem auditores excitentur.“ *In Concil. Mediol.* 1. *p.* 2. *cap.* 5.

Illud quoque optandum esset, quod jam pridem summopere optabat Lindanus, ut Canonici aliique, quibus Musicorum incumbit assumptio, attenderent, ut eligerentur cantores *Psalmorum intelligentes*, *& Deum vita simul & voce moderata potiùs*, *quàm incondito garritu laudantes*.

Neque ut plerumque fit, dum ad *sacrum ministerium blanda vox quæritur*, quod olim deplorabat S. Gregorius *quæri congrua vita negligatur*, *& cantor minister Deum moribus stimulet*, *cùm populum vocibus delectat*. L. 4. Epist. 44.

Monebat Mussus Episcopus Biruntinus, inquit Stephanus Durantus, „ cantores seu musicos, quoties musæum ascendunt, » orationem præmittere ad Dominum ut det illis vocem in sua » ipsorum ora benè sonantem: præcipuè verò ut *sursum habeant* » *cor* ad Dominum, & illud placeat cordi, quod cantant ore: » ne Deus indignatus dicat illis: *Quare cantatis justitias meas*, » *& assumitis verba mea per ora vestra?* « De Ritib. Eccles. l. 3. c. 21.

Sanè quantoperè optanda sit in reformando hoc hominum genere Prælatorum cura, & solicitudo, nemo, qui vel leviter vitam, ac mores illorum attenderit, non fatebitur; imò vereor ne & hoc tempore dici posset, quod dixit Durantus: „ Verùm » hodie, dolenter refero, in Ecclesiis musici, qui cantorum » vice funguntur, hominum omnium sunt dissolutissimi, adeò » ut adagium populo dederint: *Musicè vivere*, hoc est, *disso» lutè & effœminatè*.

Neque obscurum est, unde id in illo hominum genere natum sit evenire. Cùm enim assiduè divinis Officiis decantandis occupentur, facilè contingit, ut pietatis ac Religionis spiritum, ac fervorem conformem non habentes, divina Officia sine ullo pietatis spiritu ex quadam necessitate, aut merè intuitu salarii inde provenientis modo plane mercenario ac profano peragant. Atque hinc ulteriùs contingit, ut sensim omnem circa sacratissima nostræ Religionis mysteria gustum amittant, nullumque proinde ex illis spiritualem animæ fructum percipiant: quo destituti, quid mirum, si continuò in pejora ruant, atque paulatim in malis obdurescant?

Quod circa Musicos adultæ ætatis observandum diximus, id indubiè quoad pueros chori, quos hodie *Choristas*, vel *Choraules* dicimus, similiter servandum: ut nimirum non tan attendatur vox sonora, quàm vitæ morumque innocentia, eaque pietatis specimina, quæ in ea ætate haberi possunt: qui non tantùm cantibus, sed & vitæ innocentiâ chorum Ecclesiæ excitent.

Deinde cùm pueri illi ab infantia sua specialiter divino cultui consecrentur & deputentur, summoperè quoque invigilandum, ut omni cura & studio à vitiis & corruptione seculi conserventur, ipsamque Baptismi innocentiam illibatam conservent. Unde jam pridem statuit regula Canonicorum, „ ut hujusmodi pue» ris custodiendis & spiritualiter erudiendis talis à Prælatis cons» tituendus sit doctrinæ & vitæ probabilis Magister, qui eorum » curam summâ gerat industriâ, eosque ita constringat, quali» ter ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritualibus induti, » & Ecclesiæ utilitatibus decenter parere possint. « *In Conc. Aquis. ann.* 816. *cap.* 135.

Insuper illud attendendum, ut pueri pro majori vel minori pietate, ac fervore, sæpiùs vel rariùs divinis Officiis interesse jubeantur; dum enim à mane ad vesperam, ut frequenter per abusum contingit, divinis Officiis continuò interesse coguntur, contingit, ut sæpiùs cum tædio & sine ulla pietate adesse & canere jubeantur; ex quo tunc ulteriùs fit, ut sensim omnem erga præcipua nostræ Religionis mysteria affectum devotionis amittant; & hinc paulatim insensibilitatem quandam ad res divinas contrahunt; & per illam tandem ad vitia etiam gravia prolabuntur.

Et

Et sanè, quia similis circa hujusmodi pueros cura negligitur, experientia, proh dolor! docet, pueros, qui reliquis pietate ac morum innocentiâ prælucere deberent, frequentiùs esse cæteris pejores, atque in solida pietate & devotione tepidiores; adeò ut etiam hodie vix alii, quàm ex infima plebe pueri ad id officii haberi queant: verentur nimirum honestiores parentes, ne si pueri choro destinentur, pejores fiant. Quod quàm Religioni nostræ *indecorum sit*, nemo non videt.

§. VII.

An organa in divinis laudibus sint assumenda, & quid in illorum usu observandum aut cavendum.

ORganorum usum tempore S. Thomæ in divinis laudibus, sive officiis receptum non fuisse ex verbis ipsius 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 2. colligunt nonnulli. Quærens enim utrum in divinis laudibus sint cantus assumendi, pro parte negativâ hoc format argumentum: „ In veteri lege laudabatur Deus in musicis instrumentis & humanis cantibus; sed instrumenta musica sicut Cytharas & Psalteria non assumit Ecclesia in divinas laudes, ne videatur judaizare. Ergo pari ratione nec cantus in divinas laudes sunt assumendi.“ Huic argumento respondens S. Doctor, neque negat majorem, neque minorem; sed minorem concedendo, ostendit quâ ratione convenerit, hujusmodi instrumenta assumere in veteri Lege, nequaquam verò conveniat in novâ lege. „ Hujusmodi enim musica instrumenta, inquit, magis animum movent ad delectationem, quàm per ea formetur interiùs bona dispositio. In veteri autem testamento usus erat talium instrumentorum, tum quia populus erat magis durus & carnalis: unde erat per hujusmodi instrumenta provocandus, sicut & per promissiones terrenas; tum etiam quia hujusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.

Ex his apparet, Sanctum Thomam supposuisse organi atque musicorum instrumentorum usum in divinas laudes suo tempore non fuisse receptum. Unde Cardinalis Cajetanus commentans dictum locum: „ Nota, inquit, quòd tempore divi Thomæ Ecclesia non utebatur organis.“ Et post ipsum Navarrus asserens, quòd usus organorum, & horum sonus non sit faciendus tanti ad verum cultum divinum, quanti vulgus facit, hanc inter cæteras addit rationem. „ Quia est nova cæremonia laudandi Deum in Ecclesia Catholica: vivente enim Sancto Thomâ, qui obiit anno 1274. non erat adhuc eorum usus in Officiis divinis.“ *De Orat. cap.* 16. *num.* 46. „ Quin & hodie, teste Cardinale Bona, Romæ in Sacello Summi Pontificis semper sine instrumentis Officiorum solemnia celebrantur; & Ecclesia Lugdunensis, quæ novitates nescit, ait idem Cardinalis, semper organa repudiavit, neque in hunc diem asci-vit.“ *De Divina Psalm. cap.* 17. §. 5.

„ Verùm licèt ratio Doctoris Angelici contra organorum usum jam allegata, per se sit vera, inquit Cardinalis Cajetanus, potest tamen per accidens tolerari extensa jam consuetudo organorum, propter nimiam elongationem hominum à divino cultu, ut vel sic allecti, Divinis intersint. Qui tamen organa, prosequitur Cajetanus, in Ecclesia medicinam animæ à remotis esse cogitaverit, parcè illis utetur: ne sanis noceat, minuendo vel tollendo eorum devotionem.“

Hactenus Cajetanus. Quæ multùm consona sunt Conciliis tum præterito tum præsenti seculo celebratis, in quibus usus organorum, qui tum in divinis Officiis passim receptus erat, non absolutè rejicitur, tanquam divinis laudibus indecens, aut populi devotionem impediens, sed quæ circa illum servanda, aut vitanda sint, præscribuntur.

» Organorum ussum, (inquiunt Patres Concilii Senon. *anno* 1528. *cap.* 17.) Ecclesia à Patribus ad cultum servitium-» que divinum recepit. Nolumus itaque quòd organicis instru-» mentis resonet in Ecclesia impudica aut lascivia melodia, sed » sonus omninò dulcis, qui nihil præter hymnos divinos, & can-» tica spiritalia repræsentet.“

Simile est decretum sub idem penè tempus Patrum Coloniensium. Similiter Synodus Œcumenica Tridentina mandans » arceri ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive *organo*, sive cantu » lascivum aut impurum aliquid miscetur,« ostendit, se non universim organorum usum, sed ejus duntaxat damnare abusum. Unde S. Carolus Concilii Tridentini fidelis executor organa in Ecclesia admisit, tametsi reliqua instrumenta excluserit. *Organo tantùm*, ita, *in Ecclesia locus sit*; *Tibia, Cornu & reliqua musica instrumenta excludantur.*

Illud igitur sedulò curare tenentur, qui divino Officio intendunt, ut organa, quæ unicè ad infirmioris populi devotionem sublevandam & fulciendam in divinas laudes admissa sunt, nihil sonent, quod vel devotionem turbet, aut animum ad cogitationes seculares, aut, quod impium est, lascivas & impuras incitet, aut moveat; quod & circa tintinnabula, aliaque similia instrumenta servari, anxiè inculcârunt Belgii nostri Concilia.

» Cohibeant, ait Synodus I. Mechliniensis, Episcopi Cantores, *organistas*, *campanarios*, & alios & quoscunque à » lasciva, militari, quavis indecora musica in cantu, organis, » & campanis sub pœnâ 10. stuferorum ad pios usus arbitrio » Episcoporum applicanda. Et si semel puniti non abstinuerint, » pœnâ carceris aut aliàs arbitraria plectantur.

Et Cameracensis, item Mechlin. II. addunt, » ut qui tintinnabula, & campanulas ad harmoniam quandam pulsare solent, » caveant omninò, ne hujusmodi pulsatione cantiones turpes, » inhonestas & vulgo jactatas imitentur: sed potiùs hymnorum, » canticorum Ecclesiæ modulationes.... Si quis non paruerit, puniatur, ut qui multis labendi occasionem præbuerit, & in re » sacris dicata, spurca, & inhonesta attulerit.“ *Ann.* 1565. *tit.* 6. *cap.* 15.

Insuper supradictum Concilium Cameracense usum organorum ita moderatur, » ut quæ in Missis ad doctrinam & instructionem populi leguntur, aut canantur, ita legantur & canantur, ut præsentes distinctè singula verba exaudire possint. » Quare, ait in Symbolo canendo placet nec *organa*, nec musicam adhiberi: nisi sit simplex, ac talis ut singula verba sine » repetitione possint intelligi.“ Deinde addit: „ quæ in choro » cani debent ad instructionem, ea canantur verè, ut intelligantur mente: non autem *organis*, quæ sic ædificare nequeunt, » ut viva vox piæ mentis interpres & nuntia.“

Hinc apparet, quòd ex mente Patrum Concilii Cameracensis, non conveniat, ut in choro psalmorum, canticorum, aut hymnorum versus organo canantur: quandoquidem illi cantentur, ut Clerus saltem eos intelligat, & attendat, quod ita commodè fieri nequit, dum organo canuntur.

§. VIII.

Ritus est vetustissimus, & fini divini Officii planè consonus, ut per distincta temporum intervalla recitetur.

ANimus non est in præsenti §. ostendere, quo diei aut noctis tempore singulæ divini Officii partes sint exolvendæ (id enim præstabitur infrà ubi de singulis agetur) sed tantùm quod sit ritus antiquissimus, ipsi divino Officio seu Horis Canonicis coævus, & ubique semper receptus & sedulò conservatus, ut divinum Officium non uno & eodem tempore, sed per temporum intervalla per partes recitetur.

Illum ritum docent Apostoli, dum diversis ac præscriptis horis ad Sextam, Nonam, aliasque horas orationis convenerunt. Docuêre id primi Christiani, qui adeò solicitè ac religiosè ad communem orationem constitutis diei ac noctis horis, id est, manè, horâ tertiâ, sextâ, & nona, vesperè & ad galli cantum, ut loquuntur Constitutiones vulgò *Apostolicæ*, conveniebant.

Denique ritum illum expressere uno consensu SS. Patres, nihil adeò inculcantes, quàm ut horis distinctis ad orandum tum Clerus tum populus convenirent.

Quinimò præcipuum fuisse Horarum Canonicarum scopum, ut frequentiùs per temporum intervalla, per exteriorem illum Religionis cultum, in novis continuum orationis desiderium excitaretur aut foveretur, communis ac consonans est Patrum sententia.

» Quamquam Apostolus semper orare nos jubeat, & sanctis » etiam ipse somnus oratio sit, inquit S. Hieronymus, tamen » diversas orandi horas debemus habere, ut si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.« Ad Eustoc. *De Custod. virg.*

Et S. Augustinus viduam illam verè probam docens modum semper orandi, ait *Epist.* 130. *cap.* 9. *ult. edit.* „ In ipsa » fide, & spe & charitate continuato desiderio semper oramus: » sed ideò per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc augendum nos ipsos acriùs » excitemus.

Et infra: » Ideò ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum » desiderium quodammodo tepescit certis horis ad negotium » orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat, omninò frisgescat, & penitùs extinguatur, nisi crebriùs inflammetur.« *Epist.* 130. *cap.* 9. *ult. edit.*

Ergo intentioni Ecclesiæ, atque ipsarum Horarum Canonicarum institutioni fit conformis ille ritus, quo per distincta temporum intervalla ad communem orationem convenitur, » ut anima, quæ terrenis adhuc amplicatur desideriis, & » curis secularibus impeditur (quemadmodum in simili loquitur S. Leo) ex intervallo saltem ad divina respiret.« *Serm.* 4. *De Jejun.* 7. *mensis.*

Ut igitur nihil de obligatione, juxta Ecclesiæ intentionem, Horas Canonicas, etiam privatim, per distincta ac præscripta tempora recitandi (quam nonnulli de reliquo etiam in iis quæ ju-

juris naturalis sunt, admodum indulgentes, ad superstitionem usque aggravant & extollunt) determinem; illud tamen cum Cardinale Bellarmino *De Bonis operib. in part. lib. 1. cap. 18.* audeo asserere: »quòd quidquid sit de rigore juris, certè »dubitari non debet, quin sit longè perfectius, fructuosius & »facilius officia singularum horarum suis, propriisque tempori»bus celebrare, quàm multa simul Officia sine ulla horarum & »temporum distinctione conjungere. Sic enim satis fit Ec»clesiasticæ institutioni, quæ ideò in certas horas diurnas, »atque nocturnas Officium distribuit, ut in iisdem horis, at»que adeò per omnes totius diei partes Deum laudemus: sic »etiam maxima utilitas ex Officii recitatione ad nos accedit, »dùm tam crebrò ad nos ipsi redimus, & à tumultibus se»culi ad pacem Dei animum revocamus: sic denique labor »precum horarum in tot partes divisus ita minuitur, ut le»vissimus ac penè nullus esse videatur.«

Hactenus Cardinalis Bellarminus, qui & addit: Denique »ita faciendum esse tunc etiam, cùm privatim Officium di»vinum persolvitur, SS. Patres appertissimè docent.« Non dubium tamen, quin arctior sit obligatio recitandi Horas Canonicas distinctis atque præstitutis temporibus publicè in communi, quàm privatim: multoque inconvenientius, atque intentioni Ecclesiæ multò magis adversum sit, si Horæ Canonicæ conjunctim & uno tractu persolvantur in publico Officio, quàm si id privatim contingat.

Illud quoque asserere non dubito, quòd qui necessariis aliis occupationibus non distractus, Horas Canonicas uno eodemque tempore persolvere consuevit, suo agendi modo convincatur parum de spiritu Ecclesiæ habere; quinimò non obscure ostendat, se Horarum Canonicarum pensum potiùs reputare pro onere quodam, quo se exoneratum gaudet, quàm medio suavissimo, sæpius per diem Deum, tanquam publicus Ecclesiæ minister, laudandi, seseque ab aliis occupationibus recolligendi, & spiritum orationis resuscitandi.

Illos verò, qui non verentur, etiam ipsas Vesperas & Completorium, contra præscriptum ordinem, anticipare & recitare ante meridiem, eo quod invitati ad convivium timeant, ne, si non anticipaverint, post sumptum prandium sint indispositi ad Horas illas devote recitandas; aut ne convivio tanto tempore occupentur, ut tempus lectioni Horarum non supersit; illos, inquam, non tantùm spiritu ecclesiastico vacuos, sed nec dignos, ut Ecclesiastici nominentur, judico.

CAPUT V.

De externa reverentia in recitatione Horarum Canonicarum servanda.

PARAGRAPHUS I.

Rationes quæ suadent, reverentiam exteriorem in divino Officio servandam esse.

SUmmam in divinis Officiis etiam exteriorem corporis reverentiam esse servandam plura evincunt. »Si enim quis »Principem seculi rogaturus habitu honesto, gestu decenti, »prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoque men»te, seipsum ac verba studet componere, inquit Synodus »Basileensis *Sess. 21. §. 3.* quanto diligentiùs in sacro loco »omnipotentem oraturus Deum, hæc omninò curare debet.«

Synodus quoque Mechliniensis cùm monuit, quòd in Officio divino »negotium nobis sit cum Deo ipso, qui Rex »Regum est, & Dominus Dominantium,« subinferre non dubitat, in eo ab omni actione inhonesta & indecenti abstinendum esse. *Ann. 1670. tit. 12. cap. 1.*

Et ante hos omnes S. Bernardus, postquam dixerat: »Oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, »illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet so»lio, circumdante innumerabili & ineffabili BB. Spirituum »exercitu;« mox infert: »Quantâ ergo cum reverentiâ, »quanto timore, quanta illic humilitate accedere debet à »palude sua procedens & repens ranuncula vilis! Quàm tre»mebundus, quàm suplex, quàm denique humilis & solici»tus, & toto intentus animo majestati gloriæ in præsentia An»gelorum, in Concilio justorum & cogregatione assistere po»terit homuncio!« *Serm. de 4. Novis.*

Alterum, quod suadet externam reverentiam, devotamque corporis totius compositionem in divino Officio esse servandam, est adstantium ædificatio. Cùm enim, ut suprà ostensum est, Horæ Canonicæ publicè in Ecclesia persolvantur, etiam ad ædificationem & devotionem populi; quis ambigat, quin ea debeat esse persolventium exterior compositio, quæ ipsos adstantes edificet, & ad pietatem animique devotionem excitet, eaque omnia vitanda sint, quæ populum distrahere, aut offendere possint?

Hinc Patres Concilii Moguntini monentes Canonicos, ut ad divina Officia peragenda non mente tantùm, sed & *corpore* se componant: rationem addunt: »quo simul & Deo »cultum exhibere, & *populo consideranti devotionem auge»re valeant.*« Ann. 1549. cap. 53.

Denique nemini dubium est, & ipsâ experientiâ nimium compertum, exteriorem corporis devotam compositionem, ob intimam corporis & animæ connexionem & unionem, plurimùm ad interiorem mentis & spiritus devotionem conducere, ut infrà latiùs ostendetur.

§. II.

Reverentia divino Officio debita exigit, ut eo durante abstineatur à confabulationibus, risibus, aliaque actione profana.

IPsam reverentiam divino Officio debitam exigere, ut omnia exteriora ita componantur, ut etiam exteriùs ostendatur, negotium esse non cum homine, sed cum Deo; omniaque vitanda, quæ tantâ majestate sunt indigna, vel ipsum religionis ac pietatis opus turbare, aut adstantes distrahere vel offendere possent, ratio ipsa docet.

Unde Patres Concilii Basileensis, cùm ostendissent summâ reverentiâ Horas Canonicas esse persolvendas, mox subjiciunt: »Clerici cum in choro fuerint, gravitatem servent, »quam & locus & officium exigunt, non insimul aut cum »aliis confabulantes seu colloquentes, aut litteras seu Scripturas alias legentes.« *Sess. 21. §. 3.*

Imò Patres Concilii Coloniensis anno 1536. p. 3. c. 6. *longè abominabile* esse pronuntiant, »quòd quidem tum cum »Divina aguntur, inter sese de rebus profanis tractent, mus»sitationes, colloquia, risus, & cachinos intermisceant. Qui»dam aut in aliquem chori angulum se recipientes, de nu»gis, ne quid gravius dicamus, commentantur: aut foris »per templum magno cum populi offendiculo deambulan»tes, oculos pariter & aures ad vanitatem convertunt, at»que sacra loca fœdant, positi in lapidem offensionis & »petram scandali.«

Deindè adjungunt, quòd meritò à Canonicis notandum: »Hac lege nullum excipimus, sive claris sit natalibus prog»natus, sive plebejus. Quin potiùs, qui genere præstant, »meminerint se illic Canonicos agere, & non conversari in »aulis, sed in scholis virtutum, ac ecclesiasticæ disciplinæ.«

Et S. Carolus de reverentia in choro servanda tractans: *Facessant*, ait, *sommus*, *risus*, *joci*, *rixæ*, *colloquia*. In Conc. Mediol. 1. p. 2. c. 53.

Denique Synodus nostra Mechliniensis considerans, quòd in divino Officio negotium nobis sit cum Deo ipso, cavit »sub pœna amittendæ distributionis, & alia arbitraria pro »modo scandali, ut in choro à fabulis, risibus, & aliis in»solentiis abstineatur.« *Anno 1607. tit. 12. cap. 1.*

Et sanè quis hæc, atque similia Ecclesiæ decreta miretur? Quid enim indignius, quàm profanis illis confabulationibus cum populi scandalo occupari, quando cum ipsa Divina Majestate tractandum est, quando pro beneficiis gratiæ agendæ; pro peccatis tum propriis, tum populi venia postulanda: atque rursùs pro novis beneficiis impetrandis instanter orandum?

Convincuntur sanè Canonici aliique similes confabulatores nullam aut exiguam de Dei præsentiâ, atque divini Officii Majestate habere ideam. Aliam profectò ostendebant piissimi illi Monachi, qui licèt in innumerosa essent multitudine, tantum tamen silentium in recitandis divinis Laudibus à cunctis servabatur (ait Cassianus *lib. 2. Instit. c. 10.*) »Ut »cùm in unum tam innumerosa fratrum multitudo conveniat, »præter illum, qui consurgens psalmum decantat in medio, »nullus penitùs hominum adesse credatur.«

Hæc Monachi illi, qui Laici duntaxat erant. Pudeat ergo Canonicos, aliosque, qui jam in Clerum adscripti, imò plerumque Sacerdotio insigniti, tantò majore reverentia Dei laudibus, aliisque Religionis exercitiis præ illis deberent asistere, quantò status ipsorum perfectione statum Laicalem antecellit, confabulationibus divinum Officium perturbare.

Verùm si confabulari, aliisque secularibus actionibus tempore divini Officii occupari planè sit indignum; nonne meritò reputatur *abominabile*, & à Superioribus severè puniendum, quod hodie, proh dolor! nimirùm frequens est, in risum & cachinos prorumpi, mox ut quidquam extra ordinem in choro contingit? Si quis error, aut quid inordinatum vel in ritu, vel in cantu accidat, mox aliquos in risum & cachinos moveri videre est. Cùm è contra si aliquo pro religiosa persolutione divini Officii zelo agerentur, potiùs similis defectus eos ad tristitiam & dolorem excitare deberet, dum divinum Officium per hujusmodi defectum aliquo modo profanari conspiciunt.

§.

§. III.

Reverentia divino Officio debita requirit in persolventibus honestum, atque gravem, eumque uniformem corporis situm.

DIvini Officii reverentiam exigere honestum, modestumque totius corporis situm nemo ambigit: quare Doctor Seraphicus de hac reverentia tractans *in Spec. discipl. part.* 1. *cap.* 15. inter alia acriter reprehendit inordinatos, qui hodie nimium frequentes sunt, corporis situs & gestus.

» Adhæc, inquit, honesti fratres in corporis dispositione, » decenter & uniformiter sint in choro: decenter, quod sine » vaga dispositione vel turpi; vaga, ut quando chorum ingres- » si, vel intrante vel adstante conventu, nunc segniter resident, » nunc stantes quidem, hac & illac membrorum, ut languen- » tium incongruâ quadam exagitatione se gyrant.“

Denique addit: „ Turpis erit situs, si sint ibi moliter, aut » remissè se in stallis suis, brachiis, tibiisque resolutis notabili- » ter incurbando, aut in partem unam penitùs, ut possunt, pro- » tenso in alteram corpore accubando, ira ut lecti mollitiem » quærere videantur. «

Hos corporis inordinatos situs jam pridem Canonicis, aliisque choro adstrictis, tanquam disciplinæ divini Officii adversos reprobârunt passim Concilia; voluerunt que, *cùm in choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus, & officium exigunt.* Illud præterea attendentes, ut omnes uniformem corporis situm observent.

„ In choro (inquit S. Carolus) pro temporis & officii ra- » tione, ex instituto & more Ecclesiæ sedeant, stent, flectant » genua, caput aperiant, & submittant: *Omnes verò æquè* » *idem faciant.*“ In Concilio Mediol. I. part. 2. cap. 53.

Idem in aliis Conciliis observare licet: ut nimirùm dum surgendum est, aut genu flectendum, id per omnes fiat. Quod sanè si observaretur, indubiè non parùm ad conciliandam Officio divino reverentiam valeret.

§. IV.

Reverentia divini Officii exigit, ut distinctè & tractim *illud persolvatur.*

PLurimum valere ad conciliandam divino Officio reverentiam, si illud distinctè, tractim, atque gravi tono recitetur, nemini dubium est: ut è contra, quod summam divino Officio irreverentiam, & astantibus, atque recitantibus turbationem, ac distractionem, imò tædium quoddam & nauseam pariat festina nimiùm, atque præcipitata, & confusa ejus recitatio, ratione & experientiâ compertum est.

Quapropter Ecclesia solicita, ut Horæ Canonicæ omni qua decet reverentiâ seu publice seu privatim recitentur, nihil adeò solicitè ac studiosè inculcat ac præcipit, quàm ut distinctè ac tractim recitentur.

Patres Concilii Basileensis, cùm ostendissent omni reverentiâ divinas Laudes fore persolvendas, mox tanquam consequens subjiciunt: „ Laudes divinæ per singulas horas non *cursim* ac » *festinanter*, sed *sedatim* ac *tractim*, & cum *pausa debita*, » præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum, debitam » faciendo inter solemne, ac feriale Officium differentiam, re- » verenter ab omnibus persolvatur. « *Sess.* 21. §. 3.

Et habita Synodus Senonensis sub Antonio à Prato S. R. E. Cardinale & Archiepiscopo Senonensi *Ann.* 1528. *cap.* 19. » admonet generaliter Beneficiatos & alios in SS. Ordinibus cons- » titutos, qui ad Horas Canonicas tenentur, ut si orationes suas » Deo acceptas fore cupiant, non in guttere vel inter dentes, » seu deglutiendo, aut syncopando, dictiones vel colloquia aut » risus intermiscendo; sed sive soli sive associati, diurnum, » nocturnumque Officium reverenter, verbisque distinctis pe- » ragant: ac tali in loco, undè à devotione non retrahantur.“

Quòd prædicta Concilia pluribus exposuerunt, id paucis expresserat Concilium Viennense, rescindens abusum Horas Canonicas *transcurrendo* & *syncopando* absolvendi, Habetur. *Clem.* 1. *De Celebr. Miss.*

Et Similiter Synodus Tridentina *Sess.* 24. *de Roform. c.* 12. præcipit, ut compellantur omnes *in choro ad psallendum instituto hymnis & canticis Dei nomen*, non tantùm *reverenter*, sed & *distinctè laudare.*

Quid de hoc Concilii Tridentini decreto censuerit fidelissimus ejus executor S. Carolus suprà retulimus, præcipiens nimirùm, ut Canonici divina Officia alternis vocibus canant, aut recitent, idque non *cursim*, *non perturbatè*, *non oscitanter*, *sed leniter*, distincte, *ac studiosè faciant.* In Concilio Mediol. I. part. 2. cap. 53.

Similia in omnibus penè Conciliis inculcantur & præcipiuntur; & quidem nostra Mechliniensis, recitato suprà citato Synodi Tridentinæ decreto, addit: Quòd *Decretum præsens Synodus* inviolabiliter *observari mandat.*

Verùm quis non obstupescat, quòd haud obstantibus tot totiesque iteratis Ecclesiæ severissimis decretis, atque ipsâ divinarum laudum Majestate, & excellentiâ, passim in Ecclesiis Canonicorum persolvantur Horæ Canonicæ cum tanta præcipitantia, tantâque confusione, ut vix quid canatur intelligi possit; ut subinde videaris confusum audire boatum potiùs, quàm cantum suave sonantis Ecclesiæ?

Sed unde tantus, ac tam universalis, atque adeò inolitus in decantandis divinis laudibus abusus? Non aliunde credo, quàm quòd plerique hodie Canonici „ à vero procul aberrantes fal- » sò existiment (ut loquimur Concilium Coloniense ann. 1536. » *part.* 2. *cap.* 5.) sese non alicujus officii in Ecclesia exercen- » di, sed quietis & inertiæ tantùm causâ canonicatus esse adep- » tos: proinde atque satis sit, paucis quibusdam Clericis ad- » modum ignaris, tenui pretio conductis, curam divinii Offi- » cii committi, quod deinde ejuscemodi mercenarii non serva- » tis temporum interstitiis, syncopando transcurrunt, inte- » rim ipsis Canonicis totâ vitâ torpentibus.“

Et sanè, nonnè hodie frequenter videre est, in Ecclesiis seu Cathedralibus, seu Collegiatis, frequenti etiam Canonicorum numero constantibus, paucos aliquot Vicarios tenui pretio conductos Horis Canonicis cantandis occupatos; easque tantâ dein præcipitantiâ & confusione percurrentes, ut etiam dici Dominici Nocturnos ex Psalmis 18. & 9. Lectionibus cum suis Responsoriis, & Hymnis, item Laudes sive Matutinum constans 7. Psalmis & duobus Canticis cum Hymno & Capitulo, unius circiter sesquihoræ spatio cantantes absolvant? Feriale verò Nocturnum, una cum Laudibus, quantumvis longioribus constet Psalmis, uti Sabbati & Feriæ V. videas unius horæ spatio, quo pii Clerici legendo vix absolvere possunt, totum, etiam canendo, absolvi; non longiùs in cæteris horis decantandis, cum proportione, spatium temporis impendentes.

Veniet profectò aliquando dies illa, in qua videbuntur Canonici, » quòd *Canonicus* nomen sit *Officii*, *operis & mili-* » *tiæ Clericalis*: non autem redditnum, præbendarum, aut » emolumentorum, « ut loquitur pius Guillielmus Parisiensis. *De Collat. Benef. cap.* 4.

Videbunt quoque se esse constitutos, ut *laudes Dei in communi persolventes*, ut regula ipsorum inculcat, *pro suis populorumque, quorum oblationibus vivunt, delictis Deum exorent.* In Concil. Aquisg. ann. 816. cap. 131.

» Heu miseros & infelices! Quid Deo vestro respondebitis? » (meritò exclamat piissimus Cardinalis Bona) in die judicii, » cùm vobiscum ponet rationem, quòd opus suum feceritis » *fraudulenter*? Quid dicetis animabus, quarum bona perce- » pistis in vita vestra, ut earum peccata portantes, indignatio- » nem Dei averteretis ab illis? « *De div. Psalm. Cap.* 111. §. 2. *num.* 4.

CAPUT VI.

Horæ Canonicæ *devote* persolvendæ sunt.

PARAGRAPHUS I.

Sola exterior reverentia in persolutione Horarum Canonicarum non sufficit, sed necessaria est interior devotio.

HOras Canonicas *reverenter* ac *distinctè* pro operis tanti dignitate & excellentia persolvendas esse, præcedenti conclusione ostendimus. Verùm si in hac exteriori reverentia sistatur Horarum Canonicarum recitatio, quantumcunque etiam solemnis atque exterius reverenter facta decantatio, erit non Christianus & Deo dignus Religionis cultus, sed merè judaicus; quo exterius duntaxat, nequaquam verò *spiritu* & *veritate* (uti à veris adoratoribus exigitur) Pater *adoretur* & colatur.

Undè meritò, nisi interior devotio & spiritus accedat; ut scilicet dum Horas Canonicas psallimus sive recitamus, id versetur in corde, quod ore profertur, suggillabit nos eâdem illâ Propheticâ objurgatione Dominus, qua olim Judæos perstrinxit: *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matt. cap. 15. v. 7.

Scite proinde dixit Prosper Aquitanicus:

Laus vera in Dominum depromitur ore precantis,
Si quæ voce fluunt, intima cordis *habent.*

Hinc & illud Hieronymi apud Gratianum *Dist.* 92. *Can.* 1. *Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant ii, quibus in Ecclesia est psallendi officium: Deo non voce sed corde cantandum.*

Ad quæ Hieronymi verba valdè appositè Glossographus hos versus adducit:

Non vox, sed votum: non cordula musica, sed cor:
Non clamans, sed amans, *clamat in aure Dei.*

Cui

Cui consonat illud S. Benedicti, tantoperè filiis suis inculcatum: *Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.*

Id pluribus verbis, sed eodem sensu expressit Augustinus in *Psalm.* 30. *Serm.* 3. dum dixit: „Si orat psalmus, orate, „Et si gemit, gemite. Et si gratulatur, gaudete. Et si spe„rat, sperate. Et si timet, timete."

Meritò proinde Generale Concilium Lateranense sub Innocentio III. „Clericis districtè præcipit in virtute obedientiæ, „ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum quantum „eis dederit Deus, studiosè celebrent, & *devotè*," *Cap. Dolentes, de Celebr. Miss.*

„Hæc verba (ait Prosper Fagnanus ad citatum *cap. nu*„*mer.* 40. apertè ostendunt, Concilium præcepisse devotionem „illam, quæ se donum Dei, & sic devotionem formalem & in„teriorem, quæ cum sit actus virtutis, divino indiget auxilio. „Non autem nudam devotionem materialem & apparentem."

§. II.

Devotio exigit, ut cum quadam spirituali animi alacritate & gaudio Horæ Canonicæ persolvantur, & ad eas ex motu Spiritus Sancti accedatur.

SOlidam, ac veram christianam devotionem in se complecti promptam quandam alacritatem exequendi, quæ officii nostri sunt, certum est. Quinimò teste devotissimo Genevensium Antistite Franc. Salessio *in Introd ad vit. devot. part.* 1. *cap.* 1. „Devotio nihil aliud est, quàm agilitas quædam & „alacritas spiritualis per quam suas in nobis charitas opera„tur actiones, seu per quam nobis datur *promptitudo* & af„fectus easdem exequendi: & sicut charitatis officium est, ut „ad omnia mandata Dei generaliter & universaliter implen„da nos moveat, sic effectus devotionis est, ut nos ad illa „*promptè* & diligenter perficienda inducat." Hactenus Sales.

Hinc patet devotionem in recitante sive persolvente Horas Canonicas, requirere quandam alacritatem, & promptitudinem animæ, quæ ipsum moveat ad alacriter, & cum gaudio quodam spirituali recitandum vel legendum. Unde nihil quoque in Scripturis tantopere commendatum, quàm ut cum corde jubilo cantetur atque Domino psallatur.

Jubilate, ait Psalmista, *Deo omnis terra, servite Domino in lætitia.* Psalm. 65. vers. 1.

Quin & Ecclesia ut moneat ministros suos cum lætitia ac gaudio Psallendum esse *Psalmum* 94. assumpsit, ut per illum ad Horarum Canonicarum recitationem ministros suos invitet & præparet. In quo Psalmo bis nos invitat Psalmista, ut cum gaudio Domino psallamus. *Venite*, inquit, *exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.* Et rursus: *In Psalmis jubilemus ei.*

Quid enim est jubilare? Respondet Augustinus in *Psalm.* 35. „Gaudium verbis non posse explicare, & tamen voce testari, „quod corde conceptum & verbis explicari non potest, hoc „est jubilare."

Hæc meritò perpendent, qui ad Horarum Canonicarum recitationem vel decantationem inviti & coacti quodammodo accedunt, nihil tantopere quam earum finem desiderantes: quos videmus etiam pigrè & cum tædio quodam exterius etiam nonnunquam se prodente, ad horas accedentes, quasi reputarent ipsum divinum Officium onus aliquod humeris suis impositum: cùm econtra illud reputandum sit opus verè divinum; & præcipuè Canonicis, aliisque Clericis, qui majoribus Ecclesiæ negotiis non distrahuntur, maximè desiderabile: ut nimirum illo occupati, nomine totius Ecclesiæ hîc in terris agere incipiant, quod in tota æternitate cum beatis Spiritibus peragent in cœlis; scilicet misericordias Domini in æternum cantare.

Rectè proinde monet S. Carolus in Concilio Mediolan. V. *part.* 6. *cap.* 6. „ut studio quodam intimæ pietatis, cujus *splen*„*dor foris etiam eluceat*, unusquisque vel Canonicus aliusve „minister, quicunque sit, qui chori Officiis adstrictus est, ad „chori disciplinam sese instruat."

Insuper devotio exigit non tantùm ut alacriter & cum gaudio divinis laudibus occupemur, sed etiam, ut spiritu ad eas moveamus & excitemur: id est, ut sit spiritus Sanctus sive charitas quæ ad Horarum Canonicarum recitationem nos excitet & moveat.

Huic admodum solicitè invigilent, quicunque Horis Canonicis recitandis adstringuntur, necesse est. Cùm enim quotidiana occurrat recitandi necessitas, facilè contingit, ut, nî spiritus frequenter resuscitetur, tandem per frequentem illam, atque quotidianam recitationem, sensim quasi ex consuetudine, & modo planè humano, quemadmodum opifices ad suas quotidianas operas, nequaquam vero adigente Spirtu Sancto ad Horarum Canonicarum persolutionem accedatur: atque ita fiat, quod potiùs *ex more*, ut loquitur Synodus Coloniensis, *quàm mente orare quis instituat, cujus pars inter hypocritas reputabitur.* Anno 1536. *part.* 2. *cap.* 8.

Pius quidam ac eruditus auctor libri inscripti: *Abbreggè de la Morale de l' Evang. ad cap.* 2. *Luc. v.* 27. reflectens quomodo dicatur, Simeon *in Spiritu venisse in templum*, exclamat: „Quam multi Christiani hodie intrant templum per curiosita„tem, *ex consuetudine*, ex humano respectu, propter in„teresse, & quam pauci movente Spiritu Sancto." Nonne idem hodie jure dici posset de accedentibus ad Horas Cano„nicas? Quam multi ad eas accedunt *ex consuetudine*, humano respectu, spe lucri, & quam pauci movente Spiritu Sancto!

Meritò proinde monet S. Carolus accedentem ad Horas „Canonicas, ut secum cogitet, se ad chorum nempe ad Sanc„ta Sanctorum, ut Canone antiquo cautum est, & ad publicè „orationis Sacrificium accedere... Illud etiam cogitet, quam ob „causam eo se contulerit: tum sibi statuat, se in conspectu „Dei omnipotentis, & in corona innumerabilium Angelorum „& Sanctorum esse. Qua cogitatione videat, perpetuoque „reputet se eo loci consistere, ut Deo Sanctissimum cultum „venerationemque tribuat, atque ab eo, & sibi, & aliis om„ne bonum deprecetur." *In Concil. Mediol. V. part.* 3. *cap.* 6.

§. III.

Devotio requirit, ut ad Horas Canonicas non accedatur spe lucri temporalis: & unde colligatur, quod aliquis principaliter intuitu lucri accedat.

UT devotè psallatur, & divinæ Laudes ex corde, non ore tantùm Deo persolvantur, necesse est, ut charitas laudet & psallat: teste enim Augustino in Psalm. 37. *Tacebis, si amare destiteris. Frigus charitatis, silentium cordis est.*

Porrò qui spe lucri temporalis ad psallendum incitatur, non charitate, quæ *non quærit, quæ sua sunt*, sed cupiditate movetur, neque clamor est in corde, sed silentium.

Adhæc devotio exigit, ut *voluntariè* laudis Sacrificium Deo offeratur. *Voluntariè*, ait Psalmista, *sacrificabo tibi*: Laudetur ergo, ait Augustinus in *Psalm.* 53. „voluntate, ametur „charitate. Gratuitum sit & quod amatur, & quod laudatur..., „Voluntariè sacrificabo tibi, noli ex necessitate: si enim prop„ter aliud laudas Deum, ex necessitate laudas, si adesset tibi „quod amas, non laudares Deum. Vide quid dicam? Lau„das Deum, v. g. ut tibi det amplam pecuniam. Si haberes „aliunde amplam pecuniam non à Deo, nunquid laudares „Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non vo„luntariè sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas, quia præ„ter illum nescio quid aliud amas."

Quin & *lib.* 2. *de Serm. Dei in Monte*, *cap.* 16. idem Doctor asserere non dubitat: „Quæcunque res propter aliud „aliquid quæritur, sine dubio inferior est, (nimirum in æsti„matione quærentis) quàm id propter quod quæritur: & „ideò illud primum est propter quod rem istam quæris, non „ista res quam propter istud quæris: Quapropter si Evange„lium, & Regnum Dei propter cibum quærimus (idem dic, „si officium frequentamus propter distributiones) priorem fa„cimus cibum (vel distributiones) & posterius Regnum Dei „vel Officium divinum."

Et teste S. Bernardo: „qui officium ecclesiasticum quærit; „aut eo tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat ne„cessaria, perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur."

Quandoquidem, ergo malitia Simoniæ in hoc potissimum consistat, quod res spirituales ad eam utilitatem quodammodo redigantur ut quodam modo spiritualibus coæquentur, imò inferiores habeantur: quid mirum, si Canonici, aliique ministri, qui intersunt Horis Canonicis principaliter pro denario, sive ut distributiones accipiant, Simoniæ saltem mentalis rei judicentur?

Et quidem Patres Concilii Coloniensis hunc perniciosum affectum in plurimis Cononicis & Clericis dominari verentes, anno 1536. sequens decretum, omnium Clericorum animis meritò imprimendum, ediderunt. „Utinam, inquiunt *part.* 3. *c.* 13. „optando à Deo Optimo Maximo consequi possimus, ne quis„quam *lucri causa* divinis interesset, *alioquin non accessurus „Sacra*, veluti quem nummi magis quàm Dei amor in templum „trahit, quæstum pietatem esse putantem: quin non dubium, „ex numero eorum est, de quibus Isaias dixit: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Nec multum is abest, „(uti plerisque doctissimis viris placuit) *ab horrendo crimine „Giezi qui existimavit, divinum munus pecunia redimendum.* „Quare viderint Clerici nostri, ut eorum mens, & intentio tota „in Deum referatur, ut cum David confiteantur *Deo in direc„tione cordis ac in Labiis suis pronuntient omnia oris ejus.* In via „etiam testimoniorum Domini delectentur sicut in omnibus di„vitiis. Optandum ut Psalmus ille 118. qui toties non sine cau„sa in Ecclesiis replicatur, ore simul & correspondente sin„gulis verbis mente decantetur; & cum eodem Psalte ex ani„mo dicatur Voluntarie *sacrificabo tibi, & confitebor nomini „tuo, Domine, quoniam bonum est.* Non adimit Christus,

„ sed decernit operanti suam mercedem: *Dignus est enim opera-*
„ *rius mercede sua, & qui altario deservit, de altario & vi-*
„ *vet.* Sed interim cogitare debet Clericus, *se vivere non ut*
„ *edat, sed edere ut in Christo vivat*, habereque semper
„ menti reconditum Christi verbum, *primum quæritur reg-*
„ *num Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur*
„ *vobis.*“

Idem veritus Stephanus Parisiensium Antistes: *Prohibemus*, ait, *vobis omnibus, ne committatis Simoniam etiam mentalem, adeundo divinum Officium sub spe materialium distributionum.* Synodus Paris. part. 114.

Dignoscitur verò, an Canonicos, aliusve Ecclesiæ minister principaliter ob distributiones materiales adeat divinum Officium, si ex modo ejus agendi pateat, eum spe illarum distributionum præcipuè ad frequentandas Horas Canonicas moveri & excitari: quod enim præcipuè ad agendum incitat, illud & primum in corde locum obtinere dubitari nequit, juxta illud compertissimum Augustini effatum: *Pondus meum, eo feror, quocunque feror.*

Si igitur Clericus aliquis horas illas solicitè frequentet, quibus distributiones majores sunt annexæ, illas verò quibus nullæ, aut exiguæ constitutæ sunt, sine justa causa passim negligat, nullamque illas frequentandi sibi curam esse ostendat; indicium erit non obscurum, quòd horas non amore Religionis, sed amore pecuniæ frequentet; easque tanquam medium ad distributiones ordinet. Canonicus quoque, qui mox ut Officium, cui distributionum lucrum annectitur, est absolutum, è choro discedere solet, neglecto Officio, quod distributiones non pendit, tametsi etiam immediatè sequatur, difficulter se à suspicione Simoniaca liberabit.

Quapropter Petrus Parisiensium Cantor Simoniæ arguit Clericos, qui nolebant Festum S. Stephani, Postulante quoque Prælato, ritu duplici cantari, » nisi unà pastum & re-» fectionem annuam Clericis promitteret, insuper nummos » matutinales illius noctis duplicandos, ut sic celebrarent po-» tiùs festum nummi duplicati quàm Festum S. Stephani... qui-» bus sunt similes, pergit Petrus Cantor, quidam in Eccle-» sia psallentes & pro pretio cantantes; quibus pecunia dis-» ciplina est, nummus Decanus, ac etiam Deus. Qui idolola-» træ sunt, nummum potiùs adorantes, quàm Deum, non » *alias Deo cantaturi, nisi propter nummum.*« In verbo abbrev. cap. 66.

Subdit deinde prædictus Auctor: » Quid vilius, quàm duas » horas in Ecclesia quadam (quia ad illas decantandas non est » constituta certa pecunia) à laicis dici *horas Domini, cæteras* » *denarii*, diaboli? imò ad imò has horas decantandas & horas » Beatæ Virginis non adsunt Clerici, sed præsentes in aliis, » ab his fugiunt, ut nullum opus sibi *vendicet in Ecclesia* » *Spiritus Sanctus, cùm nihil gratis in ea fiat, sed omne sibi* » *vendicet nummus.*«

Si hodie supperesset Petrus, in multis reperiret Ecclesiis, quod in una se reperisse deplorat, & quasdam horas Vicariorum, quasdam Canonicorum, & Cappellanorum, non immeritò appellandas videret.

Nonne cum magno divini Officii dedecore conspicitur, à duobus tribusve Vicariis horas illas passim cursim, & syncopando decantari, quibus decantandis nullus nummus est constitutus? Nunquid qui diligunt decorem domus Dei, magno animi dolore videre coguntur Canonicos, Capellanos, aliosque Clericos, Horis Canonicis, quibus distributiones quotidianæ sunt assignatæ, penè non absolutis, quasi aufugere, & ad plateas aut consortia confabulationis causa se conferre, interim illa Officii parte, quæ distributione caret, neglectâ?

§. IV.

Quæ distractiones impediant, quominus quis debita cum devotione *Horas Canonicas dicendus sit recitare.*

NOrunt omnes piæ animæ, quantis evagationibus, & distractionibus etiam vel invita mens humana subjecta sit; & ne ad imperfectiores forsan duntaxat, aut infirmioris sexûs homines id spectare credas, quid de se dicat exercitatissimus ille Dei orator & cultor Augustinus, audiamus. » Verè dicam, » ait in *Psalm.* 73. homo in hominibus, & ex hominibus: at-» tendat quisque, & videat quanta agantur in corde humano, » quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vagis » cogitationibus, ità ut vix stet cor ad Deum suum, & vult » se tenere ut stet, & quodammodo fugit à se, nec invenit » cancellas, quibus se includat, aut obices quosdam quibus » retineat avolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet » jucundari à Deo suo.«

Hinc illud S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. communiter ab omnibus receptum: *Evagatio mentis, quæ fit præter propositum, orationis fructum non tollit*: justa illud S. Basilii *in Serm. de orando Deo*, à Doctore Angelico allatum: » Si » debilitatus fixè nequis orare, quantumcunque potest, teip-» sum cohibeas, & Deus ignoscit, eo quòd non ex negligentia, » sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram » eo.«

Dicendum ergo cum eodem Doctore Angelico, quòd in spiritu, & veritate oret, qui ex instinctu Spiritûs ad orandum accedit; etiamsi ex aliqua infirmitate postmodum evagetur.

Involuntariæ proinde mentis evagationes, atque distractiones Horum Canonicarum fructum non impediunt, iisque non obstantibus, qui ex instinctu Spiritûs Sancti ad eas accedunt, in spiritu & veritate Deo psallunt. Ac propterea nonnumquam parvi pendendæ sunt, neque ad eas expellendas nimiâ & anxiâ solicitudine, quæ nonnumquam non solùm ampliùs devotionem impediret, sed & capitis dolorem pareret, laborare oportet.

Verùm Canonici, aliique Horis Canonicis recitandis adstricti, qui, cùm juxta monitum Sapientis deberent *ante orationem præparare animam suam*, malunt superfluis colloquis, & vanis confabulationibus vacare, nequaquam sibi persuadere debent se *ex aliqua infirmitate* evagationem mentis pati, aut *præpter propositum*, ut loquitur S. Thomas, sed voluntario saltem indirecte, sive in causa.

Dicitur enim à Thologis, & Canonistis actio aliqua voluntaria in causa si sequatur ex aliquo voluntariè posito, quod, ne sequeretur, omitti debuisset.

Quis verò ambigat hujusmodi vana, ac superflua colloquia, seu cofabulationes immediatè ante recitandas Horas Canonicas esse omittendas, ne similis mentis evagatio inter Officii divini recitationem sequatur?

Horum numero annumerandi indubiè & hi qui adinstar Atheniensium *ad nihil aliud* penè tota die *vacant*, *nisi aut dicere aut audire aliquid novi.* Qui contra Canonum prescripta *sine Oficii sui necessitate per plateas vel andronas obambulant, ubique fabulis diversis commiscentur.* Vide Canonem 47. & 48. Synodi Carthag. IV. & Narbon. anno 589. *Can.* 3.

Quin & illi meritò timeant, ne per suborientem mentis evagationem fructum amittant orationis, qui contra statûs Clericalis exigentiam negotiis temporalibus se totaliter immergunt.

» Sunt enim (ait Cardinalis Bona *De Divina Psalm. cap.* 19. §. 5. *num.* 3.) magni ardeliones, qui non nisi » terram & carnem sapiunt, & quasi gigantes sub pondere ne-» gotiorum gementes, vel non orant omninò, vel tumultua-» ria celeritate suos psalmos deglutientes, corpore in templo, » mente in foro sunt, quibus illud profecto convenit, quod scrip-» tum est: « *Labor labiorum ipsorum operiet eos.* Psalm. 139. *v.* 10.

Adhæc experientiâ nimis compertum est illud Venerabilis Bedæ: » Quæcumque sæpiùs agere, loqui vel audire solemus, » eadem necesse est sæpius ad animum quasi solitam, propriam-» que sedem redire.« *De Templo Salom.*

Similiter qui sensibus suis exterioribus in ipsa horarum recitatione nimiam indulgent vagandi licentiam, haud dubiè voluntariâ frequenter mentis evagatione laborare convincuntur. Nec enim dubium, quin sensus suos comprimere deberent, ne similis evagatio mentis oriretur: vulgaris enim parœmia est: *Incustoditum captat ovile pecus*, ita mentem non custoditam per apertas sensuum exteriorum fenestras expugnat dæmon, & multiplices intrudit alienas cogitationes, & distractiones.

§. V.

Remedia adversus distractiones tempore Horarum Canonicarum.

PRæcipuum, ac penè necessarium adversus evagationem mentis, & distractiones in oratione remedium est indefessum studium & continuus conatus, vitam suam ita componendi secundum Deum, seu ita Deo vivendi, ut hæc pia, ac Christiana vitæ compositio, omnisque à vanis, & inutilibus, seu sensualibus occupationibus alienatio, sensuumque exteriorum continua mortificatio sit assidua quædam ad orandum præparatio, & non interrupta quædam spiritûs & animæ, quantum necessariæ statûs nostri occupationes permittunt, recollectio. Quem in finem indubiè subserviunt non tantùm orationis mentalis destinata tempora, seu quæ inter medias occupationes fieri possunt brevissimæ; sed crebræ & raptim ejaculatæ orationes, quas inter antiquos Monachos frequentissimas fuisse testatur S. Augustinus, & solicitè piæ mulieri probæ commendat.

Aliàs si hæc cura absit, liberamque, ac effrænem quis concedat sensibus suis evagandi libertatem, nullumque sese recolligendi & in spiritu orationis vivendi studium impendat, in vanum ille sperabit, quòd mentem suam ita indomitam, & effrænem uno impetu, cùm tempus divini Officii instat, conti-

tinere, atque recolligere poterit, ipsisque orationis objectis ita alligare, ut ad consueta objecta non diffluat.

Secundum remedium adversus distractiones in divino officio oborientes, assignant passim SS. Patres, vivaciter apprehendere, nos psallere, seu recitare Horas Canonicas in præsentia Divinæ Majestatis. Quomodo obtinebit quis, ut in oratione sensus ejus non vagetur? interrogat S. Basilius *Interr.* 201. *in Regul. Brev.* »si sit certus, inquit, se assistere »ante oculos Dei.« Et alibi: »Hoc stude in vita tua, ut »orationem puram offeras Deo, neque in diversa rapiatur »mens tua. Memento enim te sub Dei stare conspectibus, qui »occulta cordis conspicit, & abscondita mentium novit.“

Idem remedium contra mentis evagationem filiis suis suggessit S. Benedictus, aliique Monachorum Patres, ut videre est in Concordia Regularum Benedicti Anani *cap.* 25. Quorum vestigiis inhærens S. Carolus, solicitè monuit, ut Clericus, cum in choro est, „tum sibi statuat se *in conspectu Dei omnipotentis*, „& in corona innumerabilium Angelorum, & Sanctorum esse.“

Idipsum nobis insinuat Ecclesia in hymno feriæ V. ad Laudes Dei præsentiam his verbis nobis in mentem renovans:

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicis,
A luce prima in vesperam.

Tertium remedium admodum conveniens est devota, ac pia corporis dispositio, ac modesta, distincta, atque gravis Horarum recitatio vel cantus.

Licèt enim exteriora sive in corporis gestibus, sive in vocibus & sonis secundum se Deo grata esse nequeant, sed solus interior ex charitate profluens cultus, nihilominus quin exteriora illa plurimùm conducant ad excitandos in animo veræ pietatis affectus ambigit nequit. Ea enim corpus inter & animam est connexio, ut quæ corpus afficiunt, in animam quoque redundent suscitentque affectus conformes in anima; ita nimirum ut, quod experientiâ compertissimum est, voces & motus corporis lascivi, similes quoque in anima affectus causent, uti & pii motus affectus pios.

Hinc Christus Dominus totius pietatis exemplar, etiam vocibus orâsse legitur. Et quod ad corpus attinet, interdum oculis in cœlum elatis, aliquando in genua provolutus, & subinde in faciem postratus oravit.

Quartum remedium suppeditare poterunt illa, quæ in Horis Canonicis ad affectus per temporum intervalla excitando inseruntur: ut v. g. Hymni, item Versus, Antiphonæ, Lectiones, Oratio Dominica, Hymnus glorificationis in fine cujusque Psalmi, &c. quæ omnia si canantur & dicantur secundum intentionem Ecclesiæ, plurimum ad recolligendum spiritum, & avertendam mentis evagationem valebunt, ut ex infra dicendis patebit.

Multùm quoque valebit ad dispellendas distractiones, si per diligens studium Psalmorum aliqualem intelligentiam, præcipuè per piam, ac frequentem illorum meditationem, fuerit quis assecutus. De qua re inferiùs, dum de Psalmis agetur, latiùs tractabitur.

»Quintum remedium nonnullis esse poterit, & quidem ef»ficacissimum, ut observat Cardinalis Bona, ipsas quascun»que involuntarias evagationes, quæ nolentibus nihilque co»operantibus adveniunt, parvi pendere, neque ob eas expellen»das nimiâ solicitudine, quæ capitis dolorem pariat, laborare.“ *De Divin. Psalm. cap.* 19. §. 6.

Denique ad impetrandam in recitatione Horarum devotionem, indubiè conveniens est, quod suggerit S. Carolus loco citato: »Peroratis psalmis, absolutoque canonico Officio paulu„lum tacitus consistat, genibusque flexis veniam deprecetur, & „negligentiæ & distractionis, aliusve culpæ, quam in eo preca„tionis officio admiserit: tumque hoc oret, ut pro Christi to„tiûsque Ecclesiæ meritis, orationis suæ obsequium, ac minis„terium gratum sit atque acceptum.“

PARS SECUNDA.

De singulis partibus Horarum Canonicorum.

CAPUT PRIMUM.

De singulis partibus Ofícii nocturni.

PARAGRAPHUS I.

De Versu: Domine labia mea aperies, *&c.*
Et Deus in adjutorium, *&c.*

Officium nocturnum, cui inter Horas Canonicas primum locum damus, utpote quod aliis horis præmittitur, inchoatur ritu Romano à versiculo desumpto ex Psalmo 50. *Domine labia mea aperies, & os meum annutiabit laudem tuam.* Cujus ritûs meminit Amalarius seculo IX. In *nocturnali Officio*, ait, *dicimus primò*: *Domine labia mea, &c. Lib.* 4. *De Eccles. Offi. cap.* 9.

Et ante Amalarium, eundem versiculum ad inchoationem Officii nocturnalis, dici voluit S. Benedictus, & quidem tertiò, at non *primò*, ut Romani, sed post Versum: *Deus in adjutorium*, &c.

Neque obscurum, cur hunc versum nocturnali sive primo Officio prætermitti voluerint; sciebant enim, quòd nemo possit dignè laudare Deum, nisi Deus aperiat ejus labia, ut docet S. Augustinus. Unde Amalarius »Quia convenimus ad confiten„dum Domino, precamur eum, ut suâ directione labia nos„tra aperiat, & ad suam laudem os nostrum fatiscat.“

Magno proinde affectu pronuntiandus hic versiculus, non ut à Domino aperiantur labia oris, sed adaperiatur cor nostrum in laude sua: ne aliàs silentium sit in corde, dum est clamor in ore.

Versum *Domine labia* sequitur ritu Romano versiculus *Deus in ajutorium*: qui etiam ritu Romano, & ex præscripto S. Benedicti reliquis omnibus Horis præmittitur.

Recitationem illius versiculi usitatissimam fuisse etiam apud antiquos Monachos, constat ex Cassiano, qui verbis Isaac Abbatis multiplices ejus utilitates fusissimè describit. *Collat.* 10. *cap.* 10. „Hinc namque versiculus, ait, non immeritò de toto »Scripturarum exceptus est instrumento. Recipit enim omnes »affectus, quicumque inferri humanæ possunt naturæ, & ad »omnem statum atque universos incursus præcipuè satis & com»petenter aptatur. Habet siquidem adversus universa discrimi»na invocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, ha»bet solicitudinis, ac timoris perpetui vigilantiam, habet con»siderationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confiden»tiam præsentis semperque adstantis præsidii. Qui enim jugi»ter suum invocat protectorem, certus est eum semper esse »præsentem.

Verissimum proinde est, quod notat Walfridus Strabo *De Reb. Eccles. cap.* 25. antiquos Patres statuisse versum illum, *Deus in adjutorium*, non tantùm Officiis, sed etiam operibus omnibus præmittendum, »ut invocatio divinæ opitulationis, »initio cujuslibet actionis assumpta, faciliorem faciat & postu»landi constantiam, & obtinendi virtutem.«

Tantò autem solicitùs divinum auxilium initio orationis invocandum est, quantò acriùs eo tempore invisibiles hostes contra nos certamen instituunt, ut observant SS. Patres, atque inter alios pulchrè describit Joannes Climacus.

Meritò igitur monet S. Carolus, »ut Clericus singulariter »attentionem renovare & excitare studeat, dum illa verba, „quæ ad sanctæ orationis spiritum inflammandum valent, pro„nuntiat: *Deus in ajutorium meum intende.*«

Ritus quoque habet, cujus à 400. annis meminit Joannes Belet *de Divin. Offi. cap.* 25. ut ad pronuntiationem dicti versûs *Crucis fiat signaculum*; quo indicatur, quidquid à Deo speratur, id per merita Crucifixi sperari.

§. II.

De Gloria Patri &c. *& Ritu per versum illum finiendi singulos psalmos.*

Versus *Deus in adjutorium &c.* concluditur per versum *Gloria Patri, & Filio &c.*

Hic versus ab Antiquis dictus *Hymnus Glorificationis*, ex eo tempore cœpit in Ecclesia, quo ab Apostolis promulgatum est Evangelium. Cum enim sacrum Baptisma ab eisdem jussu Domini in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti collatum est à Fidelibus hunc hymnum cani cœptum esse, & absque scripto traditum pluribus asserit S. Basilius *Tract. de Spiritu Sancto*, *cap.* 27. & ex ipso aliisque probat Baronius ad annum 325.

Clausulam verò, quæ hodie hymno Glorificationis additur: *Sicut erat in principio*, &c. non statim post Nycænam Synodum in omnibus Ecclesiis in usu fuisse testatur Theodoretus; quin & seculo VII. patet ex Concilio Toletano IV. anno 633.

quod *cap.* 13. præcipit, ut in fine omnium Psalmorum dicatur *Gloria, & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto in secula seculorum.*

In multis tamen Ecclesiis clausulam *sicut erat* seculo VI. receptam fuisse, constat ex decreto Concilii Vasensis II. anno 529. *cap.* 5.

Ritum finiendi singulos psalmos per *Gloria Patri* &c. in pluribus Ecclesiis seculo VI. & VII. receptum esse evincunt varia Concilia & Benedicti Regula, quin & seculo V. eundem in sua Provincia usitatum fuisse scribit Cassianus; qui & refert nusquam per Orientem in fine Psalmorum, se audisse Hymnum glorificationis cantari. Ex quo, uti & pluribus aliis, ut notat Baronius ad ann. 325. commentitia esse detegitur Epistola illa Hieronymi nomine ad Damasum Papam missa; in qua scribitur, quod Hieronymus Damasum monuerit, ut more *Orientalis* Ecclesiæ in fine Psalmorum Hymnum glorificationis etiam Occidentalis Ecclesia adderet: cum constet nequidem tempore Cassiani, ac proinde multis annis post Hieronymum, ritum hunc in Oriente fuisse notum.

Ratio hujus ritus jam à mille & ducentis circiter annis in Ecclesia Occidentali recepti, est, ut dum forsan inter Psalmorum cantum, aut recitationem mens evagaretur, rursus ad hujus hymni sonum recolligeretur, seque ad Summæ illius Trinitatis glorificationem & adorationem incitaret, quapropter ann. 589. *cap.* 2. decreverunt Patres Narbonenses, „ ut per majores psalmos, prout fuerint prolixiores, pausationes fiant, & „ per quamque pausationem *Gloria Trinitatis* Domino decantetur.“ Cui conformis est ritus hodiernus, in plures partes dividendi Psalmum prolixissimum *Beati immaculati*, singulasque partes terminandi per *Gloria Patri.*

Eâdem ratione, ut refert Cassianus, pristini Monachi in Palestina ipsos Psalmos cum interjectione orationis sæpiùs interdicebant: » non enim multitudine versum, sed intelligentia delectabantur, illud totâ virtute, ait Cassianus, sectantes: *Psallam spiritu, psallam & mente.*

Ut verò hanc mentis, & spiritûs attentionem, & recollectionem, quam in hac iterata hymni glorificationis repetitione intendit Ecclesia, faciliùs Clerici assequantur, conveniens judicarunt Concilia, ut Canonici, aliique Clerici ad recitationem hymni glorificationis, sive *Gloria Patri*, &c. corpus inclinando se se per illum exteriorem corporis motuum ad interiorem ac religiosam SS. Trinitatis adorationem incitarent.

§. III.

De Alleluja.

VOx *Alleluja* vox Hebraica est, quæ latinè significat *Laudate Deum cum jubilo*, sive *Jubilate Deo.* Proprieque gaudium exprimit Beatorum; eorumque vox est, ut expressit S. Joannes in sua Apocalypsi. Nam ut appositè Augustinus: *Quid habituri sumus in illa Patria? Quid acturi sumus? In secula seculorum laudabunt te*, inquit, *hoc eris totum negotium nostrum, sine defectu* Alleluja.

Porrò ut gaudium illud, sive animæ jubilus aptiùs exprimatur » dum psallimus *Alleluja*, jubilamus magis quàm canimus » (inquit Rupertus Abbas *lib.* 1. *de Divinis Offic. cap.* 35.) » unamque digni sermonis syllabam in plures neumas, vel neumarum distinctiones protrahimus, ut jucundo auditu mens » attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi Sancti *exultabunt* » *in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.*«

Satis hinc patet, quamobrem tempore Paschali frequentiùs, quàm aliis temporibus cantetur; dignum enim est, ut beatitudinis & gaudii futuri vocabulum eo tempore magis frequentetur; quo resurgens Dominus ejusdem beatitudinis spem nobis propinavit, & portas cœli aperuit.

Quapropter licèt tempore S. Augustini variæ essent Ecclesiarum consuetudines circa tempus cantandi *Alleluja*, *ipsis* tamen *quinquaginta* Pascha inter & Pentecostem *diebus ubique* canebatur, teste Augustino *Epist.* 55. *cap.* 17.

Patet quoque cur jam pridem tempore Quadragesimæ, hodie verò à Septuagesima usque ad Pascha non canatur, quia ajunt Patres Concilii Toletani IV. *Can.* 11. » Tempus est non » gaudii, sed mœroris: tunc enim opus est fletibus, ac jejuniis » insistere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus » dejicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus » Resurrectionis Christi, quando oportet *Alleluja* in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare: hoc enim Ecclesiæ » universalis consentio in cunctis terrarum partibus roboravit.«

Colligitur quoque ex dictis, cur à Septuagesima usque ad Pascha magis conveniat versiculus *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, qui eo tempore voci *Alleluja* substituitur: quia *Alleluja*, ut dictum est, non tantùm significat *laudate Deum*, sed laudate Deum cum *jubilo* sive *gaudio*: ipseque modus canendi *Alleluja* ad gaudium & jubilum magis invitat, quàm ille quo canitur *Laus tibi Domine*, &c.

Ex his sufficienter patet, quo affectu vox illa *Alleluja* & versiculus *Laus tibi Domine*, &c. dici debeant juxta intentionem Ecclesiæ, qualesque affectiones ad illorum recitationen excitandæ sint.

§. IV.

De Invitatorio.

POst versum *Deus in adjutorium*, *Gloria Patri*, & *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine* immediatè sequitur ritu Romano Psalmus 94. additâ brevi *Antiphonâ*, quam ex ipso Psalmi argumento *Invitatorium* dicimus. Ab aliquibus vocatur *versus apertionis*, vel *responsorium exhortationis*, interdum *sonus.* Recitatur enim Psalmus hic, ut per modum *soni*, aut *invitatorii* excitemur & præparemur ad psalmodiam unde nec more aliorum Psalmorum alternatim recitatur, aut canitur, sed ab uno alterove: idque per modum excitantis & monentis. Chorus verò *Antiphonam* post singulos Psalmi versus, aut integram, aut dimidiatam repetens, atque excitandi seu invitandi succinens, seipsum quoque ad laudandum Deum exhortatur; idque sub varia consideratione pro temporum, atque Festorum diversitate; id est, nunc tanquam *Dominum qui fecit nos*: nunc ut *Regem Apostolorum, Martyrum &c.* Atque ea ratione rectè vocatur *Antiphona* illa, *responsorium exhortationis*; quasi per eam exhortanti respondeatur. Vide *Regulam Magistri*, *cap.* 44.

Nec sine ratione ab Ecclesia in hunc finem assumptus est Psalmus 94. Continet enim efficacissima motiva, quibus ad dignè Deum laudandum incitemur. Dicit quippe Deum esse *Salutare* sive Salvatorem nostrum; quod sit *Rex Magnus super omnes Deos: in cujus manu sunt omnes fines terræ, & qui altitudines montium conspicit.* Quæ summam ejus Majestatem magnificè exprimunt.

Deinde monet, ut tanquam populus ejus & oves pascuæ ejus, *procidamus & ploremus coram illo* tanquam *Domino qui fecit nos.* Quod indubiè magnum est, ad reverenter, atque cum humillima submissione Deum laudandum incitamentum.

Denique in sequentibus minatur, quòd si hodie vocem ejus non audierimus, exemplo Patrum, qui ei in deserto rebelles fuerunt, in requiem ejus non introibimus. Unde Augustinus: *Magnus terror! ab exultatione cœpimus, sed ad magnum timorem concludit Psalmus ille.*

Hinc monemur, ut discamus exultare Domino cum tremore, quasi hilares, sed nondum securi.

§. V.

De Hymnis.

ABsoluto Invitatorio subsequitur *Hymnus*: quæ vox Græca est, latinè significans *Laudes.* Unde Hymni propietates describens S. Augustinus in *Psal.* 184. ait: » Hymnus scitis quid » sit? Cantus est cum laude Dei. Si laudes Deum, & non cantas, non dicis Hymnum. Si cantes, & non laudas Deum, non » dicis Hymnum. Si laudas aliquid quod non pertinet ad laudem Dei, etsi cantando laudes, non dicis Hymnum. Hymnus ergo tria ista habet, & canticum, laudem, & Dei.«

Usus Hymnorum in divinis officiis frequenter meminit S. Augustinus: eosque in Mediolanensi Ecclesia primùm decantari jussit S. Ambrosius; tum ut populus mœroris tœdio levaretur; tum ut contra Arianorum perfidiam, per veritatem Hymnis expressam, amaretur.

Verùm quidem est, nonnullos etiam ex Catholicis » Hymnos » humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum & Martyrum triumphos compositos, sicuti hi quos beatissimi Doctores, » Hilarius atque Ambrosius ediderunt, reprobâsse; « *pro eo*, inquiunt Patres Synodi Toletanæ IV. ann. 633. *cap.* 13. *quod de Scripturis Sanctorum Canonum vel Apostolica traditione non existunt*: sed contra hos, usum illorum Hymnorum dicti Patres, aliaque Concilia vindicarunt: ipsaque tandem Universalis Ecclesia admissit: non quidem omnes, sed *qui digni sunt forma cantari*, ut loquitur Concilium Turonense II.

Duo quippè in Hymnis attendenda sunt: Primum quidem, ut nihil in illis irreligiosum, aut prophanum occurrat, sed omnia & audientium ac recitantium ædificationi, & excitandæ, aut fovendæ pietati subserviant.

Alterum, ut eo tono canantur, quo ipsi præsentes ad Psalmorum, aut canticorum, quibus præmittuntur, devotam decantationem excitentur & invitentur: idque pro ratione temporis & Officii; nimirùm nunc ad gaudium, nunc ad mœrorem.

Quare meritò culpat Lindanus Musicos illos Cantores, qui *lætissimos divinæ laudis hymnos, tristissimis Musicorum modulis, contra lugubres Ecclesiæ Trenos lætissimo modulamine contaminant.* In Panop. Evang. l. 4. cap. 78.

Hinc quoque conveniens esse, ut hymni, qui in laudibus vespertinis aliisque divinis Officiis, ad quæ populus convenire solet, in Quadragessima, Adventu, & similibus diebus tono lugubri, juxta Ecclesiæ intentionem canerentur; ut ita

per

per exteriorem illum lugubrem cantum populo indicaretur, dies illos esse dies pœnitentiæ.

§. VI.

De Antiphonis.

Antiphona est vox Græca, latinè idem significans quod vox *reciproca*, vel *contra sonans*, seu *cantus oppositus*. Hinc alternum cantum S. Isidorus *lib. 1. de div. Offic. c. 10.* vocat *Antiphonas*: & Socrates *Antiphonarium* appellat: unde (inquit Vir eruditus Joannes Mabillonius *de Cursu Gallic. §. 1. num. 6.* » *Antiphonæ*, quæ ad alterum Psalmorum cantum præcinuntur, nomen retinuerunt. «

Igitur, quæ hodie *Antiphonæ* dicuntur, propriè hoc nomine vocari nequeunt, nisi in quantum *alternis* vicibus post absolutum Psalmum ab altero choro inchoantur, vel quia dant tonum Psalmo *alternè* canendo, ut ita ab illis Psalmus quodammodo inchoari dicatur. Quæ enim hodie dicitur *Antiphona* est brevis sententia, quæ Psalmo aut Cantico præmittitur continens ordinariè versum aliquem Psalmis magis convenientem ad excitandum affectum conformem officio quod celebratur: » & ad cujus symphoniam, ait Amalarius Psalmus » cantatur per duos choros. In ipsa enim, id est Antiphona, » conjunguntur simul duo chori. « *L. 4. de Eccless. Offic. capit. 7.*

Quo titulo *Antiphona* quoque utilis est adversus distractiones; dum enim alternatim canendo mens fuerit evagata, per illum novum utriusque choro concentum quasi excitata ad seipsam rursus reducitur, ut operi divino attendat.

Pneuma in fine, ait Hugo à S. Victore, *loquitur ineffabile gaudium.*

Quo rursus ex capite, Antiphonæ cantus per illam quasi jubilationem mente suaviter afficiens, ad pietatem excitat, & attentionem conciliat.

Ex quibus sufficienter intelligitur, quâ ratione illa, quæ Psalmorum recitatione præmittuntur ab Ecclesia sint ordinata, ut vel ad piam Psalmorum decantationem præparemur, vel ad eam per intervalla excitemur.

§. VII.

De Psalmis.

PSalmodiam sive cantum Psalmorum esse basim, imò & substantiam divini Officii, reliqua verò quasi ad eam faciliùs atque devotiùs peragendam addita esse, jam pridem observatum fuit. » Sacra Psalmorum modulatio (ait Dionysius » Areopagita, aut alius verus auctor de cœlesti Hierarchia) » quæ omnibus Pontificiis mysteriis *essentiæ* instar, & necessariò adhibetur, ab eo quod sanctitate omnibus præstat, abesse non debebit. «

Psalmos in toto orbe, tam in nocturnis quàm in diurnis fidelium conventibus recitatos fuisse constat, ita ut *primus, medius, & novissimus esset David*, teste Chrysostomo *Hom. 6. de Pœnit.*

Nec mirùm videbitur Psalmorum librum præ reliquis Scripturæ Sacræ libris ità ubique & ab omnibus ad Deum laudandum fuisse assumptum, si ejus excellentiam, tum ex materia, tum ex forma seu genere scriptionis attenderimus, quam adeo magnificè passim Patres deprædicant, & brevi compendio *in Præfat. in Psalm.* expressit Cardinalis Bellarminus his verbis: » Est enim liber Psalmorum, ait, quasi compendium & » summa totius veteris Testamenti: quidquid enim Moyses vel » in historia tradidit, vel in Lege præcipit, & quidquid Prophetæ cæteri vel exhortando ad virtutes, vel prædicendo futura scripserunt; id totum in Psalmis David brevissimè comprehendit..... Hortatur ad virtutes, retrahit à vitiis, invitat, » allicit, minatur, terret; atque hæc omnia non simplici narratione complectitur, seu vario carminum genere phrasibus » poeticis & metaphoris plurimis & admirabilibus, denique novo quodam genere dicendi ita rapit animos in amorem, & » laudem Dei, ut nihil dulcius, nihil salutarius cani, audirive possit. «

Verùm licet Psalmorum ubique recepta fuerit in divinis Officiis recitatio; circa tamen eorundem distributionem per singulas divini Officii partes fuisse, & nunc esse diversas apud varias Ecclesias & Monachorum Congregationes consuetudines, compertum est: illud tamen ubique solicitè observatum, ut ea Psalmorum esset dispositio, ut integrum Psalterium una hebdomada absolveretur.

Et quidem S. Benedictus postquam pro singulis officiis, & horis numerum & ordinem Psalmorum ordinavit, subjungit *cap. 5. Reg.* » Hoc præcipue commonentes, ut si cui fortè hæc » distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter » judicaverit: dum *omnimodis* id attendatur, ut omni *hebdomada* » *da Psalterium ex integro numero* 150. *psalmorum psallatur.*«

Similis quoque fuit, & modo est ordinatio Psalterii Ecclesiæ Romanæ, sive ritu Romano: & quidem » Psalmi mutatio, » unius in alterum: ut pro *Confitemini* in Prima Dominicali dicatur à Septuagesima usque ad Pascha Psal. *Dominus regnavit*, » & pro *Jubilate* in Sabbato de B. Virgine dicatur, *Bonum est confiteri*, ideo decreta est, ait Gavantus, ut in *hebdomada*, quoad ejus fieri potest, expleatur Psalterium, neque » *psalmus unus* omittatur in officio *totius* hebdomadæ. « *Comm. in Rubr. Brev. sect. 5. cap. 8. num. 10.*

Et quis dubitet eam Psalmorum distributionem, & devotioni, & instructioni recitantium fore convenientiorem?

Inde enim contingit, ut diversis quotidie in majoribus saltem horis, occurrentibus Psalmis, facilius evitetur tædium, quod ex eorumdem psalmorum frequenti recitatione oriri solet.

Deinde cum Psalterium tam veteris, quam novi Testamenti historiam, & mysteria juxta SS. Patres repræsentet, indubiè admodum convenit, ut vel eo titulo frequenter integrum Psalterium recitetur.

Contigit quoque ex iterata Psalterii recitatione, quod illud facilè memoriæ mandabitur: quod adeò, præcipuè Clericis, Patres utilè judicârunt; ut nimirùm sic possent die ac nocte in Psalmis meditari.

Undè pius Tongrensium Decanus Radulphus (qui seculo XV. floruit) » cum dixisset, quòd sicut pauci sunt dies Do» minicæ, & multæ feriæ, ita paucæ debent esse festivitates, » & multæ feriæ, seu dies Sanctorum trium lectionum; sub» jungit pro ratione, " sit etiam ad hoc summa ratio, ut *Psal» terium continuetur*, in quo principaliter Officium consistit.« *De Canon. observantia prop. 7.*

Hanc rationem Radulphi contra pluralitatem festorum IX. lectionum (quibus intercurrentibus Psalterii recitatio interrumpitur) probans Gavantus, addit: *Videant Episcopi ne pluralitate festorum fiat injuria officio feriali Domini Dei nostri.* In Rubr. Brev. *Sect. 3. cap. 3. n. 5.*

» Et sanè credendum est, ait Radulphus, hujusmodi ob» servationem magis gratam esse ipsis Sanctis Dei ad finem, ut » *Psalterium*, Sacra Scriptura, Officium mortuorum, 7. Psal» mi pœnitentiales, quindecim Psalmi graduales, & hujusmodi » serventur justo ordine & paucæ fiant festivitates. Non enim » Sancti Dei appettunt indebitas laudes, sed ut rationabile fiat » obsequium nostrum.

Cùm igitur Psalmorum recitatio præcipua sit divini Officii portio; imò ejus quodammodo essentia & basis, patet quam solicitè curandum sit, ut ea devotè, & cum piis animi affectibus peragatur. Hac de causa Monachi in Oriente, ut refert Cassianus, Psalmos quosque præsertim longiores, non continuè & uno tractu ad finem usque percurrebant; sed quibusdam intersectionibus, post denos scilicet aut duodenos versus paulisper pausando, brevi orationi, aut meditationi insistebant.

Qui privatim Horas Canonicas recitat, horum sanctissimorum Monachorum exemplum pro temporis opportunitate & Spiritus Sancti unctione imitari poterit. In choro verò cum nullatenus expediat, ut aliis canentibus, alii abrumpant, ac meditationi insistant, hic modus excitandi affectum servari haud poterit; attamen non deerit occassio & tempus ad Deum frequentiùs aspirandi, & orationes brevissimas ejaculandi, si, ut oportet & superius notatum fuit cantus Psalmorum sit gravis, distinctus, & medios inter versus debita servetur pausa.

» Et quoniam attentio validè admodum excitatur, ait S. Ca» rolus *in Conc. Mediol. V. part. 3. cap. 6.* si, quæ quisque pro» fert rectè intelligit; ideo in ea potissimum expositione Psal» morum assiduè versetur, quæ non varia sit, sed quæ tota in » excitandis, exercendisque sanctis affectibus versetur: cum » autem magnus psallendi fructus in psalmorum affectibus verse» tur, sive quis in choro, sive privatim, sive submissâ, sive » altâ voce oret: idcircò certos sibi locos Psalmorum præfiniat, » quibus omnis hæc ratio concludatur.

» Loci præcipui præter cæteros hi sunt, unde salutares af» fectus existunt: laus Dei, memoria bonorum nostrorum, » commemoratio nostræ miseriæ, & reprehensio malè agentium,

» Psalmorum verbis cum Dei bonitas prædicatur, ad illius » dilectionem, & ad gratiarum actionem de beneficiis, quæ » à divina benignitate proficiscuntur, se toto animo accendant, » Cùm illius infinita sapientia, aut potentia commemoratur, ad» miratione afficiatur: tum intimè gratuletur, cùm aliquid Dei » auxilio benè gestum narratur.

» Cùm bonorum memoria, recordatioque Psalmorum vo» cibus excitatur; desiderium quoddam concipiat illa sibi & » aliis consequendi; tum illa eadem à Deo petat, tum in Deo » spem animo capiat fore, ut divina ejus ope, non modò quæ » bona sunt, quæque salutaria, assequatur, sed quæ mala, ac » quæ perniciem afferuntur, vitet.«

» Aliquando etiam intimè in domino gaudeat, se bona Deo » juvante adeptum esse, & mala cavisse.

» Ex miseriarum commemoratione timorem concipiat, do» lo-

» lorem, ac humilitatem, cùm suas agnoscit infirmitates. «

Porrò hæc Psalmorum intelligentia, quàm hîc commendat S. Carolus, ità debet esse in excitandis, exercendisque sanctis affectibus, ut tamen non omninò à sensu litterali Psalmorum recedat; sed ex illo naturaliter quodammodo fluat: ita ut ipse litteralis Psalmorum sensus ex se non ad mysticum, aut moralem incitet, & invitet. Pro hac intelligentia assequenda præ reliquis conveniens judicatur Paraphrasis Jansenii Gandensis in Psalmos; nec inutilis erit Commentarius D. Sacy.

Monet quoque S. Carolus, ut recitans Psalmos, observet, » quis in psalmo loquatur, an Deus, an Ecclesia, an pœni- » nitens, an aspirans ad perfectionem. « In hunc finem non inutilis erit libellus, cui titulus: *Regles de S. Augustin. pour l' intelligence des Pseaumes.*

§. VIII.

De Versibus, Oratione Dominica, Absolutione, & Benedictione.

POst Antiphonas & Psalmos in officio nocturnali sequitur *Versus*, quem nonulli à *vertendo* dictum autumant: jam enim pridem receptum fuit, ut ad cantum ipsius Versus faciem illicò ad altare vertamus. Alii verò, & verosimilius, dictum volunt *Versum*, eo quòd soleat esse versiculus alicujus Psalmi, aut alterius Scripturæ, cujus medietas ab Acolytho, aut Choraule canitur, & altera medietas à Clero succinente suppletur.

Talis verò assumi solet versiculus à Psalmo aut Scriptura pro *Versu*, qui ipsum statum Officii in memoriam revocet; quemadmodum pluribus probat Cardinalis Bona, & quisque hodiernus Versus, præcipuè in Officio de Tempore, atendendo facilè advertet.

Cantatur autem *Versus* clarâ & acutâ voce, & frequentiùs cum neuma: ut nimirùm hoc cantu excitemur, mentemque nostram evagantem revocemus & recolligamus. Ut proinde *Versus* non incongruè comparentur *brevissimis & raptim quodammodo jaculatis orationibus*, quas crebras fuisse apud Monachos Ægypti, testatur Augustinus *Epis.* 103. usumque earum continuum orationis spiritum in nobis conservandum mirificè commendat.

Canitur autem post Psalmos ante Lectiones, ut qui inter psallendum forsan districti fuerint, per cantum ipsius Versus, ac Lectionum doctrinam diligenter, & attentè excipiendam excitentur.

Ritu Romano Versum sequitur *Oratio Dominica* » ad mun- » danda corda, & opera nostra: & cum communi assensu » terminata propter Sanctorum communionem « inquit Hugo à S. Victore in *Spec. Eccl. c.* 3.

Finitâ Oratione Dominicâ sequitur alia Oratio dicenda ab eo, qui Officio præest, quæ *Absolutio* appellatur. » Dicerem, » ait Stephanus Gavantus, *Absolutionem* appellari sumptâ de- » nominatione à nobiliori, quæ dicitur in tertio nocturno, in » qua sunt ea verba: *à vinculis peccatorum nostrorum absolvat » nos* &c. « *In Rubr. Brev. Sect.* 5. *c.* 11.

Prædictæ orationis suo nomine *Absolutionis* meminit à 200. annis Radulphus Tongrensis, & à 400. annis sub nomine *precum* Durantus. Sub nomine verò *Benedictionis* seculo VI. ut credit vir eruditus Hugo Menardus, S. Benedictus. Agens enim de Benedictione, quam *versu* recitato per Abbatem recitari jubet S. Pater, ait: *Quæ benedictio est capitulum illud, quod modo appellatur Absolutio.* Ad Concil. Reg. pag. 344.

Hoc ritu nos docere voluit Ecclesia, quòd per orationem præparari debeamus ad audiendum verbum: quatenus precibus propiciatus Dominus adaperiat cor nostrum in lege sua, detque sensum ad intelligendum Scripturas.

Pronuntiatâ *Absolutione*, Lector seu qui lecturus est lectionem, sciens se sine speciali Dei adjutorio non posse officio ritè defungi, præsertim, ut illud quod *ore legit, corde credat, atque opere compleat*, conversus ad eum, qui officio præest, petit benedictionem his verbis: *Jube Domine benedicere.*

Hic ritus, ait Cardinalis Bona, *de Divin. Psalm. cap.* 16. §. 14. » antiquissimus esse videtur, nam in manuscriptis Græ- » corum Patrum homiliis plerumque præfixa reperientur hæc » verba, *benedic Pater*, quod Jacobus Gretzerus ex an- » tiquo more petendi benedictionem à prælato, priusquam le- » gere quis inciperet, derivâsse arbitratur. Quare & in multis » sermonibus S. Ephrem hæc eadem verba prænotata vidimus, » quia ejus scripta publicè in Ecclesia legi solebant, ut testatur » D. Hieronymus. «

In Ecclesia Latina seculo IX. ritum hunc postulandæ benedictionis in usu fuisse, colligitur ex Capitulari Ludovici Pii *Anni* 817. quo statuitur *cap.* 67. *Ut Lector stando benedictionem petat.*

Humili Lectoris postulationi annuens Sacerdos, aliusve qui Officio præest, benedictionem à Deo postulat hac aut simili brevi preciuncula: *Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus.*

Quo ritu ostenditur, quòd licèt Sacerdotes constituti sint, ut populo bendicant, ipsi tamen nequeant sua propriâ virtute eam impartiri, sed per orationem à Deo, qui est fons omnis benedictionis, & sibi ac aliis impetrare debeant.

§. IX.

De Lectionibus.

USum Lectionum in divinis Officiis jam pridem usitatum fuisse constat. Refert enim Justinus Martyr, lectiones ex Apostolis & Prophetis in conventu fidelium legi solitas fuisse.

Et Concilium Laodicense seculo IV. decrevit: ut *psalmis lectiones interponerentur.*

Monachos quoque tum in Ægypto, tûm in Palæstina lectiones inter Psalmorum decantationem interposuisse constat ex Cassiano.

De Lectionibus disserens Sanctus Isidorus *Lib.* 1. *de Eccles. Offic. c.* 10. ait: » Est autem Lectio non parva audien- » tium ædificatio, ut quando psallitur psallatur ab omnibus; cum » oratur oretur ab omnibus; cum *Lectio* legitur, facto silentio, » æquè audiatur à cunctis... Nec putes parvam nasci utilitatem ex » Lectionis auditu. Siquidem oratio ipsa fit pinguior, dum mens » recenti Lectione saginata per divinarum rerum, quas nuper » audivit, imagines currit. «

Porrò cùm præ reliquis omnibus, licèt à Sanctissimis viris, conscriptis libris, longè excellat ad inflammandos affectus & instructionem fidelium Scriptura Sacra, etiam semper moris fuit, ut è libris Scripturæ lectiones præcipuæ sumerentur.

De Monachis Ægypti refert Cassianus: » Numero duode- » nario Psalmorum adjungunt Lectiones geminas, id est, unam » veteris, & aliam novi Testamenti... In ipso verò Sabbati » vel Dominico die utrasque de novo recitant Testamento, id » est, unam de Apostolo vel Actibus Apostolorum, & aliam » de Evangeliis. « Hæc Cassianus *Lib.* 2. *Inst. cap.* 6. qui nullibi meminit aliunde, quàm è S. Codice desumptas Lectiones à Monachis fuisse recitatas.

S. Benedictus *Cap.* 9. & 11. *Reg.* agens de recitandis Lectionibus, ait: » Codices autem legantur in vigiliis, tam *Ve-* » *teri Testamenti, quàm Novi.* Die Dominico legantur aliæ » 4. Lectiones de *Novo Testamento.* « Deinde vult, ut dicto hymno *Te Deum laudamus* Abbas legat *lectionem de Evangelio*, cum honore & reverentia stantibus omnibus.

Præcipuum proinde locum obtinuit S. Codex, è quo Lectione desumerentur; quin tamen in nonnullis Ecclesiis, etiam primis seculis, lectioni S. Codicis adjuncta fuerit lectio ex actis Martyrum, aut scriptis SS. Patrum desumpta, ambigi nequit.

Et quidem S. Benedictus permittit, ut præter Scripturas Sacras legantur earum expositiones, quæ à nominatis, & orthodoxis, Catholicisque Patribus factæ sunt.

Imò seculo IV. in nonnullis Ecclesiis fuisse lecta scripta B. Ephrem testatur S. Hieronymus *de Script. Eccles. c.* 115. *Ad tantam* ait, *venit* (B. Eprhem) *claritatem, ut post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur.*

Similiter sub idem tempus Concilium Carthag III. passiones Martyrum legi permittit, *cùm anniversarii dies eorum celebrantur.*

Nequaquam proinde hodierna Ecclesiæ consuetudo, recitandi publicè in Ecclesia, præter Scripturam Sacram, acta Sanctorum cùm eorum dies anniversarii recurrunt, aut scripta Sanctorum Patrum à Majoribus nostris improbata fuit, sed illud solum licitè cautum, ut nihil, nisi probatum & ad ædificationem audientium idoneum legeretur.

Hinc jam pridem in Synodo Milevitana sub Inocentio I. decretum est, » ut nullæ preces dicantur in Ecclesia, nisi » quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Syno- » do fuerint: ne fortè, inquit, aliquid contra fidem, vel per » ignorantiam, vel per minus studium sit compositum. «

Quantopere solicitus fuerit S. Gelasius I. ne quid apocryphum, aut dubiæ fidei in Ecclesia recitaretur, suprà notavimus: ex cujus verbis rectè intulit jam pridem Radulphus Tongrensis, *quod legenda & cantanda in Ecclesia Dei, ultra omnia debeant esse pura, clara, & facilia absque hæsitatione quacunque.* De Canon. observ. *prop.* 17.

Et ante Radulphum S. Bernardus expendens divini Officii dignitatem melifluè docet, quæ sint digna in Ecclesia recitari; » In solemnitate celebri, ait *Epist.* 212. non novella » audiri decet vel levia, sed certè autentica & antiqua, quæ » Ecclesiam & ædificent, & Ecclesiasticam redoleant gravi- » tatem; quod si nova audire libet, & causa requirit, ea, » ut dixi, recipienda censuerim, quæ cordibus audientium

quo

» quo gratiora, eo utiliora reddat & eloquii dignitas & auctoris. Porrò sensa indubitata resplendeant veritatem, sonent » justitiam, humilitatem suadeant, doceant æquitatem, quæ » etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, » crucem vitiis, afectibus devotionem, sensibus disciplinam. «

Hodierna proinde disciplina legendi non tantùm Scripturam S. sed & Patrum scripta, & SS. jam pridem communiter & ubique penè recepta fuit, quamvis nonnullæ fuerint Ecclesiæ, quæ præter Scripturam S. alia in divinas laudes admittere diutiùs renuerint. Et quidem hanc disciplinam in Ecclesia Lugdunensi seculo IX. adhuc superstitem acriter propugnavit Sanctus Agobardus ejusdem Ecclesiæ Antistes in libris *de Divina Psalmodia*, & *de Correctione Antiphonarii*. Vide Mabillonium *de Cursu Gallic.* §. 2. *num.* 26.

Quoad alios hodiernos circa *lectionum* recitationem ritus, nonnulla à pristinis intercedit diversitas.

Quòd enim hodie lectiones tum ex sacra Scriptura tum Patrum homiliis, aut actis SS. determinatæ sint, pristinæ disciplinæ non consonat. Solebant enim in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, Collegiatis & Monachorum esse libri Scripturarum, Legendarii, quibus acta SS. continebantur, & Homiliarii, à quibus Lectiones recitabantur; neque finis lectioni imponebatur, quousque à Prælato aut Præside chori finis lectioni imponeretur. Vide Bona *de Divina Psalm. cap.* 16. §. 14.

Atque hinc indubiè factum, quòd in vetustissimis Breviariis M. S. nullæ reperiantur descriptæ lectiones. Cùm enim ad arbitrium Superioris ex Scriptura sacra, Legendariis & Homiliariis legerentur, nequaquam incertæ, atque indeterminatæ illæ lectiones describi poterant. Vide observationes Paschasii Quenel. in *antiq. Brev. Cassin. in app. ad pœnit. Theodori, pag.* 327.

Finis autem, ut nonnulli credunt, à Prælato imponebatur per hæc verba, quæ hodie à lectore finitâ lectione dicuntur, *Tu autem*: atque ad hunc ritum alludere videtur Petrus Cellensis *Lib.* 6. *epist.* 20. Volens enim significare quòd in studio charitatis nunquam sit finiendum, ait: *Lectio illa sine* tu autem *continuetur*.

His verbis Prælati statim parens lector dicebat: *Domine miserere nobis*: postulans nimirùm sibi ignosci, si quid in lectione deliquisset.

Verbis Lectoris, prout & hodie in usu est, succinebat chorus, *Deo gratias*: » quod non ad ultimam precem Lectoris, » ut rectè notavit Rupertus Abbas, sed ad totam Lectionem » respicit. Gratias namque agimus Deo, quod doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatus sit, ne fame audiendi verbum » Dei pereamus. « *Lib.* 1. *de Div. Offic. cap.* 14.

Adhæc lectiones præsertim è Scriptura S. multò, quàm hodie prolixiores erant. Et quidem cùm noctes essent longiores, adeò prolixa erat Lectio in quibusdam locis, ut in antiquis consuetudinibus Cluniacensibus notetur, quòd nonnunquam in sex noctibus absolverent, totum Isaiam præter Lectiones ex Patrum homiliis; & integra Epistola ad Romanos duabus noctibus ferialibus legebatur. Vide Thomassin. *P. IV. L.* 1. *cap.* 42. §. VI. Verùm licèt non ubique tam prolixa foret Lectio, illud tamen sedulò observatum fuit, ut S. Scripturæ Libri integri, nequaquam eorum partes duntaxat, ut hodie contingit, legerentur; quod & seculo XI. adhuc in usu fuisse, ex ordine recitandi Sacros libros à Ruperto Abbate descripto, *L.* 12. *de Divin. Offic. cap.* 24. & 28. non obscurè colligitur. Unde indubiè puriori Ecclesiæ disciplinæ se conformant, qui, cùm tempus suppetit, privatim quotidie supplent è Scriptura Sacra, quod in Breviario omittitur: quo fiat, ut cùm ex dispositione Lectionum alius Scripturæ liber est legendus, præcedentem integrum absolverint.

§. X.

De Responsoriis, & Hymno Te Deum laudamus.

POst lectiones sequuntur *Responsoria*: quorum usum jam pridem receptum fuisse, non tantùm probat regula S. Benedicti, quæ frequenter illorum meminit, sed Concil. Tolet. IV. quod & vult, ut in fine Responsoriorum dicatur *Gloria Patri*: quem ritum etiam notat S. Benedictus, addens, ut dum à canente inchoatur Gloria, *mox omnes cum reverentia surgant*: quod meritò hodie ubique religiosè servaretur.

Insuper vult dictum Toletanum Concilium ut in dicendo *Gloria Patri* in fine Responsoriorum, hæc discretio servetur *ut in lætis sequatur* Gloria, *in tristioribus repetatur principium*. Quibus verbis expressum cernimus hodiernum ritum Romanum juxta quem tempore Passionis omnium tristissimo, in Responsoriis omittitur *Gloria*, & repetitur principium.

» Responsoria (ait Isidorus *Lib.* 1. *de Eccles. Offi. cap.* 8.) » vocata sunt hoc nomine, quòd uno canente, chorus consonando respondeat. Ante autem id solus quisque agebat, nunc » unus interdum duo vel tres communiter canunt, choro in plurimis respondente. «

Unde non malè ab Hugone à S. Victore *l.* 1. *de Div. Offic. cap.* 15. Responsorium *assensus auditorum* dicitur, quasi per illud *assensum* monitis Lectoris præbentium. Cui consonat Rupertus Abbas, dum ait: Responsoria ita debere esse ordinata, ut tristia *tristibus*, *& læta lætis succinantur*. » Si quidem, ait, » neque moris est, neque decoris, ut cùm Lector tristia dixe» rit, v. gr. quæ sunt pœnitentiæ, sive lamentum aliquod Do» minicæ Passionis, chorus in Responsorio saltet de gaudio reg» ni, & gloria Resurrectionis. «

Adhæc cùm in Responsorio vocem levare soleamus, quin & sub eadem syllaba cursiones facere; rectè quoque dicitur canticum spirituale ad sublevandum animos inter legendum.

Responsorium ritu Romano in Dominicis, excepto tempore Adventûs & Septuagessimæ usque ad Pascha, & in Festo SS. & toto tempore Paschali, etiam in ferialibus officiis, sequitur hymnus *Te Deum laudamus*.

Hymnus hic in Breviario Romano inscribitur, Hymnus S. Ambrosii & S. Augustini. Verùm eruditi quamplurimi dubitant num revera Patrum istorum opus sit; maluntque Sisebuto Monacho tribuere, cui in antiquis M. S. Breviariis nonnullis tribuitur.

Sufficiet hîc de hac controversia judicium Viri singularis ac profundissimæ eruditionis Paschasii Quenelii, qui in Observationibus ad Breviarium chori Monasterii Montis Cassini (quod à 600. an. conscriptum esse multis probat argumentis) ait in prædicto Breviario titulum hymni *Te Deum laudamus* ita habere: Hymnus Sisebuti Monachi, » Qui cùm omninò in eo » conveniat, inquit, cum altero codice M. S. Basilicæ Vaticanæ, » quem Eminentissimus, Doctissimusque Cardinalis Bona à se » invitus fuisse testatur in libro *de Divina Psalmodia*: ubi idem » Sisebutus hujus hymni Auctor asseritur, vix jam de Auctore tam celebris per totam Ecclesiam cantici ambigendi locus relinquitur, præsertim cum ante Regulam S. Benedicti » mentionem de hoc hymno nullam inveniamus. « *In App. ad Pœnit. Theodori, p.* 327.

Hæc ille: quibus addi possunt, quæ circa Chronicon Dacii Archiepiscopi Mediolanensis; cujus præcipuè auctoritate hymnus hic S. Ambrosio & S. Augustino adscribitur, observat Mabillonius *tom.* 1. *Analect. p.* 3.

Certùm interim est, hymnum illum à multis seculis in divino Officio fuisse recitatum; ut constat ex regula S. Benedicti, Amalario, & Micrologo. *In Prol. de Ord. Antiphon. Microlog. cap.* 46.

Constat quoque hymnum hunc, si verba spectes & sonum quo canitur, lætitiæ esse & gaudii ac simul gratiarum actionis: propterea cum hymno Angelico *Gloria in excelsis Deo*, pari passu procedere: ut dum hic in Missa dicitur, ille pariter in Officio dicatur; & si hic omittitur, similiter ille omittatur.

Hinc patet, cur tempore Paschali & omni die Dominica (nisi tempus pœnitentiæ gaudium non permittat) ob mysterium Resurrectionis, & dum triumphi Martyrum aliorumque Sanctorum recoluntur, excepto festo Sanctorum Innocentium (ob *lachrymas Matrum*, ut credit Gavantus *in Rubr. Brev. Lect.* 6. *cap.* 4. *num.* 3. dicatur: in diebus aliis quæ gaudium speciale non requirunt, omittatur.

Facilè quoque hinc colligitur, quo spiritu, & affectu, nimirum gaudi, & gratiarum actionis, decantari debeat.

CAPUT II.

De Matutino, quod hodie *Laudes* dicitur, ejusque partibus.

PARAGRAPHUS I.

An Laudes sive Matutinum sint Officium distinctum ab officio nocturno, & an distinctis horis sint recitandæ.

OFficium quod olim dicebatur *Matutinum*, hodie *Laudes* vocatur; inde nomen *Matutini* accepit, quod initio Matutini crepusculi persolvi debeat, justa intentionem Ecclesiæ: ut evidenter insinuant hymni, qui ad Matutinum sive Laudes recitantur: *Ecce jam noctis tenuatur umbra, & lux aurora rutilans coruscat, &c.* Item, *aurora cœlum purpurat*: & alius, *nocturna lux viantibus à nocte noctem segregans, præco diei jam sonat, &c.*

Nomem verò *Laudum* officium illud accepit à Psalmo 148. & duobus sequentibus, qui per modum unius quotidie in hoc officio recitantur: qui laudes Dei per omnes penè versus resonat, quos propterea Laudum nomine S. Benedictus *cap.* 12. & 13. *Regulæ*, insignivit.

Constat quoque hoc Officium ab Officio nocturnali planè fuisse distinctum, non tantùm apud Monachos, sed & apud Clericos distinctisque horis fuisse utrumque persolutum. Nocturnum quidem circa media nocte, *Matutinum* verò illucente aurora.

Un-

Undè Radulphus Tungrensis *de Can. observant. prop.* 14. ait: » Quamvis seculares jungant *vigilias matutinis laudibus*, » & abusive utrumque appellent *Matutinas*, tamen sunt dis- » tinctæ horæ, & divisim à Monachis per oratione termi- » nantur. «

Quin & hodiernus ritus, secundum quem finito Officio nocturno, ad matutini sive Laudum inchoationem canitur versus, *Deus in adjutorium*, sat insinuat aliud Officium inchoari.

Hinc collige, parùm de spiritu Ecclesiæ esse instructos, qui ipsum Officium nocturnum à Laudibus separare verentur; creduntque illa duo Officia uno tractu esse recitanda; cum econtra illa à se separare intentioni Ecclesiæ sit conformius: unde nullatenus improbandum, si quis ob negotia occurrentia convenire judicans, ut officium nocturnum præcedenti vesperâ persolvat, *Laudes* in diem sequentem ad auroram recitandas differat.

§. II.

De Capitulis.

SCiendum, ait Radulphus Tungrensis, quòd sicut ad vigilias noctis leguntur lectiones magnæ, ita ad Laudes & Vesperas, & ad quinque parvas horas dicuntur » parvæ » lectiones, sive lectiunculæ, quas Sanctus Benedictus in Re- » gula sua vocat *lectiones*, & ita sæpè appellantur in mul- » tis Scripturis. Communi autem usu seculari appellantur *Ca- » pitula*. « Hæc Radulphus *de Canon. observ. prop.* 13.

Quæ igitur hodie *Capitula* dicuntur, sunt breves Lectiones, quæ in horis diurnis post Psalmos recitantur.

Dicuntur autem breviores de die quàm nocte, quia noctis tempore amplius vacabat Monachis & populo, instructiones longiores excipere, quàm de die, quando aliis operibus frequenter occupari debebant. Hinc apud Monachos in Palæstina, ne opera sua continuò intermittere tenerentur, *exceptis vespertinis & nocturnis congregationibus, nulla per diem solemnitas celebrabatur*, sed inter operas, *preces & orationes per singula momenta miscentes, in his officiis*, ait Cassianus, *quæ non statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumunt.* Epist. 3. Instit. cap. 2.

Adhæc cum de die Missarum solemnia peragenda essent, tempus permittere non videbatur, ut prolixiores instructiones haberentur; sed visum fuit sufficere, si brevis aliqua sententia ex S. Scriptura per modum brevis *instructionis* sive *lectionis* à Superiore diceretur.

Hinc ritus ille, quod *Capitula* non à Lectore, sed ab eo qui officio præest recitentur; idque non postulatâ benedictione: quia cum hic Prælatum chori repræsentet, non convenit, ut ab alio benedictionem petat.

Non concluduntur quoque ritu aliarum lectionum per *tu autem* &c. quia cum hæc verba dicerentur à Superiore, ut finis lectioni imponeretur, facile apparet, cur in brevi lectione à Superiore, aut ab eo, qui officio præest, recitanda, non sint dicenda. Deinde à Lectore per illa, *Domine miserere nobis*, postulatur erratorum venia, quam à Superiore apud inferiores postulari non ita videbatur conveniens.

Respondetur tamen à choro *Deo gratias*, ut pro singulis, etiam minimis gratiæ donis gratias agamus, & hanc brevem instructionem nobis quoque à Deo venire confiteamur.

Igitur *Capitula* sunt breves quædam lectiones, sive exhortationes, quæ per diem à Superiore inter divinas laudes fiebant, quibus interim mens quasi novo quodam spirituali pabulo reficeretur. Debebat autem recitari *ex corde*, sive *memoriter*: atque hinc forsan fit, quòd eadem frequentius Capitula recitentur; imo idem *Capitulum* in variis horis ejusdem diei recurrat; cum lectiones Nocturnorum semper varient. Vide *cap.* 12. *Regul. S. Benedicti.*

§. III.

De Precibus *ferialibus.*

DE *Hymno* ac *versu*, qui in Laudibus post Psalmos & *Capitulum* dicuntur, cum de his actum, hîc non agam: hoc unum notandum, hymnum, & versum in Laudibus, Vesperis, & Completorio recitari immediate ante Cantica Evangelica; ut nimirum, per eorum cantum excitemur ad illorum devotam recitationem, tanquam harum horarum excellentiorem partem, nimirum ex Evangelio desumptam; unde sicuti ad excipiendam lectionem Evangelii omnes cum *honore & tremore* stare debent, ita quoque ad Canticorum illorum cantum stare jubentur.

Post Canticum in Laudibus & Vesperis interdum sequuntur *preces*: quæ in plurimorum *versuum* alterna recitatione consistunt; quarum seculo VI. evidenter meminit S. Columbanus *cap.* 7. *Regulæ*, dicens, » per diurnas horas terni » Psalmi pro operum interpositione statuti sunt à Senioribus » nostris, cum *versiculorum augmento* intervenientium pro » peccatis primum nostris, deinde pro omni populo christia- » no, pro Sacerdotibus & reliquis Deo consecratis plebis sa- » cris gradibus; postremò pro eleëmosynas facientibus, pos- » tea pro pace Regum &c. «

Hæc S. Columbani verba si conferantur cum hodiernis precibus evidens erit, illas ad vivum fuisse expressas.

A Græcis originem suam sumpserunt, teste Isidoro: ideoque adhuc à voce Græca *Kyrie eleyson*, quæ latinè significat, *miserere mei*, inchoantur, *L.* 1. *de Eccles. Offic. c.* 9.

Oratio Dominica inter has preces integra pronuntiatur *clarâ voce*: cujus ritus meminit S. Benedictus *cap.* 13. *Regulæ*, qui ei rationem addit: » propter *scandalorum* spinas, quæ » oriri solent in Monasterio; ut conventi per ipsius oratio- » nis sponsionem, qua dicunt: *Dimitte nobis debita nostra: » sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, purgent se ab » hujusmodi vitio.»

Ex his finalibus verbis evidens est, ut etiam notat Hugo Menardus ad *Concord. Reg. p.* 355. *scandalum* hoc loco sumi pro peculiari peccato dissensionis, aut rixæ, sive iracundiæ, rancoris, aut odii.

Quidni ergo meritò eadem ratione Ecclesia audientibus Canonicis & Clericis in unum congregatis jubeat Orationem Dominicam *clarâ voce* recitari, ut se ab hujusmodi vitio, quod non minus inter ipsos, quàm Monachos, timendum est, *purgent*. Præsertim diebus pœnitentiæ ac jejunio destinatis (quibus ritu Romano hæ preces dumtaxat dicuntur) eò quòd dies illi exigant, non tantum ut orationi & *precibus* diutius ac ferventius occupemur, sed etiam opera misericordiæ, inter quæ non minimum est offensarum remissio, alacrius exerceamus.

§. IV.

De Oratione, sive Collecta, ac Ritu, quo recitatur.

RItu Romano in fine cujuslibet horæ Sacerdos, sive qui officio præest, recitat vel canit orationem, quam *Collec- » tam* dicimus: » eo quod Sacerdos, ut notat Micrologus *de » Eccles. obs. cap.* 3. qui legatione fungitur pro populo ad Do- » minum, omnium petitiones eâ oratione colligat atque con- » cludat. «

Hinc antiquitus, qui Officium concludebat, dicebatur *orationem colligere*; quia brevi quadam oratione omnium vota precesque colligebat. Vide Cass. *l.* 2. *Instit. cap.* 7. & 10. & *notas Gaz.*

Quis orationum sive *Collectarum*, quibus hodie concluditur, auctor sit, incertum est. Illud constare videtur, quod Gregorius Magnus meliores, & emendatiores in ordinem redegerit, ipseque meritò primarius *Collectarum* auctor sit habendus: » Nam » & ante ipsum (ut observat Cardinalis Bona *de div. Psalm. » cap.* 16. §. 17. *num.* 2.) rarior earum mentio apud Scriptores » Ecclesiasticos reperitur.

» Sunt tamen & aliæ à recentioribus editæ, ait idem Cardina- » lis *Lib.* 2. *Rerum Liturg. cap.* 15. *n.* 4. quæ facilè dignoscun- » tur, si cum antiquis & Gregorianis conferantur; elucet enim in » antiquis veteris Ecclesiæ spiritus: elucet in rebus ipsis Aposto- » lica quædam gravitas: in sensu & in collatione verborum gra- » ta quædam & perspicua concinnitas, adeò ut brevi compen- » dio multa contineantur. «

Sacerdos Colectam recitaturus priùs adstantes salutat, dicendo: *Dominus vobiscum*, quæ salutatio è veteri Testamento in Ecclesiam derivata est: Booz enim salutans messores suos, ait: *Dominus vobiscum.* Ruth. cap. 2. Ejus antiquitatem ostendit, & prædicat Synodus Bracarensis II. ann. 563.

Præmittitur hæc salutatio orationi, ait Rupertus, ad excitandam attentionem ad orationem: estque apprecatio Sacerdotis, ut Dominus in ipsis maneat, & petitionibus ipsorum effectum tribuat.

Apprecationi Sacerdotis respondet Chorus: *Et cum spiritu tuo*, quæ sumpta videtur ex Epistola Pauli, ubi ait: *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.*

Hunc ritum antiquissimum esse colligitur ex Chrysostomo, qui illius meminit: & scribit Florus Magister, » nihil meliùs in- » venisse Ecclesiam, quod optaret Sacerdoti, nisi quod Sacerdos » optat Ecclesiæ; ut idem Dominus, qui dignatur esse cum Ec- » clesia, dignetur etiam esse cum *spiritu* Sacerdotis.« *Homil.* 18. *in* 2. *ad Cor. in exposit. Missæ.*

Porrò Sacerdos *Collectam* dicturus, tam se quàm alios ad orandum hortatur, dicens: *Oremus*, idque ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, ut patet ex antiquis Liturgiis, & ejus meminit S. Augustinus *Epist.* 107.

Post precationem sive *Collectam*, Chorus respondet *Amen*: cujus responsionis ex Apostolo, & SS. Patribus antiquitas manifesta est.

Amen vox est Hebraica, qua SS. Litteræ utuntur ad aliquid con-

confirmandum: Latinè idem sonat, quod *fideliter*, *sic est*, *ita fiat*. Hinc in responsione Chori accipitur pro *ita fiat*, quasi nimirum Chorus succinendo Sacerdoti *Amen*, dicat, *ita fiat*, ut postulâsti, & orâsti. Unde Augustinus monet, ut Ministri *distinctè* preces pronuntient, quatenus populus ad id, quod intelligit, dicat *Amen*.

Ex his patet, quo affectu nos componere debeamus ad orationem, dum à Sacerdote proclamatur *Oremus*, & quàm attenti esse jubeamur ad verba orationis, ut eâ finitâ intimo cordis affectu respondere possimus, *Amen*. Qua de re etiam Parochi non inutiliter populum instruent, qui toties illud *Oremus* inclamari audiunt, nec tamen, quid significet, intelligunt; aut certè ob frequentiam & consuetudinem non attendunt; ut ritè instructi possint, si non ore, saltem corde dicere *Amen*.

CAPUT III.

De quatuor minoribus Horis, Vesperis et Completorio.

PARAGRAPHUS I.

De Prima.

PArs illa Officii, quam hodie *Primam* dicimus, apud Patres ætate Cassiani antiquiores non invenitur. Et quidem ipse Cassianus asserit, *Primam* suo tempore in suo Monasterio Bethleemitico celebrari cœpisse, ne Monachi post Laudes usque ad *Tertiam* otiosi & somnolenti jacerent in cellis, cùm nulla conventûs necessitas eos ad orationem compelleret. Unde alibi vocat eam *novellam* institutionem & solemnitatem.

Quare verissimum est, quod observat Radulphus Tungrensis *Primam* & Completorium (de quo infrà) *post aliarum horarum institutionem addita esse*.

Atque hinc facilè intelligitur, qua ratione factum sit, ut ritum diversum ab aliis horis jam institutis sortita sit: nec recitetur *Collecta* Officii occurrentis, ut in aliis, sed illa, quæ incipit: *Domine Deus omnipotens*.

Quæ oratio, uti totius Officii partes, id est, Hymnus, versus atque preces, eò unicè tendunt, ut Deus *in diurnis actibus nos servet à nocentibus*: *exurgat*, *ut adjuvet nos*, & gratiæ agantur, quòd ad *principium hujus diei nos pervenire fecerit*.

Unde meritò hæc officii pars operibus nostris præmittitur; imò & juxta Ecclesiæ intentionem primò mane persolvenda est, quod vel initialia verba ipsius hymni evincunt: *jam* lucis orto sidere *Deum precemur supplices*. Unde & ante *Primam* Monachis silentium solvere jam pridem interdictum fuit.

Ritu Romano in Dominicis post Psalmos sequi Symbolum vulgò Athanasii.

Symbolum hoc sub nomine S. Athanasii à multis seculis receptum fuisse: quin & ante 600. annos in Divino Officio recitatum, constat ex vetusto Breviario Chori Montis Cassini (de quo suprà mentio est) in quo dictum Symbolum sub hoc titulo legitur: *Fides Catholica edita ab Athanasio Alexandrinæ Sedis Episcopo*.

Olim quotidie in Prima recitatum fuisse asserit Honorius.... Hodie solis diebus Dominicis, quæ SS. Trinitati (cujus mysterium specialiter exponitur in hoc Symbolo) singulariter sacri sunt.

Verùm eo non obstante complures Viri eruditi pluribus probârunt argumentis, Symbolum illud S. Athanasio tribui non posse: quorum argumenta hîc proferre non est hujus instituti; illa apud Auctores, qui de ea re ex professo scripserunt, facilè videri poterunt. Vide P. Papebroc. *tom.* 1. *Maji*, *in Append. ad cap.* 3. *vitæ S. Athanasii*, *& ab eo citatos*.

Finitur *Prima* propriè post Collectam: *Dómine Deus omnipotens*, quâ recitatâ dicitur: *Benedicamus Domino*, quo finis Horis imponi solet.

Martyrologium & preces olim non in Choro, sed in Capitulo, ad quod Monachi & Canonici convenire quotidie solebant, recitabantur; ut Radulphus etiam seculo XV. testatur.

Recitabatur quoque lectio prolixa ex regula, idque eo ritu, quo Lectiones nocturnorum: *cujus vice*, ait Gavantus *legitur hodie* lectio brevis: quæ & ob id lectio ad *absolutionem* Capituli dicitur: & eodem, quo Lectiones Nocturnorum, ritu recitatur.

Itaque lectio Martyrologii, cum reliquis subsequentibus, demum *Primæ* adjecta fuerunt, dum Canonici, & Clerici quotidiana Capitula habere desierunt.

Ideò autem legitur Martyrologium, sive fasti Sanctorum, ut eorum *intuentes exitum conversationis*, *imitemur & fidem*. Ad Hebr. 13. v. 7.

Illorum autem nomina Sanctorum anticipatâ lectione recitantur, quorum memoria sequenti die recolitur, quatenus venturæ festivitatis celebrationem digniori, ac devotiori apparatu præveniamus.

§. II.

De Tertia, Sexta, Nona, Vesperis & Completorio.

DE partibus Horarum istarum, *Hymnis*, *Psalmis*, *Capitulis*, *Responsoriis*, *Versibus*, *Collectis* hîc agere animus non est, cùm de his jam antea actum sit; nec in his penè quidquam occurrat speciali notâ dignum; nisi quòd in tribus minoribus, uti & *Primâ*, quotidiè recitetur Psalmus: *Beati immaculati*, in varias partes quasi totidem Psalmos divisus.

Hic Psalmus meritò horis diurnis assignatus est, quia in eo Propheta studio fervens erga Dei mandata ostendit: quem fervorem præcipuè Ecclesiæ Ministris summoperè necessarium novit Ecclesia.

Tempus quo, *Tertia* persolvenda est, nomen indicat. Tertia enim apud Romanos æquivalebat nostræ *Nonæ* antemeridianæ.

Tempus *Sextæ* nomen, & hymnus indicant. Sexta enim apud Romanos nostræ *Duodecimæ* respondebat, unde circa meridiem exsolvenda; ut & hymnis indicat his verbis *Splendore manè illuminas*, *& ignibus* meridiem.

Nona apud Romanos *Tertiæ* nostræ pomeridianæ respondebat; quare non ante meridiem, ut in pluribus Ecclesiis moris est, sed post meridiem persolvenda est.

Vespertinum officium antiquissimum esse nemo dubitat: illud quoque constat, jam dudum creditum fuisse, ut notat Radulphus, quòd *Laudes*, *& Vesperæ simili modo debeant officiari*.

Proinde ritu *Laudum* perspecto, & Vesperarum ritus cognoscitur.

Quòd verò Vesperæ diei Dominicæ, & Festorum celebrentur die præcedenti, inde contingit, quòd pluribus seculis moris fuerit, ut dies Dominici, & festivi celebrarentur de Vespera in Vesperam: qui celebrandi ritus, cùm circa seculum XII. aut XIII. paulatim apud populum defecit, mansit tamen in Officio divino, cùm in *Cap.* 1. ✠ *de Feriis* diceretur, dies Dominicos *à Vespera in Vesperam* esse celebrandos, Glossographus morem sui temporis attendens, ait, id non procedere quoad judices, sed *quantum ad celebrationem Officiorum*. Vide Thomassin. *de Festis*, *lib.* 3. *cap.* 5.

Ritus *Completorii* & *Primæ* penè in omnibus conveniunt; & ut hæc post reliquas horas instituta fuit, ita & hoc, & quemadmodum *Prima* dicitur, ut Deus *in diurnis actibus nos servet à nocentibus*; ita Completorium, ut dignetur *nocte ista sine peccato nos custodire*, ac *procul recedant somnia*, *& noctium phantasmata*, *hostemque nostrum comprimat*, *ne polluantur corpora*. Denique à *Prima* dies inchoari, & per Completorium finiri debet.

Inchoatur autem *Completorium* propriè à versu *Deus in adjutorium*, aut *Converte nos*. Quæ enim antecedunt, nimirùm *brevis lectio* & reliqua cum peccatorum confessione, adjecta fuere, postquam Clerus ad vespertinas spirituales collationes ire desiit. In his enim ante Completorium lectio prolixa ritu lectionum Nocturnorum recitabatur, & confessio peccatorum fiebat: quâ peractâ Completorium demum inchoabatur à versu. *Deus in adjutorium*, Vide Regul. Can. *cap.* 121.

Vestigiæ igitur hæc sunt, uti & quæ Primæ adjecta esse supra diximus, pristinæ canonicalis disciplinæ, à qua proh dolor! cum omnimoda penè vitæ canonicalis prolapsione recessum est.

TRACTATUS
DE SIMONIA
CIRCA BENEFICIA,
Administrationem Sacramentorum, & Celebrationem Missarum:
ITEM
DE PENSIONIBUS
ECCLSIASTICIS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUàm invisum, & execrabile esse debeat veris Ecclesiæ Filiis sacrilegium istud res sacras mercium instar tractandi genus, satis superque nos docet Christus Dominus verbo, & exemplo. Qui enim vivum aliàs mansuetudinis exemplar sese exibebat erga maximos peccatores, velut clementiæ immemor, facto de funiculis flagello in profanos ejusmodi mercatores animadvertit, omnesque vendentes, & ementes è Templo ejecit. Hic zelus Domus Dei, non aliud, protestor (quidquid affingatur) me impulit, ut quæ in Canonum studio, & Antiquitatis scrutatione hanc in rem aliquot annis collegi, in publicum modò darem. Experientia namque docet, proh nimium frequens! quòd, licèt mensæ nummulariorum, & cathedræ vendentium in Templo sint eversæ, hoc est, apertæ rerum sacrarum nundinationes per tot Canones proscribantur; clam tamen irrepant, dum Beneficia, ex. gr. in permutationibus, resignationibus, &c. non minùs quàm in clausis officinis, si modum agendi spectas, venum exponantur. Hinc fit, ut res Ecclesiæ non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad propria convertantur lucra, Ecclesia lupis impleatur & in ipso fonte, hoc est, Sacerdotum Ordine corrumpatur. Quid? Non ante peragitur consecrationis ministerium quàm nummo convenerit. Hic pacis causa avaritiam suam tegit, ille inæqualitatis fructuum compensatione, hic ad redimendam vexam, ille *Pensionis* pallio, alius alia nescio, qua larva simoniam occultat. Hoc pacto sæpè sæpiùs evenit, ut quæ per publicas fores è Domo Dei ejecta est simonia, per posticam clancularìè denuò intromittatur. Quapropter non inutilem, nec ingratum meum fore credidi laborem, si technas istas detegam, & involucra evolvam, sub quibus simoniæ labes eo nocet, & grassatur perniciosiùs quo magis latenter. Tuas interim, *Lector*, preces exposco, ut quem inspiravit Deus Domus suæ zelum, in me conservet suo & Ecclesiæ bono.

PARS PRIMA.
De Simonia.

CAPUT PRIMUM.

DE MALITIA SIMONIÆ, ET QUA RATIONE MELIUS OCCURRI POSSIT PALLIIS, QUIBUS ILLUD VITIUM TEGITUR.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Ostenditur enormitas vitii Simoniæ.

PEr Simoniam res spirituales ad vilitatem quandam rebus istis indignissimam redigi, dubitari nequit; cùm enim in omni Simonia commutatio seu tacita quædam emptiovenditio rerum spiritualium cum temporalibus interveniat, quodammodo spiritualia temporalibus coæquantur, per quod spiritualia ad summam redigi vilitatem quis non videat? *Quis enim non vile esse putat*, inquit Hormisda Papa, *quod venditur*? *Aut quis denuò veneretur*, ut loquitur S. Gregorius lib. 7. epist. 114. *quod venditur*, *aut quis non vile putet*, *quod emitur*?

Hanc rerum inordinatione in Simonia tanquam multùm exècrabilem, in Simoniacorum Antesignano notavit Apostolorum Princeps: » Pecunia tua tecum sit in perditionem, *quoniam*, in» quit, *donum Dei existimasti pecunia possideri.*« Actor. 2. cap. 8. v. 20.

Verùm licèt ex illa, quæ rebus spiritualibus per Simoniam contingit injuria, summa ordinis oriatur perturbatio, ac consequenter vitii illius non exigua ex eo capite sit perversitas; si tamen vitii illius non tantùm natura, sed insuper illius naturales quodammodò fœtus considerentur, facilè intelligitur, verissimè dixisse Pontifices in *Can. fin. caus.* 1. *quæst.* 6. *Omnia crimina ad simoniacæ hæresis comparationem quasi pro nihilo esse reputanda*; nullum quippe crimen quantumvis enorme, tantam malorum struem in Ecclesiam invehere, quàm Simoniam, Patres notârunt.

» Si venditur Sacerdotii dignitas (inquit S. Tarasius Patriar» cha Constantinopolitanus) supervacua est apud istos vendito» res honesta vitæ institutio, & puritatis, virtutisque cultus su» pervacuus apud ipsos; & paulus divinus Apostolus docens » oportere Episcopum esse sine crimine temperantem, modes» tum, aptum ad docendum, continentem, sobrium, insisten» tem fideli secundum doctrinam sermoni, ut potens sit ex» hortari in doctrina sana, & contradicentes refellere. Pereunt » igitur hæc omnia, ex eo, quòd Sacerdotium venditur & emi» tur.« *Epist. ad Adrian. I.*

» Etenim ex quo dona supernæ gratiæ pecuniis comparabi» lia judicantur (ait S. Gregorius) ad Dei servitium non vita » quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Ex » quo, eodem teste, contingit, ut ipsi quoque, qui sacros Or» dines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere » studeant, sed divitias, quibus honor sacer emitur, satagant » congregare.« *Lib. 7. in dist. 2. epist.* 115.

» Hinc fit etiam (pergit S. Gregorius) ut insontes, & pau» peres à sacris Ordinibus prohibiti, despectique resileant. Et » dum innocentia pauperis displicet, dubium non est, quòd » præmium illic delicta commendet: quia ubi aurum placet, » ibi & vitium. Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non » actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat, ut » nihil sibi ad honores Ecclesiasticos gravitas, nihil defendat in» dustria, sed totum auri prophanus amor obtineat.

» Quin

„ Quin & eodem teste, nihil aliud per Simoniam agitur, ni-„ si ut nulla de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, nul-„ la sit de vita discussio; sed ille solummodò dignus, qui dare „ pretium suffecerit, æstimetur.“ *Epist.* III. *lib.* 7.

Rectissimè proinde Concil. Bituricensis Patres ann. 1584. *tit.* 41. *cap.* 1. notàrunt: *Ubi hæresis simoniæ in Ecclesia invaluit, probis, atque eruditis viris aditus ad Beneficia præclusus est, indeque omnis prope Ecclesiastica disciplina collapsa est.*

Liceat proinde concludere, quòd omnia crimina ad simoniacæ pravitatis comparationem quasi pro nihilo reputanda sint, si nimirum perniciosi, qui ex illis in Ecclesiam redundant, effectus æquâ lance librentur.

§. II.

Quare Ecclesia primis seculis magis contra simoniacas Ordinationes, postremis verò magis contra simoniacas Beneficiorum Collationes insurrexerit.

QUantopere ab initio Ecclesiæ allaboratum fuerit, ut perniciosa simoniæ pestis ab Ecclesia extirparetur, Conciliorum Canones, atque Pontificum decreta luculenter evincunt. Cui enim vel leviter vetera atque recentiora Ecclesiæ monumenta perlustrare libuerit, omni ætate severissimas leges ad extirpationem simoniæ editas comperiet.

Verùm hanc vetera inter & recentiora Ecclesiæ decreta offendet differentiam, quod priora simoniacas plerumque insectentur Ordinationes, posteriora verò rarò Ordinationes simoniacas, sed plerumque simoniacas Beneficiorum Ecclesiasticorum collationes, seu provisiones insectentur, atque condemnent.

Ex hac distinctione si quis arguere vellet, quod olim minùs ac hodie Ecclesiæ execrabilis simoniaca Beneficiorum collatio visa sit, aut hodie minùs quàm olim displiceat simoniaca ordinatio multum falleretur. Idem quippè & veterum & recentiorum Canonum scopus est; nimirum, ut omnis in Electione ministrorum Ecclesiæ caveretur simonia, atque servaretur illud Christi præceptum *Gratis accepistis, gratis date*; quòd verò prioribus seculis ampliùs contra Ordinationes simoniacas, quàm posterioribus decertatum fuerit, ex diversa, quæ circa electionem ministrorum, atque officiorum Ecclesiasticorum distributione intervenit, disciplina factum est.

Plurimis enim seculis in moribus positum fuisse, ut Clerici per ipsam Ordinationem jus ad proventus Ecclesiasticos acciperent, imò per ipsam ordinationem ad Ecclesiæ dignitates pervenirent, ita ut ipsa sacra Ordinatio collationis tituli Ecclesiastici loco esset, notius est, quàm ut probari debeat: at posterioribus seculis titulus Ecclesiasticus, cui jus percipiendi emolumenta annexum est, ab ipsa Ordinatione paulatim sejunctus fuit, neque per ipsam Ordinationem, sed separatim ab illa conferri cœpit. Hinc ulteriùs contingit, ut simonia rarior circa sacras Ordinationes, frequentior verò circa titulorum Ecclesiasticorum collationes esse cœperit; ac per consequens ad illam extirpandam rarioribus, ad hanc verò evellendam frequentioribus decretis opus fuerit.

Nec id mirum; cum enim Simoniaci non spiritualia propter spiritualia ambiant; sed temporalia lucra, honores atque dignitates per spiritualia adipisci unicè contendant; nihil aut parum de sacra Ordinatione soliciti fuêre, quando per illam nihil temporalis lucri accedere intellexerunt, sed quomodo titulum Ecclesiasticum, per quem ad emolumenta, atque honores temporales pervenire possent, adipiscerentur, unicè incumbere maluerunt.

Ut igitur verbo dicam, tota, ac unica ratio, quare per X. secula simonia tantùm ferè circa sacras Ordinationes versaretur, ac ob id ad eam extirpandam eo tempore decreta edi, atque frequenter renovari deberent; postremis verò seculis rarior in Ordinatione, frequentior in collatione Beneficiorum fuerit simonia, hæc est: quòd decem primis seculis lucra seculi, quæ Simoniaci potissimum intuentur, sacram Ordinationem sequerentur; ultimis verò seculis, non sacram Ordinationem, sed tituli Ecclesiastici adeptionem illa consequantur.

§. III.

Omni ætate Simonia diversis fraudibus & fallaciis occulta, & palliata fuit.

„ ETsi ab ipso nascentis Ecclesiæ initio (inquit Concilium „ Mexicanum ad *ann.* 1585. *lib.* 5. *tit.* 3. *de Sim.*) sem-„ per simoniæ vitium abominabile, & execrabile fuerit, ac sa-„ cris Canonibus prohibitum, gravibusque pœnis punitum, ta-„ men ea fuit hominum malitia, ut *diversis fraudibus & falla-„ ciis sua simoniaca pacta occultare, & palliare procurent.*“

De hisce Simoniacorum fraudibus & fallaciis seculo IV. conquerebatur Magnus Basilius; & seculo sequenti *ann.* 459. Synodus Constantinopolitana 73. Episcoporum Præside S. Gennadio, testatur, multos „ *sophistica calliditate* Christi præcep-„ tum, *gratis accepistis, gratis date*, eludere.“

Multifarias fuisse fraudes, ac technas, quibus diabolus vitium hoc abscondere, & etiam sub specie pietatis homines illaqueare tentaret tempore S. Gregorii, ex ejus Epistolis constat, & quidem *de Simoniaca hæresi* scribens Galliarum quibusdam Episcopis: „ plerumque, ait, adversarius animarum, dum „ non potest in his, quæ ad faciem sunt prava surripere, *callidè „ specie quadam pietatis* injectâ, nititur supplantare, suadetque „ forsitan debere ab hominibus accipi, ut sit quod possit non ha-„ bentibus erogari, dummodò vel sic venena mortifera, eleemo-„ synæ celatâ obumbratione, transfundat. Nam nec venator, „ pergit Gregorius, feram, aut avem auceps deciperet, vel „ piscem piscator caperet, si aut ille laqueum in aperto pro-„ poneret, aut ille hamum escâ absconditum non haberet. „ Omninò ergò metuenda, & cavenda est hostis astutia, ne „ quos apertâ nequit tentatione subvertere, latente telo sæ-„ vius valeat trucidare.“ *Epist.* III. *lib.* 7. *in dict.* 2.

Quàm multiplices, atque variæ fuerint fallaciæ, atque prætextus, quibus sequentibus temporibus diabolus sacrorum nundinationes colorare, atque ambitiosis, avarisque hominibus ad Ecclesiæ munia simoniacum introitum, tanquam omninò Canonicum persuadere studuit, tum Conciliorum Acta, tum illustrium Virorum scripta, ad ejusmodi Simoniacorum pallia, & fucos detegenda, & Canonicum in Ecclesiastica ingressum restituendum sequentibus seculis multoties edita, luculenter evincunt: ut verè de simonia dicere liceat, quod de fœnebri malo, olim dixit Seneca: *Multis plebiscitis obviam quidem irem fraudibus, quæ toties repressæ per miras artes rursus oriebantur.*

Et quidem hoc nostro seculo tot inventæ fuêre technæ, atque sophismata, quibus non tantùm simonia occultatur, sed etiam ipsæ apertæ munerum largitiones, & susceptiones ab omni simoniæ labe publicè vindicantur, atque ut omninò licitè defenduntur: quin & ut media, quibus ad ministeria Ecclesiastica per munera sine ullo scrupulo ascendi queat, hominibus ambitiosis, & avaris proponuntur; ut per illa ad ea videamur penè relapsi tempora, quibus *omnia ministeria Ecclesiastica habeantur venalia* (ut loquitur Glabet Rodulph. *lib.* 5. *hist. cap.* 5.) *quasi in foro secularia mercimonia.*

Quin si vera sint, quæ in hac de simonia materia tanquam licita recentiores quidam Theologi, ac Canonistæ propugnare non sunt veriti, planè verendum est, ne simonia, adversus quam tanto tempore Ecclesia decertavit, sit *Idea Platonica*, quæ nulli rerum existat.

§. IV.

Qua ratione fraudes, ac technæ, quibus simonia tegitur, securius atque clariùs detegi possint.

UT multiplices Simoniacorum larvas, necnon Recentiorum quorundam Theologorum seu Canonistarum sophismata, quibus nephandissimam Sacrorum mercimoniam à simonia liberare volunt, hoc Tractatu clariùs & securius refellam, sacrosque Canones sophisticis illis glossematibus, ac interpretationibus adeò contortos, ut paleæ potiùs quam Canones dici deberent, suo splendori, atque puritati restituam; unam hanc, eamque brevissimam, & sed æternâ Dei Sapientiâ dignissimam sententiam: *Gratis accepistis, gratis date*, assumam: ut illa lucerna pedibus meis, & lumen semitis meis, ad cujus splendorem omnes simoniacorum larvæ, ac Casuistarum tenebrosa sophismata dispellantur, imitatus in hoc SS. Patres, quos videmus in suis adversus Simoniacorum effugia & figmenta præliis, hac unicâ Christi sententiâ tanquam ariete fortissimo, usos fuisse, eamque solam omnibus simoniacorum argutiis, ac fallaciis refellendis plusquam sufficientem censuisse.

Patres Concilii Constantinopolitani sub S. Gennadio audimus in Epistola Synodali, quam nobis tanquam fortem arietem ad demoliendas simoniacas molitiones, speciali Dei providentiâ superstitem esse dicit Cardinalis Baronius ad *ann.* 459. „Cum „ Dominus & Deus Salvator noster J. C. suis Discipulis Evan-„ gelii prædicationem credidisset, eosque per universum ter-„ rarum orbem inter homines ad docendum mississet, appertè „ jussit, ut quod *gratis accepissent*, eis quoque *gratis darent*, „ non aurum vel argentum, aut aliàs omninò materiales & ter-„ renas facultates pro eis acquirentes..... Hoc autem præceptum „ non solum illis, sed etiam nobis per illos dedit, quos in illorum „ gradum, & locum substituere dignatus est: & oportet, sicut „illi tunc, nos quoque nunc *accuratè & diligenter* servare, nec „ in iis quæ *technas sophisticas non admittunt, uti sophistica cal-„ liditate*, nec *aleam periculosam* jacere: *gratis*, inquit, *acce-„ pistis, gratis date*: non possidentes æs, neque aurum, neque „ argentum in zonis vestris. *Simplex est & aperta hujus man-„ dati ratio, quæ nihil habet varium, quod non sit facile & ex-„ plicatum nihil quod sophisticâ expositione egeat.* A me, in-„ quit,

„ quit, accepistis Sacerdotii dignitatem. Si mihi pro ipso pa-
„ rum quid vel magnum solvistis, & hoc à me venditum est;
„ vos quoque ipsum aliis vendite: si autem *gratis accepistis*,
„ vos quoque *gratis date*. Quid hoc est mandato apertius?“ Hactenus S. Gennadius.

Ex quo patet nihil isto mandato Christi: *Gratis accepistis, gratis date*, esse apertius, neque sophisticâ interpretatione egere, illudque ad refellendas Simoniacorum fraudes, ex sententia S. Gennadii, ac 73. Episcoporum qui Synodo intereant, esse aptissimum.

S. Gregorium (cujus in expugnanda simoniaca hæresi, quæ Germaniam, Galliamque totaliter penè inundaverat exantlatos labores nemo ignorat) hac unicâ ferè Christi sententiâ: *Gratis accepistis, gratis date*, ad Simoniacorum fraudes ostendendas usum fuisse, Epistolæ illius abundè testantur.

Utque innumeros seu Pontifices seu Patres, qui allegatis Christi verbis contra Simoniacorum technas, atque fallacias usi fuerunt, præteream, Patres Concilii Forojuliensis *anno* 891. *Can.* 1. audire lubet, qui ut simoniacam pravitatem funditùs extirparent, omnem canonicæ deditum ditioni in hæc verba affantur: *Patenti semper cordis aure pertimescens intellige clarissimam illam Domini vocem*: Gratis accepistis, gratis date.

CAPUT II.

Deteguntur varia Simoniacorum pallia.

PARAGRAPHUS I.

Dum pro jure ad proventus spirituali annexos aliquid datur, vel accipitur tum ipsum spirituale gratis *non datur, nec accipitur.*

CErtum, atque indubitatum est, secundum modernam Ecclesiæ disciplinam, jus percipiendi proventus Ecclesiasticos titulis Ecclesiasticis *consequenter* annexum esse, seu quòd titulo Ecclesiastico adepto, una *jus* percipiendi proventus eidem destinatos adeptum censeatur; nec cuiquam *jus* ad proventus illos acquiri, nisi titulum priùs obtinuerit.

Ex quo evidentissimè sequitur, *jus* ad proventus titulo annexos, emi vel vendi non posse, nisi unà titulus, cui *jus consequenter*, ut ajunt, annectitur, emptus venditusve censeatur, ut enim rectè notat S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *Rebus istis*, quæ spiritualibus *consequenter* sunt annexæ, venditis *intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici.* Rationem reddit Paschalis II. *caus.* 1. *q.* 3. *Can.* 7. *Quiquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

Quare jam pridem B. Petrus Damianus *lib.* 3. *epist.* 13. & *lib.* 5. *epist.* 13. duos Capellanos Ducis Gotofredi exagitare, non dubitavit tanquam *Hæreticos, satanæ prædicatores, & Apostolos Antichristi*, qui pertinaciter dogmatizabant, jure *Simoniacum* non dici, quisquis absque manûs impositione Episcopatum comparâsse convincitur. Dicebat enim: » Quia cùm » hoc fit, non distrahitur Ecclesia, sed Facultas: nec emitur » *Sacerdotium*, sed *Possessio prædiorum.* Sub hac enim » præstatione pecuniæ opes tantum, non honoris vel Eccle- » siæ redimitur Sacramentum. Venalia siquidem sunt, sicut » ajunt, *Unde sint divites*: gratis accipiunt, *Unde fiant Sa-* » *cerdotes.*

» O novum Scismaticorum genus, *exclamat idem Sanctus*, » & os sacrilegum æterni silentii censura damnandum!« Postmodum ipsum Pontificem Alexandrum II. urget, » ut tanquam no- » vus Josue evaginato canonico mucrone prosternat istos Ama- » lecitas, tollatque è medio tartareæ amaritudinis aconitum, » ne ferale venenum faucibus influat parvulorum« Et quidem censuræ suæ, eam, quam modò adduximus, rationem subjungit. » Cùm aliquid sub venialitate suscipitur, & illud pro- » culdubiò comparatur, quod ex necessitate subsequitur. Ad » hoc enim Pastoralis Ecclesiæ cuique commititur, ut ad ejus » regimen obtinendum consecratione firmetur. Et ad hoc sine » dubio collatæ pecuniæ commercium spectat, ad quod is, » qui promovendus est, adspirat.«

Sanctissima Petri Concilia secutus est Alexand. II. cujus vestigia secutus est successor Alex. VII. sequentem articulum tanquam summè perniciosum damnavit » Non est contra justi- » tiam, Beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia Col- » lator conferens illa Beneficia ecclesiastica pecunia interve- » niente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed ve- » luti *Pro emolumento temporali*, quod tibi conferre non te- » nebatur.«

Sed dicet quispiam, proventus ecclesiastici sunt temporales, & a spirituali separari possunt, adeoque illis venditis, spirituale venditum dici non debet. R. Verum esse, proventus Ecclesiæ vendi posse, & quotidie sine ullo vitio alienari; sed non agitur hîc simpliciter de ipsis fructibus seu proventibus, sed de jure vivendi ex rebus Ecclesiæ alicujus, tanquam illius Ecclesiæ membrum: hoc verò jus acquiritur eo ipso, quo quis per Beneficium alicui Ecclesiæ adscribitur; nec obtinetur, nisi jam obtento Beneficio: adeoque habere jus participandi de rebus alicujus Ecclesiæ & esse beneficiatum sive membrum illius Ecclesiæ, sunt taliter sibi conjuncta, ut unum sine altero haberi nequeat; ac per consequens *uno eorum vendito, & alterum venditum censetur.*

» Impudentissimum proindè prætextum detestamur eorum, » ut verbis Conc. Remensis loquar, qui de solo proven- » tu reque temporaria Canonicatûs se pacisci dicunt, cùm ea » spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis ab » ea divelli queat, quàm in homine vivo manente corpus à » sua anima.« *Anno* 1583. *de Simon.* §. 6.

§. II.

Spiritualia gratis non dantur, aut accipiuntur, dum pro illis obtinendis aut dandis, datur, vel accipitur temporale permodum motivi.

PRofectò dubitare quis posset, num unquam Christi præceptum: *Gratis accepistis, gratis date*, expenderint, imò vel legerint, qui ausi sunt asserere: » Dare temporale pro » spirituali non est simonia, quando temporale non datur » tanquam *pretium*, sed duntaxat tanquam *motivum* confe- » rendi, vel efficiendi spirituale« quis enim vel luscus non videat spirituale *gratis* non accipi, quando ut ad illud perveniatur, datur temporale; nec *gratis dari*, quando per temporale ad dandum spirituale quis induci ac moveri debet.

Quapropter sophisticâ, atque fictitiâ hac distinctiunculâ insuper habitâ Innoc. III. *in cap.* 34. ✠ *de Sim.* Simoniacum pronuntiare non duvitavit Clericum, qui Canonicis donationem fecerat, eâ intentione, *ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci* & Canonicos similiter eidem crimini obnoxios dicit, *si non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri.*

Et quis non videat hac distinctione semel admissâ, planissimum ad Ecclesiasticas dignitates per munera patere introitum, Christique preceptum reddi planè inane & illusorium? Quid enim interest, num per *modum pretii*, num per *modum motivi* temporalia dentur vel accipiantur; modò ambitiosi per munera sibi ad Ecclesiæ munia viam parare queant, & Collatores temporalia ex earum collatione comparare possint?

Quare anno 55. currentis seculi (1655) ad instantiam Reverend. Episcopi Gandensis, hanc distinctionem, tanquam merum simoniacæ pravitatis pallium, Sacra Facultas Theologica Lovaniensis proscripsit: cujus quoque judicium secutus Episcopus Namurcensis, in Synodo sua ann. 1659. illius praxim ut summè perniciosam, omnibus suæ Diœcesis Confessariis interdixit.

Nec in Gallia defuêre Episcopi, qui eodem adversus simoniacum pravitatem zelo animati, dictum figmentum è suis Ecclesiis eliminare studerunt: & quidem inter alios Archiepiscopus Sennonensis ann. 1658. in Diœcesano suo Concilio hac illud censura perstrinxit: » Hæc doctrina, quæ simoniæ con- » tra jus divinùm crimine eos omnes liberat, qui pecu- » niam propter Sacerdotia vel dederunt vel acceperunt, mo- » dò pecunia *motivi* locum habeat, non *pretii*; tota falsa, ne- » faria, impia est, heresim simoniacam toties à Sanctis Con- » cilii & Pontificibus damnatam, subdolè renovans, & ad » implendam lupis Ecclesiam, & corrumpendam ejus in ip- » so fonte, hoc est, Sacerdotum Ordine, sanctitatem in- » venta.

Sicuti prædicti Præsules zelo verè Apostolico suas respectivè Ecclesias ab hoc pestilentissimo dogmate per suas censuras expurgare studuerunt; ita etiam, SS. D. Innocentius XI. illius perniciem pernoscens, tanquam verus Petri Successor, adversus simoniacam pravitatem Petri zelo animatus, & Episcopalium censurarum justitiam probavit, & Universalem Ecclesiam ab ea peste purgare studuit, dum ad instantiam Doctorum Lovaniensium anno 1679. inter alias 65. scandalosas propositiones, & has duas tanquam perniciosas, atque scandalosas damnavit.

» Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando tem- » porale non datur *tanquam pretium*, sed duntaxt *tanquam mo-* » *tivum* conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando » temporale est solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut » è contra. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit » principale *motivum* dandi spirituale; imò etiamsi sit finis ip- » sius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quàm res » spiritualis.

Post hanc Sedis Apostolicæ definitivam sententiam, ulteriùs dogmati illi improbando immorari superfluum credo; cùm ea, quam omnes, qui Ecclesiæ Catholicæ gremio continentur, debent Sedis Apostolicæ decretis, reverentia, ac obedientia, mihi

spem

spem non incertam faciat, quòd nullus doctrinam propugnare vel in praxim deducere audebit: quare ad alias Simoniacorum fraudes & techas magis tectas detegendas progrediar.

§. III.

Qui per munera amicitiam, aut favorem alicujus directè vel indirectè sibi conciliant, ut per illa gratiam Patroni obtineant, non sunt immunes à simonia.

SUnt nonnulli avaritiâ, aut ambitione vel totaliter excæcati, vel certè multum obnubilati, qui per munera se in Patroni, aut Collatoris amicitiam insinuare non verentur, ut eâ obtenta Beneficium Ecclesiasticum faciliùs consequi valeant; non intelligentes aut certè intelligere nolentes, munera illa non tam conciliandæ amicitiæ, quàm Beneficii obtinendi gratia dari; ac per consequens, manifestè infrigi hoc Christi præceptum: *Gratis accepistis, gratis date.*

Quis enim non videat gratis non esse acceptum, pro quo assequendo amicitia mercari debuit?

Eodem loco habendi sunt, qui quidem munera non dant, ut Collatores, aut Patroni amicitiam vel propensionem præoccupent; sed quem sciunt auctoritate, & amicitia apud Patronum non parùm valere, per munera sibi devinciunt, ut hujus favore Patronus ad illis conferendum permoveatur.

Licèt hîc nihil Patrono, aut Collatori offeratur, non magis tamen quàm in priori casu Beneficium Ecclesiasticum dici potest *gratis* obtentum: quandoquidem evidens sit totum quod datur intercessori, unicè & ultimatè datum esse ad Beneficium assequendum.

Mirum proinde non est, si Ecclesia hujusmodi amicitiæ, ac favoris conciliatores, tanquam apertos Simoniacos severissimè puniendos duxerit; ut vel ex unico Urbani II. responso evincitur: » Præsentium, inquit, portatorem, quem parentum in» curiâ per pecuniam, *non Episcopo, sed cuidam principum* » *ejus datam*, invitum Sacerdotii dignitatem obtinuisse signi» ficâsti, *licèt sancti Canones deponendum esse testentur*, tamen » quia culpam istam nesciens, & coactus commisit, & quia » ab eodem Ordine ut deponeretur, supplicavit ultroneus, » ex consideratione discretionis (quæ mater est omnium virtu» tum) magis quàm ex rigore Canonum, misericordiæ vis» cera adhibendo, ipsum in eorum Ordine esse fraternitati » tuæ consulimus: ita tamen, ut si Ecclesia illa, cui deservit, » Sacerdotum penuriam non patitur, suspensus à Sacerdotali » officio permaneat. « *Apud Grat. Can. præsentium, Caus. I. q. 5.*

Et hoc decreto patet, quòd sacri Canones deponendum esse à Sacerdotio censeant eum, qui per pecuniam *non Episcopo*, sed *Consiliario* ejus datam, Sacerdotium obtinuit: nec mirum, quia si hac larvâ pœnæ contra Simoniacos decretæ evadi possent, impunè passim indigni per munera ad Sacerdotia introitum apertum haberent: quare Sacra Facultas Theologica Lov. ann. 55. hujus seculi rogata ab Episcopo Gandensi suum judicium depromere super sequenti Articulo: *Pro intercessione ad Beneficium obtinendum potest aliquid dari sine simoniæ suspicione*; illam hac censura perstrinxit: *Falsa est, & perniciosa, hominibus ambitiosis, & indignis aditum aperiens ad Beneficia per pecuniam promiscuè procuranda.*

§. IV.

Per Christi verba: Gratis accepistis, gratis date, *detegitur simonia, quæ sub pallio* pietatis *contegitur.*

» PLerumque adversarius animarum, ait S. Gregorius *lib.* 7. » *Epist.* 111. dum non potest in his, quæ ad faciem sunt » prava surripere, callidè *specie quasi pietatis* injecta, niti» tur supplantare. «

Et quidem hoc *pietatis* pallio se contegere solet serpens ille versipellis; ut ad munia Ecclesiastica intrudat quos novit externam quamdam, sed parùm solidam, præferre pietatem, & ab omni Simoniæ labe, imò vel illius specie videntur abhorrere, intùs tamen occulto ambitionis æstu succensos cognoscit.

Tales enim quia scit Ecclesiæ Christi frequenter esse perniciosiores quàm manifestè impios, omni qua valet astutia, in Ecclesiæ munia protrudere satagit.

Hujusmodi igitur persuadet, ut largas eleëmosynas tribuant vel in ædificationem, ornamentumve Templi, aut familiæ sustentationem alicujus Congregationis, ut per ejus sodales Principi, alterive Collatori sive Patrono commendentur. Vel nonnumquam ut magis se occultet, suadet fieri eleëmosynas, eo etiam tempore, quo nullum adhuc Beneficium vacat, pro quo obtinendo gratiam in præsenti aucupentur; non tamen dubitantes, quin præocupatâ per eleëmosynarum elargitionem Congregationis benevolentiâ, spem sibi non incertam faciant, suo tempore favore eorum, qui auctoritate apud Patronum valent, ad dignitatem aliquam Ecclesiasticam perveniendi; non enim ignorant, quanta sit Congregationi illi, sibi devotos promovendi, cura & studium.

Has diaboli versutias sola illa, quam pro detectione palliorum, quibus simonia contegi solet, assumpsimus, Christi sententia luculenter deteget; si nimirum sepositis glossis, quas sola avaritia, seu ambitio adinvenit, expendatur. Quis enim non videt dignitates *gratis* non accipi, quando ad illas obtinendas munera non exigua sub *specie eleemosynæ* data fuerunt? quantumvis enim accepta, seu oblata in pia opera dispensari supponuntur; semper tamen verum manet *gratis* non esse acceptum, quod per munera eo modo data accipitur. Hinc Alexander II. postquam insecutus prædecessorum suorum vestigia sub gravissimis pœnis prohibuisset, quodcumque Beneficium ecclesiasticum pro aliquo pretio, aut munere conferri, sub eisdem pœnis constituere non dubitavit, ut » nullus cujus» cunque gradûs Clericus pro Ecclesiæ Beneficio aliquid audeat » conferre, aut *fabricæ Ecclesiarum, vel donariis Ecclesiarum*, » seu etiam quod pauperibus sit tribuendum. « *Causa* 1. *q.* 3. *Can.* 9.

Nec minùs evidenter ex consideratione Christi præcepti: *Gratis accepistis, gratis date*, detegi potest larva illorum, qui apud Patronos, Collatoresve Beneficiorum intercessores agunt pro aliquo, quia ab illo eleëmosynas in constructionem ædificiorum, aut familiæ alimentationem acceperunt, aut acipere sperant; tametsi enim in pia opera impendantur, quæ ex promotione ad Ecclesiæ munia accipiuntur, aut sperantur, nunquam tamen non erit verum, spiritualia *gratis* data non fuisse.

Hinc S. Gregorius Episcopos quosdam, qui ab Ordinandis pecuniam in exstructionem Xenodochiorum exigebant, tanquam simoniacæ hæreseos reos damnare non dubitavit *lib.* 7. *epist.* 111. » Neque enim eleëmosyna reputanda est, inquit, » si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur.... » Unde etiam illud certum est, quia etsi Monasteria, aut Xe» nodochia, vel quid aliud de pecunia, quæ pro sacris Ordi» nibus (idem die pro promotione alicujus ad Beneficium) » datur, construantur, mercedi non proficit: quoniam dum » perversus emptor in locum sanctum transmittitur, & alios ad » suam similitudinem sub commodi datione constituit; plura » malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare, qui ab » illo pecuniam malæ Ordinationis accepit. «

Hisce, aliisque in probationem latentis sub specie pietatis simoniæ prolatis, tandem concludit: *Nimis ergo declinandum est, Fratres charissimi, sub obtentu eleemosynæ, peccata simoniacæ hæreseos perpetrare.*

Rectè proinde notavit Christianus Lupus, *dissertat.* 2. *proœmiali ad tom.* 3. *Schol. cap.* 2. cujus verbis concludo: » quod » Clerici, & Mouachi, quotquot hodie apud Laicos aut Ec» clesiasticos Principes, agunt *proxenetas* ac *intercessores*, im» petrare conantes promotionem, aut nominationem Prælato» rum, qui *ipsorum pauperes Ecclesias, Collegia, Monaste» ria, aut Xenodochia ditare, adjuvare, vel ornare obligen» tur*, committant plenissimam simoniam, & suis personis, » ac rebus evocent divinam maledictionem. Etiam Antistites, & » quibus hisce intercessionibus promoti....Et hinc vides à Mag» natibus quoque, pergit idem Lupus, dum quid à nominatis » Episcopis vel Abbatibus exigunt quasi ad publicas Regni ne» cessitates, omninò committi simoniam. «

§. V.

Sæpè sub pallio redemptionis vexæ *latet simonia.*

» MUlti electi, qui gratuitam, & canonicam habent elec» tionem, inquit S. Ivo Carnotensis *epist.* 60. quia hu» jusmodi *dilationibus*, vel *fatigationibus* impediuntur; com» paratis sibi pecunia mediatoribus & prolocutoribus, *ne* » *turpem patiantur repulsam, in simoniacam offendunt ali» quando consecrationem.* «

Rationem illius assignat B. Petrus Damiani *lib.* 2. *epistol.* 3. quia non Ecclesiæ consulere quærunt, *sed quiete possidendi sibi culminis aditum pandunt.* Hoc est, ne per tertium quempiam à Sacerdotio assequendo impediantur, aut ex illo deturbentur, datis muneribus, sub specie *redemptionis vexæ*, ut ajunt, assequuntur.

Hic frequenter simoniam latere posse dubium non est: quidni enim sæpiùs fiat, ut tertius illum *justè* aut à possessione impedire, aut possessionem turbare possit: quo casu si temporali dato aut promisso tertius ille juri suo cedat, quis ambigat quin apertissima incurratur simonia & præcepto Christi, *Gratis accepistis, gratis date*, contraveniatur? quandoquidem non nisi temporali dato aut promisso Sacerdotii possessionem, aut esset assecutus, aut assecutam retinuisset.

Quia verò plerumque incertus est litis eventus, ideò qui sub specie *redemptionis vexæ* per temporalis alicujus addictionem, à collitigante cessionem, seu cessationem à lite impetrant, à simonia ordinariè immunes non sunt; quia sepiùs non Ecclecle-

clesiæ consulere quærunt ; sed datis muneribus *quiete possidendi sibi culminis aditum pandunt.*

Quare cùm quæsitum esset ab Alexandro III. » Utrum de » Ecclesiastico Beneficio in litigium deducto , possit fieri tran- » sactio ; tale damus responsum , inquit , quòd transigi super re » sacrâ , & litigiosa non potest ; etenim res sacræ , ut possideantur aliquo dato vel retento , seu promisso , speciem credimus » habere simoniæ. « *Cap. 7. de Transact.*

Eadem de causa idem Pontifex admittere noluit pactionem inter certum Monasterium , & quemdam Petrum eâ conditione factam , ut pro *expensis*, quas Petrus fecerat , tres marchæ eidem presolverentur , & idem Petrus liti , quæ super certa Ecclesia vertebatur , cederet , & ab infestatione Monachorum cessaret ; hanc , inquam , pactionem admittendam non censuit Pontifex , *pro eo quòd videbatur illicita pactionis speciem continere*, Cap. 4. ✠ *de Pactis.*

Quæ Pontificis responsa Decretalibus Gregorii IX. inserta, hodie Juris communis partem efficiunt.

Hæc Pontificum responsa dilucidè evincunt , quòd qui per temporalis alicujus promissionem , quin & expensarum refusionem , aut compensationem se à litigio super re spirituali eximunt , soleant sub pallio *redemptionis vexæ* simoniacæ pravitatis voragini se immergere.

Quinimò, licèt non judicialis , sed solùm extrajudicialis sit tertii contradictio , à qua se electus quispiam aut præsentatus , interveniente temporali , liberare studet : nihilominus nec hîc simoniæ periculum cessare, unicum Lucii III. responsum Decretalibus similiter Gregorii IV. insertum probat.

Cùm quidam » ad Ecclesiæ regimen de voluntate majoris » partis Fratrum fuisset electus, paucis contradicentibus, quidam » amicus de ejus conscientia , & voluntate turbata , ei , qui ma- » gister discordiæ videbatur , certæ quantitatis munus exolvit , & » sic contradictio cessavit. « Posteà dubitare incepit Electus, num esset à labe simoniæ prorsus immunis. Cùm enim *major pars* Fratrum eum ellegisset , *paucis* tantùm contradicentibus, non nisi mera *vexæ redemptio* fuisse videri poterat.

Consultus tamem Pontifex respondit : » Multum tibi con- » sulis , si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius » verbi memor existens : *Nihil prodest homini , si universum* » *mundum lucretur , animæ verò suæ detrimentum patiatur.* « *Cap. 23.* ✠ *de Simonia.*

Prudentissimè proindè S. Carolus, ne *redimendæ vexationis specie*, ut ipse loquitur, in causis Beneficiorum simoniacæ pactiones intercedant, *in Concilio Mediol. I. de Constit. cont. Sim. n.* 11. statuit » nemini licere ad *rèdimendam vexationem*, ne in casi- » bus quidem jure permissis , pecuniam dare , quidquamve pa- » cisci , aut transigere , nisi Episcopi consensus accesserit, cu- » jus partes erunt , & perspicere diligentes , an subsit aliqua » fraus , ubi rem fraude carere , & jure permissam cognoverit, » non denegare ei , qui petierit , facultatem se à vexatione libe- » randi. Qui contra , quàm decretum à nobis est, inquit , fece- » rit , Episcopi arbitrio plectatur ; & quod actum fuerit, irritum » sit & nullum. «

Quicunque igitur se à vexatione in causa Beneficiali redimere meditatur , conformiter ad hoc S. Caroli præceptum, prævìè Episcopo aut certè aliis quibusdam viris doctis ac peritis totam rei seriem meritò exponet, ut ipsi dispiciant , num sub *redimendæ vexationis* specie solitæ simoniacæ pactiones non lateant ; vel an periculum non sit , quod illicitis aliorum extorxionibus annuendo, ipse eorum injustitiæ complex fiat , aut saltem scandali causa sit. Quæ omnia indubiè securiùs aliis expendenda committuntur ; quia aviditas , qua cupimus à vexis liberari , facilè excæcat & proprium judicium corrumpit.

§. VI.

Sæpiùs committitur simonia in exactione jurium , *ut vocant pro institutione, aut admissione ad possessionem.*

QUandoquidem per institutionem , seu investituram , & admissionem ad possessionem, ad titulum ecclesiasticum non secus perveniatur , ac per præsentationem aut collationem , evidens est : eâdem ratione , qua collatio , aut præsentatio *spiritualibus* annumeratur , ipsam quoque institutionem, seu admissionem ad possessionem , spiritualibus annumerandam esse.

Hinc sequitur, quòd non tantùm præsentatio , aut collatio, sed & institutio , atque admissio ad possessionem debeant , juxta Christi præceptum *gratis dari* , & *gratis accipi* : exactiones quoque tam pro his , quàm pro illis simoniæ labe laborarent : quod ipsum & sacri Canones, & Pontificum decreta abundè testantur.

» Cùm in Ecclesiæ , corpore inquit Concilium Generale La- » teranense sub Alexandro III. *Can.* 7. omnia debeant ex chari- » tate tractari, & quod *gratis* receptum est, *gratis* impendi: *hor-* » *ribile* nimis est , quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas » perhibetur habere , ita ut *pro Episcopis vel Abbatibus , seu* » *quibuscunque personis ecclesiasticis ponendis in sede , seu in-* » *troducendis Presbyteris in Ecclesiam*.... aliquid exigatur. Pu- » tant plures ex hoc sibi licere , quia legem mortis de *longa in-* » valuisse *consuetudine* arbitrantur : non satis , quia cupidita- » te cæcati sunt , attendentes , quòd tantò graviora sunt crimi- » na , quantò diutiùs animam infelicem tenuerint alligatam. Ne » igitur hoc de cætero fiat , & *vel pro personis Ecclesiasticis* » *deducendis ad sedem*, *vel Sacerdotibus instituendis*... aliquid » exigatur , districtiùs inhibemus. Si quis autem contra hoc ve- » nire præsumpserit , *portionem cum Giezi* se noverit habitu- » rum , *cujus factum turpis muneris exactione imitatur.* « Refertur in *cap.* 9. ✠ *de Simonia.*

Ex hoc Concilii decreto habemus : Primò , quòd Ecclesia credat esse *crimen horribile* , quidquam exigere *pro introducendis Presbyteris in Ecclesiam*, atque ob id denuntiet , de cætero exigentes *portionem cum Giezi* habituros.

Secundò habemus ex eodem , quòd nulla *consuetudo* quantumvis *inveterata* , similes exactiones justificare queat. Quare ipsi Romani Pontifices consuetudinem , qua hujusmodi exactiones sæpè sustinebantur , ut corruptelam damnare non dubitârunt.

Et quidem Innocentius III. Cantuariensi Archiepiscopo præcipit : » Ut *pravam* consuetudinem de sua Provincia stu- » deat abolere , per quam pro *investitura* Archidiaconi *mar-* » *cham argenti* , minores verò Decani *vaccam albam* sibi da- » ri postulant , vel certam solvi *pecuniæ quantitatem.* « *Cap.* 36. ✠ *de Simonia.*

Honorius III. immediatus Innocentii Successor consuetudine non tantùm inveteratam , sed & *juramento roboratam* , qua Canonici Laudunenses *à Canonicis quos in Ecclesia canonizari contingebat* , *scyphum argenteum exigebant* , in irritum revocari jubet : » Quia , ait , consuetudo hujusmodi habere vi- » detur speciem pravitatis , & continet *turpitudinem manifes-* » *tam.* « *Cap. 2. de Consuet. in 5. Compil.*

Similem consuetudinem , qua Canonici quidam à novo Canonico *convivium* exhibere volebant , priusquam ad intentam fructuum perceptionem admitteretur , reprobat Gregorius IX. *cap.* 24. ✠ *de Simonia.*

Quantopere Synodus Tridentina detestata sit conditiones, seu deductiones ex fructibus , solutiones , permissiones , compensationesve illicitas , aut etiam quæ in Ecclesiis dicuntur *Turnorum lucra* , aliaque similia in proprium Clericorum commodum convertenda , quæ tam in Cathedralibus , quàm Collegiatis , & Parochialibus Ecclesiis , ex earum *constitutionibus* , aut ex prava consuetudine in electione , confirmatione, vel alia provisione , sive admissione ad possessionem interponuntur , patet ex decreto *Sess. 24. cap. 14. de Reform.* quo insuper mandat Episcopis , ut , quæcunque hujusmodi speciem simoniæ aut sordidæ avaritiæ habent , exigi non permittant.

Quapropter interrogata Sacra Congregatio Concilii Tridentini , an per decretum Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 14. de Reform.* & Bullam Pii V. *Durum nimis* , esset sublata consuetudo, cujus vigore Canonicus novus singulis Canonicis *chirotechas* distribuit , & donat , post adeptam possessionem , & post admissionem ad fructus , & distributiones , declaravit Sacra Congregatio , teste Fagnano , nec fas esse hujusmodi *chirotechas* distribui vel recipi. Ad *cap. Tua nos* ✠ *de Simonia*, *num.* 38.

Ex hisce necnon ex Epistola Honorii II. §. seq. subjicienda quisque facilè intelligit , ea omnia , quæ Archidiaconi , Decani , Canonici , aliique ab introducendis Præsbyteris , Canonicis , aliisque Beneficiatis *in proprium suum commodum* convertenda exigunt , de simonia turpique quæstu admodum esse suspecta , atque ab omnibus, cui vitium hoc horrori est , eo titulo meritò esse rejicienda.

Quod tamen non obstante adeò dilucidâ atque toties iteratâ à Conciliis ac Pontificibus dictarum exationum reprobatione, adhuc à plurimis , sine ullo penè conscientiæ remorsu exactiones illæ frequententur , inde provenire videtur , quòd difficulter homines ab inveterata consuetudine develli queant ; præsertim si eousque invaluerit , ut ea quæ exiguntur , in *jura* Dignitatum , ac Officiorum transiise videantur. De qua difficultate audire lubeat querelam , quam in litteris ad Richardum Sedis Apostolicæ Legatum seculo XI. deprompsit S. Ivo Carnotensis *Epist.* 133. » Quod autem vobis suggestum est , ait , simo- » niacam hæresim , me permittente , in Ecclesia Carnotensi pu- » blicè dominari , omninò veritate caret. Quia hoc malum ab » initio Clericatûs mei semper exhorrui , & postquam ad Epis- » copatum veni , quantum Deo donante prævaluit , in super- » ficie resecavi. Quod manifestum fieret , si pace Confratrum & » Coëpiscoporum nostrorum fieri posset : in quorum Ecclesiis » multæ *malæ consuetudines* adhuc caput erigunt, quæ tempo- » ribus nostri Sacerdotii Deo auxiliante in Ecclesia Carnotensi » sopitæ sunt. Si quæ autem adhuc sunt , quæ pro *consuetudi-* » *ne antiqua* , publicè exigant Decanus , & Cantor & alii Mi-

» nis-

» nistri ab his, qui Canonici fiunt, me *contradicente*, & *per-*
» *sequente*, Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in
» qua dicunt, Cubicularios, & Ministros Sacri Palatii multa
» exigere à Consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ oblatio-
» nis vel benedictionis nomine palliuntur, cùm nec calamus, nec
» charta gratis ibi (ut ajunt habeantur; & hoc quasi lapide
» conterunt frontem meam, cum non habeam, quod respon-
» deam, nisi Evangelium illud: *Quod dicunt servate & facite,*
» sed si id faciunt, *secundum opera eorum nolite facere.*"

Hoc S. Ivonis responsum nos docet primò, quod zelosissimus ille Antistes post multos pro evellenda simoniaca pravitate, non sine fructu, exantlatos labores; nihilominus consuetudinem inveteratam, qua Decanus, Cantor, aliique Ministri à Canonicis recipiendis aliqua exigebant, tolerare coactus fuerit.

Docentur secundò, quòd Sanctisssimus ille Præsul, licèt *consuetudinem* illam omninò abrogare non potuerit, eam tamen persequi, & exigentibus contradicere non omiserit.

§. VII.

Epistola Honorii II. ad Episcopum & Clerum Leodiensem, qua improbat pravam consuetudinem exigendi pecunias à recipiendis ad possessionem Beneficiorum.

HOnorius Servus Servorum Dei Alexandro » Episcopo & » Clero Leodiensi salutem & Apostolicam benedictionem. » Relatione Fratrum vestrorum ad nos venientium comperi-
» mus, hanc in vestra Leodiensi Ecclesia *detestabilem antiquò*
» *fieri consuetudinem*, ut quicunque ibi fieri Canonicus volue-
» rit, oporteat eum Præposito & Decano determinatam pecu-
» niam exhibere: & hoc de investituris Ecclesiarum & Altarium
» Archidiaconos & Decanos facere accepimus. Scriptum est in
» Evangelio, quia Dominus noster vendentes & ementes ejecit
» de Templo, ideoque per præsentia scripta firmiter præcipiendo
» mandamus, quatenus tam *prava consuetudo* de cætero apud
» nullatenus conservetur, sed modis omnibus anihiletur. Quod si
» quis deinceps contrarium præsumpserit agere, nos & dantem &
» accipientem jubemus locum in Ecclesia non habere. « Datum Laterani 7. Id. Novemb. Extat *tom.* 12. *Specilegii Lucæ Daherii*, *pag.* 158.

§ VIII.

Sæpè contegitur simonia sub specie gratitudinis.

QUi è simonia vindicare voluerunt accipientes aut dantes temporale pro spirituali, *modo temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut è contra*, credidisse videntur Christi mandatum, *Gratis accepistis, gratis date*, atque universos Canones simoniacæ pravitati oppositos, verbis tantùm & non rebus positos fuisse. Quid enim, quæso, interest, num temporale dari, aut accipi dicatur tanquam *gratuita compensatio* pro re spirituali; num verò tanquam *pretium*: modò eo fine detur temporale, ut per illud ad spirituale perveniatur, aut è converso spirituale conferatur, nisi ut temporale accipiatur?

Meritò proindè Facultas Theologica Lovaniensis rogata ab Episcopo Gandensi, hanc popositionem tanquam simoniacæ pravitati pallium subministrantem condemnavit: » Dare tempo-
» rale pro spirituali non est simonia, quando per temporale fit
» solùm *compensatio gratuita* pro spirituali, aut è contra."

Ejusdem quoque propositionis praxim anno 59. præsentis seculi Episcopus Namurcensis omnibus suæ Diœcesis confessariis interdixit.

Quarum condemnationum justitiam probavit SS. D. Innocentius XI. dum eandem inter cæteras 65. n. 54. solemni censurâ perstrinxit.

Qui igitur ut Beneficium impetrare queant, hac aut simili loquendi formula, Collatorem alloquuntur: » Domine nolo
» quidquam promittere: si tamen placeat mihi Beneficium con-
» ferre, non ero *ingratus*, nec recedam à *consuetudine* viro-
» rum *honestorum*, etenim sum & vir *honestus*: " indubiè Simoniaci sunt. Quod enim hisce verborum involucris rerum temporalium promissiones contegantur, clarius est quàm ut probari debeat: neque Collatores indigent Calepino, ut verba illa intelligant.

Quinimò licèt tacita illa de dando & accipiendo temporali per modum *gratitudinis* conventio, verbis non exprimatur; equidem remunerationes illas pecuniarias, quæ hodie passim contingunt, plerumque, si non semper ex tacita conventione fieri, dubitare non poterit, qui remunerationes illas cum circumstantiis suis, quas §. sequenti expendemus attentiùs consideraverit.

§. IX.

Ex circumstantiis quæ hodiernas remunerationes comitari solent, ostenditur, quod consueverit sub illis latere turpis simonia.

UT constet, num munerum datio animum Collatoris, aut Patroni ad conferendum inclinaverit, tacitaque saltem de dandis muneribus conventio intercesserit; tria potissimum consideranda censuit Alexander III. *Dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus.* Cap. 18. ℵ de Sim.

Hæc si attentius paulò expendantur, vix ambigo, quin facilè intelligetur, quod pleræque hodiernæ munerum retributiones, ex conventione ut minùs tacita procedant.

Personæ quidem, cui collatio fieri consuevit, qualitas quæ à Collatoribus considerari solet, non obscurè conventionem de munere dando, & accipiendo innuit.

Primùm quippè, quod Collatores hujusmodi circa personam inquirunt, & de quo præcipuè soliciti sunt, est, num is, qui se offert, dives sit & sufficiens, qui convenientem *remunerationem* faciat: parum anxii, num pietate, doctrinâ aliisque ad statutum Ecclesiasticum necessariis conditionibus sit instructus.

Imò nec divitem novisse similibus mercatoribus sufficit, nisi & *gratum* futurum pro *ratione Beneficii conferendi* pernoscant, si de eo dubitent, prævie solicite admodum de eo inquirere non dubitant. Si inquisitione facta, eum muneribus dandis insufficientem, aut munerum datione abhorrentem intelligant, eò quod bona ecclesiastica, aut Ministrantium alimenta, & quod illis superest ut *patrimonium pauperum* suscipiat, illi Beneficium conferre solicitè cavebunt, tametsi à doctrina, pietate ac moribus multùm esset commendabilis.

Hinc fit, ut de illis Ecclesiis, in quibus hujusmodi remunerationes fieri solent, dicere possimus, quod jam pridem ad Lucensem Ecclesiam scripsit Alexander II. „Ex multis tem-
» poribus hoc detestabilem malum intra vestram Ecclesiam
» inolevisse cognovimus, ut nulli unquam Clerico, quamvis
» *Religioso*, quamvis scientia & moribus prædito Ecclesiasticum
» Beneficium concederetur, nisi ei qui *profano pecuniæ mune-*
» *re* illud emere studuisset: fiebatque Ecclesia & res ejus vita
» venalis, veluti quædam terrena & vilis merx à negociatori-
» bus ad vendendum exposita. Quod malum quam detestabile,
» quantum Deo, Sanctisque sit contrarium, & SS. Canones do-
» cent, & ferè omnibus manifestum existit. « *Can.* 9. *Caus.* 1. *quæst.* 3.

Secundò circa munerum oblationem considerandam esse monet Pontifex » quantitatem muneris, si magni, vel minoris
» pretii res data existat. Quod enim scriptum est, inquit, *Bea-*
» *tus qui excutit manus ab omni munere*, de illis donis dictum
» est, quæ accipientis *animum alicere*, vel *pervertere solent.*"

Usitatum hodiernum remunerationum valorem si quis expendat; & *munerum* illorum spe animum Collatoris, aut Patroni allici vel perverti posse neget, sensus communis expers meritò judicaretur.

Quin ut ex *munerum quantitate* manifestior pateat mercandi animus, advertendum, munera illa, ac dona, pretii instar, pro ratione proventuum Beneficii conferendi majora aut minora, juxta vulgarem similium negotiatorum æstimationem esse constituta, quæ ni à Collatario persolvantur, si non injustitiæ, ut minus infamiæ notam apud illos incurrit.

Quantitatem verò munerum ex nefandissimo illo mangonum judicio taxatam si æquâ lance libremus, indubiè potiori jure hodiè dicere licebit, quod olim dixit Petrus Blesensis *Epistol.* 120. » O negotiatio detestanda! pro honore transitorio ani-
» mam perdere, tantumque pecuniæ numerare pro redditu,
» quantum de obventionibus ejus non possit *per quinquenium*
» obvenire.

Subdit verò Pontifex: *Quod si dona modici pretii fuerint, Ecclesia interpretari non consuevit in his delinquere vel donantem vel accipientem.* Rectè, inquam, dicit: *Ecclesia interpretari non consuevit*: quia, ut benè notat Fagnanus post S. Thomam, quòd in hisce munusculis dicatur non committi simoniam procedit in *foro exteriori*, & *quoad Ecclesiam*, » quia
» cùm non sit probabile, ut animus Judicis spiritualis flectatur
» ad aliquid faciendum pro parvo munere; idcirco Ecclesia in
» his non judicat simoniam committi; & ita loquitur textus in
» *Cap. Etsi quæstiones*, *De Simon.* sed apud Deum, qui cor
» videt, simonia est, & in parvis & in magnis muneribus, si ani-
» mus Judicis ex eis flectatur; & ita illum textum declarat
» S. Thomas in 4. *dist.* 25. *q.* 25. *art.* 3. *ad* 1. Item simonia est,
» etiam in parvis munusculis, ubicunque apparet de intentione
» *Cap. Ex duæ*, *De Simon.* ubi patet sex solidos simoniam in-
» ducere. " Hæc Fagnanus ad *Cap. Tua nos* ℵ *De Simoniâ*, *num.* 39.

Hæc eo fine notanda duxi, ut ex circumstantiis, quæ hodier-

diernas remunerationes comitari solent, pateat non Deo tantum, verùm etiam hominibus, eas simoniacas probari. Ut verò intentum magis appareat, tertium quod in dandis muneribus expendendum esse monet Pontifex, scilicèt *donationis tempus* expendamus.

Experientiâ compertum est, illa, quæ *remunerationis* gratiâ hodie exhibentur, mox ab accepto Beneficio persolvi; non secùs quàm in emptione venditione pretium re traditâ solet exsolvi; quinimò non rarò, quia fidem sufficientem de remuneratione non habent, ante collatum Beneficium, securitatis ergo sequestro munera committuntur.

Hanc rursus circumstantiam si quis expenderit, morali judicio sit destitutus oportet, qui simoniam hîc latere non judicet.

Singula igitur, quæ modernas munerum remunerationes comitari solent, si quis morali & incorrupto judicio expenderit; nescio quomodo ambigere poterit, quin sub illis munerum susceptionibus, ac largitionibus nefandissima tegatur simonia.

Illud præterea circa consuetas hodie remunerationes observandum, quòd illæ fieri soleant ab his, qui nunquam vel vigesimam partem eorum, quæ remunerationis ergo Collatoribus offerunt, *gratis* alicui darent; adeo ut vel sola remunerationum in ea quantitate oblatio, deficientibus etiam aliis circumstantiis animum simoniacum sufficienter declaret; quis enim, nisi sensu communi destitutus, credat quod munera, quæ aliquot annorum proventus Beneficii collati absumunt, similibus *gratis* offerantur? Puderet quoque Collatores hujusmodi oblata accipere, nisi crederent ea ex quadam obligatione, saltem tacita offerri, quæ ex pravâ illa consuetudine, remunerationes pro collatis Beneficiis faciendi censetur inesse.

Sola proinde personæ dantis & accipientis qualitas, atque munerum quantitas, si moraliter considerentur, sufficit, ut illas modernas *munerum* retributiones, & acceptiones, simoniacas probent.

Ad hæc si effectus illarum *retributionem* considerentur, latentis similiter simoniæ indicium sunt; nec enim alios quàm simoniæ detestandos effectus reperire est.

Nonne ad oculum patet in partibus illis, in quibus hujusmodi munerum susceptiones & retributiones frequentantur, evenire, quod jam olim per simoniacam labem factum scribit Glaber Rodulphus *lib.* 2. *hist. cap.* 6. »ut nimirum illi qui »Sacræ Religionis idonearum Decretores personarum esse de»buerant, *munerum* largitione corrupti, potiorem quem»piam ad regimen Ecclesiarum vel animarum dijudicant, illum »videlicet, à quo *impliora munera* suscipere sperant.«

Si per simoniam evenire dixerit S. Gregorius *Epist.* III. *lib.* 7. »Ut nulla de actu probatio, nulla solicitudo de mori»bus, nulla sit de vita discusio, sed ille solummodo dig»nus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur:« nonne quoque idem per sordidas illas remunerationes contingere videmus; ut nimirum *ille solummodo dignus, qui munera remunerandi causâ dare suffecerit*, & voluerit, *æstimetur*?

CAPUT III.

De triplici munere, cujus interventu Simonia committitur.

PARAGRAPHUS I.

Ostenditur tria esse munera, quorum interventione simonia contrahitur

»SUnt nonnulli (inquit S. Gregorius *Homil.* 4. *in Evang.*) »qui quidem nummorum præmia ex Ordinatione non ac»cipiunt, & tamen sacros Ordines pro humana gratia lar»giuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo re»tributionem quærunt. Hi nimirùm quod *gratis* acceptum est, »*gratis* non tribuunt, qui de impenso sanctitatis Officio, »nummum expetunt *favoris*. Unde bene, cùm justum virum »describeret Propheta, ait: *qui excutit manus suas ab om»ni munere*. Neque enim dicit qui excutit manus suas â mu»nere, sed adjunxit *ab omni*: quia aliud est munus *ab ob»sequio*, aliud munus *à manu*, aliud munus *à lingua*.« Apud Gratianum *Caus.* 1. *q.* 1. *Can.* 114.

Tria horum munerum genera multo ante Gregorium tempore notaverat S. Hieronymus in *Epist. ad Tit.* deplorans & suo tempore plures reperiri, qui non quærunt eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt *obsequiis* deliniti, vel pro quibus Majorum quispiam *rogaverit* (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, *muneribus* impetrârunt. Apud Gratian. *Caus.* 8. *quæst.* 1. *Can.* 6.

Has tres munerum species tanquam certissimam simoniæ materiam subsequentes Pontifices, ac Patres uno consensu agnoverunt: quare seculo XI. intrepidè pronuntiare non dubitavit Urbanus II. *Caus.* 1. *q.* 3. *Can.* 8. »Qui res ecclesiasti»cas non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad propria »lucra munere *linguæ* vel *indebiti obsequii* vel *pecuniâ* lar»gitur, vel adipiscitur, *Simoniacus* est.“ Et post ipsum seculo XII. B. Petrus Damiani, hisce tribus muneribus enumeratis, *lib.* 2. *epist.* 1. subjungit: „Quisquis in dandis, acci»piendisque dignitatibus ecclesiasticis *una duntaxat earum*, »quæ predictæ sunt, peste corrumpitur, simoniacæ hære»seos teneri crimine judicatur.

„Dicendum igitur cum Doctore Angelico, quod sicuti »contrahitur simonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet »aliam rem exteriorem, quod pertinet ad *munus à manu*: »ità etiam contrahitur per *manus à lingua*, vel *ab obsequio*.« 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *in corpore.*

§. II.

Quinam incurrant vitium simoniæ per munus à manu.

MUnus *à manu*, Auctore S. Gregorio, est *pecunia*. »Tum vero, ait S. Augustinus, quidquid homines »possident in terrâ, omnia, quorum Domini sunt, *pecunia* »vocatur. Ideo autem *pecunia* vocatur, quia antiqui totum »quod habeant, in pecoribus habebant.“ *Can. totum, Caus.* 1. »*q.* 3.

Itaque sub munere *à manu* continetur omne quod homines in terra possident, quodque pretio æstimari solet.

Hinc collige, ut munere *à manu* committere simoniam, qui cujuspiam rei temporalis interventu spirituales acquirit aut largitur: idque sive res illa magni sive exigui pretii fuerit.

Unde simoniacum pronuntiare non dubitavit Alexander III. Clericum, qui sex solidos Archidiacono solvit, quia ipsum aliter ad Ordines præsentare noluerat. *Cap.* 20. ✠ *De Simon.*

Sequitur secundò, per munus *à manu* incurrere simoniam, qui dant vel accipiunt Beneficium cum promissione expressa vel tacita remittendi debitum, proprium vel alienum, licèt illud ex Officio spirituali contractum supponatur. Exempli gratiâ: si Parochus stipendii loco, quod suo debetur Vicario, daret vel resignaret suum Beneficium cum pacto tacito vel expresso debitum remittendi seu non exigendi, indubiè Simoniacus esset, & dans & accipiens.

Eodem ex capite Patroni, presertim Ecclesiastici, frequenter simoniæ labe asperguntur, præsentantes ad Ecclesiam Parochialem eâ lege, rursus tacitè vel expressè, ut præsentatus minore competentiâ sit contentus, aut saltem augmentum illius non prætendat. Similiter Clerici, qui tacitè vel expressè remissionem illam addicunt, aut augmento quod forsitan jure prætendere possent renuntiant, ut præsentationem obtineant, lepram simoniæ non evadunt.

Quid enim evidentius, quàm quòd eo casu vel debiti certi aut saltem probabilis fiat remissio, ut Beneficium conferatur vel accipiatur?

Nec minùs evidens est, similem remissionem, emolumenti non exigui loco, Patronis reputandam esse; quia inde contingit, quod major decimarum portio ad ipsos devolvatur. Similes proinde sunt hujusmodi Clerici illis Clericis Cantuarensibus, qui teste Alexandro III. in *cap.* 6. ✠ *De pactis* decedentibus Ecclesiarum personis, paciscebantur ex ipsis „Ec»clesiis majores solito solvere pensiones, ut faciliùs possent »easdem Ecclesias adipisci,“ quorum factum Pontifex ut detestabile vitium omnimodis extirpandum, & severitate ecclesiasticâ puniendum pronuntiat.

Tertiò, munere *à manu* Simoniaci sunt Patroni quidam Laici, qui ad Beneficia præsentant sub tacitâ vel expressâ conditione, ut carnes, pisces, cerevisiam, aut merces alias ex officina ipsorum quærere teneantur; hanc enim obligationem Patronis illis pretio æstimabilem esse nemo sanæ mentis dubitat.

Quartò, idem vitium per munus *à manu* frequenter incurrunt, qui ut Patronos ad pæsentandum alliciant, & eorum aucupentur amicitiam vel favorem, ipsis convivia ac symposia exhibent. Nec enim ambigere licet, quin hæc pretio æstimabilia sint.

Plures casus, quibus simonia munere *à manu* committatur hîc adducere necesse non judicavi; quia ex allegatis sine dificultate intelligi posse credo, quandonam in aliis munus *à manu* simoniacam Beneficii collationem faciat. Hoc tamen addendum putavi, quòd munus *à manu* non requiratur, ut illud quod datur aut accipitur, *revera* sit pretio aut pecuniâ æstimabile, sed sufficiat, quod ut tale habeat promittens aut acceptans; unde Simoniacum censuit Alexander III. Episcopum Oxoniensem, quia Archidiacono *Beneficium*, & cuidam Clerico ante electionem suam *Prioratum* dicebatur promisisse, ut uterque consentiret electioni. *Cap.* 11. ✠ *De Simon.*

§.

§. III.

Quandonam committatur simonia per munus à lingua.

MUnus *à lingua* est *favor*, ait S. Gregorius *Caus.* 1. *quæst.* 1. *Can.* 14.

Hujus muneris interventu, non secus quàm muneris *à manu*, simoniam committi ex S. Gregorio aliisque §. 1. hujus capitis notatum est.

Rationem reddit Urbanus II. *Epist.* 17. » Quia qui res ecclesiasticas non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucrà, *munere linguæ*, vel indebiti obsequii, vel pecunia largitur, vel adipiscitur, Simoniacus est. « Apud Gratianum *Caus.* 1. *q.* 3. *Can. Salvator.*

Cui consonat Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *in Corp.* docens contrahi simoniam per munus *à lingua* sicuti accipiendo pecuniam; quia » quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. «

Toties igitur simonia *munere linguæ* committitur, quoties Beneficium ad preces alterius eo fine confertur, ut satisfaciendo ejus postulationi *gratia* seu *favor* ipsius ad utilitatem propriam habeatur: *Tales enim preces*, ut benè notat Glossa, *succedunt locum pretii.*

Similiter simoniâ per munus *à lingua* inficitur, qui Beneficium ad preces alterius conferendum duxit; ne recusans offensam postulantis incurrendo, *gratiam* seu *favorem* ejus amitteret. Nec enim minus pretio æstimabile censetur *favorem* alicujus obtentum non amittere, quàm non obtentum comparare.

Quinimo nec collatio Beneficii facta ad preces alicujus desinet esse simoniaca, si per eam *favor humanus* quæratur, tametsi preces pro *digno*, aut etiam *digniore* porrigantur: quia cùm nihilominus Beneficium collatum sit, ut *favor*, qui ad utilitatem propriam spectat, habeatur, non potest collatio vitio simoniæ carere, non magis quàm collatio facta dignissimo pro præstatione pecuniæ.

Quod ipsum docet S. Thomas, adstruens esse simoniam saltem in intentione, conferre Beneficium ad preces alterius, licèt illæ fiant pro digno: » Si non attendatur, inquit, ad dignitatem personæ, sed ad *favorem humanum*. « 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3.

§. IV.

An semper sit simoniacum Beneficium ad preces, vel comendationem alicujus conferre vel obtinere.

» SI præces pro *digno* porrigantur, ait S. Thomas, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa ex » qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid » conferatur: tamen potest esse simonia in intentione, si non » attendatur ad dignitatem personæ, sed ad *favorem humanum*. «

Ex sententia proinde Doctoris Angelici collatio Beneficii ad preces alterius facta, semper simoniaca non est. Si enim Collator attenderit solùm ad *dignitatem* personæ, non ad *favorem humanum*, sive quod idem est, si in collatione tantùm habitus fuerit respectus ad merita personæ per tertium proposita & patefacta; adeò ut preces porrectæ potiùs habeantur pro attestatione meritorum, quàm personæ commendatione; & consequenter talis collatio facta dicenda sit non in *gratiam* commendantis, sive ut *favor* ejus habeatur, sed ob *merita* personæ per preces & commendationem ipsius declarata & probata.

Similiter si postulans pro alio Beneficium non alio intuitu *preces* porrigat, quàm ut merito personæ Collatori, vel Patrono innotescant, atque per illa solùm, ad conferendum Beneficium Collatorem movere intendat; nulla quoque vel species simoniæ ex parte supplicantis interveniet.

Rectè proinde dixit Gratianus noster *Caus.* 1. *q.* 1. post *Can.* 122. » Non quorumlibet *precibus* Ordinationes factæ falsæ dijudicantur, sed hæ demum, quæ præcibus ordinandi, vel ejus amici, *non spirituali*, sed *carnali affectu* porrectis fiunt, cum » aliàs futuræ non essent; *quas non charitas interveniens*, *sed amicitia supplicans*, *extorquet*. «

Ut igitur verbo dicamus: rogans, aut porrigens *preces* pro alio erit Simoniacus saltem in intentione, si *preces* eâ intentione offerat, ut Collatorem non per *merita* personæ, sed per *gratiam*, aut *favorem* humanum, quem tacitè ipsi addicit, ad conferendum movere intendat. Similiter nec Collator à Simonia erit immunis, si non ob merita personæ per supplicantem exposita, sed ob addictam sibi *gratiam* aut *favorem* ad conferendum processerit; juxta illud S. Thomæ: » Qui dat spirituale, si principaliter moveatur favore *precum*, vel *timore* rogantis, quantùm ad judicium divinum simoniam committit & rogatus & rogans, si hoc intendat. «

§. V.

Quandonam committatur simonia per munus ab obsequio.

MUnus *ab obsequio*, inquit S. Gregorius, *est servitus indebitè impensa.* Caus. 1. q. 1. Can. 104.

Hujus muneris interventu, non secùs ac muneris *à manu* simoniam committi, §. 1. hujus capitis ostensum fuit. Rationem dat S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. » Quia idem est quòd » aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali » exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel » promissa, qua illud obsequium æstimari posset «

Eandem rationem attingit S. Petrus Damiani perstringens Clericos aulicos, qui, exhibendo obsequia, Beneficia venabantur, à simonia tamen se immunes gloriabantur, quia *nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigêre daturos.* » Sed dic mihi, ò Clerice (inquit Petrus Damiani *lib.* 2. *Epist.* 1.) » quisquis est, si redempto quolibet aureo vase vel prædio, dis» tractor exigeret, ut retento apud *te vice pretii*, hujusmodi » sibi *sedulitatis impendium* exhiberes; nunquid non postmodum constanter assereres, te quod acceptum est *justo pretio* » comparâsse? Non videlicet quia pecuniam persolvisti, sed quia » *servitium* præbuisti. Diceres enim & fortasse non impudenter astrueres: charius emi, dum tanto me labore vexarem, dum » toties facultatem mearum sumptus expenderem, quàm si semel » præfixæ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquam ergo sibi » innocentiam præbeant, & à simoniacæ hæreseos maculis se » mundos esse confidant, qui licèt metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis honoribus per subjectionis & *obsequii* quædam *quasi talenta* persolvunt. « Hæc S. Petrus Damiani.

Manifestam proinde incurrunt simoniam, qui obsequium, seu servitium Collatoribus, aut Patronis *gratis* exhibent, eâ conditione tacitâ vel expressâ, quod ipsis occasione occurrente, de Beneficio providebunt; similiter & ipsi Collatores eodem vitio irretiuntur, si eâ spe alliciant Clericos, ut sibi obsequium aut servitium *gratis* exhibeant.

Hoc simoniæ periculum metuens S. Carolus, monuit atque obtestatus est » Episcopos aliosque, quibus jus est conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne » illi hoc subsidio destituti Beneficia Ecclesiastica tanquam *suæ* » *operæ* & *laboris pretium* præcipuè sibi proponant. « In Concil. Mediol. II. in Constit. adversùs Simoniac. n. 13.

Eundem simoniæ reatum incurrunt, qui Principum, aut aliorum Magnatum liberos, vel Episcoporum Nepotes *nullo* aut *exiguo* stipendio regendos, erudiendosve suscipiunt, eâ spe, ut Beneficia Ecclesiastica ab ipsis, vel eorum favore adipiscantur.

Neque labes simoniæ abstergeretur, tametsi obsequium exhibitum, vel exhibendum spirituale foret, quia & spiritualem operam exhibentes, tanquam operarii, digni sunt mercede suâ; unde si hanc intuitu Beneficii accepti aut accipiendi remittant, indubiè Simoniaci sunt. Similiter qui tale obsequium intuitu Beneficii dati, aut promissi sibi *gratis* exhiberi, tacitè vel expressè postulant, aut oblatum acceptant, simoniæ labe inficiuntur.

Hinc Simoniaci sunt Canonici aliique Sacerdotes assumentes Vicarios, qui exigua sint contenti stipendio, spe consequendi Beneficium.

Simoniacum quoque est, conferre alicui Beneficium eâ lege & conditione tacitâ vel expressâ, ut ipse Beneficiatus teneatur Collatori, vel alteri aliqua obsequia etiam spiritualia, Beneficio non annexa, *gratis* præstare. Quis enim dubitat, quin obsequia illa, licèt spiritualia *gratis* exhibita, ad utilitatem redundent Collatorum, nec enim obsequia illa tametsi spiritualia, sine constituto honorario ab aliis ipsis exhiberentur.

CAPUT IV.

De Simonia *Confidentiæ.*

PARAGRAPHUS I.

Quid de hac specie simoniæ edixerit Pius V.

ADversus simoniam confidentialem, quæ seculo proximè elapso aut circiter præcipuè invaluisse videtur, diversi Romani Pontifices Constitutiones, ac Decreta sua promulgârunt; inter quæ tamen præ cæteris eminet Constitutio Pii V. naturam illius vitii, atque perniciosos illius effectus, nec non modum illud detegendi probandique fusius proponens & explanans. » Multi, inquit Pius V. *Constit.* 85. *in Bull. Rom.* ipsa » Beneficia jure retinere nequeuntes, alii enim coguntur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incidendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant; alii

» ut alieno nomine lites agant, aut defendant; alii propter cri-
» mina incapaces; quidam ut purgato delicto vel absolutione
» consecutâ illa repetant, eadem in alienos deponunt, & in
» plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi
» statuunt, sæpè Laicis & inhabilibus. Plerique vel senes, vel
» infirmi, ut Beneficia in domibus suis perpetuent, illa renun-
» tiarunt, & renuntiant in alios, qui vel profanam familiam
„ cedentium de fructibus ecclesiasticis alant; vel illa etiamnum
„ infantibus aut nascituris asservent, sacro interdum circuitu
„ retrocessionis, cum reservatione fructuum, & aliarum rerum,
„ aut accessu, præsertim ab illis qui præstandorum Jurium
„ Cam. Apost. sunt immunes; alii aut incapaces, aut aliis Be-
„ neficiis Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico Ordini sese
„ mancipare refugientes, aut merè Laici, Beneficia ecclesiastica
„ aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum
„ suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Adhæc
„ plerique Ordinarii, & Collatores, ac etiam patroni Laici
„ curant deponenda Beneficia, ut fructus, seu pensiones ca-
» piant eorundem, aliisve faciant ministrari. Alia item per multa
» ejusmodi admittuntur, quibus immaculata divinarum rerum
» puritas impie violatur, disciplinæ Ecclesiasticæ nervus dis-
» rumpitur, & imminens patratur exitium animarum. «

Hisce perniciosis technis, quas Clericorum avaritia & cupiditas adinvenit, ut Sacrorum Ecclesiæ muniorum sordidam mercimoniam tegere queat, prænotatis, Pius Pontifex subjungit: » Quare nos volentes periculosam talium audaciam novi
» juris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus.

» Ut si quis quacumque auctoritate Ecclesiam, vel Monas-
» terium, aut alium Beneficium ecclesiasticum qualecumque ex
» resignatione, vel cessione cujuscumque personæ, simpliciter
» aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu
» etiam solâ dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud
» etiam in eventum regressus vel accessus, eidem dimittendi
» vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum
» pars alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eis-
» dem, hæc confidentia censeatur.

» Itidem si Ordinarius, vel alius collator contulerit ante
» hac, aut conferat in futurum, Beneficium Ecclesiasticum
» quovis modo vacans, eâ conditione, tacitâ vel expressâ, ut
» postea in alterum pro arbitrio collatoris seu alterius cujuscum-
» que contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut
» eo provisus, fructus illius vel partem ad utilitatem vel libitum
» conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & remit-
» tat, seu pensionem illi, vel illis, quem vel quos idem colla-
» tor, aut cedens, vel alius per se vel alium, scripto aut ver-
» bo jusserit seu significaverit, persolvat, & pariter si à patro-
» no etiam Laico, vel alteri præsentatori, seu electori conti-
» gerit aut contingit id fieri.

» Ad hæc si Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis aut
» alius à solutione jurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancella-
» riæ Apostolicæ exemptus, post resignationem vel cessionem
» alicujus extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio Beneficio
» Ecclesiastico in se, Apostolica vel aliâ auctoritate factam &
» admissam, illam vel illud etiam confectis litteris Apostolicis,
» & possessione apprehensa, in eundem resignantem vel eden-
» tem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium
» mensium retrocesserit aut retrocedet in futurum, & ex illa
» retrocessione fructus Ecclesiæ seu Monasterii aut Beneficii vel
» eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum,
» aut regressus seu accessus, & ingressus ad illam vel illud, ip-
» si Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit, fueritque
» concessus. «

Ex his facilè esset concludere, quinam ad mentem Pii Pontificis Simoniaci *Confidentiæ* sint dicendi; ut tamen clariores ad sensum Pontificum ac Ecclesiæ de hac simonia conclusiones formentur, priùs quid Concilia, Pontificum declarationes secuta, de ea senserint, paucis proponam.

§. II.

Quid circa simoniam Confidentiæ *decreverint Concilia.*

QUanta mala in Ecclesiam invehat simonia *confidentiæ*, §. præcedenti ex Constitutione Pii V. vidimus, ut proinde mirum non sit, si & ipsa Concilia pro Ecclesiastica disciplinæ instauratione celebrata, Romanorum Pontificum exemplo, teterrimam hanc ecclesiasticæ disciplinæ pestem eliminare totis viribus studuerint.

Et quidem ann. 83. præcedentis seculi, Patres Concilii Remensis simoniacam labem funditùs extirpare volentes, adversus hanc ejus speciem hæc statuenda censuerunt. *Tit. De Simonia, n.* 13. 14. 15. 16.

» Quisquis acceptat Beneficium, ut ei postea cedat in favo-
» rem cujuscumque personæ capacis vel incapacis, secularis vel
» regularis, Laicorum, vel alicujus ex Clericis fiduciarius esse
» censeatur. Idemque esto judicium de eo, qui per resigna-
» tionem ejus Beneficium recepit, cujus priùs erat illi facta
» promissio.

» Qui eandem confidentiam verbo, vel facto juverit vel
» procuraverit, ejusdem criminis particeps habeatur. Qui Be-
» neficium acceptat, non ut cedat, sed ut alius fructibus, vel
» eorum portione, sub ipsius nomine gaudeat, fiduciarius esse
» judicetur.

» Patroni etiam, seu Ecclesiastici seu Laici, qui Clerico-
» rum personas interponunt, ut ex pacto vel expresso vel taci-
» to fructus Beneficiorum, ad quæ præsentant, vel eorum par-
» tem aliquam in proprios usus convertant, vel qui aliquo sup-
» posito, vel etiam nullo titulo existente, fructus Beneficiorum
» occupant, non solùm hujus criminis Rei, sed etiam injustissi-
» mi raptores censeantur, & jure patronatus ipso facto privati
» existant. «

Eodem anno Turonenses Patres eodem adversus hanc simoniæ pravitatem zelo animati, Constitutionem Pii V. de qua §. præcedenti, ab omnibus exactè observandam *cap.* 5. decernunt, insuper declarantes: *Ecclesiam fiduciarios Simoniacos non minore quàm fidei desertores odio habere.* Ipsi etenim subjungit Sacer Conventus, » magno Cleri scandalo, animarum
» suarum periculo, ac Ecclesiæ bonorum gravi dispendio ad
» Beneficia provehuntur. «

Utque plura adversus pestilentissimum illum simoniæ fœtum Conciliorum gravissima decreta præteream, unum Concilii Mediolanensis sub S. Carolo adjungo. » Ne ita detur Beneficium
» cuiquam, ut is ad nutum ejus, qui dederit, vel cujusvis al-
» terius postea cedat.

» Neve in eo dando ulla fructuum pars ab Episcopis, & in-
» ferioribus contra sacrorum Canonum instituta quovis etiam
» pietatis studio reservetur.

» Qui ex iis, quos diximus, secùs fecerit, jure ac facultate
» eligendi, nominandi, vel præsentandi, deinceps uti non
» possit.

» Qui verò Beneficium conditionibus hujusmodi acceperit,
» sciat ex sacrorum Canonum decretis se nullum in eo jus
» adeptum esse, atque ideò fructus suos non facere, quosve
» perceperit, sine conscientiæ labe retinere non posse, ad eo-
» rumque restitutionem compellatur.

» Omnes item ii cæteras pœnas dent Simoniacis à sacris Ca-
» nonibus, & Constitutione Sanctissimi D. Nostri Papæ V.
» constitutas, & quas Episcopi præterea de iis sumendas
» judicaverint.

» Eandem Pii constitutionem Episcopi semper in Diœcesa-
» na Synodo, ac bis quotannis in celebrioribus suæ Diœcesis
» oppidis publicè recitari jubeant. «

§. III.

Quæ specialiter sint statuta ad probandum & detegendum simoniam confidentiæ.

ILlud quidem ab initio nascentis Ecclesiæ omnium Simoniacorum studium fuisse, ut diversis fraudibus, & technis simoniacas suas sordes tegere, & occultare possent, *Cap.* 1 §. 3. ostendimus; attamen in nulla simoniæ specie tot pallia, quibus malitiam suam pallient, inventa esse quàm in præsenti, experientia docuit; adeò ut etiam oculatissimos quosque penè fugerent: ut ea propter non immeritò monuerint Patres Concilii Burdigalensis *ann.* 1624. *cap.* 15. » *Præcipuam* curam de-
» bere esse in sordida confidentiæ labe detegenda, quo tandem
» palam facta & comprobata, remediis juris ita confodiatur, ut
» nusquam reviviscat, sed evanescat prorsus & extinguatur. «
Hinc ea ipsis visa sunt præscribenda, *quibus utcumque*, ajunt, *pateat* abhorrendum *scelus.*

» Quicunque Clerici vel Sacerdotes, coram Ordinario suo
» ad exibendas Beneficiorum sibi collatorum litteras citati, vel
» jussi ad Synodum Diœcesanam asportarent, vel in visitatione
» præ manibus haberent, eas non potuerunt exibere, sed ab
» alio detineri fassi fuerunt; qui ad Sacros Ordines, sine justo
» titulo, & sufficienti ad vitam promoti fuerunt; qui fructus
» Beneficiorum ad plures annos collatos in præpotentum domos
» transportari siverunt; *Qui sæpiùs ægrotantes eadem Benefi-*
» *cia resignaverunt*, & rursus eadem convalescentes retinue-
» runt; quicunque etiam Collatores, & Resignantes, inter
» quos pessima quàdam consuetudine convenit, ut resignatum
» Beneficium certæ personæ & designatæ infalibiliter confera-
» tur; *qui sine intentione clericandi, Beneficia ad tempus reti-*
» *nent, in cognatos* tandem *resignanda*, eoque modo de uno
» ad alium transferenda; hi omnes de simoniæ & confidentiæ
» labe suspecti valdè censeantur, ac in eos tandiu procedatur,
» & inquiratur, quoad simonia seu confidentia detecta, cano-
» nicè puniantur. In aliis verò omnibus ita invigilent sedulò col-
» latores ordinarii, *ut minima confidentiæ, & simoniæ suspi-*
» *cio, provisiones quascunque remoretur, judicium* suspen-
» dat, donec discusso dubio, veritas pleniùs innotescat. «

Illius

Illius Synodi Prælatos præiverat Pius V. in suprà allegata Constitutione, modo & formâ probandi simoniam confidentialem præscriptis. » Ad probandum planè Confidentiarum abu-» sum, ait, inter alias etiam hæ præsumptiones, & conjecturæ » habeantur legitimæ. « Videlicèt: Si quis post cessam à se Ec-» clesiam, vel Monasterium, aut Beneficium, & publicatam » resignationem, seu cessionem, captamque à successore pos-» sessionem, sese in illa vel illo, seu rebus illius, per se, vel » alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut » quicunque successor illi, vel ejus propinquis, ipsos aut par-» tem aliquam remiserit eorundem.

» Si recipiens Beneficium constiterit dimittentem vel ejus » parentes, & propinquos, procuratores ad percipiendum, » vel locandum fructus Beneficii dimissi, & illi vel illis de fruc-» tibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

» Si vel solâ procuratoris depositione, vel libris rationalibus » mensariorum ex parte dimittendis, expeditio, quæ perso-» nam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ » pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

» Denique si quis pro concessione alicui facta quacunque » auctoritate de Beneficio ecclesiastico, per se vel alium seu » alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese im-» miscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis Be-» neficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam sim-» plicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad » voluntatem intercessoris fuerit depositum quandocunque.

» Testes autem de quaque re singulares singulas probare va-» leant præsumptiones, & conjecturas, pluresque hujusmodi » præsumptiones & conjecturæ plenam probationem faciant in » prædictis. «

§. IV.

Conclusiones aliquæ ex allegatis hoc capite Pontificum ac Conciliorum decretis eductæ.

QUinam ex Pontificum ac Conciliorum declarationibus, leprâ simoniæ confidentialis censeri debeant infecti, aut ut minus suspecti, qua ratione itidem contra Confidentiarios procedendum sit, ante dicta ostendunt: attamen pro faciliore intellectu, nonnulla tanquam consectaria, quæ hodie magis notanda videntur, ex illis excerpemus.

Primo itaque, teste Pio V. constat per Simoniacos confidentiarios, » Permulta admitti, quibus immaculata rerum divi-» narum puritas impiè violatur, disciplinæ ecclesiasticæ ner-» vus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. « Quare, ut ait Synodus Turonensis *loco citato*, » eos Ecclesia » non minore, quàm fidei dessertores odio habet.

II. Ex Bulla Pii V. patet, » quòd si quis *quacunque* auc-» toritate Ecclesiam vel Monasterium, aut aliud Beneficium » Ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessio-» ne cujuscunque personæ, simpliciter aut cum circuitu re-» trocessionis, cum ingressu, vel accessu etiam *sola dimitten-» tis intentione* receperit, ut illa vel illud etiam in eventum re-» gressus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea con-» feratur, aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis con-» cedatur, vel pensiones solvantur ex eisdem, hæc confiden-» tia censeatur. «

III. Constat ex prædicta Bulla, » Confidentiam committi, » si Ordinarius vel alius collator contulerit antehac, aut confe-» rat in futurum Beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans » eâ conditione tacitâ vel expressâ, ut postea in alterum pro ar-» bitrio collatoris seu alteriùs cujuscunque contra Juris com-» munis ordinationem disponatur; sive ut de eo provissus, fruc-» tus illius vel partem ad utilitatem, vel libitum conferentis vel » cedentis, aut alterius, relinquat & remittat, seu pensionem » illi vel illis, quem vel quos idem collator aut cedens, vel » alius per se vel alium scripto aut verbo jusserit seu significa-» verit, persolvat; & pariter si à Patrono etiam laico, vel alte-» ri præsentatori, seu electori contigerit aut contingat id fieri. «

Ex quo ulteriùs consectarium est, à confidentia non videri planè immunia Capitula & Monasteria ad Pastoratum eâ conditione tacitâ vel expressa, aliquem præsentantia, ut vel majorem decimarum portionem Capitulo, aut Monasterio dimittat, vel portionem Capituli aut Monasterii petendo ab ipsis competentiam, non diminuat.

IV. De simoniæ confidentiæ labe admodum suspecti censendi sunt, ut notat Synodus Burdigalensis. » Qui sine intentio-» ne clericandi, Beneficia ad tempus retinent, in cognatos tan-» dem resignanda, eoque modo de uno ad alium transferen-» da, & perpetuò in eadem domo quasi hereditario jure pos-» sidenda. «

V. Ex Bulla Pii V. simoniæ confidentiæ » planè probatur, » si resignatarius Beneficii resignanti vel ejus propinquis fructus, » aut partem aliquam remiserit eorundem. Si recipiens Benefi-» cium constituerit dimittentem, vel ejus parentes aut propin-» quos Procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Be-» neficii dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut per-» cipiendis donationem fecerit.

VI. Convictus de simonia confidentiæ censendus, » qui pro » concessione alicui facta, quacunque auctoritate de Beneficio » ecclesiastico per se, vel alium seu alios intercesserit, vel aliàs » in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo: de-» nique aliquid de fructibus talis Beneficii de facto etiam per » manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perce-» perit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fue-» rit dispositum quandocunque. «

VII. Constat sæpè allegata Pii V. Constitutione, quòd in hoc confidentiæ crimine » Testes de quaque re singulares sin-» gulas probare valeant præsumptiones, & conjecturas; plures-» que hujusmodi præsumptiones & conjecturæ plenam proba-» tionem faciant in prædictis.

VIII. Ex Concilio Burdigalensi intelligitur, » quòd me-» ritò ita invigilent *sedulo* Collatores ordinarii, *ut minima* con-» fidentiæ, & simoniæ *suspicio*, provisiones quascunque remo-» retur, judicium suspendat, donec discusso dubio veritas ple-» niùs innotescat. « Monitum sanè hodie Collatorum cordibus altissimè imprimendum.

CAPUT V.

De Simonia in administratione Sacramentorum.

PARAGRAPHUS I.

Omnis pactio, & actio in administratione Sacramentorum, tanquam de simonia valdè suspecta, per Canones reprobata est.

UT Ecclesia in filiis suis debitam, ac summam erga Divina Redemptionis nostræ Sacramenta, reverentiam, atque appretiationem foveret, omnia, quæ vel simoniæ, avaritiæ turpisve quæstûs suspicionem ingerere possent, ab eorum administratione longissimè abesse voluit. Hinc pactiones, conventiones, atque temporalium exactiones, quæ ejusmodi suspicionem ægrè evadere queunt, in sacrorum administratione nunquam non exhorruit.

Et quidem seculo III. scribit Tertullianus in Apologetico: » Præsident probati quique seniores, honorem istum non pre-» tio, sed testimonio adepti, neque enim *pretio ulla res Dei* » constat; etiamsi quod arcæ genus est, non de *oneraria summa* » *quasi redemptæ religionis congerat*. Modicam unusquisque » stipem menstruâ die, vel cùm vellit, & si modo possit, ap-» ponit: nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hæc qua-» si deposita pietatis sunt.“

Offerebant ergo Fideles, quod Ecclesiæ Ministris, pauperibus sustentandis satis erat, sed longissimè omnis pecuniæ exactio in sacrorum functionibus ab Ecclesiæ Ministris aberat.

Sed ne hæc crederetur primitivæ Ecclesiæ singularis integritatis, quis mediâ ac infimâ ætate Ecclesiæ sensus fuerit, paucis subjicio.

Seculo XI. Guido Paschalis II. Legatus in suis pro Gallicana Ecclesia constitutionibus: » Prohibemus, ait, sub excommuni-» catione, ne Sacerdos vel Clerici, occasione alicujus consue-» tudinis, pro Baptismo, aliisque Sacramentis Ecclesiasticis, » aliquid *exigere* vel *extorquere* præsumant, sed ea *liberali-» ter* & sine difficultate studeant canonicè ministrare. Monean-» tur tamen Laici diligentes, ne quod pro reverentiâ Sacra-» mentorum devotio fidelium introduxit, ex *avaritia* velint » aliquatenus revocare.“

Confirmat idipsum seculo sequenti Concilium Lateranense II. sub Innocentio II. & adjungit: » Nec sub obtentu *ali-» cujus consuetudinis* ante vel post à quoquam aliquid exigatur, » vel ipse (initiatus) dare præsumat, quoniam Simoniacum est.

» Dictum est solere, inquiebant sub idem tempus Patres Con-» cilii Londinensis, in quibusdam locis pro perceptione Chris-» matis nummos dari; similiter pro Baptismo & Communione. » Hæc *simoniacæ hæresis* esse detestata est Sancta Synodus, & » anathematizavit. Statuimus ergò ut de cætero nec pro Ordi-» natione, nec pro Chrismate, nec pro Baptismo, nec pro ex-» trema Unctione, nec pro sepultura, nec pro Communio-» ne, nec pro Dedicatione quidquam *exigatur*; sed *gratis* do-» na Christi gratuitâ dispensatione donentur. Si quis contra hoc » facere præsumpserit, anathema sit.

De omnibus generatim Sacramentis seculo XII. idem in Lateranensi Œcumenico Concilio declarat Alexander III. hanc notandam adjungens regulam: » Plures putant sibi ex hoc licè-» re, quia legem mortis de *longa* invaluisse *consuetudine* arbi-» trantur: *non satis, quia cupiditate excæcati sunt, attendentes, quòd tantò graviora sint crimina, quantò diutiùs » infelicem animam tenuerint alligatam.* « Cap. 6. ✠ de Simonia.

Quantopere, inquam, præfata à Patribus illis regula no-

tanda sit, nemo ambigere potest, nisi qui nesciat ordinarium & vulgatum argumentum, quo abusus defendi solent, à consuetudine desumi. Quare Concilii Turonensis Patres sub idem tempus pariter decernentes, ne pro sepultura, & Chrismatis, aut olei receptione, ulla cujusquam pretii exactio attentetur, eandem regulam tradiderunt. » Nec sub obtentu cu» jusquam consuetudinis reatum suum qui tueatur, quia *diu*» *turnitas temporis* non diminuit peccata, sed auget « *Cap.* 8. ✠ *de Sim.*

Finem referendis Conciliorum decretis facio, si unum Concilii Mediolanensis I. sub S. Carolo adjunxerim : » cum Sacra» menta Ecclesiæ non solùm sine simoniæ, verùm etiam sine ava» ritiæ suspicione præbenda sint; caveant omnes, ne in eorum » administratione quidquam *exigant*, aut etiam verbis & sig» nis, *directè* vel *indirectè petant* : qui secus fecerit, eum & » pœnis jure communi statutis, & aliis arbitrio Episcopi plecti » volumus. « *Parte* 2. §. 1.

Prudenter proinde Paulus V. *in suo Rituali* filum traditionis secutus, Ministrum Sacramentorum monet : » Ut diligen„ ter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid quavis „ ex causa vel occasione, *directè* vel *indirectè*, exigat aut pe„ tat, sed ea *gratis* ministret, & ab omni simoniæ, atque ava„ ritiæ suspicione, nedum crimine, longissimè absit.“

§. II.

Quid in ultrò *oblatis in administratione Sacramentorum à ministris cavendum sit.*

PAulus V. verbis illis, quibus §. præcedentem conclusimus, hæc immediatè subjungit : » Si quid verò nomine eleëmo» synæ, aut devotionis studio, *peracto* jam Sacramento, à fi» delibus *sponte* offeratur, id licitè pro *consuetudine* locorum Mi» nister accipere poterit. «

Paulo V. prælusit Gregorius M. in Synodo Romana. Cùm enim *antiquam Patrum regulam sequens* ita statuisset : Si quis „ pro Ordinationibus, aliisque rebus Sacris aliquid commodi ap„ pellatione *exigere*, vel deferre fortè præsumpserit, in districto „ Dei omnipotentis examine reatui subjacebit.“ Subjungit hoc lenimentum: „Is autem, qui ordinatus fuerit, *si non ex placito*, ne„ que exactus neque *petitus*...aliquid cuilibet ex Clero *gratiæ* „ tantummodo causa *dare* voluerit, hoc accipi nullo modo pro„ hibemus; quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ „ *ex accipientis ambitu non processit*.“

Seposito igitur omni jure positivo, fas est ex utriusque Summi Pontificis sententia, peracto jam Sacramento aliquid eleëmosynæ vel devotionis studio oblatum accipere ; in qua tamen susceptione quædam à Sacrorum ministris solicitè sunt cavenda.

Primò, ne in similium oblatorum receptione tacita saltem exactio simoniæ aut avaritiæ suspicionem ingerens, intercedat.

Tacitæ hujus exactionis frequenter sunt Rei, qui verbo, aut facto arguunt avaritiæ, aut inhumanitatis, qui post administrationem Sacramentorum nihil, aut parum offerunt. Quis enim ambigat, quin sic agendo cogant quodammodo Fideles ad dandum, dum negando, avaritiæ aut inhumanitatis notam sibi impingendam norunt.

Secundò solicitè cavendum, ne Sacramenta majori promptitudine, & hilaritate administrentur illis, à quibus plura offerenda sciuntur; facile enim major illa promptitudo, & hilaritas, avaritiæ turpisque quæstûs suspicionem insinuabunt.

Tertiò cavendum est, ne gratuitæ oblationes ex devotione Fidelium procedentes facilè in præceptum & necessitatem vertantur ; adeo ut si quis offerre prætermittat, avarus, imo injustus audiat.

Hinc enim continget, ut Fideles vel paupertate, præsertim occultâ, vel expensarum gravitate deterriti, Sacramenta aut non suscipiant, aut saltem diutiùs, quàm oportet differant. Quod hodiè, proh dolor ! non rarò circa susceptionem Viatici & extremæ Unctionis evenire, nimis quàm manifestum est.

Ob hæc, aliaque ex oblatorum receptione pullulantia incommoda, quæ difficulter in totum præcaventur, olim Synodus Eliberitana decrevit : *Hi, qui baptizantur, ut fieri solebant, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod* gratis *accepit*, pretio *distrahere videatur*. Statuti illius rationem exposuit in Concilio Basileensi Julianus Cardinalis. „ Apostolus præ» cipit ab omni *specie* mali abstinendum. Nonne *gratis* offerre & » eleëmosynam dare est pium & charitatis opus ? Sed quoniam » tempore Baptismi nummos projicere in concham prætendebat » *speciem* mali, emendari & aboleri talem consuetudinem jussit » Ecclesia.“

Eodem spiritu Patres Concilii Trident. hoc edidêre decretum : » Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspi» cio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque Ordi» num, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, » aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de » causa etiam *sponte oblatum*, Episcopi & alii Ordinum Colla» tores, aut eorum Ministri quovis *pretextu* accipiant. « Unde quod S. Gregorius suo rempore licitum dixit, Tridentinum illicitum fecit.

Quin S. Carolus, » Noluit, ut Presbyteri quamcunque rem » pro administratione Sacramentorum acciperent ; etiam sub » *obtentu eleemosynæ*, ut omnem *occasionem* & *notam avaritiæ* » adimeret; utque exactè per omnia observarent hæc verba: *Gra*» *tis accepistis, gratis date*.“ Glossano *lib.*8.*cap.* 4.*Vitæ S.Carol.*

Scio quidem hanc disciplinæ puritatem nec ubique vigere, nec in omnibus Ecclesiis hodie in præcepto esse, ut nimirum Ministri non possint, jam administrato Sacramento, *gratis* oblata recipere; ipsa tamen Sacra ministerii functio omnes Ministros adstringit, ut in oblatorum receptione, eam servent moderationem, & agendi modum, nec avaritiæ, turpisque quæstûs notam incurrendo ministerium ipsorum vituperetur, & Sacramentorum debita reverentia vilescat. Caveantque sedulò ne liberales fidelium oblationes tandem in suspectas exactiones degenerent, quibus fiat, ut vel fideles à Sacramentorum receptione trahantur ; aut ut diutiùs, quàm convenit, differant.

§. III.

Qui Sacramenta administrant, ut vitæ necessaria accipiant, non omninò ab affectu simoniaco sunt immunes.

SImoniacæ pravitatis quodamodo essentiam, in initio hujus Tractatûs, dixi consistere in rerum spiritualium ad vilitatem quandam, rebus illis indignissimam, depressione ; quam in omni simonia inde contingere probatum est, quod nunquam vitium illud committatur, ni unà contingat quædam, seu tacita seu expressa, rerum spiritualium cum temporalibus commutatio ; quo fiat, ut spiritualia ordine perversissimo temporalibus quodammodò coæquentur ; eamque perturbationem in ipso Simoniacorum Principe sugillavit Apostolorum Princeps Actor. 8. v. 20 » Pecunia tua tecum sit in perditionem: *quoniam*, » inquit, *donum dei existimasti pecunia possideri*.

His prænotatis non difficulter intelligitur, illorum animos non planè ab omni simoniaco affectu esse purgatos, qui ipsam Sacramentorum administrationem ad ipsa vitæ necessaria, aut quod pejus est, turpem *quæstum* ordinant.

„ Si enim, teste Doctore Mellifluo *in Declam.* §. 17. qui » Officium ecclesiasticum eo quærit, aut tenet animo, eoque » intuitu, ut huic *vitæ* habeat *necesaria*, *perverso* nimis ordine » cœlestibus terrena mercatur.“ An non similiter dicere liceat: qui Sacramenta administrat eo animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat necessaria, perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur?

Rationem illius à Magno Augustino *lib.* 2. *de Serm. in monte cap.* 16. accipe : „Quæcunque res propter aliud aliquid quæri» tur, sine dubio inferior est (nimirùm in æstimatione quæren» tis) quàm id propter quod quæritur ; & ideò illud primum » est propter quod illam rem quæris, non ista res, propter » quam istud quæris. Quapropter si Evangelium (idem dic » de Sacramentis) & regnum Dei propter cibum quærimus, prio» rem facimus cibum, & posterius regnum Dei.“ Hinc cum eodem Doctore dicere liceat, „ si Evangelizemus (vel Sa» cramenta dispensemus) ut manducemus, *vilius* habemus » Evangelium (vel Sacramenta) quàm cibum ; « adeòque Simoniaca quadam animi perversitate Sacrosancta Religionis mysteria ordine perversissimo infra res temporales deprimimus.

Hanc animorum inordinationem in Ecclesiæ Ministris corrigere voluit primus Simoniacorum impugnator, hoc ipsis divinum monitum præscribens » Pascite qui in vobis est gregem Dei, » providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum : ne» que *turpis lucri* gratia, sed *voluntarie*. « 1. *Petr.* 5. *v.* 2. Per Sacramentorum administrationem pasci gregem Dei, quis ambigat? » Sacramentorum enim, juxta S. Augustinum tract. 17. in » Joan. Sacrosanctis significationibus *pascimur*, ut ad res ipsas » perdurantes pervenire possimus. Nam si ista Sacramentorum » lætitia subtrahatur à nobis, deficimus labore. «

Quis verò pascat gregem Dei non *coactè*, sed *voluntariè*, ab eodem Doctore audiamus : explicans *lib.* 2. *contr. Parmen. c.* 11. hæc S. Pauli verba 1. *Cor.* 9. *v.* 17. *Si volens hoc facio, mercedem habeo*: *si autem invitus, dispensatio mihi credita est* : » Id » est, *inquit*, illis prodest quibus hoc dispenso, non mihi, qui » fictus sum. Qui enim invitus facit *propter commoda*, gaudiaque » carnalia, quæ si aliter habere posset, illud desereret, ipse » utique fictus est, ideoque invitus facit, sed eis prodest erga » quos facit ; se autem tantùm à mercede salutis alienat, non » etiam illos privat, quibus cibaria dominica etiam malus ser» vus impendit. «

Item *Lib.* 3. *cap.* 58. contra Petilianum eundem Apostoli locum versans ait : » Si bonus est, volens hoc facit ; si autem » malus, hoc est *sua quærens*, non quæ Jesu Christi, invitus hoc » facit, *propter alia quæ requirit*. «

At

At quomodo *invitus* & *coactus*, cum ejusmodi homines, qui in Sacramentorum administratione lucra seculi quærunt, ad Sacramenta administranda anhelare soleant, promptissimosque se ad eorum ministerium ostendent? Imò verò, respondet Augustinus, *invitus* hoc facit; quia ministerium illud de se sacratissimum, non *propter se ipsum* præstat, sed propter alia, quæ requirit: præstat illa *propter commoda*, gaudiaque carnalia, quæ si aliter habere posset, illa desereret. Temporalia itaque per se appetuntur, ministerium verò nonnisi occasione, & quodammodo cogente temporalium necessitate quæritur: adeoque coactè Sacramenta administrantur. Quo pertinet hæc præclara à S. Bernardo tradita morum regula. *Quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quo amoris finis pertendit.* Tract. de dilig. Deo.

Quicunque ergo animum suum ab omni simoniaco affectu expurgatum, cupit cogitet gregi Christi de Sacramentorum populo non *coactè*, non ex carnali *cupiditate*, *sed spontaneè secundum Deum*, ex liberrima, castissimaque in Deum, ac proximum charitate, esse providendum: cogitet sibi in persona primi Pastoris dictum: *Si diligis me, pasce Sacramentis oves meas*; quia, ut rectè Augustinus *Tract.* 123. *in Joan.* » Quid » est aliud, *si diligis me, pasce oves meas*, quàm si diceretur, » non te pascere cogita, sed oves meas; sicut meas pasce, » non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam: Do» minum meum, non tuum: lucra mea, non tua, ne sis in eo» rum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, *se ip» sos amantes.*"

Ex dictis nemo inferat, Ecclesiæ Ministros universos, qui administrando Sacramenta temporalia à populo recipiant, affectu simoniaco esse infectos; si enim juxta Christi sententiam, *dignus sit operarius mercede suâ*, quidni Sacramentorum Minister illam accipere possit? Non ut pretium Operis, sed ut operi gratis exhibito debitam sustentationem, quia ut rectè Augustinus *lib. de Pastoribus, cap.* 9. » Non redditur sus» tentatio *necessitatis* à populo quasi *merces* illis, qui sibi in » charitate serviunt, sed tanquam stipendium, quo, ut possint » laborare, pascuntur. « Quare veri Ministri Christi non evangelizant, nec Sacramenta administrant ut manducent; ac propterea secundum eundem Doctorem, » non in victu constituunt » finem Evangelii, sed ipsius victus sui finem in Evangelio » collocant. «

Non ergo simoniaci affectus perversitas in ipsa receptione temporalium consistit, sed in ipsa ordinis perversione.

§. IV.

Nec rationi, nec sacris Canonibus constat, quod oblata in administratione Sacramentorum in Parochorum competentiam *imputentur.*

MUlta, eaque gravissima incommoda nata esse oriri, ex eo quod Parochi, atque Ecclesiæ Ministri ex Sacramentorum administratione suam jubeantur quærere sustentationem, non difficulter ostenditur.

Hinc enim facilè eveniet, quod Sacramentorum Ministri ad sordidas illas, atque de simonia, turpive quæstu multùm suspectas exactiones, per Canones tantopere reprobatas delabentur: prætexentes non esse mercedem Sacramenti, quod alimentorum gratia Parocho datur; quo olim pallio Episcopi Orientales, teste Theodoro Balsamone, simoniacas in Ordinationibus varias exactiones tegere studebant.

Ulteriùs, si Sacerdotes ex Sacramentis sua debeant expectare necessaria, contingit ut necessitate cogente, ea *gratis* exhibere nequeant; quo natum est fieri, ut omnem notam, ac suspicionem simoniæ, præsertim apud rudem populum, ægrè evadant.

Adhæc quis ambigat, quin populi erga divina mysteria vilescat reverentia, & devotio, dum ea non nisi mediante temporali sibi exhiberi conspicit? Quinimò dubitari nequit, quin exinde Sacramentorum non rarò orietur in populo neglectus. Quid enim ratione, & experientiâ evidentius, quàm ea à multis facilè in neglectum venire, ex quibus nulla temporalia commoda sperantur, nec tamen sine temporali detrimento obtinentur?

Quis sufficiet edicere, quæ exinde pauperum, præcipuè quorum paupertas publicè non innotescit, murmura, atque obloquia? quod defectum temporalium ad Sacramenta, sine paupertatis suæ publicatione, aut summo in temporalibus incommodo, accessum sibi haud patere conspiciant.

Ob hæc, aliaque, quæ Sacramentorum reverentiam & devotionem in populo nata sunt diminuere, imò & neglectum quendam inducere; notamque avaritiæ, turpisve quæstus, quin & simoniæ Sacerdotibus inurere, nunquam Ecclesia præscripsit, ut ex oblatis in Sacramentorum administratione Parochi suam quærere tenerentur sustentationem. Quinimò solicita de Parochorum, aliorumque suorum Ministrorum sustentatione modosque quibus ea procuraretur præscribens, ante omnia sedulò cavendum censuit, ut ita de sustentatione provideretur Ministris, ut tamen in Sacramentorum exhibitione exactè servaretur hoc Christi præceptum: *Gratis accepistis, gratis date.*

Patres Synodi Coloniensis ann. 1536. *p.* 8. *Can.* 1. audiamus: » Superest, inquiunt, ut de victu Parochorum dispi» ciamus. Hic in primis, quod Christus docuit, & sacri Ca» nones maximè seriò præceperunt, præmitendum duximus: » nempe ut Sacramenta Ecclesiastica *gratis* ministrentur, di» cente Domino: *Gratis accepistis, gratis date.* Quamobrem » neque pro baptizandis, consignandisque fidelibus, neque » pro collatione Chrismatis, vel promotionibus graduum, ne» que aliis Sacramentis distribuendis pretia quælibet vel præ» mia, nisi quid voluntariè offeratur, recipienda sunt. Nemi» nem quoque ad quæstuosas exequias cogi, aut pro sepultu» ra munus, aut pretium *exigi* volumus. «

Et Canoni sequenti subjungunt: » At cùm lex divina præcipiat non alligandum os bovi trituranti.... dispiciendum est, ut Parochis Evangelii prædicatoribus, *certa* ac *competens* submi» nistratio victûs & vestitûs fiat, *idque ad eum modum ne in* » *administrandis Sacramentis quidpiam exigendo, oneri sint* » *Parochianis.*"

Hinc singularis illa Ecclesiæ cura, ut decimæ, atque similes sacri redditus Parochis integri servarentur: ut ita ex illis sustentationem habentes ad sordidas illas exactiones recurrere non juberentur. Inde illa adversus laicos decimarum usurpatores, atque injustos detentores vibrata censurarum fulmina.

Et quorsum illa Conciliorum decreta? » ut nullus laicus » decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici ju» ris est (ut loquitur Synodus Melfitana *ann.* 1089. *Can.* 5. » & 6.) sine consensu Episcopi, vel Romani Pontificis, Mo» nasteriis, aut Canonicis offerre præsumat." Item: » nullus » Abbas, (ait eadem S. Synodus) nullus Ecclesiarum Præpositus, » quæ juris sunt ecclesiastici, accipere sine Episcopi concessio» ne præsumat. " Et illud Concilii Generalis Lateranensis sub Alexandro III. relatum in *Cap.* 3. ✠ *de Privil.* » Ecclesias & » *decimas* de manu laicorum sine consensu Episcoporum tam » Fratres Templi & Hospitales, quam etiam quoscunque alios » Religiosos recipere prohibemus, dimissis etiam quascunque » contra tenorem istum aliquo tempore receperunt." Quibus plures ejusdem Synodorum Canones consonant. Quorsum, inquam, hæc omnia? Num forsitam Monachos & Canonicos planè incapaces usûs decimarum judicavit Ecclesia? Absit: sed ut earum ad illos devolutioni justi præfigerentur limites; ne alias Parochiis, aliisque Ecclesiæ ministris, quibus de jure decimæ competunt, ita subtrahantur, ut debita sustentatione deficiente, ad scabiosas, & Sacro ministerio indignas, necnon Parochianis invisas exactiones recurrere deberent.

» Licèt enim, inquiebat seculi XI. Ivo Carnotensis *Epis» tol.* 192. decimæ, & oblationes principaliter Clericali debean» tur militiæ, potest tamen Ecclesia totum quod habet cum » omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his » pauperibus, qui relictis facultatibus propriis, non in angaria » bajulantes crucem Christi, sequuntur pauperem Christum. » Est tamen, subjungit, in quo Abbatibus & Præpositis Mo» nasteriorum parcendum non æstimo. Si ab illis ad quos non » pertinent, id est, à laicis decimas & oblationes accipiant, » si ordinate eas à quibuscunque personis acquirant, si termi» nos transgrediantur antiquos, id est, *si stipendia Presbyte» rorum antiquitùs instituta minorent, ac sibi usurpent.*"

Ex hoc Ivonis discursu tria habemus. Primò quòd decimæ, & oblationes *principaliter* Clericali militiæ debeantur, id est, Clericis *militantibus*, non *otiosis.*

II. Quod Ecclesia Religiosis communicet decimas & oblationes ut *pauperibus*; probat enim Ivo, Ecclesiam illis posse, sua communicare, quia potest omne quod habet *cum omnibus pauperibus* habere commune.

III. Culpandos esse Abbates, & Præpositos Monasteriorum, si à laicis, ad quos non pertinent, decimas & oblationes accipiant; si *inordinate* eas à quibuscunque personis acquirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia *Presbyterorum antiquitus instituta minorent, ac sibi usurpent.*

Consentit ergò Ecclesia, ut Monachis tanquam Christi pauperibus, quin & Canonicis decimæ communes fierent, modò tamen Presbyterorum, id est, Parochorum, in quorum sustentationem à Fidelibus *principaliter* offeruntur, stipendia non minorentur.

Hinc illæ summæ, gravissimæque Pontificum, atque Conciliorum querelæ de Monachis, Canonicis, aliisque ita decimas sibi appropriantibus, ut nec ea quidem, quibus Parochi ac Ecclesiæ necessitati satisfiat, supersint.

» In quibusdam partibus (ait Concilium Lateranense IV.) » extirpandæ consuetudinis vitium inolevit, quòd Ecclesiarum » Patroni, & aliæ quædam personæ proventus ipsarum sibi pe» nitus vindicantes, Presbyteris earum servitiis deputatis re» lin-

» linquerent adeò exiguam portionem, quòd ex ea nequeant sus-» tentari ; unde fit ut in his regionibus penè nullus inveniatur » Sacerdos Parochialis, qui ullam vel modicam habeat peritiam » litterarum. Quare statuimus, *ait*, ut *consuetudine qualibet* » *non obstante* portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur. « *Cap.* 30. ✠ *de Præbendis.*

» De Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum ita » gravant (ait Alexander III. scribens ad Wigorniensem Epis-» copum) ut *hospitalitatem* tenere non possint, eam provi-» dentiam habeas, quod ad præsentationem Monachorum nul-» lum recipias, nisi tantùm ei de *proventibus Ecclesiæ* coram te » fuerit assignatum, unde *jura Episcopalia* possit persolvere, & » *congruam sustentationem* habere. « *Cap.* 12. ✠ *de Præbend.*

Ex his omnibus perquam manifestum est, decimas, aliosque Ecclesiarum proventus Parochorum, aliorumque in vinea Domini laborantium sustentationi primariò destinatos, ex intentione Ecclesiæ haud aliter ad Religiosos vel Canonicos transferri, nisi tantum de illis relinquatur, *quod exinde Parochi competentem sustentationem habere, & Episcopalia jura solvere valeant, aliaque onera debita supportare*, ut loquitur Alexander IV. *in Cap.* 2. *de Decimis, in* VI.

Hinc communi Canonistarum calculo receptum est, portionem congruam ex decimis Parocho esse assignandam, tametsi totus decimarum proventus in eam esset absumendus, & decimator ad egestatem redigendus : & ita in contradictorio judicio in Senatu Sabaudiæ judicatum refert Antonius Faber ejusdem Senatus Præses. *In Cod. lib.* 1. *tit.* 1. *def.* 53.

Sed dicent forsitan decimarum possessores, sibi quidem onus assignandi Parocho portionem congruam incumbere, modò aliunde de sustentatione sufficienti non provideatur. Sit ita, sed quæ illa justitiæ æquitatisque species, ut decimæ, similesve proventus, quia fidelibus ea intentione offeruntur, & solvuntur, ut exindè Ministris sibi spiritualia seminantibus de alimentis, aliisque, quæ functionibus debitè peragendis necessaria sunt, provideatur, Parochis ita subtrahantur, ut necessitate cogente jubeantur victum sibi quærere ex illis, quæ sine nota avaritiæ, turpisve quæstûs, imò & Simoniæ dificulter exigi queunt ; quin ipsam erga divina Religionis mysteria reverentiam, & devotionem nata sunt diminuere?

Adhæc, quâ justitia Parochiani, qui decimas Parochorum sustentationi plusquam sufficientes persolvunt, rursùs ad nova, & scabiosa onera constringuntur? Non illa profectò est Ecclesiæ intentio ; hinc in nullo Pontificis aut Concilii decreto, quo de competentia Parochis assignanda tractatur, de oblatis in Sacramentorum administratione mentio occurit. Quinimò Synodus Tridentina Parochorum sustentationi per locorum Ordinarios provisum volens, non nisi deficientibus decimis ad *collectas* procedendum judicavit.

Scio quidem nonnullos prætendere, oblata in sacrorum administratione in congruam portionem imputanda, nixos Decreto Synodi nostræ Provincialis Mechliniensis, quæ vult, ut Episcopi Pastoribus de portione canonica provideant, *computatis incertis seu accidentalibus emolumentis, quæ ad certam summam communibus tribus, aut quatuor annis ultimò præteritis redigi possunt* ; verùm præterquam quòd Synodus hæc (quæ unica est, quod sciam, quæ ex accidentalibus portionem canonicam Pastoribus dari constituit) non exprimat, de quibus accidentalibus intelligat, certum est ex verbis sequentibus Synodum aliqua ibidem ob duritiem & difficultatem temporis *per provisionem* decernere seu potius dissimulare.

Quinimò Concilia, aut Pontifices, si quando in Sacrorum administratione offerri consueta, *titulo sustentationis* nonunquam exigi permisserunt, id non voluntariè, sed duritiâ Monasteriorum, ac Capitulorum decimas in sustentationem Presbiterorum dimittere nolentium factum fuisse, rectè notat Christianus Lupus *Diss.* 2. *proœmii ad tom.* 3. *Schol. cap.* 7. cujus hac de re discursum hîc subjicere non inutile judicavi.

» Quæstio est, ait, an istam, toties & adeò graviter de » simonia damnatam, seu post (administrationem Sacramento-» rum) exigendi consuetudinem purgare potuerit Innocentii III. » Synodus Lateranensis Can. LXVI. ac probare. Respondeo, » inquit, â cunctis ecclesisticæ disciplinæ dilectoribus optari, » ut Ecclesia in avita castitate, & sanctimonia mansisset. Cor-» dis nostri duritia extorsit aliud permitti. Duritia illa adver-» sus quam apud Rogerum Hovedensem dicunt decreta Abri-» censis in Normandia Synodi factæ per Cardinales Albertum, » ac Thoduinum, Legatos Alexandri III. *De exactionibus pro* » *Baptismo nihil perfectum est, quia Episcopi Normandiæ de-*» *cretum illud recipere noluerunt.* Utique decretum, quo quid » in Baptismo exigi vetebatur. Latiùs hæc referunt Joannes » Bromptonus Abbas Jornalensis ann 1172. & ann. 1178. Ger-» vasius Monachus Cantuariensis. Similes in omni Gallia Episco-» pos reperit Gaulo Cardinalis, qui vel ipsi vel ipsorum Ca-» thedralia, aut Collegiata Capitula possidebant Parochialium » Ecclesiarum decimas, ideoque volebant de ipsis splendidè „ vivere, & miseros Parochos esurire, atque ita cogi victitan-„ dum de solis oblationibus, aut exactionibus Sacramentorum. „ Crevit asiduè malum, & sua extirpante manu validius re-„ petit laudatus Innocentius : Hinc Episcopos, & alios Paro-„ chialium decimarum possessores ad plenam Parochorum sus-„ tentationem cogere non volens, antiquam spontaneæ in „ Baptismo & quibusvè Sacramentis oblationis consuetudinem „ admisit in legem, ac necessitatem, permisitqnè exigi, at post „ datum gratis Sacramentum. Non sacri ministerii, sed cleri-„ calis alimentationis titulo per debitæ eleëmosynæ medium „ fit exactio ista, atque ita pura est à lepra Simonis. Attamen „ Episcopi, & alii jam dictas decimas possidentes Prælati, „ eorumque Capitula, ac Monasteria *rigidum* coram Deo onus „ portant dandæ Parochis sustentationis integræ, & *miseras* „ plebes liberandi ab exactionibus variis, *suspectis & ofen-*„ *sivis* ; ad quas isti à paupertate coguntur."

Concludere igitur ex his omnibus licet, quòd non nisi summo salutis discrimine Monasteria, atque Capitula decimas possidentia, Parochos ad sordidas illas, atque suspectas exactiones, defectu debitæ sustentationis, cogant.

Concluditur quoque, quòd Ordinarii, aliique quibus ex officio incumbit Parochis de competenti sustentatione providere, malè ipsos adigant, ut eam ex juribus, ut vocant, in Sacrorum administratione obvenientibus quærere jubeantur; quo fiat, ut sacra omnia venalia videantur, apprehendatque populus adimpletam esse lamentabilem illam Prophetiam *Malach.* 1. *v.* 10. *Quis est in vobis qui claudat ostium, & incendat altare gratuito*, quando nihil penè in Ecclesia exhiberi nisi solutis *juribus* conspicit?

Quin deficientibus decimis, similibusve ecclesiasticis proventibus, è quibus Parochis prospici possit, potiùs ad collectas, ut vult Tridentinum, aliave subsidia, quàm ad sæpè dictas illas *jurium* in Sacrorum exhibitione exactiònes procedendum esset : atque ita provideretur, ut sacra omnia *gratis* exhiberi possent. Sicuti legimus quod „ Magna Constitutio, ait *L.* 18. „ *Cod. de S. Ecclesiis*, adsignat Magnæ Ecclesiæ Constantino-„ poleos, septuaginta librarum auri redditum, eam ob causam, „ ut scilicet *exequiæ sine sumptu* & *gratis* fiant in Urbe Cons-„ tantinopolitana, &c.

Abrumpo, si hoc unum addidero, non esse expeditum ut vulgò creditur, & Lupus supponit exactionem *jurium* in administratione Sacramentorum per Synodum Lateranensem esse probatam : decernit enim, ut *liberè* Ecclesiastica Sacramenta conferantur, adjungens duntaxat." Ut per Episcopum „ loci, veritate cognita compescantur, qui *malitiose* mituntur „ *laudabilem* consuetudinem immutare."

CAPUT VI.

De oblationibus inter Missarum solemnia.

QUO SPIRITU FIERI, ET RECIPI DEBEANT : QUA RATIONE IN EARUM RECEPTIONE SIMONIA, VEL EJUS SUSPICIO INTERVENIRE POSSIT ; ET QUOMODO EX ILLIS HODIERNUM SACRORUM HONORARIUM PROFLUERIT.

PARAGRAPHUS I.

Usus oblationum inter Missarum solemnia à temporibus Apostolorum ad nostra hæc tempora in Ecclesia observatus ostenditur ; & quid circa earum materiam mutatum sit.

ANtiquum esse Christianorum morem inter Missarum solemnia oblationes facere, dubitari nequit.

Et quidem S. Cyprianus increpans mulierem quandam divitem, quòd sine oblatione ad Sacrificium accederet, pristini illius moris testis est : „ Locuples, inquit, & dives & Domi-„ nicum celebrare te credis, quæ in dominicum sine *Sacrificio* „ venis, quæ partem de *Sacrificio*, quod pauper obtulit, sumis." *Lib. de opere & eleemos.*

Idipsum urget S. Augustinus, seu quisquis est Auctor *serm.* 215. *de tempore*, dicens : „ Oblationes, quæ in Altari „ conserventur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si „ de aliena oblatione communicaverit."

Utque vetustiora de praxi offerendi Christianorum prætereamus, ad recentiora descendimus.

Seculo IX. Concilium Moguntinum præcipit: „ Oblationem „ & pacem in Ecclesia facere jugiter admoneatur populus Chris-„ tianus ; quia *ipsa oblatio sibi & suis magnum remedium est* „ *animarum*, & in ipsa pace vera unanimitas & concordia de-„ monstratur." *Anno* 813. *Can.* 44.

Sub idem tempus Regum Francorum Capitularia obligationem offerendi sæpenumero inculcant *lib.* 5. *cap.* 219. » Et » hoc populo nuntietur, quòd per omnes dies Dominicos » oblationes Deo offerant, & ut ipsa oblatio foris septa altaris » recipiatur. «

Ad quid plura, ut oblationes à populo sub id tempus fre-

frequentatas fuisse probemus ?, quandoquidem ipse Ordo Romanus circa illud tempus conscriptus, ritum offerendi describens, disertis verbis dicat: *Populus dat oblationes*, id est, *panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis primò masculi, deinde fœminæ.* Erant autem fanones, sindones, ut notat ipsius Ordinis expositio apud Cassandrum.

Hactenus panem & vinum inter Missarum solemnia oblata fuisse prolata testimonia fidem faciunt; ac sequentibus seculis, licèt usus oblationum in multis Ecclesiis conservatus fuerit, illæ non ampliùs in pane & vino, sed denariis, aliisque rebus in Presbyterorum, aut pauperum usum impendendis factæ leguntur.

Mutationis istius testis est Honorius Augustodunensis *in gemma animæ, cap.* 58. ejus originem rariori communioni populi adscribens: » Quia, ait, populo non communicante, non » erat necesse *panem* tam magnum fieri, statutum est, eum in » modum *denarios* formari: & ut populus pro oblatione Fari- » næ *denarios* offerret, pro quibus Dominum traditum recog- » nosceret; qui tamem denarii in usum pauperum, qui mem- » bra sunt Christi, cederent, vel in aliquid, quod ad hoc sa- » crificium pertinet. «

Erat hoc in usu tempore Petri Damiani; ipse enim scribit *Lib.* 5. *Epist* 13. quo sibi Missarum mysteria celebranti uxores Principum Bizanteos obtulerint. Bizantei autem erant nummi aurei.

Hinc factum, ut licèt in decretis Conciliorum post annum millesimum oblationum memoria non rarò recurrat, nulla tamen panis & vini mentio fiat.

Synodus Romana V. sub Gregorio VII. » Omnis Chris- » tianus, ait Can. XII. procuret ad Missarum solemnia aliquid » Deo offerre: « Aliquid, inquit, non panem aut vinum; » & » duci ad memoriam, quod Deus per Moysem dixit, non ap- » parebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis Sancto- » rum Patrum liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre » aliquid Deo ex usu Sanctorum Patrum debeant. «

Similes aliæ quamplurimæ Conciliorum sanctiones vel ad oblationum usum conservandum, vel jam penè abolitum restaurandum, etiam nostræ ferè ætatis, occurrunt, nulla panis, aut vini injecta mentione.

Utque Concilia Coloniensia, Moguntinum, Cameracense, aliaque, quæ præcedenti seculo usum oblationum aut commendarunt, aut præscripserunt, prætream, unum Concilii Mediolanensis IV. *part.* 2. *c.* 15. sub S. Carolo adjungo.

» Oblationum institutum, ait, jam pridem ab Apostolicis » usque temporibus Apostolico etiam canone sancitum, Sanctis- » simorumque Pontificum Melchiadis, Fabiani & Gregorii » constitutionibus, & Conciliorum præterea decretis commu- » nitum, quo graviùs his temporibus à fidei doctrinæque ca- » tholicæ hostibus exagitatur, & languescente pietatis studio, » quo magis à fidelibus negligitur, hoc diligentiùs servari, at- » que ad executionis usum, ubi intermissum est, revocari con- » venit, cum præsertim *& ad divinum cultum illud pertineat,* » *& populi salutare sit, ad expiandâque peccata utile.*

» Quare Episcopi in sua quisque Diœcesi & suis & Concio- » natorum sermonibus & omni alio persuadendi cohortandique » officio, omnique juris ratione illud, ubi est, retineri, ac » ubi negligitur, restitui studiosè ad sacrorum Canonum præs- » criptum ita curent, ut in solemnitatibus scilicet Domini, » Diebusque Dominicis ac Festis item, quos coli aut præcepti » aut consuetudinis est, omnis Christianus aliquid, prout sua » quisque *pietate, devotioneque maluerit*, Deo offerre procu- » ret, idque in Ecclesia vel Cathedrali, cùm ad Missæ Sacri- » ficium, quod solemniter celebratur, vel Parochiali cùm Pa- » rocho convenerit.

» Quo in officio servetur, ut quod ecclesiasticæ consuetudi- » nis est, primò mares, deinde fœminæ offerant.

» Sacerdoti Missam celebranti, oblationis accipiendæ causa » ab Altari paulùm se removere licet; at inde longè discedere, » ac per Ecclesiam vagari, eamque quasi circuire nullo modo » liceat.

» Quo gratius autem Deo sit quod offerunt, ad præstan- » dum accedant: *Fideles intima animi pietate, spirituali hi-* » *laritate, sanctâ charitate, omnique christianæ devotionis* » *testificatione.*

» Offerentium autem, prout sanctæ institutionis est, *com-* » *memoratio in Missæ Sacrificio fiat.* «

Finio, si hoc unum dixero, populum ad oblationes in usum proprium Sacerdotum cedentes, rariùs, hoc præsertim tempore, excitandum; quandoquidem similis excitatio sæpiùs ingerat hodie suspicionem avaritiæ. Unde ubi usus similium oblationum nihil, aut parum superest, ob periculum notam illam incurrendi, potiùs est intermittendus, quàm promovendus. Si verò supersit, aut in pauperum usum oblationes cedant, instruendus est populus, quo spiritu offerri debeant, de quo sequenti §. dicetur.

§. II.

Quo spiritu oblationes à populo fieri, & à Sacerdotibus recipi debeant.

MOrem offerendi inter Missarum solemnia semper à temporibus Apostolorum in fideli populo usque ad nostra pene tempora retentum fuisse §. præcedenti ostendimus. » Ve- » rùm res tam altæ originis (verbis loquor Synodi Coloniensis » *anno* 1549. *cap.* 20.) & ratione tam sancta subnixa, jam tota » propè abire cœpit in desuetudinem, hominibus piis *causam* » *& originem offerendi ad Altare* ignorantibus, & impiis cupi- » ditate Sacerdotum usum illum introductum calumniosè asse- » rentibus. Quam ob rem, inquit eadem Synodus, divini verbi » Concionatoribus, *illis præsertim, qui de oblationibus populi* » *non participant*, ad cupiditatis speciem tollendam, præcipi- » mus, ut populo veritatem rei istius & utilitatem exponat, » hortenturque omnes sequi majorum studia, ut vel exigui mu- » nusculi oblatione suam pro rebus à Deo acceptis ostendant » gratitudinem, quo etiam preces Ecclesiæ in eos conquadrent, » inculcentque eis, quòd Deus non tam ad dona, quàm ad » voluntatem & mentem piorum respiciat: quanquam locuple- » tes & divites convenit esse liberaliores, *quo gratitudinis sig-* » *num de se amplioris præbeant, & testentur se à Deo ad Dei* » *honorem & cultum habere, quidquid habent.* «

Primò igitur docendus est populus, morem offerendi non esse recens aliquod, cupiditate Sacerdotum excogitatum institutum, sed illud cum ipsa Ecclesia natum & adultum, hocque titulo summâ veneratione dignum.

Secundò, Ecclesiam in hoc tam sancto instituto non quærere, quæ sua sunt, sed ea, quæ fideli populo dona sua offerenti sint fructuosa.

Tertiò, instruendus est populus, quæ ex oblatione utilitas proveniat, si eo spiritu, quo oportet, & Ecclesia intendit, dona sua Deo offerat; atque

In primis, ut vel exigui munusculi oblatione *suam pro rebus à Deo acceptis ostendat gratitudinem*; quo fiat, ut oblatio hæc sacrificii Eucharistici seu gratiarum rationem apud Deum sit habitatura.

Ulteriùs, ut per rerum Deo factam oblationem testentur, se à Deo ad ipsius honorem & cultum habere quidquid habent, atque ita corde & animo dicant cum Davide: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Paral. cap. 29. v. 14. Hinc fiet, ut oblatio rationem sacrificii Latreutici sit obtentura, quatenus nimirùm per hanc suam oblationem protestantur, *Deum esse primum principium creationis omnium rerum*, ut ait D. Thomas, *Dominumque omnium.*

Adhæc, si animo contrito & humiliato res suas temporales, quarum cupiditate harum largitorem sæpiùs offenderunt, Deo, in Ministrorum suorum, ac pauperum alimentationem, aut divino cultui impendendâs, consecrent, oblatio eorum propitiatorii Sacrificii loco erit: atque ita *oblationum institutum*, sicut rectè monet S. Carolus, *populis ad expianda peccata utile erit*; conformiter ad illud Danielis: *Eleemosynis redime peccata tua.* cap. 4. v. 24.

Post hæc docendus populus, quòd si hac intimâ animi pietate *honorent Dominum de sua substantia*, ipsi sit eventurum, non in temporalibus duntaxat, sed vel maximè in spiritualibus, quod Sacer Textus de eleëmosyna dicit: *Super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Eccles. 29. v. 15.

Quapropter ann. 585. Patres Concilii Matisconensis II. statuentes: » Ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab om- » nibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis quam vini, « hanc sui statuti rationem adjungunt *Can. IV. Ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris justis offerentibus promereantur esse consortes.*

Non mirum proinde, quòd Ecclesia fidelium oblationes semper ut quædam spiritualia sacrificia suspexerit.

Unde illud S. Joannis Monachi, primitias ac decimas sibi oblatas recipientis: » Devotionem hujus oblationis.... gratan- » ter amplector, quia fideliter primitias vestras, ac decimas » indigentium usibus profuturas velut *Sacrificium Domino bonæ* » *suavitatis offertis.* « Apud Cassianum coll. 21. cap. 2.

Hinc illa vulgata Patrum phrasis: Res à fidelibus Deo oblatæ *Vota sunt fidelium, & pretia peccatorum.*

Porrò ut similis de oblationibus idæa populo imprimi queat, necesse est, eas per Sacerdotes ita commendari, ne ipse commendandi modus populo persuadeat, eas proprii lucri gratiâ potiùs, quàm ad Dei honorem populive utilitatem commendari: quare citata Synodus Coloniensis utilitatem oblationum populo propositam volens, eam prudenter proponi præcipit à Divini Verbi Concionatoribus, » Illis præsertim, qui de oblationibus » populi non participant *ad cupiditatis speciem tollendam.* «

Adhæc, quemadmodum populus excitandus est, ut ad offe-

ferendum accedat *intima animi pietate, spirituali hilaritate, sanctâ charitate, omnique christianæ devotionis testificatione*, ita & Sacerdotes solicitè attendere oportet, ut oblationes tanquam spirituales & voluntarias quasdam populi hostias, purissima & ab omni cupiditate vacua intentione suscipiant. Hinc sedulò cavendum, ne conventiones ac pactiones speciem avaritiæ, turpisve quæstûs præferentes de oblationibus ineantur, & vel præcipuè providendum, ne ipsa Sacrificia videantur ad oblationes ordine perversissimo ordinari, cujus suspicionem ægrè evadent, qui tantopere super celebratione Sacrorum, in quibus majores oblationes sperantur, contendunt.

Quam perversitatem, qua ipsa Sacrificia quodammodo venalia fieri videntur, veritus S. Augustinus de oblationibus pro spiritibus dormientium ad Aurelium scribit his verbis *Epist.* 64. „ Oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid ad„ juvare credendum est, super ipsas memorias non sint sump„ tuosæ, atque omnibus petentibus sine typho & cum alacrita„ te præbeantur, neque vendantur. Sed si quis pro religione „ aliquid pecuniæ offerre voluerit, *in præsenti pauperibus „ eroget.*“

Hoc Augustini responso monentur Ecclesiæ Ministri, ut fidelium oblationes alacri, fortique animo nonnunquam *pauperibus in præsenti erogent*, quo omnem avaritiæ, turpisve quæstûs, vel Simoniæ notam in Sacrificii celebratione à se amoveant, atque ita verbo & operæ Domino canant: *Voluntariè sacrificavo tibi.* Psalm. 53. v. 6.

§. III.

Ecclesia consuevit specialiter inter Missarum solemnia offerentium *memoriam facere; atque publicorum peccatorum oblationes rejicere.*

VEtustissimum Ecclesiæ usum recitandi inter missarum solemnia eorum nomina, qui pia munera Ecclesiæ obtulissent, testatur Synodus Eliberitana *Can. XXIX.* decernens, „ Energumeni, qui ab erratico spiritu exagitatur, nomen ne„ que ad Altare cum oblatione recitandum.“

De hac nominum recitatione seculo IV. Epist. ad Decentium Eugubinum Episcopum *cap.* 2. scribit in hæc verba Innocentius I. „ De nominibus recitandis, antequam preces Sa„ cerdos faciat, atque *eorum oblationes, quorum nomina reci„ tanda sunt*, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus „ hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quam„ vis illi incognitum sit nihil, priùs *ergo oblationes sunt commen„ dandæ, ac tum eorum nomina, quorum sunt oblationes, edi„ cenda*; ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, „ quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris preci„ bus aperiamus.“

Hoc in Canone multa ad hanc Ecclesiæ disciplinam notanda esse observat antiquitatis criticus & doctus investigator Albaspinæus Aurelianensis Episcopus *Lib.* 1. *Observat. cap.* 7.

Primùm quidem, quosdam ejusmodi nominum oblationes celebrâsse, non solùm ante Eucharistiam, sed etiam antequam eorum munera offerentur, quem morem & consuetudinem corrigit Innocentius.

Secundò, ejusmodi nomina usurpata, & oblata fuisse inter Eucharistiæ confectionem, & ejusdem Eucharistiæ Sacrificium & sumptionem.

Tertiò, idque proposito nostro opportunum, eorum quorum Ecclesia oblationes & munera recipiebat & offerebat, nomina etiam *peculiari oratione* oblata fuisse Deo, & comendata. Quare *anno* 666. *Can. XIX.* Synodus Emeritensis decernit: „ Ut „ Presbyter in singulis quibusque Ecclesiis, quibus jussus fuerit „ per Episcopi ordinationem præesse, per singulos dies Domi„ nicos Sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina à „ quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid „ Ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpo„ re sunt, ante Altare recitentur tempore Missæ; quòd si hac „ decesserunt, aut discesserint luce, nomina eorum cum de„ functis fidelibus recitentur.“

Seculo IX. ad hæc verba in Canone Missæ: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium*, reflectens Alcuinus, „ Manifestum est, ait, quòd „ quasi quidam locus sit, ubi aliquibus specialiter nominatis, „ etiam cæterorum, qui assistunt in Ecclesia commemoratio „ adjungatur. In quo loco liberum est Sacerdoti, quos deside„ raverit, *peculiariter* nominare & nominatim Deo commendare: „ aut certè illud ab antiquis est observatum, ut *ibi offerentium „ nomina recitarentur.* Priùs ergo *oblationes sunt commendandæ, „ ac eorum nomina, quorum sunt, edicenda*, ut inter sacra „ mysteria nominentur, non inter alia, quæ præmittimus.“

Ex his sat superque constat, nomina offerentium specialiter inter Missarum solemnia fuisse recitata, ut eorum specialis à Sacerdote haberetur memoria.

Quinimò licèt sensim publica & solemnis illa nominum recitatio in desuetudinem abierit, Ecclesiæ tamen erga efferentes gratitudo non defecit; quapropter ipsorum dona Deo tempore Sacrificii se velle singulariter commendata etiamnum hodie, in Orationibus post Offertorium, quas Secretas dicimus, insinuat. „Suscipe (ait Sacerdos feria 4. post Dom. 3. Quadrag.) pre„ ces populi cum oblationibus. Item (Dom. 5. post Pentecost.) „ Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes „ famulorum famularumque tuarum benignus assume; ut quod „ singuli obtulerunt ad honorem, cunctis proficiat ad salutem.“

Rectè proinde dixit S. Carolus *in Concil. Mediol. IV. part.* 2. *cap.* 15. „ Offerentium autem, prout sanctæ institutionis est, „ commemoratio in Missæ Sacrificio fiat.“

Hic pius Ecclesiæ in offerentes affectus, si fidelibus vivaciter proponatur, non dubium, quin singulariter ipsos sit excitaturus ut non coactè, sed voluntariè, neque ex tristitia, sed ex hilaritate res suas Deo offerant.

Verùm quia nihil Ecclesiæ placet, quod Deo placitum non est, dona & oblationes iniquorum ad Altare suscipienda non judicavit, sciens, quoniam *dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine Sacrificiorum propitiabitur peccatis.* Ecclesiast. cap. 34. v. 13. & 14. Ideo Sanctus Ambrosius, licèt frendentibus Theodosii Imperatoris Comitibus, ipsius tamen oblationem recipere noluit. Causa commotionis hæc fuit, ait S. Paulinus *in ejus vita*, „ quia munera Imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab „ Ecclesia respuebantur, ne orandi illi cum Ecclesia societas „ tribuebatur.“

Hunc morem confirmat Epistola Augustini nomine scripta ad Bonifacium Comitem: „ *Oblatio*, inquit, *domus tuæ à Cle„ ricis ne suscipiatur indixi*, communionemque tibi interdico, „ donec *peracta* pro ausibus vel errore à me definita tibimet „ pœnitentia & tempore condonato, pro hoc facto corde con„ trito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo:“ *Epist.* 6. *in App. tom.* 2. *operum Augustini.*

Eodem spiritu Patres Concili Carthaginensis IV. *Canon LXXXIII. & XCIV.* statuerunt: *Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.* Item: *Dona eorum, qui pauperes opprimunt, à Sacerdotibus refutanda sunt.*

Utque plura hujus ecclesiasticæ disciplinæ ex antiquitate petita testimonia sileam, Concilium Lateranense III. eodem motivo usurariorum publicorum *oblationes à quoquam recipi vetat. Cap.* 3. ✠ *De Usuris.* Et Lateranense IV. mandat: ut Clerici hæreticorum *ne eleemosynas aut oblationes percipiant, alioquin suo priventur officio.* Cap. 13. ✠ *De Hæret.*

Conforme proinde votis, & desiderio Ecclesiæ est decretum S. Caroli, quo *in Concil. Mediol. IV. p.* 2. *cap.* 15. decernit: „ Ab iis oblationes ne recipiantur, ut antiquo Canone „ vetitum est, qui scilicet inter se iniquo animo dissidentes, „ inimicitias exercent, qui usurari, meretrices, sacrilegii, rap„ tores, quisve alio nomine publicè, notorieque criminosi „ sunt.“

Hinc quis non videat, quàm procul à spiritu Ecclesiæ recedant, qui oblationes eorum, qui publicè, notorieque criminosi sunt non tantùm recipiunt, sed etiam turpis quæstûs *gratiâ* ad offerendum incitant; multumque Deo honoris deferri *credunt*, si etiam tales, præsertim nobilitate, divitiisque potentes, dona ad Altare deferant?

O quam paucos hodie est reperire, qui non tantùm cum Ambrosio criminosum Theodosium ab offerendo rejicere Sacerdotali magnanimitate non auderent, sed etiam nobilem quempiam, tametsi multis criminibus scandalosam vitam publicè agentem, accessu Altaris prohibere vererentur!

Contra, quot non reperire est Ecclesiæ Ministros, qui ad exemplum Nectarii, parvâ quadam adulatione contra Sacros Canones in Ecclesiis quæque laicis indulgent?

Nonne laici quique spiritu ecclesiastico imbuti, dicere possent, quod olim Theodosius occasione Nectarii intra Sacrarium ipsi locum præsentantis, gemens dixit: *Ægrè tandem didici quid inter Imperatorem intersit & Episcopum: ægrè tandem reperi veritatis Magistrum: nam solùm Ambrosium novi Episcopum, dignum eo nomine. Tantùm commodi reprehensio à viro virtute præstanti adhibita, secum apportare solet!* Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 17.

§. IV.

Quomodo sensim in locum oblationum successerit hodiernum Sacrorum honorarium.

OBlationum usum inter Missarum solemnia à temporibus Apostolicis ad nostra usque tempora continuata scire devolutum ostendimus; at id unà observatum, oblationum materiam, quæ primitùs in pane & vino præcipuè consistebat, posterioribus seculis referente Honorio Augustodunensi in denarios mutatam fuisse; ita tamen, ut in pauperum usum vel in aliquid

quid, quod ad sacrificium pertinebat, converterentur. *Statutum est*, ita Honorius, *ut populus denarios offerret, qui in usum pauperum cederent, vel in aliquid ad Sacrificium pertinens.* In Gemma animæ, *cap.* 58.

Denarios igitur in Sacrificio oblatos in Clericorum usum cedere non volebant; quemadmodum nec Augustinus voluit: scribens enim de oblationibus ad Valerium Episcopum: *Si quis pro Religione*, ait, *aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget*; ut sic omnis vel species avaritiæ, turpisque quæstûs, aut Simoniæ, in Sacrificii celebratione à Sacerdotibus fugaretur.

Verùm licèt optandum esset, ut hæc disciplinæ puritas remansisset, constat tamen quemadmodum etiam notat Christianus Lupus *Dissert. 2. prœmial. ad tom. 3. Schol. cap.* 11. eam non diu mansisse. Cùm enim de pristina oblatione panis & vini olim Sacerdotes participâsse constaret, neque his se privari passi sunt; quare *uti antea panis, vinum & farina*, inquit Lupus, *ità hi denarii illis pedetentim appropriari cœperunt.* Quo verò præcisè tempore oblati denarii in usum Sacerdotum cedere incœperint, quis dicet? Illud constat, tempore Petri Damiani pecuniam in usum sacrificantis oblatam fuisse. Scribit enim P. Damiani *lib. 5. Epist.* 15. sibi Missam celebranti oblatos à quadam Ducissa Byzantios se noluisse accipere, sed post altare eosdem deseruisse, ubi furto à quosdam Clerico sublati fuere: eumque per Ducissam reportari jussi essent, eosdem rursus noluisse recipere, licèt multis precibus à pœnitente fure fatigatus. Clam tamen socium suum Fratrem Paulum eosdem accepisse fatetur. Et hinc à Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellanis sumpta est ansa *notam ei cupiditatis inurendi.*

» Sanè ista calumnia ostendit, ait Lupus ibidem, similem » oblatæ pecuniæ admissionem & in Clerico, & in Monacho » *malè tunc oluisse.*

Interim hæc historia evincit, tum temporis *denarios* in Missarum solemnis ad usum sacrificantis oblatos fuisse; quin & jam nonnullis persuasum fuisse, nihil per se inordinatum continere admissionem seu receptionem oblati denarii, factum socii non obscurè ostendit.

Porrò cum persuasum esset, posse Sacerdoti inter Missarum solemnia denarios etiam in usum celebrantis offerri, nec illicitum esse celebranti eosdem recipere non difficulter persuasum fuit fas esse & prævièe Sacerdoti Missam celebraturo denarium offerre, ut eo oblato *specialis* offerentis in Missa memoria haberetur. Et quidem circa seculum XI. ac sequentia oblationum usus inter Missarum solemnia multum contraheretur; imò penè ad solas defunctorum Missas redactus esset; exinde in Missa pro se *specialiter* oratum volentes, prævièe ad celebrationem denarium Sacerdoti offerri cœperunt, atque ita in locum *denarii* in Missa olim offerri soliti, modernus Missarum denarius succesisse dicendus est.

Et quidem denarium illum seculo XII. ac sequentibus usitatum fuisse, non obscurè evincunt varia temporis illius Conciliorum decreta, quibus occurritur avaritiæ, turpique Sacerdotum quæstui, qui illius quodammodo intuitu Sacrificium offerre videbantur; variasque sordidas pactiones atque conventiones Sacrosancto Missæ Sacrificio planè indignas inire non verebantur, ut ex dicendis capite sequenti patescet.

CAPUT VII.

De hodierno Missarum Honorario.

QUO SPIRITU OFFERRI, ET SUSCIPI DEBEAT. QUÆNAM RECEPTIONEM ILLIUS DE TURPI QUÆSTU, AUT SIMONIA SUSPECTAM REDDANT. ET QUAM PERNITIOSI ABUSUS ILLI VENIANT ADSCRIBENDI.

PARAGRAPHUS I.

Quo animo à fidelibus Missarum Honorarium Sacerdotibus sit offerendum.

QUo spiritu oblationes ad Altare inter ipsa Missarum solemnia à fidelibus deferendas censuerit Ecclesia, supra vidimus. Cùm igitur constet hodiernum Missarum honorarium in locum illarum oblationum successisse, facilè hinc est intelligere, quo spiritu hoc honorarium Sacerdotibus exhibendum veniat.

Atque in primis docendus populus, honorarium principaliter Deo offerendum & consecrandum esse; qui cum bonorum nostrorum non egeat, Ministris suis in necessariam alimentationem datum, sibi exhibitum reputat.

Ex quo ulterius consequitur, quod moderna sacrorum honoraria, eo, quo oportet, spiritu exhibita, meritò vocentur *vota fidelium*; quatenus nimirum illorum datio actus est religionis: rei scilicet temporalis in Dei cultum seu servitium consecratio seu oblatio.

Adhæc populo inculcandum est, quod Deus non tam ad dona seu oblata, quam ad voluntatem, & mentem piorum respiciat; adeoque non illos, qui plura & ampliora honoraria largiuntur, semper plus de Sacrificio aut orationibus participare; illos potius, qui majori pietate, & religionis affectu dona sua Deo offerunt: exemplo pauperculæ illius viduæ Evangelicæ, quæ duo minuta in gazophilacium mittendo, præ Pharisæis copiosam auri, & argenti copiam mittentibus à Christo laudata legitur.

Utque verbo absolvam, instruendus est populus, ut honoraria illa animo verè christiano, & ea pietate, qua olim christiani suas ad Altare oblationes offerre consueverant, honoraria seu stipendia Sacrorum Deo in Ministrorum sustentationem consecrent; quo fiet ut non minus quam olim offerentes, specialem Sacrificii fructum sunt consecuturi.

§. II.

Nonnulli per Honorarii dationem faciunt Missæ Sacrificium suæ subservire pigritiæ & superbiæ, quo maxima Sacrificio irreverentia infertur.

HOnorarium Missarum ceu Sacrificium aliquod Deo offerendum esse §. præcedenti notavimus, quo fiat ut res suas una cum Sacerdote Deo quodammodo sacrificantes benedictionem cum Abel, cæterisque justis offerentibus *specialiter* recipere & Sacrificii participes fieri mereantur. At proh dolor! quàm pauci hodie simplici hac, ac sanctâ intentione *honorarium* illud offerant facilè intelliget, qui vel parum finem, quo moderna honoraria offerri consueverunt, attenderit.

Et quidem quàm multi inter Nobiles reperiuntur, qui adeo non per *honorarii* dationem acceptabilem oblationem facere intendunt, ut è contra honorari illius exhibitione ipsa Sacrosancta atque Angelis etiam tremenda Altaris mysteria suæ pigritiæ, vel superbiæ servire faciant.

Ut quid enim à plurimis illorum stipendia Sacerdotibus, seu Capellanis assignantur? Nisi ut ipsis tanquam famulis quodammodo ad Missæ Sacrificium tempore & loco pigritiæ, & superbiæ eorum magis opportunis celebrandum utantur?

Nonne experientia testatur à similibus stipendiatis Presbyteris Missam esse differendam, aut præveniendam prout stipendianti seu Domicellæ seu Domicello opportunum fuerit? Atque ità honorarii oblatio aliò non tendit, quam ut ipsum Missæ Sacrificium hominum illorum pigritiæ serviat; & Sacerdotium quodammodo illis famuletur. Quo quid horribilius!

Quod & superbiæ suæ servire faciant, non minus est clarum. Nonne Nobilium ac divitum superbia fovetur, dum per Capellanum, aut stipendiatum Presbyterum in loco particulari aut privato Sacello aliove sibi commodo ad beneplacitum stipendiantis Missa celebratur? Quo fiat, ut cum communi vulgo & plebe ad Parochialem accedere aut interesse non teneantur. Nonne nutritur superbia Nobilium, quando per hujusmodi honoraria contingit, ut non sicuti cæteri homines certâ horâ ad Ecclesiam pro audiendo Sacro venire constringantur; sed omni tempore & horâ sibi opportunis Presbyterum habent, qui ceu quidam famulus ad Missæ Sacrificium offerendum jubetur esse paratus?

His motivis plurimos divitum, atque illustrium ad stipendia pro Sacris exhibenda permoveri, qui inficiari ausit, cæcus sit oportet; summam hinc tremendo Altaris Sacrificio injuriam ac irreverentiam inferri quid evidentius? Imò expendant, quæso, num pejus fuerit, quod Judas Christum adhuc passibilem suæ sacrificaverit avaritiæ, quam quod illum Christum jam semel pro nobis mortuum & cruentè in Cruce oblatum, nunc gloriosum incruenteque seipsum pro nobis offerentem, suæ quodammodo consecrent pigritiæ vel superbiæ.

Perpendant quanta Christo injuria irrogetur, quando per hujusmodi stipendiorum exhibitionem contingit ejus Sacerdotium ad hominum famulatum deprimi, & Sacerdotes ut viles famulos haberi.

Si simoniaca pravitas maximè consistat in rerum spiritualium infra temporales depressione, quin hic simoniaca quædam pravitas reperiatur quis inficias ibit?

§. III.

Solicitè cavendum ne pro Sacrosancto Missæ Sacrificio honorarium aliudve temporale exigatur.

» QUanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sa-
» crificium omni religionis cultu ac veneratione celebre-
» tur, quivis facilè existimare poterit, ait Synodus Tri-
» dentina, qui cogitârit, *maledictum* in SS. Litteris eum voca-
» ri, *qui facit opus Dei negligenter.* Quod si necessario, pergit dicta Synodus, fatemur nullum aliud opus adeò sanctum ac » divinum à Christi Fidelibus tractari posse, quàm hoc ip-

» sum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua » Deo Satri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quo- » tidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam & diligen- » tiam in eo ponendam esse, quantâ maximâ fieri potest inte- » riori cordis munditiâ & puritate, atque exteriori devotio- » nis ac pietatis specie peragatur. « *In Decreto, De Observ. in Sacrificio Missæ.*

Hinc Ecclesia solicitè cavit præsertim ab eo tempore, quo *Honoraria* Missarum invaluerunt, ne qua temporalium exactione suspicionem avaritiæ, turpisve quæstûs, aut Simoniacæ pravitatis ingerente, sanctum Missæ Sacrificium ullatenus polluatur.

» Prohibemus (inquit Concilium Eboracense *ann.* 1194. » *Can.* 3.) ne Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu » cupiditatis injungat ut Missas faciant celebrari; & illud etiam » decrevimus prohibendum, ne Sacerdos aliquis pro celebratio- » ne Missarum *pretio constituto pactum ineat*, sed hoc *duntaxat* » quòd offertur in Missa recipiat. «

» A viris Ecclesiasticis monstrum avaritiæ extirpare volen- » tes, auctoritate legationis nostræ (inquit Robertus Cardina- » lis Sedis Apostolicæ Legatus in Synodo Parisiensi præsidens » *ann.* 1212. *p.* 1. *Can.* 11.) in virtute Spiritûs Sancti prohibe- » mus, ne pro annalibus, trienalibus, vel septennalibus Missa- » rum faciendis, laici vel alii dare aliquid vel legare *cogantur* » in testamento: & ne super his *aliqua pactio vel exactio*, vel sub » *aliqua specie palliata, à Sacerdotibus vel aliis mediato-* » *ribus fiat* «

» Multâ mentis amaritudine concitamur (verba sunt Synodi » Toletanæ *ann.* 1324. *Can.* 6.) gravisque doloris aculeus per- » fodit mentem nostram, intelligentes, quòd aliqui Presbyteri » detestanda & abominabili ambitione cæcati, pro Missis per » eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc, ac si vellent » vendere rem profanam, *impudenter mercantur*: quandoque » etiam publicè, qui eas faciunt celebrari, æstimantes, quòd ex » eorum facto pernicioso vendant gratiam Dei, quæ in Sacra- » mento Missæ confertur, vel verius ipsum Deum, qui nobis » ub specie dicti Sacramenti se exhibet, pecuniâ posse ven- » di. Verùm cùm dictum Sacramentum super omnia pretiosum, » sit *liberaliter*, sicut cætera Sacramenta celebrandum; districe- » tiùs prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis » pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grate ac- » cipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi » *charitate* fuerit, *absque compacto & conventione quacunque.* » Qui verò contrarium fecerit, à celebratione Missæ per annum » noverit se suspensum, & alias pro tam gravi excessu ad arbi- » trium proprii Episcopi puniendum. «

Igitur Synodus Tridentina decernens, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulò curent, ac teneantur, quæ avaritia idolorum servitus à tanti Sacrificii dignitate aliena induxit, illum conformiter sacris Ecclesiæ Canonibus in primis statuit *loco citato*, ut » quod ad » avaritiam pertinet, *cujusvis mercedum conditiones, pacta, &* » *quidvis* pro Missis *novis celebrandis datur, necnon importu-* » *nas atque illiberales eleemosynarum exactiones* potiùs, quàm » postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à *Simoniaca* labe vel » certè à turpi quæstu non longe absunt, omninò prohi- » beant. «

Huic Decreto obsequens Synodus nostra Provincialis Mechliniensis anno 1570. *tit. De Decanis, cap.* 11. » Pastoribus & » quibuscunque Sacerdotibus inhibet sub pœna suspensionis, ne » per se, vel alium, *directè* vel *indirectè stipuletur* pro Missis » votivis, ad piorum postulationem celebrandis; sed quod eis » *sponte* oblatum fuerit, accipiant. «

Ex his sat superque patet quantopere pactiones conventionesque Sacerdotum, quibus majora vel minora Sacrorum salaria stipulantur, exiguntve, quia in hoc illove altari, hoc vel illo ritu celebrant; aliave similia sordida & mercenaria pacta, sacrosancto Missæ Sacrificio indigna, Ecclesia execretur & exhorrescat.

§. IV.

Quam perniciosam ideam de honorario Sacrorum aliqui recentiores Auctores imprimant; & quæ idea de honorario illo sit formanda.

NEscio quis non miretur, imò non exhorrescat dum expendit, quam idæam de hodierno Missarum honorario nonnulli recentiores formaverint, & passim legentibus imprimant.

» Propria bona Clericorum sunt (ait Vallensis *ad tit. de pe-* » *cul. Cler. n.* 4. 5.) quæ vel successione hereditatis, legati, aut » alio quocumque titulo, dummodo non occasione Ecclesiæ » vel Beneficii, Clericis obvenerint. Ac proinde, inquit, eorum » nomine comprehenduntur *quasi patrimonialia*, quæ scilicet ac- » quirunt ratione Clericalis Ordinis vel officii, sed alia ratio- » ne quàm Beneficii, velut *celebrando*, concionando, confes- » siones audiendo, Vicariæ temporali deserviendo, aut alias » similes actiones spirituales exercendo. «

» Cùm verò Clerici, pergit Auctor ille, bonorum patrimo- » nialium *plenè sint Domini*, perinde ut laici suorum, de iis » etiam liberrimè quantùm volunt, & cui volunt donare, aut » alio quovis modo, sive inter vivos, sive ultima voluntate » disponere possunt. Idem dicendum, ait *de quasi patrimonia-* » *libus.* «

Sed quare quæret aliquis magis illa, quæ Clericus *celebrando*, concionando, canendo, confessiones audiendo, Vicariæ temporali deserviendo acquirit, dicuntur quasi patrimonialia, de quibus liberè disponere queat, quàm quæ occasione Beneficii ipsi obveniunt? Rationem assignat allegatus Auctor: *Quia illa dantur clericis in mercedem laboris ac servitii, & operæ personalis præstitæ.*

Quis non intelligat per hanc Auctoris istius ratiocinationem, duas easque admodum pernitiosas idæas legentibus imprimi? Nonne per hanc ratiocinationem clarè insinuatur, quòd ea, quæ Clericis dantur ratione Beneficii, non dentur *pro labore ac servitio, & opera personali*? Atque ita foventur pessima illa multorum Ecclesiasticorum persuasio, qua autumant se posse proventus ecclesiasticos ratione obtenti Beneficii licitè sine ullo penè servitio, labore, aut opera percipere; cùm tamen Ecclesia ex fidelium oblationibus non otiosos, sed in vinea Domini laborantes, in Sacrario pro populo excubantes, gregem Christi pascentes similesque servitio suo consecratos operarios sustentare intendat. Num fortè Ecclesiæ Ministrum dicemus, qui unam alteramve diei horam, Horarum Canonicarum pensum persolvendo Ecclesiæ servitio impendens, reliquum tempus vel in otio vel in temporalibus negotiis agendis transigit?

Falsò proinde & perniciosè asseritur, ea, quæ celebrando, concionando, similibusve functionibus Clericis obveniunt, potiùs esse quasi patrimonialia, quàm ratione Beneficii accepta, *quia illa dantur Clericis in mercedem laboris ac servitii, & operæ personalis præstitæ*; quandoquidem nullo alio titulo quàm laboris & servitii præstiti, proventus Ecclesiastici Clericis obveniant. Si enim totam Scripturam, seu vetus seu novum Testamentum percurramus, nullum præter laboris præstiti titulum, quo Clerici à Laicis justè sustentationem accipiant, reperiemus.

» Filiis Levi, ait olim Deus Num. 18. dedi omnes decimas » Israelis in possessionem *pro ministerio, quo serviunt mihi* in » tabernaculis fœderis... & comedetis eas in omnibus locis ves- » tris, tam vos quàm familiæ vestræ, quia *pretium est pro mi-* » *nisterio, quo servitis* in tabernaculo testimonii.

Dignus est, inquit Christus, Luc. cap. 10. v. 7. *operarius mercede suâ.* Hoc est, ait Theophylactus, à discipulis pascemini; debebunt enim hoc vobis *ut operariis.*

Secundam, eamque incruento Altaris sacrificio parùm dignam de honorario Missæ idæam, prædicta verba nata sunt imprimere: nimirum, honoraria Missarum esse *quasi patrimonialia*; decimas verò, cæterosque proventus Clericis ratione Beneficii obvenientes esse bona ecclesiastica, adeoque hæc esse spiritualia, de quibus Clericis liberè disponere nequeat, illa autem esse quasi *profana*, quæ Clericorum liberæ dispositioni sint subjecta. Nunquid hoc Missæ Sacrificio indignum? Hæc ex Auctoris illius ratiotinatione.

Alius ait: *Stipendia hæc* (Missarum) *ad modum pretii rerum, habent medium, infimum, & summum.* Quis non intelligat, per verba illa foveri pessimam illam ac mercenariam multorum de stipendiis Missarum idæam? ut nimirùm illa considerent tanquam quædam rerum profanarum pretia, quæ infimum, medium, ac summum ex hominum æstimatione obtinent.

Ut nulla ergo de sanctissimo Altaris Sacrificio falsa habeatur idæa, ipsum Missæ *honorarium* non tanquam ipsius Sacrificii *merces* considerandum est, sed tanquam voluntaria & ultrò oblata fidelis populi hostia, » cujus oblatione non reddatur sus- » tentatio necessitatis à populo, quasi *merces* illis, qui sibi in » charitate serviunt, ut loquitur S. Augustinus, sed tanquam » stipendium, quo, ut possint laborare, pascantur. « *Lib. De Pastor. cap.* 9.

Hinc tantopere Sacerdotibus inculcatum, ut quidquid pro Sacrificio Missæ offertur, illud liberali, atque grato animo tanquam voluntariè exhibitum recipiant.

Et quidem sub finem præcedentis seculi Octavius Frangipanus Marthus Episcopus Tricaricensis Apostolicæ Sedis per Germaniam Inferiorem & Belgarum Provincias Nuntius: in suo Directorio ecclesiasticæ disciplinæ Coloniensi præsertim Ecclesiæ accommodato, & à Sacra Facultate Lovaniensi approbato, postquam statuit *lib.* 1. *tit. De Divinis Offi. n.* 53. „ Ut » abstineant omnes Sacerdotes à cujusvis generis mercedum » conditionibus & pactis; nec quidquam pro *Missis celebran-* » *dis*, aut quibusvis aliis divinis Officiis seu orationibus exigant,“ mox subjungit: „ Et si quando nihil aut aliquid minus *liberali* » animo *honorarii* loco eis donatum fuerit, *non in hoc contris-* » *tentur, minimeque aliquod indignationis dent indicium, ne de* » *avaritia notentur*, vel certè à turpi quæstu *vel simoniaca labe* » *non procul absint*, dignitatemque suam ex levi causa, turpis-

simâ

» simâ maculâ conspurcent. Quin potiùs, ut ostendant *se magno liberalique animo gratis* dare, quod gratis acceperunt, ab » omni cogitatione & desiderio muneris ac *honorarii* se semper » contineant; & si quando aliquid accipere cogantur, illud » quamvis exiguum lætiori lubentiorique animo accipiant, quàm » paupercula illa vidua æra minuta duo, quæ sola habebat, in » gazophylacium mittebat."

Hodiernum ergo Sacrorum stipendium haberi & sucipi debet tanquam devota populi oblatio, quæ non in mercedem Sacrificii, sed in sustentationem cedat Ministrorum Ecclesiæ, quemadmodum decimæ aliave fidelium oblata. Quamobrem quidquid Sacerdotes pro Sacris faciendis accipiunt, quantumlibet extra Beneficiorum suorum titulos, intuitu Ecclesiæ lucrari rectissimè verissimeque dicentur, ait Boetius Epo quondam apud Duacenses Canonum primarius Antecesor; ideoque subdit, nec testamenta de talibus facere poterunt. *Ad Cap.* 1. ✠ *De Testament. num.* 80.

Sed non acceperunt hæc honoraria ab Ecclesia, dicet aliquis. Respondet Boetius: » Fateor, sed acceperunt intuitu Ec» clesiæ sive per Ecclesiam, id est, propter Ecclesiastica munia:" sive quod idem est, acceperunt illa non secus ac alios Ecclesiæ proventus, tanquam Ministri Ecclesiæ, ac propterea eodem loco illa habere debent.

§. V.

Summopere cavendum Sacerdotibus, ne intuitu Honorarii Sacrificium offerant.

SI teste Doctore Mellifluo, » Quo officium Ecclesiasticum » eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ » habeat necessaria *perverso nimis ordine cœlestibus terrena* » *mercetur*:" quis non horribile esse videat, ipsum Sanctum Sanctorum, ipsum, inquam, tremendum Altaris Sacrificium eo intuitu animoque offerre, ut huic vitæ necessaria habeantur? Quid enim id aliud quàm perversissimo nimis ordine non cælestibus tantùm, sed ipsomet Christo terreno mercari? Et si, Auctore Augustino, qui evangelizat, ut manducet, *vilius* habeat Evangelium, quàm cibum, nonne, qui Christum in Altari offert, ut manducet, *viliorem* habet (Card. Pullo) Christum quàm cibum? Adeoque ipsum Sanctum Sanctorum perversissima, atque Simoniacâ quadam pravitate infra res temporales deprimit.

Cùm enim simoniacæ pravitatis perversitas præcipuè consistat in hoc, quòd res spirituales ad vilitatem quandam rebus illis indignissimam redigantur per hoc, quod rebus temporalibus quodammodo coæquentur, aut etiam infra illas perverso ordine deprimantur, ut ipse Princeps Apostolorum repellendo Simoniacorum Ante-signanum notavit dum dixit, *Act. c.* 8. *v.* 20. „ *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam do*» *num Dei existimati pecunia possideri*;" quis ambigat, quin quædam sit dicenda simoniaca pravitas, dum ipsum Sanctum Sanctorum tanquam medium ad temporale tanquam finem ordine perversissimo ordinatur?

Quamobrem non ultra meritum hanc Sacerdotum perversitatem perstrinxit Cardinalis Pullus *P.* 7. *c.* 17. » Quid est, » ait, Missarum solemnia contuitu temporalis commodi cele» brare, nisi cum Juda Christum vendere, tanto nequiùs quan» to resurgendo est sublimatus. « » Heu quàm multos hujus » ævi, exclamat Hugo Mathoud, Sacerdotes ferit hoc anathe» mate Pullus." *In notis ad dicta verba Card. Pulli.*

» Oportet ergo offerentem, verbis loquor Arnulphi Le» xoviensis Episcopi *Epist.* 54. puras manus inferre, ne » quod impretiabile est, omnique veneratione dignissimum, *vel* » *sub pretii recidat vilitatem*, vel causis indignioribus ex» pendatur."

Quapropter meritò summo studio, ac otio renes, & cor suum scrutantur, & omni ex parte exagitant Presbyteri, qui stipendia seu honoraria Sacrorum accipere solent, num nullus commodi temporalis intuitus ad tremendum hoc ac sacrosanctum Sacrificium offerendum ipsos impellat; sed liberrimâ, castissimâque charitate, ad ipsum Sacramentum, quod est *vinculum charitatis*, impellantur; atque ita fiat, ut non in honorario aliave re temporali horrendâ perversitate finem constituant Sacrificii, nec ipsum honorarium voluntariè & ultrò sibi oblatum quasi *mercedem* Sacrificii, sed tanquam stipendium accipiant, quo, ut possint in Ecclesia laborare, pascantur.

§. VI.

Quinam censendi sint lucrum, aut quæstum ex Sacrificio Missæ quærere.

SI non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè, omnique cupiditatis affectu seposito, certè quo magis sanctitas & dignitas hujus Sacrificii perspecta est, eo diligentiùs cavendum, ne lucri quæstusve cupiditate polluatur.

Porrò si ministri Sacramentorum, non tantùm avaritiam atque simoniacam pravitatem, sed vel earum umbram in illorum administratione solicitè vitare debeant, quemadmodum supra *cap.* 5. §. 1. ostendimus, tantò magis in hujus Sacramenti ac Sacrificii dispensatione hæc cavenda, quanto hoc sanctitate atque excellentiâ reliquis præstat.

Profectò si Apostolus. 1. *Tim.* 6. *v.* 5. dixerit, esse homines mente corruptos, & qui veritate privati sunt, existimantes *quæstum esse pietatem*, id est, quòd pietas sit inventa tanquam medium ad quæstum & lucrum temporale, quantâ mentis corruptione credendi erunt laborare Sacerdotes, existimantes, aut ita se gerentes quasi existimarent, quæstum esse ipsum Sanctum Sanctorum, sive ipsum sacrosanctum Missæ Sacrificium esse medium ad quæstum & lucrum temporale? Et tamen si multorum hodie ex honorariis Missarum victitantium agendi modus vel leviter attendatur, nescio utrum cum Alvaro Pelagio plangendo dicere non cogeremur. » Tot » hodie dicuntur Missæ *quasi quæstuariæ*, vel ad complacen» tiam, vel ad scelera cooperienda, vel propriam justificatio» nem. Quare apud populum vel Clerum Corpus Domini jam » vilescit, quia omne rarum pretiosum. « *Lib.* 2. *De Planctu* » *Eccles.* art. 5.

Quis non timeat Presbyteros illos, seu seculares, seu regulares, qui tam avidè & importunè domos mortuarias penetrant, hæredesque pro celebrandis Missis mediante honorario solicitant, existimare quæstum esse ipsum Missæ Sacrificium? Imò, quo manifestius fit, lucrum præcipuè ab ipsis intendi, nonne videmus plurimos illorum parùm solicitos esse, num is, pro quo Missas celebrandas postulant, verè christianè vixerit, atque ita in vita sua meruerit, ut tot pro ipso Sacrificia post mortem offerantur; » Congruit enim, ajunt » sacri Canones, ut Sacerdos pro mortuis Catholicis me» moriam faciat & intercedat: *non tamen pro impiis* (quam» vis Christiani fuerint) tale quid agere licebit. « Vide *Can.* 21. *caus.* 13. *q.* 2. *Capitul. Reg. Franc. l.* 7. *cap.* 407. *Capitul. Herad. Turonens. cap.* 116. Hæc inquam, parùm attendere solent hujusmodi Sacerdotes, modo honoraria solvantur.

A simili suspicione studeant se eximere, qui tanto studio & aviditate relictis suis Ecclesiis, quibus adscripti sunt, ad alias Ecclesias, spe mercedis sive honorarii consequendi, transcurrere non verentur.

Neque satis etiam ab illa abominanda suspicione distant illi Monasteriorum Superiores, qui parùm anxii, num subditorum ea sit vitæ integritas, morum sanctitas, atque in Deum charitas, ut spes sit quòd quotidiè sacris & tremendis Altaribus dignè astare queant, ipsos ad quotidianum Missæ Sacrificium incitant, imò & cogunt, ut ita ex quotidiano Sacrificio quotidianum etiam honorarium Monasterio acquiratur. Quid porrò hoc aliud est quàm *existimare quæstum esse* ipsum Missæ Sacrificium?

Sordidum hunc, atque sacrilegum animum veritus S. Franciscus, „ voluit quod in quocunque loco Fratres contenti es» sent unâ Missâ, præsciens (inquit Alvarus Pelagius) *Fra*» *tres* se velle justificare per Missas, & *ad quæstum eas re*» *ducere*: sicut videmus hodie fieri." At utinam nec modo! » *Loco suprà citato.*

Non paucos hodie invenire est Sacerdotes, qui nulla difficultate ad celebrandum certis locis etiam privatis, & horis quantumvis importunis, atque incommodis se contringent, modo pinguiora dentur *honoraria*: si verò illa desint, nullatenus se constringi patientur ad celebrandum destinatis horis aut locis, tametsi populi salus, & Ecclesiæ utilitas id postularent. Num sanè hi in Sacrificii oblatione animum ab omni quæstus cupiditate expurgatum habent, seriò ipsi expendant.

Quis denique Sacerdotes illos credat ab omni quæstus, lucrive cupiditate plenè alienos, quos rixas, contentiones, quinimò interdum lites excitare non pudet pro celebrandis Missis, quibus pinguiora sciuntur destinata stipendia?

Hæc aliaque, quæ circa Sacrorum celebrationem hoc tempore fieri conspiciuntur, si seriò attendantur, nonne meritò verendum, adimpletam esse gemendam illam Sophoniæ prophetiam: *Sacerdotes ejus polluerunt Sanctum.* Cap. 3. vers. 4.

§. VII.

Plane indignum est, quòd Missæ sacrificium subserviat victui acquirendo.

DEplorabant Patres Concilii Tridentini » multa sive tem» porum vitio, sive hominum incuriâ & improbitate » irrepsisse, quæ à Sacrificii Missæ dignitate aliena sunt." Verùm quis sat deplorabit ea omnia, quæ occasione ho-

norarii à tanti Sacrificii dignitate planè aliena irrepserunt?

Atque in primis quis sine sanguinis lachrymis expendat, qua ratione hodie sanctissimum illud, adorandum tremendumque Altaris Sacrificium à plurimis ad rationem opificii seu artis de pane lucrando redactum sit.

Canone 51. & 52. Concilii Carthaginensis IV. jam pridem cautum fuit, ut *Clericus victum & vestitum sibi artificiolo... absque officii sui detrimento quærat.* Quinimò, *Clericus quantumlibet eruditus*, ait alter Canon, *artificio victum quærat.* Horum Canonum æquitatem justitiamque non pristina tantùm, sed & nostræ quoque ætatis Concilia agnovêre: „ Quibus non suppetit ex Sacerdotio, inquit Synodus Coloniensis, „ honesto artificiolo victum quærant, secuti Divi Pauli exemplum: sic tamen, ne sordidam aliquam artem, Sacerdotio „ ignominiosam, exerceant." *Ann.* 1536. *p.* 2. *cap.* 3.

Quid de hac Ecclesiæ disciplina censuerit S. Carolus ex primo illius Provinciali Concilio *p.* 2. *cap.* 26. intelligimus: *Negotiationem omnis generis Clerico omninò prohibemus*, ait, *artes verò honestas concedimus*, *ut* aliquid manibus suis lucretur, *quo sibi quæ ad victum necessaria comparare possit.*

Et quid plura? Ipse Generalis Cleri Gallicani Meludunensis, anno septuagesimo nono Conventus præteriti seculi declaravit: „ quamquam omne turpe lucrum indignum sit Sacerdote, ne ubi thesaurus, ibi sit & cor; tamen quibus ex Sacerdotio non suppetit victus, honesto artificiolo, ut scriptura, &c. „ victum quærere liceat. Neque enim hoc puduit Apostolum „ ipsum."

Dolens, ac gemens petebat quondam pius & eruditus Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius *tom.* 1. *tit.* 5. „ Ubi est „ quod Clericus quemlibet verbo erudiat: & ne pauperes gra„ ventur ut Paulus artificio victum quærat? Quod Clericus ar„ tificiolo.... sibi victum absque officii sui detrimento quærat?" O si hodie superesset Gersonius, quomodo non gemeret, & exclamaret, dum horrendâ atque execrabili quadam metamorphosi artificiolo tremendum Missæ Sacrificium substitutum cernere! idque non à Clericis duntaxat, sed etiam ab illis, quorum Patribus nihil antiquius, nihil gloriosius fuisse, quàm opere manum victum qrærere, notius est, quàm ut probatione egeat. Certè melius ageretur si non conspiceremus integras Religiosorum Communitates ex Missis veluti ex quodam artificio victitare; adeò, ut non tantùm de Sacerdotibus è Clero, sed etiam multis Regularibus verum sit, quòd *de celebratione Missarum faciant artem de pane lucrando*, ut loquitur Cardinalis Bellarminus. Quo quid sacrosancto Altaris Sacrificio indignius! Quod ampliùs patebit, si ea quæ infamem illam Sacrificii tractationem consequuntur, paucis expendamus.

§. VIII.

Ex eo quòd Missæ Sacrificium subserviat vitæ necessariis acquirendis, natum est fieri, ut illud modo mercenario tractetur.

SI quis vel leviter tantùm attenderit hodiernam praxim Sacerdotum illorum, qui ex honorariis Missarum victitant, nescio quomodo sat deplorare poterit execrabilem, ac horrendum illum mercenarium modum, quod sacrosanctum ac tremendum hoc mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, offertur in Altari, indignissimè profanatur, atque ad rationem cujusdam vilissimi opificii deprimitur.

Nonne conspicere jubemur, hujusmodi Sacerdotes sive è Clero sive Regulares passim ad domos mortuarias cursitare, ut Sacrorum suorum stipendia accipiant, non secus ac mercatores panorum, candelarum, tedarum, similisve, ut mercium suarum pretia consequi valeant? Imò & solicitantes pro Sacris celebrandis, ubi pinguia sperantur stipendia, non aliter atque opifices pro operibus, ob majores sperantur operarum mercedes. Quid magis mercenarium?

Ulteriùs sicuti mercenarii ad operam seu servitium obsequiosissimos se exhibent, si condignam sperent servitii sui compensationem, difficillimos verò ubi hanc futuram desperant; ita & similibus Sacerdotibus accidere solet. Quid enim experientiâ evidentius, quàm Sacerdotes ex salariis Missarum viventes, ac celebrandum se illis exhibere paratissimos, à quibus pinguia spectant vel accipiunt stipendia; difficillimos verò illis, à quibus nulla aut exigua honoraria offeruntur vel sperantur. Quinimò moriatur quispiam vel sceleratissimus, pro quo nec Sacrificium ex voto Ecclesiæ offerri deberet, si tam divitiis abundet, mox aderunt similis farinæ Sacerdotes, qui non tantùm rogati Sacra pro illo quantumvis multa offerent, sed etiam pro offerendis instabunt & solicitabunt: contra moriatur aliquis, qui verè christianè vivendo meruit in vita, ut Fidelium orationes & Ecclesiæ Sacrificia ipsi post mortem prodessent, ut loquitur Augustinus, si tamen pauper sit, nec unde salaria Missarum solvantur relinquat: O quàm difficulter ut pro illo offerantur Sacrificia, inducentur similes Sacerdotes! Quàm illud mercenarium sit quis non videat?

Ad hæc nonne conspicimus, quam difficiles se præbeant hujusmodi Sacerdotes, ut cæteris horis pro commoditate populi celebrent, si nullum speciale exinde commodum reportent? paratissimos verò pro libitu & privato affectu cujusque viri nobilis, aut divitis pingue honorarium offerentis, quâcunque horâ, tametsi importunâ & minùs canonicâ ceu quidam famuli se ad celebrandum constringere?

Imò parùm attendere solent similes Sacerdotes, num Sacrificii oblatio tempore aut loco ædificationi populi, aut Ecclesiæ intentioni minùs congruo expectatur, modò salarium majus illo, quàm alio loco accipiatur.

Quid enim notius, quàm ad Sacella aliave Oratoria, in quibus ob, nescio, quam popularem & humanam potiùs quàm christianam devotionem populus Missas celebrari curat, Sacerdotes etiam Dominicis, Festisque diebus confluere; Parochias verò, ob similibus salariis destituuntur, Missas carere? Quo ulteriùs fit, ut contra tam enixam Ecclesiæ voluntatem, populus passim cum magno animarum detrimento à Parochiarum frequentatione avocetur.

Quod enim „ audiendæ Dominicis Festisque diebus Mis„ sæ Parochialis munus à Fidelibus minùs diligenter præstetur, „ ait S. Carolus, & à quibusdam planè negligatur, multa in„ commoda inde existunt." *In Concil. Mediol. IV. cap.* 6.

„ Hinc in plerisque sæpè fidei articulorum, & Dei sanctæ„ que Matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem conse„ quendam christianum hominem nosse oportet, imperitia; Fes„ torumque dierum cultus neglectus; dubita christianæ pieta„ tis opera non exculta; non cognita christiana Familiarum „ institutio; languescens Sacerdotum Parochorum omne offi„ cium, eorum aliquis contemptus; sanctissimorum instituto„ rum, & SS. Canonum violatus usus; hinc denique Ecclesiis „ Parochialibus, quæ à Majoribus tanto pietatis studio exædi„ ficatæ sunt, instaurandis, ornandis, sartis tectisque habendis „ cura multis ex partibus neglecta, in aliisque nulla, aut pe„ nè exigua Ecclesiastica ad divina Officia obeunda necessaria „ supellex."

Verùm hæc parùm curare videntur mercenarii illi Sacerdotes, vel per hoc sat indicantes in Missæ Sacrificio peragendo (quod dignior ministerii Sacerdotalis pars est) sibi parum curæ esse, ut illud tanquam veri Christi ministri in ædificationem Corporis sui, quod est Ecclesia, utiliter impendant; modo majora & pinguiora salaria accipere queant.

Sed dicetur forsitan, non mirum si salaria à Sacerdotibus, seu secularibus, seu regularibus tam solicitè quærantur, quia vel ipsi, vel eorum Monasteria magna ex parte inde vivere coguntur. Non difiteor; sed illud quis non deplorandum atque execrandum reputet, quòd hodie Sanctum Sanctorum, ipsum scilicèt incrementum Sacrificium eo sit redactum, ut tanquam quoddam opificium, victui querendo subservire debeat?

Hoc est, quod deplorabat Cardinalis Bellarminus, quando Nepotem suum tanto ardore monuit, ut abstineret à Sacerdotum Ordinatione, qui de *celebratione Missarum faciunt artem de pane lucrando.*

Hoc quoque præ oculis habuerat Bellarmini Pater, S. Ignatius, dum pro regula Fratribus suis præscripsit, ut „ omnes, „ qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint, se gratis dare „ debere, quæ gratis acceperunt, nec postulando, *nec admit„ tendo stipendium*, *vel eleemosynas ullas*, *quibus Missæ*, vel „ confessiones, vel prædicationes, vel lectiones, vel visitatio„ nes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta nos„ trum institutum exercere potest, compensari *videatur*: ut „ sic majori cum libertate possit & proximorum ædificatione „ in divino servitio procedere." *Constit. Societ. p.* 6.

Quid denique aliud clamant Ecclesiæ Canones quidquam directè vel indirectè pro celebratione Missarum postulare vetantes, nisi Missæ Sacrificium non habendum pro medio quo victus quæratur? Quid enim evidentius, quàm temporalia directè vel indirectè esse quærenda ex illo, quo quis ut medio ad parandam sustentationem uti jubetur?

§. IX.

Ex taxatione stipendiorum, quæ ad Sacerdotibus nonnullis hodie fieri solet, intelligi potest quantopere Missæ Sacrificium occasione honorarii contaminetur, & profanetur.

OCcasione hodierni stipendi Augustissimum Altaris Sacrificium à Sacerdotibus mercenario quodam modo pollui, & labefactari, non potest non esse manifestum illi, qui dicta præcedenti paragrapho cum quotidiana Sacerdotum stipendiis Sacrorum victitantium praxi conferre voluerit.

Ad hæc, si quis ad consuetas modernas Sacerdotum illorum taxationes stipendiorum ulteriùs animum reflectat; & hic rursus fateri, & ingemiscere debebit occasione sæpè dicti hono-

ra-

rarii saerosanctum Missæ Sacrificium mercenario agendi modo horribiliter profanari & contaminari.

Nonne dolentes conspicere jubemur, quòd Sacerdotes quasi quidam mercenarii, aut opifices stipendia sua pro ratione laboris, qui celebrationem Missæ concomitatur, taxent, commensurentque?

Quid enim hodie familiarius, quàm majora taxari stipendia, quia in hoc illove Altari celebrandum, eo quòd ob quandam devotionem populi erga certam imaginem vel Sanctum plura ad illud Altare petentur fieri Sacra? Quo fiat, ut pluribus Sacerdotibus concurrentibus ad celebrandum, nonnunquam tempore aliquo sit expectandum, ob quam expectandi moram, Sacerdotes illi quasi mercenarii, Missæ celebrationem ampliori stipendio compensatam volunt.

Si Ecclesiæ utilitas postulet, ut certis, destinatisque horis Sacra legantur, nonne videmus quod more mercenariorum majus stipendium requiratur, quàm si libertas horâ quacunque celebrandi Sacerdotibus illis relinquatur? Quo quid evidentius in oblatione Sacrificii non tam inspici, quid hîc & nunc postulet utilitas Ecclesiæ, quàm quid exigat quantitas stipendii.

Si ulteriùs à similibus Sacerdotibus requiratur, ut ad dissitam aliquam Ecclesiam celebrandi gratiâ accedant, nonne mox ut quidam bajuli, aut nuntii, volunt stipendium labori itineris, & tempori impendendo præcisè esse proportionatum?

Nec hîc Sacerdotum sistitur mercenarius animus. Eo enim hodie mercenarius ille taxandi modus devenit, ut ipsa Sacrificii solemnitas, non jam à festi solemnitate atque Ecclesiæ præscripto, sed à quantitate stipendii persoluti aut persolvendi desumenda videatur.

Quid hodiè frequentius, quàm Missæ Sacrificium pro cujusque privato affectu, nulla publica causa, aut Festi solemnitate occurrente, solemnissimè peragi, modò stipendium pro ratione solemnitatis, more mercenario à Ministris illis taxatum, offeratur? E contra si desit hujusmodi stipendium, occurrat quantumvis magna festivitas, non ritus solemnis, sed ritus simplicior stipendio proportionatus habebitur. Quinimò, in nonnullis Ecclesiis fieri conspicimus, per similes mercenarios Ministros, ipsum ritum ab Ecclesia præscriptum nonnunquam truncari, & fœdè mutilari, quia stipendium ipsorum judicio, quo nonnisi stipendium ponderatur, non correspondet labori, quem Sacrificii decantationi cum integro ritu peragendi impendere deberent. O mercimonia!

Famosus ille ac pius Petrus Parisiensium Cantor in detestationem Clericorum quærentium temporale commodum in spiritualibus adducit exemplum »Prælati petentis in Ecclesia è »Choro festum S. Stephani duplex fieri in sericis, & canticis »ecclesiasticis, sed non impetrantis, nisi cùm pastum & refec»tionem annuam Clericis promitteret, insuper nummos matu»tinales illius noctis duplicandos, ut sic celebrarent *potiùs Fes»tum nummi duplicati, quàm Festum S. Stephani.*«

Si modo superesset Petrus, quàm frequenter ingemisceret, videns decantari Sacra potiùs nummi duplicati, quàm Sacrum hujus illiusve Sancti!

Quin si totum illum hodiernum quorundam Sacerdotum profanum Missarum mercatum attendamus, nonne cum eodem Cantore introducere possemus Simonem Magum Principi Apostolorum, ob repulsam, quam ab ipso passus erat, exprobrantem: »Tu repellis me, & ego triunpho de te, imò de toto »Corpore Ecclesiæ. In ipsis etiam Altaribus *ponam solium*, cu»bile, & *thronum* & dominium meum; ut etiam præsentibus »Angelis & quasi coadunatis in uno angulo Altaris conficere »corpus Domini, ego in alio cum ministro Altaris, imò cum »meo potiùs, illud pro pretio conficiam. Cupiditas domina»tur in hoc Sacramento, quod tamen impretiabile est. Item: »si ego ab Altari repellor, non ideo minùs, sed magis simonia»ca cupiditas filia mea, filia Summi Sacerdotis irrumpet in »Sancta Sanctorum omnia in Altaribus proponens venalia.« Hæc Petrus *ibidem c.* 27.

Finio, si hoc unum præmonuero, nullatenus me intendere singula, quæ hoc atque præcedenti paragrapho tanquam animi mercenarii indicia adduxi, simoniaca dicere; sed hoc unum assero, totam rationem agendi Sacerdotum, atque ministrorum simili modo stipendia taxantium, & ad Sacrificium accedentium, non procul à simoniaca labe, aut turpi quæstu abesse; adeoque ipsum Missæ Sacrificium eâ agendi ratione fœdè pollui & contaminari.

§. X.

Occasione hodierni Missarum honorarii natum est contingere, ut plures indignè ad Sacrificium Altaris accedant.

»SI non decet (ait Sin. Trid. *Sess.* 13. *De Eucharist. c.* 7.) »ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanc»tè; certè quo magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sa»cramenti viro christiano comperta est, eo diligentiùs cavere »ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id per»cipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba »apud Apostolum legamus: *Qui manducat & bibit indignè, »judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* »Quare communicare volenti revocandum est in memoriam »ejus præceptum: *Probet se ipsum homo.*« 1. Cor. cap. 11.

Si ergo cavendum sit viro christiano, ne absque magna reverentia & sanctitate ad percipiendum Eucharistiæ Sacramentum accedat; atque communicare volenti, revocandum sit in memoriam Apostoli præceptum: *Probet seipsum homo*; quantâ reverentiâ, & sanctitate oportet Sacerdotes ad percipiendum, tractandum, offerendumque hoc tremendum Sacramentum accedere? Quantâque diligentia celebrari volenti, in memoriam revocandum dictum Apostoli præceptum: *Probet se ipsum homo?*

At quam illa ab Apostolo prævièad illius Sacramenti susceptionem requisita sui ipsius probatio, in multis Sacerdotibus occasione sperati honorarii nata sit intermitti, aut non ea qua oportet diligentia & scrutatione peragi, opus non est multis adstruere.

Nonne enim attentâ humanâ corruptione natum est contingere, ut spes consequendi ex Missarum celebratione commodum temporale oculos Sacerdotum excæcet, aut certè mentem obnubilet, quo minùs sincerè *seipsos probent*, num cum satis magna reverentia & sanctitate ad Sacrificium accedant? An non humano tantùm effectu, & potiùs ex consuetudine, aut necessitate consequendi vitæ necessaria, quàm devotionis ardore & Dei causa ad Altare properent?

Quinimò, si quis Sacerdotum, seu secularium, qui ex stipendiis Missarum victitant, seu regularium, quorum Communitates ex eisdem vivunt, hodiernum quotidiè celebrandi morem, & modum seriò attendat, vereor ne cum Patribus Synodi Coloniensis *Ann.* 1536. *p.* 2. *c.* 10. dicere debeat: »Terret, »nec immeritò, nos sermo Dominicus, qui vetat nos Sanctum »dare canibus, & margaritas nostras projicere ante porcos, »dum quosdam leviculos Sacerdotes illotis manibus pedibus»que, ut in proverbio est, audaciùs in hæc sacratissima mys»teria, quàm in profana irrumpere comperimus. Quales sunt, »*qui humano affectu tantùm, & potius ex more, quàm devo»tionis ardore* ad Altare accedunt, quorum polluta est mens »& conscientia, quos meritò horrendum Evangelii exemplum »(quod Joannis XIII. legimus in hæc verba: *Et postquam ac»cepisset buccellam introivit in eum Satanas*, cætera, quæ se»quuntur) ad meliorem vitæ frugem, altioremque tanti mys»terii contemplationem revocaret.«

An non magna cum Sacrificii irreverentia hodie conspicimus, Sacerdotes vitam otiosam, imò multis defectibus ne dicam criminibus obnoxiam agentes, necessitate victum quærendi ex stipendiis Sacrorum quodammodo compulsos, accedere ad *quotidianum* Sacrificium, non secus ferè atque opifices ad opus suum manuale lucelli causa in dies properare solent?

Non dubium quin & hodie verum sit, quod olim dixit S. Augustinus *in Psalm.* 132. »Omnem conditionem include»re bonos & malos, esseque Clericos perinde falsos ac Mo»nachos. Sunt, ait, & Monachi falsi, & nos novimus tales, »sed non periit fraternitas pia propter eos, qui profitentur »quod non sunt: tam sunt enim Monachi falsi, quàm Clerici »falsi & fideles falsi;« & tamen nonne inviti hodie videmus, quod in plerisque Monasteriis nulla bonos inter & malos, veros & falsos fratres intercedente differentia, omnes indifferenter, idque frequentissimè, si non quotidie tremendis Altaribus assistant, quin assistere jubeantur, in illis præsertim Congregationibus, quibus vivere ex Sacrorum stipendiis in more possitum est. O quot exinde non timenda sacrilegia!

Utinam omnibus Sacerdotibus, qui ex honorariis vivunt, vel sunt de Congregationibus ex illis viventibus, altè esset impressum illud Seraphici Doctoris monitum: »Primò vide (ait »in suo *Tractatu de præparatione ad Missam*) quid desideres, »ne propter avaritiam, aut tumorem, aut vanam gloriam, aut »consuetudinem, aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut »temporalis favoris causâ accedas: sicut multi diebus istis abu»tuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem.«

Concludo, si hoc unum addidero, ex occasione hodierni Missarum stipendii id quoque contigere, Sacerdotes in peccatum prolapsi, raro se à Sacris functionibus continent, quoadusque per condignam pœnitentiam, veramque cordis contritionem, ac spiritus contribulationem se expurgaverint; nimirùm lucro, quod sibi vel Communitati ex Missarum celebratione obvenit, ipsos ad Altare propellente. Quod quàm Sacrosancto Missæ Sacrificio sit indignum quis non intellgat? Si enim teste Emerico de Bonis è Societate Jesu, *scelus sit horrendum dictu, & Angelis ipsis detestabile, quodque valeat soli tenebras offendere, terram tremefacere, & elementa permiscere*, si quis laicus Eucharistiam sumere audeat, qui pridiè, nudius tertius vel quartus ante peccavit, quanto non putandum scelus detestabilius, si Sacerdotes, nullo penè à peccato intervallo, Eucharistiam non sumere duntaxat, sed & confice-

re,

re, atque Deo Patri pro fidelium reconciliatione in odorem suavitatis offerre attentent? Verùm, quàm id à sensu Ecclesiæ alienum! quæ Sacerdotes in crimen, præsertim carnis etiam *occultum* prolapsos, multis seculis, in perpetuum à Sacris exclusit. Et licèt posterioribus seculis, dissimulante Ecclesiâ, illa quoad peccata occulta nonnihil sit relaxata, nunquam tamen sacris Altaribus restituendos Ecclesia censuit, nisi priùs diuturno lachrymarum fonte impurum peccatorum ardorem extinxerint, nisi priùs dignis pœnitentiæ fructibus conscientiæ puritatem recuperaverint; ut latiùs alibi ostendimus in *Dissertatione Canon. De Canonicis, part. 2. cap. 2. §. 8.*

§. XI.

Occasione hodierni stipendii fit, ut plures ad Sacerdotium ex humano affectu ascendant.

» VÆ, væ, væ, Domine Deus! (exclamat Doctor Seraphicus in Tract. *De Præparat. ad Missam, cap.* 8.) » quanti hodie infelices ad sacros Ordines accedunt, & Divina » mysteria accipiunt, *non cœlestem panem, sed terrenum quæ-* » *rentes; non spiritum, sed lucrum*; non Dei honorem, sed suam » ambitionem; non salutem animarum, sed *quæstum pecuniarum*!" An non modò jure idem exclamare liceret, quando tam multos hodie ad Sacerdotium, tanquam medium ad parandum victum ascendere, imò aspirare videmus? Aliud penè non attendentes quàm quotidianum ex celebratione Missarum proveniens honorarium, quo de vitæ necessariis sibi provideatur; tanquam non virtutis exemplar (ait Nazianzenus *Orat.* 1.) sed victus occassionem & subsidium hunc ordinem esse judicantes. Qui non vocati à Deo tanquam Aaron, sed carnali affectu ad Sacerdotium accedentes fœdissimè ac perversissimè ad rationem cujusdam opificii id deprimunt, „ quàm certè » digniùs, ampliusque consectaneum rationi, cum Bernardo lo- » quor, ut pro carnali victu carnalia magis opera & negotia » exercerent, nec fierent inversores rerum, aut inhonorarent » ministerium spirituale." In *Declamat.* §. 13.

Cùm igitur ex ratione vivendi multorum non obscurè intelligatur, non ad alium quàm ad victum parandum ab ipsis Sacerdotium esse susceptum, merito hodie ab Episcopis, aliisque, qui Ordinandorum examini præficiuntur, videndum, quo affectu, ac proposito accedant Ordinandi, verba sunt Synodi Coloniensis *ann.* 1536. *part.* 1. *cap.* 25. „accurateque investigandum est, num videlicet Dei causâ tantùm, ac potiùs *suæ* » *commoditatis* gratiâ ad Ordines capessendos aspirent, quæ- » rentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Quid enim est » sua quærere, & non quæ Christi sunt, nisi cum tales non » gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, tem- » poralia commoda sequentes, lucris inhiantes, & honores ab » hominibus expetentes? Quisquis ergo talis est, non Dei fi- » lius, nec ovili Christi idoneus Pastor futurus, sed mercena- » rius est. Ubique Deus hominis intentionem, & mentem spec- » tat, quam Christus in Evangelio lucernam corporis, atque » oculum vocat. Qui si simplex fuerit, totum corpus luci- » dum erit. Quare si lumen, quod in initiando est, tenebræ » sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt."

Ut verò hic animus explicatior sit, vult dicta Synodus: » Ut ordinandi prævie ante ordinationem, se Vicariis Episcopo- » rum præsentent: qui eos rogabunt, quid eos huc permoveat; » an expenderint, quid in hac vocatione præstare oporteat, an » huic vocationi se sentiant posse respondere..... *an affectu car-* » *nis huc ducantur, ut videlicet in otio & suaviter vivant, opes-* » *ve & honores parent.* Admoneantur quoque subjungit Syno- » dus ut bene seipsos explorent, excutiantque, ne cum ad ca- » piendos Ordines reversi fuerunt, Spiritum Sanctum fraudent."

Utinam hoc Synodale monitum omnibus, qui Ordinationibus præsunt altè foret impressum, accurateque Ordinatorum animus & intentio discuteretur, quàm multorum in Sacerdotio suscipiendo distorta ac perversa reperiretur intectio!

Porrò accuratam hanc intentionis discussionem hodierno tempore non tantum necessariam esse in illis, qui è Clero seculari ad Sacerdotium ascendere volunt, sed etiam in Regularibus, vel inde non difficulter intelligi potest, quod passim omnes indifferenter è Religiosorum Communitatibus præsertim quæ ex Missarum stipendiis vivunt, modò ad ætatem requisitam pervenerint, & aliquo tempore professionem religiosam emiserint; ad sacros Ordines imò ipsum Sacerdotium præsententur, quin & propellantur.

Non diffiteor quidem, vitam religiosam debitè institutam plurimùm conducere, ut à seculi corruptione segregati in omni virtutum genere exercitentur, atque ita SS. Ordinibus suscipiendis idonei reddantur: illud tamen mecum omnes fateantur necesse est, non eam esse, nec unquam fuisse religiosæ professionis virtutem, ut universi illam emittentes ad profectionem etiam monasticam, ad quam omnis professio religiosa tendit, pertingant, multò minus Sacerdotalem attingant. *Multo major*, ait Chrysost. lib. 2. de Sacerd. cap. 2. & 4. *vitæ integritas huic* (Presbytero) *quàm illis* (Monachis) *necessaria.* Item *Eos*, inquit, *qui Sacerdotem munere funguntur, sanctiones ac puriores illis esse oportet, qui se ad montes contulerunt.* Hinc illud Hieronymi: *Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis.*

Quibus constat illud Doctoris Angelici 2. 2. *q.* 189. *art.* 1. *ad* 3. » Ordines sacri præexigunt sanctitatem; sed status Re- » ligionis est exercitium quoddam ad sanctitatem assequendam. » Unde pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per » sanctitatem desiccatis. Sed pondus Religionis desiccat parie- » tes, id est, homines ab humore vitiorum."

Hinc Pontifices & SS. Patres etiam in primo Religionis fervore, non omnes in Religione viventes Sacris Ordinibus idoneos judicabant, sed quos prævio diligenti examine & discussione tantis ministeriis virtutum meritis respondere invenissent; unde ad Aurelium scribit Augustinus *Epist.* 67. *Cum ex his qui in Monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores ad Clerum assumere soleamus.*

Sub idem tempus ad Himmerium Episcopum scribens Siricius Papa, Monachos Clericorum Officiis aggregari optat & voluit, at non omnes, *sed quos morum gravitas & vitæ ac fidei institutio sancta commendat.* Epist. 1. cap. 13.

Quam procul à mente S. Gregorii abfuerit, ut omnes vitam religiosam professos Sacerdotio dignos crederet, ex illius ad Candidum Episcopum responso luculenter patescit. Cùm enim Candido licentiam dedisset Monachos de Monasteriis in sua Parochia (hoc est Diœcesi) possitis cum consensu Abbatis tollendi, & Presbyteros ordinandi, hoc monitum subjungit: » Sed » illius præ omnibus stote soliciti, ut vitam actusque eorum, » qui in hoc sunt officio constituendi, subtiliter debeatis inqui- » rere & tunc eos, si digni fuerint, ordinare." *Lib.* 5. *Epist.* 27.

Patrum vestigiis inhærens Tridentina Synodus, ætate Ordinandorum præscripta adjungit: » Sciant tamen Episcopi, non » singulos in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines as- » sumi, sed *dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus* » *sit.*" Sess. 23. cap. 12. *de Reform.* Et ne Episcopi ad credendum inducerentur, Regularium omnium eam esse vitæ integritatem, subjungit: » Regulares quoque nec in minore æta- » te, nec *sine diligenti examine* ordinentur; privilegiis quibus- » cunque, quoad hoc, penitùs exclusis." *Ibid. cap.* 14. Et nonne meritò? Quis enim credat Religiosos omnes » ita pieta- » te ac castis moribus conspicuos, ut præclarum bonorum exem- » plum & vitæ monita ab eis possint expectari?" quemadmodum in assumendis ad Presbyteratum exigit Tridentinum: vel quod » eorum doctrina sit futura spiritualis medicina populo » Dei. Odor vitæ eorum delectamentum Ecclesiæ Christi, ut » prædicatione atque exemplo ædificent domum, id est, fami- » liam Dei," ut loquitur Pontificale in *Ordinat. Presbyteri.*

Nonne ergo illi Monasteriorum Superiores, quos videmus indifferenter omnes ad Presbyteratum præsentare, imò propellere, jure meritò in suspicionem veniunt, quòd spe commodi temporalis ex Sacerdotio acquirendi excæcati, nec de Sacerdotio, nec divinâ ad illud vocatione eam idæam concipiant, quam Patres & Concilia expresserunt? Quod & exinde verosimilius fit, quod experientiâ constet, ex celebratione Missarum quotidianum stipendium in Monasterii utilitatem solicitè quæri; atque Sacerdotium velut medium ad victum quærendum quodammodo considerari.

Ut proinde non immeritò monuerit Franciscus Hailler *in Append. ad sect.* 1. *de SS. Ordinat.* §. 3. Non adeo » Superio- » rum Regularium fidei credendum, ut quos illi tanquam dig- » nos obtulerint absque ullo alio examine, atque discussione » ad Sacros Ordines Episcopi recipiant... *maximè cùm notum sit,* » inquit, *totius Monasterii interesse, ut quamplurimos Ordini-* » *bus Sacris initiatos habeat*: & facilè probi etiam & boni, in- » sitâ hominibus cupiditate Ordinis sui gloriam promovendi (qua » Regulares præ cæteris maximè flagrant, quod Ordinis sui am- » pliationem, & ornamentum ad Dei gloriam, & Ecclesiæ uti- » litatem spectare præsertim arbitrentur) facilè, inquam abri- » piantur, ut levius de suis censeant, quam par sit, & in pon- » dere judicent suorum industriam, ac dotes magnificè, Sacer- » dotii reliquorum Ordinum Ecclesiasticorum dignitatem te- » nuiter æstiment."

§. XII.

Episcopis incumbit tollere ea, quo circa Sacrificium Missæ turpem quæstum sapiunt, eaque statuere, quæ ei debitum honorem, & cultum conciliant; hisque Episcoporum decretis Regulares quantumvis exempti obedire tenentur.

REs sacras contemni, atque vilescere, si ad pecuniarum quæstum Sacerdotum illæ reduci videantur: notius est, quam ut probari debeat: quis enim veneretur, ait Gregorius Magnus, quod venditur, aut quis non vile putet quod emi-

tur?

tur? Adhæc quàm ergò Sacra Religionis Mysterium veneratione Ministri conciliabunt, si ea quæstui ipsorum subservire appareat?

Hinc tantopere Episcopis, tanquam præcipuis Sacrorum depositariis, & mysteriorum Dei dispensatoribus inculcatum, ut omnia, quæ turpem quæstum sapiunt, à rebus sacris amovere studeant.

Et quidem Synodus Tridentina de Sanctorum invocatione atque reliquiarum, & Imaginum veneratione agens Episcopos monet ut » omnis superstitio in Sanctorum invocatione, Re» liquiarum veneratione, & Imaginum sacro usu tollatur; *omnis* » *turpis quæstus eliminetur.* « In Decreto de Invocat. Sanctorum.

Similiter de Purgatorio sermonem faciens, rursus præcipit, » ut ea, quæ curiositatem quandam aut superstitionem » spectant, *vel turpe lucrum sapiunt*, tanquam scandala & fi» delium offendicula prohibeant.“ *In Decret. de Purgatorio.*

Quid adversus pravos eleëmosynarum quæstorum abusus Sacrum indulgentiarum thesaurum ad turpem quæstum redigentium, eadem Synodus decrevit, ut *tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros, non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant*, notum est.

Verùm quia fatendum est, „nullum aliud opus adò sanc» tum, ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, ut ait » dicta Synodus *Sess.* 21 *cap.* 9. *de Reform.* quàm ipsum » tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo » Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes, quotidie » immolatur; satis etiam apparet, *omnem operam & diligentiam* » *in eo ponendam esse*, ut quantà maximà fieri potest interio» ri cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac » pietatis specie peragatur.“

Quapropter speciatim decernit Sancta Synodus, ut „ Or» dinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è me» dio tollere sedulò curent ac teneantur, quæ *vel avaritia*, » idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix » sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imi» tatrix, induxit.“ Deinde varia enumerat quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio in hujus mysterii vilipendium induxit. „ Hæc igitur omnia quæ summatim enumerata sunt, » omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solùm » ea ipsa, sed quæcunque alia huc pertinere visa fuerint ipsi » pro data sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut » delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corri» gant, statuant; atque ad ea inviolatè servanda censuris » Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio consti» tuentur, fidelem populum compellant: non obstantibus pri» vilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus, „quibuscunque.“

Nulla proinde quantumvis inveterata consuetudo, seu potiùs abusus, remorari potest Episcopos quominus omnem illam abominandam Sacerdotum mercimoniam, & turpem quæstum circa celebrationem Missarum, occasione stipendiorum introductum aboleant; eaque omnia ordinent, quibus Missæ Sacrificio debitus honor & cultus ad Dei gloriam & fidelis populi ædificationem restituatur.

Constat quoque, nulla privilegia, nullasque exemptiones impedimento esse Episcopis, quòminus ea, quæ pro illius Sacramenti debito cultu & veneratione decernenda credunt, suum effectum sortiantur. Unde teste Fagnano » Generaliter hoc » decretum censuit S. Congregatio comprehendere etiam Re» gulares *quantumvis exemptos*, eosque ea omnia, quæ ab » Ordinariis locorum circa observanda, & evitanda, in Mis» sarum celebratione statuta fuerint, omninò servare teneri, ad » idque etiam pœnis ac censuris Ecclesiasticis ab iisdem Or» dinariis cogi & compelli posse. «

Neque hæc positiva, atque specialis derogatio seu restrictio exemptionis Regularium, sed illius legitima declaratio dicenda est. Quæcumque enim regularibus exemptio concessa sit, ea Regulares ut Regulares spectat; nullatenus verò Regulares ut partem constituentes hierarchiæ ecclesiasticæ divinâ Ordinatione institutæ, *quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris*; ideoque qualiscunque indulta Regularibus exemptio disciplinam duntaxat regularem concernit, nec ad functiones hierarchicas sine manifesto errore, atque ipsius hierarchiæ ecclesiasticæ destructione extendi potest.

Cùm enim Regularium exemptio privilegium sit contra jus commune indultum, unanimi omnium Canonistarum sententiâ strictè venit interpretanda, & inter expresum verborum tenorem continenda. Quam regulam quoad exemptos sedulò ab Episcopis observatam voluit seculo præterito Synodus Tolosana *ann.* 1590. *p.* 4. *cap.* 16. §. 1. » Episcoporum juris» dictioni non mediocre impedimentum, exemptis profusioris » vitæ occasionem, Christianis non vulgare scandalum afferre, » *laxiùs quàm par est*, ait Synodus, *exceptæ exemptiones con» sueverunt*. Hunc igitur in exemptionum cognitione Episco» pi modum adhibeant, & ut illas *ad unguem observent*, & » *ultra quàm loquuntur*, minimè extendant. «

Ex hoc fundatissimo, atque receptissimo juris principio ulteriùs tanquam indubitatum, & multis juris textibus probatum inferunt Canonistæ, exemptionem aliquibus in una qualitate concessam minime concernere eosdem, ut aliâ disparatâ qualitate vestitos: atque ita Regularibus datam, non esse pertrahendam ad Regulares in quantum presbyterali aliàve officio à statu regulari disparato & distincto fuguntur: quemadmodum in simili, si in eodem concurrat qualitas Canonici & Pastoris, exemptio Canonicis facta eundem in functionibus pastoralibus non eximit, ut declarat Innocentius III. in *Cap. Cum capella* ✠ *de Privilegiis.* » & Privilegia quæ re» sidentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Constitutionis » aut familiaritatis Cardinalium competere solent; ea in iis, » qui ecclesiastica Beneficia obtinent *ratione prædictorum be*» *neficiorum minime intelligantur*, ait Synodus Tridentina, sed » Ordinarii jurisdictioni subjecti permaneant. «

Juxta certum proindè & indubitatum juris principium processerunt Patres Concilii Tridentini, dum declararunt Episcopos posse statuere ea omnia quæ ad debitum cultum, & reverentiam conciliandum pertinent, *non obstantibus exemptionibus*; quandoquidem exemptiones, si quæ Regularibus sint indultæ, sint restringendæ ad ea, quæ Regulares ut Regulares exercent; ut nec ad ea extendenda, quæ ut » Presbyteri » aut Ecclesiæ Ministri ab Episcopis assumpti faciunt. « Quam distinctionem notavit Doctor Angelicus, dum dixit: » Mo» nachus magis tenetur obedire Abbati, quàm Episcopo in » illis, quæ ad statuta Regulæ pertinent, in *his autem quæ* » *ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, magis tenetur* » *Episcopo*; quia in his Abbas est Episcopo suppositus. « *In II. Sentent. Dist.* 44. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 3.

Prædictum Canonistarum certissimum principium, illamque Doctoris Angelici distinctionem, si attendisset P. Jacobus à S. Antonio Ordinis FF. B. V. Mariæ de Monte Carmelo, non tam fœdè in suis Consultationibus Canonicis contra manifesta jura Canonica & cum totius hierarchiæ ecclesiasticæ eversione, exemptiones Regularium ad Sacras hierarchiæ functiones extendisset; & inter alia (quod huic nostræ materiæ magis propinquum), vidisset, quomodo exemptio, si quæ Regularibus competit, facere nequat, ut Ordinariis quoad publicam Eucharistiæ expositionem obedire non teneantur, atque ità non tam fidenter, ut credo, asseruisset: *Regulares Mendicantes possunt in suis Ecclesiis SS. Eucharistiæ Sacramentum à populo adorandum publicè exponere absque licentia Ordinariorum.*

Cùm enim publica Eucharistiæ coram populo expositio non sit actus disciplinæ regularis, sed potiùs hierarchicus, & ad debitam populi devotionem erga idem Sacramentum excitandam spectans; ex præmissis evidens fit, exemptionem Regularibus concessam, ad similem actum, qui ab ipsis non ut *Regularibus*, sed ut *membris* hierarchiæ ecclesiasticæ, & *cooperatoribus subsidiariis* Episcoporum exercetur, porrigi non posse.

Juxta quæ notoria Juris principia, generalis Ecclesiæ Gallicanæ Conventus constans ex Cardinalibus Archiepiscopis, alisque pluribus Prælatis nihil detractum credidit legitimis juribus Regularium, dum ann. 1655. decretum edidit tenoris sequentis: » Cum plures auctoritate privatâ, inquit Conven» tus, sub prætextu Indulgentiarum, professionum Filiarum, » processionum aut solemnitatum Ordinis sui præsumant *palam* » *& publicè SS. Sacramentum exponere in Ecclessiis suis*, sese » insuper gravare fundationibus, quas in hunc finem suscipunt, » quod valdè *diminuit cultum & respectum huic SS. Sacra*» *mento debitum*, quod Ecclesia consuevit reservare *pro ul*» *timo refugio* in necesitatibus suis extraordinariis, ad quam li» centiam in posterum impediendam, inhibetur expressè SS. Sa» cramentum exponi palam super Altare, illudve deferri in » processoinibus, nisi in solemnitate SS. Sacramenti aut diebus » devotionum *extraordinariis* pro publicis causis indictis, » & per Episcopum approbatis, obtentaque *ejus permissione.* » Ea propter non poterunt Ecclesiastici seculares & *regulares* » *exempti* & non exempti sese per quamcumque conventionem » aut contractum obligare ad publicè exponendum Venera» bile Sacramentum, aut in hunc finem suscipere aliquam fun» dationem sine *prævio consensu Episcopi.* «

Plura tum Synodorum, tum Sacræ Congregationis Cardinalium decreta, quibus declaratur, nec Regularibus exemptis fas esse, publicè Venerabile adorandum populo exponere sine consensu Episcopi, refert Joannes Thiers in suo Tractu Gallico *de Expositione Venerabilis.*

Quidquid igitur statuendum Episcopi judicaverint, ut sacrosancto Missæ Sacrificio debitus honor & cultus ad Dei gloriam & fidelis populi ædificationem restituatur, omnes, seu seculares, seu regulares, tam exemptos, quàm non exemptos, constringit.

§.

§. XIII.

Efficax remedium, quo mercenarius modus, qui circa celebrationem Missarum occasione honorarii invaluit, extirpetur, est, ut ad Sacros Ordines non assumantur, de quibus fundata sit conjectura, quòd ad illos accedunt, ut ex celebratione Missarum sibi, vel Communitati temporalia quærantur.

OCcasione hodierni Missarum honorarii plurima sacrosancto Missæ Sacrificio indigna invaluisse hactenus sat ostensum, quorum præcipuam esse radicem videmus, quòd multi tum è Clero, tum è Regularibus ordinentur, ut ex Missarum stipendiis, vel sibi, vel suæ Communitati temporalis vitæ subsidia quærantur.

Efficax itaque adversus abusus illos remedium erit, ut nulli ad sacrum Presbyteratûs Ordinem admittantur, de quibus fundata conjectura sit, quòd ad illum eo intuitu accedant, ut vel sibi, vel Communitati de temporalibus ex Missarum celebratione provideatur.

Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in illis, quæ sunt ad Deum, non ad temporalia, *ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Heb. cap. 5. v. 1. nequaquam verò ut sibi vel Communitati ex oblatione Sacrificiorum stipendia acquirat.

Declarat Ecclesia per Patres Concilii Tridentini *Sess. 23. cap. 4. de Reformat.* nec prima Tonsura initiandos, » de qui» bus probabilis conjectura non sit eos non secularis judicii fu» giendi fraude, *sed ut Deo fidelem cultum præstent*, hoc vitæ » genus elegisse. « Unde Franciscus Richardotus è Concilio Tridentino redux in Synodo sua statuere non dubitavit: » Ut ad » Tonsuram non admittantur, nisi qui fidem faciunt, se eo ani» mo hunc gradum optare, *ut Deo & Ecclesiæ serviant.*

Quid ergo? Neminem ad primam Tonsuram admittendum censebit Ecclesia, nisi qui fidem faciat, se eo animo hunc gradum optare, *ut Deo & Ecclesiæ serviat*? Ad Presbyteratum verò admittendum credet, de quibus conjectura sit, quod ad hunc gradum accedant, non tam ut Deo & Ecclesiæ serviant, quàm ut sibi, vel Communitati honoraria plura parari queant? Absit. Audi, quid ad Ordinandos ad Presbyteratum nomine Ecclesiæ dicat Pontifex ordinans: » Tales esse studeatis, ait, ut *in* » *adjutorium Moysi & duodecim Apostolorum, Episcoporum vide*» *licet Catholicorum qui per Moysen & Apostolos figurantur*, dig» nè per gratiam Dei eligi valeatis. Itaque, Filii dilectissimi, quos » *ad nostrum adjutorium* Fratrum nostrorum arbitrum conse» crandos elegit, servate in moribus nostris castæ & sanctæ » vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis; imitamini quod » tractatis; quatenus mortis Dominicæ mysterium celebran» tes, mortificare membra vestra à vitiis & concupiscentiis om» nibus procuretis. Sit Doctrina vestra spiritualis medicina po» pulo Dei. Sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Chris» ti; *ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est,* » *Ecclesiam Dei*; quatenus nec nos de vestra provectione, nec » vos de tanti officii susceptione damnari à Domino, sed re» munerari potiùs mereamur. «

Non igitur ad temporalia vel sibi vel Communitati comparanda, sed in *adjutorium* Episcoporum ab Presbyteratum eligendos censet Ecclesia; unde his verbis nomine Ecclesiæ Deum precatur Episcopus ordinans: » Quapropter infirmitati quoque » nostræ, quæsumus, hæc *adjumenta* largire; qui quanto fragi» liores sumus, tanto his pluribus indigemus... Sint *providi co*» *operatores Ordinis nostri*; eluceat in eis totius forma justitiæ, » ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri æter» næ beatitudinis præmia consequantur. «

Proinde dum Synodus Tridentina dicit *Sess. 23. cap. 16. de Reformat.* » Cùm nullus debeat ordinari, qui judicio sui Epis» copi non sit *utilis* aut *necessarius suis Ecclesiis*; Sancta Syno» dus vestigiis VI. Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo » statuit &c. « aliud non insinuat, quàm nullum esse ordinandum, nisi qui judicio sui Episcopi utilis aut necessarius sit, ut tanquam membrorum hierarchiæ ecclesiasticæ Episcopo, in ædificationem domus, id est familiæ Dei, adjutor accedat.

Non immeritò igitur cum vehementi indignatione quærit pius quidam ac eruditus Auctor: » An sit ratio satis Canonica » multiplicandi Presbyteros in quibusdam Communitatibus, quia » Sacristia Communitatis subministrat ipsi familiæ redditum de» cem, duodecim, vel quindecim millium florenorum ex mul» titudine Missarum, quæ in Ecclesia similis communitatis di» cuntur? *Tractatu cui Titulus: Pratiques de pietè pour honorer* » *le S. Sacrement. Pratiq.* 53. §. 16.

Si teste Synodo Tridentinâ *Sess. 21. c. 2. de Reform.* » non » deceret divino ministerio adscriptos, cum Ordinis dedecore » mendicare, aut *sordidum aliquem quæstum* exercere; « nonne multò magis dedecet divino ministerio adscriptos, quæstum ex Missis quærere, cum summo Ordinis Sacerdotalis, & ipsius Sacrificii dedecore? An non enim ob multiplicem illam Sacerdotum ordinationem, qui ex Missarum honorariis *quæstum* quærunt, dicere quis posset, quod olim Petrus Blesensis *Epist.* 123. dixisse legitur: » Video autem hodie, quod & flens » dico, innumeros illiteratos, aut potiùs idiotas, & nihilominus » carnaliter conversantes, usurpare tanti officii (Sacerdotalis) » gradum: ità quod *Sacramenti dignitas ex indigna numerositate* » *vilescit*, & evenit, quod Osee Propheta conquerendo deplorat, » & dicit: *Multiplicavit populus Altaria ad peccandum, facta* » *sunt eis aræ in delictum.* Cap. 8. v. 11.

Ex his nemo inferat me voluisse asserere Sacerdotibus generaliter vitium esse, oblata sibi Missarum honoraria *liberali* atque *grato* animo accipere, & modo omnis turpis quæstûs suspicio absit; id enim unicè hîc dicere animus fuit, quòd Episcopi, ut mercenarium modum, qui circa celebrationem Missarum invaluit, extirpent, neminem ad Sacros Ordines deberent assumere, de quo conjectura sit quòd ad illos accedat, ut ex celebratione Missàrum vitæ subsidia aut sibi, aut Communitati habere quærat.

§. XIV.

Proponuntur varia remedia, quibus occurratur incommodis, quæ ex stipendiis Missarum nata sunt oriri.

IRreverentias, quæ occasione hodierni Missarum stipendii circa sacrosanctum Altaris Sacrificium committuntur, magna ex parte oriri exinde, quod à nonnullis Missarum celebratio assumatur tanquam medium, quo necessaria sustentatio procuretur, ex ante dictis est manifestum; quare, ut §. præcedenti observatum est, multum ad extirpationem illarum irreverentiarum valebit, si Episcopi ad Ordines Sacros non admittant, de quibus conjectura est, quod ad Sacerdotium veniant, aut præsententur, ut ex Missarum celebratione sibi vel communitati temporalia subsidia proveniant. Verùm remedium illud ad mali illius eradicationem non omninò sufficiet, si etiam Pastores, aliive Ecclesiarum necessarii Ministri ex Missarum celebratione vitæ necessaria quærere jubeantur. Hinc enim facilè continget, ut nonnulli necessitate compulsi modo mercenario Missæ Sacrificium sint tractaturi; quo ulteriùs eveniet, ut ipsi Ministri de turpi quæstu, aut simonia reddantur suspecti; & quod de ipso Missæ Sacrificio tanquam de quodam opificio, quo Sacerdotes victitare debeant, fidelibus idæa ingeratur.

Nonne quoque exinde fiet, quòd necessitate quomodo cogente, frequentiùs S. Altaribus adstare debebunt; & nonne inde natum est fieri, ut apud plures ipsa Sacrificii oblatio non eo fidei ardore & reverentiâ, qua oportet, peragatur? Quid enim certius quàm res tametsi sanctissimas, assiduitate, & nimiâ familiaritate vilescere? Divinitùs ab Augustino *de Civit. Dei lib. 10. cap. 12.* dictum est, quotidiana miracula, quibus rerum naturam perpetuò Deus illustrat, longè esse iis mirabiliora quibus ad sui cognitionem, & fidem homines adduxit: imò & *omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum esse hominem*: sed inusitatis, inauditisque miraculis commoveri nos oportuisse, *quia miracula visibilium naturarum, licèt multò majora, videndi assiduitate viluerunt.*

Multum proinde valebit, ut incommodis ex Missarum honorariis natis oriri, occurratur: » Si curet Episcopus, (quem» admodum statuit Synodus Tridentina *Sess. 24. c. 13. de Re*» *format.*) ut in Parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeò » exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, si per » Beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non » possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per » Parochianorum symbola & collectas, aut qua commodiori ei » videbitur ratione, *tantùm redigatur, quod pro Rectoris, ac* » *Parochiæ necessitate decenter sufficiat.* «

Provideant, inquam, *tantum*, quod non solùm pro Rectoris, sed etiam Parochiæ necessitate decenter sufficiat, adeoque *tantum*, ut Rector seu Pastor possit sibi tot Sacerdotes adjungere, *quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum*, ut loquitur Tridentinum *Sess. 21. cap. 4. de Reformat.*

Et certè quid injustius, quàm decimam, aliosque Ecclesiasticos perventus possideri ab illis, qui nihil aut parum pro populo laborant; & interim ipsos operarios, quibus decimæ primariò debentur, adigere, ut ex Missarum celebratione victum quærere teneantur?

Plurimum quoque ad conciliandum Missæ Sacrificio debitum cultum conduceret, si in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis nulli assumerentur Vicarii, *nisi quorum mores & vita probata fuerint*, ut loquitur Synodus Cameracensis *ann. 1565. tit. 6. cap. 15.* illisque de honesta, atque sufficienti sustentatione provideretur, ut non cogerentur (prout hodie, proh dolor! nimis frequenter non sine populi scandalo, & Sacrificii, atque Sacerdotii vilipendio fieri videmus) more mercenario ex quotidianis Missarum stipendiis victum comparare.

Certè si ipsi Canonici justum, ac æquum reputent, ut sibi tanquàm Ecclesiæ operariis vitæ necessaria ex Ecclesiarum proven-

ventibus dentur, qua specie justitiæ Vicariis suis, qui onus officii cum ipsis fuerunt, debitam sustentationem negant? Eosque non tanquam officii sui coadjutores, sed ut mercenarios suos quodammodo tractant, & ad sordidum quæstum ex Missarum celebratione adigunt? Quapropter non immeritò jam pridem dixit Concilium Moguntinum *ann.* 1549. *Can. LXX.* „ Perniciosus abusus est, cum pudendo Cleri dedecore, & „ animarum periculo, gravi Ecclesiarum detrimento conjunctus, „ quod in Ecclesiis quibusdam Catedralibus & Collegiatis, po„ tissima proventuum portio Canonicis etiam apud Ecclesias non „ residentibus, nec quidquam utilis aut necessarii ministerii exe„ quentibus, distribuitur; Vicariis, qui diurnâ ac nocturnâ „ fatigatione omnes Ecclesiæ functiones sustinent, vix tenui cen„ su, & qui ad vitam miserè sustentandam ægre sufficiat, re„ licto. Hinc Capitula, & Canonicos Ecclesiarum in Domino „ exhortamur, ut æquitatis & rationis olim Deo reddendæ me„ mores, ad functiones Ecclesiis suis necessarias his, qui eas ge„ runt, de fructibus Ecclesiarum sufficientem & honestum vic„ tum deputent. "

Adhæc, non parum valeret ad occurrendum irreverentiis, quæ tum circa Missæ Sacrificium, tum circa Sacerdotium occasione moderni Missarum honorarii occurrunt, exacta custodia decreti Synodi Tridentinæ, quo cavetur, ut in Monasteriis tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari; hoc quippe pacto fieret, ut ex Missarum honorariis victum accipere non cogerentur, atque ita faciliùs evitaretur mercenarius ille modus, quo Missæ Sacrificium, necessitate habendi temporalia vitæ subsidia quasi cogente, sæpius tractari solet; neque adeò facilè, eadem necessitate adigente, & nonnunquam excæcante, suos ad Sacerdotium præsentarent, & Episcopis ordinandos obtruderent.

Porrò remedium hoc incommodis illis evitandis admodum congruere, jam pridem, teste Urbano VIII. notavit Sacra Cardinalium Congregatio; postquam enim multa ad extirpandos abusus, qui in quibusdam Monasteriis, circa celebrationem Missarum invaluerant, & *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removendum* Pontifex decrevisset, tandem subjungit: „ Postre„ mò Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligen„ tes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam evertunt, „ ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in *oneribus Mis„ sarum supra vires suscipendis*, veluti ex infecta radice pul„ lulare *ex majori Regularium numero, quam ferant redditus „ & eleemosynæ cujusque Monasterii*; inherentes Summorum „ Pontificum ac Sacri Tridentini Concilii decretis statuerunt," ut in proximo Capitulo seu Congregatione Generali aut Provinciali sedulò examinetur, „ quot Religiosi homines, con„ numeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus, in „ unoquoque Monasterio, Conventu, Domo Regulari juxta re„ gionis & proprii instituti morem, victum & vestitum & me„ dicinalia in communi habentes, competenter valeant susten„ tari. Tum eorundem bonorum, reddituum, eleemosynarum, „ & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo seu Congrega„ tioni exhibeant, ut in illo diligenter discussis omnibus cujus„ que familiæ, Monasterii, Conventûs, ac Domus Regularis in „ singula quaque Provincia *certus earum tantùm personarum „ numerus, Patrum Capitularium voto, præfigatur, quæ red„ ditibus, eleemosynis & obventionibus, ut superiùs, sufficien„ ter ali possint.*"

Ex his tamen ne quis inferat, Regularibus fas non esse Missarum honoraria à fidelibus *liberaliter* oblata recipere, eaque in communem Monasterii usum impendere; id enim solùm dico, multorum malorum occasionem esse, quod Religiosorum Communitates ex Missarum *stipendiis* vivere *cogantur*: quam necessitatem, atque ex illa, tanquam radice pullulantia incommoda, ut Monasteria evitent, convenientissimum esse non plures ad Religionem recipi, quàm ex communibus Monasteriis redditibus, aut consuetis eleemosynis ali possint, cum Sacra Congregatione & Urbano VIII. dicere non vereor.

Quærebatur è Gersonio, „ si melius esset quòd conferen„ tes temporalia starent in sola *generalitate* pro suffragiis haben„ dis: & si ad hoc, & quomodo monendi?" Respondet Gersonius, „ Solicitudo pia conferentis temporalia si vult, po„ test in sua *generalitate* suffragia requirere. Et sub hac inten„ tione sola standō *non minùs merebit sæpè apud Deum, quam „ particulariùs exigendo.* Non habet prima pars dubitationem. „ Secunda pars utinam spiritualibus oculis (quales sunt oculi co„ lumbini Sponsi & Sponsæ in Canticis) aspiceretur! quam „ apud illos perspicua esset, qui cognoscunt omnia benefacto„ rum omnium quantumcunque occultorum præmia reposita „ apud Deum, propter quem & in quo fiunt. Verùm pau„ ci sunt spirituales hujusmodi, qui non miscere curent gra„ no purissimo charitatis, in illud seminando quædam zizania „ vanitatis..... Solicitudo pia conferentis temporalia potest, & „ debet admoneri clam aut palam per Prædicatores, aut alios „ super præmissa veritate pro directione puriori intentionis suæ. „ Suadenda quippe sunt bona cum dissuasione malorum. Nihilo„ minus observetur illud antiqui proverbii: *Ne quid nimis*: quia „ *qui nimis emungit, eliciet sanguinem.*" Tractatu *de Solicit. Ecclesiast.*

Hoc pium Gersonii responsum, si fidelibus intimaretur, & sedulò inculcaretur, proculdubio extirpandis sæpè dictis irreverentiis, quæ circa Missæ Sacrificium occassione stipendii natæ sunt committi, subserviret: si, inquam, populus doceretur, quomodo non illi ampliùs de Missæ Sacrificio participent, qui plures sibi Missas (intercurrente seu immiscente se sæpiùs aliquâ vanâ gloria) celebrari curant; sed qui majore & ardentiore in Deum devotione eleemosynas suas offerunt.

Quapropter monendus populus, quod si eleemosynas suas Ecclesiæ, aut Monasterio in Ministrorum aut Fratrum sustentationem, vel in augmentum divini cultus, aut pauperum alimoniam, sive alium pium usum offerat, absque obligatione celebrandi certum numerum Missarum, plus nonnunquam sit participaturus de Sacrificiis, quæ in Ecclesia aut Monasterio celebrantur, quàm si Religiosos aut Sacerdotes ad Missas pro se *specialiter* dicendas constringeret.

Quis non ambigat, quin *illi*, qui simpliciter & sine obligatione, Ecclesiis, aut Monasteriis sua donant, frequenter ampliùs Dei cultum & reverentiam Sacrificio Missæ debitam promoveant, quàm qui per sua oblata Sacerdotes ad quotidianum Sacrificium, nonnunquam cum periculo irreverentiæ incitant; quin & interdum causa sunt, quòd in Ecclesia non sine magno scandalo, tot otiosos & mercenarios Sacerdotes *de celebratione Missarum artem de pane lucrando facientes*, aliaque ex honorariis Missarum profluenda incommoda, conspicere debeamus.

Absit tamen, ut universam hodiernam Fidelium praxim offerendi Missarum honoraria cum obligatione, ut Sacerdotes pro se *specialiter* Missæ Sacrificium offerant, condemnem; aut credam, Sacerdotes uno Missæ Sacrificio posse satisfacere, si à pluribus vel ab uno diversa stipendia cum simili obligatione acceperunt; quinimò „ ubi pro pluribus Missis etiam „ ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia quantumcunque in„ congrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis col„ lata fuerint, aut in futurum conferentur Sacerdotibus, Ec„ clesiis, Capitulis, Monasteriis, Domibus ac piis locis tam se„ cularibus, quàm regularibus, " rectè ex judicio Sacræ Congregationis, sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit Urbanus III. in *citata Constitutione*, „ ut absolutè tot „ Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ „ præscriptæ fuerunt, ita ut alioquin ii, ad quos pertinent, suæ „ obligationi non satisfaciant; quinimò graviter peccent, & ad „ restitutionem teneantur."

Similiter idem Pontifex, *omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens*, justissimè prohibet Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam *cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandam comittat.*

Licitum proinde est Fidelibus, qui stipendia offerunt, rogare, imò & obligare Sacerdotes stipendia recipientes, ut unum plurave Sacrificia pro se *specialiter* offerantur; attamen hoc ipsis inculcandum, ut semper, quantum in ipsis est, per stipendiorum oblationem studeant promovere cultum Dei, & reverentiam ipsi Sacrificio debitam; quo futurum erit, ut pura hac intentione offerentes, non rarò ampliùs de fructu Sacrificii sint participaturi, quàm si Sacerdotes ad multa Sacrificia obligarent.

CAPUT VIII.

De simonia, et turpi quæstu in administratione Sacramenti Pœnitentiæ vitando.

PARAGRAPHUS I.

Intuitu alicujus rei temporalis Pœnitenti reconciliationem impertiri, horribilis semper judicata fuit simonia.

OLim in more positum fuit, „ Ut omnes graviorem pec„ catorum rei, impositam sibi à Presbytero satisfactio„ nem adimplere cogerentur (ait Christianus Lupus *Dissert. „ Præm. ad tom. 3. Schol. cap.* 8.) ante reconciliationem: quæ „ omnibus simul per Parochos adductis impendebatur ab Epis„ copo in V. feria Dominicæ Cœnæ. A paucis seculis desiit illa „ consuetudo. "

Vigente dictâ disciplinâ, nonnulli Sacerdotes avaritiâ excæcati, muneris intuitu Pœnitentes, tametsi minùs dignos, Episcopos reconciliandos adducere, aut testimoniales debitæ peractæ pœnitentiæ dare non verebantur: quorum avaritiam ut perniciosam atque horrendam simoniam Ecclesia per Canones suos perstringere non dubitavit.

» Nemo Presbyterorum xenium vel emolumentum quod-» libet temporale, imò spirituale detrimentum à quocunque pu-» blicè peccante accipiat (ait Alexander III. in *Cap.* 14. ✠ *de* » *Simonia*) ut Episcopo & ministris ejus peccatum illius ce-» let: nec pro respectu cujusque personæ consanguinitatis aut » familiaritatis alienis communicans peccatis hoc Episcopo inno-» tescere detrectet. Nec quemquam pœnitentem vel minus dig-» nè pœnitentem, gratia vel favore ad reconciliationem addu-» cat, & testimonium reconciliationis ferat eidem, vel quo-» cunque livore, dignè pœnitentem à reconciliatione removeat: » *quia simoniacum est utrumque.*"

Quæ eadem jam pridem Hincmarus Archiepiscopus Remensis Presbyteris proposuerat, qui & in Capitulari ad Archidiaconos, ait: » Solicitè providere, ne vos vel Presbyteri ne-» gligenter pœnitentes pro aliquo munere ad pœnitentiam ad-» ducatis, vel post reconciliationem eos negligatis, quod simo-» niacum est." Quin Riculfus Episcopus Suessionensis anno 889. Parochos monendus duxit *cap.* 9. » Videant ne Simoni Mago, » & Judæ Traditori efficiantur similes, si pro pretio pœni-» tentes ante tempus ad reconciliationem adduxerint, eis pro » reconciliatione testimonium dederint."

Si simoniacæ pravitatis rei sint, qui muneris alicujus intuitu minus dignum pœnitentem pro obtinenda reconciliatione Episcopo præsentant, quis ambigat, quin ejusdem criminis coram Deo rei constituantur, qui muneris alicujus intuitu minus dignum pœnitentem, non tantùm Episcopo reconciliandum præsentant; sed ipsam reconciliationem minùs digno impendere non verentes, potestatem solvendi & ligandi sibi à Christo datam sacrilegè vendunt. Solicitè proinde cor suum scrutari debent Confessarii, ne spe alicujus muneris sive à manu, sive ab obsequio, vel à lingua Pœnitentibus minùs dignis absolutionis Beneficium impendant, ne coram districto judice simoniacæ pravitatis rei agantur.

§. II.

Confessarii, qui munera, aut favorem aliquem à Pœnitentibus accipiunt, aut sperant, facilè potestate sibi data abutentur.

CONfessarium in sacro Pœnitentiæ tribunali partes Judicis agere nemo dubitat: ipse enim est, qui judicare debet inter lepram & lepram. Ipse est, cui data potestas peccatores ligandi & solvendi juxta leges ab ipso Supremo omnium Judice præscriptas: adeoque ipse est, cui incumbit judicare, quis à peccatorum vinculis solvendus, quis in illis retinendus veniat.

Quis verò justum expectet judicium à Judice, qui munera vel favorem à reo accipit, aut sperat?

Quid enim certius, ipsa Veritate id non semel asserente, quàm *munera excecare oculos sapientum & mutare verba justorum*? Ab excæcato verò quod sperandum judicium, nisi cæcum?

Hinc de filiis Samuelis scribit Sacer Textus: *Declinaverunt post avaritiam acceperuntque munera*, statimque subjungit, *& perverterunt judicium.* 1. Regum cap. 8. v. 3.

Nonne fuit excæcatio, quæ jam pridem falsos Prophetas induxit, ut falsum proferrent judicium, & pacem darent, quibus Dominus non dederat: » Hæc dicit Dominus Deus, ait » Ezechiel *cap.* 13. Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cu-» bitu manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad » capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vi-» vificabant animas eorum." Quæ porrò tam perversi judicii ratio?

Audi Prophetam Ezechielem *cap.* 13. *v.* 19. *&c.* » Et viola-» bant me ad populum meum, ait, *propter pugillum hordei & » fragmen panis*, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, » & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo » credenti mendaciis. «

Et apud alium Prophetam: » Principes ejus in muneribus » judicabant, & Sacerdotes ejus in *mercede docebant*, & Pro-» phetæ *ejus in pecunia divinabant*: & super Dominum re-» quiescebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio nos-» trum? Non venient super nos mala." *Michææ c.* 3. *v.* 11. *&c.*

Munerum proinde vel rerum temporalium perceptionem, aut expectationem jam olim Prophetarum judicium pervertisse, & verba mutâsset liquet. Num forsan minorem hodie vim munerum ad excæcandum oculos Sacerdotum eorumque pervertendum judicium esse credemus?

Porro Confessarius non tantum ut judex sententiam dicere tenetur; sed insuper » more periti Medici necesse, ut super-» infundat vinum & oleum (verba sunt Concilii Lateranensis) » vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circums-» tantias & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat » ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere di-» versis experimentis utendo ad salvandum ægrotum." *In Capit.* 12. ✠ *de Pœnit. & Remiss.*

Hoc ipsum spiritualis Medici officium Confessarios constringit, » ut habeant præ oculis (quemadmodum monet Tri-» dentinum) ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad » novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam » ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem." » Quis verò hæc convenientia, sed sæpè multùm dura & acerba ægrotanti medicamenta expectabit à Medico, qui munerum expectatione illectus, ægri favorem & gratiam aucupatur? Quare cùm olim dixisset Propheta: » A minore usque ad ma-» jorem *omnes avaritiæ student*: & à Propheta usque ad Sa-» cerdotem cuncti faciunt dolum," mox tanquam consequens adjungit: » & curabant contritionem filiæ populi mei cum ig-» nominia dicentes: *Pax, pax, & non erat pax.*" Jerem. 6. vers. 13.

Quod Doctoris partes attinet, quam inidoneus sit, ut illis faciat satis qui rerum temporalium affectu aut expectatione ducitur, nullus non videt. Quid enim sperandum ab illo, nisi quòd munerum spe abductus & excæcatus studebit obsequi illis, qui verbo & facto » dicunt videntibus: Nolite videre, & » aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: lo-» quimini nobis placentia, videte nobis errores?" *Isaiæ* 30. *vers.* 10.

Quomodo similes genuinam Christi doctrinam, ac laboriosam pœnitentiæ semitam pœnitentibus (præsertim seculi fastu, carnis desideriis atque divitiarum amore turgentibus) adeò odiosam & repugnantem ea qua par est sinceritate ac vigore, constantiaque proponere, atque ad ejus observantiam illos urgere audebunt? Dum vix dubitare possunt, & jam periculum imminere vident, per similis doctrinæ inculcationem & hujusmodi pœnitentiæ requisitionem animos pœnitentium, à quibus munera favoremve avidè sperant, exacerbandos, atque à se alienandos, ac per consequens spe consequendi temporalia quorum amore ducuntur, frustrandos.

Et quidnî meritò vereamur hujusmodi Directores imitaturos similis farinæ Doctores, de quibus discipulum suum Titum adeò solicitè monuit Apostolus *Cap.* 1. *v.* 11. *Qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.* Imò admodum timendum, ne habentes oculos fumo concupiscentiæ læsos ipsum lucis evangelicæ splendorem nec videre nec ferre possint. Quid enim Pharisæos impendiebat, quod Christi sermones non intelligerent, vel intelligere nollent, nisi rerum temporalium affectus: *Audiam autem*, ait S. Textus, *hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum.* Lucæ 16. vers. 14.

Ex his sat superque intelligitur, quàm periculosum sit Confesariis, à pœnitentibus munera, seu favorem, aliudve temporale accipere vel sperare. Hinc quoque consectarium, quanto periculo exponantur fideles, qui tales naciscuntur directores. Ac per consequens, quàm meritò se subtrahant à directoribus, quos vident munerum aut favoris alicujus expectatione duci.

Et quidem si intelligant nonnullos, se per fas nefasque in ipsum Confessionis tribunal ingerere, non dubium, quin meritò ipsis suspecti sint, ne in ipso pœnitentiæ tribunali aliquid commodi temporalis inspiciant. Quis enim onus tantum, quale est onus Confessariorum, jure dictum humeris Angelicis formidandum importunè ambiret, nisi commodi temporalis atrâ concupiscentia oculos obnubilatos haberet, ne oneris gravitatem videat, aut intelligat?

Quibus enim est oculus ab omni terreno affectu purus, hi non nisi necessitate cogente, & Ecclesia desiderante humeros suos tantæ moli quasi inviti supponunt, liberationem ab hujusmodi onere nunquam non exoptantes, observantes illud Augustini *Epist.* 81. ad Eudoxium Abbatem: » Si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avidâ suscipia-» tis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtem-» peretis Deo cum mansuetudine portantes eum, qui vos re-» git, qui dirigit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas.

Difficulter quoque ab omni simili suspicione eximuntur, qui annixè multitudinem affectant pœnitentium, præsertim nobilitate aut divitiarum affluentia excellentium; si quippè solam animarum conversionem præ oculis haberent, pauperes præ divitibus, ignobiles præ nobilibus in pœnitentes desiderarent: scientes, quia » non multos sapientes secundum carnem, non » multos potentes, non multos nobiles, sed quæ stulta sunt » mundi elegit Deus, ut confundat sortia: & ignobilia mun-» di & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut » ea, quæ sunt destrueret." 1. *ad Cor.* 1. v. 26.

§. III.

Multa incommoda nata sunt sequi, ex eo, quòd Sacerdotes vivere debeant ex illis, quæ à pœnitentibus offeruntur.

EX dictis præcedenti §. non difficulter intelligi potest, quanta incommoda nata sint consequi, si Sacerdotes per Pœnitentium oblata, seu eleemosynas sustentari debeant.

Pri-

Primò quidem, quis ambigat, quin facilè sententiam proferet similis judex in favorem & ad beneplacitum Pœnitententis, à cujus gratia vitæ necessaria accipere sperat? Si enim munera excæcent oculos sapientum, & pervertant judicium prudentum, an non affectus, imò & necessitas obtinendi vitæ sustentacula id efficient?

Nonne idem affectus natus erit efficere, ut solicitè plures habere pœnitentes desiderent? vereanturque, ne quos habent, & à quibus notabile vitæ subsidium accipere solent, ipsos deserant, aliumque in Confessarium assumant? Quantus inde non timendus in officio Confessarii defectus! Hinc enim quasi naturaliter atque insensibiliter fiet, ut pœnitentium offensam, indignationemque pertimescentes » non pro qualitate criminum & » pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones » injugent; « sed ex humano affectu » peccatis connivent, & » idulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera » pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum » participes efficiantur. « *Synodus Trid. Sess.* 14. *c.* 8. *de Pœnit.*

Hinc quoque non rarò contingit, ut quadam humana timiditate, non facilè eorum, quos pœnitentes ob lucrum speratum habere, atque retinere exoptant, scelera liberè redarguere audeant; multò minùs eos inducere, vel absolutionis denegatione aut suspensione etiam cogere, ut *dignos* tantis sceleribus *fructus pœnitentiæ faciant*.

Quidnî ex eodem fonte profluat, quòd nonnulli Sacerdotes, nescio, quo fucato prætextu, ægrè alios sibi adjunctos Sacerdotes patiantur pœnitentiæ tribunali præsse, qui tamen nonnunquam majori cum fructu pœnitentes dirigerent?

Hactenus dicta incommoda non tantùm timenda sunt, si à pœnitentibus singulis vicibus, quibus ad confessionem accedunt, nummum seu denarium accipiant, sed etiam, si semel aut bis in anno à pœnitentibus summam aliquam in sustentationem recipere soleant: illud tamen priori casu magis quam posteriori verendum; nimirum quòd Fideles facilè à frequentatione Sacramenti retraherentur, si quoties ad confessionem est accedendum, ex more seu consuetudine denarium offerre consueverint.

Quinimò nec prædicta incommoda sine fundamento verenda sunt, si vel ipsi Confessarii, aut eorum Communitates ex liberalibus populi eleemosynis & oblationibus vivere debeant. Spectatâ quippe humana fragilitate, quidnî fiat, ut latente humano affectu, vel sibi vel Communitati subsidia temporalia procurandi, hominum, à quibus eleemosynas sperant, favorem aut quærant, aut certè amittere timeant: quo ulteriùs contingat, ut nec justi, fortisque judicis, nec experti Medici, nec sapientis & intrepidi Doctoris partes in sacro Confessionis tribunali sustinere audeant.

Et certè quidnî ex hac infecta radice pullet, quod plures hodie inveniantur, qui licèt non verbo, saltem facto clamant illud, » quod nonnulli (referente Illustrissimo Episcopo Castoriensi) ut suas Synaxes, quàm copiosissimas reddant, pro » concione asserere non verentur, se omnes, quantumvis criminibus onustos, quantumvis in eadem crimina frequenter relapsos, quantumvis in proposito & promissione vitæ emendandæ infidos libenter suscipere! nec suscipire solùm; sed » etiam sine cunctatione à criminibus absolvere, tametsi nullos » fecerint fructus dignos pœnitentiæ, & tametsi ab illis non recessuri, sed brevî in illa iterum prolapsuri videantur. « *In Amore Pœnit. lib.* 2. *cap.* 1.

Nonne hinc quoque fieri cum fundamento credimus, quòd reperire sit Confessarios, qui » se ministros & dispensatores non » agnoscunt, verba sunt Cardinalis Bellarmini, qui, quasi non » essent Domino rationem reddituri, summâ facilitate omnibus » manus imponunt, & tam contritos, quàm non contritos; tam » plenè & perfectè confitentes, quàm peccata sua quadam con» fusâ generalitate involventes; tam satisfacere paratos, quàm » non paratos, quasi propriâ potestate & auctoritate absolvunt. » Isti suâ imperitiâ & superbiâ corrumpunt populos, & eis » veræ pœnitentiæ viam præcludunt. *Nec enim esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* « Serm. 8. *de Adventu.*

Ex his non difficulter intelligitur, quàm solicitè teneantur Episcopi aliique superiores allaborare, ut Sacerdotibus aliunde, quàm ex oblationibus pœnitentium, de honesta sustentatione succurratur.

Intelligitur quoque, necessarium esse eximium paupertatis affectum, ut quis ex voluntariis fidelium oblationibus vivere cogatur, & unà exactè partes Confessarii persolvat. Nî enim pauperem vitam ducere, illiusque vitæ molestias ferre ex animo velit, verendum erit, ne anxietas & timor incidendi in paupertatem defectu oblationum, judicium illius corrumpant, & ipsis pœnitentibus, quorum favore à paupertate sublevamen exspectat, nimiùm conniveat, & condescendat; atque ita admodum timendum, ne impleatur, quod dicit Scriptura apud Ecclesiasticum: *Propter inopiam multi deliquerunt*. Cap. 27. v. 1.

§. IV.

Summopere cavendum, ne ex pœnitentiis seu satisfactionibus injunctis, Confessarii lucrum quærant.

IN satisfactionibus injugendi, omnem prorsus quæstûs occasionem abesse debere, quisque facilè intelliget, qui attenderit, quod » debeant Sacerdotes, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere..... » atque præ oculis habere, ut satisfactio, quam imponunt, non » sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, sed etiam præteritorum » peccatorum vindictam & castigationem. « *Syn. Trid. Sess.* 14. *cap.* 8. *de Pœnit.* Quis enim prudentiam illam, atque circunspectionem in discernendis, atque imponendis satisfactionibus exspectet ab illo, qui ex ipsis peccatorum pœnitentiis lucrum sperat? Deinde quod pondus aut auctoritatem apud pœnitentem obtinebit Confessarius, qui ex ipsis peccatorum pœnitentiis quæstum facere videbitur?

Hinc Ecclesia admodum semper fuit solicita, ut si quando pœna pecuniaria, aut aliquid, unde lucrum haberi queat in satisfactionem imponi fuerit necesse aut conveniens, nihil exinde directè aut indirectè in commodum Confersarii redundaret.

Synodus Cantuariensis anni 1191. sub Huberto: *Prohibemus*, ait Can. III. *ne Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis injungant, ut Missas celebrari faciat*. Cui consonant Synodus Londinensis anni 1200. *Adjicimus*, inquit Can. IV. *ad Sacerdotum cupiditatem refrænandam, ut Missæ non injungantur in pœnitentiam his, qui non fuerint Sacerdotes*. Et in suo ad Parochos Capitulari Odo Parisiensis Episcopus: *Nullus Missas, quas injunxerit, celebret*.

Utque plura hanc in rem Conciliorum decreta omittam, solùm hîc adjungo, quid in hac materia statuerit S. Carolus *Part.* 2. *Instruct. Confess. cap.* 8.

» Ut liberior sit, ait, Confessarius in exequendo officio, quod » illi cum pœnitente est, majoreque apud eundem in auctori» tate habeatur in decernendis iis omnibus, quæ ad pœnitentis » salutem referuntur, non solùm fugiet studiosè avaritiam, sed » etiam *omnem ejus vel minimam suspicionem*. Nominatim autem » pecunias vel aliquid hujusmodi pro confessionum audientia » non petet, etiamsi occasio se præbeat: ac ne signum qui» dem vel minimum ejus ostendat; quin potiùs voce & reipsâ » declaret animum se prorsus abhorrentem à talibus habere. «

Deinde, quod præcedentibus allegatis decretis planè consentit, subjungit: » Cùm pœnitenti jubebit, ut Missæ Sacrificium » faciat uspiam peragi, *nec rectè nec obliquè* significet quasi velit » ipse celebrare, vel in sua *Ecclesia* aut *Monasterio* curare ce» lebrari. «

» Idem faciet, pergit S. Carolus, in satisfactionibus iis, » cùm pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel » pro votorum cummutatione aliquid solvere debebit. «

Tandem ut Confessarius omnem vel speciem avaritiæ subterfugiat, eum monendum censuit, » ut neque pecunias aliave, » quæ à pœnitente restituenda sunt, propriis dominis in se » provinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, ut » videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quod cùm erit » ab eo factum, curet, ut is, cui rem restituit, chirographum » suum in testimonium ei tribuat, ut illud pœnitenti consig» net, ac planè eo modo procedat, ut *omnem speciem ac sig» num avaritiæ subterfugiat*. «

CAPUT IX.

De Vitio acceptionis personarum in collatione Beneficiorum.

PARAGRAPHUS I.

Quandonam in collatione Beneficiorum committatur acceptio personarum; & quæ sit hujus vitii cum vitio Simoniæ affinitas.

BEneficia Ecclesiastica conferenda esse secundum justitiam distributivam nullus Theologus, aut Canonista negat. Rursus consentiunt Theologi pariter & Canonistæ justitiæ distributivæ opponi vitium acceptionis personarum: adeoque quòd quicumque in distributione Beneficiorum à tramite justitiæ distributivæ recedit, in vitium acceptionis personarum incidat.

» Consistit verò æqualitas distributivæ justitiæ, ait Doctor » Angelicus, in hoc, quòd diversis personis diversa distribuan» tur secundum proportionem ad dignitates personarum. « 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *in Corp.*

» Si ergo, pergit S. Thomas, aliquis consideret illam pro» prietatem personæ, propter quam id quod ei confertur, est » ei debitum, non acceptio personæ sed causæ...puta, si aliquis » promoveat aliquem ad Magistratum propter sufficientiam scien» tiæ;

» tiæ ; hic attenditur causa debita , non persona. Si autem ali- » quis consideret in eo , cui aliquid confert , non id propter » quod id , quod ei datur, esset ei proportionatum vel debitum; » sed solum hoc quod est iste homo (puta Petrus vel Martinus) » hic est acceptio personæ; quia non attribuitur ei aliquid prop- » ter aliquam causam , quæ faciat eum dignum : sed simpliciter » attribuitur. «

Itaque » in justitia distributiva (rursus verbis S. Thomæ lo- » quor *ibidem ad* 1.) considerantur conditiones personarum, » quæ faciunt ad dignitatis , vel debiti causam. Sed in accep- » tione personarum considerantur conditiones , quæ non faciunt » ad causam. «

Ex his facilè intelligi potest , toties in distributione Beneficiorum justitiam distributivam violari , & acceptionem personarum committi , quoties in illorum distributione attenditur conditio non spectans ad causam , sed ad personam. » Ad per- » sonam autem refertur quæcunque conditio , juxta S. Thomam, » non faciens ad causam , propter quam sit dignus hoc dono.“ *Ibid. in Corp.*

Non difficulter quoque intelligitur , summam inter vitium acceptionis personarum, & simoniam intercedere similitudinem. Quemadmodum enim Simoniaci in collatione Beneffiiciorum non merita personarum , sed munera considerant , ita quoque acceptores personarum , non merita personarum , sed conditiones humano carnalique suo affectui faventes attendunt.

Adhæc si mala , quæ ex vitio simoniæ consequuntur perpendantur , eadem penè ex vitio acceptionis personarum profluere facilè intelligetur.

Si enim , teste S. Gregorio *lib.* 7. *Epist.* 111. illud per simoniam agatur , „ ut nulla de actu probatio , nulla solici- » tudo de moribus , nulla sit de vita discussio , sed ille solum- » modò dignus , qui dare pretium suffecerit , æstimetur,“ nonne & per acceptionem personarum hoc agitur , ut nulla sit de actu probatio , &c. sed ille sollummodò dignus , qui amicitiâ, consanguinitate , aliâve humanâ qualitate collatori conjungitur, æstimetur?

Cujus optimè conscia Tridentina Synodus , quàm maximè potest , Episcopos monet , „ ut omnem humanum erga fra- » tres , nepotes , propinquosve affectum , *unde multorum* , in- » quit , *malorum in Ecclesia seminarium extat* , penitùs de- » ponant.“ *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform.*

§. II.

Quid in collatione Beneficiorum justitia distributiva attendi jubeat.

JUstitia distributiva est virtus , quæ in distributione rerum communium v. g. Beneficiorum , aut officiorum &c. servat æqualitatem proportionis ad qualitates personarum , *ad causam* non ad personam spectantes , ut paragrapho præcedenti latiùs expositum fuit.

Cùm igitur causa distributionis Beneficiorum sit , providere Ecclesiæ de meliori ministro, consequens est , quòd justitia distributiva requirat , ut servetur æqualitas proportionis ad qualitates personarum , ad *hanc causam* pertinentes, atque ita in hac distributione solus respectus habeatur ad conditiones illas , quæ faciunt ut meliùs Ecclesiæ de ministro provideatur.

Hinc collige primò , quòd in distributione Beneficiorum justitia distributiva exigat , ut bonum Ecclesiæ unicè præ oculis habeatur ; id est , ut Beneficiorum dispensatores æqualitatem servent proportionis , habito respectu ad qualitates , quæ ad bonum Ecclesiæ faciunt.

Collige secundò , in Beneficiorum distributione non esse attendendam qualitatem personæ etiam bonam , si illa *ad causam*, id est , ut provideatur Ecclesiæ de meliori Ministro , non pertineat. Contigit enim *aliquam conditionem personæ facere eam dignam respectu unius rei* , inquit S. Thomas , *& non respectu alterius* , 2. 2. q. 63. in Corp.

Hinc collige tertiò , quòd licèt justitia distributiva sæpè requirat , ut paupertas personæ in distributione communium eleemosynarum attendatur ; nullatenus tamen in Beneficiorum, præsertim cum cura animarum in collatione attendenda veniat: quia priori casu qualitas paupertatis facit *ad causam* , non verò posteriori. Causa quippè distributionis communium eleemosynarum , est succurrere indigentiæ personarum , è contrà causa distributionis Beneficiorum non est succurrere paupertati , seu indigentiæ eorum , qui ad Beneficia promoventur, sed Ecclesiis digniores Ministros præficere ; seu Ecclesiis, non personis providere ; quare cùm paupertas non sit conditio ad hanc causam pertinens , si in distributione Beneficiorum illa attendatur , à justitia distributiva receditur.

Quare & illi erroneam de Beneficiis Ecclesiasticis idæam concipiunt , qui in eorum distributione attendendum putant, quòd aliquis pauperes habeat parentes , quibus posset ex proventibus Beneficii succurrere ; cùm enim , ut dictum est, Beneficia Ecclesiastica non sint ordinata ad succurrendum paupertati & indigentiæ coporali , sed ut habeantur idonei Ministri Ecclesiæ ; evidens est , parentum indigentiam ad *hanc causam* , non spectare. Imò è contra ob parentum egestatem non rarò fit ut ea de causa minùs inidoneus Beneficio Ecclesiastico , præsertim Curato , censeri debeat ; notum quippe est , quàm frequenter parentum indigentia impedimento sit, ut non eâ , qua oportet , libertate & vigore , Ecclesiastici functiones suas obeant.

Pariter contingere potest , ut justitia distributiva requirat , ut in collatione certi officii Reipublicæ , quinimo etiam dignitatis Ecclesiasticæ , certa conditio seu qualitas consideretur , quæ tamen si in alterius Beneficii collatione , attenderetur , justitia distributiva læderetur ; eo quòd uno casu , & uno tempore *ad causam* spectare possit , & non altero. Unde sat apparet , quòd nî Beneficiorum collatores habeant oculos omninò mundatos , ut nihil nisi bonum Ecclesiæ aspiciant , facilè à tramite justitiæ distributivæ sint deflexuri.

§. III.

An sine violatione justitiæ distributivæ Beneficio Ecclesiastico præfici possit minùs dignus , dum dignior haberi potest.

SOlutio hujus questionis suâ sponte ex dictis profluit ; quia » si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam » dignitatem (ut notat Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. » *ad* 3.) & alius præferatur, oportet quòd hoc sit propter aliquam » causam : quæ quidem si pertineat ad negotium , quantum » ad hoc erit ille qui eligitur , magis idoneus : si verò non » pertineat ad negotium , id quod consideratur ut causa , erit » manifestè acceptio personæ;“ quia juxta ante dicta toties est acceptio personæ in distributione rerum communium , quoties distributor movetur ad distribuendum ex motivo non spectante ad causam seu negotium de quo tractatur.

Quamobrem idem Doctor alibi eandem quæstionem versans , sibi objiciens , „ quòd secundum jura sufficiat eligere » bonum , non autem requiratur quod aliquis eligat meliorem.“ Respondet , „ quod quantum ad hoc quòd electio impugna- » ri non possit in foro judiciali , sufficit eligere bonum , nec » oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset ha- » bere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis , ne- » cesse est eligere meliorem , vel simpliciter , vel in compara- » tione ad bonum commune.“

Huic Doctoris Angelici responso consentiunt , teste Fagnano , Canonistæ omnes : » Quamvis , inquit Fagnanuus , pro » validitate electionis satis sit , si dignus eligatur , & electio » de digno , omisso digniori , sustineatur ; id tamen procedit » postquam facta est electio , quæ ex omissione dignioris non » retractatur , *ut litium occasiones amputentur* ; sed ante » electionem omnia jura clamant , ut meliores , & sanctio- » res eligantur ; & ideò peccant contra justitiam distributivam, » qui ommisso digniori eligunt dignum , ut notant omnes *in* » *cap. constitutis , de Appellat.*“ Ad *cap. cum dilectus, & de Consuet. n.* 19.

Porrò cùm omnia Beneficia ecclesiastica , etiam simplicia in bonum Ecclesiæ sint disponenda , sequitur, non posse sine læsione justitiæ distributivæ conferri ullum quodcunque Beneficium minùs digno , neglecto digniore , ob causam, quæ bonum Ecclesiæ non respicit.

§. IV.

Etiam Patroni laici non possunt citra violationem justitiæ distributivæ præsentare minùs dignum, dum dignior haberi potest.

QUandoquidem certum sit , nec ab ullo Theologo aut Canonista in dubium vocetur , in distributione Beneficiorum servandam esse justitiam distributivam , evidenti consequentiâ infertur , patronos omnes seu Ecclesiasticos , seu laicos teneri præsentare ad Beneficia ecclesiastica, qui omnibus consideratis Beneficio vacanti dignior apparet.

Quis enim ambigat , quin patroni etiam laici vi juris patronûs , annumerandi sint Beneficiorum distributoribus , & eorum præsentatio vices distributionis obtineat ; atque adeò & ab ipsis in hac distributione leges justitiæ distributivæ servandas esse : ac per consequens in præsentatione sua , nullam aliam conditionem aut qulitatem attendere queant , quàm quæ faciat ad utilitatem & bonum Ecclesiæ , seu ad causam , ob quam Beneficia ecclesiastica ordinantur.

Obtinet igitur & in patrono laico id quod notavit Doctor Angelicus : » Si potest haberi aliquis magis idoneus erga ali- » quam dignitatem , & alius præferatur , oportet quòd hoc sit prop-

» propter aliquam causam ; quæ quidem si pertineat ad ne-
» gotium , quantùm ad hoc erit ille qui eligitur magis ido-
» neus , si verò non pertineat ad negotium , id quod conside-
» ratur ut causa , erit *manifestè* acceptio personæ. «

At dicet quispiam ex mente Synodi Tridentinæ videtur sufficere , ut laicus ad Beneficium , etiam Curatum , præsentet *idoneum* ; agens quippe de modo providendi Ecclesiis Parochialibus dicit *Sess.* 24. *cap.* 18. de Reform. *Quòd si juris patronatus laicorum fuerint , debet qui à Patrono præsentatus erit , ab eisdem Deputatis examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit , admitti* : videtur itaque Concilio satis esse , si præsentatus à laicis *inidoneus* non sit. Respondeo , quod eodem motivo quo Ecclesia sustinet electionem minus digni , neglecto digniori , ut nimirùm *litium occasiones amputentur , & quia aliàs omnis electio calumniam pati posset* , toleret Ecclesia præsentationem Patroni laici de minus digno ; sed sicuti ante electionem *omnia jura clamant , ut meliores & sanctiores eligantur*, ita etiam , ut meliores , & sanctiores præsententur ; & ideò *sicuti peccant contra justitiam distributivam , qui omisso digniori eligunt dignum* , ut post S. Thomam notant omnes Canonistæ , similiter peccant contra justitiam distributivam , qui omisso digniori præsentant dignum.

Nec tantùm Patronos , aut Beneficiorum Collatores , sed & permutantes , aut resignantes eâdem lege teneri ex infrà dicendis apparebit; quin & commendantes debere ut à Patronis justitia distributiva non violetur , nullus dubitare potest.

§. V.

Patroni , aliique Beneficiorum Collatores officio suo non satisfaciunt , eligendo digniorem inter illos qui se præsentant , si digniorem non se offerentem præsentare possint.

QUicunque distributioni seu provisioni Beneficiorum præest, indubiè ab Ecclesia constituitur , ut tanquam fidelis dispensator , constituat ministros *ad consummationem Sanctorum in opus ministerii , in ædificationem Corporis Christi.* Ephes. 4. v. 12.

Hinc quis non intelligit , Patronos cæterosque Beneficiorum Collatores vi sui officii & dispensationis constringi , ut pro rei gravitate studeant eligere operarios & ministros , qui spirituali ædificationi Corporis Christi , id est , Ecclesiæ , sint aptiores.

Quis enim non judicaret infidelem dispensatorem , aut œconomum Regis vel Principis , qui ædificando palatio regio negligeret præficere operarios peritiores & aptiores eo solo titulo, quia se ad laborandum non offerunt ; dum illos adhibitâ vel nullâ , vel aliquali inquisitione habere potuisset? Qua ergò ratione ab infidelitate excusabuntur Patroni , atque Collatores Beneficiorum ecclesiasticorum , qui digniores , aptioresque operarios in ædificationem spiritualis illius ædificii quærere , atque præficere negligunt? Et quidem eo gravior reputandus ille neglectus , quo ædificium spirituale materiali cuicunque pretiosissimo , amplissimoque palatio prævalet.

Profecto Collatores Beneficiorum , qui se officio suo functos credunt , si ex illis , qui sese offerunt eligant digniorem , dum alium multò digniorem , non se offerentem habere possent , modo pro momento rei diligentiam aliquam adhiberent , *tenebris obscuratum habere* videntur *intellectum* (ait Apostolus ad Ephesios *cap.* 4. *v.* 18.) propter *cæcitatem cordis eorum* , ex aliquo distorto affectu provenientem. Si enim de eligendo rerum temporalium suarum dispensatore tractaretur , non dubium , quin sedulò inquirerent ut aptiorem & convenientiorem invenirent; eumque repertum , tametsi non se præsentantem rogare , & rebus suis præficere non prætermitterent ; indicium non incertum , quod similibus magna sit de rebus temporalibus solicitudo , nulla verò aut exigua de spiritualibus , à quibus tamen plurimarum sæpiùs dependet salus animarum : *Optimi videlicet rerum æstimatores* , ut de talibus per ironiam olim dixit S. Bernardus , *qui magnam de minimis , parvam , aut nullam de maximis curam gerant* , Lib. 4. *de Consid. cap.* 6.

Patroni verò , qui Ecclesiæ bonum, tanquam veri dispensatores , & fideles illius ministri unicè præ oculis habent , clarissimè intelligunt , sibi omni studio , atque diligentia , prout rei magnitudo exigit, esse allaborandum , ut peritiores , & conventiores spirituali Ecclesiæ ædificio præponantur : quare de S. Ludovico Galliarum Rege Legitur : » Sane in Beneficiis ec-
» clesiasticis conferendis , quæ ad patronatum , sive donationem
» ipsius pertinebant , Deum , semper pro oculis habeant , &
» electis & probatis personis , quantum poterat , conferebat.
» *Quas personas eligi & inquiri faciebat per Cancellarium Pa-*
» *risiensem , & alios viros bonos.* « In Vita p. 369.

Imò tantum abest , ut Patroni , aliive Beneficiorum Collatores regulas Ecclesiæ præ oculis habentes , sufficere credant obligationi suæ satisfactum iri , si digniorem ex illis , qui se offerunt, præsentent ; ut è contra vel eo titulo , quod quis se ministerio ecclesiastico obeundo ultrò præsentet, aliis se non offerentibus, si cætera sint paria , non rarò postponendum censeant. Qui enim ad ministeria Ecclesiæ se ultroneè præsentat , eaque obtinere rogat de ambitu frequenter suspectus esse potest; ideoque vel hoc titulo suspectus , quòd honores aut commoda temporalia potiùs , quàm onera & labores in militia Christi spectet. Unde enim provenit , quòd plurimi hodie tam avidè ad dignitates ecclesiasticas se offerant , & se in illas intrudant , nisi quia onera non considerant ? Meditantibus enim honores & commoda temporalia , dignitates ecclesiasticæ blandiuntur , at pensantibus onera , horrori sunt atque formidini. Jam verò quis credat illos ritè obituros obtenta ministeria , qui ne quidem eorum onera vel officia nôrunt , aut curant ? hinc illud Bernardi ad Eugenium Papam : *Pro quo rogaris , sit suspectus ; qui ipse rogat pro se , jam judicatus est : Nec interest per se , an per alium quis rogat.* Lib. 4. *de Consid. cap.* 6.

Sed dicet forsitan quispiam , inquisitio de capacitate & sufficientia præsentati illi potiùs , qui eum admittere debet, incumbit , quàm patrono. Respondeo : licèt ipsi indubiè incumbat inquirere de capacitate & sufficientia illius , qui mediante ipsius approbatione ad Beneficium est admittendus , nihilominus & patrono incumbit , ut quàm potest , dignissimum & capacissimum præsentet : nisi enim patronus diligenti inquisitione factâ, sine ulla acceptione personarum digniorem Episcopo præsentaverit , superflua sæpenumero , si non semper , erit Episcopi cura de digniore promovendo. Cùm enim vi præsentationis ipse præsentatus habeat ut minus *jus ad rem* , eum , si modò vel capax sit, vel incapacitas probari nequeat , Episcopus hodie non facilè excludet ; tametsi alius multò dignior & capacior reperiatur. Ex quo evidens est, quòd inquisitio de majore capacitate ad Beneficium principaliter incumbat patrono præsentanti , utpotè qui in ipsa Beneficii provisione præcipuas partes obtinet ; ac per consequens , ipsius est allaborare , ut justitia distributiva in illa Beneficii provisione servetur. Nî enim à Patrono servetur , neque Episcopus eam facilè servare poterit ; quandoquidem Episcopus præsentationem *digni* , licèt præterito digniore , ob multitudinem litium, aliave timenda incommoda sæpiùs hodie admittere , sive tolerare cogetur.

Hinc quoque non difficulter intelligitur , quòd qui in Universitatibus nominant ad vacatura Beneficia , teneantur advigilare , ut non nisi dignioribus nominationes concedantur : tametsi nominati jurent , se non accepturos Beneficium Curatum , nisi prævio examine idonei reperti fuerint : hîc enim rursùs justitia distributiva in Beneficiorum distributione sæpè servari non poterit , si nominationes minus dignis concessæ fuerint. Qui enim nominatus est , jam jus aliquod ad Beneficium vacans est consecutus , quod jus ipsi eripi non solet , nisi incapax seu inidoneus ad Beneficium vacans reperiatur; adeoque si capax fuerit ad Beneficium admittetur , etiam excluso multò digniore atque capaciore. Ex quo manifestum fit, quòd malè data nominatio causa sit , ut minus dignus digniori & capaciori præferatur ; & consequenter quòd Beneficia non servatâ justitiâ distributivâ conferantur.

§. VI.

An Patroni aut Collatores possint Beneficia ecclesiastica sine acceptione personarum conferre suis consanguineis. Et quæ præcipuè in simili collatione veniant attendenda.

» SI aliquis consideret in eo , cui aliquid confert, non id prop-
» ter quod id quod ei datur , esset ei proportionatum vel
» debitum ; sed solùm hoc quod iste homo (puta , Petrus vel
» Martinus) hîc est acceptio personæ ; quia non attribuitur ei
» aliquid propter aliquam causam , quæ faciat eum dignum,
» ait S. Thomas , sed simpliciter attribuitur personæ. Ad per-
» sonam autem refertur quæcunque conditio non faciens ad cau-
» sam , propter quam sit dignus hoc dono. Puta , si aliquis pro-
» moveat aliquem ad prælationem vel magisterium , quia est
» dives , vel *quia est consanguineus suus , est acceptio personæ.* «
2. 2. q. 63. art. 1. in Corp.

Solo ergo intuitu consanguinitatis , promovere ad Beneficium , acceptio personæ est : quia consideratur conditio , quæ non facit ad *causam* ; sive ut dignior minister detur Ecclesiæ.

Verùm , quia in consanguineo Patroni , aut Collatoris etiam concurrere possunt merita , & qualitates *ad causam* spectantia, sive quæ ipsum Beneficio , seu ministerio ecclesiastico dignum reddant , ipsa consanguinitas per se spectata non obstat , quominus ipsi sine personarum acceptione collatio fieri queat ; considerando nimirùm (ut requirit justitia distributiva) solas conditiones personæ , quæ faciunt ad dignitatis , vel debiti *causam.*

Porrò duo maximè à patronis consanguineo providere volentibus attendenda.

Primùm , quod proprium judicium de meritis , ac qualitatibus consanguinei sui semper debeant habere suspectum. Cùm enim consistat æqualitas distributivæ justitiæ , ut ait S. Thomas,

in

in hoc, quòd diversis personis diversa tribuantur secundum proportionem ad dignitates personarum, necessarium est, collatorem conferre inter se qualitates consanguinei, & qualitates extranei, ut illis inter se collatis, juxta justitiam distributivam Beneficium conferat, *secundum proportionem ad qualitates personarum.* Quis verò negare, aut ambigere ausit, quin natum sit contingere, ut affectu naturali erga sibi propinquos præventi, & nonnihil excæcati, abripiantur, ut suorum industriam ac dotes magnificè, extraneorum verò tenuiter æstiment, aut etiam extenuent. Quapropter si, teste Doctore Mellifluo epist. 82. *Plerisque imò cunctis penè contingere sapientibus soleat, in rebus videlicet dubiis plus alieno se, quàm proprio credere judicio,* indubiè sapientes atque justi Beneficiorum collatores aut patroni in dijudicandis meritis consanguinei plus alieno, se, quàm proprio credent judicio; semper verentes ne carnalis in carnem, & sangninem affectus proprium judicium pervertat.

Hinc quoque planum est, quòd si unquam ad exemplum Apostolorum, patronis, aut electoribus clamandum sit: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris*, hoc casu clamandum sit: dum caro & sanguis clamant, imò quodammodo cogunt, favendum esse consanguineis, ipsorumque causa à tramite justitiæ distributivæ esse nonnihil deflectendum, aut saltem non scrupulosè illam esse attendendam.

Secundò, patronis, aut collatoribus in præsentatione consanguineorum attendendum est, ne ipsorum præsentatio in scandalum cedat pusillorum, ut post S. Thomam rectè notavit piissimus Parisiensium Cantor. Hic postquam ostendisset, quod *ædificent Sion, scilicet Ecclesiam in sanguinibus, in peccatis*, qui Beneficia non pro meritis, sed affectu carnali largiuntur, subjungit & quærit: »Sed quid si æquè honestus est, & dignus »ut extraneus? Sed & hoc periculosum est, inquit, nisi pro»bitas ejus extinguat, & excludat omnem infamiam, scanda»lum & malum exemplum, *quod de facili non fit.*« Rationem illius verissimam & notandam allegat: »Non enim exemplum »à benè gestis nostris sumitur, sed à cortice, specie, & su»perficie illorum, non à veritate. Si enim dedi nepoti meo »propter gratiam; alii meo utentur exemplo, ut dent suis »propter naturam magis, quam propter gratiam dicentes: Non»ne meis, sicut & illis suis dabo?« In *Verbo abbrev. c.* 43.

Postponendus igitur quandoque erit extraneo, consanguineus æquè dignus, imò nonnunquam dignior, propter *scandalum & malum exemplum aliorum*, qui merita atque qualitates ipsius non pernoscentes, nec rei veritatem, sed corticem duntaxat videntes, facilè hoc exemplo promovebuntur, ut *carni & sanguini* dent, quod illi gratiæ dederunt.

Non dubium tamen, quin præ cæteris, ob periculum scandali à consanguineorum suorum promotione meritò abstineant Doctores Prælati, aliique, qui à Deo constituti sunt, ut alios verbo & exemplo doceant, permoveantque, »ut omnem hu»manum erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affec»tum, undè multorum malorum in Ecclesia seminarium ex»tat, penitus deponant.« *Trid. Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform.* Nihil enim verius quàm quòd *vocis virtus sit opus. Et cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio contemnatur.* Sanctus Bernardus *epist.* 102. & *Serm.* 1. *de Pasch.*

Non tamen semper ob periculum *scandali* prætereundos esse consanguineos, sat insinuat Petrus Cantor, & ratio evincit. Dum enim periculosum asserit, consanguineum æquè dignum ad Beneficium promovere, subjungit hanc exceptionem: *Nisi probitas extinguat & excludat omnem infamiam, scandalum, & malum exemplum.* Si quippè contingat eam esse vitæ sanctitatem, eruditionem, aliasque ministro ecclesiatico necessarias qualitates, ut omnibus vel parùm attendere volentibus patere debeat, eum Beneficio vacanti admodum convenire: quis ambigat, quin hujusmodi consanguineo provideri possit, non obstante scandalo non pusillorum, sed potiùs Pharisæorum, qui cupiditati suæ velamentum quærentes ad rei veritatem nec aspicere quidem volunt; quare si hujusmodi scandalizari dicantur, responderi potest cum Christo: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Matth. *cap.* 15. *v.* 14.

Potest quoque nonnumquam contigere ex persona promoventis consanguineum, ut scandalum, si quod sit timendum, non erit datum, sed acceptum ab illo, qui *noluit intelligere ut benè ageret*; qui quærens cupiditatis & malitiæ suæ aliquid operimentum, corticem actionis attendit, non rei veritatem, quàm facilè videre posset, si vellet.

Quid enim, si ea sit personæ præsentantis in omnibus suis negotiis & actionibus ab omni carnali affectu integritas, ut omnibus attendere volentibus planum sit, quòd non secundum carnem, & sanguinem, sed secundum Deum in omnibus procedat? Certè tali casu non nisi malitiosè ac pharisaicè judicare, aut præsumere quis posset, personam illam, in promotione sui consanguinei, præter morem suum agendi ordinarium, attendisse carnem, & sanguinem; nisi manifestè ex circumstantiis pateret ipsum à via justitiæ hoc casu deflexisse; ac per consequens ob eminentem virtutem, & integritatem personæ promoventis fieri potest, ut scandalum quod aliàs esset datum, futurum sit acceptum & Pharisaicum.

Ad hæc interdum contingere potest, tantum ex promotione consanguinei comodum Ecclesiæ separari & prævideri, ut illius intuitu scandalum, quod exindè forsitan à nonnullis, alioquin sua cupiditate & carnali affectu sæpiùs excæcatis, capi posset, curari aut considerari non debeat.

Hisce similibusve casibus sepositis, admodum à consanguineorum promotione cavendum, potiusque extraneus quàm consanguineus Beneficio præficiendus; tum, ut hoc exemplo error ille sive abusus (qui hodie pro lege apud multos invaluit) in collatione Beneficiorum consanguineos extraneis, licèt dignioribus præferendi, extirpetur; tum, ne promovendo consangnineos, abusus ille magis foveatur & stabiliatur.

Ex his patescit, quantopere culpabiles sint omnes illi in dignitate ecclesiastica constituti, qui ita conferunt, aut resignant Beneficia consanguineis, ut ex qualitatibus consanguinei promoti, omnibus ad oculum pateat, quòd caro & sanguis in collatione, aut resignatione illa præcipuas partes habuerit. Certè si Veritas dicat *Matth.* 18. *v.* 6. *Qui scandalizaverit unum de pusillis illis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*; quid non timendum illis, qui, cùm constitui sint, per quos error auferatur cæterorum, scandalizant non ullum pusillum, sed quotquot ipsos ut morum magistros respiciunt, & qui doctrinam ex operibus magis, quàm ex verbis æstimantes in perniciosum errorem ipsorum facto inducuntur.

§. VII.

Unde gravitas vitii acceptionis personarum in collatione Beneficiorum desumenda sit.

»NEc sanè quantum arbitros, ait Augustinus *epist.* 54. pu»tandum est leve esse peccatum in personarum accep»tione habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illa distan»tiam sedendi, ac standi ad honores ecclesiasticos referamus. »Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ con»tempto paupere instructiore atque sanctiore?«

Constat ergo quod non leve, ex sententia Magni P. Augustini, peccatum sit acceptio personarum, si ad honores, seu dignitates vel monasteria Ecclesiæ referatur.

Porrò hujus peccati gravitas ex duobus potissimum ponderanda videtur: nimirum ex multis, gravibusque Eccclesiæ bonis, quæ per promotionem minùs digni, contempto digniore impediuntur; deindè ex malis, quæ per digniorem, non verò per minùs dignum impediri possent.

Ad bona quod attinet, omnia illa censentur impediri per acceptionem personarum, quæ in functione talis ministerii ecclesiastici dignior præ minùs digno procurâsset.

Mala verò Ecclesiæ, quæ peccatum acceptionis personarum augent, sunt ea omnia, quæ dignior postpositus præ minùs digno impedire potuisset.

Hinc facilè est intelligere, quàm enorme ac perniciosum possit esse hoc acceptionis personarum crimen.

Quid enim, si ad Episcopatum minùs dignus præ digniore eligatur? Quàm multa sæpè animarum lucra, quotque Diœcesis, imò interdum totius Ecclesiæ bona spiritualia impedientur, quæ dignior præ minus digno in sua Diœcesi procurasset, imò in reliquas nonnunquam Diœceses & Provincias diffudisset! Quàm multa rursus mala impedire, quot abusus extirpare doctrinâ & pietate eminentior potuisset, quæ alius dotibus illis destitutus, impedire aut extirpare vel non potuit, vel non voluit!

Similiter quantum ad reformationem Cleri & populi, ad extirpationem vitiorum, & virtutum omnium augmentum, ipsarumque animarum salutem promovendam nonnunquam valeat Archipresbyter, Archidiaconus, Decanus, Plebanus, Pastor, aliusve animarum Director eruditione morumque integritate excellens, præ alio qui eruditione, morumque integritate est inferior, nullus est qui non intelligat; & quotidianâ experientiâ est planissimum. Quis enim non quotidie experitur, quantum vel unus interdum in dignitate, aut notabili aliqua ecclesiastica functione constitutus, per eminentem suam scientiam, fundatissimamque pietatem, fructum in messe Dominica faciat, præ multis aliis scientiâ & eruditione inferioribus?

Quinimò non raro fit, ut etiam inferiori ministerio, aut functioni ecclesiasticæ applicatus, in pietate, atque scientia exercitatior, tum exemplo, tum oratione, tum etiam instructione, plurima bona fideli populo, præ minus exercitato sit procuraturus, aut mala impediturus; ut consequeter nec leve futurum sit peccatum in simili provisione accipere personam, id est, ex privato affectu minus dignum digniori præponere.

Divinitùs dictum est olim à sancto Hormisda, *epist.* 25. *cap.* 1. *Æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat quod me-*

meritum constituendi deceat esse Pastoris. Dico quoque *æstimet quis pretium Dominici gregis*, id est, salutem animarum, ut sciat, quam grave sit peccatum accipere personas in collatione Beneficiorum: ex quo contingit impediri, quominùs Dominico gregi ea omnia bona, quæ digniori impendere potuisset, frequenter non impendantur; aut mala per digniorem avertenda, sepiùs non avertantur.

Ex quibus concluditur, admodum esse verendum, ne quod Synodus Tridentina de concurrentibus ad promotionem Episcoporum affirmat, id coram summo animarum Pastore, gregis sui pretium in veritate æstimante, in Collatoribus quorumque Beneficiorum, præsertim tamen Curatorum, locum habeat: nimirùm » eos alienis peccatis communicantes *mortaliter* peccare, » nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambitium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint « *Sess. 24. cap. 1. de Reformat.*

Facilè quoque ex hactenus dictis est intelligere, quòd promoventes minùs dignum, neglecto digniore, non tantùm rei constituantur gravis delicti; sed etiam ipsi Ecclesiæ, cujus in distributione Beneficiorum constituti sunt ministri, ob infidelem dispensationem teneantur ad restitutionem bonorum, præcipuè spiritualium, quæ per promotionem dignissimi (quam Ecclesiæ ut fideles ministri debebant) procurata fuissent: adeoque Patronibus ac Collatoribus, qui hac in parte infideles fuerunt, incumbat, quantum in ipsis est, bona spiritualia illi Ecclesiæ, cui minus dignum ministrum dando, illa quasi abstulerunt, omni meliori modo procurare; atque ita justitiæ violatæ satisfacere.

§. VIII.

Quid Patroni, & Collatores ante collationem attendere, & agere debeant.

POsito hoc certissimo principio, Beneficia ecclesiastica instituta atque ordinata esse in utilitatem Ecclesiæ, conformiter ad illud Adriani VI. aureum effatum: *Volo homines dare Beneficiis, non Beneficia hominibus*; posito, inquam, hoc principio non difficulter intelligitur, quid Patronis ac Collatoribus Beneficiorum considerandum, agendumque veniat.

Primò quidem, ut se existiment dispensatores Beneficiorum non in propriam Ecclesiæ utilitatem.

Hinc secundò intelligant, quòd in collatione, aut presentatione non lucrum aut favorem humanum, aliudve in proprium commodum redundans respicere possint; sed unicè utilitatem Ecclesiæ intueri debeant.

Ex quo ulteriùs sequitur, quòd illas solas qualitates in provendis ad Beneficia attendere queant, quæ Ecclesiæ utilitati subserviunt.

Tertiò, ut tanquam fideles dispensatores satagant, quantum in ipsis est, Ecclesiæ optimos & meliores ministros dare: quapropter studeant cognoscere spiritum, doctrinam, atque morum integritatem illorum, qui Beneficio vacanti præfici possent. Ut studiosè inquirant, quinam inter Ecclesiasticos virtute & scientiâ emineant, qui exemplo suo populum ædificent, quorum vitæ probitati fama publica, & meliores testimonium perhibeant, qui dignitates non quærant, ac propterea magis quæri mereantur. Quia » sicuti iis, qui ad id dignitatis electi ab » aliis fuerint, non satis est defensionem hanc afferre: voluntarius ipse ad hujusmodi munus administrationem non accessi... » sic neque eos, qui elegerint, sublevare quidquam poterit, si » dixerint ignorâsse se eum quem elegêre. Verùm vel hoc ipso » crimen gravius efficitur, quòd quem ignoravêre, produxerint: » ac certè quæ illis videtur excusatio, accusationem auget. Nam » qui id absurdum non sit, eos qui mancipium, quod emptu- » riunt, id tum medicis ostendere, tum emptionis sponsores » postulare; tum vicinos interrogare ac ne tum quidem adhuc » confidere, quinimò & diuturnum aliquod tempus poscere, » intra quod probare illud possint: eos verò, qui quempiam » ad Episcopale munus hujusmodi cooptaturi sunt, sicuti placitum sit ad aliorum vel gratiam, vel invidiam testimonium » suum accommodare, ita eum merè, atque ut casus tulit adlegere, nullâ prorsus aliâ discussione factâ?... Proinde illum » oportet, qui aliquem electurus sit, rem diligenter admodum » expendere; sed multò etiam diligentiùs eum qui eligendus » proponitur. « Hæc Chrysost. *lib. de Sacerd. cap.* 2.

Quartò, necessarium est, ut omnem humanum erga consanguineos familiaresve affectum penitùs deponant. Si enim hoc affectu Patronos sive Collatores Beneficiorum laborare contigerit, de facili favore consanguineorum vel excæcati, vel propensi justitiam distributivam offendent.

Quintò, ut Patroni Collatoresque ad præscriptum justitiæ distributivæ Beneficia dispensent, requiritur, ut se adversus hominum mundanoruum (qui in dignitatibus ecclesiasticis non nisi lucra & honores seculi respiciunt) preces, solicitationes, humanasque eorum ratiocinationes, quin & terrores specialiter muniant, ac præparent: ne aliàs hisce frangantur, & à tramite justitiæ cum summo suo discrimine avertantur. Si enim contingat, ut id cujus est eligere, » quempiam sive amicum, sive » alterius cujuslibet occasionis gratiâ, indignum ad Episcopatus » promoveat apicem, & magnum illi permittat regimen civi- » tatis, quantis se ignibus facit obnoxium? Neque enim ani- » marum pereuntium solùm, quas perdit à religione, & timore » Dei alienus, verum & omnium, quæ ob illo geruntur, ipse » pœnas exsolvet: Nam qui in Ordine privato parùm Religio- » sus erat, multo profectò magis id patietur, cum Ecclesiæ » gubernacula regenda susceperit. « S. Chrysostomus *Homil.* 1. *in Epist. ad Titum.*

Verùm ad hæc omnia quis sat idoneus, nisi ei fuerit datum desuper? Quamobrem nihil magis necessarium his quibus incumbit Ecclesiæ ministros constituere, & eligere, quàm ad Patrem luminum, & spiritum fortitudinis, instanter recurrere: ut ille & illuminando intellectum ostendat, quis utilior Ecclesiæ Minister eligendus; & voluntati robur tribuat, quo adversus humanas tentationes firma permaneat.

Legimus in Act. Apostol. *cap.* 1. *v.* 23. quòd præsentatis duobus, *Joseph, qui vocabatur* Barsabas, *qui cognominatus est* Justus, *& Matthias*, ut unus eorum ad Apostolatum eligeretur, ad hanc electionem properare Apostoli non præsumpserint, sed ad Deum confugerint, ut ipse ostenderet, quem ex duobus ad hoc ministerium elegisset; & orantes dixerunt, ait sacer Textus, Act. cap. 1. v. 24. *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum.* » Si igitur Apostoli » ipsi (inquit magnus ille Archiepisc. Bartholomæus de Martyribus ad Patres Concilii Tridentini) electioni illi faciendæ sese » impares judicaverint; & si Clerus universus pro more veteri » cum populo congregatus, id demum se ritè peracturum credi- » derit, si jejuniis, publicisque orationibus cœleste lumen » opemque divinam sibi accersissent, non horrebunt Reges » (idem die de cæteris collatoribus) eum per se ipsos delectum » habere? « *In ejus vita Gallicè conscripta, lib. 2. cap.* 12.

§. IX.

Corollaria nonnulla ex his, quæ hoc capite dicta sunt.

DIcta hoc capite sat superque evincunt, à patronis, & collatoribus Beneficiorum, unicè in præsentatione, aut electione attendendum esse bonum Ecclesiæ, cui Ministri sunt constituendi.

Ex quo consectarium est, quòd nonnunquam contingere queat, ut quis, postulante id bono Ecclesiæ, minus dignum, neglecto digniore, eligere debeat. Quid enim si inter eligibiles, unus meritis esset infimus, alter medius, tertius verò supremus? Non dubium, quin bonum Ecclesiæ requirat, ut neglecto supremo digniore eligatur medius, si hac electione primus meritis infimus excluderetur, non excludendus, si eligeretur tertius meritis supremus. Neque enim simili casu dignior negligitur, nisi ut meritis inferior excludatur, & capacior, qui haberi potest, promoveatur.

Unde si quis suâ electione minùs dignum cum effectu excludere non posset, omnium dignissimum eligere deberet; etsi sciret hunc cum effectu non esse promovendum. Quin & aptiori casu, nonnunquam ad evitandum scandalum, palam edicere tenetur, se tertium omnium capacissimum, non nisi cogente necessitate, scilicet excludendi minùs dignum, præterire.

Secundò hactenus dicta ostendunt, non satis æstimare pretium Dominici gregis, & animarum Christi sanguine redemptarum; qui in constituendis Ecclesiæ Ministris vel perfunctoriè, vel ex affectu carnali procedentes, indignos aut minùs dignos promovere non verentur.

Tertiò ex dictis hoc capite facilè intelligitur, Juspatronatûs, aut electionis ad dignitates Ecclesiasticas, non esse reputandum ut aliquod beneficium, sed ut summum onus humeris patronorum, atque electorum impositum.

Hinc ulteriùs colligitur, ordinariè falsam de juribus istis habere ideam, qui illa tantoperè appetunt, atque pro illis tanquam pro aris & focis decertant, quin & lites super illis movent Episcopis, quibus jure quodammodo naturali competit Ministros inferiores, sibi in gregis Dominici cooperarios constituere: juxta quod ipsos in persona Titi monuit Apostolus dicens: *Constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ad Tit. 1. *v.* 5.

Denique, qui obligationem patronorum, electorumque juxta antedicta expenderit, non mirabitur, si plures hoc onus exhorruerint, & a se abjicere studuerint.

De Valentiniano Imperatore scribit Theodoretus *lib.* 5. *Hist. cap* 6. quòd cùm Concilium Episcoporum Mediolani pro electione novi Episcopi congregatum contendisset ab Imperatore: » ut ipse, utpote sapientiæ & pietatis insignibus præclarè » exornatus, Episcopum deligeret; memorandum hoc respon- » sum dederit: Major est hæc Provincia, quàm quæ viribus

nos-

» nostris sustineri queat. Proindè vos divina repleti gratia, & » illius splendore illuminati, multò melius hoc Episcopi deli- » gendi negotium transigetis. «

Quomodo S. Ludovicus Bullas Pontificias, quibus ipsi nominatio ad Episcopatus deferebatur, rejecerit; ratus sat multum oneris humeris suis incumbere, tametsi de Episcoporum provisione rationem reddere non deberet, notum est.

Intelligebat indubiè & hoc onus Catharina Regina Portugalliæ, de qua hoc verè virile dictum refertur: » quod optaret, » ut durante suo regimine Prælati Portugalliæ essent immorta- » les: quo fieret, ut nullum ad Episcopatum promovere tene- » retur: dicens sibi plusquàm satis esse, si pro se ipsa & toto » suo Regno deberet respondere, licèt se responsalem non cons- » tituere pro salute animarum. « Vide *Vitam Barthol. de Martyribus loco citato.*

Sed quid mirum, si Reges, aut Principes, aliive fideles laici onus illud reformidarint, cum & ipse Gregorius M. Summus Pontifex, adeò lumine charitatis, & cœlestis sapientiæ illustratus, interrogatus à Clero Mediolanensi de persona in Episcopum eligenda *lib. 7. Epist.* 29. responderit, se quidem contra personam illam nihil reponendum habere, » verumtamen quia » antiquæ meæ deliberationis intentio est, inquit, ad *suscipienda* » *pastoralis curæ onera pro nullius unquam misceri persona,* » *orationibus prosequor electionem vestram*, ut Omnipotens » Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper est præscius, » talem vobis Pastorem præbeat, in cujus lingua & moribus ex- » hortationis divinæ pascua valeatis invenire; in cujus mente & » humilitas cum certitudine fulgeat, severitas cum pietate; qui » vobis viam vitæ non solum legendo vel loquendo, sed etiam » vivendo, possit ostendere; quatenus exemplo illius discat » vestra dilectio ad æternæ patriæ desiderium suspirare. «

Utinam hanc sanctissimi Pontificis humilem deliberationem ritè expenderent plures Ecclesiastici & laici, qui, quantumvis longissimè à capacitate S. Gregorii in discernendis conditionibus personarum, quæ ad functiones Ecclesiasticas obeundas exiguntur, distent, avidè tamen promotioni personarum ad Ecclesiasticas dignitates se immiscent.

CAPUT X.

De Obligatione dimittendi Beneficium simoniace obtentum, et dispensatione retinendi Beneficium taliter acquisitum.

PARAGRAPHUS I.

Justissimè Ecclesia privat Clericos Beneficiis, quæ per simoniam obtinuerunt.

CONveniens admodum esse, ut quis ministerium Ecclesiæ deserat, in quod per simoniam se intrusit, plura ostendunt.

Primò quidem, quid convenientius esse potest Sacerdoti simoniaco, quàm ut Sacerdotii muneribus abstineat, qui Sacerdotium turpissimè commaculavit, & ad summam vilitatem depressit.

Secundò, quid justius, quàm ut ab ovili Christi repellatur, qui non ut Pastor, sed ut fur in illud intravit? Qui enim, teste ipsa Veritate, Joan. 10. v. 1. *non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* » Nullus » verò in Ecclesia Prælatus, ait Gregorius VII. *in Concil Rom. I.* » *cap.* 10. per ostium, hoc est, per ipsum Dominum, ad Pas- » toralem curam intravit, qui per avaritiam, id est, idolorum » servitutem, ad hoc officium pervenit. Non est ergo indig- » num hujusmodi mercatorem sive mercenarium sub nomine » furis infamari, cujus furtivam irreptionem non expavit » imitari. «

Tertiò, si nullus ad Christi ministerium admittendus sit, nisi qui à Christo *vocatur tanquam Aaron*, meritò ab illo amovetur, qui non à Deo tanquam Aaron vocatus in illud intravit; sed propria cupiditate & avaritia impellente seipsum intrudere præsumpsit.

His, aliisque de causis Ecclesia à sacris suis minesteriis nunquam non tanquam indignos, & intrusos amovendos censuit, qui simoniacè in illa involâssent.

» Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, » ait magna Synodus Calchedonensis *Can. II.* & non venalem » gratiam in venditionem deduxerit, & propter pecunias ordi- » naverit Episcopum, vel Choriepiscopum, vel Presbyterum, » vel Diaconum, vel aliquem eorum, qui in Clero annumeran- » tur, vel propter pecunias promoverit œconomum, vel de- » fensorem, vel paramonarium (g), vel omninò aliquem ex ca- » none, turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse convictus fue- » rit, de proprio gradu in periculum veniat, & qui est ordina- » tus, ex ordinatione vel promotione (quæ instar mercatorum » venundatur) nihil juvetur: sed sit à dignitate vel curatione » alienus, quam pecuniis adeptus est. «

Eos, qui per pecunias ordinati sunt, inquit Sinod. VI. in Trullo, sive Episcopi, sive quicumque Clerici, non » secun- » dum probationem & vitæ optionem, *deponi* præcipimus, sed » & eos, qui eos ordinâsse nocuntur. « *Can. XXII.*

Et Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola lecta & probata in Synodo Nicæna II. *Sess.* 8. intrepidè pronuntiat: » Omnis Episcopus vel Presbyter, aut Diaconus convic- » tus, quod pro muneribus ordinationem dederit vel acceperit, » *à Sacerdotio cadit.* «

Sed quid plura; cùm infinita propemodum sint Pontificum atque Synodorum decreta, quæ Sacerdotio privant, qui illa profano mercatu usurpare non erubuerunt.

Prædictos verò Canones & decreta, tametsi solum de simoniacis Ordinationibus loqui videantur, Beneficiorum tamen similes collationes & invasiones comprehendere intelligi potest ex illis, quæ suprà *cap.* 1. §. 2. notata fuerunt.

Quapropter & Alexander II. relatum Canonem II. Synodi Calchedonensis non de sola S. Ordinis, sed & Beneficii emptione loqui non dubitavit: » Si aliquis divinorum præceptorum » animarum salutis immemor, inquit *Epist. ad Cler. & popul.* » *Lucensem*, Beneficium Ecclesiæ iniqua cupiditate ductus, » vendere vel emere temerario ausu præsumpserit, sicut *in* » *Calchedonensi Concilio definitum est*, gradus sui periculo eum » subjacere decernimus, nec ministrare possit Ecclesiæ, quam » pecunia venalem fieri concupivit. «

Similiter Calixtus II. qui vixit, postquam S. Ordinis collatio à Beneficii collatione esset sejuncta, utrumque conjungit: » Si quis, ait, in Ecclesia ordinationem vel *promotionem* per » peccuniam acquisierit, acquisitâ prorsus careat dignitate. « *Apud Grat.* 1. *q.* 1. *Can. Sanctorum.*

Plurima similia tum Conciliorum tum Pontificum recentiora decreta, quibus simoniaca Beneficiorum impetratio & nulla atque invalida declaratur, passim in Corpore Canonico occurrunt: & inter alia videri possunt *Cap.* 26. & 27. ✠ *de Simon.* etiam *Extr. Cum detestabile de Sim. in Communib.*

§. II.

Etiam illi dimittere tenentur Beneficium, qui illud per simoniam, quantumvis ipsis ignorantibus commissam, obtinuerunt.

UT Dominico gregi sive familiæ Christi non præficiantur, nisi quos Christum in regimen familiæ suæ misisse, & in Ministros suos elegisse constat, justissimum esse nunquam non dubitavit Ecclesia: quapropter nec unquam dubitavit, illos à Sacris ministeriis rejicere, quos sciret non per ostium, id est, Christum in ovile ovium intrâsse, sed aliunde ascendisse.

Porrò certum est, quòd etiam illi, qui parentum, aut amicorum intervenientibus muneribus in ovile ovium, sive Ecclesiam intrant, non per Christum intrent, sed aliunde, scilicet per munera ascendant, nec tanquam Aaron à Deo vocati sint, sed parentum potius cupiditate intrusi, quare & tales *à Sacris Ordinibus deponendos esse Sacri Canones testantur*, ait Urbanus II. *Can. præsentium, Caus.* 1. *q.* 5.

Unde cùm amici cujusdam Clerici de cujus electione agebatur, uni vel omnibus eligentium promisissent se pecuniam solvturos, *eo tamen ignorante*, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus: consultus Cœlestinus III. respondit, » quòd nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per » fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitio- » sè egisse, quamvis *ipse promissionis conscius non sit*, ejus ta- » men electio tanquam simoniacâ pravitate præsumpta, est *pe-* » *nitùs* reprobanda. « *Cap.* 27. ✠ *de Simonia.*

Patet ergo Ecclesiam non probare, imò improbare introitum ad munia Ecclesiastica non per ostium, id est, Christum, sed per parentum munera; unde cùm quidam per parentum simoniam adhuc puer ad præbendam esset promotus, qui postea ad annos discretionis deductus, præbendæ renuntiarat, eamque postmodum per novam electionem denuò obtinuisset, interrogatus Clemens III. *Cap.* 6. ✠ *de Simonia*, respondit: » Indulgentiâ, quam fratres tui *Canonici* tibi fecisse noscun- » tur, contentus existas, ratione *primæ* receptionis *nihil* audeas » in ipsa Ecclesia vindicare." Primam igitur electionem supponit Pontifex juxta SS. Canones fuisse nullam, ideoque declarat illum

(g) *Gratianus* 1. *quæst.* 1. *can.* 1. *pro* Paramonarium *legit* Mansionarium, *& quædam editiones Dionysii & Isidori legunt. Quidquid sit, clarius est ex textu*, Paramonarium *vel* Mansionarium *hic significare aliquem rerum ecclesiasticarum Administratorem*: *quod & confirmat L.* 42. C. de Episcop. & Cler. *ubi* Paramonarii *inter Xenodochos & alios, qui habent aliquam administrationem, recensetur.*

lum tanquam *ultimum Canonicum postremum locum in choro, & aliis obtinere.*

Huic planè consonat, quod de Malguino Nivernensi Episcopo in actis diei tertiæ Concilii Remensis ann. 1049. sub Leone IX. refertur: » Niverniensis Episcopus surgens, ajunt Acta, » pro Episcopo plurimum pecuniæ confessus est à parentibus datum fuisse, *sed tamen ignorante*... ideoque, si Domino Papæ & præsenti Conventui dignum videretur, idem officium » velle dimittere potiùs, quàm in ejus retentione animam suam » pessumdare. Quæ ibi dixit, pastorale pedum ante pedes ipsius Apostolici possuit: Ille verò tanti viri flexus devotione » favente Synodo, eundem quod *absque suo consensu* eadem » pecunia data fuerit Sacramento comprobare fecit: sicque illi » per *aliud pedum* ministerium Episcopale reddidit. «

Manifestum proinde est, quod Ecclesia pro nullo habeat introitum illum in ministeria Ecclesiastica, qui non per ostium, sive Christum, sed per munera amicorum obtinetur, nec illos, ut Christi ministros agnoscat, nisi postmodum denuò per legitimam vocationem, id est, per ostium seu Christum intrent.

Quod ipsum & hodierna Romanorum Pontificum praxis docet, quia ubi Simonia, ignorante provisso, commissa reperitur, si causâ postulante dispensetur, Beneficium sic obtentum ad manus Ordinarii est dimittendum, ac demum *nova* collatio ab Ordinario obtinenda; juxta hanc clausulam litteris dispensationis adjungi solitam: » Et committatur Ordinario, in cujus manibus, antequam ad absolutionem & *novam* provisionem procedat, dictum Beneficium dimittere teneatur. «

§. III.

Qui per Simoniam in Beneficia aut sacros ordines se intruxerunt ne quidem post actam pœnitentiam ad illa redire possunt.

SI juxta sacrorum Canonum pristinam censuram Clericus in grave aliquod crimen, præsertim carnis prolapsus in perpetuum à Sacris Ecclesiæ functionibus repellatur (ut in *Dissert. de Instit. Canonic. part. 2. cap. 2.* ostendimus) quid congruentius quàm ut Clericus à Sacerdotii muneribus abstineat, qui ipsum Sacerdotium fœdissime conspurcavit, & ad rerum temporalium vilitatem per simoniam depressit? Adhæc quid justius, quam eum à Sacerdotio Christi perpetuò esse exclusum, qui illud per avaritiam, & ambitionem concupivit, quinimo in illud *tanquam fur & latro aliunde*, quam per Christum intrare præsumpsit?

Mirum proindè non est, quòd sacri Canones Simoniacos, non ad tempus duntaxat à functionibus suspendant, sed in perpetuum iisdem privent, & ab illis deponant.

Hinc requirentibus Episcopis Britanniæ, » de his qui turpissimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimescunt, & sua acta improbâ temeritate Simonis hæresi con» jungunt, utrum possint in *Ordine pœnitentiam agere, aut tantum modo extra Ordinem & Sacerdotalem fieri gradum*, « » respondit Leo IV. *Epist. 2.* „ Quibus nos quidem convictis, » qui tam detestabile nefas, quod jam multis est damnatum Con» ciliis, peregisse noscuntur, nullâ pœnitentiâ possumus sub» venire, & tot spiritualibus Patribus obviare; sed in illorum » Patrum mea sententia convenire omnibus certum sit. «

Hunc Canonum justissimum adversus Simoniacos rigorem clarius expressit S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistolam ad Joannem Presbyterum lecta in Synodo VII. Actione 8. in qua scribit: » Omnis Episcopus vel Presbyter, aut » Diaconus convictus, quod per pecunias manûs impositionem » dederit vel acceperit à Sacerdotio decidit. Fortassis autem di» cunt aliqui, quia *pœnitentiam agimus pro peccato*, & Deus ig» noscit illud. Ita & ego dico, quia & agentes pœnitentiam » Deus suscipit, & indulget per pœnitentiam peccata, quæ jam » patrata sunt. Novi enim David adulterio depressum & homi» cidio, sed actâ pœnitentiâ receptum, & divino testimonio » approbatum, sed iterum audisse illud à Deo: *Non tu ædi» ficabis mihi domum, quia vir sanguinum est*.... Novi & Mo» nachos aliquot, cùm in mundo essent, omni libidine conspur» catos; cum autem solitariè viverent, tanquam faces in or» dine resplenduisse; *Nullum tamen ex his in Sacerdotem or» dinatum.* Quod si autem id semel atque iterum factum est, » non tamen confestim legem in Ecclesia præscripsit. Quorsum » verò hæc dico? pergit Tarasius, sequens sanctos Apostolos & » venerabiles Patres cum omni fiducia clamo: qui per simoniam » ordinatus est, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaco» nus, *alienus est à Sacerdotio*: neque enim venalis est gra» tia Spiritus Sancti. Caiphæ traditio & adinventio Simonis, à » sancto Sacerdotio est aliena. « Vide Gratianum *causâ 1. quæst. 7. Can. 2.*

Nulla igitur acta pœnitentia sufficit, ut Clerici sacris Ordinibus aut ministeriis, in quæ per simoniam se intruserunt, contra sacrorum Canonum rigorem se immisceant.

Et quorsum necessitas dispensationis, ut Clerici ad Beneficia simoniacè obtenta redire valeant, nisi quia sacri Canones eos in perpetuum ab illis excludunt?

§. IV.

Ostenditur, quàm ægrè Ecclesia à sacris Canonibus contra simoniacos editos recedat, & quæ in dispensatione attendenda.

TAnta erat vitii simoniæ seculo IX. inundatio, tantaque Simoniacorum aut à Simoniacis ordinatorum multitudo, ut ea propter, cùm Leo IX. » omnes Simoniacorum Ordinatio» nis Synodalis vigoris auctoritate cassâsset, protinùs ait B. Pe» trus Damiani, à Romanorum sacerdotum multitudine *mag» næ seditionis tumultus exortus sit*: ita ut non solum ab ip» sis, sed à plerisque diceretur Episcopis, *Omnes penè Ba» silicas Sacerdotalibus officiis destituendas, & præcipuè Mis» sarum solemnia* ad subversionem Christianæ Religionis, & » desperationem omnium circumquaque Fidelium funditùs om» mittenda.

Hac miserâ temporum conditione occurrente, certè Ecclesiæ Prælatis vitio verti non poterat, si aliquid Canonum severitati detrahendum crederent; » ubi enim multorum strages » jacet, inquit *August. epist.* 50. detrahendum est aliquid se» veritati, ut majoris malis sanandis charitas sincera subveniat. «

Temporum igitur necessitate cogente aliquid remittendum censuerunt, verùm ita moderatè, tantaque circumspectione, ut vel ipsa moderatio seu relaxatio ostendat, quantoperè Ecclesia Simoniacorum ad sacras functiones admissiones aversetur, & ægrè eas tolerandas censeat.

Relaxationem ab Urbano II. in Concilio Romano *ann.* 1099. datam, seu potiùs necessitate Ecclesiæ extortam attendamus.

» In primis ea, quæ à Sanctis Patribus de Simoniacis statu» ta sunt, nos quoque, inquit, Spiritus S. judicio, & Apos» tolicâ auctoritate firmamus. «

His ad cautelam, & pro SS. Canonum reverentia præmisis, moderationem Canonum subjungit: » Quicunque sanè cupiditate parentum, cùm adhuc *essent parvuli*, Ecclesias vel » Ecclesiarum Beneficia per pecunias adepti sunt: postquam *eas » omninò dimiserunt*, si *canonicè* in iis vivere voluerint, *pro » magna misericordia* ibidem eos esse concedimus.

» Illi verò, qui per se ipsos, cùm jam majoris essent ætatis, » nefandâ cupiditate ducti eas emerunt, si in *aliis* Ecclesiis *ca» nonicè* vivere voluerint, servatis propriis ordinibus *pro magna » misericordia* ibi eos ministrare permitimus. Quod si ad alias » fortassè transferri *non potuerint*, & in eisdem *canonicè* vive» re promiserint, *minoribus ordinibus contenti* ad Sacros Ordi» nes non accedant. «

Ecce, quanta in hac relaxatione moderatio, & prudentia! Qui enim, cùm *adhuc parvuli essent*, cupiditate parentum Beneficia per pecunias adepti sunt, tolerantur pro *magna misericordia*, modo ea ante omnino dimittant, & in iisdem Ecclesiis *canonicè*, id est, regulariter, seu vitam communem Canonicorum (quæ parum admodum ab hodierna Canonicorum Regularium professione, & vivendi norma distabat) juxta temporis illius phrasim, vivere voluerint.

Eos verò, qui cùm majoris essent ætatis, nefandâ cupiditate ducti Ecclesias emerunt, si ad *alias Ecclesias* translati in iis *canonicè* vivere voluerint, servatis propriis ordinibus *pro magna misericordia* ibi ministrare permittit. Si verò ad alias fortassè transferri non potuerint, & in iisdem *canonicè* vivere promisserint, minoribus Ordinibus contentos esse jubet, nec ad Sacros Ordines ascendere permittit.

Et quibus apparet, quod obtentum simoniacè Beneficium *pro magna misericordia* retineri solummodo permittat, si *canonicè* vivere promiserint, atque ita per vitam religiosam (cui vita communis Canonicorum æquivalebat) purgaretur, si quid in adeptione Ecclesiæ contra sacros Canones admissum fuisset.

Verùm ne vel tantilla Canonum relaxatio, tot conditionibus moderata, & necessitate Ecclesiæ quodammodo exorta in legem assumeretur, subjungendum credidit Pontifex: » Quamvis autem *misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente*, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus, » *nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus*; sed » obtineant proprium robur, & cessante necessitate illud quo» que cesset, quod factum est pro necessitate. «

Urbanum II. præiverat Nicolaus II. qui eadem necessitate adigente similem moderationem permittere debuerat. » Tanta » quippe Simoniacorum, ait, multitudo est, ut dum rigorem » canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse » sit, ut dispensatorie ad piæ condescensionis studium nostros » animos ad præsens inclinemus. « Verùm ne & ejus justa moderatio pro lege assumeretur, notandam hanc & salutarem adjungit clausulam: » Ita tamen auctoritate Sactorum Apostolo» rum Petri & Pauli omnimodis interdicimus, ne, aliquando » aliquis Successorum nostrorum ex hac nostra permissione *re» gulam sibi vel alicui assumat*, vel præfigat, quia hoc non

» auctoritas antiquorum Patrum jubendo, aut concedendo pro-» mulgavit, sed *temporis nimia necessitas* permittendum à no-» bis extorsit. « *In Decreto contra Simon. anno* 1029.

Verùm necessitatis à multis seculis, ait *Thomassin. de Discipl. Eccles. p. 4. lib. 2. cap. 17. num. 9.* » cessâsse videtur, » nec tamen dispensandi cessavit facilitas. Non enim Simo-» niacis dispensatio negatur. Nec ab ipsis exigitur, ut in rea-» tûs sui pœnitentiam vitam *Canonicam*, sive Regularem, ad-» instar Canonicorum Regularium agant. Hæc est misera re-» rum humanarum conditio; ralaxationes, quæ necessitate adi-» gente pro tempore tolerantur, in consuetudinem præscrip-» tam abeunt; quia de facili in oblivionem veniunt conditio-» nes, & limites, quibus relaxatio primitùs fuerat circums-» cripta. «

De hac nimia erga Simoniacos indulgentia, tanquam de summo, & pernicioso abusu, apud Paulum II. querebatur Concilium delectorum Prælatorum, quod Synodo Tridentinæ in notandis abusibus reformandis non infeliciter prælusit. » Abusus » alius, inquit, in absolutione Simoniaci, pro dolor, quantum » in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium! adeò ut quidam » non vereantur simoniam committere: deinde confestim pe-» tunt absolutionem à pœna, imò eam emunt; sicque retinent » Beneficium, quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam » non posse pœnam illam, quæ de jure positivo constituta est, » eis condonare; sed quod nullo pacto debeat, ut tanto sce-» leri resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scanda-» losum. «

Profectò, quàm gravis urgensque ratio subesse debeat, ut quis Ecclesiam, seu Beneficium retineat, seu potiùs de novo obtineat, in quod per simonia, præsertim ipso sciente vel cooperante commisam intravit, non difficulter intelligit, qui novit, nullum ad sacrum Ecclesiæ ministerium, nisi à Deo vocatus sit, esse admittendum. Quis verò non videat, summa, multaque vocationis indicia requiri in illo, qui jam Deo non vocante in sacrum Ecclesiæ ministerium se intrudere non erubuit; qui juxta sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius Ecclesiæ reverentia roboratos, à sacris functionibus in perpetuum debet esse alienus? Quis, quæso, non manifesta, & extraordinaria vocationis signa requirat ut contra divinitùs statutas regulas ad Christi ministerium admittatur?

Adhæc, cùm nullus vel ambitiosus, aut avarus, imò de vitiis illis suspectus, Sacerdotio sit aptus; tantus indubiè ad dispensationem meritorum fulgor, & odor bonæ vitæ exigendus, ut is omnem, quam ex simoniaco ad Beneficium introitu contraxit, ambitionis, aut avaritiæ notam abstergat.

Ex hoc non malè deducitur, quòd si ipse, qui per simoniam Sacerdotium maculavit, turpissimeque depressit, dispensationem petat, etiam hac sua postulatione se ordinariè indignum dispensatione ostendant; quis enim illum in corde contrito & humiliato de sua pravitate dolere & pœnitere credat, qui audet Sacerdotium, quod per superbiam vel avaritiam ambivit, & sacrilegè usurpavit, rursum postulare? Certè non illud humilitatis, sed potius magnæ superbiæ, & præsumptionis frequenter signum esse potest.

Adæc, in dispensatione super retentione Beneficiorum quæ per simoniam obtenta sunt, specialiter attendendum venit scandalum, quod ex simili dispensatione meritò timetur. Cùm enim semel persuasum est, Beneficia per simoniam impetrata, mediante dispensatione securè posse retinere, eamque non difficulter impetrari intelligitur; illi, quos timor magis, quàm justitia à vitiis retrahere solet, simoniam, spe obtinendæ dispensationis, facilè prorumpent.

Nec scandalum illud verendum solùm venit, dum dispensatur cum Clericis, qui Beneficia per simoniam à se commissam impetrârunt, sed etiam dum ipsis ignorantibus à parentibus commissa fuit. Ex frequentiori enim dispensatione super simili simoniaca Beneficii impetratione natum est contingere, ut parentes filiorum suorum promotionem avidè desiderantes, per simoniacas artes filios suos in Beneficia intrudent, non intrusuri, si scirent, quòd filius ita promotus, Beneficium, quod simili modo consecutus est, deserere deberet, si unquam innotesceret hujusmodi fraudes intervenisse, quinimò, quod nunquam vel ipsi essent futuri securi, quandiu filios Beneficium illud per collationem nulliter factam retinet.

Hæc si parentes expenderent, nec spe dispensationis obtinendæ lactarentur, admodum indubiè essent soliciti, ne munere interveniente filios suos ad ecclesiastica ministeria protruderent.

Ex his sat apparet, quàm meritò Ecclesia se parcissimam semper ostenderit in relaxandis Canonibus, qui Clericos à functionibus simoniacè obtentis repellunt.

Patet quoque, quàm meritò prædictum Concilium delectorum Prælatorum Paulo III. dixerit, quod licèt non negarent Sanctitatem suam posse pœnam, quæ de jure positivo in Simoniacos est constituta, condonare, tamen *ullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.*

Intelligitur similiter mirum non esse, quòd ordinariè, si non semper, parùm feliciter succedat illis, qui in Beneficiis simoniacè obtentis per dispensationem permanent: tùm quia rarissimè, si unquam, utilitas, aut necessitas Ecclesiæ dispensationem coram Deo licitam reddit, quæ relaxationem Canonum postulat, tum quia conditiones ad hujusmodi dispensationem juxta ante dicta prærequisitæ rarò occurrunt.

Quapropter si de ulla, indubiè de hac dispensatione dici potest cum Thoma Cantipratano: *Qui sapiens erit, qui fallat se, & sibi super dispensatione aliqua blandiatur?* Lib. 1. De Apibus *c.* 19. *num.* 9.

PARS SECUNDA.

De Pensionibus

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Pensio Ecclesiastica et an illius in antiquitate reperiantur aliqua vestigia.

PARAGRAPHUS I.

Traditur definitio Pensionis Ecclesiasticæ, prout hodie in usu est.

PEnsio Ecclesiastica, ut hodie est in usu, definiri solet: » Annua pecuniæ quantitas Clerico super emolumentis » sive proventibus alicujus Beneficii auctoritate Superioris re-» servata in ejus vitæ subsidium, per possesorem præstanda. «

Dicitur in definitione, *annua pecuniæ quantitas*, quia pensiones hodie non in certa fructuum portione, sed pecuniæ quantitate assignari solent: quæ tamen summa pecuniæ, quia ex fructibus, & redditibus Beneficii desumitur, & secundum horum quantitatem regulatur, ac determinatur, hinc est, quòd reipsa & in affectu pars proventuum Beneficiato detrahatur, & alteri Clerico assignetur.

Dicitur quoque in descriptione *Clerico reservata*; quia juxta hodiernum stylum, pensionis incapax est, qui Clericus non est; imo sicuti Clericus per matrimonium incapax fit Beneficii ecclesiastici, ita quoque pensionis, eamque obtentam per contractum matrimonii amittit.

Sic sumptæ pensionis vocabulum in sacris Canonibus non occurrere notant Canonistæ: » Licèt enim (ait post Lot-» terium Augustinus Barbosa *in praxi exig. pens. in præm.* » *num.* 3.) in aliquibus fiat mentio de pensionibus, constat ta-» men eos loqui de pensionibus latissimè sumpto vocabulo, » non de hac, quæ per Papam ad vitam alicujus pro ali-» mentis reservatur. « Aliqua tamen illius vestigia in sacris Canonibus occurrere fatentur, quæ expendere non erit inutile, ut pensionis hodiernæ origine cognitâ, faciliùs ipsius natura illiusque justi limites cognosci queant.

§. II.

Referuntur qnædam ex antiquitate exempla, in quibus pensionis ecclesiasticæ vestigium apparet.

PLura, eaque non obscura pensionis ecclesiasticæ vestigia in magno Calchedonensi Concilio ocurrunt.

Et quidem cum Actione X. & XII. examinata esset causa Bassiani Episcopi Ephesini, & Stephani in locum illius electi Synodus decrevit, ut uterque sedem Ephesinam desereret, & tertius in Episcopum eligeretur, eâ conditione, ut uterque dignitatem Episcopalem retineret, & nutrimenti gratiâ ex redditibus Ecclesiæ Ephesinæ solidos aureos ducentos annis singulis acciperet: » Removebuntur quidem à Sancta Ephe-» siorum Ecclesia Bassianus & Stephanus, ait Synodus, ha-» beant autem dignitatem Episcopi; & ex redditibus me-» moratæ Sanctæ Ecclesiæ *nutrimenti gratia & consolationis* » an-

» annis singulis solidos aureos ducentos accipiant. «

Similiter orta contentione inter Sabinianum, & Athanasium super Episcopatum Perrhenorum, dictum est, quod si Sabinianus cedere vellet, Ahtanasius ordinaretur: » Sabinianus » verò Reverendissimus Episcopus & dignitatem Episcopalem » habeat, & substitutus sit, & *pascatur*, sicut Reverendis- » simus Episcopus Antiochenorum Maximus, secundum fa- » cultatem Perrhenorum Sanctissimæ Ecclesiæ disposuerit. « *Actione XIV. fine.*

Tertium denique in eadem Synodo pensionis vestigium habetur in persona Domini Antiocheni Episcopi, qui cùm depositus esset, eique Maximus substitutus, visum est Maximo Synodum deprecari, ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Anthiochiæ Episcopus, dignaretur, & statuere ei certos sumptus de Ecclesia, quæ sub se est: annuit Synodus *Actione IX.* » Siquidem Maximus suo arbitrio Domno » voluerit esse consultum, ut sumptus ei de sua Ecclesia, *mi-* » *serationis* intuitu, prout æstimaverit, largiatur, ut contentus » *alimoniis* quiescat in posterum. «

Quis hîc non agnoscat manifesta pensionis eclesiasticæ præformata vestigia? Nimirùm portio aliqua fructuum seu proventuum alicujus Ecclesiæ miserationis seu alimentorum, vel nutrimenti gratia indulta illis, qui Ecclesiæ non præerant.

Sanctus Gregorius, prædictæ Synodi exemplo, non absimilia pensionis lineamenta suppeditat.

Et quidem Episcopos per Illyricum constitutos monet, ut confratres suos, quos à propriis sedibus furor hostilitatis expulerat, quosque captivitas, diversumque necessitatum *angustiæ* comprimebant, secum in ecclesiasticis sustentationibus suspiciant. » Non quidem, inquit *lib.* 1. *Epist.* 43. ut per » communionem Episcopalis Throni dignitas dividatur, sed » ut ab Ecclesia juxta *possibilitatem sufficientiæ* debeant *ali-* » *menta* percipere. «

Adhæc, cùm intellexisset quendam Episcopum tantâ capitis passione laborare, ut muniis Episcopalibus videretur insufficiens, ne languente Pastore grex insidiatoris laniandus dentibus exponatur, solicitè optabat *lib.* 11. *Epist.* 7. ut alius in locum illum ordinaretur: » Sic tamen, ut quosque eundem » Episcopum in hoc seculo vita tenuerit, *sumptus* ei *debiti* de » eadem Ecclesia ministrentur.

Huic pio S. Gregorii responso consonat Clemens III. respondens Sacerdotem divino judicio lepræ morbo percussum, pro scandalo & abominatione populi, ab administrationis debere officio removeri, » ita quod juxta facultates Ecclesiæ sibi » *necessaria*, quandiu vixerit, ministrentur. « *Cap.* 4. ✠ *De Cler. ægrot.*

Plura hisce similia in conciliis, & Historiis, pensionis ecclesiasticæ vestigia atque lineamenta occurrunt, quorum & aliqua in hujus materiæ decursu attingentur.

§. III.

Reflexiones aliquæ ad exempla paragrapho præcedenti exhibita.

CIrca ea, quæ paragrapho præcedenti ex Concilio Calchedonesi & S. Gregorio, tanquam pensionis Ecclesiasticæ manifesta vestigia protulimus, duo maximè notanda sunt.

Primùm, quòd illa, quæ adinstar pensionis Episcopis, aliisve Clericis ex rebus Ecclesiæ, cui actu non sunt adscripti, concessa leguntur, *miserationis intuitu*, *nutrimenti* vel *alimentorum* seu *necesariorum gratiâ* data sint, ut ex verbis, quibus indulta fuerunt, videre licet.

Secundò notandum, quòd non legatur intercessisse ulla conventio inter illum, qui Episcopatum, aliudve Ecclesiæ ministerium dimittit, & illum, qui ipsis esset succesurus, de danda annua aliqua pecuniæ aut proventuum portione; sed per Synodum, aut Pontificem nullo præcedente partium pacto, miserationis, atque æquitatis, justitiæque intuitu, statutum, sivæ indultum fuisse, ut ab Ecclesia pascatur, vel vitæ necesaria reciperet.

Porrò sicuti pensiones legitimè per Ecclesiæ Prælatos indultæ rectè dici possunt à Sacris Conciliis, & Pontificibus quoad substantiam esse probatæ; ita è converso pensiones, quæ ab illis discrepant, non ex Canonum auctoritate, sed potius ex cupiditate introductas, abusivè contra Ecclesiæ mentem & Conciliorum atque Pontificum sæpiùs iterata decreta frequentari, in sequentibus ostendetur.

CAPUT II.

OSTENDITUR, QUOD PENSIO ECCLESIASTICA AB ILLO ACCIPI NON DEBEAT, QUI VEL EX BENEFICIO, VEL PATRIMONIO VIVERE POTEST.

PARAGRAPHUS I.

Ex natura redditum Ecclesiasticorum evincitur, quòd perperam pensio accipitur ab illo, qui aliunde vivere potest.

» REs Ecclesiæ, sicut à SS. Patribus traditur (inquit Synodus Aquisgranensis ann. 816. *Can.* 116.) vota sunt » fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum. Fi- » deles namque fidei ardore, & Christi amore succensi, » ob animarum suarum remedium, & cœlestis patriæ desi- » derium suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt » Ecclesiam, ut his & *milites Christi alerentur & Ecclesiæ* » *exornarentur*, & *captivi pro temporum opportunitate redi-* » *merentur*. «

Proventuum proinde Ecclesiasticorum ea est natura, ut ex illis Ministri Ecclesiæ honestam sustentationem clericali modestiæ congruentem accipiant, relinquum verò in pauperum vel alium pium usum expendatur.

Hinc omnium consensu receptum, proventus ecclesiasticos qui honestæ, ac frugali Ministri sustentationi supersunt, in pauperes, aut alium pium usum esse expendendos. Utque plures, easque vulgatissimas in hanc rem Patrum, aut Canonum sententias præteream, solùm quid de hac re seculo præterito dixerit S. Carolus, hîc subjungo: » Ubi primùm » Ecclessiæ bona esse cœperunt, inquit, eam naturam, & con- » ditionem consecuta sunt, ut in alium quam in sacrum, & » pium usum eorum fructus converti nefas esset.... Quamobrem » per viscera misericordiæ obtestamur, atque monemus, ut » meminerint ea bona non *esse sibi credita ad luxum*, ne- » que ad augendos consanguineos, sed ad vitam honestè, ut » fidelem Dei ministrum & pietatis christianæ Magistrum decet, » traducendam. Ex eo vero, quod supervenit, si *necessaria* » *pauperibus alimenta* denegârint intelligant se, quos non pa- » verint, occidisse; atque ob violatam sanctissimæ charitati » legem *mortale peccatum commisisse*: *quo sibi iram in die* » *iræ thesaurizaverint*. «

Et alio loco: » Christi visceribus substantiam ecclesias- » ticam erogare, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pu- » pillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis, quibus egen- » tibus, & esurientibus cùm subvenire possis, *si alimenta* » *necesaria denegatis*, *violatæ charitatis rei estis in conspec-* » *tu Domini*. Memores estote ejus, quod à Sanctissimo Patre » Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse Ec- » clesiæ Ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque » integritate summa omnia tribuebant, ad pauperes perve- » nirent. «

Hac certissimâ, fundatissimaque rerum Ecclesiæ conditione præmissâ, planissimum est, pensiones Clericis assignandas non esse quando aliunde sive ex Beneficio, sive patrimonio honestè vivere possunt. Suponitur enim Clericum, cui pensio assignatur, Beneficium seu officium ratione cujus, tanquam Ecclesiæ Minister de redditibus Ecclesiæ sustentationem accipere posset, dimisisse. Consequenter cùm ampliùs Officium non præstet, fructus illius percipere non potest, si habeat unde vivat; quandoquidem juxta naturam, & conditionem proventum ecclesiasticorum, illud, quod honestæ Beneficiatorum, seu Ministrorum alimentationi superest, in pauperes, vel pium usum expendi debeat.

Si ergo quidquam ex rebus Ecclesiæ, quæ honestæ Beneficiati sustentationi supersunt, accipiat: jam accipit illud, quod in pium usum expendi deberet; quia, ut dictum est, omne, quod alimentationi Beneficiorum superest, pauperibus, aut in similem usum erogandum foret.

Quis verò ferat, quòd Clericus patrimonio dives, aut saltem sufficiens ut honestè vivat, accipiat ea quæ juxta fundatorum & Ecclesiæ voluntatem pauperibus sunt eroganda?

Profecto, si Patres de Clericis etiam actualiter Ecclesiæ servientibus dicere non dubitaverint, quod *nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt*; quid quæso, dixissent de Clericis, qui, cùm Ecclesiæ non serviant, & sua possident, unde pauper victurus erat, accipiunt? *Caus.* 1. *q.* 1. *Can.* 7.

Pensiones igitur, quia in effectu & reipsa portionem unam proventuum Ecclesiæ constituunt, non nisi *miserationis intuitu*, *gratiâ alimentorum* Clericis aliunde vitæ necessaria non habentivus assignari possint; quemadmomodum Concilia, & Pontifices jam olim fecisse ex ante dictis constat. Ita enim fiet, ut res Ecclesiæ augendis divitiis non sint servituræ.

§. II.

Regulam circa pensiones ex natura rerum Ecclesiæ desumptam probavit & proposuit Concilium delectorum Prælatorum sub Paulo III.

REgulam circa pensiones ex natura bonorum ecclesiasticorum petitam, nimirum, eas non esse assignandas Clericis, nisi ut quasdam eleemosynas, quibus eorum inopia sublevari possit, optimè intellexerunt delecti Cardinales, aliique Prælati, qui jubente Paulo III. congregati fuêre, ut quantâ possent maximâ diligentiâ inquirerent abusus in futuro generali Tridentino Concilio reformandos, mediaque, quibus posset abusibus occurri, prælibarent.

Inter abusus verò, quos extirpandos notârunt, unum non exiguum in constituendis pensionibus irrepsisse detexerunt; cui ut efficacius occurreretur, justissimam jam dictam regulam ex conditione rerum Ecclesiæ desumptam, servandam dixerunt.

» Alius abusus, cùm Beneficia conferuntur, seu ceduntur, » aliis, irrepsit, ajunt, in constituendis super eorum fructi» bus pensionibus, imò quandoque cedens Beneficio omnes si» bi fructus reservat. Qua in re illud animadvertendum est, in» quiunt, nulla alia de causa, nulloque alio jure pensiones » constitui posse, nisi ut quadam *eleemosynas*, quæ in pios usus » & *indigentibus* concedi solent. «

Rationem sui asserti ex naturâ bonorum Ecclesiasticorum petitam subjungunt: » Nam redditus, ajunt, sunt annexi » Beneficio, ut corpus animæ; ideò sua natura pertinent ad » eum, qui Beneficium habet; ut possit ex eis vivere honestè » pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas pro di» vino cultu, & templi, sacrarumque ædium reparatione, *ut* » *quod reliquum est, impendat in pios usus.* Hæc est enim na» tura eorum reddituum. «

Ex quibus tanquam necessarium consequens inferre non dubitârunt: » Pensionis dari Clericis divitibus, qui commodè & » honestè vivere queunt ex redditibus, quos habent, *magnus* » *certè abusus.* «

Manifestum proinde erat Prælatis illis occulatissimis, pensiones considerandas esse secundum naturam rerum Ecclesiæ, tanquam quasdam *eleemosynas*, quibus Clericis inopia laborantibus, & de Ecclesia benemeritis succurratur; quemadmodum à Conciliis & SS. Patribus, quibus conditio bonorum Ecclesiæ apprimè nota erat, factum fuisse ante ostensum est.

§. III.

Sola Clerici indigentia non sufficit, ut onus pensionis Ecclesiæ imponatur, sed insuper merita in Ecclesiam, præsertim illam, quæ pensione gravatur, requiruntur.

PEnsiones juxta ante traditam definitionem, & usitatam hodiernam praxim, non sunt censendæ meræ eleemosynæ, quales passim pauperibus & indigentibus dari solent; sed amplius aliquid præ se ferunt: onus nimirum, sive quandam servitutem Beneficio, vel Beneficiato impositam, dandi annuè per possessorem Beneficii notabilem portionem proventuum ipsius beneficii, Clerico actualiter beneficio non deservienti. Quo fit, ut in effectu, per pensionem subtrahatur notabilis pars fructuum à Beneficio, cui per Ecclesiæ ordinationem, in Beneficiati sustentationem, & alios pios usus est annexa; & alteri in vicem quodammodo Beneficii assignetur. Unde pensiones dicuntur obtinere vices Beneficii; quare juxta hodiernum stylum nulli nisi Clerici earum capaces habentur.

Cùm igitur pensiones hodiernæ conditionem eleemosynarum quæ solo paupertatis intuitu tribuuntur, excedant, solus quoque paupertatis sive indigentiæ titulus sufficere nequit, ut hujusmodi onus Ecclesiis imponatur; sed præter indigentiam merita, sive præsentia, sive præterita, præstita Ecclesiæ præsertim illi, quæ pensione oneratur, accedere debent, quæ onus hujusmodi Ecclesiæ imponendum vel impositum justificent.

Porro mentem Ecclesiæ esse, ut ordinariè pensiones non dentur, nisi illis, qui per servitium Ecclesiæ præstitum mereantur, ut pensionis subsidio eorum indigentiæ succurratur; inde patet, quod similes pensiones concedi non soleant, nisi illis, qui Beneficium pensione onerandum possederunt; quo quid Ecclesia aliud intendit, quam pensiones non esse dandas, nisi Clericis, qui laudabiliter Beneficiis deservierunt? Neque enim Ecclesia Spiritu Sancto directa nudam Beneficii possessionem, sed servitium in Beneficio præstitum considerare solet.

Abusus proinde, qui contra Ecclesiæ mentem invaluit, reputandus est, creare pensiones in favorem Clericorum eo solo titulo, quia Beneficium possederunt, licèt illud nullo aut exiguo præstito servitio, sæpius etiam cum sacrorum Canonum infractione, deseruerint.

Huic abusui ut occurratur, sæpiùs in Regno Galliæ judicatum legitur, quòd nullus ex resignato Beneficio Curato pensionem percipere posset, nisi viginti annorum spatio eidem deservivisset. Vide *Acta Cleri Gallic. tom. 2. part. 2. tit. 13.*

Quin anno 1671. generali decreto statutum fuit, quòd nullus Beneficium Parochiale vel Præbendam ordinariam sive Theologalem, sive in Ecclesia Chathedrali sive Collegiata, retenta à pensione resignare possit, qui priùs per quindecim annos Beneficio actualiter non deservierit; nisi ex causa infirmitatis, per Ordinarium cognitæ & probatæ, ad eum statum redactus fuerit, ut functionibus Beneficii obeundis sit absolutè factus impar.

Non sola proinde Clerici indigentia sufficit, ut tam notabile onus Ecclesiæ, etiam cum Canonum (qui sectionem Beneficiorum vetant) aliquali infractione imponatur, sed merita, præcipuè præstita Ecclesiæ gravandæ, accedant necesse est, quæ onus illud imponendum persuadeant.

§. IV.

Corollaria ex illis, quæ hoc capite dicta sunt.

QUÆ toto hoc capite dicta fuerunt, evincunt, tum ex naturâ & conditione proventuum Ecclesiasticorum, tumex mente, ac sententia Pontificum, ac aliorum Prælatorum, pensiones non esse dandas nisi ut Clericis indigentibus, & de Ecclesia benemeritis, nonnunquam *miserationis intuitu* succurratur.

Hinc ulterius intelligitur, quod Pontifices & Episcopi annuentes Clericis de Ecclesiæ præsertim gravanda benemeritis & *indigentibus* moderatam aliquam pensionem, premant vestigia Synodi Calchedonensis, S. Gregorii, aliorumque Patrum, qui Episcopos aliosque Clericos juxta de causa Ecclesias suas deserentes *miserationis intuitu* de rebus Ecclesiarum, quas deseruerant, pascendos esse interdum judicârunt.

Secundò ex dictis infertur, nemini opulento, seu redditibus ad vitam clericalem honestè & moderatè agendam idoneo, licere pensionem, citra justitiæ violationem, accipere.

Tertiò inde etiam deduci posset, quòd Clerici divites, qui pensionem ex Beneficio ecclesiastico acceperunt, ad hujusmodi pensionis restitutionem obligentur. Cùm enim pensiones in Clericorum duntaxat eorum, qui aliunde vivere non valent, secundum quod honestas clericalis (non à mundana æstimatione, sed ab Evangelio petita) requirit, utilitates sint institutæ & toleratæ; certum est, eas sacrilegâ aviditate percipi, & interverti ab iis, qui jam necessariis præsidiis, vel ab ipsa re familiari, vel ab altero sufficiente Beneficio subministratis instructi sunt, atque ideo ad *earum restitutionem* eos obligari.

Quartò colligitur, eos peccare graviter, quibus cùm propter inopiam indulta sit pensio, tot cumulant pensiones, ut sustentationem homini ecclesiastico congruentem excedant. « Unde & graviùs peccant (ait Toletus *lib. 5. Instruct. Sacerdot. cap. 83.*) & mirabilis est abusus eorum, qui multis hinc inde » se onerant pensionibus, cùm, unde vivere possint pro con» ditione sua, satis multa habeant, & quod pejus est, nulla ad» est causa propter quam vel unam habere possint: quibus vix » potest persuaderi, ut vel minimæ pensioni renuntiare nullo » pacto velint, sed in morte tandem velint, nolint, cogentur » malè possessa, & retenta dimittere. «

CAPUT III.

PENSIONES CONTRARIÆ SUNT SACRIS CANONIBUS, ET IDEO SINE DISPENSATIONE HABERI NEQUEUNT; QUÆ SINE JUSTA CAUSA DATA PENSIONARIOS TUTOS NON REDDIT.

PARAGRAPHUS I.

Ostenditur pensiones sacris Canonibus contrariari.

QUandoquidem ex præcedentibus manifestum sit, & quotidiana praxis evincant, per pensionis assignationem in effectu unam partem fructuum Beneficii adimi sive auferri à Beneficiato & alteri Clerico assignari, planum est, per pensiones Beneficiorum, seu præbendarum atque Ecclesiarum sectionem contra SS. Canonum Decreta fieri.

» Majoribus Ecclesiæ Beneficiis in sua integritate manen» tibus, inquit Synodus Œcumenica Turonensis, indecorum, » nimis videtur, ut minorum Clericorum præbendæ patiantur » sectionem. Idcircò, ut sicut in magnis ita quoque in mini» mis membris suis firmatam Ecclesia habeat unitatem, divi» sionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri » prohibemus. " *Cap. 8. ※ De Præb.*

Dividi igitur sive secari non tantum majora Beneficia, sed & præbendas vetat Concilium, quod & Concilio Generali Calchedonensi vetitum fuisse constat: » Si quis translatus est, ait » Synodus Can. X. ex alia in aliam Ecclesiam prioris Eccle» siæ, vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochodochio» rum

» rum, aut Xenodochiorum *rebus in nullo communicet.*«

Quid evidentius, quàm hoc Canone fructuum ex Beneficio dimisso substractionem prohiberi? Quare P. Christianus Lupsus in Scholis ad hunc Concilii Canonem sine cunctatione dicit: » Hæc nostri Canonis verba, *si quis translatus*, &c. ostendunt: » prioris relicti, aut resignati Beneficii pensiones tunc necdum » fuisse.«

Clarum ergo est, pensiones non nisi interveniente Canonum relaxatione seu dispensatione super Beneficio dimisso vel resignato retineri posse; quod & Canonistæ fatentur, & moderna praxis confirmat.

§. II.

Assignatio pensionis dispensativè facta, ut sit licita, debet niti justa causa.

NUnquam dispensari, nisi unà Canones detrimentum aliquod patiantur, Jurique communi, ut Canonistis loqui placet, *vulnus* aliquod infligatur, expeditum est. Undè facilè est intelligere, ab Ecclesiæ Prælatis, quibus Canonum custodia specialiter incumbit, dispensandum non esse, nisi *vulneris* illa inflictio alterius boni accessione *compensetur*. Hinc illud S. Bernardi *De Dispens. & præcepto, cap.* 2. » Novit fidelis ser» vus & prudens ibi tantùm usurpari dispensationem, unde bo» nam possit habere *recompensationem.*« Et ab Honorio II. dispensationem pro Episcopo quodam expotulans, in fine concludit: » Vestræ discretionis est judicare, an meritò flagitetur » à nobis facienda dispensatio, unde talis potest sequi *recompensatio.*« Epist. 13.

Cùm igitur pensio constitui nequeat, nî unà relaxatio Canonum intercedat, & Juri communi *vulnus* aliquod infligatur, evidenti consequentia sequitur, compensationem vulneri proportionatam, ab utilitate aut necessitate Ecclesiæ dispensationem exigente petitam, intercedere debere; unde indubiè vulgata illa dispensationum regula, ab eodem melifluo Doctore tradita hîc observanda est. » Ubi necessitas urget excusabilis, ubi utili» tas provocat, laudabilis dispensatio est. Utilitas dico commu» nis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fide» lis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.« Lib. 2. *De Considerat. cap.* 4.

Adhæc, in quantum assignatio pensionis species quædam est dispensationis, debet & ipsa, sicut *omnis dispensatio petita à Prælato*, ut loquitur S. Thomas 2. 2. quæst 88. art. 12. *fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensat; vel ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est ejus corpus.*

Ulteriùs certum est, Ecclesiæ Prælatos bonorum ecclesiasticorum non esse Dominos, sed solùm dispensatores; » quamvis » enim, ait Doctor Angelicus, res Ecclesiæ sint ejus (Papæ) » ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus ut Domini » & possessoris.“ 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7.

Hinc rursus consequens, per Prælatos Ecclesiæ, in concedendis pensionibus expendendum esse, num ea sit conditio & merita personæ petentis, aut temporis circumstantia, vel Ecclesiæ necessitas, ut si pensio concedatur, dici queat, quod tanquam fidelis, & prudens dispensator, res ecclesiasticas secundum conditionem & naturam earum rerum, & Ecclesiæ, atque fundatorum intentionem fideliter administraverit.

§. III.

Quænam ex parte postulantis pensionem expendenda veniant.

JUxta modernam Ecclesiæ disciplinam redditus cujusque Beneficii annexi sunt Beneficio ut *corpus animæ* » ideo suâ na» turâ pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut possit ex eis » vivere honestè pro suo ordine (quemadmodum loquitur Conci» lium delectorum Cardinalium) simulque queat sustinere im» pensas pro divino cultu, & templi, sacrarumque ædium re» paratione, & quod reliquum est, impendat in pios usus. » Hæc est enim natura istorum redditum.«

Expendendum proinde est postulanti pensionem, num sufficiens subsit ratio, ut pars fructuum, seu proventuum Beneficio annexorum mediante dispensatione subtrahatur, & ipsi non Beneficiato concedatur.

Secundò, num ea sit ipsius conditio, ut ex illo, quod ministro Ecclesiæ superest, alias pauperibus, aut alteri pio usui impendendum, sibi in sustentationem accipere queat.

Pensiones quippè, ut antè probatum est, ex mente Ecclesiæ & Pontificum non dantur, nisi ut Clericus benè merentibus, & honestam sustentationem non habentibus, interdum succurratur.

Ulteriùs, non tantùm expendere debet pensionem petens, num honestè & commodè non possit vivere; sed utrum ea sit ipsius necessitas, ut tum tanto Ecclesiæ onere, ex proventibus cum dispensatione & relaxatione Canonum à Beneficio detrahendis, vivere debeat.

Id perpendens S. Franciscus Salesius, tametsi Episcopatûs ipsius redditus necessitatibus & oneribus ferendis vix sufficerent, nullatenus tamen adduci potuit, ut pensionem tametsi multoties ultrò oblatam acciperet. *Lib.* 6. *Vitæ.*

Adhæc non tantùm expendere tenetur pensionem prætendens, num aliquâ prematur egestate vel indigentiâ, sed insuper num ea ipsius sunt in Ecclesiam merita, maximè in illam ex qua redditus in pensionem prætendi, ut justum sit & æquum, ut ab Ecclesia illa recipiat notabilem aliquam proventuum portionem, aliàs in ejus ministros, aut pauperes, vel ornatum templi, aliumve pium usum impendendam.

§. IV.

Non semper tutos reddit Pensionarios obtenta, etiam à Pontifice, dispensatio.

PAucos hodie invenire est, qui soliciti sint ut prævièantè pensionis postulationem expendant, num justa percipiendæ pensionis causa subsit, unicè soliciti qua ratione pensionem à Pontifice impetrent; » modò enim Papa dispenset, » inquiunt, ipse sibi viderit, nos immunes sumus.« *Hic cavillus*, ait Cardinalis Bellarminus, *securos multos reddit, tutum verò neminem.* Rationem subdit dictus Cardinalis: quoniam Papa non est *Dominus*, *sed dispensator*; » ideoque qui inquam dispen» sationem petit, *iniquitatis causa est, & qui ea utitur, ea» dem semper irretitur iniquitate.*« In Epistol. ad Nepotem, *controv.* 5.

Pari ratione Synodus Coloniensis anno 36. superioris seculi supposuit dispensationem Apostolicam non semper præstare securitatem illis, qui ea mediante plura Beneficia obtinent; ideoque eos monendos censuit, *viderint, ut causam dispensationis Deo comprobent. Part.* 1. *Can.* 32.

Porrò eadem ratione, qua dispensatio Apostolica sine causa retinentem plura Beneficia coram Deo tutum non reddit, quia nimirùm Papa non est Dominus Beneficiorum, sed dispensator; eadem, inquam, ratione nec tutum reddit percipientem pensionem, quia sicut Papa non est Dominus Beneficiorum, ità nec bonorum ecclesiasticorum, sed dispensator; quare illud quod de dispensatione super pluralitate Beneficiorum dixit Bellarminus, idem de receptione pensionis ex dispensatione Papæ asserere non dubitabit Cardinalis Toletus *lib.* 5. *de Instruct. Sacerd. cap.* 82. *num.* 3. » Sine justa causa, inquit, non habet in » foro interiori & coram Deo locum dispensatio, sed tantum » in foro exteriori. Unde qui pensiones retinent, etiam cum » dispensatione, *si non adest causa legitima, securi* non sunt, » nec excusantur, quia Papa dedit, & *ipsorum est considerare* » *quo modo dederit.* Hoc, inquam, non excusat. Si enim quis » accipiat pecunias ab œconomo, quem scit malè dispensare » res Domini & contra justitiam, non potest eas in conscien» tia tum retinere. Papa autem non est Dominus bonorum & » reddituum Ecclesiæ, sed tantum universalis dispensator. Unde » sicut cùm dispensat hominem in votó, non facit hominem » securum in conscientia, nisi causa adsit; ita in pensionum, » & Beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse » in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona. Si enim nullâ viâ » vel pacto in Ecclesiæ hujus, vel universalis utilitatem ten» dat, non est causa legitima.“

Toleto consentit Gambarus apertè docens, quòd in „foro » conscientiæ pensio sine causa constituta pro aliquo, quia » subtrahatur alimonia pauperum, & Ministrorum, non prosit » obtinenti, maximè quia istæ indiscretæ pensiones sunt causa » mille malorum.“ *De Auctorit. leg. lib.* 10. *n.* 136. & 387.

Et ante hos fortiùs famosus Juris Consultus Guillel. Benedicti: „ Causa imponendi, ait, pensionem semper injusta cen» setur, si non pertineat ad utilitatem Ecclesiæ, cui pensio » imponitur... sine ergo causa legitima utilitatem Ecclesiæ pen» sionariæ concernente, non valet etiam à Papa imposita pen» sio.“ *Ad Cap. Raynuntius, de Testamentis.*

Qui igitur pensionem per dispensationem Apostolicam postulat, meritò ostendit illud S. Bernardi *Epist.* 1. ad Nepotem, desertionem Monasterii sui mediante dispensatione Apostolicâ justificare volentem: *Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem.*

Hoc piissimum Bernardi monitum si observarent hodierni pensionarii, attenderentque cor suum, & discuterent intentionem, quàm sæpè per cupiditatem plenè distortum cor suum reperirent! Si consulerent veritatem, non propriam cupiditatem, quam frequenter deprenderent, ac fateri deberent, nullam causam aliam petendi ac imponendi pensionem causam subesse, quàm propriam cupiditatem, quæ divitias ac lucrum quærit; utilitatem verò Ecclesiæ pensione gravandæ nullam!

At forsan instabunt nonnulli: num causa sufficiens sit, expendendum committimus Pontifici, ejusque expetimus consilium: » Utinam, dicebat similibus S. Bernardus *Epist.* 7. non » licentiam quæsissetis, sed consilium; id est, non ut arceret,

sed

» sed an liceret.“ Sed proh dolor! verendum quod plurimis eorum dici possit, quod subdit Bernardus. „Malum in cor» de conceperant, opere tamen ausi non sunt adimplere nisi » *cum licentia.* Conceperunt dolorem, sed non pepererunt » iniquitatem, *donec iniquo Papa conceptui* præbuisset assen» sum...“ Quod tamen, cum eodem Doctore asserere ausim, » summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut » circumventum mendacio, aut importunitate victum.

Verùm enim verò si vel leviter quis attendat, quomodo & à quibus hodie pensiones à Sede Apostolica super resignatis aut dimissis Beneficiis postulari soleant, facilè comperiet, esse admodum paucos, quibus regeri non posset illud, quod olim idem Doctor regerebat similibus, qui se per dispensationem Apostolicam justificare studebant: *Non satis de propria causa confidentes, remorsas aut remordentes conscientias Apostolica conati estis delinire licentia. Frivolum satis remedium quod non est aliud, nisi more Protoplastorum cauteriatis conscientiis texêre perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum.* Ibidem.

§. V.

Potest contingere, ut justa sit pensio ex parte imponentis & dantis, licèt injusta sit ex parte petentis & recipientis.

POntificem & Episcopos mansisse bonorum ecclesiasticorum superintendentes, seu dispensatores in utilitatem Ecclesiæ, etiam post rerum divisionem & Beneficiorum erectionem nemini dubium est. *Ut Episcopi potestatem habeant*, (inquiebat tribus circiter à facta rerum Ecclesiæ divisione seculis Synodus Moguntina) *res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundum Canonum auctoritatem.*

Cùm igitur nonnunquam ipsa necessitas aut utilitas Ecclesiæ (cui rerum Ecclesiæ dispensatio subservire debet) exigat aut postulet, ut etiam Clerico diviti, nec de Ecclesia merenti pensio assignetur, indubiè Pontifex aut Episcopus, qui unicè utilitatem & necessitatem præ oculis habere tenentur, eam justè ad redimendam vexam, seu majus Ecclesiæ malum avertendum, nonnunquam concedent, licèt ipse injustè extorquat ac recipiat.

Quid enim si indignum quempiam Sacerdotem à sacro ministerio, v. gr. Beneficio Curato, amoveri, & alium idoneum in locum illius substitui oporteret; & tamen ille sine pensione Beneficium abdicare nollet: tunc indubiè salus animarum & utilitas Ecclesiæ permittit, imò exigit, ut velut ad redimendam vexam potiùs ei pensio assignetur, quàm ut cum tanto animarum detrimento in cura permaneat, si nimirum de suo gradu aliter exturbari, aut saltem non sinè majori incommodo, & molestia posset.

Non absimile pensionum exemplum occurrit in *Cap.* 31. ✠ *de Rescriptis*, nimirùm, quas nonnullæ Ecclessiæ pendere solebant, ut se à vexationibus eorum, qui mandatis à Sede Apostolica pro impetratione præbendæ primò vacaturæ, & sæpiùs sub vel obreptitiè obtentis vexabant, redimerent. » Solebant » enim, ait Janus à Costa celebris Canonista, mandatarii isti » plerumque esse contenti certa præstatione annuâ sive pensio» ne; cujus constitutione Ecclesiæ, contra quas impetraverant » litteras, redimebant se à vexationibus impetrantium: Nam » quamvis omnis constitutio pensionis hoc jure valdè suspec» ta sit, pergit à Costa, videntur tamen hoc casu Pontifices » conniventibus oculis hoc permisisse Ecclesiis, quas contra ve» terum Canonum statuta mandatis istis onerabant.« Ad *C.* 31. ✠ *de Rescriptis.*

Et certè quis hujusmodi pensiones ex parte constituentium non probaret? Si enim nemo infidelitatis, aut injustitiæ accuset tutorem, qui ex rebus populi aliquid concedit alicui, nihil juris ad aliud habenti, ut pupillum adversus injustum vitæ, aut rerum suarum invasorem defendat, eumque à summo illo discrimine liberet: quis Prælatos accusare audeat injustitiæ, aut infidiæ administrationis, si partem aliquam rerum Ecclesiæ non merentibus tribuant, ut ab Ecclesiis arceant lupos, qui non vitæ corporali, sed spirituali insidiantur?

Adhæc quis non videat, quòd eâdem ratione, qua ob bonum Ecclesiæ Prælati similes pensiones permittere coguntur, Clerici ad Beneficia illa vocati easdem persolvere possint? Econtra eos, qui suis injustis vexationibus Prælatos ad pensionem constituendam cogunt, non justiùs eas recipere, quàm is, qui à tutore pupilli in cassu proposito, ad redimendum pupillum ab iniqua sua vexatione, pecuniam recipit.

Nullatenus proinde sequitur, Pontifex, aut Episcopus pensionem justè permittit, & Beneficiatus justè persolvit, ergo Pensionarius eam justè recipit. Nonnulla tamen tam ex parte Superiorum imponentium quam persolventium consideranda esse; *cap.* 6. §. 2. & 3. dicam.

CAPUT IV.

Utrum permutatio Beneficiorum sit justa causa petendæ pensionis, præsertim dum Beneficia in proventibus sunt inæqualia.

PARAGRAPHUS I.

Permutatio Beneficiorum sacris Canonibus est contraria.

CErtum est omni Beneficiorum permutatione duplicem Clericorum de una ad aliam Ecclesiam translationem intercludere; adeoque iisdem Canonibus, quibus Clericorum hujusmodi translationes vetantur, ipsa quoque Beneficiorum permutatio vetita censeri debet.

Adhæc in ipsa Beneficiorum permutatione quidam quodammodo contractus rebus spiritualibus directè repugnans & planè indignus intercedere videtur; nimirùm contractus *do, ut des.* Eâ enim conditione permutatio iniri solet, ut alter alterius Beneficium assequatur; ac per consequens sine quadam saltem specie contractus ordinariè non absolvitur.

Unde vel ex hoc capite Beneficiorum permutatio magis quàm simplex translatio Canonibus (qui omnem vel speciem contractus in spiritualibus abominantur) contrariatur.

Hinc licèt simplices translationes sæpiùs in Ecclesia primæva sint visæ (ait Boëtius Epo apud Duacenses Canonum Antecessor primarius) » nunc ausu temerario, nunc etiam legiti» mâ simul auctoritate frequenter interveniente translatorum; » tamen *permutationis beneficialis* exempla nullis in antiquis aut » Canonibus, aut Historiis ecclesiasticis reperiuntur: adeò ut » nec apud Isidorum, nec apud ipsum quidem novissimum de» cretorum Collectorem Gratianum, ulla prorsus extet permu» tationis beneficialis mentio..... nova scilicet posteritatis novæ » semperque magis ac magis insolescenti audacia, novum pepe» rit hoc permutationum beneficialium jus, novas praxes, no» vos quæstionum intricatissimarum labyrinthos.“ *De Saturnino permutat. Benefic. jure, num.* 3.

Hoc tandem novo permutationis beneficialis jure circa seculum XII. exorto, mox, se illi Ecclesia opposuit. *Divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus*, ait eo seculo celebrata Synodus Turonensis *cap.* 8. ✠ *de Præbend.*

Verùm quia ingeniosa cupiditas ubique latebras, & prætextus quærit, nonnulli præbendarum permutationes licitas credebant, quia Turonensi Concilio non nisi *dignitatum* permutatio prohibita fuerat; quod omninò à jure alienum esse declaravit Urbanus III. „Quæsitum est (inquit in *Cap.* 5. ✠ *de Rer. per» mut.*) ex parte tua, si commutationes fieri valeant præbenda» rum. Cùm commutatio *dignitatum* in Turonensi Concilio » fuerit interdicta, generaliter itaque teneas, quòd commuta» tiones præbendarum de jure fieri non possint, præsertim cum » pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel connexa spiritua» libus labem continet semper simoniæ.“

Ex hoc Pontificis responso liquet, permutationes Beneficiorum, præsertim cum pactione prævia, ab Ecclesia tanquam de simonia admodum suspectas, ac frequenter infectas reprobari. Hinc sæpè laudatus Novennarius prælatorum Conventus, abusibus in Synodo Tridentina reformandis hunc annumerare non dubitavit: „Alius item abusus, ait, in permutationibus » Beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ simoniacæ om» nes sunt, nulloque respectu habito nisi lucri.“ Et sub idem penè tempus Synodus Bituricensis Beneficiorum permutationem velut turpem nundinationem exagitat: „Sacerdos *inquit*, in » illa Ecclesia permaneat, sub cujus titulo promotus fuit, nec » *cauponariam Beneficiorum permutationem* exerceat.“

Propter transitum ergo de uno Beneficio ad aliud, qui sæpiùs ex cupiditate magis quàm utilitate Ecclesiæ contingit, & periculum simoniæ, permutationes Beneficiorum interdictæ fuerunt.

§. II.

Utrum permutatio Beneficiorum interdum auctoritate Prælatorum licitè fieri possit, & quæ conditiones requirantur.

JUxta ante dicta, permutatio, seu commutatio Beneficiorum duplicem quodammodò beneficiatorum translationem includit, utriusque scilicet beneficiati de uno ad aliud Beneficium; ideoque & quemadmodum translatio ità & permutatio Canonibus contrariatur. Verum sicuti beneficiati alicujus translatio de uno ad aliud Beneficium utilis Ecclesiæ, imò & necessaria esse potest, ita quoque nonnunquam contingere potest, ut Ecclesiæ expediat, duos beneficiatos sibi invicem in servitio Ecclesiæ substitui. Quidni enim aliquando contingere possit, ut qui uno loco minus est utilis, alteri loco utiliùs deservire queat, & contra; ac proinde fiat, ut Ecclesiæ expe-

pediat, ut alter alterius Beneficium accipiat?

Hinc Pontifex Urbanus III. postquam dixit, » Commutationes præbendarum fieri non posse cum pactione præmissa, » quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem contiinet semper simoniæ, « hanc subjungit regulam: *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uno loco minùs sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere.*

Eandem regulam tradit Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 5. » Nec permutatio præbendarum vel ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ, sicuti nec transactio, ut jura determinant. » Potest tamen Prælatus ex officio suo permutationes hujusmodi » facere, pro causa utili vel necessaria.

Ex hac per Pontificem tradita regula utiles has ac notandas conclusiones judiciosè elicit Thomassin. *de Disciplina Ecclesiæ p.* 4. *lib.* 4. *cap.* 17.

Primò, quòd beneficiati non possint Beneficiorum suorum permutationem absolvere, sed Episcopi sit eos transferre.

Secundò, quòd Episcopus in hac translatione non nisi utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ præ oculis habere possit: & beneficiati non nisi obedientiam, quam Prælatis suis debent, & servitia, quæ majori cum fructu fideli populo sint exhibituri.

Tertiò, quòd Episcopi sit dare initium huic permutationi; vel si beneficiatos ipsos contingit initium dare, oportet ut illud non sit nisi simplex propositio, quam Episcopo faciunt, solo intuitu, ut se Ecclesiæ utiliore reddere valeant.

In his omnibus, subjungit idem auctor, ne vel umbra est illius pactionis simoniacæ; ideoque dispensatio vel auctoritas Episcopi necessaria non est ut purgetur simonia, aut super ea dispensetur; sed primò, ad absolvendum Beneficiatos à stabilitate, quam Ecclesiis debebant. Secundo, ut illis detur vocatio divina ad Ecclesiam & Ministerium in quod de novo intrant. Vocatio enim divina necessaria est ad omnem novam Sacerdotii portionem, quam quis suscipit. Tertio, ut uterque permutantium absolvatur à vinculo, quo priori suæ Ecclesiæ quisque erat adstrictus.

Has conclusiones in præcitatis Pontificis verbis contineri, qui vel leviter verba expenderit, facilè intelliget; ex quibus hæc ulteriora consectaria consequuntur.

Primo, quod Prælati permutationes Beneficiorum admittere non debeant, imo nec possint, nisi causam inspexerint necessariam; ut nimirùm personæ, quæ uni loco minùs sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.

Secundo, quod nullatenus Episcopi teneantur permutationes Beneficiorum sibi præsentatas approbare, tametsi nullum canonicum adsit impedimentum; sed quod eas rejicere seu non admittere possint, eo solo titulo, quia necessitas aut utilitas Ecclesiæ permutationem non requirit.

Hinc consequens est, quod merito Episcopi interrogent permutantes, cur Ecclesias suas, quibus per divinam vocationem & providentiam sunt adscripti, deserere velint, & ad aliam transire: ut ex interrogatis & responsis intelligant, num Ecclesiæ utilitas aut necessitas, an potius cupiditas ad permutandum impellat, & provocet. Hoc si Episcopi hodierno tempore exactè observarent, quis ambigat, quin de multis dicere possent cum Concilio Sardicensi, *quod appareat avaritiæ eos ardore inflammari, & ambitioni inservire?*

Tertio sequitur, quod illi, qui viâ permutationis de uno ad aliud Beneficium transire cupiunt, expendere teneantur, num necessitas aut utilitas Ecclesiæ eam requirat.

Quartò, quòd permutantes non semper sint tuti, dum sine justa causa de una ad aliam Ecclesiam contra sacros Canones transeunt, tametsi Prælati permutationem probaverint; quia, ut antè dictum est, Prælati tantùm sunt dispensatores, & consequenter si sine justa causa dispensent, non dispensatio, sed potius dissipatio erit.

Quintò, quod sacris Canonibus contraveniant, neque ulla, etiam Pontificis, auctoritate tuti esse possint, qui solo lucri, aut propriæ commoditatis intuitu viâ permutationis Beneficium, seu Ecclesiam, cui adscripti sunt, deserere non verentur. Quod etiam jam pridem rectè notavit Petrus Cantor: » Si quis, in» quit in *Verb. Abbrev. cap.* 40. legitimè sortitus est Ecclesiam, » & quærit occasionem, ut eam dimittat, *quia alia pinguior est,* » *& uberior*, secundum pœnam constitutam in Canonibus pu» niri deberet, & in ea manere omni tempore vitæ suæ. «

Sextò, quòd volentes via permutationis transire de una Ecclesia ad aliam, sedulò examinare teneantur, an appareant sat magna indicia divinæ vocationis, quæ eos à vocatione, in qua vocati erant, avocet, & ad aliam impellat.

Septimò sequitur, quòd admodum cavendum sit à pactionibus, & conventionibus omnibus, quæ circa spiritualia ab omni labe simoniaca vix immunes esse possunt.

Hæc omnia aliave, quæ in permutatione Beneficiorum indispensabiliter observanda sunt, si hodierna permutantium multorum praxi & intentione conferantur, vix dubito, quin & hodie verissimum reperietur, quòd pridem dixit Boëtius Epo *de Saturnino permut. Benefic. jure num.* 1. » Certè permutationes » istæ beneficiales frequenter scrupulos gignunt in animis per» mutantium adeò duros, adeò præterea vehementes, ac uren» tes, eosque justos, ut Saturnina voracitas nullos unquam » consimiles genuerit cruciatus illis ipsis, qui devorabantur: » cùm graviter læsa conscientia non temporarios, at perpetuos » experiatur cruciatus, qui ne morte quidem corporis finiuntur, » sed magis & magis crescunt & graviores, acrioresque reddun» tur, nisi salutaribus ante mortem fuerit expiata pœnitentiæ » christianæ, catholicæque remediis. Quorum quidem remedio» rum præstat indigere prudenter abstinendo talibus à commer» ciis, quàm temerarias, & quasi nundinatorias faciendo per» mutationes tantùm subire periculum, cujus amator dignus » est qui pereat in illo. «

§. III.

An permutatio sit justa causa recipiendi pensionem.

QUod permutatio Beneficiorum non sit legitima, & sufficiens ratio, seu causa petendi pensionem, si non exigente utilitate, aut necessitate Ecclesiæ canonicè peragatur, omnes facilè agnoscent. Quis enim dicere audeat, aliquem mereri, ut in ejus favorem per dispensationem portio fructuum à Beneficio contra Ecclesiæ ordinationem avellatur, quia permutationem SS. Canonibus contrariam inire præsumit? Imò quis non videat vel hoc ex capite eum reddi indignum, ut Ecclesiæ in ejus favorem pensionem constitueret, quia Ecclesiæ decretis obviando, temerè Ecclesiam, quam in sponsam acceperat, lucri aut propriæ commoditatis intuitu repudiare non veretur?

Hoc posito habetur, quòd certum sit & evidens, quod nulla permutatio, quæ non ex causa necessaria, aut utilitate Ecclesiæ peragitur, esse queat causa legitima recipiendi aut imponendi pensionem.

Hinc ulteriùs facilè intelligi potest, plerosque, si non omnes, qui pensionem in permutatione Beneficiorum prætendere solent, illam non solùm ob suam permutationem non mereri, sed eam propter illam indignos reddi.

Qui enim sunt, qui hodie in Beneficiorum permutatione pensionem prætendunt, nisi qui vel spe lucri, aut proprii commodi, aut etiam officii ecclesiastici persolvendi obligatione se eximendi, cupiditati impulsi ex uno in aliud Beneficium se protrudunt? Qui enim de Ecclesia, cui semel divinâ ordinatione, & electione adscripti sunt, non nisi utilitate, aut necessitate Ecclesiæ suadente & trahente, ad aliam transeunt, seu potiùs jussu Superiorum transferuntur, sciunt quod Ecclesia seu sponsa, quam necessitate cogente deserunt, non ideo gravanda sit, quia eam deserunt; & licèt laudabiliter pro debito eidem deserviverint, servitium non temporali mercede seu pensione in hoc mundo, sed æterna à Domino remunerandum sperant.

Agnoscunt justissimè ab Ecclesia decretum esse, » Si quis » translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, » vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochodochiorum, » aut Xenodochiorum rebus in nullo communicet; » *Synod. Calchedonens. Can. X.* adeoque nec pensionem temporalem ex demissa Ecclesia percipere prætendat.

Sciunt quoque similes Ecclesiastici, quod qui permutant, ut pensionem ex dimisso Beneficio accipiant, non sint multum absimiles illis, qui resignant, seu permutant Beneficia, ut summam pecuniæ (cui pensio æquivalet) recipiant; quod simoniacam procul dubio, teste Pontifice Urbano III. continet pravitatem. » Sunt enim, inquit, quidam, qui præbendæ suæ ce» dunt & juri renuntiant, ut majorem præbendam obtineant, » vel ex hoc etiam summam pecuniæ consequantur, quod qui» dem honestati est contrarium, *& simoniacam procul dubio con*» *tinet pravitatem.* « Cap. 5. ℵ *De rerum permutatione.*

Ecclesiastici, qui spiritu Ecclesiæ aguntur, Ecclesiam, quam divina vocatione sibi deponsârunt, non nisi Ecclesiæ utilitate, aut necessitate cogente deserunt; in eaque dimissione solam Ecclesiæ necessitatem, & utilitatem intuentes, lucrum temporale non quærunt; præcipuè quod non sine gravamine Ecclesiæ, cui deservierunt, & Canonum infractione haberi potest. Pernoscunt justissimum esse, ut quemadmodum ipsi, quandiu Ecclesiæ deservierunt, fructus integros perceperunt, etiam successor eâdem ratione percipiat: ut inde honestè vivere, & reliquum in pauperes, aliumve pium usum expendere queat.

Injustum proinde sciunt, Ecclesiam, à qua, cùm illi ministrarunt, temporalia receperunt, eo solo titulo gravare, quia illam Ecclesiæ necessitate, aut utilitate impellente deserere coguntur.

§. IV.

Solo titulo inæqualitatis proventuum exigere pensionem in permutatione Beneficiorum illicitum est.

PLures hodie reperire est, qui solam Beneficiorum permutationem non esse causam legitimam, & sufficientem petendi, aut recipiendi pensionem, facilè mecum agnoscent; at si cum permutatione concurrat Beneficiorum inæqualitas in proventibus, peti, ac exigi pensionem, ut hæc inæqualitas ad æqualitatem reducatur, nec injustum nec simoniacum credunt; at sine fundamento, ut patebit ex sequentibus.

» Certum enim est, ut etiam laxiores fatentur, excessum » sive inæqualitatem in re spirituali non posse suppleri vel com- » pensari pecuniâ, aut aliquo dono temporali; cujus in promp- » tu ratio est, quia spirituale venderetur pro temporali, quæ » res ponit veram materiam simoniæ: nihil hîc faciente Prælati » auctoritate, quæ vitium tollere nequit. « Hæc Zœsius ad *tit. de Rerum permutatione.*

Si igitur certum sit inæqualitatem proventuum in permutatione Beneficiorum non posse suppleri, vel compensari pecunia, aut aliquo dono temporali, quia spirituale venderetur pro temporali, quâ specie citra vitium simoniæ licebit suppleri vel compensari excessum sive inæqualitatem in re spirituali per pensionem? Num forsitam pensio aliquot centenorum florenorum annuè persolvenda aut redempta, *pecunia aut donum temporale* non est? O humana cœcitas, & cæca cupiditas! Si summa pecuniæ simpliciter in compensationem inæqualitatis, aut excessûs petatur, simonia est; sed si eadem vel longè major solo verbo *pensionis* velata exigatur, omnis simoniæ labes abstergitur.

Adhæc non minus certum est, quòd jus ad proventus Beneficii pecunia aliove temporali dari, aut resignari nequeat, nisi unà ipsum Beneficium, cui jus illud est annexum, pro temporali datum, aut resignatum censeatur; quia *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit*, ait Paschalis II. *Caus.* 3. *q.* 3. *Can.* 7. *Neutrum invenditum derelinquit.* Unde rectè notat Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 5. quòd *rebus istis venditis, intelligantur etiam spiritualia venditioni subjici.* Qui ergo jus ad proventus sui Beneficii resignat, ut pro eo *pensionem* notabili summæ pecuniæ æquivalentem accipiat, nec aliter resignare vult, nisi resignatarius in illam consentiat, nec *ipsum spirituale*, scilicet Beneficium, à quo jus percipiendi proventus ecclesiasticos dependet, *invenditum derelinquit*; *eoque vendito*, seu cum temporali, nimirum *pensione*, commutato, ipsum quoque *venditioni subjectum*, vel cum temporali commutatum *intelligitur.*

Qui igitur Beneficium cum alio Beneficio permutare non vult, nisi excessus proventuum sui Beneficii annuâ pecuniæ pensitatione compensetur, ipsum jus ad temporalia sui Beneficii pecuniâ compensatum vult; ideoque *gratis* dare non intendit; ac per consequens nec ipsum Beneficium, cui jus illud *consequenter* est annexum, *gratis* dare censetur.

Quare qui licitum credunt, nec esse contra justitiam permutare Beneficia ecclesiastica sub conditione solvendæ pensionis; quia permutans non exigit illam pro permutatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod illi conferre non tenebatur, non obscurè comprehenduntur censurâ Alexandri VII. quam sequenti propositioni inussit in decreto contra 45. Proposit. *num.* 22. » Non est contra justitiam, Benefi- » cia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens » illa Beneficia ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit » illam pro collatione Beneficii, sed velut *pro emolumento tempo- » rali*, quod tibi conferre non tenebatur.

Ulteriùs, si qua subtilitas actum aliquem à peccato contra certam legem ita excuset, ut simul universam illam legem penè inutilem, & sine fructu reddat, jure meritò reputanda est elusio *ad excusandas excusationes in peccatis.* At evidens est, quòd si ab omni simonia excusentur, qui solo titulo excessus, seu inæqualitatis fructuum in permutatione pensionem exigunt, ac recipiunt, universam legem contra Simoniacas & nundinarias permutationes ac resignationes eludi; cui enim rei lex illa servit, si omnis illa hodierna Beneficiorum appretiatio, & nundinatio excusetur, modo ea, quæ dantur, pensionis vocabulo colorentur.

Quis, quæso, tam insipiens, qui in Beneficiorum permutatione, aut resignatione pecuniam exigendo simoniacam resignationem aut permutationem faciet, si eandem pecuniæ summam *pensionis* nomine, citra vitium simoniæ, habere possit?

Et certè qui vel leviter attenderit modum agendi eorum, qui Beneficia sua mediante pensione permutant, videbit modò planè profano, & nundinario Beneficia Ecclesiastica tractari. Nonne enim dolentes conspicere jubemur, passim Beneficia ecclesiastica quoad temporalia emolumenta expendi ac appretiari, inæqualitatemque eorum præscriptâ *pensione* annuâ compensari, non secus ac duorum equorum aut fundorum permutandorum valor & bonitas expenderentur, & reperta eorum inæqualitàs pretii suppletione ad æqualitatem reducerentur? Quis similes rerum spiritualium profanationes non exhorresceat & execretur?

CAPUT V.

Num resignatio simplex, vel in favorem sit justa causa recipiendi pensionem.

PARAGRAPHUS I.

Sacri Canones volunt, ut quis Ecclesiam, cui semel est adscriptus, sine causa non deserat.

PRiscum jus est cum ipsis Apostolis natum, ne vel Episcopi, vel illi Clerici sua loca, suasve quasi stationes, in quibus divina ordinatione semel sunt constituti, leviter & sine causa deserant; juxta illud Apostoli 1. *Corinth.* 7. *v.* 20. *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

Utque hanc in rem prioris ætatis Canones sileamus, etiam seculo XI. disciplinam illam illibatam voluit Urbanus II. *Dist.* 70. *Can.* 2. » Sanctorum Canonum statutis consona sanctione de- » cernens, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & *in » qua Ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuo perseveret.*« Conformiter ad illud Concilii Valentini in Hispania: *Nullum Episcopi ordinent, qui localem se futurum primitus non sponderit.* Can. penult. & ult.

Rationem illius disciplinæ dictum Concilium insinuat: „ Ut » singuli in delegata sibi Ecclesia assiduum dependant officium » & Episcopi sui præceptis obtemperent, & ne ab ecclesias- » tica devient disciplina, ab una in aliam Ecclesiam tran- » seuntes.“

Eandem Ecclesiæ disciplinam etiam seculo XII. Alexander III. Archiepiscopo Turonensi exactè servandam esse rescripsit. Cujus rescriptum Gregorius IX. Decretalibus suis *Cap.* 4. ✠ *de Renunt.* inserendo auctoritate Juris donavit, adeoque nec Jure Decretalium Clericus Ecclesiam, cui semel adscriptus est, sine Superioris auctoritate dimittere potest.

Scio quidem Canonistas recentiores nonnullos existimare decisionem illius Decretalis in desuetudinem abiisse; ex eo quòd Episcopi passim permitterent Clericos Beneficia sua proprio arbitrio dimittere: notandum tamen, quod observat Fagnanus, ejusmodi indulgentiam ex proprio interesse non rarò profluxisse: *Nam Superiores non curant*, ait Fagnanus, *ut Beneficiati recedant de Beneficiis, quin potiùs contenti sunt, ut possint aliis conferre.* Cap. 4. ✠ *de Renunt.*

Num igitur dicta indulgentia sufficerit, ut dicta Decretalis verè esset abrogata, non ita constat; hoc tamen constat, quod Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 16. *de Reform.* decreverit conformiter ad pristinam Ecclesiæ disciplinam, „ ut etiam » is, qui ad titulum patrimonii pro necessitate aut utilitate ali- » cujus Ecclesiæ ordinatur, eidem Ecclesiæ aut loco adscri- » batur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur » sedibus. *Quòd si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sa- » crorum exercitium interdicatur.* Quo decreto (ut etiam rec- » tè advertit Fagnanus) prohibentur Clerici licèt nullum Bene- » ficium habentes, sed in ipsa ordinatione alicui Ecclesiæ tan- » tummodo adscripti, ab ea inconsulto Episcopo recedere. » Unde cavendum est, subdit idem Fagnanus, à modernis Col- » lectoribus, dum aliis relatis dixerunt: Presbyteris & Cleri- » cis non habentibus Beneficium in titulum personalem resi- » dentiam requirens, licitum esse ire quo velit, & Ordinarios » teneri eis litteras commendatitias concedere. Hoc est enim, » inquit, contra præcitatum Concilii decretum.“

Sive igitur pristina, sive moderna Ecclesiæ decreta spectentur, sat apparet, Ecclesiæ mentem & intentionem esse, ut quemadmodum sine Principis, aut Ducis consensu milites stationes suas deserere nequeunt, ita nec Clerici stationes sive Ecclesias sibi commissas leviter, & sine Superioris voluntate deserant.

Manifestum quoque est, Ecclesiam stabiles & firmos velle Ministros, qui eo nimirum animo accedant, ut sedulum & stabile in sua vocatione servitium præstare intendant, neque ab ea recedant, ni aliò eos necessitas aut utilitas vocet.

Quapropter si Patres Concilii Bituricensis *Ann.* 1584. *tit. de Benef. cap.* 2. » denuntient omnibus cujuscunque gradus & » conditionis, qui Beneficia ecclesiastica solius temporalis pro- » ventûs gratiâ suscipiunt, eos non facere fructus suos, sed » ad restitutionem teneri;“ quanto majori jure denuntiaretur omnibus, qui Beneficia ecclesiastica non suscipiunt, ut in illis officium aliquod Ecclesiæ præstent; sed ut illud quamprimum resignando pensionem aliquam ex illo distillent, *pensionem ullam non facere suam, sed ad restitutionem teneri.*

§.

§. II.

Resignationes in favorem cum clausula non aliter, nec aliàs *multis titulis contrariæ sunt SS. Canonibus.*

RESignationes in favorem cum clausula *non aliter*, *non aliàs non alio modo*, pluribus titulis contrariari sacris Canonibus apertum est.

Planum enim est ordinariè hujusmodi resignationes pactionem seu conventionem aliquam continere, *cum tamen in spiritualibus*, juxta sanctiones canonicas, *omnis pactio, omnisque conventio omninò debeat cessare.* Cap. 4. ✠ *de Pactis.*

Secundò sacris Canonibus vetitum fuit, ne Clericis liceat sibi successorem eligere, licèt ad vitæ exitum perveniant, ne *aliàs Santuarium Dei quasi jure hæreditario possideretur.*

Quomodo per prædictas resignationes hisce Canonum constitutis contraveniatur, & ratio & experientia docet. Quis enim non videat, per similes resignationes Beneficiatos sibi successores eligere, Beneficiaque jure quasi hæreditario ad posteros transmittere? Quod & experientia nimis, quàm manifestum fecit; cui malo etsi per Regulas Cancellariæ *de Viginti*, *de Publicandis Resignationibus*, aliasque Romani Pontifices occurrere voluerint, parum tamen remedium allatum esse quotidie experimur.

Tertiò, per hujusmodi resignationes à collatione, & provisione Beneficiorum excluduntur illi, quibus ex Ecclesiæ ordinatione incumbit ministros constituere; & datur penè omnibus Beneficiatis facultas Beneficium pro arbitrio suo conferendi, & quasi de proprio disponendi.

Hæc & similia, quæ ab hujusmodi resignationibus vix abesse possunt, si attendantur, non mirùm, si nec in Decreto Gratiani, nec in Decretalibus Gregorii XI. vel Bonifacii VIII. aut Clementinis vel Extravagantibus ulla resignationis *in favorem* cum clausula *non aliter*, *non aliàs*, *non alio modo*, mentio occurrat, ut etiam Flaminius Parisius observat. Quo verò tempore primùm originem cœperint, incertum illud est: constat, quòd tempore Gregorii de Ambasia in Regno Franciæ Legati à latere ventilatum fuerit, teste Ruzeo *Tract. Jur. Regul. priv. Utrum resignatio facta in favorem certæ personæ valeret, vel censeretur simoniaca*; ac tandem ab utraque parte allegatis argumentis per Parlamentum Parisiense similes resignationes ut *nullas & simoniacas fuisse rejectas*, tanquam continentes pactionem saltem tacitam ex parte resignantis, & expresam in verbis procurationis cum clausula, *non aliter*, *&c.*

Profectò si quis attenderit incommoda, & abusus omnes qui occasione resignationis *in favorem* in Ecclesiam redundant, non dubium, quin fateri debebit, quòd omninò optandum, ac annitendum esset, ut resignationes illæ plurimis seculis incognitæ, nec etiam hodie permitterentur; meritoque à nonnullis in Synodo Tridentina ad earum totalem abolitionem actum fuisse.

Nonne etiam ad oculum patet, per similes resignationes, & permutationes hodie Beneficia ecclesiastica quasi commercio profano exponi, & transferri? Nonne per similes resignationes Beneficia hæreditaria quodamodo facta esse conspicimus? Nonne per illas passim carni, & sanguini in Beneficiorum resignatione indulgetur? Nonne quisque Beneficiatus per viam similis resignationis constituitur quasi dominus sui Beneficii, ut de illo pro arbitrio suo disponat, & contra SS. Canonum decreta successorem sibi eligat?

§. III.

Permutantes, & resignantes debent in sua permutatione, & resignatione semper, quantum possibile est, digniorem eligere.

PErmutantes, ac resignantes Beneficiorum distributioni, seu provisioni cooperari, ad eamque concurrere, juxta usitatam modernam praxim, nemini dubium esse potest; consequenter sicuti Collatores & Patroni citra justitiæ distributivæ violationem, & peccatum acceptionis personarum minùs dignum præ digniori, ex humano erga aliquem affectu eligere vel præsentare nequeunt, ut suprà probatum est, ita nec permutantes, aut resignantes, in quantum ipsi ad Beneficiorum distributionem (quæ unicè in Ecclesiæ utilitatem fieri debet) concurrunt, non possunt dignum præ digniore ex privato affectu, aut humana aliqua consideratione eligere.

Sed dicent fortè permutantes aut resignantes, Superiorum esse permutationem vel resignationem admittere vel rejicere. Resp. Sit ita; quid enim si Prælatus faciliùs forsan quàm oporteret, imò quodammodo indifferenter, ut hodie aliquibus in more esse videtur, permutationes admittat, num propterea permutantes & resignantes minus dignis erunt extra noxam? Nonne ipsi sunt causa, quòd minùs digni Beneficium obtineant? Si enim in permutatione & resignatione solum utilitatem Ecclesiæ attendissent, easque personarum conditiones, quæ faciunt *ad causam*, id est, ut meliùs Ecclesiæ provideatur, indubiè dignior promotus fuisset; adeoque per resignationem minùs digno fit, ut Beneficium non distribuatur secundum justitiam distributivam.

Adhæc quis nesciat, quin considerando hodiernam praxim Prælati ac Superiores subinde cogantur tolerare resignationes, aut permutationes factas cum personis minùs dignis, ex. gr. ut valdè indignus excludatur; quo casu equidem permutantes & resignantes causa sunt, quòd minùs digni præ dignioribus in Beneficia intrent.

Plura hîc dicere supersedeo, quia in anterioribus sat ostensum fuit, quòd in quacunque Beneficiorum distributione unicè præ oculis haberi possint conditiones personarum, quæ faciunt *ad causam*, id est, ut aptiori ministro Ecclesiæ provideatur. (h)

§. IV.

Renuntiatio simplex vel in favorem, non est justa causa petendæ pensionis.

UT renuntiatio Beneficii justa, ac legitima causa esset petendi, aut recipiendi pensionem, deberet ipsa esse titulus sufficiens, & legitimus, ut quis redditus Beneficio annexos perciperet; at quid à ratione magis alienum, quàm ut quis jus acquirat ad fructus, seu proventus destinatos in subsidium & sustentationem Ministri, aut Operarii per hoc quòd ministerium, aut operas deserat? Nonne econtra justissimum, ut sicuti ipse tanquam Minister & operarius integros proventus habuit, eosdem integros permittat illi, qui in idem ministerium, & operas succedit?

Hinc magna Calchedonensis Synodus statuit *Can. X.* »ut si »quis translatus est ex alia in aliam Ecclesiam, prioris Eccle»siæ, vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochodochio»rum, aut Xenodochiorum *rebus in nullis communicet.*«

Ulteriùs, qui ob solam renuntiationem, seu resignationem à resignatario pensionem prætendit, nonne ob Beneficii collationem seu resignationem temporale, pensionem nimirum aliquot centenorum florennorum, exigit? Qua igitur ratione à simonia eximitur? Quid enim apertius, quàm simoniacum esse nolle Beneficium alicui, sive viâ permutationis sive resignationis dare, nisi ex resignatione seu permutatione summam aliquam pecuniæ accipiat, eaque ei addicatur?

»Sunt quidem, teste Urbano III. qui præbendæ suæ cedunt »& juri renuntiant, ut majorem præbendam obtineant vel ex »hoc summam pecuniæ consequantur, quod quidem hones»tati est contrarium, &, ait Pontifex, *simoniacam procul »dubio continet pravitatem* Cap. 5. ✠ *de Rer. permut.*

Si texte Pontifice cedere, seu renuntiare præbendæ, ut ex hoc *summa pecuniæ* obtineatur, *simoniacam contineat pravitatem*, qua ratione, vel in speciem à simonia excusabuntur qui præbendæ vel Beneficio renuntiant, ut pensionem aliquot centenorum florenorum obtineant? Num fortè *pensio* illa non est æstimanda *summa pecuniæ*? O humana cæcitas & perversitas!

Aliter sanè id intellexerunt Patres Synodi Oxoniensis anno 1222. »Ne lepra, inquiunt *Can. XI.* Giezitica, quod ab»sit, per avaritiæ cultum latenter irrumpens, Ministros Ec»clesiæ collocet extra castra regni æterni, districtiùs inhibe»mus, ne quis Ecclesiæ renuntians, *recipiat ab eo, qui sibi subs»tituitur, vicariam.*«

Non dubitavit proinde hæc Synodus, quin lepra Giezetica inficerentur renuntiantes Ecclesiæ eâ conditione, ut ab eo, qui sibi substituitur, *vicariam* sive pensionem recipiant.

Et certè quis, nisi pensionarii cupiditate avaritiæ excæcati, de hac veritate ambigere posset? Unde etiam Theologi aliàs de laxitate potiùs, quàm rigore suspecti, similes enuntiationes simoniacas dicere non dubitârunt.

»Nullo modo justum est (ait Theophylus Raynandus è So»cietate Theologus *Tract. de bonis Eccles. lib. 1. sect. 2. cap. 1.*) »ut quis idcirco tantùm deposcat sibi pensionem, quia resig»nat Beneficium in favorem tertii, *tametsi hæc est praxis, »vel potiùs abusio quotidiana.* Reprehendunt eam Corduba, »Valerius & Molanus. Ratio, cur non possit eo tantùm titulo »imponi pensio, inde ducenda, quòd *desit titulus accipiendæ »ex ea causa pensionis....* Igitur titulus, ob quem pensio im»ponitur, est Beneficii renuntiatio, quæ si sola sit, non est »causa idonea pensionis imponendæ, quia beneficiarius post re»nuntiationem nihil juris habet ad minimam partem fructuum »Be*ejusdem Beneficii fiant plures resignationes.*

(h) *Eo loci observare non erit superfluum, quod ann. 1634. Urbanus VIII. prohibuerit, ut eidem personæ licèt dignioris*

» Beneficii, quod dimittit : per ipsam verò renuntiationem nul-
» lum jus ad fructus acquirit. Tenetur enim vel ritè minis-
» trare, ut fructibus potiatur ; vel si cedere Beneficio vult, tene-
» tur *gratis* cedere, nisi aliquem titulum alleget, quo possit
» portionem fructum retinere. Quod si omittat, & tamen fruc-
» tuum partem sibi securam velit, vel pro pretio Beneficii id
» deposcit, *est Simoniacus*, vel de ea nequitia est suspectus;
» etiamsi *Pontificiam* concessionem obreptitiè extortam obten-
» dat, ut Corduba admonuit, adductis Panormitano, Ananiâ, Felino, Archidiacono, Imolâ & Frederico.

Ex sententia proinde etiam laicorum ut Simoniaci condemnantur, qui solo titulo resignationis *in favorem* exigere pensionem non verentur.

CAPUT VI.

De Pensionibus *pacis causa.*

PARAGRAPHUS I.

Exigere pensionem, ut liti cedatur, illicitum est.

INterrogatus Alexander III. in *Capit.* 7. ✠ *de Transact.* » Utrum de Ecclesiastico Beneficio in litigium deducto pos-
» sit fieri transactio ; « tale dedit responsum : » quod transigi
» super re sacra & litigiosa non potest ; etenim res sacræ, ut
» possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, spe-
» ciem credimus habere simoniæ. «

Nihil proinde temporale pro renuntiatione litis super re sacra, sive Beneficio citra simoniam exigi potest ; cujus ratio non est obscura. Jus enim, quod litiganti alter collitigantium cedit, indubiè spirituale est ; siquidem respicit Beneficii titulum, super quo lis vertitur. Proinde si pro cessatione hujusmodi prætensi juris temporale exigatur, non potest non esse simonia.

Hoc si omnes agnoscere teneantur, nimirum Simoniacum esse, pro cessione, sive renuntiatione prætensi juris ad Beneficium exigere aliquid temporale, sive *transigere super re sacra litigiosa aliquo dato vel retento* ; quis ausit inficiari, quin simoniam redoleat, renuntiare, sive cedere juri litigioso ad Beneficium eâ conditione, ut aliquod centenorum florenorum pensio cedenti solvatur ? Quis enim ambigat, quin eo casu fiat transactio de re sacra aliquo dato, vel retento? Ni fortè nihil dari dicatur cedenti, dum illi notabilis pensio annua addicitur.

Pensiones proinde, quæ *pacis causâ* petuntur & exiguntur, simoniacæ pravitatis mera sunt pallia. Quid enim, quæso, interest, num quis simpliciter collitigantem obliget ad dandam simpliciter aliquam summam pecuniæ, non verò eumdem astringat, priusquam liti cedere velit, ut similem vel majorem summam, quam *pensionem* vocare lubet, persolvat ?

§. II.

Frequenter incurritur Simonia ab eo, qui promittit pensionem pacis causâ.

» MUlti electi, qui gratuitam, & canonicam habent elec-
» tionem, inquit S. Ivo Carnotensis *Epist.* 6. quia di-
» lationibus impediuntur, comparatis sibi pecuniâ mediatori-
» bus, & prolocutoribus, ut turpem patiantur repulsam, in
» *simoniacam* offendunt aliquando consecrationem. «

Rationem assignat B. Petrus Damiani *lib.* 2. *Epist*, 3. quia non Ecclesiæ consulere quærunt, *sed quiete possidendi sibi culminis aditum pandunt.* Hoc est, ne per tertium à Sacerdotio assequendo impediantur, aut ex illo deturbentur, datis muneribus, sub specie *redimendæ vexationis* ut ajunt, assequuntur.

Sub hac verò larva non rarò simoniam latere *part.* 1. *cap.* 2. §. 3. ostendimus : eo quod sæpius contingat, ut tertius justè ipsum vel à possessione impedire, aut ex possessione exturbare possit ; quo casu, si temporali dato, aut promisso tertius ille juri suo cedat, quis ambigat quin apertissima committatur simonia, & præcepto Christi, *Gratis accepistis, gratis date*, contraveniatur.

Quidnî igitur & simonia committatur ab eo qui annuam pensionem annuit, & promittit collitiganti, ut à lite recedat, non Ecclesiæ consulere quærens, *sed quiete possidendi sibi culminis aditum pandens* ; atque ita, ne per tertium à Beneficio retardetur, vel ex illo forsitan exturbetur sub specie *redimendæ vexationis*, vel ut loqui placet, *pacis causâ*, pensionem aliquot centenorum florenorum addicit & promittit?

Quapropter timendum est, ne qui collitigantibus, seu vexantibus pensionem facilè annuunt, & promittunt quasi Ecclesias à litibus, & molestiis libertaturi, non rarò sub hoc spetioso pallio simoniam committant ; quia revera non tam Ecclesiam à vexatione liberare, quàm seipsos in Beneficii possessione securos constituere, ac collitigantis jus pensione annuâ redimere intendunt.

Tametsi igitur nonnunquam contingere possit, ut pensio à Prælato ob justam causam, v. g. ad advertendum magnum malum ab Ecclesia alias non avertendum, imposita, justè à Pensionario accipitur, quemadmodum *part.* 2. *cap.* 3. §. 5. notavimus : solicitè tamen cavendum, ne ipse Beneficiatus proprio motu eam addicat, aut promittat, ne, ut diximus, sub illo pallio simoniam incurrat ; dum scilicet latente proprio affectu, per pensionis addictionem pacificam Beneficii possessionem quærit.

§. III.

Occurritur objectioni quæ petitur ex cap. 21. ✠ *de Præbendis.*

ILlis, quæ de pensionibus *pacis causâ* sive redimendæ vexationibus dicta sunt, nonnulli contrariari credunt decisionem seu responsum Innocentii III. in *Cap. Nisi essent* ✠ *de Præbendis.* Verum si tantum leviter contextus Decretalis expendatur, de facili apparebit, nihil in illo Innocentii responso præsidii pro hodiernis pensionibus haberi ; quod ut omnibus clariùs appareat, integrum textum subjicio.

» Nisi essent, inquit, viri providi, & honesti, tam qui
» ordinationem fecerunt, quàm illi, circa quos est facta ordina-
» tio, in Ecclesia vestra super negotio Prioratus, ordinatio-
» nem illam valdè suspectam propter exempli perniciem habe-
» remus. Quod ergo post concertationem diutinam ordinatum
» est circa unum de duobus electis, ut ipse habeat Prioratum,
» hoc ex jurisdictione delegata secundum justitiam videtur es-
» se statutum : quod autem ordinatum est circa reliquum, ut
» ipse viginti libras de redditibus Capituli, & quadraginta de
» proventibus Prioratûs percipiat annuatim : hoc secundum
» providentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria potes-
» tate, cùm in Delegatos fuerit compromissum, qui auctorita-
» tem sibi retinendo commissam, se pro bono pacis & utilita-
» tis hoc ordinâsse fatentur. Quia igitur hæc ordinatio ab om-
» nibus est recepta, possuntque licitè Prior & Capitulum de
» proventibus suis propter causas prædictas, non quidem ex
» pactione partium, sed ex jussione Judicium provisionem hu-
» jusmodi exhibere. Nos eam hoc adhibito moderamine *tole-*
» *ramus*, ut ad præstationem quadraginta librarum non dig-
» nitas Prioratûs, sed persona Prioris maneat onerata : ne fortè
» circa proventus aliqua videatur facta sectio Priore defuncto,
» successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum mini-
» mè teneatur. «

Circa illam Pontificis decisionem hæc notanda occurrunt, quæ clarè ostendunt decisionem illam nullatenus pensionibus hodiernis patrocinari.

Primò dicit Pontifex, quòd ordinationem illam haberet valdè suspectam propter exempli perniciem, nisi essent viri providi & honesti, tàm qui ordinationem fecerunt, quàm illa circa quos est facta ordinatio. Ut nimirum ex personarum prudentia, & honestate præsumeret Pontifex, ordinationem illam unicè in Ecclesiæ utilitatem factam esse.

Secundò notandum, quòd Pontifex dicat, quòd possint Prior & Capitulum licitè de proventibus suis propter causas prædictas, *non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum* provisionem hujusmodi exhibere.

Quod igitur hîc pensionis nomine dabatur, initium sumebat ex jussione judicum, non *ex pactione partium* : imò nequidem scitur, partes de pensione mentionem fecisse ; sed judices ut viri honesti & providi judicârunt pro *bono pacis*, & *utilitatis* Ecclesiæ justum esse, ut subsidium aliquod daretur ei, qui Prioratui cedebat. Quemadmodum Synodus Calchedonensis in causa Sabiniani & Athanasii contendentium de Episcopatu Parrhenorum ordinâsse, *part.* 2. *cap.* 1. §. 2. diximus. Quidnî enim fieri potuit, ut is qui cedebat, de Ecclesia esset benè meritus, nec aliunde unde viveret haberet ; adeòque omninò justum esset, in *miserationis intuitu* de alimentis ipsi per judices provideretur.

Nullum ergo pensiones illæ hodiernæ, quæ *ex pactione, & conventione partium* initium sumunt, licèt postea judici vel Superiori probandæ præsententur, præsidium habent ; imò econtra non obscurè reprobantur ; cùm Pontifex expressè dicat, quòd Prior & Capitulum *non quidem ex conventione partium, sed ex jussione judicum*, provisionem hujusmodi exhibere possint.

Quare ad hanc Decretalem scribens Prosper Fagnanus dicit : » Oportet tamen, ut hujusmodi compositiones (qualis oc-
» currit in hac Decretali) super Beneficiis, ad hoc ut valeant &
» excusentur à simonia, capiant principium ab auctoritate Su-
» perioris, & non à pactione partium, ut probat, inquit, hæc
» littera ibi : *non quidem ex pactione partium, sed ex jussione*
» *judicum.* Quamobrem, pergit Fagnanus, qui prius faciunt in-
» ter se compositionem, & postea adeunt judices ut interpo-
» nant auctoritatem, non excusantur secundum bonam cons-
» cientiam, quominus incidant in vitium simoniæ, ut advertunt
» Bu-

» Butrius, Imola, Abbas & Decius. « Hæc Fagnanus ad *Cap. Nisi essent* ⁂ *de Præbendis*, *n.* 5.

Nihil ergo commune habet provisio, de qua in dicta Decretali, cum modernis pensionibus. Hæ enim ex *conventione & pactione partium initium sumunt*, illa autem provisio facta erat ex *mero officio* judicum Delegatorum in qualitate arbitratorum, qui bonum pacis & utilitatis præ oculis habentes ita statuendum credebant.

Adhæc licèt ordinatio illa à judicibus illis providis & honestis pro bono pacis, & utilitatis famâ, nihil mali in se habere videretur, eam tamen Pontifex approbare noluit : sed *eam, adhibito hoc moderamine*, inquit, toleramus.

Quis verò nescit, multa pro temporum, ac rerum circumstantiis à Pontifice, aliisque Ecclesiæ Prælatis *tolerari* & *dissimulari*, quæ tamen non probantur. Unde etsi hîc pensionis aliquod vestigium esset, nihil tamen Pensionarii in suam defensionem habere possent. Sicuti enim superiùs dictum est, petest nonnumquam Superior pensionem aliquam permittere, & imponere, & beneficiatus impositam solvere, ut tamen Pensionarius eam illicitè percipiat. Unde non dicitur hic, quòd cedens eam licitè percipiat.

Verùm enim verò, tametsi Pontifex hoc suum responsum ità temperaverit, tantaque circumspectione locutus fuerit, tamen ex *occasione hujusmodi provisionis*, ait Glossa, *assumunt quandoque aliqui causam malefaciendi.* Quinimò ut rectè nonnulli observarunt, ex hac Decretali originem sumpsêre pensiones illæ, quæ hodie *pacis causâ* colorantur ; ut vel inde pateat, quàm difficiles se exhibere tenentur Ecclesiæ Prælati, ut permittant, aut etiam tolerent ea, quæ de facili in exemplum, cum ingenti malorum sequela, trahi queunt.

Quamvis igitur Prælati Ecclesiæ juxta ante dicta, interdum ob bonum Ecclesiæ annuere possint pensionem alicui non merenti ; ob exempli tamen perniciem, rarissimè id faciendum erit ; imò interdum expediret extrema quæque tentare, quam pensionem permittere, seu indulgere ; præsertim eo loco ubi pensiones tot malorum scaturgines nondum invaluerunt, aut non tales, quales petuntur. (i)

CAPUT VII.

De incommodis, quæ ex hodiernis pensionibus oriuntur. Et an Sinodus Tridentina eas probaverit. Quidquid de illis Sanctus Carolus sinsirit.

PARAGRAPHUS I.

Eadem penè incomoda oriuntur ex moderna pensionum praxi, quæ ex simonia.

PEr hodiernas pensiones frequenter in Beneficiorum permutatione, ac resignatione simoniacam pravitatem tegi, ac palliari, ex antedictis constat : eosdemque penè modernarum pensionum, atque simoniæ effectus esse, non difficulter intelliget, qui vel leviter hodiernum pensionariorum agendi modum consideraverit.

Per simoniam contingit, ut res spirituales ad vilitatem quandam rebus istis indignissimam redigantur : cum enim in simonia commutatio quædam rerum spiritualium cum temporalibus interveniat quodadmodum spiritualia temporalibus coæquantur, quo res spirituales multum infrà dignitatem suam deprimi nemo dubitat. Quis verò idem per usitatam pensionum praxim fieri neget? Nonne enim ad oculum patet, resignantes, ac permutantes, æstimare Beneficia sua penes proventus annuos, eosque temporali pensione compensatos aut æquatos velle, non aliàs ac si res merè temporales in foro appretiarentur, atque pretii suppletione ad æquitatis terminos reducerentur ? Num forsan res spirituales minùs deprimuntur, si pensione annuâ aliquot centenorum florenorum commutentur, quam si certa pecuniæ summâ interveniente commutatio fieret?

Ulteriùs per simoniam fit, » ut nulla de actu probatio, » nulla solicitudo de moribus, nulla de vita discussio ; sed » solumodo dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur « ait S. Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 111. An non idem est pensionum effectus ? Nonne prima, ne dicam unica, est Pensionariorum in Beneficiorum resignatione, aut permutatione, cura, quis ampliorem, ac pinguiorem pensionem dare velit?

Sit Clericus aliquis moribus, ac eruditione quantumvis excellens, qui Beneficium non ambiat, qui proventus ac redditus ecclesiasticos consideret, ut Ministrorum sustentationi deputatos, & quod reliquum est, pauperum usibus applicandum, si pensionem proventibus Beneficii proportionatam annuere nolit, à Beneficio excludetur.

Nonne quoque constat, per pensionum praxim æquè ac per simoniam pauperibus plerumque ad Beneficia aditum intercludi? Quid enim experientiâ evidentius, quàm pensionarios illos passim quærere, qui pensionem non tantùm annuere volunt, sed de illius annua solutione securitatem dare possunt? Imò frequenter Pensionariis nec hoc sufficit ; sed eum invenire student, qui si non expressè, saltem tacitè pensionis redemptionem addicat ; aut ut minùs ex circumstantiis colligant, eum ad redimendum esse inclinatum ; quòd cùm à pauperibus non sperent, etiam illis, tametsi optimè merentibus, Beneficia sua resignare caveant.

Quid plura? Nonne ingenuè fatendum est per pensionarios hodiè eo rem penè redactam, ut dicere liceat cum Alexandro II. » Quod nulli unquam Clerico, quamvis Religioso, » quamvis scientia & moribus prædito, ecclesiasticum Beneficium concedatur (ego dico, resignetur) nisi ei qui *profano* » *pecuniæ* (pensionis) *munere* illud emere studuerit ; fitque Ecclesia & res ejus ità venialis, veluti quæ terrena & vilis merx » à negotiatoribus ad vendum exposita.« *Can.* 9. *Caus.* 1. *q.* 3.

§. II.

Canonibus pluralitatem Beneficiorum vetantibus per pensionarios illuditur.

CUm ecclesiasticus ordo pervertatur, ait Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 17. *de Reformat.* quando unus plurium officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verùm quia plurium Beneficiorum venatores, non tam officia, ac ecclesiastica ministeria, quàm temporalia commoda venari & æstimare solent, facili negotio per hodiernas pensiones sacris illis Canonibus illudunt.

Cùm enim pensio quantumvis notabilis, nomine Beneficii non venire credatur; creditur quoque pensiones licèt multiplicatas unà cum Beneficio haberi posse, salvis Canonibus pluralitatem Beneficiorum damnantibus, atque ita Pensionarii,non obstantibus tot Ecclesiæ severissimis decretis, idem assequuntur per pensiones, quod assequi per Beneficiorum pluralitatem ordinariè intendunt ; & Ecclesia in eadem penè incommoda incidit, quæ vetando Beneficiorum pluralitatem vitare intendit.

Si enim quis Beneficium aliquid, v. g. Canonicatum Cathedralem possideat, eligatur verò ad aliud cum priori incompatibile, ex. gr. Decanatum in alia Ecclesia ; prius Beneficium quidem specie tenùs resignabit, sed in effectu, quoad majorem nimirùm emolumentorum partem retinebit, scilicet retinendo pensionem, quæ ut minùs duas partes, imò nonnunquam totam penè portionem proventuum absumet ; sicque non duo duntaxat, sed quotquot assequi poterunt Beneficia in effectu simul retinere Pensionarii poterunt, singula nimirum sub pensione resignando.

Inde contingit illud, quod præcipuè per sua decreta contra Beneficiorum pluralitatem cavere voluit Ecclesia, „ut unus, » qui unum quantumvis modicum vix officium, ut loquitur » Joannes XXII. implere sufficeret, plurimorum sibi vendicat » stipendia : quæ multis litteratis viris, vitæ puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent aliunde sufficere, æquâ distributione collata.“ *Extravag. Execrabilis*, *de Præbend. in Communib.*

Et quæso quid interest, num quis retinendo plura Beneficia plurium Clericorum sibi stipendia usurpet, an verò tanquam Pensionarius nullo ecclesiastico titulo munitus illa sibi vindicet?

Certè non absimiles videntur hujusmodi Pensionarii illis, qui jam pridem variis artificiis plura Beneficia retinere volentes, Beneficium alteri quidem modico constituto stipendio

(i) *Ex his sequitur pensionem, quæ datur* propter meritum personæ, *ut ajunt, sæpius esse ilicitam. Eo nomine donantur pensiones in Galliis concessæ super Beneficia, quæ ex nominatione Regia dependent. Constat autem traditione eas pensiones non esse Canonicas, cum in gratiam utilitatis Ecclesiæ non conferuntur, sed duntaxat in commodum temporale Clericorum, qui illas obtinent. Porrò sæpiùs eo motivo ducuntur Clerici, qui istas Pensiones à Rege efflagitant. Quales illi sunt, quibus aut splendidæ amicitiæ, aut familiæ splendor, aut affinitatum magnitudo, aut preces importunæ annuas pensiones in Beneficia impetrant. Quantum illi distant ab agen-*

di ratione S. Francisci Salesii, cujus illud conscientiæ testimonium de pensionibus extat lib. 5. pag. 222. *in ejus vita consignatum. En verba auctoris vitæ S. Francisci Salesii. » Rex » ipse, dum vacaret Episcopatus, amplam obtulit pensionem an» nuam, deditque eo inscio litteras ad Quæstorem: & Salesius » quidem oblatis spontè pecuniis, pudore suffusus, statim ad » Regem acturus gratias, simúlque recusaturus accessit. «*

Observandum tamen est pensionem, quæ data dicitur ob meritum personæ, *esse quandoque licitam, verbi gratia, si concedatur Clerico, qui Ecclesiæ utilem navat operam, quique ea pensione indiget, ut possit victum honestum colere.*

dio resignabant, ejusdem Beneficii vicariâ cum majore parte fructuum sibi retenta: quod perniciosum artificium dum Ecclesia detexit, condemnare non dubitavit. Vide *Synodum Londinensem*, *ann.* 1237. *Can.* 10.

Nonne enim multi pensionarii in effectu Beneficium modico constituto stipendio resignant, sibi majori parte fructuum, *pensionis* nomine, retenta?

§. III.

Propter pensiones aspirant plures ad Beneficia, qui nec Beneficio deservire, imò nec in statu Ecclesiastico vivere intendunt.

MErcenarios, qui non nisi lucra seculi in militia Christi quærunt, summopere semper execrata est Ecclesia.

Hinc seriò monet Episcopos, ut ne *primâ quidem Tonsurâ initientur, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed* ut Deo fidelem cultum præstent, *hoc vitæ genus elegisse.* Synodus Trid. *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Reformat.*

Eadem ratione declaratur in *Cap.* 35. *de Electione in VI.* » Quod si quis promoveri ad Sacerdotium non intendens Paro» chialem receperit Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum re» cipiat, ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata » promotus fuerit) teneatur ad restitutionem fructuum corun» dem; cùm eos receperit fraudulenter; illum autem, qui eam » illi contulit, cùm ipsum non crederet ad hujusmodi Ordinem » promovendum (præter divinam quam exinde incurrit offen» sam) ad servandam indemnem eandem Ecclesiam decernimus » obligari. «

Quinimò cùm propter officium debeatur Beneficium, denuntiare non dubitavit Synodus Bituricensis, ut ante notavimus » Omnibus cujuscumque gradus & conditionis, qui Bene» ficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt, » eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.

Quàm verò latam portam huic abusui (nimirum suscipiendi Beneficia ecclesiastica sine animo Ecclesiæ serviendi, & officium, propter quod Beneficium datur, obeundi) hodierna pensionum praxis aperiat, vix dici potest.

Quis enim est, qui non intelligat sibi notabilem pecuniæ summam obventuram, modò Beneficium semel habere queat; licèt nunquam Beneficio deservire, imò nec statum Ecclesiasticum assumere velit? Mox enim ut Beneficium obtinuerit, via ei resignationis, aut permutationis sub pensione patet; qua mediante nullo præstito officio non exigua pecuniæ summa aut annuè obveniet, aut certè redempta pensione simul & semel præstabitur.

Sed quid pluribus opus est probare, per modernam pensionum praxim prædicto abusui portam aperiri, quandoquidem nihil experientia quotidiana sit evidentius, quàm Beneficia ecclesiastica avidè quæri ab iis, qui nihil minus in animo habent, quàm ratione Beneficii officium præstare, imò ne quidem statum ecclesiasticum assumere resolverunt, sed Beneficium tamen quærere, & acceptare non dubitant: certi, quod etiam nullo præstito servitio, nec ulla quidem in loco Beneficii facta residentia, ipsis nihilominus non incerta, aut dubia spes maneat recipiendi via resignationis notabilem pecuniæ pensionem ex Beneficio vel modico tempore possesso. Hinc etiam videmus, quod mox Beneficia pensione retenta dimittant; signum non incertum, quod in Beneficii acceptatione unicè pensionem respexerint.

Ex eodem indubiè fonte profluit, quòd Patroni & Collatores carni & sanguini consulere volentes, facilè inducantur, ut Beneficia conferant consanguineis suis, licèt sat intelligant, eos statum ecclesiasticum non meditari: sciunt enim, quod si statum secularem assumere voluerint, de Beneficio nihilominus notabile commodum viâ resignationis sub pensione consequi poterunt.

§. IV.

Referuntur plura alia incommoda ex pensionum praxi pullulantia.

PLura, eaque notabilia incommoda ex moderna pensionum praxi pullulantia præcedentibus paragraphis notavimus, quibus nonnulla forsitan nec minora hîc adjicimus.

Primò quidem per pensiones hodiernas præsertim si ipsis Beneficiis imponantur, contingit, ut proventus Beneficiorum ipsis Ministris Ecclesiæ ita subtrahantur, ut vix reliquum sit unde juxta statum suum moderatè, ac frugaliter vivere queant: ex quo ulterius contingit, ut viri eruditione ac moribus sufficientes ægrè reperiantur, qui Beneficiis illis præesse velint.

Hoc incommodum ex pensionibus impositis sensit in sua Diœcesi S. Carolus: Eo namque, ait vitæ ipsius Scriptor *lib.* 7. *cap.* 35. » primum Ecclesiam capescente, vel magna ex par» te, vel toti fructus Ecclesiarum alienis hominibus erant reser» vati; ex quo fiebat, ut qui essent aliquo numero Presbyteri » Sacerdotia recusarent; quorum facultatibus, pro dignitate » vitæ cultum non possent conservare. Qui vero accipiebant, » parvi pretii homines, neque doctrina, neque auctoritate satis » muneri suo facere valebant; ut præter Sacerdotis, ut tem» pora sunt, ex ea re contemptum, neque sacra supellex pro » decore parari, neque refici, vel ornari Ecclesia, neque sar» ta tecta haberi possent.

His finalibus verbis aliud pensionum incommodum exprimitur: nimirum quod per earum reservationem fiat, ut à Beneficiis, sive Ecclesiis subtrahatur illud, quo sacra supellex parari, vel refici, aut ornari Ecclesiæ, & sarta tecta conservari possent & deberent.

Adhæc, Cononum, atque Patrum unanimi testimonio adeo certum est, quod res Ecclesiæ sint vota fidelium, patrimonium pauperum, & redemptio animarum, ut trecentis etiam & amplius annis à famosa rerum ecclesiasticarum divisione dicere non dubitârint Patres Concilii Vernensis ann. 884. *Can. XII. Certè quod nullus quamquam impudentissimus negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum.* Quis igitur sat æstimet abusum, quo hodiè otiosos Clericos nihil de Ecclesia meritos (nisi quod forsitan Beneficia profano commercio sacrilegè nimis tractaverint) titulo pensionis de *patrimonio pauperum*, vel *patrimonio Jesu Christi*, sive *Crucifixi*, ut Pontifices loquuntur, ditescere, imo luxuriari conspicimus? *Cap.* 16. ✠ *de Preb.* & *Extrav.* 5. *eod. in Communib.*

Denique, quis sufficienter describet scandala, quæ illa pensionum hodierna praxis in animis fidelium gignit? Profecto fideles laici, qui res simpliciter ac de plano, sine præventione considerant, videntes passim Ecclesiasticos de Beneficiis suis notabilem pecuniæ summam recipere; nec Beneficia sua nisi pensionis addictione, aut receptione dimittere, Beneficia ecclesiastica vendi, aut re temporali commutari non dubitant. Cum enim in materia illa nulla sint cupiditate præventi, facilè vident in rei veritate nihil interesse, num quis simpliciter de summa pecuniæ danda paciscatur, an titulo pensionis eandem stipuletur.

§. V.

Synodus Tridentina usum pensionem non approbavit.

STatuit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* » Ut omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus sum» mam ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam ducato» rum centum, secundum verum annuum valorem, non exce» dunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum gra» ventur. «

Ex hoc Concilii decreto nonnulli approbationem pensionum inferri credunt; quasi Concilium vetando prædictas Ecclesias pensionibus gravari, cæteras posse gravari facilè affirmâsset. Verùm sine fundamento; nec enim dicit Concilium Ecclesias pensionibus gravari posse; sed cum esset summus in gravandis Ecclesiis per pensiones abusus, statuit, ut Ecclesiæ jam expressæ saltem gravari non possent; non approbans, quòd cæteræ Ecclesiæ gravarentur, sed præcavens, ut istæ ab onere liberæ essent. Quemadmodum Romani Pontifices » tam antiquis tempo» ribus, quàm modernis (verba sunt Innocentii III. *Lib.* 1. » *epist.* 460.) certum tempus Canonicis & Capitulis præfixe» runt ultra quod nec Ecclesiæ debeant, nec ecclesiastica Bene» ficia seu præbendæ vacare; *non approbantes quod tamdiu va» cent, sed præcaventes ne diutius Ecclesia quælibet solito mi» nistrorum obsequio defraudetur.* «

Illegitima proinde est consequentia; hoc illudve pro moderando excessu pensionum statutum fuit, ergo pensiones in reliquo approbantur.

Scimus quidem à nonnullis in Synodo Tridentina ad totalem pensionum abolitionem actum fuisse; atque inter articulos ex parte Caroli IX. Galliarum Regis Concilio oblatos, hunc fuisse; » pensiones super Beneficiis non constituantur, & quæ sunt » constitutæ tollantur, quo redditus ecclesiastici in alimenta » Pastorum & Pauperum, aliosque pios usus transferantur; « illud tamen quoque scimus, Patres Concilii Tridentini reperisse *Rempublicam christianam malis, quibus dudum vexata erat, propemodum oppressam*, ut loquitur Paulus III. *in Bull. Indict.* ut proinde mirum non sit, si universis Ecclesiæ moribus integram sanitatem reddere non potuerit; sed nonnullâ adigente, atque cogente temporum duritia ad tempus tolerare debuerit. Quod ne sine fundamento dicere videar, ipsos Concili Patres in ultima sessione monasticæ disciplinæ restaurandæ intentos audire lubet: » Cum pleraque Monasteria, etiam Ab» batiæ, Prioratus & Præposituræ ex mala eorum, quibus com» missa fuerint, administratione non levia passa fuerint tam in » spiritualibus, quàm temporalibus detrimenta; cupit Sancta » Synodus ea ad congruam monasticæ vitæ disciplinam omninò » revocare. Verùm adeò dura difficilisque est præsentium tempo» rum

„rum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, „quod *optaret*, remedium possit adhiberi; ut tamen nihil præ„termitat &c. *Sess.* 25. *cap.* 12. *de Regularibus.*

Nullatenus igitur sequitur, Synodus Tridentina usum pensionum, qui tot incommoda natus est secum trahere, totaliter non abrogavit, ergo eum approbavit, aut abrogatum non optavit.

§. VI.

Proponitur, quid circa pensiones senserit S. Carolus Borromæus.

UT pleniùs innotescat, quid Synodus Tridentina de pensionibus senserit, fidelissimi Synodi illius interpretis & executoris S. Caroli in hac materia praxim intelligere non inutile futurum credo; eam vitæ illius Auctor Carolus à Basilica Petri ipsi non solùm coævus, sed & admodum familiaris refert his verbis *lib.* 7. *cap.* 35. „Fructus suos unicuique Ec„clesiæ, Prebyterisque singulis, integros relinqui curavit ve„hementer, & effecit. Eo namque primùm Ecclesiam capes„cente, vel magna ex parte, vel tota, alienis hominibus erant „servati: ex quo fiebat, ut qui essent aliquo numero Pres„byteri, sacerdotia recusarent, quorum facultatibus, pro dig„nitate, vitæ cultum minimè possent conservare. Qui verò ac„cipiebant, parvi pretii homines, neque auctoritate satis mune„ri suo facere valebant: ut præter Sacerdotis, ut tempora „sunt, ex ea re contemptum, neque sacra supellex pro decoro „parari; neque refici, vel ornari Ecclesiæ, neque sarta tecta „haberi possent.

„Igitur, *pergit Auctor*, neque personis onus vel minimum „cuiquam Ecclesiæ imposuit unquam; & si quis fortè per auc„toritatem superiorem obtinere vellent, contrà totis viribus „pugnavit.

„Cùm ex magnis Præposituræ facultatibus, ex suis quidam „quo plurimùm utebatur, annuam pensionem sibi ferè impetrâs„set, ea Carolus ut auferretur, statim effecit. Neque alius pos„tea unquam conari aliquid simile ausus est.

„Sacerdoti tantùm pensionem concessam scio. Is cùm Eccle„siæ diù utilem sanè operam pro doctrina, virtuteque sua na„vâsset, demum multi laboris Parochiam habens, infirmaque „valetudine confectus, cum eam relinquere cogeretur, neque „aliunde haberet vitæ sumptum, moderatam pensionem ex Ec„clesia sua, quæ erat ex locupletioribus, à Carolo accepit." *Hæc prædictus Auctor.*

§. VII.

Reflexiones nonnullæ super praxi S. Caroli in materia pensionum.

EX praxi S. Caroli paragrapho præcedenti propositâ colligere licet sequentia.

Primò, quòd Carolus fructus unicuique Ecclesiæ, Presbyterisque singulis, integros relinqui curavit vehementer & effecit. Sciebat enim, ex justissima, ac ordinatissima lege unicuique Beneficio suos esse annexos proventus; ut is, qui Beneficium habet, possit ex eis vivere honestè pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas pro divino cultu, & templi, sacrarumque ædium reparatione, ut quod reliquum est, impendat in pios usus; adeoque nihil justius fore credebat, quàm ut eum in finem Beneficio fructus sui integri manerent.

Experientiâ quoque didicerat (ut ex verbis præcedenti paragrapho relatis constat) quanta incommoda, & mala Ecclesiis eveniant, dum proventus ad alios, quàm destinatos usus transferuntur; ac propterea mirum non est, si *vehementer* curaverit, ut fructus integros Ecclesiis singulis conservaret.

Secundò colligitur, quòd S. Carolo adeo pensiones displicuerint, ut non solum ipse Ecclesiis onus pensionum non imponeret; sed etiam *si quis fortè per Superiorem auctoritatem obtinere vellet, contra totis viribus pugnaverit.*

Quo exemplo Episcopi, aliique Ecclesiæ Prælati docentur, non tam facilè pensionibus, etiam à Superiore v. g. Pontifice, probatis annuere.

Quis enim nesciat, nonnunquam aliqua per importunitatem, & multiplicatas precum instantias à Sede Apostolica quodamodo invitâ, aliàs non concedenda, extorqueri, ut altè jam pridem in ægritudine constitutus de Commendis Ecclesiarum Cathedralium & Monasteriorum eo modo à se extortis querebatur Clemens V. *Extrav.* 1. *de Præb. in Commun.*

Scimus quoque, interdum contingere posse, ut litteræ aliquæ è Cancellaria Romana emanent, quæ conscientiam Pontificis fugiant, ut jam pridem insinuavit Lucius III. in *Cap.* 10. ℣ *de Rescript.* vel saltem aliqua subinde à Ministris contra mentem Pontificis litteris inseri; quemadmodum teste Gregorio XIII. in Const. quæ incipit, *In tanta*, sæpè conquestus fuerat ejus prædecessor Pius V. quod in sua Bulla, quæ incipit, *Etsi mendicantium*, multa *aliter alioque sensu à se prolata fuissent, quàm litteris expressa essent.*

Adhæc quis nesciat, Sedem Apostolicam ob multiplicia ex omni parte ad ipsam delata negotia, frequentioribus sub & obreptionibus subjacere.

Denique Pontifex *diversis occupationibus impeditus, singulis* (ut loquitur Lucius III. *Cap.* 10. ℣ *de Rescript.*) *in integrum examinandis non sufficit.* Quid igitur mirum, si subinde contingat, ut aliqua sine plena causæ discussione, & matura deliberatione concedantur, quæ concessa non fuissent, si per otium licuisset Pontifici momentum negotii, omnesque illius circumstantias maturè librare, & expendere?

Si igitur ad Episcopos, aliosve Ecclesiæ Prælatos deferantur litteræ, quibus à Sede Apostolica pensiones concessæ dicuntur, quæ non in utilitatem Ecclesiæ, sed potiùs in magnum illius præjudicium; imo ad tegendam simoniam, vel pluralitatem Beneficiorum, aliudve simile tendere videntur, meritò ab illarum executione supersedebunt; quandiù jure præsumunt sub vel obreptitiè, aut per importunitatem, vel citra conscientiam Pontificis eas fuisse obtentas. *Hoc* enim, teste S. Bernardo *Epist.* 180. *solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.*

Tertiò ex praxi S. Caroli habetur, quòd speciali studio, & cura allaboraverit, ut nullus ex familiaribus suis onus pensionis alicui Ecclesiæ impositum haberet. Quo rursus facto monentur Episcopi, aliique Superiores Ecclesiastici, ut singulariter studeant impedire, ne quis ex consanguineis, aut familiaribus pensiones ex Beneficiis suis habeat; quia consanguineorum, aut familiarum facta ordinariè imputari solent illis, quibus conjuncti sunt: ac propterea ea, quæ consanguinei aut familiares Episcopi agunt, facilè Episcopo adscribuntur; atque ita eo titulo alios magis ad imitandum incitant.

At licèt quàm maximè à pensionibus imponendis abhorruerit Sanctissimus Antistes; nihilominus semel uni eam concessisse verba suprà relata testantur; at cui, & quomodo eam indulserit, paucis reflectamus.

Imprimis tria in persona Sacerdotis, cui pensio concedebatur, concurrebant. Primùm, quòd *Ecclesiæ diu utilem sanè operam pro doctrina, virtuteque sua novâsset*: atque ita merita in Ecclesiam pensione gravandam haberet; quod requiri, ut quis licitè recipiat pensionem, *part.* 2. *cap.* 2. §. 3. notandum est.

Secundum, quod *infirma valetudine confectus Parochiam multi laboris deserere cogeretur*; atque ita non voluntate, sed necessitate à statione sua recederet.

Tertium, *quod aliunde non haberet vitæ sumptum*; adeoque non injustum esset, ut ipse pauper, & de Ecclesia benè meritus de proventibus Ecclesiæ participaret; quod ad pensionis justitiam requiri *part.* 2. *cap.* 2. §. 1. & 2. ostendimus.

Ad hæc notandum, quod Ecclesia pensione gravanda esset *ex locupletioribus*; ut consequenter verisimile sit, quod sine aliquo incommodo fructibus in pensionem assignatis carere posset; præsertim, cum nonnisi *moderatam* pensionem, resignatario seni, ac ægritudine confecto sufficientem, assignaret.

His certè conditionibus concurrentibus; nimirum, quod quis *diu utilem sanè operam Ecclesiæ navaverit*; quod *infirma valetudine confectus eam relinquere cogatur*; quod *aliunde non habeat vitæ sumptum*; quod Ecclesia deserenda sat abundet, ut ultra honestam ministrorum sustentationem, pensionem *modicam* exhibeat; his, *inquam*, conditionibus concurrentibus, quis talem pensionem à resignatario ab Episcopo concessam recipi posse negaret? Similesque pensiones nec olim incognitas fuisse *part.* 2. *cap.* 1. §. 2. ostendimus. At pensiones, quæ passim in permutatione Beneficiorum ob inæqualitatem fructuum, aut ratione resignationis in *favorem, pacis causa*, similive titulo exiguntur, & recipiuntur, nec antiquitas novit, nec S. Carolum Patronum, sed summum adversarium habuerunt.

Optandum sanè, ut passim Episcopi, aliique Ecclesiæ Superiores moderationem Caroli in imponendis, & concedendis pensionibus imitarentur.

FINIS.

CEN-

CENSURA.

Quantò rarior est casus, quo quis simoniacè ingressus in Beneficium, potest in illo permanere; tanto utilior, ne dicam magis necessarius est hic Liber *Clar. D. Zegeri Bern. Van Espen* J. U. D. &c. in quo ex ipsis principiis, hoc est, Canonibus, & Monumentis Ecclesiæ clarè detegit *simoniam* committi solitam *circa Beneficia*. Cæcus enim sit oportet, qui non videat fœdas plurimorum cupiditates, & distortas Beneficia aucupantium intentiones, nescio quibus clausulis & artificiosis technis hodiendum obvelari. Dum verò adeo Acanonicus est in Beneficia ingressus, ad ipsa etiam Sancta Sanctorum Simoniæ contagio prorepit, dum in *Missarum celebratione Sacramentorumque administratione* in speciem licitantium & mercantium proceditur. Unde non meo solius, sed omnium judicio hic Tractatu prælo est condignus. Dabam Lovanii hac 1. Junii 1686.

Bartholomæus Pasmans, Sacræ Theolg. Doctor, & Librar. Censor.

DISSERTATIO CANONICA DE DISPENSATIONIBUS PRÆSERTIM MATRIMONIALIBUS.

PROŒMIUM.

DIspensatio à Canonistis pro *Venia Legis*, quam *providam Juris relaxationem* vocant, accipitur. A Græcis *Dispensationis* nomen hoc modo sumptum manâsse videtur: Græci enim ea omnia per Dispensationem fieri asserunt, quæ præter ordinarium naturæ cursum contingunt: unde dictionis hujus usus ad inflexam quandam agendi rationem à Canonum tenore pro bono publico desciscentem traductus est, inde nonnunquam *Venia*, *Condescensio*, *Miseratio*, *Lenitas* dicitur, ut apud Franciscum Florentem in *Dissertat. de Dispensat.* videre licet.

Dispensatio hoc modo sumpta frequentiùs versatur circa mores, ritus, aut ecclesiasticam disciplinam, dum aliqua circa illa remittuntur vel relaxantur ad tempus, ne quid deterius contingat.

Est hæc Dispensationis species frequentissima & majoris momenti, de qua breviter quæri potest: quibus in causis locùm habeat, & in quibus non habeat: num utilis & conveniens sit hujusmodi Dispensatio: quibus personis dispensandi auctoritas, & quibus conditionibus concredita sit: denique quænam Dispensationem sub-vel-obreptitiam reddant, aut de subreptione saltem suspectam faciant. His de Dispensationibus in generali præmissis nonnulla circa praxim Dispensationum Matrimonialium subjiciemus.

CAPUT PRIMUM.

IN QUIBUS CAUSIS DISPENSATIO LOCUM HABEAT, ET IN QUIBUS NON HABEAT; ET QUIBUS PERSONIS DISPENSANDI AUCTORITAS COMPETAT.

PARAGRAPHUS I.

Ut clarius ostendatur, in quibus Dispensatio locum habeat, vel non habeat, præmittitur divisio Legis in naturalem, positivam, divinam, & humanam.

INter omnes Leges primum locum Legi naturali tum à duratione, tum generalitate tribuunt Jurisconsulti, nec ullam digniorem dari non immeritò existimant. Nec refert, si Legem æternam quid dignius, aut sublimius sonare credant Theologi: si enim rem ipsam penitiùs expenderimus, Legem, quam Jurisconsulti naturalem appellant, non nisi penes connotatum à Lege, quàm Theologi *æternam* dicunt, differre deprehendemus. Quid enim Lex æterna, teste Augustino *lib.* 33. *contra Faust. cap.* 27. *Nisi ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbare vetans?* Lex verò naturalis nisi Lex illa æterna, ut à creatura rationali cognoscibilis?

Lex proinde naturalis hoc modo sumpta, non secus ac illa, quam Theologi *æternam* dicunt, rectè appellatur æterna ac incommutabilis justitia, quæ nunquam cessat ostendere, quid justum, quid injustum sit. Ipsa namque fuit, quæ ab origine mundi impio Cain ubique ac indesinenter suam ostentavit impietatem; à cujus facie vagus ac profugus in terra abscondi non potuit; imò à cujus facie nec in profundum delapsus inferni absconditur: ipsa enim per nunquam finiendam æternitatem fratricidium Cain, & impietatem impiorum arguet, & statuet contra faciem eorum: hæc erit in tota æternitate *vermis*, *qui non moritur*, conscientiam impiorum corrodens, nunquam consumens.

Hæc est *Lex Dei sempiterna*, *quam consulunt omnes piæ mentes* (ut loquitur S. August. *quæst.* 67. *in Exod.*) *ut quod in ea inveniant, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate præceperit.*

Sed quid de piis mentibus dicam? Cùm quidquid vel ab impiis justum judicatur, aut statuitur, ex legis illius intuitu accipitur: per illam quippè omnes *Reges regnant*, & *Legum conditores juxta decernunt*. Prov. cap. 8. v. 15.

Quare quidquid unquam Imperatorum Romanorum Legibus, in Jurisconsultorum, etiam Gentilium responsis justi, ac recti reperitur, ex illo Juris naturalis purissimo fonte haustum est; » nec enim in temporali Lege quidquam justum, atque legitimum esse arbitror, ait August. *lib.* 1. *de Lib. Arb. cap.* 15. » quod non ex hac æterna, seu naturali, sibi homines derivârunt «

Quod nec ipsos Jurisconsultos Gentiles latuit, quare eorum unus ut Juris civilis justitiam suaderet, dicere non dubitavit: » Jus civile nec in totum à jure naturali recedit. «

Imò hæc est illa, à cujus consonantia, aut contrarietate actiones omnes humanæ justæ, aut injustæ dicuntur: quid enim aliud peccatum, nisi *dictum*, *factum*, *aut concupitum contra legem æternam*, vel si malis, contra legem naturalem?

Ut reliqua, quæ legis naturalis dignitatem persuadent, præteream: quis legem illam, ex cujus intuitu quid justum, quid injustum sit intelligitur; à qua quidquid in legibus positivis justum, ac legitimum est, accersitur; cujus denique lumen neque ad extremas mundi horas fugiendo, nec ad superna cœlorum ascendendo, vel in profundum inferni descendendo effugere possumus; quis, inquam, legem hanc æternam, ac divinam esse justitiam neget? Imò quis dubitet cum Augustino ad Deum dicere: *Lex tua Veritas*: *Veritas Tu*?

Si lex naturalis Deus est, quis eam immutabilem omnisque variationis expertem neget? Hinc illud Imperatoris Justiniani in *Instit. de Jure natur.* §. 11. » Naturalia jura, quæ apud omnes gentes peræque observantur, divinâ quadam providentiâ » constituta, semper *firma* atque *immutabilia* permanent. «

Hinc quoque intelligitur, quod qui legi naturali contrariatur ip-

ipsi Deo contrarietur : & è converso qui agit, aut patitur amore legis naturalis, agat & patiatur amore incommutabilis justitiæ, sive ipsius Dei.

Secundum locum inter leges, Jurisconsultis pariter ac Theologi tribuunt legi possitivæ divinæ, quæ Deum ipsum immediatum Auctorem agnoscit.

Hæc tametsi *Deum* Auctorem habeat, multò lege naturali inferior est ; nec enim ut hæc, æterna ac necessaria est, sed temporalis & contingens, nec ab ipsa, quid justum, aut injustum sit, primitùs accipitur ; sed è contra quod ipsa justa, à convenientia cum lege naturali habet.

Quare quæcunque positivo Dei decreto in veteri Testamento statuta fuere, non diutiùs integra ac inviolata perdurârunt, nisi quousque legis naturalis adimpletioni necessaria, aut convenientia fuêre : hinc ceremonialia ac judicialia veteris Testamenti penè abrogata esse, quis nescit ?

His duabus legibus, naturali scilicet ac positivâ divina inferior est positiva humana, quæ præterquam quod variis mutationibus, prout temporum ac personarum conditio exigit, obnoxia sit, non Deum ipsum, ut positiva divina, sed hominem tantùm immediatum Auctorem agnoscit ; qui eam ex intuitu legis naturalis, potestate sibi à Deo data, pro Ecclesiæ aut Reipublicæ utilitate edit, mutat, ac tollit. » Ea, » inquit Justinianus loco suprà citato, quæ ipsa sibi quæque » civitas constituit, sæpè mutari solent vel tacito consensu po- » puli, vel aliâ posteà lege data. «

§. II.

In lege naturali, aut positiva divina nulla hominis propriè dicta dispensatio locum habere potest.

DIspensationem fieri non posse sine quadam legis relaxatione, certum est : cum ergo lex naturalis, ut §. præcedenti ostensum est, immutabilis sit, nullique variationi obnoxia, clarum est, nullam propriè dictam dispensationem in legem naturalem cadere posse. Hocque est quod dicere voluit S. Ivo Carnotensis, dum in prologo sui Decreti multa doctè in Dispensationibus disserens, hanc regulam proponit : „*In* » *his, in quibus neglectis mors indubitanter consequitur*, nul- » la est admittenda dispensatio ; sed ità sunt omnia mandata & » interdicta servanda, sicut sunt æternâ lege sancita. «

Huic Ivonis regulæ uno quodammodo consensu subeunt Juristæ ac Theologi, constanter asserentes jure naturali interdicta, nullâ hominis dispensatione licita fieri, sed ita omnia esse servanda, sicut sunt æternâ lege sancita.

Quod de dispensatione, idem de consuetudine statuendum, nullam scilicet, quantumvis universalis ac diuturna sit, legi naturali præjudicare posse. Nec quisquam sanæ mentis de eo ambigere potest, teste Pontifice in *cap. fin.* ¤ *de Consuet.* » Nemo sanæ mentis intelligit, naturali legi (cujus transgressio » periculum salutis inducit) quacunque consuetudine (quæ di- » cenda est veriùs in hac parte corruptela) posse aliquatenus » derogari.“

Hinc collige, nullâ dispensatione aut consuetudine tolli, aut maturi posse, quæ in Canonibus jure naturali vetita aut præcepta occurrunt : si enim non stent jure positivo, semper tamen lege naturali subsistent.

Hinc ulteriùs intellige, quæcunque Synodus Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* insecuta sacros Canones, conformiter ad legem naturalem de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, necnon secularibus negotiis a Clericis fugiendis statuit, nullâ dispensatione, aut consuetudine tolli posse.

Legem positivam divinam quod attinet, quantumvis mutationem accipere queat ; eam tamen nemo tollere, aut mutare potest, nisi Deus ipse, qui illam condidit : quare nec hæc dispensatione, aut consuetudine humanâ, mutationem aut relaxationem suscipit.

§. III.

Aliqua prohibent SS. Canones inseparabilis cum Lege naturali deformitatis ; aliqua verò quorum deformitas non nisi per certas circumstantias tolli potest.

PRo faciliore intellectu eorum, quæ præcedenti §. dicta sunt, notandum, in sacris Canonibus quædam occurrere, quæ legi naturali adeo contrariantur, ut nullis unquam circumstantiis supervenientibus dictæ legi possint esse consona : qualia sunt adulteria, perjuria, rerum spiritualium nundinationes & his similia. Nonnulla verò in Canonibus reperiri, quæ quidem simpliciter secundum se considerata, conformitatem seu contrarietatem quandam cum lege naturali important ; sic tamen ut omnis illa deformitas seu oppositio, quibusdam circumstantiis advenientibus, quandoque abstergi queat : quo fieri possit, ut aliquo casu legi naturali non repugnent, sed omnis deformitas, seu inordinatio per circumstantias conjunctas sit sublata ; atque ita sola lex positiva obstet, quominus eo casu absolutè licita sint. Id exemplo pluralitatis Præbendarum ostendit S. Thom. *Quodl.* 9. *art.* 15. » Sunt, inquit, quædam actio- » nes, quæ absolutè consideratæ deformitatem vel inordinatio- » nem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis » advenientibus bonæ efficiuntur. In numero harum actionum » videtur esse habere plures Præbendas, cum hoc, quod est ha- » bere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes conti- » neat ; utpotè quod non est possibile aliquem in pluribus » Ecclesiis deservire, in quibus est Præbendatus, cum Præ- » bendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo » ibidem ministrantium. Sequitur etiam in aliquibus defrau- » datio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ec- » clesiæ contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi » esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Be- » neficiis abundat, & alius nec unum habere potest. Et multa » alia hujusmodi, quæ de facili patent. Unde non potest con- » tineri inter indifferentes actiones, multò minus inter eas, quæ » sunt secundum se bonæ, ut dare eleemosynam, & ejusmo- » di. Quamvis verò has inordinationes pluralitas Præbendarum » contineat, tamen, ait Doctor Angelicus, aliæ circumstantiæ » possunt supervenire ita honestantes actum, quòd prædictæ » inordinationes totaliter evacuentur ; ut puta, si sit necessi- » tas in pluribus Ecclesiis ejus obsequii, ut posset plus ser- » vire Ecclesiæ, vel tantundem absens, quàm alius præsens, » & si quæ alia sunt hujusmodi : & tunc istis conditionibus su- » pervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam » nulla dispensatione interveniente, si consideraretur tantùm » secundum jus naturale ; quia dispensatio ad jus naturale non » pertinet, sed solùm ad jus positivum.“ Hactenus allegata ex S. Thom. circa pluralitatem Præbendarum, etiam absentiæ seu non residentiæ Clericorum, permutationi Beneficiorum, pensionum super Beneficio dimisso retentioni, aliisque hujusmodi per Canones proscriptis, nullo negotio applicantur : quandoquidem & illa secundum se considerata, plurimas inordinationes secum trahant, quæ nonnunquam, quibusdam circumstantiis advenientibus, abstergi possunt.

§. IV.

Illa quæ superabilem deformitatem conjunctam habent, per dispensationem licita non fiunt, nisi circumstantiæ deformitatem abstergentes reipsa adsint.

QUæ §. præcedenti dicta fuerunt, evidenter evincunt pluralitatem Beneficiorum, absentiam Episcoporum, Pastorum, aliorumque Beneficiatorum, pensionis retentionem, & his similia, quæ suaptè natura plurimas inordinationes conjunctas habent, esse legi naturali contraria ; nisi circumstantiæ reipsa adsint, quæ inordinationes illas abstergant.

Neque sola, & voluntaria animi directio actiones in malum propensas, licitas reddit ; sed insuper necesse est adsint hujusmodi circumstantiæ, quæ rectæ intentioni officii bonitatem adjungant. Non enim sola recta intentio facit actionem aliquam ex se malam, aut in malum propensam, undequaque rectam ; sed cum recta intentione exigitur ipsa officii rectitudo: hinc sapienter S. Thom. loco jam cit. ut quis plures Præbendas citra prævaricationem juris naturæ habeat, hæc duo conjungit, *rectam intentionem, & circumstantias, quibus tollantur inordinationes*, quæ pluralitatem Præbendarum comitari solent. Quod ipsum advertens Fagnanus, ex verbis S. Thomæ suprà relatis sex conclusiones deducens, & hanc apposuit ad *cap. Quia, de Præb. num.* 13. „ Cesantibus ejusmodi circumstan- » tiis, quæ deformitatem seu inordinationem tollunt, licitum » non est plures Præbendas obtinere, etiam *cum dispensatio-* » *ne* ; eo quòd dispensatio non auferat ligamen juris natura- » lis, sed solùm ligamen juris positivi. Et in hoc, ait idem, » tandem resident hic Canonistæ nostri.“ Quod de pluralitate Beneficiorum, idem quoque de retentione pensionis, perceptione fructuum in absentia, aliisque ejusdem generis actionibus dici debet : illas nimirùm totaliter licitas non fieri, *etiam cum dispensatione*, aut cum *privilegio Apostolico* (quod vices dispensationis obtinet) nisi reipsa circumstantiæ adsint, inordinationes actionibus illis suaptè natura conjunctas tollant.

Hæc si quis seriò expenderit, & ab alia parte perpendat modum agendi illorum, qui sibi licita autumant pluralitatem Beneficiorum, retentionem pensionis, perceptionem fructuum in absentia, aliaque similia (quæ non nisi rarissimè ob graves circumstantias legi naturali sunt consona) propter dispensationem, aut privilegium Apostolicum, fateri debebit, plurimis quadrare illud S. Bernardi ad Nepotem *epist.* 1. *Et quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cujus conscientiam divina tenet ligatam sententia ?*

§.

§. V.

In his, quæ sunt merè juris positivi, usum dispensationum nonnunquam utilem, imò & necessarium esse Ecclesia judicavit.

» IN his, inquit S. Ivo *in præalegato prologo*, quæ propter » rigorem disciplinæ, vel muniendam salutem posteriorum » sanxit diligentia, si honesta vel utilis sequatur compensatio, » potest procedere auctoritate Præsidentis diligenter deliberata dispensatio. Multa enim talia, pergit idem in Evangelica » historia, in Actibus Apostolorum, in gestis Conciliorum & » contigisse legimus, & postmodum Apostolicorum virorum » auctoritate roborata cognovimus."

Exempla plurima, & Patrum auctoritates ibidem refert S. Ivo, quibus ostendat rigorem disciplinæ, necesitate, aut utilitate Ecclesiæ exigente, nonnumquam auctoritate Præsidentium fuisse relaxatum; quod idem præstitit Gratianus noster *Caus.* 1. *quæst.* 7. & hic quidem inter alia antiquitatis veneranda monumenta refert Epistolam S. Cyrilli Alexandrini ad Gennadium Presbyterum, in qua ratio redditur, quæ dispensationis usum interdum necessarium facit: » Dispensationes rerum, » ait, nonnunquam cogunt parùm quidem à debito quosdam » foras exire, ut *majus aliquid lucrifaciant*. Sicuti enim ii, qui » mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante anxiati quædam exonerant, ut cætera salva permaneant; ita & » nos, cùm non habemus salvandorum omnium negotiorum » penitùs certitudinem, despicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur dispendia." *Caus.* 1. *q.* 7. *Can.* 16.

Huic consonat, quod apud eundem Gratianum *Caus.* 23. *q.* 4. *Can.* 24. refertur ex *Epist.* 50. S. August. » Verùm in ejus» modi causis, ubi per graves dissensionum scisuras, non hujus, » aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, » detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat."

Ex his, aliisque apud prædictos Auctores reproductis intelligere licet, verissimum esse, quod ad S. Anselmum Cantuariensem scripsit Paschalis II. *Epist.* 42. » Dispensationis modus, sicut B. Cyrillus in Epist. Ephesinæ Synodi loquitur, » nulli unquam Sapientum displicuit. Novimus enim Sanctos Patres nostros, & ipsos Apostolos, pro temporum articulis, » & qualitatibus personarum dispensationibus usos."

§. VI.

Licèt Ecclesia, necessitate cogente, rigorem Canonum interdum relaxet; non ideò tamen Canones abrogati censentur.

TAmetsi Ecclesia nonnunquam vitiis, aut abusibus filiorum prægravata cogatur, adinstar nautarum tempestate urgente, quædam exonerare de rigore sacrorum Canonum, quos ipsa florens nec abundantia vitiorum aggravata, melioribus temporibus pro filiorum suorum, præsertim ministrorum, moribus conformandis, nascentibus & succrescentibus vitiis resecandis, sanxit (quos Canones Spiritu Dei conditos, & totius orbis reverentia consecratos, Sanctus Leo appellat) hos, *inquam*, Canones, licèt necessitate urgente interdum relaxare teneatur, ut majoribus malis charitas sincera subveniat: eos tamen, tanquam purissimas morum regulas, in intimo spiritu gerit impressos, ut eos nunc teneat quantum potest, aut si non potest temporum difficultatibus præpedita, ingemiscat & doleat, meliora spectans tempora, quibus regulas illas restitutas videre liceat. Cùm enim idem Spiritus hodie eam regat, qui aureis illis seculis, non minus castos & sanctos optat esse Sacerdotes; non minus quàm olim avaritiam, & ambitionem in ministris execratur; nec minus illos adversatur, qui sibi honorem rapiunt, & in sacros sine Dei jussu Ordines involant.

Plurimum proindè errant, qui Canones illos, in quibus purior morum disciplina resplendet, tanquam leges Atheniensium & Lacedemoniorum prorsus abolitos censent. Quem perniciosum errorem infinitis propemodum Patrum testimoniis damnatum, ex professo in Synodo Roman. repressit Urbanus II. In hac Synodo, cùm quædam necessitate cogente, circa rigorem Canonum contra ordinatos à simoniacis, non tamen simoniacè, essent relaxata, ne Canones propterea universim aboliti putarentur, Synodus subjungenda judicavit sequentia: » Quamvis autem, inquit *Can.* 11. misericordiæ intuitu, » magnaque necesitate cogente, hanc in sacris Ordinibus dis» pensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus; sed obtineant proprium ro» bur, & cessante necessitate, illud quoque cesset, quod » factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacet, » subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius » charitati."

Qui ergo spiritu Ecclesiæ imbutus est, illos Canones pro moribus formandis, melioribus temporibus conditos, tanquam cœlestia quædam instituta, ad formandos in temporum perpetuitate Christianorum mores, veneratur & probat: hinc in ipso exurgit ardens desiderium, ut instaurentur, diligens cura, studium & contentio, ut adhuc vigentia teneantur; vel collapsa, quantum christiana prudentia sinit, restaurentur.

Hoc spiritu animatus S. Carolus fuit: „ Hinc Canonum » ea scientia ipsi perjucunda erat, inquit Carolus à Basilica » Petri *lib.* 8. *cap.* 12. quæ Patrum mores, & acta representans, » Ecclesiæ componendæ, atque ordinandæ optimam rationem » continent: dolens autem, communi consuetudine eos tantùm » Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites, judiciaque » valeant, constituit ipse, qui iis declarandis præsset; unde » sacra Majorum instituta & ritus, optimum Ecclesiæ admi» nistrandæ genus haurietur."

Hinc collige, quantopere à Caroli spiritu esset alienum, credere SS. Ecclesiæ Canones, & Patrum acta, licèt propter temporum miseriam nonnihil relaxat, prorsus esse abolita, ut è contra omne suum studium illis perdiscendis impenderit, quo posset Ecclesiam sibi creditam ad formam in illis præscriptam reducere. Eadem de causa Juris Studiosis illa prælecta volens, ut partibus sibi aliquando concredendis, optimum Ecclesiæ administrandæ genus ex illis haurierent.

Hinc ulteriùs videre licet, quàm longè à mente Caroli aberrent, qui simul ac audiunt quidpiam ex actis, aut scriptis SS. Patrum proferri, id protinus tanquam à studio Canonum alienum rejiciunt.

§. VII.

Quibus potestas dispensandi concredita sit.

QUandoquidem teste Synodo Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.* & continuo Ecclesiæ usu, ut §. præcedenti notatum est „ publicè expediat, legis vinculum quan» doque relaxari, ut pleniùs evenientibus casibus, & neces» sitatibus, pro communi utilitate satisfiat: quis non videt dis» pensandi auctoritatem præcipuè illis concedendam, qui prin» cipaliorem in Ecclesiæ regimine locum obtinent?" Ut hi tanquam speculatores super domum Dei, despiciant quando rigore, quando vero benignitate utendum fuerit, ut benè notat S. Thomas. Cùm igitur præcipuas indubiè in regimine Ecclesiæ partes Episcopi sustineant, utpote qui (ut ait Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Ordin.*) „ in locum Apostolorum » succeserunt, quosque Spiritus Sanctus posuit regere Eccle» siam Dei. Et quibus singulis, teste S. Cypriano, portio gre» gis est adscita, quam regat unusquisque, & gubernet, ra» tionem Domino redditurus." consequens apparet, quod sepositâ omni positivâ reservatione, Episcopali auctoritati cohæreat plenaria rigorem Canonum relaxandi potestas, quoties necessitas, aut utilitas gregis sibi crediti relaxationem postulaverit.

Quæ Episcoporum in dispensando libertas & inde non parùm confirmatur, quòd constet penes Episcopos plurimis seculis fuisse dispensandi facultatem in omnibus illis disciplinæ ecclesiasticæ articulis, quorum hodie relaxatio privativè Sedi Apostolicæ competere noscitur.

Quis vel parùm in historia, actisque Patrum versatus ignorat Episcopos in bigamia, defectu naturalium aliisque irregularitatibus dispensâsse? Quin & translationes, & cessiones Episcoporum (quæ omni ætate inter gravissima ecclesiasticæ disciplinæ puncta reposita fuerunt) plurimis seculis Synodali auctoritate factas, non tantùm exempla, sed & Canones loquuntur.

Episcopus, ait Magna Synodus Carthaginensis *Can.* 37. *Causa.* 7. *q.* 1. » de loco ignobili ad nobilem per ambitionem » non transeat.... Sanè si utilitas Ecclesiæ poposcerit, decreto » pro eo Clericorum & populi Episcopis porrecto, *in præsen» tia Synodi* tranferatur."

Non caret proindè fundamento regula, quam nonnulli Canonistarum in hac materia dispensationum allegant: Episcopis est auctoritas dispensandi, nisi illa, in materia occurrente, ostendatur reservata. Quæ regula etiam non parum fundamenti habet, ut notat Glossa in *cap.* 29. ✠ *de Sent. Excom.* in verbis: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non reservavit; eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* » Est hîc, inquit Glosa ad verbum *non retinuit*, argumentum Episcopos posse dispensare, ubi specia» liter dispensatio non est inhibita."

Illud ex allegata regula habetur, quòd dum de dispensandi potestate super certo disciplinæ puncto agitur, ea Episcopo competat, nisi ostendatur, vel ex posterioribus Ecclesiæ ordinationibus, aut praxi, vel consuetudine, postestas super eo dispensandi privativè ad Concilia, aut Romanum Pontificem (cui hodie aliqua, quæ olim Episcopali auctoritate absolvebantur, privativè competere indubitatum) spectare.

AC-

CAPUT II.

Quas regulas observare debeant, ut omni ex parte licite procedant, et dispensantes et dispensationem postulantes.

PARAGRAPHUS I.

Dispensatio non est indulgenda, nisi utilitate, aut necessitate Ecclesiæ compensetur.

NUmquam dispensari, nisi una Canones detrimentum quoddam patiantur, aut juri communi, ut Canonistæ nostri loquuntur, *vulnus* aliquod infligatur expeditum est: unde non difficulter intelligitur, cur à Præpositis Ecclesiæ dispensatio usurpanda non sit, nisi illa *vulneris* inflictio alterius boni accessione *compensetur*. Hoc doctè & luculenter adstrui S. Augustinus *Epist.* 50. agens de relaxatione Canonum, qui Sacerdotes lapsos in hæresim, post actam pœnitentiam suis gradibus restitui non sinebant: quæ relaxatio tempore Donatistarum contigerat, ut faciliùs lapsos in hæresim, in gremium suum pia Mater Ecclesia atraheret: „ Hoc non fieret, ut post pœnitentiam Clerici, vel Episcopi (à Donatistis revertentes) perma„ nerent, inquit, quoniam fieri non deberet, nisi *pacis ipsius* „ *compensatione* sanarentur. Doleant qui in tanta morte præci„ sionis jacent, ut isto quodam *vulnere* Matris Catholicæ re„ viviscant.... detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus „ malis sanandis charitas sincera subveniat.“ Habetur apud Gratianum *Can. Ipsa pietas, Caus.* 23. *q.* 5.

Augustino per omnia consentit Bernardus *de Præcepto & Disp. cap.* 2. *Novit fidelis servus & prudens, ibi tantùm usurpare dispensationem, unde bonam possit habere* recompensationem.

Non aliam proindè S. Bernardus credidit fidelem dispensationem, nisi quam justa consequeretur *compensatio*: unde ab Honorio II. postulans dispensationem pro Episcopo Cabilonensi, „ Vestræ discretionis est judicare, inquit *Epist.* 13. an „ meritò flagitetur à vobis facienda dispensatio, unde talis po„ test sperari *recompensatio.*

Quid rursus aliud voluit idem S. Doctor scribens ad Eugenium III. „ Ubi necessitas urget, excusabilis; ubi utilitas pro„ vocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non „ propria. Nam cùm nihil horum est, non plane fidelis dispen„ satio, sed crudelis disipatio est.“ *Lib.* 2. *de Consid.*

Quid, inquam, hîc aliud indicatum voluit, quàm dispensationem, nisi necessitate aut utilitati commune *recompensetur, dissipationem, non dispensationem* esse?

Nec aliud intendere Concilia & Patres, dum uno quasi ore cum Leone Magno dixerunt: „ Ubi necessitas non est, „ nullo modo sanctorum Patrum constituta violentur. Ubi er„ go, infert, necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, quæ „ potestatem habet, ea dispenset.“ Apud S. Bernard. *de Præcepto & Dispens. cap.* 2.

Quid plura? Adeo justa ac legi naturali conformis semper visa fuit hæc dispensationis regula, ut quantumvis posterioribus seculis refrigescente charitate, & abundante iniquitate, multa circa disciplinam remittere coacta fuerit Ecclesia, constitutionesque suas duritiei temporis, ac filiorum infirmitati attemperare, hujusque remissionis atque relaxationis vestigia in Decretalibus Gregor. IX. plurima occurrant; hæc tamen regula fixa, ac immobilis permanserit. Quid enim in prædictis Decretalibus luculentius expressum, quàm dispensationem concedendam non esse, nisi utilitate, aut necessitate relaxationem compensante? Videantur *cap.* 30. 38. ✠ *de Elect. cap.* 11. ✠ *de Renunt. & cap.* 19. *de Sent. & re jud.*

§. II.

Dispensatio fieri debet causa cognita, ac summa maturitate.

„ SI is, qui habet potestatem dispensandi in lege humana, „ absque ratione pro sua voluntate licentiam tribuat, non „ erit fidelis in sua dispensatione, inquit S. Thomas 1. 2. *q.* 79. „ *in Corp.* aut erit imprudens. Infidelis quidem, si non habet „ intentionem ad bonum commune; *imprudens* autem *si dis„ pensandi rationem ignoret.*“

Ut igitur prudens inveniatur dispensator, tenetur prævie ad dispensationis indulgentiam expendere, non tantùm materiæ, in qua dispensatio petitur, gravitatem, sed insuper temporis, loci, atque personarum circumstantias, ut omnibus ritè ac maturè expensis intelligat, num dispensationem justa ac honesta sequatur compensatio.

Quid enim evidentius quam utilitatem, aut necessitatem, quæ compensationis justæ rationem obtinet, eo majorem esse debere, quo majora ex dispensatione sequuntur incommoda? Unde major indubiè exigitur causa, ut Pastor quispiam dispensetur à residentia, quàm ut Canonicus ea solvatur.

Quia nec minùs certum, in una eademque materia pro varietate circumstantiarum, nunc majorem requiri, nunc minorem sufficere causam, quæ justæ compensationis locum habeat. Exemplo res evidentiùs patebit: Ponamus in Diœcesi aliqua necdum invaluisse Beneficiorum permutationem. Indubiè urgentior causa exigetur, ut Episcopus illius Diœcesis permutationem aliquam probet; quàm ut eam approbaret Episcopus, in cujus Diœcesi illa invaluit. Quia majora mala meritò timetur secutura ex approbatione priore, quàm posteriore; per primam enim rima aperitur, quâ sensim permutatio Beneficiorum, multorum malorum origo, invalescat; quæ rima non aperitur per approbationem permutationis in secundo casu (supponitur enim permutatio Beneficiorum invaluisse) sed solùm Episcopus permutationem, quæ invaluit, pro hac vice sustinere pergit. Consequenter nec omnia illa mala, quæ permutatio Beneficiorum, ubi semel invaluit, secum trahere solet, huic permutationi adscribenda venient: per consequens causa aliqua poterit esse sufficiens, ut probetur permutatio in posteriori casu; nullatenus sufficiens, ut probetur permutatio in priori.

Hinc patet, quantâ circumspectione, ac maturitate omnes circumstantiæ sint ponderandæ, antequam dispensatio concedatur.

§. III.

Breviter proponitur, quænam à dispensantibus observari voluerit Synodus Tridentina.

SCiant universi, inquit Synodus Trid. *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 18. „ sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & „ quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si ur„ gens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postula„ verit cum aliquibus dispensandum esse; id causâ cognitâ, „ ac summâ maturitate, atque gratis à quibuscunque, ad quos „ dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterque facta dis„ pensatio subreptitia censeatur. “

Ex hoc Concilii decreto colligimus sequentia.

I. Sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad fieri poterit, indistinctè observandos; adeoque non facilè ad dispensationem esse procedendum: quia (ut ipsa Synodus in principio citati decreti sapienter advertit) „ Frequentiùs legem sol„ vere, exemploque potiùs, quàm certo personarum, rerum„ que delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm uni„ cuique ad leges transgrediendas aditum aperire.

II. Non esse concedendas dispensationes, nisi urgens justaque, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse. Quibus clarissimè expressam conspicimus regulam §. 1. propositam, nimirum dispensationem non esse indulgendam, nisi justà, urgentique ratione, aut majore Ecclesiæ utilitate, relaxationem legis compensante.

III. Dispensandum non esse, nisi causâ cognitâ, ac summâ maturitate. Quibus verbis rursum probatam habemus regulam §. præcedenti adstructam, nimirùm dispensantem, ut prudens inveniatur in sua dispensatione, prævie ad eam expendere teneri, quæ utilitas ex indulgentia dispensationis, aut incommoda ex denegatione, prævideantur, & econtra, quæ mala ex relaxatione legis timeri debeant: ut omnibus inter se collatis prudenter judicet, num dispensationem sequetur utilis & honesta compensatio.

His omnibus attentis, quis cum Fagnano ad *cap. nimis* ✠ *de Filiis Presb. num.* 8. dicere vereatur: „ Quod si unanimis „ consonantia Canonum, Conciliorum & interpretum, quod „ causa necessitatis vel utilitatis in dispensatione debet esse mag„ na, seu quod idem est, major, maxima, justa, evidens, ur„ gens, & his consimiles, quibus sacri Canones promiscuè „ utuntur tanquam synonymis: alioquin si ejusmodi causa de„ sit, non est dispensatio, sed dissipatio. “

Addit præterea Synodus: ut si dispensandum fuerit, id *gratis* à quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum. Quia præterquam quod accipere pecuniam pro usu potestatis dispensandi, sapiat simoniacam pravitatem, etiam efficiet, ut minore integritate ac maturitate causa dispensationis expendatur, juxta verissimum illud Sapientis effatum: *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Deuter. cap. 16. v. 19.

§. IV.

Qui asserunt eam esse auctoritatem Pontificis, ut voluntas sit regula, quam in dispensando sequatur, Primatui Pontificis multum nocent.

ILlud breviter dici potest, inquit Melchior Canus Episcopus Canariensis, *de Locis comm. lib. 5. cap. 5.* „qui Summi Pontificis omne de re quacunque judicium, temerè ac „sine delectu defendunt, hos Sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, non fovere, evertere, non firmare. Nam...quid „tandem adversum hæreticos disputando ille proficiet, quem „viderint non judicio, sed affectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ suscipere: nec id agere ut disputationis suæ vi lucem, „ac veritatem eliciat; sed ut se ad alterius sensum, voluntemque convertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget. «

Quid dicam? Non tantùm contra hæreticos non proficiunt, qui nescio quo zelo immoderato, futilibus, ac vanis argutiis ultra verum auctoritatem Pontificiam extollunt; sed sæpiùs ansam præbent, ut ipsum indubitarum Romani Pontificis Primatum hæreticis odiosum reddant, ac ipsorum opprobriis & ludibriis exponant. Hæc etenim est rerum, quas oportet verissimas esse, natura, ut si in quibusdam vel minimis, falsum quidpiam inesse deprehendatur, confestim omne amittant auctoritatem & majestatem.

„Hoc fecisse videntur (ut benè advertit seculo XVI. Pur„puratorum non exiguum ornamentum Cardinalis Contarenus) „Jurisperiti quidam: qui dum præ omnibus operam dant, ut „auctoritatem, & potestatem Pontificis amplificent, eo devene„runt, ut dum vana quædam, quid dicam vana? Imò falsa; & „quæ judicio doctorum & proborum hominum potius sapiunt „Idololatriam, quàm pietatem ullam, adstruere conantur; ad„versariis hujus Sanctissimæ Sedis occasionem dederint, ut „queant facile populo Christiano illudere, eique persuadere, „nullam esse Romani Pontificis auctoritatem, eumque æquent qui„buscunque Episcopis. Quandoque si humano quodam jure hanc „obtinuerit Romanus Pontifex hucusque auctoritatem, pos„sit etiam in tot abusibus ea auctoritate privari. Hoc facilè mul„tis populis persuaserunt, ocasionem nacti ab argumentis va„nis illis, quibus nimio quodam affectu, dicti quidam Juris„periti student hanc Pontificis auctoritatem amplificare, adeò „ut eorum quidam non vereantur dicere: *voluntatem Pontifi„cis regulam quamdam esse*, quâ ejus actiones dirigantur. Ne„que in jure positivo constituendo, aut abrogando, aut etiam „dispensando regulam quampiam Pontifici constitutam esse. «

Quid de hac doctrina senserit dictus Eminentissimus, ex his intelligimus: „Hæc positio adeo falsa, adeo repugnans sensui „communi, adeo est contraria doctrinæ Christianæ, inquit enim „Cardinalis, adeò *depravat universi christiani populi gubernatio„nem*, ut nihil pernitiosius inveniri potuerit. Nam per Deum im„mortalem, exclamat idem, nonne hæc posito idololatriam sapit; „cui namque creaturæ hoc atributi potest, quòd actionum „suarum voluntas ejus sit regula? An non hoc proprium est „solius Dei?... Isti verò (Jurisperiti) ob imperitiam hujus po„testatis (Pontificiæ) qualisnam sit, & ad quam animi vim „pertineat, & ut *adulentur Pontificibus*, adeo absurdam po„sitionem non sunt veriti in publicum prodere.

„Ampliùs, pergit Contarenus, quid magis contra legem „Christi, quæ est lex libertatis, excogitari potest, quàm Chris„tianos subjectos esse, parereque debere Pontifici, cui tri„butum sit à Christo, ut pro arbitrio leges constituat, leges „abroget, dispenset in legibus, habeat in his omnibus vo„luntatem suam pro regula? Convenit ne hujusmodi imperium, „non dico Christianis hominibus, qui adsciti sunt in legem li„bertatis, ac propterea (ut inquit Augustinus scribens Janua„rio de Ritibus Ecclesiæ) quàm paucissimis exterioribus legi„bus adstringendi sunt; non dicam etiam liberis hominibus & „cuipiam gubernationi hominum liberorum, quales sunt recta „populorum, atque approbata imperia; sed cuinam Domino „in servos, quibus Domini imperant ad sui ipsorum utilita„tem, quibusque utuntur ut organis animatis, convenit hoc „imperium atque dominium; ut pro voluntate eis imperet? „Facessat, Deum immortalem precor, à Christianis homini„bus hæc impia doctrina. «

His, aliisque in destructionem illius positionis productis, ad Pontificem sermonem convertit: „*Pater Beatissime*, tu, qui „doctrinâ excellis, & rerum experientiâ, naturalique pru„dentiâ plurimum vales, perpende an ex hac doctrina temerè „Lutherani ansam sumpserint componendi libros illos suos *de „Captivitate Babylonica*. Nam, per Deum immortalem! quæ „major captivitas & servitus induci potuisset christiano po„pulo, quam hæc, quam profitetur horum Jurisperitorum doc„trina, de qua agimus? Nulla equidem. «

Hæc ex Epistola, quam Paulo III. inscripsit Cardinalis Contarenus, quem non tantùm Cardinalitia dignitas, sed vel maximè Tractatus, quem in defensionem Primatûs Romani Pontificis adversus Hæreticos conscripsit, ab omni sinistro in Pontificiam auctoritatem affectu eximit.

Si quis tamen nec rationibus, nec auctoritate hujus Eminentissimi Viri moveretur, ut hanc Jurisperitorum, ne dicam *Juris imperitorum*, doctrinam, Pontificiæ auctoritatis diminutivam, Ecclesiæ Catholicæ injuriosam, & Hæreticis scandalosam fateatur: attendant, quæso, quid de dicta doctrina cum laudato Cardinale dicant alii octo Ilustrissimi ac Peritissimi Prælati, quos Paulus III. prævièad Synodum Tridentinam, ad se vocari mandaverat: „Ut nullius commodi ipsius, aut cujus„piam alterius habitâ ratione, ipsi significarent abusus illos, „gravissimos videlicet morbos, quibus jam pridem Ecclesia la„borabat, ac præsertim hæc Curia Romana, quibus effectum „est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his mor„bis, magnam hanc ruinam traxerit quam videmus; obtesta„tus eos redituros esse rationem hujus negotii ipsis demanda„ti Deo optimo, si negligenter ac infideliter agerent. «

Hi Prælati sincerè, ac fideliter abusus Pontifici seriò Ecclesiæ reformationem meditanti aperire volentes, hæc ingenuè de sepè dicta Jurisperitorum doctrina candidè, & sine fuco pronuntiârunt.

„Probè noverat Sanctitas Tua, *inquiunt*, principium ho„rum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices tui præ„decessores, prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, „coacervaverint sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis „discerent quid facere deberent; sed ut eorum studio & ca„liditate inveniretur ratio, quâ liceret id quod liberet. Inde „effectum est, (præterquam quod principatum omnem sequi„tur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque semper fuit „aditus veritatis ad aures Principum) quòd confestim prodi„rent Doctores, qui docerent, Pontificem *esse dominum Be„neficiorum: ac ideò cum dominus jure vendat id quod suum est, „necessariò sequi in Pontificem non posse cadere simoniam. Ita „quod voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula, „quâ ejus operationes & actiones dirigantur*: ex quo proculdubio efficitur, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc „fonte, Sancte Pater, tanquam ex quo Trojano, irrupêre „in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam graves morbi, quibus „nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborâsse, „& manâsse harum rerum famam ad Infideles usque (credat „Sanctitas vestra scientibus) qui ob hanc præcipuè causam „Christianam Religionem derident; adeò aut per nos inqui„mus, nomen Christi blasphemetur inter gentes. «

Hæc adversus Jurisperitorum sententiam Conventus ille selectorum Prælatorum, cui præter prædictum Cardinalem Contarenum interfuit Joannes Petrus Carraffa, qui ob eminentem scientiam, ac singularem pietatem, à vita monastica, quam abdicato Archiepiscopatu Theatino professus erat, ad Cardinalatum à Paulo III. vocatus, ad extremum ad summi Pontificatus apicem evectus, *Paulus IV.* dictus fuit. Interfuit quoque Reginaldus Polus Cardinalis Angelicus, cujus quanta fuerit apud Paulum III. existimatio vel inde evincitur, quòd ab eodem Pontifice fuerit judicatus in omnibus sufficiens, qui Concilio Tridentino nomine Pontificis præsideret. Ut nihil dicam de summa ejus eruditione, ac zelo pro disciplinæ ecclesiasticæ restauratione, quæ in reformatione Cleri Anglicani enituit. Denique ne longior sim, quàm Dissertationis scopus permittit, nihil dicam de Cardinale Sadoleto, qui ob eximiam eruditionem, ac rerum agendarum experientiam, difficilimis temporibus, ac in causis summè arduis, ad Regem Galliæ Legatus Apostolicus missus fuit. Prætereo reliquos Archiepiscopos duos, Episcopum unum, Magistrum Sacri Palatii, qui Conventum hunc constituerunt. Quanta enim omnium eruditio, prudentia, atque in Ecclesiæ abusibus, eorumque scaturigine detegendi fuerit industria, ac sagacitas, inde plus quam sufficienter probatur, quod adeo feliciter Concilio Tridentino præluserint, ut omnia penè quæ Concilium Tridentinum in suis de *Reformatione* Capitulis expressit, eadem, quin & sæpiùs eisdem verbis ab hoc Conventu præformata videamus. Ut non immeritò credatur, quòd per hunc novennarium Prælatorum Conventum Spiritus Sanctus systema quoddam efformatum voluerit, quod ad reformationem Ecclesiæ Patribus Concilii Tridentini subserviret.

§. V.

Theologi, ac sanior Canonistarum pars doctrinam Jurisperitorum, de qua §. anteriori, reprobant.

SEntentiam Jurisperitorum, seu potiùs imperitorum Pontificiæ auctoritati pariter ac toti Ecclesiæ Catholicæ injuriosam ac perniciosam paragrapho præcedenti exhibitam, cum Cardinali Contareno ac aliis præclarisimis octo Prælatis passim Theologi omnes, tanquam ministro Christi & ejus in terris Vicario indignam rejiciunt & aversantur.

Quid

Quid enim Jurisperiti illi asserentes » *voluntatem Pontificis Regulam quandam esse* qua ejus actiones dirigantur; neque in » jure possitivo constituendo, aut abrogando, aut etiam dispen» sando regulam quampiam Pontifici constitutam esse *præter* » *ejus voluntatem*, « aliud intendunt, nisi Pontifici dominationem quandam asserere, qua potestate sua non ad utilitatem aut ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, uti debeat, sed pro suo beneplacito in bonum particulare convertere possit? A qua tamen dominatione quantopere ministros suos ac præcipuè qui major inter illos constitutus est, abesse voluerit humilitatis Magister Christus, vel ex unico ad Petrum ac reliquos Apostolos monito sciunt Theologi.

» Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, *inquit* » *Christus Matth.* 20. Et qui majores sunt, potestatem exercent » in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter » vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos » primus esse, erit vester servus. « Quasi diceret: Qui major erit inter vos, ita se præsse debere sciat, ut non suum commodum, aut imperandi fastum ex Principatu quærat, sed se exhibeat ministrum, salutem, ac bonum illorum, quibus præest, quærendo: quin & amplius, qui *primus* esse voluerit, *servus* sit aliorum, atque adeo sciat se, quidquid bonorum habet corporis, animi, fortunarum & vitam ipsam, saluti subditorum impendere debere, instar *servi*, seu mancipii.

Ex his, inquam, Christi verbis, Theologis est indubitatum, Pontificem debere omnem, quâ supra reliquos Ecclesiæ Prælatos eminet, potestatem utilitati gregis Christi impendere, ut ejus terris fidelis Vicarius inveniatur.

Ex qua indubitata, & ratione etiam naturali evidenti doctrina, tanquam ulterius consequens Theologi, etiam recentiores, unanimi consensu, præeunte Doctore Angelico constanter asserunt, Pontificem posse quidem secundum opportunitates temporum, vel negotiorum mutare illa, quæ sancti Patres determinaverunt esse *de jure possitivo*, sed *servatâ intentione statuentium, quæ est utilitas Ecclesiæ.* Contra Impugn. Religion. cap. 4. Vel ut idem Doctor 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. » Omnis dispensatio petita à Prælato, debet fieri ad » honorem Christi, in cujus persona dispensat; vel ad utili» tatem Ecclesiæ, quæ est ejus Corpus. «

Quare cum eodem suo Magistro generaliter asserunt quod cuicunque dispensandi auctoritas conceditur, erit infidelis in sua dispensatione, » si non habet intentionem ad bonum com» mune; aut imprudens, si rationem dispensandi ignoret. « 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4.

Quantumvis à Theologis hac in parte dissentiant nonnulli Jurisperiti, seu potiùs Legulei: Qui, ut ait Contarenus, » ob imperitiam hujus potestatis (Pontificiæ) qualisnam sit, aut » ad quam animi vim pertineat, & ut adulentur Pontificibus, » adeo absurdam positionem (de qua §. præcedenti) non ve» riti sunt in publicum prodere; « sanior tamen ac major pars Canonistarum Theologis consentit, asserens Pontificiam dispensandi potestatem utilitati Ecclesiæ debere subservire, ut in usu illius fidelis inveniatur.

» Ubi non subest causa rationabilis, non excusatur quis, » quoad Deum, etiam ex dipensatione Papæ, « ait Panormitanus ad *cap. Cum adeo* ✠ *de Rescriptis.*

Quinimo Didacus Covarruvias *de Matrimonio* §. 9. *n.* 15. dicere non veretur, » inter omnes convenire, dispensationem » à Romano Pontifice concessam contra jus *sine causa*, etsi » sit contra possitivum animæ tutam non esse.... talis enim dis» pensatio, ait, dilapidatio potiùs dicenda est, auctore Bernar» do. « Hæc Covarruvias.

Utque Joannem Andræam, Cardinalem Hostiensem, aliosque veteres Canonistas ejusdem sententiæ omittam, unicum ex recentioribus adduco Prosperum Fagnanum, qui variis locis in Commentariis ad Decretales docet conformiter ad sanctum Thomam, quòd omnis dispensatio debeat fieri intuitu boni communis, & signanter ad *cap. Ex parte*, ✠ *de Cleric. non resident. num.* 65. » Ubi probat sententiam Joannis de Lignano » concludentis, Papam posse dispensare generaliter, ut unus » habeat plura Curata, & consequenter super residentia: to» tum tamen *debere referri ad cultum divinum*, alias si nuda » voluntate, non habita relatione ad bonum publicum, non » foret dispensator, sed dissipator. De fideli dispensatore lo» quitur textus Lucæ 11. ibi: *Quis putas fidelis est dispensa» tor, quem constituit Dominus super familiam suam, &c. In» fidelis* autem dispensator est, *qui non habet intuitum rationis,* » *& boni publici.* Item imprudens, non considerans causas mo» tivas in bonum publicum directivas. Ex quo sequitur quoad » Deum non sit tutus is, cum quo sic dispensatur, imò verius » dissipatur. Hæc de Lignano, quem refert & sequitur Abbas, » quibus consentit D. Thomas. « Hactenus Fagnanus.

Consentiunt igitur Canonistæ, Pontificem *secundum plenitudinem potestatis de jure posse supra jus dispensare*, ut ait Innocentius III. in *cap.* 4. *de Concession. Præbend.* sed eam potestatis plenitudinem pro temporum, & personarum exigentia in bonum & utilitatem Ecclesiæ dirigendam sciunt, juxta illud Gregorii IX. apud *Raynald. ad ann.* 1234. *num.* 16. Rom. Pontifex, » qui claves in B. Petro discretionis & *potes» tatis* accepit, nunc mansuetudine utitur, nunc rigore, con» sideratis universis circumstantiis, neutrum sine altero relin» quens.... Prudenter attendit non solum *personas*, sed *causas* » cum quibus videlicet, & ex quibus dispensare disponit; ne » fortè sic *dispenset*, ut *dissipet*; imo *ne dissipet*, *si dispenset*; » ne propter mansuetudinem subvertatur veritas. «

Et quid, quæso, ipsi Romani Pontifices per decem & amplius secula aliud indicatum voluêre, nisi omnem, quàm à Christo acceperunt potestatem servorum Dei, seu Ecclesiæ utilitati esse consecrandam; dum, nunquam satis laudato humilitatis exemplo, se palam professi sunt, & etiamnum hodie profitentur *servos servorum Dei.*

Facessant proindè Hæretici, qui doctrinam illam Jurisperitorum quorundam, tanquam doctrinam ab Ecclesia, aut Pontificibus probatam, buccis concrepantibus populo proponunt ut Romani Pontificis Primatum in invidiam trahant.

§. VI.

Quæ sint necessaria ex parte postulantium dispensationem, ut omni ex parte licitè procedant.

LEgi naturali contraria nullâ hominis propriè dictè dispensatione licita fieri *cap.* 1. notatum fuit. Hinc consectarium dispensationem postulantibus, ut prudenter procedant, maturè expendendum, num in eo, super quo dispensari rogant, nihil juri naturali contrarium, quod nec per Pontificiam dispensationem tolli possit, occurrat.

Constat quoque ex dictis *cap.* 2. dispensationem in jure merè possitivo, ut omni ex parte licita sit, debere necessitate, aut utilitate communi compensari; quo rursus consequens prævie ad postulationem dispensationis discutiendum esse; num hic & nunc necessitas, aut utilitas communis relaxationem legis compenset.

Sed ait forte ille, cum quo dispensatum est: „Papa dispen» savit, ipse sibi viderit, ego immunis sum. Hic cavillus, ait » Cardinalis Bellarminus securos multos reddit, tutum verò ne» minem. " Et rationem subdit: „Quoniam Papa non est do» minus, sed dispensator: ideoque, qui iniquam dispensatio» nem petit, iniquitatis causa est, & qui eâ utitur, eâdem sem» per irretitur iniquitate. " *Epist. ad Nepotem, controv.* 5.

Quod Cardinalis Bellarminus, idem ante ipsum notaverat » alter Cardinalis Canonistis admodum famosus, vulgò dictus *Abbas Panormitanus*: » Dispensatus, inquit ad *cap. Dudum* ✠ » *De Elect.* etiam per Papam circa pluralitatem Beneficiorum si» ne causa, licet sit tutus quoad Ecclesiam militantem, non » tamen quoad triumphantem; & sic non valet dispensatio » quoad Deum. " Et ad *Cap. Cum adeo* ✠ *De Rescrip.* de eadem pluralitate Beneficiorum loquens, ait: » Ubi non subest » causa rationabilis, non excusatur quis quoad Deum, etiam » ex dispensatione Papæ "

Similiter Synodus Coloniensis *an.* 1536. *part.* 1. *Can.* 32. supposuit, dispensationem Apostolicam non semper præstare omnimodam securitatem plura Beneficia obtinentibus, dum monuit plura Beneficia ex dispensatione Apostolica retinentes, *viderint ut causam dispensationis Deo comprobent.*

Quod de dispensatione super pluralitate Beneficiorum dixerunt dicti Cardinales, illud de dispensatione super retentione pensionis dicere non dubitavit Cardinalis Toletus: » Sine justa » causa, inquit, non habet locum in foro interiori & coram » Deo dispensatio, sed tantum in foro exteriori. Unde, qui » pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest, » causâ legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Pa» pa dedit; & ipsorum est considerare, quomodo dederit. Hoc, » inquam, non excusat. Si enim quis accipiat pecunias ab œco» nomo, quem scit malè dispensare res domini, & contra » justitiam, non potest eas in conscientia tum retinere. Papa au» tem non est dominus bonorum & redditum Ecclesiæ, sed tan» tum universalis dispensator. Unde sicut dum dispensat homi» nem in voto, non facit hominem securum in conscientia, ni» si causa adsit; ita in pensionum & Beneficiorum distributio» ne. Causa autem hæc debet esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus » sunt bona. Si enim nullâ viâ vel pacto in Ecclesiæ hujus, vel » universalis utilitatem tendat, non est causa legitima. " *In Instruct. Sacerd. lib.* 5. *cap.* 38. *num.* 3.

Hactenus de dispensationibus circa pluralitatem Beneficiorum, & pensionis retentionem asserta, eâdem ratione dispensationi super similibus materiis applicantur; ut proinde non immeritò dispensationem postulare meditanti inculcetur illud Bernardi ad Nepotem, desertionem sui Monasterii dispensatione Apostolicâ justificare volentem: *Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem.* Epist. 1.

Instabunt forsan alii: num causa sufficiens subsit, expen-

dendum committimus Pontifici, atque ejus expetimus consilium: *Utinam*, dicebat similibus S. Bernardus Epist 7. *Non licentiam quæsissetis, sed consilium, id est, non ut liceret, sed an liceret.* Sed proh dolor! verendum, quod plurimis eorum dici possit quod subdit Bernardus: *malum in corde conceperant, opere tamen ausi non sunt adimplere nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum... Quod tamen*, cum eodem Doctore asserese ausim, *Summum Pontificem fecisse nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Profectò si quis seriò attendat, quomodo, & à quibus hodie dispensationes solicitari ac postulari soleant; facilè comperiet, quod pluribus sine injuria regeri posset, quod hujusmodi olim regerebat S. Bernardus *Ibid.* » Non satis de propria causa » confidentes, remorsas ac remordentes conscientias Apostolicâ » conati estis delinire licentiâ. Frivolum satis remedium, quod » non est aliud, nisi more protoplastorum, cauteriatis conscien- » tiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad me- » dicamentum. «

CAPUT III.

De his, quæ dispensationem reddunt subreptitiam, aut de subreptione suspectam.

PARAGRAPHUS I.

Quandonam suppressio veri aut expressio falsi dispensationem reddant invalidam, aut de invaliditate suspectam.

AD dispensationem, non tantùm ut licita, sed etiam valida sit, requiri voluntatem & consensum illius, cui dispensandi auctoritas competit, nemo inficiatur; nec illud quispiam negare potest, quin sæpiùs contingat, voluntatem dispensantis propter sub & obreptionem, sive subticentiam veri, aut expressionem falsi deficere: sed quæ præcisè veri suppressio, aut falsi expressio faciant deficere voluntatem dispensantis, ut ob ejus defectum dispensatio sit invalida, aut pro invalida habenda, non ita expeditum.

Subticentiam veri tunc dispensationem invalidam, aut ad minus de invaliditate suspectam reddere credidimus, si consensus dispensantis, judicio prudentum, non caderet in casum propositum, si verum subticitum à parte rei fuisset expressum.

Quòd verò consensus dispensantis trahi nequeat ad casum prout se habet, si verum tacitum esset sincerè expressum, ex plurimis colligitur.

Primò ex eo, quòd jure expressè vel implicitè velint dispensationem esse rariorem & difficiliorem, quando verum illud subticitum reverà intervenit; tunc enim rationabiliter judicatur, quòd Pontifex, qui juribus se conformare præsumitur, non dispensasset, si verum suppressum fuisset sincerè expressum.

Secundò contingit, consensum dispensantis super casu cum subticentia veri immeritò trahi ad casum prout à parte rei se habet; eò quòd stylus aut consuetudo Curiæ velit id, quod suppressum est, ita exprimi, ut hinc colligatur, Pontificem, qui stylum Curiæ servatum velle præsumitur, dispensare nolle, dum verum illud non est expressum. Exempla inferiùs plura occurrent.

Tertiò contingit, consensum dispensantis in casum cum suppressione veri, malè applicari casui, ut in rei veritate subsistit: si verum suppressum sit, ejus generis, ut hic determinatus Pontifex (quod ex modo ejus agendi intelligi potest) soleat denegare dispensationem, aut saltem difficiliùs illam annuere, quoties concurrit illud, quod suppressum fuit.

Denique ut verbo absolvam; toties ob subticentiam veri dispensatio meritò habetur pro invalida, aut de invaliditate suspecta, quoties ex natura rei verum subticitum est tale, ut prudenti judicio consensus dispensantis in casum, ut fuit propositus, non involvat consensum in casum, ut à parte rei se habet.

Idem esto judicium de expressione falsi: quòd nimirum, si falsitas expressa ita mutet casum, ut consensus dispensantis præstitus super casu cum illa falsi expressione non nisi imprudenter extendatur ad casum, ut à parte rei se habet, dispensatio habenda sit pro invalida, aut saltem de invaliditate suspecta.

Ex his collige, quod si casus, qui propositus fuit, cum alicujus veri suppressione aut falsi expressione prudentum judicio non comprehendat casum, prout revera se habet, dispensationem esse invalidam; licèt supponeretur, quod Pontifex etiam dispensaturus fuisset, tametsi casus secundum rei veritatem fuisset expressus: ratio est, quod dispensatio non pendeat ab actu voluntatis, qui ponendus fuisset, si casus fuisset Pontifici propositus, sed ab actu voluntatis, qui à parte rei intervenit. Cum igitur supponatur, quod casus super quo est dispensatum sit diversus, moraliter loquendo, à casu prout revera se habet, clarum est, dici non posse super eo dispensatum; quandoquidem propositus non fuerit; sed ad summum dici posset, quod dispensatum fuisset casu quo Pontifici expositus esset. Unde nullatenus probanda illa à nonnullis assignata regula: Veri suppressio, aut falsi expressio non vitiat dispensationem quoties dispensans ita est constitutus, ut si verum esset expressum, aut falsum omissum, equidem dispensâsset.

§. II.

Executio dispensationis subinde suspendi potest ob scandalum, quod ex eo oriturum timetur.

QUantopere cavendum sit, ne per actiones nostras pusillis ponatur scandalum seu offendiculum, quo in peccatum ducantur, evincit terribilis illa Christi sententia Matth. 18. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Unde Apostolus 1. Cor. 8. v. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Quare ea semper fuit præcipua Sedis Apostolicæ cura, ut à populis scandala amoveat; hinc jam pridem Julius I. in Epistola ad Orientales Episcopos graviter monuit: » In rebus ecclesiasticis non specimen eloquen- » tiæ, sed canones Apostolici requiruntur, *operaque dari solet,* » *ne quis ex parvis in Ecclesia scandalizetur.* Expedit enim, » secundum Evangelicum verbum: *Molam asinariam suspen-* » *di à collo, atque ita demergi*, quàm unum ex pusillis scanda- » lizare. « *Apud Athan. Apolog.* 2.

Et quid aliud hodie indicant Pontifices, nisi summum amovendi scandala studium, dum nulla penè alia de causa in matrimonio cum impedimento dirimente contracto, dispensant, quàm ut *scandalis*, quæ ex dissolutione matrimonii timentur, occurratur? Ut ex infra dicendis patebit.

Procul proinde abest à mente Pontificum, ut dispensationes, aliave eorum rescripta cum offensione, & scandalo populi executioni mandentur, quando eorum executio sine læsione charitatis, aut veritatis omitti potest; quod & in terminis respondit Alexander III. in *Cap.* 6. ✠ *De Præb.* » Si mandatum » nostrum, inquit, pro alicujus provisione receperis, qui aliud » Beneficium habeat, de quo valeat commodè sustentari, nisi » fortè in litteris ipsis de hoc mentio habeatur, aut si non po- » test *ei sine scandalo provideri*, æquanimiter sustinemus, si pro » eo mandatum nostrum non duxeris exequendum. «

Quid enim innuit Innocentius III. in *Cap. quod olim* ✠ *De Cler. Conjug.* qui filium Græci Sacerdotis ex legitima uxore susceptum in Episcopum consecrari permittens, addit hanc cautelam: *Nisi pro eo quod inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet.* Ubi Joannes Andreas rectè annotavit, hanc exceptionem additam ob vitandum scandalum, & offensionem, quæ inde contingere posset, si quid alienum à consuetudine inter Latinos induceretur.

Pontificum proinde intentioni obsequuntur Episcopi, si dispensationem, aut mandatum ad ipsos directum non exequantur, si ex illius executione scandalum, aut offensio populi timeatur; vel ad minus executionem suspendunt, quoadusque Sedem Apostolicam de scandalo verisimiliter exorituro certiorem fecerint.

§. III.

Si ex negotii qualitate, aut circumstantiis colligatur, Dispensationem concessam non esse causa cognita, subreptitia censeri debet.

POstquam Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 18. *De Reformat.* decrevit, ut si urgens, justaque ratio & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognitâ ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscunque, ad quos pertinebit, sit præstandum, subjungit: *Aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Si igitur Episcopus ex negotii, atque personarum qualitate, loci ac temporis circumstantiis judicet, quòd dispensatio talis per Pontificem data non fuisset, si gravitas negotii, aliæque circumstantiæ cognitæ, ac summâ maturitate ponderatæ fuissent, subreptitia ipsi meritò censebitur; judicabitque eam vel per falsi insinuationem, aut veri suppresionem fuisse obtentam.

Nec enim uno solùm ex capite contingere potest, ut dispensatio Sedis Apostolicæ auctoritatem præferens, per Pontificem cum sincera causæ cognitione, ac ea, qua par est, maturitate expedita non fuerit.

Primò quidem, quia non rarò contingit, quòd falsa quædam Pontifici insinuentur, vel vera subticeantur. Notum enim est Sedem Apostolicam ob multiplicia, quæ ad eam, tanquam, ad Caput Ecclesiæ devolvuntur negotia, frequentioribus subjacere subreptionibus; quo fit, ut sæpiùs plena ac sincera causæ cognitio à Sede Apostolica haberi nequeat.

Se-

Secundò scitur, quòd nonnunquam aliqua per importunitatem, & multiplicatas precum instantias à Sede Apostolica, aliàs non concedenda, quodammodo invita extorqueantur: altè jam pridem in ægritudine constitutus, de Commendis Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum eo modo à se exortis querebatur Clemens V. *Extravag.* 2. *De Præb. in Comm.*

Tertiò, evenire subinde potest, ut litteræ aliquæ è Cancellaria emanent, quæ conscientiam Pontificis fugiunt, ut indicat Lucius III. in *Cap.* 10. ✠ *De Rescrip. in ant. coll.* saltem aliqua subinde à Ministris contra mentem Pontificis litteris inserantur. Ita teste Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, *In tanta*, sæpè conquestus fuerat ejus Prædecessor Pius V. in Bulla à se promulgata, quæ incipit: Etsi mendicantium, *multa aliter alioque sensu à se prolata fuisse, quàm litteris expressa essent.*

Denique quia, ut Lucius III. *dict. Cap.* 10. ingenuè fatetur, Pontifex *diversis occupationibus impeditus, singulis causis examinandis non sufficit*; quid mirum, si subindè contingat, ut dispensatio aliqua sine prævia plena causæ cognitione, ac matura deliberatione concedatur, quæ concessa non fuisset, si per otium licuisset Pontifici negotii momentum, omnesque illius circumstantias mature librare & expendere.

Si igitur ad Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos litteras dispensationis dirigi contingat, quæ non appareant cum causæ cognitione, ac summa maturitate concessæ, turbari non debent, ut Archi-Episcopo Ravennatensi scribit Alexander III. *Cap.* 5. ✠ *De Rescrip.* sed qualitatem negotii pro quo scribitur diligenter considerantes, aut mandatum Apostolicum reverenter adimpleant; aut per litteras, quare adimplere non possunt, rationabilem causam pretendant, seu, quod idem est, pro surreptitiis habeant: quousque Sedem Apostolicam pleniùs informaverint, propiusque judicium ipsius intellexerint.

CAPUT IV.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

PARAGRAPHUS I.

Ostenditur quanta sit utilitas probè scire praxim dispensationum matrimonialium.

DE utilitate, imò & necessitate cognoscendi praxim dispensationum matrimonialium, in praxi sua dispensationum Apostolicarum *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 1. in hunc modum discurrit Pyrrus Corradus, J. U. D. à Paulo V. in Collegio Officialium dispensationum in ipsa Cancellaria Apostolica adoptatus: „Quæ in humanis actibus, ait, si perperam fiant, mala »atque incommoda reperiuntur, ea omnia in solam ferè dispen»sationum matrimonialium executionem, nisi ritè rectèque per»ficiatur, accervatim (ut ita dicam) confluunt, & cumulantur: »nemo quandoquidem est, qui nesciat quænam ex hoc primo »malo incommoda, ceu venenato fonte procedunt. Enim verò »hinc natalium defectus in prole, hinc iniquæ successiones at»que promotiones, ceteraque ad optimum finem minimè con»ducentia. Sanè haud procul à tanti mali calamitate dista»mus; quippè cum frequentissimus sit nostro hoc tempore »harum dispensationum usus, nescio quæ prava consuetudo, »aut corruptela veriùs inolevit, quâ Judices Commissarii tan»tæ rei pondus non æqua lance æstimantes, exposita, quâ par »est diligentia, veritate niti negligant edoceri, Pontificem dis»pensâsse contenti, cum revera non dispensaverit; sed ipsis »dispensandi auctoritatem certis sub conditionibus demandave»rit; quæ nisi ut jubetur, impletæ fuerint, quidquid super»truxerint, corruet. Olim quippè hujusmodi dispensationes »in ipsa Romana Curia, causæ cognitione, narratorumque ve»rificatione præcedente, in forma gratiosa ut plurimum con»cedebantur; & quidem, ut rarior, ita & tutior illarum erat »usus: at quoniam difficile, valdeque incommodum id com»periebatur, optima profectò ratione ita sacri Canones sanci»vêre, ut omnes dispensationes extra ipsam Curiam locorum »Ordinariis, in forma communi sive commissaria dirigeren»tur, qui nonnisi causis in partibus verificatis, tum demum »Apostolicâ auctoritate dispensarent. At sæpè videmus Sum»morum Pontificum providentiam ex delegatorum Judicum im»peritia, aut incuria, ita suo fine frustari, ut quod ad boni com»munis ædificationem salubriter conspicimus institutum, id ad »certam perniciem, atque destructionem detorquatur.“ Hæc Pyrrus Corradus, qui multa satis feliciter, quæ praxim dispensationum, præsertim matrimonialium concernunt, refert: optandum, ut æquè feliciter ea, quæ jus, præsertim naturale, concernunt, proposuisset. His si addamus, quòd ex defectu dispensationis contingat, quòd plures in perpetuo vivant incestu: item quòd ob insufficientem notitiam eorum, quæ tum à testibus tum à partibus seu Orationibus, qui dispensatione uti volunt, juramento confirmari debent, multa committantur perjuria, ut ex infra dicendis patebit, non dificulter apparebit, quàm utile, imò & multis necessarium sit, probè noscere praxim dispensationum matrimonialium.

§. II.

Proponitur veterum in concedendis dispensationibus matrimonialibus morositas.

VEterum tenacissimam Canonum custodiam, & summam in dispensando morositatem nullus vel parùm in historia ecclesiastica & avita Ecclesiæ disciplina versatus ignorat; adeo quidem, ut nonnulli nec parùm in veterum actis & scriptis exercitati asserant, plurimis seculis nullam Canonis infringendi veniam datam fuisse; sed dispensationes si quæ darentur, tantùm fuisse pœnarum canonicarum remissiones.

Et quidem ut ad materiam nostram propriùs accedamus, adeò rigida etiam seculo X. erat observatio Canonum, qui matrimonia inter consanguineos, & affines interdicebant, ut satius duxerit Gregorius VI. totam Galliam interdicto subjicere, quàm tolerare matrimonium inter Robertum Regem Galliæ & Matrem Odonis Comitis *Bertham* nomine, quæ ipsum Robertum de Sacro Fonte susceperat; adeoque nonnisi spiritualis cognatio, ac solùm impedimentum juris positivi intercedebat: ut mirum proinde cuiquam videri posset, quòd Gregorius VI. & Gallicani Episcopi Regem excommunicârint, ac omne regnum suppossuerint ecclesiastico interdicto. Cur enim Apostolica, & Episcopali auctoritate impedimentum non dispensârunt? »Huic dubio respondit Eximius P. Christianus Lupus hodier»nam matrimonialium dispensationum facilitatem tunc non fuis»se. Nulla tunc, inquit *ad Canonem XI. Concilii Remensis,* »*part.* 3. *Schol.* etiam Regia vel Augusta, licèt in sexto dun»taxat, aut septimo sanguinis vel affinitatis gradu, vel igno»ranter contracta, longè minus contrahenda matrimonia dis»pensabantur; sed cuncta dirimebantur juxta rigorem sacro»rum Canonum. Ejusmodi dispensationes adeo tunc ignorabat »Ecclesia, ut Francus quidam Roma redux, similem sibi da»tam asseverans à Gregorio III. Pontifice, ac ejus vigore præ»tendens inire matrimonium, gravissimè scandalizârit omnem »Galliam, & à nostro Apostolo Bonifacio, credere id recu»sante, consultus Zacharias Pontifex responderit: *Absit, ut* »*Prædecessor noster hoc ita credatur præcepisse. Nec enim* »*ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse* »*Patrum, sive Canonum institutis reperiuntur.*“

Quinimò, si Christiano Lupo credimus, matrimoniorum impedimenta ferè primus relaxavit Innocentius III. At quàm ardua & necessaria causa dispensationem hanc ab Innocentio extorserit, & quanta cura, & studio voluerit *vulnus* illud ecclesiasticæ disciplinæ *compensari*, ex Auctoribus illius temporis refert Christianus Lupus. „Othonis IV. & Philippi pro Germanico »Imperio horrenda bella, ait, quis ignorat? Post Philippi cæ»dem lucidum erat Othonis jus, verùm Philippi filia obviabat. »Hinc omnibus pacificandis Othonis cum ista filia conjugium »convenire censuerunt Imperii Proceres & Episcopi, quin & »ipsi Sedis Apostolicæ Cardinales Legati, sed obstabat quintus »consanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius Imperialis Cle»ri & populi preces dispensavit laudatus Pontifex.“ Ea tamen lege dispensavit, ait Lupus, „ut duo amplissima Monasteria »Otho fundaret, omneque Imperium largis eleemosynis & fer»ventibus orationibus istud ecclesiasticæ disciplinæ *vulnus com»pensaret.* Ita habens apud Arnoldum Abbatem Lubecensem in »Chronico Sclavorum. Otho de S. Blasio addit, ait idem Lu»pus, quòd Cluniacensis & Ciscerciensis Ordinis Abbates ean»dem compensationem semper varia suorum Monachorum pia »opera complere promiserint; istudque Canonis *vulnus* accepe»rint in suas conscientias: & quod spondere Otho debuerit sin»gularem omnium Ecclesiarum defensionem, ac resumptionem »sacri belli.“ Hactenus P. Lupus.

At quàm periculosum sit semel à Canonum rigore recedere ex eodem Christiano Lupo intellige: „Rima facta, inquit, fa»cilè dilatatur, tandemque crescit in grande foramen, imò & »in apertam portam.“

Quòd tamen P. Lupus dicat, quòd impedimenta matrimoniorum fere primus dispensaverit Innocentius III. id intelligendum est de dispensatione ad matrimonium contrahendum cum impedimento. Notat enim multo tempore ante Innocentium III. dispensationes matrimoniales fuisse indultas: »Verùm, ait, hæ »omnes fuerunt non prævia ad contrahendum, sed duntaxat »posteriores, malè contracti matrimonii toleratrices dispensa»tiones. Adeoque dispensationes prævias initiavit Alexander III. »Innocentius III. ac ejus Successores viam ampliarunt.“

§.

§. III.

Discutitur decretum Concilii Tridentini circa dispensationes matrimoniales.

SYnodus Tridentina modum dispensationum matrimonialium præscribens, distinguit inter matrimonia cum impedimento dirimente contracta, & matrimonia cum simili impedimento contrahenda. Quoad prima statuit *Sess.* 24. *De Matrim. cap.* 5. » Ut si quis intra gradus prohibitos sciens, matrimonium » contrahere præsumpserit, separetur & spe dispensationis con- » sequendæ careat: idque in eo multò magis locum habeat, qui » non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consumma- » re ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solem- » nitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eis- » dem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ » benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta te- » merè contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis, impedi- » mentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille pro- » babilem ingnorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, ac gra- » tis dispensari poterit. «

Hæc quoad dispensationes super matrimoniis contractis.

Quoad contrahenda verò statuit: » In contrahendis matri- » moniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò: idque ex » causa gratis concedatur. In secundo nunquam dispensetur, » nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. «

Ex hoc Concilii decreto colligimus. Primò, quòd spe dispensationis consequendæ carere velit, qui scienter, aut ex culpabili ignorantia ob non adhibitas solemnitates, in gradu prohibito contraxerunt: idque in illis tamen magis locum habere vult, qui non tantùm contrahere matrimonium, sed etiam consummare ausi sunt. Hinc habemus consummationem matrimonii incestuosi difficiliorem reddere dispensationem; quod non sine fructu notari infra patebit.

Secundò intelligimus, ex mente Concilii faciliùs posse dispensari super matrimoniis contractis cum probabili ignorantia impedimenti, quàm desuper contrahendis; in quo cum antiqua Ecclesiæ disciplina convenit. Ut enim paragrapho præcedenti diximus, Ecclesia multo tempore admiserat dispensationes toleratrices malè contracti matrimoni, antequam in contrahendis eas admisisset.

Tertiò intelligimus, quòd in contrahendis matrimoniis nullam omninò dari volens dispensationem, aut rarò; & in secundo gradu nunquam dispensari permittens, nisi inter magnos Principes, & ex publica causa, reducere intenderit, quantum conditio temporis & Ecclesiæ disciplina permittebant, avitam in dispensando morositatem.

Denique ex hoc decreto habemus, quòd in hac dispensationis specie observanda quoque sit regula dispensationum Cap. 2. adstructa: scilicet dispensationem non esse concedendam, nisi juxtâ causâ relaxationem Canonis compensante.

§. IV.

Quod dispensationes matrimoniales hodie dari soleant in forma commissoria, *& quæ inde consectaria.*

DIspensationes matrimoniales olim in Curia Romana, causæ cognitione, narratorumque verificatione præcedente, *in forma gratiosa*, ut plurimum concedebantur: at hodie, ad præscriptum Concilii Tridentini, in *forma commissoria* expediri solent: ità ut dispensatio hodie non fiat Romæ per Pontificem, sed committatur dispensatio alicui in partibus, qui auctoritate Apostolicâ, sibi sub certis conditionibus delegatâ dispenset.

Ex quo consequens, quòd admodùm conveniat scire cui Pontifex dispensandi facultatem faciat; cùm enim tota ipsius delegati potestas promanet ex delegatione Pontificis, inutilis, & nulla erit dispensatio, si fiat ab eo, cui Pontifex delegare non intendit.

Ulteriùs ex eodem intelligitur, quàm necessarium sit probè novisse conditiones, sub quibus dispensandi auctoritas Delegato credatur. Quandoquidem enim tota potestas dispensandi pendeat à speciali Pontificis delegatione, evidenter sequitur, quod deficiente vel una ex conditionibus delegationi copulativè adjectis, ipsa delegatio, & consequenter potestas dispensandi ex ea promanans evanescat.

§. V.

Cui hodie dispensatio delegari soleat.

DIspensationes matrimonialis juxta hodiernum Curiæ Romanæ stylum expediri in *forma commissoria*, §. præcedenti notatum fuit.

Commissio fieri solet, ad præscriptum Concilii Tridentini, *Ordinario*, id est, Episcopo, aut ejus in spiritualibus Vicario Generali, qui in his partibus *Officialis* dicitur. Nunquam tamen litteræ dispensasionis utrique simul inscribuntur, sed alteri tantùm: & frequentiùs Vicario Generali seu *Officiali.*

Nunquam in delegatione exprimi consuevit aut nomen Episcopi, aut Vicarii; ideoque non personæ, sed dignitati facta præsumitur; quare & in sucessorem transit. Undè Episcopo, aut Vicario ante expeditam dispensationem mortuo, successor sine nova delegatione dispensare poterit.

Quia tamen hæc potestas non est jurisdictionis ordinariæ, vel ex eadem profluens, sed ex *speciali* delegatione Pontificis Episcopo conceditur, idcircò Episcopo defuncto ante dispensationem expeditam, non transit in Capitulum, aut ejus Vicarium. Eadem de causa, Oficiali factâ delegatione, Episcopum dispensare non posse pro certo tenet Curia Romana; & sæpiùs ita in eadem judicatum refertur. Hinc delegatione factâ Officiali, ipso, necdum dispensatione expeditâ, mortuo, debet exspectari Succesor, vel novæ litteræ commissionis ad Episcopum petendæ.

Si Episcopo delegatio destinata foret, eo mortuo ante dispensationem absolutam, Successor erit exspectandus, vel litteræ commissionis erunt postulandæ ad viciniorem Episcopum, aut hujus Vicarium, non autem ad Capitulum, aut ejus Vicarium; nunquam enim litteræ diriguntur ad Capitulum vel hujus Vicarium sede vacante, sed ad viciniorem Episcopum, vel ipsius Officialem.

Notatu dignum est, quòd Pontifex juxta indubitatum, & notorium stylum Curiæ semper intendat litteras dirigere ad Ordinarium Oratricis, non Oratoris. Ideoque si Oratores sint diversæ Diœcesis, necessariò exprimenda est Diœcesis Oratricis; aliàs contingere posset, litteras ipsas dirigi Ordinario non Oratricis, sed Oratoris contra mentem Pontificis; ac propterea illarum Executor, si hujusmodi stylum ignoret, perperam litteras ipsas exequeretur, ait Pyrrus Corradus *lib.* 7. *Dispens. Apost. Cap.* 5. *num.* 26.

§. VI.

Proponuntur conditiones, sub quibus hodie dispensandi potestas committi solet.

UT clariùs appareat, sub quibus conditionibus potestas dispensandi delegato concedatur; dispositivam litterarum, quibus dicta potestas secundum hodiernum stylum Curiæ Romanæ committi solet, hîc inserere conveniens judicavi. Litteræ igitur dispensationum matrimonialium hâc fere formâ expediri consueverunt.

Innocentius XI. Episcopus, Servus Servorum Dei: vel subinde in forma *Brevis* simpliciter: *Innocentius XI. dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Mechliniensis in spiritualibus generali, salutem & Apostolicam benedictionem. Oblatæ nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis N. laici, & dilectæ in Christo filiæ Catharinæ N. mulieris Mechliniensis Diœcesis, ex loco N. ortorum, petitionis series continebat.* Hîc subjicitur per modum narrativæ, id quod partes supplicantes per supplicam postulârunt.

Quæ supplica cùm varia sit pro diversitate, vel illius super quo dispensatio petitur, vel causæ ob quam postulatur, etiam narrativa sæpiùs variatur.

Præmissâ narrativâ, tunc inclinationem suam ad annuendum postulatis, Pontifex subjungit his verbis: » Nos igitur eosdem » Joannem & Catharinam, & eorum quemlibet à quibusvis ex- » communicationis, supensionis & Interdicti aliisque Ecclesias- » ticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine, qua- » vis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innoda- » ti existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum » harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac certam » de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicatio- » nibus inclinati, Discretioni tuæ, de qua in his specialem in » Domino fiduciam obtinebimus, per Apostolica scripta man- » damus. «

His subnectitur dispositiva, qua Pontifex Delegato potestatem dispensandi Auctoritate Apostolica, sub certis conditionibus indulget. » Quatenus deposita per te omni spe cujuscun- » que muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te » omninò abstinere debere monemus, te de præmissis diligenter » informes; & si per informationem eandem preces veritate niti » repereris, super quo tuam conscientiam oneramus; tunc cum » eisdem Joanne & Catharina (dummodo illa propter hoc rapta » non fuerit) quòd impedimento quarti consanguinitatis gradus » hujusmodi, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, » cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Matrimonium in- » ter se publicè servata forma Concilii Tridentini contrahere, illud- » que in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere » liberè & licitè valeant, auctoritate nostra dispenses. Distantiam

verò

» verò tertii gradus præfati eis non obstare declares, prolem » suscipiendam exinde legitimam nunciando. Volumus autem, » quod si spretâ monitione nostra, hujusmodi aliquîd muneris, » aut præmii ocasione dictæ dispensationis exigere, aut abla- » tum recipere temerè præsumpseris, excomunicationis latæ » sententiæ pœnam incurras. Dat. Romæ, &c.

Ex tenore prædictæ dispositivæ patet: Primò, quòd Delegatus præviè ad dispensationem debeat se de narratis in supplica *diligenter informare.*

Secundò, quòd ad dispensationem procedere non possit, nisi *per informationem eandem preces veritatem niti repererit.*

Tertiò quòd nihil muneris, aut præmii ocasione dispensationis exigere, aut oblati recipere possit.

§. VII.

De quibus, & quomodo Delegatus præviè ad dispensationem se informare debet.

CLausula dispositivæ paragrapho præcedenti exihibitæ: *mandamus quatenùs depositâ &c. Te de præmissis diligenter informes, & si per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus.... tunc cum iisdem auctoritate nostra dispenses.* Hæc, *inquam*, clausula satis superque ostendit, nolle Pontificem, ut Delegatus stet simplici, ac nudæ assertioni ipsorum Oratorum; sed se *diligenter informet* de omnibus narratis; id est, tam de impedimento per Oratores allegato, quàm de causa dispensationis, atque aliis clausulis per Pontificem adjectis. Quod verò hæc informatio facienda sit non perfunctoriè, sed summa cum circumspectione, & sagacitate, patet ex instructionibus pro examine testium, qui indicuntur pro contrahendis matrimoniis, per Inquisitionem Romanam confectis, & ordinariis, ut juxta eas procedant, submissis. Et quidem articulo primo ordinatur, ut per delegatum *testis moneatur de gravitate juramenti* (testes enim de veritate dicenda jurare tenentur) *in hoc presertim negotio pertemiscendi, in quo divino simul ac humana Majestas læditur ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem.*

Quinimò ut hæc informatio majore cum maturitate, ac fidelitate perageretur, censuere Pontifices non cuilibet hanc committendam; sed ut minùs Vicario Episcopi in spiritualibus Generali: de cujus fide & diligentia, ob ejus in Ecclesia majorem dignitatem, ampliùs confidunt, ut indicant verba, quibus dispensandi potestatem faciunt: *discretioni tuæ, de qua in his specialem in domino fiduciam obtinebimus, &c.*

Deinde ne fortè Delegatus spe lucri lactatus, aut muneribus excæcatus, non eâ, quâ par esset, causæ discusione ac maturitate ad dispensationem procedat, seriò eum monitum volumus: » Ut depositâ omni spe cujuscunque muneris, aut præ- » mii etiam spontè oblati, à quo, inquiunt, te omninò absti- » nere debere monemus, te de præmissis diligenter informes.“ Utque hanc rem efficaciùs inculcent, in fine rursus addunt: „Vo- » lumus autem, quòd si spretâ monitione nostrâ hujusmodi ali- » quid muneris, aut præmii occasione dictæ dispensationis exi- » gere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excomuni- » cationis latæ sententiæ pœnam incurras.“

Ex quibus plusquam sufficienter intelligitur, quod mens Pontificum sit, ut Delegati non leviter, sed summâ maturitate & severitate de veritate narratorum se informent. Nec mirùm: „Quia cùm agatur (inquit Pyrrhus Corradus in *Praxi De* » *Dispensat. lib. 7. cap. 6. n. 3.*) de re tam gravi, nempe de » dispensando super matrimonio contrahendo, & vis mutui » amoris inter Sponsos facilè posset decipere Delegatum, pro- » ducendo testes minùs idoneos, & non rectè deponentes; de- » bet propterea ipse Delegatus perpendere qualitatem ipsorum » testium: nam ut plurimùm deponunt per unum, eundemque » præmeditatum sermonem, cùm præcisa verba per ipsos Spon- » sos testibus suggeruntur, quia à veritatis tramite sæpè solent » deviare. Unde cùm causa expressa non remanet verificata, dis- » pensationes hujusmodi perperam exequuntur: & tam Dele- » gatus dispensans quàm dispensati, necnon ipsi testes, vitam ad » inferos sibi parant: quia clausula prædicta non ad ornatum » litterarum apponitur, ut dicebat quidam Jurisconsultus, sed » ut per eam intelligat Delegatus se debere procedere super hoc » cum pede plumbeo; quia totum negotium committitur cons- » cientiæ suæ.“

§. VIII.

Quandonam præces dicendæ sint veritate non niti ob non sinceram expressionem impedimenti, ita ut propterea dispensatio dicenda sit subreptitia.

DElegatum ad dispensationem procedere non posse, nisi preces quoad narrata, id est, allegationem impedimentorum, causam dispensationis, aliasque clausulas, adjecta prævia informatione, veritate niti deprehendantur, superiori §. ostensum fuit. Hinc sequitur I. Nullam futuram dispensationem, si Oratores dixerint se conjunctos quarto consanguinitatis gradu, cum in tertio gradu se contingant; tametsi supponatur, quòd error provenisset ex probabili ignorantia facti: quia similis ignorantia sufficere potest, ut factum per similem ignorantiam à culpa eximatur; sed efficere nequit, ut censeri possit dispensatum super tertio consanguinitatis gradu, super quo dispensatio nequidem petita fuit.

II. Dispensatio nulla erit, si Oratores expresserint simpliciter consenguinitatem aut affinitatem in tertio gradu, si tamen se contingant tertio gradu ex duplici stipite, vel tertio ex uno & quarto ex altero: eo quod preces suas ita proposuerint, quasi unum atque simplex consanguinitatis impedimentum intercederet, cùm tamen duplex in effectu intercedat.

III. Preces veritate non nitentur, si duobus diversis impedimentis intercedentibus, unum tantùm licèt majus, subticito minori, super quo facilè dispensari solet, exprimatur, tametsi poneretur, quòd Pontifex dispensâsset si utrumque expressum fuisset: quia equidem verum manet, super minori impedimento dirimente dispensatum non fuisse, utpotè super quo dispensatio postulata non est.

IV. Dispensatio erit invalida si duo intercedant impedimenta, & super utraque petita fuerit dispensatio, sed diverso tempore unum sine altero exprimendo; atque ita duplex, ac separata dispensatio super utroque impetrata sit.

Quo factum fuit, ut utraque dispensatio eo modo postulata fuerit, ac si unum solum impedimentum tempore impetratæ dispensationis subesset: cùm tamen duo reverà intercederent, quæ si fuissent simul exposita; nulla forsitan dispensatio indulta fuisset: quia duo impedimenta concurrentia unum quasi vinculum fortius, ac difficilioris dissolutionis constituunt.

Denique, ut verbo absolvam, toties dispensatio ob erroneam expressionem impedimenti erit invalida, quoties ea est expressio impedimenti, ut illa non involvat expressionem impedimenti, prout reverà subest; tametsi daretur quòd Pontifex dispensâsset, & fortè faciliùs, si impedimentum juxta rei veritatem expositum fuisset: quia ut sæpius monuimus, non sufficit quòd Pontifex dispensasset, si impedimentum foret allegatum; sed necessarium est, ut super impedimento reverà dispensaverit; quod factum esse dici non potest, quando impedimentum Pontifici nequidem est propositum.

Hinc dicimus dispensationem futuram invalidam, si expressus fuerit tertius gradus consanguinitatis, pro tertio gradu affinitatis.

§. IX.

Ut faciliùs intelligatur quando preces veritate nitantur, proponuntur causæ dispensationum matrimonialium cum suis formalis, ac imprimis quatuor ex iis, quæ culpam annexam non habent.

PLures, eæque diversæ causæ, ob quas dispensationes matrimoniales indulgeantur in variis Congregationibus Romæ desuper habitis sunt admissæ, & suis formulis expressæ: nonnunquam tamen visum fuit quòd causa aliqua, quæ certo tempore ut sufficiens admissa fuerat, postmodum ut insufficiens fuerit rejecta. » Et quidem causa, quæ vulgò dicitur *ob angustiam loci* usque ad annum IX. Pontificatûs felicis recorda- » tion. Pauli V. passim admittebatur, inquit Pyrrhus Corradus » *lib. 7. cap. 5. n. 40.* non modò in locis augustis, verùm etiam » amplis & populatis; quinimò etiam in magnis civitatibus, nem- » pè Neapoli, necnon in ipsa Urbe; ex eo quòd Oratrices ta- » lis qualitatis esse poterant, quod respectu illarum, non in- » veniebant in illis viros paris conditionis, quibus nubere po- » tuissent. Verùm re maturè perpensâ, cùm inverisimile videre- » tur, non solùm in tam insignibus, verùm etiam in parvis ci- » vitatibus posse hanc causam ita passim & facilè verificari; ip- » se Paulus meo tempore eam sustulit, quoad angustiam civi- » tatis; suisque Officialibus ad id præpositis præcepit, ne » de inceps illam admiterent, prout ea regularitater dene- » gatur.“

Animus non est, omnes & singulas causas in diversis Congregationibus probatas, cum suis formulis hîc referre; sed aliquas tantùm, easque magis ordinarias.

Pri-

Prima est: *Ob angustiam loci*, quæ exprimitur hac formula: » Quod cum dicta Oratrix in dicto loco, propter illius » angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris » conditionis cui nubere possit, invenire nequeat, « cupiunt &c.

» Hæc est una ex frequentioribus causis, teste Pyrrho Cor» rado, cum quibus conceduntur dispensationes matrimoniales » (nimirùm dum Oratrix oriunda est ex loco non ita amplo, ut » mox ex eodem audivimus) præsertim in gradibus consanguini» tatis, seu affinitatis remotioribus. «

Quin & aliquando etiam in proximioribus, v. g. secundo & tertio gradu à communi stipite ob eandem causam dispensatur; sed tunc exprimitur formula sequenti, & à præcendenti nonnhil diversa » Quod cum dicta mulier in dicto loco propter » illius angustiam virum paris conditionis, cui nubere possit, » invenire nequeat; & si extra dictum locum nubere cogeretur, » dos quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, » ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere » posset, invenire valeret, « cupiunt, &c.

Secunda, eaque hodie usitata, dicitur, ob incompetentiam dotis, quæ hac formula exprimi consuevit: » Quod cum » dicta Oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status » sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, » vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire ne» queat; & dictus Orator illam cum dicta minus competenti do» te uxorem intendat: « cupiunt &c.

Formula primæ causæ ostendit, pro verificatione illius non sufficere *angustiam loci*; sed insuper requiri quod mulier ob *loci angustiam*, virum non consanguineum vel affinem paris conditionis, in loco invenire nequeat. Plura insuper requiri, si exprimatur per secundam formulam, ex illius lectione patet.

Pro verificatione secundæ causæ exigitur, ut Oratrix destituatur dote competenti juxta status sui conditionem; quodque ob eam incompetentiam virum non consanguineum reperire nequeat, & præterea consanguineus cum dote incompetenti ipsam ducere velit.

Hæc si attendantur, apparebit quod meritò Delegatos moneat Genuensis in *Praxi Neapol. cap.* 20. *num.* 14. ut in verificatione harum causarum sibi attendant: quia, ait, *ut plurimum solent esse subreptitiæ.*

Tertia, eaque hodie admodum frequens, est pro Oratrice *excedente* 24. *ætatis annum*: quæ hoc tenore exprimitur: „Quod » cum dicta Oratrix vigessimum quartum annum, & ultra agens » hactenus virorum paris conditionis, cui nubere possit, non in» venit: « cupiunt &c.

Quis, secundum expressionem præsentis formulæ, sit dicendus *vir paris conditionis*, ex qualitate, ac conditione mulieris prudens Delegatus, seu Commisarius determinare debet.

Illud omni specie veri caret, quod nonnullis persuasum videtur, nimirùm causam hanc verificari, licet aliquis non consanguineus, etiam paris conditionis, Oratricem ducere voluerit, modo ipsa noluerit eum accipere: si enim solo nolleitas mulieris sufficeret ut diceretur *virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenisse*, sequeretur quòd eo ipso quo aliqua 24. annum excessisset, & nulli nisi consanguineo nubere vellet, dicenda esset justam habere dispensationis causam. Quo quid ineptius?

Ut igitur causa hæc verificetur, expendendum num nullus hactenus cum Oratrice matrimonium contrahere voluerit, qui prudentum judicio *paris* cum illa *conditionis* esset; & cum quo omnibus consideratis matrimonium inire potuisset.

Quarta causa, eaque pro Belgio multum frequens, inde dicta *pro Belgis*, proponitur hac forma: » Quod cum dicti Ora» tores orthodoxæ fidei cultores existant, ac Deo dante, sub » obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivere, & mori inten» dant; & in aliis partibus, in quibus multi adsunt hæretici, » non possunt animos singulorum explorare, & qui Catholicam » Religionem verè profitentur internoscere: ac propterea, ne » contingat eos cum hæreticis matrimonium contrahere: « cupiunt &c.

Attentius formulæ hujus tenorem consideranti non difficulter apparebit, quæ pro verificatione hujus causæ probanda sint; & quàm rarò his in partibus, hoc tempore causa hæc verificari queat.

Considerari meretur, quod ea omnia, quæ in hac formula exprimuntur, debeant verificari respectu Oratorum, qui dispensationem impetrârunt: id est, » quod cum ipsi orthodoxæ » fidei cultores existant, non possint animos singulorum sufficien» ter explorare, & qui Catholicam fidem verè profitentur, in» ternoscere: « ac propter ea periculum sit, ne cum Hæreticis matrimonium contrahant. Quod enim in partibus illis aliqui Hæretici existant, & ob id forsitan aliquibus periculum contrahendi cum Hæreticis immineat; nihil ad rem facit, modò ipsis Oratoribus simile periculum non sit.

§. X.

Quæ exprimenda & verificanda sint, ut dispensatio super contrahendo matrimonio, prævio incestu, aut familiariori conversatione sit valida.

QUandocunque petitur dispensatio super matrimonio contrahendo, de stylo Curiæ Romanæ, incestus prævius, si intervenerit, exprimendus est, etiam cum ignorantia impedimenti commissus; si tamen tempore incestûs *scientiam impedimenti*, Partes habuerint, non sufficiet simpliciter exponere actum conjugalem intervenisse, sed necessario exprimendum erit, illum commissum fuisse cum *scientia impedimenti.*

Praxis quotidiana docet, frequenter postulari & concedi dispensationem propter prævium incestum, aut familiariorem conversationem inter Oratores, quæ ut minus suspicionem commissi incestus causavit.

Quando hac de causa dispensatio postulatur supplica juxta morem Curiæ concipi solet tenore sequenti.

Exponunt N. & N.... » quod ipsis alias scientibus se tertii Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, Orator præ» dictus non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso, » hæc causa foret S. V. & Sedem Apostolicam ad misericordiam » & gratiam erga ipsos faciliores reddendi; sed solum vesanâ libi» dine victus Oratricem cognovit. Cum autem, Pater Sancte, ni» si matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mu» lier diffamata, & inupta remaneret, graviaque exinde scanda» la possent verisimiliter exoriri: « cupiunt, &c.

Eadem quoque est formula expressionis, quando non quidem incestus, sed familiarior conversatio allegatur.

Hinc collige, in hac dispensatione verificanda esse sequentia.

Primò, *quod mulier diffamata & inupta* remanere deberet.

Secundò, quòd *gravia scandala ob incestum commissum* (id est, quando allegatur familiarior conversatio) verisimiliter nata sint exoriri.

Tertio denique, quod spes sit, quòd scandalis illis per contractum matrimonium inter dictos Oratores occurretur, nec alio modo occurri posset.

Insuper pro praxi dispensationis ex præallegata causa notandum est, quod de stylo Curiæ dispensatio non intelligatur concessa, nisi sub hac conditione: *modo incestus* (idem est de familiariore conversatione) *non sit commissus spe facilius consequendæ dispensationis.* Quare etiam injungitur Delegato, ut ad dispensationem non procedat, nisi recepto ab Oratoribus juramento, quod *sub spe facilius habendæ dispensationis incestum hunc* (idem rursus est de familiariori conversatione) *non commiserint.*

Qui igitur dispensationem ex jam dicta causa petere meditatur, seriò expendat, num tria illa pro verificatione requisita reverà subsint; & utrum juramentum illud verè præstare poterit.

§. XI.

Quænam sint exponenda & verificanda in dispensatione super cognatione spirituali, aut voto castitatis.

UT dispensatio super cognatione spirituali sit valida, exprimendum est unde hæc cognatio ortum ducat. Si enim subesset spiritualis filiatio, seu quòd alter alterum de sacro Fonte suscepisset, difficilior omninò erit dispensatio, quàm si sola compaternitas spiritualis inter Oratores intercederet. Quinimò non solent Pontifices super filiatione spirituali dispensare, indecorum ac scandalosum id existimantes. Unde teste Fagnano, cùm in casu occurrente Congregatio existimâsset dispensationem annuendam super filiatione spirituali, tamen relatâ ad Gregorium XIII. sententiâ, Sanctitas Sua noluit dispensare. » Et » quamvis, ait Fagnanus, nonnunquam post tempora Grego» rii XIII. dispensatum fuerit ob dotis incompetentiam cum » illius sufficienti augmento; *non tamen est judicandum exem» plis, ne quod aliquando factum est, sed quod fieri debet, est » spectandum.* « Ad cap. fin. *de Cognat. spirit.*

Pro praxi hujus dispensationis notat Pyrrhus Corradus *lib.* 8. *Disp. Apost. cap.* 8. de stylo Curiæ notoriè receptum esse in postulatione dispensationis super impedimento spiritualis cognationis prævium incestum, si intervenerit, exprimendum esse: quem stylum rationi, ac juri conformem esse credimus, quidquid in contrarium dicat Thomas Sanchez de *Matr. lib.* 8. *disput.* 25. *num.* 2.

Quod dispensationem super voto castitatis attinet, illa concedi solet ex causa hac: » Quod Orator ita stimulis carnis agite» tur, ut continentiam servare posse non speret, ac propterea » matrimonium contrahere desideret. «

Hæc formula clarè innuit Pontificem in voto castitatis non dispensare, nisi ob moralem imposibilitatem servandi castitatem

ab illo, qui vovit. Quod indubiè intelligendum est, si moralis illa impossibilitas continendi maneat mediis opportunis pro servando voto castitatis adhibitis: postquam v. g. peccandi occasiones vitaverit, jejunia, vigilias, aliasque corporis castigationes quibus caro potenter reprimitur, & spiritui subjicitur, adhibuerit; insuper adjunxerit frequentiam orationum, cæteraque pietatis exercitia, quibus continentiæ domum à Deo impetratur. Qui enim hæc neglexit, verè affirmare non potest *ita se stimulis carnis agitari, ut continentiam servare posse non speret*; quandoquidem media ordinata ad servandam castitatem pro illo, qui stimulis carnis agitatur, non adhibuerit; adeoque nec videri potest finem, qui est custodia castitatis, unquam efficaciter intendisse.

Illud in dispensatione super voto castitatis advertendum, quòd Orator per dispensationem non ampliùs à voti obligatione absolvatur, quàm ut incontinentiæ periculo hic & nunc ocurratur. Quare sic restringi solet dispensatio, ut vi illius, *semel* tantùm Matrimonium contrahere possit: adjungitur enim, *quod si dictus Orator mulieri, cum qua contrahet, supervixerit, maneat postea cælebs, & eodem voto, ut prius, obligatus.* Insuper Delegato mandatur, ut opera aliqua pœnitentiæ Oratori injungat, *quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimpleus, meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur.*

§. XII.

Quæ exprimenda veniant, quando petitur dispensatio super matrimonio cum impedimento dirimente contracto.

MAtrimonium de facto quidem, sed nulliter de jure contrahitur, quandocumque inter contrahentes subest impedimentum dirimens, sive notitia impedimenti tempore initi matrimonii adfuerit, sive non: quapropter ut in simili matrimonio, qui sic contraxerunt, permanere valeant, dispensatione opus est. Pro cujus praxi notanda subsequentia.

Primò, si cum scientia impedimenti contractum sit, illius scientiæ sub pœna nullitatis mentio injicienda est.

Secundò, si non tantùm cum scientia impedimenti contractum, sed & consummatum fuerit, idipsum similiter sub pœna nullitatis exponendum esse indicant verba Concilii Tridentini *Sess. 24. de Matrimon. cap. 5.* »Si quis intra gradus prohibi»tos matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe »dispensationis consequendæ careat: « *idque in eo*, inquit, multo magis *locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere*, sed etiam consummare *ausus fuit.* Hæc enim finalia verba evidenter ostendunt, quod difficilior esse debeat dispensatio, quando ultra contractum matrimonii, accessit ipsa matrimonii consummatio.

Tertiò, necessariò declarari debet, num ad contractum matrimonii, processum non sit *spe facilius consequendæ dispensationis.* Imò si non fuerit expressum, in dispositiva litterarum injungitur Delegato, ut ad dispensationem non procedat, nisi recepto ab eis juramento, *quod sub spe facilius dispensationis impetrandæ non contraxerint.*

Quartò, si quando matrimonium cum ignorantia impedimenti iniri contingit: si quidem solemnitates requisitæ in contrahendo matrimonio neglectæ sunt, neglectus ille necessariò venit exponendus: quia Synodus Tridentina vult, ut eo modo ignoranter contrahentes spe consequendæ dispensationis careant, non secùs ac si scienter cum impedimento contraxissent.

Quintò, si contingat matrimonium cum ignorantia impedimenti esse contractum, nec solemnitates requisitæ propriè neglectæ fuerint, sed de licentia Ordinarii proclamationes omissæ sint, de stylo Curiæ hujusmodi omissio est exponenda.

Sextò, si adhibitis omnibus solemnitatibus, matrimonium cum impedimento dirimente ignoranter contractum fuerit, & insuper consummatum; consummatio exponenda erit, tametsi durante ignorantiâ duntaxat intervenerit; sin verò detecto impedimento, in actu conjugali permanserint, id specialiter erit declarandum.

§. XIII.

Expenditur causa, ob quam hodie dispensari consuevit super matrimonio cum impedimento dirimente contracto.

CAusa ordinaria, ob quam super matrimonio cum impedimento dirimente contracto, hodie dispensatio indulgeri solet, est aversio scandalorum, quæ ex divortio oritura timentur, eaque hac formula exprimitur: *Cum autem si divortium inter eos fieret, gravia exindè scandala possint verisimiliter exoriri, &c.*

Ex hac formula constat, pro verificatione hujus causæ necesse esse, ut reverà periculum sit, quòd gravia scandala ex divortio orientur; eaque avertenda credantur, si Oratores vigore dispensationis in matrimonio contracto perseverare possint.

Quin prædicta scandala per dispensationem avertenda, debeant esse admodùm gravia, dum agitur de matrimonio cum impedimento dirimente *scienter* contracto, indicat Synodus Tridentina, dum statuit, ut *hujusmodi contrahentes separentur, & spe dispensationis careant.* »Unde (teste Pyrrho Corrado »*lib. 8. de Dispensation. Apostolic. cap. 3.*) Pontifices non ni»si summa cum dificultate dispensant: cùm tales Oratores tali »judicent dispensatione indignos stante decreto ejusdem Con»cilii.«

Quin & eodem referente, Clemens VII. edito decreto omnibus denuntiandum seu intimandum credidit, »quod impos»terum, cùm illis, qui in gradibus prohibitis matrimonia »scienter contraxerint, etiamsi illa consummaverint, non in»tenderet dispensare; sed illa, scandalis, quæ oriri posse for»midarentur, minimè attentis, omninò separari mandavit.«

Similiter Paulus IV. deprehendens, quòd dispensationes super matrimoniis in gradibus prohibitis scienter contractis, de facili concessæ, causam tribuerent delinquendi; constitutione sua, quam refert ibidem Corradus, declaravit: »Absolutiones, »& dispensationes hujusmodi ex pretextu prædicto (nimirum »quod ex divortio gravia scandala orirentur) etiamsi proles ex »matrimonio sic contracto subsecuta fuerit; nullatenùs, sed so»lùm ex causa urgentissima pro bono publico, & à jure con»siderata per nos tantùm, inquit, & non alium approbanda »concedemus, & quòd dispensationes ex alia causa nostris tem»poribus exulabunt: quod nobis licere non patimur, nostris »successoribus indicantes.«

§. XIV.

Dispensatione super matrimonio nulliter contracto obtentâ, quâ formâ matrimonium de novo contrahendum sit.

INdubitatum est, matrimonium cum impedimento dirimente contractum, nullum esse; ac consequenter dispensatione superveniente opus esse, quòd omnia ex integro ponantur, ac si de novo matrimonium esset ineundum. Quod ipsum indicat Pontifex dispensandi potestatem hoc tenore faciens: *Ut matrimonium inter se de novo publicè, servatâ formâ Concilii Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant, auctoritate nostra dispenses.*

Hinc collige, quòd dispensatione obtentâ non sufficiat quod Parocho interrogante mulierem, num hic sit suus maritus, & virum, num hæc sit sua uxor, uterque affirmet: eo quod illa affirmando, non conrahatur de novo matrimonium; sed ut summum declaratur, quod in matrimonio, quod subesse ab utroque, aut altero saltem creditur, se invicem pro conjugibus agnoscant.

Ulteriùs collige, utrique parti innotescere debere, quòd prius matrimonium nullum fuerit; ac proindè ab utraque haberi notitiam impedimenti dirimentis, saltem in genere, ut ea habita, liberè de novo matrimonium contrahere queant.

Sed quid, si impedimentum meritò sit certum, uxori verò proponatur ut dubium? Resp. præterquam quod id sine mendacio fieri nequeat, etiam contingere posset, quòd ob talem errorem matrimonium de novo contractum esset invalidum: quia fieri potest, ut uxor rationabiliter ita esset constituta, ut de novo matrimonium inire vellet, si tantùm dubia esset illius invaliditas, nollet verò si certa foret.

Ex dicta clausula colligitur III. quòd matrimonium de novo contrahendum sit *publicè*, servata forma Concilii Tridentini, & merito: quia si sufficeret consensus clandestinus, ut matrimonium de novo valide iniretur, incommoda, ob quæ matrimonia clandestina Synodus Tridentina irrita voluit, ex simili matrimonio facilè oriri possent: primum enim matrimonium, quod publicè contractum erat, probari posset nullum esse ob impedimentum dirimens; secundum vero de novo clandestinè contractum, probari non posset: atque ita marito facultas esset uxorem aliam ducendi, non obstante hoc matrimonio validè, ut supponitur, contracto. Neque per Ecclesiam ab hac ultima uxore separari posset; quandoquidem secundi illius matrimonii nulla probatio in foro externo haberetur.

Neque in contrarium moveri debet declaratio Cardinalium à Martin. Navarro adducta: quia, ut coram Urbano VIII. conquesta fuit S. Congregatio: *Deprehensum fuit, in libris impressis passim circumferri multas declarationes alteratas, mutilatas, diminutas, aut fortè aliàs meritò Sacræ Congregationis nomine confictas.* Quare 2. Aug. ann. 1631. Idem Urbanus edito decreto declaravit: »his declarationibus S. Congregationis »Concilii Tridentini nullam fidem esse in judicio, vel extra, à »quoquam adhibendam; sed tantùm illis, quæ authentica for»ma, solito sigillo & subscriptione Eminent. Cardinalis Præ»fecti, & Secretarii ejusdem S. Congregationis pro tempore »existentium, munitæ fuerint.«

§. XV.

De his, quæ specialiter observanda sunt pro dispensatione expedita in forma pauperum.

QUænam ab Oratoribus verificanda, & facienda sint, dispensatione matrimoniali in forma ordinaria expedita, hactenus notatum fuit: sed quia specialia aliqua occurrunt in dispensatione, quæ concedi consuevit in *forma pauperum*, breviter praxim illius hoc paragrapho proponere visum fuit.

Solet juxta modernum Curiæ stylum cum Oratoribus pauperibus dispensari; idque ob incestum jam inter eos quovis modo commissum, aut illius suspicionem subortam: ne contingat illos cum animarum jactura in ipso incestu, vel cum scandalo, & infamia in illius suspicione perseverare.

Quæ in hac dispensatione specialiter Oratoribus verificanda, aut facienda sint, vel quæ Delegato prævie ad dispensationem præmitenda, ex dispositiva litterarum, quibus dispensatio *in forma pauperum* committitur, non difficulter intelligi poterit.

Hujus itaque dispositivæ hic tenor esse consuevit. » Nos igi» tur, &c. Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, » &c. *uti in ordinaria*: Tunc Joannem & Luciam prædictos, » qui pauperes & miserabiles existunt, & ex labore & industria » sua tantùm vivunt, imprimis ad invicem separes; deinde, si » veniam à te petierint humiliter, illis pœnitentiam publicam » imponas, quæ alios deterreat à similibus committendis, utque » dictus Joannes operam suam fabricæ, vel in aliud servitium » alicujus Ecclesiæ, vel loci pii, tribus saltem mensibus, con» ferat, aliaque injungas, quæ de jure fuerint injungenda. Quà » pœnitentiâ publicâ peractâ, ac recepto ab eis juramento, quod » sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi incestum » hunc non commiserint, ipsos ab incestûs reatu, & excessibus » hujusmodi, imposita priùs eis propter incestum hujusmodi » arbitrio tuo pœnitentia salutari, ac vice duntaxat in forma » Ecclesiæ consueta, in utroque foro, auctoritate nostra absol» vas; & quatenus, &c. Parito judicato. Demum, si tibi expe» diens videbitur, quòd dispensatio hujusmodi sit eis concedend» da, nec scandalum sit ex eo oriturum super quo tuam cons» cientiam oneramus; tunc cum eisdem Joanne & Lucia, post» quam ipsi in separatione præfata, arbitrio tuo perseverave» rint, & dummodo ipsa Lucia propter hoc rapta non fuerit, » quod impedimento quarti, &c. Prolem susceptam, si qua » sit, & suscipiendam exinde, legitimam decernendo. Volu» mus autem, quòd si spreta monitione nostra hujusmodi, ali» quid muneris aut præmii, occasione præmissorum exigere, » aut oblatum recipere, temerè præsumpseris, excommunica» tionis latæ sententiæ pœna tandiu innodatus existas, donec » per satisfactionem condignam ab ipsa excommunicationis sen» tentia absolutionem à Sede prædicta merueris obtinere; & » nihilominus absolutio & dispensatio per te faciendæ præ» dictæ nullius sint roboris vel momenti. « Datum Romæ, &c.

Ex verbis dispositivæ habemus, quòd dispensationes in hac forma, juxta stylum Curiæ (cui Pontifex se conformare præsumitur) non expediantur, *nisi pro personis pauperibus & miserabilibus, & ex labore & industria sua tantùm viventibus.* Num stante hoc Curiæ stylo atque Pontificis intentione, sat securè dispenset Delegatus vigore litterarum in *forma pauperum*, cum Oratoribus, qui honestos, nec exiguos redditus habent, quibus honestè familiam suam accendente aliquali eorum labore, & industria sustentent, quis non ambigat?

Secundò habemus, Delegatum teneri ob incestum prævium imponere eam pœnitentiam publicam, quæ alios deterreat à similibus committendis.

Tametsi non exprimatur, quæ præcissè pœnitentia imponenda sit, sed illius determinatio secundum circumstantias personarum, rerum & temporum, prudentiæ Delegati credatur; tamen hæc pœnitentia publica sit oportet: » adeò (ait Pyrrhus » Corradus *lib.* 8. *Disp. Apost. cap.* 6. *num.* 7.) ut omnibus » ferè loci, seu oppidi, aut civitatis, ubi ipsos Oratores hujus» modi pœnitentiam peragere contingit innotescat. « Quo fiet ut per illam pœnitentiam publicam alii à similibus excessibus committendis deterreantur.

Tertiò, tanquam speciale in hac dispensatione injungitur Oratori, ut operam suam fabricæ, vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ vel loci pii tribus saltem mensibus conferat: scilicet per se ipsum, „ quia cùm hîc agitur de pœnitentia injuncta servanda, » non potest illam per alium adimplere, ut rectè advertit sæpè » citatus Corradus, etiamsi ipse Orator vellet solvere pecuniam » alicui volenti dictam pœnitentiam pro eo peragere, nec un» quam, inquit idem, contrarium circa præsentem casum vi» sum fuit, nempè ut sub alia forma litteræ hujusmodi dispen» sationum fuerint concessæ, aut dicta pœnitentia adimpleta; » quod quidem optimâ ratione servatur, inquit, quia juxta Isi» dorum in *Can. Pauper, Caus.* 11. *quæst.* 3. nullam reus per» timescit pœnam, quam scit pecuniâ se posse redimere. « *Lib.* 8. *Disp. Apost. cap.* 6. *num.* 17.

Quartò, tametsi ad dispensationem etiam in forma ordinaria expeditam non sit procedendum, si ex illius executione timeatur scandalum, ut *cap.* 3. §. 2. ostendimus; id tamen in his litteris specialiter expressum vult Pontifex, » ut magis, in» quit Corradus, dignoscatur sua enixa voluntas circa hoc. «

Hæc sunt præcipua, quæ in litteris dispesationis *in forma pauperum* notanda apparent: si quæ alia minoris momenti supersint, non difficulter ex attenta lectione dispositivæ superiùs expressæ intelligi poterunt.

§. XVI.

Notantur aliqua circa causas dispensationum matrimonialium, item circa exprimenda de jure & stylo Curiæ, unde appareat, quantopere conveniat eorum exactam notitiam habere.

CIrca causas, earumque formulas, ob quas dispensationes matrimoniales in Curia Romana hodie conceduntur, & quarum magis ordinarias cum suis formulis suprà retulimus, quædam in generali non inutiliter notantur: è quibus luce clariùs apparebit admodum utile, necnon necessarium multis esse, causas illas cum suis formulis probè novisse.

Primò itaque notandum: causas dispensationum matrimonialium esse jam pridem in quibusdam Congregationibus desuper habitis, cum suis formulis, quibus exprimentur, approbatas & præscriptas.

Secundò, dispensationes ordinariè non concedi, nisi ob aliquam ex causis probatis, quæ præscripta, & consuetâ suâ formulâ supplicæ fuerit inserta.

Tertiò, quòd licèt Oratores seu Partes pro dispensatione supplicantes, causam aliquam etiam sufficientem allegâssent, si tamen inter probatas, ac usitatas non reperiatur, aut solito tenore sit expressa, illa litteris dispensationis non inseretur; at una ex ordinariis exprimetur, idque juxta prædictum tenorem.

Quartò, cum ex antedictis, constet dispensandi potestatem delegari sub conditione, *si preces veritate nitantur*; sequitur, quòd causa in supplica allegata, & quidem secundum expressionem consuetam debeat verificari, non tantùm ut dispensatio licitè, sed etiam ut validè fiat; hinc

Quintò notandum, quòd non sufficiat, pro validitate dispensationis, ut Oratores causam aliquam etiam sufficientem coram Delegato probent; sed debent in specie seu in individuo verificare illam, quæ in litteris dispensationis fuit expressa. Quinimò, licèt verificare possent unam ex causis in Curia approbatis, & ob quam, modò allegata fuisset Pontifex dispensâsset, invalidam nihilominus futuram dispensationem, si expressam in litteris probare nequeant, pro indubitato habemus.

Quod de invaliditate dispensationis, ob defectum verificationis causæ in litteris expressæ, dictum est; idem locum obtinet, si in supplica omittatur unum eorum, quæ jus aut stylus Curiæ sub pœna nullitatis expressa vult; quia Pontifex, qui se juri & stylo Curiæ conformare præsumitur, dispensare non intendit, ubi aliquid eorum est prætermissum.

Hoc igitur notandum, quòd invaliditas dispensationis ex deffectu verificationis causæ, aut omissione alicujus, quod de jure, aut stylo Curiæ erat exprimendum, non tàm proveniat ex defectu potestatis Pontificis, quàm voluntatis: unde si quis ex dictis inferre vellet, dispensationem Pontificis sine causa super impedimentis matrimonii, licèt illicitam, etiam esse semper invalidam, adeò ut matrimonium in vim illius contractum nunquam esset reverà coram Deo validum, negaremus consequentiam.

Hisce prænotatis, nemo ut credo, inficiabitur, quin summa sit utilitas, ne dicam necessitas, exactè nosse causas, earumque formulas in Curia Romana pro dispensationibus matrimonialibus comprobatas; similiter ea omnia, quæ jus & stylus Curiæ sub pœna nullitatis expressa volunt.

Ut enim nihil de Delegatis, aut Commissariis, quibus potestas dispensandi committitur, dicam (qui nisi harum perfectam notitiam habuerint, sæpiùs contra mentem Pontificis adeoque invalidè ad dispensationem procedent) nihil evidentius, quàm illorum notitiam summopere expedire illis, qui dispensationem petere meditantur: ut nimirum prævie ad postulationem dispensationis secum expendant, non tantùm an causam sufficientem dispensationis verificare poterunt; sed num eam, quæ pro simili dispensatione in Curia Romana admittitur, & quidem juxta eum verborum tenorem, ac clausulas, quibus illam Curia exprimere consuevit; idque ea certitudine, quæ sufficiens sit, ut sine periculo nullitatis, matrimonium vi illius dispensationis contrahatur. Nî enim hæc prævie seriò expensa fuerint, de facili continget, quòd dispensa-

satione obtentâ, cum summo supplicantium præjudicio, ac incommodo preces verificari non poterunt, nec juramenta præstanda sincerè coram Deo emitti.

Idem eadem facilitate eveniet, si nesciant illa, quæ pro ea, quam intendunt, dispensatione obtinenda, jura vel Curiæ stylus sub pœna nullitatis expressa volunt.

Hinc ulteriùs facilè intelligitur, prædictarum notitiam plurimum convenire Pastoribus, aliisque animarum directoribus, ut ipsi subditis suis, quos mediante dispensatione contrahere velle sciunt, proponant ea omnia, quæ obtentâ dispensatione verificare, ac facere tenebuntur; eosque moneant, ut serio attendant, priusquam supplicam suam Romam mittant, expensasque faciant, vel rumor de ineundo matrimonio spargatur, num revera credant, se ea omnia verificaturos, & quidem illâ certitudine, ut matrimonium de nullitate non periclitetur; necnon juramenta præstanda cum veritate præstentur.

Unde, teste Pyrrho Corrado *lib. 7. Disp. Apost. cap. 6. num.* 54. nonnulli Episcopi in Synodo Diœcesana ad hos errores vitandos mandare solent, ut cum Parochi de prohibitis matrimoniis verba faciunt, diligenter doceant & cautè demonstrent, nullo modo censeri dispensatum, nisi verificatis narratis; ac præcipuè, ut supplicationibus curent verum exprimi.

§. XVII.

Expenditur praxis dispensationum, quæ pro solo foro interno conceduntur in Pœnitentiaria Romana.

PLeraque hactenus in materia dispensationum matrimonialium dicta, unicè concernunt dispensationes, quæ pro foro externo in Dataria vel Cancellaria Romana expediri consueverunt: à quibus in multis, tum quoad personam, cui delegantur, & modum eas expediendi; tum quoad clausulas adjici solitas distinctæ sunt dispensationes, quæ pro solo foro interno, seu conscientiæ, in Pœnitentiaria Romana petuntur & expediuntur: ut ex tenore litterarum videre est.

Tenor commissionis seu delegationis consuetus hic est: *Joannes miseratione Divinâ, tituli S. Bartholomæi in insula Presbyter Cardinalis, discreto viro Confessori, Theologiæ Magistro, vel Decretorum Doctori ex approbatis ad Ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino.*

Ex tenore hujus Delegationis imprimis constat, quòd executio hujusmodi dispensationum non committatur Ordinario, sed alicubi ab ipso Oratore eligendo; tali tamen, qui his duabus qualitatibus ornatus sit.

Prima qualitas in Delegato requisita est, ut sit Magister, seu quod idem est, Doctor Theologiæ vel Decretorum, adeoque supremum in altera istarum Facultatum gradum publicè in aliqua Academia sit adeptus.

Hinc patet, has dispensationes, ut etiam notat Thomas Sanchez *lib. 8. de Matr. disp.* 34. expediri non posse per Licentiatos, qui publicè in Universitate Theologiam, aut Jus Canonicum docent: quia hi nec *Magistri in Theologia*, nec *Doctores Juris Canonici* appellari solent.

Patet secundò, prædictas dispensationes expediri non posse per Regulares, qui juxta suorum Ordinum instituta quibusdam Magistrorum privilegiis fruuntur, ac Magistri inter suos dicuntur; nisi verè ad Magisterii gradum in aliqua publica Universitate sint promoti: quia præterquam quòd similes publicè, & extra Monasterii septa pro Magistris aut Doctoribus non habeantur, etiam finis, ob quem ad Magistros, aut Doctores ejusmodi rescripta diriguntur, non haberetur.

Diriguntur enim ad Doctores, ut rursus observat Sanchez, *quia publicum Academiæ testimonium suæ peritiæ habent*; ut propterea crediderint Pontifices executionem dispensationum, quæ non parum prudentiæ, ac eruditionis requirit, ipsis concredi posse: eodem nimirum motivo, quo Ecclesia noluit eminentiores Ecclesiasticas dignitates (quæ etiam majorem scientiam & eruditionem requirunt) conferri, nisi his, qui gradu Doctoratûs, aût Licentiæ in Theologia, aut Jure canonico, tanquam publico scientiæ eminentioris testimonio forent insigniti. Ex quo nullus non videat, Pontifices, ac Ecclesiam quodammodo decipi, dum gradus illi Academici, seu publica eruditionis testimonia annuuntur illis, qui scientia gradui correspondente destituuntur.

Altera qualitas in Delegato requisita est, ut sit Confessarius approbatus ab Ordinario; ita nimirùm, ut valeat excipere Confessionem Oratoris: unde nequaquam sufficit, quod ab aliquo Ordinario sit approbatus, sed ab Ordinario, qui Jurisdictionem dare potuit & dedit in Oratorem: quare approbatus ad excipiendas Confessiones mulierum, non poterit expedire litteras dispensationis pro viro aut econtra.

Secunda clausula huic dispensationi specialis, modum verificandæ causæ exprimens, hoc tenore proponitur: *Si ita esse per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita & consilia opportuna illi præstita invenerit.*

Ex formula hujus clausulæ constat, quòd Delegatus se non debeat de veritate precum informare receptis testibus, ut pro foro externo fieri solet; sed sufficiat solùm Oratorem super veritate precum diligenter examinare, & interrogare, monita & consilia oportuna illi suggerendo.

Monita intellige, ex quibus Orator intelligat momentum rei, supra qua examinatur, quòd hinc dependeat dispensationis valor, & ab hoc validitas matrimonii; atque exinde ulteriùs dependeat, num totâ suâ vitâ forsitam non sit victurus in perpetuo incestu, cum evidentissimo æternæ damnationis periculo.

Consilia similiter intellige, quibus Oratori consulatur rem tanti ponderis enarrare, sicuti coram Deo est, ne alias se ipsum in re tanta decipiat.

Sed quid si ex Oratoris examine ac interrogatione falsitas precum non deprehendatur, aliunde tamen illa Delegato innotuerit? Nullatenus dispensare poterit: dispensando enim contingeret, quòd fortè conjuges, aut alter eorum in perpetuo viveret incestu.

Accedit, quòd cùm hîc petatur dispensatio occultè, nullum sit inconveniens, si privata & occulta scientia Delegatus utatur, præsertim cùm præsumendum sit, Pontificem nolle dispensationem indulgere, quando revera causa dispensationis allegata non subsistit.

Tertia clausula exprimitur hac formula: *Ita quod ejusmodi dispensatio, & absolutio in foro judiciario nullatenus suffragetur.*

Quapropter si vel per Superiorem ex officio, vel à quocunque privato Matrimonii validitas in quæstionem ducatur, nullatenus dispensatio in Pœnitentiaria obtenta suffragabitur; sed quæstio discutienda, & terminanda erit, ac si nulla dispensatio intervenisset.

Quarta clausula hac forma exprimitur: *Dummodo impedimentum inde proveniens occultum sit.*

Monitum vult Pyrrhus Corradus: » Quòd cùm contingit pe-» ti dispensationem à S. Pœnitentiaria super *occulto* impedimen-» to, non sufficit illud esse *occultum*, tantummodò tempore » impetrationis dispensationis super eo; sed opus est, quòd » nullus adsit timor, quòd aliquo modo possit fieri publicum » in futurum: aliàs enim major Pœnitentiarius remitteret sup-» plicationem ad Datariam, ut Oratores petant secum dispen-» sari in utroque foro; quia non occultum, sed manifestum di-» citur, quod potest probari. «

Quinta clausula juxta modernum stylum Curiæ hoc modo concipitur: *Audita priùs Oratoris Sacramentali Confessione, eundem hac vice in forma Ecclesiæ consueta, & injuncta ei pœnitentia absolvas.*

Per hanc expressionem jam sublatum est dubium, quod olim movebant Doctores, nùm dispensationem præcedere deberet Sacramentalis Confessio: illam enim dicta formula, ut jam exprimitur, apertè requirit.

Sexta clausula hoc tenore concipitur: *Litteras* (dispensationis) *laniare tenearis, neque latori restituas: quod si restitueris, nihil illi præsentes litteræ suffragentur.*

Quod non ita intelligendum arbitror, quasi litteris restitutis dispensatio redderetur invalida; sed quòd litteræ in foro judiciario seu externo nihil latori suffragentur.

Denique, si in Pœnitentiaria detur dispensatio super matrimonio inito cum impedimento affinitatis occulto ex fornicatione, additur hæc clausula: *Quòd Oratores diligenter experiantur, num sine scandalo possint separari. Quod si fieri potest, fiat omninò. Si autem fieri non potuerit, saltem experiantur, an cohabitantes, ut frater & soror, continenter vivere valeant. Quod si neutrum fieri valeat, & ex cohabitatione incontinentiam, ex separatione verò scandala oriri posse tibi visum fuerit; cum ipsis latoribus de nullitate prioris consensûs certioratis, sed ita cautè, ut si illa adhuc ignorârit, latoris delictum nusquam detegatur, dispensa, ut matrimonium secretò inter se contrahere valeant: prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam exinde, legitimam decernendo in foro conscientiæ tantùm.*

Hæc clausula manifestè declarat, mentem Pontificis esse, ut cum talibus non dispensetur, nisi certum vel incontinentiæ, vel scandalorum periculum adsit.

Ex eadem quoque firmatur, quod hoc Capite paragrapho 14. notandum fuit: nimirùm matrimonium nullum ob impedimentum dirimens, de novo valide non contrahi, nisi utrique conjugum illius invaliditas priùs innotescat.

§. XVIII.

Ex hactenus assertis consectarium ostenditur, periculosum esse mediante dispensatione statum aliquem assumere.

EX hactenus dictis constat, dispensationem nullam concedi nisi unà vulnus aliquod sacris Canonibus à Spiritu Sancto pro regimine Ecclesiæ suggestis, infligatur: ex quo facilè apparet, admodum periculosè ad statum aliquem, præsertim Ecclesiasticum, mediante dispensatione promoveri. Nisi enim reverà talis subsit causa, quæ Deo probetur sufficiens, ut contra ordinarias regulas ipso inspirante pro disciplina Ecclesiæ servanda conditas, statum illum assumat; non parùm verendum, ne idem ille Spiritus, cujus regulæ temerè negliguntur & violantur, gratias ac benedictiones statui ritè peragendo necessarias, deneget.

Quod ipsum experientia quoque docere videtur. Parum enim feliciter succedere illis, qui ad Statum aliquem mediante dispensatione pervenerunt, non rarò deprehenditur. Et quidem primum in Ecclesia Romana excitatum schisma, in ipsius Novatiani schismatis auctoris ordinationem *dispensativè* factam refundere non dubitavit Cardinalis Baronius, qui illius occasione hoc notandum & appositum monitum adjunxit: *At planè*, ait, *ex facto Novatiani apparet, quanto periculo quæratur per dispensationem, quod est aliàs ecclesiasticis Legibus interdictum.* Ad ann. 254.

Ulteriùs cùm ex antedictis pateat, dispensationem non esse omni ex parte licitam, nisi utilitas, aut necessitas Ecclesiæ illam postulaverit; quis hinc non videat, rarissimè aliquem sine præsumptionis, ac temeritatis nota dispensativè ad Statum, præsertim ecclesiasticum, proprio motu ascendere? Quis enim, nisi præsumptuosus, judicabit se illius esse capacitatis, ut Ecclesiæ utilitas aut necessitas ipsum in tali casu requirat?

Patet quoque, quod qui ad Statum ecclesiasticum non nisi mediante dispensatione ascendere potest, majora suæ vocationis indicia habere debeat: cùm enim per divinam providentiam impedimento canonico impediatur, nec possit sine violatione Legum, quas inspiratione divinâ Ecclesia edidit, Statum illum assumere; debent indubiè tam evidentia vocationis signa concurrere, ut non obstantibus signis illis non vocationis, prudenter judicetur, illum hîc & nunc vocatum esse.

Mirum proinde videri non debet, quòd S. Bernardus agens de Ordinatione Malachiæ ante ætatem (quam illius temporis disciplina requirebat) factâ, dicat: „Si quid præter Canonum „formam processisse videtur, ut verè videtur, donandum sa„nè tum zelo ordinantis, tum meritis ordinati. Ego verò, *inquit*, „nec in Sancto redarguendum, *nec usurpandum, consulo ei, qui „sanctus non fuerit.*“ In vita Malachiæ cap. 3.

Quod Statum matrimonialem attinet, quàm & hîc periculosè mediantè dispensatione assumatur, inde non difficulter intelligitur. Præterquam enim quòd requiratur causa, quæ Deo comprobetur sufficiens, ut licitè matrimonium ineatur; ex hactenus dictis constat, quòd adeò multa requirantur, etiam ut valida sit dispensatio juxta modernum stylum expediendi dispensationes matrimoniales, ut si quis ea attentiùs perpenderit, fateri debebit, rarò ea omnia verificari atque impleri: præcipuè illâ certitudine, quæ in re tanta requiritur. Ut propterea meritò timeatur, ne matrimonia illa sæpiùs Deo non comprobentur: quod & non rarò etiam in hac vita ad aliorum cautelam ostenditur: dum tam infaustus frequenter apparet hujusmodi matrimoniorum successus. Et quidem infelicissimum matrimonii (quod primum in Ecclesia dispensativè contractum credit Lupus) exitum, ex auctoribus istius ætatis apud eumdem videre licet.

Concludo igitur cum Thoma Cantipratano, *lib. 1. de Apib. cap. 19. num. 9. Quis sapiens erit, qui fallat se, & sibi super dispensatione aliqua blandiatur?*

TRACTATUS
DE JURE PAROCHORUM
AD DECIMAS ET OBLATIONES,
& de Competentia Pastorali.

PRÆFATIO.

QUàm frequentes hodie sint tam in foro ecclesiastico, quàm civili, super Competentia, sive congrua Portione Parochorum vel Vicariorum quæstiones & controversiæ, nemo ignorat.

Cùm verò nec Parochis, nec Monachis, nec Canonicis, quos inter hæ Quæstiones oriri solent, litigia conveniant, eaque frequenter ex ignorantia Juris profluant; conveniens primùm judicavi, materiam illam in publica Lectione studiosis breviter explanare, & principia quædam scripto tradere. Cumque hæc ad aliquorum manus pervenissent, desiderârunt nonnulli ad instructionem tam eorum, qui portionem congruam accipere, quàm qui eam assignare debent, ea scripta Prælo subjici: quorum postulatis annuens, ea nonnihil limitata & ampliata, atque ad maximè ordinarias, & frequentiores Controversias, elucidandas accommodata hoc præsenti Tractatu repræsento.

Quia verò fundamentum Portionis Congruæ, sive Competentiæ pastoralis ferrè unicè dependet, & desumi debet ex jure, quod Parocho competit ad Decimas & Oblationes, quæ infra limites ipsius Parochiæ colliguntur, ideò priusquam de Congrua Portione agerem, præmitendum censui, quod jus Parocho ad Decimas, & Oblationes competat; & qua ratione, & cum quo onere ad alios translate sint.

CAPUT PRIMUM.

De Jure Parochorum ad Decimas.

PARAGRAPHUS I.

Ministris Ecclesiæ Jure naturali, & divino debetur sustentatio: & in quantum huic obligationi satisfit per Decimarum solutionem, Decimæ dici possunt Juris divini, & vota Fidelium.

MInistris Ecclesiæ in Sacrario operantibus, divinoque cultui pro populo specialiùs intendentibus, corporalem sustentationem à populo deberi, non solùm Lex divina, tam vetus quàm nova præcepit, sed & ipsius Legis naturalis instinctus omnibus persuasit.

Et quidem naturali instinctu ante Legis Mosaicæ promulgationem Sacerdotibus etiam Gentilium à Rege Pharaone Gentili traditam fuisse terram in alimentationem, Scriptura testatur. *Quibus*, inquit Sacer Textus, *& statuta cibaria ex publicis Horreis præbebantur & idcirco non sunt compulsi* (populo ob penuriam alimentorum possessiones suas vendente) *vendere possessiones suas.* Gen. cap. 47. v. 22.

Hanc Legem naturalem per Legem Mosaicam & Evangelicam confirmatam fuisse, evidentius est, quàm ut pluribus, quæ in Veteri & Novo Testamento occurrunt, probari debeat. Unus Apostoli locus sufficit, quo dictam obligationem ex lege naturali descendere, & per Moysen populo fuisse propo-

si-

sitam, ac denique per Christum confirmatam, operosè adstruxit: *Quis militat*, inquit 1. Corinth. 9. *stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Hactenus argumentum petitum à ratione naturali. Progreditur Apostolus: *Nunquid secundum hominem hæc dico? Scriptum est in Lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Quoniam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi: si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui Altari deserviunt, cum Altari participant?* Hæc ex Lege Mosaica petita: quæ ne putarentur forsitan per Christum tanquam cæremonialia vel judicialia abrogata subjungit: *ita & Dominus ordinavit iis, qui evangelium anuntiant, de Evangelio vivere.*

Ex toto Apostoli discursu luculenter concluditur, quòd Ecclesiasticis spiritualia populo ministrantibus, sustentatio ex justitia debeatur; idque non minori jure, quàm operariis laborantibus, vel Principi & Militibus in commune vigilantibus. Ut proinde merito à Concilio Constantiensi tanquam hæreticum damnatum sit hoc assertum Joan. Wiclef *Sess.* 8. *art.* 16. inter damnatas: » Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt » & Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum » suum eas auferre. «

Dum igitur obligationi naturali, & divinæ per decimarum solutionem satisfit, ejus institutio ex jure naturali & divino poterit dici fluxisse; & eo sensu accipiendi sunt Canones, qui dicunt, *decimas non ab hominibus, sed ab ipso Domino institutas esse.* Cap. 14. ℵ *de Decimis*: quatenus scilicet eas Ecclesia dari voluit, ut divinæ ordinationi de sustentandis Ministris satisfieret.

Hoc titulo etiam verificari poterit, quod non tantum in veteri, sed etiam in nova lege in signum universalis dominii, ut legitur in *Cap.* 33. ℵ *eodem*, » quasi quodam titulo speciali si» bi Dominus decimas reservaverit. «

Hâc quoque ratione decimæ vocari possunt *vota Fidelium*: quia Fideles eas in sustentationem Ministrorum Christi & aliorum pauperum, qui specialiter membra Christi denominantur, offerendo, illas Christo offerre dicendi sunt, & per consequens cultu quodam religionis vota sua persolvere Deo.

§. II.

Decimæ non alio, quàm laboris titulo Ecclesiasticis dantur.

HActenus Lege naturali, ac divina non tantum ex charitate, sed ex justitia sustentationem Ecclesiasticis deberi probatum est.

Verùm sive naturalem, sive divinam legem spectemus, unicum obligationis illius seu activæ seu passivæ fundamentum vel titulum, esse ministerium, seu officium ab Ecclesiasticis, ipsis laicis impendendum, deprehendemus.

Ut quid enim Lex naturalis Fideles ad sustentandum ministros obligat? Non alia de causa, quàm quia justum est, ut qui ipsis *spiritualia seminant*, ipsorum *corporalia metant*: *quia dignus est operarius mercede* seu *cibo suo.*

Neque alia de causa assignatæ sunt decimæ Levitis & Sacerdotibus veteris legis, nisi quòd in Tabernaculo deservirent. Postquam enim Deus instituisset Tabernaculi sui ministros Aaron & filios ejus, adjunctis in adjutorium ipsorum Levitis dixit universis. Num. III. *cap.* 18. *vers.* 5. 6. 7. » Excubate in custo» dia Sanctuarii, & in ministerio altaris, ne oriatur indignatio » super filios Israel.... omnia, quæ sanctificantur à filiis Israel, » tradidi tibi & filiis tuis pro officio Sacerdotalis filii; autem Le» vi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministe» rio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis.... & comedetis » ea in omnibus locis vestris: tam vos, quam familiæ vestræ, » quia pretium est pro ministerio quo servitis in Tabernaculo » Testimonii. «

Excubantibus ergo in custodia Sanctuarii, & in ministerio Altaris, temporalia pro *ministerio*, quod populo impendunt, dari voluit.

Unicus proinde titulus, quo in veteri Testamento ministri decimas acceperunt, fuit ministerium quo tabernaculo deserviebant.

Et quid plura? Tota argumentorum Pauli vis & congeries eò unicè tendit, ut ostendat quod sit dignus operarius *mercede suâ*: nam totus in eo est, ut ostendat militantibus, plantantibus, &c. cibum esse debitum. Ex quo constat, nullum alium titulum præter impensas operas ab Apostolo agnitum fuisse. Unde alio loco sine ambiguitate pronuntiat: *Quoniam si quis non vult operari, non manducet.* 2. ad Thessal. 3. v. 10.

Omnis ergo titulus, quo ministri Ecclesiæ temporalia à populo accipiunt, in hoc unico ex lege naturali perito principio fundatur, quia *dignus est operarius cibo suo*: hoc est, inquit Theophylactus, à discipulis pascemini; debebunt enim hoc vobis, ut *operariis*. Quibus convenit illud vulgatum juris canonici principium *Beneficium datur propter officium. Cap. fin. De Rescriptis, in VI.* Cui consonat Concil. Trid. *Sess.* 21. *cap.* 3. *De Reformat.* dum dicit: *Cum Beneficia ad divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, &c.*

Verùm illud hic notandum, ab Ecclesiæ & offerentium decimas sensu multùm aberrare, qui totum officium, ratione cujus Beneficium dari dicitur, Horarum Canonicarum lectione absolvi putant: quasi operarius aut minister alicujus dici meretur, ut ab eo corporalem sustentationem accipiat, qui minimam temporis partem illi impendit.

Ex his intellge; quod nec Canonici, nec inferiores Beneficiati, justè percipiant sustentationem ex decimis aliisque proventibus ecclesiasticis, nisi tale Ecclesiæ vel fideli populo præstent obsequium, ut ratione illius verè dici queant *Operarii* & *Ministri*, qui digni sunt *mercede suâ.*

Unde ad Canonicos dicebat jam pridem Dionysius Carthus. in Tract. *De vita Canonicorum art.* 2. » Idcirco à laicis » & secularibus data sunt temporalia bona Ecclesiæ, ut quia » laicis ipsis non vacat jugiter orationibus atque divinis obsequiis » immorari ac inhærere, Ministri Ecclesiæ ac Clerici suppleant » vices, & imperfectum laicorum, orando, ac ministrando & » satisfaciendo pro ipsis, quorum eleemosynis stipendiisque » foventur. «

Huic consonat S. Bernardi exclamatio super illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. » Væ, væ, tibi Clerico, mors in olla, » mors in ollis carnium, mors in ejusmodi deliciis, non modo » quia secus introitum delectationis possita esse cognoscitur, sed » ob id maximè quia constat populi esse peccata quæ comedis. » Sumptus ecclesiasticos gratis te habere reputas? Cantando, ut » ajunt, bona tibi provenire videntur, sed bonum erat magis fo» dere, aut etiam mendicare. «

Similiter ex dictis consectarium est, quod Beneficii etiam simplicis proventus injustè à Clerico percipiantur, nisi tale ministerium Ecclesiæ exhibeat, ratione cujus sustentationem mereatur. Quare Episcopi Gallicani (refertur in libro *Memoire pour le Concile de Trente part.* 77.) *inter* Articulos reformationis quos Concilio Tridentino obtulerunt, illud quoque suggesserunt, » ut Beneficiis, quibus ex depravata consuetudine nul» lum annexum est officium concionandi, Sacramenta administrandi, vel aliud onus Ecclesiasticum, ab Episcopo cum con» silio Capituli cura aliqua spiritualis imponatur, aut ea vici» nioribus Ecclesiis Parrochialibus uniantur; cùm Beneficium si» ne officio, nec esse debeat nec possit. «

Horum Prælatorum postulatis Concilium Trident. satisfacere volens, in quantum scilicet duritia temporis permittebat, præcepit Episcopis (Sess. 24. cap. 13. de Reformat.) *ut per unionem ejusmodi Beneficiorum, modo regularia non sint, provideant Ecclesiis Parochialibus, quarum exigui sunt reditus.*

§. III.

Parocho totius Parochiæ cura incumbit; eoque titulo ei decima primario debentur.

DIœceses sive Districtus Episcopales jam à pluribus seculis in plures portiones, quas *Parochias* hodie dicimus, fuisse distributas, notissimum est.

Porrò sicuti uni Diœcesi unicus præfectus fuit Episcopus, ita singulis Parochiis suum voluit Ecclesia præfectum Presbyterum, cui totius illius Parochiæ cura & solicitudo immediatè incumbat, & qui assiduè gregi sibi commisso invigilet, eumque verbo & exemplo pascat & dirigat.

Statuimus, ait Synodus Parisiensis anno 892. lib. 1. c. 49. *decernentes, ut singulæ Basilicæ Plebes & res, quibus consistere possint, habentes, singulos habeant Presbyteros.*

Et fortiùs Synodus Remensis apud Gratianum 21. *q.* 2. *Canon.* 4. » Sicut in unaquaque Ecclesia unus Presbyter esse debet, » ita ipsa quæ sponsa vel uxor ejus dicitur, non potest dividi in» ter plures Presbyteros, sed unum tantummodo habebit Sa» cerdotem, qui eam castè & sincere regat. «

His insistens Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* Mandat Episcopis, » in iis quoque Civitatibus, ac lo» cis, ubi Parochiales certos non habent fines, nec earum Rec» tores proprium populum quem regant, sed promiscuè peten» tibus Sacramenta administrant; pro tutori animarum eis com» missarum salute, ut, distincto populo in certas, propriasque » Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Pa» rochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo » licitè Sacramenta suscipiant. «

Ex mente ergo Ecclesiæ unicuique Parochiæ suus præficiendus Presbyter cui totius Parochiæ cura spiritualis primariò & immediatè incumbat: quemque Parochiæ illius populus, ut *proprium* suum Sacerdotem & *Pastorem* agnoscat, & veneretur.

Un-

Unde & seculo IX. celebrata Synodus Aquisgranensis sub Ludovico Pio ad Parochos dixit: » Presbyteri, qui præsunt Ec» clesiis Christi, de omnibus hominibus, qui ad eorum Eccle» siam pertinent per omnia curam gerant, scientes se pro certo » reddituros rationem in die judicii pro ipsis. «

Hinc facilè ex antecedentibus concludere est, decimas primariò Parochis deberi.

Cum enim, ut in precedentibus notatum est, decimæ à populo dentur in sustentationem eorum, qui ipsis spiritualia ministrant, & quique pro ipsis laborant, & vigilant; nihil naturalius, quam ut Parochi, qui ex officio, & vi sui muneris Pastoralis, populo spiritualia ministrare, & pro populo laborare & excubare primario & continuo tenentur, etiam ante omnes de decimis participent.

Unde pius ille, ac eruditus Universitatis Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius, postquam dixit, Dominis Curatis tanquam minoribus Prælatis competere ex statu jus prædicandi, jus confessiones audiendi, jus Ecclesiastica Sacramenta ministrandi, etiam adjungit, *jus Decimas & alia jura Parochialia recipiendi.*

§. IV.

Ex jure probatur decimas primariò Parochis deberi.

COnsultus Innocentius III. si in aliqua Parochia decimarum perceptio ad personas aliquas Ecclesiasticas ab antiquo pertineat utrum novalia etiam ad easdem personas petinere incipiant, respondit negative: » Quia, ait, cum perceptio de» cimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, » decimæ novalium, quæ fiunt in Parochiis earundem, ad ipsas » procul dubio pertinere noscuntur. « *Cap.* 29. ✠ *de Decimis.*

Rursus proposito dubio, utrùm minutæ quædam decimæ Monasteriis & Ecclesiis Conventualibus deberentur, respondit idem Innocentius: Quod si hi fructus proveniant ex iis fundis, è quibus Monasteria & Ecclesiæ Conventuales ab antiquo decimas majores percipiebant, etiam horum fructuum decimas iisdem deberi: cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat una eademque Ecclesia diverso jure censeri: *Alioquin*, inquit, *Parochialibus Ecclesiis exolvantur, ad quas de jure communi spectat perceptio decimarum.* Cap. 31. ✠ de Decimis.

Ex his, aliisque juris apertissimis decisionibus, uno calculo hanc conclusionem probant Canonistæ; » Ecclesia Parochialis de » jure communi fundat intentionem in perceptione decimarum » prædialium ex fructibus, qui colliguntur intra limites Parochiæ suæ. « Ita post alios Canonistas Fagnanus ad *Cap.* 29. ✠ *de Decimis*, *num.* 21. additque: » eamque passim servat Rota, ut in » pluribus decisionibus relatis à Cardinali Seraphico *decis.* 802. » *num.* 1. In quibus Rota firmavit Parochialem Ecclesiam fun» dare intentionem super decimis, etiam contra Episcopum: « quod & tradit Rebuffus tractatu *de Decimis*, *quæst.* 7. *num.* 5. nimirum, quod Curati fundati sint in decimis prædialibus proventibus intra limites suarum Parochiarum contra Episcopum.

Antiquitùs quidem, uti observat Claudius le Prestre *in suis quæstionibus Cent.* 3. *cap.* 24. priusquam Ecclesia pluribus terris, & possessionibus ditata esset, quarta omnium proventuum ecclesiasticorum ad Episcopos in sua respectivè Diœcesi spectabat: at hodie in decimis Parochialium Ecclesiarum non debet Episcopus, nec de jure communi, nec de consuetudine habere aliquam portionem, nisi forsan in particulari conventione vel titulo portio aliqua ipsi esset reservata; de quo casu accipiendum est *cap.* 13. ✠ *De Decimis*, ubi alicujus portionis Episcopo competentis mentio occurrit: uti notat Glossa ad dictum Capitulum.

§. V.

Qui contra Parochum decimas prætendit, debet plenè titulum probare.

PArochum esse fundatum de jure communi in perceptione omnium decimarum prædialium, quæ intra terminos suæ Parochiæ levantur seu colliguntur, ex dictis §. 3. & 4. constat; nullumque esse præter Parochum, qui sit fundatus in perceptione illarum decimarum de jure communi vi solius sui officii & Ecclesiæ, absque probatione, aut allegatione ullius alterius tituli, Canonistis omnibus indubitatum est: idque ad exclusionem etiam Episcopi, aut cujuscunque personæ Ecclesiasticæ.

Parocho ergo decimæ per totum Parochiæ suæ districtum competunt; ni ostendatur ad sufficientiam juris, jus decimandi intra limites ipsius Parochiæ ad alium titulo legitimo esse translatum.

Hinc respondit Bonifacius VIII. in *Cap.* 2. *De Restit. spoliatorum in VI.* quod Canonici, qui etiam aliquo tempore decimas in certa Parochia perceperant, spoliati jure illo decimandi per Clericum istius Parochiæ, nequaquam adversus illam spoliationem sint restituendi, » nisi *evidenter* docuerint, quod ea» rum possessionem legitimè assecuti fuissent. Quia, ait, eas » occupâsse injustè verisimiliter præsumuntur, cùm provenian» ex prædiis intra alienam Parochiam constitutis. Sitque manifes» tum (nisi aliud o stendat) eas de jure communi ad eandem Ec» clesiam pertinere. «

Hoc eodem fundamento, cùm Prior certi Monasterii (qui simul Parochiæ, in qua Monasterium situm erat, esset Parochus, quemamodum & ejus prædecessores fuerant) etiam sub qualitate Prioris decimas sæpiùs elocâsset; ac postmodum diviso Pastoratu & Prioratu, contentio esset super decimis inter Priorem & Pastorem, judicatum fuit pro Pastore; eo quòd Prior non probaret ad evidentiam juris, decimas in qualitate Prioris ab ipso fuisse receptas; tametsi ea qualitas in instrumento elocationis esset expressa; quia in dubio præsumptio potiùs erat eas fuisse receptas in qualitate Parochi, eò quòd qualitas hæc jus decimandi fortiùs & apparentiùs ad se trahat. Charondas *lib.* 1. *resp.* 29.

Itaque si dubium sit privilegium, aut incertus titulus, quo decimæ prædiales in certa Parochia contra Parochum prætenduntur, Parochus, stante hoc dubio, in perceptione decimarum manutenendus, utpote juri communi innixus; cui stari debet, quandiu contrarium non probatur.

§. VI.

Quid requiratur, ut titulo præscriptionis decimæ à Parocho auferantur.

JUs decimandi titulo præscriptionis acquiri posse, etiam contra Parochum expeditum est.

At quia jure communi jus decimandi intra limites Parochiæ ad Parochum spectat; & consequenter jus commune contrarietur, & resistat præscribenti decimas in Parochia contra Parochum, non sufficit simplex possessio 40. annorum etiam cum bona fide; sed insuper requiritur cum lapsu illius temporis titulus capax ad translationem hujusmodi juris; idque contra quemcunque, etiam Episcopum aut Parochum alterius Parochiæ. » Nam licet ei, qui rem præscribit ecclesiasticam, si sibi non » sit contrarium jus commune, vel contra eum præscriptio non » habeatur, sufficiat bona fides, ubi tamen, ait Pontifex in » *Cap.* 1. *De Præscript. in VI.* est ei jus commune contrarium, » vel habeatur præsumptio contra ipsum, bona fides non suf» ficit: sed est necessarius titulus qui possessori causam tribuat » præscribendi. «

Addit tamen Pontifex: » nisi tanti temporis allegetur præs» criptio, cujus contrarii memoria non extat. «

Tempus illud immemoriale communiter à Doctoribus centum annorum spatio concluditur: & quia rarissimè reperiuntur qui de usu tanti temporis testari queant, forma probationis hæc solet assumi: interrogantur seniores illius loci, qui testentur se à juventute semper vidisse decimas ab his aliisve collectas fuisse, aut eorum nomine elocatas; nec unquam viderint, aut audierint contrarium; & quod communis sit, & semper fuerit opinio, quòd sic fuerit; & quod non extet contrarii vel initii memoria. Ita Glossa ad citatum *cap.* 1. verbo, *memoria*: quæ addit: » Si » autem contra hoc adversarius probare vellet, testes sui (si de » ipsorum esset conscientia) deberent dicere, quod viderint ta» li tempore contrarium, & audierint à suis superioribus con» trarium ejus fuisse. Quid ergo si utraque pars probat? Tunc » præferuntur testes magis idonei, & qui dicunt aptiora; & alii » qui dicunt se vidisse contrarium, deberent præferri, cum alii » satagant negativam. « Hæc Glossographus: quibus adde ex supradictis, quòd si probatio contra Parochum ex se sit dubia; vel ex contrariis allegatis dubietas emergat, eo casu pro Parocho, cui jus commune favet, esse judicandum.

Si autem in casu diuturnæ possessionis, Parochus possessorem decimarum de facto, neglecto juris ordine, spoliâsset, condemnandus esset possessionem judicio redintegrandæ possessionis restituere.

Quinimò tametsi vel exiguo tempore Canonici vel Monachi, aut alii quicunque fuissent in possessione colligendi decimas, nequaquam hisce in Provinciis fas esset Parocho, ipsos illa possessione propriâ auctoritate spoliare; & si id attentatum esset, ante omnia ipse possessor judicio redintegrandæ possessionis à Senatu Regio restitueretur; & Parochus tanquam spoliator condemnaretur: neque enim Principes permittunt quemquam è possessione sua, privata alicujus auctoritate deturbari: neque alicui privato rerum suarum possessionem vi recuperare, & ita quoque in Gallia servari tradit Grimaudet. *Lib.* 3. *de Decimis*, *c.* 8.

Licèt ergo etiam hisce in Provinciis Parochi omnibus præferantur in jure decimandi intra limites suarum respectivè Parochiarum; ideoque semper habeant fundatam intentionem ad illas decimas, quandiù titulo legitimo ad alium translatæ non probantur, ipsaque ratio, quam allegat Pontifex in *Cap.* 2. *de Restitutione spoliat. in VI.* etiamnum obtineat; ipsa tamen decisio Pontificis, qua decidit, Canonicos, qui *aliquandiù* fuerant in possessione percipiendi, à Parocho spoliatos non esse adver-

versus illam spoliationem restituendos, in Belgio nec Regno Galliæ obtinet; uti notat Grimaudet loco citato.

§. VII.

Decimæ & Ecclesiæ à Laicis in Monasteria, & Capitula quomodo translatæ.

CIrca VII. VIII. & aliquot sequentia secula, decimas, ac bona ecclesiastica, magna ex parte ad Laicos transivisse ex temporum illorum historiis notissimum est.

Et quidem etiam ante Carolum Martellum, Regum ac Principum patrocinio, & potentiâ, res ecclesiasticas beneficii & remunerationis loco, in Laicos transivisse evincit Synodus Aurelianensis IV. quæ anno 541. ita decernit *cap.* 25. » Si quis Cle» ricus, aut Laicus, sub potentum nomine aut patrocinio, » res ad jus Ecclesiæ pertinentes, contempto Pontifice, pe» tere seu possidere præsumpserit, primùm admoneatur quæ » abstulit civiliter reformare, aut certè judicium sui Sacerdo» tis operiri, ut poscit S. Religio. Quod si in perversionis per» tinacitate subsistat, tamdiu ab Ecclesiæ limitibus arceatur, » donec cum satisfactione justissima pervasa, aut occupata res» tituat.“

Hæc sub Childeberto Galliarum Rege, quæ sub sequentibus non diminuta, sed potiùs aucta mala fuêre.

Cùm enim tempore Caroli Martelli, Gallia undique potentissimis hostibus, & exercitibus, præcipuè Paganorum, & infidelium impugnaretur; ad quos repellendos, cùm Nobiles & Principes suas opes exhausissent, solatii & mercedis colore eis data fuêre Ecclesiarum, etiam parochialium redditus, & bona; uti ex Synodis, & historiis illorum temporum constat.

Et quidem de Carolo Martello vetus fragmentum de Majoribus Domus Regiæ à Petro Pithæo editum hoc prodit: » Carolus Major Domûs & Austrasiorum Princeps, res Ec» clesiarum, propter assiduitatem bellorum *Laicis* tradidit.“

Ex quodam veteri Chronico idem de Carolo Martello refert Vir eruditus Joannes Filesacus in suo de sacrilegio Laico commentario, sive veteris Ecclesiæ Gallicanæ querela: » Carolus, ait Chronicon, propter assiduitatem bellorum, » decimas, & quasdam alias res ecclesiasticas *Laicis concessit*.“

Qui ob hanc concessionem Carolum Martellum flammis infernalibus adjudicatum volent, certiori ac solidiori nitantur fundamento necesse est, quàm vulgari illi, ac ipsi quoque Baronio fabulosæ historiæ de ipsius Martelli apparitione, & damnatione, quam Canoni 59. *Caus.* 16. *q.* 1. subjecerunt Correctores Romani.

Morbus hic nec mortuo Martello cessavit; sed pluribus sub Regibus perdurâsse doctè demonstrat Filesacus in prædicto commentario: notatque sub Carolo Magno Laicos virtute quidem militari & bellica fortitudine illustres, ob fidelem Regi in bello navatam operam, beneficii loco, prædia & villas Ecclesiæ dono accepisse. Et hæc Regiæ Munificentiæ symbola, ait Filesacus, *Beneficia* nominantur apud Scriptores nostros. Et de his Beneficiis intelligi oportet quod legitur *lib.* 1. *Capitular. cap.* 157. » Ut qui Ecclesiarum *Beneficia* habent, nonam » & decimam ex iis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent; & qui » tale beneficium habent, quod ad meditatem laborent, & » de earum portione proprio Presbytero, id est, Parocho, de» cimas donent.“

Quin nec Decimas duntaxat, & res temporales Ecclesiæ militibus vice *Beneficii* donabant, sed etiam ipsas Ecclesias & altaria ad se trahebant; eaque etiam inconsultis Episcopis, Vicariis Presbyteris deservienda, modico salario committebant, in tantum ut hæreditario jure illa ad hæredes transmitterent, ipsique hæredes etiam Altaria sive Ecclesias in tot dividerent partes, quot erant hæredes; ita ut singulæ partes singulos haberent Presyteros, qui Laicorum vices in deserviendo supplerent; uti ex *Cap.* 1. & 2. ✠ *De Jure Patronatûs*, si integræ Decretales legantur, intelligi poterit; & doctè observavit, & exposuit Franciscus Florens in commentario ad *cap.* 1. *De Jure Patronatus.*

Hinc illud S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis: » Nunc non solùm possessiones ecclesiasticæ, sed ipsæ etiam » cum possessionibus venumdantur.“ *Lib. de Dispensat. cap.* 15.

Interdum tamen ex Pontificum, & Episcoporum consensu, decimas ex justa, ac publica causa in Laicos eos translatas fuisse, non dubium.

In charta dotationis Ecclesiæ S. Donatiani Brugis, quæ nunc Cathedralis est, legitur apud Miræum in Codice *piarum donationum*, *cap.* 34. quod Arnulphus Magnus Flandriæ Comes donet dictæ Ecclesiæ, de Episcoporum Tornacensis & Morinensis ordinatione ac consilio, quasdam decimas: » De iis, » inquit, quas mihi & prædecessoribus meis, in Comitatu seu » Marchionatu Flandriæ, de terris cultis & incultis Sanctisimi » Patres Papæ Romani, pro adjutorio expensarum nostrorum, » & nostrorum militum, pro expugnatione ac resistentia con» tra Wandalos, qui Flandriam & alias terras vicinas, cum » Ecclesiis in ipsis constructis crudeliter & damnabiliter de» vastabant, & incendio tradebant, in feudum perpetuum » concesserant.

Plures similes decimarum infeudationes in Principum & Laicorum gratiam factas vetera monumenta evincunt: & etiamnum hodie à Laicis possessæ, vocantur *decimæ infeudatæ*; de quibus infrà, *Cap.* 3. paucis agemus.

Hæc Laicorum possessio sive occupatio decimarum occasio fuit, ut magna eorum copia ad Monasteria & Canonicorum Collegia sit devoluta.

Cùm enim Ecclesiarum Prælati non cessârint Laicis ostendere, decimas ad Ecclesiam pertinere, easque à prædecessoribus eorum, vel esse injustè occupatas, aut temporum duntaxat necessitate ab Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis ipsis fuisse indultas, plerique eorum ab iis se liberare, & in pia opera impendere voluêre.

Plures itaque è Laicis, de Monachorum potiùs quàm de Clericorum secularium, & singulariter viventium propensione in pauperes confidentes, eas in Monasteria transfundere maluerunt, quàm Ecclesiis Parochialibus restituere, ait Christianus Lupus, qui & addit: » Certum ac clarum esse, quod decimas » possidentia Monasteria, ac etiam Clericorum Collegia seu » Capitula ad largas eleemosynas non tantùm ex charitate, sed » omninò ex rigida justitia obligentur. Et Monachorum fidem » à piis olim Laicis fuisse electam ad hoc opus, jam dixi, & » rursum dico; quod ab hujusmodi Monasteriis est perpetuâ » memoriâ retinendum. Electa sunt ad ipsas dispensandas potiùs, » quàm possidendas. Et de Regularium in Europa Clericorum » Auctore S. Rigoberto scribit in Remensis Ecclesiæ Historia » Flodoardus: canonicam Clericis religionem restituit, ac suf» ficientia victualia constituit, & prædia quædam illis contulit, » nec non ærarium commune usibus eorum instituit, ad quod » plures villas delegavit; Ecclesiam quoque S. Hilarii cum su» burbio ad eam pertinente. Communis vitæ causa dedit eis is» tius Ecclesiæ decimas. Quod ipsum plures postea Episcopi » fecerunt, & plures item Laici. Santissima erat istorum Cle» ricorum vita; ideoque per ipsos quàm per Pagenses Pres» byteros visæ sunt decimæ faciliùs in pauperes & Ecclesiæ fa» bricam dispensandæ. Horum sanctitati creditum fuit totum » decimarum onus & honesta Presbyteri alimentatio, & ec» clesiasticæ fabricæ reparatio, & curæ pauperum & peregrino» rum. Unde è regularibus hodiè singulares & seculares Clerici, » qui decimalium feudorum pauperes negligunt, & Presbyterum » ad venandum ex scabiosis exactionibus victum compellunt, vi» deant qualiter in divino Judicio sint suam causam per» oraturi. «

Adhæc, summa tunc temporis Laicis erat fundandi ac dotandi Monasteria, & Canonicorum Collegia ambitio, ut vel sic eorum nomen & posteritas fundatorum aut Benefactorum catalogo inserta, quodammodo post vitam supersisterent, & nomen æternum hæreditarent.

Accedebant Monachorum frequenter instantes, & importunæ preces & solicitationes: qui & hoc fundationis, dotationisque opus in cælum usque attollere, atque ad demerendum Deum, peccatorumque remissionem impetrandam plurimùm valere, persuadere omnimodo studebant.

Quin & suffragia suarum Congregationum, Fundatorum atque Benefactorum animabus è pœnis Purgatorii liberandis, mirum in modum efficacia esse astruebant & persuadebant.

Hæc omnia, mirum! quantum stimulârint pios Laicos, ut decimas, aliaque bona in Monasterium fundationes, & dotationes præcipuè per testamenta, cùm iis amplius ipsi uti non possent, conferrent; adeò ut vix ullum reperias Monasterium, quod non aliqua ut minus ex parte per hujusmodi Laicorum largitionem fundatum atque dotatum sit.

Quid? nî Episcopi & Concilia aliquos hujusmodi receptioni decimarum limites fixissent, omnes passim Decimæ, & Oblationes Ecclesiarum ad Monasteria facilè fuissent devolutæ.

§. VIII.

Quomodo Episcopi, & Concilia devolutioni decimarum ad Monasteria obstiterint.

NUnquam quidem improbavit Ecclesia, ut Monachis per aliquam decimarum subventionem succurratur, aut earum ipsis in pauperes dispensatio credatur. Quia, ut rectè annotavit S. Ivo Carnotensis: » licèt Decimæ, & Oblationes prin» cipaliter clericali debeantur militiæ, potest tamen Ecclesia » omne quod habet, cum omnibus pauperibus habere com» mune; quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facul» tatibus propriis bajulantes Crucem Christi, sequuntur pau» rem Christum? *Epist.* 291.

Hâc quoque ratione S. Bernardus in Synodo Trecensi an-

anno 1128. sustinuit, militibus templi decimas assignari posse. » Credimus namque, ait, relictis affluentibus divitiis vos sponetaneæ paupertati esse subjectos: unde decimas vobis in communi vita viventibus justè hoc modo demonstravimus, si » Episcopus Ecclesiæ, cui decima justè debetur, vobis eam » charitativè dare voluerit.

Verùm ut sine consensu Episcoporum, & Ministrorum Ecclesiæ, quibus principaliter decimæ debentur, & à quibus per Laicos quodammodo violenter avulsæ fuerant, passim & sine modo ad Monachorum, & Canonicorum Collegia transirent, & à Monachis, & Canonicis reciperentur, non perinde probabatur.

Et quidem S. Ivo Carnotensis verbis suprà relatis subjungit: » Est tamen in quo Abbatibus & Præpositis Monasterio» rum parcendum non existimo, si ab illis, ad quos non perti» nent, id est, à laicis decimas, & oblationes accipiant: si inor» dinatè à quibuscunque personis acquirant. «

Ut igitur effræni & sine modo decimarum & oblationum ad Monachorum & Canonicorum Collegia devolutioni limites fingerentur, in Synodo Melfitana 1018. statutum legitur: » Ut » nullus Abbas, nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ juris sunt » ecclesiastici, accipere sine Episcopi concessione præsumat. « In Concilio Romano sub idem tempus eundem in finem decretum fuit: » Ut nullus Abbas decimas, & primitias, & reli» qua, quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos perti» nent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi, in » cujus Diœcesi habitat, detineat, auctoritate Apostolicâ san» cimus. «

Et Joannes Cardinalis de Crema, Honorii II. in Anglia Legatus, in sua Londinensi Synodo ann. 1125. *Can.* 4. » Nullus » Abbas, nullus Prior, nullus omninò Monachus vel Clericus, » Ecclesiam sive decimam, seu quælibet Beneficia ecclesias» tica de dono laici sine proprii Episcopi auctoritate, & as» sensu suscipiat: quod si præsumptum fuerit, irrita erit do» natio hujusmodi, & ipse canonicæ ultioni subjacebit. «

In Lateranensi Concilio sub Alexandro III. rursus conquesti Episcopi de Templariorum aliorumque Religiosorum excessu in recipiendis decimis è manibus laicorum, eorum querelam probans Synodus, ait: » Ecclesias, & decimas de manu » laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos (*Templarios*) » quàm alios Religiosos recipere prohibemus, dimissis, quas» cunque contra tenorem istum aliquo tempore receperunt.

Hoc decretum anno 1200. rursus iisdem verbis renovavit Synodus Londinensis; & anno 1215. magnum illud Concilium Lateranense sub Innocencio III. *Can.* 61.

Hæ omnes Conciliorum inhibitiones & decreta eo unicè collimabant, ut decimæ ad naturales, & legitimos possessores, id est, Presbyteros Parochiales, & operarios in vinea Domini reducerentur. In litteris ad Suessionense Capitulum ita scribit Innocentius III. » Postulastis vobis à Sede Apostolica in» dulgeri licentiam redimendi decimas, quæ intra metas Pa» rochiarum vestrarum in feudum à laicis detinentur. Non au» tem volentes super hoc Ecclesiis, quibus hujusmodi deben» tur decimæ, providere, præferre eas voluimus in redemp» tione talium decimarum. Quod si nolint, aut fortè non pos» sint, redimendi eas ad opus illarum Ecclesiarum vobis con» cedimus facultatem. Proviso nihilominus ut consueta servi» tia, ad quæ laici illis Ecclesiis pro decimis tenebantur, etiam » post contractum talis venditionis impendant, cùm ad eos » pretium perveniat earumdem.

Ad hæc reflectit Lupus in hunc modum: » Ita possessiones » suas, decimas præsertim, ac primitias, de laicorum manibus » effestucare variis modis conata semper fuit Ecclesia, eâ tamen » lege, ut ad propriæ Parochiæ redirent opus. Quod ubi non » potuit, permissæ sunt transire ad aliquod Monasterium seu » Capitulum. «

His consonat illud Innocentii III. in *Cap.* 7. ✠ *De His, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.* Ibi: » Laicus qui » decimam detinet, monendus est, ut eam restituat Ecclesiæ, » ad quam spectat; qui si fortè induci nequiverit, & eam cum » Diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Re» ligioso conventui, constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate » subnixa. «

Malebat ergo Ecclesia, ut potiùs Monasteriis, aliisve piis locis decimæ & oblationes cederent, quàm à laicis detinerentur; nequaquam tamen id sine auctoritate Episcopi fieri cupiebat: *Qui si forsan improbitatis aut avaritiæ causâ consentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur* (inquit Urbanus II. in Synodo Melfitana *Can.* 5.) *& cum ejus licentia, quod offerendum est, offeratur.*

Cùm itaque Pontifex consensum Episcopi supplere posset, cœperunt passim opportunè, importunè à Romanis Pontificibus contra jam allegata Synodorum Decreta, privilegia impetrari, uti notat Petrus de Marca in notis ad *Can.* 7. Synodi Claromont. *tom.* 10. *Concil. ult. edit. pag.* 540. quibus Monasteriis & Capitulis libertas reddita est acquirendi decimas à laicis priùs consulto Episcopo, licèt renuente: *cujus generis privilegium*, inquit, *plurima extant Rescripta in Tabulariis Ecclesiasticis.*

Varias querelas de hujusmodi privilegiis subreptitiis, variisque artibus impetratis, videre est Apud Auctores XI. & XII. seculi; atque inter alios graphicè privilegiorum illorum aucupes describit Joannes Salisberiensis *lib.* 7. *De Nugis Curial. cap.* 21. ubi inter cætera respondet iis, qui obloquentibus reponebant similia privilegia, iisque se planè tutos credebant: *Nempe Apostolis omnia licent; sed omnia ab Apostolis fieri nequaquam expedit, estote quòd illi vobis hoc licenter concesserint; vos an rectè petieritis, videatis.*

§. XI.

Qui sint Pastores primitivi, *quæ eorum origo & jura.*

SUb Carolo Martello aliisque Galliæ Regibus, non solùm fundos, & villas, sed etiam Ecclesias ipsas laicis concessas fuisse, superiùs ostendimus,

Porrò Ecclesiarum nomine ferè semper intelliguntur decimæ ecclesiasticæ, oblationes & cæteræ obventiones, quæ de jure Curionibus debentur; uti multis ostendit Du Cange in suo Glossario, verbo, *Ecclesia.*

Tunc ergo Ecclesiæ eo jure possessæ sunt, quo cætera Beneficia, seu feuda secularia; adeo ut tandem in hæredes quoque transirent, & hominum commercio exponerentur.

In Charta Raynaldi Archiepiscopi Remensis anno 1128. tom. 13. Spicilegii Dacheriani legitur » Sparnacensem Ecclesiam » ob remedium anima suæ...in manu nostra hujusmodi libertate » donavit, cum prædictus Comes Theobaldus præfatam Eccle» siam à primogenitoribus suis quasi hæreditario jure sibi dere» lictam teneret, & Abbatiam Ecclesiæ suæ Waleramno Do» mini Andreæ Dapiferi sui filio dedisset, &c.

Et in Concilio Cabilonensi II. Can. XXVI. » Perlatum est » ad nos, quod inter hæredes, Ecclesiæ in rebus propriis cons» titutæ dividantur, &c.

Ne tamen sacramentorum celebratio à Laicis, Ecclesiarum, possessoribus pendere videretur, inducta est quædam nova verborum distinctio; ita ut in una eademque domo, pars una *Ecclesia* diceretur, quoad Laicorum jura; & alia *Altare*, quoad juris spiritualis administrationem.

» Est alius error gravissimus, inquiebat S. Abbo sub ini» tium seculi XI. quo fertur *Altare* esse Episcopi, & *Eccle» siam* alterius cujuslibet Domini: cum ex domo consecrata » & Altari unum quoddam fiant, quod dicitur *Ecclesia*: sicut » unus homo constat ex corpore & anima. Videte, æquissimi » Principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit chari» tas. « Hæc Vir ille Sanctus in Apologetico ad Reges Hugonem & Robertum.

Itaque *Altare* sive Sacramentorum, aliorumque spiritualium administrationem, & curam Presbytero alicui committebant; *Ecclesiam* verò, sive decimas, oblationes, cæterosque proventus sibi Laici, jure quasi dominii, & proprietatis, tanquam feuda retinebant.

Dum ergo successu temporis è laicorum manibus Ecclesiæ ad Monasteria, & Canonicorum Collegia pervenerunt; cœperunt quoque Monachi, & Canonici, exemplo Laicorum *Ecclesiam* ab *Altari* dividere, & *Ecclesiam*, sive decimas, & obventiones sibi retinere; *Altare* verò sive spiritualium curam alteri demandare.

Ne verò Conciliorum decretis, quæ decimas à Laicis receptas retineri sine Episcopi licentia vetant, contraire viderentur, Episcoporum consensum impetrabant mediante aliquo lucello, quod ex hujusmodi consensu Episcopis obveniebat.

Episcopi enim Monachis, & Canonicis permittebant, ut Vicarii quidam ministeria *Altaris* peragerent, & spiritualium curam haberent, Monachi verò & Canonici proventus Ecclesiarum; ea tamen lege adjecta, ut quædam pecuniæ summa in Vicariorum mutatione, in signum recognitionis, Episcopis penderetur.

Solutiones illæ pecuniariæ dicebantur *Altarium redemptiones.* Quæ vox petita videtur ex feudorum usu; in quibus invaluerat, ut Domino certa pecunia penderetur pro nova investitura, quæ hæredi ultimi possessoris concedenda erat. Concessio autem *Altarium* dupliciter fiebat ab Episcopis, aut retentâ penes se *Altaris* dispositione, ita ut mortuo Vicario liberum omninò esset Episcopo indulgere Monasterio Vicarii sustentationem, vel eam improbare; aut ita, ut perpetua esset penes Monasteria, & Capitula Vicarios substituendi facultas, soluto *redemptionis* pretio, cedente quandocumque, aut decedente Vicario.

Utriusque generis concessionum meminit Canon VII. Concilii Claromontani sub Urbano II. anno 1095. *Ut* Altaria *Congregationibus Canonicorum vel Monachorum per* personas *data*, personis *mortuis libera redeant in manus Episcoporum; nisi fuerint iis per eorum scripta vel privilegia confirmata.*

Ita-

Itaque primo casu, obeunte Vicario, *Altaria* potestati liberæ Episcopi reddi debent: secundo verò casu, & Monasteriis, & Capitulis retinentur per Vicarios.

Hæc porrò Altarium redemptio tanquam simoniaca in eodem Concilio Claromontano prohibita fuit; ac insuper decretum ut *Altaria* è Monasteriis, vel Canonicorum Collegiis per 40. aut 30. annos possessa iis firma manerent: » Quia, ait, quidam » simoniacæ pravitatis ramus in Galliarum partibus jam diutius » inolevit, ut Ecclesiæ, vel Decimæ, quæ vulgari vocabulo apud » eos nuncupantur *Altaria*, Monasteriis datæ sæpiùs ab Episcopis sub palliata avaritia vendantur: mortuis nimirum, seu » mutatis Clericis, quos *personas* vocant. Nos auctore Deo venalitatem omnem, tam ex rebus, quàm ex ministeriis Ecclesiasticis propellentes, hoc ulteriùs Apost. Auctoritate prohibemus... porrò quæcunque Altaria vel Decimas ab annis 30. » & supra, hujusmodi redemptione Monasteria possedisse noscuntur, quietè deinceps & sine molestia qualibet eis possidenda firmamus, salvo utique Episcoporum censu annuo, quem » ex eisdem Altaribus habere soliti sunt.

Eandem rursus anno sequenti 1096. innovavit, & confirmavit idem Urbanus in Synodo Nemausensi *Can. XI.* Et refertur à Gratiano *Caus.* 1. *q.* 5. *Can. Quæsitum*: atque utriusque decreti tanquam ab Urbano Synodaliter editi meminit Paschalis II. Epist. ad Ivonem Carnotensem & Ranulfum Santonensem Episcopos, quam in notis ad *Epist.* 12. *lib.* 3. Goffridi Vindocinensis evulgavit Jacobus Sirmondus, præcipitque Paschalis, ● ut decretum illud omninò teneatur integrè, nec super » illud quidquam pro dictis Altaribus exigatur. «

Cæterum hisce decretis id effectum est, ut Monasteriis, ac Canonicorum Collegiis Ecclesiarum, seu Altarium quasi proprietas addicta sit; liberaque Vicariorum sive personarum sine pensionis onere designatio.

Nequaquam tamen eis licitum fuit Presbyteros illos Vicarios sine consensu Episcopi parochialibus Ecclesiis præficere; sed ut loquitur dicta Synodus Claromontana Can. IV. *Parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant: ut ejusmodi Sacerdotes de populi quidem cura Episcopo rationem reddant; Abbati verò de temporalibus ad Monasterium pertinentibus debitam subjectionem exibeant: & sic cuique sua jura serventur.* Apud Gratianum 16. *q.* 2. *Can.* 6. ubi insuper additur: *In Parochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopum instituantur, qui iis respondeant de animarum cura, & his, quæ ad Episcopum spectant.* Id quod jure Decretalium & moderno ritè exprimitur, cum dicitur: Ad Monasteria, & Canonicorum Collegia spectare præsentationem; ad Episcopum verò institutionem canonicam, & curam animarum.

Porrò Monasteria & Canonicorum Collegia Ecclesias, seu Altaria sibi sic incorporata, ac quasi proprietatis jure possidentia, cum libertate præficiendi Presbyteros, qui spiritualium curam eorum vice gererent, tandem se postremâ hac ætate, *primitivos Pastores*, Presbyteros verò spiritualibus & curæ animarum Præfectos, *Vicarios* dixêre.

Hic itaque habetur origo Pastorum primitivorum: quod nomen etiam in jure canonico novo ignotum est: nihilque aliud significat quàm eos, qui se eo nomine distinguunt, jam olim habuisse Parochiales Ecclesias, aut Beneficia Curata incorporata; eorumque curam in Presbyteros transtulisse, retentis sibi temporalibus.

Igitur si ea, quæ ad curam animarum pertinent, spectemus, omnia Vicariis solent pleno jure competere; non secus atque veris Pastoribus, & Curatis, qui nullum Pastorem Primitivum recognoscunt: ideoque passim in jure canonico *Rectores* Ecclesiarum simpliciter vocantur; neque ullibi aut in Decretalibus, aut etiam in Concilio Tridentino, ubi de cura animarum quæstio est, Pastores inter & hujusmodi Vicarios ulla occurrit distinctio; eodemque modo institutionem canonicam & curam animarum hodie ab Episcopo accipiunt, atque alii Pastores.

Jus igitur Primitivorum Pastorum nequaquam spectat curam animarum; imò nequidem eo titulo administrationi Sacramentorum, aut alteri functioni Pastorali se immiscere possunt; neque ab hac functione Pastores *primitivi* dicuntur. Quod vel inde manifestum est, quòd jus illud Primitivi Pastoris etiam communitatibus mulierum, & virorum laicorum competat; uti benè annotat le Maissre *Plaidoye* 9.

Exemplo Monachorum, & Canonicorum factum fuit, ut etiam Clerici, quibus vel à Laicis, vel etiam à quibusdam Monasteriis, aut Capitulis Ecclesiæ Parochiales cum emolumentis committebantur, Altaria sive spiritualium curam & regimen, retentis sibi temporalibus, Presbyteris committerent: seque *Personas*, Presbyteros verò substitutos, *Vicarios* nominarent: quos insigniter exagitabat Joannes Salisberiensis *lib.* 7. *de Nugis Curial. cap.* 17. » Utique, ait, & insignis prudentiæ, si quis » tot quocunque modo conquerit Altaria, ut quasi ritu memphitico (*i*) quotidianas historias novis possit Altaribus im» molare: nolunt tamen Sacerdotio dominari, aut servire al» tario, qui de altario vivunt, ne, ut populus arguit, dicam » luxuriantur, sed personatos quosdam introduxerunt, quorum » ad alium onera, ad alium referuntur emolumenta.

Unde & apud eundem auctorem Epist. 1. *Personæ* opponuntur *conductis*, *conductitiis*, & *Vicariis Sacerdotibus.*

Et Annales Ecclesiæ Wintoniensis ad annum 959. » Nuda » fuit Ecclesia intus & extra, quia Vicarii non habebant unde » eam vestirent & tegerent; nec Præbendarii, qui personæ dicebantur, talibus poterant intendere.

Dicebantur ergo *Personæ*, qui Beneficia, seu Ecclesias per *Vicarios* deservire curabant, dum ipsi potiori fructuum portione fruebantur.

Cumque successu temporis abusus hic invaluit, tandem factum fuit, ut mortua *personâ* rursus alteri Ecclesia committeretur, qui similiter Ecclesiæ per Vicarium deserviens, emolumenta ad se trahebat; & ita contingit ut paulatim inde Beneficia, seu etiam dignitates exortæ sint, quæ hodie *Personatus*, & eorum possessores *personæ* dicuntur: multumque cum Pastoribus *primitivis* conveniunt. Nam ut his sola jura temporalia aut honoraria, nulla verò circa curam animarum reservata sunt, ita nec illis: unde & *personatus* inter Beneficia sine cura animarum computari solent.

Inter hæc *Primitivorum* Pastorum & *Personarum* jura temporalia, præcipuè & ordinariè esse solet *decimarum* perceptio: interdum quoque, sed rariùs, oblationum aut earum partis communicatio.

Præter hæc, reservata sunt nonnunquam Monasteriis, Capitulis, & Clericis, qui *Parochiales* Ecclesias sibi unitas *Vicariis* demandârunt, jura quædam honoraria; quæ tamen nullatenus attingunt Curam Animarum; utpote quæ integra apud *Vicarium* manere debent.

Unde Ludovicus XIII. in sua ordinatione anno 1629. art. 12. declaravit, quòd posthâc Monasteria, Capitula seu Cathedralia, seu Collegiata, quibus Ecclesiæ Parochiales fuerunt unitæ non possint prætendere ulla jura super dictis Ecclesiis nisi *honoraria.* Habetur vol. 2. Actorum Cleri Gallicani.

Conformiter ad hanc ordinationem anno 1630. judicatum fuit, quòd Prior cujusdam Monasterii Ordinis S. Benedicti, in qualitate Pastoris *Primitivi* posset in Ecclesia Parochiali, cui Presbyter secularis in qualitate *Vicarii perpetui* deserviebat, quatuor anni solemnioribus Festis divinum Officium facere, & cum Stola incedere: omnesque oblationes, quæ diebus illis fierent, recipere; ac deinde totius anni decursu, obtinere primum locum in Choro, & supplicationibus & inhumationibus mortuorum; quibus quandocunque vellet, assistere posset; atque tunc gaudere distributionibus, quemadmodum reliqui ejusdem Ecclesiæ Presbyteri; hac tamen cautione, quod nec in dictis solemnitatibus, nec alio quoquam tempore functionibus ullis Pastoralibus se immiscere posset. Refertur in libro, cui titulus: *Conference des Ordonnances* Tom. 2. lib. 1.

Similiter ann. 1654. per sententiam Senatûs Parisiensis, Pastori Primitivo adjudicata fuit facultas cantandi in Ecclesia Parochiali integrum Officium divinum; unaque percipiendi integras oblationes in Festo Assumptionis & Purificationis B. Mariæ, & quatuor aliis præcipuis anni solemnitatibus.

Usu quoque passim in Belgio obtinuit, ut Capitula Canonicorum, quædam hujusmodi jura honorifica, quæ curam animarum non attingunt, in Ecclesiis Parochialibus, præsertim quæ in ipsa civitate sunt, reservaverint. Ut exempli gratiâ, quòd certis diebus Vicarii perpetui earum Ecclesiarum debeant accedere ad Ecclesiam Canonicorum, Officio divino, aut supplicationi una cum suo Clero & Cruce assistere; quibusdam diebus ad Capitulum accedere, ut monitionibus Decani, qui & ipsorum Pastor solet esse, excipiant.

Nonnulla quoque Capitula retinuerunt, titulo primitivi Pastoris, jus nominandi Custodem vel matricularium, Vice-Pastorem; Item Concionatores pro Adventu & Quadragessima, aliaque similia; in quorum possessione, si à tempore immemoriali Capitula, aliique Primitivi Pastores fuisse probentur, turbandi non sunt: modo ita suis hisce juribus utantur, ut integram Parochiæ curam & regimen in spiritualibus & directione animarum Vicario permittant: neque illum in suis functionibus Pastoralibus impediant, aut turbent.

Undè si vicarius *per se* in Adventu vel Quadragesima concionari velit, eatenus cessabit jus Primitivi Pastoris nominandi Concionatorem: quemadmodum ann. 1644. pro Plebano Ecclesiæ Collegiatæ & Parochialis S. Petri Lovanii, contra quosdam ejusdem Ecclesiæ Canonicos Pastores primitivos judicavit Senatus Brabantiæ.

(*i*) Memphiticum, *id est*, *profanum & execrandum*, *à verbo* Memphis.

§. X.

Jus percipiendi decimas contra Parochum non extenditur ad novales.

NOvale quidam dixêre, terram præcisam, quæ anno cessat; at in hac materia decidit Innocentius III. in *cap.* 21. *De verbor. significat.* Novale esse, *agrum de novo ad culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit.*

Decimæ ergo *novales* sunt decimæ, quæ ex hujusmodi agro novali percipiuntur.

Porrò ager *novalis* non tantùm primò anno, quo de novo cultus fuit, & fructus protulit, *novalis est*; sed semel *novalis*, semper *novalis* censetur; uti declarat Pontifex *in cap. fin.* ✠ *de Privilegiis*: adeoque decimæ semel *novales*, eam naturam & speciem continuò retinent.

Ut verò ager sit *novalis*, & decimæ ex eo perceptæ *novales*, requiritur, ut ager ille ab hominum memoria non fuerit cultus, id est, non tulerit fructus. Si enim fructus tulerit, licèt non decimabiles juxta consuetudinem loci, non erit *novalis*, licèt nunc primum *decimabiles* proferat; uti post Zarabelam ad *Clement. I. de Decimis*, notavit Grimaudet *de Decimis lib. 3. cap.* 4. eo quòd verum non sit, illum nunc *primùm* ad culturam esse reddactum; per accidens autem esse, quòd ob particularem consuetudinem fructus illi non dirimentur: contrarium tamen in quibusdam locis praxis servat.

Decimæ hæ *novales* præter cæteras majores, & antiquas decimas jure speciali Parocho reservatæ sunt: adeò ut si Monasterium, Capitulum, aut alia persona etiam ecclesiastica titulo præscriptionis, aliove jure decimas intra limites alicujus Parochiæ percipiat, nihilominus decimæ novales ad Parochum spectabunt; uti respondit Innocentius III. *in capit.* 29. ✠ *De Decimis.* Et Alexander IV. *in capit.* 2. §. *fin. de Decimis in VI.* de Monachis, ait: » Nec pro eo quod fortè in aliquibus Pa» rœciis omnes majores decimas seu partem illarum acquirunt » de manibus Laicorum, possunt pro eadem vel simili portione » (si de novo postmodum fiant novalia) in eisdem petere, vel » percipere novalium decimas eorundem, nisi alia rationalis, » per quam hoc facere valeant, causa subsit.

Rationalem causam, de qua hîc loquitur Pontifex, & cujus etiam meminit Innocentius III. in citato *cap.* 29. restringit Glossa ad *privilegium*, quo ipsis specialiter *Novalium* perceptio sit indulta: quale privilegium aliquibus nonnunquam fuisse indultum habemus ex *cap.* 21. ✠ *de Verbor. significat.* quod similis privilegii meminit; ac unà ibidem declaratur, privilegium percipiendi decimas ex agro novali Religioso Conventui indultum, de illo duntaxat agro esse intelligendum, *cujus decimam Religiosus Conventus potest absque gravi detrimento Parochialis Ecclesiæ detinere, cum talis sit sæpè locus incultus, de quo Parochialis Ecclesia magnos percipit, decimarum ratione, proventus.*

Harum decisionum hoc unicum est fundamentum. Cùm decimæ prædiales, quæ intra limites Parochiæ colliguntur, de jure quodammodo naturali debeantur Parocho, cui Parochiæ totius cura spiritualis incumbit; Privilegia, præscriptio & consuetudo, quæ jus decimas percipiendi auferunt à Parocho, & transferunt ad Monachos, aut Canonichos, nullam in spiritulibus curam populi illius Parochiæ gerentes, reputantur admodum odiosa; eoque titulo, quantum fieri potest, sunt restringenda.

Cùm igitur nulli ex his fundis *novalibus*, tempore quo Monasterium, vel Capitulum jus decimandi per privilegium, aut præscriptionem acquisivit, fructus perciperentur; neque ad fructus ferendos adhuc idonei essent: non judicarunt Pontifices, ea privilegia aut præscriptiones in Parochorum præjudicium ad illos agros esse producenda: quod & penè ubique locorum moribus, & rerum judicatarum auctoritate firmatum est.

Plurima passim referuntur Parlamentorum arresta, quibus Parocho adjudicatæ fuerunt novales, contra Monasteria, & Capitula, temetsi jus percipiendi grossas decimas sive titulo privilegii, sive titulo præscriptionis per totam Parochiam habentia, vel grossas decimas cum Parocho dividentia. Videri possunt Tournet *lit. D. c.* 68. & 97. & ibidem citati; quibus addi possunt Lovet *lit. D. n.* 53. ejusque Annotator Julianus Broudeau, & Claudius le Prestre *Cent.* 1.

Et licèt à multis dubitatum fuerit, num hæc *novalium* reservatio etiam locum habeat respectu *Vicarii perpetui* contra *Pastorem* primitivum, qui jure incorporationis ipsius Ecclesiæ Parochialis, integrum jus decimandi obtinet, Vicario congruam duntaxat portionem obtinente, nihilominus, uti refertur in notis marginalibus ad citatum caput Claudii le Prestre, sustinetur in Curiis Regiis, Vicarium esse fundatum in accipiendis *novalibus*; & ita in terminis non semel fuisse judicatum refert Brodeau loco citato. Quin & Carolus Fevret Tractatu de Apellatione *tanquam ab abusu*, *lib. 6. cap.* 1. asserit, id etiam procedere, tametsi Vicario assignata sit certa pecuniæ summa in portionem congruam, omnibus decimis, & proventibus Parochiæ in Pastorem primitivum ea mediante translatis.

Cæterum sententia & praxis adjudicandi decimas *novales* ipsi Parocho, aut etiam Vicario contra Monasteria, aut Capitula jus decimandi quocunque titulo habentia, adeo recepta est hodie, inquit D. Gueret *in novis annotationibus ad citatum caput Claudii le Prestre*, ut anno 1663. cuidam Curato adjudicata fuerit possessio percipiendi decimas novales, etiam contra Commendatarium Ordinis Militensis, qui ex speciali privilegio eas Ordini suo competere prætendebat. Videri potest Arrestum integrum relatum à D. Du Fresne *p.* 2. *Journales des Aud. lib.* 5. *cap.* 14.

Si tamen Monachis datum fuerit privilegium percipiendi decimas certarum Parochiarum, quarum ipsi Monachi curam in spiritualibus gerunt, simile privilegium *novales* decimas quoque comprehendit: quia, ut rectè notat Grimaudet *Tract. de Decimis, lib. 3. capit.* 5. privilegium hoc propriè non est privilegium, quo receditur à jure communi, sed potius est innovatio, & reductio juris communis, quod vult, ut decimæ cedant Monachis intra limites earum Parochiarum, quarum curam in spiritualibus ipsi suscipiunt. Et de simili privilegio loquitur Pontifex *in cap.* 27. ✠ *de Decimis*; uti cuique legenti integram Decretalem manifestum erit.

Cùm itaque hoc privilegium à jure communi non recedat, sed potiùs illud innovet, & reducat, nequaquam odiosum reputari debet; ideoque hîc replicari potest regula, quâ utitur Pontifex in dicto Capitulo: *Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*: quæ in merè odiosis non semper procedit: ut proindè mirum non sit, si hoc principio non utantur Pontifices, dum agitur de privilegiis, quibus decimæ attribuuntur his, qui nullam in Parochia, in qua decimæ recipiuntur, curam animarum agunt; quandoquidem, ut ante notavimus, similia privilegia à jure communi recedant, & eo titulo odiosa reputentur.

Denique circa privilegium Religiosis, aut Canonicis concessum percipiendi decimas *novales*, illud notandum, quòd si novales concedantur pro ea portione, quâ veteres percipiebant, id non intelligatur imprimis de novalibus, quas tempore indulti privilegii alii possidebant: nec extendatur ad alias, nisi in his tantùm locis, ubi veteres tunc, quando dictum Indultum impetratum fuit, ipsi impetratores habebant; & pro ea solummodo portione, quâ ipsi tempore impetrationis hujusmodi percipiebant antiquas. *Cap.* 2. *de Decimis, in VI.*

Prætereà simile Indultum de recipiendis decimis novalibus obtentum ab iis, qui tempore impetrationis *totaliter* veteres percipiebant decimas, ultra medietatem decimarum novalium non extenditur: qui, ait Pontifex *in capit.* 2. §. 1. *de Decimis in VI.* » Non est verisimile si tunc de plena, & integra percep» tione veterum fuisset expressum, quòd Apostolica Sedes pari» ter, & similiter novalium decimas, in tam grave Parochialium » Ecclesiarum dispendium indulsisset, quod ratione talis Indul» ti sive impetrati jam, sive impetrandi deinceps non possit in » novalibus (quæ amodò fient) vindicari, & acquiri vel per» cipi, plus quàm medietas decimarum ipsorum novalium, etiam» si ampliùs in veteribus habebatur: cùm non sit dicendum as» perum, sed pium potius ac benignum, si super decimis futu» rorum novalium contra Parochialium Ecclesiarum gravamen » (quod ex distinctione Indulti hujusmodi posset accedere) ta» liter obviatur. Religiosos tamen Cisterciensis, & Carthusien» sis Ordinum statuto, & declaratione hujusmodi (quantum ad » hos duos articulos videlicet de medietate decimarum nova» lium) comprehendi nolumus, vel constringi. «

Ex his perspicuum, Pontifices admodum fuisse solicitos, ne per sua privilegia Ecclesiis Parochialibus nimium gravamen inferretur.

Hoc titulo cum Pontifices ferè omnibus Religiosis concessissent privilegium non solvendi decimas de suis terris, sive fundis, & laboribus; illudque privilegium multiplicatis Monasteriis inciperet Clero esse in magnum gravamen, Adrianus IV. quem secutus est Alexander III. *in capit.* 10. ✠ *de Decimis*: » So» lis Fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templariis, & Hospi» talariis decimas laborum suorum, quos propriis manibus vel » sumptibus colunt, Adrianus indulsit: cæteris verò ut de no» valibus suis, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, » & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis deci» mas non persolvant; quem sumus super his imitati. Quare ii, » quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de aliis re» bus Ecclesiæ suæ non possunt subtrahere, vel sibi aliquid ul» terius vindicare. «

Pari ratione ne privilegia nimium derogent juri Parochialium Ecclesiarum respondit Pontifex in Cap. 11. ✠ *de Decimis.* » Ob privilegium de non solvendis decimis de laboribus, quos » propriis manibus vel sumptibus Monachi colunt, iis non esse » licitum decimas de terris suis subtrahere, quas aliis tradunt » excolendas. «

Quin

Quin & si privilegium aliquando justa ex causa concessum, temporis lapsu, & mutatis circumstantiis incipiat esse damnosum Ecclesiæ, & ex eo scandalum suboriri, revocandum esse resolvit in *cap.* 9. ✠ *de Decimis*, cujus hæc est Rubrica; *Revocatur privilegium, si ex post facto incipiat enormiter nocivum esse.*

Hinc licet concludere, & hanc generalem conficere regulam, ut benè advertit Grimaudet loco citato *cap.* 2. quòd tametsi privilegium de percipiendis decimis, aut iis non solvendis, tempore concessionis, justis, & honestis rationibus niteretur; si tamen lapsu temporis, vel ob hominum multiplicationem, vel diminutionem bonorum ad alios spectantium, aliove titulo incipiat esse nocivum & grave, meritò tunc auctoritate publicâ restringatur, vel revocetur.

Quidnî enim subinde verum esse deprehendatur, quod suo tempore de hisce privilegiis loquens Joannes Sarisberiensis Episcopus dixit. » Dum Religio paupertate gaudebat, & in aliorum » necessitates, aut usus effundebat viscera inopiæ suæ, indulta » sunt privilegia professionibus, quæ necessitate cessante, & » frigescente charitate, potiùs avaritiæ, quàm Religionis instru» menta creduntur. « *Lib.* 7. *De Nugis Curialium.*

§. XI.

Quare Ecclesia uniones, & incorporationes Ecclesiarum Parochialium non probaverit.

INdubitatum est, florente Monachorum ac Canonicorum in communi viventium pietate, & disciplinâ, tam Fideles Laicos, quàm Ecclesiæ Prælatos illis decimas obtulisse, & Ecclesias Parochiales cum suis proventibus univisse sive incorporâsse; atque ita, inquit Christianus Lupus *Tom.* 5. *Schol. p.* 186. *Utramque istam professionem opulentissimè ditârunt.*

Verùm sicut raræ admodum virtutis est, servare castitatem inter carnis illecebras, temperantiam inter conviviorum epulas; ita quoque paupertatem religiosam, omnis religiosæ disciplinæ fundamentum, servare in divitiarum affluentia rara virtus.

Undè compertum fuit, & à seculis multis deploratum, divitiarum copiam, quam Monachorum, & Canonicorum vivendi sanctitas attraxerat, vitæ religiosæ, & canonicæ sanctitatem suffocâsse.

Contulit, inquit Trithemius Sermone 2. ad Monachos „ Mo» nachis Religio sancta divitias, donec matrem filia suffocavit. » Nam ut Scriptura dicit: *Omnes, qui volunt divites fieri, in*» *cidunt in tentationes diaboli*: *incrassatus est dilectus, &* » *recalcitravit*, impinguatus, & dilatatus terrenis possessioni» bus dereliquit institutionis primæ studia: abiit post vanitates » falsas, quarum copia rerum temporalium, divitiis spirituali» bus inopem & miserum fecit.

Porrò vitæ sanctitate semel extincta, cœperunt non jam divitias contemnere, atque labori, & operi insistere, sed divitias undique conquirere, conquisitas omni modo conservare, & sine labore, & opere vitam in deliciis agere.

Atque hinc factum, ut decimas etiam contra Episcoporum voluntatem avidè conquirerent, & à Laicis importunè impetrarent.

Pseudo-Monachos enim describens Joannes Sarisberiensis loco supra citato, ait: *Decimationes, & primitias Ecclesiis substrahunt, & Ecclesias ipsas accipiunt de manu Laicorum, Episcopis inconsultis.*

Ulteriùs frigescente charitate, & collabente disciplinâ, decimas, & proventus Ecclesiarum possidere, atque ex illis commodè vivere placebat; at Ecclesiæ deservire, ac populo spiritualia ministrare, Monachis, & Canonicis non arridebat; undè illam Vicariis Sacerdotibus, sibi decimis ac proventibus retentis, delegebant.

Hinc Abbati, & Monachis Majoris Monasterii de cujusdam Ecclesiæ decimis cum Clericis contendentibus scribens S. Bernardus dicit, parum convenire, ut super decimis illius Ecclesiæ Monachi contendant, quòd eidem Ecclesiæ, de qua præsens disceptatio est, Clericis soli deserviant: » Vosque, ait, » cum illis non exhibetis obsequium.... Qua audacia, ò Mona» chi, præsumitis seu vinum de vinea, quam non plantastis, » seu lac de grege, quem non pascitis? Quo pacto ibi exigitis, » ubi nihil exhibetis? Certè si ita vultis, baptizate nascentes, » sepelite morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, ins» truite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contem» nentes, absolvite resipiscentes, reconciliate pœnitentes: & in » medio denique Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cujus of» ficium est sedere, & jacere. Sic fortassis dignum se probabit » Mercenarius mercede suâ. Alioquin invidiosum admodum est, » velle metere ubi non seminaveris: sed & colligere quod alius » sparserit, etiam injuriosum. «

Et ante S. Bernardum scribit ad Urbanum II. S. Ivo Carnotensis Epist. 12. *Multa inordinata fieri video in Domo Dei, quæ me torquent; maximè quod apud nos, qui Altari non serviunt, de Altari vivunt.*

Verùm cùm semel monachali, atque canonicali disciplina collapsa, atque avita pietate, & paupertatis amore refrigescente, divitiarum amor Monasteria, & Canonicorum Collegia occupavit, non tantùm partiri Beneficium, sive proventus Ecclesiarum cum Clericis altari servientibus, atque in vinea Domini laborantibus voluêre, sed integros in suos usus deglutire studuerunt.

Hinc Ministros Ecclesiis Parochialibus necessarios præficere neglexerunt, aut certè mercenarios quosque Presbyteros quæsierunt; qui vilissimo stipendio, sive honorario contenti, ex sordidis, atque scabiosis exactionibus undique victum conquirere non erubescentes, Monasteriis, & Capitulis fructus integros dimitterent; utque eos sibi ampliùs obstrictos haberent, manuales, seu ad nutum amovibiles Vicarios designabant.

Hunc abusum, & mala ex eo redundantia deplorat Concilium Lateranense sub Innocentio III. relatum in *Cap.* 30. ✠ *de Præbendis*: » Extirpandæ consuetudinis vitium, ait, in qui» busdam Parochiis inolevit, quod scilicet Parœcialium Eccle» siarum Patroni, & aliæ quædam personæ, proventus ipsarum » sibi penitùs vindicantes, Presbyteris earum servitiis deputatis » relinquunt adeò exiguam portionem, quod ex ea nequeant » congruè sustentari. Nam (ut pro certo dicimus) in quibusdam » Regionibus Parœciales Presbyteri pro sua sustentatione non » obtinent nisi quartam quartæ, id est, sextam decimam deci» marum. Unde fit ut in suis Regionibus penè nullus inveniatur » Sacerdos Parœciales, qui ullam vel modicam habeat peritiam » litterarum.

Et de Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum ita gravant, ut hospitalitatem tenere non possint, conquiritur Alexander III. *in cap.* 8. ✠ *de Præbendis.*

Etiam sub medium seculi XV. Patres Concilii Senonensis lamentantur, à possidentibus Altaria Monasteriis & Capitulis non præstari Parochialium Ecclesiarum Presbyteris competentem canonicam sustentationis portionem, atque adjungunt: *Propter hoc fiunt plures ex iisdem Ecclesiis vacantes, & Pastoribus viduatæ, in magnum animarum periculum.* Act. 3. cap. 4.

Inter abusus, quos reformandos Adriano VI. retulit Norimbergensis Principum Germaniæ Conventus erat & hic; in quo copiosè depingunt sentinam malorum, quæ ex hoc abusu in Ecclesiam redundant. » Pleræque Parochiales Ecclesiæ, in» quiunt, Monasteriis, Prælatis, aliisque Ecclesiarum Curatarum » Rectoribus incorporationis, ut vocant, seu alio quopiam jure » subditæ sunt: quas si ipsi juxta Canonum constitutiones per » sese providere teneantur, ubi aliis elocant gubernandas, Be» neficiorum dotem, ac decimas, plerumque sibi ipsis reservant; » & præterea tam enormibus absentiarum pensionibus gravant, » atque onerant, ut conducti isti Parochi, eorumque Vicarii, » & Viceplebani, Sacellani, Coadjutores, cæterique conduc» tarum Ecclesiarum administratores competentem sustentatio» nem, decentiaque alimenta inde habere nequeant. Quo fit, » non unde conductitii isti Pastores, & mercenarii vivant, ha» beant oportet, ut illicitis exactionibus locata sibi oviculas » miserè deprædent, dilanient, omnemque substantiam tan» tùm non absumant. Postquam enim Altaris, Baptismique Sa» cramenta administranda sunt, primus, septimus, trigesi» mus, anniversariusque dies peragendus, Auricularis Con» fessio audienda, mortui sepeliendi, & quidquid denique re» liquum est, quod ad vitâ functorum ceremonias observan» das operæ pretium arbitrantur, id gratuitò faciunt nequa» quam, sed tantùm exigunt, extorquent, exugunt quantum » misera plebecula, vel cum summo suo dispendio præstare » difficulter potest: talesque exactiones usque ad summum in» dies augent, atque accumulant; nonnunquam quoque excom» municationis fulmine ad solvendum adigunt: plerosque etiam » quibus per inopiam non licet, ad celebranda vitâ functis ob» sequia, anniversarios, & alias ejus farinæ ceremonias, com» pellere conantur. «

» Quod ipsum, inquit Lupus *tom.* 5. *Schol. pag.* 187. in » Germanicorum gravaminum facta ad Julium II. relatione, » questus fuit Imperator Maximilianus. Et à Tridentino Con» cilio corrigi postulavit Carolus IX. Francorum Rex. « Hæc Lupus, qui ibidem subjungit: » Altarium decimas possiden» tia Monachorum Cœnobia, aut Clericorum Collegia asseve» rabant se illic esse principales Pastores, ideoque illis con» ductitium, & manualem imponebant Vicarium; & non da» tâ competenti sustentatione cogebant ad omnis generis simo» niam. Sic Altaris Minister sordidè esuriebat, & nescio quis » ejus detentor usque ad animæ, & corporis ebrietatem ex » ipso luxuriebatur.

Hæc, aliaque, quæ ex unionibus, & incorporationibus Ecclesiarum Parochialium, attentâ hominum ad dimittenda sibi semel incorporata naturali difficultate, nata sunt evenire, qui

attenderit, nullatenus mirabitur, quòd Ecclesia hujusmodi uniones, & incorporationes toleraverit potiùs, quàm probaverit.

Et quidem Synodus Tridentina his malis, quantum temporum durities & iniquitas patiebatur, occurrere volens, imprimis *Sess. 7. cap. 6. de Reformat.* voluit, ut » uniones per» petuæ, & à quadraginta annis citra factæ examinari ab Or» dinariis, tanquam à Sede Apostolica delegatis, possint, & » quæ per subreptionem, vel obreptionem obtenta fuerint irri» tæ declarentur. Illæ verò quæ à dicto tempore citra concessæ » nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ » deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut » rationalibus causis coram loci Ordinario vocatis, quorum in» terest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptio» nem obtentæ præsumantur; ac propterea nisi aliter à Sede » Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant. «

Deinde *Sess. 24. cap. 13. de Reformat.* præcedens decretum innovans fortiùs contra hasce Parochialium Ecclesiarum incorporationes se declarat, statuitque, » in unionibus quibusli» bet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, Ecclesiæ » Parochiales Monasteriis quibuscunque, aut Abbatis seu dig» nitat ibus, sive Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegia» tæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, mili» tiisve non uniantur, & quæ unicè sunt, revideantur ab Ordi» nariis juxta alias decretum in eadem Synodo sub Paulo III. » quod etiam in unicis ab eo tempore citra æquè observetur: non » obstantibus in iis verborum quibuscunque formis, quæ hîc » pro sufficienter expressis habeantur. «

Hæc decreta non obscurè innuunt, Synodo Tridentinæ hasce uniones, & incorporationes Ecclesiarum Parochialium ob incommoda, quæ secum trahunt, non parum displicuisse; easque, quantum temporum conditio patiebatur, sustulisse.

Verum quidem est, Synodum pro temporum conditione, uniones, seu incorporationes longa serie annorum roboratas tolerâsse; attamen si ea, quæ circa Vicariorum deputationem, & congruæ portionis assignationem à Synodo Tridentina ordinata sunt, exactè & ad mentem Synodi observentur; incommodis & abusibus, quæ dictæ uniones & incorporationes patere solent, magna ex parte obviabitur; uti capite tertio hujus Tractatûs ostendetur: sed quia prævidit, difficulter inducenda Monasteria, Capitula, aliaque corpora, quæ Parochiales Ecclesias incorporatas habent, ut ad mentem Ecclesiæ portionem congruam Ecclesiis Parochialibus largirentur: ideò quantum temporum conditio ferebat, similibus Ecclesiarum Parochialium unionibus & incorporationibus esse opposuit.

CAPUT II.

De Jure Parochorum ad oblationes.

PARAGRAPHUS I.

Quid sint oblationes; & in quo potissimùm à decimis distinguantur.

OBlatio generaliter sumpta idem sonat, quod alicujus rei non petitæ spontanea largitio. Quæ si homini fiat, *donatio* dicitur; si Deo, magis propriè *oblatio*: quia cùm Deo, utpote omnium Domino nihil dari queat, maluerunt Canones eam largitionem *oblationem* vocare.

Oblatio ita generaliter sumpta comprehendit & oblationes strictè dictas, & decimas, primitias, & quidquid à Fidelibus in usum Ministrorum Ecclesiæ Deo consecratur.

Verùm modo loquendi Canonistis usitato, oblationes à decimis distinguntur, vocanturque *oblationes*, quæ à Fidelibus, vel ad Altare, vel etiam extra Altare *ultrò* & *voluntariè* citra ullam in quantitate, aut specie determinationem Deo vel Ecclesiæ dantur.

Itaque in hoc præcipuè decimæ ab oblationibus discernuntur quòd decimæ partim ex jure, partim ex consuetudine soleant esse determinatæ ad certam quotam, & speciem; nec earum determinatio, & solutio Fidelium laicorum voluntati, & libertati sit relicta: econtra verò *oblationum*, tam quoad quotam, quàm quoad speciem determinatio à nutu & beneplacito offerentium dependere consueverit.

Hoc modo sumptæ *oblationes* comprehendunt omnia, quæ sive inter vivos, sive mortis causâ, sive per testamentum ultrò, & voluntariè Deo vel Ecclesiæ offeruntur; atque ita sumuntur *in cap. 83. ✠ de Verb. signific.*

At usu hodiè ferè ubique recepto *oblationum* nomen, penè restringitur ad ea, quæ inter Missarum solemnia ad manum Sacerdotis ad Altare dari consueverunt.

In hoc tamen Tractatu de *Oblationibus* nonnihil generaliùs sumptis disseremus; quatenus nimirum comprehendunt, & quæ in administratione Sacramentorum, purificatione mulierum, aliisque similibus functionibus Pastoralibus Fideles offerunt, & quæ etiam in truncis ad colligendas oblationes populi expositis ponuntur: aut Matricularîis sive Magistris Fabricæ, vel mensæ S. Spiritûs juxta morem in plerisque Belgicis Ecclesiis receptum, circumeuntibus per Ecclesiam dantur; vel etiam alio modo in usum Ecclesiæ, aut pauperum, v. g. in Ecclesiis ruralibus in carnis, ovorum, butyri, aut alterius edulii specie ipsis exhibentur: item illa, quæ à visitantibus certa Oratoria vel Sacella, in quibus Imagines vulgo *Miraculosæ*, vel Sanctorum Reliquiæ quiescunt, ibidem vel in vel extra Altare offeruntur; quæ omnia nomine *oblationum*, ex modo loquendi SS. Canonum, & Canonistarum, veniunt.

§. II.

Oblationum usus, præsertim inter Missarum solemnia antiquissimus; & quo animo offerendæ.

OBlationum in Altari, & extra Altare meminit Canon IV. Apostolorum, earumque ritum exponit; & quæ in Altari offerri possint, declarat; uti latiùs in notis ad dictum Canonem notavi.

Meminit quoque pristini moris offerendi in ipso Sacrificio S. Cyprianus *lib. de Opere, & Eleemosyna*: » Locuples & di» ves es, ait, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Do» minicum sine *Sacrificio* venis, quæ partem de *Sacrificio*, quod » pauper obtulit, sumis. «

Hîc *Sacrificium* pro Pane, & Vino in Sacrificio offerendis, & conservandis, ex more illius ævi accipit S. Cyprianus.

Moris enim tunc erat, qui aliquot seculis in Ecclesia constanter perseveravit, ut populus ad Sacrificium accedens, panem & vinum inter Missarum solemnia offerret; uti probat Ordo Romanus circa seculum IX. compositus; qui disertis verbis hanc panis & vini oblationem exprimit: » Populus, ait, dat obla» tiones, id est, *panem*, & *vinum*, & offerunt cum fanonibus » candidis, primò masculi, deinde fœminæ.

Erant autem *Fanones*, uti habet Ordinis expositio apud Cassandrum, *Sindones*, quibus oblationes involvebantur, & tegebantur; cujus ritûs adhuc hodie vestigium remanet, dum in Missa solemni Subdiaconus Panem & Calicem ad Altare deferens, illa velo, quod vicem *Sindonis* subit, involvit.

Cæterum plura de hoc ritu offerendi Panem, & Vinum inter Missarum solemnia habeo in tractatu de *Simonia circa Beneficia*, *part. 1. cap. 6. §. 1.* ibique fusiùs ostendi, quòd quidem circa seculum XI. mos offerendi Panem & Vinum paulatim in desuetudinem abierit; ipsas tamen oblationes non desiise, sed in numorum, aut aliarum rerum oblationes mutatas fuisse; semperque votum Ecclesiæ fuisse, ut usus oblationum ab Apostolis ad nos transmissus conservaretur, aut neglectus restitueretur.

Utque plura Conciliorum de hac re decreta, quæ in dicto Libello videri possunt omittam, unum hic Sancti Caroli sive Concilii ejus Provincialis quarti Canonem proferam; è quo una patebit, quo affectu & animi dispositione oblationes à fidelibus sint præsentandæ.

» Oblationum institutum, inquit, jam pridem ab Apostoli» cis usque temporibus, Apostolico etiam Canone sancitum, » Sanctissimorumque Pontificum Melchiadis, Fabiani & Grego» rii constitutionibus, & Conciliorum præterea decretis com» munitum, quo gravius his temporibus à fidei, doctrinæque » Catholicæ hostibus exagitatur, & languescente pietatis studio, » quo magis à fidelibus negligitur, hoc diligentiùs servari, at» que ad executionis usum, ubi intermissum est, revocari con» venit, cum præsertim, & ad divinum cultum illud pertineat » & populis salutare sit ad expiandaque peccata utile.

» Quare Episcopi in sua quisque Diœcesi & suis & Con» cionatorum sermonibus, & omni alio persuadendi cohortandi» que officio, omnique juris ratione illud, ubi est, retineri, ac » ubi negligitur, restitui studiosè ad SS. Canonum præscriptum » ita curent, ut in solemnitatibus scilicet Domini, diebusque » Dominicis, ac Festis item, quos coli, aut præcepti, aut con» suetudinis est, omnis Christianus aliquid, prout sua quisque » *pietate devotioneque maluerit*, Deo offerre procuret, idque in » Ecclesia vel Cathedrali, cùm ad Missæ Sacrificium, quod so» lemniter celebratur, vel in Parochiali cum Parocho convenerit.

» Quo in officio servetur, ut quod Ecclesiasticæ consuetudi» nis est, primò mares, deindè fœminæ offerant.

» Sacerdoti Missam celebranti oblationis accipiendæ causa » ab Altari paulùm se removere licet; at indè longè discedere, » ac per Ecclesiam vagari, eamque quasi circuire nullo modo » liceat.

» Quo gratius autem Deo sit quod offerunt, ad præstandum » accedant Fideles intimâ animi pietate, spiritali hilaritate, sanc» tâ charitate, omnique christiana devotionis testificatione. «

§. III.

Oblationes, quæ fiunt intra limites Parochiæ, de jure communi spectant ad Parochum.

PRoventus singularum Parochiarum cedere Ecclesiæ Parochiali ejusque Ministris, uno consensu concludunt Canonistæ *ad Cap.* 9. ✠ *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*, in quo dicitur: » Cum auctoritate Dionysii fuerunt Parochiæ limitatæ; quatenùs singularum parœciarum proventus in usus Ecclesiæ cederent necessarios & Ministrorum.

Inter proventus verò parœciarum numerandas esse oblationes, quæ in districtu Parochiæ offeruntur, nemo negat.

Hinc ulteriùs pari cosensu conficiunt Canonistæ, parochum tanquam primarium Ecclesiæ Parochialis Ministrum *de jure communi* fundare suam intentionem in perceptione omnium oblationum, quæ obveniunt infra limites suæ Parochiæ; easque deberi, nî ostendatur vel ex voluntate offerentium, vel immemoriali consuetudine, aliove legitimo titulo ad alium spectare.

Quamobrem oblationes, quæ fiunt S. Imagini infrà limites Parochiæ, non ad Dominum parietis, cui imago adhæret, nec ad Episcopum spectare, sed ad parochialem Ecclesiam, seu illius Rectorem, post alios Canonistas tradit Fagnanus ad citatum *cap.* 9. hancque esse communem Doctorum conclusionem asserit ex Socino, » quam, ait, etiam sæpiùs secuti sunt Domini De Rota; ubi hac sententia licèt fuerit olim controversa, » tamen hodiè dicitur esse receptissima.

Procedit quoque hæc conclusio in oblationibus factis Imagini existenti in aliqua Capella, seu Oratorio infra limites Parochiæ; ut scilicet oblationes illæ non cedant Capellæ, sed Ecclesiæ Parochiali; quemadmodum post Abbatem, aliosque veteres Canonum Interpretes docet Fagnanus loco citato *num.* 24. & Barbosa de *Officio Parochi cap.* 24. *num.* 22. qui & addunt, id etiam procedere, licèt oblationes essent factæ in Capellis, ubi essent erecta distincta Beneficia: » quia nihilominus » Parochiali Ecclesiæ, & Parocho, non Capellis, aut earum Capellanis oblationes cedunt.

Quinimò licèt oblationes offerantur celebranti Capellano, aut alteri Sacerdoti in Sacello intra vel extra Ecclesiam Parochialem; sed tamen infra limites Parochiæ, nihilominus cedunt Parocho, non Presbytero celebranti: » Nam oblationes faciunt Parochiani, ait Fagnanus, propter Administra» tionem Sacramentorum. «

Eodem fundamento, » Oblationes, quæ fiunt tempore » Jubilæi vel anno sancto in Ecclesia Cathedrali, ait Barbosa » loco citato *num.* 27. spectant ad Archipresbyterum ejusdem » Ecclesiæ, non autem ad Episcopum: nam cùm Archipres» byter habeat curam animarum & Sacramentorum adminis» trationem, habet per consequens de jure communi fundatam » intentionem ad omnes oblationes, idque privativè ad Epis» copum. « Hæc Barbosa post plures ibidem allegatos Doctores.

Si igitur oblationes, ut decimæ, præcipuè dari censeantur in usum, & sustentationem eorum, qui curam agunt animarum, & populo spiritualia seminant, consequens est, de jure communi oblationes Vicario perpetuo, & non Pastori *primitivo* deberi; quandoquidem, uti suprà *cap.* 1. §. 9. notavimus, cura animarum integra Vicario perpetuo incumbat; nec quoad eam curam Vicarius perpetuus à verò Parocho distinguantur.

Refert quidem Renatus Choppinus *lib.* 2. *De sacra polit. tit.* 7. §. 25. Parlamentum Parisiense censuisse, in receptione oblationum Pastorem Primitivum Vicario ejusdem Ecclesiæ esse præferendum; sed monet Franciscus Pinsonius tractatu *De Beneficiis p.* 3. §. 2. » Illud Decretum Curiæ non definitivâ » sanctione pronuntiatum, sed interim & pendente decisione » appellationis tanquam ab abusu, ab ipso Vicario interpo» sitæ à sententia Officialis Parisiensis, quâ primariis Pasto» ribus oblationes addixerat: adeò ut indè pateat, Senatum ex » temporali judicio, non perpetuò jus dicere voluisse. « Hæc Pisonius, qui *num.* 18. addit: » Nam & alias, ut observavit » Laurentius Bochellus in Bibliotheca Juris Gallici in verbo *obla» tiones*, Senatus oblationes in Ecclesia S. Salvatoris exhibi» tas ejusdem Rectori seu Vicario perpetuo deberi pronun» tiavit, exclusis Regularibus S. Martini Campestris, licèt » primariis Rectoribus ejusdem Ecclesiæ, quod & hodie obser» vatur & æquius est. «

Hæc omnia, quæ hactenus de jure Parochi, & Vicarii ad oblationes dicta sunt, procedunt *in dubio* & de *juri communi*, id est, ubi non constat de contraria consuetudine, vel de alia ipsorum offerentium voluntate, quæ in oblationibus, utpote ordinariè & plerumque merè voluntariis, præcipuè attendi debet; & ratione cujus frequenter oblationes ad alia loca, vel personas, quam ad Ecclesiam Parochialem aut Parochum pertinent; uti infrà latiùs observabitur.

§. IV.

Oblationes, præsertim quæ fiunt in administratione Sacramentorum, & aliis functionibus spiritualibus, debent esse planè voluntariæ.

» OBlationes de sui ratione habent, inquit S. Thomas 2. 2. » *q.* 86. *art.* 1. *in Corp.* quòd *voluntariè* offerantur, » secundum illud Exod. 25. *Ad homine, qui offert ultroneus,* » *accipietis eas.* «

Hæc verò offerendi libertas & voluntarietas præcipuè permititi & elucere debet in oblationibus, quæ fiunt ratione Sacrificii, vel in administratione Sacramentorum, & alterius cujuscunque generis functione Pastorali & spirituali. Nisi enim oblationes, quæ occasione hujusmodi functionum offeruntur, planè sint voluntariæ, sed ex aliqua expressa vel saltem tacita pactione vel coactione dentur, difficulter omnis species Simoniæ vel avaritiæ evitabitur.

Oblationes igitur semper probavit Ecclesia; at eas semper voluntarias esse voluit, omnemque exactionem, & coactionem in iis exigendis exorruit; ne sacra venum exponi viderentur.

» Providemus, inquit Gaulo Paschalis II. Legatus in suis » pro Ecclesia Galicana Ordinationibus seculo XI. sub excom» municatione, ne Sacerdos vel Clerici, occasione alicujus con» suetudinis, pro Baptismo, aliisque Sacramentis Ecclesiasti» cis, aliquid *exigere* vel *extorquere* præsumant; sed ea *libera» liter* & sine difficultate studeant canonicè ministrare. Moncan» tur tamen laici diligenter, ne quod pro reverentia Sacramen» torum devoti Fidelium introduxit, ex *avaritia* velint ali» quatenus revocare.

Et concilium Lateranense sub Innocentio II. anno 1139. *Can.* II. vetat, ne in administratione cujuslibet Sacramenti, *sub obtentu alicujus consuetudinis ante vel post à quoquam aliquid exigatur.*

De omnibus similiter Sacramentis idipsum declaravit Concilium Lateranense sub Alexandro III. hanc notandam adjungens regulam: » Putant autem plures ex hoc licere, quia le» gem mortis de longa consuetudine invaluisse arbitrantur; non » attendentes, quòd tantò graviora sunt crimina, quantò diutiùs » infelicem animam tenuerunt alligatam. *Cap.* 9. ✠ *De Simo» nia.* «

Circa idem tempus, & sub eodem Pontifice Synodus Turonensis decernens, ne pro sepultura, & Crismate, aut Olei receptione, ulla cujuscunque pretii exactio attentetur, eandem regulam, quâ vulgare argumentum pro stabiliendis inveteratis abusibus penitùs evertitur, repetiit & expressit his verbis: » Nec sub obtentu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur; quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget. *Cap.* 8. ✠ *De Simonia.*«

Hac de causa sedulò monet Rituale Romanum sub Paulo V. » Minister Sacramenti diligenter caveat, ne in Sacramento» rum administratione aliquid quavis ex causa, vel occasione, » directè vel indirectè exigat, vel petat; sed ea gratis adminis» tret, & ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione, nedum » crimine, longissimè absit. Si quid verò nomine eleëmosynæ, » aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, à Fidelibus » *spontè* offeratur, id licitè pro consuetudine locorum minister » accipere poterit.

His conforme est decretum Synodi Provincialis Mechliniensis anni 1570. *tit. De Decimis, & Pastoribus cap.* 11. quo » Pastoribus, & quibuscunque Sacerdotibus inhibet sub pœ» na suspensionis, ne per se, vel per alium, directè, vel indi» rectè stipulentur pro Missis votivis ad piorum postulatio» nem celebrandi; sed quod eis *spontè* oblatum fuerit, ac» cipiant.

Oblationes proindè præsertim, quæ in administratione Sacramentorum, aliisque spiritualibus functionibus à Fidelibus fiunt, de sui natura, & ex mente Ecclesiæ debent spontaneæ & liberæ offerentium voluntati permitti.

Unde cùm sub initium præsentis seculi in Diœcesi Cabilonensi, Parochus prætenderet quandam viduam in anniversario Mariti sui defuncti debere offerre certam mensuram granorum, loco panum, qui in aniversariis defunctorum consueverant ibidem offerri; idque sub prætextu cujusdam transactionis cum Incolis illius loci initæ; atque Officialis Cabilonensis Viduam ad solvendam dictam granorum mensuram condemnâsset; interjecta per Viduam ab hac sententia Officialis appellatione tanquam ab abusu ad Parlamentum Diense, sententia Officialis fuit cassata; dictumque fuit nullâ specie Viduam ad solutionem dictæ mensuræ potuisse condemnari, quandoquidem oblationes debeant esse voluntariæ, non coactæ; quod autem voluntatis est, non posse redi necessitatis vi cujusdam transactionis, *quæ reddolet avaritiam.* Ita refert ex Bouvot in suis Arrestis Joannes Tornet *Lit. O, cap.* 3.

Si-

Similiter Canonici Ecclesiæ Cathedralis Engolimensis cùm convenissent incolas cujusdam Parochiæ, coram Officiali Episcopi, ut solverent annuè decem Turonenses Parocho pro vino, quod in diebus Paschalibus dabatur post Communionem, atque per sententiam Officialis Incolæ essent condemnati; interjecta rursus appellatione tanquam ab abusu, sententia Officialis per Parlamentum Regium cassata fuit; ut refert Renatus Choppinus *lib. 3. de Sacra Polit. tit.* 4. §. 11.

Et sanè cum oblationes de sui natura sint voluntariæ, & spontè offerantur, difficulter tribunalia Regia admittent, ut Laici ex diuturna consuetudine offerendi, ad oblationes faciendas præsertim in certa, ac determinata quantitate & specie constringantur; eo quòd oblationes illæ, quantumvis longa annorum serie continuatæ, semper intelligantur, juxta naturam oblationum, voluntariè & spontè factæ; neque ullam sibi crediderint per continuationem actuum obligationem in futurum injici: non magis, quàm si quædam Abbatia per plures annos alicui Familiæ Religiosæ menstruam, aut annuam alicujus grani vel panum oblationem, voluntariè & spontè offerre sine interruptione continuaret.

Unde S. Thomas docens, contingere posse, ut propter consuetudinem in præcipuis Festivitatibus teneretur quis in Altari offerre; tamen ait, etiam in hoc casu, oblationem remanere quodammodo voluntariam, scilicet quantum ad quantitatem, & speciem rei oblatæ, *tit.* 2. *quæst.* 86. *art.* 1. *in C.*

§. V.

Quæ in oblationum receptione, præsertim in Administratione Sacramentorum, observanda.

SEposito omni jure positivo, posse Parochum, aliosve Sacerdotes accipere, quod sacris functionibus peractis, populus voluntariè, ac sponte offert, ex Rituali Romano §. præcedenti vidimus; in qua oblationum receptione nonnulla a Parochis, aliisque Sacerdotibus solicitè cavenda sunt.

Primò, ne in similium oblatorum receptione tacita saltem exactio, simoniæ aut avaritiæ suspicionem ingerens, intercedat.

Tacitæ hujus exactionis frequenter sunt rei, qui verbo, aut facto arguunt avaritiæ aut inhumanitatis, qui post administrationem Sacramentorum nihil aut parum offerunt. Quis enim ambigat, quin sic agendo cogant quodammodo Fideles ad dandum, dum negando, avaritiæ, aut inhumanitatis notam sibi impingendam norunt?

Secundò solicitè cavendum, ne Sacramenta majori promptitudine, & hilaritate administrentur illis, à quibus plura offerenda sciuntur; facilè enim major illa promptitudo, & hilaritas avaritiæ turpisve quæstûs suspicionem insinuabunt.

Tertiò cavendum est, ne gratuitæ oblationes ex devotione fidelium procedentes, facilè in præceptum, & necessitatem vertantur; adeò ut si quis offerre prætermittit, avarus, imò injustus audiat.

Hinc enim continget, ut fideles vel paupertate, præsertim occultâ, vel expensarum gravitate deterriti, Sacramenta, aut non suscipiant, aut saltem diutiùs, quam oportet, differant. Quod hodie, proh dolor! non rarò circa susceptionem Viatici, & Extremæ Unctionis evenire, nimis quàm manifestum est.

Ob hæc, aliaque ex oblatorum receptione pullulantia incommoda, quæ difficulter in totum præcaventur, olim Synodus Eliberitana decrevit: » Hi, qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod » *gratis* accepit, *pretio* distrahere videatur. « Statuti illius rationem exposuit in Concilio Basileensi Julianus Cardinalis: » Apostolus præcipit ab omni *specie* mali abstinendum. Nonne *gratis* » offerre, & eleemosynam dare est pium charitatis opus? Sed » quoniam tempore Baptismi nummos projicere in concham » prætendebat *speciem* mali, emendari & abolere talem con» suetudinem jussit Ecclesia. «

Conformiter ad Synodum Eliberitanam, purioris disciplinæ zelosissimus Antistes S. Carolus *voluit*, » ne Presbyteri quacunque rem pro administratione Sacramentorum acciperent, » etiam sub obtentu eleemosynæ, ut omnem occasionem, & » notam avaritiæ adimeret; utque exactè per omnia observaret » hæc verba: *Gratis accepistis, gratis date.* Ita in ejus vita » Guissano *lib.* 8. *cap.* 4. «

Scio quidem hanc disciplinæ puritatem nec ubique vigere, nec in omnibus Ecclesiis hodie in præcepto esse, ut nimirùm Ministri non possint, jam administrato Sacramento, gratis oblata recipere; ipsa tamen Sacra ministerii functio omnes Ministros adstringit, ut in oblatorum receptione eam servent moderationem, & agendi modum, ne avaritiæ, turpisve quæstus notam incurrendo, ministerium ipsorum vituperetur, & Sacramentorum debita reverentia vilescat. Caveantque sedulò, ne liberales fidelium oblationes tandem in suspectas exactiones degenerent, quibus fiat, ut vel fideles à Sacramentorum receptione retrahantur, aut diutiùs quam convenit, differant.

§. VI.

Ex voluntate offerentium, & consuetudine aliisque titulis oblationes ad alios quàm Parochos spectare possunt.

CIrca jus ad oblationes duo apud Canonistas sun in confesso, & uno quasi consensu recepta.

Primum, de jure communi, seclusis consuetudine, & voluntate offerentium, aliove legitimo titulo contrariis, ad oblationes omnes, quæ fiunt intra limites Parochiæ, Parochum habere fundatam intentionem.

Secundum, oblationes vel ex consuetudine, privilegio, aliove titulo, ac præcipuè ex voluntate offerentium cedere posse in alterius, quàm Parochi privatum usum.

Itaque ubi » expressè vel etiam adminicularitèr & conjecturaliter constat de voluntate facientium oblationes & eleemosynas, ut ipsi Ecclesiæ seu certis usibus applicari debeant, » non autem ut ipse Rector impinguaretur, atque in privatos » usus, privatamque utilitatem convertat, tunc absque dubio » illa voluntas servari debet; eaque cuicumque juris dispositioni prævalet. « Hæc Cardinalis de Luca *Disp.* 19. *de Decimis.*

Ex hac verisimili offerentium voluntate, oblationes, quæ colliguntur, etiam in ipsis Ecclesiis Parochialibus, per Magistros Fabricæ sive Ædituos, vel Magistros Mensæ S. Spiritus, aliosve Magistros, seu Intendentes alicujus domûs pauperum, aut Orphanotrophii, vel Sacelli, aut Altaris, non cedunt Parocho, sed Fabricæ, pauperibus, Sacello, aut Altari, in quorum respectivè usum sciuntur à Magistris illis, aut Intendentibus peti, & colligi.

Similiter, quæ offeruntur in mensis, aut truncis ad recipiendas oblationes in certum usum expositis, indubiè in eum usum cedunt. Cùm enim populus sciat, eum in finem mensas, aut truncos esse expositos, oblationes suas in mensas illas, aut truncos conjiciendo, aut reponendo, sat significat, eas velle usui designato applicari.

Eodem ex capite usu ubique penè receptum, ut oblationes notabiles, & frequentes, quæ fiunt ad Imagines, vel Reliquias alicujus Sancti, ob miracula vera, vel putativa, cedere Sacello vel Oratorio, in quo Imago vel Reliquiæ quiescunt. » Omninò enim probabile est, inquit Cardinalis De Luca, *loco* » *citato num.* 11. quòd populus pro gratiis acceptis, vel speratis, » ad illam Imaginem recurrendo cum eleemosynis, & oblationibus, id agat animo donandi ipsi Imagini, & frequentius ut sumptuosa Ecclesia construatur, ac dotetur, & exornetur; non autem ad donandum Parocho, vel Episcopo seu » alteri Prælato ad privatam utilitatem. «

Si oblationes fiant in Sacello, quod habet speciales Mamburnos seu Magistros, qui curam Fabricæ & ornamentorum habeant; itemque curam ut divina ibidem officia agantur, oblationes illæ de consuetudine non Parocho, aut Ecclesiæ Parochiali, sed ipsi Sacello, ex conjecturali offerentium voluntate, cedere solent; præsertim quæ extra Altare offeruntur.

Cùm enim noverit populus, Ministros, sive Mamburnos, aut Intendentes istorum Sacellorum colligere eleemosynas sive oblationes in usum Sacellorum, populus offerendo præsumitur offerre ad intentionem colligentium.

Quin & consuetudo ferè universalis habet, ut oblationes quæ vel colliguntur extra Altare, vel fiunt in truncis per Ecclesiam, vel Sacella, vel ad certum Altare aut Imaginem dispositis, cedant vel Fabricæ, vel ad ornatum Altaris, aut Imaginis, aliumve usum, in quem ex conditione colligentium, vel inscriptione trunco imposita, vel ejus locali dispositione sciuntur colligi & peti.

Ideòque penè de solis oblationibus, quæ fiunt in Altari, & in administratione Sacramentorum, aut exequiis, vel aniversariis, sive inhumationibus defunctorum, jus aliquod Parocho competit, præsertim extra Ecclesiam suam Parochialem.

Quin & quoad has, consuetudine, aliove titulo legitimo nonnunquam obtinuit, ut oblationes etiam quæ fiunt ad Altare, aut in exequiis, vel anniversariis defunctorum, in Sacellis, aut Ecclesiis succursalibus cedant non ipsi Parocho, sed vel celebranti, vel Presbyteris & ministris Sacellorum, aut Ecclesiarum, vel etiam Fabricæ, aut alteri pio usui.

Imò & non rarò, etiam ex oblationibus, quæ in Ecclesia Parochiali fiunt ad Altare vel extra Altare, pars aliqua cedit Fabricæ; aut interdum Canonicis, aut aliis, qui Pastores primitivos se vocant.

Hæc omnia conformia sunt iis, quæ de oblationibus leguntur in Synodo Namurcensi sub Engelberto Desbois anno 1639. *tit.* 17. » Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Parochialibus, & » Capellis in iisdem constructis, ad eos pertineant, qui hactenus illas ex antiqua consuetudine perceperunt. At ubi consuetudine nihil introductum est, Pastor solus habeat oblationes, » quæ fiunt ad majus Altare & ad Altaria dictarum Capellarum

» non

» non habentium Mamburnum particularem. Si quæ verò dicta-
» rum Capellarum Mamburnum habent, oblationes soli Capellæ
» cedant, quemadmodum etiam Confraternitatibus Confraterni-
» tatum oblationes: illis exceptis, quæ, offeruntur in Altari ad
» manus celebrantis, tempore Missarum, quæ erunt Pastoris. «

Itaque quæ de Jure Parochorum ad Oblationes hactenus dicta sunt, obtinent duntaxat, quando non constat quem in usum offerentes velint suas oblationes impendi; aut saltem non constat, eos velle illas impendi in alium usum, quàm Parochi, aut Ecclesiæ Parochialis.

Si verò nec circunstantiæ determinent usum, cui verisisimiliter offerentes suas oblationes velint applicari; sed simpliciter ad honorem Dei, idque ex quadam recepta offerendi consuetudine, offerant, uti plerumque contingit in oblationibus, quæ fiunt in Officiis defunctorum, item in oblationibus, quæ fieri solent ad manum celebrantis in Festis solemnioribus; his & similibus casibus Parochus de jure communi habet fundatam intentionem ad oblationes; & nisi ostendatur consuetudo, aut privilegium, aliusve legitimus titulus contrarius, oblationes integræ Parocho competunt.

§. VII.

Quibus competat Oblationum administratio.

OBlationes, præsertim extra Ecclesiam Parochialem, item extra Altare, & administrationem Sacramentorum, non raro ex voluntate verisimili offerentium, vel inveterata consuetudine, aliove legitimo titulo spectare ad alios, quàm Parochum, præcedenti paragrapho notavimus, quod & praxis ubique passim comprobat. Quia tamen Parochus de jure communi, tanquam primarius Ecclesiæ Parochialis Minister, & totius parochiæ curam gerens, fundatam habet ad oblationes intentionem, earum administratio eidem communiter asseritur, tametsi in alios, quàm ejus privatos usus impendendæ sint.

» Administratio oblationum, etiam tali casu, quo ex volun-
» tate offerentium in alium, quàm Parochi privatum usum con-
» verti debent, ad Parochum spectare videtur, ait Barbosa de
» *Offic. Parochi part.* 3. *cap.* 24. *numer.* 30. ex eodem jure
» parochialitatis, & qua ratione oblationes spectant ad Paro-
» chum, nisi fuerint in determinatum usum datæ. «

Itaque Parochus ab administratione, & dispensatione oblationum excludendus non est, tametsi in alium, quàm Parochi usum, ex voluntate offerentium, aut consuetudine sint impendendæ.

Quinimò, etiamsi alii sint in possessione dispensationis, vel administrationis eleëmosynarum, nisi eodem titulo Parochus sit exclusus, unà cum aliis dispensationi, & administrationi superintendendi jus habet; ut scilicet, quantum fieri potest, juri communi, quod Parocho oblationum dispensationem concedit, propriùs inhæreatur.

Undè in præcitata Synodo Namurcensi dicitur: » Reddatur
» computus omnium collectarum, etiam confraternitatum, &
» quocunque alio titulo nomine fiunt, per Mamburnos in Ec-
» clesia, præsente Parocho, & Magistratu loci. «

Oblationum etiam dispensationem, etiam ad Laicos spectare posse dubitari nequit.

Neque inconveniens est, ut harum administratio sit penès Laicos; quoniam ista, uti notat De Luca loco citato; » Non
» dicitur administratio istius juris spiritualis, cujus Laici sunt
» incapaces, & de qua administratione loquuntur Sacri Cano-
» nes; dum illa consistit in ipso formali regimine, vel rectoria
» Ecclesiæ, vel Capellæ, cum administratione divinorum, illo-
» rumque actuum spiritualium explicatione, qui non nisi Eccle-
» siasticis personis conceduntur, Laicis autem interdicuntur;
» sed agitur de administratione temporali, prout facti est, qua-
» lis est custodia tam supellectilis, quàm bonorum temporalium,
» eorumque cura & œconomica administratio, ne dissipentur,
» seu in alios usus convertantur. «

Hactenus de Luca; qui ibidem variis exemplis ostendit, ubique usu esse receptum, ut etiam custodia Sacrarum Riliquiarum, aliarum imaginum, & oblationum, quæ ad eas conferri consueverunt, laicis in quibusdam Capellis, aut Confraternitatibus committatur: quia hîc agitur solummodò de administratione œconomica & merè temporali; quæ versatur v. g. circa vestimenta, & vasa sacra, ut benè custodiantur; oblationes & proventus in usus Capellæ, Altaris, aut alium, in quem ex voluntate offerentium destinatæ sunt, fideliter impendantur; nequaquam verò ut in usum Laicorum cedant, quod Sacris Canonibus vetatur; eosque oblationum eatenus percipiendarum incapaces declarant. Unde Joannes Tornet in suis Arrestis *litt. O. cap.* 4. monet, pro certo & indubitato esse tenendum, laicos nihil posse prætendere ad oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis vel Capellis, nisi sint Matricularii, Magistri Fabricæ, aut Intendentes; eo quod hæc eorum qualitas sufficienter tunc ostendat, eos non recipere oblationes in usus proprios, sed in usum Ecclesiarum, Fabricæ, Confraternitatum, &c. quarum procurationem agunt.

§. VIII.

Qui ad oblationes faciendas non admittendi.

NE peccatis, sceleribusque publicorum peccatorum Ecclesia connivere, eisque communicare videretur, eorum oblationes, & dona respuenda judicavit.

Hinc S. Ambrosius frendentibus licèt Theodosii Imperatoris Comitibus, ipsius oblationes recipere noluit, quia munera Imperatoris, ait S. Paulinus in *Vita S. Ambrosii*, qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur.

Eodem motivo Synodus Carthagin. decrevit: » Oblationes
» dissidentium fratrum neque in Sacrario, neque in gazophila-
» cio recipiantur. « Item: » Dona eorum, qui pauperes oppri-
» munt, à Sacerdotibus refutanda sunt. « Apud Gratianum *dist.* 90. *Can.* 2.

Similiter publicorum Usurariorum *oblationes à quoquam recipi vetat* Synodus Lateranensis III. *in Cap.* 3. ✠ *De Usuris.* Et Lateranensis IV. præcipit Clericis, ne Hæreticorum *eleemosynas, aut oblationes percipiant, alioquin suo priventur officio.* Cap. 13. ✠ De Hæreticis.

Hæc omnia uno decreto comprehendit, & expressit S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi IV. *part.* 2. *c.* 15. » ab iis
» oblationes ne recipiantur, ut antiquo Canone vetitum est, qui
» scilicet inter se iniquo animo dissidentes inimicitias exercent,
» qui Usurarii, meretrices, sacrilegi, raptores, quive alio no-
» mine publicè, notorièque criminosi sunt. «

Et sanè si de oblationibus, quæ fiunt inter Missarum solemnia ad Altare sermo sit, ratio, quæ publicos & notorios peccatores à publica Sacramentorum perceptione removet, etiam suadet, & impellit, ne similes peccatores ad oblationes faciendas recipiantur.

Quis enim ignorat, quòd oblatio ad Altare sit quædam cum reliquis Fidelibus, imò & ipso Sacerdote in Sacrificio communicatio, ipsa quoque ad oblationem admissio, publica quædam pacis & reconciliationis tessera sit? Neque unquam ad oblationem in Altari inter Missarum solemnia admisit Ecclesia, nisi quos pacis, & reconciliationis cum Deo participes esse credebat. Unde & moris est, ut Sacerdos recipiendo oblationes dicat, *Pax tecum*: quasi supponens, eum jam ad pacem, & communionem admitti.

Sicuti ergo ob scandalum à Sacramentorum perceptione publici peccatores repelluntur; ne si tales ad Sacramenta admitterentur, quæ non nisi reconciliatis & in pacem cum Deo receptis danda sunt, populus, qui eos publicos peccatores novit, nec ulla conversionis, & pœnitentiæ opera vidit, credat etiam similes posse Sacramentis participare: ita quoque ob simile scandalum, noluit Ecclesia ad oblationes admittere hujusmodi peccatores; ne scilicet crederetur nullâ prævià conversione, & pœnitentiâ, aut scandali reparatione, homines sceleratos, & notoriè impios *paci* restitui, & sacris Altaribus cum reliquis Fidelibus posse participare.

Nequaquam tamen dubitandum, quin majus scandalum sit, majorque indecentia, hujusmodi publicorum peccatorum admissio ad Sacramenta, quam eorumdem ad offerendum receptio: ideoque & in repulsione ab Offertorio majore circumspectione & prudentia, ac moderatione esse procedendum, quam in exclusione à Sacramentorum receptione: atque nonnunquam aliquos ad oblationes etiam in Altari inter Missarum Solemnia faciendas admittendos, qui à Sacramentis, præsertim Eucharistiæ, omninò essent repellendi.

Quinimò spectatâ modernâ Ecclesiæ disciplinâ, maximè in locis ubi hæc ab oblationibus publicorum peccatorum exclusio planè oblitterata est, Parochis, aliisque inferioribus Presbyteris consultum planè est, ut priusquam hanc tantoperè à Patribus, & Concilis probatam disciplinam, sed temporum injuriâ oblitteratam, in praxim reducant, Episcopos consulant, eorumque consilium, & judicium audiant & excipiant; ne aliàs horum adjutorio destituti non valentes perrumpere, zelo præcipiti plus subinde destruant, quam ædificent.

Interim tamen, si quis Parochus zelo disciplinæ Ecclesiasticæ, & evitandi scandali publicum peccatorem ab Altari repulisset, haud sanè ab Episcopo, ejusve Ministris arguendus esset, sed potiùs à zelo sua laudandus, & Episcopali auctoritate suffulciendus; utpote qui Sacris Canonibus hac in parte se conformaverit, & id unum egerit, quod communi Canonistarum, & Theologorum suffragio faciendum judicatur; ita ut non nisi ob duritem temporum, & conculcatam passim disciplinam consulendos prævie Episcopos esse, conveniens judicemus.

CA-

CAPUT III.

De Competentia Pastorali, sive congrua Parochorum portione.

PARAGRAPHUS I.

Quid Competentia Pastoralis, & quæ ejus origo.

EX iis, quæ capite primo hujus Tractatus dicta fuêre haud difficulter comprehendi potest origo competentiæ, sive congruæ portionis pastoralis.

Ibidem quippe notatum fuit, quòd circa seculum X. & sequentia, passim Ecclesiæ Parochiales Canonicorum & Monachorum Collegiis incorporatæ fuerint cum omnibus suis proventibus; tandemque contigerit, ut Canonici ac Monachi plerique abdicata à se cura illarum Parochialium Ecclesiarum, eam in Presbyteros, quos *Vicarios* dixêre, transtulerint; reservatis interim suis Collegiis, & Conventibus decimis, quæ primariò in sustentationem eorum, qui populo spiritualia seminant, cedere deberent, & ea intentione penduntur.

Cùm verò Ecclesia decimas aliosque proventus per hujusmodi incorporationes, aliove titulo ad Monasteria, Capitula vel similia Corpora, vel personas devolutas, Parochis, aliisque curam populi sustinentibus restituere non posset, sed pleraque Collegia, & Monasteria in decimarum possessione connivente tandem ac dissimulante Ecclesia permanserint; ne defectu sustentationis Ministrorum, cura animarum negligeretur, ordinatum fuit, ut ex decimis, & proventibus Ecclesiæ tantum ut minus detraheretur, & eorum possessores dare cogerentur, quantum curæ animarum debitè exercendæ requireretur.

Hæc portio ex decimis, aut aliis proventibus ecclesiasticis Ministris Ecclesiarum Parochialium curam sustinentibus subministranda, vocatur communiter *portio congrua*; quo nomine etiam utitur Pontifex in *Cap.* 4. *de Regularibus in VI.* quasi *congruens* illi cui assignatur, id est, proportionata ejus necessitatibus; ideoque nonnunquam *sufficiens* dicitur, tanquam sublevandis necessitatibus ejus, cui danda est, sufficiat. *Cap.* 30. ⁂ *De Præb.* Subindè congrua *sustentatio* in Clementina I. de jure Patronatus, interdum *portio competens*, Cap. 2. *De Decimis*, *in VI.* quæ omnia idem significant; nimirùm portionem debere sufficere, & congruere sustentationi Parochi, aliisque curam animarum gerentibus; quod & hodie indicatur, dum passim in Belgio vocatur *competentia Pastoralis*, id est, *portio competens* Pastoribus.

§. II.

Qualis esse debeat Competentia Pastoralis.

ALexander III. in *Cap.* 10. ⁂ *de Præb.* scribit Vigoriensi Episcopo: » Eam providentiam habeas, quod ad præsen-» tationem Monachorum nullum recipias in Vicarium Ecclesiæ » Parochialis, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ coram te » fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & » *congruam* sustentationem habere. «

Similiter Concilium Lateranense sub Innocentio III. considerans, quod in quibusdam partibus extirpandæ consuetudinis vitium inolevisset, quod Ecclesiarum Parochialium Patroni, & aliæ quædam personæ proventus ipsarum penitùs vindicantes Presbyteris earum servitiis deputatis, relinquant adeò exiguam portionem, quod ex ea nequeant *congruè* sustentari, atque inde fiat, ut in illis Regionibus penè nullus inveniatur Sacerdos Parochialis qui ullam vel modicam habeat peritiam litterarum; statuit, ut consuetudine qualibet Episcopi vel Patroni, seu cujuslibet alterius non obstante, portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur.

Alexander IV. *in Cap.* ⁂ *de Decimis*, *in VI.* » Provideri » vult per locorum Ordinarios taliterque ordinari, quod Pasto-» ribus Ecclessiarum Parochialium tantum de illarum proventi-» bus relinquatur, quod exinde competentem sustentationem » habere, & Episcopalia jura solvere valeant, aliaque debi-» ta onera supportare. «

Uno verbo, eo collimant universa Ecclesiæ decreta, ut Ecclesiarum Parochialium proventus ad Monasteria, Capitula, aliosve devoluti, nec temporum conditione patiente, ut integri proventus Parochis, cæterisque curæ animarum incumbentibus restituantur, saltem de illis tantum detrahatur, quod sustentationi Rectorum Ecclesiarum Parochialium, & oneribus sustinendis sufficiat; sive ut loqitur Synodus Trident. *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reformatione*: » Cura animarum laudabiliter exercea-» tur; « *& Sess.* 24. *cap.* 13. *de Roform.* » Tantum redigatur, » quod Rectoris, ac Parochiæ necessitati decenter sufficiat. «

§. III.

Determinatio Competentiæ dependet ab arbitrio judicis.

POrtionem congruam, sive *competentiam* pastoralem debere esse talem, quæ Presbyterorum, qui Parochialium Ecclesiarum curam agunt, ipsiusque Parochiæ necessitati decenter sufficiat, §. præcedenti vidimus.

Porrò cùm hæc insufficientia à temporum, personarum, & locorum diversitate plurimum dependeat, neque generaliter, quid sufficiat, decerni queat, sed ex plurimis factis frequenti mutationi obnoxiis judicandum sit; necesse est, ut determinatio portionis congruæ sive competentiæ pastoralis arbitrio judicis fiat; qui omnibus ritè expensis, statuat quid hic & nunc sustentationi Presbyterorum, & Parochiæ necessitati succurrendæ decenter sufficiat.

Undè Synodus Tridentina noluit determinare portionem Vicariorum etiam perpetuorum, sed » cum tertiæ partis fruc-» tuum, aut majori vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum, » portione, etiam super re certa assignanda, ibidem deputan-» dos, voluit, quo animarum cura laudabiliter exerceatur. « *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reform.*

Verùm quidem est, per Synodos, Pontifices, atque etiam Auctoritate Regia, subinde determinatum fuisse quantum Vicariis Ecclesiarum Parochialium in congruam portionem assignari oporteret; nequaquam tamen hæc determinatio ita generalis & stabilis fuit, quin ob certas temporum, locorum aut personarum circumstantias judici fas fuerit, interdum ab ea aliquantulum recedere, si viderit per determinatam portionem Parochi & Parochiæ necesitati decenter non satisfieri; nec sufficienter provideri, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur.

Hinc Synodus Mechliniensis anno 1570. taxatâ portione congruâ, seu canonicâ, addit: *Moderatione tamen Episcopi semper salvâ.* Et altera Synodus sub Hovio determinata portione congruâ ad 50. libras grossorum Flandriæ, addit: » Nisi » Episcoporum judicio Parochiæ amplitudo aliquid amplius ul-» tra 50. libras requireret. «

Observat quoque post alios Pinsonius: » Quòd hæc portio » primum constitutione Caroli IX. Regis Galliæ ad 120. libras, » omni onere liberas reduceretur: inde variis Curiæ placitis pri-» mum ad 150. producta deindè ad 200. & tandem mercium pre-» tiis excrescentibus, substractis ubique vitæ subsidiis, ad 300. » portionis congruæ assignatio excrevit. « Hæc Pinsonius *Tract. De Beneficiis*, *pag.* 242. *num.* 7.

Cùm itaque portionis congruæ determinatio à judicis arbitrio plurimùm dependeat; primò attendere debet judex tempus, & locum.

Nec enim ambigi potest, quin portio pro uno tempore & loco sustentationi Parochi, & Ecclesiæ necessitati sufficiens esse queat, quæ alio tempore & loco ob raritatem aut charitatem annonæ minimè sufficeret.

» Unde in Regionibus, in quibus est frumenti, & vini ca-» ritas, & portio congrua in pecunia assignatur, *inquit Re-» buffus*, magis augeri debet portio, quàm in locis, ubi ad-» est frumenti, & vini abundantia. « *Tract. de Portione Congrua*, *num.* 76.

Ulteriùs attendenda est Parochiæ amplitudo, & Parochorum numerus. Æquitas enim requirit, ut liberaliùs provideatur illi, qui plus laborare debet, quàm illi, qui minùs.

Deindè numerus Parochianorum, inter quos frequenter & pauperum copia non deest, sua etiam secum onera trahit. Quare Rebuffus Tractu citato *de Portione Canonica*, *num.* 71. docet, quod in assignanda portione congrua considerari debeat Beneficii locus, an sit frequens pauperum accessus.

Et in causa competentiæ Pastoralis inter Rectorem Ecclesiæ Parochialis de Reves, & Abbatissam d' Annivers Senatus Brabantiæ per sententiam interlocutoriam die 16. Januarii an. 1676. injunxit Pastori, ut exhiberet numerum familiarum, & Communicantium suæ Parochiæ, priusquam super portione congrua pronuntiaretur.

Præterea expendendi sunt Beneficii proventus, id est, utrum intra limites Parochiæ magna decimarum quantitas colligatur; quemadmodum, inquit Rebuffus, dos pro modo facultatum constituenda est, *Leg.* 99. §. 5. *num.* 69. *ff. De jure dotium.*

Et sanè dum Parochiani tantam decimarum copiam pendunt, idque primariò, ut succurratur eis, qui curam ipsorum in spiritualibus agunt; æquum planè est, ut hi etiam liberaliùs de illis participent; maximè cùm decimæ quarum hæc portio pars quædam est, jure communi ad Parochos pertineant: adeoque per liberaliorem portionis assignationem ipsæ decimæ non nisi pro majori aliqua parte ad naturales suos Dominos quodammodo reducantur.

Rectè itaque post Canonistas dicit Joannes Tornet, nullam certam ac fixam regulam in determinatione hujus portionis figi posse, sed totum dependere ab arbitrio Judicis, qui attende-

re debet qualitatem partium, situm locorum, quantitatem proventuum, amplitudinem Parochiæ, numerum Parochianorum, onera ordinaria & extraordinaria, aliasque circumstantias; ut iis expensis, prout æquum ac justum judicaverit, portionem determinet, In suis Arrestis *lit. P. Cap.* 120. quæ omnia relatis variis Arrestis Parlamentorum sententiis confirmat.

§. IV.

Portionis congruæ assignatio est favorabilis.

DEcimas excrescentes intra limites Parochiæ de jure communi spectare ad Parochum suprà notavimus. Proinde in quantum portio congrua sive competentia Pastoralis desumitur ex decimis intra limites Parochiæ excrescentibus, negari nequit, quin de jure favorabilis dicenda sit assignatio portionis congruæ; „ quia, ait Wamesius *Cons.* 452. *num.* 9. reducit hanc » rem ad suam priorem naturam; hoc est, reddit & restituit » Pastori Ecclesiæ partem decimarum, quæ olim ante privile- » gium seu præscriptionem omnes in solidum ad ipsum pertine- » bant; & nisi sub conditione seu onere præstandi hanc con- » gruam portionem alii concedi, aut præscriptione per alium » acquiri non poterant: ita ut per hanc congruæ portionis assig- » nationem non tam detrahatur possessoribus decimarum, quàm » restituantur Pastori, quod in effectu ipsi detractum fuit.“ Hæc Wamesius, cui unanimiter consentiunt Canonistæ.

Ulteriùs cùm decimæ, aliique Ecclesiarum proventus primariò debeantur in sustentationem eorum qui populo spiritualia seminat, & in vinea Domini laborant, quid favorabilius esse potest hujus portionis congruæ assignatione, quâ Parochi aliorumque in vinea Domini laborantium necessitatibus succurritur ex decimis, principaliter ex voluntate offerentium & mente Ecclesiæ Parochis aliisque in vinea Domini laborantibus debentur?

Itaque uti benè notat Rebuffus Tractatu *De Congrua portione*, *num.* 82. » Potiùs debet Judex inclinare ad partem con- » gruam Vicariorum, cùm sit favorabilis, quàm ad possesso- » rem decimarum: cùm iste laboret in agro Dominico spiritua- » lia Parochianis ministrando.“ Ex eodem principio docet *n.* 101. quòd „ si temporalia, vel alii redditus Beneficii non sufficerent » nisi Vicario, tunc præferetur Vicarius, tum quòd illud tem- » porale priùs erat patrimonium suæ Ecclesiæ, & posteà fuit » Religiosis datum, vel ab ipsis occupatum, & sic agit de dam- » no vitando, & Monasterium de lucro captando: ideò præ- » fertur Vicarii Ecclesia Monasterio; tum etiam quòd hoc sit » favorabilius, videlicet alere plebem cibis spiritualibus, ut Vi- » carius facit, & quòd bona facilè revertantur ad suam natu- » ram.“ Hæc Rebuffus, qui & *num.* 103. probat dictum Henrici Bohie: » Tolerabilius esse quòd Canonicus vel Prior egeat, » qui habet annexam curam, quàm Vicarius, qui illam exercet.“

Quibus consonat Antonius Faber in suo Codice *Tit. de Sacros. Eccles. definit.* 52. certum esse asserens » Parocho, aut » eis, qui Parochi vices gerunt, magis favendum esse, quàm » possessori decimarum quisquis ille sit, & cùm Parochus, ejus- » ve Vicarius Altari & Parochianis deserviat. Nec ad rem per- » tinebit, quòd si decimarum possessorii quantulacunque por- » tio detrahatur, futurum sit, ut non habeat ille quo se alat. » Etsi enim dici solet, non esse discooperiendum unum Altare, » ut alterum cooperiatur; priùs tamen Parocho subveniendum » est adversus decimarum possessorem, tum possessori ab ipso » Ordinario, cujus officium est providere, ne alimentorum pe- » nuriâ cogantur ii, qui Altari serviunt, Religionis cultum de- » serere.“ Hæc ille, quem sequitur Zypæus *tit. De Parochiis*, *num.* 11.

§. V.

In causa competentiæ summariè, & per provisionem procedendum est.

ASsignationem portionis congruæ, sive competentiæ pastoralis esse causam alimentorum extra dubium est.

Porrò si in causa alimentationis ex notorio jure & praxi summariè & per provisionem sit procedendum, vel magis in hac causa hîc procedendi modus servandus erit; cùm hîc non tantùm periculum sit, ne defectu alimentationis Parochus vitæ necessariis destituatur, si plenariè causa instrui, & definiri debeat, priusquam congrua portio in alimentationem assignetur, sed insuper Populus suo destituatur Parocho, & per consequens necessariis salutis subsidiis.

Hinc tanquam indubitatum tradit Rebuffus, » quòd si Pa- » rochus, aut Vicarius congruam portionem petat, & pro- » cessus tractum, & dilationem recipiat, debeat ei per modum » provisionis adjudicare provisio congruæ portionis, donec vi- » deantur jura utriusque, & alia sententia proferatur, ut in- » terim Deo servire possit, & Sacramenta Parochianis adminis- » trare. « *In Tractatu De Congrua portione, num* 54. Et in *tract. de Sententia provisionali, in præfatione, num.* 30. asserit, Curato petenti integras decimas adjudicatam fuisse à Senatu quartam partem decimarum per modum provisionis, ut interim vivere posset.

His conforme est decretum Synodi Mechliniensis ann. 1607. *tit.* 17. *cap.* 4. » Si contingat oriri aliquam difficultatem Pastori- » bus in assignanda judicio Episcopi canonica portione, iidem » Episcopi, seu eorundem Vicarii, aut Officiales, summariè » & de plano sine strepitu, & figura judicii auditâ nuda petitio- » ne Parochorum, & eorum, quorum interest responsione, & » facta desuper summaria informatione, quod ipsis Parochis de- » esse compererint, ad summam superiùs taxatam provisionis » adjudicabunt, & appellatio executionem non suspendat. «

Potest autem hæc provisionalis adjudicatio peti in qualibet parte litis, etiam post litem contestatam; imò etiam post sententiam, quæ transivit in rem judicatam, quando executio sententiæ posset habere dilationem; uti tradit Rebuffus in *tractatu De Sentent. Provis. art.* 1. *gloss.* 2. eo quòd nunquam non inhumanum sit, vel ad modicum tempus os bovi trituranti occludere.

Circa annum 1567. quidam Parochus convenit conductorem decimarum suæ Parochiæ, quæ pertinebant ad certum Abbatem commendatarium tanquam Pastorem primitivum, ut ex decimis conductis ei portionem congruam permitteret. Colonus excipiebat, hanc causam ad se non pertinere, sed Parochum debere convenire principalem Decimatorem: neque se esse sufficienter qualificatum, ut talem causam suscipiat, quæ principalem Decimatorem directè concernit; neque juribus ipsius se posse præjudicare. Hæc conductoris exceptio sat æqua videbatur; nihilominus cùm esset tempus belli & principalis Decimator extra Provinciam moraretur, & ita notabilis moræ, & dilationis fuisset, si Parochus ad Decimatorem remitteretur; justumque sit, quòd qui altari servit, de altari vivat, id est, de proventibus sive fructibus in alimentationem Parochi destinatis; Senatûs sententiâ condemnatus fuit decimarum conductor per provisionem Parocho 300. florenos solvere, salvo conductori suo recursu adversus Abbatem Pastorem primitivum. Tornet *lit. P. cap.* 126.

Ita apparet inhumanum, & odiosum, vel ad tempus Parocho suam, præcipuè cùm decimæ sufficientes non sunt, deesse congruam sustentationem.

Eundem in finem Principes nostri Albertus & Isabella in Edicto ad Synodum Mechl. *art.* 16. declarârunt suam esse mentem, ut si Ordinarii essent defectuosi in assignanda congrua portione Pastoribus, eo casu Pastores possent recurrere ad Concil. Regium suæ respectivè Diœcesis, ut super eorum querelis provideretur; præsertim per interventionem officii Fiscalis, si necesse sit. Et quidem ob hanc provisionalem adjudicationem, quæ à Regio Senatu in hac materia solet annui, causa congruæ portionis, seu competentiæ hodie coram Regio Tribunali passim ventilatur, uti infra latiùs dicetur.

§. VI.

Competentia transactione, vel conventione tolli nequit.

SOlent nonnunquam Patroni Ecclesiastici, sive Pastores primitivi, aliique Decimatores cum Parochis, seu Vicariis super congrua portione convenire.

Hæc conventio dum fit à Patronis ante institutionem Vicarii, subindè simoniaca labe laborat, uti advertit Rebuffus in *tract. de Portione congrua*, *num* 31. dum scilicet Patroni Vicarium, sive Parochum præsentare nolunt, nî promittat se ea, quam ipsi offerunt, portione velle esse contentum, neque augmentum petiturum: atque ita tacitè cedit jure suo ad majorem portionem, ut præsentationem obtineat; ipsique Patroni in effectu sibi mercantur majorem partem decimarum per hanc præsentationem, non sine manifesta simonia.

Ulteriùs, conventio, sive transactio super competentia, si fiat Decimatores inter & Vicarios privatâ auctoritate, successoribus præjudicare nequit; quin ea non obstante majorem competentiam petere queant.

Si verò transactio auctoritate Superiorum interveniente legitimè inita, & firmata fuerit, ea quidem ad successores transibit, sed nequaquam ita ipsos ligabit, quin circumstantiis notabiliter mutatis portionis congruæ augmentum petere queant.

Nulla quippe transactione, aut conventione, nulloque temporis lapsu effici potest, ut non dentur necessaria alimenta Parocho, aliisque in vinea Domini laborantibus; & contra præceptum Apostoli, *os bovi trituranti occludatur.* 1. Tim. cap. 5. vers. 18.

Cùm igitur contingere queat, ut portio aliqua sit congrua uno tempore & in certis circumstantiis, quæ alio tempore mutatis circumstantiis esset insufficiens; evidens est, transactionem, sive conventionem impedire non posse, ut portionis assignatæ augmentum petatur ita mutatis circumstantiis; nî unà velimus, con-

conventione seu transactione vel præscriptione tolli posse legem divinam, & naturalem, quæ præcipit, alimenta subministrari operariis in vinea Domini.

Unde quærens Rebuffus in præallegato tractatu, *quæst.* 12. » An congrua portio tolli possit, ait, respondeo quod non: quia » non debet ligari os bovis triturantis; & qui spiritualia seminant, » dignum est, ut temporalia metant. «

Deinde subdit: » Etiam per transactionem hæc congrua non » tolletur portio, quæ cùm sit alimentorum loco, & modico » contentus Vicarius transigere posset, ideò non tollitur per » transactionem, sicut nec alimenta. « *L. Cum hi*, ff. *de Transact.*

Quin & monet ibidem Rebuffus, quòd ille idem Vicarius, qui super portione congrua convenit, possit augmentum ejusdem petere, si notoriè appareat, illum Vicarium nunc ex illis vivere non posse.

Sicut per transactionem, sive quamcumque conventionem tolli nequit congrua portio, eo quòd necessariæ alimentationis loco sit; ita eandem ob causam nec compensatione elidi potest; » ideò, inquit Rebuffus loco citato, non fuêre auditi Decanus » & Canonici S. Marcelli volentes compensare expensas in Par- » lamento factas in congrua portione, nec potuerunt uti aliquâ » retentione pro illis contra Vicarium de Genevilliers, & ita » pronuntiavit Senatus anno 1524. die 27. Februarii. «

§. VII.

Onus assignandi portionem congruam decimis inhæret, & reale est.

IN unionibus seu incorporationibus Ecclesiarum Parochialium cum decimis, ac proventibus ad eas spectantibus, solet adjici seu intelligi hæc similiisque clausula: » Reservatâ tamen » de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventioni- » bus, pro Vicario perpetuo in eis instituendo congruâ por- » tione, ex qua idem Vicarius commodè sustentari valeat, jura » Episcopalia solvere, & alia sibi incumbentia onera suppor- » tare. « Rebuffus *ad Reg. Cancell. de Unionibus*, *gloss.* 11. *num.* 16.

Porrò sicuti Monasteria, Capitula, aliave Corpora hujusmodi Ecclesias incorporatas possidendo, perpetuò providere debent iisdem Ecclesiis de Præsbyteris, qui curam animarum ibidem exerceant; ita quoque vi hujus clausulæ non sufficit, ut semel congruam portionem Vicario assignaverint; sed etiam toties asignate tenentur, quoties Vicarius Animarum curæ incumbens illa indigebit: » nam, ut rectè notat Rebuffus, priùs » Papa vult reservari congruam portionem, postea reliquos » fructus donat & unit: ob id præferri debet prima Ecclesia » Vicarii, ut Panormitanus *in Cap. de Monachis* ✠ *De Præb.* » probat dicens: habentes Ecclesiam quoad temporali non posse » omnes redditus Ecclesiæ consumere, & sibi usurpare, sed » redditus tantùm superfluos detractâ priùs congruâ portione » Vicario seu Rectori instituendo, & pro juribus Episcopalibus. «

Itaque si semel assignata competentia, seu congrua portio perierit, vastata sit, aut mutatis temporum locorumque circumstantiis incompetens sive insufficiens inveniatur, ut Parochi, aut Parochiæ necessitatibus per eam sit provissum, vi dictæ clausulæ expressæ, vel subintellectæ, de novo competentiam, aut augmentum ex decimis, seu proventibus Ecclesiæ incorporatæ dare tenebuntur: quandoquidem proventus dictarum Ecclesiarum sub eo onere sint ipsis incorporati, ut primò Vicariis de congrua portione sit provisum: adeo ut assignatio hujus portionis non sit onus aliquod merè personale, quod uno actu, sive una assignatione portionis congruæ consumatur, at potiùs onus reale ipsis decimis, & proventibus incorporatis inhærens; vi cujus teneantur eorum possessores ad congruam portionem ex iis assignandam, quoties necessaria judicatur; uti fundis sitis ad viam, flumen, mare, incumbit onus reficiendi viam, pontes & aggeres, ut non semel tantùm teneantur, sed quoties reficiendi sunt, inquit Zypæus *Consult.* 4. *De Parochiis*, additque: » Neque primitivi Parochi aliud possunt prætendere, » quàm deducto eo onere quod excrescit. «

Cùm igitur onus illud decimis, proventibusque incorporatis inhæreat, eorum possessores huic oneri manent subjecti, quandiù decimis, proventibusque Ecclesiarum Parochialium unitarum incumbunt; nec ipsi ultronea abdicatione omnium proventuum ab eo eximuntur, exemplo possessoris fundi hippotecati pro certo redditu; qui demum liberatur, cum hippothecato fundo se exuit; quod vulgò Galli vocant *deguerpir*.

His consona declaratio Cardinalium relata ad *Cap.* 7. *Sess.* 7. *De Reformat.* » Quod si apparent certi redditus Ecclesiarum Pa- » rochialium Monasteriis unitarum, cogendos esse Religiosos de » suo portionem congruam dare Vicariis: nisi clare & eviden- » ter probent, dictas Parochiales nullos prorsus habuisse reddi- » tus, quando fuerunt Ecclesiæ suis locis prædictis unitæ. «

§. VIII.

Portio congrua debet esse sufficiens pro tot Presbyteris, quot ad curam animarum Parochiæ requiruntur.

» EPiscopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, inquit » Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reformat.* In » omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in qui- » bus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit » sufficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, & cultui » divino peragendo, cogant Rectores, vel alios ad quos per- » tinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quod suffi- » ciunt ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum cele- » brandum. «

Si Rectori, seu Parocho incumbat sibi tot Sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum, ea debet esse congrua portio sive competentia, quæ oneri illi sustinendo sufficiant; id est, sufficiat tot Sacerdotibus intertinendis.

Unde Rebuffus non dubitat, » Si Vicarius indigeat uno Sa- » cerdote, vel pluribus propter Ecclesias accessorias, quas » *succursus* vocant, tunc rationem illorum Judex habere debet, » & omninò numerus personarum necessarium considerari in hac » congrua portione solet. Undè si Vicarius Capellas annexas ha- » beat, in quibus singulis Dominicis & Festis diebus celebrare » tenetur sicut in Ecclesia principali, hoc considerandum erit: » ideò non dicitur sufficiens Beneficium, nisi sufficiat habenti, & » personis necessariis. Et sic non sufficeret hoc casu taxare pro » victu unius Sacerdotis, sed oportet habere rationem ad alios » duos, videlicet ad Sacerdotem necessarium, & ad Capellam » annexam. «

Et sanè cùm juxta Synodum Tridentinam *Sess.* 7. *cap.* 7. *De Reformat.* debeat assignari talis portio congrua, ut *animarum cura laudabiliter exerceatur*; vel ut ait *Sess.* 24. *cap.* 13. *De Reformat.* quæ *pro Rectoris ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat*, nequaquam congrua sive sufficiens erit ex mente Synodi, si non sufficiat tot intertinendis Sacerdotibus, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum; quandoquidem non sit futura sufficiens portio, ut animarum cura laudabiliter exerceatur, aut Parochiæ necessitati decenter succurratur: quia ex supposito defectu portionis congruæ, erit defectus Sacerdotum necessariorum, ut animarum cura, quæ in debita Sacramentorum administratione & cultu divino celebrando præcipuè consistit, laudabiliter exerceatur.

Ad hæc, dum Ecclesia adeo solicitè inculcat, ut ex decimis, proventibusque Parochialium Ecclesiarum incorporatarum ante omnia detur congrua portio Vicariis, qui curam earum Ecclesiarum sustinent, quid, quæso, aliud intendit, quàm providere, ne per Ecclesiarum Parochialium incorporationem, defectu temporalium, animarum cura negligatur, desintque Presbyteri, qui Parochianis spiritualia ministrare sufficiant? Igitur ex mente Ecclesiæ incorporantis Ecclesiarum Parochialium proventus est, ut ex illis portio assignetur, quæ non tantùm uni Parocho, aut Vicario sit sufficiens, sed tot Presbyteris sufficiat, quot ad animarum curam laudabiliter exercendam, & Parochianis spiritualia administranda sunt necessarii.

Potest ergo Parochus sive Vicarius perpetuus petere augmentum portionis congruæ, tametsi hæc, quam habet, sibi quidem sufficiat, sed nequaquam sufficiens sit Presbyteris quos sibi in administrandis Sacramentis, & cultu divino celebrando, ob multitudinem Parochianorum, aut latitudinem Parochiæ adjungere debet.

Cùm enim ipsi principaliter, & immediatè cura animarum totius Parochiæ incumbat, ac propterea ipsius sit, Presbyteros sibi adjungere, qui ad curam animarum debitè & laudabiliter exercendam requiruntur, etiam ad ipsum præcipuè spectat portionem congruam petere, qua Parochiæ necessitati satisfieri queat.

Hinc judicatum refert Joannes Tornet *litt. P. capite* 119. Parochum teneri Ecclesiæ succursali assignare Presbyterum, qui illi deserviat; sed Decimatores illi Presbytero nequaquam ad portionem congruam teneri, neque Presbytero jus esse eam petendi, at eam soli Vicario perpetuo, sive Parocho assignandam, qui eam Presbytero seu Capellano communicet, sive distribuat. Si tamen ipse Vicarius vel in adjungendis Presbyteris, vel in assignanda, aut petenda ipsis congrua portione esset negligens, possent Episcopi, vel Parochiani, aut etiam Presbyteri ipsi, eo casu Parochi negligentiam supplere, uti infra latiùs exponetur.

Parochus postulans portionis congruæ augmentum, ut plures sibi Presbyteros adjungere queat, hoc unum ostendere debet, quòd in Ecclesia sibi concredita, populus ita numerosus sit, ut nec ipse, nec hi, qui modò ipsi adjuncti sunt, sufficere possint Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis & cultui divino peragendo; tametsi forsan ejus Prædecessores, vel soli

vel

vel cum uno, alterove adjuncto Presbytero curam animarum sustinuerint.

Certum quippè est nec à lapsu temporis, nec horum illorumve praxi dependere, neque ex hac judicandum, quot Presbyteri ad debitè Sacramenta Ecclesiastica administranda, & cultum divinum peragendum requirantur: sed id judicandum esse juxta Regulas Evangelicas, & Ecclesiasticas, quæ non ad hominum praxim, quæ in cura animarum frequenter leviter & perfunctoriè nimis procedit, sed ad normam veritatis de labore, & difficultate in debitè administrandis Sacramentis, & Fidelibus ad ea ritè suscipienda disponendis judicant, & procedi volunt.

Parum quoque refert, num forsan Prædecessores nomen boni Pastoris in vulgo habuerint. Scitur enim quàm vulgi judicium in dijudicando, num quis bonus sit Pastor, vel malus, cæcum sit; quamque multis dici posset, quod Angelo Ecclesiæ Sardis dicit Spiritus in libro Apoc. cap. 3. *Qui nomen habes quod vivas, & mortuus es.*

Quin & si sedulò inquiretur in Parochiis illis numerosis, quarum solus Pastor, vel cum uno, alterove Presbytero curam sustinuit, non rarò summus defectus instructionis in populo, & in suscipiendis Sacramentis exigua dispositio deprehenderetur; adeo ut ad oculum pateret, quàm leve & parum fundatum sit argumentum, à praxi Pastorum, quos vulgus etiam pro bonis habuit, petitum.

§. IX.

An decimis non collectis portio congrua nihilominus solvenda sit.

MOnasteria, Capitula, aliive decimarum possessores ad assignandam Vicariis Ecclesiarum Parochialium portionem congruam adstricti, interdum certam partem decimarum Parocho in portionem congruam assignant; interdum verò, idque frequentius, certam granorum quantitatem, aut summam pecuniæ annuè solvendam addicunt.

Cùm verò contingat subinde, aut ratione sterilitatis, aut per aëris tempestatem, vel hostium incursionem & devastationem, vel nullos fructus decimabiles nasci, vel nullos colligi, quæritur, num ex hujusmodi infortuniis nullis decimis perceptis, nihilominus Parocho sua portio congrua à Decimatoribus sit solvenda.

Si in certa quantitate granorum, aut pecuniæ congrua portio assignata sit, eam nec ob fertilitatem fructuum decimabilium augendam, nec ob stirilitatem diminuendam, in communi Canonistarum opinione, & rerum judicatarum auctoritate receceptum.

Postquam in Gallia, aliisque Provinciis, ait Joannes Tournet *lit. P. cap.* 116. indultum fuit ut alii, quàm Parochi decimas Parochialium Ecclesiarum sibi attribuerent, datâ Parochis congruâ portione in eorum alimentationem, rationi congruum est, ut dicta portio solvatur sine ulla diminutione, aut moderatione ob quamcunque calamitatem hostilem, aut aeris tempestatem, quas ferre tenentur decimarum Possessores. Neque audietur decimarum conductor, qui decimas conduxit sub onere » solvendi Parocho certam granorum quantitatem, si » velit ob has calamitates assignatam quantitatem granorum » diminuere; sed recursum suum habere teneatur ad princi- » palem decimàrum possessorem, qui sub tali onere ipsi deci- » mas elocavit. Portio congrua enim est quasi quoddam debi- » tum, seu dos æstimata ad sustinendam curam Ecclesiæ, & » servitium in Altari exhibendum. « Ita judicatum per arrestum Curiæ pro quodam Parocho contra conductorem decimarum, reservato ipsi recursu contra Religiosos principales Decimatores 15. Decem. 1570.

Neque enim hæc portio in certa granorum, aut pecuniæ quantitate assignata solvitur ratione, aut cum respectu fructuum hoc illove anno emergentium; sed datur in exolutionem oneris impositi Capitulis, aut Monasteriis in ipsa unione vel incorporatione, aut translatione decimarum: adeo ut onus dandi congruam portionem, in hujus redemptionem, hæc granorum, aut pecuniæ quantitas annuatim solvenda promittitur, non ipsis decimis, quæ annuatim realiter percipiuntur, sed juri decimandi, quod in Monasterium, aut Capitulum translatum est, perpetuò inhæreat.

Itaque portio in simili quantitate assignata, sicuti ob fertilitatem fructuum non accipit augmentum, ita nec ob sterilitatem diminutionem recipere debet; eo quòd nequaquam cum respectu ad decimas hoc illove anno recipiendas determinetur, sed cum respectu ad honestam Parochi sustentationem debitam à Monasteriis, aut Capitulis aliisve ratione juris decimandi, sive colligendi decimas infra limites Parochiæ.

Et si subinde fructuum mentio fiat, à quibus designata granorum quantitas sit solvenda, illa non taxationis, sed administrationis causâ facta eensetur, uti notat Joannes Tornet *lit. P. cap.* 121. ut consequenter illis fructibus non natis, ex aliis eadem granorum quantitas exsolvenda sit, & supplenda; quemadmodum in casu non absimili cibariorum & vestiariorum legatorum respondit Scævola in *L.* 12. *ff. de Alimentis legatis*, nimirùm cibaria integra ab hæredibus solvenda esse, tametsi ex fundis, quos testator fideicomissi jure obligaverat, *ut ex redditu eorum alimenta suprascripta perciperent*, minores redditus provenerint, quàm est quantitas cibariorum, & vestiariorum.

Simili ratione si quis mediante transactione jus solvendi decimas certâ quantitate pecuniæ annuè solvenda redemerit, hæc transactio, uti rectè notat Grimaudet *lib.* 3. *de Decimis, cap.* 3. *numer.* 10. est in utilitatem vel damnum possessoris fundi eamque solvere tenetur, sive agrum suum colat, sive non; nec potest possessor fundi se à solutione eximere hâc vulgari ratione, quòd cessante causâ decimarum non teneatur solvere id quod vice decimarum promissum est: quia mediante tali transactione, omnis casus fortuitus, & evictionis ejus periculo sunt, ni fundus chasmate, aliove casu esset absorptus, & planè periisset.

Refert Renatus quoque Choppinus, ex Panormitano, Teutonicos sive Germanos pro decimis solvere annuatim certas mensuras granorum, quæ nec minuuntur, nec augentur ob quamcunque fertilitatem, aut sterilitatem, supervenientem, *lib.* 3. *de Pol. Eccles. tit.* 4. §. 4.

Quid nî igitur Monasteria, & Capitula aliique decimarum possessores, qui mediante certâ granorum vel pecuniæ quantitate jus decimandi quodammodo sibi reservant, & quasi redimunt, casum fortuitum sustineant; præsertim cum & commodum fertilitatis accipiant, nihilque ob eam Parocho accedat?

Neque decimarum illi possessores conqueri possunt, quòd nullis decimis perceptis teneantur congruam portionem, sive designatam quantitatem granorum, aut pecuniæ nihilominus pendere: quia liberum eis est, si se nimium credant gravari, decimis renuntiare, sive jus decimandi à se abdicare, Parochoque cedere; quâ abdicatione se ab onere pendendi portionem congruam in futurum liberabunt: exemplo illius, qui ratione acquisiti fundi tenetur ad censum, aut redditum annum; quem nullis licèt natis fructibus solvere tenetur, quandiu fundi illius proprietate, & possessione se non exuit; at abdicatâ à se fundi illius proprietate, & possessione, à solutione censûs, & redditûs eo ipso se eximit, dum non nisi ratione possessionis fundi ad censum, & redditum obligatur.

Et hæc quidem si portio congrua assignata sit in certa granorum, aut pecuniæ quantitate; si verò in portionem congruam Parocho relicta sive assignata sit una pars decimarum, vel jus decimandi pro certa quota, cùm eo casu habeat commodum fertilitatis, id est, majorem portionem percipiat, æquum quoque est, ut & sterilitatis incommodum sentiat.

Ad hæc, cùm Parocho certa pars fructuum, sive decimarum, quæ in Parochia colliguntur, sit assignata, decimarum possessor satisfacere videtur, si jus decimandi pro ea parte ipsi relinquat; idque ejus commodo, & incommodo. Neque enim eo casu certi fructus assignati sunt, sed jus duntaxat decimandi pro tertia, aut quarta parte.

Et ita in terminis hanc distinctionem probat Joannes Tornet loco citato post Ludovicum Charondam, *lib.* 1. *resp. cap.* 63.

Si tamen ea portio decimarum adeo sit exigua, ut Parochus ob supervenientem sæpius sterilitatem, aut decimarum aliunde devastationem onera Parochiæ sustinere nequeat, augmentum competentiæ petere posset; aut si decimarum primarius possessor portionem decimarum sufficientem esse sutineat, ipsi totum jus decimarum offerre, certamque sibi portionem congruam seu competentiam petere Parochus potest.

» Nam licèt Parochi, aut Vicarii habeant aliquam decima- » rum portionem, atque inde appareat antiquitùs facta aliqua in- » ter Pastorem primitivum, & Vicarium decimarum divisio; » nihilominus, inquit Carolus Fevret *lib. de Abusu cap.* 1. » §. 12. dimittendo suos proventus ordinarios, & portionem » decimarum Pastori primitivo, admittuntur ad petendum » portionem congruam. «

§. X.

Per unionem Beneficiorum Parochis providendum.

» IN Parochialibus Ecclesiis, ait Synodus Tridentina *Sess.*24. » *cap.* 13. *de Reform.* quarum fructus æquè adeò exigui » sunt ut debitis nequeant oneribus satisfacere; curabit Episco- » pus si per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id » fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatio- » ne, aut per Parochiarum symbola, ac collectas, aut qua » commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quòd » pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat. «

Cùm Synodus velit Ecclesiis Parochialibus, quarum fructus adeo sunt exigui, ut debitis oneribus nequeant satisfacere, per primitias, decimas, aut collectas nunc demum succurri, si per Beneficiorum unionem id fieri nequeat, sat manifestum apparet ex mente Synodi esse, ut ante omnia Parochialium Ecclesiarum necessitati per similem Beneficiorum unionem succurratur. Unde, ait Zypæus, » aliis modis providendis Ecclesiis Paro» chialibus tenuibus locus non est, quàm si per Beneficiorum » unionem id fieri non possit, etiam in alia Eccclesia funda» torum, ut satis textus insinuat, præsertim excipiendo Cu» rata & Regularia.« *Lib. 3. Cons. Canon. Consult. 4. de Parochiis.*

Hinc providendi modo prælusit postulatio Regis Galliarum facta in Concilio Tridentino, ut nimirum » Beneficia in quibus » contra Beneficiorum omnium institutionem invaluit depra» vata consuetudo, ut qui ea possident, nullo teneatur concio» nandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere ecclesiasti» co, Episcopus cum consilio Capituli his curam Beneficiis ali» quam spiritualem imponat, aut si utiliùs videatur, ea Bene» ficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat: Beneficium » enim sine officio esse neque debet, neque potest.«

Illud interim in hac Beneficiorum unione seriò advertendum, ne tot aliqua Beneficia in competentiam Parochorum uniantur, ut Parochus illorum oneribus satisfacere nequeat, saltem sine notabili in cura suæ Parochiæ, & functionibus Pastoralibus impedimento: quod faciliùs contingit, si extra Ecclesiam Parochialem Beneficia fundata sint, & in locis à Parochiali Ecclesia remotis onera Beneficiis illis annexa exsolvere debeat.

Permittit quidem Synodus Mechliniensis anni 1607. *tit. 17. cap. 3.* Episcopis non tantùm per unionem simplicium Beneficiorum, sed etiam vicinarum, & minorum Ecclesiarum, vel per concessionem deserviturarum Ecclesiis Parochialibus tenuibus providere: sed addendo, id permitti *propter idoneorum Sacerdotum raritatem per modum provissionis*, sat insinuat Synodus eam Ecclesiarum vicinarum unionem, aut Deserviturarum concessionem non probari, nisi ob temporum illorum duritiem: & quousque commodiùs, & sine incommodis, quæ ex hac Ecclesiarum unione, & Deserviturarum concessione nata sunt sequi, Ecclesiis Parochialibus tenuibus provideri queat.

Unde nullatenus ex mente Synodi est, ut Episcopi per similes uniones, & concessiones Ecclesiarum, & Deserviturarum Ecclesiis Parochialibus provideant, ut se, vel alios decimarum possessores à danda competentia eximant; & interim Parochis ita per unitas Ecclesias vel concessas Deservituras gravent, ut curam Parochiæ negligere debeant; aut saltem functionibus Pastoralibus plenè satisfacere, & sedulò incumbere in sua Parochia nequeant.

§. XI.

Quomodo ex oblationibus, & collectis Parochianorum competentia pastoralis conficienda.

SI per Beneficiorum simplicium unionem Ecclesiis Parochialibus sufficienter provideri nequeat, vult Synodus Tridentina, *Sess. 24. cap. 13. de Reformat.* » ut Primitiarum, aut » Decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola, » ac collectas, aut qua commodiori Episcopo videbitur ra» tione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ » necessitate decenter sufficiat.«

Et quidem quod ad primitias attinet, cùm hodie non alio quàm voluntariarum oblationum loco habeantur, atque inter voluntarias oblationes recenseantur, meritò in assignanda Parochorum congruâ portione, earum ante decimas ratio habetur.

Neque enim dubium, quin oblationes, & quæ oblationum nomine veniunt, magis propriè ad Parochum, quàm decimæ pertineant, uti superius notatum; & monet Zypæus *Consult. 3. de Parochiis n. 14.* ac propterea si oblationes alteri quàm Parocho competant, priùs ratione harum oblationum ad congruam portionem is tenetur, quàm decimarum possessor; ac priùs oblationes Parocho vindicandæ: quæ si non sufficiant, tum demum ad decimas recurrendum. Hoc verò intelligendum de oblationibus, quæ ex solo privilegio, aut præscriptione ad Pastores v. g. Primitivos transierunt; & quæ secluso privilegio, aut præscriptione ex voluntate offerentium & jure commini ad Parochum spectarent; qualia esse solent ea, quæ in Defunctorum inhumationibus offeri sive donari solent: secus vero de oblationibus, quæ ex voluntate offerentium in alium pium usum offeruntur. Hæ enim nullatenus in Parochorum competentiam convertendæ sunt.

Quod verò symbola, sive collectas Parochianorum attinet, vult Edictum Principum nostrorum Alberti, & Isabellæ ad Synodum Mechliniensem *art. 16.* » Ut si per media à Concilio » Tridentino suggesta Parochialibus Ecclesiis sufficienter pro» videri nequeat, Concilia Regia, & Magistratus conabuntur » per impositiones, collectas, aut alia media invenire, quæ » Episcopi judicabunt deesse ad congruam Parochorum susten» tationem«

Similiter Philippus II. in Edicto ad Synodum Cameracensem *art. 11.* considerans » in pluribus locis tenuiter admodum » Parochis de temporalibus esse provisum, nec possibile esse, » præsertim in Civitatibus, ipsis provideri de congrua, & ca» nonica portione per assignationem decimarum, aut unionem » simplicium Beneficiorum; sed necessarium esse, ut veniatur » ad tertium medium à Concilio Tridentino propositum, nimi» rùm collectas Parochianorum; quæ collectio cum fieri non » possit, ait, sine nostra auctoritate, & consensu, præcipi» mus omnibus Magistratibus, ut assistant Episcopis in reci» piendis iis, quæ desunt ad sustentationem Parochorum, in » locis, in quibus non poterit ipsis provideri per duo priora » media à dicto Concilio Tridentino proposita, usque ad sum» mam per Synodum hanc Provincialem taxatam: qui Magis» tratus supplebunt id, quod dicti Episcopi declaraverint dees» se duobus prioribus mediis ad habendam congruam susten» tationem dictorum Parochorum.«

Hæc Principum Edicta, tum etiam ordo verborum Synodi Tridentinæ sufficienter ostendunt, ad Collectas Parochianorum veniendum non esse, nisi deficientibus Benefficiis simplicibus, quorum unione Parochialibus Ecclesiis tenuibus provideri possit; ac insuper, decimis, & proventibus Ecclesiæ, ad Parochi aliorumque curam Parochiæ sustinentium sustentationem primariò destinatis, exhaustis, neque sufficientibus.

Ulteriùs Edicta Principum ostendunt, fas non esse in Belgio Episcopis, sua auctoritate populum compellere ad danda temporalia per modum collectarum, sed Regiâ auctoritate, & consensu opus esse: quod & in receptione Concilii Tridentini monuere Consilia Regia.

Cùm enim Margareta Parmensis Belgii Gubernatrix decreta Concilii Tridentini *de Reformatione* nomine Philippi II. misisset ad Senatus Regios, ad *c. 4. Sess. 11. de Reform.* quâ datur Episcopis facultas novas Parochias erigendi, & si necesse fuerit *compellendi* populum ea subministrare, quæ sufficiunt ad vitam Sacerdotum sustinendam: » Communis omnium Sena» tuum nota fuit compulsionem illam populi, & exactionem il» lam fieri non posse sine auctoritate Regia, neque hanc juris» dictionem Ecclesiasticis Judicibus unquam competiisse.« Anselmo in Triboniano Belgico.

§. XII.

Quo ordine decimarum Possessores ad portionem congruam tenentur.

DEcimas de jure communi ad Parochum spectare, ipsumque habere fundatam intentionem ad omnes decimas infra limites suæ Parochiæ excrescentes, eò quod primariò decimæ dentur ad sustentationem eorum, qui curam spiritualem populi habent, suprà *Capite* 1. hujus Tractatus ostendimus: ideoque decimæ in alios transferri non solent, nisi cum onere Parochum sustentandi, id est, ut ex iis Parocho, & aliis, qui populo spiritualia administrant, primùm de honesta sustentatione provideatur, ac tum superfluum aliis concedatur.

Verùm licèt omnibus decimis hoc titulo indifferenter onus competentiæ videatur inhærere, atque cum hoc onere ad suos transiisse possessores; tamen indubitatum est, quòd & inter decimas nonnullæ sint, quæ specialiori titulo præ reliquis huic oneri sunt subjectæ; eo quòd propriùs & specialiùs ad Parochos pertineant, ideoque & priùs quàm cæteræ decimæ ad Parochum reducendæ sunt.

Hâc ratione decimæ novales, cæteris paribus, priùs Parocho addicendæ sunt, & ad congruam portionem possessoribus exeutiendæ; quia propriè Parochorum sunt, ac difficilius quàm veteres decimæ à Parocho ad alios transferuntur, uti *Cap. 1. §. 10.* dictum fuit. Zypæus *Consult. 3. de Parochiis, num. 5.*

Quoad decimas non novales seu veteres, ante alias congruæ portioni obnoxiæ sunt, » quæ ultimo loco ab Ecclesia » Parochiali decisæ; ad eam rationem, inquit Zypæus *Con» sult. 4. de Parochiis*, quæ in donationibus inofficiosis est, » ut si à quoquam plures factæ sunt diverso tempore, & per » eas legitima liberorum læsa, ultima tantum donatio eatenus » rescindatur, quia ea sola est inofficiosa *L. 7. Cod. de Inoff. Donat.*

Ad hæc, inter decimarum Possessores ante reliquos ad congruam portionem ordinariè tenentur hi, qui dicuntur primitivi Pastores; qui solent possidere ipsas Ecclesias Parochiales incorporatas cum decimis, & Proventibus sub expressa conditione assignandi Vicario congruam portionem, si ipsi per se curam earum Ecclesiarum non habeant.

Præterea de jure communi in *Clem. 1. De Jure Patronatus*: » Diœcesanis sub obtestatione divini judicii districtè in» hi-

„ hibetur, ne præsentatum aliquem per quamcunque personam Ec-
„ clesiasticam jus præsentandi ad Ecclesiam aliquam habentem ad-
„ mittant, nisi intra certum terminum competentem per Diœcesa-
„ nos ipsos præstantibus præfigendum, ipsi præsentato fuerit co-
„ ram eis congrua de proventibus Ecclesiæ portio assignata. Quam
„ si forsan iidem præsentantes intra terminum ipsum assignare
„ neglexerint, ne factum eorum noceat Præsentato, statuitur, ut
„ ex tunc Diœcesani debeant Præsentatum (nisi aliud Canonicum
„ obstet) admittere, & in pœnam præsentantium, ad Diœce-
„ sanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur. «

Porrò Patroni Ecclesiastici ad portionem congruam suis præsentatis assignandam ideò specialiter adstringuntur, quia uti rectè notat Zypæus *citata consult. III.* rarò accidit in Ecclesiasticis, ut ipsi Parochiales Ecclesias extrunxerint, vel dotaverint, cùm res Ecclesiæ suæ alienare nequeant; & si de suo dederint, Patroni Laici nomen habent. Quare qui hodie dicuntur Patroni Ecclesiastici, & unà Ecclesiarum Parochialium, quarum sunt Patroni, decimas percipiunt, non solent esse veri Patroni; sed primitivi Pastores titulo unionis sive incorporationis dictarum Ecclesiarum; atque in ea qualitate præsentare Vicarium, cui congruam portionem eo titulo assignare tenentur.

Nec mirum nullam in dicta Clementina fieri mentionem *Pastoris primitivi*; quia, ut supra notavimus, nomen illud Primitivi Pastoris recentius est collectione Corporis Canonici quo hodie utimur; sed quos nunc Pastores Primitivos dicimus, tunc plerumque Patroni Ecclesiastici nuncupabantur.

Dubitandum tamen non est, quin interdum jus præsentandi à jure primitivi Pastoris, qui vi unionis, & incorporationis ad congruam portionem speciatim obligatur, sit sejunctum, quo casu si dubitetur, quis sit primitivus Pastor, nec de unionibus & incorporationis forma & conditionibus sat constet, ad alia indicia, & argumenta, quæ Pastoris primitivi jus innuunt recurrendum erit: v. g. si Canonici, vel Religiosi eorumve Prælati jus habeant functiones aliquas Ecclesiasticas certis diebus in Ecclesia Parochiali obeundi; Parochus ipsos, ut Superiores suos in aliquibus agnoscere teneatur: si decimas minutiores aut novales, quæ Parochis præ aliis decimis speciali titulo reservari solent, percipiant, aliàve jura exerceant, quæ primitivis Pastoribus reservari solent, de quibus suprà *cap.* 1. §. 4.

Dum igitur ex his, aliisve argumentis constat, quis sit Ecclesiæ Parochialis Pastor primitivus inter decimarum possessores, poterit Vicarius, sive Parochus contra illum directè agere ad congruam portionem, eamque integram, relictis aliis Decimatoribus; salvo regressu Pastori primitivo adversus alios decimarum possessores & ita 17. Martii 1634. in Parlamento Divinensi judicatum testatur Carolus Fevret *lib.* 6. *tract. de Abusu, cap.* 6. §. 10. Et tanquam indubitatum tradit Grimaudet *lib.* 2. *De Decimis, cap.* 8. *num.* 7. additque, » quòd si congrua portio fuisset assignata, sed sufficiens non esse deprehenderetur, » Vicarii contra Pastores primitivos agere deberent coram Episcopo, ad hoc ut condemnentur & cogantur supplere, exemplo filii, cui pater reliquit portionem suorum bonorum pro legitima; quæ si sit insufficiens, potest filius agere ad supplementum, eo quod pater nequeat filio relinquere minorem portionem quam legitimam: insuper causa Parochorum est favorabilior, quia omnes redditus Ecclesiæ Parochialis non dantur nisi ob curam animarum, quam ipsi Vicarii seu Parochi sustinent: & valdè scandalosum est in Ecclesia (in qua omnia juxta meliorem disciplinam deberent esse ordinata) quòd uni laborent, & alii otiosi manducent eorum salaria, & substantiam.“ Hæc ille monetque *num.* 14. „Monachum, vel Canonicum aliumve similem colligentem decimas in aliqua Parochia » equiparari extraneo à patre instituto hæredi, qui semper obligatus manet ad legitimam dandam, legitimo filio pauperi jure » naturali debitam. «

Neque enim eximitur Parochus primitivus ab onere solvendi portionem congruam, eo quod in ipsa incorporatione sive unione semel portionem congruam assignaverit; sed eam toties dare, vel augere tenetur, quoties contingit Vicario portionem congruam vel in totum, vel pro parte deesse, ut §. 10. latiùs ostensum fuit.

Si verò inter ipsos Decimatores non conveniat, quis sit Pastor primitivus, aut quis ante alios ad portionem congruam teneatur, omnes ad portionem congruam dandam interpellari poterunt; omnesque per provisionem respectivè pro ea parte, qua decimis gaudent, ad congruam portionem condemnari; salva ipsis ulteriori inquisitione quis eorum assignationi congruæ portionis specialiori titulo sit obstrictus, ne alias ob diuturniorem illam Decimatorum inter se disceptationem, Parocho sua interim desit sustentatio; atque ejus defectu cura animarum minùs laudabiliter exerceatur. Ita judicatum refert Charundas *lib.* 1. *Resp. cap.* 50. & novissimè in Senatu Brabantiæ pro incolis Parochiæ Gelensis contra Episcopum Antuerpiensem, Abbatissam & Conventum de Roosendael, Capitulum S. Dymphæ in dicta Parochia Gelensi, & Pastorem Gelensem Decimatores.

Cùm enim inter hos haud conveniret, quis ad congruam portionem dandam Presbyteris ad curam animarum in dicta Parochia necessariis teneretur, concluserunt dicti incolæ, ut hac controversia, & dispositione ipsis inter se decimatoribus salvâ, saltem per provisionem ad congruam portionem condemnarentur Decimatores: quam conclusionem probans Senatus Brabantiæ declaravit ad minus duos Presbyteros esse Parocho adjugendos, qui unà cum ipso functionibus Pastoralibus intenderent, quorum uni Parochus ipse ex suis Pastoralibus congruam sustentationem dare tenetur, alteri verò congrua portio centum pataconum annuè daretur à tribus aliis Decimatoribus; salvâ ipsis inter se dispositione vel conventione, quo ordine aut pro qua parte ipsi ad hanc portionem concurrere debeant.

Hanc sententiam extensam ex idiomate Flandrico in Latinum versam, ad calcem hujus Tractatus edendam credidi: eo quod plura puncta in hac materia non rarò occurrentia per eam decisa sint.

§. XIII.

An decimæ infeudatæ portioni congruæ sint subjectæ.

ORigo decimarum, quas *infeudatas* dicimus, & plerumque à laicis possidentur, aut à Laicis, Monasteriis, & Capitulis donatæ sunt, non parùm obscura est.

Verisimile est aliquas, tum à Romanis Pontificibus, tum ab Episcopis, Laicis ob servitia Ecclesiis præstita, aut præstanda quasi in feudum olim esse concessas; aliquas verò à Regibus conniventibus Ecclesiæ Prælatis donatas fuisse militibus & nobilibus ob expensas in militia sustinendas: alias à Laicis turbulentis temporibus primum etiam violentè usurpatas, ac tandem cùm eas illorum manibus eripere non possent, sub quibusdam conditionibus à Prælatis quasi in feudum concessas, & relictas fuisse, uti pluribus ostendit Thomassinus de Disciplina Eccles. *part.* 4. *lib.* 3 *cap.* 3.

Verùm cùm per hujusmodi infeudationes decimæ passim ad Laicos devenirent, quæ tamen principaliter in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ dantur, sæpiùs Laicis inhibita fuit decimarum acquisitio & retentio.

Et Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. an. 1179. ait: » Prohibemus ne Laici decimas cum animarum suarum pe-
» riculo detinentes, in alios laicos aliquo modo possint transfer-
» re. Si quis verò receperit, & Ecclesiæ non reddiderit, chris-
» tianâ sepulturâ privetur. «

Tametsi hoc decretum sat apertè improbet detentionem decimarum per laicos, nihilominus ex communi Canonistarum opinione hoc decretum occasionem dedit laicis securè & sine scrupulo decimas infeudatas retinendi, quas jam tempore illius Concilii possidebant; quasi scilicet Concilium solùm inhibuisset, ne imposterum laici decimas acciperent: atque de hoc Concilio loqui credunt Alexandrum IV. in *Cap.* 2. §. *Sane, de Decimis in VI.* ubi dicit: » Illas autem decimas intelligimus posse
» taliter à Religiosis de manibus laicorum recipi vel acquiri, quæ
» ante Lateranense Concilium ipsis Laicis infeudum perpetuò
» sunt concessæ. «

Quidquid sit de hac vulgari Canonistarum opinione, illud certum, Innocentium III. qui Alexandro III. immediatè successit, de decimis in feudum laicis perpetuò concessis sæpiùs in suis Decretalibus mentionem sine ulla earum reprehensione fecisse, in *Cap.* 7. ※ *De his, quæ fiunt à Prælato sine cons. Cap.* item *cap.* 25. ※ *De Decimis*; atque eo tempore opinionem fuisse probatam, quæ asserit decimas infeudatas ante Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. licitè & securè retineri posse; nec hodie Laicis super similium decimarum possessione nullum scrupulum movendum esse.

Illud tamen Laicis, non tantùm per dictum Concilium Lateranense III. sed etiam per Gregorium IX. *in Cap. fin de Decimis*, inhibitum erat, ne decimas illas ad alium quemcunque transferre possent, quam ad Ecclesiam illam, à qua illas in feudum acceperant.

Verùm, cùm hæc alienationis prohibitio aliquatenus videretur contra conditionem decimarum infeudatarum, quæ ex contractu & conventione ad Laicos translatæ, naturam quasi rerum profanarum videbantur induisse, paulatim hæc juris prohibitio in desuetudinem abiit.

Et quidem teste Guillielmo Benedicti ad *Cap. Raynutius, de Testamentis*, verbo, *Duas habent filias*, consuetudo in Regno Galliæ habet, „ quod si decimæ tenerentur per Laicum in
» feudum, vendi possent, etiam aliis similiter Laicis: sicut
» alia feuda.... Et de facto servatur in Francia, quod libere ven-
» duntur feuda decimarum.... Imò & hic & ubique, ait, citra
» montes ex generali consuetudine servatur, quod de talibus
» bonis testatur, sicut de Patrimonialibus, & Allodialibus. «

Porrò ut Laici hodiè securè decimas possideant, & in earum possessione auctoritate Regia manuteneantur, non requiritur, ut ipsi ostendant infeudationem antè Concilium Lateranense III. factam; sed ad probandam infeudationem sufficit dicere, se decimas tanquam infeudatas ante dictum Concilium Late-

ra-

ranense possedisse ; atque in ea possessione fuisse à tempore memoriam hominum excedente ; vel per aliqua antiqua documenta titulum præsumptivum antecedentem ostendere ; uti notat Carolus Fevret *Tract. de Abusu*, *lib.* 6. *cap.* 2. §. 2.

Cùm ergò hæ decimæ titulo feudi à Laicis hodie possideantur quasi bona patrimonialia, ut etiam ad hæredes transeant ; neque in Laicos nisi sub onere aliquo instar feudorum transierint ; non sine fudamento dubitatum fuit, num similes decimæ portioni congruæ Parochorum essent subjectæ.

Illud imprimis constat, & rerum judicatarum auctoritate firmatum est, decimas infeudatas à Laicis possessas non nisi deficientibus decimis, & proventibus ecclesiasticis in contributionem congruæ portionis subsidiariè assumi posse ; ita sæpiùs judicatum refert Brodeau in notis ad Louetium *lit. P. cap.* 8. ibidem affirmans, quòd cum anno 1633. agitaretur, num in portionem congruam decimæ infeudatæ à Laicis possessæ concurrere deberent, in hoc omnes convenisse, decimas illas, nonnisi subsidiariè omnibus Parochiæ ecclesiasticis proventibus excussis, assumendas. Idem judicatum testatur Claudius Henrys in sua Collectione Arrestorum *tom.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 27. & tanquam indubitatum tradit Zypæus *consult.* 4. *De Parochis*, *num.* 2. » Nam ad Laicos quod attinet, inquit, ad hanc » causam (congruæ portionis) non ante conveniri possunt, quàm » si proventus desint Ecclesiastici, qui ante omnes alios tenen- » tur.... Unde Laici decimarum etiam possessores ordine tan- » tùm subsidiario ad congruam portionem vocantur. « Choppin. *de S. Pol. tit.* 4. *num.* 10. Charonda s *lib.* 1. *resp.* 34. Hæc Zypæus qui & ibidem monet : » Alios plerosque Doctores astrue- » re, decimas hujusmodi omninò esse liberas, cum tanquam » patrimonialia, eàdemque immunitate possideantur. «

Et quidem cùm super hac quæstione, num scilicet decimæ infeudatæ à Laicis possessæ in contributionem portionis congruæ, saltem subsidiariè venire debeant, anno 1604. coram Regio Senatu dudum in utramque partem disceptatum esset, nihil ob opinionum varietatem concludi potuit, ipsaque quæstio indecisa mansit ; quemadmodum refert Louetius in suis Arrestis *litt. P. cap.* 60. ubi rationes utrimque productas videre licet.

Post hæc tamen non semel eâdem quæstione exortâ, frequentiùs decisum fuit in favorem Parochorum, quòd nimirùm ipsos Laicos decimarum infeudatarum possessores ad dandam portionem congruam, saltem subsidiariè convenire possent ; uti videre est apud Brodeau & Claudium Henrys locis citatis, & novissimè anno 1662. solemni arresto decisum refertur in notis recentioribus ad Le Prestre *Cent.* 1. *cap.* 13. quòd decimæ infeudatæ deficientibus ecclesiasticis subjaceant congruæ portioni.

Et sanè, si decimæ infeudatæ relevent ab Ecclesia, sive pro Domino directo recognoscant Ecclesiam, vel Monasterium, aliudve corpus ecclesiasticum ; æquum planè est, ut saltem subsidiariè in portionem congruam veniant.

Cùm enim ex illa recognitione, seu relevatione colligatur, decimas ab Ecclesia profectas esse, atque per consequens non tantùm portioni congruæ fuisse subjectas, sed quodammodo Parochis, quibus principaliter decimæ debentur, substractas ; mens Ecclesiæ aut Prælatorum eas Laicis in feudum donantium fuisse videtur, ut illas eatenus tantùm retinerent, quatenus aliundè ipsis Parochis provisum.

Si verò Dominum temporalem sive laicum agnoscant, & sub illo relevent, difficiliùs ad hunc portionem congruam etiam *subsidiariè* compellentur.

Hoc quippe casu sat verisimile est, has decimas nunquam fuisse penes Ecclesiam, nec propriè fuisse decimas Ecclesiasticas, sed planè profanas.

Cùm enim primitùs fenda & fundi censuales constituti cœperunt, Toparchæ aliique Nobiles terras suas Vasallis in feudum concedebant cum reservatione decimæ, aut nonæ partis fructuum ; cumque hæc portio fructuum annuè pendenda planè similis esset decimis Ecclesiasticis, successu temporis & hæc portio à Vasallis pendenda Dominis temporalibus, nomine decimæ infeudatæ vocari cœpit ; cùm tamen si originem spectemus, nihil commune habeat cum decimis Ecclesiasticis, nec ulla appareat ratio, cur potiùs ratione similium Laicus ad portionem congruam teneatur, quàm aliarum rerum suarum feudalium aut allodialium.

Hanc inter decimas infeudatas distinctionem in terminis observavit, & notavit Zypæus in Jure Novo *titulo De feudis num.* 3. asseritque, » Decimas verè infeudatas & Laicos Do- » minos recognoscentes, ac ante Concilium Lateranense posses- » sas, immunes esse ab oneribus Ecclesiasticis reparandarum Ec- » clesiarum & alendorum Parochorum ; non tamen illas, quæ » Dominum aliquem Ecclesiarum agnoscunt. Ideoque ad re- » parandum Ecclesiam de Watermeul damnavit Concilium Bra- » bantiæ Joannem Hoochiant 14. Julii 1598. qui sub ea Parochia » Decimas possidebat motas ab Abbate Affligemiensi. «

Declarat quoque Philippus II. in edicto ad Synodum Cameracensem *art.* 12. si probari possit, Decimas quocunque titulo ab Ecclesiasticis ad Laicos pervenisse post Concilium Lateranense celebratum sub Alexandro III. anno 1179. eas congruæ portioni Parochorum esse subjectas.

Insuper eodem edicto declaratur decimas ab Ecclesiasticis possessas in contributionem portionis congruæ venire ; tametsi olim laicales fuerint, cujuscunque sint conditionis, feudalis, aut alterius, tanquam jam reversas ad primam suam naturam.

Conformiter ad hoc edictum non tantùm in Belgio, sed & in Gallia sæpiùs judicatum est, decimas etiam infeudatas reversas ad Ecclesiam esse subjectas congruæ portioni, uti videre est apud Louëtium & ejus Commemoratorem *lit. P.* 60. & Claudium Henrys in collectione arrestorum *tom.* 1. *lib.* 1. *q.* 7. ibique dicit : » Reversionem decimarum ad Ecclesias esse fa- » vorabilem, quia reducit ad primævam earum naturam, & Ec- » siastici potiùs sua propria recuperant, quàm de novo acqui- » runt.... Itaque hodie indubitatum est, decimas infeudatas re- » versas ad Ecclesiam fieri Ecclesiasticas, & sequi communes » regulas aliarum decimarum. «

Quin & portioni congruæ obnoxias esse, tametsi titulo oneroso ad Ecclesiam reversæ sint, asserit Wamesius *Cons.* 452. *num.* 7. & id conforme esse sententiæ Senatus Parisiensis prolatæ 16. *Feb.* 1628. ex iis, quæ recitat Claudius Henrys loco citato, non obscurè colligitur.

Volunt non pauci hæc quidem procedere, si decimæ tametsi infeudatæ simpliciter ad Ecclesiam revertantur secùs si cum onere feudi, ipsumque feudum expressè reservetur : quo casu credunt eas naturam infeudatarum decimarum retinere ; atque de his esse judicandum ac si adhuc penes laicos tanquam infeudatæ mansissent ; quòd & verisimilius Zypæo apparet : *Quamvis*, ait, *edicta* nostratia *non consonent*. Resp. 2. *De Parochiis*, *num.* 6. Et sanè citatum Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem indistinctè loquitur, neque ullam distinctionem ponit ; sed generaliter decimas infeudatas à Laicis possessas, & ad Ecclesiam reversas, declarat oneri congruæ portionis esse subjectas.

§. XIV.

Portio congrua in re certa peti potest.

SYnodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 7. *De Reformatione*, injungens Ordinariis, ut Beneficia curata Monasteriis, Capitulis, aliisve Beneficiis unita annis singulis visitentur, vult, ut quidem » solicitè providere procurent, ut per idoneos Vi- » carios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ec- » clesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum » tertiæ partis fructuum, aut, majori vel minori, arbitrio » ipsorum Ordinariorum, portione etiam super re certa as- » signanda ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter » exerceatur. «

Ex hoc decreto facilè colligitur, in sustentationem Vicariorum posse quidem assignari aliquam fructuum partem ; at portionem congruam propriè non consistere in aliqua portione decimarum, cujus annui fructus incerti sunt, sed in *certa* & determinata quantitate granorum, aut pecuniæ annuè pendenda.

Hinc videmus, quòd Synodi, aut etiam Principum Edicta, cùm de portione congrua Parochorum, aut Vicariorum assignanda, vel determinanda agunt, nullibi aliquam decimarum partem assignent, sed certam & determinatam pecuniæ summam annuè pendendam.

Neque Parochi, aut Vicarii aliquam decimarum partem possidentes, dicuntur habere portionem congruam. Ut vel hinc appareat, portionem congruam propriè consistere *in re certa*, atque eum, qui obligatur ad dandam portionem congruam, eam debere *in re certa* assignare, si Vicarius aut Parochus congruam portionem petat.

Quare Vicarius, seu Parochus possidens aliquam decimarum partem, adeo ut etiam ex illa possessione præsumatur aliqua decimarum partitio antiquitùs fuisse facta inter Vicarium, & Pastorem primitivum, tamen Decimas Pastori primittivo integras remittens, ad petendam congruam portionem admittitur, inquit Carolus Fevret *lib.* 6. *de Abusu*, *cap.* 1. *paragr.* 12. notatque ibidem, quòd in Burgundia Parochus, vel Vicarius, cui adjudicatur portio congrua, non dimittat fundationes anniversariorum, sed illæ ipsi reserventur cum oblationibus cæterisque, quæ intra Ecclesiam recipiuntur.

Imò & in Gallia aliquando judicatum fuit, quòd Parocho assignatâ portione congruâ salvæ manerent non tantùm oblationes, fundationes anniversariorum & similia, verùm etiam decimæ novales, & minutiores : at anno 1636. solemni arresto declaratum fuit, ultra portionem congruam Vicario salvas quidem manere oblationes, jura quædam annua, & anniversaria : at decimas omnes etiam minutas, nec non terras & reditus, quos jure Parochiali possidebat, Pastori primitivo esse remittendas ; qui vice omnium portionem congruam assignare de-

debet. Ita videre est apud Henrys in Collectione Arrestorum *tom.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 27. & in Annotationibus *cap.* 14. *cent.* 1. Le Prestre.

Unde monet Tournet *lit. P. cap.* 120. » Notandum, quòd » Curatus accipiens portionem congruam, & canonicam non » nisi illam prætendere queat cum suâ domo Pastorali & obla- » tionibus. Tenetur autem dimittere terras amortizatas & aliud » quodvis patrimonium sub Beneficio unitum : nihilominus si » sint terræ oneratæ anniversariis, hæ illi manebunt sine dimi- » nutione suæ portionis. « Hæc ille.

Itaque liberum semper est Vicario congruam petere portionem, modò decimas, & proventus Beneficio suo annexos Pastori primitivo, aut decimarum possessori dimittere velit.

Neque dubitari potest, quin Parocho, aliisque animarum curam sustinentibus conveniat, portionem congruam super *re certa* potiùs habere, quàm decimarum partem.

Quis enim nescit, quas curas secum trahat decimarum collectio, si eas Parochus seu Vicarius per se sive familiam suam faciat ? Quæ sanè non modicum in functionibus Pastoralibus impedimentum generant.

Si verò eas aliis elocet, quàm ex ea elocatione natæ non sunt oriri difficultates, & nonnunquam contentiones cum subditis, dum ab his solutio exigenda est ? Quæ murmurationes & obloquia adversus Parochum hinc non nascitura timentur ? Dum facilè sibi persuadent in earum elocatione nimium à Parocho erigi, aut unum alteri ex quadam humana consideratione præferri ; atque hinc affectus erga Parochum diminuitur, & charitas frigescit.

Si ergo tantopere olim Sancti Patres desideraverint, ut Episcopi, & Ministri Ecclesiæ ab omni rerum temporalium cura possent esse liberi, ut liberiùs ministerio verbi & orationi instare possent, quemadmodum videre est apud Chrysostomum *Homilia* 37. *in Matthæum*, quidnî meritò Parochi cæterique curam animarum gerentes à decimarum cura & solicitudine liberabuntur, certâ eis portione annuâ in sustentationem assignatâ, quo liberiùs, & sine rerum corporalium curis & distractionibus toti possint ministerio verbi & orationi ad instar Apostolorum instantes esse. *Act. cap.* 6. *v.* 4.

§. XV.

Qui Competentiam petere possint.

DEcimas, aliosque Ecclesiæ redditus præcipuè spectare ad sustentationem eorum, qui spiritualia populo exhibent, sive ut cura animarum laudabiliter exerceatur, expeditum est.

Hinc non tantùm ex decimis & proventibus Ecclesiasticis desumendam esse portionem congruam Parocho aut Vicario perpetuo sufficientem ; sed talem, quæ & Presbyteris ad curam Parochiæ cum Parocho sustinendam necessariis sufficiat, supra §. 8. dictum fuit.

Et licèt Parocho principaliter incumbat non sibi duntaxat, sed etiam Presbyteris subsidiariis portionem congruam petere; tamen si Episcopus judicaverit propter amplitudinem & extensionem Parochiæ in aliqua Ecclesia succursali Presbyterum esse necessarium ; isque auctoritate Episcopi ibidem divina celebret, hic poterit Parocho negligente portionem congruam petere, uti judicatum refert Tournet *litt. P. cap.* 119.

Ulteriùs cum intersit Episcopi, eique incumbat providere, ut Ecclesiis Parochialibus de sufficientibus, & idoneis ministris provideatur ; imò & ipsi injungat Synodus Tridentina, ut per Beneficiorum unionem, aut primitiarum vel decimarum assignationem, aut quâ commodiori ei videretur ratione, curet, ut tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat, dubitari nequit, quin Episcopi sit, omni modo allaborare, ut congrua portio assignetur non tantùm ipsi Parocho, sed etiam tot Presbyteris, quot necessarii sunt, ut Parochiæ necessitati decenter satisfiat, & cura animarum laudabiliter exerceatur.

Denique ad portionem congruam agere possunt ipsi Parochiani : » Quia sua interest, inquit Zypæus *Consult. 6. num.* 2. » *de Parochiis*, bonum habere Pastorem ; eumque commodiùs » sint semper inventuri, si dos detur liberalis. «

Imò frequenter expediret, ut Incolæ aut Episcopus potiùs ad congruam portionem, aut ejus augmentum agerent, quàm ipse Parochus ; ne hic ex avaritia agere videatur.

Adhæc cùm populi non tantùm intersit habere bonum Pastorem, sed etiam tot Presbyteros, quot requiruntur ad curam Parochiæ laudabiliter sustinendam, si Parochus & Episcopus hujusmodi Presbyteros non assignent, eisve portionem congruam petere negligant, poterunt Incolæ pro portione congrua his Presbyteris necessaria instare : cùm injustum sit, ut Decimæ & redditus Ecclesiæ ab aliis retineantur, ac interim populus spiritualibus subsidiis privetur.

Hoc titulo nuper admissi fuêre à Senatu Brabantiæ Incolæ Gelenses ad petendam portionem congruam pro Presbyteris, qui unà cum Parocho functiones Pastorales obirent.

Et licèt Decimatores opponerent, propriè ad Vicarium Apostolicum Buscoducensem spectare Presbyteros, sive Vicarios ad curam Parochiæ necessarios designare, ipsum verò hactenus non judicâsse, eos esse necessarios ; nihilominus Senatus considerans Parochiæ illius amplitudinem atque extensionem, nec populum adeò esse numerosum, ut evidens esset, unum Rectorem non posse sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ritè administrandis, cæterisque functionibus Pastoralibus obeundis, judicavit Parocho alios duos Presbyteros adjungendos; quorum unus à Parocho, alter à reliquis decimatoribus portionem congruam acciperet : uti ex sententia ad calcem præsentis Tractatus adjecta videre licet.

§. XVI.

Quæ in competentiam seu congruam portionem imputanda sint.

REbuffus in tractatu de congrua portione *q.* 11. quærens, quæ debeant Vicario computari in congrua portione, respondet : » Omnia certa, quæ habet ratione sui Beneficii seu » Vicariæ. Et sic omnia, quæ jure suo Ecclesia habet, com- » putantur pro congrua portione : omnia verò alia, quæ non » habet jure suæ Ecclesiæ, sed extra, non ei computantur, ar- » gumento L. *In quartam*, ff. *ad legem falcid.* ubi hæres omnia, » quæ capit jure hæreditario, in quartam partem falcidiæ im- » putat ; alia verò, quæ alio jure capit, non.

Hinc ulteriùs tanquam consequens infert : » non computa- » ri ei anniversaria ratione prædictâ, & quod in his majus ha- » beat onus, & ab ipso recipitur gratiâ remunerationis, ideò » non debet ei computari in sua congrua portione : nempe si » quid ex his causis lucratus sit filius, quàm ex substantia Pa- » tris, omnia quasi jure adventitio eum lucrari vult Imperator » in *L. Scimus* §. *Repletionem*, *C. De inoff. Testam.* Sic & » cum Vicarius aliquid habet pro Missis laicorum legato in Ec- » clesia fundatis per alios quàm per fundatores, hoc habet præ- » cipuum : nec debet ei computari in sua congrua portione... » Adhæc si nobilis ob Sacellum vel ædiculam in Ecclesia cons- » tructam det pensionem Vicario, non debet computari in » congrua portione, quia hoc non habet ratione sui Beneficii, » sed Capellæ fundatæ ibi. «

Si ergo Beneficium simplex, aut aliqua fundatio auctoritate Episcopi unita sive incorporata sit Beneficio Curato, indubiè proventus illius sunt computandi in portionem congruam, quandoquidem per unionem sive incorporationem, proventus hujus uniti Beneficii vel fundationis sint facti proventus Beneficii Curati ; idque eo maximè intuitu, ut per illius proventus Parocho de congrua portione esset provisum.

Cumque per similem incorporationem Beneficium incorporatum quodammodò supprimatur, & in Beneficium Curatum, cui incorporatum est, quasi transfundatur; hinc est, quòd onera Beneficii simplicis, etiam in Beneficium Curatum transeant; & onera Beneficii Curati post incorporationem reputentur ; ac propterea Curatus ea onera tanquam sua propria subire teneatur.

Quare, ut superiùs monui, in unione sive incorporatione Beneficiorum aut fundationum attendendum, ne occasione hujusmodi incorporationum tot onera Parocho imponantur, ut necessariis suis functionibus Pastoralibus ritè fungendis minimè sufficiat. Ipse quoque Judex in determinanda portione, dum rationem proventuum Beneficiorum unitorum sive incorporatorum habet, indubiè & onerum, ratione illorum Beneficiorum unitorum Parocho incumbentium habeat necesse est.

Sed quid si Episcopus aut Patronus Ecclesiasticus ad portionem congruam adstrictus, Beneficium simplex Parocho sive Vicario conferat, citra tamen unionem sive incorporationem ipsi Beneficio Curato ; ita ut Vicarius Beneficium illud non obtineat jure sui Beneficii Curati sive Vicariæ, sed speciali titulo collationis aut præsentationis? Sane cùm detur Episcopis potestas, non tantùm per Beneficiorum unionem, primitiarum vel decimarum assignationem, aut per Parochianorum symbola ac collectas, sed quâ commodiori eis videbitur ratione, tantum redigendi, quod pro Rectoris ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat ; non apparet, cur Episcopus haud posset per simplicis Beneficii aut alicujus fundationis collationem, citra unionem seu incorporationem, Rectoris ac Parochiæ necessitati satisfacere ; atque Parochi super congrua portione postulationem excludere : maximè cùm finis congruæ portionis sit, ut Parochi & Parochiæ necessitati ita succurratur, ut cura Animarum laudabiliter exerceatur. Qui finis si per proventus Beneficii Vicario ab Episcopo aut Patrono collati habetur, cessare debent media ad finem obtinendum ordinata : præsertim cùm Beneficium illud ab Episcopo aut Patrono Vicario censeatur collatum, aut expressè conferatur, ut per illius proventus Parocho de portione congrua satisfiat. Alia ratio esse potest, si quis extraneus volens gratificari Parocho, aut Ecclesiæ

siæ Parochiali, fundationem aliquam pinguem, & onera ordinaria excedentem faciat.

Fundator quippe simili casu intendens suam in Parochum aut Ecclessiam Parochialem liberalitatem & munificentiam ostendere, non censetur eam fundationem seu ejus proventus in competentia velle computari: quia sic non tam Parocho aut Ecclesiæ Parochiali gratificari, quàm ipsis decimatoribus vel Patronis ad portionem congruam adstrictis, velle videretur.

Itaque simili casu procedunt, quæ de Sacello à Nobili aliquo in Parochiali Ecclesia fundato ex Rebuffo suprà retulimus.

§. XVII.

An in taxanda portione congrua attendendæ sint oblationes, præsertim quæ offeruntur in administratione Sacramentorum.

CUm oblationes dependeant à mera, & voluntaria Fidelium devotione, neque ulla quoad eas coactio Fidelibus imponi soleat; imò in Sacramentorum præsertim administratione omnis earum vel minima coactio speciem simoniæ, aut saltem turpis quæstûs suspicionem ingerat, duplici titulo eas ab imputatione in congruam portionem eximendas esse ratio ipsa suadet.

Si enim in portionem congruam imputarentur, ita nimirum, ut ex illis sustentationem Parochus accipere deberet, jam à mera liberalitate populi Parochi sustentatio dependeret, & quandocunque populo vel non placeret, vel non videretur, aut non esset opportunum oblationes facere, Parochus suâ destitueretur sustentatione.

Adhæc continget, quòd Parochus dum se ex oblationibus voluntariis Parochianorum debere victitare videt, facilè vitiis & desideriis Parochianorum connivebit; atque ita per hujusmodi congruam portionem nullatenus Parochi ac Parochiæ necessitati ita providevitur, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur.

Hinc non immeritò tanquam indubitatum tradit Rebuffus in prædicto Tractatu *num.* 86. oblationes, cùm sint incertæ, non computandas in congruam portionem Vicarii.

Similiter Grimaudet *lib.* 2. *de Decimis*, *cap.* 8. *num.* 29. & 30. ait: » Assignatio portionis congruæ, seu canonicæ debet » fieri de bonis certis, & patrimonialibus ipsius Ecclesiæ Paro» chialis, quæ debent assecurari ab illo, qui eam in portio» nem congruam assignat: & si evincantur in totum, aut pro » parte quocunque titulo, tenetur assignare alia bona spectan» tia ad Ecclesiam Parochialem; nec tenentur Vicarii vel Cu» rati perpetui alia bona in vicem illorum accipere. Neque » præcomputantur oblationes, quæ pertinent ad Vicarium » tanquam Altari præsidentem; neque denarii, quia ratione » particularium precum distribui solent, quia hi denarii sunt » incerti. « Atque ita frequenter judicatum esse testatur Brodeau ad Loüetium *lit. D. num.* 8.

Verùm præterquam quod oblationes voluntariæ generatim incertitudinis titulo in portionem congruam meritò non computentur, ne sustentatio Parochi à mero, & gratuito beneplacito Parochianorum dependat, multa præterea sunt, quæ suadent, ut ea, quæ in pastoralibus functionibus à populo voluntariè offeruntur, in portionem congruam minimè imputentur; neque eorum in taxanda portione congrua ratio ita habeatur, ut Parochus, aut alii curam Animarum sustinentes ex illis sustentationem accipere debeant; adeo ut si ea deficerent, Parocho, aliisque curam Animarum gerentibus sua honesta sustentatio deesset.

Si enim Sacerdotes ex oblatis in administratione Sacramentorum, aut aliis functionibus Pastoralibus necessaria ad honestam sustentationem quærere jubeantur, jam necessitate vivendi quodammodo cogente, hujusmodi oblationes si non expressè, saltem tacitè exigent.

Fiet quoque eâdem urgente necessitate, ut facilè ad sordidas atque de simonia, turpive quæstu multùm suspectas exactiones delabentur: pretexentes non esse mercedem Sacramentorum, quod alimentorum causâ Sacerdotibus datur; quo simili prætextu jam olim Episcopi aliqui orientales, teste Theodoro Balsamone, Simoniacas varias exactiones in ordinationibus tegere conabantur.

Adhæc, quis non videt, quantoperè erga sacras functiones, & Sacramenta diminuatur populi reverentia, & de eorum dignitate idea, dum vident, quod illa Sacerdotum victui subservire debeant, videanturque ea respectu Sacerdotum esse adinstar artis de pane lucrando?

Præterea dum Sacerdotes ex illis victitare debent, idque populus non ignorat, persuasum facilè populo est, quod in administratione Sacramentorum, aliisvè sacris functionibus semper aliquid offerre, & quidem pro ea conditione, qua vulgò quisque reputatur, debeat; & nî offerat, avaritiæ, aut etiam injustitiæ quandam notam se incursurum, quasi subtrahantur ea, è quibus Sacerdotes vivere debent.

Quis verò sat eloquatur, quæ inde pauperum, præsertim quorum paupertas publicè nota non est murmura, atque obloquia, quod nihil in Ecclesia *gratis* dari videatur; omnia quæ ad Sacerdotum quæstum ac pauperum oppressionem in Ecclesia appareant inventa?

Denique justum non est, ad plebis, populique gravamina indies excrescentia continuè, & sine intermissione per Ecclesiasticos adjici; quod contingit, dum Monasteria, & Capitula decimas à plebe, ac populo recipiunt, nec sufficientem ex illis, Parochis, cæterisque curam animarum sustinentibus portionem assignant; sed eos cogunt ut è mendicatis, & quasi extortis plebis oblationibus sustentationem queant; atque ita ultra decimas Parochorum sustentationi sufficientes, misera plebs ad similes oblationes sensim cogitur; cùm tamen decimis sufficientibus ab omni ulteriori contributione pro Parochi alimentatione plebs absolvi deberet.

» Quandiù decima sufficit, ait Antonius Faber ad *tit. Co*» *dicis*, *de Episc. & Cler. difinit.* 25. nihil est, quod præterea » exigi debeat à Parochianis; quia nec aliud quàm decimas, & » primitias Deus ab ominibus exigit.

Ob hæc, aliaque, quæ Sacramentorum reverentiam, & devotionem in populo nata sunt diminuere, imò, & neglectum quemdam inducere, notamque avaritiæ, turpisve quæstus, quin & simoniæ Sacerdotibus inurere; nunquam Ecclesia præscripsit, ut ex oblatis in Sacramentorum administratione Parochi suam quærere tenerentur sustentationem. Quinimò solicita de Parochorum aliorumque suorum Ministrorum sustentatione, modosque, quibus ea procuraretur, præscribens, ante omnia sedulò cavendum censuit, ut ita de sustentatione provideretur Ministris, ut tamen in Sacramentorum exhibitione exactè servaretur hoc Christi præceptum: *Gratis accepistis, gratis date.*

Patres Synodi Coloniensis (an. 1536. *p.* 8. *Can.* 1.) audiamus: » Superest, inquiunt, de victu Parochorum dispiciamus. Hinc » imprimis quod Christus docuit, & Sacri Canones maximè » seriò præceperunt, præmittendum duximus, nempè ut Sa» cramenta Ecclesiastica *gratis* ministrentur, dicente Domino: » *Gratis accepistis, gratis date.* Quam ob rem neque pro bap» tizandis, consignandisque Fidelibus, neque pro collatione » Chrismatis, vel promotionibus graduum, neque aliis Sa» cramentis distribuendis pretia quælibet vel præmia, nisi quid » voluntariè offeratur, recipienda sunt. Neminem quoque ad » quæstuosas exequias cogi, aut pro sepultura munus aut pre» tium *exigi* volumus.

Et Canone sequenti subjungit: » At cum lex divina præ» cipiat, non alligandum os bovi trituranti.... dispiciendum est » ut Parochis, Evangelii Prædicatoribus certa ac competens » subministratio victûs & vestitûs fiat, idque ad eum modum, ne » in administrandis Sacramentis quidpiam exigendo oneri sint » Parochianis.

Et alterum ejusdem Provinciæ Concilium anno 1549. *Remedio III. cap.* 10. » Quod si portio Vicariorum sit accisa, » nec sufficiat ut honestè ac decenter ex ea vivatur, & ea cau» sa sit, cur animæ negligantur, aut deseratur officium, vel ad » curas sordidas Pastor ille pro victu comparando adigatur, » mandat & decernit, ut justa portio secundum reformationem » ei de decimis Collegii, vel Monasterii bonis assignetur, sive » per Episcopum loci, sive per ejus Visitatores. «

Inter articulos, qui nomine Caroli IX. ad reformationem Ecclesiæ oblati fuêre Patribus Concilii Tridentini erat hic 16. » Ut à Sacerdotali ordine sordes omnes, & omnis avaritiæ » labes procul expellantur, nec ullo prætextu pro rebus » divinis quidquam exigatur, curet Episcopus, aut per unio» nem Beneficiorum, aut decimarum assignationem: & si id » fieri non poterit commodè, Principes provideant, ut per » Parochianorum symbola & collectas, Plebanus, & cum eo » duo aut plures Clerici habeant, unde vitam congruè tradu» cant, & hospitalitatem præbeant.

Sed & à mente Synodi Tridentinæ procul aberrare eos qui ex hujusmodi oblationibus quasi emendicatis portionem congruam conflandam volunt, decreta hac de re edita loquuntur.

Vult enim *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reform.* ut Vicariis prospiciatur *de tertia, aut majori vel minori parte fructuum* (non scabiosarum, & sordidarum obventionum) *portione etiam* super non fluxâ, & caducâ, sed *certa re assignata*; quo ab illis *Animarum cura* non mendicè, sordidè, sed *laudabiliter exerceatur.*

Neque verò in hoc decreto novi aliquid, & inauditi Synodus Tridentina constituit, sed duntaxat ab antiquo stabilita, & passim ab Auctoribus tradita, & omni æquitati consentanea confirmavit.

Nam, ut supra notatum fuit, in unionibus, seu incorporationibus Ecclesiarum Parochialium, semper in favorem congruæ portionis hæc clausula attexi consueverat: » Reservatis

» ta-

» tamen de ipsis fructibus & proventibus Beneficiorum ipsorum » pro singulis perpetuis Vicariis, portionibus, ex quibus dic- » ti Vicarii congruè sustentari valeant, & alia sibi incumbentia » onera supportare. «

Hinc Grimaudet *lib. 2. de Decimis, cap. 8. num. 29.* ait: » Assignatio congruæ portionis debet fieri super bonis certis & » patrimonialibus ipsius Ecclesiæ Parochialis. «

Ratio suffragatur, quippè si portio congrua non è certis aliquibus fructibus, ac proventibus, sed inconstantissimis, & continuè reciprocantibus obventionibus coaptanda est, igitur vita Parochorum eventualis futura est: vel dicta portio pro temporum vicissitudinibus & majori vel minori Parochianorum liberalitate indesinenter pingenda erit, ac repingenda, formanda, aut reformanda; quod enim verò Pastores ad angustias miseræ conditionis detruderet.

§. XVIII.

Honoraria Missarum in competentiam minimè imputanda.

INter oblationes planè voluntarias, atque ab arbitrio offerentium pendulas numeranda non esse Missarum honoraria suadet ipsa tremendi sacrificii dignitas, quæ omnem pactionem, aut licitationem super mercede præstanda exhorret, & Sacri Canones vehementissimè & rigorosissimè inculcant.

Prohibemus, inquit Synodus Evoracensis an. 1194. *Can. III.* » ne Sacerdos Laico ad Pœnitentiam venienti obtentu cupidita- » tis injungat ut Missas faciat celebrare; & illud etiam decrevi- » mus prohibendum, ne Sacerdos aliquis pro celebratione Mis- » sarum pretio constituto pactum ineat, sed hoc duntaxat, quod » offeretur in Missa, recipiat. «

Et in Synodo Parisiensi anno 1212. *part.* 1. *Can. XI.* Robertus Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus, ait: » Viris Ec- » clesiasticis monstrum avaritiæ extirpare volentes, auctoritate » Legationis nostræ in virtute Spiritus Sancti prohibemus, ne » pro annualibus Missarum faciendis, laici, vel alii aliquid da- » re, vel legare cogantur in testamento: & ne super his aliqua » pactio, vel exactio, vel sub aliqua specie palliata à Sacerdo- » tibus vel aliis mediatoribus fiat. «

Patres Concilii Toletani anno 1374. *Can. VI.* deplorantes, quod » aliqui Presbyteri detestandâ, & abominabili ambitione » cæcati, pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigerent, & » super hoc ac si vellent vendere rem profanam, impudenter » mercarentur, districtiùs prohibuerunt, ne aliquis Presbyter » pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam tem- » poralem; sed gratè accipiat, si aliquid per facientem Missas » celebrare oblatum sibi charitivè fuerit absque compacto, & » conventione quacunque. Qui verò contrarium fecerit, à cele- » bratione Missæ per annum noverit se suspensum, & alias pro » tam gravi excessu ad arbitrium proprii Episcopi puniendum. «

His consonans Synodus Mechliniensis an. 1570. tit. *de Decanis, cap.* 11. » Pastoribus, & quibuscunque Sacerdotibus in- » hibet sub pœna suspensionis, ne per se, vel alium directè vel » indirectè stipulentur pro Missis votivis ad piorum postulatio- » nem celebrandis; sed quod eis spontè oblatum fuerit accipiant. «

Circa idem tempus Octavius Frangipanus Mirthus Episcopus Tricaricensis Apostolicæ Sedis per Germaniam Inferiorem & Belgarum Provincias Nuntius, in suo Directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, Coloniensi præsertim Ecclesiæ accomodato, & à Sacra Facultate Lovaniensi approbato, postquam statuit, » ut » abstineant Sacerdotes à cujusvis generis mercedum conditioni- » bus, & pactis; nec quidquam pro Missis celebrandis, aut qui- » busvis aliis divinis officiis, seu orationibus exigant; « mox subjungit: » Et si quando nihil, aut aliquid minùs liberali animo » honorarii loco eis donatum fuerit, non in hoc contristentur, » minimeque aliquod indignationis dent indicium; ne de avari- » tia notentur, vel certè à turpi quæstu, vel simoniaca labe non » procul absint, dignitatemque suam ex levi causa turpissimâ » maculâ conspurcent. Quin potiùs ut ostendant se magno libe- » ralique animo gratis dare, quod gratis acceperunt, ab omni » cogitatione, & desiderio muneris, ac honorarii se semper con- » tineant; & si quando aliquid accipere cogantur, illud quam- » vis exiguum lætiori lubentiorique animo accipiant, quam pau- » percula illa Vidua æra minuta duo, quæ sola habebat, in ga- » zophilatium mittebat. «

Si ergo ex mente Ecclesiæ, ipsaque Sacrificii dignitate nihil exigi queat pro Missis celebrandis; ac id duntaxat grato animo recipi possit, quod *voluntariè* offertur, evidens est, honoraria Missarum esse annumeranda oblationibus à voluntate ac arbitrio Fidelium omninò dependentibus; ideoque planè *incertis*; super quibus portionem congruam constitui non posse apud omnes in confesso est, juxta illud Juris Consultis vulgare: *Venter non pendet ab incerto, nec patitur dilationem.* Vide D. Mean ad jus Leodiense *Observ.* 286.

Ulteriùs si Parocho, aliisve Presbyteris curam animarum sustinentibus hæc honoraria in portionem congruam assignentur, jam Missæ Sacrificium tanquam medium sustentationis esse debebit, atque ita necessitate cogente quodammodo redigentur ad classem Presbyterorum, qui, ut loquitur Bellarminus, *faciunt de celebratione Missarum artem de pane lucrando.*

Ad hæc si Parochi, eorumque Vice Pastores ex celebratione Missarum victitare jubeantur, quid inde consequens, nisi quod vivendi necessitate quasi compellente, Missæ Sacrificium modo planè mercenario tractent?

Quis enim sat deploret horrendum illum, atque mercenarium modum, quo Sacrosanctum ac tremendum illud Missæ Sacrificium indignissimè profanatur à Sacerdotibus, seu secularibus, seu regularibus, qui ex Missarum honorariis victum quærunt.

Quis non videt similes Sacerdotes passim ad domos mortuarias cursitare, ut Missarum honoraria venari possint; non secus ac mercatores pannorum, candelarum aliive ejusdem generis homines, ut merces suas elocare queant.

Nonne conspicere est, hujusmodi honorariorum aucupes instare pro Missis celebrandis, ubi pinguiora sperantur honoraria, non aliter atque opifices pro operis suis elocandis, ubi major speratur operarum retributio.

In hæc, aliaque similia verendum est, ne defectu honestæ alimentationis sensim incidant Parochi, aliive curam animarum gerentes, si in portionem congruam ex honorariis Missarum quærere cogantur.

Præterea dum Parochi, aliique curæ animarum intendentes Presbyteri ex ejusmodi scabiosis, ac propudiosis obventionibus victitare coguntur, fit, ut eorum apud plebem vilescat auctoritas, atque inter viliores reputentur.

Quis eloquatur, quam vili loco passim reputentur Presbyteri qui è celebratione Missarum victum suum quæritare jubentur? Nonne honestiores, etiam secundum mundum, dedecori sibi passim ducerent, si vel nomen duntaxat haberent, quod ex honorariis victum quærerent; imò ea est vulgaris de honorariis idea, ut ea Sacerdotibus, quos honestiores reputant, vix offerre audeant.

Denique si Pastores ex honorariis sustentationem accipere cogantur, atque consequenter honoraria Missarum in vitæ alimentationem accipere; indè continget, ut populus intelligens, Pastores Missas specialiter non offerre nisi pro illis, qui honoraria offerunt, apprehendat, Pastores non pro pauperibus, sed pro solis divitibus Sacrificium offerre, ipsumque Sacrificium potiùs pro divitibus, quam pauperibus offerri, atque Pastorem divitum, & non pauperum mediatorem esse. Quæ hinc de Pastoribus idea?

Si ergo Societatis Jesu Fundator S. Ignatius voluerit, ut » omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint se » gratis dare debere quæ gratis acceperunt, nec postulando, nec » admittendo stipendium vel eleemosynas ullas, quibus Missæ vel » confessiones, vel prædicationes, vel lectiones, vel visitationes, vel » quodvis aliud officium ex iis, quæ Societas juxta suum institu- » tum exercere potest, compensari videatur, ut sic, inquit, majori » cum libertate possit, & proximorum ædificatione, in divino » servitio procedere. « Si, inquam, hæc ordinaverit hic Sanctus, ut Sodales sui liberius, & cum majore Fidelium ædificatione in divino servitio procedere queant; an suspicabimur, quod Ecclesia Spiritu Dei animata, & directa, non tantùm permiserit, ut sui Ministri hujusmodi obventiones, & eleemosynas ultrò oblatas reciperent, sed etiam ut ex illis victitare cogerentur, cum tot obstaculorum exinde in regimine animarum, & divino servitio ritè ac dignè obeundo, orientium sequela?

Ex hactenus dictis facilè quoque est colligere, Episcopos, qui in titulum ordinationis computari sinunt Missarum honoraria, nullatenus satisfacere decreto Concilii Tridentini *Sess. 21. cap. 2. de Reform.* quo ipsis injungitur, nullum Clericum secularem ordinare, nisi ipsis constiterit, quod titulum habeat, qui ipsi ad victum honestè sufficiat.

Synodus enim in principio sui decreti declarat, se per hanc tituli requisitionem velle, ne Clerici cum Ordinis sui dedecore, cogantur defectu temporalium *mendicare, aut sordidum quæstum exercere.* Notissimum porrò est, nullos ad sordidiorem quæstum, ne dicam & mendicitatem, declinare, quam Presbyteros illos, qui ex Missarum celebratione victitare coguntur.

Imò si verum dicere liceat, credo quòd non rarò Ordini Sacerdotali per ostiariam mendicitatem minùs dedecoris inferretur, quàm per sordidam illam, ac mercenariam honorariorum aucupationem.

Et quis non fateatur, ampliùs vilescere Sacerdotum, & Sacrorum Ordinum dignitas per propudiosam illam de honorariis Missarum Fratrum Mendicantium victitationem, quam per eorumdem ostiatim institui solitam mendicitatem?

An non per hujusmodi Sacerdotes, qui è Missarum honorariis vivunt, contingit id, quod jam pridem deplanxit Alvarus Pelagius; nimirum, *tot hodie dicantur Missæ quasi quæstuariæ, ut apud populum vel Clerum Corpus Domini vilescat.*

Nonne quoque verendum, ne Sacerdotes illi è Missarum celebratione suam sustentationem quærentes, ex quadam potius consideratione temporalia, & vitæ necessaria conquirendi

causâ, quàm instinctu Spiritûs Sancti, verâque devotione ad Altare accedant.

Et sanè qui illorum Sacerdotum secularium ex illis honorariis victitantium, aut Regularium, quorum Communitates illis honorariis ex parte subsistunt, quotidie celebrandi morem & modum seriò expenderit; vereor ne cum Patribus Synodi Coloniensis ann. 1536. *p.* 2. *cap.* 10. dicere cogatur: » Terret, » nec immeritò, nos sermo Dominicus, qui vetat nos Sanc- » tum dare canibus, & margaritas nostras projicere ante porcos, » dum quosdam leviculos Sacerdotes illotis manibus, pedibus- » que, ut in proverbio est, audaciùs in hæc sacratissima Mys- » teria, quàm in profana irrumpere comperimus. Quales sunt, » qui humano affectu tantùm, & potiùs ex more quàm ex con- » suetudinis ardore ad Altare accedunt, quorum polluta est » mens & conscientia, quos meritò horrendum Evangelii exem- » plum (quod Joannis 13. legimus in hæc verba: Et postquam » accepisset buccellam, introivit in eum satanas. Et cætera quæ » sequuntur) ad meliorem vitæ frugem, altioremque tanti mys- » terii contemplationem revocaret.

An non magna cum Sacrificii irreverentia hodie conspicimus, Sacerdotes vitam otiosam, imò multis defectibus, ne dicam criminibus obnoxiam agentes, necessitate victum quærendi ex stipendiis Sacrorum quodammodo compulsos accedere ad *quotidianum* Sacrificium; non secus ferè atque opifices ad opus suum manuale lucelli causâ indies properare solent?

§. XIX.

An nulla accidentia in congruam portionem imputanda?

ACcidentia in hac materia vulgò dicuntur *obventiones*, quæ ultra certos & fixos redditus, seu proventus Beneficio Curato annexos, vel assignatos, quasi contingenter accedunt.

Hæ obventiones, sive accidentia duplicis generis sunt.

Aliæ enim sunt ex mera plebis liberalitate pendulæ, ac profluæ, nec exigi possunt; sed ob ancipitem populi favorem, ministrorum gratiositati, temporumque, ac mercaturæ prosperitati se attemperantis, aliasve circumstantias, semper sunt admodum incertæ; neque à Parochis annotari solent, sed gratiosè prout offeruntur, accipit: ideoque nec facilè ad certam summam, computatis retrò aliquot annis, reduci possint: cujus generis sunt, quæ passim in administratione Baptismi, Viatici, Extremæ-Unctionis, atque mulierum purificatione dari consueverunt; quæ nullo modo in competentiam computari posse supra ostensum est.

Alia sunt accidentia, seu obventiones, quas jam exigi quasi de jure usus vel abusus obtinuit.

Hujus generis præcipuè sunt, quæ in Sepulturis dari consueverunt; & communiter *jura funeralia* dicuntur.

Pro sepultura aliquid exigi, aut peti irreligiosum valdè, quin & simoniacum jam pridem judicarunt Patres. » Si quando » aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis (scribit ad Cons- » tantium Episcopum Mediolanensem S. Gregorius) siquidem » parentes ipsius, proximi vel hæredes pro luminaribus spon- » te quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò, » aut aliquid exigi omninò prohibemus: ne quod valdè irreligio- » sum est, aut vos de humanis videamini mortalibus gratulari, » si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo » compendium.

Hæc Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 65. & refertur apud Grat. 13. *quæst.* 12. *cap.* 12. cui consonant sequentes tres Canones in quorum tertio ex Concilio Vasensi dicitur: *Præcipiendum est secundùm Canonem auctoritatem, ut de sepulturis, & hominibus sepeliendis nihil muneris exigatur.* Quibus apertè innuit, se nihil novi præcipere, sed quo antè decretum erat, firmare.

Quin & in *Cap.* 5. ¤ *De Simonia* legitur: » Pro sepultu- » ra.... nulla cujusquam pretii exactio attentetur: nec sub ob- » tentu cujusquam consuetudinis reatum suum quis tueatur: » quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget.

Et in *Cap.* 9. ¤ *eod.* ex Concilio Lateranensi III. arguuntur, qui putabant pro sepeliendis mortuis aliquid exigi licitè posse, eò quòd » legem mortis, ait, de longa consuetu- » dine invaluisse arbitrarentur, non attendentes quòd tantò » graviora sunt crimina, quantò diutius infelicem animam te- » nuerunt alligatam.

Hinc non difficulter conficitur, Patres & Concilia supposuisse, nullam consuetudinem cujuscunque temporis has exactiones à simonia posse purgare; ideoque rectè notâsse doctissimum Notatorem in citatam Epistolam S. Gregorii: » Istam » simoniam non ideò malam esse, quia prohibita fuit; sed ideò » prohibitam, quia vitium est & prava consuetudo, avaritia, » & occasio scandali, irreligiosum quid. «

Nihilominus, hisce severissimis Canonum statutis, & Patrum sententiis quasi spretis, seu neglectis, dum consuetudine jam invaluisset, quod fideles passim pro sepultura aliquid offerrent; ipsaque Decimatorum tenacitas plures Parochos cogeret ex illis oblationibus victum quærere, sensim invaluit, ut quæ primò gratis & voluntariè offerebantur, & tanquam taliter oblata recipiebantur, tandem etiam ab invitis exigi cœperint.

Hinc praxi inducendæ non parum favisse creditur *Cap.* 42. ¤ *De Simonia*, ubi redarguntur Clerici pariter & Laici, illi quidem „quod pro exequiis mortuorum pecuniam exigerent, & » extorquerent: hi verò, quod laudabilem consuetudinem er- » ga Sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam ex » fermento hæreticæ pravitatis niterentur infringere sub præ- » textu canonicæ pietatis.

Utrique huic excessui occurrens, „ pravas exactiones fieri » prohibet, & pias consuetudines præcipit observari: statuit » que ut liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per » Episcopum loci compescantur, qui malitiosè nituntur lauda- » bilem consuetudinem immutare.

Huic decreto innixi nonnulli, cœperunt ea, quæ à fidelibus in sepulturis jam dudum gratis & spontaneè offerri consueverant, habere tanquam comprehensa sub illa laudabili consuetudine, quam observari vult citatum capitulum.

Cumque Textus dicat, per Episcopum loci veritate cognita esse compescendos, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare; indè concluserunt, quòd ad ea, quæ à fidelibus hactenus ex laudabili consuetudine fuerant ultroneè oblata, vi hujus consuetudinis continuanda etiam inviti compelli possent; atque hinc factum est, ut quæ sua origine fuerant voluntaria, paulatim facta sint necessitatis.

Cui mutationi indubiè multum contribuit Parochorum, & Sacerdotum ex hujusmodi oblatis vivendi necesitas.

Dum verò semel persuasum fuit, aliqua ex sepulturis tanquam debita peti posse, varii tituli excogitati fuêre, quibus continuò plura peterentur; conventiones, & stipulationes interponi, non sine magno populi scandalo, & pauperum sæpè incommodo, cœperunt; atque hinc frequentes populi de his gravaminibus, & scandalosis, ac scabiosis exactionibus querelæ; uti videre est in Edicto Carolino 23. Martii anno 1528.

Ut his suspectis, scandalosis conventionibus, ac stipulationibus, nec non Parochianorum querelis occurrent Episcopi, ac Civiles Magistratus, quantum temporum, ac locorum circumstantiæ, ac conditio patiebantur, certa quædam jura sepulturis danda determinârunt.

Et quidem illa majora vel minora pro conditione sepeliendi, dijudicanda ex majori vel minori pompa exteriori, aut honoratiori loco pro sepultura eligendis.

De hac determinatione loquitur Synodus Cameracensis anno 1565. *tit. De Decimis*, *cap.* 7. » In Ecclesiis, in quibus ju- » ra pastoralia vel conventione, vel auctoritate Magistratûs sunt » ordinata vel determinata, ea jura maneant, si æqua fuerint: » si minus, vel augeantur vel minuantur Episcopi ac Magis- » tratûs judicio. In quibus autem non sunt determinata, inea- » tur ratio cum eodem Magistratu, ut fiat.

Et taxa jurium funeralium Civitatis & Commitatus Namurcensis, prout illa inita & conventa est de mandato Regio cum Concilio illius Provinciæ, describitur ad calcem Synodi Namurcensis ann. 1659.

Quin in Belgio taxatio similium jurium ægrè reciperetur, & difficilius in vim illius actio contra Parochianos concederetur, nisi Regius consensus intervenerit, eo quod ejusmodi jura reputentur ut collectæ quædam, aut symbola Parochianis imposita, & post mortem ab hæredibus solvenda; imò in locum decimarum personalium, quæ plerisque in locis in desuetudinem abierunt, successisse dicuntur.

Itaque dum jura utriusque Magistratûs Ecclesiastici, & Civilis consensu determinata sunt, non amplius inter oblationes voluntarias, & à beneplacito populi totaliter pendentes recensenda sunt; sed juribus quodammodo pastoralibus fixis & certis, aut saltem ad certitudinem non difficulter reducendis annumeranda sunt.

Cum enim quisque debeat juxta taxationem certa jura solvere, illa à Parochis in libro mortuorum solent annotari: dum verò tribus, aut quatuor retrò computatis annis ferè sciri possit, quot in certa Parochia mori, & sepeliri contingat, facilè quoque statui potest, ad quam summam hæc jura ascendere possint, quia nec mors ab hominum voluntate, neque jura in morte seu sepultura danda ab eorum arbitrio pendent.

De his juribus intelligenda videtur Synodus Mechliniensis anno 1570. *tit. De Decimis*, *cap.* 1. ubi portionem congruam institui vult, computatis certis fructibus & emolumentis, ac *incertis seu accidentalibus, quæ ad certam summam communibus tribus aut quatuor annis ultimò præteritis redigi possint.*

Hæc enim jura, quia in certa quantitate quodammodo exigi possunt, & à Pastoribus annotantur tanquam jura pastoralia, inter proventus Pastorales certos aliquosque reduci possunt: at oblationes ab omnimoda, ac plena offerentium liberalitate dependentes, & ad quas exigendas nemo admittitur, nec

nec à Parochis notari consueverunt, ad hujusmodi certitudinem redigi nequeunt, ideoque nec de his Synodus intelligi potest.

Ulteriùs, quia hæc jura speciem quamdam collectarum Parochianis in sublevamen Parochi, & Parochiæ impositarum habent, rationi congruum non videtur, ut hæc Parochianis imponantur in locis, ubi decimæ Parochi, & Parochiæ necessitatibus sublevandis sufficiunt. Quia autem in pagis Decimæ prædiales sufficere solent, Synodus Cameracensis anno 1586. *tit. de Decimis, cap.* 9. » vult, ut quoad Urbes tantùm habeatur ratio eorum accidentium, quæ tribus, aut quatuor annis » simul computatis aliqualiter ad suum valorem in singulos annos reduci possunt: « eo quod in urbibus decimæ solvi non consueverint, quibus Parochis subveniri queat.

Addit insuper Synodus capite sequenti: » Si in aliquibus » locis, accidentia in æstimationem non venire jam usu re» ceptum fuerit, declarat Sacra Synodus suæ intentionis non » esse, ut ab illo usu, in præjudicium Pastorum recedatur.

Hîc non obscurè insinuat Synodus, non esse omnino ex voto, quod hæc accidentia in competentiam Pastorum imputentur; sed id potiùs ex necessitate tolerari, & admitti; cùm scilicet aliter Parochorum, & Parochiæ necessitatibus succurri nequit.

Quis enim ignorat, quàm facilè jurium illorum exactio apud populum simoniæ, aut saltem turpis quæstûs speciem imprimat; dum in singulis defunctorum sepulturis, & quidem pro singulorum conditione majora vel minora jura exigi videt?

Contentiones illæ, quæ super juribus illis inter Ecclesiasticos excitari solent, quanta in populo scandala generent, quis satis exprimet?

Hæc, aliaque in scandalum fidelium ex jurium illorum exactionibus quotidiè profluentia sat evincunt, quàm meritò Ecclesiæ, ac Reip. Magistratus junctâ manu agerent, ut quantum temporum conditio patitur, introduceretur quod in *L.* 18. *Cod. de SS. Ecclesiis* legitur: » Magna constitutio asignat mag» næ Ecclesiæ Constantinopoleos septuaginta librarum auri red» ditum, eam ob causam, ut scilicet *exequiæ sine sumptu* » *& gratis* fiant in urbe Constantinopolitana. « Et Carolus IX. in edicto Aurelianensi ann. 1560. *art.* 15. inhibuit omnibus Ecclesiastis quidquam exigere pro administratione Sacramentorum, *sepulturis*, aut alia quacunque re spirituali, non obstante prætensâ laudabili consuetudine & communi usu: permittens nihilominus cujusque discretioni offerre quod sibi videbitur. His conforme est Arrestum Senatûs Tholosani apud Papon, *lib.* 1. *tit.* 3. *art.* 7.

§. XX.

Quis sit Judex competens in materia Competentiæ.

SIve jus commune, sive Concilium Tridentinum, atque Synodos Belgicas spectemus, cognitio, & determinatio portionis ad Ordinarium loci spectat, idque etiam contra exemptos, *Cap.* 1. *de Præb. in* VI. *Clem.* 1. *de Jure Patronatus, Concil. Trid. Sess.* 7. *cap.* 7. *& Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* Ideoque etiam à senatu Regio litigantes super hac materia ad Episcopum remissi fuêre; ut videre est apud Brodeau in notis ad Louetium *Lit. C. num.* 48. Et Renatum Choppinum *lib.* 3. *de Sacr. Polit. tit.* 4. §. 8.

Verùm cùm moribus Belgii & vicinarum Provinciarum obtineat, quod Episcopi de possessorio rerum etiam spiritualium ac singulariter de possessorio decimarum non cognoscant, ideoque nec per provisionem possessionem adjudicare queant; hinc fit, ut quæstio super congrua portione seu competentia hodie passim ad judices Regios devolvatur; ut hi saltem per provisionem congruam portionem assignent.

Unde Antonius Faber in Codice *tit. de Jurisd. omnium Judicum, definit.* 18. postquam dixit de congruæ portionis debito cognoscere judicem Laicum non posse, quoniam ea res ad Ordinarii cognitionem pertinet, subjungit: » Obtinuit tamen » præsertim apud Gallos, & apud nos, ut de eo judex Lai» cus incidenter saltem & provisionaliter pronuntiet. Neque » id per usurpationem duntaxat & sine ratione, ut quidam ca» lumniantur; sed vel ob id maximè, quod cum lis super pe» titorio coram Judice Ecclesiastico magnis plerumque moras » secum trahat, permittendum non est Curionem & Parochum » laborare interim inopiâ & alimentis destitutum necessariis » animarum sibi comissarum curam, salutemque deserere. » Interest namque Principis, & Reipublicæ provideri, ne » quid tale accidat. Ideoque & ad Principem Principisque » Magistratum ea cura pertinet, non solùm si Parochus pro» bet se esse in quasi possessione percipiendæ congruæ por» tionis (qui casus nullam haberet dubitatationem, cum » etiam in beneficialibus possessorii cognitio ad Judicem » Laicum spectet, ut sæpiùs diximus) sed etiamsi nulla » possessionis ejusmodi probatio adferatur.

Eandem apud Belgas consuetudinem esse, quotidiana & notissima praxis manifestè ostendit.

Et quidem hæc sententia provisionalis, ait Brodeau loco citato, manet & executioni mandatur, donec per tres sententias conformes coram Judice Ecclesiastico petitorium plenè fuerit evacuatum: & hæc est, ait, praxis Curiæ, pluribus arrestis confirmata: notaque Officiali Curiæ Ecclesiasticæ fas non esse, pendente petitorio, Vicario minorem portionem assignare per provisionem, quam judex Regius assignaverat: & ita judicatum 12. Feb. 1637.

Ad hæc, quia decimæ infeudatæ à laicis possessæ moribus hodiernis tanquam feuda & bona profana ac patrimonialia reputantur, etiam cognitio non tantùm super possessorio sed & petitorio harum decimarum privativè ad judices Regios spectat: cumque portio congrua faciat *partem decimarum*, cognitio de portione congrua quæ prætenditur ex decimis infeudatis, omnimodò devoluta est moribus nostris ad Tribunal Regium; nec potest Judex Ecclesiasticus ullatenus cognoscere de congrua portione, si decimæ, è quibus portio petitur, à Laicis possideantur, & infeudatæ esse prætendantur. Vide latè Brodeau ad Louetium loco citato. Et Rebuffum *tract. De Portione congruæ, quæst.* 7. ubi asserit quod ann. 1557. » remissa fuit causa de Judicem Re» gium cujusdam Curati, qui petebat decimas coram Judice » Ecclesiastico & portionem congruam; à quo fuerat appellatum » tanquam ab abusu dicens decimas esse infeudatas, & abusivè » judicatum decrevit Curia. « Plura arresta similia notat Tornet *lit. P. c.* 108.

EPILOGUS

Ex Molano, Oratione de Decimis defendendis, capite finali.

ILlud postremum sit, quod per viscera misericordiæ Dei rogo Canonicorum, & Monachorum Collegia, atque Capitula, ut decimas suas non defendant sordidè contra Pastores suos; sed meminerint, primo loco eas deberi Pastoribus, ut videlicet exinde duplicem honorem, hoc est, abundantem Competentiam, ac sustentationem percipiant. Quare quod eis canonicè debetur, qui præ reliquis portant pondus diei & æstus, hoc integrè ac sine ulla molestia percipiant. Imminuatur potiùs numerus Monachorum & Canonicorum. Nimia enim absurditas est, Pastores canonica portione Viros Ecclesiasticos defraudare, quod neque vir bonus flagitare, neque ullus Episcopus tolerare potest. *Hæc Molanus.*

APPENDIX I.

Responsum Doctorum Lovaniensium in materia Competentiæ.

CASUS.

IN Pago N. quodam assignata fuit certa portio decimarum in sustentationem Pastoris, quæ intercepta Civitate Bredanâ (sub cujus territorio Pagus N. est situs) integra per Hollandos confiscata & ablata est; adeò ut ab eo tempore Pastor sustentationem suam accipere coactus sit ex voluntariis collectis, seu oblatis Parochianorum non sine magno eorum tum spirituali, tum temporali incommodo.

Quod enim animarum regimen detrimentum patiatur per hoc quod Pastor ex voluntariis oblatis subditorum vivere cogatur, facilè potest intelligi. Quid enim frequentiùs, quàm ut Parochiani voluntarias illas collectas renuant, si Pastor eorum vitiis viriliter obsistat, nec concupiscentiis consentire velit; atque ita insensibiliter fit, ut eo timore etiam perculsus Pastor, subditorum vitia aut dissimulet, aut palpet, vel etiam placentia loquatur? Quod temporale attinet, Parochianos non posse sine eorum incom-

modo, sufficientem sustentationem Parocho subministrare, hodiernæ præsertim temporum calamitates, atque gravissimæ onerum impositiones per Status Hollandiæ, per se loquuntur. His ita constitutis.

QUÆRITUR I.

AN Abbatissa & Principissa Torrensis, quæ etiam hodie in prædicto Pago retinet omnes decimas etiam novales, ad minus annuè valentes quatuor millibus florenorum, non teneatur in conscientia & ex justitia ex decimis assignare congruam portionem ipsi Pastori, non obstante quod Pastor congruam portionem olim habuerit; & an Episcopus Antuerpiensis (sub cujus Diœcesi Pagus N. continetur) non possit & debeat prædictam Abbatissam ad portionem illam congruam cogere & condemnare?

QUÆRITUR II.

AN portio congrua non debeat assignari, saltem in hoc casu, sine consideratione eorum, quæ in administratione Sacramentorum accipi possunt; quia etsi semper, ut minus speciem mali præ se ferat temporalium susceptio in administratione Sacramentorum, maximè tamen in hoc casu nata est parere scandalum propter Hæreticos, qui videntes Pastores victitare ex administratione Sacramentorum, facilè credunt & aliis persuadent, illa ad quæstum Sacerdotum esse inventa.

RESOLUTIO.

DEcimas, & oblationes ex intentione offerentium, & Ecclesiæ mente principaliter offerri in alimentationem & sustentationem Pastorum, aliorumque in vinea Domini laborantium, nemo dubitat: quare decimæ si ad alios tranferantur, non nisi cum onere sustentandi Ecclesiæ Ministros transeunt. Hinc frequentissimæ illæ adversus decimarum aliorumque proventuum Ecclesiasticorum possessores huic suo oneri non satisfacientes Conciliorum, ac summorum Pontificum querelæ.

» In quibusdam, ait Innocentius III. in Concilio Latera-
» nensi, extirpandæ consuetudinis vitium inolevit, quod Eccle-
» siarum Patroni, & aliæ quædam personæ proventus ipsarum
» sibi penitùs vindicantes, Presbyteris earum servitiis deputatis,
» relinquant adeo exiguam portionem, quod ex ea nequeant
» sustentari. Unde fit ut in his Regionibus penè nullus inveniatur
» Sacerdos Parochialis, qui ullam vel modicam habeat peritiam
» litterarum. Quare statuimus, ait, ut consuetudine qualibet
» non obstante, portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur. «
Cap. 30. ✠ *de Præbendis.*

Similem quærelam in Epist. Decretali Alexandri III. juri communi incorporata *Cap. de Monachis* ✠ *de Præbendis*, reperimus, de Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum ita gravant, ut hospitalitatem tenere non possint, ad Vigoriensem Episcopum ita scribi: » eam providentiam habeas, quod
» ad præsentationem Monachorum nullum recipias, nisi tantum
» ei de proventibus Ecclesiæ coram te fuerit assignatum, unde
» jura Episcopalia possit persolvere & congruam sustentatio-
» nem habere. «

Quibus consonat Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* statuens, ut in Parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeò exigui sunt, ut debitis oneribus nequeant satisfacere: » Curet Episcopus si per Beneficiorum unionem non tamen
» Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, aut decima-
» rum assignatione...tantum redigatur, quod pro Rectoris ne-
» cessitate decenter sufficiat. «

Ex quibus manifestum est (quod post Rebuffum aliosque Canonistas notat Zypæus *Consult.* 4. *de Parochiis*) » uniones
» Ecclesiarum non aliter fieri, quàm sub onere alendi Parochum.
» *Cap.* 3. §. 2. *de Decimis*, *in VI.* neque primitivos Parochos
» aliud prætendere posse sibi datum, quàm deducto onere quod
» excrescit. «

Cum igitur D. Abbatissa Torrensis omnes decimas etiam novales possideat in pago N. indubiè onus alendi Parochum ipsi incumbit; neque ad collectas Parochianorum veniendum est, quoadusque decimæ supersint; neque Concilium Tridentinum Parochialibus Ecclesiis per Parochianorum symbola, ac collectas, nisi in defectu decimarum provideri voluit.

Neque refert Parocho semel assignatam fuisse portionem congruam, quia, ut rursus post alios Canonistas rectè notat Zypæus *Consult.* 4. *de Parochiis*: » Patrono Ecclesiastico seu
» Parocho primitivo non sufficit semel functum esse in erectione
» novæ Parochiæ, aut unione, suo officio, asignatâ portione
» congrua; tum quia in unionibus, ut ea clausula, quæ de
» congrua Vicariorum portione agit, & jus Tridentini *Sess.* 7.
» *cap.* 7. *de Reform.* est perpetuum... tum quia munus & onus
» reale est, ut fundis sitis ad viam, flumen, mare, incumbit,
» ut non semel tantùm teneatur, sed quoties viæ, pontes, ag-
» geres reficiendi sunt: sic quoties institutis præsentatio datur,
» jubetur Ordinarius congruam ante eis portionem curare. «

Ex quibus omnibus ulteriùs concluditur, Episcopum Antuerpiensem tanquam loci Ordinarium, posse & debere cogere D. Abbatissam ut Parocho, ratione possessionis decimarum, competentem sustentatione exhibeat.

Quod secundum attinet, certum est multa eaque gravissima incommoda nata esse oriri, eo quòd Parochi ex oblatis in administratione Sacramentorum suam jubeantur quærere sustentationem.

Primò: hinc enim facilè eveniet, quod Sacramentorum Ministri ad sordidas illas, atque de simonia, turpique quæstu multum suspectas exactiones, per Canones tantopere reprobatas, delabentur; prætexentes non esse mercedem Sacramenti, quod alimentorum gratiâ Parocho datur.

Ulteriùs: si Sacerdotes ex Sacramentis sua debeant expectare necessaria; contingit, ut necessitate cogente ea gratis exhibere nequeant: quo natum est fieri, ut omnem notam, ac suspicionem simoniæ, præsertim apud rudem populum ægrè evadant.

Adhæc, quis ambigat quin populi erga divina mysteria vilescat reverentia, ac devotio, dum ea non nisi mediante temporali sibi exhiberi conspiciunt? Quinimò dubitari nequit, quin exindè Sacramentorum neglectus non rarò oriatur in populo: quid enim ratione & experientia evidentius, quàm ea à multis facilè in neglectum venire, ex quibus nulla temporalia commoda sperantur, nec tamen sine temporali detrimento obtinentur.

Ecquis sufficiet edicere, quæ exinde pauperum, præsertim quorum paupertas publicè non innotescit, murmura, atque obloquia, quod defectu temporalium ad Sacramenta, sine paupertatis suæ publicatione, aut summo in temporalibus incommodo, accessum sibi haud parere conspiciant?

Adhæc, quâ justitiâ Parochiani, qui Parochorum sustentationi decimas plus quàm sufficientes persolvunt, rursus ad nova, & scabiosa onera constringuntur? Non illa profectò est Ecclesiæ intentio; hinc in nullo Pontificis aut Concilii decreto, in quo de congrua sustentatione Parochis assignanda tractatur, de oblatis in administratione Sacramentorum mentio occurrit: sed ubique generaliter præcipitur, *ut tantum ex decimis Parochis relinquatur, quod exinde competentem sustentationem habere & Episcopalia jura persolvere valeant, aliaque onera debita supportare,* ut loquitur Pontifex *in cap.* 2. *de Decimis, in VI.* Quin & ipsa Synodus Tridentina Parochorum sustentationi per locorum Ordinarios provideri mandans, non nisi deficientibus decimis ad collectas procedendum judicâvit.

Concilia verò, aut Pontifices, si quando in Sacrorum administratione offerri consueta titulo sustentationis nonnunquam exigi permiserunt; id non voluntate, sed duritiâ Monasteriorum, aut Capitulorum decimas in sustentationem Presbyteri dimittere nolentium factum fuisse, rectè notat Christianus Lupus: cujus ea de re hic est discursus.

» Quæstio est, ait *Diss. proœm. ad tom.* 3. *Schol. cap.* 7.
» an istam toties & adeò graviter de Simonia damnatam, seu
» ante, seu post administrationem Sacramentorum exigendi con-
» suetudinem purgare potuerit Innocentii III. Synodus Latera-
» nensis Can. LXVI. ac probare? Respondeo, inquit, à cunctis
» disciplinæ Ecclesiasticæ Directoribus optari ut Ecclesia in avita
» castitate ac sanctimonia mansisset, Cordis nostri duritia extorsit
» aliud permitti, duritia illa, quam apud Rogerum Hevenden-
» sem dicunt decreta Abrincensis in Normandia Synodi, factæ
» per Cardinales Albertium, ac Theodinum, Legatos Ale-
» xandri III. de exactionibus pro Baptismo nihil perfectum est,
» quia Episcopi Normandiæ decretum recipere noluerunt. Uti-
» que decretum, quo quid in Baptismo exigi vetabatur. Latiùs
» hæc referunt Joannes Promptonus Abbas Jornalensis, & Ger-
» vasius Cantuariensis. Similes in omni Gallia Episcopos reperit
» Gualo Cardinalis, qui vel ipsi vel ipsorum Cathedralia, aut
» Collegiata Capitula possidebant Parochialium Ecclesiarum de-
» cimas, ideoque volebant de ipsis splendidè vivere, & miseros
» Parochos esurire, atque ita cogi ad victitandum de solis obla-
» tionibus, aut exactionibus Sacramentorum. Crevit assiduè ma-
» lum, & sinâ extirpante manu validius reperit landatus Inno-
» centius: Hinc Episcopos, & alios Parochialium decimarum
» possessores ad plenam Parochorum sustentationem cogere non
» valens, antiquam spontaneæ in Baptismo & quibusvis Sacra-
» mentis oblationis consuetudinem admisit in legem, ac neces-
» sitatem, permisitque exigi: at post datum gratis Sacramentum
» non sacri ministerii, sed clericalis alimentationis titulo per
» debitæ eleemosynæ medium fit exactio ista, atque ita pura
» est à lepra simoniæ. Attamen Episcopi, & alii jam dictas deci-
» mas possidentes Prælati, eorumque Capitula, ac Monasteria
» rigidum coram Deo onus portant dandæ Parochis sustentationis
» integræ, & miseras plebes liberandi ab exactionibus variis, sus-
» pectis, & offensivis, ad quas isti à paupertate coguntur. «

Ex

Ex quibus omnibus licèt non difficulter appareat justitiæ, æquitatique parum esse consonum, unquam in portionis congruæ assignatione rationem habere oblatorum in Sacramentorum administratione, præsertim decimis sufficientibus, id tamen, vel maximè locum habet in casu occurrenti, propter scandalum Hæreticorum, de quo in ipso quæsito.

Profectò si S. Carolus, ut refert Glossanus *lib.* 8. *c.* 4. noluerit, ut »Presbyteri quamcunque rem pro administratione »Sacramentorum accipere, etiam sub obtentu eleemosynæ; ut »omnem occasionem, ac notam avaritiæ adimeret, utque »exactè per omnia observarent hæc verba: *Gratis accepistis, »gratis date*, « majori profectò jure loci Ordinarius inhiberet Parocho Pagi N. ut propter Hæreticorum scandalum, etiam gratis oblata in Sacramentorum administratione recusaret. Ita resolutum Lovanii 7. Septemb. an. 1686. & signatum erat H. LOYENS. J. U. *Doctor & Professor Primarius.* N. CHAMART J. U. *Doctor & Professor Primarius.* J. BLANCHE J. U. *Doctor & Professor Primarius.*

APPENDIX II.

Sententia extensa Concilii Brabantiæ in causa competentiæ.

CUm in Senatu Regio in Brabantiæ Ducatu per supplicam pro parte Rectorum & Communitatis municipii Gelensis die 13. Nov. 1683. expositum fuerit, in dicto municipio reperiri circiter 3000. communicantium habitantium tam in dicto municipio, quàm in decem appendicibus, quarum aliquæ sesquihorâ, alique quinque quadrantibus, aliæ unâ horâ ab Ecclesia Parochiali dissitæ essent, aliæ nonnihil viciniores eidem Ecclesiæ; quarum nonnullæ tantæ sunt considerationis, ut integris Pagis, & Parochiis æquiparari valeant: ita ut decimæ sub prædicta Parochia in tantum excrescant, ut jam aliquibus annis mille modiis siliginis elocatæ sint ad utilitatem variorum Decimatorum Ecclesiasticorum; quibus non obstantibus necdum præfatæ Communitati provisum erat de numero competenti personarum Ecclesiasticarum necessario ad præstanda consueta ecclesiastica officia; utpotè qui in unico Pastore, & unico Sacellano, seu Vice-Pastore consistat, cujus Sacellani auxilio jam etiam à bimestri frustrati fuerunt: undè factum, ut juvenes, uti & senes privarentur necessaria ad salutem instructione; imò sæpè morerentur absque assistentia, & solatio Sacerdotum ex eorundem insufficientia; nec totius Communitatis confessiones præcipuis festis excipi possent; quæ tandem in pejus ruerent, nisi supplicantes resolvissent desuper ad hunc prædictum Senatum querelas deferre; quapropter se ad eundem convertebant, humillimè petentes Citatoriales coram Commissariis ad onus Pastoris, & aliorum Ecclesiasticorum Decimatorum, ut, coram iisdem partibus summariè auditis, indilatè, & per provisionem designetur numerus idoneorum Vice-Pastorum, qui possent præstare consueta, & necessaria munia pastoralia, unà cum Pastore juxta S. Tridentinum Concilium, & Statuta Episcopatus Buscoducensis, cui subsunt.

Quâ Supplicâ vissa & examinata in præfato Senatu, supplicantibns concessæ, & expeditæ fuerant prædictæ Citatoriales, vi quarum Apparitor Thomas citaverat R. D. Episcopum Antuerpiensem, uti & Apparitor Jacobus Hullet etiam citaverat D. Abbatissam & Conventuales Monasterii de Roosendael, denique Petrus Herman Prætor in Gele acceptâ auctorizatione citaverat D. Melchiorem Vandem Weyer Pastorem, & D. Decanum & Capitulares Ecclesiæ Collegiatæ S. Dymphnæ ibidem, ad comparendum 26. præfati mensis Novembris coram D. Vandem Dyke Consiliario & Secretario Loyens tanquam Commissariis inter partes deputatis, ad audiendam conclusionem à supplicantibus prædictis, & dictarum Citatorialium impetrantibus tunc proponendam: quando dicti impetrantes comparuerunt per Procuratorem suum Charliers, & citati per suos respectivè Procuratores Goubau, Mayolet, & Vanden Neuckere. Dicebatque impetrantium Procurator in verbali tunc habito: ultra id, quod in præfatis litteris allegabatur, adhuc considerandum esse præfati municipii Gelensis Parochiam extendi ad duo miliaria cum dimidio in diametro; esseque varias domos ex opposito etiam tantundem dissitas, quarum incolæ sæpe eodem tempore decumberent, & spirituali egerent animæ medicinâ; ideoque imposibile esse eisdem infirmis Sacramenta ministrari, visitari, solari, & adversus diaboli tentationes adjuvari, nisi per competentem numerum Ecclesiasticorum: præfatum verò Pastorem super eo admonitum agnovisse, se in iis providere non posse, absque certo Vice-Pastorum numero: cùm uno impedito in officio Ecclesiastico, altero in administrandis infirmis, adhuc alii necessarii sint ad invisendos ægros, & obeunda reliqua onera Pastoralia.

Hinc concludebant Impetrantes, ut singuli Citatorum in solidum, vel ad minus omnes conjunctim condemnarentur, ut Supplicantibus provideant, aut provideri sinant, de tribus ut minus Capellanis seu Vice-Pastoribus, aut saltem eo Capellanorum numero, qui judicio hujus Senatûs sufficiant, & capaces sint, unà cum Pastore ordinario Parochiæ servire, & functionibus pastoralibus satisfacere, tam in excipiendis confessionibus, catechizationibus, administrandis Sacramentis, quam visitandis, assistendis & consolandis infirmis: idque cum mandato, ut per citatos unicuique Capellanorum annuè assignetur & detur necessaria ipsorum competentia, ad ratam trecentorum florenorum annuè, vel aliam quamcunque, vel majorem summam (ultra accidentia) prout Senatûs pro causæ circumstantiis arbitrabitur: & in casu ulterioris litis saltem per provisionem; eo quod causa dilationem haud patiatur ob periculum in mora; permittentes interim ipsis citatis, ut via amicabili, vel juris, inter se dispiciant, & conveniant, quo ordine & pro qua parte qulibet ipsorum in dictam competentiam concurrere debeat concludendo cum expensis; super omnibus petentes jus dici, sive conjunctum, sive divisum prout Senatus secundum justitiam æquum judicabit. Quibus prædicti duo primi Citati, nimirùm Episcopus Antuerpiensis, & Abbatissa de Roosendael, & quartus scilicet Capitulum S. Dymphnæ, respondentes, ita concluserant, ut Impetrantes, in quantum contra ipsos requisierant, & concluserant in hac sua requisitione & conclusione, saltem in modo & forma declararentur non fundati, & non receptibiles cum expensis; eo quod jam à quadraginta annis communitas Gelensis parùm sit imminuta vel aucta; quæ nunquam fuerit conquesta de defectu officiorum divinorum apud Vicarium Generalem Buscoducensem; cui privativè competeret illi defectui providere juxta Synodorum Edicta, quæ hanc materiam spectant: neque etiam tertius citatus Rector sive Pastor ordinarius Gelensis unquam fuisset conquestus, cujus prædecessor laudabiliter functionibus pastoralibus satisfecerat, cum eo adjutorio Capellanorum seu Vice-Pastorum, quod sibi necessarium judicabat; quo non obstante adhuc notabiliter patrimonium suum auxerat: quemadmodum dictus tertius citatus Pastor Gelensis etiam similes Capellanos sive Vice-Pastores assumpserat; & dimiserat prout judicabat necessarium pro munere suo Pastorali obeundo; cui sustinendo non parum ipsi subserviebant (licèt citra ullam obligationem) Domini quarto loco citati; quorum quatuor actualiter Confessiones excipiunt. Insuper, quod ex supplica, & ratiocinio verbali Impetrantium suâ sponte proflueret, ipsos nullam actionem habere contra primo, secundo, tertio respectivè locis citatos, quæ actionis exclusio singulariter locum habere respectu duorum priorum citatorum; eo quod nullas decimas ecclesiasticas levent in Parochia Gelensi: & quod tertio loco citatus tantum solus haberet, quàm quatuor ex quarto loco citatis, id est, Canonicis S. Dymphnæ; ac insuper ejus accidentia quotidiana ad majorem summam annuè ascenderent, quàm annui proventus unius Canonici.

Concluserat quoque tertius Citatus Pastor Gelensis in suo scripto ad omnes fines ad hoc, ut impetrantes declarentur non fundati, nec receptibiles cum expensis, prout contra ipsum concluserant 26. Novembris; hac inter reliquas ratione quod impetrantes debuissent adire Vicarium Generalem Buscoducensem; utpotè cui privativè competit de eorum querelis despicere & providere; quod ut adhuc faciant, liberum permittit Impetrantibus, quemadmodum & agere adversus reliquos Decimatores citatos. Insuper dicebat, quod tertia pars decimarum quam cum Capitulo S. Dymphnæ dividebat, sibi competeret titulo oneroso & Pastoratus; cujus annui proventus, uno anno respectivè cum altero collato, deductis deducendis vix ascenderent ad trecentos patacones, quodque se semper valdè laudabiliter exhibuerit in functionibus Pastoralibus, in cathechizando, concionando, Confessiones excipiendo, assistendo & administrando infirmis, & omnibus suis subditis; quibus tantùm poterat satisfacere, totaliter seipsum impendendo. Quod si quandoque ipse & Prædecessores sui assumpserint in commodum suum Vice-Pastores aliquot suoque sumptu aluerint, id ab iis absque ulla vel minima obligatione factum esse. Fateri quidem se, si permanentes aliqui Vice-Pastores existerent, communitatem melius curandam, solandam, & juvandam esse, quam modò defectu permanentium Coadjutorum; & quamquam plane confidat se ad petitionem impetrantium nullatenus teneri, ut tamen ostendat inclinationem suam ad quietem, & bonam cum ipsis, uti Pastor eorum, correspondentiam, si eo adducere possint alios Ci-

Citatos, ut aliqui permanentes Vice-Pastores procurarentur, se lubenter pro nona parte contributurum ad id quo pro competentia eorum, aut via amicabili, aut juris decerneretur; modò vice versâ impetrantes eum ab omnibus oneribus publicis, pro nona sua parte, quam in dictis decimis possidet, eximant. Quas rationes aliasque per citatos allatas ipsi Impetrantes in suo verbali rejecerant, ut abusivas, frivolas, & impertinentes; adeoque perstiterant simpliciter loco Replicæ, petentes ut citati similiter persisterent loco Duplicæ; utque partibus hinc indè injungeretur scribere per *Advertissimentum*, ut ajunt: quo injuncto, utrinque ita scriptum fuit, ut conclusum in causa.

Postque duo primi citati, scilicet Episcopus Antuerpiensis, & Abbatissa de Roosendael 11. Feb. 1684. per libellum Civilem dixerant, quod etiamsi non sine causa considerent clarè se demonstrasse, quod impetrantes perperam, & injustè ad onus eorum conclusissent, sibi tamen ad majorem causæ elucidationem vissum fuisse exponere, quod quarto loco Citati, nimirum Canonici S. Dymphnæ, sint Pastores Primitivi Gelæ, quodque tertio Citato Pastore Gelensi taliter sit provisum de competentia, & canonica portione, ut annuè summam 2000. florenorum reciperet: quod ulterius dicto municipio essent varia Beneficia simplicia, uti & personatus aliquis magni proventus. Sed duos primos citatos levare decimas in dicta Parochia quemlibet pro tertia parte, alia tertia manente penes Pastores Primitivos, videlicet quarto loco citatos, quique in eâ qualitate ex prædicta sua tertia, pro congrua, seu canonica portione, & competentia, tertiam partem assignârunt tertio citato Pastori Gelensi, quam & recipit ultra decimas novales, quæ magnæ ibidem sunt considerationis. Quibus jungebant, decimas suas se non solùm è manu Laica accepisse; verùm etiam titulo oneroso Anniversariorum, & aliorum onerum possidere: specialiter secundo loco citatæ, quæ initio suæ fundationis pro primis suis bonis dictam tertiam decimarum acceperant à D. Ægidio Berthout, idque in dotem duarum suarum filiarum in præfato Monasterio profitentium; quarum una prima ejusdem Abbatissa extitit: petebat igitur, ut hæc omnia per Libellum Civilem præcedentibus jungere liceret: super quibus Senatus mandaverat, ut petitionem suam coram Commissariis exponerent, Partibus ad citatis: in cujus conformitatem verbali habito 26. prædicti mensis, repeti curârunt tenorem ejusdem Libelli Civilis, concludentes ad ejusdem admissionem cum expensis; exhibentes copias Procuratori Impetrantium, unà cum duobus annexis, qui illi respondens concludebat ad ejusdem rejectionem cum expensis, & pœna, contentus nihilominus, ut liti jungeretur salvâ Impetrantibus facultate respondendi eidem libello; quo responso exhibito, dictum fuit à Commissariis, ut omnia actis litis jungerentur; atque ita rursus in causa utrinque conclusum fuit, petitumque jus dici. Itaque visis & examinatis in præfato Brabantiæ Senatu præfatis citatorialibus, ibidem ab Impetrantibus obtentis 13. Novembris præteritâ; unà cum verbali in eorundem conformitatem coram Commissariis habito continentes conclusiones à Patribus hinc inde sumptas: visis etiam respectivè Scriptis *Advertissimenti*, ut vocant, utrinque traditis; uti & Libello Civili duorum primorum citatorum oblatorum 11. Februarii præteriti, unà cum rationibus impertinentiæ ab Impetrantibus provideatur de duobus Vice-Pastoribus qui unâ cum tertio loco citato Communitati ministrent, & assistant in omnibus functionibus Pastoralibus; uti decet, & in eum finem persolvere cuilibet illorum ultra accidentia annuè centum patacones pro competentia; quorum unus erit ad onus tertio loco citati solius; alius ad onus primo, secundo, & quarto loco citatorum ad ratam portionem, quam in decimis præfati Municipii Gelensis possident: idque per provisionem donec & quousque aliter per Senatum ordinabitur, quibus mediantibus Impetrantes absolvuntur ab instantia: manentibus eo non obstante præfatis Citatis in integro quoad præfatam competentiam, ejusque ratam, tam inter se, quàm adversus quoscunque alios, uti expedire eis videbitur; expensas ob rationes compensantes, excepto, quòd judicatum remanebit ab onus præfatorum Citatorum. Ita actum & pronuntiatum Bruxelis 14. Martii 1684.

Signatum.

Goubau.

FINIS.

CENSURA.

Legi Tractatum hunc *De Jure Parochorum ad Decimas Oblationes*, *&c.* nihil contra Fidem, aut bonos mores occurrit, imò Parochorum, & Parochianorum sublevandis necessitatibus opportunè consulit, Decimatorum animas variis periculorum fluctibus liberare quit, studiorum in sua materia difficultatibus explanandis aptus est: Hinc publicam lucem mereri censeo. Dabam Leodii, hâc 4. Junii 1694.

Joannes Le Beau, S. Adalberti Curator, & Pastor. Decan. Exam. Synod.

DISSERTATIO
AD REGULAM:
IN DUBIIS SEMITA TUTIOR EST ELIGENDA, probatam à SS. PP. Clemente III. in C. 12. ✠ *de Homicid. & Innocentio III. in C.* 5. ✠ *de Clerico excom. ministr.*

CUI ADJUNGITUR EXPLANATIO REGULÆ JURIS:

IN PARI DELICTO VEL CAUSA POTIOR EST conditio possidentis.

PRÆFATIO.

DUÆ sunt regulæ morum, quas hac Dissertatione discutere statui. Altera hæc est: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, Clemens III. in *Cap.* 12. ✠ *de Homicid.* Eandem Innocentius III. in *Cap.* 5. ✠ *de Cler. excommunic. ministr.* exprimit his verbis: *In dubiis via est eligenda tutior.* Altera est Casuistarum, laxiorumque Canonistarum: *Quod est speculative probabile, est practicè certum*, vel ut hodiè ineptiùs incipiunt eandem proponere: *Quod est practicè probabile, est practicè certum, seu quod valet idem, est practicè tutum.* De his regulis quatuor in hac nostra dissertatione examini subjiciemus. Primum quidem, quod duæ hæ regulæ diametraliter sibi sint oppositæ. Secundum, quod prior sit vera regula; at posterior non nisi Pseudo-Regula. Post hæc subsequentur prioris Regulæ consectanea, quo ipsius veri-

tas magis patescat. Deinde palam faciam absurditates quas secum trahit posterior regula, ut etiam ex his clariùs ostendatur ejus falsitas. Denique adjiciam verum intellectum regulæ Juris in *Cap.* 65. *de R. J. in VI. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis* : ostendamque quantoperè hac regula abutantur quidam Theologi, ut suas de probabilismo opiniones stabiliant.

PARAGRAPHUS I.

QUod dictæ regulæ sibi opponantur, nemo negaverit qui advertit, quod omne probabile sit dubium. Dubium istud voco, de cujus nec veritate, nec falsitate constat, sive quidquid hujusmodi est, ut & veritas & falsitas nobis sint incertæ. Non enim sola negativè, sed etiam positivè dubia, incerta sunt & dubia: quin haud difficulter ostendetur, quod minus probabile quàm suum oppositum, semper de falsitate magis debeat esse suspectum, quàm hoc negativè dubium, *Arenæ maris sunt numero pares.* His præmissis, pone duo contradictoria probabilia, id est, incerta, ac dubia, de quorum alterutro (ut sexcenties fit) dubites meritò, an non sit contra jus naturæ. In hac suppositione secundum dictam Laxonum regulam utrumque titulo probabilitatis licitum erit, & utrumque pro libitu eligi poterit: at juxta regulam à Pontificibus traditam sola *via tutior eligenda erit.* Clarum itaque est, quod inter dictas regulas intercedat oppositio.

§. II.

REgulæ prioris veritas, & posterioris falsitas jam tum aliquo usque probatæ sunt, dum Clemens III. Innocentius III. priorem adstruendo, hoc ipso, ut ex oppositione patet, posteriorem destruxêre. Neque tamen dictos Pontifices prioris regulæ conditores fuisse, sed approbatores solùm existimamus: priusquam enim illum in modum responderunt, incommutabilis naturæ lex dictabat peccare illum, qui legis v. gr. naturalis transgressionem vult, saltem per consequentiam, vel ut loquuntur alii, interpretativè. At verò per consequentiam, ejus transgressionem vult, qui pro libitu præsumit exercere actionem, quam novit probabiliter esse contra jus naturæ: nam sine necessitate (actionem, ut ponimus, omittere potuisset) illud facit, cui novit esse annexum mortale periculum re ipsâ impingendi in jus naturæ.

§. III.

PRæterea, quid aliud peccatum, nisi *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*? Oportet igitur actionibus nostris regulæ loco præfigere legem æternam; unde nequaquam sufficit, si probabilitas solùm consideretur: probabilitas enim neque lex æterna est, neque legi æternæ magis commensurata, quàm sors. Etenim sicut sors ad veritatem & falsitatem se habet indifferenter, ita probabilitas ad legem æternam, & ejus contrarietatem: ut proinde sicut in *Canon.* 5. *dist.* 8. respondet Gregorius Pontifex: » Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum, quod Dominus dicit: Ego sum *veritas, & vita*: & non dixit, ego sum consuetudo, sed *veritas.*« Ita nobis dicere licet, si probabilitatem fortassis opponas, Dominus non dixit: *Ego sum probabilitas*, sed *veritas*, sive lex æterna, juxta illud Sancti August. *lib.* 4. *Confession. cap.* 9. ad Deum: *Lex tua veritas, Veritas tu.*

§. IV.

ALiud insuper argumentum petitur ex Gratiano, *Canon.* 4. *caus.* 1. *quæst.* 4. *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Si ergò ignorantia, quomodo non probabilitas damnabilis erit, si ei se quis in praxi conformet? Nam si affectus intellectum obscurantes excusationem præripiant ei, qui jus naturæ transgreditur, etsi transgressionis periculum propter plenam ignorantiam non videat, quomodo excusabitur ille, qui cùm non planè ignoraret jus naturæ, illud transgreditur, ubi transgressionis periculum clarè videt, ut fit, quoties se novit probabiliter jus naturæ transgredi? Verùm quia doctrina quam hîc tradimus, longè notior est, quàm doctrina ex Gratiano tradita, huic argumento immorandum non duximus.

§. V.

HAnc doctrinam ipsamet veritas probat subsequenti sententia: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Dicebatur hoc de Doctoribus, qui eo tempore erant præ omni hominum genere in lege Dei, ac Synagogæ peritissimi, quia dicebatur de Legisperitis gentis Judaicæ in qua sola notus Deus, & quidem de primariis in ipsa Metropoli residentibus. Si proinde rationes, ob quas vera ipsis videbantur, quæ à parte rei contra legem naturæ docebant, non excusarunt ipsos; si etiam ipsarum auctoritas non recusavit sequaces: quomodò nunc laxitatum patroni excusabuntur ob suas ratiunculas? Quomodò sequaces ob illorum auctoritatem?

§. VI.

QUisquis hæc accuratè expenderit, nihil mirabitur, illam, quam refellere instituimus, pseudo-regulam in Decreto nusquam vel Decretalibus, ne in universo quidem corpore Juris civilis quin oppositum potiùs comperiri. Si Decretum consulis, *Can.* 9. *dist.* 8. ita sonat: *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos agendum putaverit; sed quid, qui ante omnes est, Christus fecerit; neque enim homines consuetudinem* (idem esto de probabilitate in lege præsertim naturæ judicium) *sequi oportet, sed Dei veritatem; cùm per Isaiam Prophetam Deus loquatur, & dicat: Sine causa colunt me, mandata, & doctrinas hominum docentes.* Jam verò mandata, & doctrinas hominum esse universa, quæ (etsi probabilia sint) legi naturæ adversantur, Evangelio docemur.

§. VII.

SI Decretales consulis *Cap.* 3. ✠ *de Sponsal.* decernit Pontifex: *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Si igitur juri naturæ probabiliter contraria est actio quæpiam, cujus omissio in illud certò non impingit, hujusmodi actionem probabilitatis titulo exercere, nefas erit. Pontifici ergò subscribendum, *quod certius existimamus, tenere debemus.* Obtinebit proinde, quod August. relatus in *Can.* Si quis, *de Pœnit. dist.* 7. *Tene certum, dimitte incertum.* Cui quàm optimè consonat, quod alibi: *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret.* August. *lib.* 1. *de Baptism. contra Donatistas, cap.* 3.

§. VIII.

SI Leges legeris, nihil adeo solemne in his, quàm juxta leges, non probabilitatis commenta judicandum. *Novella* 24. *cap.* 2. *Ad leges respiciat, & secundum eas judicet... insuper ad Deum quoque respiciat: neque præterea quidquam omninò in animo cogitet.* Vis nosse, quo loco habenda sit in legum materia Doctoris auctoritas? Audi, quid de acutissimi ingenii viro, & meritò ante alios excellenti Papiniano Justinianus, qui Papiniani sententiam non nisi opinionem & dubitationem vocat. *L. fin. Cod. de Instit. & subsist.* Vide, quid hinc statuendum de iis Causidicis, qui non Papiniani, sed nescio cujus auctoris sententiam sectantes causæ patrocinium suscipiunt.

§. IX.

NUnc, quod tertio loco promissum fuit, quænam videlicet ex hac vera regula à Summis Pontificibus comprobata, *in dubiis, &c.* consectanea sint, ostendendum. Primò quidem conficitur, quòd judex omnis, & Jurisconsultus, quin & homo quilibet veritatem seu legem incommutabilem, non probabilitatem consulere nunquam non debeat. Illam, *ajo*, lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: de qua alibi: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Hanc *divinam naturalem legem* Zeno apud Lactantium *lib.* 1. *de falsa Relig.* Deum ipsum indigitat. Quo facit & illud Augustini, *Lex tua veritas, & veritas tu.* Quàm meritò igitur Justinianus.: *Naturalia jura semper firma, atque immutabilia permanere* §. 11. *Instit. de jur. nat. gent. &c.* cui accinit Gratianus: *nec variatur, sed immutabile permanet.* Ad legem namque æternam, hoc est, ad Deum loquebatur, qui olim, *mutabis ea, & mutabuntur*; *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* De hac ipsa, sub nomine Sapientiæ, dicebat Regum sapientissimus: *Proposui pro luce habere illam, quoniam inextingibile est lumen illius*; & rursùm: *Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat ista sapientia.* Sap. *cap.* 7. *v.* 12.

§. X.

QUæritur illa intellectu item & voluntate; verùm non nisi ipsâmet illum illumante, hanc inflamante: hinc bellè Zosinus Pontifex relatus apud celeberrimum Juriscons. Antonium August. in *Epist. juris Pontif. vet. lib.* 19. *tit.*

tit. 1. *cap.* 2. » Quod tempus intervenit, quo non egeamus » auxilio ? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, mo- » ribus adjutor & protector orandus est. « Neque enim difficile admodùm ex veritate, non ex probabilitate vivere. Siquidem rectè Joann. Dartis Jurium Doctor, & SS. Can. in Academia Paris. Profess. ex Augustino : *Novit rectè vivere, qui rectè novit orare.*

§. XI.

HAnc regulam, *in dubiis via tutior est eligendæ*, rectè bina consequuntur corollaria. Quorum alterum est : si juri naturæ probabiliter adversatur quædam actio, cujus omissio illi certò non est contraria, actio illa erit illicita ; sin oppositum, omissio erit vetita. Alterum : dum actio jus naturæ probabiliùs infringit, quàm illius omissio, itidem actionem illicitam dicito. E primò rectissimè intuleris homicidium (finge esse probabile) in rerum temporalium defensionem neutiquam licitum esse : è postremo, judicem non posse adjudicare causam illam, cujus jus minus habet probabilitatis. Si lubet ulteriùs arguere, nec Advocato allaborare licitum, nec ipsi quidem Clienti desiderare, ut ejusmodi sententiam ferat judex, non magis operosè conficies.

§. XII.

PErperam tamen ad primum corollarium consequens dices, quod, cui jus est ad centum æquè probabile ac adversario, nihil possit exigere ; siquidem dimidium ab eo justè petitur, ut simili in dubio faciendum respondit Julianus in *L.* 40. *ff. De Hæred. instit.* ante quem in causa servi proprii idem constituisse Tiberium Cæsarem refert Justinianus §. 4. *Instit. de Vulg. Substit.* quando occurrente dubio, cujus foret hæreditas, substituti, an domini servi instituti, utrique dimidia assignatur. Si igitur priori regulæ insistit judex, ubi gentium comperiet casum pro amico ? Perperam item ad secundum corollarium sequi putabis : quod arbitrator, sive amicabilis controversiæ compositor, dum alter concendentium jus habet probabiliùs ac pars adversa, possit illum totum, huic nihil attribuere : utrique enim contendentium ad probabilitatis proportionem assignandum.

§. XIII.

EX Corollario secundo consectaneum est, quòd in dubio non possit sibi totum semper vindicare possidens : quod amplius est, nec retinere potest totum possessor, esto æqualis sit ipsi cum adversario probabilitas, præveniendo possessionem. Hinc tamen juris regulæ, *in pari causa vel delicto potior est conditio possidentis*, tanquam verissimæ subscribimus: multùm quippè ab invicem dessident » conditio possidentis est » melior, & totum sibi vindicare potest possidens. «

§. XIV.

PRiusquam aggrediar hujus Pseudo-regulæ, *quod est speculativè probabile, est practicè certum*, falsitatem ostendere ex absurditatibus illam consequentibus, præmissum oportet : longè aliter antiquis æquè atque modernis hunc terminum *probabile* usitatum fuisse. Imò hodieque invenias, quibus nequaquam sufficiunt, quæ satis ad probabilitatem sunt Casuistis & Canonistis laxioribus: unde ea, quæ probabilitatem constituunt, non iisdem verbis omnes circumscribunt. Apud multos enim, teste Prospero Fagnano Jurisconsulto Romano, accerrimo probabilitatum profligatore in *Coment. ad* 5. *lib. Decret. ad cap. Ne innitaris* ✠ *de Constitut. num.* 331. » receptum videtur, ut pro- » babilitas opinionis non solùm eliciatur ex rationibus, & argu- » mentis congruentibus ; sed etiam ex simplici auctoritate unius » docti & pii Doctoris, ut tenent &c.

§. XV.

HOc posito, ecce quo tandem veniendum : ne vel unam reperies sententiam in tanta Casuistarum farragine, quam probabilem non censuerint ii, quibus etiamnum in pretio sunt hujus farinæ Doctores. An verò unicus ad probabilitatem tibi suffecerit, an tres quatorve requiras, quid interest ? Cùm vix aliquam, ne dixerim nullam, invenire sit sententiam, quin complures ei, quamprimùm lucem viderit, ut probabili illicò subscripserint, quotquot nimirùm probabilem sentiunt eo ipso, quo fuerit ab uno aliquo asserta. Bella profectò probabilitas extrinseca ! nihilo meliorem esse intrinsecam, etsi *rationibus, & argumentis congruentibus* niti venditent, facilè evinces ex tot absurdis sententiis, quas illi velut probabiles, nos infra improbandas prostituemus. Nihil enim tam ineptum, tam absurdum vel insultum, quin ex illa Pseudo regula, *quidquid est speculativè probabile, est practicè certum*, quam optimè inferre queat, velut pium, certum, & tutum ; si, quod unus alterve, quem *doctum* vocitant & *pium*, Auctor docuerit, universum probabile esse dixeris juxta ante datam definitionem, & tale probabile eo ipso practicè certum esse admittas.

§. XVI.

HÆc ubi admiseris, Deus bone ! quàm monstruosi partus tàm monstruosâ matre ! Regula humanæ vitæ non tam erit statuendus Deus, hoc est, lex æterna, quàm fabricatores, fautoresque probabilitatum, seu probabilitas ab ipsis fabricata & defensa. Item Regula mentis humanæ non erit deinceps immutabilis, verùm ubi tempus variârit vel locus, imò quoties unius, alteriusve Probabilistarum cupiditati allubescet, variabit & illa. Præterea Principum leges, & Pontificum decreta à *Placeto* hujusmodi Doctorum pendebunt. Quod deterius est, Deus ipse, seu legem spectas naturalem sive possitivam, non erit habendus posthac legislator, nisi admodum dependens à limitationibus nimirùm, interpretatiunculisque, quibus probabilitatum cusoribus Dei legem restringere, & ad curvas cupiditates incurvare placuerit. » Si enim verum est (inquit Fag- » nanus) quod Laxones ajunt, jam opiniones probabiles erunt » supra legem Dei naturæ. « Accedit & hoc : utilius erit conscientiæ suæ regimen cuipiam probabilitatum patrono, quàm vel ipsi Doctori gentium Paulo committere ; hic quippe per viam veritatis solùm tuto ducet ; ille & per viam falsitatis, utpote probabilium, quæ sexcenties fallunt, nec tamen (ut putant) minus tutò, quàm Apostolus per veritatis semitam.

§. XVII.

TRibunalia quoque invertit monstruosa hæc opinandi libertas. Judex namque illi, cui libuerit, parti favebit, modò ut sequatur sententiam, à qua stabit ad minus illius partis patronus, qui opinionem suam in tanta scribentium copia, unius cujuspiam auctoritate facillimè tuebitur. Deinde incomparabiliter commodius fuerit probabilitatem in ejusmodi Doctorum scriptiunculis, quin & unius solùm indagare, quàm veritatem, aut justitiam è S. Scripturæ, Canonum vel Legum monumentis eruere. Quapropter dictus Fagnanus : » hæc doctri- » na (*ait*) reddit homines ignavos, eosque ab omni studio con- » templandæ veritatis abducit ; nam ubi primùm quis in aliqua » controversia morali intelligit extare opiniones probabiles, » & se habere libertatem sequendi, quam maluerit, licèt mi- » nus probabilem ac minus tutam, non laborat pro veritate » ulteriùs assequenda. « Postremò frustraneus erit labor tam Theologorum, quàm Jurisperitorum contendentium quippiam esse illicitum, quod unus aliquis, quem *pium* vocare lubet & *doctum*, licitum censuerit. Ex. gr. probabilistarum quidam doceat, ad Beneficium etiam curatum nequaquam eligendum esse dignissimum. Teneat alius : ad indicendum bellum sufficere jus probabile. Tertius doceat : pro intercessione ad Beneficium obtinendum, aliquid sine simoniæ suspicione dari posse, & si quæ id genus alia ; supervacaneam insumet operam, qui contrarium probare conatus fuerit : quia sententiæ illæ (si credimus) tutæ manebunt, modò vel unus, quem *pium* dicent & *doctum*, illas contra mille defendandas susceperit.

§. XVIII.

VIdit Fagnanus, quàm nulla est veritas, in quam non grassetur probabilitas, si sententiæ probabilis jam dicta definitio, cum illa Pseudo-regula subsistat ; quare in hæc verba erumpit : » Cùm enim nulla ferè sit veritas moralis, quæ plau- » sibili aliqua ratione oppugnari non possit, nulli dubium est » quin omnis regula morum possit everti ex libertate opinan- » di, non modò in præceptis humanis, verum etiam in di- » vinis, & naturalibus, dum de ipsis interdum non occurrunt » nobis rationes demonstrativæ : unde his temporibus eò res per- » ducta est, ut nullus ferè sit articulus in moralibus, in quo » non sit varietas vel contrarietas opinionem, adeo ut in solo » opere non ita pridem impresso Resolutionem Moralium An- » tonini Dianæ numerentur in unum collectæ quæstiones supra » ter mille cum opinionibus, & Auctoribus pro utraque parte » affirmantibus, (a) aut ambas esse probabiles, aut unam pro- » babilem, & alteram probabiliorem, & in quibus ferè omni- » bus agitur de peccato mortali, ut de Sacramentis, de Cen- » suris, de Votis, de Jejunio, de Restitutione & aliis hu- » jusmodi, quæ complectuntur universam ferè materiam ad fo- » rum conscientiæ pertinentem. Quem scribendi morem passim » observant & alii plures ex recentioribus Theologis, « Hæc Fagnanus. Ut non immeritò Cardinalis Bona *in principiis vitæ christianæ*, §. 47. *parte* 2. incuset, » magistros prurientes auri- » ribus (sic quippe laxitatum patronos vocat) qui ut noxiæ li- » ber-

(a) *Auctor verò, quorum meminit Diana, catalogum in limine suorum Operum præmisit: ducentos supra nonagita sex enumerat.*

» bertati faveant, mandata Dei & Ecclesiæ tot limitationibus, » & perniciosis interpretationibus convellunt, ut vix rema- » neat præcepto locus. « Vivunt itaque homines, non sicut oportet, sed sicut volunt, quia tot jam sunt de humanis actibus opiniones, ut ferè liceat, quidquid lubet.

§. XIX.

QUod Prosper Fagnanus generalibus terminis dixit, specialibus exemplis demonstrare pergit eodem loco *n.* 335. ubi agit de innumeris ferè opinionibus falsis, verba ipsius sunt: » temerariis & scandalosis, quæ ex libertate eligen- » di quascunque opiniones probabiles tanquam ex equo Tro- » jano indies prodeunt, & quamplurimæ pallio probabilitatis » tectæ traduntur in Scriptoribus nostri temporis, quæ reverà » non sunt tolerandæ. « En aliquas, omnes Dissertationis brevitas complecti nequit, è quibus velut ex ungue leonem discat quilibet, quousque in doctrina morum hallucinati sint hodierni animarum consultores, dum hâc Pseudo-regulâ seducti fuerunt.

§. XX.

ECce quot doli inde scatuerint. » Qui perdit aliquam authen- » ticam scripturam, licitè potest similem confingere.... Fal- » sum accusatorem, atque adeo testes & judicem licere oc- » cidere, quando aliter oppressi o innocentis impediri nequit... » Licitum est tàm in judicio, quàm extra judicium jurare cum » restrictione mentali, non habito respectu ad intentionem ejus » qui petit juramentum. « Neque rebus civilibus sat cautum est ab hac Pseudo-maxima toties nominata: » Neminem teneri, » aut jure naturæ, aut legum restituere acceptum pro feren- » da sententia injusta... Restituenda non esse damna, quæ » tertius fecit nobis auctoribus. Famuli, & famulæ domes- » ticæ possunt occultè heris surripere ad compensandum opem » suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. « Judicia pervertit: » Clarum & certum est judicem non posse » punire aliquem, qui secutus est sententiam probabilem. «

Vita in discrimen venit: » posse quoque occidi qui bona » nostra eripit, etiam fugientem, modò pretiosum quid aufe- » rat... Quibusdam casibus permitti acceptationem duelli... Li- » cet aliquando interficere adversarium, aut illum infamare » (etiam illi imponendo falsa crimina) sine peccato mortali.... » Ad defendendum honorem suum acceptare duellum, & » occidere provocantem non est peccatum mortale... Posse » quempiam occidi, ut ejus impediatur alapa, aut percussio » fustis... Etiam Ecclesiastico, & Religioso licere scientiâ, ac » virtute partum honorem tueri hominem perimendo, qui con- » tumeliis atque calumniis illum impeteret. «

Nec rebus sacris parcitur: » Missam ritè audiri, dum qua- » tuor ejusdem partes eodem tempore audiuntur... Absolven- » dos esse qui sunt in proxima occasione peccandi, tametsi in- » cestûs, absque obligatione ut sese sejungat, quando horum » lapsus frequentes non sunt, aut ferè quotidiani, sed solùm » quoto mense semel atque iterum.... Licet sacramentaliter » absolvere mediatè tantùm confessos, ratione magni concursûs » pœnitentium. «

Immisericordiam inducit: » Superfluum non est, quod ho- » mines servant pro statûs sui vel parentum qualitate habita vel » adipiscenda, adeoque vix poterunt inter seculares inveniri, » qui superfluum habeant. «

Gravissima peccata excusat: » Ut actio quæpiam sit pecca- » minosa, oportet, ut procedat ab homine, qui noscit & » percipit quid boni malive in ea sit, & antequam id videat, » aut animum reflectat, actio neque bona est, neque mala.

§. XXI.

HÆ quidem omnes ad verbum ex Fagnano: inter alias plurimas, quædam ibidem referuntur, quas ob nimiam absurditatem huic Dissertationi inscribere pudet. Tres tamen apud Fagnanum non repertas adscribimus. Primò *judicem in dijudicando partium jure, seu inferenda sententia posse, quam maluerit opinionem probabilem sequi, saltem quando opiniones sunt æquè probabiles ex parte juris. Addeo*, inquit idem Auctor, *posse modò juxta unam, & modò juxta aliam opinionem judicare secluso scandalo. Probabiliter*, ait idem, *etiam existimo judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem...* Secundò: *Vir doctus diversis secundum diversas sententias opposita consilia dare potest.* Quidni igitur Advocatus in eadem causa secundum diversas sententias utrique parti patrocinari posset?... Tertiò: *Qui odio deposito benefacit proximo, & mala illius avertit, non videtur ad amorem internum obligatus.* Nunquid igitur meritò dictus Fagnanus alium quemdam Jurisconsultum laudat, *quod hic rotundis*, ut ait, *verbis affirmavit usum probabilitatum esse commentum diaboli ad enervandam vim præceptorum?*

§. XXII.

QUis igitur non videat, quantam imprudentiæ notam incurrit, quisquis probabilitatem regulæ loco in agendo sibi præstituit? Nequaquam, ajunt Probabilistæ, omni namque sententiæ probabili assensu *prudenti*, atque ita nullam non sequitur *prudenter*. Hoc quidem palmarium eorum argumentum, quo mundum fascinârunt, invexeruntque complures opiniones » christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum » perniciem inferentes, & quo, in rebus ad conscientiam per- » tinentibus (cum Alexandro VII. loqui pergo) modus opi- » nandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanc- » torumque PP. doctrina. « Ast quàm caducum & infirmum, mox deprehendes, si cum Philosophis reflectas, assentiri cuidam sententiæ, nil esse aliud quàm omnibus, quæ tam pro illius veritate quàm falsitate novimus, consideratis, determinari propter illa, ut veram potiùs judicemus quàm falsam: fieri proinde nequit, ut assentiaris sententiæ, quæ tibi sit minùs vel æquè probabilis ac illius opposita. Tantum igitur abest, ut *prudenter* assentiaris propositioni minùs vel æquè probabili, ut nullo modo illi assentiri valeas. Huic accedit, quòd assensum præbens sententiæ quantumcunque probabili meritò formidet, ne assensus suus sit falsus, cùm *omne probabile sit dubium.* Imprudentiæ itaque notam non effugiet, quisquis hunc in modum processerit. Verùm ut & hoc donemus, quòd hujusmodi assensum ægrè feras vocari *imprudentem*, quia falsitas, de qua assensus tuus periclitatur, malum quidem erit; at judicio tuo non ita magnum. Grande tamen malum est, legem naturalem reipsâ infringere, actionem in re notabili exercendo secundum opinionem, probabilem quidem, at fortassis à parte rei falsam. Fingas denuò ex. g. probabile esse, quòd hominem in rerum temporalium defensionem interficere licitum sit. Esto malum sit, at judicio tuo non ita magnum, falsitas, de quâ periclitatur assensus illius; grande tamen malum est, hominem interficere, quem lex naturæ vetat occidi, cujus homicidii periculo te exponis. Hactenus ferè de Probabilibus in jure naturæ.

§. XXIII.

NUnc de iis, quæ jus positivum concernunt. Quamvis dari ignorantiam juris positivi invincibilem, quæ & agentem contra illud, etiam divinum excuset, nullus dubitet, inepta tamen hæc est sequela: Ignorantia juris positivi excusare potest, ergo & probabilitas. Hæc quidem omnis ex ignorantia nascitur, haud equidem planè ignoratur juri positivo contrarium esse, quod in illud probabiliter impingere scitur. Non inficior legislatorem humanum quibusdam in casibus controversiis ita temporare legem suam potuisse, ut eam non obligare tum vellet. Verùm an & quo casu id fecerit, quis ostendet? Nobis longè facilius fuerit ostendere, quòd sine manifesta injustitia à legislatore indulgeri nequeat, ut in quolibet celebris etiam probabilitatis casu quis possit modò hanc, modò oppositam, ut lubet, probabilitatem amplecti. Iniquus ex. g. forte legislator, qui eidem concederet, ut dum controvertitur de testamento minùs solemni favore probabilitatis, ab intestato in hæreditatem hic succederet, & alibi patrocinio probabilitatis oppositæ ex testamento idem hæres foret.

EXPOSITIO
REGULÆ JURIS
IN PARI DELICTO VEL CAUSA
melior est conditio possidentis,
VEL UT ALIBI EXPRIMITUR:
In pari causa possessor potior habetur.

PARAGRAPHUS I.

Quid sit possessio; & in quo potissimum conditio possidentis sit melior.

POssessio à Juris Consultis dicitur detentio rei animo, & affectu dominantis; & possidere dicitur, qui rem animo, affectuque dominantis retinet. Qui verò alieno nomine rem retinent, nec se pro dominis rei detentæ gerunt, non tam possidere quàm in possessione esse dicuntur: ut v. g. colonus, inquilinus, & similes, uti uno consensu docent Juris Interpretes ad *L.* 2. *Cod. De præscript.* 30. *vel* 40. *annorum.*

Ex hac possessionis descriptione patet, quòd possessor rem, quam possidet, retineat, eàque utatur tanquam *propriâ.* Hoc posito facilè intelligitur, unde fiat, ut in controversia super rei possessæ dominio, probatio dominii non possessori, sed adversario incumbat. Quid enim publicæ tranquillitati magis consonum, quàm ut is, qui rem aliquam *tanquam Dominus* tenet, & possidet, in illius detentione, & possessione permittatur, donec probetur, quod injustè rem illam detineat & possideat? Quid insuper naturalius, quàm ut leges onus probationis injiciant illi, qui alteri rem, cujus usum jam pacificè obtinet, eripere, sibique asserere intendit?

Possidens igitur quandiù in pacifica possessione permittitur, neque injusta possessio probatur, vice *domini* est, tametsi in rei veritate dominus non esset. Atque hinc præcipuum possessionis commodum, à Justiniano jam pridem notatum, & expresum. »*Commodum*, ait, possidenti in eo est, quod etiam» si ejus res non sit, qui possidet, si modò actor non potuerit » suam esse probare, remanet in suo loco possessio.« §. 4. *Instituta, De Interd.* quasi diceret, eam ob causam in *pari* causa melior est conditio possidentis, seù possessor potior habetur, quia probatio dominii, quæ ordinariè non exiguæ est difficultatis, non possessori, sed adversario incumbit; atque ipso non probante in pari causa possessio & usus rei apud possessorem remanet, etiamsi forsitan res ad possessorem revera non pertineat.

Præterea ex ipsa rei possessione, præsertim notabilis temporis, & de cujus titulo non satis constat, præsumptio aliqua, maximè in foro externo pro possessore haberi debet. Leges enim nolunt, ut temerè & sine probatione præsumatur, quod quisquam re aliqua tanquam sua utatur, cujus revera dominus non est; sed econtrà volunt, ut pro domino habeatur, donec sufficientia motiva in contrarium adducantur. Quæ rursus præsumptio facit, ut rectè dicatur, in *pari* causa possessor *potior* habetur, seu in *pari causa melior est conditio possidentis.*

§. II.

Non sequitur: Judex possessionem rei à possessore auferre non potest, nisi Actor probet: ergo & Possessor rem justè retinet, donec Actor sufficienter contrarium probet.

PRiusquam hanc consequentiam illegitimam ostendam, prænotatum cupio, animum mihi non esse, hîc ostendere, aut determinare, quà ratione actore non probante judices procedere debeant: num scilicet pro ratione dubii & juris teneantur rem dividere possessorem inter & actorem; sed unicè hoc §. evincere contendo, falsam & absurdam esse hanc consequentiam: *Actore non probante judex possessorem absolvit, & in possessione rei tuetur; ergo possessor justè rem retinere potest.*

In primis certum est, quod judex interdum possessori rem adjudicare possit, & debeat, tamen possessor eandem sine injustitia retinere nequeat. Quid enim si possessor *certò* noverit rem esse alienam, actor verè omni probatione destituatur? Quis ambigat, quin judex ob defectum probationis possit, & sæpè debeat possessorem absolvere, actorem verò condemnare; & tamen possessorem eo casu rem justè retinere posse nemo quamvis laxissimus dixerit.

Certum quoque est, quòd ad obviandum fraudibus, & fallaciis, litiumque multitudini, Respublica statuere queat, ut in quibusdam negotiis majoris momenti, non omnis generis probatio admittatur; sed ea duntaxat, quæ paucioribus contentionibus, & difficultatibus subjacere creditur. Nullus tamen ausit asserere, debitorem, qui *certò* novit se obligatum, à debito esse exemptum, eo quòd actor simili probationis genere destituatur. E. G. Edicto Principum Belgii anno 1611. decretum fuit, ut quisquis disponere voluerit de re excedente valorem seu quantitatem *trecentorum* florenorum, sive per ultimam voluntatem, sive quamcunque dispositionem inter vivos, id faciat in scriptis sive chirographo coram Notario & testibus, sive aliis publicis personis pro rei dignitate, de qua agitur, qui super ea legitimum conficiat instrumentum, quod *solùm* recipietur ad probationem rei gestæ, adeo ut nec judices aliam probationem per testes super tenore instrumenti admittere possint: quis tamen dicet, idcirco reum omninò absolutum ab obligatione, quia forsitan actor chirographum perdidit: ideoque illud coram judice reproducere non valens, judex reum absolvere debet?

Falsissimum proinde & perniciosum est, *quod nemo cogatur solvere quid, nisi probetur debere, non minus in foro conscientiæ quàm externo.* Quemadmodum more suo secutus nonnullos Casuitas Theologos docet Zoesius *ad tit. Decretalium, De voto, num.* 50.

Evidens quoque est, quòd tametsi Leges statuissent, quòd judices deberent & possent possessorem absolvere actore *planè* non probante: inde tamen nullatenus sequatur, quòd possessor *dubitans*, an res sit *sua*, possit rem possessam *integram* retinere, quia, ut jam dixi, modus probationis ab ipsa obligatione planè est disparatus; neque ipsam obligationem afficit, vel immutat, sed tantùm ostendit, & statuit, quod ad obviandum fraudibus, & litium multitudini in foro *externo* circa probationes observari consuevit.

Cùm verò sufficiat, ut quis in conscientia obligetur, quod *sciat* obligationem subesse, sat apparet, nihil referre, utrum desint ea quæ quidem requiruntur, ut judici obligatio probetur, sed sine quibus obligatio esse & possessori innotescere potest. Non sequitur proinde; judex possessorem ob defectum probationis à restitutione rei absolvit; ergo possessor rem possessam sine injustitia retinere potest.

§. III.

Regula: In pari causa melior est conditio possidentis, *nullum novum jus tribuit possessori rem retinendi.*

ILla quorundam Canonistarum, & Theologorum sententia, quòd possessor, qui pendente possessione, incipit *dubitare*, an res sit sua, eam possit manente dubio *integram* retinere, in eo vel maximè fundata videtur, quod credant, Leges *in dubio* rem aliquo modo in possessorem transferre; per hoc quòd dicatur: *in pari causa melior est conditio possidentis:* unde unus illorum fatetur: *quòd Regula non habet vim ex Lege naturæ, ex qua*, ait, *si procederetur, debitor dubius in bonis fortunæ teneretur solvere dimidium.* Verum quandoquidem Leges aliud non dicant, quàm in *pari* causa meliorem es-

esse conditionem possidentis, non apparet, quòd Leges quid attribuant possessori, præter id quod ex natura rei possessioni annectitur. Commodum quippe possessionis in eo consistit, ut §. 1. ostendimus, quod actori non possessori, probatio dominii incumbat, possessorque actore nihil probante in foro *externo* veniat absolvendus. Item quòd ex ipsa possessione, præsertim *notabilis* temporis, aliqua dominii *præsumptio* pro possessore habeatur; quæ duo independenter ab omni juris possessioni annexa sunt.

Ratione enim naturali congruit, ut qui alium è possessione sua deturbare cupit, intentionis suæ justitiam probare teneatur: naturale itidem est, ut qui notabili aliquo tempore pacificè rem aliquam tanquam *dominus* possedit, pro domino præsumatur, quoadusque contrarium probetur.

Quod ergo in *pari* causa sit melior conditio possidentis, ipsa possessionis natura postulat; ut consequenter sæpè dicta regula solum exprimat, quod ex natura rei inest: ac per consequens, nihil juris ad rem possessam potestate legis in possessorem transferatur. Quod & exinde evincitur, quod hactenus in jure sit inauditum, per possessionem jus aliquod auctoritate legum in possessorem transferri, nisi *temporis continuatio*, aliaque ad *præscriptionem* requisita intervenerint.

Dum ergo nonnulli docent, in *dubio*, vel etiam in *pari* causa possessorem rem *integram* retinere posse; quasi leges tali causa possessori rem talem *totam* attribuant, falso principio, in nullo juris textu fundato, innituntur. Quia, ut dixi, leges nihil dicunt aliud, nisi in pari causa meliorem esse conditionem possidentis: quod sufficienter verificatur per hoc, quod actori probatio incumbat; quodque possessio præsumptionem dominii inducere soleat.

Sed opponet non nemo: Leges permittunt possessori in dubio rem retinere, ergo eam nec in totum, nec in parte restituere tenetur. R. Leges non aliter rei detentionem concedunt, nisi eo sensu, quod in judicio ad dimittendum rem cogi nequeat, quoadusque rem alienam esse judici sufficienter probetur. Hinc inferre, ergo rem retinere potest in foro *conscientiæ*, admodum impertinens est: quia, ut §. superiori ostendimus, res aliqua injustè sæpius retinetur, licèt juxta leges certum probationis genus requirentes, in judicio auferri nequeat.

§. IV.

Ex antedictis consectarium ostenditur, quòd regula In pari causa, *&c. potissimùm sibi locum vindicet in foro externo.*

PRæcipua possessionis commoda, ob quæ in *pari* causa melior dicatur conditio possidentis, eaque ex natura possessionis profluentia duo esse, § 2. & 3. ostendimus: nimirùm quòd actori non possessori ipsa dominii probatio incumbat; quodque ex ipsa possessione ordinariè aliqua dominii præsumptio pro possessore habeatur: quæ duo faciunt ut rectè dicat Regula: *In pari causa*, &c.

Porrò primum illorum non forum internum, sed externum concernere clarum est. Dum enim, ut ipsi judici probetur, possessorem rem injustè possidere; cum vero in foro interno possessori negotium non sit cum extraneo, sed tantùm secum, sive cum sua conscientia; unicè considerandum & exponendum venit, quid *sibi* probetur, non verò quid alius judici probare queat: atque adeo hoc ex capite Regula illa forum internum minimè attingit.

Alterum ob quod in pari causa possessoris conditio melior dicitur, similiter forum externum potiùs, quam internum concernere ex ipsa natura præsumptionis facilè ostenditur. Præsumptio enim est conjectura ex aliquo verisimili signo, ad probandum assumpta: & quidem, quò signum est verisimilius, præsumptio fortior est. Quandocunque ergo in particulari casu, signum, cui innititur præsumptio, alicui constat esse falsum, respectu ipsius, in tali causâ præsumptio in tali signo fundata cessat, juxta commune Dictum: *Veritati cedit præsumptio.*

Quandoquidem ergo præsumptio in casu præsenti fundetur in eo, quod conjectura sit, possessorem rem accepisse ex justo & legitimo titulo; patet, quòd rariùs in foro interno præsumptio illa locum habere possit. Ut enim præsumptio in foro interno cesset, sufficit ipsi possessori innotescere, an justè vel injustè possideat. Quam scientiam cùm possessores sæpiùs habeant, aut habere possint, faciliùs contingit, ut præsumptio hîc cesset; ac per consequens regula *In pari causa*, &c. quæ in hoc possessoris commodo fundatur, in foro interno locum habere nequeat.

Attamen interdum præsumptionem ex possessione *notabilis* temporis desumptam etiam in foro interno pro possessore facere pro se dubium non videtur. Quid enim, si quispiam in rei alicujus possessione notabili tempore fuerit, nonne interdum contingere potest, ut ex illa tam diuturna possessione, accedente adversarii diuturno silentio, ipsi possessori fundamentum aliquod exurgat præsumendi & credendi rem illam ad se legitimo titulo pervenisse; & è contrario titulum adversarii in aliquo esse defectuosum; atque ita fiat, ut possessio aliquid conferat *in foro interno*; quia scilicet ipse possessor aliquam fundatam conjecturam ex sua possessione, & adversarii silentio habere potest?

Quomodo verò possessores procedere debeant ut se retentione rei in totum vel pro parte per similem conjecturam juvare queant, infra latiùs dicemus.

§. V.

Ex prædictis ulteriùs concluditur, quod regula In pari causa, *&c. malè assumatur, etiam in materia justitiæ, tanquam titulus sufficiens, qui possessorem ex speculativo dubio faciat practicè certum.*

FIeri potest, ut aliquid sit dubium, seu incertum, abstractum ab omnibus circumstantiis, quod quibusdam tamen certis circumstantiis concurrentibus certum, & indubitatum fiat; exempli gratiâ: dubium seu incertum esse potest, utrum hoc, illove liquore validè baptizem, eo quòd incertum sive dubium sit, num similis liquor revera sit aqua naturalis: & tamen si adsit necessitas baptizandi infantem, nec alius liquor haberi possit, dubium, sive incertitudo tollitur, & practicè concluditur, tali liquore baptismum in his circumstantiis posse & debere conferri. Quia licèt incertum sit, utrum hic liquor sit materia baptismi, certum tamen est, quod in *necessitate* baptismus, etiam dubius, conferendus veniat, & consequenter materia dubia adhiberi possit.

Hoc, similive modo, præsertim in materia justitiæ, non pauci Theologi, ac Juris-Consulti occassione hujus regulæ procedunt. Dicunt enim, qui bona fide rem quempiam possidere incœpit, jamque dubitare incipit, num res sit sua, an aliena, posse manente illo dubio speculativo (ut ajunt) concludere certò *practicè*, ergo rem illam retinere possunt. Quia *In pari causa*, sive ut alii loquuntur, in *dubio melior est conditio possidentis*: sive quod idem est, speculativè quidem dubito, num res sit mea, sed quia cum dubio concurrit possessio, practicè certò concludo, rem illam posse retineri.

Verùm ut argumentum illud concluderet, suppositum probandum esset, nimirum, quod sicuti per accedentem necessitatem, materia dubia baptismi transit quodammodo in materiam certam, sive talem, quæ certò adhiberi possit & debeat: ita possessio efficiat, quòd possessor rem, de qua dubitat num sit sua, quamque sine possessione sibi integram asserere non posset, accidens possessio faciat, ut certò retinere queat. Porrò hoc sine fundamento assumi, ex ante dictis non difficulter intelligitur. Probatum quippè fuit §. 3. per hanc regulam *In pari causa*, &c. possessori de novo tribui, nihilque exprimi in regula præter id, quod possessioni naturaliter est annexum: consequenter ex natura rei possessio, etiam notabilis temporis, possit relinquere dubium, num revera res sit mea; imò non obstante illa possessione possit esse verisimilius, rem esse alienam. Quo ergo titulo concludam, me certò posse retinere rem, ad quam alium æquè aut plus juris habere credo: adeoque æquè ac magis ad ipsum quam ad me spectare; nec enim res ad nos pertinet, nisi in quantum juris ad illam habemus.

Sed dicent, possessio facit, ut res indubio retineri possit, sive restitui non debeat juxta regulam *In pari causa, &c.* R. Leges non aliter rem retinere permittunt nisi eo sensu, quod possessor *in judicio* ad dimissionem rei cogi nequeat, quandiù judici non probatur, possessorem injustè possidere, non verò quod possessio aliquid juris possessori ad rem possessam tribuat, ut supra §. 3. dictum fuit: & per consequens, possessio dubium relinquere potest, num hinc & nunc rem illam in conscientia retinere possit; eo quòd stante possessione verè dubium subesse queat, num res non sit aliena: neque leges ullibi permittant, vel decernant per possessionem ante completam præscriptionem aliquid juris in possessorem transferri, quo sibi securitatem in conscientia asserere posset.

Igitur nec ex natura rei, nec ex lege possitiva habetur, quod possessio sit titulus sufficiens, etiam in materia justitiæ, ut ex speculativè dubio faciant, practice certum, sive quòd aliquis dubitans, utrum res sit sua, & consequenter utrum tanquam suam sibi asserere possit, ob nudam possessionem in praxi concludere possit: Ergo in conscientia retinere possum.

§. VI.

Quomodò possessores in dubio, num res sit aliena, in foro interno procedere debeant.

JUre possitivo per nudam possessionem, saltem ante completam prescriptionem, nihil quidem juris in possessorem transferri §. 3. ostendimus, possessionem tamen notabilis temporis propter præsumptionem dominii ex ipsa resultantem aliquod subinde pro possessore facere posse, etiam in ordine ad forum conscientiæ §. 4. dictum fuit.

Ut ergo dubitans de proprietate rei possessæ, securè & justè procedat, expendere tenetur argumenta, ac motiva tam pro, quàm contra se militantia: quibus & argumentum quod ex sua diuturna possessione, ac adversarii silentio desumi potest, meritò adjungitur. Quibus omnibus ritè & justè expensis, secum statuat, judicetque, utrum res ad se, an adversarium æquè verisimiliter, aut verisimiliùs spectet; sive quis ipsorum plus minusve juris ad rem possessam habere videatur. Hoc cognito facilè etiam intelliget, utrum in totum vel pro parte, & pro qua parte res possessa restituenda veniat. Si enim ex argumentis clarè appareat, rem adversarii esse, indubiè tota restituenda erit: si verò jus dubium maneat, pro ratione dubii dividi debebit; vel in se vel in æquivalenti, quia in tantum res nostra est, in quantum juris in illam habemus: & id in tantum aliena, in quantum alteri jus in illam competit.

Hinc collige, fieri posse, ut etiam in dubio major pars non possidenti restitui debeat. Quid enim si aliquid quidem juris pro possessore appareat, sed tamen omnibus maturè consideratis, etiam præsumptione, quæ ex sua possessione & adversarii silentio haberi potuit, plus juris pro non possessore habetur? Indubiè res tali casu pro parte majori *non possessori* restituenda erit; utpotè cui plus juris ad illam rem competere creditur, quàm possessori.

Ex quo ulteriùs concludit quòd saltem spectando forum *internum*, non semper in dubio sit melior conditio possidentis: unde nec regula in Jure canonico ullibi reperitur expressa his terminis: *In dubio &c.* sed: In pari causa *melior est conditio possidentis.*

Quinimò, nec semper in *pari* causa melior est conditio possidentis; quia cùm nuda possessio in foro *interno* non operetur, nisi in quantum ex illa possessor fundatam aliquam conjecturam habere potest, credendi rem illam ad se legitimo titulo pervenisse, uti ante anotatum fuit, consequens est, possessionem nihil possessori contribuere, si adeo exigui sit temporis, aut adeo clarè ipsi possessori constet quo ex titulo res ad se pervenerit, ut nulla fundata cojectura ex titulo haberi queat: quo casu par erit conditio utriusque, nihil pro possessores faciente possessione; utpote quæ tali casu ad fundandam intentionem pro possessore sit inefficax.

Nec refert quòd regula generaliter dicat; *In pari causa* &c. quia omnis definitio seu Juris regula vel ex eo capite periculosa est, *eo quòd parum sit ut non subverti possit*, quia ordinariè nimirum plurimas exceptiones patitur.

Denique hîc meritò notandum, quòd si teste Doctore Mellifluo Epist. 82. *plerique imo cunctis penè sapientibus contingere soleat in rebus videlicet dubiis plus alieno quàm proprio credere judicio*; indubiè si possessores, qui de re possessa dubitant, sint justitiæ amantes, in discussione super re à se possessa, alieno potiùs, quàm proprio credent judicio; semper nimirum timidi, ne per proprium interesse judicium eorum corruptum esse contingat (a).

§. VII.

Regula In pari causa *&c. nulla ratione extra materiam justitiæ locum habere potest.*

PLura sunt quæ clarè evincunt, Regulam *In pari causa* &c. extra materiam justitiæ in foro conscientiæ, militare non posse, sive quòd possessio in materia aliarum virtutum sive obligationum in dubio nihil contribuere queat, ut aliquem ab obligatione eximat.

Primò quidem, quia ratio, quæ facit, quòd possessio in materia justitiæ subinde pro possessore aliquid contribuere possit, in materia aliarum virtutum obtinere non potest: quia, ut sæpiùs dictum est, ratio illa desumitur ex præsumptione, quæ in materia justitiæ possessione notabilis temporis, & diuturno adversarii silentio subinde oritur. Hæ verò præsumptio ex possessione non profluit, nisi quia nullus præsumitur detinere rem animo, & affectu dominantis, sive possidere, nisi reverà sit dominus: ubi ergo de domino aut quasi domino rerum temporalium non agitur, nullam præsumptionem, aut conjecturam possessio inducere potest; quinimò ubi de rebus hujusmodi non agitur, nec possessio, aut quasi possessio propriè dictæ esse potest. Ex omnium enim Juris Consultorum sententia, possessio tantùm dicitur earum rerum, quarum dominium aut quasi dominium sive ut *propria* possunt haberi. Cùm igitur regula nostra expresse agat de possidente, patet etiam hoc ex capite, non posse extra materiam justitiæ eam trahi; quandoquidem extra illam materiam nullus possessor dicatur.

Quòd verò quidam dicant, in materia aliarum virtutum in dubio occurrere *possessionem liberatis* contra obligationem Legis, in Jure inauditum est; nec in ullo textu Juris vel vestigium occurrit possesionis libertatis, quæ à libero arbitrio agendi unum, aut alterum dicitur. Quare nec ullibi in Jure, ubi de dubio agitur extra materiam justitiæ, ulla possessionis ipsius libertatis ratio habetur; sed generaliter dicitur tutius esse amplectendum, ut §. seq. ostendetur. Cùm tamen si possessio libertatis esset attendenda, numquam aut rarò daretur casus, ut rectè notat Fagnanus: *ut quis teneretur tutiorem partem eligere, & hoc præceptum tàm crebro à sacris canonibus incultatum, esset ludibrio positum, ut cum Baldo loquar*, inquit Fagnanus ad *Cap. ne innitaris*, ✠ *De Constitutionibus, num.* 193.

Ad hæc, nonne æquè se exponit periculo committendi contra legem v. g. præcipientem certis diebus ab Ecclesia indictis abstinentiam à carnibus, qui dubius in die Jovis, an transacta sit media nox, comedit carnes, quàm qui in die Sabbati similiter dubitans, an media nox excesserit, carnes manducat? Quid, quæso, ampliùs in priori casu facit possessio libertatis, ut conscientiam pacificet quàm in posteriori? Nonne æquè primo quàm secundo casu manet dubius de obligatione, consequenter utroque casu, si non abstineat à carnibus, se committit periculo agendi contra Legem, adeoque & peccat? Quia juxta regulam lumine naturali notissimam, non solùm peccatur, malum determinatè eligendo, sed etiam illius mali periculo sine justa causa se exponendo.

Meritò proinde Prosper Fagnanus, postquam ostendit in *quantas absurditas suos propugnatores conjiciat assertio, quòd in foro conscientiæ homo sit manutenendus in possessione suæ libertatis & famæ contra Deum & Legem*, dicit: *valdè mirandum esse quòd nonulli Confessores in foro Sacramentali talem theoricam in praxi servare, & docere non vereantur in perniciem animarum.* Ad *Cap. ne initaris*, ✠ *De Constitutionibus, num.* 200.

Illud sanè ampliùs mirandum, quòd etiam hodie postquam à Fagnano, aliisque adeò claris argumentis ostensum est, Regulam *In dubiis* &c. extra materiam justitiæ nullatenus extendi posse, adhuc reperiantur qui similem theoricam docere pergunt.

Mirum! quantas laxitates, & quantam conscientiæ libertatem principium illud in moralibus induxerit, ut videre licet apud Fagnanum, plures ex perniciosis sententiis super principio illo fundatis referentem dicto loco *num.* 174.

§. VIII.

Probatur ex Jure canonico, in dubio, sive facti, sive juris, nulla habita ratione possessionis libertatis, tutius semper esse sequendum.

ANimus in præsenti non est, ex jure naturali, Scriptura Sacra, aut Sanctorum Patrum auctoritate adstruere necessitatem sequendi in dubio quod tutius & securius existimamus, ne vel eo solo titulo peccemus, quòd sine justa causa periculo peccandi nos exponamus; id enim alii jam pridem abundè perstituerunt, ut Dissertatione præcedenti ostensum est: sed solum animus est, ostendere, quòd Jus canonicum generaliter decernat, in dubio sive *juris* sive *facti*, non attendendo *possessionem libertatis*, procedendum esse juxta regulam lumine naturali clarissimam: nimirum, *In Moralibus sequendum esse quod tutius & securius existimamus.*

Terminis adeò evidentibus in Jure canonico regula illa pluribus locis proponitur, ut vix ullus probabilitatum patronus id negare ausus fuerit; sed ad nescio quas glossas, & restrictiones recursum habuêre.

Quidam enim illorum dixerunt, regulam illam restringendam esse ad casus in Jure expressos, quasi Pontifices illâ suâ decisione jus positivum de via tutiore sequenda in certis casibus constituissent. Sed hanc restrictionem vel sola Decretalium lectio refellit. Legenti enim *Cap.* 12. ✠ *De Homicidio* patebit quòd existente dubio de incursa irregularitate ex homicidio, Pontifex responderit injungendum esse Presbytero, ut in sacris Ordinibus non ministret, non ex ratione speciali concernente sacrorum Ordinum ministerium; sed hac generali: *quia in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.*

Si-

(a) *Sed quæri potest, utrum qui bona fide rem possidet cujus verus dominus ignoratur, teneatur lege naturali, rem illam largiari pauperibus? Respoderi solet, quod non teneatur lege naturali; ratio hæc est, quod solus sit verus dominus, qui ratione dominii de re illa possit dispensare; porrò cum dominus ille non appareat, tunc habetur quasi non existeret, quapropter in ea hypotesi nemo est, cui res illa magis sit propria, quàm illi, qui eam bona fide possidet.* Bona fides, *inquit Lex*, tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est, *Digest. lib.* 50. tit. 17. de divers. Reg. Jur. *leg.* 136. *Cùm ergo ille, de quo agitur, sit bonæ fidei possessor, lex naturalis ei non indicat rem illam pauperibus esse distribuendam; ex eo quod ad alterum possessorem, sed ignotum, res illa pertineat: alioquin in eo casu bona ipsius fides esse desineret.*

Similiter in *Cap.* 18. *eod.* respondit Pontifex, Sacerdotem, de quo dubitabatur, num causam homicidio dedisset, à Sacerdotali officio debere abstinere, non ex aliquo motivo *specialiter* casum irregularitatis concernente; sed ex ratione fundata in principio illo generali & universali: quòd ubi prævidetur periculum impingendi in Legem, *tutius, & securius eligere debeamus*; pro ratione enim subjungitur: *eùm in hoc casu cessare sit tutius quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Similiter in *Cap.* 3. ⁂ *De Sponsalibus*, exorto dubio de valore cujusdam matrimonii decidit Pontifex, conjuges separandos ex ratione: *quia in his*, inquit, *quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.*

Ex his igitur & aliis mox citandis textibus Juris clarum est, quòd Pontifices regulam illam, *In dubiis, quòd tutius & securius existimamus, tenere debeamus*, assumpserint tanquam certum & indubitatum principium, secundum quod sive in materia irregularitatis sive matrimonii aliave, causas occurrentes deciderent. Unde Glossa post expositionem casûs dicti *cap.* 3. subjungere non dubitat: *Notandum ergò quòd in dubiis semper tenendum est illud, quod securius est & certius.*

Quòd verò Pontifices rationem *possessionis* nullam habuerint, infiniti propemodum juris textus probant, & quidem in *Cap.* 5. ⁂ *De Clerico excommunicato ministrante*; quamvis Episcopus, de quo agebatur, esset in possessione libertatis communicandi cum fidelibus, tamen dicitur deponendus, *quia in dubio non gessit se pro excommunicato.* Similiter in *Cap.* 18. ⁂ *De Homicidio*, non obstante quod Presbyter esset in *possessione* munus Sacerdotale exercendi, statuitur, ut si decerni non possit ex cujus ictu percussus interiit, debeat tanquam homicida haberi, etsi fortè homicida non sit, & a Sacerdotali officio abstinere debeat ex ratione subjecta; *cùm in hoc casu cessare sit tutius quàm temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Pariter in *Cap.* 12. ⁂ *eodem*, Prebyter erat possessione functionis majorum Ordinum, & tamen ob solum dubium, utrum irregularitatem incurrisset, decernitur, quòd in Ordinibus illis non possit ulteriùs ministrare: quia, *in dubiis*, inquit Pontifex, *semitam debemus eligere tutiorem.*

Ex quibus patet Pontifices judicâsse, in dubio sequedum esse quod tutius & securius existimamus, nulla possessionis habitâ ratione.

Sed dicent forsan nonnulli, textus juris, qui dicunt, in dubiis eligendam esse semitam tutiorem, loquuntur de dubio *facti*, non de dubio *Juris.* Resp. Textus juris indifferenter de uno & altero loqui: nam v. gr. in dicto *Cap.* 5. ⁂ *De Clerico excommunicato ministrante* occurrit dubium juris: nimirum, an sententia excommunicationis lata à Delegato non præmissa monitione, & ante intimationem, liget nec ne; & tamen in hoc dubio deciditur, *Episcopum debuisse tutiorem partem eligere.*

Similiter in Clementinâ *Exivi, de Verb. Sign.* in dubio meri juris, nimirum an Fratres Minores teneantur sub præcepto peccati mortalis ad ea observanda, quæ in regula verbo imperativi modi negativè & affirmativè apposito inferuntur? Pontifex eandem regulam sequendam esse dicit: »Nos itaque attendentes, inquit, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, »ad vitandos graves remorsus conscientiæ pars *securior* est te»nenda &c.« Ex quibus patet æquè in dubio juris, quàm in dubio facti hanc regulam à Pontificibus fuisse assumptam: nec mirum, quia æquale periculum est impingendi in legem occurrente dubio juris, quàm dubio facti; ac per consequens, in utroque casu ex eadem ratione sequenda via tutior, ne aliàs scilicet exponamus nos sine justa causa periculo impingendi in legem.

Illud sanè ridiculum est, quod nonnulli dicere non verentur, in citatis juris locis agi de dubio speculativo, non verò de dubio practico: quid enim evidentius quàm Pontifices ideò dicere in casibus ibidem relatis esse dubium practicum, quia erat dubium speculativum: hoc est, quia dubitabatur v. gr. num Sacerdos homicidium commisisset, inde Pontifex concludit, esse dubium practicum, sive dubium, utrum Sacerdos officio Sacerdotali fungi posset, an verò ab eo abstinere debeat; & quia tale dubium practicum erat, resolvit Pontifex, potiùs esse abstinendum, ex ratione, quia in *dubiis semittam debemus eligere tutiorem.*

Ex his omnibus manifestum est, Jure canonico in foro conscientiæ non esse probatam hanc regulam: *In dubio melior est conditio possidentis*; sed generaliter tanquam principium lumine naturali notissimum propositam & probatam esse hanc regulam: *In dubiis quod tutius & securius existimamus tenere debemus*, sive quod in idem recidit: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.*

Et licèt in materia justitiæ, ut ante dictum est, possessio notabilis temporis subinde aliquid facere queat; tamen nec in illa materia in dubio semper in foro conscientiæ pro possessore judicandum esse superiùs sæpiùs diximus; solumque possessio facit, ut ob præsumptionem ex ipsa resultantem motiva ex parte possessoris interdum augeantur, ob quæ contingat, ut vel dubium tollatur, vel si dubium remaneat, ex possessione aliquid verisimilitudinis pro possessore exurgat, quâ consideratâ etiam in hac materia, quod certius & securius existimamus, in dubio tenere debemus: ne aliàs & hîc nos sine causa exponamus periculo impingendi in legem justitiæ. Dum enim juxta dicta §. 6. possessor manente dubio circa proprietatem rei possessæ, pro verisimilitudine juris rem dividit, supponitur certus esse, saltem moraliter, quod ipsi jus aliquod verisimile ad rem possessam, correspondens parti rei, quam retinet, competat; adeoque non dubiè, sed ex morali certitudine, rem illam retinendo, procedit.

Hactenus dictis non obstat *Cap.* 18. ⁂ *De Censibus*; Imò potius eo confirmantur: cùm enim ex parte Archiepiscopi Compostellani quæreretur, in qua mensura quidam vota sua ad Beati Jacobi persolvere deberent? Respondit Pontifex: Si ad varias & diversas mensuras hujusmodi vota persoluta fuerint, »quòd volentes ad minorem, non sint cogendi ut ad majorem persolvant, quoniam, inquit, cùm hujusmodi vota grauita fuerint ab initio, benignius sunt à viris Ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.«

Quis verò dubitet hoc securius & tutius esse interrogantibus, adeoque Pontificem juxta dictam regulam respondisse.

REPAGULUM CANONICUM
ADVERSUS
NIMIAM EXEMPTIONUM A JURISDICTIONE Episcoporum extensionem;

Cui præmittitur brevis discussio hujus Propositionis: Quocunque titulo quis Beneficium Ecclesiasticum mediante temporali assequatur, simoniam jure naturali prohibitam incurrit. Hoc temporale, si PENSIONEM voces, IN VOCE, non IN RE distinctio erit.

PRÆFATIO
HITORICO-APOLOGETICA.

CUm 24. Decembris nuper elapsi distributæ essent theses *de Simonia*, 29. ejusdem me Præside propugnandæ, intellexi aliqua in thesibus illis à nonnullis Academicis redargui; quin & die immediatè præcedente diem disputationibus præstitutam, indicatum mihi fuit, finalia verba conclusionis secundæ etiam ipsis Confratribus meis J. U. Doctoribus ita videri ex-

expressa, quasi per illa negaretur Pontifici, & Episcopis omnis planè constituendæ pensionis auctoritas: eapropter eosdem J. U. Doctores desiderare; ut ante disputationum inchoationem aliquam verborum illorum explanationem præmitterem, qua mentem meam super verbis illis clariùs exponerem. His intellectis, tametsi nullatenus crederem verba illa sensum illum præseferre, statui tamen, potiùs verba illa delere, quàm diminutæ per me Pontificiæ, aut Episcopalis potestatis vel umbram permittere; præsertim cùm verba illa per modum cujusdam consequentis ex præcedentibus conclusionis verbis solummodo essent adjecta; nullumque per hanc expunctionem veritati præjudicium generandum crederem, eo quod mentem meam in materia pensionum abundè expressissem in Libello *de Simonia circa Beneficia.*

Nullo proinde instigante, aut monente finalia verba conclusionis secundæ occultanda censui, non quòd aliquid falsi aut Superiorum auctoritati contrarium verbis illis expressum crederem, sed ut umbraticæ isti quorundam opinioni occurrerem, omnemque offensionis lapidem amoverem.

Idipsum significavit Strictum Juris Collegium in litteris suis ad Illustrissimum D. Internuntium, quibus prædictas theses unà cum enarratione rei gestæ transmisit; quarum litterarum hæc erat conclusio: *Hæc eò scribimus, ut si quæ fortè thesis ante dictam correctionem ad manus Vestras devenerit; constare Illustrissimæ Vestræ Gratiæ possit, quàm promptè & Præses & Facultates nostræ occurrere voluerint illis, quæ vel in speciem supradictas auctoritates* (Pontificiam & Episcopalem) *lædere posse viderentur.* Ad hæc Illustrissimus D. Internuntius per litteras Stricto Collegio de sua in S. Sedem observantia gratias egit. Cumque eidem Illustrissimo 20. Januarii per occasionem me adesse contingit, & sermo de his thesibus incidisset, dixi me non credere verba finalia conclusionis secundæ aliquam Pontificiæ auctoritatis præferre diminutionem: mox respondit, se quoque non videre, quid in illis Sedem Apostolicam offendere potuisset. *Neque enim*, inquiebat, *verbis illis Pontifici negatur potestas justa de causa constituendi pensiones.* Cumque reposuissem, quod licèt id quoque mihi certò haberem persuasum, voluissem tamen ob quorundam, licèt parùm fundatam suspicionem, verba illa delere, ut sic læsæ Pontificiæ auctoritatis etiam umbram à me amolirer: summas mihi pro mea in Sedem Apostolicam observantia gratias egit. Sicque scena de thesibus illis peracta fuit; & nihil amplius auditum, quousque Eximius quidam in thesibus suis scenam illam renovare cœpit.

Cumque nihil in occulto in scena illa à me actum sciam, ipse tamen Eximius dicere audet: *Facta tua particularia, quæ hanc scenam sunt concomitata, sileo, quia noster ordo amoris nequidem occulta propalat vitia, ut proximus diffametur.*

Benè habet, *Eximie Pater*: Vester ordo amoris occulta non propalat vitia, ut proximus diffametur, & interim proximum in suspicionem vitiorum occultorum adducere, imò tanquam infectum vitiis occultis infamare permittit.

Hunc profectò rectè suum dixit amoris ordinem, non Augustini: qui si occulta vitia etiam vera populare vetat; quantò magis prohibet confingere non facta? Nisi fortè detractor habendus non sit, qui de eximia Vestra Paternitate diceret palam: *Facta ejus particularia sileo, quia noster amoris ordo nequidem occulta propalat vitia, &c.*

Quid enim aliud hæc insinuant, quàm si quis apertè diceret: Facta habet particularia digna redargui; sed ea singulatim à me dici prohibet amoris ordo. Præterea, si occulta sileres, quid silendum magis, occultandumque oportuit, quàm quod ipsemet, ne palam fieret, occultum fuisse à me agnoscis: quod etsi reprehensione dignissimum fuisset (contrarium ex ipso D. Internuntio jam audivimus, & infra ampliùs patebit) non plus, in Augustiniano amoris ordine mihi objici jam poterat, quàm ipsimet Augustino sua quælibet doctrina retractata. Propitius sit mihi Deus ab hujusmodi Censoribus, si quid aliquando in libris, aut dictatis publicis exciderit imprudentius; quando etiam privata mea, & occultata *scrutantur in lucernis.*

Verùm ampliùs obstupui, mecumque obstupuit Academia ad hæc Eximii Patris verba: *Quid tibi tandem persuadebunt homines Anti-Papales, ut per te faciant, quod ipsi facere erubescunt.* Hic ut homines Anti-Papales proscindi, quos immediatè ante *selectissimos commensales meos* dixerat, circumstantiæ atque verborum expressio dubitare vix sinebant.

Proinde verba illa præferebant, duos à præcipuis hujus Academiæ Viris & Magistris, tanquam homines *Anti-Papales*, seu adversarios Papæ palam traduci, ipsisque affingi per Eximium hujus Academiæ Magistrum, quod ne unus quidem ex tota illa adversariorum phalange, quæ tot annis Viros illos, præsertim apud Sedem Apost. odiosos reddere studuit, unquam attentare præsumpsit. Quis ad hæc non obstupescat? Sed error forsan in verbis tuis: Non istos, *inquies*, sed alios mente intelligo *homines Anti-Papales*: ita quidem primariis quibusdam Academiæ Viris te professum fuisse intelligo.

Sanè ut vera sit tua hæc, *Eximie Pater*, privata professio, num tuus ordo amoris permittit, sic verba adornare, ut in viros innocentissimos atque *selectissimos* calumniæ atrocissimæ conjectæ videantur?

Dicis, Eximie Pater, *Præpositi nostri nunquam permittunt corrodere claves S. Petri*: Utinam! sed utinam aliquando vigilantes illi Præpositi evigilent, ut cohibeant vafrum illum scribendi modum, quo adornatis verborum ambagibus, & involucris, Virorum spectatissimorum fama, & doctrina impunè corroditur, & laceratur.

Huic Præfationi Apologeticæ consultum duxi adjicere brevem discussionem propositionis ex thesibus meis de *Simonia* desumptæ: *Quocunque titulo, sive collationis, sive permutationis, sive resignationis, quis Beneficium Ecclesiasticum, mediante temporali assequatur, simoniam jure naturali prohibitam incurrit. Hoc temporale si pensionem voces, in voce, non in re distinctio erit.*

Quo verò æquiùs judicet Lector de hac propositione, neque obtingat, quod fieri solet, ut de parte avulsa aut truncata aliter, quàm si de ea judicetur, ut toti suo adhærente, visum fuit disputationem integram, cui præfata propositio inseritur, hisce subjicere.

Hasce denique & Præfationem Apologeticam & præfatæ Propositionis discussionem unà præmittendas censui, ut notam *Anti-Papalis* iniquè mihi impactam à me, & scriptis meis amolirer. Quod vel maximè hîc necessarium, cùm in eo versaturus sim argumento, scilicet exemptionum, *Canonicum* illis objiciens *Repagulum*; unde, si ex ullo, suspicio mihi nascitur fore, ut prædicta imminutæ auctoritatis Pontificiæ nota scriptum meum adspergatur.

DISPUTATIO
DE SIMONIA.

CONCLUSIO I.

MAteria simoniæ sunt res spirituales, aut spiritualibus annexæ. Prioris generis sunt v. g. Sacramenta, divina officia, clavium potestas, aliaque similia. Pro horum administratione temporale exigere, proculdubio simoniacum est. Quapropter Synodus Tridentina decernens, dispensationes *gratis* dandas esse, nullum jus novum induxit; sed jus naturale, cui etiam Summus Pontifex subjicitur, declaravit. Consequens etiam est, Canonicos, aliosque Ecclesiæ Ministros divina officia intuitu rerum temporalium persolventes ab omni affectu simoniaco non esse immunes: & hinc ulterius consectaneum esse facilè ostendemus, Canonicos frequentantes officia, quibus distributiones quotidianæ sunt annexæ, neglectis illis, quæ hujusmodi distributionibus carent, non esse ab omni simoniaco affectu alienos.

CONCLUSIO II.

REs temporales spiritualibus annexæ materiam constituunt simoniæ, qua rebus illis temporalibus venditis, etiam spirituales, quibus annectuntur, venditæ censentur: quare qui præbendam, sive jus percipiendi fructus Canonicatui alterive Beneficio ecclesiastico annexum, vendit, aut emit, ipsum Canonicatum vendere aut emere censetur: unde quocunque titulo, sive collationis, sive permutationis, sive resignationis, quis Beneficium ecclesiasticum mediante temporali assequatur, simoniam jure naturali prohibitam incurrit. Hoc temporale, si *pensionem* voces, in voce, non in re distinctio erit.

CON-

CONCLUSIO III.

NEc tantum Beneficii ecclesiastici collatio, sed etiam admissio ad ejus possessionem materiam constituit simoniæ. Hinc Concilium Lateranense III. *in cap.* 9. ✠ *h. t. Horribile nimis est*, inquit, *quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere: ità ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibusdam personis Ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis Præsbyteris in Ecclesiam, aliquid exigatur.* Et Innocentius III. *in cap.* 26. ✠ *h. t.* rescribit Episcopo Cantuariensi ut *pravam* consuetudinem, per quam pro *investitura* Archidiaconi & minores Decani certam pecuniæ quantitatem sibi dari, vel solvi postulant, studeat abolere. Similiter consuetudinem exigendi à novo Canonico convivium confratribus exhibendum, priusquam ad integram fructuum perceptionem admittatur, reprobat Greg. IX. *in cap.* 24. ✠ *h. t.* & Honor. II. cum intellexisset *in Leodinensi Ecclesia consuetudinis esse, ut si quis Canonicus fieri voluerit, oportet eum Præposito & Decano determinatam pecuniam exhibere; & hoc de investituris Ecclesiarum & Altarium Archidiaconos, & Diaconos facere intellexisset*; scribens Alexand. Episcopo, & Clero Leodiensi, hanc consuetudinem tanquam *detestabilem*, & simoniacam reprobavit: præcipiendoque mandavit, *quatenus tàm prava consuetudo de cætero apud illos nullatenus conservetur, sed modis omnibus annihiletur.* Habetur hæc Epistola *tom.* 12. Specilegii Dacherii *pag.*158. Quibus consonat Synodus Tridentina *sess* 24. *c.* 14. *de Reformat.* Ex his concludimus, non esse probandam consuetudinem hodiernam, qua quidam Archidiaconi, Decani & Canonici in admissione ad possessionem, certam summam pecuniæ in suum privatum commodum ab admittendis ad possessionem exigunt.

CONCLUSIO IV.

MUnus, cujus interventione simonia committitur, aliud est *à manu*, aliud *à lingua*, & aliud *ab obsequio*, *Can.* 8. *caus.* 1. *q.* 1. Ratione muneris *à manu* Simoniacus est, qui pro obtinenda remissione debiti, sive contracti, sive contrahendi, confert, aut procurat alicui Beneficium. Item Canonici, & Abbates, qui pastoratum conferunt alicui eâ conditione expressâ vel tacitâ, quòd minori portione decimarum erit contentus, aut augmentum *competentiæ* non exiget. Item, qui ad terminandam litem sic transigunt, ut unus Beneficium pacificè possideat, alter verò nullas expensas litis exsolvat. Munere *à lingua* toties incurritur simonia, quoties ad preces alterius confertur Beneficium eo fine, ut per hanc collationem favor rogantis in utilitatem privatam habeatur: v. g. ut eo mediante ad officium aliquod, aut Beneficium perveniatur. Munere *ab obsequio* incurrunt simoniam, qui obsequium sive temporale, sive spirituale exhibent Patronis, aut Collatoribus nullo, aut minore salario, spe consequendi Beneficium in compensationem exhibiti obsequii.

CONCLUSIO V.

QUi mediante temporali spirituale consequitur, Simoniacus est, sive id detur per modum *pretii*, sive *motivi*, ut per proscriptionem propositionis 45. & 46. inter 65. declaravit SS. D. N. Innocentius XI. Nihil quoque interest, num temporale detur Collatori, an alteri; modò detur, ut per illud ad Beneficium perveniatur. Hinc Simoniaci sunt, qui mediante aliquo munere venantur amicitiam vel favorem illius, quem sciunt auctoritate apud Collatorem valere: licèt id etiam in causam piam daretur, aut permitteretur, v. g. in extructionem, aut ornatum alicujus Ecclesiæ, vel usum Religiosorum: si modò detur, ut eo mediante gratiam illius Communitatis ineat, eâque mediâ ad dignitatem ecclesiasticam sibi viam pandat. Sicuti hujusmodi muneris interventione promotio ad Beneficium inficitur labe simoniæ, ita quoque qui hujusmodi seu directa seu indirecta alicujus muneris promissione ad officia Reipublicæ ascendunt, & juxta usitatam juramenti formulam jurant, *quòd pro officio assequendo, nec pecuniam, nec quicquam aliud obtulerint, promiserint, aut dederint; aut offerri, aut promitti fecerint; nec dabunt, cuicunque tandem, nec directè, nec indirectè, aut alio quocunque modo*; à perjurio exempti non sunt.

IMPERTINENS.

FAcultas *Parisiensis, ut induceret Prælatos Ecclesiæ ad abusum inveteratum tollendum, scripsit*: Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Prædecessores nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud permiserunt, sufficit nobis vivere ut ipsi; proculdubio istud argumentum diabolicum est, & infernalis hæc persuasio: vos illorum exitum ignoratis, an bonus vel malus fuerit. *Utinam hoc monitum attendant, qui hodie subdolis illis hominum vocibus nimiùm auscultant.*

PARS PRIMA.

DISCUTITUR SEQUENS PROPOSITIO.

Quocunque titulo, sive collationis, sive permutationis, sive resignationis, quis Beneficium Ecclesiasticum mediante temporali assequatur, simoniam jure naturali prohibitam incurrit. Hoc temporale si PENSIONEM *voces,* IN VOCE *non in re distinctio erit.*

PARAGRAPHUS I.

Expenditur primum membrum superioris propositionis.

DIscutiendæ positionis ex conclusione secunda Thesium mearum desumptæ duo statuenda membra: quorum primum, hoc paragrapho breviter probandum, his verbis expressum erat.

Quocunque titulo, sive collationis, sive permutationis, sive resignationis quis beneficium ecclesiasticum mediante temporali *assequatur, simoniam jure naturali prohibitam incurrit.*

Hæc positio, in quantum hîc simoniam *jure naturali* prohibitam asserit, difficultatem haud patitur; communique Canonistarum, ac Theologorum calculo comprobatur.

Certum quippe ac indubitatum est, juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, jus percipiendi proventus Ecclesiasticos titulis ecclesiasticis *consequenter*, ut ajunt, esse annexum: ac proinde jus ad proventus, seu præbendam temporalem, mediante temporali obtineri non posse, nî unâ mediante temporali obtineatur titulus ecclesiasticus. Quod jam pridem notavit Doctor Angelicus dicens: *rebus istis, quæ spiritualibus* consequenter *sunt annexæ, venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici.* Rationem reddit Paschalis II. *Quisquis*, inquiens, *horum alterum vendit, sine quo, nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

Ea propter B. Petrus Damiani quosdam Capellanos Ducis Gothofredi suo tempore exagitare non dubitavit tanquam *hæreticos, satanæ Prædicatores, & Apostolos Anti-Christi*, eo quòd pertinaciter dogmatizarent proventus Episcopatûs mediante temporali absque emptione ipsius Episcopatûs comparari posse: *Venalia siquidem sunt*, inquiebant, *unde sint divites,* (Episcopi) *gratis accipiunt, unde fiant Sacerdotes.*

» O novum Schismaticorum genus, exclamat Damiani, & » os sacrilegum æterni silentii censurâ damnandum! « post hæc Alexandrum III. urget, ut tanquam » novus Josue evaginato » canonici mucronis gladio prosternat istos Amalecitas, tollat- » que è tartareæ amaritudinis aconitu, ne ferale illud venenum » faucibus influat parvulorum. « Hujus suæ censuræ fundamentum consonum rationi ex S. Thoma jam adductæ, subjicit: » Cùm aliquid sub venalitate suscipitur, & illud proculdubio » comparatur, quod ex necessitate subsequitur. Ad hoc enim » Pastoralis Ecclesia cuique committitur, ut ad ejus regimen » obtinendum consecratione firmetur. Et ad hoc sine dubio » collatæ pecuniæ commercium spectat, ad quod is, qui pro- » movendus est, aspirat.

Consilia, ac rationes P. Damiani probans Alexander II. tanquam alter Josue novos illos Simonis discipulos Petri gladio percussit, ut idem Damiani testatur.

» Impudentissimum proindè prætextum detestamur eorum » (verbis loquor Consilii Remensis) qui de solo proventu re- » que temporaria canonicatûs se pacisci dicunt, cùm ea spiri- » tuali tàm arcto sit annexa vinculo, ut non magis ab ea di- vel-

» velli queat, quàm in homine, vivo manente, corpus â sua » natura. «

Detestandum hunc prætextum pluribus insequi supersedeo; tum quia in libello meo *de Sim. circa Benef. & Administ. Sacram.* illum fusiùs refutavi; tum quia Eximius Thesista, cum quo mihi in præsenti quæstio est, prætextum illum mecum detestatur; agnoscitque præbendam temporalem *consequenter* titulo ecclesiastico annexam mediante temporali citra Simoniam jure divino prohibitam comparari non posse: ita enim in thesibus 7. Septembris 1685. defensis Conclus. 33. loquitur: » Simonia alia » est juris divini, humani altera; primam incurrit, qui tem- » porale vendit spirituali *consequenter* annexum. «

Neque referre hanc per modum pretii temporale interveniat, admittit Ex. Pater. Immediatè enim præmisserat: » Dare » temporale pro spirituali, tanquam *motivum* conferendi illud, » simonia est. «

Incontestatum ergo manet primum positionis meæ membrum nimirum: » Quocunque titulo quis Beneficium ecclesiasticum » mediante temporali assequatur, simoniam jure naturali prohi- » bitam incurrit. « Idque sive temporale per modum motivi, sive per modum pretii interveniat.

§. II.

Ostenditur, secundum membrum propositionis necessariò consequi ex primo.

PRimo propositionis membro, de §. præcedenti actum, subjunxit alterum tanquam priori evidenter inclusum, his finalibus conclusionis verbis expressum: » Hoc temporale si » *pensionem* voces, in voce, non in re distinctio erit. «

Eximius Thesista licèt priorem conclusionis partem probet, consequens tamen inde eductum, mirum! quanto clamore exagitet.

Proh Deus bone, exclamat, *ergône semper Lovanii aliquid novi?*

Sed amabo te, Eximie Pater, quo te tuus abripit clamor? Ergone te judice aliquid novi, atque spernendæ novitatis fœtus, dicere illum *voce*, *non re* eximi à simonia, qui re ipsa Beneficium mediante temporali assequitur, modò temporale illud callide & astutè *pensionem* dixerit?

Mirùm profectò artificium! en duo sunt, quorum uterque mediante notabili pecuniæ summâ sibi ad Beneficium ecclesiasticum aditum paravit. Alter eorum homo simplex, hujusque artificii ignarus, pecuniam promissam nominare *pensionem* nescivit, hic simoniæ *juris divini*, nullâ humanâ auctoritate etiam Pontificiâ purgandæ condemnatur. Alter verò nonnihil astutior, summam promissam *pensionis* vocabulo cohonestare novit: hunc si simoniæ juris divini, seu naturalis insimules, eumque voce non re à priori distingui dixeris, exclamatur: *Proh Deus bone! ergone semper Lovanii aliquid novi?* Sed ego: Proh Deus bonè! ergone Lovanii texuntur, ac consuuntur nova semper simoniarum pallia? Ergone posthac simonia non in re, sed in verbis sita erit? Licebit imposterum Ecclesiasticis ad munia ecclesiastica permutationis, resignationis, aliove titulo *mediante temporali* impune, & citra simoniæ labem ascendere, modo temporale hoc pensionem dicere noverint.

Verùm ulteriùs clamando pergit Eximius, & tanquam absurdissimum ex præfata mea assertione infert: *Igitur qui mediante pensione assequitur Beneficium Ecclesiasticum, simoniam jure naturali prohibitam incurrit?*

Benè habet, Eximiè Magister. Patere ut verbo uno te compellem: qui mediante temporali, seu summa pecuniæ, sive per modum pretii, sive per modum motivi Beneficium ecclesiasticum assequitur, nonne te judice, simoniam *juris divini* incurrit? Qua igitur ratione à simili simonia eximes illum, qui mediante temporali, quod *pensionem* vocat, assequitur Beneficium ecclesiasticum?

Si juri studuisti, Canonistarumque commentarios aliquando vel obiter pervolvisti, nonne intelligis pensionem esse quid temporale: quandam nimirum quantitatem pecuniæ à resignatario, v. g. resignanti annuè præstandam?

Consequenter nonne luce ipsâ meridianâ clarius est, quòd qui mediante pensione, id est, mediante annua pecuniæ præstatione, ejusque addictione Beneficium ecclesiasticum assequitur, ille mediante temporali ad Beneficium perveniat?

Si ergo simoniæ juris divini reus est, qui mediante temporali etiam per modum motivi Beneficium ecclesiasticum quocunque titulo assequitur; quâ specie, vel umbrâ disparitatis eximemus à pari vitio, qui mediante notabilis summæ pecuniæ addictione sibi ad Beneficium viam parat, modò hanc summam dixerit *pensionem*? Nî forsan omnia, quæ in sacris litteris & Ecclesiæ decretis contra simoniam dicuntur, in verbis, non in re sita esse dixerimus.

Sed replicavit forsan Eximius Pater, qui alteri annuam pecuniæ summam *pensionis* nomine addicit, eam promittit sub ea conditione, si Pontifex aut Episcopus annuat. Sit ità; sed nunquid Pontificis, aut Episcopi auctoritate à simonia eximi poterit, qui ad Beneficium ecclesiasticum *mediante temporali* intravit? Numquid ferente Eximio Patre, ac suffragante saniorum Canonistarum, Theologorumque turbâ, incurrit simoniam *juris divini* nullâ humanâ potestate dispensabilem, qui *mediante temporali* ad Ecclesiasticum Beneficium sibi viam parat?

Quomodò igitur juxta Eximium Patrem, summus Pontifex à simonia purgare poterit resignationem vel permutationem Beneficii, quam quis per addictionem alicujus *rei temporalis*, nimirum notabilis summæ pecuniæ impetravit? Licèt enim honesto pensionis vocabulo hoc temporale palliare studuerit, semper tamen manet verum, hujusmodi resignatarium, seu permutantem *mediante temporali* ad Beneficium ecclesiasticum intrâsse; ac per consequens, quacunque auctoritate etiam interveniente, tali verissimè exprobari poterit: *pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam existimasti donum Dei*, sive Beneficium ecclesiasticum *pecunia possideri*, seu acquiri.

§. III.

Ex secundo possitionis membro consequens non est, omnem omninò pensionis creationem esse simoniacam; aut omnes, qui Beneficium Ecclesiasticum suscipiunt cum onere solvendi annuam pensionem esse Simoniacos.

EX secundo propositionis meæ membro: *Hoc temporale si pensionem voces, in voce, non in re distinctio erit*, infert Eximius Pater, *Ergo pensionum creatio est simoniaca contra jus naturæ indispensabile.* Atqui hinc ulterius inclamando subinfert: » Ergo damnas universum, condemnas ipsum Ecclesiæ Caput' » urbis & orbis Pontificem, pensionum Ecclesiastico more » Creatorem, ac Indultorem sanctissimum; quo te tuus abri- » pit calamus, abripit zelus? «

Consequi ergo credit Eximius ex hac mea possitione, omnem pensionis creationem esse simoniacam contra jus naturæ indispensabile.

Sanè, cum Eximius Thesista me his verbis interpellet, *An non studes Juri, Clarissime Domine?* Non indignetur, si pari jure interrogem: an non studes, vel saltem studuisti Philosophiæ, Eximie Magister? An non à Professsoribus tuis audivisti: Quod in topicis non procedatur à certa specie ad genus distributum?

Hoc tamen argumenti genere uti Eximium Patrem, dum ex allegata mea possitione inferre tentat, omnem pensionis creationem simoniacam esse facilè intelliget, qui vel obiter conclusionem; de qua in præsenti agitur, totam expenderit.

In dicta Conclusione dictum fuerat, » Quocunque titulo si- » ve resignationis, sive permutationis, quis Beneficium Eccle- » siasticum mediante temporali assequatur, simoniam jure natu- » rali prohibitam incurrit. « Huic assertioni immediatè tanquam ex priori consequens sbjicitur: *Hoc temporale si pensionem voces, in voce, non in re distinctio erit.*

Nonne omnibus evidens est, totum, quod de pensione hîc dicitur, restringi ad pensionem, quæ re ipsa correspondet illi temporali, quo mediante Beneficium ecclesiasticum obtineretur? Quid evidentius quam ly *hoc* referre vocem *temporale* secundo conclusionis membro expressum ad temporale, de quo in priori membro sermo fuerat?

Consequenter evidens est, sermonem duntaxat institui de pensione, quæ respondet temporali, *quo mediante* quis Beneficium ecclesiasticum assequitur, sive per cujus addictionem, seu promissionem aliquis sibi viam sternit ad Beneficium; vel per quam inducit resignantem, saltem per modum motivi, ut in suum favorem Beneficium resignet.

Ad hanc igitur formam argumentum Eximii Patris reducitur: illa pensionis creatio, *qua mediante* quis Beneficium ecclesiasticum assequitur, est simoniaca; ergo omnis pensionum creatio est simoniaca. Hoc verò argumentum esse à certa specie ad genus distributum, intelliget, qui advertat, non omnem pensionem esse illam, *qua mediante* quis Beneficium ecclesiasticum assequitur, neque omnes, qui pensionem solvunt, assequi Beneficium mediante pensione.

Quod ut clariùs intelligatur, dico, illum *mediante pensione* assequi Beneficium, qui per promissionem, seu oblationem pensionis inducit aliquem, saltem per modum motivi, ut in suum favorem Beneficium resignet: adeoque mediante illa promissione ad Beneficium sibi viam parat. Illum verò, qui aliàs legitimè ad Beneficium vocatur, pensionem justa de causa per Superiorem Beneficio impositam suscipit solvendam, ad Beneficium *mediante pensione* non pervenire assero, sed Beneficium cum onere pensionis à Superiore legitima de causa imposito simpliciter suscipere; & consequenter, talem pensionem non esse illam, *qua mediante* quis Beneficium assequitur.

Ineptè ergo ex mea positione concluditur, *Ergo pensionum creatio est simoniaca contra jus naturæ indispensabile.* Nisi una asseratur, nullam posse creari pensionem, nisi correspon-

den-

dentem *temporali*, *quo mediante* quis Beneficium ecclesiasticum assequitur: sive omnem pensionem esse rem temporalem, qua mediante ad Beneficium ecclesiasticum intratur: quo nihil insulsius, imperitiusque dici poterit.

Si enim vel leviter Canones, Canonumque Commentatores pervolvantur, quid erit apertius, quàm pensiones justis de causis per Superiores *ex officio* Beneficiis, aut personis imponi? Ut is quidem, qui Beneficium assequitur, pensionem solvere teneatur, nequaquam tamen per pensionis promissionem ad Beneficium sibi viam paraverit. Exemplo rem declarare juvat: aliquis ab Episcopo aliove suo Superiore legitimè vocatur ad Pastoratum, quem modernus possessor senio confectus deserere meditatur, sed cum hic mediis temporalibus sit destitutus, strenuamque in vinea Domini operam navaverit, justitiæ, æquitatique consonum judicatur, ut illi portio aliqua fructuum in alimentationem, auctoritate Pontificis vel Episcopi reservetur: huic justo pariter ac æquo Superiorum judicio, si se subjiciat Clericus, Pastoratum cum hoc onere legitima actoritate imposito suscipiens, nec ipse resignatarius, nec pensionis reservatio vel in speciem simoniæ labe inficientur.

E contrario erit aliquis, qui desiderans titulo v. gr. resignationis assequi canonicatum, possessorem illius sive per se, sive per alium super resignatione canonicatûs in suum favorem sæpiùs tentat, intelligitque tandem, animum illius à resignatione in ejus favorem non alienum, modo summam pecuniæ (qua similes canonicatus inter profanos rerum spiritualium litigatores æstimari solent) ex suo canonicatu distillare posset.

Ecclesiasticus hic avidus canonicatûs assequendi summam millium aliquot v. gr. florennorum pensionis nomine Canonico offert; quâ factâ oblatione, resignatio inter ipsos concluditur, Superioris auctoritate firmanda. Posteriori hoc casu resignatarium simoniacum esse, assero: neque enim Beneficium ecclesiasticum cum onere per Superiorem imposito, ut in priori exemplo, simpliciter suscipit; sed per temporale, tanquam motivum ut minùs, ad Beneficium ecclesiasticum sibi viam paravit; quod simoniacum esse contra jus naturale, non negavit, ut credo, Eximius Pater. Quis enim adeò stolidus, aut mente captus, qui non videat resignatarium simili casu per temporale tanquam motivum ad Benficium ecclesiasticum ascendere, illamque resignationem in suum favorem *gratis* non obtinuisse?

Quare nec superveniens Pontificis, aut Episcopi approbatio, seu confirmatio unquam efficiet, ut non sit verum, hujusmodi resignatarium per temporale ad Beneficium intrâsse; resignationemque per oblationem, & promissionem notabilis summæ pecuniæ, saltem per modum motivi in favorem resignatarii impetratam fuisse.

Sit igitur hæc conclusio: Qui ad Beneficium ecclesiasticum canonicè vocatus, illud cum pensionis onere per Superiorem justa de causa imposito suscipit, Simoniacus non est; qui verò mediante promissione pensionis Beneficium ecclesiasticum assequitur, simoniam juris divini nullâ Superioris auctoritate purgandam incurrit.

§. IV.

Exempla Pensionum, *quæ in antiquis Ecclesiæ monumentis occurrunt nullatenus favent* Pensioni, *qua mediante quis Beneficium assequitur.*

IN magno Calchedonensi Concilio, actione X. & XII. à Patribus examinatâ & discussâ causâ Bassiani Episc. Ephesini, & Sthephani in locum illius electi; cùm placuisset, eo quòd uterque contra regulas factus esset Episcopus, neutrum eorum dominari, neque præesse Sanctissimæ Ephesiorum Ecclesiæ, gloriosissimi judices dixerunt: »Removebuntur quidem »à Sancta Ephesiorum Ecclesia Bassianus & Stephanus Re»verendissimi, habeant autem dignitatem Episcopi, & ex red»ditibus memoratæ Sanctissimæ Ecclesiæ, *nutrimenti gratiâ & »consolationis*, *annis singulis solidos aureos ducentos* accipiant: »alter verò secundum regulas ejusdem Sanctissimæ Ecclesiæ »Episcopus ordinabitur.« Omnis Sancta Synodus exclamavit: »Hæc justa sententia, hæc justa forma, hæc benè habent.«

En pensionis ecclesiasticæ exemplum ab universali Concilio probatum, & Concilii auctoritate Ecclesiæ Ephesiorum impositæ, atque ab Episcopo præficiendo persolvendæ; nequaquam verò per aliquem Bassiano, aut Stephano oblatæ, aut promissæ, ut eâ *mediante* sibi ad Ephesiorum Cathedram viam panderet.

Plura similia pensionis ecclesiasticæ præformata exempla in eadem Synodo memorantur (de quibus in libello *de simonia circa Beneficia*, *part.* 2. §. 2.) eandem plane pensionis Ecclesiasticæ regulam exprimentia.

Si Sancti Gregorii Epistolas consulamus, non obscura quoque pensionis ecclesiasticæ reperientur vestigia. Et quidem Episcopos per Illyricum constitutos monet S. Gregorius, ut Confratres suos, quos è propriis sedibus furor hostilitatis expulerat, quosque diversarum necessitatum angustiæ comprimebant, secum in Ecclesiasticis sustentationibus suscipiant. Non quidem, ait, ut per comunionem Episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta *possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere*. Lib. 1. epist. 43.

Similiter cùm idem Sanctus Pontifex intellexisset, quemdam Episcoporum tantâ capitis passione laborare, ut muniis Episcopalibus crederetur non sufficere; ne languente Pastore grex insidiatoris laniandus dentibus exponatur, solicitè optabat, ut alius in locum languentis ordinaretur: *Sic tamen, ut quousque eumdem Episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem Ecclesiâ ministrentur*. Lib. 2. Epist. 7.

En rursus clarissima lineamenta pensionis ecclesiasticæ *auctoritate judicis* in alimentationem Ecclesiasticorum justis de causis impositæ. Quibus plura similia, tum in veteribus, tum in recentioribus Conciliorum decretis, ac Pontificum Decretalibus habentur. Pensionis verò, quæ à conventione partium initium sumit, resignationique perficiendæ, ut minùs per modum motivi, subservit, nullum in Conciliis, aut Pontificum Decretalibus vel vestigium reperitur: quin imò hujusmodi pensionem Jure Canonico positivè reprobatam esse, §. 6. ex ipso Juris textu, tum conformi Canonistarum interpretatione evincam.

§. V.

Pensiones, *quibus mediantibus ad Beneficium Ecclesiasticum ascenditur, fundamentum non habent in* Cap. 21. De Præbendis.

SCandalosas illas hodiernas Beneficiorum nundinationes, quæ sub fucato *pensionum* titulo palam, & impunè frequentantur, præcipuum suum excusationis prætextum habere in Responso Innocentii III. relato in *Cap. Nisi essent* 21. ✠ *De Præbendis*, notum est.

Unde jam pridem ad Capitulum illud observavit antiquus Juris canonici Glossographus: *Occasione hujusmodi provisionis* (de qua in dicto Capitulo) *assumunt quandoque aliqui occasionem malè faciendi.*

Idipsum prævidens Pontifex resolutioni suæ præmittendum censuit: »Nisi essent Viri providi, & honesti, tam qui or»dinationem fecerunt, quàm illi, citra quos facta ordina»tio in Ecclesia vestra super negotio Prioratus; ordinatio»nem illam valdè suspectam propter *exempli perniciem* ha»beremus.«

Videndum igitur, num ordinatio, de qua in præfato capitulo, quàm Pontifex non uno adhibito moderamine *tolerat*, quamque propter *exempli perniciem* valdè suspectam habebat, quæque, si ulla in Jure canonico, hodiernis pensionariis favere videtur; videndum, inquam, num hæc ordinatio, Pontificisque *tolerantia* vel apparenter faveant pensioni, quæ à compositione Partium initium sumit; vi cujus ad Beneficium quis sibi viam pandit.

Casus erat: Vacante quodam Prioratu duo fuerunt electi in Priorem. Causa comissa fuit duobus Judicibus delegatis. Ut negotium faciliùs posset componi, Partes compromisserunt in Judices illos delegatos; ut nimirum quæstionem potiùs ex arbitrio boni viri, quàm ex stricto jure deciderent. Judices illi retentâ sibi jurisdictione delegatâ, & unà ex Partium compromisso assumptâ potestate arbitrariâ, post concertationem diuturnam, ordinaverunt circa unum de duobus electis ut ipse habeat Prioratum; alter verò viginti libras perciperet annuatim de redditibus Capituli, & quadraginta libras susciperet annuatim de redditibus Prioratûs. Quid evidentius, quàm pensionem per hanc ordinationem officio Judicum, sive Arbitrorum laudo fuisse impositam? Eamque consequenter initium non habuisse à pactione Partium: nec per illius promissionem, seu addictionem, ipsum Prioratum, aut ejus pacificam possessionem vel retentionem fuisse impetratam.

§. VI.

Ex veterum Canonistarum sententia, Pensiones, quæ à pactione Partium *initium sumunt, improbantur in* Cap. 21. ✠ De Præbendis.

REsponsum Innocentii III. in *Cap.* 21. ✠ *De Præbendis* nullatenus favere *pensionibus*, quæ initium sumunt à *pactione Partium*, seu quibus mediantibus ad Beneficium ecclesiasticum ascenditur, superiori §. abundè ostensum fuit: hoc verò §. ostendam, quòd ex antiquorum, ac recentiorum Canonistarum sententia similes pensiones, etiam *positivè* in prædicto Pontificis responso sint improbatæ.

Illud innuit una ex conditionibus, sub quibus Pontifex ordinationem (de qua in prædicta Decretali) tolerandam censuit. »Quia igitur, ait, hæc ordinatio ab omnibus est recepta, pos»suntque licitè Prior, & Capitulum de proventibus suis prop»ter causas prædictas, non quidem *ex pactione Partium*, sed

» *ex Jussione Judicum* provisionem hujusmodi exhibere.

Ad quæ verba reflectens antiquus Juris canonici Glossographus, ait: » Ex pactione Partium non liceret, nec eam » *tolerasset* Papa, sed quia *Judicis auctoritate* factum fuit, & » ad tempus sustinetur.

In eandem sententiam ab annis ampliùs ducentis scripsit celebris Juris-Consultus Joannes de Imola, qui ad *Cap.* 21. *de Præb. n.* 10. probans ordinationem, cujus meminit prædicta Decretalis, monendum censuit: » Oportet tamen, ut hujusmodi » compositiones super Beneficiis & Beneficialibus, ad hoc ut va- » leant & à simonia excusentur, capiant principium ab auctoritate » Superioris, & non à pactione Partium, ut probat hæc littera » ibi, *non quidem ex pactione Partium, sed ex jussione Judicum.* » Quamobrem qui priùs faciunt inter se compositionem, & » postea adeunt Judices, ut interponant auctoritatem, non » excusantur secundum bonam conscientiam, quò minùs inci- » dant in vitium simoniæ. « Hæc Joannes de Imola, quem sequitur Prosper Fagnanus ad *cit. Cap.* 21. *n.* 5. citans pro eadem sententia Antonium de Butrio, qui sub initium seculi XV. Comentarios in Decretales scripsit.

Hæc eo fine adducta sunt, ut me à singularitatis, ac novitatis nota purgarem, Exim. Magister forsan in Canonistarum commentariis admodum hospes, tam fidenter mihi affingit; eo quod asseruerim, *pensionem*, quæ à *pactione Partium* initium sumit; sive, qua mediante quis Beneficium ecclesiasticum assequitur, simoniacam esse.

Dico itaque cum præcitatis Canonistis, promissionis, quæ *à pactione Partium initium sumit*; sive qua mediante aliquis inducit alterum, saltem per *modum motivi*, ut in suum favorem resignet Beneficium, simoniacam esse: Pensionem verò, quam Superior *ex officio* Beneficio imponendam censet, nec simoniacam nec injustam esse; si modò, quæ ad justitiam pensionis requiruntur, conditiones concurrant; quas in libello *de Simonia circa Beneficia part.* 2. fusè recensui.

§. VII.

Ex modo procedendi Pensionariorum, evincitur, plurimas hodie Beneficiorum resignationes sub pensione, *de simonia admodum esse suspectas.*

MAlitiam simoniæ præcipuè in eo consistere, quòd res spiritualis in ordinem rerum temporalium redigi videatur, innuit Princeps Apostolorum ipsum Simoniacorum Ducem his verbis repellens: » *Pecunia tua sit tecum in perditionem*; *quo-* » *niam donum Dei existimasti pecunia possideri.* « Quis verò, nisi fortè acceptæ, aut accipiendæ pensionis amore excæcatus, neget per usitatam hodiernam pensionum praxim eandem inordinationem plerumqe committi?

Nonne ad oculum patet, resignantes, & permutantes æstimare Beneficia sua penes proventus annuos, eosque temporali pensione compensatos, aut æquatos velle, non aliàs ac si res merè temporales in foro appretiarentur, atque pretii suppletione ad æqualitatis terminos reducerentur?

Ulteriùs per simoniam fit, ait S. Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 111. » ut nulla de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, » nulla de vita discussio, sed solummodò dignus, qui dare » pretium suffecerit, æstimetur. « An non idem est pensionum effectus? Nonne prima, ne dicam *unica*, est Pensionariorum in Beneficiorum resignatione aut permutatione cura, quis ampliorem ac pinguiorem pensionem dare velit?

Sit Clericus aliquis moribus, ac eruditione quantumvis excellens, qui Beneficium non ambiat; qui proventus, ac redditus ecclesiasticos consideret, ut Ministrorum sustentationi deputatos; & quod reliquum est, pauperum usibus applicandum: si pensionem proventibus Beneficii proportionatam annuere nolit, à Beneficio excludetur.

Nonnè quoque constat, per pensionum praxim: æquè ac per simoniam, pauperibus plerumque ad Beneficia aditum intercludi? Quid enim experientiâ evidentius, quàm Pensionarios illos passim quærere, qui pensionem non tantùm annuere volunt; sed de illius annua solutione securitatem dare possunt? Imò frequenter Pensionariis nec hoc sufficit, sed eum invenire student, qui si non expressè, saltem tacitè pensionis redemptionem addicat; aut ut minus ex circumstantiis colligant, eum ad redimendum esse inclinatum. Quod cùm à pauperibus non sperent, etiam illis, tametsi optimè merentibus, Beneficia sua resignare cavent.

Quid plura? Nonne ingenuè fatendum est: per Pensionarios hodie eo rem penè redactam, ut dicere liceat cum Alexendro II. » Nulli unquam Clerico, quamvis Religioso, » quamvis scientia, & moribus prædicto, ecclesiasticum Be- » neficium conceditur (ego dico resignatur) nisi ei, qui *pro-* » *fano* (pensionis) *munere* illud emere studuerit: fitque Eccle- » sia & res ejus ita vilis merx à negotiatoribus ad vendendum » exposita. «

PARS SECUNDA

De Repagulo nimiæ Exemptionum extensioni objecto.

CAPUT PRIMUM.

Proponuntur variæ regulæ in materia exemptionum à Canonistis communiter receptæ.

REGULA I.

Episcopus de jure communi fundat suam jurisdictionem in omnia Monasteria suæ Diœcesis.

IN *Sessione* VI. Concilii Calchedonensis hæc leguntur: » Di- » vinissimus, & piissimus Dominus noster (Marcianus) » ad Synodum dixit: Quædam Capitula sunt, quæ ad honorem » Reverentiæ Vestræ vobis servavimus, decorum esse judican- » tes, à Vobis hæc regularitater potiùs formari, quàm nostrâ » Lege sanciri. Et jubente Divinissimo & Piissimo Principe » nostro, Beronicianus Vir devotus, Secretarius Divini Consis- » torii Capitula sic relegit.

» Eos, qui verè, & sincerè solitariam arripiunt vitam, » debito honore dignos judicamus. Quoniam verò quidam præ- » textu solitariæ vitæ & Ecclesias, & communes perturbant cau- » sas; placuit nullum quidem ædificare Monasterium *præter* » *voluntatem Episcopi Civitatis*, neque in possesione præter » voluntatem domini possessionis. *Eos verò Monachos, qui per* » *singulas Civitates sunt atque Provincias, subjici Episcopis*, & » amplecti quietem, & intendere solùm jejunio & orationi, & » neque ecclesiasticis neque publicis importunos rebus existere; » nisi fortè jubeatur eis propter necessariam causam ab Episcopo » Civitatis: sed neque potestatem habere Monachos suscipiendi » in suis Monasteriis servos, aut inscriptitios, præter voluntа- » tem dominorum. «

Hoc Capitulum à Piisimo Imperatore Marciano pro tranquillitate Ecclesiæ Synodo propositum, unanimi Patrum consensu susceptum, atque inter Canones Concilii repositum fuit.

Proinde ex Concilii Œcumenici sententia, Monachi universi Episcopo subjiciuntur.

Porrò hanc Synodum tantâ veneratione suscepit Ecclesia, ut de illa dicere non dubitet S. Gregorius *Lib.* 1. *Epist.* 24. *Sicuti Sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia* (Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Calchedonense) *suscipere, & venerari me fateor.* Non mirum proinde, si ejus decreta summâ veneratione complexa sit, & solicitè custodierit.

Et quidem quod præsens decretum spectat, tantâ veneratione, tantoque studio susceptum, ac conservatum fuit, ut nullum penè Concilium à celebrata Synodo Calchedonensi habitum fuerit, in quo illud vel confirmatum, vel renovatum non legatur. Utque V. VI. VII. VIII. seculi Concilia omittam, quæ magno numero refert Franciscus Hallier, seculo IX. Tullense I. apud Saponarias, quod ab Episcopis 12. Provinciarum, assidentibus Carolo Calvo, ejusque Nepotibus Lothario & Carolo Regibus celebratum est anno 895. *Can.* IX. statuit: » Ut Congregationes Canonicorum & Monachorum, ac » Sanctimonialium, secundum canonicam institutionem, *à propriis* » *Episcopis strenuè visitentur*, & eorum religio, & habitus ex- » quiratur, si vitâ & moribus sint probi, ac officio & unani- » mitatis studio solliciti, à levissimis quoque & perniciosissimis » actibus cauti. «

Ex hoc proinde numerosissimo, ac celeberrimo Conventu cognoscimus, Canone Concilii Calchedonensis Monasteria Episcopis subjicientem, integrum retinuisse vigorem seculo IX.

Quod

Quod & apertè testatur Adrianus II. sub idem tempus de hac Monasteriorum subjectione, tanquam de re notissima, scribens ad Carolum Calvum: » Nostis enim, inquit, quia *omne* Mo» nasterium in potestate Episcopi consistere debet *juxta canoni» cam auctoritatem*: & quia hoc est transgressum, ideo plurima » Monasteria habentur destructa. « *Epist.* 33.

Seculo X. in Concilio Confluentino, præsentibus Carolo Franciæ & Henrico Germaniæ Regibus, Canon. VI. legitur: » Quatenus Ecclesiæ quorumcumque Monachorum in singulis » Parochiis sitæ, *Episcoporum divinitus subdantur regimini*, eis» que obsequia in exercendis ecclesiasticæ curæ negotiis solici» tè exhibeant. *Ipsi proculdubio Monachi Episcopis suis in omni» bus obediant.* «

Hoc Synodale decretum innuit, Patres illius Synodi supposuisse, Monachos Episcopis suis eo tempore indistinctè fuisse subjectos, nullà exemptos inter & non exemptos factà distinctione.

Quod & seculo XI. indicat Synodus Coyacensis omnium Episcoporum in Hispania degentium, & omnium ejusdem Regni Optimatum, sub Ferdinando Rege Castellæ & Sancia Regina, anno 1050. statuens indefinitè & sine ulla exceptione *Can.* XI. Ut omnes Abbates » se & Patres suos, & Monasteria; & Abba» tissæ se & Moniales suas, & Monasteria, secundum B. Bene» dicti regant statuta: & ipsi Abbates & Abbatissæ cum suis » Congregationibus & Cœnobiis *sint obedientes & per omnia » subditi suis Episcopis.* «

Seculo XII. nonnullos Abbates emancipationem seu exemptionem à jurisdictione Episcoporum à Sede Apostolica postulasse, & obtinuisse ex querelis S. Bernardi adversus similes emancipationes cognoscitur: easque subsequentibus seculis, non obstantibus Episcoporum contradictionibus, multiplicatas fuisse scitur. Id tamen semper verum mansit, quòd juxta canonicam auctoritatem, Episcopalis jurisdictio in omnia Monasteria extendatur; exemptiones verò non sint nisi quædam privilegia, contra sacros Canones, aliquibus à Sede Apostolica ex causa indulta.

Hinc regula à Pontifice etiam post ortum exemptionum tradita in *Cap.* 7. *de Privilegiis*, *in VI. De jure communi Ordinariorum intentio est fundata quoad jurisdictionem.* Unde illud Glossæ: » Ad Episcopum pertinet omnis cura suæ Diœcesis, tam » in Monasteriis quàm aliis Ecclesiis; « scilicet de jure communi.

REGULA II.

Quousque Exemptio dubia est, Episcopus jurisdictionem suam exercere potest.

HÆc regula tanquam ex præcedente profluens, traditur à Pontifice in citato *Cap.* 7. *de Privilegiis*, *in VI.* » Si, in» quit, privilegium per se sufficiens, quando solo privilegio se » defendunt, vel saltem tale quod præscriptioni Canonicæ cau» sam præstet... non exhibuerint; cùm de jure communi Ordi» nariorum intentio sit fundata, *suâ jurisdictione uti possunt* in » eosdem liberè, donec de præscriptione canonica fecerint *ple» nam fidem.* «

Juxta hanc probatissimam Juris regulam respondit Fagnanus ad *Cap.* 18. *De Præscript. n.* 50. » Quod Archiepiscopus, » qui fundat intentionem de jure communi, non sit prohiben» dus visitare, donec Abbas de præscriptione canonica *plenam* » fidem fecerit. «

Et generaliter Zypæus in *Jure Novo, De Off. Ordin. num.* 19. » In iis, inquit, ubi exemptio dubia est, Episcopus *ex asse* suâ » jurisdictione uti potest; adeoque etiam in casu Capituli 3. » Sess. 6. Concilii Tridentini *solus* procedere potest, donec Ca» pitulum per *tres conformes sententias docuerit de legitima sua » exemptione*: ut Congregatio Concilii, inquit, Joanni Malde» ro Episcopo Antuerpiensi respondit, & alias sæpiùs. «

REGULA III.

De Exemptionibus judicandum est tenore privilegiorum; ipsaque privilegia Ordinariis exhibenda sunt.

HAnc regulam apertissimè tradit Pontifex in *Cap.* 7. ✠ *De Privilegiis*: ubi quærenti Episcopo Ambianensi, qua libertatis prærogativâ donati essent Templarii, & Hospitalarii, respondit Alexander III. » Non dubitamus quin aliam liberta» tem habeant in locis, in quibus antequam pervenissent ad eos, » fuerant habitatores: quòd totum ex *inspectione privilegiorum* » plenius advertere potes, & secundum quod inveneris, ità ob» serves. Sic enim eos *volumus privilegiorum suorum servare te» norem*, quod eorum metas minimè transgredi videantur. «

Rursus idem Pontifex Legatum suum instruens, quâ ratione de exemptionibus judicare deberet, scribit in Cap. 8. ✠ De Privilegiis: *Inspicienda sunt Ecclesiarum privilegia, & ipsorum tenor est diligentiùs attendendus.*

Et quid plura? Leges enim communes, quibus Episcoporum jurisdictio in omnia suæ Diœcesis Monasteria innititur, servandæ sunt; nisi quantum ab illis recessum esse ostenditur. Clarum ergo est, quòd si per exemptiones seu privilegia quædam à legibus illis esse recessum contendatur; ex eorum tenore sit judicandum, quomodo & in quantum recessum sit.

Ex hac Regula sequitur alia, tradita in *Cap.* 4. ✠ *De Fide instrumentorum*: & *Cap.* 7. *De Privilegiis*, *in* VI. nimirum, *Privilegia ab illis, qui exemptionem prætendunt, Episcopis inspectionem postulantibus, esse exhibenda.*

Quia » alias, ut rectè notat Glossa *ad dict. Cap.* 4. nec re» dargui possunt, nec etiam sciri quod servari deberet per ipsa: » quod totum ex ipsarum inspectione deprehenditur. «

Sit igitur hæc regula, quam ex citatis Juris textibus post Glossam ad præcitatum *Cap.* 7. probant Canonistæ: » Privilegia » servanda sunt, secundum quod continetur in iis: & nulli pri» vilegiato credendum est, nisi privilegium suum inspiciendum » concedat. «

REGULA IV.

Exemptiones utpote odiosæ strictè sunt interpretandæ.

CUm ex præcedentibus constet, exemptiones sacris Canonibus, jurique communi, quibus jurisdictio Episcoporum in omnes suæ Diœcesis Ecclesias, & loca innititur, contrariari; illas eo titulo odiosas esse omnium Canonistarum calculo comprobatur. Idque planè ad mentem Ecclesiæ.

Ecclesia quippe summoperè desiderans, ut sacri Canones, sive regulæ pro directione morum, & custodiâ disciplinæ editæ, exactissimè ab omnibus observentur, violentum, atque *odiosum* reputat omnem, quem ob certas rerum, & temporum circumstantias quandoque tolerare cogitur, à regulis, seu Canonibus suis recessum. Unde illud Glossæ à Canonistis vulgò receptum: *Regulæ & antiquo juri standum est, nisi in quantum reperimus recessum.* Canonistarum proinde dubitat nemo, quin *odiorum* appellatione veniant Exemptiones in regula Juris, quæ dicit: *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Cap. 15. *De Reg. Jur. in IV.* Similiter & alteram Juris Regulam *cap.* 28. *De Reg. Jur. in* VI. dictantem, *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, in materia Exemptionum esse servandam, apud Canonistas expeditum est.

» *Materia Exemptionis* (ait Fagnanus ad *Cap. Bonæ Memo» riæ, De Postulat. Prælat. n.* 7.) *est stricte accipienda, prop» ter præjudicium, quod infert potestati Ordinarii.*

Et clariùs ac expressiùs, conformiter ad hanc regulam, Zypæus *Consult.* 1. *De Privil.* » Exemptiones, inquit, *odiosæ* sunt, » tanquam jure communi adversæ, hierarchiæ ecclesiasticæ ini» micæ, & quæ jus alteri auferant; scilicet auctoritatem suam » Ordinariis locorum: quod Princeps aut Pontifex *nunquam fa» cere censetur*, nisi *disertis admodum verbis* expresserit. «

Hinc & illud Canonistarum: *Exemptio indiget speciali beneficio, quia est odiosa, & pugnans contra jus commune.* Vide Altesseram ad *Cap.* 18. ✠ *De Privil.*

Conforme igitur Juris regulis, atque menti Ecclesiæ est decretum Patrum Concillii Tolosani, quo præterito seculo *an.* 1590. *p.* 4. *cap.* 16. decreverunt: » ut hunc in exemptionum » cognitione Episcopi modum adhibeant, & ut illas *ad unguem* » observent, & ultra quam loquuntur, minimè extendant. Ra» tionem hanc sui decreti præmittentes, quia Episcoporum ju» risdictioni non mediocre impedimentum, exemptis profusio» ris vitæ occasionem, Christianis non vulgare scandalum affer» re, laxiùs quam par sit, acceptæ exemptiones consueverunt. «

Huic regulæ innititur alia regula, proposita in *Cap.* 17. ✠ *De Privilegiis*, & Canonistis admodum familiaris: quòd licèt Monasterium liberum sit in Capite, membra tamen, id est, Ecclesiæ & Capellæ dependentes à Monasterio, propterea non sint exempta, nisi expressè de membris contineatur in privilegio. » Et pro illis membris non exemptis Abbas tenetur Epis» copo exhibere reverentiam, obsequium, & honorem. «

Ex eodem Juris principio profluit, quòd Exempti ratione delicti commissi, aut contractus initi, vel rei sitæ in loco non exempto, quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, conveniri possint coram Ordinario, juxta *Cap.* 1. *De Privilegiis*, *in VI.* innovatum à Synodo Tridentinâ *Sess.* 7. *cap.* 14. *De Reformat.* ne alias Exemptio, contra apertissima juris principia, extenderetur ad locum in privilegio non expressum.

REGULA V.

Exemptus sub una qualitate non propterea est exemptus consideratus sub alia qualitate.

IN unam, eamdemque personam sæpè numero concurrere diversas qualitates, sive officia planè ab invicem separata, quibus mediantibus unus, idemque plures quasi repræsentet personas, notissimum est. Ita enim in eundem concurrunt, v. gr.

Canonicatus & Pastoratus, Status Religiosus & Clericalis; officium Doctoris aut Præsidis in Academia, & Canonici aut Confessarii, vel Pastoris, alteriusve functionis &c.

Quibus sic in unum, eundemque concurrentibus, evidens est, eundem quasi diversas personas repræsentare: v. g. Canonici & Pastoris, Religiosi & Clerici &c. quorum disparata planè sunt officia.

Ex quibus evidenter sequitur, quòd si exemptus sub una qualitate, etiam censeretur propterea exemptus quoad ea, quæ gerit, consideratus in qualitate à priore plane disparata, exemptiones, contra notissimum juris principium, extenderentur de persona ad personam, vel de re ad rem. Hinc, cùm quæreretur ab Innocentio III. an Canonici Capellæ Ducis Burgundiæ obtinentes unà cum Canonicatu Ecclesias Parochiales, in omnibus essent à jurisdictione Ordinarii exempti propter privilegium prædictæ Capellæ concessum, conformiter ad hanc regulam respondit Pontifex: »Quod quatenus exempti ratione »ejusdem Capellæ, Pontificiis privilegiis Episcopus deferat reve»renter; sed in quantum ratione Parochialium Ecclesiarum, »vel alias jurisdictionem ejus respicere dignoscuntur, officii sui »debitum in eosdem liberè prosequatur.« *Cap. Cum Capellla,* ✠ *De Privil.*

Exempti proinde Canonici Capellæ Ducis Burgundiæ, ex sententia Pontificis, exempti non sunt quoad ea, quæ regimen Ecclesiarum Parochialium respiciunt: atque ita notissima Juris regula, quâ exemptus sub una qualitate non censetur propterea exemptus sub alia qualitate consideratus, à Pontifice comprobatur.

Juxta hanc etiam regulam declaravit Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. *Cap.* 1. *De Privileg. in* VI. quod si Monachus exemptus constituatur Prior Monasterii non exempti, ratione ejusdem Prioratûs Ordinarium suâ jurisdictione in ipsum licitè uti posse.

Eandem proculdubio regulam præ oculis habuere Patres, Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 11. *De Reform.* declarantes »Quòd privilegia, quæ residentibus in Curia Romana vigore »Eugenianæ constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium com»petere solent, ea in iis, qui Beneficia ecclesiastica obtinent »*ratione prædictorum Beneficiorum* minimè intelligantur; sed »Ordinarii jurisdictioni subjecti maneant.«

Rationi proinde ac Conciliorum, Pontificumque decretis conforme est hoc Canonistarum principium: Quod si exemptus à jurisdictione Ordinarii promotus fuerit ad officium vel Beneficium non exemptum, ejus respectu & contemplatione Ordinarium esse Judicem competentem, cujus jurisdictioni ratione illius officii subjectus est: sive quod idem est, *Exemptus ratione rei non exemptæ subjacet jurisdictioni Ordinarii.* Vide Fagnan. *ad Cap. Cùm Capella, de Privilegiis, n.* 13. 14.

REGULA VI.

Receptio alicujus loci, aut personæ in protectionem *Sedis Apostolicæ non arguit ejusdem exemptionem.*

CUm protectio aliud non sit, quàm defensio, seu tuitio, consequens est, suscipere aliquem in protectionem idem esse, quod suscipere alicujus defensionem adversus injurias, aut molestias, quibus avertendis sine potentioris auxilio solus forsan non sufficeret.

Quamobrem pii Ecclesiarum, ac Monasteriorum Fundatores credentes à nullo meliùs, potentiusque quam à summa potestate Monasteria, Ecclesiasque protegenda; sæpiùs protectionem Regiam, aut Pontificiam contra invasores piorum locorum implorandam censuerunt.

Nec alium fuisse scopum imploratæ protectionis Regiæ, ex omnibus penè fundationum monumentis colligi potest. Verùm hîc unum sufficiet decretum Concilii Ticinensis, quo Patres illius Synodi monendos censuerunt Imperatores officii, ipsis ratione susceptæ protectionis Monasteriorum & Ecclesiarum incumbentis. »Suggerendum est, (inquiunt ad *an.* 850. *Can.* 16.) »Beatissimis Imperatoribus, quia hi, qui Monasteria, & Xeno»dochia sub defensione Sacri Palatii posuerunt, ideo fecisse »probantur, quòd *à nullo melius quàm à summis Potestatibus* »*protegenda crediderint*; & si ea contra decreta Institutorum »personis, quibus non licet, dederint, ipsi impugnatores effi»ciuntur, qui propugnare debuerunt. Et cavendum summo»pere Principibus, ut quia minimè nunc judicantur, ne in futu»ro judicio ab Omnipotenti Deo graviùs judicentur, secundum »Apostolum *Hebr.* 10. *Etenim horrendum est incidere in ma»nus Dei viventis.* Nos verò, qui debitores sumus, suggeri»mus, quod silere non audemus.«

Eundem fuisse Fundatorum finem in petenda protectione sive tuitione Sedis Apostolicæ, ex fundationum quoque monumentis difficile non foret ostendere: unum duntaxat ex fundatione celeberrimi illius Cluniacensis Monasterii evidentissimum argumentum adducam.

Guillelmus Comes Avernorum & dux Aquitaniæ, in testamento suo, bona sua universa offerens SS. Petro & Paulo, »ut »in Cluniaco in honore eorundem SS. Apost. Petri & Pauli »Monasterium Regulare constituatur, ibique Monachi juxta »S. Benedicti regulam viventes congregentur, qui res ipsas pe»renni tempore possideant, teneant, habeant, atque ordinent,« inter alia Monachis injunxit, ut per quinquenium Romæ »ad »limina Apostolorum ad luminaria ipsorum concinanda decem »solidos præfati Monachi persolvant, habeantque *tuitionem* ip»sorum Apostolorum, atque Romanum Pontificem *defenso»rem.*« Habetur *tom.* 9. *Concil. ult. edit. p.* 565.

Quis porrò hujus imploratæ protectionis scopus fuerit, ex sequentibus ejusdem Fundatoris verbis intelligi potest: »Placuit etiam huic testamento inseri, inquit, ut ab hoc die nec »nostro, nec parentum nostrorum, nec fascibus Regiæ Mag»nitudinis, nec cujuslibet terrenæ Potestatis jugo subjiciantur »iidem Monachi ibidem congregati. Nec aliquis Principum se»cularium, non Comes quisquam, non Pontifex supradictæ »Sedis Romanæ, per Deum & in Deum, omnesque Sanctos »ejus, & tremendi judicii diem contestor ac deprecor, invadat »res ipsorum Dei servorum, non distrahat, non minuat, non »procambiet, non beneficiet alicui personæ, non aliquem Præ»latum supra eos contra eorum voluntatem constituat. Et ut »hoc nefas omnibus temerariis, ac improbis arctiùs inhibeatur, »adhuc idem inculcans subjungo, & obsecro vos, ò Sancti »Apostoli Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum Apostoli»cæ Sedis, ut per auctoritatem Canonicam, & Apostolicam, »quam à Deo accepistis, alienes à consortio Sanctæ Dei Eccle»siæ & sempiternæ vitæ, prædones, & invasores, atque dis»tractores harum rerum, quas vobis hilari mente, promptaque »voluntate dono: sitisque tutores, ac defensores jam dicti loci »Cluniaci, & servorum Dei ibi commorantium, harum quoque »omnium facultatum, propter eleemosynam & clementiam & »misericordiam piissimi Redemptoris nostri.«

Quid evidentius, quam unicè per pium hunc Fundatorem S. Apostolicæ protectionem imploratam, ut Monachi eorumque res, seu facultates ab injuriis, & invasione potentius defendantur?

Igitur per imploratam *protectionem* seu *tuitionem* Regiam vel Pontificiam Monasteria & Ecclesias ab oppressionibus & injuriis liberare intenderunt pii Fundatores, nequaquam à Canonicæ obedientiæ jugo eximere.

Hinc Ludovicus Pius Imperator expressè fatetur, se recepisse Monasteria, & Cellas Senonensis Provinciæ in suam *protectionem*, »sed ne hujus decreti causâ, ait, in eisdem Cœnobiis »Abbates vel Monachi constituti, contra suum incipiant super»bire Episcopum; præcavimus omnem occasionem amputan»dam, neque locum diabolo dandum: *salvâ* scilicet *in omnibus* »*auctoritate & potestate Episcopi* in cunctis ecclesiasticæ regu»læ disciplinis.« Habetur in *Append. Capitular. Baluzii, tit.* 38.

Quod hîc Ludovicus, id ipsum sæpiùs Romani Pontifices declarâsse comprobantur.

Utque vetustiora Pontificum testimonia omittam, evidens illius in Rescripto Alexandri III. probatio habetur *Cap.* 8. ✠ *De Privil.* »Si ad indicium perceptæ, ait, *protectionis* census »persolvatur, non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid vi»detur esse substractum.«

Similiter quærenti Episcopo Ausonensi, »Utrum Clerici »& Laici, qui *protectionis* litteras ostendunt, in quibus perso»næ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis sub *Aposto»lica protectione* consistere declarantur, à jurisdictione Episco»pi Diœcesani sint *exempti.*« Respondet Innocentius III. »quòd per litteras hujusmodi ab Episcoporum suorum potesta»te minimè subtrahuntur.« *Cap.* 18. ✠ *De Privil.*

In jure proinde ac ratione fundatissima est hæc Canonistarum Regula: *Licèt Papa recipiat aliquos sub sua protectione, non sunt propterea subtracti à jurisdictione Episcoporum.* Glossa *ad cit. cap.* 8.

Hanc regulam præ oculis habuisse videtur S. Bernardus dum *Lib.* 3. *De Consid. cap.* 4. dixit: »Nonnulla tamen Monaste»ria sita in diversis Episcopatibus, quod specialiùs pertinue»rint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam ex volun»tate Fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur »devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.« Illa nimirùm largitur protectionem adversus injurias & oppressiones, hæc verò impatiens subjectionis, canonicæ auctoritatis jugum excutere molitur.

RE-

REGULA VII.

Exemptiones non nisi justa de causa utilitatem, necessitatemve Ecclesiæ concernente, sunt concedendæ.

EPiscoporum jurisdictioni universa loca, omnesque personas intra limites suæ Diœcesis constituta juxta canonicam auctoritatem subjacere; exemptiones verò sacris Canonibus, atque juri communi violentiam quamdam inferre ex præcedentibus constat; consequenter exemptiones speciem quamdam dispensationis esse, legibusque dispensationum regi debere negaverit nemo.

Porrò primâ, certissimaque dispensationis hæc est regula: dispensationem indulgendam non esse, nisi ea interveniat Ecclesiæ utilitas, aut necessitas, quæ vulnus Canonibus per dispensationem inflictum compensare queat. » In his (inquit S. Ivo » Carnotensis *in Prologo sui Decret.*) quæ propter rigorem disciplinæ vel muniendam salutem posteriorum sanxit diligentia, si » honesta vel utilis sequatur compensatio; potest procedere auctoritate Præsidentis diligenter deliberata dispensatio. «

Et quidem plura? Cùm sit » unanimis consonantia Canonum, » Conciliorum & interpretum (ut rectè advertit Prosper Fagnanus *ad Cap. Nimis* ✠ *De Filiis Presbyt. num.* 8.) quod » causa necessitatis vel utilitatis in dispensatione debet esse magna: seu, quo idem est, major, maxima, justa, evidens, » urgens & his consimiles, quibus sacri Canones utuntur tanquam synonimis: alioquin si ejusmodi causa desit, non est » dispensatio, sed dissipatio. «

Quis igitur dubitet, quin & hæc regula in concessione Exemptionum, utpote certissima dispensationis specie servanda sit?

Certè non dubitavit Doctor Mellifluus: Postquam enim incommoda ex Abbatum emancipatione seu exemptione profluentia Eugenio III. proposuisset, tandem, ne Sedis Apostolicæ auctoritatem lædere videretur, addit: » Quid, inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut » ignorem positos vos dispensatores, sed in *ædificationem*, non » *in destructionem*. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi *necessitas urget*, *excusabilis dispensatio*. Ubi *utilitas provocat*, *dispensatio laudabilis est*. Utilitas » dico *communis*, non *propria*. Nam cùm nil horum est, non » planè *fidelis dispensatio*, sed *crudelis dissipatio* est. « *Lib. de Consid. cap.* 4.

Quid ex his evidentius, quàm præcitatam dispensationum regulam ex mente S. Bernardi in Exemptionum indulgentia servandam? Et quidnî? *Privilegia siquidem* (ait Gregorius VII. lib. 6. Epist. 2.) *non debent SS. Patrum auctoritatem infringere, sed utilitati Sanctæ Ecclesiæ prospicere.*

Hanc regulam indubiè sibi propositam habuit Martinus V. revocans exemptiones Capitulorum, Monasteriorum, aliorumque locorum, quas nonnulli Romani Pontifices, aut pro Romanis Pontificibus se gerentes, & in suis diversis obedientiis reputati à tempore obitûs Gregorii XI. *pro sua voluntate*, aut per *importunitatem petentium* concesserant; addensque, » se non intendere exemptiones de cætero facere, nisi *causa cognita*, & » vocatis quorum interest. « *Sess.* 43. *Concilii Constant.*

REGULA VIII.

Exempti tenentur legibus Episcoporum in materia communi.

SI conformitas, unitasque quæ inter ejusdem territorii incolas requiritur, eaque quæ legibus debetur observantia, evincat, Clericos non obstante suâ à jurisdictione laicorum exemptione, teneri legibus, & statutis Regis, ac Principis pro tota communitate in materia Clericis ac Laicis planè communi, verbi gratiâ, ne equi extra Provinciam educantur, merces avehantur, hoc illudve pretium rerum persolvatur, &c. nonne à fortiori conformitas, unitasque quæ esse debet inter membra unius Ecclesiæ, evincet, exemptionem à jurisdictione Ordinariorum adeò odiosam minimè extendendam esse ad Leges Statutave Episcoporum pro tota Diœcesi in materia exemptionis pariter & non exemptis communi evulgata? Et sanè cùm Capitula, Monasteriaque omnia, quantumvis exempta (modo non sint *nullius Diœcesis*) cum reliquo Clero ac populo unam, eandemque particularem Ecclesiam, imò & hierarchiam, quæ ex Episcopo, Presbyteris, & ministris constat, simul constituant; quis non videat, summam Ecclesiæ illius perturbationem, & hierarchiæ totalem confusionem, Legum quoque eversionem conculcationemque futuram, si exempti (majorem ac præcipuam Cleri portionem ordinariè conficientes) legibus illis non teneantur? Quæ laicorum vel Clericorum erga Leges Episcopales speranda reverentia, aut observantia, si conspiciat, præcipuos Ecclesiæ ministros, eosque, qui præ aliis obedientiam profitentur, populumque suo vivendi exemplo ad Legum custodiam promovere deberent, illas impunè violare, ac quasi contemnere?

Ratio proinde naturalis, ipsaque Ecclesiæ unitas propositam Juris regulam probant, quam & ipsa Pontificum Conciliorumque responsa confirmant, solidantque.

Sic enim privilegia sua intellecta volunt Pontifices, ne dissolvatur, aut vilescat disciplina ecclesiastica, aut vilipendatur Episcopalis auctoritas. *Cap.* 24. ✠ *de Privil.*

Et quidem cum ex eo » quòd Fratres Minores in suis reci» perent Ecclesiis ad audienda divina officia, tempore interdicti, » Fratres & Sorores de Ordine tertio existentes, qui *continentes* » seu *de pœnitentia* nuncupantur; *scandalum aliorum*, qui ab his » excluduntur, ait Concilium Viennense, *mentibus generetur*, » *censura vilescat ecclesiastica*; *& minoris auctoritatis interdicti* » *sententia reputetur*: eisdem Fratribus Minoribus districtiùs in» hibemus, pergit Concilium, ne de cætero aliquem, vel aliquos » prædictorum (etiamsi super hoc hi vel illi *Privilegiis quibus*» *cunque* muniti extiterint, quæ ipsis in nullo prorsus quoad hoc » volumus suffragari) ad divina in suis Ecclesiis, tempore in» terdicti, quoquo modo admittant. «

Firmum proinde manet ex mente Ecclesiæ privilegia sic esse intelligenda, ut eorum occassione nec scandalum generetur pusillorum, censura non vilescat ecclesiastica, nec minoris auctoritatis Prælatorum reputetur sententia.

Quapropter Patres Tridentini nequaquam reputandi sunt specialiter Exemptionibus Regularium derogâsse; sed potiùs hanc regulam sequuti, Exemptiones velut privilegia declarâsse, dum dixerunt, » quòd censuræ, & interdicta nedum à Sede » Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, » mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis sint pu» blicanda, atque servanda. Dies etiam festi, quos in Diœcesi » sua servandos idem Episcopus præceperit, ab *exemptis omni*» *bus*, etiam Regularibus, sint servandi. « *Sess.* 25. *cap.* 12. *de Regularib.*

Eodem ex fonte emanat, exemptos teneri illis, quæ de commessationibus, choreis, aleis, tabernarum frequentatione aliisque similibus, Episcopi pro bono suæ Diœcesis statuenda censuerint.

Et sanè, nî regula hæc inviolata permaneat, & exactè servetur, verendum ne quod de exemptionibus particularium personarum dixit Tridentinum, de universis exemptionibus dici debeat: » Privilegia, & exemptiones, quæ variis titulis con» ceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictio» ne excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere » dignoscuntur. « *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

REGULA IX.

Exemptiones à jurisdictione Episcoporum ad functiones hierarchicas non extenduntur.

PRæter universalem Ecclesiæ hierarchiam, cujus Caput ac centrum est Romanus Pontifex, *alia est in Ecclesia Catholica hierarchia* (ait Trid, Sess. 23. Can. 6.) *divina ordinatione instituta, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris*, cum quadam tamen subordinatione universali hierarchia rursus inclusa.

Sicuti verò universalis hierarchia non foret ut *castrorum acies bene ordinata*, sed *Regnum in se divisum*, si unus omnibus tanquam Caput & unitatis centrum non præponeretur, ita pariter, nec inferior ulla hierarchia ut *castrorum acies benè ordinatur*, nisi Presbyteri, cæterique ministri hanc hierarchiam constituentes, cum quadam subordinatione uni tanquam Capiti & Principi illius *sacri Principatus* (id enim latinè sonat Hierarchia) subjicerentur.

Cùm igitur ad cujusque particularis Ecclesiæ hierarchiam *præcipuè* spectent Episcopi (ut ait *Trid. ibid. cap.* 4.) sive præcipuum ac primum locum occupent; nî cum debita subordinatione reliqui hierarchici Episcopo ut capiti subdantur, non hierarchia seu S. Principatum *terribilem ut castrorum aciem benè ordinatam* habebimus, sed potiùs *Regnum in se divisum quod desolabitur*. Quod jam pridem contra Luciferianos advertit S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos. » Ecclesiæ salus » in summi Sacerdotis (Episcopi) dignitate pendet, inquit, cui » si non exors quædam & ab hominibus *eminens* detur *potestas*, » tot in Ecclesia efficiuntur *Schismata* quot Sacerdotes. « Et ante ipsum vir Apostolicus Ignatius: » Sine Episcopo nemo quid » quam faciat eorum, quæ spectant ad Ecclesiam: & honora » Deum ut omnium Auctorem & Dominum; Episcopum verò » *ut Principem Sacerdotum*, imaginem Dei referentem: Dei, » inquam, propter Principatum, Christi verò, propter Sacer» dotium. « *Epist. ad Smirnens.*

Exemptiones igitur Capitulorum vel Academiarum aut Monasteriorum ad fundationes extendi nequeunt hierarchicas; sive vi illarum à jurisdictione Episcopi eximi non possunt Canonici, Academici, vel Claustrales; quatenus tanquam Presbyteri vel

vel ministri hierarchiam simul cum Episcopo formant, ni unà hierarchia divina ordinatione instituta, confundatur; & Episcopis sacer *Principatus*, ipsis ab omni antiquitate tributus, adimatur.

Quapropter Pontificale Romanum, nulla exemptos inter & non exemptos facta distinctione, præscribit omnibus in Presbyteros ordinatis, ut Episcopis, quorum respectivè Clero adscribuntur, *promittant obedientiam & reverentiam.* Evidens indicium exemptionem ex mente Ecclesiæ ad functiones hierarchicas, seu quas ordinati tanquam Ecclesiæ illius, cui adscribuntur, ministri exercent, non extendi; sed in earum functione, ab Episcopis tanquam Capite ipsos debere esse dependentes.

Unde seculo V. Synodus Arelatensis, controversiam Episcopum Arelatensem inter & Faustum Abbatem Lirinensis Monasterii componere volens dixit, » Hoc enim & rationis & religionis plenum est, *ut Clerici* ad ordinationem Episcopi » *debitâ subjectione* respiciant: laica verò omnis congregatio ad » solam & liberam Abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit, » ordinationem dispositionemque pertineat. « *Ann.* 455.

Et sanè tanta reputabatur olim Clericorum ad suos Episcopos subjectio, ut eam obedientiæ monachali penè crederent repugnare: atque ideò Monachum adscriptum Clero sive Hierarchiæ alicujus Ecclesiæ, Monachatum amississe reputarent.

Quamvis verò non ea hodie clericalem inter & monachalem statum intercedat repugnantia, manet tamen verum illud S. Thomæ: » In his quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, *Magis* tenetur Monachus obedire Episcopo quàm Abbati: quia » in his Abbas est Episcopo suppositus. « *In lib. 2. Sentent. dist.* 44. *q.* 2. *art.* 3.

Si novissima Pontificum decreta pervolvere lubeat; quid aliud clamant & inculcant quàm Canonicos, Monachos, aliosque functiones hierarchicas obeuntes, Episcopis quoad functiones illas subjacere? quin imò præterito seculo *ann.* 1586. Synodus Coloniensis *p.* 4. *q.* 12. non tantùm justum credidit, ut Fratres Mendicantes in prædicatione verbi divini ordinariæ Episcoporum jurisdictioni subjicerentur, *sed ut eatenus monasticæ professionis Regulis obligationibusque eximantur, non decens tantùm, sed & justum putavit.* Ut nimirum tantò liberiùs Episcopus hierarchiæ suæ Caput & Princeps in sibi subditos intendere posset.

Ex sententia igitur & mente Ecclesiæ, quæ tum in Pontificum ac Conciliorum decretis, tum in ipso Pontificali Romano exprimitur ac manifestatur, verissima manet hæc regula: *Exemptio à jurisdictione Episcopi ad functiones hierarchichas non extenditur*; ne aliàs eccclesiastica hierarchia, quæ est *ut castrorum aeies benè ordinata*, planè confundatur, & dissolvatur.

REGULA X.

Jurisdictio delegata Episcopis in exemptos, non tollit ordinariam: illâque concessâ omnia censentur Episcopis competere, ac si exemptio foret sublata.

EXemptos multis casibus jurisdictioni ordinariæ Episcoporum manere subjectos est expeditum: quibus casibus, cùm naturalis, & canonica Episcoporum auctoritas illæsa, ac integra maneat, neque per exemptionem impediatur, manifestum est, eam secundum plenan, primævumque suum vigorem exerceri posse; & Episcopum posse in exemptos procedere, ac si nulla planè exemptio intercederet. Juxta hoc notissimum principium respondit Innocentius III. Episcopo Lingoniensi, ut in Canonicos Capellæ Ducis Burgundiæ, » in quantum ratione Paro» chialium Ecclesiarum vel aliàs jurisdictionem ejus respicere » dignoscuntur, officii sui debitum in eosdem *liberè* prosequa» tur. « *Cap. Cum Capella* ¨ *de Privil.*

Ulteriùs ex dispositione juris communis, & præcipuè ex decreto Concilii Tridentini, frequenter concessum esse Ordinariis, ut tanquam Delegati Sedis Apostolicæ contra exemptos procedant, notum est.

Duo verò circa hanc Delegationem apud Canonistas sunt recepta.

Primum, per hanc derogationem nihil derogari auctoritati ordinariæ Episcoporum, si quæ ante hanc delegationem competierit Episcopis in exemptos. Concilium quippe Tridentinum admodùm solicitum, ut quantum tempore acerbitas ferret, auctoritas Episcopalis, multiplicibus privilegiis, ac prætensis exemtionibus penè conculcata, in pristinum erigeretur; noluit eam per adjunctionem auctoritatis Pontificiæ diminuere, sed potiùs roborare, ac firmare.

Unde recepta est Canonistarum regula, quibus casibus Episcopus ante delegationem procedebat contra exemptos jure ordinario, eodem etiam procedere post delegationem. Hanc regulam secutus est S. Carolus, dum statuit, » ut si Episcopus » tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, sententiam in iis causis » tulerit, in quibus ante Concilium Tridentinum tanquam Or» dinarius *eâdem jurisdictione* potestateve uti poterat, *non ad* » *Sedem Apostolicam*, sed *ad Archiepiscopum* ab illa senten» tia devolveretur appellatio. « *Concil. Mediol. V. part.* 3. *cap.* 11.

Alterum, circa similem delegationem Episcopis factam, à Canonistis est receptum: quo Episcopus vi delegatæ hujus potestatis possit non tantum de causis exemptorum cognoscere, sed etiam per censuras, aliave Juris remedia sententiam exequi; omniaque facere tum quoad litis præparatoria, sive ejus instructionem, quæ judex ordinarius facere posset aut deberet.

Si enim de quocunque judice à Sede Apostolica delegato in Jure dicatur, » ex eo quòd causa ipsi committitur, super *om*» *nibus*, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, *plenariam* » recipit *potestatem*; « quantò magis id dictum oportet de delegatione factâ Episcopis, qui naturales quodammodò judices sunt eorum, in quos potestas delegata conceditur? Adeò ut potius avita auctoritas dicenda sit restitui, quàm nova concedi.

Proinde rectè hîc tradunt Canonistæ: » Delegatam jurisdic» tionem, quam Concilium Tridentinum & Apostolicæ Cons» titutiones tribuunt locorum Ordinariis supra Regulares alios» que exemptos, æquipollere *ordinariæ*, eandemque *latam* & » *favorabilem* naturam habere: quoniam, inquiunt, in effectu » est restituere, quod erat *proprium*, ac removere obstaculum » exemptionis: secus autem, ubi agitur de delegatione factâ » speciali personæ, quæ in eo genere causarum naturalem seu » habitualem propriam jurisdictionem vel potestatem non ha» bet, cum tum *strictè* ad limites verborum, ac juxta præci» sam formam delegationis jurisdictio atributa censeatur. « Vide *D. Joannis Karg. Fecialem Pacis Religiosæ, p.* 127. Quod idem allato exemplo vulgari hominis habentis membra valida, sed vinculis impedita declarant: *Quoniam si superveniat*, ajunt, *vinculorum solutio, ista non importat concessionem novæ facultatis ambulandi, cùm id sequatur jure proprio ac naturali.*

Sint ergo hæ regulæ: Jurisdictio delegata Episcopis in exemptos, *ordinariam* jurisdictionem in eosdem non excludit. Item, concessâ potestate delegata Episcopis in exemptos, omnia censentur concessa, quæ ipsis competerent, si exemptio esse sublata.

CAPUT II.

PROPONUNTUR VARIA COROLLARIA EX REGULIS ANTE TRADITIS: ET UNA REFERUNTUR AC REFELLUNTUR CONTRARIA RECENTIORUM QUORUNDAM ASSERTA.

PARAGRAPHUS I.

Varia Corollaria ex Regula IV.

PRivilegia sacris Canonibus ac juri communi contraria, *odiosa* atque violenta ex mente Ecclesiæ reputari, eoque titulo *restringi* oportere, neque *ad consequentiam trahenda* esse, regula quarta ostendit.

Hinc ulteriùs deducitur, privilegia eo magis reddi *odiosa* atque violenta, quò magis vim, ac vigorem Canonum, quos Ecclesia semper optat ab omnibus exactissimè observari, per illa enervari contingit: atque ita privilegia integris, atque numerosis congregationibus; v. g. Fratribus Mendicantibus indulta, procul dubio censenda sunt magis *odiosa*, magisque violenta, quàm similia privilegia uni, alterive concessa: quia, ut evidens est, priora ampliùs Canonum vim enervant quàm posteriora, quibus non nisi una, alterave persona à Canonum observantia eximitur. Et inde ulteriùs consequens, priora quàm *strictitissimè* fore interpretanda.

Secundo ex quarta illa regula consequitur, sacris Canonibus, præsertim quos universalis Ecclesiæ probavit assensus, in dubio non censeri derogatum; atque hinc illa Canonistarum regula, privilegium, seu rescriptum Sedis Apostolicæ, contrarium Canoni Concilii Œcumenici, censendum subreptitium, nisi *expressè* Canoni sit derogatum. *Cap.* 3. ¨ *de Capellis Monach.*

Rationem assignat post alios Prosper Fagnanus ad *cap.* 28. ¨ *de Rescriptis, num.* 32. » Ideirco, ait, in derogationibus » generalibus litterarum Apostolicarum non includuntur decre» ta *conciliaria*: quia cùm hæc edantur *in Generali Concilio* » *summa cum deliberatione*, ac *maturitate*; & è converso à » Summis Pontificibus nonnunquam litteræ contra jus *per oc*» *cupationem*, vel *importunitatem* extorqueantur, quas verisimi» liter non concessissent, si ad *contrariam dispositionem conci*» *liarem animum applicâssent*: propterea iidemmet Pontifices » sanxerunt, ut eorum Rescripta, quæ decretis alicujus Conci» lii Generalis adversantur, vigorem non habeant, nisi in eis » fuerit *derogatum Generali Concilio.* « Et Glossa dicit: » Ta» les litteras præsumi extortas, vel per occupationem, vel » per importunitatem petentium. « *Ad cap.* 3. *de Capell. Monach.*

Hanc regulam præ oculis habuisse videtur Concilium An-

sanum (a) plurium Archiepiscoporum & Episcoporum in quo legitur: » Quòd Odilo Abbas Cluniacensis cum suis Monachis » ostendit privilegium, quod habebant à Romana Ecclesia; » quod eis talem libertatem tribuebat; ut nulli, in cujus territorio degebant, nec alicui aliquatenus subjacerent Episcopo: » sed quemcumque vellent, vel de qualibet regione, adducerent Episcopum, qui faceret ordinationes vel consecrationes » in eorum Monasterio. Relegentes ergo (Episcopi) *sancti Cal-* » *chedonensis, & plurimorum authenticorum Conciliorum senten-* » *tias*, quibus præcipitur, qualiter, per unamquamque regio- » nem, Abbates & Monachi *proprio* subesse *debeant Episcopo*; » & ne Episcopus in Parochia alterius audeat ordinationes vel » consecrationes absque licentia ipsius Episcopi facere: decre- » verunt chartam *non esse ratam, quæ Canonicis non solùm non* » *concordaret, sed etiam contrairet sententiis.* « An. 1025. *tom.* 9. *Concil. pag.* 859.

Horum Patrum exemplo meritò Episcopi chartas privilegiorum Canonicis Institutis contrarias, ut subreptitias, aut a Sede Apostolica extortas per nimiam Pontificis occupationem, aut petentium importunitatem, rejicient; vel ut minus earum executionem suspendent, quousque de mente Pontificis meliùs fuerint instructi.

E contrario privilegiis, præsertim quæ integris ac admodum numerosis congregationibus indulta prætenduntur per posteriores Conciliorum sanctiones in dubio præsumi derogatum, ex prædicta quarta regula consequens est.

Res enim quælibet facilè ad suum redit statum naturalem. Cùm itaque per privilegia res in violento quodammodo statu ponatur, non difficulter privilegia præsumuntur sublata, resque suo naturali statui restituta.

Atque inde ulterius consequens est, privilegia Fratrum Mendicantium, aliorumque ipsis in privilegiis communicantium per Concilium Tridentinum censeri sublata, in quantum decretis ejusdem Concilii adversantur; tametsi etiam corpore juris clausa essent, neque specialiter ipsis foret derogatum; ut pluribus docet Fagnanus *loco citato num.* 46. & 47. hac inter alias, notanda ratione: » Nam in his, quæ in Generali Concilio cum » tanta maturitate & solemni deliberatione transeunt, & exami- » natione elimantur, nihil est, nec esse debet, quod frustra mem- » branas occupet... quæ conjectura eo magis sumenda est, ait, in » casu præsenti, quia si decreta Concilii Tridentini ex hoc defec- » tu specialis derogationis non valerent; *magna ejusdem Conci-* » *lii pars subverteretur*: quod quàm sit absurdum nemo non vi- » det. « Hæc Fagnanus. Et sanè, si privilegia, quæ Fratres Mendicantes ipsisque in privilegiis communicantes contratia decretis Tridentini Concilii habere pretendunt, subsisterent; nullus certè aut exiguus decretorum Synodi Tridentinæ esset effectus.

Cùm enim decreta maxima ex parte circa Ministros Ecclesiæ, eorumque functiones versentur, horumque majorem partem hodie constituant Fratres Mendicantes, cæterique Regulares eisdem privilegiis per communicationem, ut ajunt, gaudentes; quis non videt, pro majori parte Concilii decreta futura sine effectu, si privilegia subsisterent?

Hoc fundamento Pius IV. cujus potissimum labore & industria Synodus Tridentina feliciter ad finem perducta fuit, omnia *& universa* privilegia, Exemptiones, Immunitates, etiam *mare magnum* (b), ut vocant, quæ variis tam Cathedralibus quam Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, & aliis Religiosis, etiam FF. Mendicantium Domibus, & Ordinibus per Romanos Pontifices, etiam *motu proprio* & *ex certa scientia*, ac de *Apostolicæ potestatis plenitudine*, seu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, & intuitu, etiam de Fatrum consilio, in genere, vel in specie, *ex quavis etiam honesta causa concessa*, & etiam *pluries* confirmata & innovata fuerunt: Hæc omnia, *inquam*, Pius IV. motu proprio & *ex certa scientia*, ac de *Apostolicæ potestatis plenitudine*, in his omnibus & singulis, in quibus illa *Statutis, & Decretis Concilii hujusmodi contrariantur, ipso jure* revocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta esse; nec quidquam adversus ipsa Decreta, & Statuta, quo minus ubique & apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi, & reputari debere, *ac si unquam emanássent, auctoritate Apostolica declarat, ac etiam statuit, & ordinat.* In Constit. quæ incipit: *In Principis.*

(a) *A Gallis nuncupatur* Anse. *Oppidum Galliæ est prope Ararim fluvium, quatuor leucis Lugduno distans.*

§. II.

Primum assertum regulæ IV. adversum, *exemptiones in favorem Regularium* largissimè *sunt interpretandæ.*

PLura apud recentiores præsertim Regulares, qui de exemptionibus, ac de privilegiis suis tractatus ediderunt, eisque amplificandis impensè studuerunt, reperiuntur contraria regulis capite præcedenti exhibitis: sed rationi, ac notissimis Juris principiis adeò perspicuè contraria; ut ea vel retulisse, penè refutâsse sit.

Inter alios pro privilegiorum amplificatione consultationes canonicas edidit anno 1676. easque auctas denuò imprimi jussit anno 1682. R. P. Jacobus à S. Antonio Ord. FF. B. V. M. de Monte Carmelo. In quibus penè omnia, quæ alii pro amplificandis exemptionibus & Privilegiis suis scripsere, in compendium contraxit.

Hic Auctor inter alia, quæ regulæ quartæ à me traditæ adversantur, docet: » Quoties super privilegiorum intelligentia, » legalitate, perseverantia, &c. occurrunt dubia interpretatio- » ne aliqua indigentia, hanc in favorem Regularium debere fieri » & quidem *largissimè*... ita etiam novissimè plurimis citatis nos- » ter Petrus ab Angelis *in Speculo Privilegiorum, disp.* 1. *sect.* 2. » *num.* 21. ubi ita concludit: *Quando sunt duæ sententiæ contra-* » *riæ, quod valeat, aut non valeat privilegium, quod sit revoca-* » *tum vel non sit revocatum; censendum valere, & non esse revo-* » *catum.* « Hæc ille *Consult.* 2. *resol. XIII. num.* 285. qui & alio loco ait: » Privilegium *exemptionis* semper *extendendum* est er- » ga Regulares, & *coarctandum* erga Ordinarios, cùm ob eorum » in punitione Regularium excessus Summi Pontifices fuerint » coacti eos ab eorum jurisdictione eximere. « *Consult.* 4. *resol.* 2. *num.* 1058.

Quid ineptius, & notissimo Jurium principio magis adversum dicit posset?

Sed dicet: Varii concessêre Pontifices, sic *ut quando dubium fuerit in intellectu Privilegiorum Regularium, semper per Jurisperitos, & alios Judices in favorem Regularium fiat interpretatio.*

Verùm, amabo te! Qui illi Pontifices, qui concesserunt, seu potiùs obligârunt Jurisperitos, aliosque Judices, ut neglectis notissimis, probatissimisque Juris principiis, exemptiones, ac privilegia sacris Canonibus adversa *largissimè* interpretentur? Respondet citatus Auctor *Consult.* 2. *resol. XIII. num.* 385. illi » quos adducit noster Augustinus à Virgine Maria *Privil. Men-* » *dic.* verb. *Interpretatio Privileg. & Constit.* & plures Donat. » Laynensis. « Authentica certè, & solida probatio! Ideone credemus Pontifices voluisse, ut Jurisperiti, ac Judices à receptissimis solidisque Juris regulis in Privilegiorum interpretatione recedant, quia aliquibus Privilegiorum compilatoribus similia referre placuit? An forsan hic Pater volet, ut omnia pro genuinis Pontificum Bullis, aut rescriptis, vel constitutionibus recipiantur, quæ in simili Privilegiorum farragine, aut aliquo immenso eorum Oceano continentur?

Sanè nihil injuriosius, nihil indignis Ecclesiæ Catholicæ, aut Romanis Pontificibus accidere posse credo, quam ea omnia Summis Pontificibus, & Ecclesiæ adscribere.

Tam enim inepta, & numquam credenda, tanquam à Romanis Pontificibus indulta, ab illis privilegiorum compendiariis & compilatoribus proferuntur, ut nihil adeò Primatum Romani Pontificis hæreticis odiosum reddere posse credam, quam similia Romanis Pontificibus adscribere. Imò si ea omnia à Summis Pontificibus emanata crederemus; eum certè non ut fidelem dispensatorem mysteriorum Dei, & clavium Ecclesiæ, Canonum præcipuum, ac primum defensorem, sed potiùs ut dissipatorem ac prævaricatorem orbi universo exhiberent.

Utque infinita penè in hanc rem, quæ legentibus similes privilegiorum farragines, sunt obvia, omittant: unum duntaxat proferam ex Antonio Corduba Franciscano: qui tantam privilegiorum peritiam profitebatur, ut annotationes in compendium privilegiorum publicare non dubitaverit. Hic igitur *in Annotat. ad Comp. Privileg. verb.* Privileg. Fratrum, refert Leonem X. (ut habetur, inquit, *in registro Ordinis facto tempore Reverendissimi Ministri Generalis Francisci de Licheto*) » Anno » Domini 1519. in Vigilia Visitationis B. Mariæ vivæ vocis ora- » culo concessisse Minoribus, ut iis omnibus privilegiis indultis, » & concessionibus in utroque foro per Fratrem Joannem à » Costa Commissarium quondam Ultra-Montanum impetratis, » uti securè liceret: quamvis fuerint impetrata *indebitè, abs-* » *que causa legitima*, vel quovis alio modo *indebito*, etiam » *malitioso, & mendaciter, & dolose.* «

Quis ad hæc non exhorreat? Absit ergo, ut cum tanta Romanorum Pontificum infamia recipiamus pro veris eorum dictis,

(b) *Nomine* Mare magnum *donatur Bulla, quæ privilegia cujuslibet generis complectitur.*

tis, aut factis, quia illa à similibus privilegiorum compilatoribus pro talibus venditantur.

Verùm ulteriùs in sui asserti probationem urget prædictus Pater *Consult.* 4. *Resol.* 2. *n.* 1056. » Sedis Apostolicæ interest » multos habere immediatè subjectos, & ideò ampliari debet » exemptio in Sedis Apostolicæ favorem. « Sed quid rursus ineptius? Imò quid Sedi Apostolicæ injuriosius? Num forsitan Sedis Apostolicæ interest, infrigi Sacros Canones, quos universalis Ecclesiæ probavit assensus, quibus exemptiones contrariantur? Audiamus ipsos Romanos Pontifices: » Confidimus (ait Gela- » sius I. Epistol. ad Episcop. Dardaniæ) quod nullus jam ve- » raciter ignoret Christianus uniuscujusque Synodi consti- » tutum, quo universalis Ecclesiæ probavit assensus, non » aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm » primam.

Defensores enim divinorum Canonum sumus, & custodes, non prævaricatores, inquiebat Gloriosissimus Pontifex, & Martyr Martinus I. *Epist.* 1. Et Liberius ejusdem Sedis Episcopus *in Dial. cum const.* » Leges ecclesiasticas observare pluris faciendum » censo, quàm Romæ domicilium habere. «

Hæc est digna Successoribus Petri, & Christi Vicariis, Ecclesiæque Capite vox: quæ non Canonum violationem, sed eorum strenuam conservationem, seu Sedis Apostolicæ privilegium, & favorem clamat.

Et quid, quæso, Romano Pontifici cum hujusmodi sive Canonicorum, sive Regularium exemptionibus? Num forsan sine hisce exemptionibus aliquid ipsius deesset Primatui? An onus humeris Pontificis ex cura totius Ecclesiæ incumbens non sat ponderosum, si singulis Episcopis, portionis ipsis concreditæ immediata cura *integrè* permitteretur?

§. III.

Secundum assertum Regulæ IV. & Corollariis inde deductis contrarium. *Privilegia per Tridentinum non censentur revocata, nisi* Expressa *eorum sit revocatio: Per privilegia verò Trid. ntino est derogatum, licèt non sit* Expressa *ejus derogatio.*

EX Regula IV. consequens esse diximus, exemptionibus, & privilegiis, utpotè odiosis facilè intelligi derogatum; econtra verò decretis Conciliorum, præsertim generalium non præsumi derogatum, nisi *expressè*, & specificè de illis mentio fiat.

Atque hinc ulteriùs consequens esse ostendimus, privilegia Mendicantium decretis Concilii Tridentini contraria censeri abrogata, licèt eorum *expressa* derogatio, sive revocatio facta non sit.

Econtra P. Jacobus à S. Antonio sustinet, quod nullæ provisiones, privilegia, favores, gratiæ Apostolicæ Mendicantibus concessæ, vel etiam innovatæ, vel confirmatæ, ante, vel post Concilium Tridentinum censeantur revocatæ, nisi illæ, quibus Concilium *apertè* & *manifestâ* auctoritate Apostolicâ interveniente per clausulas *expressas* & *sufficientes* derogat. Et addit: » Nota, quòd alia privilegia, quæ ante Tridentinum » habebant Religiosi, tàm *ex mari magno*, quàm ex aliis conces- » sionibus, & *expressè* non revocantur ab ipso Tridentino, » non solùm habeant valorem antiquum; verùm etiam habeant » firmitatem novæ confirmationis à Tridentino. « *Consult.* 2. *resol.* 25. *num.* 367.

Proinde ex mente hujus Auctoris privilegiis per Tridentinum non censentur derogatum, nisi *expressè* revocentur. Sed quid, si privilegia post Concilium Tridentinum concedantur ipsi Concilio contraria? » Ut per illa Concilio deroge- » tur, ait, non requiritur *expressa* derogatio, sed sufficit » Bulla vel Rescriptum Pontificis contra decreta ipsius. « *Ibid. num.* 369.

Bene habet, juxta hunc R. Patrem, ut per confirmationes, aut concessiones privilegiorum derogetur Decretis Concilii Œcumenici Tridentini non requiritur *expressa* derogatio; sed ut per Tridentinum derogetur privilegiis Fratrum Mendicantium requiritur, ut illis derogetur *apertè* & *manifestâ* auctoritate Apostolicâ interveniente, per *clausulas espressas* & *sufficientes*.

Rationem hujus exotici asserti audiamus: » Quia, ait, » *cap.* 21. *sess. ult.* declaratur formalibus terminis: *Sancta Sy-* » *nodus omnia, & singula sub quibuscunque clausulis, &* » *verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica* » *disciplina in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita* » *decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apos-* » *tolicæ & sit, & esse intelligatur.* Ex quibus concludendum, » *inquit*, cum per docto Petro Marchant, quòd omnia decre- » ta auctoritate Apostolicâ emanata, sive in Conciliis Genera- » libus sive in Bullis & Brevibus Summorum Pontificum, tam » ante, quàm durante Concilio, subsitant in suo vigore, ex- » ceptis iis, quibus idem Concilium derogavit per *clausulas* » *sufficientes*: alioqui auctoritas S. Sedis non mansisset illæsa » contra declarationem & protestationem, quam faciunt Patres » Concilii. « *Consult.* 2. *resol.* 25. *num.* 361.

Insignis ratiocinatio! Synodus Tridentina quoad decreta morum & disciplinæ salvam voluit in omnibus auctoritatem Sedis Apostolicæ: ergo per Concilium non censetur derogatum privilegiis, nisi per *expressas* clausulas ipsis sit derogatum; quasi auctoritas Sedis Apostolicæ salva non esset, nisi privilegia Fratrum Mendicantium, decretis Concilii adversa subsisterent: aut illis derogatum non censeretur, nisi ea derogatio per clausulas *expressas* & *sufficientes* facta fuisset. Aliter sanè intellexit Pius IV. ut §. 1. vidimus.

Sed forsan dicet R. P. Concilium saltem voluit esse salvam in omnibus auctoritatem Sedis Apostolicæ, ut decretis Concilii derogare posset: » Ac proinde cum Papa disponit, » decernit, vel in contrarium aliquid ordinat, absque *specifica*, » & *expressa* mentione ipsius Concilii, non solùm utitur ju- » re suo, cùm sit supra Concilium, sed etiam Patrum Conci- » lii desiderio satisfacit, qui nec auctoritate Concilii Generalis, » nec jussu Prædecessorum Summorum Pontificum voluerunt, in » casu abrogationis, aut dispensationis decretorum hujusmo- » di, nec *specificam*, nec *genericam* mentionem fieri. « *Ibid. num.* 369.

Verum est, Tridentinum per citata verba intendisse, & quidem unicè, declarare, quod Sedis Apostolicæ auctoritas salva maneret quoad decreta morum, atque disciplinæ ecclesiasticæ, ut illa interdum pro utilitate vel necessitate Ecclesiæ suâ auctoritate moderari posset; sed inde inferre, ergo per Rescriptum Sedis Apostolicæ derogatum censetur Concilio Tridentino, licèt nulla ejus *specialis* fiat derogatio, planè ineptum est. Nec enim quæritur, an Pontifex *possit* Concilio derogare; sed an *velit*. Declarârunt verò Summi Pontifices non censeri derogatum Concilio Generali per sua Rescripta utpote sub & obreptioni alisque vitiis exposita, nisi illius *expresa* mentio fiat; sed econtra Rescripta eo casu pro subreptitiis, aut malè impetratis esse habenda.

Quòd igitur illa Rescripta Apostolica contraria Tridentino aliisque Generalibus Conciliis pro nullis sint habenda, nisi *expressè* Concilio derogetur, non arguit defectum potestatis, ut supponere videtur, dictus Pater, sed defectum voluntatis.

§. IV.

Corollarium primum ex Reg. V. & IX. *Exemptio Regularibus, aliisve concessa, illos non concernit, quatenus sunt cooperatores, aut subsidiarii Episcoporum.*

ORdines Mendicantes ab aliquot seculis institutos, & ab Ecclesia receptos fuisse, ut Prælatis, ac Pastoribus in regimine animarum coadjutores, & subsidiarii accederent, notum est.

„ Sicut Religiones aliquæ, inquit S. Thomas de his Ordi- „ nibus agens, instituuntur ad militandum, non quidem ut » militent auctoritate *propria*, sed *auctoritate Principum*, vel » *Ecclesiæ*, quibus ex officio competit, sicut dictum est; ita » etiam Religiones instruuntur ad prædicandum & confessiones » audiendum, non quidem *auctoritate propria*, sed *auctoritate* » *Prælatorum* superiorum & inferiorum, ad quos ex officio » pertinet, & ita *subvenire* Prælatis in tali ministerio, est hu- » jusmodi Religionis *proprium*. « 2. 2. *q.* 188. *art.* 4. *ad.* 2.

Cui consonat S. Bonaventura, docens per Petrum, & Socios in navi laborantes præsignatos Ordinarios Pastores, qui cùm rete præ multitudine piscium trahere non possent, annuerunt sociis in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos: » Quia Prælati Ecclesiæ cum Clero non sufficientes per se tan- » tam plebium multitudinem trahere ad litus vitæ perpetuæ, » annuerunt sociis Religiosis, scilicet Jacobo, & Joanni, ac- » tivis & contemplativis, ut venirent compatiendo animarum » periculis, *adjuvarent* eos, tam illos, qui trahunt, quàm illos » qui trahuntur, illorum insufficientiam, istorum indigentiam re- » levando. » *In tract. quare Fratres Minores prædicent.*

Hinc & Romani Pontifices sæpiùs monendos censuerunt Ecclesiæ Pastores, ut Fratres Ordinum Mendicantium tanquam *suos adjutores, & cooperatores benignè susciperent*. Clem. *Dudum, de sepult.*

Sodalitia itaque, seu Religiones Ordinum Mendicantium, aliorumque, qui postmodum eundem in finem ab ecclesia suscepti fuerunt, seminaria quædam sunt, è quibus Prælatis vocantibus & annuentibus subsidiarii, & cooperatores emittuntur, & accipiuntur.

Similes proinde Religiones institutæ non sunt, ut eorum Sodales per simplicem Ordini adscriptionem, sive professionem, protinus efficiantur, & sint cooperatores, & subsidiarii Prælatorum vel Pastorum, sed duntaxat, ut Prælatis vocantibus & annuentibus id muneris parati sint obire; eumque in finem studia & actiones suas dirigant.

Un-

Unde Ordinum illorum Fratres veri sunt Regulares, tametsi nulli functioni hierarchicæ sint applicati, neque ullo Ordine sacro insigniti.

Hinc ulteriùs consequens est, statum regularem, & clericalem etiam in similibus Religiosis esse planè disparatos, Fratresque Ordinum Mendicantium assumi, & transferri in statum planè diversum à regulari, dum ad functiones hierarchicas tanquam Prælatorum subsidiarii & cooperatores assumuntur.

Ex his sua sponte profluit, quòd exemptio Regularibus concessa, juxta regulam V. à me capite præcedenti exhibitam, extendi nequeat ad Fratres Mendicantes, aliosque Regulares, ut cooperatores & subsidiarios Prælatorum consideratos.

Exemptio enim indulta Regularibus, v. g. Fratribus Ordinum Mendicantium, illis data est ut Fratribus illorum Ordinum; sicuti exemptio data Canonicis, & Academicis.

Cùm ergo Regulares assumpti ad functiones clericales assumant qualitatem seu personam planè diversam: & exemptio alicui indulta sub una qualitate non concernat eundem consideratum sub alia qualitate, v. g. Canonicis, aut Academicis concessa, eosque non tangat in qualitate Parochorum, aut Confessariorum, etiam exemptio data Regularibus, sive Fratribus Ordinum Mendicantium nequit, juxta citatam regulam, extendi ad ipsos consideratos, non ut simplices Regulares, sed in alia planè diversa qualitate superaddita.

Præsertim cum qualitas seu officium illud superadditum eosdem arctiùs Episcopis subjicit & unit, quam qualitas illa, quæ in exemptionis privilegio exprimitur.

Quis verò dubitet, quin Officium hierarchicum subjiciat arctiori vinculo, & specialiori ratione Regularem Episcopo, quàm ipse Status Regularis nudè, & simpliciter consideratus? Officium enim illud ipsos tanquam Ecclesiæ illius, cui opitulantur, ministros ecclesiasticæ hierarchiæ annectit: atque ita ipsa ratio hierarchiæ ipsum speciali ratione Episcopo, tanquam Capiti, & Principi illius sacri Principatus subjicit; ne alias ut in Regula IX. dictum fuit, hierarchia divinâ ratione instituta planè confundatur.

Sit igitur hæc conclusio: Sicut exemptio Canonicorum, aut Academicorum extendi nequit ad functiones hierarchicas v. g. prædicationem Verbi Divini, Confessiones &c. ne alias exemptio extenderetur de re ad rem; & ne ipsa hierarchia ecclesiastica divinâ ordinatione instituta confundatur, ita exemptio Regularium quantumvis illimitata, extendi non potest ad Regulares hierarchicas functiones obeuntes.

§. V.

Secundum Corollarium ex Regula V. & IX. *Regularium Exemptio non extenditur ad munus Confessarii.*

INter functiones hierarchicas administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, seu officium Confessarii præcipuum esse nemo facilè negaverit.

Confessarius enim non tantum Doctoris, ac Magistri partes, respectu Pœnitentium subire debet; „sed & discretus sit oportet, ut more periti Medici, ut loquitur Concilium Lateranense sub Innocentio III. superinfundat vinum, & oleum „vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale „debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhiberi, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.“ *Cap. omnis utriusque sexus, ✠ de Pœnit.*

Nec Medici, & Doctoris partes duntaxat Confessarius probè callere & strenuè implere debet, sed & partes Judicis ut nec solvendum liget, nec ligandum solvat; justumque judicium lepram inter & lepram ferat, pœnasque satisfactorias pro delictorum gravitate, & Pœnitentium conditione imponat, quæ sint, & ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, atque etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Horum si vel unum in Confessario desit, partes Confessarii debitè non implebit; & quotquot ejus subjicientur directioni, evidenti salutis periculo exponentur.

Quis hic non intelligat Exemptiones Regularium ad officium, seu munus Confessarii extendi non posse, ni una hierarchiæ ecclesiasticæ horribilis confusio, ac totius regiminis Episcopalis sequatur eversio?

Quæ enim hierarchia illa, ut *Castrorum acies benè ordinata*, in qua Ministri hierarchiam constituentes in præcipuis functionibus hierarchicis Capiti non subjiciuntur? Denique quod illud Episcopale animarum regimen, si illi, qui præcipuas partes in animarum directione, tanquam subsidiarii, seu cooperatores subeunt, ipsi non subjiciantur?

Hæc perpendentes PP. Conc. Tridentini non dubitârunt declarare, Regulares omnes, quantumvis exemptos, Episcopis in officio excipiendi secularium Confessiones eodem planè subjacere modo, quo Presbyteri seculares Parochiale Beneficium non habentes, nec ullo exemptionis privilegio gaudentes ab Episcopis in hac functione sunt dependentes. Sciebant enim exemptiones Regularium hujusmodi functiones non concernere ac per consequens, Regularibus in similibus habendos esse, ac si nullo exemptionis privilegio gauderent. „Quamvis Presbyteri (ait Synodus *Sess. 23. cap. 15. de Reform.*) in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat: privilegiis, & consuetudine quâcunque, etiam immemorabili, non obstantibus.“

Ex hoc decreto patet, Patres Tridentinos considerâsse Regulares Parochiale Beneficium non obtinentes quoad Confessiones excipiendas, non ut ab Episcoporum auctoritate & jurisdictione exemptos, sed sicut Presbyteros non obtinentes simile Beneficium ab Episcopis planè dependentes.

Et sanè ut ita statueretur, hierarchiæ ratio, & animarum regimen Episcopis incumbens omninò requirebant.

Quâ enim ratione hierarchia divinâ ordinatione instituta stabit, si Regulares ad præcipuas hierarchicas functiones assumpti, Episcopo ut Hierarchiæ Capiti non subjiciantur? Quomodo Episcopus animas sibi commissas diriget, si illi qui primas in directione animarum partes occupant, ab ipso sint independentes?

Hinc universa Concilia post Concilium Tridentinum celebrata, eandem planè obtinendæ approbationis necessitatem ad excipiendas Secularium Confessiones, Absolutionemque validè impertiendam in Regularibus, & Secularibus Presbyteris sine ullo distinctionis vestigio requirunt.

Imò & ante Concilium Trident. *an.* 1528. *part.* 3. *cap.* 37. Antonius à Prato Tituli S. Anasthasiæ Presbyter Cardinalis Senonensis Archiepiscopus, in Provinciali sua Synodo, Absolutiones Fratrum Mendicantium invalidas declaravit, licèt essent per suos respectivè Superiores, *tanquam sufficientes, & idonei, vitâ probati, discreti, modesti, atque periti, ad Confessiones excipiendas electi, & Episcopis præsentati, nisi ab eisdem Episcopis fuerint admissi & approbati.*

Supposuit proinde prædictum Concilium, quod Fratrum, Mendicantium qualiscunque exemptio, aut privilegium ipsos à dependentia Episcoporum quoad similem materiam hierarchicam eximere non posset: ipsosque, etiam præveniendo omnem specialem Concilii Generalis derogationem, Episcopis quoad has functiones manere subjectos: & consequenter, Regularium subjectionem, & dependentiam ab Episcopis in hujusmodi materia non profluere ex aliquo possitivo Pontificis aut Concilii Generalis decreto, sed ex ipsa ecclesiasticæ hierarchiæ & Episcopalis regiminis ratione.

Verùm cùm singulorum Episcoporum jurisdictio ultra suæ Diœcesis limites non protendatur, atque singuli Episcopi suarum duntaxat ovium curam gerant, consequens est, non sufficere approbationem cujuscunque Episcopi, ut aliquis etiam Regularis censeatur approbatus ad excipiendas Confessiones, sed requiri approbatio Episcopi loci, in quo Confessiones excipit; quandoquidem per approbationem alterius Episcopi in subditos illius jurisdictionem accipere nequeunt.

Meritò proinde generalis Cleri Gallicani Conventus constans ex 10. Archiepiscopis & 73. Episcopis, plurimisque Abbatibus & inferioribus Prælatis reprobavit hanc propositionem: *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo, ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione.*

Justam hanc fuisse Cleri Gallicani censuram probavit Alexander VII. eandem propositionem reprobando in decreto ad Episcopum Andegavensem. Quin & eodem nixus fundmento declaravit S. Carolus: „Ne in Monasteriis quidem, & locis, „ubi Regulares spiritualem, temporalemque jurisdictionem habent, quisquam Sacerdos, etiam *Regularis & exemptus* Confessiones audiat; nisi primùm ab Episcopo *intra cujus Diœcesis fines* ea Monasteria locaque sunt, ad id probatus fuerit.“

§. VI.

Ulteriùs consectaneum ex præcedenti: *Episcopus potest pro libitu approbationem Regularium restringere, ac modificare, suspendere ac revocare.*

EXemptionem Regularium ad munus Confessarii extendi non posse, ni una hierarchia ecclesiastica planè confundatur, & regimen Episcoporum evertatur, §. præcedenti ostensum fuit: ideoque Concilium Tridentinum declarâsse, Regulares æquè, ac Presbyteros Seculares, ut idonei sint ad audiendas Confessiones Secularium etiam Sacerdotum, debere suam ab Episcopis mutuare jurisdictionem.

Ex quo juxta notissima ac receptissima juris principia con-

sectarium est, Episcopos posse Regularium æquè, ac secularium Presbyterorum, beneficium Parochiale non obtinentium, approbationem, vel jurisdictionem pro arbitrio restringere ac modificare. Jurisdictionem quippe delegatam (qualis est illa, quæ Presbyteris Regularibus, & Secularibus Parochiale Beneficium non obtinentibus communicatur) ad libitum delegantis restringi ac modificari posse, nullus Canonistarum ambigit.

Huic notissimo juris principio innixi Episcopi, aliique Prælati Clerum Ecclesiæ Gallicanæ constituentes, sæpius in suis Generalibus Conventibus declarârunt, quòd » Regulares, qua» liacunque privilegia, aut immunitatem obtendant, Secularium » Confessiones audire non poterunt, quin Episcopi Diœcesani » examen subierint, & ab ipso, vel ejus Generali Vicario ap» probati, è *quorum nutu & arbitrio pendebit iis vel tem» porariam, vel perpetuam Confessiones excipiendi facultatem » facere, vel sub quacunque restrictione placuerit concedere.* « Ann. 1633. & 1645.

Cumque non obstante tam perspicua juris ratione, nec non iteratâ totius Cleri Gallicani declaratione quidam in Diœcesi Andegavensi hanc Episcoporum auctoritatem in dubium vocare attentarent, convenientes 10. Archiepiscopi cum 73. Episcopis, plurimisque Abbatibus, allisque Prælatis, hanc propositionem proscribere non dubitaverunt: » *Ubi Concilium Tri» dentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel » limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Con» fessiones audiendas.* « Ann. 1656. in causa Episcopi Andegavensis.

Quam Prælatorum censuram ut justam postmodum confirmavit Alexander VII. in citato decreto ad Episcopum Andegavensem, (a) eandem propositionem tanquam falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam condemnans.

Liberum proinde est Episcopis, approbationem Regularium non secus ac Secularium Presbyterorum *ad tempus* limitare; si ita bono suæ Diœcesis & regimini animarum convenire judicaverint.

Atque ita anno 1650. Clerus Gallicanus è Conventu suo generali per litteras circulares mandavit omnibus Episcopis: ut » quemadmodum in Italia, quin & Romæ, & plurimis aliis » Provinciis, & Diœcesibus observatur posthac, nulli Regulari » detur facultas excipiendi confessiones nisi ad *certum tempus* » limitata. « Hâc insuper formulâ admissionis Regularium ad excipiendas Confessiones, & annuntiandum verbum Dei præscriptâ: » N. Ecclesiæ N. Episcopus dilecto nobis in Christo N. Or» dinis, vel Societatis N. Presbytero, salutem, & benedictio» nem. Cùm multa Jesu Christi messis nos cogat, undequaque » ad auxilium nostrum operarios advocemus, teque, Charis» sime Frater, pium, & doctum examine noverimus, aptum» que, ut sub nostri regiminis magisterio pro curanda Fidelium » saluti inservias, verbo Dei prædicando, administrandoque » Pœnitentiæ Sacramento admovere statuimus. *Ad...* (hic debet » exprimi tempus) *præsentibus post illud tempus non valitu» ris*; eâ tamen conditione, ut à casibus nobis reservatis non » absolvas. «

Ex eodem principio, nimirum quòd Regulares jurisdictionem delegatam ab Episcopo accipere debeant, profluit, quòd Episcopi non tantùm ad certum tempus, sed etiam ad certas personas, aut personarum Status approbationem Regularium limitare valeant.

Unde si Episcopus, non tantum Moniales, aliasve illius sexûs personas declaret sub generali, & ordinaria admissione ad excipiendas Confessiones non comprehendi (ut varii Episcopi in suis respectivè Synodis, & Ordinationibus declarârunt) sed etiam exemplo S Caroli, suis Clericis speciales Confessarios, eruditione, ac prudentiâ, aliisque qualitatibus pro directione Cleri capaciores, deputatos velit, quibus solis, & non aliis confiteri deberent; eo casu Regulares simpliciter approbati Clericos illos absolvere non possent; eo quòd ex declaratione Episcopi jurisdictionem delegantis constaret, jurisdictionem simpliciter datam ad Clericos non extendi. Vide *Synod. Diœces. Mediol.* 4.

Rectè proinde declaravit Synodus Provincialis in civitate Mexicana quæ Provinciæ novæ Hispaniæ Caput est, & Metropolis anno 1485. celebrata à sua Majestate Catholica revisa, & à Sede Apostolica examinata & approbata, » illos Confessarios, quibus Episcopus *limitatam facultatem ad certum per» sonarum statum* concesserit, reputari idoneos non debere » ad aliarum personarum Confessiones audiendas. Nec per Bul» lam Cruciatæ eligi posse in Confessarios ab aliis quàm ab » hujusmodi personis. Confessiones verò, si quas audierint, fa» cultatem, & approbationem suam excedentes, irritas esse, & » nullas. « *Lib.* 5. *tit.* 23. §. 2.

Jurisdictionem delegatam non tantum quoad tempus, & personas ad arbitrium delegantis restringi posse, sed etiam quoad materiam notissimi juris est.

(a) *Henricum Arnaldum ann.* 1695.

Consequenter si Episcopi ad Christiani populi disciplinam pertinere judicent, ut hæc, illave crimina non à quibusvis Sacerdotibus inferioribus simpliciter approbatis remittantur, sed eorum absolutionem sibi specialiter reservandam duxerint, Regulares simpliciter approbati ab illis absolvere non poterunt; cùm evidens sit jurisdictionem simpliciter datam ex intentione dantis ad peccata illa minimè extendi.

Quod & innuit Concilium Tridentinum, dum generaliter *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Pœnit.* pronuntiat, „ quòd cùm extra » articulum mortis Sacerdotes inferiores nihil possint in casibus » reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad » Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis » accedant. «

Id verò non tantum de Presbyteris secularibus, sed etiam Regularibus, non obstantibus quibuscunque prætensis privilegiis intelligendum esse, præterquam quod manifesta ratio evincat, etiam consona est omnium Synodorum, quæ pro executione Concilii Tridentini celebratæ sunt, sententia.

Utque plurimas omittamus, in Concilio Mediol. III. *tit.* 8. sub Sancto Carolo legitur, » Ne Confessarii Regulares eorum » peccatorum, quorum absolutio Episcopo reservata est, vin» culis irretitos pœnitentes absolvant, quemadmodum, ait Con» cilium, à Sancta Sede Apostolica declaratum est, id eis non » licere, *quavis Privilegiorum suorum auctoritate.* « Et rursus in Concilio Mediolanensi V. sub eodem sancto Præsule decernitur: » Ne facultatum Privilegiorumque jure, quæ cuicun» que, etiam Rosarii, & Cruce-signatorum Scholæ, Confra» triæ, Collegiove etiam Laicorum, quæve Collegiis, Confra» tribusve in eo adscriptis ante, vel post Concilii Tridentini » confirmationem, concessa sunt; Confessarius cujusvis Ordinis » sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua Diœcesi reser» vaverit, Pœnitentes sine illius facultate absolvat: si contra » fecerit, suspensionem à divinis ipso facto incurrat. «

Eisdem principiis insistens sæpè nominatos Conventus Cleri Gallicani, hanc propositionem tanquam regimini Episcoporum pernitiosam proscripsit: *Regulares habent potestatem absolvendi seculares à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit.* Quam censuram probavit Alexander VII. eandem propositionem in decreto ad Episcopum Andegavensem directo *ut falsam, auctoritati Episcoporum, & Sedis Apostolicæ injuriosam* condemnans.

Libertum esse mandanti jurisdictionem non tantum restringere aut limitare, sed & modificare, id est, conditionem, aut formam adjicere, nemo ambigit. Consequenter si Episcopus Regularium approbationi conditionem aliquam adjiciat, non nisi conditione illa observatâ absolvere poterunt; quia approbatio, à qua jurisdictio pendet, à conditione suspenditur.

Proindo si Episcopus sub hac v. gr. clausula approbet Regulares, *de consensu Pastorum loci, seu eorum, quorum interest*, non poterunt, nequidem validè, Regulares ita approbati, in aliqua Parochia absolvere incolas illius absque consensu Pastoris, ob non adimpletam conditionem, sub qua approbatio data fuit.

Sicuti in potestate delegantis est jurisdictionem delegatam restringere & modificare, ita quoque pro arbitrio ipsius eandem jam datam revocari, aut suspendi posse apud Canonistas est expeditum: per consequens possunt quoque Episcopi jurisdictionem ad audiendas Confessiones Presbyterorum, sive Regularium sive Secularium beneficium Parochiale non obtinentium, pro arbitrio non tantùm limitare, aut modificare, sed etiam datam suspendere & revocare.

De hac Episcoporum auctoritate non dubitans zelosissimus Mediolanensium Antistes, quem *Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit*, S. Carolus; unaque perpendens non sine evidenti animarum discrimine permiti posse in munere Confessarii illum, de quo Episcopus cum fundamento dubitat, num boni Confessarii partes ritè expleat, statuit, » ut Episcopus à Con» fessionibus audiendis suspendat, aut omninò amoveat Confes» sarios etiam *Regulares jam approbatos*, quos pro *suæ timo» ratæ conscientiæ religione* viderit in eo munere non ita sin» cerè integrequè & cum ædificatione se gerere, quemadmo» dum & tanti ministerii illis commissi sanctitas, & animarum » salus deposcit, quæ suæ fidei concreditæ sunt. « *Concil. Mediol. VI. tit. de his, quæ ad Sacram. Pœnit. pertinent.*

§. VII.

Primum assertum contrarium prædictis Corollariis; *Regulares non accipiunt jurisdictionem ad audiendas Confessiones secularium* immediate *ab Episcopis, sed à Pontifice.*

EX Regula IX. quæ dictat, exemptionem Regularium ad functiones hierarchicas extendi non posse, consectarium esse ostendi, Regulares quoad audiendas Confessiones secula-

larium dependere ab Episcopo eodem planè modo ac si nulla exemptione gauderent; omnemque jurisdictionem ad audiendas Confessiones secularium ipsos ab Episcopo mutuare.

Huic consectario evidenter ex ipsa ratione hierarchiæ ecclesiasticæ consequenti, se opponit prædictus Pater Jacobus à S. Antonio contendens, » Regulares Mendicantes ita ab Epis» copis accipere approbationem ad Confessiones secularium ex» cipiendas, ut *jurisdictionem habeant à Summo Pontifice*; hoc » habetur ex variis privilegiis etiam corpore juris insertis, re» latis à Passarino. Additque ex eodem Passarino, quod juris» dictio, quam habent, sit *Papalis*. «

Quis, amabo te! credet à Romanis Pontificibus hujusmodi Privilegia emanâsse, quæ non in ædificationem, sed in destructionem potiùs hierarchiæ tendant; quæ membra à suo capite, quodammodo divellant; confusionemque hierarchiæ, quæ esse debet ut *castrorum acies bene ordinata*, inducant?

» Suscepti Regiminis cura nos admonet, inquiunt Innocen» tius II. & Alexander III. ita disponente Domino erga singu» los attentam solicitudinem atque vigilantiam adhibere, ut in » ecclesiasticis dispositionibus *nulla confusio* inducatur, sed po» tiùs unicuique suum *jus*, & *propria dignitas conservetur*. « Epist. ad Episc. Meldens.

Et Innocentius III. scribens ad Mediolanensem Episcopum, ait: » Pastoralis officii debitum nos invitat, & ipse ordo ratio» nis deposcit, ut eâ solicitudine utilitatibus Ecclesiarum inten» dere debeamus, quod ipsis Ecclesiis *ordo debitus* conser» vetur. «

Ille autem est *ordo debitus* Ecclesiarum, ut inferiores Ministri, qui unà cum Episcopo tanquam capite, unam hierarchiam, seu sacrum Principatum constituunt, ab ipso Episcopo tanquam capite, unam hierarchiam, seu sacrum Principatum constituunt, ab ipso Episcopo tanquam Summo Sacerdote, imò Sacerdotum Principe, suam jurisdictionem & potestatem *immediatè* accipiant.

Proinde Ecclesiarum Prælati, dum hunc ordinem Ecclesiarum in Privilegiis, aut Bullis Pontificiis turbatum advertunt, non dubitant ea ut ficta, aut sub & obreptitiè obtenta rejicere; eorumque executioni fortiter resistere.

Unde cum anno 1409. Fratres Mendicantes Bullam quamdam sibi ab Alexandro V. ex Ordine Fratrum Minorum assumpto, concessam dicerent, quæ Ordini Hierarchico nonnihil adversa apparebat: » Universitas Parisiensis graviter commota est » & conquesta de Mendicantibus, qui *subreptitie & dolo malo* » Bullam hujusmodi impetrârant, qua status primitiùs à Chris» to institutus de Prælatis, & Curatis subvertebatur. Domini» cani factum excusârunt, publiceque testati sunt se insciis, hu» jusmodi institutionem impetratam fuisse, satisque sibi esse, » gaudere privilegiis ab Ecclesia concessis: atque ideo humilli» mè supplicârunt, ne sibi succenseret eam ob rem, utque Or» dinem commendatum haberet. Eorum exemplum secuti sunt » Carmelitæ nec non cæteri Mendicantes... Retinentibus verò » cæteris, interdictum Regium obtinuit Universitas, quo pu» blicâ Præconis voce prohibitum Curatis & Viris Ecclesiasticis » sub pœna amissionis seu privationis bonorum temporalium, » sinere Franciscanos & Augustinianos in suis Ecclesiis Con» ciones habere, confessiones audire, aut Sacramentum ab» solutionis administrare. « Hæc ex actis ipsius Universitatis Parisiensis *tom. 5. Hist. Univers. Paris. p.* 200. Nec sanè alia de causa Universitas illa tantopere executioni illius Bullæ repugnavit, nisi quia non dubitaret, eam subreptitiè à Pontifice obtentam, utpotè statûs hierarchici destructivam. Quod licèt ex actis Universitatis sat liqueat, evidentiùs tamen ex sermone, quem sub idem tempus Cancellarius ipsius Universitatis Joannes Gerson contra dictam Bullam habuit, patet. In quo sermone hæc inter alia dixit; » Christianitatis regnum fundatum est, & » institutum in ordine, & dispositione Hierarchicæ Prælationis, » hoc est, Deus sic ordinavit Ecclesiam, ut in sancta Ecclesia » Ordo esset prælaturæ ad gubernandos alios & ad Deum diri» gendos, secundum tres quæ ad Prælaturam spectant opera» tiones, purgare, illuminare, & proficere. Et hunc servando » ordinem stare debet regnum Sanctæ Ecclesiæ hîc inferius: sic » etiam & in superiori regno Cœlorum. Et quoniam videtur » & visum est compluribus S. Ecclesiæ Prælatis, præcipuè Do» mino Parisiensi, visum est filiæ Regis Universitati, *hunc hierar» chicum Ordinem Prælationis aliquo modo in perturbationem » aut impedimentum casurum*; Voluit & vult (ut potest) obvia» re, & resistere. Hæc perturbatio accidit propter Scripturam » quamdam in forma Bullæ, quam aliqui Ordinum quatuor Men» dicantium impetrârunt, aut, ut veriùs dicam, extorserunt, » vel per cautelam vel per inadvertentiam Sancti Patris nos» tri. Sanctus enim Pater noster, qui magnus est Theologus, nun» quam rem talem admisisset, si eam examinâsset. Sed (ut per » solemnes in Universitate est relatum Magistros) omnia facta » sunt ipso ignorante & ipso invito, saltem sine judicio, aut » deliberatione. Sicut homines occupati concedunt per impor» tunitatem, aut per cautelas, aut aliquam largam conscien» tiam plures res aliis. Hæc est ergo prima protestatio, quam » Dominus Parisiensis facit. Nec sui, nec Universitas, nec ego » ipse intendimus aliquid dicere in præjudicium, aut S. Patris in» honorationem. Tenemus etiam, quod posteaquam benè fue» rit instructus, ipse cassabit omne hoc aut destruet, de quo » conquerimur. Pro honore suo laboramus, pro statu suo, pro » officio & potestate sua, quæ nihil potest contra potestatem. « *In sermone cont. Bullam Mendican.*

Plura similia exempla reproducere non esset difficile, quibus ostenderetur, Ecclesiæ Prælatos sine Sedis Apostolicæ offensione rejecisse, tanquam sub vel obreptitiè impetratas Bullas Sedis Apostolicæ auctoritatem præferentes, quandocumque in illis conspiciebant hierarchiam ecclesiasticam inverti.

Verùm ulteriùs urget prædictus Pater Jacobus: » Quod ju» risdictio, quam habent Regulares, sit *Papalis*, nedum habetur » ex privilegiis, & juribus, verùm etiam ex eo quod hæc juris» dictio excedat cujuscumque Episcopi fines, cùm se *ad totum* » *mundum extendat*; & universalior sit in ordine ad plures ca» sus, à quibus absolvere possunt, quam posset haberi ab Epis» copo, cùm extendatur *etiam ad casus Papæ reservatos*. Un» de & Gregorius XV. Episcopos Sedis Apostolicæ fecit *Delega» tos*, dum Regulares Confessarios eorum subdidit jurisdictio» ni, & correctioni. «

Contendit igitur R. Pater, jurisdictionem Regularium esse *Papalem*, primò, quia illa se extendit *ad totum mundum*; Episcopi verò cujuscumque jurisdictio limitibus Diœcesis concluditur. Secundo, quia jurisdictio Regularium extenditur ad *casus Papæ reservatos*, quos Episcoporum jurisdictio non attingit. Tertiò, quia Gregorius XV. subjiciendo Regulares Episcopis quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, facit ipsos *Delegatos* Sedis Apostolicæ.

Sanè quis non videt primum argumentum risu potiùs quàm refutatione dignum esse? Nonne enim ridiculum, atque explosione dignum est, dicere, quod Episcopi Apostolorum Successores, Ecclesiæ Principes, Summi Sacerdotes, imò & ipsi *Sacerdotum Principes*, *ut loquuntur* Patres, jurisdictionem terminis suæ Diœcesis circumscriptam obtineat, Presbyteri verò inferiores, qui in Episcoporum adjutorium ordinantur, jurisdictionem nullis terminis nisi totius universi circumscriptam obtineant, modò vel uni Ordini Mendicantium sint adscripti?

Secundum argumentum, non modò ridiculum, sed Ecclesiæ perquam pernitiosum est » Cùm enim, teste Synodo Trident. » *Sess.* 14. *De Pœnit. cap.* 7. magnopere ad christiani populi » disciplinam pertinere SS. Patribus nostris visum sit, ut atro» ciora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à sum» mis dutaxat Sacerdotibus absolverentur; « nonne hæc salubérrima disciplina evacuabitur, imò planè subvertetur, si omnium Regularium indifferenter jurisdictio ad casus, ob specialem atrocitatem, aut enormitatem Pontifici reservatos, extensa intelligatur?

Et sanè si eam criminum illorum atrocitatem existimant Pontifices, ut eorum absolutionem nec ipsis Episcopis indifferenter concredant; nonne injuriosum esset Sedi Apostolicæ, vel suspicari quod jurisdictionem Presbyterorum, modo alicui Ordini Mendicantium adscripti fuerint, ad crimina illa reservata, extensam vellent? Quasi plus prudentiæ, ac sapientiæ in Presbyteris inferioribus, eo solo titulo quod de Ordine sint Mendicantium, quàm in ipsis Episcopis esse crederent? Sed quid plura? Cùm & ipsi Regulares apertè satis recognoscant suam jurisdictionem ad similes casus reservatos non extendi; dum quotidiè à Sede Apostolica indulta petunt, & obtinent, quibus à casibus reservatis absolvendi potestatem accipiant. Quæ indulta quia non rarò sub & obreptitiè obtinentur, non immeritò declaravit Clerus Gallicanus, quòd » Regulares vigore si» milium indultorum à casibus reservatis absolvere non pote» runt, nisi priùs indulta illa Episcopo Diœcesano exhibuerint; » & ipse pro validis, & legitimis recognoverint: exceptis indul» tis secretis Pœnitentiariæ Romanæ. « *An.* 1625. 1635. & 1645.

Tertii argumenti solutionem suppeditat regula decima superiùs exhibita. Illa enim ostendit, jurisdictionem delegatam Sedis Apost. non arguere in Episcopis defectum jurisdictionis ordinariæ.

Sit igitur hæc conclusio: Ordines Mendicantes à Romanis Pontificibus sunt approbati, & ab Ecclesia recepti, ut eorum Sodales Ecclesiarum Prælatis in functionibus hierarchicis adjutores, & cooperatores accedant: sine ulla tamen cujusque particularis hierarchiæ, cui tanquam ministri subsidiarii vocantibus Prælatis adscribuntur, præjudicio aut perturbatione.

§. VIII.

Secundum assertum prædictis Corollariis contrarium : *Episcopus non potest approbationem Regularium pro arbitrio suo limitare, aut datam suspendere, vel revocare.*

EX regulis V. & IX. paragrapho IV. consectarium ostendi, jurisdictionem Regularium, quantumvis exemptorum, ad absolvendum seculares, perinde atque Presbyterorum secularium *immediatè* ab Episcopo approbante procedere; eamque non *Ordinariam* sed *Delegatam* sive *Vicariam* esse. Ex quo ulteriùs paragrapho sequenti tanquam consectarium intuli, Episcopum posse, ad exemplum judicis delegantis jurisdictionem, sive approbationem Regularium Parochiale beneficium non obtinentium, pro *libitu* sive ad tempus, sive personas aut materiam limitare; imò & datam approbationem *liberè* suspendere & revocare.

Huic Corollario tam evidenti consequentiâ ex ipsa jurisdictionis delegatæ ratione educto, nec non universali Episcoporum praxi probato, se opponere non veretur P. Jacobus *Consult.* 3. *Resol.* 8. sustinens, quod Ordinarii » non possint approbatio» nes Regularium Mendicantium, sese pro admissione ad exci» piendas secularium Confessiones, eisdem præsentantium, *ad* » *suum libitum* limitare. «

Quia, inquit *ibid. num.* 858. »Si approbationes darentur » cum limitatione *ad certum tempus*, elapso isto tempore, Re» gulares, quibus fuissent datæ, non ampliùs essent approbati, » adeoque ipsis necesse foret se denuo præsentare, & sistere » examini in ordine ad novam approbationem obtinendam. At» qui Summi Pontifices exemerunt Regulares, & singulariter » Mendicantes à præsentatione, examine, & approbatione *de* » *novo*; & ita satis frequenter judicârunt Eminentissimi Patres » in suis declarationibus, nec non testantur unanimiter Theolo» gi & Canonistæ; ergo Regulares, & particulariter Mendi» cantes exempti sunt ab obtinendis novis approbationibus; & » consequenter primæ, quæ illis dantur, sunt perpetuæ, nec » possunt esse limitatæ. «

Verum est, Regulares ad tempus approbatos elapso tempore non ampliùs esse approbatos; atque necesse esse, ut sese de novo pro approbatione obtinenda examini sistant: quin & hunc fuisse præcipuum scopum, ob quem per omnes passim provincias praxis limitandi approbationem Presbyterorum, sive secularium sive regularium parochiale Beneficium non obtinentium ad certum tempus invaluerit, facilè concessero. Ita enim futurum creditur, ut Confessarii officio suo diligentiùs atque circumspectiùs peragendo incumbant; cùm se ad novum examen subeundum, novamque approbationem obtinendam certo tempore elapso constrictos noverunt; quod quantum saluti animarum conducat, quis non videat?

Sed »Summi Pontifices exemerunt Regulares, & singula» riter Mendicantes, ait P. Jacobus, à præsentatione, examine » & approbatione *de novo*. « Nugæ: ubi, quæso, Pontifices exemerunt Mendicantes *à præsentatione, examine, & approbatione de novo, tempore approbationis elapso*? Nullibi sanè; quod & manifestè evincit non solum Hispaniæ, Galliæ, Belgii, sed & Italiæ, imo & Urbis ipsius notissima praxis limitandi ad tempus approbationem Mendicantium æquè atque Presbyterorum Secularium, ipsosque ad novum examen, novamque approbationem obtinendam elapso approbationis tempore cogendi.

Quod Declarationes Cardinalium attinet, tantum abest, ut limitatis Regularium approbationibus contrarientur, ipsosque Regulares à nova approbatione, elapso tempore præstituto exemptos declaraverint, ut contra, si fides sit Prospero Fagnano ad *Cap. grave* ⁂ *De Off. Ordin.* non semel declaraverint, posse Regulares ad *certum tempus* approbari, eoque tempore elapso facultatem audiendi confessiones expirare.

Instat ulterius P. Jacobus: » Concilium Viennense in Clem. » *Dudum, de sepult.* & Extrav. *Super Cathedram*, & *Inter cunc*» *tas* redactæ in Corpus Juris, Mendicantes semel Ordinariis » præsentatos, & admissos, quoad Confessiones pares faciunt » Parochis seu Curatis. Atqui unus Curatus, qui semel ab Epis» copo obtinuit suum *visa*, habet pro semper, & absque eo » quod possit revocari & obligari ad novas Provisiones. Ergo » simili ratione, cùm Summi Pontifices prælati, & Concilium » illud, velit sortem Regularium Mendicantium esse quoad præ» tacta *æqualem*, sicut hi suum *visa* accipiunt *pro semper*, ita » illi debent suas approbationes accipere *pro semper*, absque eo » quod possint obligari ad post *certum tempus* quærendum » novas. «

Quid igitur, Fratres Mendicantes in subsidium, & adjutorium Prælatorum superiorum, & inferiorum admissi, tandem ad ordinariam Parochorum jurisdictionem ad arbitrium Episcoporum non restringibilem, aut revocabilem evecti dicentur? Audiatur S. Thomas 2. 2. *q.* 187. *n.* 1. *ad* 3. »Ad tertium di» cendum, inquit, quod illa duo se non compatiantur, scilicet » quod aliquis *ordinariam* curam ecclesiasticorum officiorum » habeat, & monasticam regulam in Monasterio servet. Per hoc » tamen non excluditur, quin Monachi & alii Religiosi possint » interdum circa ecclesiastica officia occupari ex *commissione* » *Prælatorum*, qui ordinariam curam habent: & præcipuè illi, » quorum Religiones ad hoc sunt specialiter institutæ.»

Non possunt igitur ex sententia Doctoris Angelici Fratres Mendicantes monasticam regulam in Monasterio servantes curam *ordinariam* habere; sed solùm subsidiariam, seu vicariam. Quod & P. Jacobus postea agnoscere videtur fatendo Mendicantes *limitatè* approbatos, quamvis *injustè*, ut ait, ultra limites præfixos Confessiones excipere non posse.

In allegatis verò Juris textibus id duntaxat dicitur, quod Fratrum Mendicantium auctoritas ad absolvendum, non intelligatur amplior quàm Presbyterorum Parochialium quoad casus Episcopo reservatos; ut post Glossam *ad Clem. Dudum* tradunt Canonistæ. Inde verò inferre, ergo Regulares in omnibus pares sunt Curatis quoad audiendas Confessiones; quanta impertinentia!

Alteri membro Corollarii, nimirùm Episcopum posse pro suo arbitrio approbationem Regularium suspendere vel revocare, similiter se opponit prædictus P. Jacobus, »quia, *inquit*, » approbatio Confessariorum Regularium, simpliciter & absolutè » idoneorum, juxta formam Concilii Tridentini legitimè per » Episcopum Diœcessanum pro sua Diœcesi facta, est jure an» tiquo, & ex vi ejusdem Concilii *perpetua*: ergo ad *arbitrium* » Episcopi & sine justa causa revocari non potest, aut Regula» ris ab eo suspendi. Ratio antecedentis sumitur ex ipso Tri» dentino, in quo nec verbum quidem reperitur, quo hæc po» testas Episcopo fiat, post legitimam approbationem.» Insignis profectò ratiocinatio! Concilium Tridentinum expressè non tribuit potestatem Episcopo, approbationem Regulari datam pro arbitrio revocandi, ergo illam potestatem Episcopus non habet. Nonne eodem argumento inferri posset, quod nec Presbyterorum Secularium approbationem revocare possit; quia in Concilio ne verbum quidem reperitur, quo hæc potestas Episcopo fiat? Quemadmodum ergo revocandi potestas quoad approbationem Presbyterorum secularium non sumitur ex verbis Concilii Tridentini, sed ex natura jurisdictionis delegatæ, seu vicariæ, quæ ad nutum Delegantis revocari potest, ita quoque ex eodem principio astruitur quoad Regularium approbationem; ut supra §. 6. ostensum fuit.

Sed dicet R. P. Jacobus „ex sententia Canonistarum *in* » *Clem. Dudum*, Confesarii Ordinum Mendicantium semel » admissi, quoad potestatem excipiendi secularium Confes» siones, æquiparantur in omnibus eam concernentibus Cura» tis, eo excepto, quod horum potestas sit *ordinaria*, & isto» rum *extraordinaria*.... Atqui Curati nequeunt prohiberi, » aut suspendi per solam voluntatem & ad arbitrium suorum » Prælatorum: ergo neque etiam Confessarii Regulares.» Falsum esse, Canonistas *in Clem. Dudum* docere, Confessarios Regulares in omnibus æquiparari Curatis, suprà ostendimus. Quod verò hîc dicat P. Jacobus, Regularium jurisdictionem esse *extraordinariam*, si per illam intelligat *delegatam* seu *vicariam*, qualis est Presbyterorum secularium Parochiale Beneficium non obtinentium, sequitur, quod quemadmodum horum, ita & Regularium approbatio sive jurisdictio, utpote duntaxat delegata, ad libitum revocari possit.

Sit igitur hæc conclusio: Potest Episcopus approbationem Regularium etiam Ordinum Mendicantium limitare, & datam suspendere aut revocare, perinde ac Presbyterorum secularium Parochiale Beneficium non obtinentium; neque ullam suæ limimitationis aut revocationis rationem reddere tenetur, sed id ipsius conscientiæ seu arbitrio committitur.

§. IX.

Ex regula IX. consectarium est, *Regulares quoad Prædicationem Episcopis omninò esse subjectos.*

PRædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, inter functiones hierachicas etiam præcipuum locum obtinere, nemo facilè dubitaverit; consequenter exemptionem Regularium ad simile munus extendi non posse; sive ipsos in quantum uti Episcoporum adjutores in hoc munere vicariam operam navant, subesse Episcopis ex Regula IX. consectarium est.

Et sanè, ut suprà ostensum fuit, ipsius hierarchiæ confusionem, atque regiminis Episcopalis perturbationem futuram, si regulares quoad audiendas Confessiones Episcopis non subessent, ita quoque futurum esse, si in hoc hierarchico munere non subjicerentur, nemo non videt.

Unde inter prima Ordinis sui fundamenta reposuit S. Franciscus: *Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum.* Reg. S. Francisci *cap.* 9.

Et ante Synodum Tridentinam Patres Concilii Coloniensis post-

postquam dixissent, „aliquot retro seculis in Ecclesiam recep-„ti sunt quatuor Mendicantium Fratrum Ordines, quo Pa-„rochorum in verbi ministerio cooperarii forent,“ mox tam quam consequens subjungunt, „ipsos Ftatres quoad ejusmo-„di functionem ordinariæ Episcoporum potestati esse subjec-„tos; nec ante debere accedere, quàm per ipsorum Prælatos, ut „viri inculpatæ vitæ, discreti pariter ac modesti, ac verbi divi-„ni probè gnari judicentur, atque ad hoc munus deligantur: „*Deinde etiam Vicariis Episcoporum in Pontificalibus præsen-„tati, tales inventi fuerint ac præmissi.*“ Quin & ut eatenus monasticæ professionis regulis, obligationibusque eximantur, non decens tantùm, sed & justum putabant. *An.* 1536. *p.* 4. *cap.* 7. *&* 12.

Hanc quoque hierarchiæ ecclesiasticæ, atque Episcopalis regiminis rationem præ oculis habentes PP. Tridentini statuerunt, „quod Regulares cujuscunque Ordinis etiam à Superioribus suis „de vita, moribus, & scientia examinati & approbati, etiam „de eorum licentia in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non „sunt, prædicare non possint, nisi ultra licentiam suorum Su-„periorum etiam licentiam Episcoporum habeant. In Ecclesiis „verò suorum Ordinum cum licentia suorum Superiorum se „personaliter coram Episcopis præsentare, & benedictionem „petere teneantur, antequam prædicare incipiant; ipso autem „Episcopo *contradicente*, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum „prædicare non præsumant.“ *Sess.* 6. *c.* 2. *&* *Sess.* 24. *cap.* 4. *De Reformat.*

Igitur Synodus Tridentina voluit, ut Regularis ultra licentiam sui Superioris insuper habeat licentiam *expressam* Episcopi, ut in Ecclesiis non suorum Ordinum prædicare possit; tacitam verò, ut minùs, licentiam, ut idipsum in Ecclesiis sui Ordinis facere valeat. Cùm enim benedictionem Episcopi petere teneantur, simplexque Episcopi contradictio sufficiat, ut ipsum à concionandi munere repellat, evidens est, tacitam Episcopi licentiam præcedere, dum Regularis ad concionandum in sui Ordinis Ecclesiis admittitur.

Ipsa enim Episcopalis benedictionis impartitio licentiæ loco est. Si enim licentiam dare non vellet, benedictionem denegaret, & contradicendo a concionandi munere impediret.

Unde à mente Synodi Trid. nullatenus aberravit Concilium Bituricense statuens, „ut Regulares cujuscunque sint Ordinis „prædicare non præsumant, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum*, „nisi prius examinati & probati à suo Superiore; & impetrata „ab Episcopo aut ejus Vicario benedictione & *licentia*.“ *An.* 1582. *Can.* 4.

Constat proinde Synodum Tridentinam voluisse, ut juxta rationem ipsius hierarchiæ, Regulares potestatem omnem ad annuntiandum verbum Dei ab Episcopis acciperent.

Porrò cum hæc potestas concionandi, quæ Regularibus Parochiale Beneficium non obtinentibus ab Episcopis conceditur, sit duntaxat Vicaria seu delegata, sequitur, quod eodem modo atque approbatio ad audiendas Confessiones pro arbitrio Episcopi limitari, modificari, ac revocari possit.

Hîc rursus se opponit P. Jacobus sustinens, quod Episcopi non possint licentias prædicandi Verbum Dei Regularibus Ordinum Mendicantium *ad libitum* suspendere aut revocare; ita scilicet, „quòd Episcopus non possit interdicere Regulari, ne „concionetur, sive suspendere à Concionibus, *non reddita cau-„sa*, quando est conclonaturus in *propria Ecclesia*, qui cum „possit ibi concionari *ipso contradicente* (puta si petiverit be-„nedictionem & Episcopus irrationabiliter eam denegaverit) „nisi *assignet causam*, ob quam de jure potest interdicere aut „suspendere, *non tenetur Regularis obedire*; sed poterit *exis-„timare quod non habeat justam causam*, nec sit nisi mera con-„tradictio ipsius, & consequenter *continuare suum munus*.“ Consult. 3. Resol. 10. n. 923.

Itaque Episcopus ut Regularem, quem judicat muneri Concionatoris non convenire, recusare queat, causam recusationis exprimere, ipsumque Regularem, ejusve Superiorem constituere judicem tenetur, num justa sit recusationis, aut suspensionis causa. Quo quid Episcopali auctoritati indignius?

Aliter sanè censuerunt Patres Concilii Tridentini non nisi simplicem Episcopi contradictionem, ut Regularis à munere concionandi, etiam in sui Ordinis Ecclesiis repellatur, requirentes: ipsius permittentes conscientiæ, num justa contradicendi causa subsit.

Porrò cùm P. Jacobus in hujus asserti probatione iisdem fundamentis nitatur, quibus probare voluit, Episcopum non posse ad libitum limitare aut revocare approbationes Regularium ad audiendas Confessiones secularium; illis, utpote superius sufficienter refutatis, refellendis supersedeo.

Interim ex illis, quæ hoc & præcedentibus paragraphis ex P. Jacobo adducta sunt & refutata, colligitur, quam meritò Episcopi in suis Synodis & Ordinationibus præcipiant Parochis, ut neminem etiam Regularem, ad Prædicandum aut Confessiones excipiendum admittant, nisi de legitima sua approbatione per litteras fidem fecerit.

Quin & his non contentus S. Carolus statuit, „ne patiatur „Parochus, cujusvis ordinis Regulares in *Ordinis sui Ecclesiis* „intra fines Parochiæ suæ Concionem habere, nisi *scripto testi-„monio* perspexerint, eos muneris hujusmodi in illis Ecclesiis „obeundi causâ, se ad Episcopum cum concionandi facultate, „quam à Superioribus suis ipsi obtinuerunt, contulisse, & bene-„dictionem, ut Tridentino Concilio cautum est, ab eodem pe-„tiisse.“ *In Concil. Mediol. III. cap.* 3.

§. X.

Ex regula V. & IX. consectarium est. *Exemptiones Regularium ad Sacras Ordinationes non extendi, ipsisque à proprio Episcopo, prævio examine, & servatis interstitiis Ordinandos.*

REgulares Sacris Ordinibus, præsertim Presbyteratûs initiati non uno titulo arctiori vinculo Episcopis subjiciuntur, quam Regulares simpliciter ut tales considerati.

Primò, quia in Presbyteros ordinati, participes effecti Sacerdotii, cujus in Episcopo plenitudo continetur, unum cum Episcopo & reliquo Diœcesis Clero quodammodò Sacerdotium sive Presbyterium constituunt: atque ex hoc capite arctissimè Episcopo uniuntur.

Secundò, qui ab Episcopo in Presbyteros ordinantur, ut adjutoris oneris Episcopalis, & Episcoporum subsidiarii cooperatores assumuntur. „Tales esse studeatis, inquit Pontifex ordi-„nans ordinandos, ut in *Adjutorium Moysi, & duodecim Aposto-„lorum*, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen „& Apostolos figurantur, dignè per gratiam Dei eligi valeatis... „filii dilectissimi, *quos ad nostrum adjutorium* Fratrum nostro-„rum arbitrium consecrandos elegit,“ &c.

Tertiò, ad sacrum Presbyteratûs Ordinem assumpti ad hierarchiam ecclesiasticam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, reducti, unam quasi cum Episcopo hierarchiam constituentes speciali titulo Episcopo tanquam hierarchiæ Capiti subduntur.

Ex quibus perquam manifestum est exemptionem Regularibus simpliciter concessam juxta Regulam V. & IX. ad ipsos, ut sacro, præsertim Presbyteratûs, Ordine insignitus, aut insigniendos extendi non posse: sed cum per illius Ordinis assumptionem ad Statum Clericalem à Regulari distinctum, & speciali titulo Episcopis subalternum transeant, etiam Leges communes illius Statûs subire debent.

Unde cum olim in Africa nonnulla Monasteria plenissima libertate perfrueretur, atque immediatè Primati subjicerentur, hæc tamen limitatio semper addebatur, „ut quandocunque volue-„rint sibi Clericos ordinare, ipse Episcopus, in cujus plebe „vel civitate locus Monasterii consistit, ipse hujus muneris „gratiam compleat.“ *V. Synod. Carthag. An.* 535.

His regulis quoque insistens Synod. Trid. statuit, „ut unus-„quisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio „promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas & mores Ordinarii sui testimonio commendentur.“ *Sess.* 23. *cap.* 8. *de Reformat.*

Unusquisque igitur à proprio Episcopo ordinandus neque prætextu cujusvis privilegii generalis, aut specialis ab alio ordinari potest, nisi de consensu Ordinarii litteras commendatitias, quas *dimissoriales* hodie dicimus acceperit. Quo decreto comprehendi Regulares quoscunque etiam Ordinum Mendicantium, constans est, non tantum Synodorum Provincialium, quæ pro executione Concilii Tridentinæ habitæ sunt, sententia, sed & Pontificum sæpè iterata declaratione, ut videre est apud Franciscum Hallier de SS. Ordinibus, *Sect.* 5. *cap.* 3. *art* 8.

Porrò cùm severè admodum Episcopis per Apostolum in persona Timothei mandatum sit, *manus cito nemini imponant*; diligenter inquirant necesse est, num scientia, morumque ac vitæ totius integritas Ordini suscipiendo Ordinandos reddant dignos; idque non tantùm quoad Seculares, sed etiam Regulares.

Nec enim ea monasticæ professionis efficacia est ut omnes ad perfectionem etiam monasticam perducat. Notum est illud Augustini in *Psalm.* 132. „Omnem conditionem includere bonos „& malos, esseque Clericos proinde falsos ac Monachos. Sunt „& Monachi falsi, & nos novimus tales: sed non periit fra-„ternitas pia per eos, qui profitentur quod non sunt, tam enim „sunt Monachi falsi, quam Clerici falsi, & fideles falsi.“

Notum quoque est, non omnem, quæ Monachis sufficeret perfectio, ad sacros Ordines, præsertim Presbyteratus, sufficere. *Multo major* (inquit Chrysostomus *lib.* 2. *de Sacerd. c.* 2.) *vitæ integritas huic* (Presbytero) *quam illis* (Monachis) necessaria. Hinc illud Augustini, *aliquando bonus Monachus, vix bonum facit Clericum.*

Quibus consonat illud Doctoris Angelici 2. 2. *quæst.* 189. *num.* 1. *ad* 3. „Ordines sacri præexigunt sanctitatem, sed Sta-„tus Religionis est exercitium quoddam ad sanctitatem asse-„quen-

» quendam: unde pondus Ordinum imponendum est parieti- » bus jam per sanctitatem desiccatis; sed pondus Religionis » desiccat parietes, id est, homines ab humore vitiorum. «

Quapropter SS. Patres, etiam in primo Religionis monasticæ fervore non omnes passim ad Ordines sacros promovendos judicabant, sed *quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendant*, ut loquitur Siricius Papa *Epist.* 1. *cap.* 13. Unde ad Aurelium scribit Augustinus *Epist.* 67. » Cum » ex his, qui in monasteriis permanent, non tamen nisi *pro-* » *batiores* atque *meliores* ad Clerum assumere soleamus. « Et S. Gregor. Candido Episcopo scribens ut de Monasteriis in sua Diœcesi positis cum consensu Abbatis aliquos accipiat in Presbyteros ordinandos, hoc monitum subjungit: » Sed illius » præ omnibus estote soliciti, ut vitam actusque eorum, qui » in hoc sunt Officio constituendi, *subtiliter debeatis inqui-* » *rere*; & tunc eos, si digni fuerint, ordinare. « *Lib.* 5. *Epist.* 27.

Expendens Synodus Tridentina, nec minorum hodiè quàm olim in Presbyteris scientiam, morumque probitatem requiri; nec majorem hodiè quàm olim esse professionis monasticæ virtutem; semperque per Apostolum Episcopis inclamari, *Manus citò nemini imponatis*, Patrum vestigiis inhærens, ætate Ordinandorum præscriptâ subjungit: » Sciant tamen Episcopi, » non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines » assumi, sed dignos duntaxat, & quorum probata vita senec- » tus sit. Regulares quoque nec in minori ætate, sine *diligenti* » Episcopi *examine*, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitùs » exclusis. « *Sess.* 23. *cap.* 12. *De Reform.*

Illud porrò examen non solùm circa doctrinam, sed etiam Ordinandorum *institutionem & mores* versari debere immediatè præmiserat.

Ex mente ergo Concilii Tridentini Episcopi non solùm possunt, sed & tenentur eâ solicitudine in doctrinam ac vitam Regularium inquirere; atque examen instituere, ut quantum humana fragilitas nôsse sinit, sciant eos esse dignos, *quibus manus imponant*.

Hinc collige non semper sufficere probandis moribus Regularium vitæque rectitudini testimonium Superiorum. Quid enim, si Superiores ideam condignam de Sacerdotii dignitate non habentes, passim omnibus, modò ætatem Ordinibus præstitutam attingerit, testimonium capacitatis indifferenter concedant? Ut hodiè à multis Monasteriorum Superioribus, præsertim quæ ex Missarum honorariis victitare solent, fieri videmus. Quam certitudinem de probitate, ac sufficientia Ordinandi ex hujusmodi testimonio habere poterit Episcopus? Quod expendens Franc. Hallier de SS. Ordinationibus, postquam ostendit in vitam Regularium sedulò ab Episcopis esse inquirendum, hoc monitum adjungit: » Non adeo superiorum Regu- » larium fidei credendum, ut quos illi tanquam dignos obtu- » lerint, absque ullo alio examine atque discussione ad Sacros » Ordines Episcopi recipiant... maximè cum notum sit, inquit, » totius Monasterii interesse, ut quàm plurimos Ordinibus Sa- » cris initiatos habeat, & facilè probi etiam & boni insita homi- » nibus cupiditate Ordinis sui gloriam promovendi (qua Regu- » lares præ cæteris maximè flagrant, quòd Ordinis sui amplifica- » tionem & ornamentum ad Dei & Ecclesiæ utilitatem spectare » præsertim arbitrentur) facile, inquam, abripiantur, ut le- » viùs de suis censeant, quàm par sit, & in pondere judicent » suorum industriam ac dotes magnificè; Sacerdotii & reliquo- » rum Ordinum Ecclesiasticorum dignitatem tenuiter æsti- » ment. « *In Append. sect.* 1. *De SS. Ord.* §. 3.

Porrò ut promovendi ad gradus Ecclesiasticos benè probari queant, explorarique, num altiorem gradum mereantur, jam pridem SS. PP. vissum fuit, certa tempora præfixere, quibus in inferioribus Gradibus ministrent, priusquam ad superiores promoveantur: *Quia* (ut ait Innocentius I. *Epist.* 4. *cap.* 5.) *in minoribus officiis si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium postea emensis stipendiorum meritis veniant.*

Synodus Tridentina magnoperè desiderans, ut Ordinandi sedulò *probentur primum*, ne aliàs in sacros Ordines inidoneos irrepere contingat, exemplo SS. Patrum, certa temporum interstitia in singulos Ordines ab omnibus indifferenter servari voluit: nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas *judicio Episcopi*, aliud exposcat.

Hoc decreto Regulares comprehendi, ipsa ratio dictans Regulares ante Ordinationem esse probandos, & generalis verborum expressio evincunt. Unde de hac Synodi Tridentinæ sententia non dubitans S. Carolus, requirit in Ordinatione Regularium intervallum anni inter postremum Ordinum minorum gradum & Subdiaconatum, ac rursus inter unum & alterum ex sacris Ordinibus, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas *judicio Episcopi* aliud postulet *Concil. Mediol. V. p.* 3. *cap.* 3.

§. XI.

Varia asserta prædictis Corollariis contraria.

EX Regula V. & IX. consectarium esse ostendi, Regulares etiam mendicantes quoad Ordines sacros subjectos esse Ordinariis; atque idcircò à proprio Episcopo ordinari debere; quod & Synodum Tridentinam declarâsse ostensum fuit.

Idipsum quoque fateri videtur P. Jacobus; citato enim decreto Concilii Tridentini in *Sess.* 23. *De Reform. cap.* 10. junctâ Gregorii XIII. Constitutione *In tanta*, & Declaratione jussu Clementis VIII. editâ ann. 1596. subjungit: » Hinc colligitur, » revocata esse privilegia, quantum ad hoc, ut Regulares pos- » sint ordinari à quocumque Episcopo; sed in hoc subjici Diœ- » cesano, seu Episcopo proprio. Est autem Episcopus proprius » ille, intra cujus Diœcesim constructum est ordinandi Monas- » terium. « *Consult.* 3. *resol.* 6. *n.* 807.

Sed ecce mirum artificium, quo illud Concilii Tridentini decretum, atque eam privilegiorum revocationem planè inania reddat, potestatemque Mendicantibus faciat à quocunque Episcopo Ordines suscipiendi.

Per præcitatum decretum Clementis VIII. potestas fit Superioribus Regularibus, casu quo Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, vel Sedes Episcopalis vacaret, ad quemcumque alium Episcopum subditos pro Ordinibus suscipiendis mittendi, hâc adjectâ conditione, *dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissorialium in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. Et in litteris Dimissorialium hujusmodi causa absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimatur.*

» Hanc nî fallor (ait Franciscus Hallier *De SS. Ord. Sect.* 5. » *c.* 5. *n.* 8. §. 1.) moderationem & interpretationem Trid. Syno- » di Regularium importunæ flagitationes extorserunt, cui tamen » ne sic quidem parere aliqui ipsorum volunt. « Quidquid sit de hoc Hallerii asserto, illud constat, P. Jacobum in hoc decreto adinvenisse medium, quo fas sit Mendicantibus proprium Episcopum declinare, & ad quemcumque sibi faventem pro Ordinibus suscipiendis recurrere.

» Præfata concessio dimittendi ad quemlibet Episcopum in » casu absentiæ Diœcesani Episcopi &c. (inquit P. Jacobus *loco* » *citato. n.* 809.) limitatur, dummodò Superiores Regulares ex » industria non distulerint dare Dimissoriales suis subditis usque » ad id tempus, quo Episcopus sit absens, vel nullas habiturus » sit Ordinationes. Per quod excluditur *dolus & fraus*, ait, *non* » *verò causa rationabilis & justa.* «

Sed quandonam causa rationabilis, & justa suberit? » Etiam » inquit, in quocunque casu, in quo Regulari Prælato constet » subditos suos esse, & quantum ad mores & quantum ad doc- » trinam sufficienter idoneos, & tamen habeat unde probabili- » ter timeat fore, ut ab Episopo rejiciantur: quia tunc ratio- » nabiliter movetur, & verè utitur jure suo, non faciet contra » decretum Clementis VIII. si exspectet tempus, in quo non » sunt habendæ Ordinationes in Diœcesi, ut subditos suos ex- » tra Diœcesim dimittat Ordinandos. «

Bene habet: ergo quandocunque Superior probabiliter timet fore, ut ab Episcopo non sint admittendi ad Ordines, quos ipse præsentandos duxerit (hoc enim & *quantùm ad mores & quantùm ad doctrinam sufficienter idoneos* judicat) tunc non faciet contra decretum Clementis VIII. si exspectet tempus in quo non sunt habendæ Ordinationes in Diœcesi, ut subditos suos extra Diœcesim dimittat Ordinandos; sive quòd secundum modernam praxim loquendo, idem est, si probabiliter timeatur fore, ut ab Episcopo non *omnes indifferenter* Regulares, præsertim Mendicantes, ætatem & certum in Religione tempus habentes admittentur.

Quid enim notius, quam omnes planè Regulares, si illos quos *Laicos* vocant, excipias, mox ut ætatem attigerint, certoque tempore in religione vixerint, Ordinibus Sacris & *quantum ad mores & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos* à Superioribus judicari?

Sit igitur Episcopus, de quo probabiliter timeatur fore, ut non omnes indifferenter Regulares ordinare velit, en paratum medium, quo possint ejus declinare tribunal: modò tempus non habendarum Ordinationum expectare velint. Sed quia fortasis tantilla mora nonnullis, præcipuè Fratribus Mendicantibus, foret molesta, ecce aliud commodius & promptius medium proprii Episcopi tribunal declinandi, Fratribus Mendicantibus offertur.

» Imò, inquit Pater Jacobus, tali casu poterit Superior sub- » ditum suum *ex industria* collocare in alio Conventu alterius » Diœcesis, ut ibi ordinetur, & postea eum Ordinatum recol- » locare in priori Conventu... Si dicas, quod non mutetur Diœ- » cesis, nisi mutetur Domicilium, quodque hoc non mutetur, » nisi quis ad alium locum se transferat omnino perpetuo ibi » ma-

» manendi, unde non censetur Regularis mutâsse Domicilium, » qui transfertur ad aliquem locum animo revocandi illum *sta-* » *tim* postquam ibi Ordines susceperit. Respondeo enim, in- » quit, quòd in Regularibus non valeat Regula illa; quia cùm » non habeant velle vel nolle. *Cap. Si Religiosus de elect. in* VI. » nullibi esse possunt animo id semper manendi, sed solùm » animo ibi manendi, quandiu Superiori placuerit.» Insignis sanè ratiocinatio! Quia Regularis *velle & nolle non habet*, ideò censebitur *incorporatus* Monasterio, & esse *de familia* Monasterii, in quo ex *industria* à Superiore collocatur, ut Ordines suscipiat, *statim* susceptis Ordinibus revocandus. Estne hîc vel species aliqua *incorporationis*? Quis sanæ mentis dicet Regularem per similem fraudulentam in Monasterio collocationem factum esse *de familia* illius Monasterii? Quod tamen requiritur ut ab Episcopo Diœcesano ordinarii possit. An dicemus Filium familias ætate minorem, v. g. septem annorum, qui *velle & nolle non habet*, fieri de Diœcesi alicujus pro accipienda Tonsura, quia à Patre ad universitatem studiorum causâ mittitur? Interim, quod horrendum est, hic Auctor dicere audet, quod Religiosi isti *ex industria* eo fine ad Monasterium missi, vel alii, qui eos more solito præsentant, „ interrogati ab Epis- » copis an sint istius Conventus & suæ Diœcesis, possint & de- » beant respondere affirmativè, & casu quo cogerentur, pos- » sunt hoc ipsum jurare.

Sed subjicit Auctor, » non spectat ad Episcopos talia in- » terrogare, & longè minùs ad cathegoricè respondendum sub » juramento cogere Regulares exemptos," Quid tandem, ergo Episcopi inquirere non poterunt, num ordinandi sint subditi; ne contra SS. Canones alienis subditis manus imponant? Imò Episcopi, qui sciunt aut scire debent, hoc pernicioso artificio passim Regulares proprios Episcopos declinare, videntque immensam continuò Regularium turbam undequaque sine Episcopi sui dimisorialibus ad se confluere, eosque sine prævia diligenti super hoc inquisitione ordinant; qua ratione ipsi à pœnis in Ordinantes alienos subditos statutis sint immunes, ignoro.

Circa examen Regularium rursus prima fronte consentire videtur P. Jacobus: » Privilegia olim Regularibus concessa » (inquit *Consult. 3. Resol. 5. n.* 814.) quòd suscepturi Or- » dines non essent subjecti examini Episcopi, per Leonem X. » in Concilio Lateran. & per Concilium Trid. *Sess. 23. c. 12.* » *De Reform.* & postea de mandato Clem. VIII. sunt revo- » cata. Igitur conformiter ad istas Ordinationes praxis habet, » ut etiam Regulares examinentur."

Sed circa quæ examen illud versari debet ex sententia hujus Patris? Circa doctrinam, & quidem quoad Religiosos Ordinandos in Presbyteros » cum hîc & nunc ordinentur solùm in » ordine ad celebrandum, inquit P. Jacobus *ib. n.* 816. sufficit » si hîc & nunc sciant, quæ necessaria sunt *pro celebranda* » *Missa*," videtur sufficere si examen fiat circa scientiam sufficientem *pro celebranda Missa*. Insignis sapientia in Presbytero! Et durum profecto & operosum examen! Estne hæc illa *cœlestis sapientia*, quæ electos ad Presbyteratûs officium commendet, ut loquitur Pontificale in *Ordin. Presbyt.* Eritque hæc *doctrina spiritualis medicina populo Dei*, ut rursus Pontificale requirit? Eritque tandem hæc sufficiens *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem*, quam Trid. Synodus *Sess. 23. c. 14. De Reform.* in Presbyteris omnibus exigit. Quis sanè jam miretur, si Episcopi eorumve examinatores, qui examen juxta Regulas Ecclesiæ instituunt, passim à Regularibus ut æquo rigidiores traducantur?

Sed quid de examine circa mores ex mente Patris Jacobi? » Hoc examen Regularium fieri non debet, inquit, nisi » quantum ad *doctrinam duntaxat*, nam quantum ad mo- » res Regularibus *sufficiunt* testimoniales suorum Superio- » rum. Itane ergo Episcopus supponere debebit, omnes » Regulares à Superioribus suis ad Ordinem v. g. Presbyteratus » ut idoneos præsentatos, *ita pietate ac castis moribus cons-* » *picuos, ut præclarum bonorum operum, & vitæ monita ab* » *iis possint expectari*, ut loquitur Tridentinum *Sess. 23.* » *cap. 14. De Reform.* sive ut Pontificale in *Ordin. Presbyt.* quòd » *Odor vitæ eorum sit delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædi-* » *catione atque exemplo ædificent domum, id est, familiam Dei*;" & universim ad SS. Ordines præsentatos esse tales, quorum *probata vita senectus sit*? Imò si litteris hujusmodi testimonialibus hodie ita credere debeant Episcopi, ut aliud circa mores examen ab iis instruendum non sit, credere consequenter tenebuntur, omnes passim Regulares postquam ætatem attigerint, & aliquo tempore in Religione vixerint, ad eam vitæ perfectionem pertigisse: cùm, ut ante diximus, notum sit, omnes indifferenter ad Ordines SS. à Superioribus ut idoneos præsentari. Quo quid à sensu mortalium, & quotidianâ experientiâ magis alienum?

Absit ergo, ut Ecclesia Episcopos ad credulitatem adeò infirmo innixam fundamento cogat. Voluit quidem ipsa ante Ordinationem seu Regularium seu Secularium *fidele examen* præcedere, ut eo mediante sciant, quantum *humana fragilitas nosse sinit*, num ordinandi scientiâ ac vitæ integritate sacris ministeriis sint idonei: sed quantum in hoc examine valere debeant testimonia Superiorum sive Secularium sive Regularium, ex circumstantiis dijudicandum Episcopis committit.

Sit igitur hæc conclusio: Regulares ordinandi sunt ab Episcopo Diœcesano Monasterii, cui *revera* non fictitiè & simulatè *incorporati* sunt; & de cujus *familia* verè dici possunt. Neque sine diligenti Episcopi examine tam quoad mores, quàm quoad doctrinam ordinandi sunt: neque sufficient testimoniales Superioris, nisi Episcopus noverit eam esse Superioris eruditionem & perspicacitatem, ut sciat quanta vitæ perfectio pro singulis Ordinibus requiratur; ejusque sit integritatis & spiritûs, ut solam ministerii sacri dignitatem ac Ecclesiæ bonum, nequaquam verò aliquod particulare Monasterii aut Religionis commodum præ oculis habeat: ut proinde meritò confidat non nisi bene probatos, & in omni virtutum genere exercitatos per illum ad sacros Ordines, seposito omni humano respectu, præsentandos.

§. XII.

Ex Regula VIII. consectarium est, *Exemptos teneri Ordinationibus Episcoporum circa celebrationem Missæ, expositionem & circumgestationem* Venerabilis, *& similes in materia communi.*

REgula VIII. superiùs data ostendit, exemptiones Regularium non posse extendi ad leges exemptis pariter & non exemptis communes, quas Episcopi pro bono suæ Diœcesis evulgandas censuerunt, nî nna totius Episcopalis regiminis turbatio, & hierarchiæ ecclesiasticæ sequatur confusio.

Cùm verò admodum devotioni populi ac animarum saluti, ipsiusque religionis augmento conducat, ut omni reverentia ac solida, veraque devotione, & debito cultu peragatur incruentum Missæ Sacrificium, præcitatam regulam secuti Patres Tridentini declarârunt, penes Episcopos esse potestatem, ea omnia prohibendi, mandandi, corrigendi, statuendi quæ ad debitum honorem & cultum tanto Sacrificio debitum, & populi devotionem excitandam judicaverint expedire, *non obstantibus privilegiis & exemptionibus* Sess. 22. in Decret. *De observ. & vitand. in celebr. Miss.*

Et sanè nî his Episcopi Ordinationibus exempti tenerentur, nonne Ordinationes inutiles rederentur & inanes, cùm longè major pars Sacrificium offerentium eas negligeret? Sic autem intellecta voluêre sua Privilegia Pontifices, ut nec ecclesiastica vilescat disciplina, neque Episcopalis vilipendatur auctoritas. *Cap. 24. ✠ De Privil.*

Si igitur Episcopus quasdam exactiones honorariorum, aut alias nonnullas avaritiæ aut turpis quæstûs speciem præferentes circa Missæ Sacrificium pactiones prohibuerit, exempti etiam Regulares ea lege tenebuntur. Idem esto judicium de Ordinationibus Episcoporum, quibus post certam horam Missæ Sacrificium offerri vetatur. Item quibus præcipitur, ne tempore Sacrificii laicis, præsertim mulieribus ad gradus Altaris aut intra cancellos pateat introitus.

Similiter si Episcopus quendam templi ornatum, aut certas picturas, ut tanto Sacrificio indignas prohibeat, huic prohibitioni obedire debent exempti, licèt ipsi ornatu illum aut picturas non indecentes judicarent: quia judicium ejusmodi non penes inferiores, sed penes Episcopum est.

Ex eadem regula & principio consectarium est, exemptos pariter ac non exemptos obligari illis, quæ Episcopi statuenda censuerunt pro conservanda populi reverentia erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Porrò quotidianâ experientiâ notum est, quòd familiaritas & frequentia non rarò pariat contemptum. » Resque usu tractas » & undecunque parabiles (ut ait S. Basilius *Tract. De Spirit.* » *S. c.* 27.) expositas esse contemptui, atque id, quod seposi- » tum est, quodque rarum est, huic naturâ conjunctam esse » summam admirationem & studium.

Ne igitur per nimiam frequentiam, aut familiaritatem reverentia populi erga hoc Venerabile Mysterium diminueretur, admodum soliciti fuêre Episcopi, etiam his postremis seculis (quibus publica Venerabilis Sacramenti in ostentoriis expositio, & per plateas circumgestatio invaluit) ut non nisi *raro* & *publicis* de causis per Episcopum probandis, similis publica expositio aut circumgestatio fieret.

Synodus Coloniensis ann. 1542. noluit, ut „ Sanctissimum „ Sacramentum *visibiliter* in quibuscunque *Monasteriis* po- „ natur aut circumferatur, nisi in Sanctissimo Festo Corporis „ Christi cum suis Octavis *semel* in anno in qualibet Civitate, Op- „ pido aut Parochia, vel ex *singulari indulto* Ordinarii." Similiter S. Carolus statuendum censuit, „ ne quavis de causa Eu- „ charistia *palam* & *apertè* exponeretur, sed *publica* tantùm ac „ gravi: aliis verò de causis orationes quidem 40. horarum insti- „ tuerentur, sed non Sacramento *apertè* exposito." *In Instruct.* „ *De Sacram. Eucharist.*

» Ag-

» Agnoscit quoque Synodus nostra Mechliniensis Sacro-» sanctam Eucharistiam piè & laudabiliter ad populi devotionem » interdum in publicis processionibus deferri, potissimùm verò » in festo Sacro Christi Corpori propriè consecrato, ejusque Oc-» tava; sed ne nimia frequentia, ait, minuat reverentiam, *rariùs* » extra prædicta tempora id fiat, & non nisi in *arduis causis pa-» cis & publicæ necessitatis*. Ann. 1570. *tit. De Sacrament. cap. 7.*

Et ann. 31. XVII. seculi Synodus Cameracensis edixit, » ut » ubi toties processiones cum SS. Sacramento instituuntur, ne » nimia frequentia minuat reverentiam, Episcopi moderatio-» nem adhibeant. «

Episcoporum ergo est, nimiam tremendæ hujus Hostiæ expositionem, ac circumgestationem ita moderari, ne frequentia reverentiam populi diminuat. Quæ sane Episcoporum vigilantia, ac cura irrita planè esset ac inanis, ni his Episcopalibus Ordinationibus etiam exempti subjicerentur. Quid enim, quæso, interest ad diminuendam populi reverentiam num frequentior hæc publica Eucharistiæ expositio aut circumgestatio fiat per exemptos, vel per non exemptos?

De hac subjectione nihil dubitans Clerus Gallicanus an. 1655. declaravit *nullos exemptos* sive *Seculares*, sive *Regulares* posse exponere *palam* SS. Sacramentum, illudve deferre in *publicis processionibus*, nisi in solemnitate SS. Sacramenti, aut diebus devotionum extraordinariis pro *publicis* causis indictis, & *per Episcopum approbatis, obtentaque ejus permissione*.

Et quid plura? Cùm ann. 1644. super publica expositione *Venerabilis* quæstio incidisset inter Archiepiscopum Burdigalensem & Patres Dominicanos, re delata ad Sacram Congregationem & ritè examinatâ, missum fuit ad Cardinalem Grimaldum Nuntium Apostolicum in Galia, & per eundem publicatum decretum tenoris sequentis: „ Congregatio Concilii censuit non » licere Regularibus, etiam in eorum Ecclesiis SS. Eucharistiæ » Sacramentum *publicè* adorandum exponere, nisi ex causa pu-» blica quæ probata sit ab Ordinariis: Tom. 1. Act. Cleri Galic. *part.* 535.

Pluribus Episcoporum decretis in hanc rem omissis unicum ex Synodo Cataneensi An. 1668. Præsulatûs Fratris Domini Michaelis Angeli Bonadies Episcopi Cataneensis, & quondam totius Ordinis S. Francisci Generalis (qui privilegia Fratrum Mendicantium consequenter non ignorâsse præsumitur) decretum subjicio: » Regulares quid in *propriis Ecclesiis* circa expositio-» nem SS. Eucharistiæ facere possint, docentur è decisione S. » Congreg. ritus, quam omnino observari præcipimus sub *mul-» ta interdicti Ecclesiæ, & Superiorum suspensionis*. Nimirum ne » sine speciali Sedis Apostolicæ privilegio, quod *nobis* osten-» dere teneantur, illam exponant absque causa, *quam appro-» bare ad nos spectat*, & quidem illa *publica* esse debet, non ve-» ro privata... Quare Superiores omnes Regularium jubemus in-» tra mensem ab hujus Synodi publicatione nobis demonstrare, » quibus temporibus in eorum Ecclesiis SS. Synaxim in populo-» rum conspectu dare hactenus consueverunt, velintque impos-» terum, ut *nos causas recognoscamus*, & *facultatem litteris ob-» signatam impertiamur*; qui negligentes fuerint, annuam *sus-» pensionem* incurrunt à divinis. Declaramus præterea nemini » *Regularium* licere extra claustra quacunque occasione nobis » *insciis* & *non approbantibus* eum Eucharistia processionem ins-» tituere. « *Sess.* 1. *cap.* 4. *num.* 72.

Ulteriùs si Episcopus judicet in ipsa expositione aut circumgestatione aliquid occurrere, quod hic & nunc propter aliquam inordinatam v. g. populi devotionem, diminuere honorem tanto Sacramento debitum, illud suâ auctoritate prohibere poterit.

Unde quantumvis nihil *per se* inordinatum contineat Sanctorum Imagines, aut Reliquias unà cum Venerabili circumferre, *significantes*, ut ait Synodus Coloniensis anno 1549. *illos nunc cum ipso regnare & triumphare in cœlis, qui vestigia ejus hic in terris secuti sunt*; si tamen Episcopus videat, eam esse populi sui circa aliquas SS. Imagines aut Reliquias inordinatam devotionem, ut ex externo agendi modo sat appareat honorem SS. Sacramento debitum ad Sanctorum Imagines potiùs quam ad ipsum *Venerabile* referri, idque etiam non rarò cum summo hæreticorum scandalo, poterit Episcopus præcipere, ne cum ipso *Venerabili* Sanctorum Imagines, aut Reliquiæ circumferantur.

Quod etiam pridem, ob illud indubiè periculum, sæpiùs decretum fuit: » In solemni illa processione, ait S. Carolus, in » qua Sanctiss. Domini Corpus per urbem religioso cultu defer-» tur, *ne Reliquiæ ullæ*, sed *illum solum*, ut *veteris* instituti, » *Ecclesiæque Romanæ Matris consuetudinis est*, pio religio-» soque apparatu, solemnique celebritate feratur. « *Concil. Mediol. IV. part.* 2. *cap.* 4.

Similiter anno 1639. Synodus Namurcensis statuit: » quan-» do continget Venerabile Sacramentum deferri, nullæ aliæ Re-» liquiæ vel Imagines Sanctorum deferantur... in die verò Pa-» troni sola ejus Imago vel Reliquiæ deferantur.

Quin & ann. 1651. currentis seculi Maximilianus Henricus Archiepiscopus Coloniensis decrevit, » quòd tametsi pium & » laudabile sit, ut in communibus processionibus & suplicatio-» nibus, ac stationibus deportentur Sanctorum (si quæ in Ec-» clesiis habentur) reliquæ, vel sola Imago Divi loci Titularis, » in eis tamen processionibus & supplicationibus, ubi SS Sacra-» mentum circumfertur, nullæ meritò Sanctorum vel Imagines » vel Statuæ juxta S. Caroli Borromæi præscriptum (nisi pia » multorum locorum consuetudo aliud postulet) deportentur; » de qua tamen *consuetudine integrum erit nobis nostrove in spi-» ritualibus Vicario generali, seu Decanis ruralibus cognoscere, » an cum pietate vera & persuasa consistat.* «

Hinc patet, dictum Archiepiscopum desiderâsse quidem, ut juxta S. Caroli præscriptum cum Venerabili Sacramento Sanctorum Imagines non circumferantur, aliquid tamen consuetudini in re de se minimè inordinata detulisse: ita tamen, ut sibi integrum esse declaraverit, judicare, num hîc & nunc consuetudo illa veram populi devotionem potiùs non impediat, & ejus erga SS. Sacramentum reverentiam diminuat, quam promoveat.

Et meritò; in his enim, quæ interdum devotioni congruere, subinde verò ob temporum circumstantias & populi conditionem officere possunt, Episcoporum est invigilare & judicare, quid conveniat; subditorum verò obedire, & judicio Episcopi se submittere; juxta illud Augustini in simili materia indifferenti: » Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse sine » ullo scrupulo vel disceptatione sectare. « *Epist.* 36. *ult. edit.*

Utinam hoc Augustini consilium attenderent, qui cùm ut subsidiarii, ac inferiores ministri se Episcoporum judicio submittere, & populum ad obediendum incitare deberent, judicium sibi contra Episcopos usurpant, eorumque decreta coram populo tanquam injusta improbare audent; » *quo nihil aliud ef-» ficiunt* (ut de similibus similia attentantibus ait Synodus Co-» loniensis ann. 1536. p. 4. c. 9.) quàm ut plebem, alioquin in » Clerum satis irritatam, irritatiorem reddant, ac gliscenti se-» ditionum igni oleum subministrent. «

Quod de subjectione exemptorum, etiam Regularium quoad ea, quæ celebrationem Sacrificii, expositionem ac circumgestationem publicam SS. Eucharistiæ ex regula VIII. consectarium ostendimus, idem dicendum esse de illis, quæ circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, annuntiationem Verbi Divini, aliaque similia, quæ Episcopi statuenda censuerint ex ratione, cui Regula X. nititur, facilè est videre.

Hinc in omnibus Conciliis Episcoporum videmus quoad similia decreta Regularibus & Secularibus omninò parem servandi obligationem impositam. Quin & S. Carolus, suspensionem à divinis ipso facto incurrendam, in Regulares sine speciali sua licentia à casibus sibi reservatis absolventes, tanquam sibi in hac materia subjectos, decernere non dubitavit. *Concil. Mediol. V. p.* 1. *tit.* 10.

Et prædictus Cataneensis Episcopus antea Ordinis Sancti Francisci Minister Generalis in sua Synodo exprimens casus, quibus Regulares exempti Ordinariis subjiciantur: » Primò quidem, ait, circa ea, quæ de Confessionibus excipiendis, habendis Concionibus, supplicationibus publicis suo ordine assistendis suprà sancivimus, *obedientes* esse debent. « *Sess.* 3. *Decret.* 25. *c.* 1.

§. XIII.

Assertum contrarium regulæ VIII. & Corolariis ex ea deductis: *Regulares non tenentur legibus Episcoporum etiam ex vi directiva; possuntque sine licentia Ordinarii Venerabile publicè in suis Ecclesiis populo adorandum exponere.*

REgula VIII. superiùs exhibita dictat, quòd sicuti exemptio Clericorum à jurisdictione laicorum extendi non potest ad leges in materia communi, ne alias summa in Republica oriatur confusio, & inutilis reddatur legum auctoritas; ita Secularium sive Regularium exemptio ad Leges Episcopales in materia communi extendi non possit.

Huic se opponit P. Jacobus sustinens Regulares, præsertim Mendicantes, legibus Episcoporum aut Synodorum etiam ex *vi directiva* minimè teneri; nec posse sumi argumentum à subjectione Ecclesiasticorum quoad leges laicorum in materia communi; » quia (inquit *Consult.* 3. *resp.* 3. *n.* 716.) communicatio » Ecclesiasticorum in Civilibus cum laicis (ratione cujus hujus-» modi laicorum legibus tenentur) radicatur in jure naturali; » nam cum non possint laici sine Ecclesiasticis subsistere, nec » Ecclesiastici sine laicis, Lex naturalis copulat utrosque tan-» quam duas Communitates sibi invicem necessarias. Hoc au-» tem non habet locum quoad Regulares & subditos Episcopo-» rum, quia Episcopi non possunt statuere, nisi circa spiri-» tualia, in quibus Regulares *sibi sufficiunt per proprias regu-» las, nec indigent communicare cum subditis Episcoporum,* » & ideo lex naturalis sicut non copulat eos in materia necessa-» ria communicatione, ita nec obligat ad servandas Leges eo-» rundem. «

Quid

Quid hac ratiocinatione ineptius ? Nonne Regulares, quantum exempti, unam cum populo & Clero Diœcesim & Communitatem Ecclesiasticam constituunt, quemadmodum Clerici cum laicis unam faciunt Civilem ? Num Regulares, præsertim Mendicantes, cum subditis Episcoporum non communicant, atque inter ipsos conversantur & vivunt ? Nonne plerique aut ratione SS. Ordinum aut functionum Hierarchiarum, quas exercent ab Episcopo tanquam hierarchiæ Capite dependent ; atque ratione illorum spiritualia ab Episcopis accipere tenentur ? His ergo Episcoporum legibus, quæ materiam exemptam, nempe disciplinam regularem non attingunt, parere debent Regulares : neque ad similes leges sive in materia communi sive hierarchica eorum exemptio magis, quàm Canonicorum aut Academicorum similis exemptio extenditur ; ne aliàs omnis legum auctoritas, & hierarchiæ divinitùs institutus ordo planè evertantur ; atque ita cessante in similibus eorum exemptione, jus commune (cui Episcoporum in ipsos auctoritas innititur) subintrat, legibus Episcopalibus ipsos subjiciens.

Ex hoc Corollario ulteriùs consequens esse, & Conciliorum auctoritate firmatum ostendi, Regulares quoad *publicam* expositionem Sacræ Eucharistiæ Episcopis fore subjectos. Cui rursus, suis innixus principiis, contrariatur P. Jacobus contendens, » Regulares Mendicantes posse in suis Ecclesiis Sacrosanctum » Eucharistiæ Sacramentum à populo adorandum *publicè* expo» nere, absque licentia Ordinariorum, quia, inquit, insisten» do tenori exemptionum, Ordinarii nihil jurisdictionis habent, » neque exercere possunt in Ecclesiis Mendicantium. « *Consult.* 3. *resolut.* 4.

Respondeo, quod sicuti falsum est, Episcopos non posse in Regulares exemptos exercere ullam jurisdictionem, dum v. gr. in Ministros Subsidiarios Episcoporum quoad functiones hierarchicas sunt admissi, ita quoque falsum est, insistendo tenori exemptionum, quantumvis generalium, Ordinarios nihil jurisdictionis habere, aut exercere posse in Ecclesiis Mendicantium, quatenus nimirum hæ sunt Parochialium Ecclesiarum subsidiariæ, & populi frequentationi patentes : eatenus enim jurisdictioni Ordinariorum subjectas esse, in quantum in illis populo Sacramenta aliave spiritualia ministrantur, legesque Episcoporum eam administrationem spectantes in illis Ecclesiis à Mendicantibus, eodem planè modo atque in Ecclesiis secularium servari debere, & ratio hierarchiæ, & regimen animarum, Episcopo præcipuè incumbens, necessario requirunt, ut sæpiùs ostensum fuit.

Cùm igitur SS. Eucharistiæ publica expositio ad populi salutem spectet, Mendicantes eam *populo* publicè exponere volentes, leges Episcopi expositioni illius præscriptas observare debent.

Sed dicet P. Jacobus *ibid. n.* 744. S. Congregatio Cardinalium declaravit, quod Regulares possint exponere *Venerabile* in suis Ecclesiis : Respondeo, in primis in illa declaratione, quam ibidem refert, tantùm dicitur Regulares posse in suis Ecclesiis *Venerabile* exponere : sed illud indubiè, juxta declarationes sæpiùs datas, intelligi debet, modo id fiat *publicè coram populo ex causa ab Ordinario probata.*

Ad hæc, ponatur eam declarationem id habere ; quàm debile exinde argumentum sumi possit, si attendamus quid de similibus declarationibus ipsemet Pater dicat.

Loquens enim de quibusdam decretis S. Congregationis sibi in hac materia contrariis, ait : » Cùm nunquam fuerint publica, » non videntur posse obtinere vim legis universalis, de cujus » essentia est, ut promulgetur... adeoque sunt Declarationes » Doctorales & Magistrales, ut etiam modo sunt Decisiones » Rotæ... quæ proinde non faciunt jus, neque pro foro cons» cientiæ, neque pro foro fori. Nam ex speciali jussu SS. D. N. » Urbani VIII. eadem Congregatio mandavit & præcepit nul» lam fidem esse adhibendam in judicio vel extra hujusmodi de» clarationibus, sive impressis, aut etiam imprimendis, nisi *au» thenticè* cum solito sigillo & subscriptione Emin. Card. Præfec» ti & Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentis » exhibeantur... Ad hoc verò ut obligent, Rodrique asserit, » requiri præterea, quod vel S. Pontifex det Breve, quod ju» beat eas servari, vel quod Auditor Cameræ det monitorium » in eorum executionem, vel sub censura mandet servari. Imò » etiamsi hæc intercedant, necdum debent censeri proprie leges; » quia etiam solet concedi, & quidem *satis facilè* Breve a Papa, » vel ab Auditore Camaræ monitorium in executionem pro *res» criptis* SS. Pontificum, quæ tamen non ideò statim obtinent » vim legis. Hæc autem ita vera sunt, etiamsi declarationes con» sulto S. Pontifice emanârint.“ Hactenus P. Jacobus *lb. n.* 756. *& seq.*

Ex quibus patet, quanti ponderis sit farrago illa declarationum Cardinalium, quas nescio ex quibus auctoribus collegit, & quibus librum suum implevit ; quarum ne una, *ut credo*, mediam partem habet eorum, quæ ab ipso requiruntur.

Patet quoque quam merito authenticis & probatis juris regulis, atque SS. Conciliorum decretis potiùs, quam hujusmodi vagis & incertis declarationibus dicta nostra superædificemus; ex quibus regulis & decretis perquam manifestum est, SS. Eucharistiam à Regularibus etiam exemptis *publicè* coram populo exponi non posse, nisi ex *causa ab Ordinario probata.*

§. XIV.

Ex regula X. consectarium est, *Episcopum posse per juris remedia procedere contra Regulares exemptos in casibus, in quibus Ordinaria vel Delegata potestas ipsi competit ; posseque ab ipsis petere reverentiam & obedientiam debitam.*

REgularium quacumque exemptione non obstante, jurisdictionem Episcoporum in ipsos multis casibus salvam manere inter Canonistas convenit ; & in præcedentibus probatum est.

Hinc consequens est, quòd illis casibus Episcopi, utpote integrâ manente eorum jurisdictione, contra exemptos per omnia juris remedia procedere possint, ac si exempti non essent.

Unde S. Carolus non dubitavit fulminare excommunicationem ipso facto in Regulares, eadem qua hîc & alibi exemptione gaudentes, sine approbatione Episcopi Confessiones excipere tentantes ; aut à casibus Episcopo reservatis sine speciali ejus licentia absolventes.

Similiter Episcopus Cataneensis, Ordinis S. Francisci quondam *Generalis*, contra Regulares exemptos per censuras ecclesiasticas in casum inobedientiæ procedere non dubitavit, ut ex decreto §. 13. citato videre est.

Et sanè quid Episcopis obstare posset, quominus hisce casibus per Juris remedia procederent ; quandoquidem jam cessante exemptione, jurisdictio pristinas ac integras vires obtineat; subintretque receptissima atque notissima Juris regula : *cui jurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictio explicare non potuit. L. 2. ff. De Jurisdict. omn. Jud.*

Ex qua regula insuper habetur, quòd Episcopus per omnia Juris remedia, etiam censuras, procedere queat contra *exemptos* in casibus, quibus solum subjacerent Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis ; quod & regula X. superius exhibita manifestè ostendit.

Ex his ulterius consequens est, posse Episcopos juxta praxim jam pridem usitatam à Regularibus, etiam à mendicantibus petere reverentiam & *debitam* obedientiam, sive ut in litteris præsentationis ad Ordines vel ad Confessiones audiendas, aut habendas Conciones, salutent Episcopum his verbis *Reverendissimo Domino Episcopo N. reverentiam & obedientiam debitam.*

Cum enim certum sit, Fratres Mendicantes non obstante quacunque sua exemptione, in multis subjectos esse Episcopis, eisque quoad illa *obedientes* esse debere ; quidni *obedientiam debitam*, seu quam *debent*, agnoscant ; & Episcopi ipsos cogere poterunt, ut agnoscant ?

Atque ita Patres Concilii Coloniensis ann. 1536. seculi proximè elapsi nihil refragante Fratrum Mendicantium exemptione, » Æquum censuerunt, ut qui ex Fratribus muneri concio» nandi accingi velint, Episcoporum Vicariis in Pontificali» bus *seriò promittant*, sese hisce Synodalibus Institutis omni» nò obtemperaturos. «

Et quid plura, cum ipsum Pontificale expressè præcipiat, ut omnes, qui ordinantur à suo Ordinario in Presbyteros, promittant Ordinanti *reverentiam & obedientiam* ?

Hoc decreto etiam comprehendi Fratres Mendicantes dubitari non potest ; cùm enim ipsi ab Episcopo Diœcesano Monasrii, de cujus *familia* sunt, tanquam ab Ordinario suo debeant juxta præscriptum Concilii Tridentini ordinari, necessariò formulam præscriptam *omnibus ab Ordinario suo* ordinandis, observare debent.

Neque obstat quod subjungitur in Pontificali : *Si Pontifex non est suus Ordinarius, dicit singulis : Promittis Pontifici vel Prælato Ordinario tuo*, &c. quia verba illa, vel *Prælato*, non concernunt Fratres Mendicantes, quorum Superiores nunquam dicuntur *Prælati*, multò minus *Ordinarii* ; sed posita sunt propter seculares & Regulares *nullius Diœcesis*; qui nimirum nulli Episcopo seu Pontifici inferiori subjiciuntur, sed alicui *Prælato* omnem jurisdictionem Episcopalem in certum territorium habenti ; qui & ideò *Ordinarius* ipsorum dicitur.

Et quia similes nunquam à *proprio Ordinario*, utpote charactere Episcopali destituto, ordinantur, ideo verba illa, *vel Prælato*, in formula præscripta *Ordinandis à suo Ordinario* non sunt addita ; addi tamen debuissent, si Mendicantes concernerent, utpote qui sæpius *à suo Ordinario* ordinantur.

§. XV.

Assertum regulæ X. & Corollario inde deducto contrarium: *Episcopi non possunt à Regularibus exemptis exigere reverentiam & obedientiam?*

EX Regula X. consequens esse ostendi, Episcopos jure posse à Regularibus petere *reverentiam* & *debitam obedientiam*, sive ut agnoscant se velle obedire Episcopis in illis, ad quæ eorum se non extendit exemptio, vel in quibus specialiter exemptioni & privilegiis est derogatum.

Huic Corollario rursus fortiter se opponit P. Jacobus contendens Episcopos citra justitiæ violationem talem *obedientiam* exigere non posse. »*Obedientia* enim (inquit *Consult. II. Resol.* 12. *num.* 264.) debetur ratione jurisdictionis, & versatur in exequendis Superiorum jussionibus, nec alio jure competit Episcopis in subditos quàm quia sunt subditi & Episcopo subsunt, sicut membra capiti: illaque debetur in retributionem administrationis sive regiminis. Cum autem Episcopi nullam habeant superioritatem, administrationem & directionem in Regulares exemptos, nec sint eorum Capita, nullum habent jus exigendi ab illis *obedientiam*.« Ut nihil dicamus de majori præmissa hujus argumenti, falssisimum est, quod in subsumpto asseritur Episcopos *nullam habere jurisdictionem in Regulares exemptos*; nec esse eorum Capita: obtinent enim jurisdictionem in omnibus casibus, ad quos exemtio ipsorum se non extendit: ut in præcedentibus sat fuit ostensum, & nemo Canonistarum dubitat: eatenus ipsorum *Capita* dicuntur ut & Canonicorum non obstantibus quacunque horum exemptione; qui & propterea *obedientiam* in Ordinatione aut admissione ad Confessiones audiendas, aliasve similes functiones hierarchichas suo Episcopo promittere non reformidant.

Sed quid magis exoticum & à jure alienum quàm quod *ib. num.* 265. subdit nimirum, »quod jurisdictio Episcopi, per »Tridentinum, & alias Pontificias Constitutiones Apostolicas »posteriores in certis casibus concessas, tantùm concedatur »in particularibus casibus, & præsertim transgressionum, & »ideò non potest afficere universitatem Religiosorum, sed solos transgressores: nec existit in Episcopo nisi post transgressionem, antequam posset exigere *obedientiam*, si debita esset.«

Quid enim in jure notius, quàm jurisdictionem Episcoporum, per exemptionem quasi violentè impeditam, restitui ac redintegrari hoc ipso, quo per Concilium aut per Pontifices potestas Episcopis in certa materia non obstantibus privilegiis, aut exemptionibus conceditur: vel quoad istam materiam exemptionibus derogatur, tuncque Episcopo liberum esse, vi suæ jurisdictionis sibi competentis decreta materiam illam concernentia edere, quibus Regulares (eorum exemptione jam cessante) debeant *obedire*, pœnasque in non obedientes apponere & exequi.

Sed ulteriùs urget Pater Jacobus: »Sancta Sedes sæpiùs »Episcopis inhibuit illam à Regularibus exposcere, & nomina»tim Gregorius IX. in Bulla *Inducimur*, ann. 1240. tertia in »Bullario Rodriques: *Ut nullus ex Prælatis Ecclesiarum, »absque mandato Sedis Apostolicæ, à vobis* (Minoritas) *dic»tam obedientiam manualem præsumat exigere districtius in»hibemus.« Quidquid sit de hac, ac similibus incertis Bullis, quas ibidem ex aliquibus privilegiorum compendiariis refert Pater Jacobus, fateor fuisse jam pridem inhibitum Episcopis exigere *quamdam obedientiam* sive fidelitatem, non tantùm à Monachis, sed & Clericis; nimirum eam, quæ *homagii* cujusdam præferebat imaginem. »Indignum est, inquit regula Juris, & »à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritua»libus facere quis *homagium* compellatur.« *Cap. fin.* ✠ *De Regul. Jur.*

Quin & simoniacum plerique credebant, similem *obedientiam* sive *fidelitatem* in Ordinum susceptione Episcopo facere. Hinc S. Guillielmus Abbas Divionis maluit S. Ordinis susceptionem differre, quàm juxta consuetudinem Episcopatus Vercellensis *assertione* jurisjurandi servaturum *fidelitatem* Episcopo promittere: non quòd exemptioni sui Monasterii timeret præjudicare (jurisdictioni enim Episcopi subjectum erat) *sed quia salubriter non poterat perpendere, ut pro his, quæ solius Dei Imperio gratis præstari debeant, horum ministro alicujus firmandæ fidei assertionem ullo modo exhiberet.* In vita apud Bollan. ad 1. Jan. *cap.* 3.

Hujusmodi ergo fidelitatis juramenta, aut promissiones jam pridem reprobavit Ecclesia, & ob periculum simoniæ etiam Sancti quidem præstare recussârunt; sed illa ab *obedientia debita*, quam hodie Episcopi requirunt, multùm sunt distincta.

Hæc enim non exigit, & postulat nisi subjectionem & obedientiam canonicam in licitis & honestis; & in quibus secundum Canones etiam ipsi exempti Episcopis subjiciuntur: illa verò homagii cujusdam (quale Vasallus præstat Domino directo) speciem præferentia, ad legem spectant mundanam, & mundanam potiùs quàm canonicam subjectionem designant.

Fidelitatis igitur seu obedientiæ juramenta hujusmodi per Episcopos Ecclesia exigi vetuit, & sancti Viri præstare renuerunt: at canonicam obedientiam nec Ecclesia exigi vetuit, nec Sancti promittere recusârunt; quin & recusantes pro refractariis habendos censuerunt.

S. Fulbertum Carnotensem Episcopum cuidam suo Coëpiscopo de hac rescribentem audiamus: »Si Abbas S. Bene»dicti (ait *Epist.* 41.) de vestro contemptu culpam suam re»cognoverit, & *illam* deinceps *subjectionem promiserit*, quæ »vobis *canonicè* debetur, hortor & suadeo, ut recipiatis: *Sa»cramenta* verò, & cætera, *quæ ad mundanam legem* perti»nent, propter amorem Regis missa faciatis: ut *Religionem* »magis quam *secularem ambitionem* vos sectari cognoscat. At »si Abbas in *tantam superbiam intumuerit, ut ipsam quoque »subjectionem canonicam vobis derogare contendas; superbiæ, »cui, non parcit Deus, Dei Servus quomodo parcat, nescio.«

Hæc Sanctissimi Præsulis, verba, utinam seriò expenderent Regulares, qui adeò protervè, non juramentum fidelitatis (quod Episcopi non requirunt) sed reverentiam & *obedientiam debitam*, seu *canonicam subjectionem* promitterre renuunt: quosque non pudet asserere, »Ordinarios sub *peccato »mortali*, & obligatione resarciendi omnia damna inde oriun»da, non posse à Superioribus Regularibus in præsentationibus »suorum subditorum ad Confessiones & Ordines exigere *obe»dientiam*; alioqui horum præsentationes non acceptaturi, ne»que eorum subditos ad examem & multò minùs ad Confes»siones vel Ordines admissuri.« Ita P. Jacobus *consult. II. resol.* 12. *num.* 249. Quæ profectò hominum temeritas, Principes populi summâ modestiâ ac Religione ab obedientiæ cum *juramento fidelitatis* exactione abstinentes, & solùm *canonicam subjectionem* seu *obedientiam debitam* secundum Canones postulantes, *peccati mortalis* arguere!

EPILOGUS SECUNDÆ PARTIS.

ANimus non fuit hoc tractatu originem ac progressum exemptionum sive Regularium sive secularium à jurisdictione Episcoporum examinare, sed solùm quasdam regulas à Canonistis communiter receptas, & à Pontificibus probatas proponere: quibus exemptiones illæ regi & concludi debent, ne aliàs in totalem hierarchiæ Ecclesiasticæ confusionem, & Episcopalis regiminis & auctoritatis eversionem contra intentionem Pontificum, extendantur, ut jam paucis ostendimus, & jam pridem Ecclesiæ Prælati recognoverunt, & altè deplorârunt: multò minùs hîc perstringere animus fuit omnes excessus, quos videre est in libro sæpè nominati P. Jacobi.

»Fratrum & Coëpiscoporum nostrorum conquestione com»perimus, quòd Fratres Templi, & Hospitalis, & alii Religio»si inquit Concilium Lateranense III. indulta sibi ab Aposto»lica Sede *privilegia excedentes*, contra Episcopalem aucto»ritatem multa præsumunt, quæ & scandalum faciunt, & grave »faciunt periculum animarum.“ *Cap.* 3. ✠ *De Privil.*

Similes Episcoporum querelas ob extensionem & excessum privilegiorum recepit & probavit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* 22. ✠ *de Excess. Prælat.*

Querelas Episcoporum Provinciæ Remensis circa ann. 1287. (dum notabilis Belgii pars huic Provinciæ in spiritualibus suberat) de scandalis & animarum periculis inteligimus ex Epistola circulari à Concilio Provinciali scripta; in qua scribunt: „gra»vem dissensionem inter ipsos Prælatos & Viros Religiosos »Fratres Prædicatores & Minores exortam fuisse, occasione »cujusdam concessionis à Martino IV. super Confessionibus »audiendis & injungendis Pœnitentiis sibi factæ, pro eo vide»licet, quòd iidem Fratres dicunt & asserunt, se intelligere »eo modo, quòd dilucidè obviant juri communi, Conciliis & »Constitutionibus Romanorum Pontificum, & intentioni etiam »concedentis: ex quibus assertionibus præsumptuosis temera»riisque, quod dolentes referimus, multa scandala & animarum »pericula in Clero & populo sunt exorta, cum periculo sub»ditorum nostrorum, quorum sanguis in districto examine de »nostris manibus requiretur: præsertim cùm nos in suscipiendo »curam ipsorum, nostras obligaverimus animas.“

Ecce qui sint privilegiorum fructus, dum semel legitimè constituti limites contra dantis intentionem exceduntur.

Utque plura missa faciamus, quid acerbas Prælatorum querelas adversus Mendicantium privilegia, illorumque studia ad earum revocationem in Concilio Lateranensi sub Leone X. excitavit, nisi Privilegiatorum in utendis privilegiis excessus? „Ins»tantissimè (inquit Odoricus Rayn. ad ann. 1516) *Sess.* 9. »pos-

» postulaverunt, ut privilegia, quæ *mare magnum* dicuntur re-» ducerentur ad jus commune: quia ipsi Fratres *nimis con-» fundunt ordinem & jurisdictionem episcopalem.*»

» Et in Consistorio secreto, pergit Historicus, deputati » Prælati proposuerunt, petentes propter nimias & incredibi-» les licentias, quibus utuntur Fratres contra splendorem Epis-» copalem & potestatem, omnes revocari debere, præsertim » cùm illis abutantur: & demonstrârunt deputati, quomodo » Fratres abutantur. «

Nonne rursus fuit nimia illa exemptionis & privilegiorum extensio, & ex illa profluens ecclesiasticæ hierarchiæ, atque regiminis Episcopalis turbatio, quæ summas illas querelas Prælatorum in Synodo Tridentina adversus exemptiones excitârunt? Nonne hæc movit Prælatos Germaniæ, ut inter sua postulata hunc reformationis articulum exhiberent? » Revocandas » omnes exemptiones contra jura communia passim conces-» sas, Monasteriaque omnia sub Episcopi potestate constituen-» da sub cujus sunt Diœcesi. « Spondanus ad ann. 1563.

Denique quid omnia illa decreta à Patribus Tridentinis pro restituenda Episcoporum auctoritate edi postulavit, nisi auctoritatis illius per nimiam privilegiorum extensionem, conculcatio?

Hanc confusionem atque Ecclesiæ turbationem ex privilegiis & exemptionibus, præsertim illorum, qui functionibus hierarchicis obeundis ex suo instituto destinantur, facilè oriundam prævidens S. Franciscus, *gratum ipsi non fuit*, ut Fratres ipsius ab *Episcopali obedientia ejusmodi privilegiis se substraherent*, *sed Fratris Eliæ*, inquit Baronius ad Ann. 676. *hominis non divino spiritu, sed carnis prudentia nitentis, opus fuit.* Hinc illud S. Patris apophegma: » Hoc meum, & Fratrum meorum » est privilegium, nullum habere privilegium super terram, sed » omnibus obedire, & inferiores nos omnibus reputare. « Item illud suæ ultimæ voluntatis elogium: *Præcipio Fratribus universis per obedientiam, quod ubicumque sint, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana.*

Quam verum fuerit Sanctissimi Patris augurium, refert, & Ecclesiam super eo plangentem inducit ejus fidelis filius Pater Alvarus Pelagius *lib. 2. de Planctu Eccles. cap.* 66. » Postquam » Fratres minores non curantes servare voluntatem Patris, inquit, » quam in testamento suo Fratribus notificaverat, & servare » mandaverat, & sic factores testamenti, & indigni hæreditate perfectionis Evangelicæ, quæ maximè in paupertate, & » humillitate, & charitate consistit, à Sede Apostolica declara-» tiones, & privilegia plurima impetrârunt: per quæ à sancta » paupertate, & humilitate quasi omnimodè recesserunt. Nam » eorum privilegia, per quæ nemini subsunt, nisi Sedi Aposto-» licæ, eos in superbiam erexerunt, & in *contumaciam contra » omnes Prælatos*... contra quos S. Bernardus: Quanti usque ho-» die fœda sequuntur, infeliciaque vestigia! Imò quam pauci » evadunt, quibus libido dominandi non dominetur! Quæ se-» quimini miseri? Nonne iste est mons, in quem ascendit Ange-» lus, & factus est diabolus? Maximè Fratres Minores, qui ma-» gis humiles esse debent quàm homines de Mundo, per Re-» gulam, & Professionem, & Vocationem suam omnibus subes-» se debent, maximè DD. Episcopis, & aliis Prælatis, & ordi-» nariis locorum Sacerdotibus, & eis honorem, & reverentiam » exhibere: sicut ipse Pater in Regula, & in testamento man-» davit... Eorum privilegia faciunt eos contendere tota die.... Fa-» ciunt etiam eos *contemnere Prælatos Ecclesiæ*; & occasione » privilegiorum magis sunt insolentes, & magis delinquunt.«

Similiter nonnulli Romani Pontifices perpendentes, quàm difficulter privilegia, & exemptiones intra legitimos limites contineantur, præcipuè cùm exempti unà functionibus hierarchicis impenduntur, resolverant potiùs omnia privilegia revocare, privilegiatosque ad jus commune reducere, quam periculo turbationis, ex privilegiorum irregulari extensione profluentis, Ecclesiam exponere. Et quidem Calixtum III. litteras concepisse, » quibus Mendicantium familiæ ad jus commune redigendæ erant,« refert Odericus Raynaldus *ann.* 1471. *num.* 69. sed sanè memorandum; quod subjicit: „ quas cùm Paulus II. promulgare me-» ditaretur, Mendicantium Ordinum Magistri in eam prorupêre » temeritatem, ut *provocationis ad Concilium Generale formu-» lam* ediderint.«

Utque concludam, quid est, quod nostris etiam temporibus, tantas excitat Prælatorum querelas adversus tum Canonicorum, tum Regularium exemptiones, nisi indebita earum ad materias non exemptas extensio? Quid aliud nostri seculi Sanctissimum Præsulem Franciscum Salesium movit ad quendam suum Confratrem scribere *lib.* 1. *Epist.* 30. In hoc maximam esse Dei gloriam, „ quod Ordo Episcopalis agnoscatur, qualis est; quod » que *museus ille exemptionum* ab Ecclesiæ arbore sit avulsus, » *in qua tantum mali fecit*; sicuti benè observavit S. Trid. Con-» cilium.«

Concludamus igitur, magnopere Ecclesiæ interesse, ut regulæ, & limites exemptionum figantur, atque sedulò observentur: omnesque sive Seculares, sive Regulares debere esse solicitos, ut magna cum circunspectione, ac sobrietate, imò timore & tremore religioso privilegiis, si quæ legitimè obtinuerunt, utantur; ne fortè ea nimium extendendo hierarchiam ecclesiasticam confundentes, aut Episcopale regimen impedientes, schismatis ac divisionis auctores coram Deo habeantur, aut perditionis animarum, cujus, impediendo Episcopos, fortè sunt causa, rei constituantur: semper memoria retinentes illud, quod de Episcopis in persona Apostolorum dixit Christus: Luc. cap. 10. vers. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: Quod benè intellexit fidelis Evangelii Interpres D. Paulus, quando de præceptis suis pronuntiare non dubitavit: *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.* 1. Thess. 4, v. 8.

FINIS.

APPROBATIO.

NEmo potest non approbare scripta eorum, qui omnia sua asserta ad communes universalis Ecclesiæ Canones velut ad incudem formant; & ad eos revocant, quæ minùs rectè dicta putant. Ejusmodi est scriptum Clariss. D. Van Espen J. U. D. *quod* Repagulum Canonicum *censet, & luce publica dignum, hac* 23. *Aug.* 1688.

Bartholomæus Pasmans S. T. D. & Lib. Censor.

DISSERTATIO CANONICA
AD LEGEM JULIAM
DE AMBITU,
SIVE
DE VETITA OFFICIORUM VENALITATE.

PARAGRAPHUS I.

Analogia inter crimen Simoniæ *& crimen* Ambitus.

INter crimen *Simoniæ*, & crimen *Ambitus* summa intercedit analogia. Utriusque radix est ambitio & avaritia; illud tendit, ut per pecuniam malasque artes perveniatur ad honores & dignitates, muniaque ecclesiastica; hoc verò, ut iis mediantibus ad honores & munia Reipublicæ pertingatur. Rectè enim dixit jam pridem Isidorus de Ætymolog. *lib.* 5. *cap.* 21. » Ambitus judicium est in eum, qui *largitione* honorem cupit, » sive ambit. «

In hoc quoque utriusque hujus criminis analogia quædam est, quod sicuti crimen simoniæ, jam pridem *enormissimum* à Patribus dictum fuit ob mala ex illo in Ecclesiam redundantia, eâdem ratione vitium ambitus perniciosissimum meritò reputatum sit, propter mala ex illo in ipsam Rempublicam profluentia. Notum quippe est, malè cum Republica agi, cùm quod meritis obtineri debet, pecunia tentatur; cumque *Virtutis præmia ambitio occupat*, ut Salustius ait.

§. II.

Vetustissimis Romanorum legibus repressus Ambitus.

SIcuti ergo nunquam non execrationi fuit Ecclesiæ Præfectis venalitas Sacrorum Officiorum; ita jam pridem ipsis Reipublicæ Moderatoribus, etiam gentilibus, vitium Ambitûs, sive venalitas honorum & dignitatum Reipublicæ horrori fuit, multisque legibus repressum. Et quidem in Republica Romana per Tribunos Plebis lata fuit lex contra ambitum illorum, qui Magistratus appeterent, qua, ne cui album in vestimentum petitionis causâ quemquam adire liceret, cavebatur; uti refert Alexander ab Alexandro *lib.* 3. *Dier. genial. cap.* 17. qui addit: » Deinde Petilius Tribunus Plebis legem tulit ad populum, qua » largitiones illorum, qui *pecuniâ* honores mercarentur, gravi » damno, & pœnâ mulctavit: fuitque severissima disciplina & » sub gravi censura lex servata, qua ambitioni & cupiditati » obviam sæpè itum est, ita ut inter exempla relatum sit, Q. » Coponium, quod vini amphoram ei, cujus suffragio Magis» tratum petebat, dono dederat, ambitûs condemnatum pœ» nas luisse. «

Sed cùm quotidie hoc malum magis serpere videretur, Paulus Æmilius Consul legem tulisse fertur ad populum, qua ne cui suffragii causâ minus dare liceret, multiplici pœnâ interdixit. Postea quoque Lege Calphurniâ his, qui prandium ad captandos animos, aut quid muneris exhibitum foret, præter pœnas legibus constitutas, etiam pecuniaria mulcta dicta fuit.

Hisce legibus illud evincitur, quod & ipsi Ethnici Reipublicæ Moderatores vel solo lumine naturæ viderint, ipsaque experientiâ fuerint edocti, nihil hoc crimine ambitûs Reipublicæ esse perniciosius; illudque penitùs esse eliminandum crediderint, si Rempublicam florentem & ritè institutam conservare vellent. Sed hisce, aliisque vetustissimis Romanorum legibus (quas recitat Alexander ab Alexandro loco citato) omissis, videndum quid Principes Christiani, quorum Sanctissimæ Sanctiones etiamnum hodie tum in Codice Justinianæo, tum Thodosiano extant, de hoc crimine ambitûs variis temporibus edixerint.

§. III.

Constantini Magni adversus honorum nundinationem Sanctiones.

COnstantinum Magnum ambitum, & venalitatem officiorum & honorum repressisse, constat pluribus ejus sanctionibus in Codice Theodosiano superstitibus. Et quidem *in L.* 1. *Cod. Theod. de Honorariis Codicillis*, sanxit, solam eam dignitatem ad evitanda onera Curialia prodesse, quæ *bonorum virorum suffragio*, *nulla data pecunia* impetrata est. Quin & addit in plebem sive plebæam conditionem, in subeundis oneribus Curialibus, redigendos, qui *data pecunia* honorarios codicillos adepti essent. Similiter in *L.* 5. *Cod. Theod. de Decurionibus*, extat ejusdem Imperatoris, Constitutio, qua cavetur, Decuriones Curiâ non liberari, si dignitates *suffragio* meruerint, id est, datâ pecuniâ. Suffragium enim apud Romanos dicebatur pecunia, quæ suffragatoribus aulicis, aut etiam ærario Principis inferebatur, vel promittebatur, honoris adipiscendi causâ. De hoc extat in Codice Justinianæo *lib.* 4. titulus *de Suffragio.*

Unde non immeritò intelligitur de Constantino, quod in *L.* 2. *Cod. Theod. de Honorariis Codicillis*, dixit Constantius Constantini filius, & in Imperium successor: » A honoribus » mercandis per suffragia, vel qualibet ambitione quærendis cer» tâ mulctâ prohibuit. «

§. IV.

Quid adversus eamdem sanciverint Constantini filii.

COnstantius Constantini filius in citata *L.* 2. *Cod. Theod. de Honor. Codicillis*, relata Patris sui sanctione, addidit, » ut qui» cunque fugientes obsequia Curiarum, umbras & nomina af» fectaverint dignitatum, tricenas libras argenti inferri cogantur: » manente illa præterea inlatione auri, qua perpetuâ *lege* cons» tricti sunt. « Hanc legem, quam hîc firmam manere vult Constantius, esse Constantini, sat indicant verba initialia & finalia hujus legis, uti notat hic Jacobus Gothofredus; qui unà monet, hanc legem esse unam adversus honorum & Codicillorum nundinationem.

Extat & Constantii adversus honorum nundinationes Constitutio *in L.* 25. *Cod. Theod. de Decurionibus*, qua una deplorat hujusmodi nundinationibus Curias evacuari. » Quoniam *emp» tæ* dignitatis obtentu, ait, Curias vacuefactas esse non du» bium est, placuit, ut cuncti, qui suffragiis dignitatum insig» nia consecuti sunt, immeriti honoris splendore privati civi» lium munerum solemnitate fungantur. Eorum sanè intemera» tas, inconcusasque dignitates volumus permanere, qui vel ju» dicio Provinciarum officium Legationis electi sunt, vel hones» tatis testimonii adminiculis enitentes talium dignitatum privi» legia insigniaque meruerunt. «

Rursus in *L.* 26. *Cod. Theod. eod.* sub nomine Constantii, & Constantis Impp. per has mercaturas *fœdari honores* dicuntur. Et in *L.* 27. edicitur, ut per totam Africam solertissimè servetur, ut civicis muneribus subjugentur, qui *indebitæ dignitatis infulas fœda familiaris rei vexatione mercantur*, id est, fœda rei familiaris erogatione seu profusione; uti in notis ad hanc legem monet Jacobus Gothofredus.

§. V.

Juliani Imperatoris contra venalitatem officiorum sanctiones.

JUliani Imperatoris Constitutio refertur in *L.* 1. *C. Theod. Si certum pateatur de suffragiis*, ubi has honorum nundinationes vocat *fœda commenta*, cùm quæ bonorum *meritò deferuntur*, quidam occupare merentur, id est, ut occupare possint, impetrant *fœdis commentis*: declarans quod qui pecuniam inhonestè & turpiter dedisset, & tamen dignitate haud potiretur, dati repetitionem non haberet. » Quia (ait) leges Ro» manæ hujusmodi contractus penitùs ignorant, omnem repe» tendi eorum, quæ prodigè nefarieque projecerint, copiam pro» hi-

» hibemus. « Hujus legis meminit quoque Ammianus Marcellinus *lib.* 2. ex quo & intelligimus, quòd Julianus, eo ipso die, quo Augustus declaratus fuit, aliqua adversus honorum nundinationes caverit, ipsum Julianum *lib.* 20. ita loquentem ad populum introducens: » Ut autem rerum integre ordo servetur, præmiaque virorum fortium maneant incorrupta, nec honores ambitio præripiat clandestina, id sub reverenda Concilii vestri facie statuo: ut neque civilis quisquam judex, nec militiæ Rector, alio quodam præter merita suffragante ad potiorem veniat gradum, non sine detrimento pudoris eo, qui pro quolibet petere tentaverit, discessuro. «

§. VI.

Venalitas Officiorum invaluerant sub Thodosio M. & quæ inde mala.

OBservatum est à nonnullis, quòd hoc vitium ambitûs plus minusve jam pridem recruduerit, inoleveritque, prout Principes Libertis, Eunuchis Palatinis, aliisque suis Ministris magis obnoxii fuêre. Atque ex hoc capite malum hoc maximè recruduisse sub Theodossio M. indicat Zosimus *lib.* 4. scribens: » Spadonum plerique quos vellent Rectores subvehebant, & totius Imperii potestatem habebant, Principis animum quo vellent flectentes. Deinde nonnullis interpositis subjungit: » Cùm enim temerè & in indignos publica insumeret, pluribus egere cœpit pecuniis, eaque re provinciarum administrationes venales proposuit quibusvis accidentibus, nullâ existimationis, aut honestæ vitæ ratione habita; quin eum idoneum judicans, qui agri vel argenti plus afferret: adeoque videre erat Collectarios, & Nummularios, aliosque professiones in foro fœdissimas obeuntes, Magistratuum insignia ferre, majoremque pecuniæ vim habentibus provincias tradere."

Durius forsan, quàm oportuit, hic scripsit auctor gentilis Theodosio non parùm adversus; nihilominus officia circa hæc tempora venalia fuisse testatur S. Chrysostomus scribens *Hom.* 16. ad populum Antiochenum: » Magistratus non penitùs sunt animi virtutis demonstrationes: *pecuniis* enim sunt *venales*, & amicorum vendicantur assentationibus. «

Idipsum innuunt sanctiones filiorum Theodosii, de quibus §. sequenti.

§. VII.

Huic vitio se opposuere Honorius, & Aracadius, Theodosii filii.

THeodosii filii Honorius, & Arcadius attendentes, ex hoc nundinationis usu rempublicam ineptissimis ministris repletam, eam abolere decreverunt. De Honorio facit constitutio ejusdem in *L. penult. Cod. Si certum petatur*: » Quisquis judici fœnebrem pecuniam mutuaverit, si in provincia fuerii versetus, quasi emptor legum, atque provinciæ; vel si quis Collectarius honoris pretium dederit ambienti, exilii penâ una cum ipso judice plectetur."

Hanc legem ex greco in latinam reddit Synopsis Basil. *c.* 58. » Quid si mutuum dederit nondum Præsidi, sed futuro Præsidi, ut pecuniâ acceptâ Magistratum emeret? Tam ipse, quàm Præses exilio mulctetur."

De Arcadio fidem facit *L.* 1. *Cod. Theod. Ad Legem Jul. de Ambitu*: „ Si quis ad illustrem Palatii nostri ambierit dignitatem, atque ad eos honores ascendere ambitione tentaverit, qui nonnisi probatis nobis viris, nostro judicio deferuntur cujuslibet ille sit loci, ordinis, dignitatis, amissis bonis, & fisco nostro protinùs vendicatis, deportationis mulctetur exilio. «

Præterea addit Arcadius: Neque aliud inter cœptum ambitum, atque perfectum esse arbitretur; cùm pari sorte leges scelus, quàm sceleris puniant voluntatem. « Id est, non tantûm qui honorem *suffragio* exambierit, seu obtinuerit, verùm etiam qui etsi non exambierit, tamen ambivit, sive pecuniam suffragatori dedit, neque tamen honore potitus est. Unde non de sola voluntate interna hîc agitur; sed de voluntate, quæ jam in actum aliquousque deducta est, vel ut loquitur lex, si *cæptum* crimen fuerit. Neque enim unquam sola interna voluntas, quæ nullatenus in actum exteriorem prodiit, legibus punitur, nequidem in crimine læsæ Majestatis, quod quidam malè colligunt ex *L. quisquis, Cod. ad L. Jul. Majest.*

§. VIII.

Theodosii junioris contra venalitatem Officiorum Constitutio.

THodosius junior Arcadii in Imperium successor videns, quod solas pœnas in ambientes decernendo, non satis occurreretur ambitui, quia frequenter tam occultè perpetraretur, totque palliis velaretur, ut judici sat probari, ad penas decernendas, non posset, sanctionem evulgavit, quæ extat in *C. fin. Cod. Ad Legem Juliam repetundarum*, scribens Florentino Præfecto Prætorio, » quod sanciverit ejusmodi viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris insignia *non ambitione, vel pretio*, sed probatæ vitæ, & amplitudinis tuæ solent testimonio promoveri. «

Tum addit: » Ita sane, ut quibus hi honores per Sedis tuæ vel per nostram fuerint electionem commissi, jurati inter gesta depromant, sed pro administrationibus sortiendis, neque dedisse quidpiam, neque daturos unquam postmodum fore, sive per se, sive per interpositam (personam) in fraudem legis, sacramentique, aut venditionis, donationisve titulo, aut alio velamento cujuscunque contractus: & ob hoc (exceptis solis salariis) nihil penitùs tam in administratione positos, quàm post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quam gratuitò meruerunt, accepturos. «

Post hæc, ut efficacius sit remedium, & illud subjungit: » Et licèt *neminem divini timoris* contemnendo jusjurandum arbitramur immemorem, ut saluti propriæ ullum commodum anteponat; tamen ut ad salutis timorem etiam necessitas periculi subjungatur: si quis ausus fuerit præbita Sacramenta negligere, non modo adversus accipientem, sed etiam adversus dantem accusandi cunctis tanquam crimen publicum, concedimus facultatem: quadruplici pœnâ eo qui convictus fuerit modis omnibus feriendo. «

§. IX.

De Sanctione Justiniani in Novella 8.

HOc vitium quantumvis tot severissimis sanctionibus repressum, rursus recruduisse testis est Justinianus in *Novella* 8. cui hic est titulus: *Ut judices sine quoquo suffragio fiant.* In præfatione hujus Constitutionis narrat Imperator, quod dies noctesque impenderit, ut subjectos suos omni onere liberaret: » Invenimus enim (ait) plurimam ingresam causis injustitiam: hanc non olim, sed ex quibusdam temporibus violenter accessisse, & omnes nostros subjectos ad inopiam compulisse, ut ad novissimam ipsi penuriam devenire fluctuarentur, & neque consueta, & legitima tributa, & pro veritate pias functiones secundum publicum censum possint sine maxima necessitate persolvere. «

Recogitans igitur pius & pro quiete populi sui solicitus Princeps, quomodò *uno actu* hæc omnia ad meliora reduceret, hoc » omninò eventurum credidit, si Præsides gentium quicunque civiles administrationes provinciarum habent, *puris* procuremus *uti manibus*, & ab omni abstinere acceptione, pro illis solis contentos, quæ eis à fisco dantur. «

Sed quomodò id obtinebitur? respondit Justinianus: Quod » non aliter fiet, nisi & ipsi cingula sine mercede percipiant nihil omninò dantes, nec occasione suffragiorum, neque iis qui cingula habent, neque alii omninò ulli. «

Rationem hujus evidentem subjicit; » An certè non omnibus manifestum est, quoniam qui aurum dat, & ita administrationem emit: non dat hoc solùm quantum occasione adventum est suffragiorum, sed & aliud extrinsecus addit ampliùs occasione commodi administrationem, aut dantibus, aut spondentibus? Et sic uno principio illicito dato plurimas necesse est manus circumire eum qui donationem facit: & hoc non de suo forte præbere, sed mutuatur, & ut mutuare possit damnificatum & computare apud se, quia convenit eum tantùm ex provincia percipere, quantum liberet ei quidem debitas sortes, & usuras, & damna pro ipso mutuo computabit autem & in medio expensas largiores, jam & Judici, & qui circa ipsum sunt convenientes: & quemdam etiam sibimet recondet quæstum in tempore sequenti, in quo fortè non administrabit. «

Quibus significare voluit, quod ab Alexandro Severo olim dictum refert Lampridius: » Necesse est, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum, quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem, qui emit, & vendit."

Gravissima ex hac reciproca venditione in Rempublicam redundantia mala enumerat dein Imperator dicens: » Administrationes namque habentes provinciales, ad hanc acceptionem respicientes, multos quidem reorum dimittunt, vendentes eis delictum: plurimos autem innoxiorum condemnant, ut noxiis præstent, & hoc non solùm in pecuniariis causis agitur, sed & in criminalibus, ubi de anima est periculum: fugæque fiunt ex provinciis, & confluunt huc omnes ingemiscentes Sacerdotes, & Curiales, & Officiales, & Profesores, & Populi, & Agricolæ, judicum furta meritò, & in justitias accusantes: & hæc non fiunt sola, sed etiam civitatum seditiones, & publicæ turbæ plerumque pecuniæ causâ fiunt, atque sedantur. «

Utque compendio multa comprehendat, tandem concludit: » Et

» Et omninò una quædam est hæc omnium occasio malorum : & » accipere suffragium à judicibus, totius nequitiæ est principium, » & terminus. Est quoque hoc sacrorum eloquiorum mirabile » & verum, quòd avaritia omnium sit mater malorum ; maximè » quando non privatorum, sed judicum inhæret animabus. «

§ X.

Quid per suffragia intelligat Justinianus, & de Juramento ab ipso præscripto.

UT intelligatur hæc novella Justiniani Constitutio, notandum, duplex olim fuisse *suffragium*, privatum scilicet, quod suffragatoribus aulicis dabatur ; & *publicum* sive *dominicum*, quemadmodum vocatur *Novella* 9. quod *Imperialibus rationibus inferebatur*, ut loquitur Novella Tiberii 161. inter Novellas Justiniani, addens : *Et magnum reddebant pecuniarum cumulum.* Utrumque suffragium sustulit Justinianus, dum vetuit quidpiam exigi occasione *suffragiorum* ; agnoscens quidem quæstum non immodicum minui Imperio, sed quòd maximum incrementum perciperent subditi. » Consideravimus enim (ait) » quia licèt quæstus immodicus imminuitur Imperio, attamen » nostri subjecti incrementum maximum percipient, si indemnes à judicibus conserventur ; & Imperium, & *fiscus abundabit utens subjectis locupletibus* : & uno hoc introducto ordine, plurima rerum & innumera erit ubertas. «

Ut hæc firmiùs sinceriùsque servarentur, non tantùm pœnam in contravenientes decrevit ; sed insuper voluit, » ut is, » qui administrationem accepit, cum Dei memoria juret, nihil » penitùs nec quodlibet se præbere, neque occasione suffragii, » neque patrocinii, & neque promittere, & neque de provincia profiteri dirigere, neque gloriosissimis Præfectis, neque » aliis cingula habentibus, neque iis, qui circa eos constituti » sunt, nec alteri cuilibet per occasionem patrocinii ; sed sicut » sine suffragio acccepit administrationem, à publico perceptu» rus annonas (has enim solas accipere eum sinimus) sic eam » puris custodire manibus Deo & nobis pro ea redditurus ra» tionem. «

Idem juramentum eodem sensu, sed clarioribus terminis exprimitur in Novel. 9. » Juro, quòd nulli penitùs neque dedi » neque dabo occasione dati mihi cinguli, neque occasione patrocinii, neque promisi, neque professus sum de provincia » mittere, neque mittam, neque occasione dominici suffragii, » neque famosissimis præfectis administrationem habentibus, ne» que iis, qui circa eos sunt, neque alii hominum ulli, sed si» cut sine suffragio percipi cingulum, sic etiam purè me exibe» bo circa subjectos piisimorum nostrorum dominorum ; con» tentus iis, quæ statutæ sunt mihi de Fisco, annonis. «

§. XI.

Quid jam pridem in Gallia contra Officiorum venalitatem decretum.

SEculo XIII. Sanctum Ludovicum Regem Galliæ officia in Regno suo mercari vetuisse scribit in ejus vita Gaguinus *lib. 7. c. 2.* hæc scribens : » Per id tempus Præfectura apud Parisios venalis habebatur, solique cives pretio illam sibi, vel » liberis suis comparabant. « Quid inde sequeretur addit idem auctor : » Unde fiebat, ut inopes premerentur, opulenti omnia » licenter agerent, fures nullis pœnis afficerentur. Hanc vena» litatem (pergit Gaguinus) Rex prohibuit, constituto annuo » stipendio ei, qui Præfectus esset : atque ita Stephanum Boil» leum justitiâ, atque æquitate spectatum hominem Præpositum » instituit : quod officium adeptus intra paucos dies statum civi» tatis longè tranquilliorem reddidit. «

Cum autem rursus recruduisset hoc vitium, Carolus V Galliarum Rex anno 1358. prohibuit officia qualiacunque essent ad exercitium justitiæ pertinentia vendi. Idipsum statuit Carolus VII. anno 1453. & Carolus VIII. anno 1468. qui & voluit, ut in receptione, seu in adipiscenda possessione officii judicaturæ jurent Provisi, quòd nihil dederint, aut promiserint ; & si posteà perjuri reperirentur, privat eos officio, quod declarat eo ipso impetrabile ut vacans : ita refert Gulielmus Benedicti præses Parlamenti Tholosani ad *Cap. Raynutius*, verbo *duas habens filias*, *num.* 56. Addit autem ibidem Benedicti : » Et quia ex post multi litteras Regias congedii de vendendo & » emendo dicta officia obtinuerant à Rege, Ludovicus XII. an» no Domini 1498. sui Regni principio, ordinatione suà declaravit, per dictas litteras congedii derogare non intenderat, » nec intendebat, in futurum. Et si per importunitatem vel alias » aliquis tales litteras commendaret, prohibuit Cancellario eas » sigillare. Et si surprisiâ, vel alias sigillarentur, prohibuit gen» tibus Curias Parlamenti tenentibus, & quibuscunque aliis Offi» ciariis inferioribus talibus litteris obedire, licèt iterativis. «

§. XII.

Quomodò à prædictis Constitutionibus sensim in Gallia recessum.

REferunt Francorum Historici, quòd licet Ludovicus XII. declarâsset, nolle se derogare constitutionibus suorum prædecessorum adversus venalitatem officiorum, ipsum nihilominus ob singularem necessitatem Regni vendidisse officia quædam, quæ judicandi munus annexum non habent ; quod & notat Carolus Loyseau in suo tractatu *De Officiis*, *lib. 3. cap. 1. num.* 88. qui & monet, hunc Regem ex venalitate officiorum, etiam non judicaturæ, nequaquam fecisse reditum ordinarium Fisci, sed duntaxat ob præsentem necessitatem officia illa gravâsse.

» Sed sicuti in Francia (ait Loyseau ibidem *num.* 91.) rima » ad emungendum pecunias semel factâ, continuò per succes» sum temporis crescit ; ob summam reverentiam, & obedien» tiam hujus gentis erga Regem, & sub specioso prætextu pu» blicæ necessitatis, Rex Franciscus I. successor Ludovici XII. » hanc venalitatem palam & sine restrictione exercuit, atque ut » proventum ordinarium & fixum instituit in locum sui dominii » quod alienaverat. «

Et quidem sub ipso, aut saltem ejus successoribus hæc venalitas etiam ad officia *judicaturæ* extensa est ; quæ & ad certam taxam posita fuerunt ; initio quidem non per modum venditionis, sicuti officia non judicaturæ, sed *mutui* duntaxat : at nunquam reddendi, atque ita *mutui imaginarii*, seu potiùs venditionis, nomine *mutui*, coloratæ ; quare & tandem officia judicaturæ & non judicaturæ quoad venalitatem officiorum æquata fuerunt, teste Loyseau *loco citato.*

Cùm autem Parlamentum venalitatem officiorum probare non posset, non obstante publicâ hac venalitate semper exigebat ab admittendis juramentum per Regias Ordinationes præscriptum, quod ad verbum respondet formulæ juramenti præscriptæ in *L. fin. Cod. Ad L. Jul. Repetund.*

At tandem advertens Parlamentum, nullam spem superesse, abolendi hanc venalitatem ; & una attendens, quàm indignum & abominandum essset, non tantùm per pecuniam, sed insuper per solemne & publicum perjurium ingredi Parlamentum, & officium judicis assumere, anno 1597. juramentum hoc abrogavit.

Ita citatus Loyseau, qui concludens *num.* 97. ait : » sic » tandem successu temporis, & gradatim hæc officiorum nundi» natio, & mercatus ad summum venit, & in eam confussio» nem, quam impræsentiarum conspicimus : imò nec tantum » officia stabilita & necessaria *pretio summo* vendere satis fuit ; » sed insuper erecta sunt plurima, & quasi infinita officia non » necessaria & superflua, idque ut venderentur. « Quanta hinc in Rempublicam mala redundaverint, quantaque ex hac officiorum nundinatione, & novorum erectione, populi oppressio secuta sit, pluribus ibidem narrat citatus eruditus Juris-Consultus & Galliæ Pragmaticus. Idipsum deplorat alter non minus famosus Galliæ Pragmaticus Renatus Choppinus *lib. 1. De Moribus Parisiorum*, *tit. 1. num.* 93. rationem addens : » Nam » utrobique, per largitionem, Magistratus adepti, curant se» dulò, ut potestate gerenda, lacunam illam rei familiaris ex» pleant, atque exinanitas, vel immunitas, emptione digni» tatis, opes reintegrent. «

§. XIII.

Quid jampridem Principes nostri contra venalitatem Officiorum decreverint.

SEculo XIII. consuluit S. Thomam Aquinatem Aleydis Ducissa Brabantiæ, si licitum foret officia secularia vendere? Respondit autem Sanctus Doctor, quòd » talis venditio expe» diens omninò non videretur, cum frequenter contingat, quòd » magis idonei sint pauperes, ut tale officium emere non possint. » Quin etiam si tales divites sint, tamen quia boni sunt, officia » non ambiunt, nec ad lucra inhiant : & sic illa officia emunt » ut plurimum hi, qui pejores sunt. «

Huic consilio acquievit Ducissa ; atque ejus Successor Joannes Dux Brabantiæ qui anno 1321. pro se & Successoribus promissit Brabantiæ Ordinibus, nullos officiarios constituendos, qui munus, aut pecuniam daturi, aut mutuaturi essent ; & sicuti Principes in suo læto introitu promittere solent, quod ad Magistratum & Consilia & officia assumendi jurabunt, » se pro consulatu, scabinatu, consiliariatu, nec bona, pecuniam, munera, nec cujuscunque generis obsequium, nec beneficium dedisse, promisisse, obtulisse, aut dari, promitti & offerri » suo nomine curasse ; insuper nec precibus solicitasse, aut solicitatorem interposuisse. «

Hac formula etiamnum hodie jurare debent Ordinibus Bra-

ban-

bantiæ, juxtam jurata Principis pollicitationem, qui ad Senatum Brabantiæ nominantur Senatores.

Similis ferè formula juramenti præstandi ab omnibus ad Magistratus & majora officia assumendis præscripta est per ordinationem Philippi II. Regis Hispaniæ 9. Julii 1570. cujus hic est tenor: » Juro quòd occassione officii hujus, vel ad favorem, » benevolentiam, aut patrocinium alicujus habendum, nullam » rem dederim, aut dabo, nec promisserim mittere, aut mit- » tam, cuicunque directè vel indirectè."

§. XIV.

De recentiore Philippi IV. ordinatione

PHilippus IV. Rex Hispaniæ pro omnibus hisce Ditionibus generalem publicavit sanctionem 2. Maii 1626. in qua inter alia dicit, iteratas querelas etiam Statuum quarundam provinciarum super venalitate officiorum ipsum novisse, ulterius non differre remedium adhibere opportunum tollendo tanto malo; quod (ait) sub alio prætextu & per parvam rimam clam ingestum, tam profundas radices jacere palam cœperat, ut vel sola temporis diuturnitas malum illud incurabile reddere videretur.

Insuper asserit, sibi compertum esse, quod nonnulli etiam Gubernatores, Officiarii sive Ministri, & Magistratus abutentes ejus licentiâ & conniventiâ conferendi certa officia, has collectiones in *propriam utilitatem* vertant, primo prætextu secretæ recognitionis ac dein venditionis, aut elocationis annui emolumenti; officia illa venum exponentes, & plus offerenti illa addicentes.

Mandavit igitur, ne officia justitiæ, cujuscunque nominis, aut gradûs *venalia* habeantur, cum dedecore justitiæ, & oppressione subditorum; eorumve causâ quocunque prætextu quidpiam recipiatur, præter consueta jura sigilli, etiam a quibuscunque vasallis, quarumcunque jurisdictionum gradum obtinentibus, sub pœna quod eadem officia ipso jure vacabunt, ab aliis impetrari poterunt, & pro ea vice à Rege conferentur; dantes munera & accipientes officiis privabuntur, & omni vitâ inhabiles erunt. Idemque censendum de iis officiis, quæ pendent à Magistratibus pagorum, civitatum, & territoriorum.

§. XV.

De Juramento à Philippo IV. præscripto.

UT ea, quæ ordinata èrant contra venalitatem officiorum faciliùs obtinerentur, voluit Philippus IV. ut in omnibus provisionum litteris seu *patentibus*, ut vocant, insereretur formula juramenti priùs præstiti in hæc verba, „quòd ipse ut » prædictum statum adipisceretur, aut ratione illius, nec pe- » cuniam, nec aliud quidpiam qualecunque demùm cuiquam ob- » tulerit, promiserit, aut dederit, nec offerri promitti, aut do- » nari curaverit, nec cuicunque tandem directè aut indirectè, » nec alio quocunque modo; eo duntaxat excepto, quod pro » litterarum confectione dari consuetum est."

Inhibet, cuiquam litteras provisionis tradi priusquam realiter hoc juramentum præstiterit; mandans insuper, ut præstatio juramenti in actis annotetur, cùm Proviso litteræ tradentur, aut ad exercitium sui officii recipietur. Præcipiens Officiariis, seu Ministris, quos id contingit, prædicta exequi sine ulla omninò dissimulatione, sub pœna suæ indignationis, & alia exemplari castigatione. Idemque in creationibus & *continuationibus* quorumcunque Magistratuum observari vult; quibus & sub pœna nullitatis, & privationis officii, quod eo ipso tanquam ipso facto vacans impetrari, & à Rege pro illa vice conferri poterit, inhibetur ne ante præstitum juramentum exercitio se immisceant.

Et quamvis quoad has novas pœnas Edictum de futuris, non autem de præteritis disponat, non tamen præterita, ob factam aliqualem dissimulationem vult conniveri; sed in illa inquiri, & secundum jus & priora Edicta puniri. Hinc concluditur etiam Regi persuasum fuisse, & meritò, neque ob Principis dissimulationem, neque temporis diuturnitatem, vel multorum praxim, à perjurio excusari, qui aliquo dato officium impetravit, & tamen juxta dictas formulas jurat.

§. XVI.

De juramento nihil pro Officiis recipiendi.

QUia collatio officiorum nonnunquam ad inferiores Officiarios vel Magistratus spectat, tenentur & hi in sua ad officia vel Magistratum admissione hac formulâ jurare: » Juro me non accepturum sive per meipsum, sive per alium, » ullum munus aut honorariam oblationem, sive in pecunia, » sive in bonis pro collatione cujusquam officii, vel ministerii » mihi competente: nec permissurum, ut ulla mihi fiat ejus- » modi promissio eo intuitu." Ex his manifestum est, quàm enixa sit Principum nostrorum intentio, ut officia gratis, & sine omni muneris interventione juxta justitiam distributivam conferantur: quæ & omni juramento, & positivâ ordinatione sepositis exigit, ut officia citra omnem carnalem affectum dignioribus conferantur.

§. XVII.

Formulæ juramenti omne munus, etiam ab obsequio, & lingua excludunt.

SI formula juramenti à provissis ad officia præstandi hactenus relatæ inter se conferantur, & proprius expendantur, haud difficulter deprehendetur, formulas illas potiùs verborum aliquali expressione, quàm sensu esse inter se diversas; potiusque juxta sensum & constituentium, ac exigentium intentionem esse unam, eandemque formulam, omnem planè rei temporalis dationem, aut promissionem, vel acceptionem pro impetratione, aut collatione officii excludentem.

Et quidem omnes hæ formulæ omnem *cujuscunque* rei temporalis dationem, promissionemque, vel receptionem adeò generaliter excludunt, ut evidens sit, non tantùm pecuniam, aliudve temporale, quod venit nomine *muneris à manu* comprehendi; sed & omnia, quæ per munus *à lingua* vel ab *obsequio* intelliguntur, licèt hæc in aliquibus formulis dissertiùs & terminis formalioribus exprimantur; cùm revera hæc etiam *munera* aliquid *temporale* contineant, cujus dationem, & promissionem omnes hæ formulæ generaliter excludunt. Idcircò jurantes juxta prædictas formulas non minus debent esse immunes ab interventu triplicis istius muneris ne sint perjuri, quam provisi de Beneficiis ecclesiasticis, ne sint simoniaci.

§. XVIII.

Similiter omnem speciem venditionis vel emptionis directæ, & indirectæ.

SImiliter omnium formularum una est consonantia quoad ipsam dationem, promissionemve. Omnes quippe omnem prorsus dationem, promissionemque rei temporalis ad consequendum officium directè vel indirectè factam excludunt, quantumvis aliquæ eam pluribus verbis expresserint. Hinc dantes vel promittentes collatoribus aliquod temporale non per se, sed per tertiam personam ac consequendum officium erunt perjuri, licèt formula juramenti verbis expressis duntaxat removeat simpliciter & generaliter omnem dationem aut promissionem directam, vel indirectam, quemadmodum omnes passim formulæ exprimunt.

Hinc ulteriùs consequens est, non tantum exclusam oportere omnem dationem aut promissionem factam ipsis officiorum collatoribus, sive suffragatoribus; sed & eam quæ eorum Ministris aut amicis fit, ut horum intercessione seu patrocinio apud Collatores tandem ad officium pertingatur; quod formula juramenti à Justiniano præscripta, his verbis expresit: *Neque iis, qui circa eos constituti sunt cuilibet per occasionem patrocinii*, quamvis evidenter similis datio seu promissio contineatur saltem sub *indirecta* datione. Quid enim notius quam hujusmodi dationem ultimatè, & directè fieri, ut per eam officium obtineatur?

Notat Zypæus *lib.* 1. *de Judice cap.* 38. *num.* 5. quod ambitiosis, contra quos apud Romanos variæ leges latæ fuerunt » hodie accedant qui in speciem religionis fortunas effundunt, » & aliquibus piis locis donationes faciunt, ut per eorum Præ- » fectos suffragia consequantur, quæ apud alios emere non li- » ceat." Quin & hos perjuros esse, si ad præscriptum dictarum formularum jurent, nescio quis dubitare queat: cùm ad oculum pateat, si non directam, ut minus saltem indirectam, dationem, seu promissionem ad consequendum officium hîc intervenisse: & nisi ipsis jurantibus fumus ambitionis mentis oculos inficeret, nihil ipsis certius & evidentius apparet, quam se non posse salvâ veritate jurare, se nihil pro assequendo officio directè aut indirectè dedisse vel promisisse.

Omnis igitur qualiscunque rei temporalis datio, vel promissio quovis modo sive directè, sive indirectè facta ad assequendum officium penitus abesse debet, ut quis ex præscripto dictarum formularum jurans à perjurio sit immunis, non secus atque abesse debet in consecutione Beneficii ecclesiastici, ut à simonia in totum eximatur.

§.

§. XIX.

Pallia, quibus venalitas officiorum, & falso juramenta teguntur.

QUemadmodum vitium simoniæ jam pridem multis palliis obtectum fuisse scitur, juxta illud Synodi Constantinopolitanæ sub S. Gennadio Patriarcha: » Multi sophisticâ » calliditate Christi præceptum: *gratis accepistis, gratis da-* » *te*, illudunt, « ita quoque ambitio humana technas & palliamenta plurima adinvenit, sive potiùs finxit, quibus pernitiosum ambitum tegat, quin & perjuria tegat, & excuset; ut simul & honores, ac dignitates, ad quæ ambitio eos stimulat, possidere, & unà remorsum conscientiæ suffocare queant.

Verum sicuti una Christi sententia sine humanæ inventionis glossematibus accepta, *Gratis acccepistis, gratis date*, sufficit universis Simoniacorum palliis detegendis; ita quoque ipse naturalis & obvius sensus formularum, quibus juramentum proponitur, omnes ambitiosorum hominum, qui mediantibus muneribus officia, & honores mercantur, & avarorum, qui collatione illorum commoda temporalia sibi aucupantur, technas, & restrictiones omnes abscindit, & excludit.

Cum enim verba formularum, necnon ipsa Regia & Principum edicta, quibus hæ formulæ præscribuntur, evidenter ostendant, ipsaque verba in obvio & communi sensu accepta significent, omnem planè dationem, & promissionem munerum directam, & indirectam pro assequendis officiis debere abesse, nihil quoque acceptum esse per eorundem collationem; nihil hîc ad excusanda perjuria facere possunt restrictiones mentales, seu veriùs artificiosa mendacia, quibus contra obvium, & naturalem verborum sensum, & exigentium enixam voluntatem ipsa juramenta restringuntur per aliqua in mente retenta, puta, *non dedi*, vel *non accipi*, scilicet subintelligendo, *non publicè*, vel *non ultra solitum*, aut, *non accepi, ut indignis conferrem.* Notum quippè est illud ex S. Isidoro apud Gratianum *Can. Quacunque, Caus. 22. quæst. 5.* „ Quacun- » que arte verborum quisquis juret, Deus tamen, qui cons- » cientiæ testis est, ita hoc accipi, sicut iste, cui juratur, in- » telligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in va- » num assumit, & proximum dolo capit.“ Et breviter S. Augustinus *epist.* 224. aliàs 125. „ Perjuri sunt, qui servatis ver- » bis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt. «

Pluribus hunc restrictionum fucum solidissimè detexerunt, ejusque inanitatem ostenderunt tres superiores hujus Academiæ Facultates, *Theologica*, *Canonica*, & *Civilis* in resolutione data ann. 1634. super dubio proposito à Parochis hujus oppidi: » Utrum liceat ambire Magistratum, aut officium, solicitando » suffragia Collatorum, promissis symphosiis, pecuniis, mu- » neribus per se vel per suos? Rursus, utrum liceat munera, » symphosia, pecunias aut simile quidquam accipere, per se » vel suos, aut sinere ut promittantur sibi in eum finem, ut » ad officium quodcunque suæ collationis aliquem quis suo suf- » fragio promoveat; & simul tamen liceat ista juramenta res- » pectivè præstare. «

Ostenditur in hac resolutione, „ omnem jurisjurandi fidem » ex hominibus exterminari, si hic liceat commentitio verbo- » rum fuco Principis, & Reipublicæ expectationem fallere; » ubi scilicet & Princeps legitimus jurare veritatem jubet, & » legitimè jubet, & tota Respublica, id quod jubet, probat, » & quo sensu jubeat, verba clamant, ut vel tardissimis notum; » & res gravissima est, & Reipublicæ omninò necessaria, & » neminem ad jurandi necessitatem adigit, nisi propriæ am- » bitionis æstus, qui ad honores per ambitus corruptelas an- » helat, & properat.“ Adhæc singulares restrictionum strophas hîc adhiberi consuetas, & supra expressas funditus enervant, probantque eas omnes, & verbis juramenti, & intentioni Principis & Reipublicæ evidenter contrariari.

Ad detegendam fraudem his juramentis fieri solitam subservit quoque Consultatio à Senatu Brabantiæ facta Archiduci Leopoldo de venalitate officiorum, qua supplet locum *decisionis* 150. Stockmanni, in qua evincitur, frustra ad palliandum perjurium velamentum *creditæ pecuniæ adhiberi.* » Juramen- » tum quod non tantùm suæ Majestati (ajunt) sed Ordinibus » Provinciæ ex præscripto *læti introitûs*, à novis Consiliariis » præstandum est, strictissimâ formulâ conceptum, non tan- » tùm apertam donationem excludit, sed disertè continet, nul- » lum officii seu servitii genus, ad obtinendum id munus, ab » eo, qui ad Consilium assumitur præstitum fuisse; quod sa- » nè juramentum sine fraude præstare nequeunt, pecuniæ *mu- » tuæ* ad tempus creditores, sortem, sine eo quod interest » recepturi. «

§. XX.

Incommoda ex venalitate officiorum in Rempublicam redundantia.

MEritò justisque de causis, Principes & Rempublicam strictissimè omnique rigore venalitatem officiorum præsertim Judicaturæ, & Magistratuum interdixisse; formulasque juramenti proposuisse, ut subditos ab hac venalitate deterrerent, apparebit, si multiplicia, ac gravissima mala in Rempublicam ex hac venalitate redundantia expendantur.

Dicebant seculo proximè elapso Patres Concilii Bituricensis: » Ubi hæresis Simonis in Ecclesia invaluit, probis, atque » eruditis viris aditus ad Beneficia præclusus est, indeque om- » nis propè ecclesiastica disciplina collapsa est. « Nonne idipsum de vitio ambitus, sive venalitate officiorum dici potest; quod ubi hæc in Republica invaluit, probis atque eruditis ad officia, & honores Reipublicæ additus perclusus sit? Nonne „ fiet » hac ratione, ut spretis melioribus prævaleant ditiores; quo- » rum ingenia & in commercia hæc proniora sunt, & pravis » artibus exercendis magis idonea: cùm è contrario modes- » tia, & honorum fuga soror esse soleat bonarum mentium, » uti loquitur Senatus Brabantiæ in citata consultatione Ar- » chiduci Leopoldo factâ?

Adhæc, » nemo etiam existimabit virtuti, aut eruditioni » ampliùs superesse locum (pergit Senatus Brabantiæ in sua Con- » sultatione) cùm conspiciet id, quod bonis artibus fieri debe- » bat, peragi pecuniâ, & accedit ad honorum insignia, non » probatæ vitæ testimonio, sed ambitione & pretio.“ An non plus congregandis pecuniis, quàm comparandis virtutibus & scientiâ intenti & soliciti erunt, qui ad officia & honores Reipublicæ pervenire desiderant?

Quin & „ verendum erit, ne invalescente ambitu (ait Se- » natus Brabantiæ) venalia fiant & ipsa judicia, & hoc novo con- » cussionis genere spolientur Provinciæ, ac *nummarium tribu- » nal*, quod olim querebatur Seneca, *audita utrimque soli- » citatione, alteri licitantium addicatur*; nam animadversum » est eos, qui per largitionem Magistratus adepti sunt, dare » protinus operam, ut ita potestatem gerant, ut illam lacunam » rei familiaris expleri possint. «

Quot non hinc ad lucrum captandum lites nutriuntur & extrahuntur; nec non excessiva jura duritius, quàm oporteret, à litigantibus exigi contingit: quot hinc casus pro amico, quos nunquam in judice licitos arbitramur?

Hæc, aliaque mala, quæ ex venalitate officiorum evenire sunt nata, evincunt, quàm meritò jam pridem Reipublicæ Moderatores fuerint soliciti, ut hanc eliminarent, vereque dictum à Justiniano: *Accipere suffragium à Judicibus totius nequitiæ principium est, & terminus.*

DIS-

DISSERTATIO CANONICA
DE PRISTINIS
ALTARIUM ET ECCLESIARUM
INCORPORATIONIBUS ET DONATIONIBUS;
NEC NON

Varia earum specie, & effectu, notanter circa acquisitionem Decimarum Novalium; item de Jure ad temporalia, quod Presbyteris sive Vicariis perpetuis illarum Ecclesiarum competit; & denique quis titulus præscribendi ex illis Donationibus resultet.

OCCASIO HUJUS DISSERTATIONIS.

ANno 1129. Burchardus Episcopus Cameracensis dedit Monasterio Cortenbergensi Ordinis S. Benedicti duo Altaria de Hombeeck & de Leest ad usum Monialium ibidem Domino servientium sub hoc tenore: » In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Burchardus divina miseratione Camaracensium Episcopus tàm futuris quàm præsentibus in perpetuum. » Postulatione Cortenbergensis Ecclesiæ, Abbatissæ & ejusdem » loci Congregationis sibi commissæ, imò etiam nos Pastoralitatis curâ ad benè postulata cogente, præfatæ Ecclesiæ duo » Altaria de *Hombeeck* scilicet & *Leest* ad usus inibi Deo servientium libera & absque persona concedimus; ita tamen, ut » de reditu Episcopali nobis, aut Ministris nostris Abbatissa » quotannis respondeat, & Presbyrer ibi cantaturus de manu » nostra curam accipiat, & Capitula Archidiaconi & Decani » custodiat. Ut igitur hoc firmum & inconvulsum permaneat, » sub imaginis nostri impressione signavimus, & authenticarum » personarum nostrarum testimonio corroboravimus F. Anselli » eorumdem Altarium Archidiaconi, F. Erheboldi Præpositi & » Archidiaconi, Joannis Archidiaconi, Gerardi Archidiaconi, » Celardi Decani, Roberti Cantoris, F. Ethumensii Abbatis » Gisseberti, F. Balduini Decani, Roberti Decani, Riberti Sub» decani. Actum anno Incarnati Verbi millesimo centesimo vi» gesimo nono, Indictione septima, Præsulatûs verò mei anni » Burchardi XIII. Et erat infrà scriptum: *Ego Wenegaldus Can» cellarius scripsi, & recognovi*, & appendebat sigillum Epis» copi Cameracensis in Cera impressum.

Vigore hujus donationis dictum Monasterium Cortenbergense sibi appropriavit ad usum monialium inibi Domino servientium omnes proventus dictorum Altarium sive Ecclesiarum, qui tunc temporis dictis Altaribus seu Ecclesiis competebant, relicta tamen in sustentationem Presbyterorum, qui curam spiritualem Ecclesiarum donatarum sustinerent, certâ decimarum portione.

Hanc portionem retinuit Pastor in *Leest* usque ad annum circiter 1637. quando ipsi dari cœpit competentia in certa summa pecuniæ, quæ sensim aucta fuit, quoadusque anno 1650. auctoritate Episcopi Mechliniensis tanquam Ordinarii aucta, & taxata fuit ad 400. florenos annuos ultra accidentia & domum Pastoralem.

Ab eo verò tempore, quo competentia in certa pecuniæ summa in vicem portionis decimarum Presbytero sive Vicario perpetuo Ecclesiæ Parochialis de *Leest* à prædicto Monasterio persolvi cœpit, Monasterium collegit omnes veteres decimas, quæ tempore donationis, sive incorporationis per Burchardum factæ Ecclesiæ seu Altari de *Leest* competierunt, & novales per diversa tempora excretas, solutâ Vicario competentia per Ordinarium taxata.

Verùm modernus Vicarius perpetuus sive Curatus de *Leest* prætendere cœpit sibi ultra prædictam competentiam competere jus ad decimas novales, ut minùs quæ in terris ad culturam noviter redactis excrescerent, & è quibus Monasterium nunquam decimas percepisset.

In consequentiam hujus suæ prætensionis anno 1707. aliquot manipulos avenæ propria auctoritate tanquam decimas novales ex quadam terra, quæ supponebatur è tempore immemoriali non fuisse reducta ad culturam, levavit & sibi asseruit.

Monasterium Cortenbergense credens, se per hanc à Vicario factam decimarum levationem esse turbatum in quasi possesione juris universi levandi decimas novales per universam Parochiam de *Leest* excrescentes, petiit in Parlamento Regio Mechliniensi litteras protectionis Regiæ vulgò *manutenentiæ*, qua mediante, auctoritate Regia manuteneretur in pacifica quasi possessione prædicti juris universi levandi omnes indifferenter decimas etiam novales in quacumque parte Parochiæ de *Leest* excrescentes, adversus prædictam Vicarii perpetui seu Pastoris turbationem.

Super hoc casu ab utraque parte conclusus respondit, non esse fundatum Vicarium perpetuum seu Pastorem de *Leest* in jure ad decimas novales etiam de novo excrescentes, sed eum debere esse contentum competentia in re certa per Ordinarium taxata, & assignata, nisi crederet ob mutatum forsam monetæ valorem, vel numerum Parochianorum, aliave de causa competentiam illam modò esse insufficientem, quo casu posset juxta praxim in Belgio usitatam petere supplementum competentiæ judicio Ordinarii taxandum, quod à Monasterio Cortenbergensi non recusandum existimabam.

Verùm Monasterium Cortenbergense esse fundatum in petitione manuntentiæ adversus prædictam levationem decimarum novalium via facti per ipsam attentatam.

Nihilominus dictus Vicarius perpetuus sive Pastor litteris manutenentiæ à Monasterio in Parlamento Mechliniensi obtentis se opposuit prætendens se jure suo decimas illas novales levâsse, neque quasi possessionem juris universi levandi decimas per Monasterium Cortenbergense prætensum ad has decimas novales de novo excretas sese extendere, easque sibi de jure communi ultra competentiam debere esse salvas.

Causa hæc longiùs quàm credebatur extracta fuit, multaque hinc inde pro asserendo jure partium adducta fuêre, multumque agitatum, quid juris per incorporationes Ecclesiarum Parochialium Monasteriis vel Capitulis ad decimas præsertim novales censeatur acquisitum, & quid juris Presbyteris seu Vicariis Ecclesiarum incorporatarum ad proventus earum superesset.

Et ut Patroni ipsius Vicarii perpetui, seu Pastoris in *Leest* firmarent jus ipsius ad decimas novales ultra competentiam, idipsum adstruebant quibusdam ex tractatu, quem de Jure Parochorum ad decimas, à sedecim circiter annis evulgaveram, sed præter mentem meam.

Ne forsan tamen expressio aliqua minùs clara dubium relinquat, quid sentiam in hac quæstione, hac præsenti dissertatione ex professo, quid circa hanc quæstionem, & causam sentiam magis dilucidè & ex professo exponendum censuit.

CAPUT PRIMUM.

De clausulis quibusdam, quæ concessionibus Ecclesiarum, et altarium inseri consueverunt.

PARAGRAPHUS I.

De clausula: *Concedimus* libera & absque persona.

UT genuinus sensus dictorum verborum, quæ in variis vetustis Ecclesiarum & Altarium concessionibus & incorporationibus occurrunt, habeatur, prænotandum cum Petro de Marca Archi-Episcopo Parisiensi in notis ad *Canonem* VII. Concilii Claromontani sub Urbano II. »Quod post Caroli »Martelli Ducis Francorum tempora, qui primus bona eccle»siastica militibus suis utenda permissit, Pippinus, Carolus, Lu»dovicus, & reliqui Gallorum Reges licet pietate insignes, »edictis suis & Episcoporum conniventiâ precariam possesionem »Laicis hominibus confirmârunt. Tunc non solùm Fundi & Vil»læ, sed etiam *Ecclesiæ ipsæ* in beneficium illis concessæ sunt. »Ecclesiarum nomine oblationes, decimæ, aliique redditus »data & concessa intelligebantur, ut patet ex veteribus Actis. »Tunc Ecclesiæ eo jure possessæ sunt, quo cætera Beneficia, »sive Feuda, adeo ut tandem in hæredes quoque transierint, »& expositæ sint hominum commercio."

Porrò post tempora Caroli Magni, ejusque successorum circa seculum XI. cœperunt Pontifices Romani, & Episcopi Decimas, & Ecclesias à Laicis repetere, eosque etiam per censuras ecclesiasticas ad restitutionem urgere.

Plures Laici tum Pontificum, tum Episcoporum, aliorumque monitis & minis permoti, & territi, alii mordente conscientia stimulati, Ecclesias, & Decimas à se dimittere, & restituere resolverunt.

At ea potiùs Monasteriis, & Canonicis tum temporis in communi viventibus, quàm Episcopis, & Ecclesiis Parochialibus, quibus quasi jure debebantur, dare maluerunt, uti loco citato notat de Marca, & latiùs ostendimus in Jure Ecclesiast. *parte 2. tit. 32. cap. 6.*

»Cæterùm collatæ in Monasteria donationes Ecclesiarum »minùs gratæ erant Episcopis, qui bona sua in alios transferri »iniquum esse ducebant. Unde & legimus in variis illius æta»tis Synodis, & Romanorum, Pontificum decretis prohibitum »esse, *ne ullus Laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quid»quid ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, aut Ro»mani concessione Pontificis, Monasteriis, aut Canonicis offer»re præsumat*:" ut verbis utar Synodi Melfitanæ sub Urbano II. anno 1090. quæ antiqua interdicta renovavit.

Idipsum renovatum fuit in pluribus posterioribus Conciliis, ac signanter in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cujus decretum extat *in cap. 3. ℵ De Privilegiis.*

Ex necesitate autem consensus præstandi nonnulli Episcopi occasionem lucri captantes consensum illum facilè dederunt, modò eis summa pecunia aliqua penderetur, veluti resarciendi damni colore, quod ex hac Ecclesiarum, & Decimarum devolutione ad Monasteria Monachorum, & Collegia Canonicorum pati videbantur. Quin & ipsi Episcopi hàc lucri aviditate, & Monachorum, aliorumve solicitatione, & importunitate permoti, etiam Ecclesias, & Decimas sub se constitutas Monachis, & Canonicis concedebant, seu mediante summà pecuniæ vendebant.

Verùm hæc Altarium vel Ecclesiarum venalitas tanquam sacrilega, & simoniaca mercimonia reprobabatur, unde videmus quod sub idem tempus scriberet Diensi Episcopo Legato suo Gregorius VII. *Lib. 4. epist. 7. interdiceret illud commune malum penè totius terræ, quod Altaria venduntur.*

Episcopi ut hanc simoniacam labem, eamque manifestam, & odiosam Altarium & Ecclesiarum venalitatem tegerent, & tamen lucrum ex Eclesiarum concessione obvenire solitum non omninò amitterent, velamen, quo hæc venialitas tegeretur, excogitarunt: ut scilicet, in ipsa concessione, sive incorporatione Ecclesiarum nulla quidem pecunia numeraretur, aut determinata summa danda addiceretur, sed ut census aliquis per temporum intervalla pendendus, Ecclesiis donatis imponeretur.

Episcopi igitur, dum concedebant, sive incorporabant Monachorum Monasteriis aut Canonicorum Capitulis Ecclesias, seu Altaria, unà Clericum nominabant (vel subinde, ut per ipsos Monachos, vel Canonicos nominaretur, indulgebant,) qui Clericus persona dicebatur Ecclesiæ vel Altaris incorporati, & in cujus capite hæc Ecclesia, sive Altare constitutum censebatur.

Ab hac enim *Persona* dependebat jus Monasterii, aut Capituli, quod ex hac concessione prætendere poterat. Persona enim decedente, Ecclesia sive Altare rursus ad Episcopum redibat, atque cogebantur illi, quibus Ecclesia fuerat concessa, rursus eam ab Episcopo, soluto statuto censu redimere; dicebaturque hujus Census solutio, *Altarium Redemptio.*

Inductum id fuit exemplo Feudorum, pro quibus Monasteria, aliave corpora ecclesiastica *personam* designant, quâ decedente feudum quasi ad Dominum directum reversum ab ipsis quasi redimi debet soluto, ut vocant, Jure *Relivii.*

Interdum autem ipsi Vicarii seu Presbyteri Ecclesiis incorporatis pro agenda curâ animarum præpositi *personam* repræsentabant, ut consequenter toties, solutâ pecuniâ, Altare redimendum est, quoties Vicarius mutabatur.

Exemplum similis redemptionis occurrit in Diplomate Radbodi Episcopi Tornacensis apud Myræum in Donat. Belgicis *cap. 21.* quo donat Canonicis Insulensibus Altare *de Wervy*, eâ adjecta conditione, ut ejusdem Altaris persona »Episcopo seu »Vicario decem solidos solvat; persona verò morte seu qua»cunque occasione à personatu illo decedente, alia subroge»tur persona, quæ in suâ restitutione decem similiter solidos »solvat."

De his Altarium *redemptionibus* mentio fit in Concilio Claromontano sub Urbano II. anno 1094.

Conqueritur enim Concilium »quia quidam simoniacæ pra»vitatis usus in Galliarum partibus jam diutiùs inolevit, ut »Ecclesiæ vel Decimæ (quæ vulgari vocabulo apud eos *Alta»ria* nuncupantur) Monasteriis datæ, sæpius ab Episcopis sub »palliata avaritiâ vendantur, mortuis nimirùm seu mutatis *Cle»ricis*, quos *Personas* vocant."

Deinde subjungit Concilium »Nos auctore Deo venalitatem »omnem tam ex rebus, quàm ex ministeriis ecclesiasticis pro»pellentes, hoc ulteriùs fieri *auctoritate Apostolica prohi»bemus.*"

Certum est hoc Canone agi de hac *Altarium Redemptione*, eamque ut simoniacam pravitatem improbari.

Canoni enim præmittitur: *Quæsitum est de Episcopis, qui Altaria Monasteriis data frequenter redimi compellebant pecunia.*

Hoc decretum insuper legitur in duobus aliis Conciliis sub eodem Pontifice Urbano II. celebratis, nempe Nemausiensi, & altero habito *Alverniæ*, è quo refertur à Gratiano *Caus. 1. quæst. 3. Can. 4.* sub hoc titulo: *Item ex Concilio Urbani Papæ habito Alverniæ.*

Summarium Canoni à Gratiano præfixum probat quoque hanc Altarium redemptionem, unà cum præbendarum emptione esse reprobatam: *nec altaria* (ait) *nec præbendas Episcopis vendere licet.*

Meminit & horum redemptionum Altarium Goffridus Abbas Vindocinensis *lib. 3. Epist. 12.* eas ab Urbano II. in Concilio Alvernensi, ut simoniacas damnatas asserens »Redemptio»nes Ecclesiarum, quæ vulgari hoc vocabulo *Altaria* nuncu»pantur, beatus Vir (Urbanus II.) simoniacam pravitatem vo»cavit, & apostolicâ Auctoritate damnavit."

His Pontificum, & Conciliorum decretis permoti Episcopi, Altaria, sive Ecclesias sine onere redemptionis, sive libera à persona concedere cœperunt, ut ita omnem simoniacæ pravitatis speciem evitarent.

Itaque Burchardus Cameracensis Episcopus his similiter decretis obsequens, & omnem evitare simoniacæ pravitatis speciem volens, Ecclesias sive Altaria de *Hombeeck* & *Leest* Monasterio Cortembergensi *libera & absque persona concessit*, id est, sine onere Redemptionis, sive absque obligatione censum aliquem solvendi pro redemptione Altaris in ipsa Presbyterorum vel Personarum aut Vicariorum mutatione, non absimili penè modo, quo feudum liberum ab onere Relivii in Vasallorum, aut personarum mutatione daretur.

Similium Concessionum Ecclesiarum & Altarium, notanter per Episcopos nostrates & Galliarum post edita præcitata decreta plurimæ leguntur, atque inter alias in manus meas incidit charta, qua Rogerius Cameracensis Episcopus concessit anno 1180. Ecclesiæ S. Auberti duo Altaria de Willebroneck & Wimmede, idque sub expressa quoque clausula: *sine persona.*

Quin & legimus quod circa annum 1117. prædictus Burchardus Cameracensium Episcopus de novo confirmaverit concessionem Altaris de *Uccle* cum appendiciis suis, quam ejus prædecessor Odo Episcopus fecerat ad usum Monialium Monasterii de *Foresta* extra mœnia civitatis Bruxullensis, idem Monasterium liberando ad onere personæ, quod dictus Odo in concessione Altaris eidem Monasterio imposuerat, in verbis: *liberam à persona, liberam quoque à nostris & Archidiaconis seu reliquorum nostrorum Ministrorum obsoniis, & omni exactione usibus ipsorum* (Monialium) *concedentes manumittimus.*

§.

§. II.

De Clausula: *Ita tamen ut de redditu Episcopali Nobis, aut Ministris Abbatissa quotannis respondeat.*

IN plerisque Ecclesiarum incorporationibus, seu donationibus inserta legitur *Clausula*, salvo jure seu consensu Episcopis solvi solito, quæ Clausula nequaquam jure redemptionis spectabat, sed alia jura Episcopalia, puta, *Cathedratica, Synodica* & similia, ut pluribus ostendit Stephanus Baluzius in appendice ad *cap.* 31. *lib.* 6. Petri de Marca de *Concordia Sacerdotii & Imperii*, ibidem exhibens Epistolam Parchalis II. qua declarat dictus Pontifex prædictam Clausulam de his duntaxat juribus intelligi, non autem de jure redemptionum, redarguitque Episcopos, qui sub velamine hujus clausulæ & jurium conabantur jura redemptionum contra decreta Urbani II. in Alvernensi Concilio edita justificare.

Refert ibidem quoque Baluzius Epistolam Gaufridi Episcopi Carnotensis Andegavensis Ecclesiæ Archidiacono & Decano inscriptam, quâ ipsis scribit » quod à SS. Patribus inhibitum » est, & à Romanæ Sedis Pontificibus solemniter sub Anathe» mate condemnatum, nobis aut vobis retractare non licet, » nec à quoquam minore debet rescindi. Quapropter eam pra» vam, & antiquam consuetudinem de relevandis post decessum » alicujus *Personæ* Ecclesiis, à Beatæ memoriæ Papa Urbano, » & ejus successore domino Paschali dudùm prorsus abolitam » & damnatam innovare vel restituere, vel ejus aliquam ad» invenire compositionem, planè Simoniacum est, & hæreseos » ab omnibus improbandæ notam incurrit; unde vestræ frater» nitati Apostolica Auctoritate & nostrâ per præsentia scripta » mandando præcipimus, quatenus abominabilem illam & ig» nominiosam consuetudinem de annuo censu apud Legionem » à fratribus nostris Monachis Beati Albini exigendi prorsus » omitatis. «

Cùm autem Gaufridus se referat ad decreta Paschalis, rectè observavit allegatus Baluzius censum annuum, de quo in Epistola Paschalis nequaquam intelligi de censu annuo, quem in mutatione personæ exigebant Episcopi per decreta Pontificum & Synodorum damnatum; sed de censu annuo Episcoporum & Archidiaconorum, quem *Synodicum* vel *Cathedraticum* appellabant.

Quem Censum etiam Episcopis reservavit Synodus Claromontana & Alvernensis sub Urbano II. Apud Grat. *Caus.* 1. *quæst.* 3. *Can. Quæsitum*, his verbis: *salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem Altaribus habere soliti sunt.*

Neque ad alia jura referenda supra relata Clausula Diplomati Burchardi Cameracensis Episcopi inserta: *Ita tamen ut de redditu Episcopali Nobis, aut Ministris Abbatissa quotannis respondeat.* Ut proinde pateat Burchardum in donandis, seu incorporandis Ecclesiis se voluisse per omnia conformare supra relatis Pontificum & Synodorum decretis contra Altarium venalitatem, sub pallio redemptionis Personarum contectam.

§. III.

De Clausula in concessione Burchardi his verbis expressa: *Et Præsbyter ubi constitutus de manu nostra curam accipiat.*

NEquaquam obscurum est, & hanc clausulam rursus respicere Canonem Claromontanum apud Gratianum *Causa* 15. *quæst.* 2. *Can.* 6. quo statuitur: » Ne Monachi in Pa» rochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum con» silio Presbyteros collocent; sed Episcopi Parochiæ curam » cum Abbatum consensu Sacerdoti committant, ut hujusmo» di Sacerdotes de populi quidem cura Episcopis rationem red» dant: Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monasterium » pertinentibus debitam subjectionem exhibeant. «

Nec enim hic Canon aliud vult, quàm ut Monachi, eorumve Abbates in Ecclesiis Parochialibus quas habent, Presbyteros collocent, sive uti hodiè loquuntur, præsentent, sive nominent, qui curam populi, sive animarum ab Episcopo accipiant.

Hunc Canonis sensum clariùs expressit ipsemet Urbanus II. hujus Canonis Auctor & Conditor, in epistola ad Hugonem Abbatem Cluniacensem scribens: » liceat quoque vobis Fra» tribus, in Ecclesiis vestris Presbyteros *eligere*, ita tamen *ut* » *ab Episcopis vel Episcoporum Vicariis animarum curam abs» que venalitate suscipiant.* «

Quæ clausula iisdem verbis reperitur in epistola Paschalis II. immediati Successoris Urbani ad eundem Abbatem. Utraque legitur in Bibliotheca Cluniacensi *pag.* 52. *& seq.*

Et paucis annis ante hanc factam à Burchardo Episcopo Cameracensi concessionem, anno scilicet 1111. Lambertus Episcopus Atrebatensis, qui Concilio Claromontano interfuerat, Canonicis Ecclesiæ S. Petri Insulensis concedens Altare de *Moncellis* hanc cautionem prædictum Canonem explanantem, adjecit: » ut Ecclesia B. Petri per *Vos* (scilicet *Canonicos*) Pres» byterum idoneum Episcopo Atrebatensi præsentet, qui ei » obedientiam promittat, & de vitæ suæ honestate, sicut Ca» nonicum est, promissionem faciat, ac deinde curam in po» pulo de *Moncellis* gerendam gratis suscipiat. «

Apud Ferreolum Locrium in Chronico Belgico *pag.* 260.

Rectè proinde observatum est, huic Claromontano Canoni adscribendam originem Juris patronatûs, sive præsentationis, vigore cujus Abbates Abbatissæ, & Capitula Canonicorum præsentant Presbyteros ad vacantes Ecclesias Parochiales ipsis Episcopis, & ab ipsis instituendos & ad curam spiritualem populi, si idonei reperti fuerint, admittendos.

Eundem esse sensum clausulæ in hac Burchardi concessione expressæ, contextus verborum satis ostendit.

Supponit enim clausula, Presbyterum pro regimine Ecclesiarum esse *constitutum*, ac tunc demùm debere de *manu* Episcopi Cameracensis *curam accipere.*

Porrò hæc Presbyteri constitutio, sive designatio ad neminem referri potest nisi ad Monasterium Cortenbergense sive ejus Abbatissam, cui ipsa Ecclesia concessa erat.

Quapropter Domina Abbatissa Cortenbergensis adinstar aliorum Abbatum, Abbatissarum, aut Capitulorum, quæ ex simili concessione Ecclesias parochiales tenent, jure præsentationis tanquam Patrona harum Ecclesiarum usque in hodiernum diem pacificè utitur, & tanquam Patrona ecclesiastica per Universitatem Lovaniensem & Facultatem Artium gravatur, & Nominati has Ecclesias tanquam ad ejus provisionem spectantes accipiunt, prout nuperrimè Nominatus ex parte Facultatis Artium accepit in vim suæ nominationis Pastoratum de *Hombeek*, & per sententiam Parlamenti Mechliniensis manutentus fuit.

§. IV.

De Clausula: *Et Capitula Archidiaconi & Decani custodiat.*

ARchidiaconos, & Decanos circa seculum XI. & XII. etiam hisce in partibus Synodis præfuisse, ad quas convenire deberent Presbyteri parochiales, ex monumentis illorum seculorum constat.

Et quidem occurrit apud Myræum in Codice piarum Donationum *cap.* 87. Charta Lotharii III. Imperatoris de anno 1132. qua confirmat Jura, ac privilegia Ecclesiæ S. Servatii Trajectensis ad Mosam, in qua inter alia legitur: » Et con» suetudo est longo uso in habitum conversa, ut Presbyter » Parochiæ Sancti Servatii, & Presbyter Parochiæ Sanctæ Ma» riæ, præsidente Archidiacono, communiter habeant Syno» dum in Ecclesia Sanctæ Mariæ: ita, ut Presbyter Parochiæ » Sancti Servatii appellet suos, videlicet omnes pertinentes ad » Justitiam Regis, ubicunque maneant in eadem urbe, & cul» pas eorum Synodali lege corrigat.“

Et ibidem *cap.* 71. occurrit charta Baldrici Noviomensis, ac Tornacensis Episcopi, qua donat Capitulo Harlebacensi Ecclesiam Tiletanam cum omnibus suis proventibus *ad mensam Fratrum ibidem Salvatori deservientium*, atque inter alia dicitur » porrò si Archidiaconus sive Decanus in Eccle» sia supra nominatæ Villæ *Synodum* tenuerit, ad *procuratio*» *nem* suam statuto tempore, priores *consuetudines* habeant. «

Porrò in his Synodis præcipuè tractabantur, quæ ad curam pastoralem & ecclesiasticam disciplinam conducebant, uti patet ex Synodo Lundinensi habitâ anno 1237. Ubi Canone XX. præcipitur ut » Archidiaconi in Decanatuum suorum *Con*» *ventibus*, Sacerdotes maximè in his studeant erudire, docen» tes eos, qualiter circa Baptismum, Pœnitentiam, Eucharis» tiam, & Matrimonium debeant se habere. «

Itaque per supradictam clausulam diplomatis Burchardi: Et *Capitula Archi-diaconi & Decani custodiat*, aliamve similem in chartis donationum Altarium occurrentem duntaxat significatum voluerunt Episcopi, ut Presbyter Parochiæ præpositus subjectus esset Episcopo, ejusque Archidiacono & Decano in his, quæ curam animarum concernebant, sive ut se sisteret Synodis sive Conventibus, in quibus de spectantibus ad curam animarum per Archidiaconos, & Decanos Presbyteri instruebantur.

Unde prædicta clausula per Burchardum diplomati suo inserta spectat pariter ad citatum Canonem Claromontanum, in quantùm hoc Canone percipitur, quod Presbyter *de populi cura Episcopis rationem reddat*, sive quod Episcopo debeat esse subjectus in his, quæ ad curam populi spectant, & ordinantur.

§. V.

De Clausula: *salvo jure tertii, sive sine præjudicio juris alteri quæsiti.*

IN diplomatibus Gratiarum signanter Pontificum, & Episcoporum solet exprimi clausula *salvo jure tertii*, aut si non exprimatur, subintellecta intelligitur, ut passim notant Doctores, eo quod nec Pontifices, nec Episcopi per suas concessiones, sive gratias præsumantur velle præjudicare juri tertii jam quæsito, nisi Juri illi se velle derogare expressè declarent.

Hinc & prodita Regula Cancellariæ, *De non tollendo Jus quæsitum*, in qua declarat Pontifex: *Suæ intentionis fore, quod deinceps per quamcunque signaturam, seu concessionem pro commissionibus per sanctitatem suam vel de ejus mandato faciendam, nulli sibi Jus quæsitum quomodolibet tollatur.*

Notant autem passim Commentatores, in hac regula & clausula agi de jure, quod speciali titulo alteri esset acquisitum; non autem de jure, quod duntaxat ex jure communi, præveniendo hanc gratiam, sive concessionem alicui competeret.

Cùm enim Pontifex, aliusve superior, cui gratiæ concessio competit, eam uni tertio facere intendat, ex ipsa gratiæ concessione consequitur per necessariam consequentiam; quòd Juri communi in hoc casu intendat derogare, sive per hanc concessionem gratiosam pro hac vice concedere, quod aliàs de jure communi, præveniendo omnem concessionem, seu gratiam tertio factam, alteri competeret.

Si ergo Parochus, seu Vicarius non habeat Jus ad decimas nisi ex Jure communi, quod decimas inter limites Parochiæ excrescentes attribuit Ecclesiæ Parochiali, censetur huic Juri derogatum, si decimæ unà cum Ecclesia Parochiali Capitulo Canonicorum, vel Monasterio Religiosorum in eorum sustentationem fuerint concessæ.

Sed si speciali titulo, puta, præscriptionis aut privilegii certa portio decimarum hujus Parochiæ seu Ecclesiæ alicui tertio fuerit acquisita, hoc ejus per dictam clausulam in concessione decimarum expressam vel subintellectam salvum manebit, sive huic Juri derogatum non censebitur.

Hanc distinctionem inter Jus speciali titulo quæsitum, & Jus Parochi ex solo jure communi profluens rectè observavit Zypæus *Consult. 7. de Decimis num. 2.* ibidem notans clausulam hanc: *sine Juris præjudicio alieni*, intelligi de jure utique jam quæsito, non autem de jure Parochi ad decimas; quia aliàs concessio hæc decimarum nullum sortiretur effectum: nam, ut benè Zypæus observat, semper Parocho præjudicatur quoad Jus decimarum.

Et licèt Burchardus Cameracensis Episcopus in charta donationis, quà Monasterio Cortembergensi dedit duas illas Ecclesias Parochiales de *Hombeeck* & de *Leest*, non expresserit prædictam clausulam: *salvo jure tertii*, nihilominus eam subintellectam reputans Monasterium Cortenbergense sibi vindicare non præsumpsit tres parvas decimas, quæ speciali titulo, tempore hujus donationis, avulsæ erant ab Ecclesia parochiali de *Leest*, & quæ diversis competebant, sed eas postmodum per temporum intervalla titulo emptionis sibi comparavit.

Solum proinde jus decimarum, quod dictis Ecclesiis parochialibus tempore hujus donationis erat salvum, sibi integrum vindicavit Monasterium Cortenbergense, censuitque per hanc donationem Jus Parochi ad decimas esse extinctum, sive Episcopum proventus earum Ecclesiarum attribuisse in sustentationem Monialium ibidem Deo servientium, quod de Jure communi competiisset Parocho tanquam ipsius Ecclesiæ parochialis Titulari.

Præterea cùm in hac, aliisque similibus Ecclesiarum parochialium incorporationibus, seu compætentia in honestam sustentationem Presbyterorum, qui curam animarum sustinere debeant, & cultum divinum peragere, Juri Parochorum ad decimas sat consultum crediderunt Episcopi.

Sciebant enim, decimas, aliaque bona ecclesiastica Ecclesiæ, seu Prælatorum dispensationi ita esse ex voluntate, & intentione offerentium concredita, ut ex illis Ministri Ecclesiæ, & signanter curam animarum sustinentes suam acciperent honestam sustentationem, reliquum autem in pios usus, & pauperum alimenta impenderetur.

Nihil ergo alienum ab intentione, & voluntate fidelium decimas offerentium se facturos arbitrati sunt Ecclesiarum Prælati, si decimas illas, aliaque bona ecclesiastica donarent Monasteriis, aut Capitulis ad sustentationem eorum, qui ibidem Domino inserviunt, si modò ante omnia ipsis Ministris Ecclesiæ & Operariis de debita mercede, sive honesta sustentatione sufficienter esset provisum.

Compertum enim est, parum interesse, quibus decimæ cedant, modò Parochis, & Ecclesiæ necessitatibus aliunde de temporalibus sufficienter sit provisum.

Ita videmus, quod in Græcia, ac signanter Constantinopoli nullæ decimæ, etiam ab iis, qui Romanæ Ecclesiæ sunt uniti, ex fructibus terræ solvantur, sed per certa imposita tributa Ecclesiæ Ministris providebatur, uti constat ex Novellis Justiniani, & Bullâ aurea Imperatoris Isaaci Comneni, & passim observant Canonistæ ad *Cap. 32. de Decimis*, & præ reliquis exponit Emmanuel Gonzalez in notis ad dictum Capitulum.

Quapropter antiquas Ecclesiarum incorporationes jam pridem factas nunquam absolutè tanquam abusivas, & conditioni bonorum ecclesiasticorum contrarias improbavit Ecclesia; sed duntaxat earum abusus, signanter avaritiam, & tenacitatem Monachorum, & Canonicorum, qui Presbyterorum, & Ecclesiarum parochialium necessitatibus non sufficienter providentes proventus ecclesiasticos integros, aut penè integros sibi contra intentionem Ecclesiæ applicabant; nec non ipsos proventus Ecclesiasticos in luxum, & usus profanos profundebant, ob quos abusus Synodus Tridentina similes Ecclesiarum Parochialium incorporationes posthac fieri inhibuit, de quibus abusibus latiùs *in Jure eccles.* tractavi, hîc unicè examinare intendens quid Juris vi harum incorporationum Monasteriis, aut Capitulis competat ex intentione incorporantium, & quid Juris Vicariis, seu Parochis post factas has incorporationes ad decimas notanter novales supersit.

CAPUT II.

De variis speciebus concessionum Ecclesiarum; & qui earum effectus.

PARAGRAPHUS I.

Proponuntur variæ species concessionis, seu incorporationis Ecclesiarum.

VArios modos, quibus sensim Ecclesiæ parochiales concedi & subjici cœperunt Monasteriis, & Capitulis, signanter seculo X. & sequentibus, ex variis Juris canonici Textibus annotârunt Canonistæ, ac inter cæteros post Glossographum ad *cap. De Monachis*, 12. ℣ *de Præbendis* Pannormitanus in commentario ejusdem textus.

Notat igitur ibidem *num.* 5. quòd quinque modis possint Ecclesiæ seculares spectare ad Religiosos.

Primò quoad Jus Patronatus duntaxat, & »hoc casu (ait) »non possunt capere aliquid de redditibus, sed tantùm conse»quuntur id, quod consequitur quilibet Laicus ratione Juris »Patronatus.

»Secundò spectare possunt quoad collationem seu quoad »institutionem tituli collativam.

»Tertiò, quoad institutionem auctorizabilem, sic ut pos»sint instituere Presbyterum etiam quoad curam populi, sive »ut hodie loquitur, etiam dare curam animarum.«

Monet autem Pannormitanus, quòd, tametsi in tertio casu queant Religiosi instituere Presbyterum quoad curam populi, sive queant non tantùm concedere institutionem tituli collativam, sed etiam *curam animarum*, non tamen possint extendere manus suas ad temporalia.

»Quartò, spectare possunt *quoad temporalia tantùm.* Et ta»lis concessio intelligitur, ut possint percipere redditus, & »convertere in utilitatem propriam.«

Quintò & ultimò, quoad temporalia & spiritualia, »Hoc casu dicitur subjecta *pleno jure*: & in tali Ecclesia (ait Pan»normitanus) habent ipsi Religiosi *plenam* institutionem etiam »auctorizabilem *quoad populum*: nec tunc necesse est, recur»rere ad Episcopum.«

At benè monet Molinæus ad *Cap. 3. §. 2.* ℣ *de Privilegiis*, quod Religiosi nequeant habere institutionem *auctorizabilem*, sive dare curam populi, nisi habeant *populum exemptum, & in eo Jurisdictionem Episcopalem.*

Similes nonnulli Abbates, & Prælati habentes Ecclesias *pleno Jure* sibi subjectas cum populo exempto, & Jurisdictione Episcopali, reperiuntur in Italia & alibi, dicunturque *nullius Diœcesis*: atque in Belgio nullum novimus.

§. II.

Quando censeatur Ecclesia concessa quoad temporalia.

EX ipsa formula concessionis potissimum statuendum est, quomodo Ecclesia censeatur concessa.

Et quidem si in ipsa concessione dicatur, Ecclesiam datam in *usum* sive sustentationem *Religiosorum, sive Canonicorum inibi Deo servientium*, censetur concessa & incorporata *quoad temporalia.*

Non enim Jus Patronatus, vel sola spiritualia cedere possunt in usum, & sustentationem, sed ipsa temporalia, quæ propterea concessa creduntur.

Unde notat Glossa ad *cap. 12.* ℣ *de Præbendis*, quòd si Mo-

Monachi Ecclesias obtineant ex fundatione, eas habeant *quoad temporalia.*

Quin, ut rectè notat Pannormitanus, quòd si Episcopus concesserit Ecclesiam Religiosis simpliciter, eam censeatur concessisse quoad temporalia, *quia* (ait) *concessio eis sit, ut habeant unde vivant.*

Hinc congruit, quod scripsit Glossa in Clementina I. *De Excess. Prælat.* verbo *ad mensam*, quòd licèt Prælati habeant Ecclesiam subjectam quoad institutionem Rectoris, non propterea eam habeant quoad temporalia, *nisi illam habeant ad mensam vel in suos usus convertendam.*

Interrogatur Innocentius III. si Episcopus, consentiente Patrono, viris Religiosis aliquam Ecclesiam concedendo, hâc utatur simplicitate verborum: *concedimus vobis illam Ecclesiam*, utràm eo ipso in eorum usus videatur fuisse concessa, vel jus tantummodo Patronatus?

Huic quæstioni respondit Innocentius in *cap.* 7. ✠ *de Donationibus* » quòd si Episcopus Ecclesiam illis conferat de consen» su Patroni, profecto Patronus quod suum est, videtur confer» re, Jus videlicet Patronatûs, & Episcopus quod temporali» ter obtinet in ea: ut si fructuum Ecclesiæ ejusdem aliquam » recipiat portionem, in eorum usus illa portio convertatur. » Quod si ex ipsius proventibus nullam debeat portionem habere, » omnes proventus præter Cathedraticum *in eorum usus cre» dimus convertendos.* «

Imprimis ex hac Decretali nequaquam obscurum, quòd idem esse censeatur, Ecclesiam concedi in *usus aliquorum*, & eam concedi *quoad temporalia.* Et per consequens concessionem Ecclesiæ factam *ad usum Religiosorum* censeri expressè factam *quoad temporalia.*

Ulteriùs ex hac Decretali conficitur, quod Episcopus dicens simpliciter: *Concedimus vobis Ecclesiam*, censeatur eam concessisse cum omnibus suis proventibus, salvo *Cathedratico* Episcopi, in eorum usus convertendis, nisi ex quadam circumstantia colligatur, hanc suam concessionem ad certam proventuum portionem limitâsse.

Si enim Episcopus ipse *portionem proventuum* hujus Ecclesiæ sibi propriam habeat, præsumitur de sua duntaxat portione disposuisse, sive Ecclesiam cum hac proventuum portione duntaxat concessisse; quia in dubio quis præsumitur de *suo* disponere.

Ex his evidens est, concessionem Altarium sive Ecclesiarum de *Hombeek* & de *Leest* factam per Burchardum Episcopum Cameracensem, factam censeri Monasterio Cortenbergensi *quoad temporalia*: quandoquidem expresse facta sit *in usum inibi Deo servientium*, quod idem est atque in Monialium usum, vel ad earum *mensam.*

Indubitatum autem est, Ecclesiæ concessionem *ad mensam*, vel in *usus*, intelligi factam quoad omnia temporalia, nisi ex circumstantiis aliqua restrictio, aut limitatio colligatur.

§. III.

Ecclesiæ, Monasteriis, vel Capitulis concessæ quoad temporalia censentur eis appropriatæ.

PEr concessionem Ecclesiarum ad usum, & sustentationem, seu ad mensam Religiosorum, vel Canonicorum, eas censeri concessas ac unitas quoad *temporalia* paragrapho præcedenti probatum est.

Cùm autem dominium, sive proprietas alicujus rei præcipuè respiciat ipsum temporale, non autem spirituale, si quòd eidem annexum est; non mirum, quòd Ecclesiæ Monachis, & Canonicis quoad temporalia concessæ ipsis *appropriatæ* dicantur, eorumque Ecclesiæ quodammodo esse censeantur.

Et quidem in decretis ecclesiasticis, & Auctoribus seculi X. & sequentium (quibus similes Ecclesiarum concessiones invaluêre) frequentissima mentio occurrit de Ecclesiis Parochialibus Secularibus, quæ Monachis, & Canonicis appropriatæ dicuntur.

Sic in sæpiùs allegato Canone Claromontano apud Gratianum *Caus.* 16. *quæst.* 2. *Can.* 6. legitur: *Statuimus, ne in Ecclesiis Parochialibus, quas Monachi tenent.*

Et Paschalis II. in Epistola ad Ivonem Carnotensem, & Ranulfum Sanctonensem Episcopos scribit, ut conformiter ad decretum Concilii Alvernensis, *Altaria, quæ ab annis* 30. *& supra sub Vicariorum redemptione Monasteria possedisse noscuntur, quiete deinceps, & sine molestia qualibet Monasteriis ipsis firma permaneant.*

Habetur integra apud Baluzium in Appendice ad *lib.* 6. *de concordia Sacerdotii, & Imperii, cap.* 31. Petri de Marca.

Quæ verborum formula palam indicat, similia Altaria & Ecclesias Monasteriis donata ab ipsis tanquam propria fuisse possessa.

Quare & ipsorum Manachorum, & Canonicorum Ecclesiæ esse dicuntur. Alexander III. scribens Canonicis Regularibus, & Monachis Eboracensis Diœcesis similes Ecclesias ipsorum esse non dubitat: *Intelligimus* (ait) *quod in Ecclesiis vestris, de quibus certas portiones consuevistis percipere, &c.* Refertur *in cap.* 11. ✠ *de Præbendis.*

Et Eugenius III. sub idem tempus in variis litteris, quibus urget observationem decreti Claromontani contra redemptionem Altarium, vocat Ecclesias has Monachorum, & Canonicorum. *Et in vestris Ecclesiis, quas in ejus* (Episcopi Narbonensis) *Episcopatu habetis.* Apud Stephanum Baluzium in citata Appendice.

Similiter Urbanus II. & Paschalis II. in litteris ad Hugonem Abbatem Cluniacensem in Bibliotheca Cluniacensi *pag.* 520. & *seqq.* sic Monachis concessas Ecclesias eorum esse supponunt, scribentes: *Liceat quoque vobis in Ecclesiis vestris Presbyteros eligere, &c.*

Hæc autem scribi, & dici de Altaribus & Ecclesiis quoad sola temporalia incorporatis manifestum est.

In omnibus quippe allegatis textibus, & litteris remittuntur Presbyteri à Monachis, aut Canonicis electi, vel nominati ad Episcopos, ut ab his institutionem tituli collativam, & curam animarum accipiant, quod fieri non deberet, si Ecclesiæ pleno jure non tantùm quoad temporalia, sed & spiritualia essent incorporatæ, uti uno consensu docent Canonistæ.

Quare Concilium Lateranense sub Alexandro III. nominatim agens de Ecclesiis, quas Fratres Templi sive Templarii possidebant, non *pleno jure*, sed duntaxat quoad temporalia, de quibus etiam solus Presbyter Parochialis ipsis rationem reddere tenetur, illas esse ipsorum dicere non dubitat: *Ne in Ecclesiis etiam suis.*

Decretum Concilii extat *in cap.* 3. §. 2. ✠ *de Privileg.* ubi rectè notat Molineus: » Paragraphus loquitur, quando in » *temporalibus* tantùm spectant eos: quia temporalia spectant ad » *Jus & proprietatem* eorum, alias non possent exigere ratio» nem. «

Simili modo si quis etiam Laicus in suo proprio fundo ædificet de consensu Episcopi Oratorium vel Capellam, eique, assignata dote, præficiat cum approbatione Episcopi Presbyterum, qui ibidem divina peragat, hoc Oratorium, sive Capella revera spectat ad Jus & proprietatem hujus Laici, tametsi quoad spiritualia subjaceat Episcopo, & Presbyter de his rationem Episcopo reddere teneatur.

Hoc itaque sensu meritò resolvit Zypæus *consultatione* 7. *num.* 6. *de Decimis*, » quod Ecclesia sive Parochia dicitur *pro» pria* illius, cui jura parochialia competunt, salvâ Vicaria por» tione, ut merito dici queat, eas percipere *in propria* Parochia » ad sensum *cap. ex parte*, ✠ *de Decimis.* «

Itaque Ecclesiæ de *Hombreek* & de *Leest* per Burchardum Episcopum Cameracensem concessæ Monasterio Cortenbergensi ad usum *inibi Deo servientium*, dici possunt hoc sensu Ecclesiæ ipsius Monasterii, ut Monasterium in his Parochiis percipiens decimas, dici queat eas in *propria* Parochia percipere. Quæmadmodum Capellaniæ, aliave Beneficia simplicia Capitulis, aut Dignitatibus quoad temporalia unita, sub onere satisfaciendi oneribus in fundatione adjectis, puta, exsolvendi certum numerum Missarum, dicuntur Capellaniæ istorum Capitulorum, seu dignitatum, tametsi onera spiritualia per Capellanos, aut Vicarios debeant exsolvi.

§. IV.

Per Concessionem Ecclesiarum quoad temporalia, censetur etiam datum jus ad decimas novales.

OStensum est per concessionem Ecclesiarum in *usus* & ad *mensam* Religiosorum vel Canonicorum, ipsas Ecclesias censeri datas quoad omnes proventus temporales ipsarum Ecclesiarum, ipsasque Ecclesias quoad temporalia ipsis esse appropriatas, ipsosque Religiosos, & Canonicos in similibus concessis Parochiis decimas percipere quasi in *propriis Parochiis.*

Quare reflectens suprà citatus Petrus de Marca ad Canonem Claromontanum, quo redemptiones Altarium tanquam simoniacæ reprobatæ leguntur, ait: » Illud consecuti sunt Mo» nachi, & Canonici, ut Altarium, sive Ecclesiarum quasi *pro» prietas*, adempta personarum substitutione, illis addicta sit » absque illius pensitationis onere. «

Eam generalem omnium temporalium ad Monachos ex Ecclesiarum concessione devolutionem supponit Alexander III. *in cap.* 12. ✠ *de Præbendis*, mandans Episcopo Vigorinensi, ut ad præsentationem Monachorum nullum admittat Presbyterum, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere.

Evidens argumentum, quod ad Monachos omnes proventus essent devoluti, & non nisi ex illis tenerentur congruam portionem Vicario assignare.

Quod

Quod & ad eum textum observavit Glossographus, verbo *de proventibus* scribens: » Per hoc patet, quod loquitur de Ec» clesiis, quæ sunt Monachorum *quoad temporalia*, in quibus » possint Monachi sibi *omnia appropriare*, reservatâ honestâ » sustentatione Presbytero. «

Porrò notum est, speciali titulo ad Ecclesias Parochiales spectare ipsas decimas infra limites cujusque Parochiæ excrescentes, nec non oblationes à fidelibus fieri solitas.

Quin & inter decimas specialiori titulo ad has Ecclesias pertinere decimas novales, & minutas expeditum est.

Unde ambigi non potest, quin decimæ, ac notanter Novales & minutæ, ipsæque oblationes inter proventus ordinarios Ecclesiarum Parochialium sint computandæ, & tanquam earum proventus habendi.

Igitur Monachi, aliique, qui Altaria sive Ecclesias Parochiales acceperunt *in usum eorum, qui inibi Deo serviunt*, hoc est, *quoad temporalia*, & cum omnibus suis proventibus, indubitanter & jus ad decimas omnes etiam novales & minutas, atque oblationes acceperunt unà cum ipsa Ecclesia.

Hinc & uno consensu docent Canonistæ, quòd habentes Ecclesias Parochiales sibi eo modo *quoad temporalia* incorporatas, & eo titulo jus Primitivi Pastoris, habeant fundatam intentionem de jure communi ad decimas notanter novales & minutas, ad exclusionem omnium aliorum, qui vel ex privilegio, præscriptione, aliove legitimo titulo sub eadem Parochia partem veterum decimarum percipiunt, nisi ostendant, *ex rationabili causa*, sive titulo Novales ad se pertinere, juxta *cap. cum contingat*, 29. ℵ *de Decimis*.

Cùm enim decimæ novales de jure communi specialiter spectare dicantur ad Ecclesias *Parochiales*, consequenter eodem titulo spectant, ad illos, qui has Ecclesias vi concessionis tenent, & possident tanquam *proprias* cum omnibus suis proventibus, seu juribus temporalibus ad eas Ecclesias pertinentibus.

Quare & observavit Zypæus Consult. 7. *de Decimis n.* 6. quòd Novalia pertinere sint dicenda ad eos, qui habent jus Primitivi Pastoris, tanquam in *propria* Parochia excrescentia, atque ea de causa in his non obtinere dispositionem *cap.* 2. *de Decimis*, *in VI.* quod in multis restringit privilegium de percipiendis *Novalibus*, eo quòd duntaxat dictum Capitulum loquatur de perceptione decimarum ex privilegio, vel privilegio in Parochiis *alienis*: ac signanter de concessione decimarum facta per Laicos.

Similiter Wamesius *Consil.* 440. *num.* 10. respondere non dubitavit, decimas *Novales* pertinere ad eos, qui Ecclesias incorporatas possident, vocanturque *Primitivi* Pastores: eo quòd per hanc incorporationem eis *universalitas fructuum, seu decimarum Ecclesiæ relicta sit*.

Ex his per quam manifestum est, in casu præsenti, Monasterio Cortenbergensi, vigore concessionis Altaris de *Leest* factæ per Burchardum Episcopum Cameracensem *ad usum inibi Deo servientium*, Ecclesiam illam Parochialem fuisse appropriatam cum omnibus suis proventibus, & consequenter & eidem Monasterio competiisse omnes decimas etiam Novales & minutas, quin & ipsas oblationes tanquam spectantes ad Ecclesiam Parochialem huic Monasterio propriam.

Qua ratione autem successu temporis unà cum portione decimarum veterum decimæ *Novales*, & oblationes transierint ad Vicarium, sive Parochum de *Leest*, ac dein rursus jure quasi postliminii decimæ omnes etiam Novales, & minutæ ad Monasterium redierint, infrà exponetur.

§. V.

Vigore concessionis Ecclesiarum quoad temporalia transeunt jura primitivi Pastoris in Monasteria etiam Monialium & Ordines Militares.

REcens planè esse nomen *Primitivi Pastoris*, vel inde probatur, quòd nulla in libris juris Canonici, etiam recentioribus, puta, Clementinis, aut Extravagantibus, istius nominis mentio occurrat.

Quin nec in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, quod summâ diligentiâ & eruditione compilavit Carolus Du-Fresne, nulla hujus vocabuli *Primitivi Pastoris* mentio habetur: argumentum admodùm verisimile, virum hunc in scrutandis ecclesiasticis monumentis occupatissimum, & oculatissimum nusquam nomen illud reperisse.

Illud notat Zypæus *consultatione* 4. *num.* 7. *de Parochiis*, quod, qui in *Clementina* 1. *de Jure Patronatus* dicuntur Jus habere præsentandi, sive patronatus ad Ecclesias Parochiales & quorum præsentatio dicitur non admittenda ab Ordinariis, nisi prius per ipsos præsentantes assignata portione congrua Vicariis, quos præsentant; non sint *veri Patroni*, sed Pastores *primitivi*, qui vigore unionis & incorporationis Altarium, seu Ecclesiarum Vicarium Parochum constituere consueverunt, uti etiam suprà notatum est.

Quare qui jam pridem dicti fuêre Patroni Ecclesiastici titulo concessionis Ecclesiarum, tandem dicti sunt Pastores *primitivi*, tanquam qui ipsas Ecclesias titulo concessionis & incorporationis quasi suas & proprias acceperunt.

At illud notandum, quod per has concessiones Ecclesiarum in *usus* & *ad mensam* Monachorum, vel Canonicorum, Ecclesiæ concessæ censeantur duntaxat quoad *sola temporalia*, & de his solis Presbyter Abbati, seu Canonicis rationem reddere teneantur, de cætero manentes hæ Ecclesiæ subjectæ quoad *spiritualia* seu *curam populi* Episcopo, cui & Presbyter de his rationem reddere tenetur, uti loquitur sæpiùs citatus Canon Claromontanus, & eum renovans Concilium Lateranense sub Alexandro III. *in cap.* 3. §. 2. *de Privilegiis*.

Ex quibus consequens est, jura Pastoris *primitivi*, quæ in hac concessione fundantur, nullatenus attingere ipsa spiritualia ad ipsam curam populi, sive animarum spectantia, quandoquidem hæc jura spiritualia in Monachos, aut Canonicos ex simili concessione non transeant.

Hinc & uno consensu tradunt Canonistæ, nihil ad curam animarum propriè pertinens, ut sunt Verbi Divini prædicatio, Sacramentorum administratio, aliæve Pastorales functiones, in Monachos, aut Canonicos primitivos Pastores transire, nec ipsos posse hoc titulo in Ecclesiis incorporatis similes functiones exercere.

Omnia itaque jura, quæ titulo similis incorporationis prætendere possunt, qui hodiè dicuntur *Pastores primitivi*, sola temporalia & honorifica jura spectant, quæ & laicis & mulieribus plerumque competere possunt.

Id rectè observavit famosus Juris-Consultus Claudius le Maistre, *discursu* 9. unà inde concludens nomen *primitivi* Pastoris originem non habere ex cura pastorali quam Monachi vel Canonici primitùs *per se* in his Ecclesiis Parochialibus exercuissent, sed ex concessione sive incorporatione harum Ecclesiarum, quâ mediante hæ Ecclesiæ ipsis quoad temporalia appropriatæ fuerunt.

Et in casu præsenti manifestum est, ex actis causæ Abbatissam Cortenbergensem habere jura illa, quæ titulo Pastoris *primitivi* habere solent passim Abbates, & Canonici in Ecclesiis Parochialibus incorporatis, & sibi subjectis.

Imprimis ipsa Abbatissa semper fuit, & hactenus est Patrona ecclesiastica Ecclesiarum Parochialium *de Hombeek* & *Leest*. Quod est argumentum, & jus primitivi Pastoris.

Adhæc Monasterium, seu Abatissa hactenus in Parochiis illis levavit decimas, salvâ portione congruâ pastorali; quæ decimarum levatio concurrens cum jure Patronatus in eadem persona ecclesiastica, argumentum esse urgentissimum Pastoris primitivi apud omnes in confesso est.

Accedit quod Abbatissa Cortenbergensis non tantùm præsentet Vicarium sive Pastorem, sed & ipsum Matricularium sive Custodem ad exclusionem ipsius Pastoris; argumentum sanè admodum concludens, Ecclesias illas Monasterio Cortenbergensi esse subjectas, & appropriatas.

Imò constat Monasterium Cortenbergense in prædictis Ecclesiis jam pridem jus habuisse ad ipsas *oblationes*, in quarum recognitionem seu redemptionem Vicarii tam in *Leest*, quam in *Hombeeck* soliti fuerunt solvere certam pecuniam, uti habetur ex antiquis computibus & Registris ipsius Monasterii. Evidentissimum jus & indicium Pastoris primitivi.

Verùm quidem est jura primitivorum Pastorum non eadem esse in omnibus Ecclesiis, sed hæc subindè pauciora & minora esse, quod dependet à consuetudine, vel specialibus conventionibus Ecclesiarum, interim ea, quæ Monasterio Cortenbergensi sive ejus Abbatissæ hactenus conservata sunt, sufficientia sunt, ut evincant, Ecclesias illas eodem jure ad hoc Monasterium spectare, & ipsi esse subjectas, quo similes Ecclesiæ subjectæ sunt Monasteriis Monachorum, & Capitulis Canonicorum, qui *Pastores primitivi* vocantur, licèt hi forsan nonnullis aliis præterea juribus honorificis gaudeant.

CAPUT III.

De Presbyteris, seu Vicariis præficiendis Ecclesiis incorporatis, et horum congrua portione sive competentia.

PARAGRAPHUS I.

Per concessionem Ecclesiarum consequuntur Monasteria, & Capitula præsentationem Vicarii, seu Pastoris.

PEr concessionem sive incorporationem Ecclesiarum ad usum & mensam Monachorum, & Canonicorum, eas censeri concessas quoad *temporalia*, suprà ostendimus.

Insuper probatum est per similem concessionem, seu incorporationem Ecclesias illas ipsis Monachis, & Canonicis fuisse quasi *appropriatas*, & ipsorum proprias Ecclesias effectas, non

non secus penè ac Oratorium & Capella dicuntur spectare ad eum, & propria esse illius, qui ea in suo fundo, & de suo proprio ædificavit, & dotavit: quemadmodum & Capellaniæ capitulis, vel dignitatibus incorporatæ dicuntur eorum propriæ, licèt onera spiritualia per Vicarios adimplere debeant.

Cùm igitur Ecclesiæ hoc modo ad Monachos, & Canonicos spectarent, & ipsorum Ecclesiæ reputarentur, ipsis quoque cura, ac onus incumbebat providendi, ut Ecclesiæ illæ in spiritualibus detrimentum non paterentur.

Concessiones enim similes factæ censebantur sine detrimento earum Ecclesiarum in spiritualibus, uti passim notant Doctores ad *cap.* 11. ✠ *de Præbendis.* » Nota (ait Panormitanus) quod » licèt Ecclesia sit subjecta Monachis, *quoad temporalia*, non ta» men possunt Religiosi ad libitum alterare antiquum statum Ec» clesiæ, sed tenentur conservare Rectores, seu Vicarios il» larum Ecclesiarum in antiquo statu. «

Cùm igitur nulla esset Ecclesia Parochialis, cui ut minus necessarius non esset unus Rector seu Vicarius, qui curam populi haberet, etiam Monachis, & Canonicis similes Ecclesias tenentibus sibi appropriatas, injunctum fuit, ut in his Ecclesiis Presbyteros collocarent, sive Episcopo præsentarent, qui curam populi sustinerent, uti supponit Canon Claromontanus apud Gratianum *Caus.* 16. *quæst.* 2. *Can.* 6. Id unum præcavens, ne sine consilio Episcoporum Presbyteros collocent, uti suprà latiùs exposuimus.

Hinc communiter statuerunt Canonistæ post Glossam *in cap.* 12. ✠ *de Præbendis*, Monachos, & Canonicos, per concessionem Ecclesiarum quoad temporalia consequi jus præsentandi Presbyteros sive Vicarios pro sic concessis Ecclesiis: » Si » Monachi (ait Glossa) ex fundatione obtinent Ecclesias, habent » eas tantùm quoad temporalia, reservata sufficienti sustenta» tione Presbytero, & Episcopus habet institutionem ad *præ*» *sentationem Monachorum.* «

Id & praxis & usus modernus confirmant, Jure Parronatûs Ecclesiarum Parochialium incorporatarum penes Monachos, & Canonicos has Ecclesias possidentes, residente.

Nec alio titulo in casu præsenti, Abbatissa Cortenbergensis jus præsentandi vel nominandi Rectorem & Matricularium Ecclesiarum de *Hombeeck*, & *Leest* hactenus conservavit, nisi titulo concessionis harum Ecclesiarum per Burchardum Epicopum Cameracensem *in usum inibi Deo servientium*, seu *quoad temporalia factam.*

§. II.

Vicarii perpetui Ecclesiis incorporatis Præfecti sunt veri Curati & Pastores.

QUemadmodum Monachi, & Canonici habentes sibi subjectas, & unitas Ecclesias Parochiales ad usum, & mensam impropriè dicuntur *Pastores primitivi*, ita & Presbyteri ad eorum præsentationem his Ecclesiis per institutionem Episcoporum, Præfecti admodum impropriè eorum dicuntur *Vicarii*

Presbyteri enim hi ad curam spiritualem populi præsentatur, eamque ab Episcopo accipiunt.

In hac autem *cura* nequaquam dici possunt vices sustinere Monachorum vel Canonicorum; hi enim vigore incorporationis hanc curam non acceperunt, nec Presbyteri eam ab ipsis, sed ab Episcopo accipiunt.

Cumque nullum spirituale Regimen populi, neque Cura animarum sit penes Monachos vel Canonicos, integrum verò resideat in his Presbyteris meritò à cura ista *Curati*, à pascendo *Pastores*, & à spirituali regimine Parochiæ *Parochi* vocantur, ac reputantur.

Quin si Ecclesiis præficiantur Vicarii *perpetui*, erectâ eum in finem per Episcopos in singulis Ecclesiis *Vicariâ perpetuâ*; uti in omnibus penè Ecclesiis Parochialibus factum est auctoritate Concilii Tridentini *Sess.* 7. *c.* 7. *de Reform.* Vicarii hi in omnibus habendi sunt ut veri Beneficiati quoad titulum & functiones, earumque exercitium, neque in his magis dependent à Monachis, & Canonicis, qui se vocant Pastores *primitivos*, quàm alii Pastores, quorum Ecclesiæ nulli fuêre concessæ.

Unde Joannes Choquier ad regulam VIII. Cancellariæ, quærens quænam cadant sub reservatione hujus regulæ resolvit *n.* 7. quod Vicaria *temporalis*, & ad nutum amovibilis non comprehendatur, quia non datur in titulum: quod secus est (ait *num.* 8.) in Vicariis *perpetuis*, quæ dantur in *titulum*, cum sint *vera Ecclesiastica Beneficia.*

Idipsum latiùs deducit & probat post alios Prosper Fagnanus ad *cap. ex parte* ✠ *de officio Vicarii*, dicitque *num.* 21. pro regula constitui, » ut dispositio loquens de Parochiali, ha» beat locum in Vicaria perpetua, quæ venit appellatione *Be*» *neficii Curati.*«

Hâc de causa etiam Synodus Tridentina in suis decretis nullam inter Parochos Ecclesiarum non incorporatarum, & incorporatum distinctionem facit, tametsi non ignoraret hisce Ecclesiis passim præfectos, esse Vicarios *perpetuos*; quorum Ecclesiæ Monasteriis, & Capitulis quoad temporalia essent appropriatæ.

Si ergo Domina Abbatissa Pastorem de *Leest* subinde nominaverit *Vicarium* istius Ecclesiæ, nequaquam intendit vel qualitatem veri Pastoris disputare, vel in minimo huic derogare, sed ipsi duntaxat hâc appellatione *Vicarii* denotare, quod hanc Ecclesiam teneat tanquam dependentem à suo Monasterio, eique quoad temporalia subjectam, & appropriatam: quemadmodum passim Vicarii perpetui suas Ecclesias recognoscunt dependentes & appropriatas Monachorum, aut Canonicorum Collegiis.

§. III.

Temporalia non competunt Monasteriis, vel Capitulis, nisi priùs detractata portione congrua Parochorum, seu Vicariorum.

INdubitatum est, decimas ecclesiasticas primitùs ordinatas, ac institutas esse in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, atque hinc profluxit commune Canonistarum assertum, quòd Ecclesiæ Parochiales habeant de Jure communi intentionem fundatam ad decimas intra suos limites excrescentes.

Et Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 87. *art.* 3. quærens, utrum decimæ debeantur Clericis, resolvit, quòd jus recipiendi decimas, tanquam *debitum* Ministris Altaris, competat solis Clericis habentibus curam animarum.

Deinde cum sibi objecisset, quòd generalis consuetudo in quibusdam terris habeat, quòd „Religiosi etiam quasdam de» cimas accipiant, quod ergo non videatur, quòd tantùm » Clericis curam animarum habentibus, decimæ debeantur. » Respondet dicendum, quòd sicut res nomine decimæ accep» tas potest Ecclesia, jure accipiendi Ministris Ecclesiæ reser» vato, etiam ad subveniendum pauperibus concedere, si» cut qubusdam Religiosis Laicis, sive non habentibus cu» ram animarum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum elee» mosynæ. «

Supponit proindè Sanctus Thomas, decimas primario ex suo instituto ordinatas esse ad sustentationem Clericorum curam animarum habentium, sed adinstar aliarum rerum ad Ecclesiam pertinentium posse auctoritate eorum, quibus earum rerum dispensatio concredita est, per modum *eleemosynæ* communicari Religiosis curam animarum non habentibus.

Porrò elcemosynæ dandæ non sunt, nisi priùs satisfactum sit illis, quibus de jure res Ecclesiæ in sustentationem debentur.

Hinc uno consensu concludunt Canonistæ, concessiones Ecclesiarum non censeri factas, nisi priùs deducta portione congruâ eorum, qui curam animarum sustinent & Ecclesiæ ministerio sunt addicti.

De Eclesiarum concessione facta Monachis agens Glossographus *ad cap.* 12. *de Præbendis* ait: *Habebunt temporalia reservatâ sufficienti sustentatione Presbytero.*

Similiter Panormitanus de hisce concessionibus Ecclesiarum in usus Religiosorum agens ad *cap.* 7. ✠ *de Donationibus*, dicit » quòd concessæ concesseantur respectu redditum, ut eos con» vertant in proprios usus, reservatâ portione pro Vicario, & » Ministris Ecclesiæ. «

Et ad citatum *cap.* 12. monet, quòd » habentes Ecclesiam » quoad temporalia, non possint sibi applicare omnes redditus » Ecclesiæ; sed redditus *duntaxat superfluos*, detractâ priùs » portione pro Vicario, seu Rectore ibidem instituendo. «

At penè incredibile est, quàm difficulter sibi temperare potuerint Monachi & Canonici aliique Ecclesias quoad temporalia sibi concessas possidentes, ut non nisi superfluos redditus in usus proprios converterent, & sibi appropriarent, ac priùs Ministris Ecclesiæ suam honestam ex illis sustentationem permitterent.

Conqueritur seculo XIII. celebratum Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap.* 30. ✠ *de Præbendis*, » quod » extirpandæ consuetudinis vitium in quibusdam Parochiis inol» visset, quod scilicet Parochialium Ecclesiarum Patroni, & aliæ » quædam personæ proventus ipsarum sibi penitùs vindicantes, » Presbyteris earum servitiis deputatis relinquant adeò exiguam » portionem, quod ex ea nequeant congruè sustentari. Nam » (ait) (ut pro certo dedicimus) in quibusdam Regionibus Pa» rochiales Presbyteri pro sua sustentatione non obtinent nisi » quartam quartæ, id est, sextam decimam decimarum; unde » fit, ut in his Regionibus penè nullus inveniatur Sacerdos » Parochialis, qui ullam vel modicam habeat peritiam litte» rarum.

Et ad has Ecclesiarum concessiones, & Monachorum & Canonicorum avaritiam & tenacitatem reflectens Christianus Lupus *tomo* 5. *Scholiorum in Canones*, ait: » Altarium decimas pos» sidentia Monachorum Cœnobia, aut Clericorum Collegia, as» se-

» severabant, se illic esse principales Pastores, ideoque illis » conductitium & manualem imponebant Vicarium, & non » datâ competenti sustentatione, cogebant ad omnis generis si- » moniam. Sic Altaris Minister sordidè esuriebat, & nescio » quis ejus detentor usque ad animæ & corporis ebrietatem ex » ipso luxuriabatur. «

Hinc toties reiterata decreta, quibus Monachis aliisque Ecclesias tenentibus severissimè injungitur, *ut portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur*, uti loquitur citatum Concilium Lateranense in *cap.* 30. *de Præbendis*: *idque consuetudine qualibet Episcopi, vel Patroni, seu cujuslibet alterius non obstante.*

Quin ut ad portionem congruam ampliùs constringerentur, & semel constitutos Presbyteros non fallerent in assignanda congrua portione, non semel decretum fuit, ut Episcopi nullum à Monachis præsentatum Presbyterum ad curam populi admittant: » Nisi tantùm ei de proventibus Ecclesiarum coram » ipsis fuerit assignatum, unde Episcopalia Jura possit persol- » vere & congruam sustentationem habere, « uti habet *cap.* 12. ℵ *de Præbendis*, ac rursus renovatum in Concilio Viennensi, cujus decretum legitur *in Clementina I. de Jure Patron.*

§. IV.

De modo, quo decimæ olim in portionem congruam fuerint assignatæ.

EX decretis, quibus Monachis, aliisque Ecclesias quoad temporalia possidentibus injungitur Presbyteris curam animarum sustinentibus congruam portionem assignare, intelligitur, portionem congruam primitùs in portione decimarum, sive proventuum fuisse asignatam: conqueriturque Concilium Lateranense sub Innocentio III. in citato *cap.* 30. ℵ *de Præbendis*, quòd nonnulli ex parochialium Ecclesiarum proventibus tamen sibi portionem assumerent, » ut Parochiales Presbyteri pro sua sus- » tentatione non obtinerent nisi *quartam quartæ*, id, *sextam* » *decimam decimarum*. «

Et Vigoriensi Episcopo scribit Alexander III. *in cap.* 12. ℵ *eod.* » Quòd ad præsentationem Monachorum nullum re- » cipias, nisi ei tantùm de *Proventibus* Ecclesiæ coram te fue- » rit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & » congruam sustentationem habere. «

Ex eadem Decretali, necnon præcitata Clementina nequaquam obscurum, portionem congruam jam pridem assignatam fuisse Vicario sive Rectori, quoties novus præficeretur, ita ut nulla esset stabilis & fixa statuta *portio* Vicarii sive Rectoris, sed Monachi vel Clerici omnes redditus sibi appropriatos retinerent, & ex illis in ipsa Vicarii præsentatione coram Episcopo portionem congruam in Vicarii sustentationem assignarent.

Varium hunc modum assignandi portionem congruam Vicariis notavit quoque Glossographus ad citatam *cap.* 12. ℵ *de Præbendis*. » Quandoque (ait) Monachi totum appli- » cant usibus suis, reservatâ honestâ sustentatione Presbytero. » Quandoque certam partem recipiunt, sive certam dimittunt » Presbytero, alliud totum sibi retinent, & hoc secundum » consuetudinem diversorum locorum. «

Posterior modus hisce in partibus usitatus est, diciturque pars illa proventuum, quæ Vicario dimittitur, *portio pastoralis*, eamque Vicarius institutus jure suo tanquam sibi vigore suæ Vicariæ, sive Beneficii Parochialis competentem occupat sine ulla nova concessione aut assignatione, & tanquam propriam colligit, & administrat, atque in usus suos convertit.

Hisce decretis & usitato his in partibus modo portionem congruam constituendi, sesse subjiciens Monasterium Cortenbergense, portione decimarum Presbyteris sive Rectoribus Ecclesiarum parochialium de *Hombeeck* & de *Leest* dimisit, quam portionem Vicarius, sive Pastor in *Hombeeck* etiam hodiè percipit, & Pastor in *Leest* percepit usque ad annum circiter 1637. quando, ea dimissa, accepit competentiam in re certa, de qua infrà.

§. V.

Quid Synodus Tridentina circa portionem congruam & signanter in re certa *assignandam decreverit.*

QUantus esset Monachorum, Canonicorum, aliorumque Ecclesias, earumque decimas, ac proventus possidentium in assignanda portione congrua, & præficiendis idoneis & sufficientibus Ministris neglectus circa tempora hujus Synodi, evincunt multiplices super eo neglectu, & abusibus inde scaturientibus depositæ querelæ.

Atque inter cæteros, Conventus Principum Germaniæ habitus Norimbergæ inter gravamina proposita Adriano VI. hunc neglectum tanquam multorum malorum sentinam graphicè expresserunt.

» Pleræque parochiales Ecclesiæ (inquiunt) Monasteriis, » Prælatis aliisque Ecclesiarum curatarum Rectoribus incorpo- » rationis, ut vocant, seu alio quopiam jure subditæ sunt: » quas si ipsi juxta Canonum constitutiones per sese provi- » dere teneantur, ubi aliis elocant gubernandas, Beneficio- » rum dotem ac decimas plerumque sibi ipsis reservant, & » præterea tam enormibus absentiarum pensionibus gravant » atque onerant, ut conductitii isti Parochi eorumque Vica- » rii & Vice-plebani, Sacellani, Coadjutores, cæterique con- » ductarum Ecclesiarum Administratores competentem susten- » tationem, decentiaque alimenta inde habere nequeant.

» Quo fit, nam unde conductitii isti Pastores, & Merce- » narii vivant, habeant oportet, ut illicitis exactionibus loca- » tas sibi oviculas miserè deprædent, dilanient, omnemque subs- » tantiam tantùm non absumant; postquam enim Altaris, » Baptismique Sacramenta administranda sunt, primus, sep- » timus, trigesimus, anniversariusque dies peragendus, articu- » laris Confessio audienda, mortui sepeliendi, & quidquid de- » nique reliquum est, quod ad vitâ functorum cæremonias ob- » servandas operæ pretium arbitrantur, id gratuitò faciunt ne- » quaquam, sed tantùm exigunt, extorquent, exigunt, quan- » tùm missera plebecula vel cum summo suo dispendio præs- » tare difficulter potest; talesque exactiones usque ad sum- » mum indies augent atque accumulant, nonnunquam quo- » que Excommunicationis fulmine ad solvendum adigunt; ple- » rosque etiam, quibus per inopiam non licet ad celebranda » vitâ functis obsequia, anniversarios, & alias ejus farinæ cere- » monias, compellere conantur. «

Quod ipsum, inquit Lupus *tom.* 5. *Scholiorum pag.* 187. in Germanicorum gravaminum facta ad Julium II. relatione, questus fuit Imperator Maximilianus. Et à Tridentino Concilio corrigi postulavit Carolus XI. Francorum Rex.

His igitur querelis excitata Synodus Tridentina, & abusibus reformandis intenta, tot anterioribus decretis inhærens injunxit Ordinariis locorum, ut solicitè provideant Vicariis, sive Rectoribus Ecclesiarum parochialium, Capitulis vel Monasteriis incorporatarum de congrua portione ad honestam Pastoris sustentationem, & Ecclesiæ necessitatem.

Hoc unum præcedentibus sanctionibus *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reformat.* addit, quòd Ordinariis determinationem hujus portionis expressis terminis deferat, ac insuper permittit, ut pro portione congrua non tantum designent, aliquam partem decimarum, sed etiam ut eam *super re certa* assignare possint.

Ex ipso contextu decreti evidens est, Synodum per *rem certam* nequaquam intellexisse aliquam determinatam partem decimarum, quandoquidem nominatim rem certam distinguat, imò opponat determinatæ portioni decimarum.

Statuit enim Concilium, ut Ordinarii solicitè provideant, ut in Ecclesiis incorporatis cura animarum laudabiliter exerceatur per Vicarios perpetuos, *cum tertia partis fructuum aut majore vel minore portione, etiam super re certa assignanda.*

Dum igitur permittit, non tantùm super certa parte fructuum portionem congruam assignari, sed etiam super *re certa*, nihil evidentius, quàm certam partem fructuum non esse *rem certam* ad sensum hujus decreti.

Licèt enim determinata pars fructuum aliquo sensu dici queat *res certa*; nihilominus quantùm ad sustentationem honestam ipsius Pastoris, sive Vicarii est quodammodo *incerta*: eo quòd à multis casibus & eventibus dependeat, quid similis fructuum determinata portio in sustentationem Vicarii annuè sit redditura.

Synodus autem optavit, ut ipsis Vicariis seu Rectoribus Ecclesiarum parochialium sua sustentatio esset certa & stabilis, ut ita sine solicitudine & anxietate circa temporalia possent animo liberiori curæ animarum incumbere.

Itaque Synodus Tridentina per *rem certam* hîc intellexit non determinatam partem fructuum vel decimarum, sed certam summam pecuniæ, aut certam granorum mensuram ipsi Vicario à Decimatoribus, vel aliis, quibus onus dandi competentiam incumbit, annuè præstandam.

Hinc indubiè contingit, quòd post Synodum Tridentinam Vicarii, seu Rectores Ecclesiarum parochialium, qui suam portionem canonicam habent assignatam *super re certa*, non dicantur habere, præsertim hisce in partibus *congruam portionem*, sed *competentiam*: eo quòd congrua portio videatur significare *portionem* seu partem decimarum.

Quare Vicarii dicuntur habere *plenam* competentiam, quando in suam sustentationem nullam habent assignatam partem decimarum, sed duntaxat certam summam pecuniæ, aut certas granorum mensuras annuè solvendas.

Si autem assignatam habeant partem decimarum, dicuntur habere portionem congruam, sed non dicuntur habere *competentiam*, aut saltem non *plenam*, si partim in pecunia, partim in decimis consistat.

§.

§. VI.

Magis convenit Pastoribus competentia in re certa *quàm portio decimarum.*

DUm Pastores, sive Vicarii habent pro sustentatione assignatam partem seu portionem decimarum, earum imprimis administratio quodammodò ipsis incumbit, iisque tanquam suis proventibus intendere tenentur.

Et quidem si eas colligendas retineat ipse Vicarius, necesse est, ut iis colligendis, excutiendis familiam alat, equos teneat, & quodammodo Villicum agat, idque non rarò magnâ cum distractione, ob quam monet Apostolus, *ne militans Deo negotiis secularibus se implicet.* 2. Tim. *cap.* 2. *vers.* 4.

Si verò decimas aliis elocet Pastor, cum id vix fieri queat aliis, quam Parochianis, facilè hinc exoriri solent Pastorem inter & Parochianos dissensiones & jurgia, quin & subinde lites.

Quid enim frequentius, quàm similes decimarum conductores in solutione esse justo morosiores, vel frivolis infundatisque titulis remissionem conventæ mercedis elocationis prætendere?

Si contingat Pastorem morosos hos debitores urgere aut similes prætensas remissiones negare, totalemque solutionem urgeat, quæ non inde Parochianorum in Pastorem obloquia, & animorum aversiones timenda? Atque apud plurimos simplices de reipsa non plenè informatos, aut ex affectu erga conductores præventos, contra Pastores temerariæ suspiciones, vel de injustitia, avaritia, aut nimia in exigendis debitoribus duritia?

Hæc autem quantum in spirituali profectui per Pastorem unicè intendendo nata sint officere, nemo non videt.

Præterea sustentatio assignata in quadam determinata parte decimarum dependet ab exercctione fructuum: quæ cùm sit incerta à multis casibus dependens, etiam ipsa Pastorum sustentatio super his fundata, redditur incerta.

Hinc non rarò contingit, Pastores similes portiones decimarum habentes, tempore bellorum ob devastatas fruges ad summam redigi inopiam, & ex defectu congruæ sustentationis quodammodo cogi ad conquirendum necessaria ex mendica Missarum celebratione, aliisque parum honestis mediis.

Hæc, aliaque incommoda, quæ tum ipsa decimarum collectio, conservatio, vel elocatio, nec non incertus earum successus secum trahere solent, evitantur per competentiam in *re certa*, qua mediante, Pastor sine cura, aut anxietate annuè recipit in pecunia, aut granis, quæ ad sustentationem necessaria sunt. Non mirum proindè, quòd Pastores zelum animarum habentes eligant competentiam in re certa præ portione congrua in decimis, etiamsi hæc nonnihil esset pinguior.

Norunt enim, quòd salus animarum omnibus temporalibus commodis, & emolumentis sit præferenda, atque solicitè esse præcavenda etiam subinde cum temporalis emolumenti dispendio, omnia quæ profectum spiritualem in regimine animarum impedire possent.

Norunt, quòd Apostoli etiam mensis pauperum intendere noluerint, ut orationi, & ministerio verbi Dei instantes esse possent. *Act. cap.* 6. *vers.* 4.

Scitur, quàm ardenter desiderârunt Patres, ut Ecclesia ab omni cura & administratione fundorum, Villarum, Decimarum, aliorumque temporalium posset esse libera, & Laici hæc possidentes & administrantes liberali, & Christiano animo suppeditarent, quæ Ministris Ecclesiæ, & pauperibus essent necessaria.

Hac de re videri potest Homilia S. Joan. Chrysostomi in Matthæum, in qua vehementer deplorat ipsam duritiem, & tenacitatem Laicorum, quæ Ecclesiam ad hanc necessitatem possidendi agros & villas, eorumque curam & administrationem suscipiendi adegit. » Nunc (ait ad populum Antiochenum) » agros, & domos, locationes ædificiorum, vehicula, equos, » multaque alia hujusmodi propter vos, & vestram crude- » litatem Ecclesia possidet. «

His verisimiliter motivis moti Pastores de *Leest*, maluerunt abdicatâ congruâ portione in parte decimarum competentiam in *re certa*, quam & obtinuerunt sub initium præteriti seculi.

§. VII.

Si Vicarius, abdicata portione decimarum, obtinuerit auctoritate Ordinarii competentiam in re certa, hæc surrogatio etiam obligat Successores.

PEr Synodum Tridentinam Ordinariis locorum, sive Episcopis datam esse auctoritatem providendi Vicariis Ecclesiarum Parochialium, quæ Monasteriis, vel Capitulis, aliisve concessæ sciuntur, de competentia in *re certa* suprà §. 4. ostensum est.

Præterea suprà probatum fuit, quòd multis titulis Pastoribus, sive Vicariis perpetuis Ecclesiarum Parochialium, magis convenit habere competentiam in *re certa*, quàm in aliqua portione decimarum, tametsi in *re certa* esset aliquantulum minoris valoris, quàm esset portio decimarum in portionem congruam assignata.

Hinc contigit, ut plures Pastores, seu Vicarii abdicare maluerint portionem suam decimarum ipsis in competentiam assignatam, & accipere competentiam in *re certa.*

Quæ competentia si Vicario in vicem decimarum à Monasterio, vel Capitulo in *re certa* fuerit assignata, & super ea fuerit conventio inita & firmata auctoritate Ordinarii, hæc surrogatio rei certæ in locum decimarum stabilis & perpetua erit, non tantùm durante vita Vicarii, vel Pastoris, ad cujus instantiam hæc competentia in vicem portionis congruæ concessa & assignata est, sed & Successores obligat.

Cùm enim Vicarius, seu Pastor non disponat de rebus sibi propriis, quales sunt annui proventus, sed de ipsa portione Decimarum ad ipsam Ecclesiam in sustentationem Vicarii spectante, non censentur abdicationem illam facere tanquam singularis persona, sive nomine suo privato, sed tanquam administrator rerum ad Ecclesiam spectantium.

Similiter Ordinarius eam abdicationem decimarum, & assignationem competentiæ in *re certa* in vicem decimarum approbans, censetur id facere tanquam bonorum Ecclesiæ superintendens & Dispensator.

Hoc enim casu similis omninò videtur Prælatus Tutori minoris vel pupilli, res minoris elocantis, vel alienantis, uti loquitur Covarruv. *lib.* 2. *Variarum Resolut. cap.* 15. *num.* 6. ubi pluribus probat distinctionem inter elocationes & contractus factos à Prælato de rebus propriis, & de rebus Ecclesiæ nomine dispensatorio factis, ut priori modo initi duntaxat ipsum Prælatum contrahentem obligant, in posteriori verò etiam Successores adstringant.

Eandem distinctionem non obscurè quoque probavit Synodus Mechliniensis celebrata ann. 1909. *tit.* 21. *cap.* 3. declarans » elocationes bonorum Beneficialium à Beneficiatis initas » non diutiùs durare, quam pro illo anno, in quo moritur vel » Beneficium dimittit Beneficiatus contrahens. «

Quia Beneficiatus nomine proprio duntaxat disposuisse censetur de annuis proventibus ad se ratione Beneficii pertinentibus,

Addit deinde Synodus præcedenti declarationi hanc exceptionem: » Nisi à nobis (Episcopo) aut Capitulo, sub cujus ju- » risdictione Beneficia existuut, confirmatæ sint. «

Quæ clausula sufficienter insinuat, quòd hoc casu etiam Successores factæ elocationes adstringant: eo quòd Episcopus, vel Capitulum elocationes tanquam bonorum illorum dispensatores, seu superintendentes nomine dignitatis probaverint.

Cùm igitur constet, quod in casu præsenti dimissio congruæ portionis & conventio super competentia in *re certa* in vicem decimarum non tantum sit postulata & acceptata per Pastorem de *Leest*, sed insuper fuerit per Ordinarium, sive Archi-Episcopum Mechliniensem approbata indubitatum est, hanc transactionem, sive portionis congruæ super parte decimarum dimissionem, & competentiæ in *re certa* admissionem obligare ipsos Successores, non secùs ac alii quicunque contractus super bonis Ecclesiæ auctoritate Superiorum legitimè initi, & conclusi.

Quare nec liberum est moderno Pastori huic conventioni seu transactioni contravenire, vel eam infringere, & portionem congruam super decimis, dimissâ competentiâ *in re certa*, repetere.

Neque est, quòd existimetur id cedere in læsionem Ecclesiæ Parochialis vel Vicarii, quandoquidem multis titulis soleat esse convenientius Vicario habere competentiam in *re certa*, quàm portionem congruam in parte decimarum, uti supra ostensum est.

§. VIII.

Vicarius sive Curatus habens plenam competentiam in re certa *nullum jus habet ad decimas* Novales.

PRobatum est suprà *cap.* 2. §. 4. quòd Monasterium, vel Capitulum possidens Ecclesias Parochiales sibi *quoad temtemporalia* appropriatas habeat jus ad omnes Ecclesiarum illarum proventus temporales: adeò, ut tali casu Vicarius *perpetuus* vel Curatus petens fructus, vel decimas ad se spectare, teneatur id probare, uti monet Rebuffus de *Portione congrua, numer.* 112.

Dum igitur Vicario, sive Curato de plena competentia, in *re certa* provisum est, totale jus ad decimas Ecclesiarum, seu Altarium Capitulis, aut Monasteriis concessorum in usus *inibi Deo servientium*, remanet, ipsis salvum pro ea integritate, quâ primitùs concessum fuit.

Et quidem si certæ decimæ, vel alii determinati proventus assignati sint Vicario, & hi auctoritate ordinarii Vicariæ perpetuæ in portionem congruam annexi sint, indubiè Vicarius vi suæ Vicariæ perpetuæ, sive Beneficii Curati habet jus ad hos proventus in portionem congruam assignatos, & Vi-

cariæ perpetuæ annexos, reliquis proventibus remanentibus penes Capitulum, vel Monasterium vigore primævæ incorporationis Ecclesiarum Parochialium quoad temporalia.

Postquam enim Ecclesiæ Parochiales quoad temporalia, modo suprà dicto, probantur Monasteriis, sive Capitulis appropriatæ seu concessæ in usus ibidem Deo servientium, nullum jus super est ipsi Vicario sive Curato ad decimas vel proventus qualescunque Ecclesiæ istius Parochialis.

Sed hi omnes una cum ipsa Ecclesia Parochiali translati sunt in Monasterium, vel Capitulum sub onere dandi congruam Vicariis competentiam juxta superiùs dicta.

Nullum igitur aliud Vicario seu Curato ad proventus similis incorporatæ Ecclesiæ superest jus, nisi quod à Monasterio, vel Capitulo possit prætendere portionem congruam, sive competentiam virtute oneris Ecclesiarum concessione adjecti, de præficiendis scilicet Ecclesiæ Parochiali necessariis Ministris, eorumque sustentationi providendi.

Dum ergo Vicarius sive Curatus plenam obtinet competentiam in *re certa*, integrum Jus ad decimas, etiam *novales* Ecclesiis Parochialibus competens, titulo primævæ concessionis & approbationis manet ipsis Monasteriis vel Capitulis salvum.

Quemadmodum igitur Monasterium vel Capitulum assignando Vicario vel Curato integram competentiam in *re certa*, retinet plenum jus ad omnes proventus & decimas sibi per approbationem Ecclesiæ in suos usus concessum; ita quoque integrum illud jus recuperat, & ad ipsa quasi postliminii revertitur, si in vicem partis decimarum in portionem congruam assignatæ, assignetur integra competentia in *re certa*.

Neque enim post factam concessionem, sive appropriationem Ecclesiæ parochialis quoad temporalia ad ullam partem decimarum sive veterum sive novalium, manet Jus aliquod ipsi Vicario, sed tantùm jus ad competentiam.

Si igitur pars decimarum vel veterum vel novalium Vicario seu Curato fuerit in competentiam assignata, hæc pars decimarum ei non competit, nisi solo titulo portionis congruæ seu competentiæ vel à Monasterio vel Capitulo ei debitæ.

Cum igitur in vicem assignatæ hujus portionis congruæ assignatur competentia in *re certa*, justum est, ut decimæ in exsolutionem hujus obligationis sustentandi Vicarium assignatæ ad eos rursus redeant, qui vigore concessionis & Ecclesiarum incorporationis fundatam habent intentionem titulo *Juris universi* ad omnes generaliter decimas sub onere sustentandi Vicarium seu Curatum.

Et sanè si quæ decimæ seu veteres, seu *Novales* remanerent penes Vicarium harum decimarum in taxatione competentiæ ratio haberetur.

Indubitatum est enim, quòd omnia certa, quæ » Vicarius » habet ratione sui Beneficii, & sic omnia, quæ Jure suæ Ec- » clesiæ habet, ei computentur pro congrua portione: « uti sine ulla hæsitatione resolvit Rebuffus in citato tractatu *num.* 85.

Imò quod ampliùs est, videmus hîc in Belgio rationem haberi in taxanda competentia, etiam accidentium incertorum, quæ ad quadam certitudinem, facta annorum aliquot fractione, reduci possent.

Et quidem Synodus Mechliniensis habita anno 1609. *tit.* 16. *cap.* 4. præcipit, ut » Pastor quilibet de canonica portione sum- » mariè & de plano sibi provideri desiderans, ante omnia exhi- » beat declarationem bonorum, quæ ratione Ecclesiæ suæ paro- » chialis ipsi competunt, *neque certi tantum fructus & emo- » lumenta exprimantur, sed incerta quoque accidentalia trium » aut quatuor communium ultimo annorum.*

Licèt ergo accidentia integra soleant Vicario seu Curato salva manera ultra ordinariam competentiam, certum nihilominus est, aliquam eorum in taxatione competentiæ rationem haberi, uti & Domus pastoralis; quare & indubitanter decimarum quoque ratio haberetur, si quæ Vicario ultrà competentiam remanerent.

Et quot notandum, in ipsa competentiæ taxatione, & assignatione ex consueto stylo exprimi solet: *ultra accidentia & domum pastoralem.*

Consequenter non dubium, quin & decimæ vel Jus ad decimas sive veteres sive *novales* similiter exprimeretur, si ultrà competentiam Vicario salvæ remanerent.

Et re ipsa exprimuntur decimæ quotiescunque aliquæ penes Vicarium remanent, atque pro earum æstimatione competentia, quæ aliàs pro similibus Parochiis taxari & assignari consuevit, diminuitur.

Ità nuperrimè judicatum in Concilio Brabantiæ ordinariam competentiam diminuendam pro quantitate decimarum *minutarum*, quas Vicarius percipiebat.

Dum igitur Curatus, sive Vicarius accipit integram & solitam competentiam in *re certa* in vicem portionis congruæ, censetur renuntiâsse omni Juri ad decimas, easque restituere Monasterio, vel Capitulo, à quo eas in congruam portionem, & sustentationem suam acceperat.

Dicet quis forsan per accretionem decimarum novalium, sive per reductionem terrarum sterilium ad culturam, etiam ordinariè accrescere numerum Parochianorum, qui his terris colendis occupantur, & consequenter onus ipsius Vicarii seu Parochi.

Justum proindè apparet, ut crescente onere animarum, etiam augeatur competentia temporalis.

Imprimis animum sapit mercenarium velle adæquare præcisè temporale functionibus spiritualibus, quas in salutem animarum populo Pastores impendunt, & pro quibus exspectant coronam immarcessibilem sibi reservatam in cœlis.

Deinde si contingat ob excrescentem parochianorum numerum, aliamve ob causam Judicio Ordinarii competentiam assignatam hîc & nunc esse insufficientem, poterit indubiè Vicarius, sive Parochus petere augmentum competentiæ eodem fundamento, quo petita fuit competentia, si exempli gratiâ ob actum Parochianorum numerum solus Parochus curæ animarum sustentandæ non videretur sufficiens.

In hac verò taxatione, & adjudicatione supplementi sive augmenti procedendum est eâdem forma, quâ in ipsius competentiæ taxatione, & assignatione procedi consuevit.

Nullum ergo Jus ad decimas novales acquiritur Vicario ob prætensum auctum numerum Parochianorum, sed ad summum posset auctus hic numerus præbere titulum petendi aliquod supplementum competentiæ.

§. IX.

Ostenditur, quod Vicarius seu Pastor in Leest *accipiendo competentiam in* re certa *fassus sit, se omni Juri ad decimas renuntiâsse.*

EX actis hujus causæ sat constare videtur, quod Pastor in *Leest* perceperit portionem congruam in certa portione decimarum usque ad annum circiter 1635.

Saltem non reproducitur ullum instrumentum, quo probetur, illum accepisse competentiam in *re certa* ante illud tempus.

Sed ex Apocha Nicolai de Clerk Vicarii quondam perpetui seu Pastoris de *Leest* exhibita in lite & consignata sub littera B. habetur, quòd anno 1635. cœperit dictus Vicarius præligere competentiam in *re certa*, sive in certa summa pecuniæ annuè solvenda, abdicatâ portione congruâ in parte decimarum, & obventionum Vicario de *Leest* per Monasterium Cortenbergense jam pridem assignata.

Fatetur enim se recepisse à Nicolao Coeckelbergh nomine Dominæ Abbatissæ Cortenbergensis summam 337. florenorum semel, tam pro suo annuo supplemento, quàm omnibus proventibus ad hunc Pastoratum spectantibus; quos præfata Domina nunc ad suum usum habet, idque pro anno elapso 1635. verba Teutonicè expressa ità sonant: *over myn jaerlyk Supplement, als van alle Incomen hier mede begrepen dese Pastorye, die de voornaemde Mevrouwe nu tot haerem profyte heeft, ende dat voor het jaer veschenen Kersmis* 1636.

Et rursus ex secunda Apocha ejusdem Pastoris de *Leest* de tertia Junii 1637. quâ fatetur rursus se accepisse à prædicto Nicolao Coeckelbergh similem summam 337. florenorum, nominæ Dominæ Abbatissæ: *soo over geheele myne gerechtigkeyt ende jaerlyck Incomen, dat sy nu tot haerrewart heeft als tot Supplement van myne sustentatie ende dat voorhet jaer veschenen Kersmis* 1636.

Num hæc competentia 337. florenorum fuerit eo tempore auctoritate Ordinarii taxata vel probata, an solà tantùm conventione omnia peracta sint, hactenus non constat.

At hoc constat quòd anno 1638. competentia hæc in *re certa* per Ordinarium fuerit approbata, & aucta ad 350. florenos, uti habetur ex libello supplici Domini Petri van Hanswych Pastoris in *Leest* oblato Archi-episcopo Mechliniensi Jacobo Boonem anno 1650. pro supplemento ejusdem competentiæ ob auctum pretium annonæ & aliarum rerum.

Archi-episcopus Mechliniensis competentiam auxit ad 50. florenos annuos, atque ita ab illo tempore competentia fuit 400. florenorum, quàm ab eo tempore usque in præsens Monasterium Cortenbergense annuè persolvit Pastori de *Leest*.

Habetur quoque ex prædictis Apochis, Pastorem de *Leest* eo tempore nequaquam dubitâsse, quin per hanc competentiam omnes decimæ, quæ in portionem congruam ei cessæ fuerant, ad Monasterium rursus sint reversæ, sive Monasterium illas ad suum usum retraxerit, assignatâ in earum vicem competentia 337. florenorum, quæ sensim aucta fuit ad 400 florenos.

In Apocha enim, quâ scribit, satisfactum sibi de anno 1635. expressè fatetur, hanc solutionem cedere pro annuo suo supplemento, & invicem omnium proventuum; *quos* (ait) *Domina Abbatissa ad suum commodum recepit* verba Teutonicè posita hæc sunt: *over myn jaerlick Supplement, die als van alle Incomen hier mede begrepen dese Pastorye, de vornoemde Mevrouwe tot haer profyt nu heeft.*

Et

Et in alia Apocha fatetur eam summam se accepisse in vicem *universi* sui Juris, & annui proventûs, quod ipsa (Domina Abbatissa) ad se retraxit, *soo over geheele mynegerechtigheit, ende jaerlick Incomen, dat sy tot haerwaerts heeft, als tot Suplement van myne sustentatie.*

Evidens igitur est, quòd latente ipso Vicario, hæc competentia successerit in locum Juris & proventuum, quos antea in portionem congruam habuerat.

Quod & evidenter probat extractum ex Visitatione Domini Archipresbyteri Civitatensis de anno 1665. ubi inter alia est annotatum: *Reverenda domina Abbatissa de Cortenbergh collegit decimas cum Pastore, sed modò sola, quia dat ei competentiam* 400. *florenorum.*

Ex quo patescit, Pastorem olim collegisse partem decimarum, sed post datam competentiam nullatenùs ulteriùs percepisse.

Ratio enim cur modòAbbatissa dicatur sola decimas colligere, hæc unica datur: *quia dat ei competentiam* 400. *florenorum.*

Evidens autem est, quòd ratio, quæ assignatur, quare Abbatissa coligat sola decimas, militaverit ab eo tempore, quo plena competentia Vicario data fuit, ut proindè illud *modò* non sit referendum ad præcisum tempus factæ hujus Visitationis, sed ad tempus datæ competentiæ.

Itaque Jus ad integras decimas tam veteres, quàm novales, quod per concessionem *Altaris* anni 1129. Monasterio Cortenbergensi erat acquisitum, ut suprà notavimus, sed pro parte Vicario sive Pastori in *Leest* erat asignatum in sustentationem, rursus ab anno 1636. Monasterio est restitutum, quod & hucusque in quasi possessione hujus juris permansit per levationem omnium indifferenter decimarum etiam novalium per totum Districtum Parochiæ de *Leest*.

Et revera à tempore solutæ competentiæ in *re certa*, id est, ab anno circiter 1635. non requiritur, Pastorem de *Leest* levasse ullas decimas seu veteres, seu novales, sed eas omnes per totum Districtum pacificè levavit dictum Monasterium, solutâ Pastori competentiâ per Ordinarium taxatâ & probatâ.

Quandocunque enim, presertim in Belgio, assignatur competentia in *re certa*, unà censetur fieri abbdicatio omnis Juris ad decimas, quas in congruam portionem acceperat, hæque rursùs integræ ad Monasterium, vel Capitulum censentur reversæ.

Cùm enim Monasterium vel Capitulum per solutionem integræ competentiæ oneri sibi in concessione sive incorporatione Ecclesiæ, de danda honesta, & sufficienti sustentatione ipsi Vicario sive Pastori imposito satisfecerit, æquum, & justum est, ut Ecclesia quoad temporalia sibi appropriata, salva quoque ipsi & integra maneat.

§. X.

De praxi Regni Galliæ circa competentiam Vicariorum seu Pastorum, signanter post edictum Regium de anno 1686.

VAriam fuisse taxationem portionis congruæ in Regno Galliæ pro varietate temporum, constat ex variis edictis Regiis ejus quantitatem determinantibus, quæ inserta habentur Actis Cleri Gallicani, *tom. 2. part. 2. tit.* 12.

Quin ex illis habetur, non fuisse hanc taxationem uniformem per totum Regnum Galliæ, donec tandem per edictum moderni Regis anno 1686. ad uniformitatem reducta fuit.

Per hoc edictum declaratur, per totum Regnum Galliæ, omnesque terras Ditioni Regiæ subjectas, portionem congruam per decimatores Curatis vel Vicariis perpetuis imposterum solvendam 300. librarum Gallicarum, quæ efficiunt 240. florenos nostrates idque ultra oblationes, honoraria, & jura accidentalia, quæ solvuntur tam pro fundationibus, quam aliis de causis: item ultra decimas novales, ex terris, quæ de novo ad culturam redactæ fuerint, postquam dicti Curati vel Vicarii præelegerunt hanc competentiam in vicem proventuum sui Beneficii sive Curæ: verba Edicti sunt: *Par ces présentes lettrès signées de notre main, voulons & nous plaît, que les portions Congruës, que les Decimateurs sont obliguez de payer aux Curez ou aux Vicaires perpetuels, demeurent à l' avenir fixées dans toute l' etendue de nôtre Royaume, Terres & Pays de nôtre obeissance à la somme de trois cent livres par chacun an: & ce outre les offrandes, les honoraires, & droits casuels, que l' on paye tant pour des fondations, que pour d' autres causes: ensemble les dixmes novales sur les terres, qui seront défrichées depuis que les dits Curez ou Vicaires perpetuels auront fait l' option de la portion Congruë au lieu du revenu de leur Curè ou Vicaire.*

Integrum hoc edictum refertur per Michaëlem du Perray in suo tractatu Gallico *de Portionibus Congruis*, *pag.* 17.

Ex hoc edicto habetur, quod in Gallia liceat Curatis, & Vicariis perpetuis, abdicata portione congruâ in decimis, eligere competentiam in *re certa*.

Secundò, quòd electâ hâc competentiâ, decimæ tam veteres quàm novales, quas in portionem congruam hactenus Curatus seu Vicarius perpetuus receperat, rursus redeant ad Decimatores, qui competentiam dare tenentur, quemadmodum & usus Belgii habet.

Tertiò patet, quod ultra textatam competentiam, Accidentia remaneant salva ipsis Curatis seu Vicariis, quemadmodum in Belgio remanere consueverunt, uti suprà notatum est.

Quartò, ex præfato edicto habetur, taxam competentiæ Curatorum vel Vicariorum perpetuorum esse duntaxat 240. florenorum Nostratium, ac consequenter notabiliter minorem, quàm sit competentia, quæ Curatis vel Vicaris adjudicari, & taxari hactenus in Belgio consuevit.

Licèt enim hîc in Brabantia soleat esse moderatior hæc competentia, quàm in Flandria, nihilominus vix unquam etiam quoad minores, & restrictiores Parochias Regulares, taxari solet infra 350. florenos nostrates, ultra Accidentia, & domum Pastoralem, in aliis ad 400. aut etiam subinde ad 500. amplius & florenos.

Ultra Accidentia & Domum Pastoralem addicit prædictum edictum Curato vel Vicario perpetuo ultra taxatam competentiam 300. Librarum gallicarum, decimas *novales*, quas excrescere continget ex terris post acceptationem hujus competentiæ de novo ad culturam redactis.

Admodum verisimile est, in taxanda competentiâ ad summam adeo exiguam reflexionem factam ad jus precipiendi has *Novales* ipsi Vicario sive Curato nominatim reservatum.

Nihil proindè concludi potest, ex praxi Regni Galliæ in hoc & similibus Regiis edictis fundatâ; pro praxi Belgica quoad jus ad noviter excrescentes decimas novales ultra competentiam.

Sicuti enim in Gallia Curatus seu Vicarius acceptando eam competentiam edicto Regio præfixam nihil potest ultrà eam retinere præter nominatim reservata, ita nec in Belgio alia retinere re potest.

Unde in Gallia abdicare tenetur omnes decimas veteres & *novales*, quas in portionem congruam hactenùs perceperat, eo quòd nominatim ultra competentiam non reserventur.

In Belgio autem in taxatione plenæ, & ordinariæ competentiæ nihil nominatim reservatur præter accidentia & Domum Pastoralem.

Quapropter in Belgio post acceptam plenam, & ordinariam competentiam in *re certa*, nullum planè jus ad decimas novales de novo excrescentes Curato seu Vicario reservatur.

Quod sanè Jus in Gallia reservatum, abundè in Belgio compensatur per pinguiorem competentiæ taxationem in Belgio receptam.

Quæ Belgica praxis omninò præferenda est moribus Galliæ in hoc puncto.

Uti enim suprà ostendimus, multis titulis convenientius est pro Regimine animarum Curato seu Vicario incumbente, ut competentia sit fixa in *re certa*, quàm quod vel pro parte dependeat ab incerto decimarum excremento, nec non curâ, & administratione earum.

Præterà dicta praxis Galliæ nata est exponere Parochos novis difficultatibus, & implicare litibus, dum frequenter contingit oriri dubia, quænam pro novalibus sint reputanda. Ut proinde meritò præferenda sit praxis Belgica integram competentiam super re certa Parochis assignandi.

CAPUT IV.

De prescriptione Juris decimandi, notanter *universi.*

PARAGRAPHUS I.

Quomodo acquiratur possessio jurium incorporalium.

CErtum est, rerum incorporalium possessionem acquiri non posse per occupationem, vel corporalem traditionem, seu actum corporalem: eo quòd hujusmodi res incorporales sive jura nec corporaliter tractari, nec per sensus corporales percipi queant.

Hinc & uno consensu notant Jurisperiti, res incorporales, ut sunt servitutes tam reales, quàm personales, actiones, jura seu temporalia seu spiritualia, propriè apprehendi, aut occupari non posse, eoque sensu similium quoque jurium non esse propriè dictam possessionem, sed duntaxat *quasi possessionem.*

Hæc verò *quasi* possessio non reali vel corporali, quemadmodum corporalia traditione vel apprehensione, sed usu & patientiâ acquiri dicitur.

Itaque quasi possessio jurium, quantùm ad præscriptionem, solet suum habere initium à tempore, quo quis incipit esse in usu vel exercitio horum jurium.

Quapropter nemo dubitat, quin aliquis constituatur in quasi possessione Juris præsentandi ad Beneficia per actum pacificum præsentationis: imò communiter tradunt Doctores, quòd unicus actus sit sufficiens, ut quis dicatur esse in quasi possessione similis Juris, uti post alios citatos monet Covarrubias in *Relectione cap. Possessor, parte* 1. §. 1. *num.* 6.

Neque ullus ambigit, quin per similes actus acquiratur jus levandi decimas in aliqua Parochia.

Porrò jura illa quandoque versantur duntaxat circa res singulares & determinatas, præsentationem puta ad particulare aliquod Beneficium, vel ad decimas certo in agro, vel parte Parochiæ levandas, aut certam duntaxat decimarum speciem, minutarum puta, novalium, aut veterum.

Interdum verò jura hæc sunt generalia & indeterminata, qualia sunt Jus præsentandi ad omnia & qualiacunque Beneficia alicujus Diœcesis, Civitatis, aut Ecclesiæ, item Jus levandi generaliter omnes decimas intra limites alicujus Parochiæ excrescentes.

Posteriùs hoc genus vocari solet *Jus universi*; eo quòd sua universalitate ad omnia sese extendat, neque ad ulla singularia sit restrictum.

§. II.

Quomodo acquiratur quasi possessio juris universi.

CIrca modum acquirendi quasi possessionem Juris *universi* major difficultas apparet, quam circa modum acquirendi quasi possessionem Juris particularis, & determinati.

Dum enim quis actu præsentat ad certum Beneficium, aut certo in fundo decimas levat, nequaquam obscurum est, ipsum habere animum sibi asserendi, & appropriandi Jus præsentandi ad hoc Beneficium, vel levandi decimas in hoc fundo vel districtu, in quo eas levavit, & sibi appropriavit.

At circa Jus *universi* non æquè expeditum est, quandonam per actus aliquos particulares *quasi possessio* hujus Juris acquiri possit.

Cùm enim hi actus duntaxat versentur circa quædam particularia sub isto Jure *universi* comprehensa, circa præsentationem puta ad hoc illudve Beneficium, prout ea vacare contingunt, vel levandas decimas in his, illisve fundis excretas; difficultas est, qualiter ex illis actibus haberi animus quasi possidendi queat, & sibi apropriandi Jus *universi* complectens non tantùm Jus præsentandi ad Beneficia, ad quæ aliquando præsentavit, aut Jus levandi decimas ex illis fundis, è quibus realiter illas levavit, sed Jus præsentandi ad Beneficia omnia, etiam ad quæ hactenus non præsentavit, vel ad decimas excretas in fundis, è quibus hactenus decimas non levavit.

Et quidem si quis alius sit in quasi possessione Juris *universi* præsentandi puta, aut levandi decimas, eo casu ex particulari præsentationis, aut certarum decimarum levationis actu acquiri non posse quasi possessionem Juris *universi*, post Pannormitanum ad *cap. cum olim* ✠ *de Præscript.* communiter docent Canonistæ, tametsi etiam actus illos exercuisset animo acquirendi quasi possessionem Juris *universi*.

At si nemo alius sit in quasi possessione Juris *universi*, tunc ex uno actu quasi possessionis inferitur ad possessionem *universi*, sive omnium aliorum ejusdem generis, præsertim si sat appareat, actus illos particulares esse factos animo utendi jure *universi*.

Animus autem ille haberi censetur, si actum exercens habeat causam seu titulum universalem, ex quo actus ille procedit, uti notat post Innocentium & alios Panormitanus loco citato, & sequitur Fagnanus ad idem *cap. Cum olim.*

Præsumitur enim is, qui actum exercuit, egisse conformiter ad titulum seu causam, cui Jus, vi cujus actum hunc exercuit, innititur.

Cùm ergo causa illa sive titulus spectet ad Jus *universi*, etiam censetur actum illum exercuisse vigore hujus juris *universi*, & consequenter animo asserendi sibi Jus illud *universi*.

Unde rectè reflectit Postius in Mandato de manutenendo *observat. 7. num.* 85. quòd » circa acquisitionem possessionis magis sit consideranda causa actus, quam exercitium ipsius actus, » & sic etiam per unicum actum singularem; si tamen causa seu » privilegium sit universale, acquiritur universalis possessio manutenibilis. «

Id quoque evenit in acquirenda possessione rei corporalis.

Ut enim per occupationem acquiratur possessio alicujus rei corporalis, fundi puta quantumvis extensi, non requiritur occupatio realis totius ipsius fundi, sive omnium ejus partium, sed sufficit etiam occupatio realis *unius glebæ* animo occupandi fundum universum, & integrum, sive singulas ejus partes juxta Juris Consultum *in L.* 3. §. 5. *ff. de acquirenda vel amitt. poss.*

Postquam enim dixisset, possessionem corpore & animo acquiri, subdit: » Quod autem diximus & *corpore*, *& animo acquirere nos debere possessionem*, non utique sic accipiendum » est, uti qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet, sed sufficit quamlibet partem fundi introire, dum » mente & cogitatione hac sit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere. «

Hinc uno consensu concludunt Jurisconsulti cum Dionysio Gothofredo in notis ad hanc legem, quod apprehensione partis fundi censeatur totius fundi possessio apprehensa, *etiam ejus quod per alluvionem adjicitur*, ut expressè monet Gothofredus.

Cùm igitur in acquirenda *quasi* possessione rerum incorporalium sive jurium, idem valeat actus exercitus hujusmodi jurium, quòd apprehensio sive occupatio realis in acquirenda possessione rei corporalis, rectè concluditur, quòd sicut per occupationem unius particulæ rei corporalis possessio totius rei acquiritur, ita per unicum actum juris alicujus *universi* quasi possessio hujus integri juris censeatur obtenta, modò ea cogitatione, seu animo actus ille censeatur exercitus, ut quasi possessio Juris *universi* habeatur, quemadmodum etiam requirit Juris-Consultus, ut per apprehensionem partis fundi totius fundi possessio habeatur.

Itaque in casu præsenti Domina Abbatissa Cortenbergensis, sive Monasterium levando decimas tam veteres quàm novales titulo primævæ concessionis ipsius Ecclesiæ seu Altaris de Leest *quoad temporalia* factæ per Burchardum Episcopum Cameracensem censenda est per actum illum fuisse in quasi possessione Juris *universi* levandi decimas tam veteres, quàm novales, tametsi in quibusdam fundis nullas hactenus actualiter levâsset: quemadmodum quis censetur esse in possessione istarum partium fundi, quas nunquam realiter occupavit, imò nec tempore, quo possessionem per occupationem partis accepit, erant partes istius fundi, sed demum postmodum per alluvionem accesserunt: eo quòd per occupationem partis fundi censeatur accepisse possessionem *universi*.

Igitur per actum levandi decimas in certa Parochia ex causa sive titulo universali, censetur etiam vigore Juris *universi* habita possessio levandi decimas novales ex fundis, qui hactenus ad culturam redacti non fuerant.

Quod & in simili casu resolvit & notavit Wamesius Consilio Canonico 440. *n.* 8. dicens, quòd qui est in possessione percipiendi decimas » generaliter animo acquirendi omnes omnino decimas in omnibus Parochiæ fundis, etiamsi ex certo » aliquo prædio non percipiat decimas, quia decimales fructus » ex culto fortè fundo nati non sint, in eo quoque prædio jus » decimandi acquisivisse censeri debet, si modo alius non sit in » possessione decimas ex illo fundo percipiendi. «

Idipsum docet Postius in Tractatu Mandati de manutenendo *observ.* 73 *n.* 85. » Quòd si cum possessione probetur etiam » titulus seu privilegium, tunc ex possessione universali, licèt » Jus resistat, datur manutentio: ita ut probans possessionem » ex privilegio decimandi in toto aliquo territorio fructus, qui » in eo alias nascebantur, juvetur etiam respectu Novalium postea ruptorum in eodem territorio: ratio est, quia probato privilegio, cessat Juris assistentia & resistentia respectivè, cum » possessio justificetur ex titulo, & consequenter permittitur extensio ipsius possessionis, quæ aliâs erat prohibita, quia magis » est consideranda causa actûs, quàm exercitium ipsius actus, » & sic etiam per unicum actum singularem, si tamen causa seu » privilegium sit universale, acquiritur universalis possessio manutenibilis. «

§. III.

Quid requiratur ad præscriptionem juris levandi Decimas Novales.

DEcimas seu veteres seu novales de Jure communi pertinere ad Ecclesiam Parochialem, eamque habere intentionem fundatam ad universas decimas infrà limites suos excrescentes, quoadusque alius legitimum titulum in contrarium protulerit, indubitatum est.

Hinc communiter concludunt Canonistæ, quòd præscriptio juris decimandi contra Ecclesiam Parochialem nemini suffragari queat, nisi hæc fulciatur possessione 40. annorum cum titulo, vel possessione per tempus immemoriale, cujus initii non extat hominum memoria, juxta *cap.* 1. *de Præscript. in VI.*

In hac enim Decretali resolvit Bonifacius VIII. quòd præscribenti non sufficiat bona fides, si ei sit contrarium Jus commune, vel habeatur præsumptio contra illum, » sed sit necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi, ni» si tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non extat. «

Ut ergo jus levandi decimas in aliqua Parochia titulo præscriptionis contra Ecclesiam Parochialem acquiratur, sufficit præscriptio longissimi temporis, quod de jure est 40. annorum cum bona fide & titulo, vel præscriptio tanti temporis, cujus initii memoria non extat, sive temporis immemorialis, quod titulum, seu ejus probationem non requirit.

Tanti quippè temporis præscriptio sive quasi possessio levan-

vandi decimas inducit tituli præsumptionem juris & de jure, omnemque tituli probationem supplet.

Cum autem decimæ veteres & novales non differant, nisi quòd illæ crescant in fundis coli ab antiquo solitis ; Novales verò percipiantur quidem de eadem speciale fructuum, & eodem Jure & titulo, sed ex agris de novo ad culturam redactis, eodem præscriptionis modo Jus ad novales acquiri posse, quo acquiritur Jus ad veteres, uno consensu tradunt Canonistæ.

Licèt enim non omnes admittant, quod præscriptio Juris levandi decimas extendatur ad novales, nullus tamen inficiatur, quin per quasi possessionem 40. annorum cum titulo vel temporis immemorialis sine titulo Juris levandi decimas *novales*, etiam Jus ad has decimas acquiratur.

Ita Andreas Vallensis ad titulum de *Decimis* §. 9. *num.* 5. postquam dixisset præscriptionem simplicem decimarum non extendi ad *novalia* in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, subjungit hanc exceptionem : » Nisi etiam possedisset novalium » decimas tempore immemoriali sine titulo, aut cum titulo qua» draginta annis. «

Et in terminis tanquam indubitatum scribit Rebuffus in tractatu *de Decimis, quæst.* 14. *num.* 17. quòd *eodem tempore* præscribi possint decimæ *novales*, quo *veteres decimæ*.

Hinc ulteriùs concludit, quòd, » si Monachi de novali» bus habeant titulum *Coloratum*, tunc quadraginta anni suf» ficient ad præscribendum eas sicut in aliis. «

§. VI.

An Monasterio vel Capitulo, cui Ecclesia Parochialis est incorporata quoad temporalia, resistat jus commune in perceptione decimarum novalium.

PRobatum est suprà *cap.* 2. §. 2. quòd Monasteria, & Capitula possidentia Ecclesias Parochiales sibi appropriatas quoad temporalia vigore hujus incorporationis habeant fundatum Jus ad omnes decimas, & proventus, ad Ecclesiam Parochialem sic incorporatam spectantes.

Itaque si per Authentica instrumenta, aliaque juris adminicula probatum fuerit Ecclesiam aliquam Monasterio vel Capitulo incorporatam sive concessam quoad temporalia, unà censetur illud habere intentionem fundatam de jure communi percipiendi omnes decimas tam novales quàm veteres infra limites hujus Parochiæ excrescentes.

Cùm enim de jure communi decimæ illæ pertineant ad Ecclesiam Parochialem, consequenter pertinent ad Monasterium vel Capitulum, cui hæc Ecclesia unà cum temporalibus proventibus est concessa & appropriata.

Dum ergo probatum est, quòd Monasterio vel Capitulo fuerit prædicto modo Ecclesia concessa, non amplius Jus commune Monasterio vel Capitulo in perceptione decimarum resistit, sed potiùs favet ; cùm suficiat, eas ad Ecclesiam parochialem spectare, ut Monasterio vel Capitulo ad eas jus competat ratione Ecclesiæ Parochialis sibi appropriatæ.

Et hoc est, quod voluit Rebuffus in tractatu de *Portione Congrua*, *num.* 108. scribens : » Quando Religiosi vel alii per» cipientes Ecclesiæ redditus probant omnes illius proventus in » fundatione, vel unione sibi donatos, tunc ipsi sunt fundati de » Jure communi in illis fructibus, adeò quod Vicarius perpe» tuus vel Curatus petens fructus vel decimas, tenetur proba» re ad se spectare. «

Porrò indubitatum est, quin sufficienter probent Religiosi omnes Ecclesiæ proventus in fundatione vel unione esse sibi donatos, quando Ecclesiam sibi probant concessam sive incorporatam *quoad temporalia* in usus ibidem Deo servientium.

Si quis igitur contra Monasterium vel Capitulum, cui Ecclesia Parochialis eo modo concessa probatur, decimas sive veteres sive novales prætendat, habet resistentiam Juris communis: eo quòd prætendat decimas infra limites parochiæ, quæ de Jure communi spectant ad Ecclesiam Parochialem juxta *Cap. Cum contingat*, ✠ *de Decimis*, & consequenter ad Monasterium vel Capitulum, cui Ecclesia hæc cum omnibus suis proventibus est appropriata.

Hinc ulteriùs concludendum, quòd requisita ad præscriptionem decimarum expressa in citato *Cap.* 1. *de Præscript. in VI.* ob Juris resistentiam non obtineant respectu Monasterii vel Capituli, cui Ecclesia quoad temporalia probatur concessa, quia tunc Monasterium vel Capitulum non habet resistentiam Juris, sed è contrario Vicarius aut quivis alius decimas sive novales sive veteres prætendens ; eo quòd tali casu deberent probare, illas ad Ecclesiam parochialem Monasterio vel Capitulo appropriatam non spectare.

Nequaquam ergo Monasteria vel Capitula, quibus Ecclesiæ Parochiales sive Altaria simili modo quoad temporalia sunt incorporata vel donata, æquiparanda sunt iis Monasteriis vel Capitulis, quibus vel ex speciali privilegio, vel titulo præscriptionis competit jus levandi decimas in aliqua Parochia.

Dum enim ex simili præscriptionis, aut privilegii titulo simpliciter jus decimandi Monasterio vel Capitulo competit, vigore hujus privilegii, vel præscriptionis ipsa Ecclesia non habetur ipsi Monasterio vel Capitulo appropriata vel incorporata ; sed duntaxat jus decimas levandi in illa Parochia competit Monasterio vel Capitulo, salvâ manente Ecclesia ipsi Presbytero sive Curato, qui illam in titulum tanquam sibi propriam per institutionem canonicam accipit tam quoad spiritualia, quam temporalia, excepto solo jure decimarum, quod Monasterium vel Capitulum probare debet sibi ex speciali privilegio, vel præscriptione esse acquisitum.

Verùm si Ecclesia sive Altare sit incorporatum vel donatum quoad temporalia Monasterio vel Capitulo, vigore hujus donationis, & incorporationis Monasterium vel Capitulum non tantùm simpliciter acquirit Jus decimarum, sed ipsa Ecclesia Parochialis censetur per eam donationem & incorporationem Monasterio vel Capitulo quoad temporalia appropriata & quasi propria ipsius Ecclesiæ effecta : ideoque proventus istius Ecclesiæ, Monasterium vel Capitulum eo casu sibi appropriat tanquam proventus suæ Ecclesiæ.

Hinc ulteriùs contingit, quòd Presbyter seu Vicarius Ecclesiæ sic incorporatæ Præfectus Ecclesiam illam quoad temporalia non possideat tanquam propriam, utpotè proprietate quoad temporalia in Monasterium vel Capitulum vigore istius incorporationis translata : & cosequenter nec Vicario ullum Jus ad temporalia istius Ecclesiæ ampliùs competit excepto solo Jure ad competentiam sive portionem congruam, idque vigore clausulæ in ipsa Ecclesiæ incorporatione expressa vel tacitè subintellecta.

Multùm proinde distinguendi sunt tituli, quibus Monasterium vel Capitulum jus levandi decimas in aliqua Parochia sibi competere probat.

Si enim ex simplici privilegio vel præscriptione simile jus prætendat, indubiè Jus commune stabit pro Ecclesia Parochiali, eritque tunc procedendum quoad titulum præscriptionis juxta decisionem *cap.* 1. *de Præscrip. in VI.* ac insuper privilegium & præscriptio in simili casu restringenda erunt intra præcisos terminos privilegii & possessionis, utpotè contraria Juri communi atribuenti decimas Ecclesiæ parochiali, sive illi, qui Ecclesiam parochialem quoad temporalia in titulum possidet.

Si verò Monasterium vel Capitulum probet, sibi Ecclesiam parochialem quoad temporalia appropriatam, tunc Monasterium vel Capitulum non prætendit levare decimas in aliena Parochia vel Ecclesia, sed tanquam in propria ; neque Presbyter seu Vicarius eas proprio jure prætendere potest, eo quòd Ecclesiam hanc in titulum quoad temporalia non possideat, sed quoad hunc titulum transierit in Monasterium vel Capitulum.

Multo proinde pingius est jus ad decimas, aliosque proventus, quod acquiritur per incorporationem seu donationem Ecclesiæ parochialis quoad temporalia, quàm illud, quod acquiritur ex speciali privilegio vel præscriptione levandi decimas in aliqua Parochia, eo quòd priori modo Ecclesia quoad titulum incorporetur, & fiat propria Monasterii vel Capituli, non autem posteriori.

Hinc ulteriùs contingit, quòd vigore ejusmodi privilegii, aut præscriptionis levandi decimas, Monasterium vel Capitulum non acquirat jus Patronatûs, aliaque jura, que solent jura vocari primitivi Pastoris, quæ tamen acquiruntur vigore incorporationis, seu donationis Ecclesiarum parochialium quoad temporalia.

Hæc enim jura primitivi Pastoris non ex aliquo speciali privilegio vel ex cura animarum primitùs per Monachos aut Canonicos exercita competunt Canonicis, aut Abbatibus, sed vigore solius incorporationis, & unionis Ecclesiarum parochialium quoad temporalia, uti rectè post alios notat Le Maistre *Plaidoyé IX.* ubi imprimis sustinet, quòd Pastor Primitivus dicatur ob Ecclesiam incorporatam, quæ primitùs erat Beneficium Curatum, seu per unionem conversa est in Beneficium simplex, cura animarum translata in Vicarium. Verba ejus sunt : *Le Curé primitif en France est celuy, qui a droit de jouïr des fruits d' un Benefice uni, lequel avoit charge d' ames, selon sa premiere & primitive institution : mais qui depuis a eté converti en Benefice simple, le soin des ames ayant eté transferé à un Vicaire perpetuel, avec réserve d' une partie des fruits pour son entretenement.*

Observat quoque idem Auctor nomen hoc primitivi Pastoris esse recens, nec in Jure Canonico mentionem ejus fieri. *Quant aut non* (inquit) *de Curé Primitif, il à eté inconnu aux anciens, & il ne se trouve point dans le Droit Canonique, quoiqu' il s' y traitte souvent de l' union des Eglises Parochiales, & de l' institution des Vicaires perpetuels.*

Utque probet jura primitivi Pastoris non derivari ex cura animarum primitùs per Canonicos, aut Religiosos exercita, sed

sed ex ipsa incorporatione Ecclesiarum, notat hæc jura etiam competere Congregationibus laicorum & filiarum. *Puisque nous voyons* (ait) *que non seulement des Chapitres, mais encore des Colleges & des Communautez seculieres, des Monasteres d' hommes & de filles, & meme de chevaliers, comme ceux de S. Jean de Hierusalem, on droit de jouir des fruits de diverses Cures, & sont Curez primitifs.*

§. V.

Monasterium Cortenbergense fuit in quasi possessione juris universi levandi decimas novales per Parochiam de Leest, *nec ei Jus commune resistit.*

COnstat evidenter ex actis hujus causæ, quòd Monasterium Cortembergense à tempore memoriam hominum excedente per integram Parochiam de *Leest* decimas levaverit, non tantùm veteres, quæ ad Ecclesiam Parochialem pertinebant, sed & novales in quacunque Parochiæ parte excretas.

Quæ continua decimarum levatio, sive perceptio pacifica Monasterium Cortenbergense indubitanter constituit in quasi possessione juris levandi decimas per Parochiam de *Leest*, idque sine distinctione loci aut fundi, in quo contingeret fructus decimabiles excrescere.

Accedit quòd constet, Monasterium Cortenbergense decimas illas levasse titulo concessionis sive incorporationis Ecclesiæ seu Altaris de Leest *quoad temporalia* sibi factæ per Burchardum Episcopum Cameracensem tunc temporis Ordinarium istius Ecclesiæ sive Altaris.

Cùm autem hæc causa sive titulus sit generalis, consequens est juxta ante dicta Monasterium Cortenbergense per continuam illam levationem decimarum etiam novalium fuisse in quasi possessione *juris universi* levandi decimas quoque novales ex omnibus fundis hujus Parochiæ quandocunque ad culturam reducendis, & fructus decimabiles proferendis.

Præterea quia Monasterium titulo hujus concessionis habet sibi Ecclesiam Parochialem de *Leest* appropriatam quoad temporalia *in usus ibidem Deo servientium*, consequens est ex antedictis Monasterium Cortenbergense, probatâ hâc incorporatione seu donatione non habere Juris communis resistentiam in perceptione decimarum novalium, sed potiùs ejusdem assistentiam: quandoquidem de Jure communi decimæ novales spectent ad Ecclesiam Parochialem, adeoque ad Monasterium, cui Ecclesia Parochialis probatur appropriata quoad temporalia, id est, decimas, aliosque ejus proventus.

Ex quo ulteriùs deducitur, requisita ad præscribendum decimas in aliqua Parochia, de quibus in *cap.* 1. *de Præscript. in VI.* non requiri respectu hujus Monasterii; eo quòd probatâ appropriatione seu concessione Ecclesiæ Parochialis quoad temporalia sibi facta non resistat ipsi Jus commune, sed potiùs assistat, addicens utpotè Decimas etiam *novales* ipsi Ecclesiæ seu Altari Monasterio jam appropriato.

At si Vicarius vel quis alius prætendat decimas novales contra Monasterim Cortenbergense debebit ostendere titulum cum possessione XL. annorum, vel quasi possessionem, cujus initii memoria hominum non extat, juxta præscripta in citato *cap.* 1. Ratio est, quia Vicarius vel alius quiscumque decimas novales contra Monasterium sibi asserens, debet unâ sustinere, eas non spectare ad Ecclesiam Parochialem, nam nisi hoc probetur, manebunt penes Ecclesiam Parochialem vigore juris communis, & consequenter, unà cum Ecclesia Parochiali pertinebunt ad Monasterium, cui Ecclesia cum suis decimis est appropiata.

Verum est, quod Vicarius de *Leest* levaverit aliquando decimas *novales* in Parochia de *Leest*, etiam post concessionem, & incorporationem factam anno 1129. per Burchardum Episcopum Cameracensem, uti & partem veterum decimarum, at illas novales non levavit quasi de jure communi, & titulo suæ Vicariæ sibi competens, sed tanquam sibi à Monasterio Cortenbergensi in congruam portionem assignatas & relictas, quo titulo & veteres percepit, uti in præcedentibus notandum fuit.

Si ergo quæratur, quo jure Monasterium Cortenbergense prætendat jus *universi* levandi decimas tam veteres quàm novales per Districtum Parochiæ de *Leest*, respondetur, quòd jus illud prætendat jure Ecclesiæ Parochialis sibi quoad temporalia appropriatæ ad usus *inibi Deo servientium*, sub onere dandi Presbytero curam animarum sustinenti portionem congruam, sive competentiam; non autem titulo simplicis privilegii, aut præscriptionis levandi partem decimarum, vel etiam integras decimas in Parochia de *Leest*.

JUDICIUM

Doctorum J. U. Universitatis Lovaniensis.

VIsis, & examinatis rationibus in hac Dissertatione allegatis, & deductis, supposita omnium factorum veritate, suppositis nominatim etiam incorporatione, ut tali, & insuper possessione immemoriali constanter secutâ, (quæ possessio in Jure vim tituli habet, & servire potest ad interpretandum titulos anteriores) per Monasterium Cortenbergense percipiendi decimas omnes etiam novales in Parochia de *Leest*: Prior & Doctores Strictæ Facultatis Utriusque Juris censet, sufficienter probatum esse dictum Monasterium Cortenbergense fundatam intentionem habere dictas decimas omnes etiam novales percipiendi. Ita visum Lovanii hac 22. Januarii 1711. inferiùs habebatur.

Signatum erat.

De Mandato Dominorum meorum.

P. De Vaddere Facultatum J. U. Bedellus
Secretarius & Notarius Apostolicus.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Numerus paginam, littera A. primam, B. secundam columnam designat.

A

Abbates factis magis quàm verbis suis præsint discipulis. 11. *a*
Abbas quantùm prælatus est cæteris, tantùm eum oportet solicitiùs observare præcepta regulæ. *ibid. b*
Abbatum obligatio quæ sit ex Regula S. Benedicti 11. *b*
Ex statutis Præmonstratensium. 11. *a*
Abbas suis det omnia necessaria, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. 16. *a b*
Abbati quid faciendum de bonis Religionem intrantis, cum in potestate sua sunt. 42. *a b*
Abbates in mensa sua eosdem cibos habeant quos Conventus. 45. *b*
Abbatis cujusdam de opere auctoris judicium. 75. *b*
Abbates quidam quo tempore cœperint exemptionem à jurisdictione Episcopali ex indulto Pontificis impetrare. 275. *a*
Abbatiarum multarum, Capitulorum, Prioratuum secularitationes ortum ducunt à peculiis, 96. *a*
Abdicatio rerum omnium in Regularibus non est tantùm juris positivi, ex mente Synodi Audomarensis. 2. *b*
Absolutam rerum abdicationem præscribit Regula Sancti Benedicti. 1. *b* 2. *a*
Abdicatio proprietatis Regulæ Monachi non accidentaliter tantùm, sed essentialiter annexa est, ut nec per Pontificem ab ea avelli possit. 59. *a*
Absentia Episcoporum, Pastorum, &c. legi naturali contraria, ut licita quid requiratur. 223. *b*
Absolutio in Officio Ecclesiastico unde dicatur, ejusque usus quam antiquus. 174. *a*
Absolutiones Mendicantium aliorumque Regularium invalidè declaratæ in ordine ad seculares, nisi fuerint ab Episcopo loci admissi & approbati. 281. *b* 282. *a*
Abstineri usu multarum rerum totaliter, facilius est, quam in usu non excedere. 23. *a*
Abundantia Monasteriorum quò major, eò difficilior redditur Religiosorum salus. 40. *a*
Abusus intolerabilis, quòd Monasteria quò sunt opulentiora, eò majores faciant exactiones. 31. *a b*
Abusus etiam in Ecclesiis Cathedralibus circa præsentationem, electionem, &c. beneficiati, deplorat Tridentinum. 55. *a*
Abusus quoad licentiam in jure limitate quidam admittantur, dum alias qualitatibus requisitis destituti sunt. 109. *a*
Abusus extirpandus, quod in quibusdam Ecclesiis minoribus horis non sint assignatæ distributiones. 145. *b*
Abusus Canonicos horas suas persolvere ex Breviario Romano, dum Ecclesia ipsorum alio ritu utitur. 163. *b*
Abusus Canonicorum Divinum Officium præcipitanter persolventium. 168. *a*
Abusus magnus circa Missæ Sacrificium cum divites propter honorarium, pigritiæ aut superbiæ suæ Sacerdotes servire cogunt. 194. *a*
Abusus, quod in plerisque Monasteriis indifferenter, & passim quotidie boni & mali celebrare cogantur. 197. *a*
Abusum, quod Simoniaci tam facilè absolvantur, deplorat Concilium delectorum Cardinalium. 210. *a*
Abusus circa pensiones qui committantur. 219. *a*
Abusum, quod Monachi & Canonici decimarum possessores Ecclesiis Parochialibus sæpè, ut opus est, non provideant, varia Concilia & Pontifices deplorant. 143. *a b* 260. *a*
Acceptio personarum committitur, dum persona, non causa attenditur. 203. *b* 204. *a*
Acceptio personarum & Simonia vitia cognata. *ibid.*
Acceptio personarum in Collatione Beneficiorum quot mala in Ecclesiam invehat. 206. *b*
Accidentia, ut vocant, quæ Parochis dantur, duplicis generis. 258. *a*
Accidentia in congruam Pastorum portionem sint imputanda. *ibid. a b*
Acolythorum quæ sint officia. 120. *a*
Actionum nostrarum Regula, lex æterna. 263. *a*
Actionum nostrarum Regula non est probabilitas. *ibid.* 264. *a b*
Adagium antiquum : Monachus, qui habet obolum, non valet obolum. 51. *b*
Adan Gonzen (P.) mortaliter peccare asserit, qui indignos ad gradus Academicos promovent. 109. *b*
Adrianus VI. abusibus Romanam quandoque Sedem obnoxiam agnovit. 157. *b* 158. *a*
Aelredus (B.) quid de moderna musica sentiat. 165. *a*
Affectui proprietatis eradicando conducit, ut ea, quæ uni Religiosorum donantur, quandoque aliorum necessitati impendantur. 4. *a*
Affectus inordinatissimus, qui sit peccatum mortale, circa res minimas versari potest. 51. *a*
Ager ut sit *novalis* quid requiratur. 242. *a*
Agens sine necessitate, dum subest periculum, ne impingat in jus naturæ, peccat. 263 *a*
Agens ex probabilitate minus quandoque excusabilis, quàm agens ex ignorantia. *ibid.*
Alberone Episcopo Leodiensi corruit Ecclesiastica disciplina. 152. *a*
Alearum lusu quinam inteligantur, & quæ talium ludorum sint incommoda. 134. *a b*
Alearum lusus Clericis interdictus. 135. *a*
Alearum lusum S. Salesius simpliciter malum existimat. *ibid. b*
Alexander III. asserit perniciosam consuetudinem, qua ab ingresuro Religionem pro pastu, aut convivio quid exigitur. 31. *b*
Quid censeat de transactione super Beneficio litigioso. 218. *a*
Alexander VII. condemnavit propositionem, qua asserebatur licere Beneficium interveniente pecunia conferre, dummodo pro collatione Beneficii non exigeretur. 216 *a*
Almasiæ pelliceæ mystica significatio. 144. *a*
Alleluja quid significet. 172. *a*
Quare longiori cantu protrahatur. *ibid.*
Quare aliquando frequentiùs cantetur, aliquando omittatur. 172. *a*
Altare ab Ecclesia, quomodo, & quando distingui cœperit. 240. *b*
Altaris redemptiones quæ olim essent. *ibid.*
Altaris redemptiones tanquam Simoniacas plures Synodi prohibent. *ibid. b*
Alvares Pelagius quæstum Missarum in Ecclesia deplorat. 195. *b*
Quæritur ; Fratres Minores Privilegia à Sede Apostolica impetrare. 291. *b*
Rationem assignat, cur S. Franciscus Fratres suos quocunque loco unica Missa contentos esse voluerit. 195. *b*
Ambrosius (S.) hymnos in Mediolanensi Ecclesia primum decantari jussit. 172. *b*
Ambrosius Beltramus peculiorum defensor, quis & qualis fuerit. 92. *b*
Amortizationis lex confundi non debet eum Edictis Principum, statuentium ut Monasteria non succedant in hæreditatem Religiosorum. 29. *b*
Ananiæ & Saphiræ similes Religiosi, qui nolunt omnia absolutè esse communia : licèt etiam talia superioris custodiæ committant. 3. *b* 58. *b*
Anselmus (S.) oblatam sibi pecuniam, apposita conditione ne in commune conferret, respuit. 83. *a*
Spuriis quibusdam SS. Patrum epistolis delusus. 113. *b*
Antiphonæ unde dictæ, & qua ratione pellendis distractionibus sint utiles. 173. *a*
Anxietas, ne desint necessaria, causa peculiorum. 86. *a*
Appetentia rerum temporalium, causa exactionum, quas Monasteria ab ingressuris faciunt. 40. *a b*
Argumenta, quibus transactiones pro ingressu Monasterii quidam à Simonia excusare conantur, diluuntur. 26. *usque* 30.
Argumenta P. Clenaerts pro defensione peculiorum perstringuntur. 62. *b*
Argumenta pro asserenda dotum exactione refutantur. 67. *usq.* 71.
Argumentum à consuetudine quàm sæpè perniciosum. 98. *a b*
Artificiolum Clericis exercere licet, ne ex turpi Missarum lucro sibi victum comparent. 196. *a*
Avaritiæ suspicio cavenda, dum à Monasteriis gratuitò aliquid accipitur. 41. *b* 42. *a*
Avaritia excæcat Religiosos, ut sæpè divites pro pauperibus tanquam magis idoneos recipiant ad Religionem. *ibid. b*
Avaritia superiorum proprietatis in subditis causa. 84. *b* 85. *a*
Avaritia omnibus cavenda, at præcipuè Clericis. 128. *b*
Avaritia Ecclesiarum quæ mala producat. 129. *a*
Avaritia excœcantur Ecclesiastici. 128. *a b*
Avaritiæ suspicio in Ecclesiasticis, qui facilè à statione sua dis-

ce-

cedunt, ut pinguius Beneficium obtineant. 133. *b*
Avari ex S. Ambrosio descriptio. 128. *b*
Angustinus (S.) in Regula, quam scripsit, perfectam requirit bonorum communionem. 1. *b*
Augustini Sermones de vita communi Fratrum. 86. *a b*
Augustinus vestem pretiosam sibi oblatam vendit, ut pretium fiat commune. 84. *a*
Augustinus Episcopus si sine peculio vixit, quanto magis teneantur idem observare Eremitæ ejus Regulam profitentes. 191. *b*
Augustinus Ecclesiæ cantu ad Dei amorem commotus. 159. *a*
Auctoris de peculiaritate Religiosorum sententia, an nimis rigoris accusanda. 50. *b*.
Auctoris Librum de Peculiaritate idiomate Flandrico versum, quàm malè aliquos habeat. 89. *a b*
Auctoris Opera de peculiaritate, quibus odiosa. 94. *b*
Auctor operis an meritò dicatur Anti-monachus. 96. *a*
Auctoritatem sibi per luxum conciliare Ecclesiastici non debent. 127. *a*
Auctoritate quorumdam Doctorum, qui probabile quid statuunt, in quas absurditates prolabantur. 264. & 265.

B

Baculus Pastoralis Episcoporum designat, eos ad subditorum excessus corrigendos esse institutos. 103. *b*
Baronii de Fratre Elia testimonium, qui primò Franciscanis Privilegia obtinuit. 291. *a*
Bartholomæus de Martyribus ait: à communi & trita praxi ad singularitatem quandoque deflectendum exemplo Sanctorum. 15. *a*
Ejusdem ad Beneficiorum Collatores monitum. 207. *b*
Basilius (S.) optat, ut pro norma vitæ paucorum exemplum sequamur. 15. *a*
Vix admittit gratis oblata Monasteriis. 43. *a*
Basilense Concilium Vide *Concilium Basileense*.
Belgarum consuetudine Justiniani leges abrogatæ, quibus jus competebat Monasteriis ad bona ingredientium. 29. *a b*
Bellarminus (Cardin.) efficacissimum medium ad extirpandum vitium proprietatis asserit esse, quòd non plures admittantur, quàm alii possint. 17. *a*
Ejusdem de Religiosorum Ordinum multiplicatione sententia. 39. *a b*
Ejusdem sententia de Horis Canonicis per diversa temporum intervalla recitandis. 167. *a*
Ejusdem ad Nepotem monitum de Sacerdotibus turpem quæstum ex Misarum celebratione captantibus, non ordinandis. 196. *b*
Beltramus (Ambrosius) peculiorum defensor quantæ auctoritatis sit. 92. *b*
Benedictus (S.) perfectam bonorum communionem suis præcipit. 2. *a*
Beneficiorum superflua ex justitia in pios usus debent expendi. 50. *a*
Beneficiorum proventus, in quos usus exponat. 126. *b*
Beneficio Ecclesiastico individuè jus percipiendi fructus annectitur, adeo ut unum sine altero vendi non possit. 180. *a* 270. *b*
Beneficia conferentes, Ecclesiæ bonum primò debent spectare. 204. *a*
Beneficiorum collatores non satisfaciunt muneri suo eligendo dignum posthabito digniore. *ibid. b*. 205. *a*
Beneficium Ecclesiasticum ultrò petentes, de ambitu frequenter suspecti esse possunt. 205. *a b*
Beneficium ut consanguineo conferatur, quæ præcipuè attendendæ. 205. *b*
Beneficia consanguineis conferentes, à scandalo præcipuè caveant. *ibid.*
Beneficiorum collatoribus quæ præcipuè attendenda. 206. *b* 207. *a*
Beneficiorum collatores quo casu possint quandoque eligere minus dignum. 207. *b*
Beneficium dimittere tenentur ii, qui per Simoniam ipsis etiam ignorantibus commissam illud obtinuerunt, quot auctoritate & exemplis probatur. 208. *a*
Beneficium Simoniacè adeptum ut quis retineat, quot & quantæ rationes expendendæ. 209. *a b*
Beneficium possedisse, non est titulus sufficiens creandæ pensionis. 212. *a*
Beneficiorum permutationes, &c. *quære Permutationes Beneficiorum.*
Beneficiorum resignatio, &c. *quære Resignatio Beneficiorum.*
Beneficia plura possidere quandonam licitum censeat S. Thomas. 223. *b*
Beneficiorum pluralitas legi naturali contraria. 100. *a*
Beneficiorum unionibus Pastoribus sucurrendum; & qua cautela. 251. *b*
Beneficium Pastoratui incorporatum in portione congrua computandum. 255. *b*
Beneficiati omnes tenentur Horas Canonicas persolvere. 155.
Beneficii nomine quid apud Scriptores aliquos Gallos intelligatur. 239. *a*
Bernardus (S.) Paupertatem Religiosam vult etiam in Templis apparere. 17. *b*
Paupertatem, ait, non habere, qui ob ejus incommoda fiunt pusillanimes. 18. *a*
Quid de nugatoriis verbis à Sacerdote prolatis sentiat. 120. *a b*
Quid requirat, ut laudes Divinæ distincte recitentur. 182. *b*
Quid requirat, ut dispensatio licitè concedatur. 223. *b*. 228. *a*
Monachos quosdam otiosos decimas possidentes quomodo increpet. 243. *a*
Monachos quosdam perstringit, qui titulo protectionis Sedis Apostolicæ exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione ostendebant. 276. *b*
Bonaventuræ (S.) Monitum ad Ordinis sui Provincialem, ut sumptuositati parcat. 17. *b* 40. *b*
Ejusdem Monitum ad Sacerdotes de celebratione Missarum. 197. *b*
Bona (Cardinalis) laxitatum Patronos quo nomine insigniat. 264. *b*
Bona à Religiosis possideri non possunt, nisi prius fuerint Monasterio incorporata. 5. *a*
Bona sua offerentes Monasteriis principaliter intendunt, ut ea cedant alimentationi & sustentationi Religiosorum. 24. *a*
Bona Monasteriorum quo sensu dicantur bona pauperum. *ibi. a*
Bona intrantium Monasteria, in tres partes dividi suadet *Magister* in regula. 44. *a*
Bonorum perfecta communio qualis esse debeat, exemplo primorum Christianorum ostenditur. 1. *a b* 7. *a b*
Bonorum perfectam communionem in Regula sua præscribit S. Augustinus 1. *a*
Bonorum communione non esse juris merè possitivi quoad Regulares asserit Synodus Audomarensis. 2. *b* 3. *a*
Bonorum Monasteriorum stabilium administratio Officialibus tantùm, & quidem ad nutum superiorum amovilibus concedenda. 9. *b*
Bona quæ paupertatem voluntariam consequantur. 21. *a b*
Bona Ecclesiastica quibus usibus sint destinanda. 126. *b* 127. *a* 211. *b*
Bona Ecclesiastica patrimonium pauperum. 130. *b* 133. *a*
Bonorum Ecclesiasticorum divisio, circa quæ tempora cœperit. 131. *a*
Bonifacii VIII. Decretum, quo prohibet, ne plures in Monasteriis assumantur quàm ali possint, probat etiam non licere quidquam titulo paupertatis ab ingressuris exigere. 35. *a*
Breviarum Romanum hodiernum à quibus emendatum 162. *a*
Breviaria Ecclesiis particularibus propria permissa. *ibid.*
Breviario Romano historiæ quædam non satis certæ & fundatæ continentur. 163. *a*
Bulla quædam Clementis X. an probet peculia esse licita. 77. *a b*
Bullæ cruciatæ indulto non licet Regularibus ab Episcopo non approbatis secularium Confessiones excipere. 282. *a*
Bulla quædam in favorem Mendicantium cur ab Universitate Parisiensi rejecta fuerit. 283. *a b*

C

Calixto I Epistola falso adscripta. 112. *b*
Calixtus III. cùm litteras concepisset, quibus Mendicantium familiæ ad jus commune redigerentur, quid contra ausi sint Mendicantes. 291. *b*
Cæsareæ olim populus noctu ad Psalmodiam conveniebat. 137. *b* 159. *a* 160. *a*
Canonum rigor quibus de causis aliquando remitteretur. 112. *a*
Canonum scientia Canonicis necessaria. 103. *b*
Canones licèt Ecclesia pro tempore cogatur relaxare, nunquam tamen eos abrogare intendit. 104. *a* 224. *b*
Canones, qui ad lites & judicia valent, præ cæteris ad interpretandum selegi deplorat S. Carolus. 105. *a* 224. *b*
Canones regulæ sunt Canonicorum. 110. *a*
Canon 61. Apost. Clericum degradatum ob crimen post peractam etiam pœnitentiam pristino honori destituti vetat. 111. *b*
Canones contra Simoniacos editos necessitas temporum quandoque relaxare cœpit. 209. *b* 210. *a*
Canones, quibus Clericis interdicitur ne sibi successores eligant, quomodo per asignationes Beneficiorum cum clausula: *nec aliter, nec aliàs*, inutiles propè reddantur. 217. *a b*
Canones pluralitatem Beneficiorum prohibentes, quomodo per pensionum praxim reddantur inutiles. 219. *b*
Canonibus quædam prohibentur secundùm legem naturalem omnino illicita, quædam sic illicita, ut tamen in quibusdam circumstantiis licitè fieri possint. 223. *a b*
Canones Ecclesiæ spiritu Dei conditi, cœlestia quædam sunt instituta. 224. *a*
Canonum rigor in causa Donatistarum, cujus boni intuitu relaxatus. 225. *a*

Ca-

Canonistarum & Theologorum antiquorum unanimis sententia non licere Monasteriis opulentis, citra Simoniæ labem, quidquam ab ingressuris exigere. 25. *b* 33. *b*
Canonici à Monachis quomodo differant. 103. *a*
Canonicorum quod sit officium. *ibid. b* 109. *a b*
Canonici alii sunt Canonistæ, alii Theologi. 94. *b*
Canonicorum Cathedralium onus. 102. *a b*
Canonicorum olim habitatio. *ibid. b*
Canonici Episcoporum coadjutores. *ibid.*
Canonicis Scripturæ Sacræ studium incumbit. 105. *a b*
Canonici unde dicti. *ibid. a b* 109. *b*
Canonici vocabantur olim omnes Clerici. 110. *a*
Canonici nomen lapsu temporis appropriatum illis, qui simul congregati exactiorem præ cæteris Canonum observantiam profitebantur. *ibid.*
Canonicos non canonicè viventes qualiter redarguat Molanus. *ibid.*
Canonici inferiori Clero debent moribus prælucere. *ibid. b*
Canonici à quibus debeant abstinere ex præscripto Tridentino. 110. *b*
Canonicorum officium est Horas Canonicas per se solemniter persolvere. 139. *a*
Canonicos teneri per se divinum Officium peragere, & in choro canere, probatur Theologorum etiam laxiorum inducta auctoritate. 140. *a*
Item statutis Conciliorum. 139. *a b*
Canonici quid in electione Vicariorum præcipuè debeant attendere. 141. *a*
Canonicorum quoad Horas Canonicas quæ sit obligatio. 141. *b* 142. *a b*
Canonicis divinum officium celebrantibus quid observandum. 143. *a*
Canonicorum vestes quid mysticè significent. 144 *a*
Canonici etiam minoribus Horis debent interesse. *ibid. b* 156. *a*
Canonici non sunt quoad conscientiam securi, qui integras distributiones iis, qui toti officio non intersunt, aut concedi permittunt, aut ipse recipiunt. 145. *b*
Canonicis non sunt assignandæ distributiones, qui exiguo duntaxat officium intersunt. *ibid. a b* 146. *b*
Canonici tenentur ad continuam & personalem residentiam. 146. *b* 157. *a b*
Canonici juxta statutum Tridentinum, ampliatum etiam ad eos qui in Cathedralibus obtinent Dignitates, quamvis fructus non perciperent, tenentur ut minus 9. mensium residere. 148. *a b*
Canonici quinam à residentia eximantur, & quare. *ibid. a*
Canonici tempore divini officii celebrantes, quandonam in ordine ad distributiones debeant censeri præsentes. 150. *a*
Canonici studiorum causa absentes excepta residentia, leges Canonicis præscriptas debent servare. *ibid. b*
Canonicorum vitæ communis disciplina quando collabi cœperit. 152. *a*
Canonicorum vitæ communis disciplina quando collabi cœperit. 152. *a*
Canonicorum claustra ad vitam communem servandam, quandonam extrui cœperint. 151. *a*
Canonici quandonam vita communi neglecta ad singularem transire cœperint. 152. *a*
Canonici vitam communem ubi deseruerunt, disciplinam illicò relaxarunt. 152. *b*
Canonici hodierni non sunt culpandi, quamvis vitam comunem non servent. 153. *a*
Canonici quæ vitæ comunis vestigia retinuerint. 153. *a b*
Canonici omnibus horis, iisque integris intersint. 156. *b*
Canonici Vicarios ne assumant, merè ob sonoram vocem aut privationem stipendii. 158. *a b*
Canonici officio suo non satisfaciunt, utentes Breviario Romano præter ritum, & consuetudinem Ecclesiæ suæ. 163. *b*
Canonicorum regula quid de pueris choristis seu choralibus sentiat. 165. *a*
Canonici divinum officium præcipitanter persolventes redarguntur. 167. *b*
Canonici, & similes Beneficiati decimas possidentes tale tenentur obsequium Ecclesiæ præstare, ut ratione illius digni fiant mercede sua. 237. *a*
Canonicorum exemplaris vitæ relaxationi quid præbuerit occasionem. 152. *b*
Canonicis similibusque Beneficiatis otiosis, ut onus aliquod Ecclesiasticum imponeretur in Tridentino egerunt Episcopi Gallicani. 237. *b*
Canonici frequentantes officia, quibus annexæ sunt distributiones, cæteris neglectis à Simoniæ affectu non alieni. 270. *a*
Canonicatus appeti cœperunt, postquam vita communis desiderat. 154. *a*
Canonici cujusdam Regularis ad superiores ordinis usum pecuniæ suis permitentes gravis increpatio. 9. *a*
Cantus in Ecclesia longo usu receptus. 163. *b* 164. *a*
Cantus Ecclesiasticus Mediolani tempore S. Ambrosii primùm cœpit. *ibid. a*
Cantus Ecclesiasticus infirmiores ad pietatis affectum excitat. *ibid.*
Cantus alternativus quandonam institutus, & quæ ejus utilitas. *ib.*
Capella Ducis Burgundiæ, in qua singulis diebus officium divinum decantabatur fundationi Capellarum Regiarum occasionem dedit. 160. *a*
Capitulum Windesemense statuit, ut si quid Religioso cuipiam missum est, ex bona consuetudine alii potiùs detur. 4. *a*
Prohibet quibuscunque sociis Rectorum, aut extra gremium Capituli residentibus, ne sub quocunque colore usum aut proprietatem pecuniæ habeant. 9. *a*
Proprietarium esse asserit Procuratorem, qui pecunias sibi concreditas, in alios quàm officii sui usus expendit, non exequendo Prioris sui voluntatem. 10. *a*
Capitulum generale Præmonstratensium statuit, ut omnia Monasterii redigantur in communi. 4. *b*
Capitulorum, Abbatiarum & Prioratuum multorum secularitationes à peculiis ortum habent. 96. *b*
Capitula olim passim vocabantur Monasteria. 151. *b*
Capitulares conventus tempore divini officii ne fiant. 155. *b*
Capitulum *fin.* ✠ *Qui Clerici vel voventes*, an faveat proprietati Monachorum. 14. *a*
Capitula in officiis Ecclesiasticis quid sint, & cur eadem frequentiùs recitentur. 176. *a*
Cardinalium declarationibus Tridentini interpretibus, quibus & qualibus fides adhibenda. 233. *b*
Carolus Borromæus quid à susceptùris Tonsura requirat. 99. *b*
Functiones Ordinum Minorum restaurat. 100. *b*
Quantopere Canonum rigorem restitui desideravit. 105. *b* 221. *a*
Suos de recto usu bonorum Ecclesiasticorum instruit. 127. *a*
Quænam Canonicis divinum officium celebrantibus observanda præscripserit. 143. *b*
Orationem vespertinam & matutinam communem institui jubet. 161. *a*
Quid de redemptione vexæ, ut legitimè fiat, statuerit. 182. *a*
Quæ incommoda oriri censeat, cùm fideles Parochiam frequentare negligunt. 196. *a*
Pensionum praxim quàm improbarit, & in quibus circumstantiis pensionem duntaxat creati permiserit. 221. *a*
Oblationes à fidelibus quæ dispositione animi fieri requirat. 244. *b*
Ne obtentu quidem eleemosynæ voluit quidquam ab Ecclesiasticis pro Sacramentorum administratione recipi. 261 *a*
Privilegia Regularium in ordine ad excipiendas Confessiones sæcularium quomodo restrinxerit. 282. *b*
Quid circa Concionatores Regulares statuerit. 285. *b*
Excommunicandos censuit Regulares, quæ sine Episcopi approbatione Confessiones exciperent. 282. *b*
Casiani sententia proponitur: quàm solicitè Religiosi teneantur etiam quoad res minimas peculiaritatis affectus in se extirpare. 51. *b*
Casiodorus Priscorum Monachorum, dum divinum officium peragerent, modestiam & reverentiam proponit. 164. *a*
Musicam antiquam laudat. 164. *b*
Castigatio vocis quæ requiratur à Subdiaconis. 120. *b*
Castitas qua ratione necessaria sit Ecclessiasticis. 123. *a*
In actionibus omnibus Ecclesiasticorum debet elucere. *ibid. b*
Casus quo non appareat illicitum deposito jure positivo petere aliquid pro ingressu Religionis. 30. *a*
Casuistarum quorundam scandalosæ sententiæ. 57. *a b*
Casuistarum quorundam de Clericis lapsis nefaria sententia. 117. *b*
Censura propositionis asserentis: non posse Episcopos in locis ubi receptum est Tridentinum Regularium approbationes restringere, aut limitari, facta à plurimis Episcopis in conventu pro causa Andegavensi. 281. *b*
Canonistæ Tonsuræ quid significent. 118. *a b*
Ceremoniarum diversitas unitati Ecclesiæ non officit. 163. *a*
Charitas communia propriis, non propria communibus anteponit. 6. *a* 82. *b* 74. *b*
Charitas efficacissimum remedium adversus peculiaritatem 18 *a b*
Charitas debet esse præcipua Clericorum virtus. 122. *a*
Chartarum lusus sub lusu alearum comprehenduntur. 134. *b*
Chorus Ecclesiæ dum officium peragitur, quibus debeat patere. 144. *b*
Christi vita contraria triplici concupiscentiæ, quæ est in hom. 22. *a*
Chorodogangus (S.) circa vitam communem Canonicorum quam regulam scripserit. 150. *b*
Circumstantiæ quænam expendendæ, ut inquiratur an munus titulo gratitudinis pro Beneficio oblatum Simoniacè detur & accipiatur. 183. *b*
Cisterciensium primi fundatores, consuetudines regulæ suæ contrarias quomodo deplorent. 16. *a*
Claustra Canonicorum ad vitam communem servandam, quandonam extrui cœperint. 151. *a*
Claustra Canonicorum vitæ communis, qua olim convibebant, signa. *ibid.*
Claustris Canonicorum successerunt ædes Canonicales. 153. *b*
Clenaerts (P.) an meritò Auctorem *paradoxæ novitatis* insimulet. 66. *b*

Ejusdem quam Christianæ minæ. 73. *b* 74. *a*
Quibus calumniis Operum Auctorem traducat. *ibid. a*
Quomodo tenet *repressalia*. *ibid. b* & 75. *b*
Clementis VIII. Decretum quo in Monasteriis perfectam rerum communionem præcipit. 77. *b*
Clementinæ vide *Decretales*.
Clerus olim neminem admittebat, qui se aliquo crimine, maximè carnis commaculâsset. 111. *a b*
Clerus Gallicanus quid circa Confessarios Regulares statuerit. 281. *b*
Clerus Gallicanus quam formulam statuerit admissionis Regularium ad excipiendas Confessiones. *ibid.*
Clericis seculares scientias interdixit Honorius III. 106. *a*
Clerici nec Sacerdotes tantùm aut animarum Directores, verùm etiam in inferioribus constituti debent laicos vitæ exemplo instruere. 109. *a b* 110. *a b*
Clerici quinam vocarentur non Canonici. *ibid. b*
Clericos depositos ob crimen post peractam pœnitentiam pristino gradui olim non fuisse restitutos probatur ex facto Cornelii Papæ. 111. *b*
Ex Epistolis S. Cypriani, & Auctoritate S. Basilii. *ibid. a*
Ex Epistola Joannis II. Auctoritate Cæsarei Arelatensis, & S. Gregorii. *ibid.*
Ex Epistola Martini. I. 112. *a*
Auctoritate B. Petri Damiani. 114. *a*
Auctoritate Leonis IX. & Urbani II. 209. *b*
Clericos lapsos quamvis Ecclesia modò pristino gradui restitui permittat, condignam tamen pœnitentiam prævie requirit. 125. *a* 117. *b*
Clericis alearum lusus interdicti. 134. *b*
Clericis venatio interdicta & quare. 135. *a*
Clerici omnes olim ad Horas Canonicas persolvendas obligari. 137. *a b*
Clericis studiorum causa absentibus Beneficiorum fructus conceduntur. 149. *a*
Clerici omnes olim Horas Canonicas persolvebant. 155. *a*
Clerici beneficiati omnes Horas Canonicas tenentur persolvere. *ibid. a b*
Clerici olim omnes officium divinum publicè in Ecclesia persolvebant. 156. *a*
Codex Canonum, vide *Canonum Codex*.
Collecta in officio Ecclesiastico unde dicta. 176. *b*
Collectarum auctor primarius S. Gregorius *ibid.*
Collectas pro Parochorum sustentatione fieri qua ratione decreverit Tridentinum. 252. *a*
Collectæ pro sustentatione Pastorum sine Principis auctoritate in Belgio non colligendæ. *ibid. b*
Collectæ pro Pastorum alimentatione non instituendæ, nisi deficientibus decimis. *ibid.* 256. *b*
Communionem perfectam bonorum requirit regula S. Aug. 1. *b*
Communionem absolutam bonorum præcipit in Regula S. Benedictus. 2. *a*
Communio perfecta bonorum non est juris merè possitivi, ex mente Synodi Audomarensis. 2. *b*. 3. *a*
Communioni bonorum repugnat rerum quarumdam Monasterii à reliquis separatio. 4. *a* 5. *a*
Communio perfecta bonorum, exemplo primorum Christianorum. 7. *a*
Communio perfecta rerum omnium ad normam primorum Christianorum, vitæ Cœnobiticæ primum fundamentum. 15. *a* 21. *a b*
Communio perfecta bonorum non tantùm requirit, ut omnia sint communia quoad usum juris, verùm etiam quoad usum facti. 90. *b*
Communio perfecta bonorum quid importet. 79.
Communionem bonorum qualiter inter suos servavit Augustinus. *ibid. a b*
Communionem bonorum servare nolentes Augustinus dimittit ut votifragos. 94. *b*
Communio rerum quoad proprietatem, non quoad usum proprietatis pallium. 62. *b* 86. *b* 87. *a*
Communionem rerum non servantes in Religione claudis comparantur ab Augustino. 64. *a*
Commune dici non potest, quod alicui Religioso certo præfixum servatur. 66. *b*
Competentia Pastoralis quid sit, & quæ ejus origo. 248. *a*
Competentia Pastoralis qualis esse debeat. *ibid.*
Competentiæ determinatio à quo pendeat, & quæ in ejus determinatione attendenda. *ibid. b*
Competentiæ assignatio debet censeri laborabilis. 249. *a*
Competentiæ ratione si disceptatio moveatur, summariè & per provisionem procedendum est. *ibid.*
Competentia transactione tolli nequit. *ibid. b*
Competentia onus reale est, quod decimis inhæret. 150. *a b*
Competentia semel assignata si perierit, decimatores novam tenentur assignare. 260. *a b*
Competentia Pastoribus assignanda, ut sufficiat pro tot Presbyteris, quot ad curam animarum requiruntur. 250. *b*
Competentiam Parochis persolvere quo ordine decimarum possessores teneantur. 252. *b* 253. *a*
Competentiæ Parochis præstandæ subjectæ etiam sunt decimæ infeudatæ deficientibus Ecclesiasticis, non tamen omnes, & quare. *ibid. b* 254. *a*
Competentia in re certa peti potest. *ibid. b*
Competentiam prætendentes quæ emolumenta sibi possint reservare, quæ teneantur dimittere. *ibid.*
Competentiam Pastoralem quinam præter Parochos petere & urgere possit. 255. *a*
Competentiæ assignandæ rationæ quænam sint computandæ. *ibid. b*
Competentiæ Pastorali nullatenus accesendæ oblationes fidelium præsertim quæ in Sacramentorum administratione offeruntur, & quare. 256. *& seqq.*
Competentiæ Pastorali non sunt accesenda honoraria Missarum & quare. 257. *a*
Competentiæ Pastorali an debeant acceseri accidentia. 258. *a b*
Competentiæ assignandæ in casu litis, quis sit judex competens. 259. *a b*
Competentia Pastoralis ad plures Sacerdotes alendos extendenda per sententiam Conc. Brabant. decernitur. 261. 262.
Competentiam concernens casus Doctoribus Lovaniensibus propositus, ejusque resolutio. 259. *a b*
Completorii & Primæ ritus similes. 177. *b*
Concilium Lateranense non favet proprietari Monachorum. 13. *b*
An Monachis permittat peculium de licentia & ad beneplacitum Abbatis. *ibid. b*
Ejusdem verba ponderantur: *Ne Monachi permittantur peculium habere*. *ibid.*
Alearum lusum Clericis prohibet. 134. *a b*
Ejusdem edictum contra exactiones pro admissione ad Religionem. 33. *a*
Concilium Nicænum prohibet, ne ullus omninò mediante pecunia ad Monasterium recipiatur. *ibid. a*
Similiter Concilium Turonense. 33. *a*
Conciliorum istorum Decreta titulum paupertatis excludunt. 33. *a b*
Concilium Turonense inhibet, ne Monachi, nisi sint in administratione constituti, proprietatem habeant etiam de licentia Abbatum. 14. *a*
Concilium Basileense graduatos Accademicos optat ad Ecclesiæ munia assumi. 107. *a b*
Concilium Moguntinum Vicariis Canonicorum debitè provideri statuit. *ibid.*
Concilium Calchedonense Monachos Episcopis subjectos esse voluit. 274. *a*
Conciliorum statuta: quære *statuta Conciliorum*.
Concilia non tantùm ad hæreticos convincendos, sed etiam ad mores reformandos congregata. 147. *a b*
Concilium delectorum Cardinalium abusum reputat, quod Simoniaci tam facilè passim à crimine absolvantur. 210. *a b*
Abusum reputat, quòd Clericis divitibus Pensiones assignentur. 212. *a*
De quibus Beneficiorum permutationibus quid censeat. 214. *b*
Plurima in Ecclesia irrupisse mala censet ex doctrina eorum, qui voluntatem Pontificis, qualiscunque fuerit, regulam statuunt. 226. *a b*
Concilium delectorum Cardinalium qui & quales interfuerint. 226. *b*
Confesarii munus proponitur. 202. *a*
Confessarii munera à pœnitentibus expectantes, quàm facilè excœcentur. *ibid. b*
Confessarii munus ambire quàm suspectum. *ibid.*
Confessarios ex administratione Sacramenti Pœnitentiæ cogi sibi victum procurare, quam sit periculosum. *ibid. b*
Confessarii ex Sacramento Pœnitentiæ sibi victum quærentes ad quàm horrendas quandoque sententias deflectant. 203. *a*
Confessarius satisfactionem pœnitentis in lucrum suum ne vertat. *ibid. b*
Congregationis sacræ varia responsa concernentia proprietatem Regularium. 12. *b*
Congregationis sacræ Decreta super disciplina Regulari. 97. *a*
Congregatio sacra vetat, ne erigantur in posterum Monasteria, nisi sub obligatione vitæ communis assumendæ. *ibid. b*
Constitutio Clementis VIII. *nullus omninò*, non probat dotes intrantium Monasteria inter eleemosynas consuetas reputari debere. 78. *b*
Constitutio Ord. Erem. S. Aug. adversus proprietatem. 81.
Constitutiones Ord. Erem. S. Aug. an sint à Gregorio XIII. confirmatæ. 93. *b*
Consuetudo non reddit peculia licita. 14. *b* 15. *a*
Consuetudo sæpè facit abusus pro lege custodiri. 98. *a b*

Con-

Consuetudo nulla lusum alearum licitum reddere potest. 136. *b*
Consuetudo nulla legis naturalis obligationem tollere potest. 223. *a*
Contareni (Cardinalis) judicium de sententia eorum, qui voluntatem Pontificis tanquam regulam statuunt. 226. *a*
Conventus aliqui deputandi, in quibus Monastica disciplina & vitæ communio exactè serventur ex mandato Sacræ Congregationis. 97. *a*
Conventibus istis quales præficiendi. 97. *a*
Convivia, quantum fieri potest Ecclesiasticis fugienda, & quare. 125. *b*
Convivia solemnia in Universitatibus quàm meritò abrogarentur. 128. *a*
Corduba (Antonius) quàm infundata privilegia asserat Fratribus Minoribus à Leone X. esse concessa. 279. *b*
Cornelius Papa Episcopum post peractam Pœnitentiam ad Laicorum tantùm communionem admittit. 111. *b*
Corollaria, quæ per malam consequentiam ex scriptis Auctoris aliqui deducunt. 71. *a & seqq.*
Corporis habitus qui esse debeat tempore divini officii. 171. *b*
Corruptio Bulla Clementis VIII. Auctori malè objecta. 78. *b* 89. *b*
Corruptio loci citati ex Petro à S. Audomaro. 92. *a*
Crapulam quæ mala consequantur. 127. *b*
Criminum manifestorum & occultorum quoad depositionem, nulla seculo XI. distinctio. 114. *a b*

D

Decanos Capitulorum, de quibus moneat Rodericus Zamorensis. 154. *b*
Decimæ ab oblationibus quomodo differant. 244. *a b*
Decimæ quo titulo Ecclesiasticis dentur. 237. *a b*
Decimæ quo sensu dicantur non ab hominibus, sed à Domino institutæ. *ibid.*
Decimæ, quibus primò debeantur. 189. *b*
Decimæ Religionis tanquam pauperibus ad Ecclesia conceduntur. 190. *a*
Decimas ad alios transferri Ecclesia non intendit, nisi Parocho de sustentatione satis sit provisum. *ibid.*
Decimas possidentes rigidum coram Deo onus portant dandæ Parochis sustentationis integræ. *ibid. b*
Decimas sine consensu Episcoporum acquirere cur olim prohibitum. 189. *b*
Decimæ Parochialium Ecclesiarum nec de jure comuni, nec de consuetudine ad Episcopos spectant. 238. *a b*
Decimæ, ut Pastoribus præscriptionis titulo auferantur, quid requiratur. *ibid.*
Decimæ, aliaque bona Ecclesiastica quando & quo pacto ad laicos translatæ. 239. *a*
Decimæ justo titulo ad laicos quandoque translatæ. *ibid. b*
Decimæ quo pacto à laicis ad Monasteria & Capitula sint translatæ. *ibid. b*
Decimæ sine consensu Episcoporum, aliorumque ministrorum Ecclesiæ passim ad Monachos aut Canonicos olim translatas fuisse Ecclesia non probavit. 240. *a*
Decimæ hodie passim Pastoribus primitivis competunt. 241. *b*
Decimarum possessores Monachos quosdam otiosos quomodo increpet S. Bernardus. 243. *a*
Decimis inhæret onus reale, assignandi Parochis portionem congruam. 250. *a*
Decimarum possessores tenentur Competentiam Pastoribus persolvere, quamvis nullos ipsi fructus percepissent. 251. *a b*
Decimas novalium percipientes tenentur præ cæteris ad competentiam Pastoralem persolvendam. 252. *b* 253. *a*
Decimarum possessores quo ordine ad portionem congruam Parochorum teneantur. *ibid.*
Decimæ infeudatæ quæ dicantur, & quæ earum origo. 253. *b* 254. *a*
Decimæ infeudatæ ante concilium Lateranense III. securè à laicis possidentur. *ibid.*
Decimæ infeudatæ, deficientibus Ecclesiasticis, portioni congruæ Parochis præstandæ sunt subjectæ, non tamen omnes, & quare. *ibid. a b*
Decimæ infeudatæ ad Ecclesiam reversæ congruæ portioni Parochis assignandæ subjectæ sunt. 254. *b a*
Decimarum possessores à quibus ad competentiam Parocho persolvendam urgere possint. 255. *a b*
Decimas possideri ab iis, qui nihil aut parum pro Ecclesia laborant, dum Pastores interim ex Missarum celebratione sibi providere coguntur, quam sit inordinatum. 243. *b*
Decimæ novales, quæ sin & quibus debeantur. 242. *a*
Declarationibus Cardinalium Tridentini interpretum, quibus & qualibus fides adhibenda. 233. *b*
Decreta sacræ Congregationis super disciplina regulari. 97. *a b*
Delegati ex commissione Pontificis in causis Matrimonialibus, quid sedulo debeant observare. 231.
De Luca, quære *Luca*.
Dependentia peculiorum à nutu Superiorum, nequidem ea redditi licita. 4. *b* 5. *a* 58. *b*
Deposita bonorum mobilium, an ut licita probentur in Bulla Clementis VIII. 79. *b*
Desiderant (P.) quæstio proponitur. 77. *a b*
Diabolus terrenis affectibus implicatos homines facilè superat. 119. *b*
Diaconalis Ordinis dignitas. 101. *a b*
Diaconatus onus & munia. 121. *a b*
Diaconatus fortitudinem Christianam in suscipiente requirit. *ib.*
Diaconi per manus impositionem ordinantur. 121. *b*
Diaconi non tantùm ordinantur, ut altari assistant, sed ut & Episcoporum in procuranda fidelium salute sint adjutores. 101. *a*
Diana (Antonini) resolutionem liber supra ter mille quæstiones probabiles proponit. 57. *b* 180. *a* 264. *b*
Dionysius Carthusianus asserit S. Benedicti mentem esse, ut res à parentibus alicui Religioso destinata, potiùs ulterius quàm ejus, ad cujus usum donata est, necessitati impendatur. 2. *a*
Asserit magis nocivum esse Religiosis usum sinè proprietate, quam proprietatem sine usu. 5. *a* 82. *a*
Inconsiderationis arguit eos, qui existimant Concilium Lateranense Monachis permisisse peculia de licentia Abbatis. 13. *b* 14. *a* 82. *a*
Quæ consideranda proponat Monachis paupertatem obtendentibus. 30. *a b*
Simoniacam sui temporis praxim Monasteriorum deplorat. 31. *b*
Urbani V. constitutionem *sanè ne in vinea* asserit universim etiam Monasteriis insufficientibus prohibere, ne aliquid pro ingressu Religionis exigant. 70. *a*
Solicitudinem rerum temporalium in Religiosis quantopere improbet. 41. *b*
Malè in patrocinium peculiorum productos. 90. *a b*
Quid censeat de Ecclesiasticis divitibus patrimonio, num ex bonis Ecclesiæ vivere possint. 130. *b*
Quid sentiat de Canonicis in choro non psallentibus. 142. *a b*
Directorium Coloniense inhibet, ne de victu & vestitu Novitiorum pacta fiant. 70. *b*
Disciplina restaurandis moribus accomodata, repetenda ab Ecclesiæ incunabulis & Apostolica doctrina. 49. *a*
Disciplina antiqua nullum ad Clerum assumebat, qui se aliquo crimine præsertim carnis, maculâsset. 111. *a b*
Disciplina antiqua, qua Clerici propter crimen depositi, ne peracta quidem pœnitentia pristino gradui restituebantur, per mile & amplius annos observata. *ibid.* 112. *a b*
Disciplinam prædictam non fuisse generaliter observatam, non bene probatur ex Epistolis Calixti I. S. Gregorii ad Secundinum, & S. Isidori. *ibid. a*
Disciplina prædicta, qua ratione cœperit relaxari. 114. *b* 115. *a*
Dispensandi potestas quibus competat. 224. *b* 225. *a*
Dispensandi facultas in voto paupertatis, superioribus Regularium non est relicta ex mente Synodi Audomarensis & ex mente Tridentini. 6. *a b*
Dispensatio superiorum Regularium in iis, quæ vitam communem concernunt, non facit securos subditos ea utentes. 6. *a*
Dispensare non licet Superioribus Regularium, ut eorum subditi habeant superflua. 10. *b*
Dispensatio in causa Simoniæ quàm sæpè scandalum pariat. 210. *a*
Dispensatio Pontificis non semper reddit Pensionarios securos. 213. *b*
Dispensatio propriæ dicta in legem naturalem cadere non potest. 227. *b*
Dispensare in lege positiva divina, humana auctoritas non potest. 223. *a*
Dispensatio in his, quæ sunt juris merè positivi, quandoque utilis & necessaria est. 224. *b*
Dispensabant olim Episcopi in iis etiam, quæ modò sunt Pontifici reservata. *ibid.*
Dispensatio sine Ecclesiæ utilitate aut necesitate ne concedatur. 225. *a*
Dispensatio sine matura causæ cognitione ne fiat. *ibid.*
Dispensationes gratis concedi statuit Tridentinum. 225. *b*
Dispensatio illicita es dissipatio. 225. *a*
Dispensationes ut licitè concedantur, quænam requirant Tridentinum. *ibid.*
Dispensare Pontifici quomodo liceat. *ibid.*
Dispensationem petentibus quæ sint attendenda. 227. *b*
Dispensatio illegitimè obtenta neminem reddit securum. *ibid.*
Dispensatio quandonam invalida ob suppressionem veri aut expressionem falsi. 228. *a*
Dispensatio quandoque ob scandalum ex ea oriturum non est executioni mandanda. *ibid. b* 228. *b*
Dispensationum matrimonialium praxim quantùm intersit probè scire. 229. *a*
Dispensationes matrimoniales olim ægerrimè concedebantur. *ib. b*
Dispensationes matrimoniales obtinendæ spe qui debeant carere. *ibid.*

Dispensationes matrimoniales quibus & qua de causa concedi statuerit Tridentinum. 230. *a*
Dispensationes matrimoniales hodie *in forma commissoria*, solent concedi: & quinam soleant delegari, quid circa istarum litterarum praxim observandum. *ibid. a*
Dispensationis matrimonialis in forma commissoria stylus exhibetur. *ibid.*
Dispensantes in causa Matrimoniali ex delegatione Pontificis quid sedulò debeant observare. *ibid. b* & 231. *a*
Dispensatio quot, & quàm variis modis possit esse subreptitia, eò quòd preces veritate non nitantur. 231. *b*
Dispensationum matrimonialium causæ quatuor ex celebrioribus justa stylum Curiæ, cum formulis suis proponuntur. *ibid. b* 232. *a*
Dispensationem super contrahendo Matrimonio, prævio incestu commisso, impetraturus quænam exprimere & verificare debeat. *ibid.*
Dispensationem ad contrahendum Matrimonium super cognatione spirituali, aut voto castitatis impetraturus, quænam exponere & verificare debeat. *ibid. b*
Dispensationem super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto, quæ causa soleat hodie S. Sedem promovere. *ibid. b* 232. *a*
Dispensationes aliquas matrimoniales non facilè imposterum concedendas denuntiârunt Clemens VII. & Paulus IV. *ibid.*
Dispensationis exemplar, quæ stylo Curiæ *in forma pauperum*, concedi solet. *ibid.* 234. *a*
Dispensationem matrimonialem *in forma pauperum* concessam quænam specialiter notanda concernant. *ibid.*
Dispensationum matrimonialium usitatæ causæ, stylo Curiæ solent exprimi. *ibid. b*
Dispensationum praxis pro solo foro interno, ex stylo Pœnitentiariæ Romanæ proponitur. 235. *a*
Dispensatione interveniente statum aliquem assumere, quàm periculosum. 236. *a*
Dispensatione ut quis utatur, qua mediante statum Ecclesiasticum suscipiant, majora præ cæteris vocationis signa habere debet. *ibid.*
Dispositio quæ sit requisita, ut aliquis ad S. Scripturæ lectionem accedat. 119. *a b*
Distractiones quandonam censeantur voluntariæ. 143. *a* 170. *a b*
Distractiones involuntariæ fructuum orationis non impediunt. *ibid.*
Distractionibus tempore divini officii repellendis varia remedia proponuntur. 170. *b*
Distributionum Canonicalium quæ sit origo. 145. *a*
Distributiones Canonicales ad tertiam partem fructuum reductæ, ex præscripto Tridentini. 145. *a*
Distributiones etiam pro minoribus horis assignandæ. *ibid. b*
Distributiones non sunt iis assignandæ, qui exiguo duntaxat tempore officio intersunt. *ibid.* 146. *a*
Distributiones chori etiam studiorum causa absentibus denegantur. 149. *b*
Distributiones chori absentibus denegantur, quamvis obtinuissent rescriptum cum clausula: *ac si præsens esset*. *ibid.*
Distributiones quibus de causis dentur absenti. 150. *a*
Distributionum quandonam sint participes Canonici tempore officii celebrantes. *ibid.*
Doctorum quorundam auctoritas an probet licita esse peculia. 92. *a b*
Doctorum etiam est agere de iis, quæ ad exercitium status sui non spectant. 49. *b* 50. *a*
Doctores Theologiæ seu Juris quales esse debeant ex præscripto Visitationis Universitatis Lovaniensis. 107. *b*
Doctorum Lovaniensium absolutio quæstionis, an Monasteriis insufficientibus liceat cum ingressuris pacisci de certa pecuniæ summa. 37. *b*
Doctoribus Lovaniensibus casus concernens competentiam propositus, ejusque resolutio. 259. *a b*
Dolor de re ablata indicat in Religioso latere affectum proprietatis. 4. *a*
Dominium quoddam civile, quale cum simplici voto paupertatis consistit, Religiosæ paupertati accidentaliter tantùm oppositum. 60. *a*
Dominium Scholarium Societatis Jesu quale sit. *ibid. b* 61. *b* & 73. *b*
Dominicis festisque diebus laicis olim divino officio interesse injunctum. 159. *b*
Dominus vobiscum ritus in Ecclesia antiquissimus. 176. *b*
Donatio excedens valorem 300. flor. quas solemnitates in Belgio requirat. 266. *b*
Dotes, quæ Monasteriis inferuntur, non debent censeri eleemosynæ, in ordine ad id, quod dicunt Pontifices non plures assumendos in Monasteriis, quàm ex consuetis eleemosynis ali possint. 36. *b*
Dubiorum alia sunt negativè, alia positivè dubia. 263. *a*

E

Ebrietas & intemperantia Ecclesiasticis cavenda. 124. *b*
Ecclesia potuit prohibere, ne etiam Monasteria insufficientia quidquam ab ingressuris exigant propter periculum Simoniæ, quamvis lex æterna id non vetet. 32. *b*
Ecclesiæ triplex persecutio, quibus accessit quarta longè acerbior ab ingeniis luxuriantibus. 56. *b* 57. *a*
Ecclesiæ magis nocent domesticorum scandalosæ sententiæ, quàm pravi mores. 57. *a*
Ecclesia Canonum rigore quandoque relaxare pro tempore cogitur, quamvis eos nunquam abrogare intendat. 104. *a* 224. *a*
Ecclesia dignitatibus Ecclesiasticis gradus Academicos annexuit. 107. *a*
Ecclesia, licèt modò Clericos lapsos gradui pristino restitui permittat, condignam tamen pœnitentiam præviè requirit. 115. *a b* 117. *b*
Ecclesiæ intentioni se opponunt, qui Episcopis, quia ordinare ipsos nolunt, lites suscitant, & quid de talibus sentiendum. *ib.*
Ecclesia sæpè statuit, ut Ecclesiastici, qui cupiditate ducti ad ditiorem migrant Ecclesiam, utramque amittant. 130. *a*
Ecclesiæ bona sunt pauperum patrimonium. *ibid.*
Ecclesia omnibus ministrantibus, divitibus perinde ac pauperibus dispensationem fructuum Beneficialium permittit. 132. *b*
Ecclesiæ Ministris gratis serviendum *ibid.* 133. *a*
Ecclesiæ intentio est, ut etiam laici præsertim festis officio divino intersint. 141. *b*
Ecclesiæ ritus mutare, aut novos instituere ad quos spectet. 161. *a b*
Ecclesiæ intentio est, ut Horæ Canonicæ per diversa temporum intervalla recitentur. 166. *b*
Ecclesia quomodo consenserit, ut Monachi decimas possiderent. 189. *b*
Ecclesiæ bonum in collatione Beneficiorum primò spectandum. 204. *a*
Ecclesiæ intentio est, ut Clerici stationem suam aut Beneficium non deserant. 216. *b*
Ecclessiæ Ministris sustentatio ex jure naturali debita. 236. *a*
Ecclesia Parochialis fundat intentionem super Decimis etiam contra Episcopum. *ibid. b*
Ecclesiæ à laicis hæreditario velut jure quasi feuda sæcularia quondam occupatæ. 239. *a b* 240. *a*
Ecclesiæ ab altari quomodo & quando distingui cœperint. *ibid. b*
Ecclesiæ non probantur uniones & incorporationes Parochialium Monasteriis & Capitulis factæ. 243. *a b*
Ecclesiasticorum actiones non tantùm debent culpa, sed & scandalo vacare. 120. *a b*
Ecclesiasticis necessaria castitatis virtus. 123. *a b*
Ecclesiasticis mulierum conversatio quibus de causis fugienda. 124. *a*
Variis Synodorum statutis prohibita. *ibid.*
Ecclesiasticis popinas frequentare interdictum. 127. *b*
Ecclesiasticis, quantum fieri potest, vitanda convivia, & quare. 125. *b*
Ecclesiasticis frugalitas necessaria. 126. *a*
Ecclesiasticis luxus cavendus, ne fiant sacrilegii rei, dum Patrimonium Crucifixi in vanitates convertunt. 126. *b*
Ecclesiastici auctoritatem sibi per luxum conciliare non debent. 127. *a*
Ecclesiasticis præcipè cavenda est avaritia. 128. *b*
Ecclesiasticorum avaritia, quæ mala producat. 129. *a b*
Ecclesiastici spiritualia ordinantes ut consequantur temporalia, avaritiæ arguuntur. *ibid. a b*
Ecclesiastici patrimonio parcentes ut de Evangelio vivant, non Evangelizant gratis. 130. *a b*
Ecclesiastici patrimonio divites, an illo reservato de Ecclesiasticis bonis vivere possint. *ibid. b* 131. & 132.
Ecclesiasticorum bonorum divisio circa quæ tempora cœperit. 131. *a b*
Ecclesiastici quinan jure alimenta ab Ecclesia petant. *ibid. b*
Ecclesiasticos divites Ecclesia à ministerio non repellit. 132. *b*
Ecclesiastici de avaritia suspecti, qui facilè Beneficium deserunt, ut pingius aliud adipiscantur. 133. *b*
Ecclesiasticis alearum lusus interdictus. 134. *a b*
Ecclesiasticis quid circa lusus & animi relaxationem attendendum. 135. *a*
Ecclesiastici venari indecorum, & quare prohibitum. *ibid. b* 136. *a*
Ecclesiasticorum præcipuis muniis annumeranda est Oratio. 137. *b*. 155. *a*
Ecclesiastici quid in oblationum receptione debeant cavere. 188. *a*
Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis sorores suas, neglecto Monasterio, à quo sine pecunia non erant recipiendæ, precibus ad Deum fusis obtinet in alio eas gratis admitti. 39. *b* 40. *a*

Eleemosynis consuetis Monasteriorum non sunt accensendæ dotes intrantium. 36. *b*
Eleemosynæ & pietatis pallio sæpè Simonia tegitur. 181. *b*
Emericus de bonis Societatis Jesu, quid censeat, etiam de laicis, qui tertio aut quarto die post sumptam Eucharistiam denuo in sordes suas relabuntur. 117. *b*
Episcopis aut eorum Deputatis cura incumbit, ut inquirant, an Moniali conveniat Monasterium, quod cupit ingredi: quid inde sequatur. 39. *b*
Episcopi Tonsuratorum vocationem & mentem debeant inquirere. 99. *a*
Episcoporum adjutores Presbyteri. 101. *b*
Episcoporum baculus Pastoralis designat eos ad subditorum excessus corrigendos esse constitutos. 103. *b*
Episcopo licet propter crimen occultum extrajudicialiter aliquem ab Ordinibus repellere, & ab Ordine suscepto suspendere. 116. *b* 117. *a*
Episcopi de moribus ordinandorum sedulam debent instituere inquisitionem. 122 *a*
Episcopi Ecclesiasticos examinent, quo motivo Beneficia sua deserunt. 133. *b*
Episcopi inquirant, an Clerici studiorum causa absentes privilegio de percipiendis fructibus non abutantur. 149. *a b*
Episcopis incumbit attendere quo affectu ac proposito accedant ordinandi. 200. *a*
Episcopis nullæ exemptiones aut Privilegia obsunt, quò minus turpem quæstum, qui in Missarum celebratione committitur, eliminent. 199. *b*
Episcopi quoad ea, quæ Hierarchiam concernunt, Regulares possunt compellere non obstantibus ipsorum Privilegiis. 200. *a*
Episcopi in pensionum creatione quid debeant attendere 212. *b*
Episcopi Sedis Apostolicæ litteras quibus casibus executioni mandare merito differant. 221. *a b*
Episcopis concredita est potestas dispensandi, olim quidem magis ampla, ad quæ etiam modo se extendat. 224. *b*
Episcopis quota pars olim proventuum Ecclesiasticorum cederet. 238. *a*
Episcopi, nec de jure communi, nec de consuetudine in Decimis Parochialium Ecclesiarum partem habent. *ibid.*
Episcopis subjectos Monachos esse debere statuerunt varia Concilia. 274. *a b* 275. *a*
Episcopis de jure communi subjecti sunt Monachi. *ibid.*
Episcopi jurisdictionem suam in Monachos exercere possunt, dum exemptio est dubia. 275. *a*
Episcopis privilegii exemptionis inspectionem petentibus privilegia exhibenda sunt. *ibid. b*
Episcopis obedientiam promittere omnes tam exempti, quam non exempti, in ordinatione sua ex præscripto Potificalis tenentur. 278. *a*
Episcopis jurisdictio delegata data in exemptos non tollit ordinariam, nec debet censeri odiosa & quare. *ibid.*
Episcopi possunt Regularium approbationem pro libitu restringere & modificare. 281. *b*
Episcopi Regularium approbationem possunt suspendere & revocare. 284. *a*
Episcopis quoad prædicandi munus Regulares omnino subjecti sunt. *ibid.*
Episcopis quoad sacros Ordines suscipiendos aut susceptos Regulares omnino subjecti sunt. 285. *b* 286. *a*
Episcopi quibus casibus per juris remedia possint contra Regulares procedere. 289. *b*
Episcopi à Regularibus reverentiam & obedientiam debitam exigere possunt. 290. *a*
Episcopis olim obedientiam in ordinationibus exigere prohibitum fuit, & quid per istam obedientiam olim intelligeretur. 290. *a b*
Epistola Canonici cujusdam Regularis, qua astruitur, mentem S. Augustini esse, ut à suis discipulis absoluta rerum omnium communio servetur. 93. *b* 94. *a b*
Epistolæ quædam falso Calixto II. S. Gregorio & Isidoro adscriptæ. 112. *b*
Epistolæ istæ spuriæ mutatæ disciplinæ Ecclesiasticæ occasionem præbuerunt. 113. *a*
Epistolæ Decretales falsò adscriptæ Pontificibus, qui ante Siricium vixerunt. 162. *b*
Eucharistiæ expositio in Templis sic moderanda est, ut nimia frequentia reverentiam non diminuat. 200. *b*
Exactio pecuniarum ab ingressuris Monasterium scandalum parit sæcularibus. 38. *b*
Exactionibus Monasteriorum plures pauperes licèt idonei ab ingressu retrahuntur. 39. *a*
Exactiones Monasteriorum ex quibus radicibus oriantur. 40. *a b*
Exactionem nullam dotis admittit Regula S. Benedicti. 53. *a*
Exigere quidquam ab ingressuris Monasteria, ut sumptuosa ædificia extruantur, &c. quantopere improbandum. 40. *b*
Exigere à Novitiis expensas victus & vestitus an licitum sit. 42. *b* 43. *a*
Exempla à paucis sumenda. 154. *b*
Exemptionem à jurisdictione Episcopali quandonam Abbates quidam ex indulto Pontificis impetrare cœperint. 275. *a*
Exemptio dum est dubia, Episcopi jurisdictionem suam in Monachos exercere possunt. *ibid.*
Exemptiones Regularium quousque se extendat, ex Privilegii tenore colligendum est. *ibid. b*
Exemptiones utpote juri communi contrariæ odiosæ sunt, & strictè interpretandæ. 275. *b*
Exemptio Monachorum non probatur ex eo, quod in protectionem Sedis Apostolicæ sint recepti. 276. *a*
Exemptiones Regularibus qua de causa duntaxat concedendæ. 277. *a*
Exemptiones à jurisdictione Episcoporum ad functiones hierarchicas non extenduntur. *ibid. b* 280. *b*
Exemptionum Privilegia integris Congregationibus Concesa, magis odiosa sunt, quam ea, quæ particularibus quibusdam personis conceduntur. 278. *b*
Exemptionis chartarum, quam exhibebant Cluniacenses Concilii Anseni Patres tanquam non ratam rejiciunt, & quare. *ibid.* 279. *a*
Exemptionum Privilegia Fratrum Mendicantium debent censeri sublata per Concilium Tridentinum, & quare. 279. *a*
Exemptionum Privilegia nimis dilatantium argumenta producuntur, & refelluntur. 279. *b*
Exemptiones qui nimium extendunt, Ecclesiæ & Pontificibus injuriam faciunt. *ibid.* 280. *a*
Exemptiones Regularibus non sunt concessæ, quatenus vocantur, ut Episcoporum & Pastorum sint adjutores. 280. *b*
Exemptiones Regularium non extendendæ, ut sine licentia Episcoporum possint secularibus administrare Sacramentum Pœnitentiæ, & quare. 281. *a b*
Exemptio prætensa Regularium ad excipiendas quorumlibet Confessiones quot in Ecclssiam incommoda induxerit. 283. *a b*
Exemptio Regularium non extendit se ad licentiam prædicandi invitis Episcopis. 284. *b* 285. *a*
Exemptio Regularium ad ipsos ut sacro ordine insignitos, aut insigniendos non extenditur. 285. *b*
Exemptiones nimiæ Regularium plurium Conciliorum & Episcoporum querelas extorserunt. 288. & 289.
Exemptus propter quæ possit coram Ordinario conveniri. *ibid.*
Exemptus sub una qualitate, non propterea est exemptus, ut consideratur sub alia qualitate. 275. *b* 276. *a*
Exempti tenentur legibus Episcoporum in materia communi, & quare. *ibid.*
Exempti quibus & qualibus Episcoporum mandatis debeant obedire. 277. *a*
Exorcistis quid ratione Ordinis sui incumbat. 119. *b*

F

Facultas Parisiensis quibus verbis Prælatos Ecclesiæ ad abusum inveteratum tollendum hortetur. 271. *b*
Fagnanus usufructuarios asserit Religiosos quidpiam possidentes, quamvis nutu superiorum ab iis possit auferri. 79. *b*
Docet administrationem bonorum stabilium, seu peculium nullo casu Regularibus præterquam Officialibus esse permissa. 80. *a*
Refert Constitutionem Innocentii X. de non admittendis pluribus ad Monasteria quàm ali possunt, exactè observatam in Italia, ideoque multos parvos Conventus supressos. 35. *b* 36. *a*
Peculium etiam non superfluum, & in necessarios usus dependenter à voluntate superiorum expendendum, sine lethali culpa retineri non posse asserit. 51. *a* 80. *a*
Ait libertate opinandi effectum, ut nullus penè articulus in moralibus ob sententiarum varietatem certus sit. 57 *a*
Quo encomio probabilitatis inventum extollat. 57. *a*
Agens de proprietate Monachorum, non de accidentalibus tantùm Religiosæ paupertatis agit; sed de esentialibus. 90. *b*
Asserit distributiones chori absenti non deberi, etiamsi rescriptum Apostolicum obtinuisset cum clausula *Ac si præsens esset*. 149. *b*
Quid censeat de pensionibus, quas partes ante consensum superiorum inter se composuerunt, & postea auctoritatem ipsorum implorant. 218. *b*
Ad legitimam dispensationem quid requirat. 223. *b*
Scandalosas probabilistarum opiniones recenset. 265. *a*
Responsum ad *Cap. fin.* ✠ *Qui Clerici vel voventes.* 14. *b*
Familiaritas cum mulieribus Ecclesiasticis cur sit vitanda, eademque variis Synodorum statutis prohibita. 124. *a*
Franciscus (S.) Fratres suos quocunque loco unica Missa voluit esse contentos, & quare. 195. *b*
Fratres suos prædicare non vult Episcopo loci contradicente. 284. *b*
Non probavit, quod Fratres sui se à jurisdictione Episcoporum per Privilegia eximerent. 291. *a*
Fratribus Minoribus tempore interdicti ne fratres quidem & soro-

rores de tertio Ordine existentes, ad Ecclesiam admittere permissit Concilium Viennense. 277. b
Fratres Ordinum Mendicantium admissi ut Pastoribus subsidiarii accederent; sed non nisi à Prælatis vocati. 280. b
Frugalitas Ecclesiasticis necessaria. 126. a
Fuga superatur libido. 123. b
Fulgentius (S.) communionem bonorum instituit in Cœnobio suo eliminatis peculiis. 84. b
Necessitatibus fratrum quomodo provideret. *ibid.*
Fundatores Monasteriorum aut Ecclesiarum, dum pro iis protectionem Regiæ aut Pontificiæ potestatis implorârunt, quid intenderint. 276. a

G

Gavantus ob pluritatem festorum officia ferialia negligere non probat. 172. b
Gelasius Papa quam solicitus, ne in Ecclesia gesta Sanctorum aut falsa, aut depravata legerentur. 163. a
Qua de causa Bullam quandam in favorem Mendicantium rejiciendam esse censuerit. 283. a b
Godeau Episcopus Venciensis irreverentias in Templis committi solitas graviter redarguit. 118. b
Gradus Academici publica eruditionis testimonia. 106. b
Gradus Academicos non nisi dignis conferri, quantum Reipublicæ intersit. 107. b 108. a
Graduatos Academicos ad Canonicatus Cathedralium assumi instruit Philippus II. 107. a b
Graduatos Academicos ad Ecclesiæ munia assumi exoptant Concilium Basileense & Tridentinum. *ibid.* b
Graduandorum in Academiis examini quales præficiendi. 108. a
Gratiani varii errores, & unde orti. 113. a
Iis, quæ refert, non potuit majorem addere auctoritatem, quam antea haberent. *ibid.* b
Gratianus Epistolis quibusdam SS. Patribus falsò adscriptis delusus. *ibid.* b
Gratuitò oblata licitè à Monasteriis recipiuntur. 41. b
Gratuitò in speciem oblatam persuasionibus ne extorqueantur. 42. a b
Gregorius (S.) quid in Rectoribus animarum requirat. 11. a b
Ait peculiaritatem expellere concordiam & charitatem. 18. b
Collectarum officii Ecclesiastici auctor primarius. 176. b
Tanquam Simoniacos condemnat Episcopos qui ab Ordinandis pecuniam exigebant in extructionem Xenodochiorum. 181. b
Pensiones quo titulo quibusdam assignârit. 211. a 273. a
Ejusdem ad Theodorum Medicum, ut scripturam legat, adhortatio. 105. b
Eidem Epistola ad Secundinum falsò adscripta. 112. b
Gregorius VI. maluit Galliam interdicto subjicere, quàm in favorem Regii Matrimonii dispensationem indulgere. 229. b
Guillielmus Cluniacensium Fundator, quid intenderit, dum Apostolicæ Sedis protectionem pro Monachis suis implorat. 276. b
Pauperibus de seculo egressis, id est, Monachis, sua relinquit. 23. b
Guillielmus Parisiensis Episcopus Simoniacos credit Parentes, qui Proles suas Monasteriis obtrudunt, ut aliarum opes augeant. 44. a b

H

Hæreditatem olim in Gallia Monachi non adhibant, ut patet exemplo Lamberti cujusdam ad Monachatum, ut hæreditatis jure excideret. 28. a
Hesselius asserit, Religiosos, qui proponunt Regulam suam servare, prout eam servari inveniunt, ubi negligitur, proponere eam violare. 15. b
Ejusdem sententia de Simonia circa ingressum Religionis. 37. b
Hierarchia Ecclesiastica quibus personis constet. 277. b 278. a
Hierarchiam, quibus præcipuum locum tenent Episcopi, confundi necesse est, nisi quoad functiones ejus omnes tam exempti, quam non exempti Episcopis subjecti sint. 277. a
Hierarchicus Ecclesiæ ordo qualis esse debeat. 277. b 283. a
Hierarchiæ functiones Regulares magis subjiciunt Episcopis, quam status Regularis. 281. a
Hincmarus Rhemensis spuriis quibusdam SS. Patrum Epistolis deceptus. 113. b
Honoraria Missarum, Concionum, lectionum, &c. quæ Religiosis dantur, cum cæteris Monasterii bonis confundantur. 6. a
Honoraria Missarum, qua occassione Sacerdotibus offerri cœperint. 193. b
Honorarii intuitu Missæ Sacrificium ne offeratur. *ibid.*
Honorarii Missarum occassione, multi indignè ad altare accedunt. 197. a
Honoraria Missarum in computum competentiæ Pastoralis venire non debent, & quare. 257. a
Honorii II. ad Clerum Leodiensem epistola, qua vetat, ne quid pro institutione, aut admissione ad Beneficia exigatur. 271. a
Honorius III. seculares scientias Clericis inhibuit. 106. a
Horas Canonicas persolvere, non solum est Canonicorum officium. 103. a
Horæ Canonicæ non solum à Clericis, sed & laicis olim persolvebantur. 138. a
Horas Canonicas persolvendi obligatio, ortum non ducit ex fructuum perceptione. *ibid.* b
Horas Canonicas per se solemniter persolvere Canonicorum officium. 139. a
Horæ Canonicæ distinctè recitandæ. 139. a 142. a 168. b
Horas Canonicas persolventibus, quænam pro excitanda devotione sint observanda. 143. a b
Horas Canonicas olim Clerici omnes persolvebant. 156. b
Horas Canonicas persolvere tenentur omnes Beneficiati. 155. b
Horas Canonicas publicè omnes Clerici olim persolverunt. *ibid.* a
Horæ Canonicæ ad ædificationem populi publicè decantantur. 159. a
Horæ Canonicæ per diversa temporum intervalla recitandæ. 166. b
Horas Canonicas simpliciter persolvere, an sit titulus sufficiens percipiendi sustentationem ex decimis de proventibus Ecclesiasticis. 237. b
Horæ minores nomine suo designant horam, qua debeant recitari. 177. b
Hospitalitas Religiosis luxu seposito exercenda. 18. a
Hymnos in Mediolanensi Ecclesia primùm decantari jussit S. Ambros. 172. b
Hymni Ecclesiastici quo tono cantandi. *ibid.*
Hymni *Te Deum laudamus* quis Auctor. 175. b

J

Jansenistæ nomen quibus opponatur. 56. a b
Jansenistæ qui & quales in regno Siam appellentur. 55. b 56. a
Jansenistæ descriptio secundum P. Wynants. 58. a
Ignatius (S.) suis prohibet, ne pro Missarum celebratione, Confessionibus excipiendis, &c. stipendium postulent, aut admittant. 196. b
Ignorantia juris possitivi licèt quandoque excuset, malè tamen inde deducitur, quod à pari excuset probabilitas. 265. b
Incorporari priùs debent Monasterii bonis, quæ cedunt necessitatibus Religiosorum, quàm ipsis usus concedatur. 7. b
Innocentius III. ad Abbatem, & Conventum Sublacensem respondet, nec Abbatem, nec summum etiam Pontificem posse licentiam Monachis indulgere, ut habeant proprium. 14. b
Innocentius III. primus ferè ad Matrimonium cum impedimento contrahendum dispensavit, in gratiam Othonis Imperatoris, & ex urgentissima causa. 229. b
Ejusdem responsum in *Cap.* 21. ✠ *de Præbendis*, an probet pensiones pacis causa licitè creari. 218. b
Innocentii. X. Constitutio, ne plures Religiosi assumantur quam ex consuetis eleemosynis ali possunt. 17. a 35. b
Intemperantia & ebrietas Ecclesiasticis cavenda. 134. b
Invitatorium quare Officio præponatur. 172. a
Joannes Sarisberiensis Episcopus Monachos decimis inhiantes increpat. 243. a
Irreverentia magna Missæ Sacrificio infertur sæpe à divitibus, qui Sacerdotes propter honorarium pigritiæ & superbiæ suæ servire cogunt. 194. a
Irreverentias, quæ in templis committuntur, quomodo redarguat Gadeau Episcopus Venciensis. 118. b
Isidoro (S.) Hispalensi Epistola falsò adscripta. 113. a
Isidorus Mercator varia conficta sub nomine quorundam Patrum & aliorum impudenter promulgavit. *ibid.* a
Ivo Carnotensis, &c. (S.) quantum laborarit, ut inveteratam consuetudinem, qua pro institutione Beneficiorum quidquam exigitur, aboleret. 182. b 183. a
Jura, quæ Archidiaconi, Decani, &c. ab introducendis ad Beneficium exigunt, in proprium commodum si convertant, de Simonia suspecti fiunt. 183. a
Juramenta quandoque juxta Ecclesiarum etiam Cathedralium Statuta inique exiguntur. 55. b
Jurisdictio delegata Episcopis in exemptos, non tollit ordinariam, ne debet censeri odiosa. 278. a
Juris Canonici sanctiones ad possessionem libertatis nunquam attendunt. 268. b
An faveant modernæ quorundam praxi, qui mediante pensione Beneficium Ecclesiasticum adipiscuntur. 273. a
Jus Pastorum primitivorum mulieribus & laicis potest competere. 241. a
Jus Patronatus aut collationis Beneficiorum tanquam grave onus plures reformidârunt. 207. a
Jus percipiendi fructus adeò arctè Beneficio annexum est, ut unum sine altero vendi non possit. 180. a
Justinianus Imperator quid statuerit circa sucessionem Monasterii in bona Monachi, & in hæreditatem parentum ipsius. 26. a

Mo-

Monacho hæreditatem paternam adeunti, quartam tantùm legitimam vult assignari ejus, quod habuisset, si mansisset secularis. *ibid.*
Clericos redarguit à publica Psalmodia absentes. 139. *a* 157. *b* 28. *a b*
Justiniani leges in favorem Monachorum, in Gallia nunquam, per Pragmaticas Regum sanctiones in Gallia abrogatæ. 29. *a*
Ut & in Belgio. *ibid.*
Leges perperam à P. Desiderant productæ, in favorem dotis Monasticæ. 67.
Justiniani novella non probatur, Monateriis aliquod Jus competere in bona Religiosi, nisi cum intestatus decesserit. 67. *b* 68. *a*
Justinianus legibus etiam salvis, illicita foret praxis stipulandi dotem cum recipiendis ad Religionem. 26. *a b*
Justitia distributiva quid observat. 203. *a*
Justitia distributiva in Monasteriis quomodo servanda. 79. *a b*

L

Laicis potest competere administratio oblationum Ecclesiæ. 247. *a*
Laici quando, & quo pacto decimas & Ecclesias obtinuerint. 239. *a b*
Lateranense vide *Concilium Lateranense.*
Laudes Officii Ecclesiastici olim Matutini nomine designabantur. 175. *b*
Laudes in Officio unde dictæ. *ibid.*
Laudes à Matutino separare Ecclesiæ intentioni est conformius. 176. *a*
Lectoratus Ordinis officium. 119. *a b*
Lectionum Officio Ecclesiastico usus jam pridem usitatus. 174. *b*
Lectiones in Officio Ecclesiastico undenam desumi solitæ. 175. *a*
Lectiones in officio Ecclesiastico, nisi ex scriptura desumptas, quædam Ecclesiæ non admiserunt. *ibid.*
Lectiones in Officio olim continuabantur, donec moneret Superior. *ibid.*
Lectionibus Officii Ecclesiastici cur additur *Deo gratias.* *ibid.*
Lectiones Officii Ecclesiastici ex Scriptura Sacra desumptæ, olim multò prolixiores. *ibid.*
Lectio brevis in officio Ecclesiastico qua ratione recitari cœpta. 177. *a b*
Leo IX. & Urbanus II. indulserunt, ut Clerici aliqui peracta pœnitentia pristino gradui restituerentur. 114. *b*
Leodienses Canonici usque ad seculum XII. vitam communem in claustris servârunt. 152. *a*
Lex quotuplex sit. 222. *a b*
Lex naturalis quæ sit. *ibid.*
Lex divina positiva lege naturali inferior, quid sit. 223. *a*
Lex humana positiva lege naturali inferior, quid sit. *ibid. a*
Lex positiva divina ab homine per dispensationem relaxari non potest. 213. *a*
Lex æterna actionum nostrarum sit regula. 263. *a*
Lex æterna quomodo consulenda. *ibid. b*
Lex quandonam vincat consuetudinem. 136. *b*
Legibus superiorem non præjudicant statuta inferiorum. 140. *a*
Libido fugiendo superatur. 123. *b*
Libri, qui Religiosis donantur, in communem Bibliothecam referendi. 6. *a*
Licentiæ gradus in Jure ne limitatè quidem conferendus iis, qui qualitabus requisitis sunt destituti. 108. *a*
Lindanus quid de moderna in Templis musica sentiat. *ibid. b*
Linguæ incontinentia in Sacerdotibus quâm graviter culpetur. 120. *b*
Litis renuntiandæ causa pensionem exigere illicitum. 218. *a*
Luca (*C. de*) de quæstionibus Simoniæ circa ingressum Religionis opinio particularis. 52. *b*
Ludovicus (S.) Galliarum Rex, tempore navigationis transmarinæ officium Ecclesiasticum coram se cantare jubet. 160. *a*
Quàm solicitus, ut ad Beneficia dignissimos præsentaret. 204. *a*
Bullas Pontificis, quibus ipsi Nominatio ad Episcopatus deferebatur, rejicit. 208. *a*
Ludovicus Pius Imperator Monasteria Senonensis Provinciæ in protectionem suam recepit, salva tamen Episcopali auctoritate. 276. *b*
Lupus (*Christianus*) improbat particulares reddituum rèservationes. 79. *b*
Monachalis communitatis fundamentum, ut victus & vestitus præbeantur. 16. *a b*
Argumentis satisfit, quibus conatur astruere licitum esse cum ingressuris Religionem pacisci de pretio, quamvis Monasterium sit insufficiens. 26. *b* 27. *a b*
Argumentis suis inutiles reddit Conciliorum Canones, ac Pontificum constitutiones, quibus exactiones pro admissione ad Religionem condemnantur. 25. *b*
Argumentis iisdem evertit statutum Ordinis sui. *ibid.*
Argumentum ejus refutatur, quo asserit transactiones Monasteriorum licitas, titulo juris, quod habetur ad hæreditatem Monachi. 27. *a b*
Refutatur dilucidè à simili. *ibid.*
Argumentum ejus diluitur desumptum ex Epistolis S. Gregorii. 27. *b* 28. *a*
Conviviorum exactiones refert inter sævæ disciplinæ damna. 31. *b*
Credit Cassianum asserere, in vitio peculiaritatis non dari levitatem materiæ, quæ Religiosos excuset à mortali. 51. *b*
Licet pacta circa dotes generatim non damnet, tamen de fœdo Simoniæ ulcere suspecta graviter esse asserit. 52. *b*
Quid sentiat de Monachis, aliisque, qui apud Beneficiorum Collatores intercedunt in favorem eorum qui ipsis eleemosynas facere obligentur. 181. *a*
Quid censeat de decimarum possessoribus Pastoribus necessaria negantibus. 243. *b*
Obligationem Monasteriorum & Capitulorum decimas possidentium, quoad eleemosynas elargiendas proponit. 239. *b*
Quæstionem hanc discutit, an consuetudinem pro Sacramentorum administratione quidquam exigendi, purgare potuerit Innocentii III. Synodus Lateranensis. 260. *b*
Lusus Ecclesiasticorum personæ ipsorum tempori, & loco conveniat. 135. *a b*
Luxus quantopere Ecclesiasticis cavendus. 136. *b*

M

Martinus V. revocavit plures Monasteriorum & Capitulorum exemptiones, quas tempore schismatis in Romana Ecclesia obtinuerant. 277. *a*
Martyrium incruentum vita Religiosa. 23. *a*
Martyrologii lectio in officio Ecclesiastico quando cœperit. 177. *a b*
Matrimonii status ad perfectionem non ducit. 22. *b*
Matrimonium nulliter contractum qua forma post obtentam dispensationem de novo sit contrahendum. 233. *b*
Matrimoniales dispensationes olim ægerrimè concedebantur. 229. *a*
Matutino cur proponatur versus: *Domine labia*, *&c.* & quo affectu recitandus. 171. *a*
Matutinum à laudibus separare Ecclesiæ intentioni conformius. 176. *a*
Mediolanensis populus tempore S. Ambrosii ad psallendum conveniebat. 160. *a*
Melchior Canon censet auctoritatem Pontificis labefactare eos, qui ejus de omni re judicium temerè & sine defectu defendunt. 229. *b*
Mendicantium Privilegia debent censeri sublata per Tridentinum. 279. *a*
Mendicantium Ordines instituti, ut Pastoribus subsidiarii accederent, sed tamen non nisi à Prælatis vocati. 280. *b* 281. *a*
Mendicantes quoad excipiendas confessiones secularium omninò Episcopis subjecti sunt, & quare. *ibid.*
Mendicantes exemptionum suarum abrogationem timentes, provocationis ad Concilium generale formulam ediderunt. 290. *b*
Militia Clericalis in quo differat à seculari. 233. *a b*
Ministri Ecclesiæ gratis serviant. 130. *a* 133. *b*
Ministris Ecclesiæ sustentatio ex jure naturali debita. 236. *a* 237. *b*
Ministris Ecclesiæ quo titulo decimæ assignentur. 237. *a b*
Missæ Sacrificium quanta devotione peragendum. 193. *&c.*
Missæ Sacrificium honorarii intuitu celebrare, quam si perversum. 195. *a*
Missarum honoraria qua occassione Sacerdotibus offerri cœperint. 193. *a*
Missarum quæstum in Ecclesia deplorat Alvarus Pelagius. 195. *b*
Missarum stipendium ratione certi altaris, aut loci, aut temporis taxare, quam sit inordinatum. 196. *b*
Missarum stipendia occasionem præbent, ut multi indignè ad altare accedant. *ibid. b* 197. *a*
Mobilium bonorum deposita an licita asserat Clemens VIII. 77. *b*
Molanus Canonicos non Canonicè viventes quomodo redarguat. 110. *b*
Ejusdem ad Monachos & Canonicos decimarum possessores monitum. 259.
Monachatui sufficiens perfectio non semper sufficit ad sacros Ordines suscipiendum. 285. *b* 286. *a*
Monachis nec corpora, nec voluntates licet habere in propria potestate. 8. *b*
Monachi vilibus sint contenti. 17. *b*
Monachorum unde origo. 21. *a*

Mo-

Monachus quidquid adquirit, Monasterio adquirit. 82. *a*
Monachus qui *habet obulum*, *non valet obolum*, antiquum adagium. 51. *b*
Monachorum veri amici, qui pro restituenda vita communi laborant. 96. *a*
Monachi à Canonicis quomodo differant. 94. *a*
Monachi in quibus Episcopis potiùs, in quibus potiùs Abbati debeant obedire. 199. *a b*
Monachorum regularis vitæ relaxatio unde orta. 243. *a*
Monachos quosdam otiosos decimas possidentes, quomodo increpet S. Bernardus. *ibid.*
Monachos Episcopis subjectos esse debere varia Concilia decreverunt. 274.
Monachi Episcopis de jure communi subjecti sunt. *ibid.* 275. *a*
Monachi in quibus teneantur magis obedire Episcopo, quàm suis superioribus. 278. *a*
Monastica professio non omnes ad perfectionem perducit. 285. *b*
Monachum olim dixisse, *Meam tabulam*, *meum graphium*, *&c.* crimini dabatur. 9. *b*
Monasteria insufficientia summam, quam pro ingressu petunt, moderare debent juxta majorem vel minorem Monasterii indigentiam. 31. *b*
Monasteria tenentur secundum quantitatem provèntuum recipere Religiosos. 24. *a*
Monasterium ingredientes, ante Professionem liberè de suis bonis disponunt. 26. *a b*
Monasteria opulenta nullo titulo nec à pauperibus, nec etiam aliis aspirantibus exigere quid possunt. 25. *b*
Monasteria in Gallia nullum jus habent ad bona profitentis. 28. *a*
Ut nec in Belgio. 29. *a*
Monasteria olim in bona Monachorum hæreditatis jure succedebant; sed non nisi deficientibus legitimis hæredibus. 29. *a. b*
Monasteria ex jure tantùm positivo olim obtinuerunt, ut hæreditatem suorum adirent. *ibid.*
Monasterium insufficiens, seposito jure positivo posset aliquid petere pro ingressu Religionis. 30. *a*
Monasteria insuficientia pro ingressu Religionis nihil posse exigere probatur ex Decretis Conciliorum Nicæni, Turonensis, & Lateranensium. 33. *a b*
Probatur idem ex Constitutione Urbani V. *sanè in vinea* ✠ De Simon. in Comm. 33. *b* 34. *a*
Monasteria ne plures recipiant, quàm ali possint. 34. *a b*
Monasteriorum abundantia quo est major, eò magis Religiosorum salutem in discrimen adducit. 40. *a*
Monasteriis an licitum sit exigere aliquid pro victu & vestitu Novitii. 42. *b* 43. *a*
Monasterii Coludensis in Anglia miserabilis forma. 64. *a b*
Monasterium ingressurus liberam omnino habet de bonis suis disponendi facultatem. 67. *b*
Monasterium quo casu in ordine successionis in bona ingredientis habeatur loco filii. 68. *a b* 69. *a*
Monasteriis in Belgio nullum jus competit ad bona ingredientium. 68. *a*
Monasteriis continentur optimi & pessimi. 197. *a*
Monasteria nulla deinceps erigendi, nisi sub obligatione vitæ communis, statuit Sacra Congregatio. 97. *a b*
Monasteria cùm plures recipiunt quam alere possint, quibus malis causam præbeant. 45. *b*
Monasteriorum aut Ecclesiarum fundatores, dum pro iis protectionem Regulæ aut Pontificiæ potestatis implorârunt, quid intenderint. 276. *a*
In Monasteriis virorum mulieribus dormire nefas. 22. *b*
Quales præficiendi curandis rebus temporalibus Monasterii. 12. *a b*
Mulierum conversatio quibus de causis Ecclesiasticis fugienda. 124. *a*
Variis Synodorum statutis prohibita. *ibid.*
Musicæ antiquæ laus. 164. *b*
Musicæ modernæ depravatio. 165. *a*
Musicam modernam è templis eliminandam censent B. Aêlredus & Lindanus. *ibid. a*
Musica in Ecclesia non admittatur, nisi à lascivia seculari aliena. *ibid. b*
Musicis divinum officium decantaturis, quid attendendum. 166. *a*
Musica instrumenta tempore S. Thomæ nondum in Ecclesia recepta. *ibid.*
Munere triplici Simonia committitur, munere ab obsequio, à manu, à linguâ. 184. *a*
Munus à manu quale sit, & quomodo variis casibus detur. *ibid. b*
Munus à manu non requirit, ut illud, quod accipitur, sit pretio æstimabile. *ibid.*
Munus à lingua quale sit, & quomodo ex eo capite Simonia committatur. 185. *a*
Munus ab obsequio quale sit, & quomodo ex eo capite Simonia comittatur. *ibid. b*
Munus indirectè etiam dare pro Beneficio, aut re quapiam spirituali acquirenda Simoniacum est. *ibid.* 271. *b*
Munera exigua Simoniaca Ecclesia non reputat, quamvis intentione offerentis fieri possit, ut labe illa sint aspersa. 183. *b*
Munera confessarios facile excœcant, quo potestate sua abutantur. 201. *b* 202. *a b*

N

Navarrus in prodigas Religiosorum exactiones tanquam Simoniacas invehitur. 31. *b*
Negotiatio licet Clericis sit interdicta, tamen artificiolo victum sibi comparare licet potiùs, quàm turpi Missarum quæstu. 196. *a*
Nevii (P) Provincialis Augustiniani Epistola, qua suis Peculia inhibet, & sobrietatem comendat. 88. *b*
Nominationes Universitatum quare dignioribus tantùm concedendæ. 205. *b*
Novalia cui debeantur, in casu, quo decimæ ad Parochum non spectent, ex responso Innocentii III. & variorum Senatum sententiis. 242. *a*
Novalia quæ dicantur. *ibid. a*
Novalia speciali jure quandoque etiam allis quàm Pastoribus concessa & quo casu. *ibid.*
Novalium percipiendorum privilegium aliis quàm Pastoribus concessum, quomodo sit inteligendum. 242. *b* 243. *a*
Novalium percipiendorum privilegium Monachis concessum in Parochiis, quorum curam administrant, non debet censeri odiosum. *ibid.*
Novalium decimas percipientes tenentur, præ cæteris ad persolvendam competentiam Pastoralem. 252. *b*
Novitiatus res spiritualis, pro qua de victu & vestibus pacisci non licet. 70. *b*
Novitii ante Professionem de bonis suis præter victum & vestitum nihil Monasterio largiri permissum est. 70. *b*
Novitii etiam ante Professionem verè Monachi. 45. *a b*
Novitium posse per Testamentum Monasterium bonis suis excludere communis Jurisperitorum sententia. 68. *b*

O

Oblationum usus antiquissimus & quarum rerum. 244. *a b*
Oblationes à decimis quomodo differantur. *ibid. b*
Oblationes olim sindone involvebantur, ejusque ritus, quòd modo supersit vestigium. *ibid. b*
Oblationes à populo in Missa fieri, varia Concilia præcipiunt. 191. *a*
Oblationes quo spiritu & intentione à fidelibus fieri debeant. *ibid.*
Oblationes quorundam olim rejectæ, nec modo etiam admittendæ, & quorum. *ibid. b* 247. *b*
Oblationes panis & vini à Populo inter Missarum solemnia factæ, & qua ratione consuetudo illa mutata sit, ut postmodum pecunia offeratur. 191. *a* 244. *b*
Oblatâ olim in Missa pecunia pauperibus cedebat. 193. *a b*
Oblata in Missa pecunia quandonam Sacerdotibus cedere inceperit. *ibid.*
Oblationes, quæ fiunt intra limites Parochiæ, de jure communi spectant ad Parochum. 193. *a b*
Oblationes fidelium debent esse voluntariæ. 245. *b*
Oblationes quædam seu ex voluntate offerentium, seu consuetudine Pastoribus non cedunt. 246. *b*
Oblationes à fidelibus recipientes quæ debeant cavere. 246. *a b*
Oblationum administratio quibus competat. 247. *a*
Oblationes magis propriè ad Parochos spectant quàm decimæ. 252. *a*
Oblationes fidelium, præsertim quæ in administratione Sacramentorum offeruntur, nullatenus in competentiam imputandæ, & quare. 256. *a*
Obligatio quanta sit eorum, qui collationi Graduum Academicorum sunt præfecti. 108. *b*
Octavii Frangipani Nuntii Apostolici Directorium Ecclesiasticæ Disciplinæ. 44. *b* 45. *a*
Offerentium nomina in Missa recitari solita. 192. *a b*
Officiales in Monasteriis quales eligendi. 12. *a b*
Officio divino qui solummodo intersunt, ut distributiones lucrentur, animum habent Simoniacum. 246. *b*
Officio divino nihil misceatur, quod non spectet ad populi ædificationem. 159. *a*
Officium divinum externam corporis reverentiam requirit. 167. *a*
Officii divini tempore quænam cavenda. 139. *a*
Officium divinum tractim & distinctè persolvendum. *ibid. b* 240. *a*
Officium divinum devotè, & alacriter persolvendum. 169. *a*
Opiniones relaxativæ voto paupertatis quam perniciosæ. 80. *b*

Oratio superioribus quibuscunque quàm necessaria. 12. *a*
Oratio superioribus neccessaria, & quare. 137. *a b*
Oratio inter præcipua Ecclesiasticorum munia numerari debet. 138. *a*
Oratio ut Deo placeat, quæ conditiones requisitæ. 142. *a*
Oratio internam animi, & externam corporis requirit dispositionem. *ibid.*
Orationis neglectus cavendus ab Officialibus Monasteriorum. 12. *a*
Orationi vacaturi fideles olim simul conveniebant iisdem Horis. quibus modò Clerici. 137. *b* 138. *a*
Orationem Vespertinam ac Matutinam communem pro populo institui mandat S. Carolus. 161. *a*
Ordines Minores olim nec omnes uni, nec eodem tempore simul conferebantur. 99. *b* 100. *a*
Ordinum etiam Minorum collatio olim certo Ecclesiæ ministerio addicebat. *ibid.*
Ordinum Minorum quam sint dignæ functiones. *ibid.*
Ordinum Minorum functiones restaurat S. Carolus. *ibid.*
Ordinis Ostiariatus dignitas & officia. 118. *b* 119. *a*
Ordinis Lectoratus officia. *ibid.* 119. *a*
Ordinis Acolytorum quæ sint munia. *ibid.* 100. *b*
Ordinis Subdiaconatus sanctitas & officia. 120. *b*
Ordinis Diaconatus onus & munia. 121. *a b*
Ordinis Sacerdotalis dignitas & onus. 122. *b*
Ordinis olim nemini conferebantur, nisi certæ Ecclesiæ adscripto. 147. *b*
Ordinandi olim interrogabantur, an Canones didicissent. 110. *a b*
Ordinandi circa quæ examinandi sint. 197. *a*
Ordinandi solummodo tales, de quibus probabilis conjectura sit, quod ex celebratione Missarum turpem quæstum non quærant. 200. *b*
Ordinis Eremit. S. Augustini institutio adversus proprietatem. 85. *a*
Ordines Mendicantes instituti & recepti ut Pastoribus subsidiarii accederent, sed tamen non nisi à Prælatis vocati. 280. *b*
Organa, aliaque instrumenta musica tempore S. Thomæ in Ecclesiis nondum recepta. 166. *a b*
Organorum usus in Ecclesiis qualis esse debeat. *ibid. b*
Organa, campanæ, tintinnabula in Ecclesiis modulatione lascivas cantiones ne imitentur. *ibid. b*

P

Pacisci cum Novitiis de victu & vestitu non licet. 45. *b*
Parentes divites monendi, ne filiis suis Religiosis quidpiam largiendo præbeant eis occassionem peculiaritatis. 5. *b*
Parentibus & propinquis ditescere illicitum ex bonis filiorum Monasteria ingredientium. 43. *b*
Parochiam frequentare dum fideles negligunt, quæ mala in Ecclesia oriantur. 196. *b*
Parochiarum uniones & incorporationes Monasteriis & Capitulis factas non probat Ecclesia. 243. *a b*
Pastores quid circa ancillas suas debeant observare. 127. *b*
Pastores Ecclesiarum, in quibus Horæ Canonicæ persolvi non possunt, quomodo intentioni Ecclesiæ quoad ædificationem populi possint satisfacere. 160. *b*
Pastores orationem communem manè & vesperi instituere, quam optavit S. Carolus. *ibid. b* 161. *a*
Pastorum competentiæ accenseri non debent, quæ à fidelibus in administratione Sacramentorum offeruntur. 189. *a*
Pastores ex accidentalibus cogi vivere, dum alii decimas possident, quam iniquum. 190. *a*
Pastores quomodo populum de oblationibus quas faciunt, debeant instruere, ne de avaritia sint suspecti. 193. *a b*
Pastores ex Missarum celebratione cogi sibi victum acquirere non probat Tridentinum. 200. *a b*
Pastoribus, utpote quibus totius Parochiæ cura incumbit, primariò debentur decimæ. 231. *b*
Pastoribus ex jure communi decimæ Parochiæ debentur, nisi illas ad alios legitimè constet esse translatas. 238. *a*
Pastores stante dubio in perceptione decimarum manutendi. *ibid. b*
Pastoribus ut decimæ prescriptionis titulo auferantur, quid requiratur. *ibid.*
Pastores primitivi, qui dicantur, quæ eorum origo & jura. 240. *b & seqq.*
Pastores inter & Vicarios Pastorum primitivorum nulla distinctio. 241. *a*
Pastoribus primitivis eo merè titulo non competit administratio Sacramentorum, aut cura animarum. *ibid. b*
Pastores primitivi hodie decimas passim possident nonnunquam honoraria etiam jura & qualia. *ibid.*
Pastoribus primitivis non competunt novalia. 242. *a*
Pastoribus competit jus novalium, exclusis iis, qui primitivi Pastores dicuntur. *ibid.*
Pastori de jure communi competunt oblationes, quæ intra limites Parochiæ sunt. 245. *a b*
Pastoribus oblationes quædam non cedunt, seu propter voluntatem offerentium, seu contrariam consuetudinem. 246. *b*
Pastoribus competit administratio oblationum. 247. *a*
Pastoribus assignanda est competentia talis, ut sufficiant alendis tot Presbyteris, quot ad curam animarum requiruntur. 250. *b*
Pastoribus, quibus pro competentia pars decimarum assignata est, licèt proventus ordinarios dimittere, ut portionem congruam petant. 251. *b*
Pastoribus per unionem beneficiorum succurrendum, at qua cautela. *ibid.*
Pastores primitivi tenentur aut alios Decimatores, Vicariis de competentia providere. 252. *b* 253. *a*
Pastores competentiam exigentes, quæ emolumenta sibi possint reservare, quæ teneantur dimittere. 254. *b*
Pastores ex honorariis Missarum, aut ex oblationibus in administratione Sacramentorum vivere, quam incongruum. 257. *a* 257. *b*
Patrimonio qui parcunt, ut de Evangelio vivant, non evangelizant gratis. 130. *b*
Patrimonio divitibus an liceat de Evangelio vivere. *ibid.* 133. *a*
Patroni laici ad Beneficia debent præsentare dignissimos. 204. *b*
Paupertatis voluntariæ consilium quisquis sequi curat, non tantum rerum proprietate, sed utendi facultate se exuat. 51. *a*
Paupertatis votum requirit dependentiam ab aliena voluntate. 9. *a* 8. *a*
Paupertati Religiosi an conveniat suppellex. 17. *b*
Paupertatem non habere judicat S. Bernardus, qui ob ejus incommoda in pusilanimitatem incidunt. 18. *a*
Paupertatis voluntariæ qui fructus & incommoda. 20. *a b*
Paupertatis prætextu Simonia sæpè committitur. 30. *a b*
Paupertas falsò obtenditur, dum proventus Monasteriorum contra mentem fundatorum expenduntur in ædificia sumptuosa, &c. 30. *b*
Paupertas voluntaria qualis debeat esse in Religiosis. 44. *b*
Paupertas Religiosa ardua virtus. 80. *b*
Paupertati Religiosæ dominium quoddam civile accidentaliter solum oppositum. 58. *b* 59. *a*
Paupertatis Religiosæ definitio juxta P. Clenaerts. 62. *b*
Paupertatis votum quàm periculosè relaxetur 75. *a*
Paupertas eadem in omnibus Religiosis, licèt variorum se necessitati accommodare. 77. *a b*
Paupertas personæ in Beneficiorum collatione nullatenus attendenda. 204. *a*
Peccata quamvis magna cum in consuetudinem venerint, parva aut nulla esse creduntur. 55. *a*
Peccata Sacerdotum undenam graviora quàm Laicorum. 115. *b*
Peccatum impudititiæ præ cæteris cavendum est Sacerdotibus. 116. *a*
Peculiaritas expellit concordiam & charitatem. 18. *b*
Peculiaritas quorum vitiorum sit radix. *ibid.*
Peculiaritatis vitium ut extirpetur, variis Canonibus statutum, ne plures ad Monasteria assumantur, quam ali possint. 17. *a b*
Peculium servi quid sit. 81. *b*
Peculium Religiosorum simile peculio servorum. *ibid.*
Peculia permitti non debent, ut plures ad Religionem assumantur. 17. *a*
Peculia etiam exigua, ad totalem disciplinæ Monasticæ dissolutionem viam externunt. 19. *a*
Peculii cujuscunque reservatio adjunctam sibi habet quandam Religiosæ professionis violationem. 19. *a b*
Peculia Religiosam professionem in duobus articulis essentialibus violant, nimirum voto paupertatis, & vitæ communione. *ibid.*
Peculiorum possessoribus tenendum, ne ob infidelitatem gratia sibi necessaria à Deo priventur. 25. *a*
Peculium etiam non superfluum, & in necessarios usus dependenter à voluntate superiorum expendendum, sine lethali culpa retineri non posse asserit Fagnanus. 51. *a*
Peculia habere, & iis animo non adhærere, quàm difficile. 80. *b*
Peculium & proprium simonia. 82. *a*
Peculia Religiosorum diametraliter opposita Regulæ S. Augustini. 82. *b*
Peculiorum causa Religiosorum anxietas, ne sibi desint necessaria. 86. *b*
Peculia non obscurè prohibet Regula Erem. S. Augustini. 88. *a*
Peculia prohibet P. Nevius Provincialis Ordin. S. Augustini Epistola ad suos. 88. *b*
Peculia excusare, eò quòd ista habeant ad nutum superiorum.

antiqua est proprietariorum consuetudo. 91. *a*
Peculia differunt à necessariis. *ibid. b*
Peculia licita num probet auctoritas quarundam Doctorum. 92. *a b*
Peculia licita esse, an probetur ex quadam Bulla Clementis X. 93. *a*
Peculia an infirmitatis humanæ prætextu excusanda. 94. *a*
Peculia redditus potiùs amaritudinis quam dulcedinis. 95. *a*
Peculiorum defensores Ambrosius, Beltramus & Raphael de Pornasio. 92. *a b*
Pecuniam comitti Religiosis, studiorum causa commorantibus in Universitatibus, non est necesse. 9. *a*
Pensio Ecclesiastica quid sit, & quis illius capax censeatur. 210. *a*
Pensionum vestigia quædam reperiuntur in magno Concilio Calchedonensi. 210. *b*
Pensiones olim quomodo, & quare aliquibus assignarentur. 273. *a*
Pensiones quibusdam quo titulo S. Gregorius assignârit. *ibid.*
Pensiones quo titulo, & quibus Clericis assignandæ. 211. *b* 212. *a*
Pensiones Clericis assignari, qui aliunde sustentari possunt abusum reputavit Concilium delectorum Cardinalium. 212. *a*
Pensiones solius indigentiæ titulo non sunt creandæ. *ibid. a*
Pensiones creandæ non est sufficiens titulus, quod Beneficium quis possiderit. *ibid. a b*
Pensionem ut quis obtineat, quandiu Beneficium deservire debuerit juxta statuta Cleri Gallicani. *ibid.*
Pensiones sustentationem homini Ecclesiastico congruentem ne excedant. *ibid.*
Pensiones non sine Canonum relaxatione creantur. 212. *b*
Pensionem impetrantibus quæ sint attendenda 213. *a*
Pensio justa potest esse ex parte dantis, quamvis iniqua ex parte accipientis. 213. *b* 214. *a*
Pensionem ob resignatum Beneficium exigere, quam sit inordinatum. 217. *b*
Pensiones pacis causa Simoniæ sunt pallia. 218. *a*
Pensiones ob renuntiationem litis illicitæ. *ibid.*
Pensiones ab auctoritate Superiorum debent sumere principium. 218. *b* 219. *a*
Pensiones pacis causa unde originem sumpserint. *ibid. a*
Pensionum praxis & Simonia paria penè mala inducunt. 219. *a b*
Pensionum praxi inutiles redduntur Canones pluralitatem Beneficiorum prohibentes. 219. *b*
Pensionum praxis quot incommodis obnoxia. 220. *a* 274. *b*
Pensionum praxis causa est, ut multi ad Beneficia aspirent, qui tamen Ecclesiasticum statum suscipere nolunt. 220. *a b*
Pensionibus ita sæpè extenuantur Beneficia, ut vilissimi tantùm homines illa vellint suscipere. *ibid.*
Pensionum praxim an probet Synodus Tridentina. 220. *b*
Pensionum praxim quàm improbaverit S. Carolus, & in quibus circumstantiis semel duntaxat permiserit. 221. *a*
Pensionis reservatio legi naturali contraria, ut sit licita, quid requiratur. 223. *b*
Pensionis sub larva sæpè latet Simonia juris divini & naturalis. 218. *a*
Pensionis legitimè & licitè exemplum. *ibid. b.* 273. *a b*
Pensionis promissione mediante qui beneficium Ecclesiasticum assequitur, simoniam juris divini nulla superiorum auctoritate purgandam, incurrit. 273.
Pensionum olim constitutarum exempla nullatenus favent modernæ quorundam praxi. *ibid. a b*
Pensiones quæ à pactione partium initium sumunt, improbantur in *Cap.* 21. ✠ *de Præbendis* ex veterum Canonistarum sententia. 219. *b*
Pensiones nulla alia de causa quàm in pios usus constitui possunt. 50. *a*
Pensiones illegitimæ ob cessionem Beneficii cum ab iis percipiuntur, qui aliunde sustentari possunt. *ibid. a*
Pensionarii per dispensationem Pontificis non sunt semper securi. 213. *b*
Periculis quantis expositi sint homines seculares. 22. *b*
Permissio rei cujuspiam non illicò probat rem ipsam esse licitam. 116. *a*
Permutationes Beneficiorum olim ignotæ, quando primùm cœperint. 234. *b*
Permutationes Beneficiorum non secus, quàm translationes Canonibus contrariæ. *ibid.*
Permutationes Beneficiorum, ut sint licitæ, quæ & quales conditiones requisitæ. *ibid.* 215. *a*
Permutationes Beneficiorum quàm periculosæ. *ibid.*
Permutatio Beneficiorum procul abest, ut sit titulus sufficiens exigendæ pensionis, quin potiùs permutantes ea indignos facit. *ibid. b*
Permutare Beneficia lucri aut commodi causa non libet. 215. *a*
Permutantes Beneficia quæ debeant attendere. *ibid.*
Permutantes Beneficia digniorem tenentur eligere. 217. *a*
Permutandorum Beneficiorum quoad fructus inæqualitas, an sit exigendæ pensionis. 216. *a*
Persecutio triplex Ecclesiæ, cui quarta accessit prioribus amarior, ab ingeniorum luxurie. 56. *b* 57. *a*
Personæ, & personatus undenam originem ducant. 241. *a b*
Personarum acceptio vitanda à superioribus Monasticis. 9. *b &c.*
Petrus à S. Audomaro asserit non sufficeret aunuam schedulæ exhibitionem eorum, quæ Religiosi possident superioribus factam, ut à vitio proprietatis se expurgent. 4. *a*
Proprietarios esse, ait superiores Regularium, qui bona Monasterii expendunt, ut sibi monumenta statuant, celebres exequias curent, &c. magnificentiæ potiùs studiosi quam necessitatis curatores. 10. *b*
Superiores Regulares monet, ne sua tenacitate præbeant subditis materiam excusandi peccatum, prætextu necessitatis. 16. *b*
Petrus Cantor Clericos redarguit lucri causâ officium divinum peragentes. 147. *a* 170. *a*
Simonem Magum à Petro repulsum, à quibus modò Sacerdotibus in Ecclesiam introductum deploret. 197. *b*
Quid censeat de iis, qui beneficia consanguineis conferunt. 206. *a*
Petrus Damiani (B.) ut Simoniacos & Apostolos Antichristi accussat, qui contendebant, prædiorum Episcopalium possessionem seorsim ab Episcopali dignitate pretio posse comparari. 52. *a* 180. *a*
Sacerdotum nugas quam graviter arguat. 120. *b* 121. *a*
Quam pœnitentiam Episcopo Florentino injunxerit, qui alia aut simili quopiam semel duntaxat luserat. 136. *b*
Simoniacos propter munus ab obsequio quomodo arguat. 185. *b*
Graviter redarguit quosdam, qui censebant proventus Episcopatus emi posse absque emptione ipsius Episcopatus. 271. *b*
Ejusdem ad Ecclesiasticos luxui deditos gravis admonitio. 126. *b*
Philippus II. graduatos Academicos ad Canonicatus Cathedralium noviter erectarum assumi instituit. 107. *a b*
Pius IV. constituit omnia quorumcunque Privilegia, etiam quæ in *mari magno* continentur ad limites Tridentini reducta esse. 279. *a*
Pius V. Constitutione sua, qui sint Simoniaci confidentiales. 186. *a*
Pœnitentes olim ad Clerum non admittebantur. 112. *b*
Pontifex non est Beneficiorum Dominus sed dispensator. 213. *b*
Pontifex, aliique superiores justè pensionem possunt creare, quam tamen Pensionarius injustè recipiat. *ibid.* 214. *a*
Pontifices sub & obreptioni obnoxios esse, ex ipsorum querelis patet. 221. *a b*
Pontifici quomodo liceat dispensare. 227. *a b*
Pontificis auctoritatem labefactam, qui voluntatem ejus asserunt esse regulam dispensandi. 226. *a b*
Pontificis voluntatem regulam esse legitimæ dispensationis, saniores Thelogi & Canonistæ non admittunt. 226. *b* 227. *a*
Pontificum intentio non est, ut mandata sua, cum scandalo populi executioni mandentur. 228. *b*
Pontifices quomodo caverint, ne privilegia, quæ quibusdam concesserunt, ut decimas non persolverent, Parochorum juribus nimium gravamen inferrent. 242. *b*
Pontificum variorum responsa, quibus probatur Simoniam sæpè titulo redemptionis committi. 182. *a*
Pontificum responsa, quibus ostenditur, protectionem, quam Sedes Apostolica Monachis indulsit, non evincere ipsorum ab Ordinariis exemptionem. 276. *a b*
Popinas frequentare Ecclesiasticis interdictum. 125. *b*
Populus quomodo circa Missarum celebrationem, pro quibus stipendium offert, ritè sit instruendus. 201. *b*
Possessio quæ dicatur à Jurisconsultis. 266. *a*
Possessio ordinariè præsumptionem favorabilem facit possessori. 267.
Possessio notabilis temporis præsumtionem pro possessore in foro interno facere potest. *ibid.*
Possessio in materia justitiæ non est titulus sufficiens, ut ex speculativè probabili faciat practicè certum. 267. *b*
Possessio libertatis in jure inaudita. 268. *a*
Possessio libertatis si foret attendenda, vix occurreret casus, quo oporteret tutiorem partem eligere. *ibid. b*
Possessio libertatis laxam conscientiarum libertatem induxit. *ibid.*
Possessionem libertatis sanctiones Canonicæ nullibi adstruunt. *ibid.* 269. *a b*

Pos-

Possidentis conditionem quo sensus Justinianus intellexerit esse meliorem. 266. *b* 267. *a*
Possessor cujuspiam non semper securus, quia actor in probationem deficit. 266. *a*
Possessores quomodo in casu dubii in foro interno debeant procedere. 267. *b*
Præcepta alia sunt legis æternæ, alia legis possitivæ tantùm. 222. *a b*
Præmonstratenses statuerunt, ut sui & Pastores ex communi cellariò alantur, nec aliquid seu ex quotidianis, seu annuis proventibus retineant. 9. *a*
Præmonstratensium statutum concernens Pastores. 11. *b*
Prætextus frivolus exigendi dotem, ut à Monasterio damnum avertatur. 24. *b*
Praxis qua bona stabilia Monasteriis relinquuntur, ut eorum administrationem cuipiam Religioso particulari Superiores concedere debeant, improbatur. 10. *b* 11. *a*
Praxis communis peculia non reddit licita. 15. *a*
Praxim paucorum tutiùs est sequi quàm multorum. *ibid. a*
Preces feriales in officio ecclesiastico quam antiqui ritus, & unde ortæ. 176. *a*
Presbyteri Episcoporum adjutores 101. *b*
Presbyteratûs dignitas & onus. 122. *a b*
Prima in officio ecclesiastico quandonam persolvenda. 177. *a*
Privilegia Universitati Lovaniensi concessa de non residendo excedunt privilegia Juris communis. 148. *b*
Privilegia de non residendo, quo intuitu concessa. *ibid. b*
Privilegia Regularibus concessa strictè sunt interpretanda. 199. *b*
Privilegia quandonam à Pontificibus importunè cœperint extorquere Monasteria & Capitula, ut possent decimas à laicis obtinere. 240. *a*
Privilegium Monachis concessum, ut novalia percipiant Parochiarum, quarum curam gerunt, non debet censeri odiosum. 242. *b*
Privilegium, quo Monachis & Canonicis quibusdam conceditur, ut novalia percipiant, quomodo intelligendum. *ibid.* 243. *a*
Privilegium quibusdam concessum de non persolvendis decimis meritò quandoque revocandum. *ibid. a*
Privilegia exemptionum Regularium quousque se extendant ex ipsorum tenore colligendum est. 304.
Privilegiorum inspectionem petentibus Episcopis, Privilegia exhibenda sunt. *ibid. a*
Privilegia exemptionum odiosa sunt, & strictè accipienda. 275. *b*
Privilegia exemptionum integris congregationibus concessa, magis odiosa sunt, quam quæ particularibus quibusdam personis conceduntur. 278. *b*
Privilegia à Sede Apostolica concessa quo casu debeant censeri subreptitia. 279. *a*
Privilegia Fratrum Mendicantium debent per Tridentinum censeri sublata, & quare. 279. *b*
Probabile quid antiquis, quid modernis quibusdam dicatur. 264. *a*
Probabilitas non esse regula actionum. 263. 264.
Probabilitas agentem quandoque minus excusabilem facit quàm ignorantia. 263. *a*
Probabilitatem ut Regula morum, qui ex aliquorum auctorum opinione statuunt, in quas absurditates prolabuntur. 263. *a b*
Probabilitatis encomium juxta Fagnanum. 264. *b* 57. *a*
Probabilistarum palmarium argumentum discutitur & refellitur. 265. *a b*
Probationes quælibet in foro externo non admittuntur, & quare. 266. *b*
Professio Monastica ejusque exercitia non sunt ipsa perfectio; sed instrumenta ad perfectionem consequendam 21. *b*
Professioni adjuncta personis reservatio, debet haberi ut non adjecta utpotè turpis 47. *a*
Professionis formula Ord. S. Aug. probat voveri vitæ communionem sine proprietate. 85. *a b* 86. *a*
Profitentes Regulam Ord. Erem. S. Aug. manus imponunt Regulæ, & quare. *ibid. b*
Proprietatis affectu tollendo utile foret, ut quandoque ea, quæ ex donantis liberalitate cuipiam Religioso destinantur, necessitati alterius impenderetur. 4. *a*
Proprietatis vitium fovetur, quod Religiosorum usui passim permittantur, ea quæ ipsis conceduntur, cum quoad cætera superiores aliter soleant procedere. 7. *b* 8. *a*
Proprietatis pallium est dum administratio, puta, redditum quorundam Officialibus committitur, dummodo non Monasterii utilitati cedant, sed in usus privatos cujuspiam Religiosi serventur. 10. *b*
Proprietatis prætextus, deffectus necessariorum. 16. *a b*
Proprietatis abdicatio Regulæ Monachali non accidentaliter tantùm, sed essentialiter annexa est, ut nec Pontificem ab ea avelli possit. 86. *b* 87. *a*
Proprietas vera etiam consistit cum dependentia à nutu Superiorum. 50. *b*
Proprietatis affectus quoad peculia quibus signis reprehendatur. 54. *b*
Proprietas non nocet nisi per usum. 82. *a*
Proprietatis causa sæpè avaritia Superiorum. 8[illegible]. *a*
Proprietatis affectus in religiosis ut tollatur, Capitulum Windesemense monet Priores, ut res cuipiam datas alteri potius tradant. 4. *a*
Proprietatem concernens quæstio proponitur P. Desiderant. 77. *a b*
Proprietarii censendi, qui non omnia pleno affectu & effectu abdicant. 3. *b*
Proprietariorum tres classes. 79. *a*
Protectio Sedis Apostolicæ Monachis indulta non evincit ipsorum à jurisdictione Episcopali exemptionem. 276. *a*
Psalmi in fidelium conventibus toto orbe recitati. 173. *a*
Psalmi cur præ cæteris sacræ Scripturæ libris ad Dei laudes assumpti. *ibid.*
Psalmorum talis fuit olim distributio, ut qualibet hebdomada Psalterium integrè legeretur. *ibid.*
Psalmorum intellectus juvat atentionem. *ibid.*
Pseudo regulam, quod est speculativè probabile, est practicè certum, nec Canonicæ, nec civiles leges agnoscunt. 264. *a*

R

Radulphus Tongresium Decanus non probat multas festivitates, quibus ordo Psalterii hebdomadatim olim perlegendi turbatur. 173. *b*
Recapitulatio compendiosa sententiæ auctoris, quoad paupertatem Religiosam & vitæ communionem. 65. *a b*
Receptio ad Religionem secum trahit jus sustentationis 24. *a*
Redemptio vexæ à Simonia sæpè non est immunis; & quid agendum iis, qui ea uti intendunt. 181. *b*
Redditus vitalitii Religiosorum quomodo à superioribus expendendi. 62. *b*
Reformationem auspicantes non tantùm attendant, quis in præsenti tantùm fructus, sed quis in futurum speretur. 19. *b*
Reformationis studium non dimittendum propter aliorum oppositiones, aut inveteratam consuetudinem. *ibid.*
Reformatio instituta à S. Thoma à Villanova, eliminatis peculiis. 95. *b*
Regula S. Augustini ne vestes quidem à Religiosis retineri statuit, verùm eas à custode servari. 8. *a*
Asserit ad Religiosum non pertinere curam, an easdem, quas deposuerat, an alias vestas recipiat. 82. *b*
Regula Ord. Erem. S. Aug. peculia non obscurè prohibet. 86. *a b*
Non facit distinctionem quoad communionem inter bona, quæ communitati, & ea quæ particulari personæ dantur. 87. *b*
Regula S. Benedicti vult, ut Monachos omnia sibi necessaria speret ab Abbate. 7. *b*
Contraria assignationi pensionum. 7. *b*
Statuit ut Abbas sit ordinatus. 11. *a*
Statuit, ut dentur ab Abbate omnia necessaria, quo minus auferatur necessitatis excusatio. 16. *b*
Nullam dotis exactionem quoquo modo admittit. 53. *a*
Regula Canonicorum quid circa pueros choristas seu choraules statuat. 165. *b*
Regula morum, *in dubiis semita tutior est eligenda*, à Pontificibus probata. 262. 263. 264.
Quæ corollaria ex ea deriventur. 264. *a b*
Regulam morum qui statuunt probabilitatem ex opinione quorundam auctorum, in quas absurditates prolabantur. *ibid.* 265. *a*
Regula juris, *melior est conditio possidentis*, quo sensu intelligenda. 266. *b*
Nihil possessori attribuit, nisi quod ipsi ex æquitate naturali competit. 267. *a b*
Potissimè locum habet in foro externo. *ibid.*
Quomodo à quibusdam malè assumatur in materia justitiæ. 267. *b*
Regula juris, *in pari causa melior est conditio possidentis*, quo sensu intelligenda. *ibid. b*
Extra materiam justitiæ quoad alias virtutes locum habere non potest. 268.
Regularium privilegia strictè sunt interpretanda. 275. *b*
Regulares, qui Ordinis sui creantur Doctores, nisi eundem gradum in publica Universitati susceperint, nunquam titulo Doctorum in Bullis Pontificiis comprehenduntur. 235. *a*
Regulares ad functiones Clericales assumpti, qualitatem novam sus-

suscipiunt, ratione cujus non sunt exempti à jurisdictione Ordinariorum. 280. *b*
Regulares quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ in Ordine ad sæculares Episcopis omninò subjecti sunt, & quare. *ibid.* 281. *a*
Regulares admissi ad excipiendas confessiones sæcularium in una Diœcesi, non censentur approbati pro aliis. *ibid. b*
Regulares non habent auctoritatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, sine ejus venia. 282. *b*
Regularium approbationem Episcopi possunt pro libitu restringere & modificare. 281. *b* 282. *a b*
Regulares an à Pontifice immediatè accipiant jurisdictionem ad excipiendum Confessiones. 282. *b* 283. *a b*
Regulares ad limitatum tempus ab Episcopis approbati, an possit, cùm expiraverit, sine nova approbatione Confessiones excipere. 284. *a*
Regulares Episcopis quoad prædicandi munus omninò subjecti sunt. *ibid. b*
Regulares quo artificio eludere posse quidam doceat Decretum Tridentini, ut quilibet à proprio Episcopo ordinetur. 286. *b*
Regularibus ad Sacerdotium assumendis, quidam ait sufficere, quod sciant ea, quæ sunt necessaria pro celebranda Missa. 287. *a*
Regulares ordinandi ab Episcopis circa mores & doctrinam sunt examinandi. *ibid.*
Regulares Episcopis quoad expositionem publicam aut circumgestationem Eucharistiæ sunt subjecti. 287. *b* 288. *a*
Regulares per Juris remedium quibus casibus possint ab Episcopis coerceri. 289. *b*
Regulares an Episcopis reverentiam & obedientiam promittere debeant unà cum adversarii argumentis discutitur. 290. *a*
Relaxatio animi cur & quomodo licita. 134. *a*
Religionem ingredi expedit etiam non exercitatis in perfectione. 21. *a b*
Religiosis nihil detur superfluum, nihil denegetur necessarium. 7. *b*
Religiosi ne sint suarum necessitatum dispensatores. *ibid. b*
Religiosis necessaria non assignentur in pecunia, sed in specie. 8. *a* 45.
Religiosi non est judicare, an superiores in necessariorum distributione æqualitatem justam servent. 8. *b*
Religiosis in universitatibus commorantibus, pecuniam comitti non est necesse. 9. *a*
Religiosi nihil eorum, quæ ad necessitatem ipsis concessa sunt, possideant ut proprium. 9. *b ibid.*
Religiosis meritò ea auferuntur, quibus affectu tenaciùs putantur adhærere. 9. *b* 45. *b*
Vide exemplum S. Dorothei. 51. *a*
Religiosis extra Monasterium commorantibus cavendum, ne rebus sibi concessis utantur ut propriis. 10. *a*
Religiosi non plures admittendi, quàm ex consuetis eleemosynis ali possint. 17. *a* 35. *b* 204. *a*
Religiosis necessariorum defectum obtendentibus, quænam expendenda. 17. *b*
Religiosi quantopere caverint populares concursus. 22. *b*
Religiosi præ sæcularibus debent rerum temporalium solicitudinem exuere. 40. *b*
Religiosorum paupertas voluntaria quid importet. 44. *b*
Religiosi testamentum condentes Ecclesiastica careant sepultura. 45. *a*
Religiosis omnia sua in commune conferant. 58. *b*
Religiosis si quid pretiosius donetur, quàm eos uti deceat, vendatur, ut ejus pretium omnium fiat. 45. *b*
Religiosorum vitia si carpas, Religionis diceris inimicus, & veritatis impugnator, ait Joannes Sarisbetiensis. 49. *a*
Religiosum esse non oportet, ut quispiam de officio ipsorum scribet. 49. *b*
Religiosi gravissimæ prævaricationis rei, qui adversus superiorem sua in commune redigere volentem, murmurant. 51. *b*
Religiosi omnes in particulari proprietatis incapaces. 61. *b*
Religiosi necessariis ne utantur ut propris. *ibid. b* 91. *a b*
Religiosis extra Monasterium degentibus, quomodo servandum votum paupertatis. 9. *a* 10. *a*
Religiosi quicunque rerum communionem non servant, claudis comparantur à S. Augustino. 95. *a*
Religiosis quænam seriò expendenda. 96. *b* 97. *a*
Religiosos omnes modò Sacerdotio ordinari, nec professio requirit, nec exemplis antiquitatis probatur. 198. *a b*
Religiosi, in quibus magis Abbati obedire teneantur, in quibus verò Episcopo. *ibid.*
Religiosus an excusetur, dum vivit secundum praxim, quæ in Monasterio servabatur, cùm professionem emitteret. 15. *b*
Religiosum Ordinem extingui præstat, quam affectum proprietatis fovere. 17. *a*
Remedia varia, quibus occurri potest abusui, qui ex turpi quæstu celebrationis Missæ committitur. 200. *b* 201. *a*
Rescripta Apostolica quo casu debeant haberi subreptitia. 278. *b*
Reservatio rei cujuspiam in usus particulares Religiosi, communionis perfectionem infringit. 6. *a*
Reservationis annui redditus in renuntiatione bonorum, praxis reprobata. 5. *a*
Reresvationes particulares à peccato non excusantur, cùm in superioribus Monasteriorum, tum in subditis, ad quos ordinariè hi positivè, illi permissivè concurrunt. 6. *b*
Reservationem etiam si perciperent superiores, non ei debent Religiosi consentire. *ibid.*
Residentia Canonicorum qualis asse debeat. 147. *b* 148. *a*
Residentiæ onere qui Canonici sint absoluti, & quare. 148. *a*
Resignatio Beneficii non est titulus exigendæ pensionis. 217. *b*
Resignationes Beneficiorum cum clausula: *Nec aliter, nec aliàs* olim ignotæ, & multiplici ex capitæ illicitæ. 217. *a*
Resignantes Beneficia digniorem tenentur eligere. *ibid.*
Responsa varia Sacræ Congregationis, concernentia proprietatem Regularium. 13. *b* 14. *a*
Responsa variorum Pontificum, quibus probatur, titulo redemptionis vexæ Simoniam sæpè committi. 182. *a*
Responsoria in Officio Ecclesiastico unde dicta. 175. *a*
Retractatio sententiæ Auctori immeritò exprobata 76. *a*
Reverentia externa, cùm divinum officium peragitur, servanda, quare. 167. *a*
Ritus antiquissimus divinum officium per distincta temporum intervalla recitandi. 166. *b*
Ritus quis ab unoquoque servandus. 163. *a*
Ritum diversitas unitati Ecclesiæ non officit. *ibid.*
Rodulfi Abbatis Epistola malè in patrocinium pactionum, quæ cum ingressuris Monasteria fiunt, à P. Wynants producitur. 53. *a*
Rodulfi Abbatis consilium pro cavenda Simonia in admissione Fratrum. *ibid.*

S

Sacerdotes Episcoporum adjutores. 101. *b*
Sacerdotes scripturas & Canones meditentur. 105. *a b*
Sacerdotum ut graviora sunt peccata, quàm laicorum, ita major ab iis est exigenda pœnitentia. 115. *b*
Sacerdotibus præ cæteris peccatis, cavenda impuditiia. 116. *a*
Sacerdotes lapsi tardè functionibus Sacris restituendi, & quare. 116. *a*
Sacerdotum lapsorum rarior & tardior conversio, & quare. *ibid.*
Sacerdotum nugæ quàm graviter culpentur. 120. *b*
Sacerdotibus quid vi Ordinis sui incumbat. 122. *a &c.*
Sacerdotes honorarii intuitu Missam celebrantes cui comparentur. 197. *a*
Sacerdotes domos mortuarias penetrantes, ut honoraria Missarum recipiant, sive ad alias Ecclesias spe amplioris mercedis transeuntes, de turpi quæstu suspecti. 195. *a b*
Sacerdotes potiùs artificiolo victum quærant, quàm turpi Missarum quæstu. 196. *b a*
Sacerdotem ex Missarum celebratione lucrum captantium mores perstringuntur. 197. *a*
Sacerdotes in crimen præcipuè carnis prolapsos ad altare accedere priusquam diuturnis lacrymis peccatum expiârint, quàm sit à sensu Ecclesiæ alienum. 115. *a*
Sacerdotes multiplicandi an sufficiens sit ratio, quod quorundam communitatum sacristia ex Missarum celebratione in redditum annuè tot millia supeditet. 200. *b*
Sacerdotibus non licet stipendii parte sibi retenta, alteri celebrandæ Missæ onus committere. 201. *b*
Sacerdotibus olim prohibitum, ne muneris, aut alio demum intuitu reconciliandum quempiam Episcopo offerrent, ante completam satisfactionem. *ibid.*
Sacerdotum ordo Missarum quæstu quantum vilescat. 200. *a*
Sacramenta ministrantes quid circa ultrò oblata cavere debent. 188. *a*
Sacramenta administrantes ut vitæ necesaria accipiant, affectum habent simoniacum. *ibid. b*
Salesius (S. Franciscus) ambitionem esse ait: paupertatem profiteri, & nulla ejus incommoda velle sentire. 18. *a*
Alearum lusum simpliciter malum esse existimat. 134. *a*
Exemptiones abrogari exoptat. 291. *b*
Sanctissima quæque familiaritate vilescunt. 200. *b*

Scan-

Scandalum cavendum, dum Monasteria gratuitò aliquid accipiunt. 41. *b*
Scandalum præcipuè cavendum iis, qui beneficia consanguineis conferunt. 206. *a b*
Scandali etiam vitandi causa, debent Monasteria quæcunque ab exactionibus pro admissione abstinere. 4. *a*
Senatus Regis statuta Canonicorum, quibus integra distributio concedatur iis, qui parti divini officii duntaxat intererant, irrita esse pronuntiarunt. 146. *b* 147. *a*
Sententia Auctoris de paupertate religiosa, & vitæ communione compendio exhibita. 65. *b* 66. *a*
Sententiæ variæ Parlamentorum, quibus Pastoribus assignantur novalia, exclusis iis qui jus obtinent Pastorum primitivorum. 242. *a*
Sententia extensa Concilii Brabantiæ in causa competentiæ in favorem Parochi. 261. 262.
Signa quænam sint affectus proprietatis in Religioso. 4. *a b*
Signa ex quibus colligitur, an quis evangelizet, ut manducet. 129. *b*
Signa ex quibus colligitur, an Clerici principaliter lucri causa officio divino intersint. 147. *b* 148. *a*
Signa ex quibus colligitur, munus quodpiam titulo gratitudinis pro Beneficio oblatum simoniacè dari & accipi. 183. *a b*
Signa ex quibus colligitur, Sacerdotes lucrum ex Missis captare. 196. *a b*
Simoniæ inordinatio. 178. *a b*
Simonia cum aliis criminibus comparata quo sensu dicatur eminens peccatum. *ibid.*
Simonia variis semper fraudibus occultata. 179. *a b*
Simoniæ technas SS. Patres & Concilia passim hac Christi sententia: *Gratis accepistis, gratis date*, eludunt. 180. *a*
Simoniæ larvam plures Episcopi, & Innocentius III. detraxerunt, qua excusari volebant aliqui, dum temporale darent, non tanquam pretium, sed velut motivum. *ibid. b*
Simonia committitur, dum munus directè vel indirectè ordinatur, ut quis Beneficium Ecclesiasticum, ut quid spirituale consequatur. 181. *a*
Simonia est dare vel accipere quidquam pro ingressu Religionis. 24. *a*
Simonia penè omnis excusabitur, si liceat temporalia à spiritualibus separare. 24. *b* 25 *a*
Simonia prætextu paupertatis sæpè committitur. 30. *a b*
Simonia committitur, dum Monasteria etiam insufficientia plus exigunt quàm ad alimentationem profitentis requiratur. 31. *a*
Simonia prætextu paupertatis committitur, dum Monasteria licèt insufficientia, amore tamen pecuniæ quempiam admittunt. 39. *a*
Simonia committitur, dum exigitur pecunia pro conviviis in die professionis, &c. *ibid.*
Simonia pietatis pallio quibus modis se tegat. 179. *b*
Simoniam committunt tum Religiosi, qui intercedunt pro Beneficii adeptione in eorum favorem, qui ipsis eleemosynas facere obligentur, tum ii, qui Beneficium taliter consequuntur. 181. *a b*
Simonia sæpè titulo redemptionis vexæ committitur. *ibid.*
Simonia in exactione jurium pro institutione aut possessione sæpè comittitur. 182. *a*
Simoniam titulo gratitudinis palliatam plures Episcopi, & Innocentius XI. damnârunt. 183. *a* 271. *b*
Simonia triplici munere committitur munere obsequii, manûs & linguæ. 184. *a*
Simonia per munus à lingua quot modis committatur. 185. *a*
Simonia committitur, dum pro administratione Sacramentorum quid exigitur. 187. *b*
Simonia est administrare spiritualia ob lucrum temporale. 188. *b* 189. *a*
Simonia committitur, dum intuitu mercedis aut similis rei Sacerdos pœnitentes absolvit. 201. *b* 202. *a*
Simonia & acceptio personarum vitia cognata. 204. *a*
Simonia committitur, cùm in permutatione Beneficiorum, fructuum inæqualitas pensione compensatur. 216. *a*
Simonia committitur, dum titulo resignanti Beneficii pensio exigitur. 217. *b*
Simoniæ pallium est pensio pacis causa. 218. *a*
Simonia quandoque committitur, dum ante institutionem Vicarii, Pastores primitivi dum eo dè competentia paciscuntur. 184. *b* 249. *b*
Simonia materia quæ sit. 270. *a*
Simoniam juris divini nulla superioris auctoritate purgandam incurrit, qui mediante pensionis promissione Beneficium Ecclesiasticum assequitur. *ibid. a b*
Simonia confidentiæ qualis sit. 185. *b &c.*
Simonia confidentiæ quàm variis modis comittatur. 185. *b*
Simoniaci super crimine suo dispensationes petentes, ipsa petitione indignos se ea ostendunt. 210. *a*
Simoniacos à crimine nimis facilè absolvi conqueritur Concilium delectorum Cardinalium. *ibid.*
Simoniacorum numerus quandoque causam dedit, ut de Canonum rigore aliquid detraheretur. 209. *b*
Simoniacum est divino Officio interesse merè ad lucrandas distributiones. 146. *b*
Simoniacum quandonam censeatur propter commendationem alterius Beneficium conferre vel obtinere. 185. *a*
Simoniacum est electionis Canonicæ impedimenta, mediante pecunia amovere. 218. *a b*
Simoniacas ordinationes olim maximè insectabatur Ecclesia, modo Simoniacas Beneficiorum collationes undenam ista diferentia ortum habeat. 179. *a*
Simoniaca non solent reputari munera exigua, quamvis ex intentione offerentis simoniaca esse possint. 183. *b*
Simoniacè obtinetur beneficium etiam cum ignorante Beneficiato, temporale datum est, adeoque dimittendum. 208. *b*
Simoniacè adeptum ut quis beneficium retineat, quot & quantæ rationes expendendæ. 209. *b* 210. *a*
Simon Magus à Petro repulsus, per Sacerdotes quæstum Missarum captantes in Ecclesiam introductus. 197. *b*
Simnichius quid de indignorum ad gradus Academicos promotione censeat. 109. *b*
Solicitudo nimia rerum temporalium deponenda. 41. *a*
Specimen vitæ communis à Canonicis olim observatæ. 151. *b* 152. *a*
Spirituali annexum esse jus sustentationis in Monasteriis sufficientibus. 23. *b*
Spiritualia qui ordinant, ut consequantur temporalia, rerum ordinem pervertunt. 129. *b*
Status Religiosus vitam Christianam, ut est vita pœnitentiæ, rectè instituit. 23. *a*
Status Religiosus qualiter periculis castitatis & divitiarum provideat. *ibid.*
Status Religiosus plurimum conducit, ut quis vitam verè christianam instituat. 22. *b*
Status Religiosus est quoddam spirituale exercitium, ad consequendam charitatis perfectionem. 21. *b*
Status Monachalis & Clericalis, olim penè inter se reputabantur contrarii. 278. *a*
Statum alienum concernentia rectiùs homines sæpè extendunt, quàm suæ conditionis officium. 50. *a*
Statuta quæpiam num justa sint, ut quis judicet, quid attendendum. 55. *a*
Statuta Capitulorum an possint eximere Canonicos ab obligatione, officium divinum per se obeundi. 140. *a b*
Statuta etiam Ecclesiarum Cathedralium quandoque quædam continent, quæ quæstum potiùs quàm pietatem spirant. 55. *a b* 140. *b*
Statuta Ecclesiarum Cathedralium, nedum Ordinis alicujus Religiosi, quædam possunt continere Ecclesiæ Regulis non conformia. 55. *b*
Statutis Canonicorum Regularium & Præmonstratensium inserta Constitutio Urbani V. *Sanè ne in vinea.* 33. *b* 34. *a*
Statutum Ordinis Eremitarum S. Augustini inhibens, ne ulli interveniente ullo pacto ad Ordinem assumantur, aut aliquid ipsis detinere permittatur. 51. *b* 52. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus popinas frequentare Clericis inhibetur. 125. *a*
Statuta variorum Conciliorum & PP. quibus frugalitas Clericis commendatur. *ibid. b*
Statuta variorum Conciliorum & Patrum, quibus Clericis aleārum lusus prohibetur. 134. *b* 135. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus venatio Clericis interdicitur. *ibid. b*
Statuta Conciliorum, quibus Clerici ad horas Canonicas persolvendas obligantur. 138. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus ostenditur Canonicos obligari, ut per se canant, & divinum officium peragant. 139. *b* 140. *a* 157. *b*
Statuta variorum Conciliorum, quibus ostenditur etiam minoribus Horis suas distributiones esse assignandas. 145. *b*
Statuta variorum Conciliorum, quibus inhibetur, ne integræ distributiones in choro dentur iis, qui parti Officii solum interfuerunt. 146. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus prohibetur, ne assignentur distributiones iis, qui exiguo duntaxat tempore officio intersunt. *ibid. a b*
Statuta variorum Conciliorum de claustris Canonicorum pro vita communi extruendis. 151. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus Canonicis injungitur, ut omnibus Horis, iisque integris intersint. 156. *b*
Statuta varior. Concil. circa organorum in Ecclesiis usum 166. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus externa corporis reverentia tempore divini officii præcipitur. 167. *b*

Sta-

Statuta variorum Conciliorum, quibus ostenditur, officium divinum tractim & distinctè persolvendum. 168. *a*
Statuta variorum Conciliorum ad extirpandam simoniam confidentiæ. 186. *a*
Statuta variorum Conciliorum & Patrum adversus simoniam, quæ in administratione Sacramentorum committitur. 187. *b*
Statuta variorum Conciliorum, quibus populo inter Missarum solemnia oblationes facere præcipitur. 190. *b* 191. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus inhibetur, ne quid temporale pro Missarum celebratione exigatur. 194. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus inhibetur Confessariis, ne ex satisfactione pœnitentis lucrum sibi acquirant. 203. *b*
Statuta variorum Conciliorum, quibus ostenditur, eos, qui per simoniam ad Ordines aut Beneficia sunt promoti, gradu suo aut Beneficio excidere. 208. *a*
Statuta variorum Conciliorum & PP. quibus evincitur simoniacè ordinatos, aut ad Beneficia promotos, ne peracta quidem pœnitentia ad munia sacra recipiendos. 209. *a b*
Statuta Conciliorum & Pontificum, quibus ostenditur, non licere Clericis Ecclesiam, cui semel adscripti sunt, discrere. 216. *b*
Statuta Conciliorum, quibus ostenditur, Beneficia dimittentes, partem fructuum, aut pensionem sibi reservare non posse. 217. *a* 218. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus limites ponuntur effrœni decimarum oblationi, quàm laici Monasteriis & Capitulis faciebant. 240. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quæ redemptiones Altarium tanquam Simoniacas prohibent. 240. *b* 241. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus ostenditur, non licere Ecclesiasticis pro ministerio sacro quidquam à fidelibus exigere. 245. *b* 256. *b*
Statuta variorum Conciliorum, quibus tanquam simoniacum reprobatur, aliquid pro fidelium sepultura exigere. 258. *a*
Statuta variorum Conciliorum, quibus decretum fuit, Monachos Episcopis subjectos esse debere. 304. *a b*
Statuta variorum Conciliorum, quibus regularibus limites præfiguntur circa publicam Eucharistiæ expositionem aut circumgestationem. 287. *b*
Statuta variorum Conciliorum, quibus inhibetur, ne in supplicationibus cum Venerabili simul deferantur Imagines aut Reliquiæ Sanctorum. 288. *a*
Stipendium Missarum taxare ratione certi Altaris, aut loci aut temporis quàm sit inordinatum. 196. *b*
Subdiaconatus Sanctitas, & quænam sint officia. 100. *b*
Subdiaconi vocem suam debent castigare. 120. *b*
Superbia & solicitudo nimia radix exactionum in Monasteriis. 40. *a*
Superflua Beneficiorum ex justitia in pias causas expendi debent. 111. *b*
Superflua Monachorum pauperibus impendenda. 27. *a*
Superioribus incumbit orationis obligatio. 12. *a*
Superiorum nec dispensatio, nec sententia securos reddit subditos. 85. *b* 86. *a*
Superiores non omnibus æqualiter distribuant; sed juxta cujusque necessitatem. 85. *b*
Superiores redditum vitalitium cujuspiam Religiosi quomodo debeant expendere. 63. *a* 64. *a*
Superioribus necessaria non administrantibus, occasio præbetur proprietati. 16. *b*
Superioribus Monasteriorum tenentur ea quæ Religiosis undecunque obtigerint, cum reliquis Monasterii bonis confundere. 5. *b*
Superiores Monasteriorum nihil occultè accipiant; sed omnia in commune redigant. 7. *a b*
Superioribus Monasticis vitanda acceptio personarum, quoad distributionem necessariorum. 8. *a b*
Superiores Monasteriorum subditos suos ad Missam celebrandam ut quotidianum stipendium acquiratur, de turpi quæstu suspecti. 195. *a*
Superiores Monasteriorum subditos suos quoscunque ad Ordines propellentes, suspecti meritò sunt se commodi temporalis causa id facere. 198. *b*
Superiore Regularium dispensare non possunt, ut eorum subditi habeant superflua. 10. *b*
Superiores Regularium non tantùm suos instruere debent circa ea, quæ omnes Christianos concernunt, sed maximè circa regulam, quam professi sunt. 11. *a*
Superiores regularium caveant, ne quid in ipsis appareat à paupertatis professione alienum. 18. *a*
Superiores Regulares necessaria subditis subministrent. 25. *b*
Superiores Regulares avaritia ne sint infecti. 42. *a*
Superioribus Regularium cavendum, ne re quapiam utantur ut propria. 10. *a*
Superioribus Regularium non est committenda omnis rerum temporalium cura. 11. *a*
Superioribus Regularium quantopere laborandum, ut vitium proprietatis extirpent. 19. *a b*
Superiorum Regularium testimoniis in favorem suorum, quomodo & quantum sit deferendum. 286. *a*
Superpellicei mystica significatio. 144. *a*
Symbolum sub nomine Athanasii receptum, jam pridem in Ecclesia recitatum. 177. *a*
Symbolum sub nomine Athanasii receptum, alium habet auctorem. *ibid.*
Synodus Aquisgranensis culpat eos, qui ut bonis suis parcant, Ecclesiam gravant. 43. *b*
Quales Vicarios à Canonicis assumi præcipiat. 139. *a b*
Vitam communem Canonicis præscripsit, & quale ejus specimen. 151. *b*
Ejusdem monitum ad Canonicos. 119. *a*
Ejusdem statutum de personis tempore Officii Divini ad Chorum admittendis, aliisque arcendis. 144. *b*
Synodis Arelatensis Canon Juri Canonico insertus, quo inhibetur, ne plures in Monasteriis assumantur, quam ali possint. 34. *b*
Synodus Audomarensis statuit, ut Regulares omnia prorsus in communem usum convertant. 2. *b* 3. *a* 83. *b*
Deplorat Monasterium exitiosam proprietatem. 15. *a*
Ejusdem ad Superiorem Regularium quoad bonorum dispensationem gravis admonitio. 10. *a*
Synodo Audomarensi inepta glossa opposita. 91. *a*
Synodus Aurelianensis vetat, ne quis sub potentum patrocinio res Ecclesiasticas invadat. 239. *a*
Synodus Burdigalensis quid à Tonsurandis requirat. 99. *b* 100. *a*
Synodus Cameracensis decernit, ut quidquid Regulares seu industria, seu amicorum liberalitate acquirunt, superiori tradatur, & tanquam res communis expendatur. 2. *b*
Statuit rescindi omnia emolumenta, quæ quibusdam Monasteriorum Officialibus concedi solebant, quo omnia in commune conferantur. 6. *a*
Ebrietatem Ecclesiasticis prohibet. 124. *b*
Quid circa Canonicorum Vicarios statuit. 141. *a*
Synodus Coloniensis collapsam Ordinum Minorum dignitatem deplorat. 100. *a*
Crimen Sacerdotum indignè Missas celebrantium deplorat. 197. *b* 258. *a*
Super quibus examinari statuat Ordinandos. 122. *b*
Quid circa Parochorum sustentationem decreverit. 259. *a*
Monachos quoad prædicationes non tantùm Episcopis subjectos, sed eatenus à professionis suæ regulis exemptos voluit. 285. *a*
Ejusdem admonitio ad Clericos, quæstûs causâ officium divinum peragentes. 146. *b* 169. *b*
Synodus Mechliniensis statuit, ut auferantur ea, quæ proprietati totius Religionis pesti occasionem & fomenta subministrant. 2. *a*
Quid à Clericis studiorum causâ absentibus requirat. 149. *b*
Ex eadem Synodo patet, quæ fuerit mens Concilii Tridentini circa rerum communionem observandam à Regularibus. 2. *b* 3. *a*
Synodus Parisiensis indignum judicat minui munerum Monachorum imminutis proventibus: intelige: nisi multitudo disciplinæ obstaret. 24. *a*
Synodus Remensis asserit, temporalia Canonicatuum non magis à spiritualibus posse separari, quàm corpus ab anima in homine manente vivo. 24. *b*
Synodus Senonensis quid circa officii Divini decorem statuerit. 159. *a*
Synodi Albiensis, Londinensis, & Oxoniensis pensionem & taxarum assignationem religiosis factam improbant. 8. *a b*
Synodi Cameracensis, Audomarensis, & Mechliniensis prohibent, ne superiores regularium subditis pecuniam pro cibo, potu, vestibus administrent; sed ea omnia decenter ipsis procurent. 8. *a*
Synodi Cameracensis & Mechliniensis statuunt, ut Religiosis omnia necessaria suppeditentur. 16. *b*
Synodi Cameracensii, Audomarensis, & Remensis statuunt, ut Monasteria etiam insufficientia nihil exigant ab ingressuris. 37. *a b*
Synodi Cameracensis, Audomarensis, Mechliniensis, Antuerpiensis, & Iprensis, Ecclesiasticis familiaritatem cum mulieribus prohibent. 124. *a*

T

Tabernæ potatoriæ Ecclesiasticis interdictæ. 125. *a*
Taxa determinata pecuniæ Religiosis assignata, ut ex ea sibi provideant ad proprietatem viam sternit. 7. *b*
Taxa jurium sepulchralium quomodo inducta. 258. *a b*
Testamentum condere Religiosis inhibitum. 45. *a*
Testimonia quæ à Superioribus scribuntur in favorem Ordinandorum, non probant eos Ordine, ad quem aspirant, dignos esse. 122. *b*
Theologorum quorundam asserentium Beneficiatum non obligari, ut Horas Canonicas persolvat, cum fructus non percepit, sententia redarguitur. 138. *b*
Theresia (S.) statuit, ut à sororibus auferantur, ea, quibus affectu tenaciùs adhærere putantur. 9. *b* 51. *a*
Ejusdem ad suas monitum, pro solicitudine rerum temporalium deponenda. 41. *b*
Toletus (*Cardinalis*) variique Auctores docent, pensionarios per dispensationem Papæ non fieri securos. 213. *b* 227. *b*
Tonsuræ Ceremoniæ quid significent 118. *a*
Tonsuræ quales initiandi ad mentem Tridentini. 100. *b*
Tonsurandorum qualitates. 99. *a*
Tonsuratis quid incumbat. 99. *a* 102. *a*
Tridentinum Concilium pro debita voti paupertatis observantia requirit absolutam rerum omnium cujuscunque qualitatis, & undecunque provenientium confusionem, 2. *a b* 5. *a*
Sustulit differentiam quoad communicandi necessitatem in Regularibus. 5. *b*
Vetat, ne Superiores Monasteriorum dispensent in iis, quæ ab substantiam vitæ Regularis pertinent. 6. *a*
Decernit, ut priusquam rei cujuspiam *usus facti* Religioso concedatur, sit illa Monasterii bonis incorporata. 7. *a b*
Mandat ut omnes, Regulares ad Regulam, quam professi sunt, vitam instituant. 15. *b* 16. *a*
Statuit, ut suppellex Religiosorum statui paupertatis conveniat. 17. *b*
Ampliavit Constitutionem Bonifacii VIII. extendens etiam ad Mendicantes, ne plures assumant quàm alere possint, eandemque temperavit quoad nullitatem Profesionis. 35. *a*
Statuit, ut Monasteria de bonis Novitiorum nihil possint recipere, nisi pro victu: quod etiam de Monialibus intelligendum. 42. *b*
Quid circa Ordines minores statuerit. 100. *a b*
Ejus studium, ut Sacri Canones observarentur. 104. *b*
Statuit, ut Graduati in Academiis ad dignitates Ecclesiasticas assumerentur. 107. *a*
Ad Ecclesiastica munia optat assumi Graduatos Accademicos. *ibid. b*
Quid à Canonicis requirat. 110. *b*
Quid circa lapsos in crimen occultum, qui ad Ordines aspirant, decreverit. 116. *b*
Frugalitatem Ecclesiasticis commendat. 126. *a*
Prohibet, ne quis ex redditibus Ecclesiæ consanguineos ditet. 132. *a b*
An licitum existimet, ut Patrimonio divites de Ecclesiasticis bonis vivant. *ibid.*
Alearum lusum Ecclesiasticis prohibet. 134. *a b*
Tertiam partem fructuum statuit in distributiones converti. 145. *a*
Quid de residentia Canonicorum statuerit. 148. *a*
Mavult colectas institui pro sustentatione Pastorum, quàm ut ad jurium exactiones pro Sacramentorum administratione procedatur. 190. *b*
Non intendit, ut Regulares passim omnes ad ordines promoveantur. 198. *b*
Ex Ecclesia eliminari vult omnia, quæ sapiunt turpem quæstum. *ibid.*
An sit ejus Concilii mens, ut ad Sacerdotium promoveantur, de quibus suspicio est, quòd illius Ordinis consecutione turpem Missarum quætum captent. 200. *a*
Quale peccatum censeat, cum ad Episcopatum digniores non promoventur. 207. *a*
Quid circa stabilitatem Clericorum decreverit. 216. *b*
Quid circa pensiones statuerit, & an illarum praxim probet. 220. *a*
Ob temporum duritiem multa debuit tolerare. *ibid.*
Quid circa dispensationes, ut licitè concedantur, statuerit. 225. *b*
Quomodo occurrerit abusui, quòd Monachi & Canoci decimarum possessores, Ecclesiis Parochialibus sæpè, ut opus est, non provideant. 244. *a*
Quo pacto Pastorum indigentiæ succurri statuerit. 251. *b* 252. *a*
An in competentiam Pastorum velit voluntarias fidelium oblationes imputari. 256. *a b*
Quid sentiat de particularium quorundam exemptionibus. 277. *b*
Censetur abolevisse Privilegia Fratrum Mendicantium, & quare. 279. *a*
Regulares quoad excipiendas sæcularium confessiones, Episcopis omninò subjectos esse statuit. 199. *a b*
Quid circa potestatem concionandi, in ordine ad Regulares statuerit. 285. *a*
Quid circa Regulares ordinando statuerit. 286. *a*

V

Vallensius sententia, qua honoraria Missarum, Concionum, &c. pari loco cum patrimonialibus Clericorum bonis annumerat, redarguitur. 194. *a*
Venatio Clericis interdicta. 146. *b*
Venationis studium quàm dedeceat Ecclesiasticos. *ibid.*
Venationis incommoda. *ibid.*
Versus in Officio Ecclesiastico unde dictus. 174. *b*
Versus *Domine labia*, *&c.* matutinis Horis cur præmittatur. 171. *a*
Versus *Gloria Patri* quandonam Psalmis interpositus, & quando cœperit hæc clausula: *Sicut erat*, *&c.* 171. *a b*
Vesperas & Completorium ante meridiem recitare quàm si inordinatum. 166. *b* 167. *a*
Vespere Diei Dominicæ & festi, undenam die præcedenti soleant celebrari. 177. *b*
Vestes an easdem, quas disposuerat, an alias recipiat, non est Religiosi curare ex Regula S. Augustini. 9. *b*
Vestem pretiossam sibi oblatam Augustinus vendit, quo fiat pretium commune. 84. *a*
Vestes Canonicales quid mysticè significent. 144. *a*
Vestitum Monachi ex commune Vestiario accipiant, vanitatis cura posthabita. 45. *a*
Vestitus sit idem non tantùm in eodem Monasterio, se etiam Ordine. *ibid.*
Vicariis suis Capitula sufficienter providere tenentur, & quare. 201. *a*
Vicarios inter Pastorum primitivorum & Pastores nulla distinctio. 241. *a*
Vicarii Pastorum primitivorum, si per se concionari voluerint, cessat jus Primitivorum nominandi Concionatorem. *ibid. b*
Visitatio Universitatis Lovaniensis, quid ab iis, qui gradus Academicos susceperi sunt, requirat. 107. *b*
Vita communis fundamentum disciplinæ regularis. 6. *b* 15. *b*
Vita Religiosa incruentum Martyrium. 23. *a*
Vita communis Canonicorum qualis olim fuerit, ex præscripto Synodi Aquisgranensis. 151. *b* 152. *a*
Vitæ communis Canonicorum disciplina quando collabi cœperit. 152. *a*
Vita communis Canonicorum, quo tempore in singularem transierit. 152. *a*
Vita communis & disciplinæ relaxatio in Canonicis simul cœperunt. *ibid.*
Vitæ communis, vestigia quænam Canonici hactenus retinuerint. 153. *b*
Vitia quæ peculiaritatem consequuntur. 18. *b*
Universitatum Nominationes quare dignioribus concedendæ. 205. *b*
Universitatis Heydelbergensis resolutio, non licere plures admitti in Monasteriis quàm ali possint, nec ab ingressuris quidpiam exigi posse. 35. *a*
Universitatis Lovaniensis Privilegia de non residendo, excedunt Privilegium Juris communis. 148. *b*
Universitas Parisiensis Bullæ cuidam, quàm Mendicantes sibi concessam obtendebant, se opponit. 283. *a*
Votum paupertatis requirit dependentiam ab aliena voluntate. 9. *b*
Votum paupertatis, quàm periculosè relaxetur. 75. *a b*
Voto paupertatis obstrictus omnia debet considerare ut aliena. 3. *a*
Voto emisso sine salutis dispendio resilere non licet. 19. *a b*
Urbanus II. quanta moderatione & prudentia rigorem Canonum contra simoniacos editorum relaxaverit. 209. *b*
Urbanus II. quid statuerit de eo, qui ordinatus fuerit mediante pecunia, quæ quidem non Episcopo, sed ejus Consiliario data fuerat. 181. *a*
Urbanus II. & Leo XI. indulserunt, ut Clerici quidam peracta pœnitentia pristino gradui restituerentur. 114. *b*
Urbani V. Constitutio, ne quid omninò ab ingressuris Monasteria exigatur. 34. *a*
Usus Juris, & usus facti non distinguuntur per dependentiam,

tiam, aut independentiam à nutu superioris. 61. *b* 62. *a*
Usus facti est usus simplex rerum necessariarum. 62. *a b*

W

Wamesius non favet iis, qui obtendunt competere Monasteriis jus ad bona ingredientium. 69. *a b*
Wynants (P.) an jure dicat, auctorem hujus operis amaro zelo & libore P. Lupi memoriam insectari. 47. *b*
An jure dicat, auctorem annumerare P. Lupum laxionibus & stultis. 48. *b*
An jure nominet auctorem, *apertum Monachorum invasorem. ib.*
An rectè objiciat Author, quod scripta sua Evangelii loco haberi velit. 49. *a*
An rectè objiciat, Auctorem manum suam mittere ad aratrum alienum. *ibid.*
An meritò Auctoris de peculio Monachorum sententiam damnet nimis rigoris. 50. *b*
An rectè asserat statutum Ordinis sui prohibere solum, ne quid recipiatur tanquam pretium Professionis. 52. *a*
Abbatis Rodulphi Epistolam malè in patrocinium pactionum, quæ cum ingressuris Monasteria fiunt, assumit. 53. *a b*
Jansenistam qualiter depingat, & indigitet. 55. *b* 56. *a*
Jansenistæ secundum ejus normam descriptio quadrat S. Carolo, multisque aliis, qui in Ecclesia vixerunt sanctitate celebres. 56. *a b*

Z

Zachariæ Pontificis Religiosum Responsum. 229. *b*

TRACTATUS

HISTORICO-CANONICUS

EXHIBENS SCHOLIA

IN OMNES CANONES CONCILIORUM,

tam Græcos, quam Latinos, unanimi utriusque Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ consensu probatos.

NEC NON

Famosiores Canonum Codices sive collectiones tam veteres, quam recentiores; etiam quibus modernum Corpus Canonicum constat: una cum Reflexionibus, Regulis & Principiis perveniendi ad veram ac utilem Sacrorum Canonum, & Juris Canonici notitiam.

AUTHORE

ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN,

Presbytero J. U. D. SS. Canon. Profess. in Academia Lovaniensi.

PARS QUINTA.

MATRITI : ANNO MDCCXCI.

IN TYPOGRAPHIA RAIMUNDI RUIZ.

SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO.

NOtissimum est, Ecclesiæ in suis condendis Decretis sive Canonibus unicum scopum studiumque esse, proponere regulas, è quibus Fideles ac præcipuè ejus Ministri morum suorum vitæque normam sumant; optimumque Ecclesiæ administrandæ genus haurire queant.

Porrò sicuti in Sanctorum Patrum scriptis purissima morum ac disciplinæ principia, Evangelicam simplicitatem ac sanctitatem spirantia exhibentur; ita quoque in illis potissimum Canonibus, quos Patrum ætas parturivit, purior illa morum disciplina conspicitur.

Ecquid enim sunt Canones, quos Patres edidêre, nisi particulares quædam quasi conclusiones à principiis in suis scriptis fusiùs propositis, eductæ? Ut rectè notat pius ille Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius: *Ex primis enim principiis*, ait, *quæ nobis SS. Patres in suis scriptis exhibuerunt, originantur, sicut è fonte fluvii conclusionum particularium in sacris Canonibus contentarum.*

Hinc nemo non videt, quàm non modò utilis, sed quodammodo necessaria sit Clericis Canonum lectio, non tantùm, qui à singulari Canonum studio *Canonistæ* dicuntur; verùm & iis, qui à studio Theologico *Theologi* vocantur, nimirum, ut in illis optimam Ecclesiæ administrandæ normam conspiciant.

Unde illud Cœlestini: *Nulli Sacerdotum liceat ignorare Canones.* Et illud Concilii Carthaginensis VI. ad suggestionem S. Augustini: *Placuit, ut ordinandis Episcopis vel Clericis ab Ordinatoribus placita Conciliorum auribus eorum inculcentur: ne se aliquid contra Statuta Concilii fecisse pœniteat.* Est Canon 18. in Codice Ecclesiæ Africanæ exhibitus.

Et quidem adeò necessaria est Canonum lectio, si Christiano Lupo credimus in præfatione Scholiorum, ut » ex quo an» tiquorum Canonum & intelligendorum & observandorum » cura apud nos cœpit tepescere, irrepere in Scholas cœperit » subtiliter disputandi & probabiliter optandi licentiosa cum » prurigine & sine fræno libertas. E Scholis in Ecclesiæ am» bones & hinc in fidelis populi mores transiit, atque ita pu» rum avitæ, moralis præsertim Theologiæ vinum cœnosa hu» manæ per peccatum obscuratæ rationis aqua miscit, & lu» cidum Evangelicæ vitæ aurum vertit in scoriam multæ cor» ruptionis. Patrum cordibus in filios reducendis nulla via com» pendiosior, quàm redditus, verum sale conditus, ad anti» quos, nostris novissimorum temporum infirmitatibus con» gruos Canones, quos S. Leo Magnus alta voce prædicat esse » Spiritu Dei conditos, totius mundi reverentiâ consecratos, » & usque ad seculi finem, utique in electorum cordibus per» mansuros. «

Hæc probè intelligebat S. Carolus, ideò *Canonum ea scientia ipsi perjucunda erat, quæ Patrum mores & acta repræsentans Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet. Dolens autem eos communi consuetudine tantummodò Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciaque valent; constituit ipse, qui iis declarandis præesset, unde Sacra Majorum instituta & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur.* Petrus à Basilica in ejus vita, *libr. 7. cap. 11.*

Neque Clericis, iisve, qui Ecclesiæ administrandæ vi sui officii præsunt, hæc Sacrorum Canonum ac avitæ Patrum disciplinæ notitia solum utilis ac propè necessaria est; sed & iis, qui civilibus & Regiis Tribunalibus præfecti sunt, aut se disponunt, ut iis aliquando admoveantur.

Cum enim spectatâ modernâ non Belgii tantùm, sed & Galliæ aliorumque Regnorum disciplinâ quæstiones Ecclesiasticæ disciplinæ frequenter devolvantur ad Regia Tribunalia: imò vix quidpiam alicujus momenti disciplinam exteriorem concernens cum effectu decernere queant Episcopi, ni Regia auctoritas assistat: vix dici potest, quàm Episcopis aliisque Pastoribus in restauranda, aut sustinenda puriori Ecclesiæ disciplina sint impedimento Ministri Regii, dum antiquorum Canonum, & purioris Ecclesiasticæ disciplinæ planè expertes, quidquid à relaxata, aut collapsa disciplina dissonum apparet, quasi noxiam & periculosam novitatem abominantur, & rejiciunt.

At è contra, cum Regii Ministri Sacrorum Canonum atque sincerissimæ Ecclesiasticæ disciplinæ scientiâ probè sunt imbuti, mirùm, quid non in redintegranda, aut sustinenda, aut promovenda optima illa Ecclesiæ disciplina valeant: idque non tantum Episcopis cæterisque Ecclesiæ Ministris sua auctoritate assistendo; sed insuper tanquam Sacrorum Canonum ab Ecclesia constituti Vindices & Executores, eam auctoritate Regia promovendo, aut collabentem sustinendo, vel collapsam restaurando.

Verùm quia non omnibus, quibus SS. Canonum & Ecclesiasticæ disciplinæ notitia convenit, vacat fusiores Conciliorum tomos, aut longos Canonum Commentarios pervolvere nec inutile, nec ingratum fore credidi, Canones illos Conciliorum tam Græcos, quàm Latinos, quos Ecclesia Græca & Latina jam à multis seculis probavit, ac pro Regulis Ecclesiasticæ disciplinæ suscepit, repræsentare, ac compendiosis Scholis, tam ad sensum Canonum, quam ad notitiam disciplinæ conducentibus explanare.

Et licèt inter hos Canones sint nonnulli, qui Synodos particulares duntaxat habent auctores; quia nihilominus universalis Ecclesiæ consensu in Codicem Canonum recepti & probati sunt, meritò de his omnibus dici posse videtur, quod de Nicænis dixit Leo Magnus: *Canones esse Spiritu Dei conditos, & totius Ecclesiæ reverentia consecratos.*

Si ex auctoritate canonum de auctoritate disciplinæ in illis exhibitæ judicari debeat, nemo non videt, quantæ auctoritatis reputanda sit his Canonibus repræsentata disciplina: ac per consequens, quàm utilis horum canonum lectio & notitia sit futura. Imò id asserere ausim, his in Canonibus omnem penè Ecclesiæ disciplinam, si non fusè explanatam, ut minus insinuatam, & præformatam reperiri.

Qui tamen accuratiorem ac prolixiorem Sacrorum canonum, totiusque Ecclesiasticæ disciplinæ notitiam desiderat, regulas ad eam perveniendi in hoc tractatu reperiet.

Sed cùm ea sit disciplinæ exterioris ratio, ut ea nounnunquam pro temporum ac locorum personarumque variis circumsiantiis, ipsa fide manente invariatâ mutari queat, nec possit, imò nec semper & ubique conveniat, pristinam Patrum disciplinam abolita recentiori, reducere, aut pertinaciter sustinere: non dubium, quin omnibus, quibus Ecclesiasticæ disciplinæ conservatio, vel restauratio, aut ejus usus incumbit, ita pristinæ studium congruat, ut tamen modernæ non omninò negligant.

Quia verò hæc potissimum è recentioribus Canonum & Decretalium collectionibus, quæ hodierno Corpori Canonico concluduntur, accipienda est, harum Collectionum compendiosam historiam & epitomen exhibere volui, unaque regulas ac principia assequendo earum genuino sensui & notitiæ observanda; quique commentatores potissimùm consuli possent.

Ulteriùs: quia ad Sacrorum Canonum & pristinæ disciplinæ, nec non hodierni Juris Canonici notitiam non parum conducunt Canonum collectiones sive codices, qui variis temporibus prodierunt, & è quibus Gratianus, Raymundus aliique moderni Corporis nostri Canonici compilatores sua pro magna parte hauseruut, eas quoque in hoc tractatu breviter exhibui, ac una notavi, quæ pro notitia tum veteris, tum modernæ disciplinæ in illis observanda occurrunt: ac singulariter apocrypha à sinceris monumentis, quæ in illas Collectiones, & ex illis in Corpus Canonicum irrepserunt, secernere studui.

Denique, ut & Belgica nostra disciplina faciliùs innotescere possit, etiam ea, è quibus hæc scientia accipienda sit, breviter annotavi.

MONITUM AD LECTOREM.

PArte 2. cap. 2. §. 4. tractans de codice Ecclesiæ Romanæ edito à Paschasio Quenellio insinuavi, titulum Codicis ab ipso Quenellio esse concinatum; at potsmodum intellexi, illum totidem verbis legi in manuscripto Codice hujus collectionis, nihilque à Quenellio additum fuisse.

Ad canonem 12. codicis Africani monui, aliam esse illius canonis lectionem in Concilio Carthaginensi II. At monendum censui hic Lectorem, emendatiorem illius Concilli editionem procuratam esse à Viro doctissimo Luca Holstenio; & extat in Appendice tomi 2. Concil. edit. Labbei, quæ communem canonis lectionem exhibet, quam & constans Ecclesiæ Africanæ disciplina confirmat.

Ex emendatiori illa editione Holstenii intelligitur quoque, Episcopum, qui Concilio Carthaginensi II. præfuit, non *Gennedium*, sed *Gennethlium* appellatum fuisse.

Ad canonem 15. codicis Africani observavi, non levem esse conjecturam, periodum aliquam recentiori manu huic canoni esse assutam; verùm licèt eam conjecturam credam suo non destitui fundamento, monere tamen volui, eam periodum extare, & quidem clarioribus terminis expressam, in canone 9. Concilii Hipponensis in codice Ecclesiæ Romanæ Quenelliano, è quo forsan recentiori manu huic nostro canoni assuta fuit.

Parte 3. cap. 2. §. 1. & 2. ostendi, Martinum Bracarensem canones è Græco in Latinum vertisse; nec canonem X. Ancyranum iisdem verbis retulisse, quibus in codice Romano Quenelliano exhibetur; sed tamen re maturiùs expensa, sat verisimile apparet, Martinum Romanum canonis Ancyrani versionem sive potiùs inversionem vidisse; cum aliàs non appareat, qui fieri potuisset ut Martinus eodem modo canonem illum in alienum adeo sensum inflexisset: ideoque nec omninò esse infundatum argumentum, quod pro sinceritate & antiquitate sui codicis ex versione Martini Bracarensis desumit Quenellius.

Occasione Canonis VIII. Chalcedonensis notavi, Monachos ut tales, non esse de sorte clericorum, sed *de sorte Laicorum*: nequaquam tamen inficior, quin Monastica exercitia, & secessus è mundi tumultibus eos aliquatenus à Laicis in seculo versantibus separet, ipsaque vitæ Monasticæ exercitia per se conducant, ut ad ipsum clericatum paulatim Monachos disponant.

Parte 4. cap. 1. §. 1. dixi, *sub initium seculi octavi prodiisse & publicatam fuisse collectionem Canonum*, quæ vulgò dicitur *Isidori Mercatoris*; sed cùm nemo ante Riculfum Episcopum Mogutinum ejus meminerit, sat verisimile est, eam non nisi circa finem illius seculi prodiisse. Constat enim ex Annalibus incerti Auctoris editis à Petro Pithæo ann 786. *Lullo Moguntiacensi Episcopo defuncto RICHOLF successisse.*

Hac ærâ collectionis constituta faciliùs quoque intelligitur, quomodo Decretales Pontificum in illa collectione exhibitæ Adriano I. ignotæ esse potuerint, uti *part. 4. cap. 2. §. 1.* monui.

Parte IX. §. 4. agens de Actis Cleri Gallicani dixi, illa *Synodis particularibus indubiè annumeranda*; item illa *extra Ditiones Gallicanas vim legis non habere*, item *ubique vim legis positivæ non habere*: è quibus nolim, ut quis inferat me supponere, illa generatim per Ditiones Gallicanas vim legis obtinere; ipsasque conventuum Gallicanorum *declarationes*, sive Decisiones, eandem obstrigendi vim habere per totum Regnum Galliæ, quam habent Decreta Synodorum in suis respectivè Provinciis, vel Diœcesibus: cùm sciam hanc auctoritatem à pluribus Episcopis & Doctoribus his Conventibus negari atque expressè negasse Vicarios Archiepiscopatûs Parisiensis in Decreto edito contra resolutionem conventûs Gallicani anni 1660. qua prohibuerat versionem Missalis Romani D. Voisin. Estat Decretum Vicariorum integrum in Libello Gallicano, cui titulus: *Défense des versions*, &c. pag. 96. Illud unicè volo, in Actis illis multa eaque utilissima contineri, quæ puriorem disciplinam exhibent, neque exiguæ reputanda esse auctoritatis, quandoquidem non minima sit censenda auctoritas Episcoporum numerosi Cœtus, quocumque modo illi sint congregati; tametsi etiam cœtus ille vim legis ferendæ non haberet. Præsertim cùm ea, quæ in Actis illis disciplinam concernunt, passim ab omnibus Episcopis Regni Galliæ probata sint.

Monuit me non nemo, ex illis, quæ *parte 10. cap. 2. §. 3.* in fine dicuntur, aliquos facilè judicaturos, quod quæ sequenti paragrapho observanda notavi circa Decretalium Commentarios, dumtaxat afficere tertium genus Commentariorum; cùm tamen mens mea sit, ut ea Juris Studiosus generaliter circa quoscunque Decretalium Interpretes seu Commentatores expendat; licèt non ignorem in aliis plura, in aliis pauciora, in aliquibus paucissima aut forsan nulla locum habere.

IN-

INDEX

CAPITUM ET PARAGRAPHORUM PARTIS V. HUJUS OPERIS.

PARS PRIMA.

De vera Idea, quam Canonum Studiosus habere debet de Sacris Canonibus, eorumque auctoritate.

CAPUT PRIMUM.

Pro varietate materiæ, varia quoque de Auctoritate SS. Canonum formanda Idea.

I. *Quæ Idea de Canonibus in generali formari debeat.* 1

II. Canones *aliqui nihil juris positivi præscribunt, sed tantùm quod juris naturalis est, exponunt: Quæ de his formanda Idea.* ibid.

III. *Inter canones reperiuntur, qui quidem juris aliquid positivi continent, multum tamen juris naturalis admixtum habent.* ibid.

IV. *Ut vera habeatur de canonibus Idea, secernendi sunt canones, quibus ritus externi ab iis, quibus morum disciplina præscribitur.* 2.

V. *Canones morum disciplinam præscribentes non propterea omninò aboliti credendi, quia Ecclesia quoad disciplinam exteriorem illorum non servat rigorem.* ibid.

VI. *Quod judicium ferendum de Canonibus, quos Ecclesia abusibus jam multùm inveteratis, lateque diffusis opposuit.* 3

CAPUT II.

Quæ inquirenda de Conditore Canonum, ut vera de eorum auctoritate habeatur Idea.

I. *Ut rectè statuatur de Canonis alicujus auctoritate, primò attendendum, quo Auctore editus sit.* 3

II. *Meritò expenditur, qui edendis Canonibus intervenerint, ut de eorum auctoritate statuatur.* 4

III. *Meritò attendendum, quâ curâ & studio allaboratum fuerit pro Canonum observantia, ut de eorum auctoritate statuatur,* ibid.

CAPUT III.

Plurimùm conducit notitia Codicum, seu Collectionum SS. Canonum, ut recta de Canonum Auctoritate, & eorum sensu habeatur Idea.

I. *Ecclesiam primis seculis suum habuisse codicem Canonum, ratione astruitur.* 4

II. *Ut varia est Ecclesiarum particularium Disciplina, ita diversi esse possunt Canonum coaices.* ibid.

III. *Quid auctoritatis accedat Canonibus per relationem in codicem.* ibid.

IV. *An omnes collectiones Canonum ejus sint generis, ut quæcunque in eis referuntur, legis auctoritatem habeant.* 5

V. *Quænam circa codices canonum observanda, ut vera de canonum auctoritate habeatur Idea.* ibid.

VI. *Sæpè numero conducit notitia codicum seu collectionum canonum pro intelligentia eorum, quæ in decreto Gratiani & decretalibus Gregorii IX. occurrunt.* ibid.

PARS SECUNDA.

De Codicibus, seu Collectionibus Canonum, quibus Ecclesia primis seculis usa fuit.

SCOPUS ET ORDO

Hujus & aliquot sequentium partium præsentis tractatûs.

CAPUT PRIMUM

De pristino Codice Canonum, qui vulgò dicitur Codex Canonum *Ecclesiæ universæ.*

I. *Ex actis Concilii Chalcedonensis evincitur, eo tempore fuisse codicem canonum, de quo in decidendis causis Ecclesiasticis canones desumebantur.* 6

II. *Notæ sunt characteres codicis, quo usa fuit Synodus Chalcedonensis.* ibid.

III. *Ex prælegatis characteribus conjicitur, codicem in concilio Chalcedonensi probatum fuisse eundem, quem Dionysius Exiguus è Græco in Latinum vertit.* ibid.

IV. *An hic codex rectè dicatur codex Ecclesiæ universæ.* 7

V. *Qui Canones in hoc codice contineantur: & cujus auctoritatis reputandi.* ibid.

VI. *Numerus canonum Nicænorum inquiritur: & ea occasione quædam in Gratiano notantur.* ibid.

VII. *Compendiosa canonum Nicænorum relatio, & explanatio.* 8

VIII. *De canonibus Ancyranis.* 12

IX. *De canonibus Neo-Cæsariensibus.* 15
X. *De canonibus Gangrensibus.* 16
XI. *De canonibus Antiochenis.* 18
XII. *De canonibus Laodicænis.* 23
XIII. *De canonibus Concilii Constantinopolitani Oecumenici II.* 28.

CAPUT II.

De Veteri Codice Ecclesiæ Romanæ.

I. *Ecclesia ante codicem Dionysianum editum sub finem V. seculi, habuit codicem canonum diversum à codice Orientalium.* 30
II. *Exhibentur Characteres pristini codicis Ecclesiæ Romanæ.* 31
III. *An codex à Justello editus sit genuinus Ecclesiæ Romanæ pristinus codex.* ibid.
IV. *Codex Quenellianus multos præfert pristini codicis Romani characteres.* ibid.
V. *Quæ in hoc codice contineantur.* 32
VI. *Quæ possit esse codicis hujus utilitas.* 33

CAPUT III.

De Codice Ecclesiæ Africanæ.

I. *A Quibus hic codex evulgatus.* 33
II. *A quo hic codex confectus & quo tempore.* ibid.
III. *Quæ codicis hujus auctoritas.* 34
IV. *Canones concilii Carthaginensis VI. Sessiones I. editi.* 35
V. *Canones Concilii Carthaginensis Cæsario & Attico VV. CC. Conss. quinto Kalendas Septembris; id est, juxta Justellum An.* 397 40
VI. *Canones Concilii Carthaginensis anni* 401. *vel* 399. 84
VII. *Canones Concilii Carthaginensis anni* 401. 44
VIII. *Canones Synodi Carthaginensis anni* 402. 42
IX. *Canones Concilii Carthaginensis anni* 407. 49
X. *De Canonibus Concilii Carthagin. anni* 418. 51
XI. *De Canonibus Concilii Carthaginensis* VI. *Sess. II. promulgatis.* 53
XII. *De litteris Africanorum ad Bonifacium & Cœlestinum Pontifices Romanos.* 54

PARS TERTIA.

De Codicibus & Collectionibus Canonum, à seculo VI. usque ad seculum VIII.

CAPUT PRIMUM

De Codice Dionysii Exigui.

I. *Quis fuerit hujus Dionysius Exiguus.* 56
II. *Codex Dionysianus in duas partes divisus; & quid in utraque contineatur.* ibid.
III. *Quæ sit codicis auctoritas.* 57
IV. *Ab Ecclesia Africana, Gallicana, aliisque hic codex fuit receptus.* ibid.
V. *De Canonibus Sardicensibus.* 58

CAPUT II.

De Codice Martini Archiepiscopi Bracarensis.

I. *Quis fuerit Martinus hujus codicis Auctor; & an è Græco canones verterit.* 63
II. *Quo ordine & forma codicem formaverit, & quid eo contineatur.* 64
III. *Ostenditur, Martinum non retulisse integros canones, nec quoad verba, nec quoad sensum.* ibid.
IV. *Quomodo Gratianus hoc codice sit usus; & qua ratione intellectui Decreti Gratiani servire possit.* 65

CAPUT III.

De Codice Græcorum Aucto.

I. *De incrementis codicis Græcorum; & quid hodie contineat.* 65
II. *De numero canonum vulgò Apostolorum.* 66
III. *Quæ horum canonum ætas & auctoritas.* 67
IV. *Referuntur & exponuntur priores quinquaginta canones vulgò Apostolorum.* 68
V. *De posterioribus* 35. *canon. Apostolorum.* 73
VI. *De canonibus Chalcedonensibus.* 77
VII. *De Synodo Quini-Sexta, sive Trullana, ejusque canonibus.* 85
VIII. *De Synodo VII.* 100
IX. *De Canonibus Synodi VII.* ibid.
X. *De Synodo Constantinopolitana sub Photio anno* 879. *habita, ejusque canonibus.* 106

PARS QUARTA

De Collectionibus Canonum, quæ seculo VIII. & IX. prodierunt.

CAPUT PRIMUM.

De Collectione Isidori vulgò Mercatoris.

I. *Quis hujus collectionis Auctor.* 107
II. *Materia hujus collectionis.* 108
III. *Decretales veterum Pontificum, aliaque antiquitatis monumenta in hac collectione exhibita, multis seculis pro indubitatis recepta fuêre.* 109
IV. *Quo gradu detecta harum Decretalium suppositio.* 110
V. *Argumenta, quibus de suppositione Decretalium Viri Eruditi se convictos fatentur.* ibid.
VI. *Nonnulla alia suppositita monumenta ex collectione Isidoriana, quibus etiam Gratianus usus est.* 111
VII. *Notanda ex jam dictis occasione Isidorianæ Collectionis.* 112

CAPUT II.

De Capitulis vulgò Hadriani Papæ.

I. *Quis capitulorum Auctor. Et unde desumpta.* 113

Os-

II. *Ostenditur utilitas notitiæ horum capitulorum ad intellectum Decreti Gratiani.* 114

CAPUT III.

De Capitularibus Regum Francorum.

I. *INquiritur in nomenclaturam* Capitularium. 114
II. *Unde capitularia desumpta; & qua forma edita.* ibid.
III. *De capitularium auctoritate.* 115
IV. *De collectione capitularium, ejusque receptione.* 116
V. *Astruitur multiplex capitularium utilitas.* 117
VI. *Quomodo ad intellectum Gratiani notitia Capitularium conducat.* ibid.

PARS QUINTA.

De Collectionibus, quæ seculo X. & XI. prodierunt.

CAPUT PRIMUM.

De Collectione Reginonis Abbatis.

I. *QUis ordo collectionis; & unde desumpta.* 118
II. *Multiplex collectionis utilitas.* 119

CAPUT II.

De Decreto Burchardi Episcopi Wormatiensis.

I. *DE Ordine & Materia Decreti Burchardici.* 120
II. *Detegitur origo erratorum Burchardi.* 121
III. *Gratianus & Decretalium collectores fidem Burchardi secuti.* ibid.

CAPUT III.

De Collectione Ivonis Episcopi Carnotensis.

I. *DE Decreto, & Panormia Ivonis; & an hæc revera sit Ivonis.* 122
II. *Unde sua hauserit Ivo; & aliqua de ejus prologo.* 123
III. *Gratianus collectione Ivonis usus fuit.* 124

PARS SEXTA.

CAPUT PRIMUM.

De Decreto Gratiani non Correcto.

I. *VEra inscriptio decreti Gratiani*, Concordia discordantium canonum; *& quæ illius ratio.* 124
II. *Divisio operis; ejusque forma.* 125
III. *De materia Decreti; ac præsertim de* paleis. 126

CAPUT II.

De Erratis & Correctione Decreti.

I. *DE erratis Gratiani ante Correctionem, & eorum fontibus.* 126
II. *De emendatione Gratiani ante Romanam.* ibid.
III. *De Correctione Romana.* 127
IV. *Quæ ratio in emendatione servata.* ibid.
V. *Quod in forma emendationis observatum desiderâssent Eruditi.* 128
VI. *Errata Gratiani post emendat. Romanam.* 129

CAPUT III.

De Auctoritate Decreti Gratiani.

I. *DEcretum Gratiani passim fuit receptum.* 129
II. *Qua ratione tanta Decreto conciliata auctoritas.* 130
III. *An Decretum publica auctoritate polleat.* ibid.
IV. *Nulla quoque publica auctoritate pollet post correctionem Romanam.* 131
V. *Utilitas Decreti Gratiani.* ibid.

PARS SEPTIMA.

De Veteribus Decretalium Collectionibus.

CAPUT PRIMUM.

De prima & secunda Decretalium Collectione.

I. *DE prima Decretalium Collectione.* 132
II. *Secunda Decretalium Collectione.* ibid.

CAPUT II.

De tertia & quarta Decretalium collectione.

I. *DE tertia Decretalium collectione.* 133
II. *De quarta Decretalium collectione.* ibid.

CAPUT III.

De quinta Decretalium collectione, & hujus ac præcedentium utilitate.

I. *DE quinta Decretalium collectione.* 133
II. *Multiplex hujus, & præcedentium Collectionum Decretalium utilitas.* 134

PARS OCTAVA.

De Decretalibus Gregorii IX. & reliquis moderni Corporis Canonici partibus.

CAPUT PRIMUM.

De Decretalibus Gregorii IX.

I. *Auctor, occasio ac scopus hujus collectionis* 134
II. *E quibus conflata hæc collectio.* ibid.
III. *Quis Collectionis ordo.* 135
IV. *Multis titulis utiles veteres Decretalium collectiones.* ibid.
V. *Præcedentia exempla demonstrantur.* ibid.
VI. *Sæpè convenit etiam ad ipsarum Decretalium primos fontes recurrere; occurriturque objectionibus contra jam dicta formandis.* 136

CAPUT II.

De reliquis Corporibus Juris Canonici partibus.

I. *De Sexto Decretalium.* 138
II. *De Clementinis.* ibid.
III. *De Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.* 139

CAPUT III.

De Auctoritate Decretalium Gregorii IX. & subsequentium Collectionum; item citationibus partium Juris Canonici.

I. *De Auctore Juris canonici.* 139
II. *De citationibus Juris canonici.* 140

PARS NONA.

De Jure hodierno præcipuè Belgico.

CAPUT PRIMUM.

De Jure novissimo è Constitutionibus Ecclesiasticis.

I. *De Bullis & constitutionibus Pontificiis.* 140
II. *De Regula Cancellariæ.* 141
III. *De Concilio Tridentino.* 142
IV. *De Synodis particularibus.* ibid.

CAPUT II.

De Jure novissimo ex concordatis inter Ecclesiasticos & Civiles Magistratus & edictis Principum.

I. *De concordatis inter Prælatos Ecclesiasticos, & Magistratus civiles.* 142
II. *Edicta Principum jure novissimo annumeranda.* 143

PARS DECIMA.

De mediis perveniendi ad veram & utilem Disciplinæ Ecclesiasticæ, & SS. Canonum scientiam.

CAPUT PRIMUM.

Proponuntur media perveniendi ad veram & utilem notitiam Disciplinæ Ecclesiasticæ.

I. *Scopus studii SS. Canonum.* 144
II. *Canonum studiosum oportet attendere rationem disciplinæ externæ.* ibid.
III. *Qui potissimùm canones pro notitia disciplinæ pervolvendi.* 145
IV. *Quæ potissimùm hodierni corporis canonici partes pro notitia disciplinæ Ecclesiast. legendæ.* 146
V. *Lectio Concilii Trid. & Synod. particularium utilis pro notitia disciplinæ Ecclesiasticæ.* ibid.
VI. *Leges Codicis Justinianæi, nec non Novellæ ejus constitutiones utiles sunt pro disciplina Ecclesiastica.* 142
VII. *Aliqua notanda pro assequenda perfecta canonum & decretalium notitia.* ibid.

CAPUT II.

De Interpretibus seu Commentatoribus Canonum & Decretalium.

I. *De interpretibus canonum.* 150
II. *Latinis canonum interpretibus.* 151
III. *De interpretibus Decretalium.* ibid
IV. *Observanda circa Decretalium commentatores, & specialiter circa Paratitla Andreæ Vallensis.* 152

PARS PRIMA

DE VERA IDEA,

QUAM CANONUM STUDIOSUS HABERE DEBET

DE SACRIS CANONIBUS, EORUMQUE AUCTORITATE.

CAPUT PRIMUM.

PRO VARIETATE MATERIÆ, VARIA QUOQUE DE AUCTORITATE SS. CANONUM FORMANDA IDEA.

PARAGRAPHUS I.

Quæ Idea de Canonibus in generali formari debeat.

Quid Canon significet. Dist. 3. c. 1. & 2.

CAnon græcè, latinè *Regula* nuncupatur, ait Isidorus; » Regula » dicta est, inquit idem, eò quòd » rectè ducit, nec aliquando alior- » sum trahit. Alii dixerunt, Regu- » lam dictam, vel quo regat, vel » quòd normam rectè vivendi præ- » beat, vel quòd distortum pravum » corrigat. « Hæc ille.

Libri Sacri proprie dicuntur Canonici.

Juxta hanc Canonis nomenclaturam propriissimè ac illustriori modo Libri Sacri dicuntur *Canonici*, eo quòd hi præ omnibus reliquis libris & scriptis perpetuas ac infalibiles Fidei, & morum Regulas tradant.

Unde Regula Ecclesiæ nomen Canonis acceperint.

Quia verò Ecclesiæ suæ Christus assistentiam promisit Spiritûs S. qui eam in omnem inducat veritatem, Regulæ, quas ipsa eodem suggerente Spiritu veritatis, pro morum ac vitæ directione Filiis suis præscripsit, ad similitudinem Sacrorum librorum *Canones* dici cœperunt: utpotè aliquid etiam divinitatis, ratione illius Spiritûs assistentiæ participantes.

Encomia SS. Pat. de Canonibus Ecclesiæ.

Quam ob rem jam pridem SS. Patres Conciliorum decreta, *Statuta Spiritûs S. Regulas Spiritu Dei instruente conditas, per Spiritum verè Sanctum ordinatas, Canones Spiritu Dei conditos*, ac denique *divinos canones* dicere haud dubitârunt.

Neque id duntaxat de Regulis quas Ecclesia universalis in Synodo Œcumenica collecta edidit, sed & iis, quas Episcopi Apostolorum Sucessores, & Apostolico Spiritu pleni pro morum, ac vitæ directione in Conciliis particularibus convenientes condiderunt, cum quadam tamen proportione, intellexerunt.

Testimonium Sanct. Agobardi de auctoritate Canonum.

Nam ut rectè suo tempore de Canonibus Gallicanis, id est, qui in Synodis particularibus Galliæ editi erant, dixit S. Agobardus Lugdunensium Archi-Presul » si secundum verbum Dominicum: Ubi » duo vel tres congregati fuerint in nomine ejus, ibi » est & Dominus in medio eorum, quantò magis ubi » viginti, aut triginta aut multò amplius congregati fue- » rint non solùm in nomine Domini, sed insuper etiam » Fide præditi, Sapientiâ illustres, vitâ clari, sancti- » tate reverendi, signis, & prodigiis formandi; ne- » que hoc idcirco dicitur, ut passim omnium Episco- » palium Conventuum Sanctiones æquali auctoritate » recipienda credantur, ut Nicæni, Calchedonensis » & cæterorum Generalium ex totius mundi consensu » congregatorum, & receptorum, sed qui congruâ » veneratione, pro causis necessariis, quarum de- » finitiones in illis non inveniuntur, fides sit eis adhi- » benda religione debitâ, & melius sit unicuique eorum » sequi auctoritatem, quam proprium sensum, & sine » aliquo dolore transire non possit, cùm definitio- » nes multorum atque & Sanctorum Catholicorum » prætermittantur. «

Canones Ecclesiæ non ut leges merè humanæ considerandi sunt.

Parùm ergo dignam de Sacris Canonibus Conciliorum etiam particularium præsertim florente adhuc Ecclesiâ celebratorum, in quibus Episcopi Fide præditi, sapientiâ illustres, vitâ clari, sanctitate reverendi, signis & prodigiis formidandi, ut loquitur Agobardus, in Christi nomine conveniebant, ideam formant, qui eas ut leges merè humanas considerant & expendunt.

§. II.

Canones *aliqui nihil juris positivi præscribunt, sed tantùm quod juris naturalis est, exponunt: Quæ de his formanda Idea.*

Canones qui jus naturale duntaxat exprimunt.

INter Canones reperiri non paucos, qui, quod juris naturalis est, dumtaxat exprimunt aut explanant, vel particularibus casibus jus naturale applicant, manifestum est.

Et quidem hujus generi Canones plerique sunt, quibus incontinentiam, avaritiam, ambitionem, aliaque similia vitia, præcipuè Ministrorum suorum, Ecclesia proscribit.

Cùm verò hi Canones id solummodò prescribant, quod jus naturale statuit; vel illud prohibeant quod jus naturale vetat, non difficulter intelligitur de his Canonibus eam esse formandam ideam, quæ de jure naturali formanda est.

His Canonibus consuetudo vim obligandi detrahere non potest.

Hinc statuet Canonum Studiosus, similibus Canonibus non magìs, quam ipsi juri naturali applicari posse has juris Regulas: *consuetudine Canones abrogari: consuetudinem esse optimam legum interpretem, &c.* Sicut enim consuetudo nihil adversus jus naturale valet, ita nec horum Canonum, in quantum jus naturale duntaxat proponunt, aut explanant, vim seu auctoritatem enervare potest.

Cap. 9. de Sim.

His proinde Canonibus applicari potest, quod de Canonibus simoniacas exactiones in sacramentorum administratione proscribentibus dixit Concilium Lateranense: » Putant autem plures ex hoc licere, quia le- » gem mortis de longa invaluisse consuetudine ar- » bitrantur, non attendentes, quod tantò graviora » sunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam » tenuerunt alligatam.

§. III.

Inter Canones reperiuntur, qui quidem juris aliquid positivi continent, multum tamen juris naturalis admixtum habent.

Canones qui licet quid positi-

CAnones, quibus Ecclesia vitia Filiorum suorum, & præsertim Ministrorum extirpare, rectàmque vivendi disciplinam præscribere studet, non ra-

tivè præscribant præcipuè tamen jus naturale continent.

rò censurarum comminationem aliamve pœnam, aut aliud quippiam jure naturali non expressum adjunctum habere solent; ita tamen, ut præcipuum, quod Canonibus illis statuitur aut vetatur, jure naturali præscriptum quoque, ac vetitum sit.

In Canonibus sedulò jus naturale à positivo distinguendum.

Ut ergo vera de Canonibus formetur idea, attendendum est, quid in illis juris naturalis & divini, & quid juris merè positivi occurrat.

Quoad illud enim, quod in Canonibus juris naturalis, aut divini continetur; talis de auctoritate Canonum formanda est idea, quæ formanda foret de auctoritate juris naturalis, aut divini, adeoque Canonum horum auctoritatem, & vim obligandi quoad eam partem esse æquè ac ipsum jus naturale & divinum immutabilem & invariabilem.

Hinc ulterius statuet Canonum studiosus, similes Canones nulla quacunque consuetudine contraria in totum posse abrogari: quia non stant jure positivo, stabunt jure naturali.

Assignantur canones, qui plurimum juris naturalis continent.

Hujus generis Canones reputandi sunt qui versentur circa ea, quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à Sacris Conciliis *de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus; nec non secularibus negotiis fugiendis* copiosè, ac salubriter sancita fuêre.

Ses. 22. cap. 1. de reform. Synod. Trid. censuit similes canones contrario usu non obstante esse servandos.

Hos Canones licet scirent Patres Tridentini contrario usu penè conculcatos, eosdem tamen non solùm innovandos censuerunt, sed insuper addiderunt: » Si » quos ex his in desuetudinem abiisse compererint Or» dinarii, eos quamprimum in usum revocari, & ab » omnibus accuratè custodiri, studeant, non *obstan*» *tibus consuetudinibus quibuscunque*, ne subditorum » neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, » pœnas persolvant. «

Noverant indubiè Patres, quòd licèt in his Canonibus, vel censurarum comminatio, vel aliud quidpiam juris positivi, quod longa consuetudine contrariâ abrogari posset, occurreret, præcipuum tamen, quod Canonibus illis cavebatur esse juris naturalis; nullo contrario usu, aut Superiorum conniventia, aut diuturnitate temporis abolendum.

Multi decipiuntur, quia jus positivum à naturali in Canonibus non distinguunt.

Hæc si in Canonibus, præsertim qui circa morum disciplinam versantur, sedulò expendantur, compertum erit, multis falsò persuasum esse, se ab observantia Canonum esse immunes, quia illos passim negligi vident.

§. IV.

Ut vera habeatur de Canonibus idea, secernendi sunt Canones, quibus ritus externi, ab iis, quibus morum disciplina præscribitur.

INter Canones reperiuntur alii, qui ritus externos duntaxat, aliave quædam minutiora disciplinæ puncta ordinant; alii nascentes resecant labes, vitia succrescentia recidunt, morumque disciplinam, præcipuè Ministrorum Ecclesiæ præscribunt.

Quod ferendum judicium de canonibus, externos ritus præscribentibus. Epistol. ad Januar. & apud Gratianum di. 12. can. XI.

De his Canonibus si idem feratur judicium, non parum à mente Ecclesiæ aberrabitur. Quæ enim prioribus Canonibus continentur, cùm externos ritus duntaxat aliave minutioris disciplinæ puncta concernant, quæ pro temporis & loci varietate facilè mutantur, sunt de eo genere, de quo S. Augustinus: » Totum » hoc genus rerum liberas habet observationes, nec » disciplina ulla est in his melior gravi prudentique » Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere vide» rit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit. Item Illud » ejusdem Doctoris. Ipsa mutatio consuetudinis etiam » quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.

De his itaque potissimum intelligendum illud vulgatum: *Canones per consuetudinem abrogari.* Quin & verissimum est de similibus, quod sicut eos vigentes contemnere foret irreligiosum, sic abolitos præfractìm velle revocare non raro foret periculosum.

De Canonibus morum disciplinam exprimentibus aliud quod de præcedentibus formandum judicium.

Aliud planè de Canonibus, quibus morum disciplina exprimitur, ferendum est judicium.

Quæ enim hisce præscribuntur nequaquam ex hoc genere rerum esse solent, quæ liberas habentia observationes per loca terrarum, aut temporum spatia tam facilè variantur.

Cùm enim his Canonibus media vitiis extirpandis, v. g. præscribantur, non raro contingit ut licèt jus naturale, aut divinum illa, quæ his Canonibus vetantur, aut jubentur, absolute non vetet, aut jubeat, non parùm tamen ad jus naturale, aut divinum accedant. Fit enim non rarò, ut quæ vetita sunt aut præcepta, vitiis extirpandis adeo sint necessaria, ut vix possibile sit, iis non servatis, vitia caveri posse, aut extirpari.

Cur hi Canones difficiliùs abrogentur.

Proinde si jus naturale vitia illa caveri, & extirpari præcipiat; etiam media adeo convenientia, aut penè necessaria adhiberi, si non absolutè præcipiat, ut minùs suadet; eoque fortiùs, quo media illa magis opportuna, aut necessaria sunt: ideoque & Canones hi frequenter rationem quasi perpetuam habere censentur; eo firmiorem quo media iis præscripta, vitiis cavendis vel opportuniora vel magis necessaria; & consequenter ad jus naturale magis accedere judicantur. Quibus proindè meritò applicatur illud S. Thomæ: » Si maneat ratio eadem, propter quam lex primò uti» lis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetu» dinem vincit. « *2. 2. q. 97. a. 3. ad 2.*

§. V.

Canones morum disciplinam præscribentes non propterea omninò aboliti credendi, quia Ecclesia quoad disciplinam exteriorem illorum non servat rigorem.

INdubitatum est, quòd Ecclesia tanquam pia Mater Filiorum suorum infirmitati condescendens, aut temporum difficultatibus, & vitiorum redundantiâ quodammodò coacta, purissimam morum disciplinam, jam pridem à Sanctis Patribus in Sacris Canonibus expressam, quasi negligere, aut saltem pro tempore dissimulare, aut attemperare interdum cogatur.

Ecclesia interdum cogitur externam disciplinam attemperare.

Qui verò ex hac Ecclesiæ condescendentia, seu dissimulatione argueret disciplinam Canonibus pristinis expressam, non secus ac leges Atheniensium & Lacedemoniorum plane abrogatam, & abolitam, multum à sensu, & mente Ecclesiæ aberraret.

Malè concluditur ex Ecclesiæ condescendentia, esse in totum abrogatos.

Cum enim idem sit semper Spiritus, qui Ecclesiam per omnes temporum ætates regit, & informat, non minus hodiè, quàm olim optat castos ac sanctos Sacerdotes; non minùs hodiè, quàm olim avaritiam, ambitionem, aliaque vitiorum monstra in suis detestatur Ministris: ac proinde optat, ut Sacratissimos Canones, quos Ecclesia eodem Spiritu directa, primis seculis, nondum vitiis filiorum suorum atque temporum duritiâ gravata & quasi coacta edidit, in sua puritate & integritate servare posset; tametsi hoc tempore quoad exteriorem disciplinam Canones illos in suo rigore servare nequeat, ne ut serventur absolutè, & sub pœnarum comminatione præcipiat.

Prædicta exemplo confirmantur.

Ut id magis illucescat, hoc accipe exemplum: Pristinam Patrum disciplinam nullum in crimen enorme, præsertim carnis, post Baptismum prolapsum ad Clerum admisisse; aut si post adeptum clericatum in simile crimen incidisset, nunquam pristino gradui, etiam post pœnitentiam peractam restituisse, alibi sat manifestè ostensum fuit.

Dissert. de Canonicis p. 2. c. 2.

Hanc Patrum disciplinam per septem & amplius secula fideliter conservatam, tandem postremis his infaustis seculis Ecclesia, saltem quoad exteriorem modum agendi, aliquatenus relaxare debuit: ut jam à Clero non planè excludat, qui baptismum suum ejusmodi crimine conspurcârunt, & interdum etiam restituat pristino gradui, qui post clericatum assumptum in ejusmodi crimen prolapsi sunt; si modò crimen convenienti pœnitentia eluerint.

Quis porrò dubitet, quin Ecclesia eodem semper spiritu animata, optet, ac summopere desideret, ut quantum temporum difficultates patiuntur, & Ecclesiæ necessitas permittit, sanctissima illa Patrum disciplina servetur? Certum enim est, quòd non minorem de Sanctitate Sacerdotii ideam modò habet Ecclesia, quàm olim, nec minus hodiè, quàm olim ejusmodi vitia sanctitati Ministerii Ecclesiastici contrariari credat.

Qui igitur votis, desideriisque Ecclesiæ tanquam sinceri Filii, ac Ministri obsequi volunt, Canones illos Spiritu Dei à Sanctis Patribus jam pridem pro morum directione conditos haud considerare debent tanquam planè abolitos & sepultos, eo quòd disciplinam iis expressam in suo rigore non servari conspiciant, sed potius dolere debent cum ipsa Matre Ecclesia, quod tam Sancta præcepta ob temporum duritiem, & vitiorum abundantiam, in suo rigore servari nequeant: ardenter desiderare, & allaborare, ut vel instaurentur, aut adhuc vigentia teneantur, aut collabentia sustineantur: omnia tamen, non mundanâ, quæ sua quærit, sed Christianâ, quæ solam Ecclesiæ utilitatem & necessitatem præ oculis habet, moderante prudentiâ.

§.

§. VI.

Quod judicium ferendum de Canonibus, quos Ecclesia abusibus jam multum inveteratis, lateque diffusis opposuit.

Duo circa hos Canones observanda.

CIrca decreta sive Canones, quos Ecclesia postremis his temporibus multitudine vitiorum, & abusuum quodammodo oppressa, pro eorum extirpatione edidit, duo à Canonum Tyrone necessariò sunt observanda.

Primùm Ecclesia decreta sua attemperare debet.

Primò quòd Ecclesia, Christi monito obsequens, ita sua adversus abusus, præsertim inveteratos, quique multitudine, & nonnunquam etiam auctoritate peccantium sustinentur, decreta attemperare soleat, ne eradicando zizania simul eradicet & triticum, quapropter his abusibus sic se opponit, ut zizania nonnulla ad tempus subinde dissimulet, & impunita permittat.

Syn. Trid. ob abusus nimium inveteratos, & temporum duritiem decretis attemperare debuit.

Et quidem, cum tempore Concilii Trid. abusus varii adeò diffusi & inoliti conspicerentur; » Omniaque » sic in deteriùs mutata, ut lues à capite ad membra, » à Summis Pontificibus ad minores Præsules devergens » latè se diffudisset, ac vix aliquis reperiretur rectè fa- » ciens, atque ab ea labe immunis, teste Adriano VI. » omniaque insuper invenirentur odiis & dissentioni- » bus plena, disentientibus præsertim iis inter se, ut lo- » quitur Paulus III. in Bulla indictionis, quibus summa » rerum penè omnis à Deo permissa est. « Cùm inquam, ea esset rerum facies, multa sanè disimulanda ad tempus censuit Synodus, quæ melioribus temporibus haud dissimulare potuisset: multaque decreta ita concipere debuit, ut abusus quidem funditus non eradicarentur, integraque morum disciplina pristino vigori, & integritati restitueretur, sed quibus pro temporum, & rerum circumstantiis abusus nonnihil sisterentur, ac diminuerentur, viaque externeretur, quâ affulgentibus melioribus temporibus, curâ & solicitudine Pastorum primitiva Disciplina, & morum puritas Ecclesiæ redderetur.

Sententia Synodi ex verbis Cardinalis Lotharingiæ.

Id suo & omnium Episcoporum nomine in ipso Concilio Tridentino his verbis expressit Card. Lotharingus: » Cùm nudiustertius meam de reformationis » articulis (Sess. 24. publicatis) dicerem sententiam, in- » quit, præfatus sum etiam me valdè cupere, ut *prisca* » illa Ecclesiastica restitueretur disciplina, sed cum *his* » *corruptissimis temporibus* & *moribus* intelligam non » posse ea, quibus maximè opus est, protinus adhiberi » remedia, interim assentiri, & probare ea, quæ nunc » sunt decreta; non quod ea judicem satis esse ad in- » tegram ægrotantis Reipublicæ Christianæ curationem, » sed quod sperem his priùs levioribus fomentis adhi- » bitis, cùm graviora medicamenta pati potuerit Ec- » clesia, Pontifices maximos & maximè Sanctissimum » D. N. Pium pro sua insigni pietate, & prudentia di- » ligenter curaturum, ut ea quæ desunt, implens, & » efficaciora inveniens remedia, in *Usum veteribus*, » *jam diu abolitis, revocatis Canonibus, & maximè* » *quatuor veterum illorum Conciliorum*, quæ quantum » fieri poterit, observanda esse censeo; vel si expe- » diri videbitur, frequentiori Œcumenicorum Conci- » liorum celebratione, morbum ab Ecclesia propul- » sans, eam suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc au- » tem mentem meam, & sententiam, cum omnium » Episcoporum nomine in acta referri volo, & ut id » fiat à Notariis peto & postulo.

Mentem suam fore conformem dictis Cardinalis Lotharingiæ declarat Synodus Ses. 25. de Regular. c. 21.

Ne aliam fuisse ipsius Concilii mentem, sat manifestè in ultima Sessione sua declaravit. Cum enim multa pro reformatione Regularium statuisset, tandem concludens subjicit: » Cùm pleraque Monasteria, etiam » Abbatiæ, Prioratûs & Præposituræ, ex mala eorum, » quibus commissa fuerunt, administratione, non le- » via passa fuerint tam in spiritualibus, quàm in tem- » poralibus detrimenta cupit Sancta Synodus ea ad con- » gruam monasticæ vitæ disciplinam omninò revocare. » Verùm *adeò dura, difficiliusque est præsentium tempo-* » *rum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune* » *ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi, &c.* «

Quid ex dictis concludere debeat Canonum Studiosus.

Ut ergo Canonum studiosus à mente Ecclesiæ non recedat, expendat necesse est; an Canones, seu decreta, quæ abusibus jam inveteratis, & disciplinâ multum collapsâ eduntur, non sint de numero eorum, quæ temporum difficultas potiùs quàm Ecclesiæ sensus extorsit; quibus abusus non omninò tolluntur, sed temporum difficultate attentâ diminuuntur; & ad integram extirpationem via sternitur.

Atque hinc statuet Canonista, ex mente Ecclesiæ in hisce decretis non esse sistendum, sed quantùm temporum & locorum circumstantiæ permittunt, ulteriùs esse progrediendum, & ad purissimam Ecclesiæ disciplinam redeundum.

Hanc etiam fuisse mentem Concilii Tridentini declaravit S. Carolus ejus fidelissimus executor, dum cuidam Cardinali, qui toties à S. Carolo Concilia haberi necessarium non judicabat, respondit in hæc verba. » Cùm Trid. Synodus *veterem* Ecclesiæ disciplinam in » *usum revocare jussisset*, Concilia sibi usque eò cogenda, dum eam in *primævam integritatem* restituisset.

Secundò à Canonum Studioso observandum, quod abundante temporis malitiâ, dum Ecclesia abusum radicitus evellere nequit, interdum quidpiam decernat, non probando quod sic fiat, sed præcavendo, ne quid deteriùs contingat. v. g. cùm invaluisset abusus, lateque se diffudisset, ut Canonici electiones Prælatorum in longum tempus protraherent; Rom. Pontifices certum tempus Canonicis, & Capitulis præfixerunt, ultra quod nec Ecclesiæ debeant, nec Ecclesiastica Beneficia seu præbendæ vacare, *non approbantes*, inquit Innocentius III. *quòd tandiu vacent, sed præcaventes ne diutiùs Ecclesia quælibet solito Ministrorum obsequio defraudetur.* *L. 1. epist. 460.*

Hinc ulterius statue, perniciosam hanc esse consequentiam: Ecclesia in suis Canonibus hoc illudve duntaxat exigit; ergo nihil præterea est necessarium. *Ex. g.* Concilium Trid. requirit à Canonicis novem mensium residentiam, ut fructus, quos *Grossos* vocant, lucrentur; nullus tamen hinc concludet, ergo Canonici tribus mensibus liberè & sine justa causa abesse possunt.

CAPUT II.

Quæ inquirenda de Conditore Canonum ut vera de eorum auctoritate habeatur idea.

PARAGRAPHUS I.

Ut rectè statuatur de Canonis alicujus auctoritate, primò attendendum, quo Auctore editus sit.

SAnctus Agobardus postquam demonstrâsset Canonibus etiam Gallicanis magnam deberi Reverentiam, subjungit: » Neque hoc idcirco dicitur, ut pas- » sim omnium Episcopalium Conventuum Sanctiones » *æquali* auctoritate recipiendæ credantur, ut Nicæni, » Calchedonensis, & cæterorum Generalium ex totius » Mundi consensu congregatorum, & receptorum. «

De Canonibus Synodi Œcumenica.

Et sanè cùm indubitatum sit, Concilii Œcumenici Universalem & Catholicam Ecclesiam repræsentatis majorem fore auctoritatem, quàm cujusvis alterius Concilii, aut Conventus particularis, nequaquam dubitari potest, quin hoc titulo Canones Concilii Œcumenici reliquorum Conciliorum Canonibus auctoritate prevaleant.

Ulteriùs, inter Concilia Œcumenica indubiè eo major est eorum auctoritas (cæteris intellige paribus) quo magis ad Œcumenicam Synodum accedunt, & majorem totius Ecclesiæ partem repræsentant.

De Canonibus Synodi Nationalis.

Hac ratione inter non Œcumenicas Synodos eminent Synodi, quæ olim *Diœcesana*, hodiè *Nationales* dicuntur: ad quas Patriarchæ cum Metropolitanis & Episcopis totius Diœcesis, sive ut hodie loquimur *districtus Patriarchalis* conveniunt: quas Synodos *Majores* vocat Synodus Antiochena; quin & ab Augustino, & Episcopis Africanis sæpiùs *Universales* vel *Plenariæ* vocantur: quarum scilicet *Plena* erat auctoritas, ut ait Canon 18. in Codice Africano.

Hujus generis plurima reperiuntur in tomis Conciliorum, Antiochensia videlicet ex *Diœcesi*, vel phrasi hodiernâ, Patriarchatu *Orientis*, Aquilense *ex Diœcesi Italiæ*, Gallicana *ex Diœcesi Galliarum*, Toletana *ex Diœcesi Hispaniarum*, Africana seu Carthaginensia *ex Diœcesi Africæ*: quæ passim in Codice Africano *Universalia & plenaria* Africæ Concilia vocantur.

Eâ notione Concilium *Universale* pro Synodo Diœceseos Galiarum accipitur *Can.* 20. Concil. Matriconensis II. sub Patriarcha Lugdonensi celebrati.

De Canonibus Synodi Provincialis & Diœcesana.

Simili locutione Concilia Toletana sæpius dicuntur *Universalia* & *Generalia*.

Aliud Conciliorum genus est, ad quod cum suo Metropolitano conveniunt omnes unius Provinciæ Episcopi; quòd Concilium idcirco *Plenarium* Concilium uniuscujusque Provinciæ dicitur, *Can.* 98. in Codice Afri-

Africano; & in Synodo Antiochena *Perfecta Synodus* appellatur.

Quin hæc Concilia auctoritate cedant Nationalibus Conciliis, seu quæ olim *Diœcesana* dicebantur, indubitatum est: sicuti quoque indubitatum est, Provincialia auctoritate præstare Synodis quas hodie *Diœcesanas* dicimus; quibus nimirùm solus Episcopus cum sui districtûs Clero præest.

Ut ergo rectè statuatur de auctoritate Canonum, & quousque vim legis obtineant, attendi debet, cujus generis Concilium, seu Synodus auctorem habeant.

§. II.

Meritò expenditur, qui edendis Canonibus intervenerint; ut de eorum auctoritate statuatur.

Canones Conciliorum specialem mutuant auctoritatem à Sanctitate & Doctrina Prælatorum.

QUin singularem venerationem & auctoritatem congregationi seu conventui conciliet Illustrium Virorum assistentia, ambigi nequit.

Si igitur constet, Synodum aliquam constitisse è pluribus tum divinæ Sapientiæ tum Sanctitatis gloriâ illustribus Prælatis, quis dubitabit, quin hujusmodi Synodus, majori veneratione suscipienda sit, quam alia quæpiam, licèt fortè numero Episcoporum, aut Prælatorum priorem excedens, sed qui sapientia & Sanctitate Episcopis priorem Synodum constituentibus nullatenus sunt comparandi?

Hoc titulo veterum Conciliorum canones singulari veneratione digni sunt.

Hoc titulo singulari semper in veneratione fuêre Canones Conciliorum primis Ecclesiæ seculis celebratorum, quibus plures Episcopi Spiritu Apostolico pleni intervenisse noscuntur.

§. III.

Meritò attendendum, quâ curâ & studio allaboratum fuerit pro Canonum observantia, ut de eorum auctoritate statuatur.

Sedulum Episcoporum Studium pro canonum observantia, probat eorum utilitatem.

SI deprehendatur, Episcopos, aliosve Ecclesiæ Prælatos multo studio & labore se impendisse pro Canonum aliquorum observantia: aut ubi eos conculcatos videbant, multo labore, non obstante etiam magnâ Adversariorum contradictione instaurâsse; merito disciplina Canonibus illis contenta, vel pro regimine Ecclesiastico, aut formandis moribus majoris momenti reputabitur; Canonesque, pro quibus Viri illi tantoperè desudârunt, eo titulo majori veneratione recipiendi.

Canonum receptio, & iterata innovatio astruunt eorum auctoritatem.

Ulteriùs, si Canones particularium Conciliorum frequenter à variis Conciliis, etiam aliarum Ecclesiarum recepti, sæpiusque renovati deprehendantur, non dubium, quin hæc receptio, vel iterata innovatio, horum Canonum & in his contentæ disciplinæ specialem probent utilitatem: hocque nomine Canonibus illis singularis accedat auctoritas, & specialis debeatur veneratio.

Utergo recta de Canonum auctoritate formetur idea, jure merito, quæ jam dicta sunt, sedulò expendentur.

CAPUT III.

PLURIMUM CONDUCIT NOTITIA CODICUM, SEU COLLECTIONUM SS. CANONUM, UT RECTA DE CANONUM AUCTORITATE, ET EORUM SENSU HABEATUR IDEA.

PARAGRAPHUS I.

Ecclesiam primis seculis suum habuisse Codicem Canonum, ratione astruitur.

Convenit ut Regula disciplinæ & judiciorum uni codici sint inclusa.

QUandoquidem Sacri Canones sint Regulæ, quibus Ecclesia & disciplinam exteriorem format, & Ecclesiastica judicia dirigi desiderat, nemo dubitare potest, quin hi Canones seu Regulæ in uno libro seu codice conclusæ fuerint; ad quem, seu informanda disciplina, seu in exercendis judiciis recursus haberetur.

Neque enim existimare debemus, Sanctissimos ac Sapientissimos Patres, qui Ecclesiam primis seculis rexerunt, eam jure incerto sine regularum, & definitionum certâ collectione gubernâsse; vel Canones, quibus illa regeretur, habuisse sparsos, vagantes, nullius collectionis corpore conclusos; id certè nimis multis magnisque incommodis fuisset obnoxium.

Licuisset enim pro libidine cujusque, dum vel de disciplina Ecclesiæ, vel judiciis Ecclesiasticis formandis tractatum fuisset, Canones aliquos suppositios; aut etiam veros & per se utiles quidem, sed in hac vel illa Ecclesia ob certas circumstantias nec receptos, nec forsitan convenientes, obtrudere.

Recensentur incommoda ex defectu codicis nata oriri

Frequens quoque ex defectu ejusmodi collectionis seu codicis orta fuisset in judiciis Ecclesiasticis confusio & contestatio: aliis contestantibus, hos illosvè Canones debere esse judiciorum dirigendorum regulas; aliis è contra sustinentibus, hos Canones vel non esse sinceros, vel eos per universam Ecclesiam, aut saltem in hac particulari non esse receptos.

Postulat igitur à nobis Patrum illorum pietas, & prudentia, ut nullatenus dubitemus, quin codicem seu collectionem habuerint Canonum seu regularum Ecclesiasticarum, quibus & non aliis, disciplinam, & judicia Ecclesiastica dirigi vellent: iis saltem temporibus, quibus post datam Ecclesiæ pacem fas fuerat Episcopis frequentes celebrare cenventus, & in illis varios, vel pro universali, aut particularibus Ecclesiis Canones condere.

§. II.

Ut varia est Ecclesiarum particularium disciplina, ita diversi esse possunt Canonum Codices.

Fides ubique, & semper eadem.

IN causa Fidei nulla inter Ecclesias potest esse discordia: nec alia uno, nec alia alio tempore fides, juxta illud vulgatissimum Tertulliani: *Regula Fidei una omninò est, sola, immobilis, & irreformabilis.*

Lib. de velandis virginibus; disciplina non semper & ubique eadem. Dist. 12. Can. XI.

Diversum est planè de disciplina Ecclesiastica: Hæc enim varia esse potest pro varietate Ecclesiarum; & alia uno, & alia alio tempore. » Quod enim neque » contra Fidem, neque contra bonos mores injungi- » tur, indifferenter habendum est, « inquit S. Augustinus.

Si igitur manente communione, & societate Ecclesiasticâ varia possit esse Ecclesiarum disciplina, variæ quoque Ecclesiarum possunt esse Regulæ disciplinam huic aut illi Ecclesiæ convenientem præscribentes.

Ex diversitate disciplina oriuntus diversi canonum codices.

Ut ergo Ecclesiæ suam singulæ perspectam haberent, quam sequi oporteret, disciplinam, præter Canones universali Ecclesiæ præscriptos, variæ Ecclesiæ suum habuêre codicem, in quem ultra dictos Canones generales referebantur illi, quos quæque Ecclesia sibi convenientes judicabat.

Sic Ecclesiam *Orientalem*, *Africanam*, *Gallicanam*, *Hispanicam aliasque*, suos proprios respectivè habuisse Codices ex infra dicendis patebit, ubi de singulis Codicibus agetur.

In codicem Canonum relatum vim legis obtinebat.

§. III.

Quid auctoritatis accedat Canonibus per relationem in Codicem.

Canones Africani per relationem in codicem à Romana Ecclesia probati fuere.

COdicem Canonum formabant Ecclesiarum Prepositi, ut unicuique innotesceret, quas regulas in disciplina sequi oportet, neque ullus de auctoritate earum Regularum dubitandi locus superesset, nullique spurii pro veris Canonibus obtruderentur.

Hinc quidquid in codicem erat relatum, vim & auctoritatem legis obtinebat in ea Ecclesia, cujus usui Codex primùm adoptatus, vel postmodum susceptus erat.

Ad C. I. Dist. 20. verb. Cartaginensium. Disert. 12 tom. 2. operum. S. Leonis inserta. Epistola Pontificum ad particulares Ecclesias vim legis per relationem in codicem accipiunt.

Quapropter, non tantùm Canones Conciliorum generalium, sed & particularium, eo solo titulo, quòd in codicem Ecclesiæ essent relati, vim legis in illa Ecclesia accipiebat, tamen si editi fuissent à Synodo alicujus Ecclesiæ, cujus legibus hæc particularis Ecclesia non obstringebatur.

Canones re-

E.G. licèt Romana Ecclesia non ligaretur Canonibus Africanis, nec Ecclesia Africana Gallicanis &c. eo ipso tamen, quo Ecclesia Romana in suum codicem retulit Africanos, aut Africana Gallicanos, illos pro legibus suæ disciplinæ recepisse & approbasse censebatur.

Id de Carthaginensibus seu Africanis Canonibus rectè notarunt Correctores Rom. *eos canones* (Carthaginenses) *Sedes Apostolica videtur probâsse, & usa eis esse*, inquit, *quando in* Codicem Canonum *referendos curavit.*

Eâdem ratione, quemadmodum observat & probat Vir eruditus Paschasius Quenellius, » Pontificum » Epistolæ missæ ad privatas exterasque Ecclesias ad » Sedem Apostolicam pertinentes, *robur accipiebant*, at-

relati in codicem Canonum concil. generalium subinde vim obtinent.

„ atque *obediendi indicebant necessitatem*, cum è „ privatis scriniis in *publicum codicem* eductæ promul„ gari, ac pro Decretali constituto haberi cœ„ perant. “

Quinimò, tantam vim Canonum in codicem relatio habebat, ut Canones topici seu locales ejusdem censerentur auctoritatis in negotiis disciplinæ decidendis, cum ipsis Canonibus Conciliorum Œcumenicorum; ut auctoritate & testimonio Concilii Calchedonensis infrà ostendetur.

Codex canonum ostendit qui canones recipiendi non sunt. Actione 16.

Ulteriùs, codex non tantùm ostendebat, quibus regulis seu Canonibus in dirigenda disciplina ecclesiastica utendum esset, sed etiam quinam ut spurii, aut saltem ut hactenus non recepti repudiari possent.

Hoc fundamento Ecclesia Rom. Canones concilii Constantinopolitani concernentes disciplinam in Concilio Calchedonensi ab Orientalibus productos agnoscere noluit: *quia*, inquiebat Legatus Sedis Apost. *in constitutionibus Ecclesiasticis non reperiuntur.*

Vide Concil. Cartag. VI. can. 1. Dist. 19.

Eodem fundamento Episcopi Africani, inter quos Augustinus, Canonum Sardicensium auctoritatem admittere noluerunt: & Hincmarus, Remensis aliique Episcopi Gallicani Epistolas Decretales primorum Pontificum Clementis & sequentium usque ad Siricium à Nicolao reproductas rejecerunt, *quia in Codice Canonum non habentur adscripta.*

§. IV.

An omnes collectiones Canonum ejus sint generis, ut quæcunque in eis referuntur, legis auctoritatem habeant.

Sola canonum, aut sententiarum in unum collectio nullam eis conciliat auctoritatem.

SOla sive Canonum, sive aliorum in unum compilatio, vel in certum volumen collectio aut dispositio, nullam, seu Canonibus seu dictis auctoritatem addere potest, nisi publicâ auctoritate illa collectio vel primùm facta sit; vel a privato composita publicâ deinde auctoritate suscepta fuerit cum in finem, ut quidquid in eo continetur, vim legis obtineat.

Hoc pacto codex Canonum a Dionysio Exiguo privatâ primùm auctoritate compositus, à Romana Ecclesia susceptus fuit: ut infra, ubi de hoc codice specialiter agetur, demonstrabitur.

Canonum collectiones quæ nullam canonibus addunt auctoritatem.

Si verò codex aliquis, seu Canonum collectio privatâ auctoritate instituta sit, nullaque publica auctoritas accesserit, quæcunque in collectionem illam relata fuerint, non aliam obtinebunt auctoritatem præter eam, quam acceperunt ex fontibus, unde desumpti sunt: ac per consequens ut de Canonibus in simili codice occurrentibus verum formetur judicium, ad fontes, unde desumpti sunt, recurrendum erit.

§. V.

Quænam circa codices Canonum observanda, ut vera de Canonum auctoritate habetur idea.

I. Inquirendum num publica auctoritate probatus sit.

UT vera de Canonibus in codice contentis habeatur idea, inquirendum primùm: num codex publicâ aliquâ auctoritate collectus, aut probatus fuerit; an verò privatum duntaxat sit alicujus opus, nullâ publicâ auctoritate probatum. Si posterius, tum de Canonum illorum auctoritate judicandum, ac si in codicem illum redacti non essent, quia ut suprà dictum est, similis codex Canonibus nullam auctoritatem addere potuit.

II. An auctoritate Ecclesiæ universalis, an particularis duntaxat.

Si deprehendatur, codicem publicâ auctoritate collectum, aut probatum fuisse, ulteriùs inquirendum erit, an Ecclesiæ universalis vel plurium particularium Ecclesiarum, an unius consensu confectus, aut saltem receptus fuerit.

Cùm enim juxta ante dicta, Canones in hujusmodi codicem relati, specialem à codice robur & vim obligandi mutuent; nemo non videt, eo majorem Canonum censendam esse auctoritatem, quo universalior fuerit codicis receptio aut comprobatio.

III. Quo tempore collectus & quanto tempore ejus usu duraverit.

Adhæc, meritò investigabitur, quo tempore codex confectus receptusve fuerit: item quanto tempore usus illius perseveraverit.

Dum enim noverimus, codicem primis illis felicioribus Ecclesiæ seculis comprobatum, multisque seculis perseverâsse; unâ sciemus disciplinam in eo contentam viris Apostolicis illius ætatis fuisse comprobatam, & in Ecclesia dudùm conservatam.

Quis verò ambigat, hoc titulo Canones & disciplinam in iis contentam speciali veneratione dignam, & consequenter diligentiori studio ac solicitudine suscipiendam, ac fovendam?

Collectiones veteres à recentioribus secernendæ, eò quòd his multa apogripha occurrere soleant.

Denique etiam hoc titulo Canonista codices seu collectiones veteres à recentioribus distinguere debet; quia *apocrypha plurima*, id est, *suspectæ & incertæ fidei pro veris & certis nimium patenter*, ut notat vir rei Canonicæ peritissimus Franciscus Florens, Collectores recentiores, eorumque interpretes sibi tulerunt obtrudi; quæ à veris secernere antiquis summa fuit Religio.

§. VI.

Sæpè numero conducit notitia codicum seu collectionum Canonum, pro intelligentia eorum, quæ in decreto Gratiani, & Decretalibus Gregorii IX. occurrunt.

Gratianus suum codicem ex præexistentibus collectionibus canonum constavit.

GRatianus collectionem, seu codicem suum, quem hodiè *Decretum Gratiani* dicimus, & primam corporis canonici hodierni partem constituit, colligit pro maximâ parte ex præexistentibus collectionibus Canonum, etiam privatâ duntaxat confectis, & nullâ auctoritate probatis.

Cùm verò codex, seu *Decretum Gratiani* nullâ publicâ auctoritate receptus seu probatus fuerit, ut infrà probabitur, necessarium est, ut habetur notitia eorum, è quibus sua hausit Gratianus: ut nimirum ex auctoritate fontium judicetur de auctoritate eorum, quæ in suum Decretum retulit Gratianus.

Qua ratione notitia codicum conducat pro intellectu Decreti Gratiani.

Ulteriùs, Gratianus dum quædam è Codice præexistente desumpsit, non rarò ex antecedentibus, & consequentibus resecat nonnulla; quæ si addita forent, sensum rederent vel apertiorem vel planè diversum, ut infrà sæpiùs annotabitur. Atque hinc manifestum fiet, quam utilis, imò penè necessaria sit pro intelligentia Decreti Gratiani notitia collectionem, seu codicum quibus usus fuit Gratianus.

Veteres collectiones Decretalium plurimum conducunt ut intelligantur decretales Gregorii IX.

Quod ad Decretales Gregorii IX. attinet, licèt illæ auctoritate publicâ pro decidendis controversiis Ecclesiasticis receptæ sint; nihilominùs veteres collectiones ad assequendum verum eorum sensum plurimum conducere, famosissimi interpretes cum Antonio Augustino jam pridem annotarunt.

Constat enim, Raymundum Decretalium compilatorem pleraque ex veteribus collectionibus hausisse; easque sæpè non integras, prout in antiquis Decretalibus reperiebat, sed resecatas aut in partes varias dissectas retulisse: quæ sectio, aut dissecatio non rarò sensum admodùm reddit obscurum, facilè elucidandum, si ad veteres collectiones, ubi integra Decretalis reperitur, recursus habetur: uti pluribus exemplis ostendetur, ubi ex professo de hac collectione Decretalium tractabitur: ibique una ostendetur, quàm utili subsidio se privaverint recentiores, dum ad veteres has collectiones recurrere neglexerunt.

PARS SECUNDA.

De Codicibus seu Collectionibus Canonum, quibus Ecclesia primis seculis usa fuit.

SCOPUS ET ORDO.

Hujus & aliquot sequentium partium præsentis tractatus.

UT convenientem multisque titulis pro notitia rei Canonicæ utilem, ac penè necessariam de codicibus & collectionibus Canonum Ideam habere queant Canonum studiosi; de præcipuis ac illustrioribus Canonum collectionibus, hoc & aliquot sequentibus partibus disseremus; quinque potissimum circa singulas examinaturi.

Primò, quo tempore, & quo auctore codex confectus fuerit.

Secundò, an publica auctoritate, & qua collectus, vel probatus fuerit.

Tertiò, quibus potissimum Canonibus & decretis constiterit.

Quartò, brevis Canonum præcipuorum relatio & explanatio fiet.

Quintò, qua ratione collectionibus illis, seu Canonibus in iis contentis, usi sint corporis Canonici hodierni, præsertim *Gratianus & Raymundus*, collectores: atque hac occasione plures, tum super Decreto Gratiani, tum super Decretalibus ad singulos pene codices fient reflexiones.

Ut autem omnis confusio evitetur, hoc de codicibus seu collectionibus examen in plures partes distribuemus, singulisque partibus de codicibus per ætates discurremus.

Hac quidem secundà parte agetur de codicibus, qui ante seculum VI. in usu fuêre.

Pars III. eos codices proponet, qui à seculo VI. usque ad seculum VI. in usu fuêre.

Quarta exhibebit codices VIII. & XI. seculi.

Quinta tractabit de famosioribus collectionibus, & quarum operâ Gratianus multum usus fuit, quæ X. & XI. seculo prodierunt.

Sexta solam collectionem Gratiani examinabit; & quidem plura de hac, utpote partem corporis canonici hodierni constituente, quàm de præcedentibus dicentur.

Septima ob oculos ponet veteres collectiones Decretalium, à quibus Decretales Gregorii IX. potissimum collectæ sunt.

Octava examinavit Decretales Gregorii IX. & reliquas moderni corporis canonici partes.

Nona denique investigavit regulas, seu jura, quibus hodiè, *præcipuè in Belgio*, specialiter utimur.

CAPUT I.

De pristino Codice Canonum, qui vulgo dicitur Codex *Canonum ecclesiæ universæ.*

PARAGRAPHUS I.

Ex actis Concilii Calchedonensis evincitur, eo tempore fuisse codicem Canonum, è quo in decidendis causis Ecclesiasticis Canones desumebantur.

Act. 4. & XI. Canones ex Codice recitantur.

ACtione 4. S. Synodus Calchedonensis dixit: » Sacri Patrum Canones legantur & commentariis inferantur, sumptoque *Libro* Aetius Archidiaconus, & Primicerius Magnæ Ecclesiæ legit. Canon. 83. » *Si quis Episcopus à Synodo depositus &c.* Item alium » Canon. 84. *Si quis Presbyter, aut Diaconus &c.* « qui sunt Canones 4. & 5. Antiocheni.

Actione undecimâ cùm esset controversia inter Bassianum & Stephanum de sede Ephesina: » Stephanus » dixit: supplico ut *Canones relegantur*, qui dicunt, » ut si quis in alia civitate ordinatus est, constitui non » possit in altera. Gloriosissimi Judices dixerunt, *re-* » *legantur*. Leontius Reverendissimus Episcopus Mag- » nesiæ *è Codice relegit* Regulam 95. *Si quis Episcopus* » *vacans &c.* « qui est Canon 16. Concilii Antiocheni. » Item Reverendiss. Leontius Episcopus ex eodem » Codice legit Regulam 96. *Si quis Episcopus ordina-* » *tionem acceperit*, « qui est Canon 17. Antiochenus.

Ex quibus compertum est, ut verbis loquar Baronii, ad annum 341. ex quadam antiquiori nobis » in- » comperta (post tempora Baronii tandem comperta » ut infra ostendetur) *Collectione* in Concilio Calche- » donensi duos Canones Antiochenæ Synodi in actio- » ne IV. & XI. ad verbum esse citatos, sed absque » titulo Antiocheni Concilii: quorum quidem in eo » odice, Cqui in Synodo probatur, atque lectus est, » actione XI. prior 95. aliter 96. erat numero consig- » natus; cum tamen iidem in Concilio Antiocheno 16. » & 17. ordine describebantur: ut planè appareat, » non ex ipso Antiocheni Concilii codice editos esse, » sed ex quadam ante jam facta collectione, communi » majorum auctoritate probata. « *Judici Card. Baronii de codice Canonum.*

§. II.

Notæ seu Characteres codicis quo usa fuit Synodus Calchedonensis.

IN Concilio Calchedonensi Canones pro decisione controversiarum è codice, qui tunc in usu erat, recitatos fuisse, ex dictis compertum est: at quis ille codex fuerit, & utrum hodiè supersit, ex characteribus, seu notis inquirere oportet.

Imprimis constat, ex gestis Concilii Calchedonensis *actione* 4. codicem hunc à Canonibus Nicænis initium duxisse; dicitur enim ibidem ex codice recitata regula quarta; quæ est ipse *Canon IV. Nicænus*. Et *actione* 16. lecta dicitur regula 6. quæ est *Canon 6. Nicænus*. Atque hinc primus codicis hujus character. *Primus Codicis character.*

Ulterius constat, ex iis quæ *actione* 4. & 11. re citata sunt, in eodem codice Canones Antiochenos 4. 5. 16. & 17. consignatos fuisse sub numeris 83. 84. 95. & 96.

Ex quo duo colliguntur. Primum, in codice illo inter Canones Nicænos, & dictos Canones Antiochenos, tot intercessisse alios Canones, ut à primo Canone Nicæno usque ad Canonem IV. Antiochenum numerarentur 83. *Canones*, & usque ad V. 84. & sic de reliquis. Ecce secundus codicis hujus caracter. *Secundus Character.*

Secundò colligitur, in dicto codice Canones perpetua serie, & eadem consequentia numerorum fuisse conjunctos: nec unius Synodi Canones ab alterius Synodi Canonibus novis numeris fuisse disjunctos. *Codex hic appellatus Series & consequentia.*

Et quidem ob hanc conjunctionem, & continuam Canonum sub una numerorum serie consequentiam, factum est, ut hic Codex, tum in Synodo Calchedonensi, tum alibi appellatus sit *Series Canonum*, *consequentia Canonum*. Atque hic est tertius codicis illius character. *Tertius codicis character.*

§. III.

Ex præallegatis characteribus conficitur, codicem in Concilio Calchedonensi probatum, fuisse eundem, quem Dionisius Exiguus è Græco in Latinum vertit.

DIonysius Exiguus natione *Scytha*, sed moribus *Romanus*, doctrina & sanctitate *maximus*, ut ait Bellarminus, in Epistola ad Stephanum Episcopum Salonitanum, seu præfatione sui codicis, quem circa initium seculi VI. compilavit (de quo infra fusius) ordinem suæ collectionis exponens hæc habet: » In » principio itaque Canones, qui dicuntur *Apostolorum*, » de græco transtulimus... deinde regulas Nicænæ Sy- » nodi, & deinceps omnium Conciliorum, sivè quæ » ante eam, sivè quæ postmodum factæ sunt usque ad » Synodum 150. Pontificum, qui apud Constantinopo- » lim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à » primo capite usque ad 165. sicut habetur in *græca* » *auctoritate*, digessimus.

Ex

Codicem græcum in suum codicem transtulit Dionysius.

Ex his Dionysii verbis constat, Canones Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Synodorum usque ad Synodum Constantinopolitanum eodem ordine & forma sicut habebantur in *græca auctoritate*, seu codice, à Dionysio è græco in latinum fuisse translatos, & suo codici insertos; adeoque pristinum Græcorum codicem collectioni Dionysii esse insertum.

Characteres pristini codicis græci elucent an codice à Dionysio è græco in latinum verso.

Ulterius ex verbis Dionysii patet, Codicem hunc græcum à Canonibus Nicænis initium duxisse: atque hinc primus character pristini codicis, quo usa fuit Synodus Chalcedonensis.

Constat præterea ex verbis Dionysii, in Codice græco per ipsum translato, Canones 165. è diversis Synodis desumptos sub uno & continuo numerorum contextu fuisse dispositos: prout & in ipsa collectione Dionysii hodiè dispositi leguntur. Hinc secundus caracter codicis græci, quo Synodus Calchedonensis usa fuit.

Deniquè, si à primo Canone Nicæno numeramus usque ad Canonem 4. Anthiochenum; prout Canones in codice à Dionysio translato dispositi sunt, deprehendemus, Canonem illum Antiochenum esse Canonem 84. totius codicis græci, & Canonem 5. Antiochenum esse 85. codicis: & tandem 16. & 17. ejusdem Synodi Antiochenæ esse in codice 95. & 96. & consequenter sub eisdem numeris fuisse consignatos in græco codice per Dionysium translato, quibus in Concilio Calchedonensi relecti fuerunt; modò tamen hoc unum observetur, ut Canon. 5. Ancyranus in translatione Dionysii in duos dividatur; uti in omnibus exemplaribus græcis divisus legitur. Hinc tertius pristini codicis character codici Dionysiane competens.

Cùm igitur tanta inter codicem à Dionysio translatum, ejusque collectioni insertum, & codicem in Concilio Calchedonensi probata sit convenientia, vix ambigi potest, quin idem fuerit codex.

Eundem codicem græcè & latinè è vetusto manuscripto sub initium hujus seculi evulgavit Christophorus Justellus, notisque illustravit, eique in novissima Bibliotheca juris canonici veteris Guilelmus Voëllus Theologus ac Socius Sorbonicus, & Henricus Justellus Christophori Filius primum locum inter varios Canonum codices dedêre.

§. IV.

An hic codex rectè dicatur codex Ecclesiæ universæ.

CHristophorus Justellus, eumque secuti Voëllus, & Henricus Justellus, codicem hunc ediderunt sub hoc titulo: *Codex Canonum Ecclesiæ universæ.*

Codex hic tempore Concilii Calchedonen. propriè non fuit Ecclesiæ universæ.

Verùm si prætendant codicem hunc, etiamnum tempore Concilii Calchedonensis fuisse codicem *Ecclesiæ universæ* eo sensu, ut eo codice uterentur omnes Ecclesiæ, rectè advertit Paschasius Quenellius in erudita sua dissertatione *de Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ*, prædicto codici eum titulum tribui non posse: quandoquidem certum sit, ut infrà ostendetur, Ecclesiam Romanam tempore Concilii Calchedonensis alio codice fuisse usam; nec hunc codicem græcum voluisse in omnibus admittere.

Quo sensu hic codex rectè dicatur Ecclesiæ universæ.

At si Codex hic dicatur, *codex Ecclesiæ universæ*; quia Synodus universalis Calchedonensis eo usa fuit in negotiis, & controversiis decidendis, nemo titulum illum hoc sensu ei jure disputare poterit: cùm indubitatum sit, Synodum Calchedonensem codice hoc seu altero corpore canonico, ut phrasi moderna loquar, & non alio usam fuisse.

Insuper, si de tempore, quod à seculo 7. vel 8. fluxit, sermo sit, nullus negabit, fateturque & ipse Quenellius, hunc codicem posse dici *Ecclesiæ universæ*; etiam eo sensu, quòd Ecclesia universalis Græca & Latina illum receperit, Canonesque in eo contentos probaverit.

Constat quippe, ut jam insinuatum est, & infrà latiùs ostendetur, codicem hunc integrum in suum codicem transtulisse Dionysium Exiguum. Qui codex Dionysii circa initium seculi 6. ab Ecclesia Romana, & tempore saltem Caroli M. id est, seculo 8. per Ecclesiam Latinam universam, etiam fatente Quenellio, receptus fuit.

§. V.

Qui Canones in hoc codice contineantur: & cujus auctoritatis reputandi.

Enumerantur Canones in hoc Codice contenti.

COdex Græcus quo usa fuit Synodus Calchedonensis, communiter dictus, *Codex Canonum Ecclesiæ universæ* quem è Græco in Latinum versum suæ collectioni inseruit Dionysius Exiguus; ac tandem Græcè & Latinè in Bibliotheca Juris canonici veteris editus est, initium sumit à Canonibus Nicænis; quos sequuntur Canones 25. Ancyrani juxta Græcos, juxta Dionysium, qui 4. & 5. in unum conjunxit, 24. *qui quidem*, ut in Codice notatur, *priores sunt Nicænis, sed ideo postpositi sunt propter auctoritatem Synodi Œcumenicæ.*

Ancyranos subsequuntur Neo Cæsarienses Canones 14. *qui quidem*, ut monet titulus in codice præfixus, *sunt Ancyranis posteriores, Nicænis verò anteriores.*

His immediatè subjiciuntur Concilii Gangrensis Canones 20. Post hos subnectuntur Concilii Antiocheni Canones 25. Deinde, Concilii Laodiceni 58. Ac demum Concilii Constantinopolitani I. Canones 7. in codice à Justello edito: at in Codice Dionyssii 3. dumtaxat: hunc que fuisse numerum Canonum Constantinopolitanorum in Codice græco tempore Concilii Calchedonensis, infrà ostendetur.

Canonum horum auctoritas ab auctoritate conciliorum in quibus edita sunt.

Quæ horum Canonum censenda sit auctoritas, haud difficulter judicabit, qui attenderit, Canones illos plerosque editos fuisse in Conciliis, ubi non duo dumtaxat, aut 3. sed 20. aut 30. *pluresve Episcopi fide prediti*, ut verbis loquar S. Agobardi, *sapientiâ illustres, vitâ clari, sanctitate reverendi, signis & prodigiis formidandi* in nomine Christi pro formanda Ecclesiæ disciplina, abusibusque evellendis convenerint.

Canonum horum auctoritas ab auctoritate Codicis.

Qui insuper animadverterit, canones hos relatos fuisse in codicem, quo in decidendis causis Ecclesiasticis Synodus Œcumenica Calchedonensis, ut supra notatum fuit, usa est: & quidem eo modo, ac si Canones omnes in illum relati ejusdem & æqualis fuissent auctoritatis; adeoque ipsis Canonibus Nicænis non impares. Qui denique adverterit, Codicem, & consequenter Canones in eo contentos, ab universali Ecclesia, idest, *Græcâ* & *Latina*, pari consensu à pluribus seculis fuisse receptum, & probatum, facilè statuet, de Canonibus illis verè affirmari posse, quod de Canonibus Nicænis olim dixit Leo Magnus: *Canones Spiritu Dei conditi, & totius Mundi reverentia consecrati.*

Ex his cuique facilè compertum est, quâ veneratione disciplina Canonibus his expressa suscipienda, & probanda sit; quo studio & curâ ubi adhùc superstes est conservanda, labescens suffulcienda, abolita seu potiùs conculcata restituenda: omnia tamen moderante christianâ prudentiâ, quæ temporum, & personarum circumstantias, ubi de disciplina agitur, sedulò expendit. Novit enim illa disciplinam uno tempore sanctissimam & utilissimam, alio tempore, si in omni rigore introduceretur, posse non solum non esse utilem, sed subinde etiam nocivam.

§. VI.

Numerus canonum Nicænorum inquiritur: & ea occasione quædam in Gratiano notantur.

PRistinum Græcorum codicem, quo Synodus Calchedonensis in decisione causarum usa legitur, à Canonibus Synodi Nicænæ initium duxisse, tum ex actis Concilii Calchedonensis, tum ex Dionysio Exiguo (qui hunc codicem è Græco in Latinum translatum suo Canonum codici inseruit) supra notatum est.

Error Bedæ & Gratiani notatur.

Hanc Synodum circa ann. 325. celebratam esse sedente Sylvestro Papâ indubitatum est.

Hinc correctores Rom. ad *Can.* 9. *dist.* 16. ubi ex Beda dicitur: *Prima universalis Synodus in Nicæna congregata est temporibus Julii Papæ*, hanc notam apposuerunt: *certum est Synodum Nicænam primam celebratam esse tempore Sylvestri: sed in illa temporum obscuritate mirandum non est, Bedam & alios errasse.*

Verùm illud mirandum, adeò incurium fuisse Gratianum, ut cùm tempora Conciliorum designare vellet,

let, ex Beda hoc Canone retulerit, hanc Synodum congregatam fuisse temporibus *Julii Papæ*; & mox Canone sequenti ex Anselmo referat, eandem Synodum habitam temporibus *Silvestri*: idque nullâ conciliationis notâ adjectâ.

Can. 20. duntaxat à Synodo Nicæna editi sunt.

Quod ad numerum Canonum Nicænorum attinet, in primis illud sufficienter constat; in pristino Codice Græcorum, quo Synodus Calchedonensis usa fuit, 20. duntaxat sub nomine hujus Synodi Canones fuisse. Dionysius enim, qui Canones Nicænos, prout in *græca auctoritate*, seu codice habebantur, è Græco in Latinum versos suo codice inseruit, solos 20. Canones huic Synodo assignat.

Numerus Canonum Nicænorum probatur auctoritate Concil. Carthaginensis VI.

Ulteriùs Concilium Carthaginense VI. 217. Episcoporum habitum anno 419. (adeoque nec dum integro seculo à celebrata Nicæna Synodo elapso) duntaxat 20. Canones Nicænos agnovit. Lectâ enim Nicænæ fidei confessione subjungitur: *Similiter & decreta Nicænæ Synodi in 20. Capitulis recitata sunt.*

Testantur insuper hujus Concilii Patres, nec plura capitula à se fuisse reperta in exemplaribus Nicænæ Synodi, quæ à Cecilio Carthaginensi Episcopo, qui ipse Synodo Nicænæ interfuerat, & subscripserat, in Africam allata fuerant: ut in Actis Concilii asseritur.

Idem probatur auctoritate Græcorum exemplarium.

Denique, cùm in hoc ipso Concilio Carthaginensi quæstio esset inter Vicarios Sedis Apostolicæ, & Patres Concilii, num Canones à Zozimo Pontifice allegati sub nomine *Canonem Nicænorum*, revera forent Nicæni; communi consensu rogati fuêre, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus Episcopi, ut Nicænæ Synodi exemplaria ibidem extantia transmitere vellent. His precibus obsequentes Atticus Constantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus Episcopi, exemplaria è græco in latinum fideliter translata ad Concilium Carthaginense transmiserunt: quæ exemplaribus à Cecilio in Africam allatis per omnia consonantia, similiter 20. duntaxat Canones continebant.

Can. 80. Arabici Syn. Nic. adscripti ut noti rejiciuntur.

His aliisque argumentis persuasum est hodiè eruditis omnibus, à Nicænâ Synodo 20. duntaxat Canones, qui & vulgò *sub ejus nomine* leguntur, editos fuisse: rejectis ut suppositititiis 80. Canonibus Arabicis à Turriano editis, & ab Abrahamo Ecchelensi Maronitâ Synodi Nicænæ vindicatis; quos per errorem & ipsi Romani correctores pro veris agnoverunt in notis ad *Can. 12. dist. 16.*

Notatur error Gratiani.

Similiter, quæ de 70. Canonibus ad exemplum 70. Discipulorum à Nicænâ Synodo editis, refert Ivo Carnotensis, & ex ipso Gratianus noster *Can. 12. dist. 16.* auctoritate cujusdam epistolæ S. Athanasii ad Marcum Papam, unà cum ipsa epistola, tanquam spuria à Baronio, Bellarmino aliisque rejiciuntur. Vide notas Labbæi *ad citat. epist. tom. 2. Conc.*

Fragmentum quoque epistolæ Stephani Papæ ex Ivone Gratiani decreto insertum, *Can. 13. ead. dist.* in quo dicitur 20. *tantùm Capitula Nicænæ Synodi in S. Ecclesia Romana haberi, sed quo neglectu alia defecerint, ambiguum esse*, ejusdem cum prædicta Epistola Athanasii fidei fore, omnibus hodiè persuasum est.

Fictitia epistola Attici Ep. Constantinop. utitur Gratianus.

Ulteriùs, Canones quos nomine *Nicænæ Synodi* de modo scribendi Epistolas formatas refert Gratianus *Can. 1. & 2. dist. 73.* neque inter famosos 20. Canones Nicænos reperiuntur, nullam apud eruditos fidem merentur. Cum enim earum litterarum nulla apud veteres extet memoria; neque in exemplaribus Nicænæ Synodi ab ipso Attico ad Concilium Carthaginense missis ullum occurrat Canonum illorum vestigium, litteras has Attici, æquè ac Athanasii ad Marcum Papam, fictitias credunt.

Error Gratiani, & correctorum Rom. occasione supposititi& epist. Julii Papæ.

Denique Canon *de judicibus inter partes collitigantes electis*, quem huic Synodo adscribit Gratianus 11. *q. 1. Can. 4.* agnoscunt correctores Romani in Concilio Nicæno hodiè non haberi, addunt quidem, » fuisse olim plures Canones illius Concilii, quorum partem refert Julius in rescripto contra Orientales, ubi numero 30. habetur hoc caput, & ex eo citatur in Policarpo: « verùm id nequaquam addidissent, si tam luculenter, ut hodiè, detecta tunc fuisset suppositio Decretalium primorum Pontificum à Clemente usque ad Syricum, ut infra ostendetur. Agnovissent enim indubiè cum R. P. Labbæo, Baronio, aliisque eruditis, hanc Epistolam seu rescriptum Julii Papæ *esse suppositititiam, non secus atque alias Isidori merces ex Hispania primum ut volunt profectas.* Hæc Labbeus in notis *ad 1. epist. Julii Papæ, tom. 2. Conc. ult. edit.*

§. VII.

Compendiosa Canonum Nicænorum relatio, & explanatio.

Eunuchi sponte facti à Clero, & functionibus sacris excluduntur.

CAnon I. Eunuchos, qui sponte & propio facto tales facti sunt, à Sacris Ordinibus, & Ordinum ante susceptorum functionibus removet. Quam severitatem erga eos, qui à medicis, aut barbaris id passi fuêre, non esse exercendam, declarat apud Grat. *dist. 55. Can. 8.*

Venientes è vita gentili non nisi præcedente probatione ad Baptismum admitendi.

Can. II. tria potissimum statuit. Primum, ne è vita gentili nuper accedentes, & qui exiguo tempore Catechumeni fuêre, statim ad spirituale lavacrum deducantur: *nam & Catechumeno*, ait, *tempore opus est.* Nimirum, ut sibi & Episcopis probentur. *Quid enim*, ait Augustinus de fide, & operib. cap. 6. *agit totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent; nisi ut audiant, quæ fides & qualis vita debeat esse Christianis, ut cum se ipsos probaverint, tunc de mensa Domini manducent & de Calice bibant.*

Qui rationem, & Spiritum Canonis attenderit, facilè intelliget, in Canonem hunc turpiter impingere, qui recenter venientes è vita quasi gentili & sceleratâ statim ad Sacramentum Pœnitentiæ, id est, *laboriosum lavacrum* admittunt.

Recenter baptizatis non sunt admittendi ad presbyteratum nisi probatio quam plurima præcesserit.

Secundò, hoc Canone cavetur, ne recens baptizati, sive Neophyti ad Episcopatum vel Presbyteratum proveantur: *Nam*, inquit, *& post Baptismum probatione majore*; vel ut legit Dionysius, *quamplurima*; juxta Isidorum, quem sequitur Gratian. *dist. 48. Can. 1. multa indiget.*

Rationem subdit Canon: *Manifesta est enim Scriptura, quæ dicit: Non Neophytum, ne fortè in superbiam elatus in judicium incidat & laqueum diaboli.* » Novi» tate enim, inquit Ambrosiaster in *epist. ad Tim.* & » potestate inflatur, arbitrans se præ cæteris digno» rem. «

Aliam rationem reddit Hormisdas Papa in epist. ad Episcopos Hispaniæ apud Grat. 61. *cap. 2. debet vitam suam Longa probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ.*

Non dubium proindè in Spiritum hujus Canonis committere, qui è vita impia, & plusquam gentili conversos sine *multa*, aut *quamplurima probatione* ad Sacros Ordines admittunt. Unde & Can. 79. Apost. è vita gentili, & conversatione pravâ venientes conjungere non dubitat, *Qui ex vita gentili*, ait, *advenerit & baptizatus est, aut ex conversatione prava, eum justum non est, protinus promoveri in Episcopum.*

Neophitus qui convincitur post baptismum ante ordinationem grave crimen commissise cessare debet à Clero.

Tertio, decernitur hoc Canone, quòd si quis Neophytus non obstante hâc prohibitione ordinatus sit, & procedente tempore aliquod *animale* peccatum circa personam inventum fuerit, cesset à Clero, id est, à functionibus sacris.

Vult ergo Canon, quod Neophyti ordinatio, si facta sit, toleretur quidem; sed tamen si *processu temporis* reperiatur post Baptismum ante ordinationem aliquod *animale peccatum* admisisse, cesset à Clero. Unde Isidorus, & ex ipso Gratianus *Can. 1. dist. 48.* pro, *inventum fuerit*, malè legit, *admiserit*: quo indicatur, agi de peccato post ordinationem admisso; quod est contrarium textui originali; & omnibus versionibus, una Isidori exceptâ.

Quid intelligetur per peccatum animale.

Peccatum *animale*, de quo in Canone, non ab animali, sed ab *anima* deduci evincit ipsum verbum græcum. Unde Dioysius legit *animæ peccatum*: quo nomine interpres græci passim intelligunt *quodcunque peccatum grave.* Quibus consonat Gratianus, qui ex Isidoro legit *mortale peccatum.*

Hic nota, quantoperè soliciti fuerint Patres, ne quis de gravi aliquo crimine convictus sacras functiones obiret.

Clerici vetantur secum habere mulierem quacumque ratione suspectam.

Can. III. interdicit Clericis universis *subintroductam* habere mulierem; præterquam utique Matrem, vel Sororem, vel Amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt. Refert hunc Can. Gratianus *dist. 32. c. 16.* sed paulò aliter in græco legitur; ut ibidem notarunt Correctores Romani.

Qua ratione disciplinam hoc Canone expressam Synodi nostræ Belgicæ pro temporum, & locorum conditione expresserint, latiùs deduxi in dissertatione de Canonicis *p. 2. cap. 4. §. 3. & 4.*

Episcopus ut minus quam

Can IV. Episcopum constitui vult ab omnibus Episcopis Comprovincialibus: vel si hoc fieri nequeat, sal-

quam à tribus constitui, & à Metropolitano confirmari debet.

saltem à tribus ; cæteris absentibus suffragium scripto ferentibus, & assentientibus : eorum quæ fiunt in unaquaque Provincia confirmationem à Metropolitano fieri mandans. Refertur à Grat. *dist.* 64. *c.* 1.

Utrum præsens Canon agat *de ordinatione*, an verò *de electione Episcopi*, ambiguum est. Et quidem interpretes græci, ut Balsamon, Zonaras aliique quos novissimè secutus est Vir eruditus Guillelmus Beveregius Presbyter Anglicanus in notis ad *hunc Can.* credunt, solum *de electione* hic tractari. At inter latinos non pauci sustinent, de *ordinatione Episcopi* Canonem loqui ; hisque favet versio Dionysii, & Isidori, qui legunt : *Episcopum oportere ordinari* : item *ordinationem* fieri.

In Can. IV. tam de ordinatione, quàm electione agitur.

Si textum Græcum seu originalem consulamus, verisimilius est, & *de electione*, & *ordinatione* decerni. Nam præterquam quod in priori parte Canonis ipsum verbum Græcum propriè significet *constitui*, abstrahens ab electione & ordinatione, ipse absentium in scriptis assensus requisitus sat innuit, de electione potiùs, quàm ordinatione tractari.

Cum verò verbum Græcum in altera parte Canonis propriisimè significet *manuum impossitionem*, vix dubitari potest, quin de *ordinatione* loquatur : adeò ut Canonis hujus hic videatur proprius sensus ; Episcopum constitui oportere ab omnibus Episcopis Comprovincialibus ; aut si id fieri nequeat, saltem à tribus præsentibus, cæteris absentibus electioni per scriptum assentientibus ; quo assensu præstito, tunc *manuum impositio*, sive ordinatio à præsentibus fiat.

Estque hæc Canonis explanatio conformis temporis illius disciplinæ, juxta quam, electio & ordinatio Episcoporum simul peragi solebant.

Ratio Canonis IV.

Canonis hujus rationem jam pridem expressit Innocentius I. in *Epist. ad Victricium*, *cap.* 1. apud Grat. *dist.* 64. *cap.* 4. *Nec unus*, ait, *Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim & in Nicæna Synodo constitutum est atque definitum.*

Hoc est, voluit Synodus, ut Episcopus non *furtive*, sivè clam in ovile seu Ecclesiam Christi intraret, sed Ecclesia integra (quæ per Ecclesiam cujusque Provinciæ representatur) quasi probante & assentiente.

Hæc licet sit sanctissima disciplina, sæpissimè innovata, & rigorosè observari præcepta, non adeò tamen Episcoporum, etiam trium, præsentiam crediderim necessariam, ut ab uno factam ordinationem crediderim invalidam : quod inter alios eruditè ostendit & evincit jam citatus Guilielmus Beveregius in notis *ad can.* 1. *Apostolorum*, quas addidit ad Pandectas Canonum græcorum, nuper typis elegantissimis græcè & latinè cum commentariis Balsamonis, Zonaræ, & aliorum Græcorum ab ipso evulgatas.

Excommunicatus ab Episcopo etiam ab aliis rejici debet. Ratio hujus disciplinæ.

Can. V. primò vult servari Canonem seu regulam, quæ pronuntiat, *excommunicatum* ab *uno Episcopo* ab *aliis non esse recipiendum.*

Fundata est hæc Regula in unitate Ecclesiæ, & Episcopatûs, juxta vulgatum illud & solemne S. Cypriani effatum : » Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur « *lib. de unitate Ecclesiæ.*

Ut enim unitas illa Ecclesiarum requirit, ut quem cum una Ecclesia communionem habere constaret, ab aliis reciperetur ; eadem exigit pariter, ab una rejectum, ab aliis similiter rejici.

At constat, quod *nonnunquam divina providentia sinat, per nonnullas nimium turbulentas hominum carnalium seditiones expelli de congregatione christiana etiam bonos viros*, ut notat S. Augustinus de *vera Relig. cap.* 6. ibidem addens : quòd qui hanc excommunicationem patienter pro pace Ecclesiæ sustinuerint, *eos coronet in occulto Pater, videns in occulto.*

Excommunicatio leviter ferenda non est.

His injustis excommunicationibus occurrere volens Synodus decernit in secunda Canonis parte, ut bis in anno Synodus Provincialis habeatur ; ut si fortè prætendatur, Episcopum per iracundiam, aut aliquam animi sinistram commotionem ad excommunicationem prosiliisse, id in Synodo examinari possit.

Hinc patet, spiritu Ecclesiæ semper fuisse, excommunicationem, utpotè pœnam gravissimam, non ex passione aut leviter esse ferendam, sed maturo judicio, & gravissima de causa ; ut etiam novissimè Synodus Trid declaravit *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.*

Prima pars Can. VI. exponitur.

Can. VI. parte 1. decernitur, *ut antiqui mores serventur, qui sunt in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem ; quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum* : sive ut vertunt, Dionysius & Isidorus, *paribs mos est.*

Mirum! quantis contentionibus super hac Canonis parte tum à Catholicis, tum Acatholicis, hoc præsertim seculo sit digladiatum ; quamque in varios sensus, prout quisque suæ conducere judicavit opinioni, dilaceratus seu distortus fuerit ; neglecto penè ab omnibus naturali & obvio sensu qui tamen cuique sine difficultate occurret, & perspicuus erit, si modò occasionem Canonis, ac ejus compendium nobis à Ruffino relictum, unaque reliquum Canonis contextum sine præconceptæ opinionis præjudicio attenderit.

Occasio Canonis.

Occasionem Canonici dedit Meletius Sycopolitanus in Ægypto Episcopus. Hic cum à Petro Alexandrino in Synodo depositus esset ; tum quod persecutionis tempore fidem inficiatus sacrificasset, tum ob alias causas, ut scribit Socrates *lib.* 1. *cap.* 6. contra Episcopum recalcitrare, Schismaque conflare, quod ab ejus nomine *Melitianum* dictum fuit, cœpit ; plurimos insuper Episcopos ordinare ; idque sine consensu Episcopi Alexandrini : quorum catalogum recitat Athanasius *Apolog.* 2.

Cum verò Episcopus Alexandrinus prætenderet ex vetusta consuetudine sibi competere, non in una duntaxat Provincia, uti commune est omnibus Metropolitanis, sed per totam Ægyptum, Libyam & Pentapolim jus Metropoliticum, adeòque nec sine ejus consensu ibidem Episcopos posse ordinari, quæstio ad Synodum Nicænam delata fuit.

Re examinatâ cum Synodus comperiisset, Alexandrino Episcopo ex vetusta consuetudine id juris in Provinciis illis fuisse, præsenti Canone declaravit, *ut antiqui mores in Ægypto, Lybia & Pentapoli servarentur : ut Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem* ; scilicet Metropoliticam : *quandoquidem*, inquit Synodus, *Episcopo Romano id consuetum*, vel *parilis mos est* : nimirùm idem agendi in pluribus Provinciis, quod in Egypto, Lybia & Pentapoli ex vetusta consuetudine prætendebat Alexandrinus Episcopus.

Quæ verò essent Provinciæ illæ, in quibus hoc Episcopo Romano consuetum esset, non expresserunt Patres Nicæni ; sed Ruffinus, qui sub finem seculi 4. (adeoque nondum seculo à Synodo elapso) sensum Canonis, non quidem ad verbum, sed prout eum observari videbat, retulit, Provincias illas expressit, ita Canonem referens : » Et ut apud Alexandriam, & ut » in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel » ille Ægypti, vel hic *suburbicariarum* Ecclesiarum » solicitudinem gerat. «

Compendium Canonis ex Ruffino.

Quod ergo Patres Nicæni dixêre : quandoquidem Episcopo Romano *id consuetum* est, vel *parilis mos est*, id ex relatione Ruffini testis oculari de facto, quod ignorare haud poterat, refertur ad *Ecclesias suburbicarias*, id est, Ecclesias sitas in Provinciis Suburbicariis, seu Provinciis Romæ adjacentibus, & sub ditione Vicarii Urbis comprehensis.

Et sanè Episcopum Romanum eo tempore per illas Provincias jus Metropoliticum exercuisse, quale Alexandrinus in Ægypto prætendebat, ut nimirum Synodos congregare posset, nec fas esset sine ejus consensu Episcopos ordinare, manifestum est ex S. Leonis Epist. 16. c. 1. & 7. ad Episcopos per universam Siciliam (quæ una erat ex Provinciis Suburbicariis) constitutos : & in Notis eruditè more suo latiùs exponit Paschasius Quenellius.

Jus Metropoliticum Episcopi Romani non extenditur ultrà Provincias Suburbicarias.

Comparatio igitur duntaxat instituitur inter hos duos primariarum Sedium Antistites, ut Metropolitanos, sed *privilegiatos*, id est, qui ex vetusta consuetudine jus Metropoliticum extendebant ad plures Provincias. Alexandrinus quidem ad Ægyptum, Lybiam & Pentapolim ; Romanus verò per Provincias Suburbicarias : nequaquam vero per universam Ecclesiam, imo nec per integrum Occidentem : cum certum sit ex S. Leone, Episcopum Romanum in Gallia eo tempore jus Metropoliticum in Episcoporum Ordinatione non exercuisse. *Epist.* 10. *cap.* 9. *ult. edit.*

Sensus Canonis confirmatur ex verbis Canonis.

Confirmant hanc Canonis expositionem verba quæ in Canone subsequuntur : » Similiter & in Antiochia & » in aliis Provinciis sua privilegia, ac suæ dignitates » & auctoritates Ecclesiis serventur. Illud autem est » omnino manifestum, quòd si quis absque *Metropolitani* sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definivit non esse Episcopum.

Quid evidentius, quàm hic de solis Metropolita-

nis, ac præcipuè *privilegiatis* sermonem esse? Unde Dionysius Canoni hunc præfixit titulum: *De Privilegiis, quæ quibusdam civitatibus competunt.* Et in Codice Canonum Ecclesiæ Rom. à Quenellio evulgato (de quo capite sequenti agetur) hæc est Canonis epigraphe: *De Privilegiis primarum Sedium.*

Nulla ergo hoc Canone de Primatu aut Patriarchatu Romani Pontificis fuit quæstio; ut proinde hic Canon nec Primatui officiat, ut prætendunt heterodoxi; nec Primatum astruat, ut nonnulli Catolici contorquendo Canonis verba, nimis perfractè persuadere volunt.

Qui plura occasione hujus Canonis, tum à Catholicis, tum heterodoxis mota & agitata scire desiderat, præter citatos à R. P. Labbeo in *observat. ad hunc Can. in ult. Conciliorum edit.* consulere poterit Henricum Valesium *lib. 3. observat. in Socratem*, & Beveregium in notis ad *hunc Can.*

Gratianus Canonem in plures partes dividit.

Gratianus hunc Canonem refert in 3. partes dissectum, tanquam tres diversos Canones, *dist. 64. Can. 8. & dist. 65. Can. 1. & 6.* Quæ dissectio & partium à se invicem separatio, quantoperè assequendo verò Canonis sensui officiat, nemo non videt.

Canon VII. Episcopo Hierosolymitano honorem priscâ consuetudine ipsi tributum conservat: *Metropoli propria dignitate servata.*

Episcopus Hierosolymitanus nec Patriarcha, nec Metropolitanus constituitur.

Hinc clarum est, Episcopum Hierosolymitanum, nec Patriarcham, nec Metropolitanum per hunc Canonem constitui; sed honoris prærogativam inter Episcopos Comprovinciales ipsi duntaxat servari: ut contra Petrum Marca rectè notat Beveregius ad hunc Canonem. Quin tamen hæc honoris conservatio à Synodo œcumenica speciali Canone expressa multùm contulerit, ut faciliùs ad dignitatem Patriarchalem elavaretur, nemo ambigit.

Canonis 8. expositio.

Can. VIII. agit de his, qui se *Catharos*, id est, *puros* nominant: sive de *Novatianis*. Hi enim seipsos, ait S. Augustinus, isto nomine, quasi propter *munditiam* superbissimè, atque odiosissimè nominant: » secundas » nuptias non admittunt, penitentiam denegant: Novatum sectantes hæreticum; unde etiam *Novatiani* » appellantur. «

De his itaque primâ parte Canonis statuitur, accedentes ad Ecclesiam Catholicam *impositis eis manibus maneant sic in Clero.*

Novatiani revertentes ad Ecclesiam si fuerint ordinati, non sunt reordinandi.

Per hæc verba, *impositis eis manibus*, intelligi Novatianos ordinatos, sive qui apud suos erant ordinati, & textus originalis, & totus Canonis contextus evincunt.

Et quidem exemplaria latina à Constantinopolitano, & Alexandrino Episcopis è græcis fideliter versa; & ad Concilium Carthag. VI. missa habent: » si aliquando venerint ad Catholicam Ecclesiam Cathari, » placuit, sicut & magnæ Synodo, eos *ordinatos* manere in Clero. « tom. 2. Concil. pag. 1596.

Hoc sanè innuit hîc per *ordinatos* significari *catharos*, seu Novatianos *ordinatos* ad Ecclesiam revertentes.

In altera Canonis parte, primò exprimuntur conditiones sub quibus ad Ecclesiam sint recipiendi: ac deindè decernitur, ut si hi, qui ad Ecclesiam Catholicam revertuntur, » inveniantur in vicis, aut urbibus, *soli ordinati*, qui inveniuntur in clero, erunt » in *eodem ordine*. Si autem in loco sit Episcopus, aut » Presyter Ecclesiæ Catholicæ, vult Synodus, ut Episcopus Catholicus suam dignitatem retineat: qui autem » apud eos, qui *Cathari* dicuntur, nominatur *Episcopus*, » presbyteri habeat honorem; nisi utique Episcopo » placeat, ipsum nominis honorem impertire. Si autem hoc illi non placeat, vel *Chor-Episcopi*, vel » *Presbyteri* locum excogitabit, ut esse omnino in » clero videatur; ne in civitate duo sint Episcopi.

Voluit ergo Synodus, ut Novatiani in eodem, quem apud ipsos habebant ordinem, & gradum, etiam Episcopalem, maneant in Ecclesia Catholica: modò hoc unum caveatur, *Ne in civitate duo sint Episcopi*: id est, duo actualiter functiones Episcopales exercentes.

Hunc Canonis sensum pluribus post Christian. Lupum in Scholiis ad hunc Can. confirmavit Beveregius in notis ad hunc Canonem.

A vero sensu Canonis aberravit Gratianus.

Aberravit proinde à vero Canonis sensu Gratianus, dum secutus versionem Isidori legit: *Placuit sancto Concilio*, ut ordinentur, *& sic maneant in Clero*: quasi redeuntes à Novatianis reordinari deberent: quem sensum ipse Gratianus suis verbis immediatè antè Canonem expressit: *In Nicæno Concilio Can. 8.* inquit, *de Novatianis statutum est, ut ad Ecclesiam redeuntes* ordinentur. 1. q. 7. Can. 8.

Sed petet quis, quomodo Novatiani schismatici ad Ecclesiam revertentes in clero manere permittuntur; cùm juxta illius temporis disciplinam, nemo in clero permitteretur, qui de gravi crimine convictus esset? Imprimis observandum, hic non agi de his, qui schisma fecerant, sed in schismate nati fuerant; quorum indubiè crimen levius erat: sed nec hoc fieret, respondet in simili S. Augustinus, » quoniam re» vera fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanarentur. « *Epist.* 50. seu 185. *ult. edit.* ibidem pluribus ostendens, quâ ratione charitas subinde exigat à rigore disciplinæ nonnihil recedi; præsertim » in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum » scisuras non hujus, aut illius hominis est periculum, » sed Populorum strages jacent, detrahendum est, » ait, aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis » charitas sincera subveniat. « Grat. *dist.* 50. *Can.* 25. item 23. *q.* 4. *Can.* 24.

A Clero deponitur qui sine crimine ante ordinationem non fuisse deprehenditur.

Can. IX. & X. à sacris functionibus deponunt, qui vel sine examine Presbyteri ordinati, vel alicujus criminis se reos esse, cùm in eorum vitam inquireretur, confessi fuerant: aut tempore persecutionis lapsos esse constaret. Quod est enim à *reprehensione alienum*, aut juxta Dionysium & Isidorum, *quod est irreprehensibile defendit Ecclesia.*

Sensus ergo est: quacunque ratione contigerit ut aliquis in Presbyterum fuerit ordinatus, qui post Baptismum ante ordinationem in crimen aliquod, pro quo in ordinem pœnitentium esset redigendus, deprehenditur incidisse, deponendus est: quia solùm quod est *irreprehensibile* defendit Ecclesia: juxta illud Apostoli: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.*

Pœnitentes à Clericorum officiis excluduntur.

Unde ad hos Canones alludens Innocentius I. ait: *Canones apud Nicænam constituti, pœnitentes etiam ab infimis Clericorum Officiis excludunt*, Epist. 6.

Error Gratiani circa verba Innocentii dist. 50. Can. 60.

Hanc Innocentii sententiam referens Gratian. eam restringit ad pœnitentes, *qui post actam pœnitentiam secularis militiæ cingulum accipiunt.* Ex quo patet, Gratian. epistolam Inocentii non legisse: quando quidem vel ex sola inspectione epistolæ manifestum sit, Innocentium generaliter de omnibus pœnitentibus loqui.

Can. XI agit de his, qui sine necesitate, vel sine facultatum suarum oblatione, vel aliquo ejusmodi, in sævissima illa persecutione sub Licinii Tyrannide excitata (quam describit Eusebius *lib.* 10. *c.* 8.) lapsi fuerant in Idololatriam. Dicit: quod licèt humanitate sint indigni clementiâ tamen, & benignitate in eos uti.

Attendamus clementiam, & benignitatem: » Quicunque ergò, inquit, germanè, & verè pœnitentiâ » ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ut » fideles, & septem annis prosternentur supplices: duobus autem annis absque oblatione erunt orationum » cum populo participes.

Ex clementia & benignitate voluntariè lapsis imponitur. 10. annorum pœnitentia.

Sanè si 10. annorum pœnitentia pro enormi quidem, sed unico peccato à sanctissimis his, ac perspicacissimis Patribus dicatur *clementia & benignitas*, sibi attendant, & meritò exhorescant Sacerdotes, quibus inviolabili lege injunctum est, *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere*! Concil. Trid. *sess.* 14. *de pœnit. cap.* 8.

Pœnitentes relapsi severiùs puniuntur.

Can. XII. agitur de his, qui pœnitentiam christiano, & generoso animo susceperant; eumque in finem muniis secularibus nuntium remiserant, at durante pœnitentiâ tanquam canes ad vomitum reversi, non solùm munerum publicorum administrationem quam studio pœnitentiæ priùs rejecerant, rursus susceperunt, sed ardentissimè, etiam datis pecuniis, ambierunt.

Episcopi pœnitentiam secundùm fervorem pœnitentis diminuere possunt.

Hos severiùs, quàm precedentes Synodus insequitur, pœnitentiam scilicet 13. annorum injungens. Permitens tamen Episcopis aliquid humaniùs de iis statuere *qui lachrymis, tolerantiâ & bonis operibus, conversione, & opere, & habitu ostendunt.*

Hinc collige, à mente Patrum aberrare quàm plurimum, qui solis verbis conversionem pœnitentium metiendam credunt.

Insuper discant ex hoc Canone Sacerdotes, attendere ad opera, & fervorem pœnitentium: ut ex iis intelligant, quibus reconciliationis beneficium impertiri, qui-

quibus procrastinare debeant. Quod quantâ solicitudine, & labore olim exequeretur Episcopi, latiùs deducit Morinus *lib. 6. de pœnit. cap. 16.*

Ultimum viaticum pœnitentibus in vitæ periculo constitutis non negandum.

Canone XIII. decernitur, pœnitentibus in vitæ periculo constitutis *ultimum & maximè necesarium viaticum* non negandum. Si autem viatico accepto nihilominùs reconvalescant, ad ordinem pœnitentium eis redeundum esse. Judicio autem Episcopi permittit, hujusmodi pœnitentibus moribundis Eucharistiam postulantibus, eam vel annuere, vel negare, prout examine facto viderit convenire.

Una circa hunc Canonem occurrit difficultas quid nimirum significetur per *ultimum & maximè necesarium viaticum.*

Per viaticum hic non intelligitur Eucaristia.

Hodie illud pro *Sacra Eucharistia* accipi; quin & olim frequenter idem significâsse dubium non est; multisque allegatis testimoniis probat D. Du Cange in suo Glossario V. *Viaticum.* Quin tamen pristinis Ecclesiæ seculis etiam interdum receptum fuerit pro omni eo, quod ad exitum feliciorem ex hac vita assequendum conduceret; subsidiumque æternitatem peragendæ suppeditaret, nemo inficiari potest; & pluribus ostendit Albaspinæus *sess. 1. observat. cap. XI.*

Et quidem in 1. parte per *ultimum & necessarium viaticum* intelligi non *Eucharistiam*, sed *reconciliationem*, seu *absolutionem* plura insinuant.

Cùm enim loquatur de *ultimo & maximè necessario viatico*, non videtur, quomodo de *Eucharistia*, quæ absolutè ad salutem necessaria non est, intelligi queat.

Deinde, quod amplius urget, in ultima Canonis parte decernitur: *Eucharistiam* pœnitentibus in extremo vitæ postulantibus, eam concedi, non absolutè & simpliciter, quæmadmodum *ultimum & maximè necessarium viaticum* dandum esse declaravit; sed demum, *si examine super vita, & conversatione pœnitentis instituto*, Episcopus judicaverit. Ut proinde Eucharistiam ab ultimo, & maximè necessario viatico non obscurè distinguere videatur. V. Albaspinæum *in notis ad hunc Can.* ubi hanc Canonis expositionem pluribus confirmat.

Catechumeni lapsi 3. annis inter audientes manere debent.

Canon XIV. statuit, ut si Catechumeni nondum percepto Baptismo lapsi sint, tribus annis tantùm *inter audientes* sint, quibus expletis *orent* cum Catechumenis.

Pro intellectu hujus Canonis notandum: quod qui è gentilibus Baptismum petebant, primùm ablegarentur ad classem eorum, quibus solum permissum erat audire Evangelium, quod omnibus, etiam gentilibus, & perversis hominibus permissum erat, atque adeo erat hæc infima Catechumenorum classis.

Plures Catechumenorum classes.

Cùm verò in hac classe tempore aliquo perseverâssent, ac zelum aliquem pro religione christiana ostendissent; & alii quousque in fide essent instructi, ad sublimiorem Catechumenorum classem admittebantur: in qua non solùm audirent, sed insuper *orationum*, quæ super Catechumenis fiebant, participes fiebant: & dum orationes recitabantur, *genua flectebant*, atque inde *genuflectentes* dicebantur: neque hi Ecclesiâ priùs exibant, quàm à Diacono pronuntiatum erat: *Quotquot estis Catechumeni, egredimini*: & quidem hi juxta Isidorum propriè dicebantur *competentes, gratiam Christi petentes*: nam *Catechumeni*, ait, *tantùm audiunt, necdum petunt.* lib. 2. de Eccles. offic. cap. 22.

Sensus Canonis.

Sensus igitur Canonis hic est: quòd si Catechumenus constitutus in superiore classe, id est, inter competentes, vel *orantes seu genuflectentes*, lapsus sit, redigatur ad infimam classem, id est, ad *audientes tantùm*: neque cum Catechumenis *oret* nisi tribus annis expletis, ut interea animus & zelus, quoad suscipiendam fidem Christianam movetur, rursus exploretur.

Episcoporum & Presbyterorum translationes vetitæ: Clerici in Ecclesiis, quibus sunt scripti, manere debent. Ratio canonum.

Canon XV. Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum translationes de una Ecclesia ad aliam prohibet, irritasque imposterum fore declarat. Grat. 7. q. 1. Can. 19.

Canon XVI. sequela est præcedentis: jubens Presbyteros aliosque Clericos in suis Ecclesiis, pro quibus ordinati sunt, manere, & in aliam Ecclesiam recipi vetans; si secùs fecerint communione privandos. Prohibens insuper Episcopis, ne alienos clericos sine consensu proprii Episcopi ordinent; aliter factam ordinationem irritam esse declarat. *Grat. 7. q. 1. Can. 23.*

Rationem hujus disciplinæ paucis expressit Constantinus M. sub quo hæc Synodus habita fuit. Laudans enim Eusebium Cæsariensem, quod noluisset suâ re-dictâ Ecclesiâ ad Antiochenam transire, ait: » Rectis-» simè fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei & » *Apostolicam* atque *Ecclesiasticam* Regulam custo-» dire statuit Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ re-» pudians, quem *Dei mandatu* ab initio suscepisset. « Apud Euseb. *lib. 2. de vit. Const. c. 61.*

Quasi diceret, Ecclesia, cui *Dei mandatu* quis ab initio est mancipatus, deseri non debet; cui consonat quod conjunctioni, quæ inter Ecclesiam & Pastorem intercedit, applicetur illud Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Vide *cap. 2. de transl.* Episcop.

Clericis usura & omnis turpis quæstus interdicuntur. Reprimitur Diaconorum arrogantia. Radices arrogantiæ Diaconorum.

Canon XVII. Clericos quocunque obtentu usuras accipientes, aut aliquid aliud excogitantes turpis quæstûs gratiâ, à Clero deponendos, & alienos à Canone esse declarat.

Canon XVIII. Diaconorum quorumdam, qui se supra Presbyteros extollere non verebantur, arrogantiam, fastum, & audaciam coercet. Plures hujus arrogantiæ & audaciæ erat radices.

Cùm enim Diaconi essent Episcoporum individui, Ministri, & *à Pontificis latere non recederent*, ut scribit Hieronym. super *Ezechiel. cap.* 48. omnibus plurimum obesse vel prodesse poterant.

Hinc non minores duntaxat Cleri, sed & Presbyteri eis adulantes, & placere studentes, facilè se illis placendi studio subjiciebant.

Ulteriùs, cùm Diaconi thesauri Ecclesiastici essent œconomi, & dispensatores, divitiis præ Presbyteris abundare consueverant; atque hinc altera superbiendi occasio. » Diaconi, ait Hieronymus, ignorantes hu-» militatem statûs sui, ultra Presbyteros intumescebant, » & dignitatem non merito, sed *divitiis* æstibant.

Diaconi Eucharistiam Presbyteris distribuere prohibentur.

Ex hac Diaconorum arrogantia tandem factum fuit, ut in nonnullis locis Diaconi etiam ipsis Præsbyteris Eucharistiam distribuere præsumerent. Quam Diaconorum arrogantiam hic Canon reprimit: *Quoniam*, ait, *nec canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Christi.*

Hîc in primis observa, Synodum Nicænam non dubitasse, quin Corpus Christi in Eucharistia præsens esset. Similiter nec dubitâsse, quin in Ecclesia esset. verum & visibile Sacrificium, quod non ab omnibus, seu à solis Episcopis, & Presbyteris offerretur.

Deinde pro intellectu Canonis notandum: hîc non agi de Presbyteris, qui ad Altare sacrificabant, sed de illis, qui una cum Episcopo sacrificante offerebant: ritu non absimili, quo hodiè recenter ordinati Presbyteri, vel Episcopi cum Episcopo ordinante Missam celebrant; qui ritus olim quotidianus erat. De quo vide Morinum *de SS. Ordinat. p. 3. exercit. 8.*

His itaque Presbyteris cum Episcopo offerentibus Diaconi quidam Eucharistiam porrigebant.

Diaconi olim Eucharistiam attingere vetantur.

Id verò facilè invalescere potuit, si spectes Diaconorum potentiam, quando quidem eo tempore moris esset, ut Diaconi Eucharistiam ab Episcopo aut Presbytero consecratam populo & minoribus Clericis distribuerent, ut latius ostendit Morinus loco citato *exercit. 9. cap. 3.*

Secundum, quod in Diaconis reprehendit præsens Canon est, quod quidam ex Diaconis *etiam ante Episcopos Eucharistiam attingere præsumerent.*

Credunt nonnulli per hæc significari, Diaconos præsumpsisse ante Episcopos Eucharistiam sumere; quibus suffragatur Isidorus, quem sequitur Gratianus *dist. 93. cap. 14.* qui legit: *nec ante Episcopos Sacramenta sumant.*

Diaconi inter Presbyteros sedere non possunt.

At quia verbum Græcum propriè significat *attingere*, incertum est, quid Diaconi per hoc voluerent; quidquid sit, decernit Canon, » Ut hæc omnia auferan-» tur, & Diaconi intra suas mensuras permaneant: scien-» tes quòd sint quidem Episcopi ministri, Presbyteris » verò minores. Accipiant autem suo ordine Eu-» charistiam post Presbyteros, iis præbente Episcopo » vel Presbytero. Sed nec in medio quidem Presbyte-» rorum liceat Diaconis sedere. Id fit enim præter Ca-» nonem & ordinem.

Hierarchiam Ecclesiasticam ex Episcopis, Presbyteris & Diaconis divinâ ordinatione constitutam, hoc Canone luculentisimè expressam conspicimus.

Quod de loco Presbyterorum hic dicitur, indubiè intelligi debet, de loco in Ecclesia, & præsertim tempore Sacrificii, Presbyteris assignato.

Ratio canonis.

Ratio fundamentalis hujus Canonis ex Regula tradita ab Apostolo 1. ad Cor. cap. 14. *Omnia autem ho-*

honestè & secundum ordinem fiant.

Paulianistæ rebaptizandi.

Can. XIX. agit de *Paulianistis*, seu *Paulianis*, ita dictis à quodam Paulo Samosatensi quodam Patriarcha Antiocheno.

Et primò quidem statuit, ut qui de his ad Ecclesiam confugerint, hi omninò rebaptizentur.

Porrò cùm Synodus id specialiter de Paulianistis decreverit, quidnî dicamus cum S. Augustino: credendum est » Eos regulam Baptismatis non tenere, » quam secum multi hæretici, cùm de Catholica Ec- » clesia discederent, abstulerunt, eamque custodiunt. « *hæresi* 44. Quasi diceret; cùm Synodus Œcumenica declarat, Paulianistas rebaptizandos, reverentia, quam Synodo debemus exigit, ut credamus, hos hæreticos regulam seu formam Baptismatis non tenuisse: ideoque & ipsorum baptismum potiùs, quam aliorum hæreticorum, qui regulam Baptismatis secum ab Ecclesia abstulerunt, & custodiunt, esse invalidum.

Paulianistæ quomodo ad clerum admittendi?

In secunda Canonis parte decernitur, » Ut si qui » è Paulianistis revertantur, qui apud suos fuerant de » Clero, hi si à culpa, & reprehensione alieni sint, » rebaptizati ordinentur à Catholicæ Ecclesiæ Epis- » copo. Si verò examinatio eos non esse aptos depre- » henderit, deponi eos oportet. Similiter autem & de » Diaconissis, & omninò de omnibus, qui inter Cle- » ricos numerantur eadem forma servabitur.

Quid de Diaconissis revertentibus statuatur.

Quia verò quis dubitare potuisset, quare Synodus specialiter *Diaconissas* expresserit, cùm Clericorum tantùm in genere meminerit, subdit, » Diaconis- » tarum autem *meminerimus* quæ in habitu quidem » censentur; quoniam nec ullam habent manuum im- » positionem, ut omninò inter Laicos connumerentur.

Quasi diceret, ideò *Diaconissarum* specialiter meminisse oportuit; quia cùm manuum impositionem non accipiant, habeanturque communiter pro Laicis, nisi specialiter essent expressæ, videri potuissent non comprehensæ: atque adeò, si quæ inter Paulianistas in hoc ministerio essent, & ad Ecclesiam reverterentur, ad idem ministerium in Ecclesia Catholica forsan admissæ non fuissent, nisi specialis earum mentio facta foret.

Morinus canonem in alienam detorquet.

Hic est naturalis & obvius illorum sensus, quæ in alienum sensum detorquet Morinus, dum credit in priori parte indicari, Diaconissas per manuum impositionem communiter esse ordinandas, & in posteriori à regula generali exceptionem subjici: cùm nequidem ex ullo antiquitatis monumento constet, Diaconissas per manuum impositionem, saltem tempore Synodi Nicænæ, fuisse ordinatas.

Hunc Canonem refert Gratianus 1. *q.* 1. *Can.* 52. sed pro *Diaconissas* legit, *Diaconos*: ac insuper ultimam partem Canonis omittit.

Quando inter orandum sit standum.

Canon XX. dicitur: » Quoniam sunt quidam, qui » in Die Dominico *genuflectant*, & ipsis diebus Pen- » tecostes; ut omnia similiter in omni Parochia ser- » ventur, visum est S. Synodo ut *stantes* Deo oratio- » nes effundant. « Grat. *de Cons. dist.* 3. *Can.* 10.

Hinc patet, primis seculis obtinuisse, ut publicæ preces à Christianis flexis genibus, idque per totum annum, præterquam diebus Dominicis, & illis 50. qui Pentecosten inter & Pascha interfluunt, peragerentur. His enim diebus genu inter orandum flectere nefas existimatum est. » Die Dominico, ait Tertulia- » nus, jejunium nefas dicimus, vel de *geniculis* ado- » rare. Eâdem immunitate à die Paschæ in Pentecos- » ten usque gaudemus. « *de Corona milit. cap.* 3.

Cur diebus Dominicis, & tempore Paschali non sit genuflectendum?

Ejusmodi ritûs meminêre Auctores quæstionum & responsionum ad orthodoxos inter Opera Justini Martyris, *quæst.* 115. Basilius de Spiritu Sanct. *cap.* 27. Ambrosius *serm.* 61. Augustinus *epist.* 119. ad Januar. Isidorus *l.* 1. *de divin. offic. c.* 13. Ritûs illius mysterium & moralem rationem breviter exponens: » Idcir- » co autem totius Quinquagesimæ dies post Domini » resurrectionem resolutâ abstinentiâ in sola lætitia ce- » lebrantur, propter figuram futuræ resurrectionis, » ubi jam non labor, sed requies erit lætitiæ: ideo- » que his diebus ne genua in oratione flectuntur; quia » sicut quidam sapiens ait, in flexu genuum pœni- » tentiæ & luctûs indicium est. Unde etiam per omnia » eandem solemnitatem, quam Die Dominico custo- » dimus, in qua majores nostri nec jejunium, nec » genua esse flectenda ob reverentiam Dominicæ resur- » rectionis tradiderunt.

Uniformitas in publicis precibus Patribus summopere cura fuit.

Cùm verò tempore hujus Concilii aliquibus locis hæc antiqua consuetudo non servaretur, eam ubique servandam dixerunt: *ut omnia similiter in omni Parochia observentur*, hoc est, ut eadem precandi formula ubique obtineat, & omnia Sacra uniformiter peragantur.

Dum de sensu horum canonum agitur parum fidendum Gratiano.

Hinc collige quantæ curæ fuerit his Sanctissimis Patribus uniformitas in publicis officiis peragendis; cùm rem adeò ex se indifferentem, nec directè vel indirectè in Scripturis præceptam, suâ demum auctoritate præcipiunt, hac solâ ratione, ut omnia Christianorum divina Officia, ubique terrarum, quantum fieri potest uniformiter celebrarentur.

Qui paulisper attenderit ad ea, quæ occasione horum Canonum in Gratiano notata sunt, non difficulter intelliget, parum fidendum esse Gratiano, dum de sensu Canonum agitur; sed recurrendum esse ad ipsos Canones. Et quidem cùm hi Canones, & reliqui, qui hoc Codice continentur, græcè primitùs editi sint, potiùs ad græca, quàm ad latina exemplaria recurrendum esse, rectè monet Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emend. Grat. dial.* 11.

§. VIII.

De Canonibus Ancyranis.

CAnonibus Nicænis in codice *Ecclesiæ Universæ*, de quo hîc agitur imemdiatè subjiciuntur Canones Synodi Ancyranæ: quæ habita fuit sub initium seculi IV.

Interfuêre cum Vitali Antiocheno 18. Episcopi ut communiter volunt, & asserit Gratianus *dist.* 16. *c.* 11. 24. aut ut alii nonnulli 14. qui plerique & Niceno Concilio astiterunt; & plures glorioso martyrio fidem, quam verbis propugnaverant, obsignarunt.

Primaria conveniendi ratio fuisse videtur, dispicere, qua ratione procedendum esset cum iis, qui in persecutione Maximini aliquid contra Fidem, aut Religionem commiserant, si cessante jam persecutione reverti, & pœnitere desiderarent; uti ex Canonibus haud difficulter colligitur, plerique enim modum, & tempora pœnitentiæ præscribunt.

Presbyteri qui sed fidem abnegarunt, licet postea generose pro fide pugnavint, nullum Sacerdotale Officium obire possunt.

Can. I. agit de Presbyteris, qui tempore persecutionis vi tormentorum victi sacrificaverant idolis; sed postmodum pœnitentia ducti contra reluctati sunt; idque non *simulatione quadam*, *sed verè*, *nec hoc priùs machinati sunt & consulto egerunt*, *ut tormentis subjicerentur*, *ita ut specie & apparenter tantùm inferrentur*: de his inquam decernitur, *eos Cathedræ quidem honoris esse participes*, *non licere autem ipsis offerre & concionari*, *vel omninò aliquod Sacerdotale munus obire.*

Duo præcipua Presbyterorum officia hic expressa conspicimus. Alterum *offerre* sacrificium. Verbum enim græcum hic idem est, quo utitur Paulus ad Hebreos, ut oblationem sacrificii significet. Alterum *concionari*, sive ut Dionysius & Isidorus vertunt, *sermones ad populum facere.*

Magna morum innocentia requisitæ, ut quis aliis Evangelium prædicet.

Ulterius, ex hoc Canone collige, Patres censuisse reppellendos non ab oblatione Sacrificii duntaxat, sed etiam à munere *concionandi* aliisque Officiis Sacerdotalibus, qui vel semel Christi fidem negaverunt, tametsi *verè* & ex *animo* postmodum pro ejusdem fidei confessione generosè & fortiter reluctati fuissent, imò & tormenta sustinuissent. Hinc intellige, quantam vitæ innocentiam Patres illi requisiverint, ut quis dignus esset, aliis Christi Evangelium annuntiare.

De Diaconis idem quod de Presbyteris statutum fuit edicitur.

Nota denique, quantâ solicitudine Sanctissimi hi Patres examinarint, quo animo, & affectu pœnitentium opera forent peracta, ut vel hinc hodie discant Sacerdotes, eodem spiritu & cura pœnitentium actiones discutere, & expendere.

Functiones ad Liturgiam pertinentes Diaconis interdicuntur.

Can. II. loquitur de Diaconis, qui similiter ut Presbyteri, de quibus in Canone præcedenti, lapsi sunt, & postmodum reluctati: ut hi similiter *honorem quidem habeant*: *cessent verò ab omni sacro ministerio*, *sive à pane*, *sive à calice offerendo*, *vel prædicando*, *nisi Episcopi*, *conscii eorum laboris*, *& humilitatis & mansuetudinis*, *voluerint iis ampliùs aliquid impertiri.*

Per *Sacrum ministerium* quod Diaconis hoc Canone interdicitur, intelliguntur functiones Diaconi, oblationem sacrificii respicientes, sive quas rempore Liturgiæ Diaconi, tanquam Ministri Episcoporum & Presbyterorum, obibant. Aliæ verò functiones officium Sacerdotale non respicientes, quales erant, curam Martyrum & Confessorum, aut etiam pauperum gerere, rerum temporalium dispensatorem age-

agere, denique alia Episcorporum exteriora, & temporalia negotia curare, his Diaconis interdictæ non erant.

Quid per *offerre panem & calicem*, quod Diaconis specialiter interdicitur, intelligatur, incertum est. Morinus credit intelligi *oblationem* qua Diaconi *Eucharistiam* sub specie panis & vini, populo deferebant, sive distribuebant: unde ipse pervertit, *panem & calicem* deferre, De SS. Ordinat. *part.* 3. *exercit. IX. cap.* 3.

Verùm cùm simpliciter, nullo addito dicatur, *panem & calicem offerre*, verisimilius est, hîc agi de eâ oblatione, qua Diaconi Episcopo materiam Sacrificii offerebant, sive præsentabant; cujus meminit Isidorus dicens: *Levitæ inferunt oblationes in Altaria*: quemadmodum & hodiè panem & calicem Presbytero tradere consueverunt.

Quid significet prædicare in hoc Canone.

Per *prædicare* in hoc Canone propriè non significatur, ut in præcedenti, *sermonem ad populum habere*, sed verbum græcum propriè significat *præconem agere*. Diaconis enim olim incumbebat alta voce, *instar præconis*, ritus & ordinem Liturgiæ moderari; indicando Fidelibus & Catechumenis, quando flectendum, quando surgendum, quando exeundum esset, aliaque similia: quemadmodum hodiè voce sublimiori Diaconi dicunt: *flectamus genua*: *procedamus in pace*: *ite missa est*. &c.

Hîc quisque attendat, quanta morum innocentia à Patribus exacta sit, ut quis functiones, vel incruentum Missæ Sacrificium duntaxat respicientes, obire posset.

Quid agendum cum iis qui per violentiam immolare coacti sunt.

Canone 3. Quæritur, quid agendum de iis, quorum manus per meram *violentiam*, ipsis *planè reluctantibus & invitis*, funestis idolorum sacrificiis admotæ fuerant; aut per vim vel violentiam pollutos cibos comedere coacti erant; statuiturque eos citra pœnitentiam ad communionis gratiam esse recipiendos.

Summa Patrum cura ne quis indignus ad gratiam communionis admittatur.

Verùm si attendamus circumstantias & conditiones quæ concurrunt, apparebit, vel ex hoc solùm, quod super hoc casu fuerint dubitatum & Synodi sententia expedita, stupendam fuisse Patrum curam, ne quis indignus ad communionis gratiam reciperetur.

I. Supponunt, quod *fugientes* comprehensi sint: adeoque potius patriam, & res suas domesticas deserere, quam fidem; ac etiam tentationi ab ea deflectendi se exponere, in animo habuerint.

II. Quod adempûs facultatibus *tormenta* sustinuerint, aut in custodiam trusi, proclamaverint *se Christianos esse*: & consequenter, cum evidenti mortis periculo fidem suam professi sint.

III. Quod eo etiam tempore, quo per violentiam manus eorum ad Sacrificia attrahebantur, aut cibos pollutos per necessitatem sumere cogebantur, confiterentur *jugiter se Christianos esse*, proinde suam in fide constantiam *jugiter* declararent.

IV. Quod luctum rei, quæ contigit, *incessabiliter ostendebant omni adjectione, & habitu & humilitate vitæ.*

Quis hanc Patrum curam in admissione ad communionis gratiam cum hodierna Sacerdotum incuria conferens non perhorresceat!

Sed quod omnem excedit stuporem, hos generosos Christi Athletas, ne dicam gloriosos Martyres, ad Clerum admittere noluit Synodus, *nisi etiam præcedens eorum vitæ instituendæ ratio recta inveniatur*: quasi macula vitæ præcedentis nec per Martyrium sufficienter elui videretur, ut eorum innocentia sanctitati Sacerdotii responderet.

Summa exactitudine expendenda circumstantiæ peccati, ut pro iis congrua pœnitentia statuatur.

Canone 4. & 5. agitur rursus de his, qui sacrificare coacti fuerant, sed præterea *cœnaverunt in idolio*, sive in loco, in quo cibi idolis immolati apponebantur.

Observatione dignum, quanta exactitudine circumstantias peccati expendant Patres, ut tempora pœnitentiæ, & reconciliationis præstituant.

Episcopi pro modo conversionis tempora pœnitentiæ contrahere vel prolongare possunt.

Si enim constiterit, eos ad cœnandum quidem fuisse » abductos, sed *lætiori* habitu accessisse, & vestem *sumptuosiorem assumpsisse* & parati prandii, *non* » *ægrè* id ferentes, participes fuerunt. *Sex* annorum » pœnitentia idjungitur *à Synodo. Si autem cum* veste » *lugubri* accesserint & accumbentes *quidem* comedebant, sed *toto* accubitus tempores *lacrimas fuderint*, » *post triennale* substrationis tempus impletum sine » oblatione recipi *vult*, *si autem* non comederint, » *prædictum triennium ad* biennium *contrahitur.* «

Additur tandem, ut Episcopi *modo conversationis examinato, potestatem habeant utendi vel clementia vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem* ait Canon, *& præcedens vita, & quæ consecuta est examinetur, & sic eis clementia impertiatur.*

Parum fidendum Gratiano in relatione Canonum. Non omnia sunt à Gratiano posita quæ hodie in ejus Decreto leguntur.

Hos Canones refert Gratianus *dist.* 50. *Can.* 32. Sed, ut notant correctores Rom. *Verbis Concilii in compendium redactis.* Hinc rursus consequens in relatione Canonum Gratiano non esse fidendum. Deinde monent iidem correctores: *Sunt tamen nonulla in hoc capite emendata & locupletata ex versionibus, quas Gratianus videretur secutus.* Unde itelligere licet non omnia esse Gratiani quæ hodiè in editione Romana sub nomine *Gratiani* leguntur: de quo fusiùs infrà, ubi de Decreto Gratiani tractabitur.

Pœnitentia VI annorum imposita his, qui metu supplicii sacrificaverunt.

Can. VI. agit de his, *qui supplicii minis, & bonorum ablationis, vel exterminationis tantum ceserunt, & sacrificaverunt*: quibus, si hactenus pœnitentiam non egerunt, sex annorum penitentia per diversos gradus peragenda imponitur, priusquam ad *perfectum*, id est, communionem Eucharisticam admittebantur.

Examinanda via præterita, & præsens Pœnitantium ut de eorum reconciliatione statuatur.

Canon VII. vult, ut hi, *qui in festo Ethnico, in loco gentilibus deputato convivati sunt, sed* proprios *cibos attulerunt, & comederunt, duobus annis pœniteant.* Utrum verò his expletis, *cum oblatione* recipiendi sint, *est Episcoporum examinare*, & *aliam vitam in unoquoque inquirere*: vel ut vertit Dionysius: *probantes vitam eorum, & singulos actus examinantes*: & justa Isidorum: *unusquisque Episcoporum examinet, vitæ eorum præteritæ ac præsentis habita ratione.*

Hîc rursùs docentur Sacerdotes, ut dum agitur de conciliandis penitentibus aut ad S. Communionem admitendis, vitæ eorum non præsentis duntaxat, sed & præteritæ rationem ineant; singulosque actus expendant.

Can. VIII. vult, ut qui vi coacti secundo & tertiò sacrificaverint, *septimo* duntaxat anno perfectionem communionis, id est, Eucharistiæ, recipiant.

Numerus peccatorum mortalium attendetur in pœnitentiis imponendis.

En justificata lex Ecclesiæ, quæ præcipit, numerum peccatorum mortalium in confessione exprimere: ut hac viâ Confessarius peccatorum gravitati satisfactiones proportionatas imponere queat.

Tempore pœnitentiæ vita pœnitentium attendenda de Diaconorum continentia.

Can. IX. pœnitentiam 10. annorum imponit his qui non tantum ipsi à fide deviarunt, sed etiam aliis idem persuaserunt: *Eorum autem in eo quoque tempore vitam examinare oportet.*

Canone X. decernitur, ut si quisquam in Diaconum ab Episcopo ordinandus protestatus sit, & dixerit, *velle se conjugio copulari, quia sic manere non potest*: *hic si postmodum uxorem duxerit, sit in ministerio*: *eò quod ei ab Episcopo sit concessum*: vel ut vertunt Dionysius & Isidorus: *propterea quod eis Episcopi licentiam dederunt.* Qui autem hoc silentio præterito, & in ordinatione *ut ita manerent, susceptisunt, postea autem ad Matrimonium venerint, ii à Diaconatu cessent*: vel ut legit Dyonisius: *quicunque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.* Gtatian. *dist.* 28. *Can* 8.

Mirum! quantùm contra Rom. Ecclesiam Diaconis continentiam imperantem, hunc Canonem urgeant Hæretici; cùm tamen si attendatur, potiùs eam continentiæ legem confirmet, quam infirmet.

Tacita professione continentiæ in susceptione Diaconatus.

In prima enim Canonis parte decernitur, ut si Episcopus aliquem in Diaconum assumere desideret isque protestetur, & dicat, se donum continentiæ non habere, ideoque uxorem ducere velit; si Episcopus persistat, eumque Diaconum ordinet, ac postea uxorem ducat, *in ministerio maneat*: rationem subdit: *eo quòd hoc sit illi ab Episcopo concessum.* Quid porro hæc *licentia Episcopi*, nisi dispensatio? Ad quid verò *dispensatio*? Nisi ut a lege generali contraria, juxta de causa recedatur: ergo etiam tempore hujus Synodi erat generalis quædam Lex Diaconis continentiam imperans, sed cujus, juxta temporis illius disciplinam, relaxatio sive dispensatio penes Episcopum erat.

Diaconatus non fuit impedimentum dirimens matrimonium.

Ulteriùs ex posteriori Canonis parte constat, *tacitam continentiæ professionem* tunc notam fuisse; eique Diaconos, qui licentiam ducendi uxorem ab Episcopo ante Ordinationem non acceperant, fuisse obstrictos: adeò ut si uxores duxissent, à Diaconatu, sive ministerio cesare deberent. De dimitendis uxoribus nil dicitur; unde apparet, nec eo tempore Diaconatum fuisse impedimentum dirimens Matrimonium: forsan

san ne Gentilibus occasio daretur suspicandi, Christianos Matrimonia improbare.

De puellis raptis quid agendum.

Canone XI. » Desponsatas aliis puellas, ab aliis » postèa raptas, visum est iis, quibus desponsæ erant, » reddi, etiamsi vim passæ sint, « vel ut legit Isidorus: *Etiamsi à raptoribus florem pudoris sui amisisse constiterit.Grat.* 27. *q.* 2. *Can.* 47.

Catheeumeni lapsi & postea baptizati ordinari possunt.

Can. XII. declarat, eos qui ante Baptimum sacrificaverunt, & postea baptizati sunt, ad Ordines promoveri posse, *ut qui abluti sunt*: vel ut legit Isidorus: *tanquam ab omni crimine lavacri salutaris sanctificatione purgatos.*

Can. agit de veris & propriè dictis Catechumenis.

Dionysius huic Canoni dedit hunc titulum: *De his qui cum catechumeni essent, idolis immolaverunt*: quo indicavit, hîc non agi generaliter de omnibus, qui ante Baptismum sacrificaverant: quasi dubitatum fuisset, an generatim Gentiles ad Baptismum conversi à Sacris Ordinibus fuissent excludendi ob idololatriam in Gentilitate commissam; sed solùm de veris Catechumenis, id est, qui jam *probati* erant, *verè ac sincerè* Religionem Christianam desiderare, publicè ac instanter eam expetentes; qui non tantum monita, & instructiones Pastorum avidè excipiebant, sed etiam legibus & disciplinæ Ecclesiæ se submittentes, in numerum Catechumenorum per signum *crucis fronti eorum impressum* erant recepti; & ita quodammodo in utero Matris Ecclesiæ formabantur, ut per Baptismum tandem renascerentur. *Nondum*, ait S. August. ad Catechumenos, *quidem per Sacrum Baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero Sanctæ Matris Ecclesiæ concepti estis.*

De his Catechumenis dubitatum fuit, an lapsi in idololatriam irregularitatem non incurrissent; quia licèt nondum essent baptizati, Legibus Ecclesiæ tamen videbantur subjecti. Decrevit nihilominus Synodus, eos ad Ordines esse admittendos, *tanquam ab omni crimine lavacri salutaris sanctificatione purgatos.* Quasi diceret: cùm per Baptismum crimina omnino abluantur, *vetus homo exuatur, & novus induatur*, etiam irregularitas, quæ in crimine unice fundatur, cessare debet.

Interim vel ex hoc solum, quod hic casus ut dubius Synodo propositus fuerit, intelligi poterit, qualis tunc de innocentia & vitæ puritate ad Sacerdotium requisita fuerit idea.

De Chore-Episcopis.

Canone XIII. in Codice Ecclesiæ universæ Justelli ità latinè legitur: *Chore-Episcopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare; sed nec Presbyteris civitatis sine litteris Episcopi in aliena Parochia aliquid agere.* Huic versioni consonat Isidorus ita legens; » Vi» cariis Episcoporum, quos Græci *Chore-Episcopos* vo» cant, non licere vel Diaconos ordinare: sed nec » Presbyteris Civitatis sine Episcopi præcepto am» plius aliquid impetrare, vel sine auctoritate littera» rum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere.

Versio Isidori, licet à græco Textu diversa videtur genuina.

Hanc lectionem, licèt à Græco aliquatenus diversam, esse genuinam pluribus confirmat Beveregius ad hunc Canonem; ibidem observans, in græcis exemplaribus, tam manuscriptis quam impressis, quæ hactenus reperta sunt, lectionem hujus Canonis esse corruptam: quod etiam Elias Du Pin in hujus Canonis relatione notavit, *tom.* 2. *Biblioth.*

Quid significet vox Chore-Episcopus.

Vox *Chore-Episcopus* est vox græca, composita ex duobus vocabulis *villa & Episcopus*: unde latinè sonat idem quod *villæ Episcopus.* Hinc in Capitularibus Regum Francorum *l.* 7. *c.* 187. dicuntur *villani Episcopi.*

Chore-Episcopi instituti, ut essent Episcoporum Vicarii.

Primitùs institutos esse constat, ut forent Vicarii Episcoporum in villis, & pagis, & Episcopalia munera minoris momenti in eos obirent; ideoque, ut mox videmus, Isidorus eos in hoc Canone *Vicarios* Episcoporum nominare non dubitat.

Num Chore-Episcopi fuerint vi suæ ordinationis Episcopi, an simplices duntaxat Presbyteri? Quæstio fuit jam pridem inter eruditos, & modò est agitata: de qua Canonis 10. Antiocheni expositio aliquid nos dicere coget.

Plenitudo Sacerdotii in Episcopis.

Cæterum, ex eo quod præsens Canon adeo solicitè moneat, Presbyteris civitatis sine auctoritate Episcopi nihil licere, non obscurum est, Patribus persuasum fuisse, plenitudinem Sacerdotii in Episcopis residere; qui portionem illius in Presbyteros aliosque inferiores Ministros, prout necessitas aut utilitas Ecclesiæ requirere videntur, ita diffundunt, seu potius iis communicant, uti tamen ipsi plenitudinem ejus in se retineant; ut erudite ostendit, & è Patribus petitis testimoniis confirmat Petrus Aurelius. *In vindiciis cens. Sorbon. pag.* 87.

Abstinentia à carnibus jam pridem usitata.

Canon XIV. declarat, liberum quidem esse Presbyteris & Diaconis abstinere à carnibus, ità tamen ut ostendant quod eas non credant immundas.

Hinc elucet praxis mortificationis, & singularis pœnitentiæ primis seculis à Presbyteris, & Diaconis assumpta, & à patribus probata.

Prohibita rerum Ecclesia alienatio sine consensu Episcopi.

Canone XV. decernitur, quod si quæ ex iis, quæ ad *Dominicum*, aut, ut vertit Dionysius, *ad Ecclesiam* pertinent; vel juxta Isidorum, *de rebus Ecclesiæ dum non esset Episcopus, Presbyteri vendiderint, revocare Dominicum*, aut juxta Dionysium, *rescisso contractu ad jura Ecclesiastica revocari.* Judicio autem Episcopi relinqui, an pretium oporteat (emptorem) recipere, an non: *utpote quod eorum quæ sunt vendita, eis ipsis majus pretium reddiderint.*

Corolaria IVex Can. educta.

Hinc collige primò, etiam eo tempore Ecclesiis fuisse res immobiles. 2. Penes Episcopos primariam rerum illarum fuisse administrationem. 3. Etiam eo tempore, Patres solicitos fuisse, ne temerè bona Ecclesiæ alienarentur. 4. Episcopos potuisse alienationem sede vacante factam revocare: ità tamen ut expendant, an emptor ex re vendita id receperit, quod pretio dato æquivaleat; aliàs ne Ecclesia alieno damno locupletetur pretium fore reddendum.

In determinandis pœnitentiis attendenda gravitas criminum conditio personarum, modus perpetrationis, & temporis diuturnitas, quo peccatis inhæserunt.

Canon. XVI. XVII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. pro variis criminibus varia genera, ac tempora pœnitentiarum, spectatâ personarum, & criminum conditione, ac modo, quo perpetrata sunt, determinant, & quidem de mulieribus, quæ fornicatæ sunt, & fœtus in utero perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis faciendis dant operam, *prior quidem definitio*, ait Can. 21. *usque ad vitæ exitum prohibebat, & ei quidam assentiuntur, sed humanitate tamen utentes, decrevimus decennium per gradus prædefinitos impleant.*

Hi Canones, si attentè legantur, ostendent, quanta fuerit Patrum illorum solicitudo, & studium, ut pro qualitate criminum, & conditione pœnitentium convenientes satisfactiones imponerentur. Quàm solicitè attenderent tempus, quo quis peccatis inhæsisset. *Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant*, ait Canon. XV. apud Dionysium: vel ut legit Isidorus: *quod si perseverantius abusus fuerit hoc crimine, hic prolixius tempus* 20. *annorum pœnitentiam suscipiat.* Ac denique volunt, ut vitæ & conversationi pœnitentium solicitè attendatur, *ut secundum conversationem pœnitentium possint* Episcopi *extendere tardantibus*, & minuere *studiosè festinantibus* tempora pœnitentiæ. Ut habet Canon. XXII. apud Dionysium.

De Episcopis ordinatis, sed à populo & Clero rejectis.

Can. XVIII. Agit *de Episcopis pro certa parochia*, sivè ut hodie loquimur, Diœcesi, ordinatis sed rejectis: hoc est, quos Clerus, & populus illius Parochiæ pro suo Pastore recipere nolebant. Id verò non rarò, aut difficulter accidebat spectatâ temporis illius disciplinâ, quæ Cleri & populi in electione Pastorum suffragia admittebat, volebatque, ut qui omnibus præficitur, ab omnibus probaretur: nec invitis facile Pastor obtruderetur. Ad quam disciplinam respiciens S. Leo, ad Episcopum Thessalonicensem scribit *Epist.* 21. ut hoc in ordinatione Episcopi caveretur, *ut nullus invitis, & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit; & fiat minus religiosa, quàm convenit, cui non licuerit habere, quem voluit.*

De his ergo Episcopis non receptis, quos & *vacantes* vocabant, statuitur hoc Canone; nec alienas Parochias sive Diœceses audeant invadere; aut adversus Episcopos seditiones excitare sub pœna segregationis. Si autem velint in *Presbyterio* sedere, in quo prius erant Presbyteri, *ipsos honore non moveri*; sive quòd honor Episcopalis in sessione publica conservabitur: qui eis tamen dicitur auferendus, si seditiones excitare præsumpserint. Apud Gratianum, *dist.* 92. *Can.* 6.

Episcopi Presbyteris superiores.

Ex hoc Canone discimus, eo etiam tempore distinctos fuisse Presbyteros ab Episcopis; hosque illius fuisse superiores, & dignitate eminentiores: Ecclesiam quoque fuisse solicitam ut dignitatibus Ecclesiasticis debitus honor servaretur; omnisque ambitio in occupandis cathedris damnaretur.

Error Gratiani.

Præter hos 25. Canones citat Gratianus sub *nomine hujus Synodi* unum contra sortilegos, & maleficos, 26. *q.* 5. *Canon.* 12. De quo etiam monent cor-

rec-

rectores Romani: »In Concilio Ancyrano græco, »aut latino, neque impresso, neque manuscripto est »inventus.«

In hunc, ac plurimos alios errores incidit Gratianus ocasione collectionis seu decreti Burchardi Episcopi Wormatiensis, qui *lib.* 10. *c.* 1. primus hunc Canonem tribuit Ancyrano Concilio, sed de hoc plura, ubi de hac Burchardi collectione agetur.

§. IX.

De Canonibus Neocæsariensibus.

POst Canones Ancyranos sequuntur Canones sanctorum & beatorum Patrum, ut loquitur Auctor pristini Codicis, qui convenerant Neocæsareæ, qui quidem posteriores sunt Ancyranis, priores verò Nicænis, sed propter dignitatem Nicæni eisdem præponuntur.

Huic Synodo interfuêre iidem ferè Episcopi, qui Ancyranæ interfuerant; præseditque Vitalis Episcopus, non Salonitanus, ut legitur apud Gratianum; sed ille Antiochenus, qui & Ancyranæ præsedit.

In hac Synodo ad Ecclesiasticam disciplinam rectè instituendam, & omnium fidelium mores piè sanctèque componendos, edit sunt Canones, non 24. ut legitur in editionibus Gratiani non correctis, sed 14. ut habetur in omnibus collectionibus latinis aut 15. ut apud græcos, qui Canonem XIII. dividunt in duos.

De presbytero in fornicationem prolapso Error Gratiani.

Canone I. decernitur: »Si Presbyter uxorem »acceperit, ab Ordine deponatur, si verò fornica»tus fuerit, vel adulterium perpetraverit *amplius* »pellidebet, & ad penitentiam redigi.« Grat. *dist.* 28. *c.* 9. qui ex versione Isidori legit: *& pœnitentiam* inter laicos *redactus agat*: cum in græco, ut monent correctores Romani, nulla mentio fiat pœnitentiæ agendæ *inter Laicos*.

Hic Canon non ostendit, eo tempore visum fuisse majus crimen, Presbyterorum fornicatio, aut adulterium, quam matrimonium.

Difficilis pœnitentia manentis in peccato usque ad mortem complicis.

Canon II. »Mulierem, quæ duobus fratribus »nupsit, extrudi decernit usque ad mortem; propter humanitatem tamen in morte habebit pœni»tentiam, modò dixerit, quòd ubi convaluerit, »solvet matrimonium: sed si mortua fuerit mulier »existens, vel ejus maritus in tali conjugio, *difficilis est*, ait Canon, *pœnitentia*,« scilicet *in vita permanenti*, ut legunt Dionysius & Isidorus, & apud Balsamonem, Zonaram, aliosque interpretes græcos; qui & hujus difficultatis reddunt rationem: »Si »una ex personis in nefario matrimonio decesserit, ait »Balsamon, ei, qui relictus est, admodum difficilis »pœnitentia: Qui enim agit pœnitentiam à pec»cato desistens, is creditur penitentiâ duci. Qui »autem ad mortem usque ab eo non desistit, os»tendit quòd etiam, si illa pars ad huc superesset, »quæ est mortua, à peccato non destitisset. Quia »ergo, qui vivit, videtur adhuc in eo malo, quan»tum in se est, perseverare, difficilem habit pœni»tentiam.«

Ratio difficultatis.

De iterantibus nuptias.

Canon III. dicit: »De his, qui in plures nup»tias inciderunt, tempus quidem prædefinitum ma»nifestum est, sed conversatio eorum, & fides tem»pus abbreviat.«

Isidorus, quem sequitur Gratianus 31. *q.* 1. *Canon.* 8. primam Canonis partem exibet his verbis: »Qui frequenter uxores ducunt, & de his, qui sæ»pius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ, quod »his constitutum est, observabunt.« Quæ lectio innuit, hîc agi de his, qui succesivè plura matrimonia contrahunt; sive de veris *Bigamis*: & ita hunc uti & Canonem 7. hujus Synodi intelexit Cardin. Baronius, & post ipsum Binius, *in notis ad Cannon.* 7. »non quod secundum matrimonium contrahendo »pecent inquit, sed quod suam ipsius incontinentiam »manifestent, & *Bigamiam*, quæ in humanæ imbe»cillitatis remedium instituta est, licentiùs usurpent.« Baron. ad annum 314. N. 91.

Licet Bigamis olim imposita sit pœnitentia non tamen prolata fuerunt secundæ nuptiæ.

Quòd verò ait, *tempus quidem præstitutum manifestum est*, ad consuetudinem referendum esse notat Zonaras: »Quia nullus ante hanc Synodum repe»ritur Canon tempus pœnitentiæ Bigamis præscribens.« Unde S. Bassilius in Epist. ad Amphilochium *Canon.* 4. *de pœnitentia trigamorum* loquens, ait: »Consuetu»dine accipimus, *non à Canone*, sed ab eorum, qui »præcesserunt consequentia.« Hinc patet, Patres multa per traditionem accepisse; eaque tanquam legem observâsse.

Liberari ab exteriori actu peccati, divinæ gratiæ adscribendum.

Can. IV. ait: »Si quis proposuerit concupiscere »mulierem ad dormiendum cum ipsa, ejus autem de»siderium ad opus non venerit, videtur esse gratia li»beratus.

Hinc intellige, etiam ab actu exteriori criminis in corde perpetrati, quocunque modo liberari, sive impediri, etiam divinæ gratiæ adscribendum esse.

De pœnitentia Catechumenorum.

Canon V. vult: »Ut si Catechumenus in ordine »eorum, qui instruuntur, assistat, & peccet: si *ge»nu* quidem *flectens*, audiat, non ampliùs peccans. »Vel juxta Dionysium: *ut non delinquat ulterius*: aut »juxta Isidorum: *ut se abstineat ab illo peccato, quod »fecit*: deinde subjicitur: Sin autem etiam *audiens* »adhuc peccet, extrudatur.

Catechumeni alii perfectiores, alii imperfectiores.

Canon hic, aliàs de se obscurus, erit perspicuus, si solùm attendatur, duos fuisse Catechumenorum ordines, ut suprà ad *Canonem* 14. *Nicænum* notatum fuit. »Nonnulli enim modo accedunt, ait Aristenus; »quo circa & ut *imperfectiores* post Scripturarum & »Evangeliorum auditionem statim emittuntur. Alii au»tem *ante tempus* aliquod advenerunt, & *perfectiores* »evaserunt: quare & post Evangelium preces pro »Catechumenis factas expectant, & cùm illud dicitur: »(*Catechumeni capita vestra Domino flectite*) genu»flectunt. Perfectiores itaque, ut qui bona Dei verba »prægustârunt, si lapsi fuerint, statione sua moven»tur, & cum *audientibus* collocantur; si autem & »cum *audientes* sint, peccant, ab Ecclesia perfectè »expelluntur.

Mulier gravida Catechumena potest baptizari quando vult Ratio dubitandi.

Canon. VI. dicitur, »Mulierem gravidam esse »baptizandam, quando velit: neque enim ea, quæ »parit, cum fœtu, qui paritur, ea in re aliquid habet »commune:« hoc est, Baptismus matris nullatenus afficit fœtum in utero existentem: adeoque fœtus postmodum editus sine periculo baptizari poterit. Hanc fuisse rationem dubitandi notant Balsamon, Zonaras, & Aristenus.

Cur verò Baptismus matris fœtum non afficiat, subjungitur. »Quod proprium uniuscujusque institu»tum ac propositum in confessione ostendatur.« Ut hæc ratio intelligatur notandum, quod pristinis Ecclesiæ seculis Catechumeni de fide interrogarentur, priusquam baptizarentur; eamque fidem palam profiteri, & seculi pompas adjurare deberent: ac propterea, ut observat Albaspinæus *ad hunc Canonem*, »paulò antequam mergerentur, Baptismum se optare, »se baptizari velle magna voce contestabantur: quæ, »cùm ab iis, qui parentum utero includebantur, non »possent fieri, ad eosdem Baptismi vis, & gratia per»venire, & penetrare non poterat.« Cui congruit Isidorus ità legens, *quia uniuscujusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur*, id est, illa confessione declaratur se liberè Baptismum desiderare.

Prethyter non potest interesse convivio nuptiali Digami Ratio canonis.

Canon VII. præcipit, ne »Presbyter in nuptiis »ejus, qui Digamus efficitur, convivetur. Cum enim, »requirat pœnitentiam Digamus, qui erit Presbyter, »qui eo quod sit convivio acceptus nuptiis assentia»tur.« Hoc est, ait Zonaras ad hunc Canonem, »qui fieri potest, ut pœnam à Digamo exigere non »pudor sit ei, qui Digami factum à se non improbari, »cum nuptiis secundis ipsis interfuerit, satis ostendit.

Hoc Canone docentur illi, qui alios ex officio arguere tenentur, ne facto suo probent, quod in aliis reprehendere debent.

Quid agendum Presbytero cujus uxor est adulterata.

Can. VIII. decernitur: »Ut si Laici alicujus uxor »adulterata fuisse convincitur, talis ad Clerum non »admittatur: Si autem post ordinationem adulterata »sit, eam dimittere debeat: quod, si cum illa convi»xerit, ministerium sibi commissum exequi non pote»rit.« Grat. *dist.* 34. *Canon.* 11

Poterant igitur juxta Græcorum morem, Presbyteri non solum esse uxorati; sed etiam uxores suas secum retinere; una tamen continentiam conjugalem in tantum servare, ut vel sola incontinentia uxoris eos à Clero arceret: eo quod vel suspicio esset, quod forsan ei causam, aut occasionem præbuissent; vel aliquatenus probassent.

Presbyter qui confitetur se ante ordinationem incarnale peccatum prolapsum offerre non potest.

Canon IX. declarat: »Si Presbyter, qui corpore »peccaverat, promotus fuerit, & si ante ordinatio»nem peccasse confessus fuerit, ne offerat, sive jux»ta Dionysium: *Oblata non consecret*: manens in aliis, »propter aliud ejus vitæ studium:« hoc est, ait Zonaras, »Sacerdotum honorem, cathedræ prærogati-

vam

» vam, jusque præterea in altari communicandi reti-
» nebit: aliisque ob alias virtutes, si nimirum vitæ in-
» teger, ac virtutis exercendæ studiosus sit, privilegiis
» cohonestabitur.

Post hæc dicit Canon: *Reliqua enim peccata dicunt multi manum impositione tolli*: vel ut legit Dionysius *posse dimitti*: nimirum quemadmodum Balsamon, Zonaras, aliique Græci interpretantur, minora peccata, v. g. contrectare manum mulieris, osculum eidem impertiri, propter studium & diligentiam, quam cæteroquin adhibet, & *spontaneum* ejus confessionem posse dimitti: sive jam factâ ordinatione posse dissimulari. » Verùm, ut rectè advertit Zo-
» naras, ne id quidem tanquam certum, sed cum ea
» moderatione, *dixere multi*: hoc est, ut à quibusdam
» dicitur, asseveravit Synodus.

Canon X. decernit idem in Diaconis servandum, quod de Presbyteris præcedens Canon dixerat. Unde hos duos tanquam unum refert Grat. 15. *q.* 8. *Can.* 1.

Idem in Diacono statuitur.

Canon XI. vult: » Ut Presbyter non ordinetur
» ante annum 30. etiamsi fuerit valdè dignus. Nam
» Dominus noster 30. ætatis suæ anno baptizatus fuit,
» & sic cœpit docere.« Grat. *dist.* 78. *Can.* 4. qui ibidem notat; hoc quidem regulare esse, sed quòd Ecclesia necessitate exigente nonnullos ante 30. annos ordinare consueverit. Cui convenit, quòd circa tempora Gratiani Concilium Rothomagense decreverat:
» Nullus ordinetur Presbyter ante 30. annos, nisi sum-
» mâ necessitate: sed tamen Presbyter nullus or-
» dinetur ante 25. an.« *An.* 1074. *Can.* 6.

Dispensatio disciplinæ noverca.

Cùm verò hæc dispensandi auctoritas credita esset judicio Episcoporum; tandem adeò frequentari cœperunt dispensationes, ut spatio unius seculi, priori disciplinâ abrogatâ, quod ob necessitatem indultum fuerat, in legem transierit: nimirum, ut Presbyter anno 25. ordinari posset. Ut & hîc appareat, verissimum esse nullam esse certiorem ad disciplinæ & legum abrogationem viam, quàm sit legum dispensatio, seu relaxatio. *Vide Thomasinum de discipl. Eccles. p.* 4. *l.* 1. *c.* 46.

Baptizatus urgente morbo non potest ordinari Presbyter. Ratio canonis.

Canone XII. statuitur: » Si quis ægrotans fuerit
» baptizatus, non potest in Presbyterum evehi: fi-
» des enim ejus non est ex instituto, sed necessita-
» te.« Sive, ut ait Balsamon: » Quasi à necessitate
» morbi, non autem à bono instituto, seu proposito
» stimulatus baptizatus est. Ideò ut fidelis quidem
» postquam convaluerit, recipietur, sed ad Sacerdotii
» gradum non promovevitur.« *Nisi fortè* ait Canon, *propter consequens ejus studium, & fidem, hominumque raritatem.* » Nota, inquit idem Balsamon quòd
» utrumque debet concurrere, virtutum scilicet studium,
» & hominum raritas.« Grat. *dist.* 57. *Can.* 1.

Spiritus canonis.

Spiritus Canonis est, aut facilè ad Sacerdotium admittere, qui vitæ seculari, & quasi gentili, ex aliqua necesitate rei familiaris, vel cupiditate potiùs, quàm liberâ voluntate Deo liberiùs & meliùs serviendi renuntiare videntur.

Presbyteri ruralis nihil agere possunt in Ecclesia Urbis præsente Episcopo, aut Presbyteris Urbis. Sensus canonis.

Canon XIII. vult, ut » Vicarii, sive ruris Pres-
» byteri in urbis Dominico, seu Ecclesia offerre non
» possint, præsente Episcopo, vel Urbis Presbyteris;
» neque Panem dare in oratione, neque calicem: sin
» autem absint, & solus ad precationem vocatus fue-
» rit, dat.«

Sensus est: ne Presbyteri pro Ecclesiis ruralibus ordinati, Episcopi aut Presbyterorum pro Ecclesiis civitatis ordinatorum auctoritatem sibi vindicent; neque iis præsentibus in eorum Ecclesiis divina peragant. » Hoc enim spectat, ait Balsamon, ad confu-
» sionem, & ad Episcopi, & Presbyterorum contemp-
» tum & injuriam, ut qui exinde condemnentur;
» sed si peregrè absint Presbyteri, & Episcopus, &
» regionis Sacerdos à populo vocatus sit, citra ullam
» prohibitionem Sacra celebravit.«

Qui in spiritum hujus canonis se impingant.

Quomodo in spiritum hujus Canonis impingant, qui in subsidium Parochorum duntaxat vocati, se in eorum functiones, iis etiam invitis, & per se eas obire volentibus, intrudere volunt; nemo non videt.

Chore-Episcopi in locum 70. discipulorum successerunt.

Canon XIV. qui à Dionysio & Isidoro præcedenti jungitur, dicit: *Quòd Chore-Episcopi, qui sunt imitatione* 70. sive ut legit Dionysius, *ad exemplum & formam septuaginta*, addit Isidorus, *seniorem videntur esse, ut comministri propter studium in pauperes, offerunt honorari*, vel juxta Dionysium, *honorentur.*

Hic nota, Chore-Episcopos dici successisse in locum 70. discipulorum. Quod innuit, eos Episcopos non fuisse; quia hi Apostolis dicuntur succedere: sed de hoc infrà ad Canonem X. Antiochenum.

Ulteriùs nota, quòd tanquam ministri Episcopi præ cæteris Presbyteris honore digni habiti fuerint; ac propterea, etiam præsente Episcopo, aut Prebyteris, in civitatis templo ministrare potuerint: ut ad hunc Canonem observat Aristenus.

Diaconus septem dumaxat in unaquaque Ecclesia ordinandi. Illud Eccles. Rom. aliquando observavit.

Canon XV. ait: » Diaconi septem esse debent ex
» Canone, etiamsi sit magna civitas. Ejus autem rei
» fidem faciet liber actorum.« *dist.* 93. *Can.* 12.

Quod ad exemplum Apostolorum hîc dicitur, in Ecclesia Romana jam pridem servatum fuisse testatur Sozomenus *lib.* 7. *hist. cap.* 19. » Diaconi,
» ait, apud Romanos hactenus non plures sunt,
» quàm septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apos-
» tolis ordinati fuerunt.« Hunc tamen numerum
» inter consuetudines mobiles eo tempore reputatum
» fuisse, testatur verbis sequentibus. » Apud alios verò
» haud quaquam definitus est numerus Diaconorum.»

§. X.

De Canonibus Gangrensibus.

IN Codice Ecclesiæ universæ Canonibus Neocæsariensibus immediatè subjiciuntur 20. Canones Synodi Gangrensis, editi adversus errores cujusdam Eustachii: qui tum in Epistola Synodica Canonibus præfixa, tum apud Socratem & Sozomenum nominatim referuntur, multumque illustrandi Canonibus subserviunt.

Anathema in eos qui matrimonium ut illicitum improbant. Canonem malè restringit Gratianus

Canon I. Anatema dicit » In eos, qui matrimo-
» nium vituperant, & mulierem fidelem matrimonio
» utentem abhorrent, tanquam quæ non possit reg-
» num Dei ingredi.« Grat. *dist.* 30. *Canon.* 12. & *dist.* 31. *Can.* 8. qui, ut observant Correctores Roman. malè restringit hunc Canonem ad matrimonia Sacerdotum: cùm edictus sit adversus Eustachianos, *qui nuptias accusabant, & docebant quod nullus in conjugali gradu positus spem habeat apud Deum.* Atque hic primus Eustachianorum error: unde » Factum, ajunt
» Patres in Epistola Synodica, ut multæ mulieres eos
» secutæ, relictis propriis viris, & viri, uxoribus des-
» titutis, vinculum conjugale dissolverent, continen-
» tiam profitentes: quam cùm retinere non possent,
» adulterium commisserunt.

Can. XIV. in mulieres quæ vinculum matrimonii dissolvere prætendunt.

His mulieribus oppositus erat Canon XIV. dicens:
» Si quæ mulier relinquit maritum, & vult recedere,
» matrimonium adhorrens, anathema sit.

Prædicti quoque erroris surculus erat: » Quòd
» mulieres præter consuetudinem, & sui sexûs or-
» dinatum hinc se justificari credentes, virilem habi-
» tum susciperent: pluresque earum, occasione
» religionis *tonsas* genuini decoris *comas* amputa-
» rent.«

Can. XIII. in mulieres vestem videm assumentes.

His opponuntur Canon. XVIII. & XVII. Priori quidem anathema dicitur mulieri, » quæ propter
» eam, quæ æstimatur, exercitationem:« velut ex Isidoro legit Gratianus: » Suo propositio utile judicans,
» vestem mutet, & pro consueto muliebri indumento
» virile accipiat.« *Dist.* 30. *Can. VI.*

Quæ ratione Christiani errorem hunc suo facto probent.

Utinam nec hodie Christiani, hunc Eustachianorum errorem cum multorum scandalo diebus Bacchanalium facto suo probarent, recordarenturque ejus, quod jam pridem per Moysen denuntiatum est. *Non inducetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœmina, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc. Deut.* 22. *v.* 5. Contra hunc abominabilem morem, lege altiùs detonantem S. Ambr. *Lib.* 4. *Epist.* 15.

Anathema in mulieres quæ comam sibi abscindunt.

Canon XVII. anathema pronuntiat in mulierem,
» Quæ propter eam, quæ existimatur pietatem, ton-
» deat commam quam Deus ei dedit ad recorda-
» tionem *subjectionis*; ut quæ subjectionis præcep-
» tum dissolvat.« *Dist.* 30. *Can.* 2.

Manifestum est, tum ex verbis Canonis, tum ex Eustachianorum spiritu, nuptias abhorrentium, & vinculum matrimonii sub obtentu Religionis dissolventium, hanc comæ amputationem à mulieribus illis factam in signum abjectæ subjectionis, quà vi contractûs matrimonialis viris suis subjiciuntur. Consequenter hic Canon nullatenus ferit Religiosas mulieres, quæ in signum pœnitentiæ & contemptus mundani comam sibi amputari permittunt, priusquam Professionem Religiosam emmittant. Vide Baron. in

Hic Canon non ferit Religiosas quibus ante religiosam

sam professionem coma amputatur.

in Notis ad Martyrologium die 20. Septemb.

Eodem ex errore indubiè profluebat; quòd Eustachius teste Socrate *Lib. 2. cap. 43.* » Presbyteri uxorem *habentis*, quam, dum esset laicus, legitimo matrimonio sibi compulaverat, benedictionem, & communionem instar piaculi declinandam docebat.

Can. IV. Presbyteri conjugati communio non rejicienda.

Huic errori respondet Canon IV. » Si quis de » Presbytero, qui uxorem duxit, contendat, non » oportere eo sacra celebrante oblationi communicare, » sit anathema.

Si quis Canonem cum errore, cui opponitur, conferat, facilè intelliget, ex sententia Synodi, Canonem intelligendum de Presbytero *conjugato*; sive qui uxorem, quam laicus duxerat, factus Presbyter retinebat: uti non tantùm Balsamon, Zonaras & Aristenus intellexerunt; sed etiam Isidorus, & hunc secutus Gratianus, qui legit: *Si quis discernit Presbyterum conjugatum &c. dist. 28. Can. 15.*

Scio quidem Dionysium legere: *Quicunque decernit à Presbytero, qui uxorem habuit* &c. Sed quid mirum, si Dionysius Romæ existens, & ad usum Latinorum Versionem Canonum efformans, disciplinâ Ecclesiæ Latinæ, quæ Presbyteros conjugatos non admittebat, abreptus, à mente Synodi aliquantulum hîc aberraverit?

Hic Canon officit disciplinæ Ecclesiæ latinæ circa cœlibatum Presbyterorum.

Cæterùm licèt Dionysii versione postpositâ versioni Isidori, tanquam menti Synodi magis consonæ adhæreamus; nihil præsenti Canone adversus legem cœlibatûs, aut disciplinam Ecclesiæ Latinæ, vel in speciem educere possunt Sectarii (uti timuisse videtur Bellarminus, & post illum Binnius ad hunc Canonem; qui propterea tam avidè versionem Dionyssi arripuêre.) Quandoquidem Catholici ultro fateantur, legem cœlibatûs Presbyterorum duntaxat esse punctum disciplinæ, erroremque fore, respuere seu condemnare Presbyteros conjugatos, dum eos Ecclesia tolerat, & permittit. Cùm ergò Ecclesia Orientalis eo tempore Presbyteros conjugatos admitteret, merito Eustachius, qui Ecclesiæ in puncto disciplinæ se opponebat, anathemate percussus est. Quam Synodi sententiam suo facto non obscurè probat Ecclesia Romana, Presbyteros Græcos *conjugatos* ad sacrificandum admittens; filiisque suis, ut eorum intersint sacrificiis, non obsistens.

Can. IX. Qua intentione servanda virginitas.

Adhæc erroneâ illa nuptiarum aspernatione persuassæ mulieres » à conjugio tanquam abominando re» cedebant, & non propter ipsam virginitatis pul» chritudinem & sanctitatem: quas anathemate percel» lit Canon IX. *Dist. 30. Can. 5.*

Can. X. Qui virginitatem servant conjugatis non insultant.

Aliæ verò eodem errore imbutæ » Virgines prop» ter Dominium: « Vel ut legit Dionysius, *quæ virginitatem propter Dominum servant, insultabant in eos, qui uxores duxerant.* Quas damnat Can. X. *Dist. 30. Can. 4.*

Hîc nota ex Canone IX. finem, ob quem virginitas sit amplectenda & diligenda. Unde ad hunc Canonem ait Zonaras: » Pulcherrima quidem res est » virginitas, honesta verò & continentia, si tamen » eas ob honestatem ipsam, quæque illas commita» tur, sanctitatem sequamur.

Can. XV. Sub obtentu Religionis parentes liberorum educationem negligere non possunt.

Huic quoque matrimonii contemptui meritò imputatur, » quod, quidam Eustachianorum liberos suos » relinquerent, aut eos non alerent; nec quantum in » se est, ad convenientem pietatem, Religionemque » adducerent; sed exercitationis prætextu: « Vel ut legit Isidorus, & ex illo Gratianus *Dist. 30. Can. 14. Sub occasione continentiæ*, negligerent: Quos anathematizat Canon XV. Ulteriùs de Eustachio scribit Sozomenus, *Lib. 3. cap. 14.* » Præ nimia autem severi» tate ad *absurdas* quasdam *observationes* prolapsus » esse dicitur, ab Ecclesiasticis legibus plurimùm » discrepantes.

Absurdis his observationibus meritò annumeratur: » Quod quidam ex Discipulis, eos, qui carnes ede» rent, adversarentur; ut ait Sozomenus: Vel cibos » carnium *tanquam illicitos* reputarent; ut refertur in » Epistola Synodica.

Damnatur, qui comedere carnes per se illicitum credunt.

Huic errori opponitur Canon XI. anathemate feriens, eum, » qui carnem præter sanguinem, & idolothytum, seu *idolo immolatum*, ut ex Isidoro Gra» tiano & suffitum cum pietate & fide comedentem » condemnat; tanquam eo, quod eo vescatur, spem » non habeat. « *Dist. 30. Can. 13.*

Canon non repugnat legi Ecclesiasticæ de observantia in carnib.

Hic Canon, si cum errore cui opponitur, rursus conferatur, ad oculum patebit quam temere sectarii, eum legi Ecclesiasticæ de abstinentia carnium opponant: cum manifestum sit, nec ipsos latere possit, Ecclesiam nullos cibos adversari tanquam de se *illicitos*; sed usum illorum duntaxat, ad refrenandam carnem, & exercitium pœnitentiæ moderari.

Præceptum Apostolicum de abstinendo ab idolothyto, & suffocato, ac sanguine in aliquibus Ecclesiis diu remansit.

Exceptio: *Præter sanguinem, & idolothytum & suffocatum* indicat, eo tempore adhuc viguisse præceptum Apostolorum de non comedendis prædictis cibis. Idem constat ex Tertul. in Apolog. *Cap. 9.* multisque aliis, qui circa ea tempora scripserunt. Quin & hodiè hanc legem in Orientali Ecclesia vigere, eorum testatur Euchologium, in quo extat oratio repetenda ab iis, qui hujusmodi cibos vetitos comederent: unde Balsamon ad *Can. 63. Apostolorum*, arguit Latinos, quod contra hunc Apost. Canonem *indiscriminatim comedant suffocata.*

Et sanè fatendum est, non adeò diù esse quod Ecclesia Latina ubique cibis illis vesci permiserit: Nam Gregorius III. qui Cathedram Petri ascendebat anno 731. inter Canones pœnitentiales hunc reponit: » Suffocatum dicimus, quod sine sanguinis effusione » perimitur, vel quod in laqueo necatur. Si quis à » lupo, vel à cane, aut in laqueo suffocatum invene» rit, nullatenus manducetur; nec sanguinem alicu» jus bestiæ quis manducare, aut bibere præsumat: » quod si quis fecit, quadraginta dies pœniteat. « *Tom. 6. Concil. p. 1483. ult. edit.*

Nequaquam tamen, etiam primis seculis, ubique legem hanc viguisse, sed persuasum fuisse, eam Ecclesiæ auctoritate posse desinere, multis docet August. & alli quos refert Lupus ad *Can. 67. Trullanum.*

Reperti quoque fuêre Eustachiani, » dissensiones » ac separationes à domibus Dei, & Ecclesia facere; » Ecclesia, & quæ in ea fiunt, contemptui habentes, » privatisque conventiculis institutis ad imitationem eo» rum omnia præsumere celebrare... loca SS. Marty» rum contemnere, & omnes, qui illuc conveniunt, » reprehendere. « *Epist. Synod.*

Publici conventus non sunt despiciendi aut negligendi.

His respondent Can. V. VI. XI. & XX. Quorum duobus prioribus anathema dicitur illi: » Qui docet » domum Dei esse contemnendam; & quæ fiunt in ea » congregationes: aut si quis præter Ecclesiam vult » Ecclesiam habere: (vel juxta Dionys. *extra Eccle» siam seorsim conventus celebrat*:) & contemnens Ec» clesiam vult ea, quæ sunt Ecclesiæ agere, non con» veniente Presbytero de Episcopi licentia. « *Dist 30. Can. 10. & 11.*

Agapæ sive communia charitatis non contemnenda.

Canon XI. anathematizat eum: » Qui contemnit, » eos, qui *agapas* ex fide faciunt, & propter Dei ho» norem fratres convocant, & nolit vocationibus com» municare, id quod fit vilipendens. *Dist. 42. Can. 1.*

Antiqui moris olim fuit apud fideles, ait Zonaras ad hunc Canonem: » ut Sacrorum mysteriorum parti» cipatione refecti, simul ad epulandum postea con» venirent: ità scilicet, ut cibis è ditiorum penu minis» tratis, ad convivium ipsi quoque pauperes ab iisdem » advocarentur.

De his conviviis charitatis, quæ Græci *agapas* vocabant, videri potest Baronius ad Ann. 57. ibidem ostendens, quomodo tandem in abusum degeneraverint, ac in Ecclesia celebrari vetita sint.

Martyrum veneratio adstruitur.

Canon XX. Anathema pronuntiatur in illum: » Qui arrogantiâ usus, & Martyrum congregationes » abhorrens, & Sacra, quæ in iis celebrantur, & eo» rum memorias accusat. « *Dist. 30. Can. 9.*

En seculo IV. memorias Martyrum veneratas; & qui eos venerari renuebant damnatos, intelligant hæretici hodierni.

Quidni absurdis quoque observationibus adscribendum, quod præscripta quidem jejunia fugienda esse, diebus verò Dominicis jejunandum Eustachis præceperit? Socrates, *lib. 2. cap. 43.*

Jejunandum diebus ab Ecclesia præscriptis.

Hæc Canon. XVIII. & XIX. damnantur: decerniturque anathema in eum. » Qui propter eam, quæ » existimatur exercitationem, in die Dominico jejunat; » aut sub eodem prætextu absque corporali necessita» te, insolenter gerat, & tradita jejunia, quæ com» muniter servantur ab Ecclesia, dissolvit, perfectâ in » eo residente ratione. « Vel ut legit Isidorus: *Perfectam in suâ scientia vindicans rationem*, Gratian. *Dist. 30. Can. 8.* Sed ab originali non parum discedens, ut ibidem ostendunt Correctores Rom.

Hi Canones evincunt Ecclesiæ determinandis jejuniorum temporibus auctoritatem, obediendique Fidelium necessitatem.

Inter absurdas observationes meritò quoque recensetur relatum de Eustachio; » Ipse vero Philosophi ha» bi-

» bitum gestans, Sectatores suos novâ & insolita ves-
» te indui jussit.

Habitus insolitus non est affectandus, nec justitia in eo collocanda.

Huic opponitur Canon XII. anathema pronuntians in virum. » Qui propter eam, quæ existimatur
» exercitationem, sive *continentiam*, amiculo, vel
» juxta Dionysium *amictu pallii*, aut juxta Isidorum
» *pallio* utitur, & tanquam habens ex eo justitiam, eos
» condemnat, qui cum pietate beros ferunt. Vel ut
» legunt Dionysius & Isidorus: *birris & alia commu-*
» *ni*, & consueta veste utuntur.

Frustrâ hîc inquiritur, quid per *beros*, sive *birros* intelligatur, de quo latè inquirit Du Cange in suo Gloss. v. *Pallium*, & v. *Birrus*: cùm manifestum sit, id unum in Eustachianis redargui per præsentem Canonem, quòd Religionem incerto, & insolito habitu collocarent: & eos qui communi utuntur veste, condemnarent.

Habitus monasticus hoc Canone non vetatur.

Hinc ulteriùs consequitur, nullâ specie Canonem hunc damnare habitum hodiernum monasticum; tametsi à communi & insolitâ vulgarium veste multum diversum. Neque enim Monachorum Patres, vestem insolitam affectarunt; aut in veste justitiam collocarunt; nec communi veste utentes condemnasse leguntur; id unicè in amictu spectantes, ut & paupertati, & mundi contemptui, quem profitentur, foret conformis; & operi, cui incumbendum esset, nec non corpori tegendo, & aeris injuriis repellendis commodus: ut vel ex una S. Benedicti Regula manifestum est.

Quid in habitu præcipuè attenderint Monachorum Patres.

Vestimentum, ait *cap.* 55. » Fratribus secundum
» locorum qualitatem ubi habitant, vel aerum tempe-
» riem detur. Quia in frigidis regionibus amplius indi-
» getur, in calidis verò minùs. Hæc ergo consideratio
» penes Abbatem est. Ea vestes aeris temperiei accom-
» modatæ. Prosequitur S. Benedictus: Nos autem me-
» diocribus locis sufficere credimus Monachis per sin-
» gulos cucullam, & tunicam: cucullam in hyeme
» *villosam*, in æstate *puram* aut *vetustam*. « Ecce paupertatem in vestibus. *Et scapulare propter opera*, Scapulare quippe, ait Abbas Trappensis *in Commentario Regulæ*, amictus est accommodus conservandis vestibus Monachorum, qui molestis, & duris operibus se occupabant. Vide latius Du Cange, verb. *Scapulare*.

Pergit Benedictus: » De quarum rerum omnium
» colore, aut grossitudine non causentur Monachi, sed
» quales inveniri possunt in provincia qua degunt, aut
» quod *vilius* comparari possit.

En rursus spiritus paupertatis, & contemptus mundi in summo gradu à Benedicto expressus; ut rectè monet jam citatus Abbas verus Benedicti filius, & spiritui Benedictino plenus; nihil verò quod vel innuat, in veste Religionem; aut justitiam collocari.

Unde factum, ut Monachorum habitus à communi tantoperè sit discretus.

Sed dicet quispiam, in hoc ut minùs, Eustachium imitantur Monachi, quòd vestem insolitam, & præter communem affectent, eâque se à communi vulgo distinguere ament. Nequaquam sanè: Monachorum enim Patres, vestem quidem vilem & pauperem assumpsere; sed quæ eo tempore à vulgari & pauperum veste haud differebat.

Sed cùm eorum Discipuli, ne seculo se conformare viderentur, amictum à Patribus acceptum tenacius retinuerunt; successu temporis factum est, ut vestis, quæ prius fuerat communis & vulgaris, tandem à vulgari plane fuerit discreta; non tam facto Monachorum, quam vulgarium, qui vestem suam mutare solent. De qua re vide D. Fleury in Libello Gall. *De moribus Christianis*, *cap.* 43.

Ob singulares has exteriores Religionis observationes, quandam de seipsis sanctitatis opinionem concipientes Eustachiani, *primitias fructuum*, *& oblationes eorum*, *quas veterum institutio*, ait Epist. Syn. *Ecclesiis tribuit*, *sibi vindicasse inventi sunt*; *id est*, *propriæ ratiocinatione doctrinæ tanquam sanctis*, *sibi eas offerri debere*, *apud se*, *& inter se dispensandas*.

His opponuntur Canon. VII. & VIII. quibus anathema dicitur in eum, » qui fructus oblatos accipe-
» re, aut dare vult extra Ecclesiam præter Episcopi
» sententiam, vel ejus cui cura commissa est; vel qui dat,
» vel qui accipit fructus oblatos præter Episcopum, vel
» eum, qui est constitutus ad beneficentiæ dispensatio-
» nem, vel ut legunt Dionysius & Isidorus: *Ad dispensandum misericordiam pauperibus*

Dispensatio proventuum Ecclesiasticorum penes Episcopum.

Occasione horum Canonum notamus, quòd etiam seculo IV. penes Episcopos fuerit oblationum, & bonorum Ecclesiasticorum dispensatio, sive administratio, ad dispensandum *in pauperes*.

Denique Eustachiani adeò vani ac superstitiosi fuisse dicuntur, ut asserirent, obtentu Religionis servos posse dominos suos contemnere, & deserere; & liberos posse relinquere proprios parentes.

Servi prætextu religionis dominos suos; nec liberi suos parentes deserere possunt.

Hinc Canon III. & XVI. quorum primo anathematizatur » qui docet servos pietatis prætextu sive oc-
» *casione religionis*, ut legit Isidorus, dominum contem-
» nere, & à ministerio recedere; & non cum benevo-
» lentia & omni honore inservire. « Grat. 17. *q.* 4. *Can.* 37.

Can. XVI. similiter anathema dicit in filios, qui à parentibus, maximè Fidelibus, prætextu pietatis » vel juxta Isidorum, *occasione Dei cultus*, recesse-
» rint; & parentibus, quem par est honorem non tri-
» buerint, apud eos scilicet præposita in Deum pie-
» tate. « Isidorus autem, & ex ipso Gratianus ultimam clausulam ita legunt: *hoc ipsum in eis venerentur, quòd Fideles sunt.* Notant autem Correctores Roman. græcè esse: *quod scilicet divinus cultus apud ipsos omnibus rebus præferatur*: quibus innuitur, Eustachianos hunc suum errorem hac ratione colorasset, quòd cultui divino parentes cedere deberent; quo eodem obtentu, Pharisæi persuadebant populo, melius esse sua bona temporalia altari offerre, quàm parentibus in necessitate constitutis succurrere: quos redarguit Christus. *Matth. XV.*

Synodus virginitatem laudat.

His Canonibus, quibus Eustachianorum errores profligantur, ipsaque primitivæ Ecclesiæ disciplina in multis detegitur, subjungitur Epilogus, qua Synodus mentem suam circa quædam in Canonibus expressa, amplius & clariùs exponit.

Et quidem, cum occasione Eustachianorum pro matrimonio multa dicere debuerat Synodus; ne virginitati prærogativam suam per illa detraxisse videretur, ait: » virginitatem una cum humilitate admi-
» ramur, & continentiam, quæ cum pietate & gravi-
» tate exercetur, admittimus.

Humilitas in vestibus probatur.

Item, quia forsam occasione Canonis XII. quis suspicari posset, vestium humilitatem, & fastûs contemptum improbâsse adjunxit: » vestium vilitatem
» propter corporis tantùm curam minimè curiosam
» & operosam laudamus: disolutos autem & molles
» in vestibus incessus improbamus.

Domus Deo consecratæ honorandæ, ad pietas domibus non includenda.

Denique ne abjiciendo eos, qui publicos in Ecclesia conventus aspernabantur, pietatem in domibus includere Patres viderentur, declarant: » domos Dei
» honoramus, & qui fiunt in illis conventus ut sanctos,
» & utiles recipimus, non *pietatem in domibus inclu-*
» *dentes*, sed omnem locum in Dei nomine ædificatum
» honorantes, & quæ fit in ipsa Ecclesia congressio-
» nem ad publici utilitatem recipientes ...& ut semel
» dicamus, inquiunt, quæ à divinis Scripturis, & *Apos-*
» *tolicis Traditionibus* tradita sunt Ecclesiæ, fieri op-
» tamus.

Hîc obiter observa, Calvinistas & Luteranos Traditiones Apostolicas rejicientes, mille circiter annis antequam nati forent, in hac Synodo fuisse condemnatos.

Epilogum in duas partes divisum sub titulo Canonis ultimi refert Gratianus *Dist.* 30. *Can.* 16. & *Can.* 5. Utramque, uti & plerosque hujus Synodi Canones, non parum ab Originali Græco discrepantes quemadmodum ad singulos penè Correctores Rom. observârunt.

§. XI.

De Canonibus Anthiochenis.

Occasio Synodi Antiochenæ.

IN Codice Ecclesiæ universæ post Canones Gangrenses sequuntur Concilii Antiocheni Canones XXV.

Occasio hujus Synodi hæc fuisse apparet.

Cùm jam templum Antiochenum, quod præ magnificentia sua *Dominicum aureum* appellari meruit, sub Constantino M. inchoatum, sub Constantino ejus filio esset absolutum; ad illius dedicationem litteris Imperatoris Anno 341. evocati fuêre Episcopi, non unius duntaxat Provinciæ, sed totius Orientis, etiam ex Traciâ & Palestinâ.

Error Gratiani circa numerum Episcoporum qui Synodo interfuerunt.

Convenêre ad designatam diem Episcopi ex diversis Provinciis circiter 90. ut auctor est S. Athanasius. Corrigendus proindè Gratianus *Dis.* 16. *Canon.* 11. scribens, *Synodi Antiochenæ Patres duntaxat fuisse* 29.

Occasione itaque hujus dedicationis hic adunati Episcopi, Concilium pro reformanda Ecclesiæ disci-

pli-

plina, & tutanda fide contra hæreticos habendum duxêre; quod & S. Athanasius apertò testatur: *Antiochiæ*, ait, *novam Synodum per causam encæniorum coegerunt*: unde & hoc Concilium apud eundem dicitur *in Encæniis*.

Episcopi qui huic Conc. adfuêre, omnes professione exteriori fidem Nicænam profitebantur.

Episcopos huic Synodo præsentes non fuisse profession Arrianos, sed plerosque verè orthodoxos; omnes verò exteriùs saltem fidem Nicænam profitentes (licèt nonnulli eorum, ut Eusebius Nicomediensis eique adhærentes, occultè Arrianis faverent) probat Epistola Julii Papæ ad eosdem Episcopos post absolutum Concilium missa cum hac epigraphe: *Julius Diano, Flacillo, cæterisque eorum, qui urbis dilectissimis in Christo Fratribus ex Antiochia scripserunt.*

Quos *Dilectissimos* in Christo *Fratres* dixit Julius, eos à sua communione alienos non reputâsse manifestum est, adeoque nec externâ professione Arrianos; quos aliàs ad communionem non admisisset Julius.

Idem indubiè credidit Hilarius Pictaviensis, Concilium hoc *Sanctorum* Synodum appellans.

Confirmat idipsum Synodus Calchedonensis. Relecto enim Canone IV. Synodi Antiochenæ omnes acclamaverunt: *Hæc justa Patrum Regula*: & cùm paulò post dictum esset, *Sacri Patrum Canones legantur*, lecti fuêre Canones Antiocheni.

Quis porrò dicat, hos Canones dictos fuisse *Sacros Patrum Canones*, si ab Episcopis Arrianis, & ad destruendam fidem Catholicam, & Ecclesiæ disciplinam evertendam congregatis (ut nonnulli volunt) fuissent constituti.

Quid dicam de omnibus tùm veterum, tum recentiorum Canonum collectionibus, in quibus hujus Concilii Canones inter sacra Patrum Decreta, & ipsum Concilium inter orthodoxas Synodos referuntur?

Quid de Leone IV. qui cùm in Synodo Romana, assistentibus 66. Episcopis, 20. Presbyteris Cardinalibus, uno Archidiacono, & 5. Diaconis peteret, » quid cum Presbytero Anasthasio Patrum Regulas, » ac statuta violante, agi oporteret, « *mox omnes Episcopi*, inquiunt acta, *unanimiter dixerunt, quid aliud arbitrari aut proferre valemus, nisi ut SS. Patres, qui in Antiocheno Concilio residentes tertio capitulo promulgarunt, & inviolabiliter statuerunt?*

Horum sententiam probans Pontifex respondit *placet*. Quin & ad Episcopos Britanniæ scribens idem Pontifex, Canones Antiochenses recenset inter illos *per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi judicantur & Clerici*. Dist. 20. *can.* 1.

Sine sufficienti fundamento à Baronio vapulat Gratianus Synodum hanc inter Catholicas Synodos recensens.

Mirum proinde displicuisse Baronio, quòd Gratianus noster Synodum hanc Antiochenam inter Concilia à Catholicis habita recenseat: quia ut Baronio detur, Synodo huic nonnullos, etiam professione, Arrianos interfuisse; eosque ibidem dominatos esse; illud tamen nimis manifestum est, Canones hujus Synodi tanquam Disciplinæ utiles, ab Ecclesia, non Orientali duntaxat, sed & Occidentali, seculis multis ante Gratiani tempora fuisse agnitos, & receptos. Quare Antonius Augustinus Canonum illorum Auctores credit quidem fuisse Arrianos; sed tamen, ait, re» ceptos esse constat, & in Corpore Canonum posi» tos ante Concilium Calchedonense, ut ex ejus Ac» tione XI. apparet. Ex Libro etiam latino, quem » eodem nomine *corpus Canonicum* dicimus... fortasis » *propter eorum utilitatem.* « *L.* 1. *dial. XI. de emend. Grat.*

Et sanè notârunt Viri eruditi, in alio Concilio vix unquam utiliores ad constituendam optimè disciplinam Ecclesiasticam Canones conditos fuisse.

Decretum Syn. Nicæn. de celebratione Paschæ die Dominicâ confirmatur.

Can. I. confirmat » Decretum Synodi Nicænæ de » celebratione Paschæ die Dominicâ post decimam » quartam Lunam, laicos non observantes excomu» nicans. Episcopum autem & Presbyterum, qui » post hoc decretum ausus fuerit seorsim agere, & » cum Judæis Pascha peragere, eum ab hinc esse ab » Ecclesia alienum judicavit, ut qui non sibi solùm » peccati, sed & multis exitii, & subversionis causa » fuit: & non solûm eos à ministerio deponit, sed & » eos, qui audent iis communicare post depositionem.

Decretum de celebrando Paschate à prime Nicæna Synodo editum esse, diserte hîc asseritur; quod Eusebius de vita Constantini *Lib.* 3. *cap.* 14. quoque testatur.

Ex hoc decreto inferri non potest, plures

Et quidem decretum hoc Synodus Nicæna per epistolam Synodicam, quam refert Socrates *Lib.* 1. *cap.* 9. Fidelibus significavit: ut proinde ex hoc decreto Synodi Nicænæ argui nequeat, plures quam

res quàm 20. canones à Synodo Nicæna fuisse editos.

20. Canones in Synodo Nicæna fuisse formatos: quia decreta per Synodicam Epistolam promulgata (inter quæ & decretum de Divinitate comprehenditur) Canonibus non expresserunt: sicuti nec ea, quæ Canonibus continentur, Epistolæ Synodicæ inseruerunt.

Qui Sacrificio intersunt & S. communionem adversantur, expelli debent, donec pœnituerint. Communicans cum excommunicato excommunicatur.

Can. II. » eos, qui in Ecclesiam ingrediuntur, & » sacras scripturas audiunt, orationi autem cum po» pulo non communicant, & Sanctam Eucharistiæ » participationem propter aliquam insolentiam aver» santur, vel juxta Dionysium: *pro quadam intem» perantia se à perceptione sanctæ Communionis aver» tunt*, ab Ecclesia expelli jubet, donec postquam » confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint. » Ulteriùs declarat, non licere communicare cum ex» communicatis. Episcopum autem vel Presbyterum » aut Diaconum cum excomunicatis communicantem, » esse quoque excommunicatum declarat: ut qui Ca» nonem Ecclesiæ confundat.

Hic Canon ostendit, olim Fideles Sacrificio assistentes, solitos fuisse sacramentaliter communicare; graveque existimatum, non quidem ex humilitate, sed ex quadam insolentia, vel intemperantia Sacram Eucharistiam, sive Communionem aversari.

Hic canon conditus apparet, contra Audeanos.

Deinde ostendit, ad impetrandam delictorum veniam non sufficere Confessionem, sed quod *fructus pœnitentiæ* ostendere oporteat. Atque hinc non obscurè colligitur, Canonem hunc editum fuisse occasione Audæanorum, de quibus scribit Theodoretus *lib.* 4. *hæret. fabul.* Confessis donant remissionem, non *tempus ad pœnitentiam*, ut jubent leges Ecclesiasticæ præscribentes, sed sua potestate condonantes.

Clericus non potest sine consensu Episcopi ad aliam Diœcesim migrare.

Can. III. statuitur: » si quis è Sacerdotali ordine, » relictâ suâ Parochiâ sive Diœcesi ad aliam abierit, » deinde omninò commigrans in alia Parochia longo » tempore versari conatur: vel ut legit Isidorus, & » *ibi paulatim tentet, quo migraverit, manere*; nec » ampliùs celebret, maximè si proprio Episcopo vocan» ti ut in suam Parochiam redeat, exhortantique non » pareat. Si autem in insolentia, aut juxta Isidorum, » *inobediens omninò perseverat*, is omninò à Sacro » ministerio deponatur; ita ut nequaquam locum res» titutionis inveniat. Quod si alius Episcopus Cleri» cum ex hac causa depositum susceperit, à commu» ni Synodo & ipse coerceatur, veluti qui Ecclesiasti» ca constituita dissolvat. « Grat. 7. *q.* 1. *can.* 24.

Non potest Episcopus sua relicta Ecclesia ad aliam migrare.

Quod hoc Canone de Presbyteris & Diaconis, id Canone XXI. de Episcopo quoque decernitur; » ut nimirùm suâ Ecclesiâ relictâ, nequaquam ad » aliam migret; nec sponte suâ prorsus insiliens, nec » vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate » eo pulsus: maneat autem in Ecclesia, quam primi» tus à Deo sortitus est, nec ab ea recedat, secundum » decretum prius ea de re editum. « Grat. 7. *q.* 1. *can.* 25.

Nihil ferè his Canonibus continetur, nisi quod Can. XV. & XVI. Nicæno fuit decretum: ad quod etiam in his Canonibus alluditur, nisi quòd fortiùs aliqua hîc exprimantur; nonnullaque addantur, quibus præscindantur prætextus, quibus ambitiosi suas migrationes justificare, & Decretis Nicænis illudere conabantur: ut quod vi à populo illatâ, aut ab Episcopis coacti, de sua ad aliam Ecclesiam migrâssent.

Presbyter ab Episcopo aut Episcopus à Synodo depositus.

Hîc rursùs collige, quàm jam pridem odiosum fuerit, ut quis Ecclesiam, quam semel *à Deo sortitus est*, deserat, & ad aliam migret: maximè si id ex aliqua radice cupiditatis, ut contingere solet, fiat.

Si de sacro ministerio aliquid attingat, spe restitutionis excidit.

Can. IV. decernit » ut si quis Episcopus à Syno» do depositus, vel Presbyter aut Diaconus à proprio » Episcopo, Sacrum celebrare præsumat: vel ut le» git Dionysius: *aliquid de ministerio sacro contingere*: » aut juxta Isidorum: *præsumpserit Sacerdotii seu Sa» cri ministerii aliquam partem*, nullam ampliùs spem » restitutionis in alia Synodo, neque defensionis locum » ei amplius habere liceat; sed excommunicentur, qui » ei communicant; maximè si cùm sententiam latam » sciverint, eis communicare ausi fuerint. Grat. 11. *q.* 3. *can.* 6.

Appellatio quoad effectum suspensivum ignota.

Hic Canon sufficienter ostendit, ignotam tunc fuisse à sententia Synodi aut Episcopi appellationem, qua effectus sententiæ suspenditur.

Presbyter contra propium Episcopum altare erigens potest etiam per civilem potestatem coerceri.

Can. V. vult, » Presbyterum, vel Diaconum qui » proprio contempto Episcopo, ab Ecclesia seipsum » segregaverit, & privatim congregationem effecerit, » & Altare erexerit, nec Episcopo iterato commo» neuti obedierit, damnari omnimodo, nec ultra re» medium consequi; si autem preseveraverit turbare

» Ecclesiam, is per externam potestatem ut sedi-
» tiosus castigetur.

Error Gratiani in relatione hujus Canonis.

Partem hujus Canonis junctam Canoni præcedenti ex versione Martini Bracarensis sub nomine Martini Papæ in Synodo refert Gratianus 11. *q.* 3. *can.* 7. Unde hic error Gratiano obrepserit, dicetur parte sequenti, ubi de collectione Martini Bracarensis agetur.

Ex hoc Canone nota, quàm grave existimaverint Patres, ut quisquam in functionibus Hierarchicis suo recalcitret Episcopo, eique se opponat.

Ostendit quoque finalis clausula, non esse à Patribus improbatum, ut Clerici inobedientes, & seditiosi, qui pœnis Canonicis coerceri nequeunt, per externam, id est, civilem potestatem corrigantur, sive corripiantur; vel ut habet Dionysius, *opprimantur*.

Canones 4. & 5. Antiocheni à Concilio Calchedonen. tanquam sacræ Patrum regulæ *probati.*

Duo hi Canones IV. & V. *Act.* 4. Concilii Calchedon. in causa Carosii & Dorothei ex codice Canonum relati fuêre: & ex eorum auctoritate sententia à Synodo prolata, additumque: » ac si quidam
» superfugere conentur, valere in eos eandem pœ-
» nam decernit Sanctum hoc & universale magnum
» Concilium: *externa* videlicet *auctoritate* juxta *Di-*
» *vinas*, *Sacrasque Patrum Regulas* corroborantes
» sententiam in contumaces latam.

His verbis Patres alludere ad finalem clausulam Canonis V. mox expositam, luce meridianâ clarius est.

Cùm eâdem Actione Concilii Calchedon. tractaretur causa Dioscori, Aetius Archidiaconus dixit: » Regula hæc est: cum aliis posita à *sanctis* Patribus...
» & ex Codice relegit hæc, *si Presbyter a aut Dia-*
» *conus &c.* « ut in Canone V. Antiocheno. Quo lecto, *omnes Reverendissimi Episcopi acclamaverunt hæc justa Regula Patrum.*

Estne verosimile, hæc de Canonibus his dicturum fuisse Aetium aut Concilii Patres, si Canones illos ab Eusebianis, sive Arianis in odium & suppressionem Athanasii editos fuisse credidissent?

Excomunicatus ab Episcopo, ab alio recipi ad comunionem non potest.

Canon VI. coincidit cum Canone V. Nicæno: » ne excommunicatus ab uno Episcopo recipiatur
» ab alio, priusquam à proprio Episcopo fuerit sus-
» ceptus; vel facta Synodo accedens se defenderit
» & persuasa Synodus aliam sententiam tulerit; idem
» autem decretum, ait hic Canon Antiochenus ad
» versùs laicos & Presbyteros & Diaconos & eos qui
» sunt in Cleri Catalogo, « vel juxta Dionysium, *qui sub Regula esse monstrantur*, aut juxta Isidorum *qui in Clero sunt*, » observetur. « Grat. 11. *q.* 3. Can. 2.

Quo autem securiùs & efficaciùs observari queant, quæ hoc Canone statuta sunt.

Nullus peregrinus suscipi potest sine litteris pacificis.

Canon VII. vult, » ut nullus externus, sive jux-
» ta Dionysium, *nullus peregrinorum*, sine pacificis
» suscipiatur. « Id est, nullus ab Episcopo in Communionem recipiatur, qui per litteras pacificas ostendere nequit, se pacem cum Episcopo suo habere. Litteræ enim pacificæ hîc accipiuntur pro litteris *Communionis*, unde apud Cyprianum, *pacem dare lapsis*, idem est, quod restituere Communioni.

Quid litteræ pacificæ?

Gratianus malè restringit canonem ad clericos.

Cùm verò hic Canon præcedentis Canonis sit prosecutio, qui generaliter de Clericis & Laicis loquitur, debet quoque præsens Canon generaliter accipi; uti Textus Græcus, & Dionysii versio sonant: ideoque corrigendus Gratianus, qui secutus Isidorum *Dist.* 71. *can.* 9. ad *Clericos peregrinos* Canonem restringit.

A quibus littore pacificæ sint concedendæ.

Canon VIII. declarat, à quibus litteræ pacificæ, de quibus in præcedenti Canone, sint concedendæ. » Nec Præsbyteri, ait, qui sunt in pagis, dent ca-
» nonicas Epistolas, vel ad solos vicinos Episcopos
» Epistolas emittant. Chor-Episcopi autem nullæ re-
» prehensioni affines dent pacificas.

Presbyteris ergò, sivè Parochis ruralibus licuisse litteras pacificas, sive *simplices*, ut vertit Isidorus, hoc est, *Communionis* dare, saltem ad vicinos Episcopos, satis insinuant relata Canonis verba ex versione Hereveti; & expressè affirmant versiones Dionysii & Isidori: Chor-Episcopis autem, si irreprehensibiles sunt, eas generaliter dare permittitur.

Litteræ testimoniales non sine circumspectione dandæ.

Hîc intelligimus, quàm soliciti fuerint jam pridem Patres, ne temerè Litteræ testimoniales de vita & moribus darentur: cùm nec Parochis eas fiderent, nisi ad solos Episcopos vicinos, qui de prudentia & circumspectione Parochorum certiores esse possent; & consequenter quid litteris eorum foret deferendum judicare.

Metropolitanus præest toti provinciæ.

Canon. IX. tria potissimùm declarat: I. » Epis-
» copum, qui Metropoli præest, etiam curam susci-
» pere totius Provinciæ, eo quod in Metropolim
» undequaque concurrant omnes, qui habent nego-
» tia. Unde visum est eum quoque honore præcedere,
» reliquos autem Episcopos nihil magni momenti ag-
» gredi sine ipso.

Origo Metropolitanorum.

Hîc obiter nota, unde Metropolitanorum jus & prærogativa originem sumpserint.

Episcopus suæ diœcesis plenam administrationem habet.

Secundo declarat Canon, » unumquemque Epis-
» copum habere suæ Provinciæ potestatem, adminis-
» trare pro unicuique conveniente regione, & totius
» regionis curam gerere, quæ suæ urbi subest.

Metropolitanus sine sententia Episcoporum nihil aggredi potest.

Tertiò decernit, » ne & ipse Metropolitanus sine
» reliquorum sententia quidpiam aggrediatur: « quæ nimirùm majoris momenti sunt, neque propriam Diœcesim Metropolitani concernunt.

Vult enim, ait Zonaras ad *Can.* 34. *Apost.* qui huic planè consonant, » Pontifices consentire, cha-
» ritatisque vinculo colligari, & exemplo esse Cle-
» ro sibi subjecto, populoque dilectionis & concor-
» diæ.

De Cor-Episcopis.

Canon X. agit de Cor-Episcopis, tria potissimùm decernens. » I. Etiamsi Episcopi ordinationem ma-
» nuûmve impositonem acceperint, addit Dionysius
» (quod in textu Græco non reperitur) *& ut Epis-*
» *copi consecrati sint*, suum modum sciant, & sibi
» subjectas Ecclesias administrent, earumque curâ &
» solicitudine contenti sint.

» II. Ut constituant Lectores, Hypodiaconos, &
» Exorcistas, & eorum Ordinationem sufficere exis-
» timent, nec Presbyterum, nec Diaconum ordi-
» nare audeant absque Urbis Episcopo, cui subji-
» citur ipse & regio. III. Ut fiat Cor-Episcopus ab
» Episcopo civitatis, cui subjicitur.

Si versioni Dionysii plena fides de genuino Canonis sensu sit habenda, non dubium, quin Synodus Antiochena supposuerit, Cor-Episcoporum aliquos, Episcopos fuisse.

Et sanè, inter Cor-Episcopos fuisse interdum aliquos, qui characterem Episcopalem acceperant, dubitari non potest.

Nam ad Canon. VIII. Nicænum notatum fuit, quòd si è Novatianis redirent ad Ecclesiam Catholicam, qui apud suos fuissent ordinati Episcopi, hi manerent Episcopi, sed ne duo in eadem civitate essent Episcopi, Episcopus Catholicus locum excogitare poterat, in quo Episcopus à Novatianis reversus Cor-Episcopi munere fungeretur.

Ex hoc Canone non habetur Cor-Episcopos vi suæ ordinationis fuisse Episcopos.

Hujusmodi igitur Chor-Episcopi erant veri Episcopi, non vi ordinationis Chor-Episcopalis, sed ordinationis Episcopalis acceptæ priusquam Cor-Epis copi constituerentur.

Licèt ergò Dionysii versio foret genuina, inde consequens non esset, Cor-Episcopos vi suæ ordinationis fuisse Episcopos. Imo cùm verba relata exprimantur per modum exceptionis *etiamsi Episcopi ordinationem &c.* non obscurè innuitur, Chor-Episcopos nequaquam vi suæ ordinationis fuisse Episcopos; sed solùm contingere potuisse, ut in casu particulari Cor-Episcopi aliqui simul essent Episcopi: ad quem casum decretum suum per clausulam illam conditionalem *etiamsi*, Synodus videtur voluisse extendere.

Unde Morinus aliique non pauci, hinc concludunt: Chor-Episcopos vi suæ ordinationis haud fuisse Episcopos; præsertim quia finali parte Canonis dicitur: *Fiat Chor-Episcopus ab Episcopo civitatis cui subjicitur.* Inauditum quippe est, & à pristina disciplina planè alienum, ut episcopus ab *uno Episcopo* contra tot decreta, & præsertim Nicæni Concilii (quod 15. annis duntaxat præcessit) *lege ordinaria* diceretur ordinandus.

Dicitur quidem in Canone: *nec Presbyterum nec Diaconum ordinare audeant, absque Urbis Episcopo, cui subjicitur ipse, & regio*, quæ non obscurè innuere videntur, Chor-Episcopum potuisse Presbyterum & Diaconum ordinare de consensu *urbis Episcopi, cui subjicitur.* Præterquam enim quod ambiguum sit, num illa haud intelligenda sint de Cor-Episcopo, qui priusquam Cor-Episcopi locum obtinuisset, in Episcopum fuisset ordinatus; illud constat non tantùm ex veterum, sed & recentiorum Canonistarum, sententia, admodum dubium esse, an simplices Presbyteri potestate delega-

tâ

tâ Presbyterum ordinare non possint: juxta illud Glossæ ad *Can.* 4. *de Consec. dist.* 5. *Ordinatus ordinem quem habet, confert Papa delegante*: quod latiùs prosequitur Morinus de *SS. Ordinat. p.* 3. *exercitat. IV. cap.* 3. ubi & *cap.* 6. docet, quâ ocassione desierint Chor-Episcopi in Oriente & Occidente: & quomodo eorum nomine & dignatate sublatis, in Ecclesia Latina ipsis successerint Archi-Presbyteri, Decani Rurales & Archidiaconi.

Nullus è Clero ad Imperatorem pergere potest sine litteris Episcoporum.

Canon. XI. decernitur: »si quis Episcopus vel »alius ex Clero citra sententiam & litteras Episco»porum Provinciæ, & maximè Metropolitanorum »ad Imperatorem proficisci aggressus sit, abdicetur »& ejiciatur; non solum à communione, sed etiam »à dignitate: ut qui religiosissimi Imperatoris nos»tri auribus molestiam afferre audeat, præter ritum »Ecclesiæ.«

De Episcopis depositis ad Imperatorem confugientibus.

Canon. XII. præcedentem prosequitur, & confirmat. In præcedenti enim Canone actum erat generaliter de Clericis, qui absque litteris Episcoporum, vel Metropolitani ad Imperatorem pergebant, hîc verò specialiter agit, »de Presbyteris, & »Diaconis à proprio Episcopo, & de Episcopis »à Synodo depositis, qui ausi fuerint Imperatoris »auribus molestiam inferre: cùm oporteat ad majo»rem Synodum, & jus, quod se habere putat, ad »plures Episcopos referre, eorumque examinatio»nem & judicium suscipere: qui itaque his con»temptis Imperatori molestus fuerit, is nulla veniâ »dignus, neque sui defendendi locum habeat; nec »restitutionis futuræ spem expectet.

An hic Canon in odium S. Athanasii ab Arianis fuerit fabricatus.

Hunc postremum Canonem in odium & suppressionem S. Athanasii ab Eusebianis, sive Arianis fabricatum esse, post Baronium & Ant. Augustinum vulgò creditur: at gravem esse hunc peritorum errorem, contendit D. Schelstratius; creditque Canonem, quem Chrysostomus, Innocentius I. aliique Veteres in odium & suppressionem Athanasii editum dixêre, esse alium ab hoc Canone: »hunc ve»rò à nemine Antiquorum reprobatum, sed una cum »aliis Canonibus receptum fuisse, fidem faciunt, in»quit Schelstratius, tot collectiones Canonum, quot »jam inde à seculo 4. usque ad Gratianum Mona»chum in Occidente, & ad Arsenium ex Mona»cho Patriarcham Constantinop. in Oriente floruе»runt, quæ nusquam Canonem XII. ex XXV. An»tiochenis excipiendum duxerunt.« Et quidem Gratianus Canonem hunc refert ex versione Isidori 21. *q.* 5. *Can.* 2. quodque notandum: Correctores Rom. nullam reprobati Canonis mentionem injiciunt; sed in margine notant, illum à Synodo Aquisgranensi *Cap.* 74. Burchardo *Lib.* 2. *Cap.* 180. & Ivone *parte* 6. *cap.* 225. similiter referri.

His aliisque tum è Græcis, tum Latinis collectionibus Canonum relatis, concludit Schelstratius, »liberè dici posse, illum Canonem & in Oriente, & »Occidente receptum fuisse, ut orthodoxum, ac »præterito duntaxat seculo de illo dubitari cœpisse.

Canoni huic non contravenit Sanct. Athanasius.

Verùm quidem est, S. Athanasium in Tyrio conciliabulo condemnatum ad Imperatorem Constantinum confugisse; non ut causa per Constantinum retractaretur, sed ut ejus autoritate major Synodus indiceretur, quæ de causa iteratò judicaret, ut testatur Epistola Synodi Ægypti 339. Episcoporum: ad *religiosissimum*, inquit Synodus, *Imperatorem ascenderat* Athanasius, *deprecans & iniquitatem hominis, & adversariorum calumnias, postulansque, ut legitima Episcoporum Synodus indiceretur.* Apud Athanasium *Apol.* 2.

Nullatenus ergo in hunc Canonem impegit. S. Athanasius; cùm Canon solùm prohibeat, Imperatori molestiam inferre, ut causa à Synodo decisa auctoritate Imperatoris retractetur; nequaquam verò prohibet adire Imperatorem, ut per ipsum major Synodus congregetur: id enim eo tempore penè necessarium erat, *cùm sine ejus consensu*, ut notat Schelstratius, *vix ullum per idem tempus Concilium celebraretur.*

Episcopus in aliena Ecclesia nihil agere præsumat; nisi litteris Metropolitani, & aliorum Episcoporum accersitus.

Canon. XIII. cavetur, »ne Episcopus ex una »Provincia ad aliam transire audeat, & quidquam »in ea agere, nisi venerit litteris accersitus Metropo»litani, & Episcoporum, qui sunt cum ipso, in »quorum Provinciam accedit. Si autem nemine vo»cante ad aliquorum ordinationem, & rerum Ec»clesiasticarum ad se non pertinentium constitutio»nem inordinatè insolenterque processerit, sint qui»dem irrita, quæ ab ipso geruntur; ipse autem suæ »insolentiæ det pœnas, à Synodo scilicet exinde de»positus.« Grat. *dist.* 9. *q.* 2. *Can.* 6. sed paulò aliter, quàm in Græco, ut notant correctores Rom.

Canon. XXII. præcedenti planè similis. Et similitudine istorum Canonum aliqui credunt Canones 25. vulgò Antiochenos, non esse ejusdem Synodi.

Canon. XXII. adeò similis est præcedenti, ut passim Interpretes Græci, & Latini, unum eundemque Canonem bis editum credant; eoque fundamento nonnulli hoc seculo in dubium vocare cœperunt, num hi 25. Canones ab una eademque Synodo editi essent.

»Difficile creditu est, ait vir eruditus Godefri»dus Hermantius in vita S. Athanasii *lib.* 5. *cap.* 12. »idem Concilium edidisse duos Canones, qui idem »omninò continent, & non nisi penes terminos & »expressionem differunt.

Hermantium secutus Natalis Alexander hanc format conclusionem: *Antiochenos Canones ejusdem Concilii fœtus non esse, verisimile est.* »Probatur qui»dem ex convenientia 13. & 22. Canonis. Cùm »enim idem omninò decernant, non videntur ea»dem in Synodo editi.« Hæc ille *seculi IV. parte* 2. *dissert.* 25.

Ostenditur quòd non idem omnino decernant.

Quin in multis hi duo Canones inter se conveniant, negari non potest; at quòd idem omninò decernant, & eundem casum decidant, non satis apparet.

Prior enim cavet, ne Episcopus in aliena Provincia aliquid ordinare præsumat, *nisi litteris tam Metropolitani, quàm cæterorum, qui eum eo sunt Episcoporum, rogatus adveniat.* Canon verò 22. vetat, Episcopum in aliena civitate, aut regione, quæ ad eum non pertinet, aliquid ordinare, *nisi cum voluntate proprii illus regionis Episcopi.*

Quid porrò insinuat, quòd in priori Canone requirantur litteræ *tam Metropolitani, quàm cæterorum, qui cum eo sunt Episcoporum*; in posteriori verò solùm requiratur *voluntas proprii illus regionis Episcopi*; nisi quòd in illo agatur de Ecclesia vacante, sive Episcopo viduatâ, cujus vici Metropolitanus cum cæteris Episcopis suppleat: in hoc autem de Ecclesia habente proprium Episcopum; cujus sola voluntas sufficit, ut alterius Ecclesiæ Episcopus aliquid in sua Ecclesia ordinare possit.

Imfirmum nimis ergo est fundamentum, quo Canones, quos omnis retrò antiquitas unius Concicilii credidit, & asseruit, diversis Conciliis attribuantur.

Decretum Gratiani correctum.

Canom XXII. refert Grat. 9. *q.* 2. *can.* 7. sed in multis à Textu Originali diversum, ut notant Correctores Romani qui insuper monent: aliquid à se in Textu esse emendatum ex vetustis exemplaribus, & cæteris editionibus Conciliorum. Hinc rursus patet, Decretum Gratiani correctum, non esse omninò idem cum eo, quod edidit Gratianus.

Quid agendum si in causa Episcopi Synodus non sit conformis.

Canon. XIV. decernitur, »ut si Episcopus de »crimine aliquo reus agatur, contingatque Episco»pos, qui sunt in Provincia dissentire; illis quidem »eum innocentem pronuntiantibus, his verò reum: »Metropolitanus evocare debeat è vicinâ Provinciâ »aliquos Episcopos, qui controversiam cum reliquis »Comprovincialibus decidant; ipseque Metropolita»nus quod decisum fuerit, confirmet.

Hunc Canonem refert Grat. 6. *q.* 4. *can.* 1. sed erronè, secutus Isidorum legit: *placuit S. Synodo* Metropolitanum Episcopum *alterius Provinciæ advocari*: neque enim in Textu Græco, neque apud Dionysium ulla fit mentio *Metropolitani* è vicinâ Provincia evocandi. »Ac sanè quòd Metropolitanus »ad alterius Metropolitani vocationem deberet ve»nire; atque in eodem Concilio duo Metropolita»ni futuri essent, inquiunt Correctores Rom. vix »videtur convenire.«

Si Episcopus unanimi Synodi consensu sit damnatus, quid juris.

Canon. XV. Prosecutio præcedentis, decernit, »quod si Episcopus fuerit ab *omnibus* Provinciæ »Episcopis condemnatus; & omnes unam consen»tientem adversus eum sententiam tulerint, is ne »ampliùs ab aliis judicetur; sed Provinciæ Episco»porum firma maneat sententia.

An hoc Can. adstructa sit suprema Synodorum Provincialium auctoritas.

Hunc Canonem pro adstruendâ suprema Conciliorum Provincialium in decidendis Episcoporum causis auctoritate, urget Petrus à Marca *Lib.* 7. *cap.* 2. *de concord. Sacerdotii & Imperii*, aliique eum secuti. Verùm cùm Canone 12. permittatur Episcopo à Synodo Provinciali deposito ad majorem Synodum se convertere, non videtur, quâ ratione hic Canon consentiat Canoni 12. si per illum sit ademptum

tum Episcopo à Synodo Provinciali condemnato omne appellationis remedium : quare credunt alii, hoc Canone solùm decerni, firmam manere debere Episcoporum sententiam eo sensu, quòd per Episcopos è vicinâ Provinciâ evocandos judicium instaurari non debeat : quemadmodum in casum dissensûs Episcoporum Provinciæ Canone 14. decretum erat ; sed tamen Episcopo condemnato manere jus postulandi majorem Synodum, juxta Canonem 12. idque latiùs prosequitur Schelstratius in suo Concilio Antiocheno ad hunc Canonem.

Posteriori sententiæ suffragatur Gratianus.

Et quidem huic posteriori sententiæ suffragatur Gratianus ; qui post relatum hunc Canonem 6. *q.* 4. *can.* 5. subjungit : » subintelligendum verò est, » nisi ad Judicem majoris auctoritatis fuerit provocatum ; tunc enim per appellationem solutâ sententia firmitatem non obtinet.

Sed hîc notandum, quòd Gratianus reflectens ad sui temporis disciplinam, nonnunquam à mente Canonum procul abberret ; atque in alium planè sensum detorqueat, ut eos sui temporis disciplinæ accommodet ; uti in decursu amplius patebit.

Episcopus ejiciendus, qui sine perfecta Synodo Ecclesiam occupat.

Canon. XVI. statuit, » si quis vacans Episcopus » vacantem Ecclesiam arripuerit absque perfecta » Synodo, vel juxta Isidorum, *præter plenariam* » *Synodum*, is sit ejectus ; etiamsi omnis populus, » quem invasit, eum elegerit : aut juxta Isidorum: » *velit sibi Episcopum retinere.* Sit autem illa per- » fecta Synodus, cui unà quoque adest Metropo- » litanus.

Et quid perfecta Synodus.

Quis sit vacans Episcopus.

» *Vacans* Episcopus ille est, ait Zonaras ad hunc » Canonem, qui vel nullius, vel occupatæ à genti- » bus Ecclesiæ præfectus est : vel à populo ejus ur- » bis, cui datus Episcopus fuit, nullo ipsius vitio, » sed solâ populi pervicaciâ exclusus.

Canonem refert Gratianus *dist.* 92. *can.* 8. sed nonnihil à Græco diversum, ut notant Correctores Rom.

Episcopus ordinatus ad certam Ecclesiam ad eam proficisci debet.

Can. XVII. declarat, » Episcopum, qui accep- » tâ ordinatione & manuum impositione Episcopi, & » populo præesse jussus, munus non susceperit, nec » ut ad sibi concreditam Ecclesiam proficiscatur, » persuaderi possit, excommunicatum ; donec coactus » suscipiat, vel perfecta Synodus Episcoporum Pro- » vincialium de ipso aliquid decernat. « Grat. *dist.* 29. » *can.* 7.

Can. 16. & 17. agnovit, & probavit Synodus Calchedonensis

Horum Canonum auctoritatem agnovisse Concilium Calchedon. ex actis manifestum est. Act. enim XI. In causa Bassiani, & Stephani contendentium de Cathedrâ Ephesina, Leontius Reverendiss. Episcopus Magnesiæ ex Codice relegit regulam 95. *si quis Episcopus vacans* &c. quæ est Can. 16. Antiochenus : item regulam 96. *si quis Episcopus ordinationem acceperit* &c. Est Canon 17. quibus lectis gloriosi Judices dixerunt : » Omnibus examinatis de » Bassiano & Stephano Reverendissimis ; relectis etiam » Canonibus, dicat S. Synodus de Episcopatu Ephesio » quid eis videatur. Reverendis. Episcopi clamaverunt: » justitia Bassianum vocat, regulæ variant. Gloriosiss. » Judices dixerunt : nobis quidem videtur, neque Bas- » sianum Reverendissimum dignum existere, ut Ephe- » siorum civitatis Episcopus sit, quoniam ex invasio- » ne violentâ sibimet vindicavit...S. Synodus clama- » vit, hæc justa sententia est: Christus judicavit cau- » sam : Deus per vos judicat ; hæc sententia Christi » est : Canones & leges vos custoditis.

Ad hæc Concilii verba reflectens Scelestratius » ait : tantæ nimirum auctoritatis ad Annum 451. erat » in orbe Catholico *Antiochenum Concilium* ; ut » ejus Canon 16. à 630. Episcopis cum Sedis Apost. » Legatis in Concilio universali meruerit probari ; & » eousque propugnari, ut ejus temeratores fuerint de- » depositi, & pœnas à Patribus Antiochênis hoc Ca- » none statutas, perpessi.

Spiritus horum Canonum est, quòd nemo sine legitima auctoritate & vocatione se debeat in ministerium Ecclesiasticum intrudere ; ubi verò legitimè vocatus & ordinatus est, illi sedulò incumbere debeat.

De Episcopo, qui ad Ecclesiam suam accedere impeditur.

Can. XVIII. Prosecutio est præcedentis : cùm enim in antecedente Canone actum esset de Episcopo, qui ordinatione acceptâ Ecclesiam suam adire recusabat : præsens agit de Episcopo, quidem non ivit ad suam Ecclesiam : » sed, non suâ culpâ, sed propter populi recusationem, aut aliquam » aliam causam, quæ à se non oritur ; is sit, ait, » Canon, & honoris & muneris particeps, dummo- » dò nullam in rebus Ecclesiæ, in qua convenit si- » ve constitutus est, molestiam afferat. « Hoc est, ait Zonaras, *ne se illius Ecclesiæ in qua degit, negotiis immisceat, sed patienter sustineat*, » donec » perfecta Provinciæ Synodus statuerit, quod auditis » ipsius rationibus opportunum judicaverit. « Grat. » *Dist.* 92. *can.* 5.

Ex judicio Correctorum Rom. consulenda versiones canonum, quæ textui græco melius respondent.

Canon. XIX. decernitur idem planè de modo eligendi ac ordinandi Episcopum, quod Can. IV. Nicæno decretum fuerat : hoc solummodo addito, » quòd si electio præter ea, quæ hîc decreta sunt, » facta fuerit, irrita & invalida : & quod cùm ii, » qui eligunt, in plures sententias dividunt, plu- » rium suffragia vincant. « Grat. *Dist.* 65. *Can.* 3. ex » versione Isidori ; » sed verbis Græcis, inquiunt » Correctores Rom. melius respondet altera versio, » quæ Dionysii : *ideoque illa consulenda.* « Ergo ex judicio Correctorum verissimum est, quod suprà monui, pro intellectu Canonum Græcorum consulendas esse versiones, quæ Græco Textui melius respondent.

Innovatio Canon. V. Nicæni.

Canon. XX. innovat Canon. V. Nicænum de bina Synodorum Provincialium annuatim celebratione : adjicitque, » nec ullis liceat Synodos per se fa- » cere sine iis, quibus sunt creditæ Metropoles : ni- » mirùm Synodos Provinciales, quas *perfectas* vocat » hæc Synodus : & de quibus unicè in his Canoni- » bus actum est. «

Erravit Gracianus occasione collectionis Martini Bracarensis.

Gratianus hunc Canonem refert *Dist.* 18. *Can.* 15. sub nomine Martini Papæ, cùm revera desumptus sit ex collectione Martini Bracarensis ; in quem errorem in relatione Canonum Græcorum sæpiùs incidisse Gratianum, monent Correctores Rom. Nos infra erroris originem detegemus.

Bracarensis.

Can. XXI. renovat Can. XV. Nicænum contra transmigrationes Episcoporum de una Ecclesia ad aliam. Grat. 7. *q.* 1. *can.* 25.

Can. XXIII. vide suprà post Can. XIII.

Episcopus sibi constituere, successorum non potest.

Can. XXIII. Interdicit Episcopo, » alium pro se » constituere successorem, etiam si sit morti proximus: » si autem fiat, ordinatio sit irrita. « Vult autem constitui sucesorem juxta normam Canone XIX. præscriptam. Grat. 8. *q.* 1. *Can.* 3.

De administratione bonorum Ecclesiæ.

Can. XXIV. vult, » ut ea quæ sunt Ecclesiæ, » Ecclesiæ serventur cùm omni bona conscientia, » & fide in omnium præsidem & judicem Deum, » quæ etiam administrari convenit cum judicio, & » potestate Episcopi, cui est omnis populus cre- » ditus, & eorum animæ, quæ in Ecclesiam con- » veniunt.

Manifesta esse debent, quæ ad Ecclesiam spectant, & quæ sunt Episcopo propria.

Ulteriùs præcipit, » ut manifesta sint, quæ ad » Ecclesiam pertinent cum cognitione Presbyterorum » & Diaconorum, qui sunt circa Episcopum : ut si » contingat Episcopum è vita migrare, iis manifes- » tis existentibus, quæ ad Ecclesiam pertinent, ne » ea intercidant & per eant : nec quæ sunt pro- » pria Episcopi, pretextu rerum Ecclesiasticarum » vexentur. Est enim justum & apud Deum, & apud » homines acceptum, Episcopus propria, quibus » velit, relinquat : quæ sunt autem Ecclesiæ, ip- » si serventur : nec Ecclesia damnum sustineat, nec » Episcopus Ecclesiæ prætextu proscribatur ; vel qui » ad eum attinent, in negotia incidant cum eo quod » & ipsum post mortem malis omnibus prosequantur.

De Canonica proventuum Ecclesiasticorum dispensatione.

Can. XXV. Ut » Episcopus habeat rerum Ec- » clesiæ potestatem, ut eas in omnes egentes dis- » penset magnâ cum cautione, & Dei timore : ipse » autem eorum quæ opus est ; « additur apud Dionysium & Isidorum : *si tamen indiget*, apud Balsamonem aliosque Græcos : *si indigeat*, » sit particeps » ad usus suos necessarios, & fratrum qui apud » eum hospitio excipiuntur : ut ipsi nullo modo pri- » ventur secundum divinum Apostolum, qui dicit: » *habentes autem alimenta & quibus tegamur, his* » *contenti erimus.*

Addit autem : » quòd si his necessariis non sit » contentus, & res Ecclesiæ in proprios usus con- » vertat, & Ecclesiæ redditus vel agrorum fructus » non cum Presbyterorum & Diaconorum senten- » tia administret ; sed suis cognatis vel fratribus vel » filiis præbeat facultates, ut per hæc rationes Eccle- » siæ latenter lædantur, det rationem administrationis » Synodo Provinciæ: « vel ut legit Dionysius : *Synodo Provinciæ pœnas iste persolvat.*

Denique, » si alias simuletur Episcopus, vel » qui

» qui sunt cum eo Presbyteri, quod quæ pertinent » ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex quacumque » alia causa Ecclesiastica, ad se ipsos referant; ut pau- » peres quidem opprimantur, & invidia & infamia » verbo inuratur, & iis, qui sic administrant, ii cor- » rectionem quoque assequantur, Sancta Synodo id, » quod decet, examinante.

Qui hunc Canonem attenderit, ruminaveritque, facilè intelliget, quàm sobriè & fideliter, & nullâ carnis & sanguinis habitâ ratione, Prælati proventus Ecclesiasticos dispensare debeant.

An meritò Schelstratius redarguat Lupum.

Quæ sparsim de hujus Concilii, & Canonum auctoritate, receptione ac probatione, præsenti §. dicta sunt, si expendantur, non difficulter apparebit, Schelstratium limites Christianæ modestiæ haud excessisse, dum dixit, *animi præoccupati indicia spirare* verba sequentia Christiani Lupi: » Antiochenorum Canonum » nulla olim fuit auctoritas. Dolosa ista Eusebiana, fac- » tionis Synodus primos posuit lapides, quibus Phi- » lipponitanum conventiculum sua adversus Romanas » appellationes, & Monarchicam Ecclesiæ Hierar- » chiam schismatica figmenta superædificavit. Debue- » rat addere (Petrus à Marca) hoc idem Concilium » esse prodomum & fundamentum Philippolitani con- » venticuli, ideoque longè pejus olere ac deviare, » quàm turbidas litteras Africani Concilii.

Canonum horum auctoritatem rejicientem.

§. XII.

De Canonibus Laodicænis.

CAnonibus Antiochenis in codice Ecclesiæ universæ immediatè subjiciuntur Canones Laodicæni 69. quot etiam apud Dionysium leguntur: at Isidorus refert 60. quia qui in codice Græco 59. est, Isidorus in duos divisit: ut & Recentiores Græci Balsamon, Zonaras, aliique.

In numero canonum erravit Gratianus.

Unde rectè Gratianum, qui 63. Canones Synodo Laodicænæ adscripsit, castigassent Correctores Rom. si pro 63. potuissent 59. vel 60. nequaquam verò, uti fecerunt 61.

Item circa Auctorem canonum.

Erravit Gratianus, ut notat Baronius, & ex ipso Binnius, asserens, quod *horum Canonum Auctor maximè extiterit Theodosius Episcopus: dist.* 16. *Can.* 11. quandoquidem Theodosius Episcopus fuerit Laodicænæ Syriæ: hæc verò Synodus habita sit in Phrygia.

Tempus Synodi incertum.

Quo verò tempore celebrata fuerit, incertum est: verosimilius est, eam coactam esse circa medium seculi IV. quia ut in decursu patebit, Canones eam disciplinam repræsentant, quæ statum Ecclesiæ à persecutione liberum & aliquatenus florentem indicat.

Pœnitentia bigamis injuncta.

Canon I. decernit, » oportere Ecclesiastico Ca- » none eos, qui liberè & legitimè secundo matrimo- » nio conjuncti sunt, & non clam uxores duxerunt, « vel ut legitur apud Justellum: *neque clandestinum matrimonium iniverunt*, » cùm exiguum tempus præ- » terierit, & orationibus & jejuniis vacaverint, eis ex » venia, secundum Dionysium, *juxta indulgentiam*, » dari communionem, juxta Dionysium, *communio- » nem eis reddi.*

Quin hîc de secundis nuptiis juxta probatum ab Ecclesia ritum initis agatur, dubium non est.

Quòd autem contrahentibus similes nuptias aliqua imponatur pœnitentia, non arguit earum absolutam improbationem; sed quòd incontinentiam qualemcumque, quam iteratæ nuptiæ insinuant, per opera pœnitentiæ, & religionis purgatam desideret Synodus, priusquam ad Sacram communionem eos, vel ex indulgentia admittat: ut suprà ad Canon 3. Neocæsariensem monuimus.

Interim hîc obiter attende, quam puritatem in communicantibus Patres requisierint.

Quomodo ad Communionem admittendi qui in diversa peccata sunt prolapsi.

Canon II. decernit, » his qui diversorum pecca- » torum lapsus incurrunt, & instant orationi, con- » fessioni ac pœnitentiæ, malorum suorum perfectam » conversionem demonstrantes; pro qualitate delicti, » pœnitentiæ tempus tribuendum est, propter mise- » ricordiam & bonitatem Dei, qui hujusmodi sunt » revocandi & ad communionem applicandi. « Grat. *dist.* 26. *q.* 7. *can.* 4. sed a Textu Græco nonnihil recedens; ut monent Corect. Rom.

Per confessionem non intelligitur Sacramentalis.

Ut perspectior sit Canonis sensus, notandum, per illa verba instant *confessioni*, non intelligi confessionem Sacramentalem, sed instantem, sivè perseverantem ac humilem peccatorum agnitionem; quâ pœnitentes in squallore & miseriis limina Ecclesiæ penetrantes, ab intrantibus misericordiam implorabant, ostentantes quanta ægritudine, quantis ærumnis discrutiarentur propter commissa delicta: uti latiùs, & eruditè prosequitur Albaspineus ad hunc Canonem.

A mente Canonis recedunt, qui sola pœnitentium confessione sunt contenti.

Qui hunc Canonem attente legerit, facilè intelliget, quàm procul à spiritu Patrum recedant, qui *perfectam conversionem* non ex instantia orationis ac pœnitentiæ, sed solâ vocali confessione colligunt: quique parum soliciti sunt, num pœnitentiæ tempora qualitati delicti respondeant.

Can. III. » non oportere eos qui sunt recens illu- » minati, in Ordinem Sacerdotalem promoveri. « Vide quæ ad Can. 11. Nicæni dicta sunt.

Can. IV. similiter coincidit cum Canon. Nicæno XVII. usuras Clericis interdicente.

Ordinationes non debent fieri coram infidelibus.

Canon V. edidit, » non oportere ordinationes » vel ut legunt Balsamon & Zonaras, *electiones*, fieri » in præsentia eorum, qui audiunt.

Audientes hîc sumuntur pro infidelibus, catechumenis latè dictis & pœnitentibus, qui tantùm ad *audiendum* verbum Evangelii admittebantur.

Crimina Prælatorum non leviter populo exponenda.

Coram his fieri ordinationes vetantur: quia priusquam incoharetur Missa Catechumenorum perfectorum, (qui *competentes* dicebantur) sub qua ordinationes peragi debebant, hi exire deberent. Vel juxta Balsamonem & Zonaram, qui credunt hîc de electionibus agi, ideò interesse nequeunt; » quia cùm in » electionibus aliquorum crimina, propter quæ illi » fortè à Sacro Ordine arcendi sint, à Præsulibus enun- » tientur, adesse homines, qui ea, quæ dicerentur, » exciperent, rationi minimè consentaneum Patres » existimavêre: quod ea scilicet, quæ audiebant, & » iis, contra quos dicebantur pudori, & à quibus » audiebantur, ad nequitiam incitamento essent, & » aliis, quorum non ità constans in Fide ratio, blas- » phemandi nominis causam præberent.

Quomodo recipiendi hæretici.

Canon VI. ait, » non permittendum hæreticis, ut » in Domum Domini ingrediantur, si in hæresi per- » maneant.

Canon VII. decernit, » eos qui ex hæreticis con- » vertuntur, non admitti priusquam omnem hæresim » anathematizaverint; & præcipuè eam, in qua de- » tinebantur; & tunc deinceps eos, qui apud illos » Fideles dicebantur, Fidei Symbola discentes, & » Sancto Chrismate inunctos, sic Sancto Mysterio com- » municare.

Sacramentum confirmationis.

Hîc obiter nota expressum *Confirmationis* Sacramentum, quod per Chrismationem sine manuum impositione à Græcis semper collatum fuit.

Hæretici rebaptizandi sedulo catechizandi sunt.

Canon VIII. vult eos, » qui ab eorum hæresi, qui » Phryges dicuntur, convertuntur, sive sint in Clero » qui apud illos existimantur, sive Maximi dicantur; » omnes eos cum omni studio catechizari, seu initiari » & baptizari ab Ecclesiæ Episcopis & Presbyteris.

Qui in Canone dicantur Maximi.

Pro intellectu Canonis notat Zonaras, » quod apud » jam dictos hæreticos fuerint quidam, primæ inter » cæteros existimationis, ac veluti *Doctorum* locum » obtinentes, qui ab illis etiam *Maximorum* appe- » llatione designabantur.

Oratoria hæreticorum à Fidelibus non frequentanda.

Canon IX. non concedendum esse ait, » ut in cœ- » menteria, vel in ea, quæ dicuntur Martyria, quo- » rumvis hæreticorum, abeant ii, qui sunt Ecclesiæ, » orationis vel venerationis. « vel juxta Balsamonem & Græcos Interpretes & Isidorum, *curationis*, Dionysium verò *sanctitatis*, gratiâ.

Corollaria ex canone educta.

Hic Canon probat, 1. etiam primis seculis fuisse loca corporibus sepeliendis destinata, quæ » *cœmiteria* usitatiùs dicebantur, ait Baronius ad annum 226. » quod fides doceret, Christianos non mori, sed rursus excitandos, interea in Domino obdormire. « II. Probat Martyria, sive edes sacras ad Martyrum sepulturas, sive memorias fuisse exstructas. III. Ad hujusmodi Martyria fideles consuevisse accedere orationis, & curationis gratiâ: atque hinc, Martyrum invocationem, & cultum eodem tempore probatum conspicimus.

Parentes fideles ne proles suas hæreticis in matrimonium tradant.

Canon X. decernitur, » non oportet eos, qui » sunt Ecclesiæ, indiscriminatim suos filios hæreticis » matrimonio conjungere.

Quàm Canonis hujus disciplina sit justa, & exoptanda, facilè cognoscet, qui perpenderit pericula perversionis, tum fideli nubenti, tum prolibus ex hujusmodi motrimonio procreandis imminentia.

Non oportet Presby-

Canon XI. decernit, » non oportere eas, quæ di- » cuntur Præsbyteræ & præsidentes, in Ecclesiis cons- » ti-

» tituti. « Grat. *dist.* 31. *Can.* 19. ex versione Isidori à græco textu nonnihil divesrsâ, ut notant Correct. Rom. qui ibidem ad Balsamonem remittunt. Et sane licèt schismate ab Ecclesia Romana fuerit divulsus, nemo tamen inficiari potest, in sacris Canonibus fuisse instructissimum; ejusque non exiguam esse in adstruendo Canonum sensu auctoritatem.

Byteros in Ecclesia constitui. Balsamonis non exigua auctoritas

Sensus canonis.

Quod ad præsentem Canonem attinet; » antiquitùs, inquit, mulieres quædam vetulæ in Catholicis Ecclesiis sedentes, reliquas fortè mulieres ad » bonum honestumque ordinem servandum deducebant. Quia autem ex earum consuetudine, eo » quod honestum est, non rectè utentium, vel propter arrogantiam, vel propter turpem quæstum, quædam offendebantur; prohibuerunt Patres, ne deinceps essent omninò in Ecclesiis *Præsbyteræ* sive » *Præsidentes.*

A quibus constituendi Episcopi.

Can. XII. statuit conformiter ad Can. 4. Nicænum, ut Episcopi Metropolitanorum, & eorum, » qui » circumcirca sunt, Episcoporum judicio in Ecclesiastico Magistratu constituantur: vel ut vertit Isidorus, » *ad Ecclesiæ Principiatum*, diu examinati, & in » ratione fidei, & in rectæ rationis dispensatione: « aut juxta Dionysium, quem sequitur Gratianus: *hi videlicet, qui plurimo tempore probantur, tam verbo fidei, quàm rectæ conversationis exemplo*: vel secundum Isidorum: *nec eligantur nisi hi, quos multò ante probabilisque vita commendat; & nihilominus in sermone fidei, & recta operatione per suam conservationem fuerint probati.* Dist. 24. Can. 4.

Episcopi plurimo tempore prinsquam ordinarentur probari debent.

Can XIII. decernitur, » turbis non esse permitendum, eorum qui sunt in Sacerdotio constituendi, electionem facere. « Grat. *dist.* 63. *can.* 6.

Turbis non est permitenda Sacerdotum electio.

Verbum Græcum ὀχλοις cui correspondet *turbis*, propriè *tumultum* significat: quod innuit, Patres vetare *tumultuosas* electiones; sive non esse deferendum plebi *tumultuanti*, ac per speciem quandam seditionis ordinationem alicujus acclamanti, & postulanti; qualem pulchrè & latè describit S. Augustinus *epist. ad Albinam* 126. *in ult. edit.*

Sola turbulenta Sacerdotum electio vetatur.

Et sanè hoc canone populo omne in electione Episcoporum, & Sacerdotum ademptum non fuisse suffragium, manifestum est, tum ex Epistola S. Gregorii Nazianzeni ad Cæsarienses ad promovendam electionem S. Basilii, » ista, ait, & Sacerdotibus scribo, & Monachis, atque illis quoque qui ex » ordine sunt *Magistratus* ac *senatorio* simùlque » & *Populo omni*:" tum ex Concilio Calchedonensi, in quo Act. XI. Stephanus Episcopus Ephesinus volens probare se canonicè ad eam Cathedram fuisse promotum, ait: » me quadraginta Episcopi Asiani, suffragio clarissimorum & Primatum, & totius reverendissimi Cleri, & *omnis civitatis* ordinaverunt. « Quid evidentius, quàm populum, etiam in Oriente, post hunc editum Canonem ad Episcopi electionem concurrisse? Quod & novellæ Justiniani 123. *c.* 1. & 137. *c.* 2. evidenter evincunt.

Non hoc Canone populo in electione Sacerdotum omne suffragium ademptum.

Unde hoc Canone abutitur Gratianus, dum eum citat in probationem hujus assertionis: *Laici nullo modo se debent inserere electioni. Dist.* 63.

Hoc Canone abutitur Gratianus.

Can. XIV. prohibet, » ne *Sancta* instar benedictionum, sive ex versione Dionisii *causa Eulogiarum*, » in festo Paschæ, in alias Parochias transmittantur.

Sacra Eucharistia in Pascha te ad parochias non transportanda.

Moris fuisse primis seculis, ut Episcopi in signum communionis & unionis, sibi mutuo mitterent particulas Eucharistiæ, justa illud Apostoli I. ad Corinth. 10. v. 17. *quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*; constat ex Irenæo in Epist. ad victorem Papam. Postquam enim ostendit, Romanis Episcopis prædecessoribus Victoris nunquam aliquos fuisse rejectos ob aliquam in disciplina varietatem, aut Ecclesiarum varias consuetudines, quæ disciplinam spectabant; sed non obstante hac diversitate pacem inter se coluisse, subjicit: » verum illi ipsi qui præcesserunt presbyteri, quam» vis minime observarent, Ecclesiarum Presbyteris, „ qui id observabant, *Eucharistiam* transmiserunt." Apud Eusebium *L.* 5. *cap.* 24. (ubi vide notas Valesii) morem hunc aliis prætercea testimoniis asserentem.

Episcopi in signum communicationis, mitebant particulas Eucharistiæ.

Ratio Canonis.

Ut ergò scirent omnes, qui ab uno reguntur Episcopo, se cum illo unum corpus constituere, ab Ecclesia primaria civitatis Eucharistia ad singulas parochias ab Episcopo mitebatur. Id in Pascahali Festivitate fieri voluit præsens Canon: vel quia (ut conjecturatur Card. Bona *lib.* 1. *liturg. cap.* 23.) oportet » omnes Presbyteros ea die Episcopo celebranti cum » plebe sibi comissâ adstare, & ritu tunc usitato cum » eodem celebrare: « vel ut existimat Zonaras, » divina Mysteria longis itineribus circumferri, quæque » omni veneratione digna sunt, sine honore traduci, » à ratione honestateque alienum esse, meritò ac piè » existimatum est.

Canon XV. statuit, » non oportere præter Ca» nonicos Cantores, sive ut legunt Dionysius & Isi» dorus: *præter eos, qui regulariter Cantores exis» tunt*: qui suggestum ascendunt, & ex membrana » legunt, vel juxta Dionysium & Isidorum *de codi» ce*, aliquos alios canere in Ecclesia. «

De Canonis Cantoribus.

Quid igitur, an per hunc Canonem laici, & qui Cantores designati non sunt, psallere in Ecclesia prohibiti sunt? Nequaquam. Chrysostomus enim homil. 1. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum*, acriter reprehendens psallentis populi cacophoniam, & immodestiam, non eos, ut sileant, monet, sed ut scitè & modestè concinant.

Hoc Canone laici à cantu non sunt exclusi.

Testatur quoque S. Basilius epistol. ad Neocæsarienses, de nocte populum antelucano tempore domum precationis petere: ibidemque ad Psalmodiam instrui. » Et nunc quidem, ait, in duas partes divisi alternis succinentes psallunt. . . . deinde *uni* ex » ipsis hoc muneris dato, ut quod canendum est prior » ordiatur, reliqui succinunt, atque ita psalmodiæ » veritate, precibusque subinde interfectis, noctem » superant. «

Nihil ergo evidentius, quàm populum à Psalmodia non fuisse exclusum. Hoc tamen constat unum fuisse constitutum, qui quod canendum esset, ordinetur; de quo præsentem Canonem intelligi admodum est verisimile: ut nimirùm, nolit Synodus alios, quam designatos Cantores in pulpitum, sive ambonem ascendere; qui quod populus canere debet, inchoent. Quemadmodum hodie in plerisque Ecclesiis designati sunt, qui quod à Clero canendum est, incipiunt. Et ita hunc Canonem intellexit Balsamon: ibidem quoque observans vetitum fuisse, aliud canere quàm in codice erat descriptum: quia canebant quædam dissona & innusitata. » Nota similiter, inquit Balsamon, quod Cantorum mol» les fractæque, & scenicæ modulationes sunt om» nino prohibitæ. «

Verus canonis sensus est. Cantorum qui psalmodiam inchoant & moderantur antiquitas.

Can. XVI. vult, » ut Evangelium cum aliis Scripturis sabbatho legatur. «

Ritus legendi Evangelium in officio Ecclesiastico diebus. Dominicis, & Festis commendatur

Apud Græcos sabbathum, quoad celebrationem officii divini, non autem quoad cessationem ab operibus mechanicis, celebrabatur ut dies Dominica. Quare voluit Synodus, ut Evangelium post alias lectiones sabbatho, ut in die Dominica legeretur. Unde patet, veterem esse ritum, quo hodiè in Dominicis & Festis Evangelium in officio divino recitatur.

Canon. XVII. decernitur, » non oportere psal» mos in conventibus contexere, « vel juxta Dionysium, *continuare*, » sed in unoquoque psalmo in» terjecto spatio, lectionem fieri. «

Consuetudo legendi dilectiones post Psalmos laudatur.

Simile rursus hodiè in officio canonico occurrit, dum ad singula nocturna, post decantatos aliquot psalmos, sectiones miscentur.

Hoc verò à Patribus sapienter constitutum esse advertit Balsamon; ut per intercedentes has lectiones populus paulisper quiescat, & rursus ad psallendum aptior reddatur.

Hoc spiritu Monachi in Oriente, ut refert Cassianus, psalmos quosque, præsertim longiores, non continuè & uno tractu ad finem usque percurrebant, sed quibusdam intersectionibus, post denos scilicet, aut duodenos versus paulisper pausando, brevi orationi aut meditationi insistebant.

Pristini Monachi Psalmos præsertim longiores interrumpebant.

Qui privatim horas canonicas recitat, horum Sanctissimorum Monachorum exemplum, pro temporis opportunitate, & Spiritûs S. Unctione imitari potest.

Canon XVIII. statuit, » idem precum ministe» rium debere fieri in Nonis & Vesperis. «

Idem officium esse debet in Nonis & Vesperis.

Apud Græcos in more fuit, ut quibusdam diebus jejunium solveretur absolutâ Nonâ, id est, *horâ tertiâ nostrâ pomeridianâ*: quibusdam verò ad Vesperas, id est, *tempus vespertinum protrahebantur*: hæc plena, illa dimidiata jejunia dicebantur. Vult ergo Synodus, easdem preces, sive officium in utrisque fieri.

Sensus canonis.

Canone XIX. primò describitur Orationum Ordo. Ut

Varii ritus

tus divini Officii.

» Ut post Episcoporum sermonem oratio Catechu-» menorum, post hanc pœnitentium oratio fiat; & » ii sub manum accesserint & recesserint, fidelium » preces sic ter fiant. Prima quidem silentio, secunda » autem & tertia per pronuntiationem, « vel ut legit Dionysius, *per exclamationes solitas*, expleantur. » Deinde sic pacem dari & postquam Presby-» teris Episcopi pacem dederint, tunc laicos etiam pacem dare: « juxta Dionysium: *Posteaquam dederit Episcopus Presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tribuent*, » & sic sanctam oblationem perfici, & » solis licere sacratis ad altare accedere, & com-» municare. «

Quædam elata, quædam submissa voce prolata. Osculum pacis.

Hic nota I. novum non esse, ut in divino officio, quædam submissiore, quædam elatiore voce dicantur.

II. Jam primis seculis in usu fuisse, ut non tantùm Clerici, sed & Laici sibi *pacem* tribuerent, quo ostenderent, charitate se conjungi; & quid alteri ab altero deberetur, pace inita ex corde remissum esse demonstrarent. Et quidem ante oblationem apud Græcos pacem datam fuisse idque per *osculum*, non tantùm ex præsenti Canone, sed etiam Patrum testimoniis manifestum es. » Osculum pacis, ait Chry-» sostomus *lib.* 1. *de comp.* porrigere tempore, quo » munera offeruntur, *in usu est*; sed vereor, ne for-» tè plures ex vobis labiis hoc tantummodo faciant, » cum Christus pacem non ex ore, sed ex corde » desideret.

Plura de hoc osculo pacis, tum è Latinis, tum Græcis Patribus videri possunt apud Card. Bona, *lib.* 2. *rer. liturg. c.* 16. §. 6. & 7. qui ibidem observat, quod » veteri tandem simplicitate in malitiam » degenerante, paulatim subtractum sit *osculum* & » ejus vice mos introductus porrigendi tabellam cum » crucis, & Christi imagine, quam sequioris secu-» li scriptores *osculatorium* vocant, de quo voca-» bulo agit Spelmannus *in Glossario*. Hanc dum pri-» mum Sacerdos, tum reliqui osculantur, tandem » mutuam charitatem & fidem se habere testantur, » quæ olim per osculum indicabatur. « Hæc Cardinalis Bona.

Hierarchia Ecclesiast.

Canon. XX. ait, » quòd non oporteat Diaco-» num ante Presbyterum sedere, sed sedere cum jus-» su Presbyteri. Similiter autem etiam haberi hono-» rem Diaconis à ministris, « juxta Dionysium: *Ab obsequentibus, id est, à Subdiaconis*, & omnibus » Clericis oportet.

Hîc observa, Hierarchiam ex Presbyteris, Diaconis, & aliis inferioribus Ministris, cum quadam inter se subordinatione, expressam.

Ulteriùs pro intellectu hujus, & sequentium Canonum notandum, per Ministros hîc intelligi *Subdiaconos*; uti etiam in hoc & in sequentibus Canonibus vertit Dionysius.

Subdiaconi sedere non possunt in diaconico: nec vasa sacra tangere.

Canon XXI. statuit, » quod non oportet Mi-» nistros locum habere in Diaconico, & sacra vasa » tangere. « Grat. *dist.* 23. *Can.* 26.

Hoc Canone, uti & sequentibus intendit Synodus, ut quemadmodum Diaconi, locum, aut officium Presbyterorum usurpare non debent; ita nec Subdiaconi aliive inferiores Ministri suo loco, & ministerio contenti, Diaconum invadant.

Sensus Canonis.

Et quidem præsenti Canone Subdiaconis injungitur, ne *in Diaconico*, id est, *loco Diaconis specialiter designato*, sedere præsumant. Secundò, ne vasa Dominica, seu *Sacra tangant*, id est, *ad altare deferant*; quod erat Diaconorum officium.

Hoc ut intelligatur, observandum, apud Græcos in more fuisse, ut vasa sacra cum oblationibus populi à Sacerdote consecrandis portarentur circumcirca templum, idque à Diacono; qui incedens ad latus Sacerdotis, ea in altum elevatâ cum pompa, cruce præsente, ad Altare deferebat: vocabaturque hæc solemnis oblationum delatio, *magnus introitus*.

Subdiaconis numquam interdictus fuit vasorum sacrorum contactus.

Non ergo de simplici vasorum sacrorum contractatione, sive contactu (qui Subdiaconis nunquam fuit interdictus, ut ostendit Morinus *pagin.* 3. *exercit. XII. cap.* 3.) agitur in hoc Canone, sed de ea, quæ Diaconis propria erat, id est, *tractatione*, *qua ad altare*, *modo prædicto afferuntur*. Unde Aristeni epitomen Canones his verbis reddidit: » Ecclesiæ Ministri vasa Dominica manibus non tangunt, » sed à Sacerdotibus aut Diaconis ad mensam ea *ad-*» *ducuntur*.

Canon. XXII. decernit, » quod non oporteat Mi-» nistrum ferre orarium, neque ostia relinquere, « Grat. *Dist.* 23. *Can.* 27. sed ibidem, pro *ostia* malè positum esse *hostias*, notant correct. Rom.

Unicè rursus hoc Canone intenditur, ne quis aliorum officia usurpet, suoque sedulo intendat.

Quare Subdiaconis oratium ferre interdicantur.

» Diaconi enim eis, qui celebrant, assistentes, ait » Balsamon, & Sanctarum orationum mysteria, & » Presbyterorum prolationes observantes, eis, qui » sunt in suggestu Diaconis per *orarium* significant, » quando debeat fieri pronuntiatio, seu prolatio pe-» titionum Catechumenorum, & reliquorum. Et ap-» pellatum est oratium ἀπὸ τῆ ἱερῶ, quod est observo. «

Cur licitum non Subdiaconis ostia deserere.

Ne ergo huic Diaconorum officio se immesceant Ministri sive Subdiaconi, orarium huic officio deputatum ferre prohibentur: quemadmodum idem Lectoribus, & Cantoribus, & Canon. XXIII. interdicitur.

Similiter quia Diaconorum esset, monere, quando Catechumenis, pœnitentibus, aliisque egrediendum esset; Subdiaconorum, sive Ministrorum erat, ad *fores stare*, ibidemque astendere, ut quæ à Diaconis dicebantur, executioni mandarentur; id est, quos Diaconus egredi debere proclamat, hoc Subdiaconus, tanquam Diaconi Minister egredi juberet.

Unde Canonem in epitomen redigens Aristenus ait: » quisque debet suum conservare ordinem, & » diligenter propium explere ministerium. Idcirco ita-» que nec Ecclesiæ Ministri *foras relinquere* debent; » sed ad divinæ Mystagogiæ finem *ibi stare*: & quod » eos decet ministerium peragere. Orarium autem nec » eis, nec Lectoribus aut Cantoribus ferre licet, hoc » ad Diaconos pertinet.

Qui sunt Ordinis Ecclesiastici popinas frequentare prohibentur.

Canone XXIV. cavetur » quod non oporteat sa-» cratos à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps » quemlibet Ecclesiastici ordinis usque ad Ministros, » vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Os-» tiarios, vel exercitatorum ordinis, aut ex versione » Dionysii, & *numero continentium & Monachorum*, « in cauponam ingredi.

Qua ratione disciplinam hoc Canone expressam, subsequentia Concilia, ac ipsæ Belgicæ nostræ Synodi firmârint & renovârint, ostendimus *in dissert. de canonicis*, *p.* 2. *c.* 4. §. 6.

Subdiaconi non possunt panem dare, vel calicem benedicere.

Canon. XXV. » Quod non oportet Ministros pa-» nem dare vel calicem benedicere. « Gratian. *dist.* » 93. *Canon.* 16. qui contra fidem veterum omnium collectionum pro *Subdiaconos*, posuit, *Diaconos*.

Manifestum rursus est, vetari hoc Canone, ne Subdiaconi officium Diaconorum invadant. Diaconi enim panem, & calicem Sacerdoti, prout & hodiè moris est, offerebat. Quinimò moris fuit apud Græcos præsertim, ut Diaconi Corpus, & Sanguinem Domini populo distribuerent. Hæc igitur ne sibi arrogent Subdiaconi, hoc Canone cavetur.

Canon. XXVI. *quod eos adjurare*, » juxta Dio-» nysium, Isidorum & Balsamonem, *exorzizare*, » non oportet, qui ab Episcopis promoti, juxta Isi-» dorum, *provecti*, non sunt, neque in Ecclesiis, ne-» que in domibus.

Dionysius pro *promoti*, aut *provecti*, malè legit, *ordinati*. Præterquam enim, quod textus Græcus non ordinationem seù manuum impositionem, sed tantùm designationem significet, illud quoque constat: Græcos inter Ordines, qui manuum impositione conferentur, nunquam numerâsse Exorcismum; sed solùm inter Ministeria, quæ solâ Episcopi designatione imponebantur; uti latè & solidè probat Morinus de SS. Ordinat. *p.* 3. *exerc.* 14. *cap.* 2.

Sensus ergo Canonis est, non oportere exorcizare, hoc est, ait Balsamon, *catechizare infideles*, sive publicè sive privatim, qui ad id ab Episcopo sunt designati.

Non oportet è conviviis partes demum asportare.

Can. XXVII. » quòd non oporteat eos, qui sacra-» ti sunt Ordinis, vel Clericos vel Laicos, ad Aga-» pas vocatos, partes tollere, eo quòd ignominia inu-» ritur Ordini Sacerdotali. Grat. *dist.* 42. *Canon.* 3. » sed ab Originali græco nonnihil recedens. «

Hîc nota, apud Græcos fuisse sacrati Ordinis, hoc est, Ministerio Ecclesiastico addictos, qui laici duntaxat erant: de quibus vide Morinum *loco supra citato*. His prohibetur è conviviis, quæ *Agapæ* dicebantur, » ex appositis epulis particulas auferre, » domumque, *ait Zonaras*, non sine aliqua Ecclesiastici Ordinis ignominia asportare. Est id nam-» que hominis abdomini dediti, atque improbi ar-» gumentum.

Quæ aliquando laudabiliter sunt instituta ob abusus irrepenter abrogari possunt.

Vel ex hoc Canone colligitur, in convivia illa, quæ ut mutuæ charitatis indices ac illices primis seculis Christiani, etiam in Ecclesiis celebrat, abusus quosdam irripere cœpisse : quod & Patres, qui circa hæc tempora scripserunt, deplorant. Unde Canone XXVIII. decernitur, » quod non oporteat in locis Dominicis, vel in Ecclesiis, eas, quæ dicuntur » Agapas facere, & in domo Dei comedere, & accubitus sternere. « Grat. *Dist.* 42. *Can.* 4.

Hîc nota quòd quæ sanctissimè aliquando inchoata & usitata fuêre, nonnunquam oporteat aboleri, cùm in abusum versa probantur : uti circa hæc charitatis convivia contigisse, etiam seculo IV. probat Baronius.

Diebus Sabbathi non otiandum, *die Dominica* Christiano otiandum.

Canon. XXIX. » quòd non oporteat Christianos » judaizare, & in Sabbatho otiari ; sed ipsos eo die » operari, diem autem Dominicum præferentes otiari, » si modò possint, ut Christianos. Quod si inventi fuerint judaizantes, sint anathema apud Christum.

Notet Lector, Patres nequaquam intendere, ut dies Dominica simpliciter in otio transigatur : sed otientur *ut Christianos*. Quid porrò sit otiari non *ut Judæos*, sed *ut Christianos*, latè docet Augustinus *in Ps.* 91.

Abominabile, viros unà cum mulieribus balnea intrare.

Can. XXX. statuitur, » non oportere omnem penitùs Christianum in balneo cum mulieribus lavari. » Hæc est enim, ait, prima apud gentes condemnatio, " *ut à quibus committeretur*, inquit Zonaras, *eos intemperantia crimine Ethnici quoque graviter condemnarint.*

Utinam sedulò hæc expenderentur iis in locis, ubi balneorum frequentior usus esse solet.

Quatuor sequentium Canonum eadem est intentio, sive scopus ; ut nimirum nulla habeatur à Christianis cum Hæreticis communio.

Nulla communio habenda cum hæreticis.

Et quidem Can. XXXI. „ quod non oportet cum » hæretico matrimonium contrahere, aut dare filios » aut filias ; sed magis accipere, si se Christianos fuerint profiteantur.

Can. XXXII. „ quod non oporteat benedictiones, » vel juxta Dionysium, *eulogias* Hæreticorum accipere : quæ sunt maledictiones potiùs, quàm benedictiones." Grat. 1. *q.* 1. *Can.* 66.

Quid eulogiæ.

Eulogiæ hæ erant *symbola* communionis Catholicæ : de quibus multa tradit Baron. *ad an.* 313. & D. du Cange *in gloss.* verb. *eulogiæ.*

Veneratio Martyrum probatur.

Can. XXXIII. „ quòd non oporteat unà cum hæ» reticis vel schismaticis orare.

Can. XXXIV. » quod non oportet omnem Chris» tianum Christi Martyres relinquere & ad falsos Mar» tyres abire, hoc est, hæreticos abire, vel eos, qui » hæretici fuêre.

Falsus Angelorum cultus.

Can. XXXV. „ quod non oportet Christianos re» licta Dei Ecclesia, abire & Angelos nominare, vel » congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis » ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vaca» re, sit anathema ; quia reliquit Dominum nostrum » Jesum Christum, & accessit ad idololatriam.

Sensus Canonis. Qui sit Angelos nominare

Verus hujus Canonis sensus est : inhibere omnem superstitiosum Angelorum cultum : atque imprimis ignota aliqua eis nomina affingere : quod significari his verbis, *Angelos nominare*, intellexêre, qui unà cum Carolo M. concinarunt Capitulare Aquisgranense, *An.* 789. *cap.* 16. „ In eodem Concilio (Laodicæno) » inquiunt, præcipitur, ut *ignota Angelorum nomina* » nec fingantur, nec *nominentur*, nisi illorum, quos » habemus in auctoritate ; ii sunt Michael, Gabriel, » Raphael.

Vide in eandem rem Synodum Romanam sub Zacharia *An.* 745. *actione* 3. *Hab. tom.* 6. *Concil. pag.* 560.

In quo consistat cultus Angelorum idololatriam redolens.

Sequentia Canonis verba evincunt, hîc agi de his, qui cultum Religionis idololatriam redolentem Angelis exhibebant : sectatores forsan eorum, à quibus cavendum ad Colossenses scribit Apostolus : *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum* : qui nimirum Angelos supra Christum efferentes, docebant non per Christum, sed per Angelos, tanquam mediatores, peccatores reconciliari ; ut notat Estius *ad citatum Apostoli locum* : idque insinuant hæc Canonis verba : *quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum.*

Canon non repugnat cultui Sanctorum.

Inaniter proinde Hæretici clamant, à Synodo damnatum religiosum Sanctorum cultum, quem adeo dilucidè multis Canonibus adstruxit, & probavit.

Quæ superstitiosa

Can. XXXVI. „ quod non oporteat eos, qui sunt » sacrati, vel Clerici, esse magos, vel incantatores, » vel mathematicos, vel astrologos, vel facere ea quæ » dicuntur *amuleta*, quæ quidem sunt ipsarum animarum vincula, eos autem qui ferunt, ejici ex Ecclesia jussimus.

nem sapiunt Clericis interdicuntur.

Canones XXXVII. XXXVIII. & XXXIX. „ omnem cum Judæis & Gentilibus communionem Fidelibus interdicunt : eumque in finem, *festiva*, quæ » à Judæis aut Hæreticis mittuntur, accipere prohibent, item azyma à Judæis accipere, vel eorum » impietatibus communicare ; vel festum cum Paganis agere.

Episcopi Synodus negligere non possunt.

Canon XL. „ quòd non oporteat Episcopos qui » vocantur ad Synodum, negligere, sed abire, & docere vel doceri, ad correctionem Ecclesiæ, & » reliquorum, " vel ex versione Dionysii, *& docere vel discere ea, quæ ad correctionem Ecclesiæ, vel reliquarum pertinent rerum* : „ si quis autem neglexerit, is seipsum accusabit : sive juxta Isidorum : *Seipsum videbitur accusasse* ; præterquam si propter intemperiem & ægritudinem non veniat. " Grat. *Dist.* 18. *Can.* 5.

Utilitas & necessitas Synodorum.

Hîc observa Synodorum & necessitatem, & utilitatem ; utpotè in quibus Episcopi juxta SS. Patres docere & doceri debeant ea, quæ ad correctiones Ecclesiæ cæterorumque pertinent.

Neglectus Synodorum ruina disciplinæ.

Et unde quæso tanta, ne dicam *totalis*, disciplinæ Ecclesiasticæ ruina ? Nisi ex horribili illo, ac nunquam satis deplorando Synodorum Provincialium neglectu.

Can. XLI. „ quod non oportet eum, qui est sa» cratus vel Clericus sine Canonicis litteris : addit » Isidorus, id est, *formata*, inter ingredi.

Can. XLII. „ Clericos sine jussu Episcopi iter fa» cere vetat.

De litteris canonicis, quibus Clericos peregrinos instructos vult jam relatus Canon, vide infrà ad Can. 13. Calchedonensem.

Subdiaconi fores deserere non possunt.

Can. XLIII. „ quòd non oporteat Ministros : vel » juxta Dionysium, *Subdiaconos*, vel brevi tempore » fores relinquere, & orationi vacare.

Spiritus & Sensus Canonis.

Hujus Canonis idem est spiritus, qui Canonum 20. 21. & 22. ut nimirum Subdiaconi sedulò suo muneri attendant ; neque prætextu privatæ pietatis, sive devotionis illud negligant : aut etiam Presbyterorum, quorum erat Orationes & preces publicè pronuntiare, muneri se quocumque modo immisceant.

Mulieres ad altare ingredi prohibeantur.

Canon XLIV. „ quòd non oportet mulierem ad „ altare ingredi : " addit Dionysius : *Nec ea contingere, quæ virorum officiis deputata sunt.*

Sensus Canonis.

Canon XLV. „ quod non oportet post duas heb „ domadas Quadragesimæ ad illuminationem, " juxta Dionysium & Isidorum, *Baptismum*, admitti.

Primis seculis Ecclesiæ moris erat, ut initio Quadragessimæ eligerentur è Catechumenis, qui in Sabbatho Sancto erant baptizandi ; dicebanturque *Competentes*. Hic Canon ait, *si quis post duas hebdomadas judicabuntur digni, nequaquam in Sabbatho Sancto ad Baptismum sint admittendi* ; adeoque tacitè innuit, quòd qui in Catechumenos hebdomadâ secundâ nondum elapsa sunt recepti, admitti possint in Sabbatho Sancto ad Baptismum : quæ pristinæ disciplinæ aliqua apparet relaxatio, ideo forsan indulta, quia jam cessante persecutione plures in ætate juvenili ad Baptismum inciperent accedere ; qui nondum in vitiis adeo inveterati faciliùs ad Baptismum disponebantur ; atque ob defectum ætatis de non tam multis instrui debebant.

Catechumeni priusquam ad Baptismum admittantur diligenter instruendi.

Canon XLVI. » quòd oporteat eos, qui illuminan» tur, " vel juxta Dionysium, *Qui ad Baptisma veniunt*, „ fidem discere, & quintâ hebdomadis feriâ » Episcopo renuntiare vel Presbyteris.

Præsens Canon (ait Balsamon *ad Canon.* 78. *Trullanum*, qui idem omninò est cum hoc Canone) „ os» tendit, nobis sufficere non debere assertiones eorum, qui illuminantur, affirmantium se rectam fidem » fuisse edoctos ; sed eos quidem oportere sacra ora» cula dicere totis primis quatuor diebus septimanæ ; » quinto autem die ea Episcopo, vel iis quibus hoc » ab illo permittetur, scilicet Catechistis renuntiare. » Sic enim facientes, perfectè demonstrabunt, quòd » totâ animâ ad orthodoxam accesserunt, & in di» vinis ejus mysteriis initiati satisque confirmati sunt.

Gratianus recedit à textu Græco.

Canonem hunc ex versione Isidori refert Gratianus *Dist.* 4. *de consec. Can.* 8. additque contra fidem textus Græci, & Græcorum interpretum, ad vocem *septimanæ* particulam *ultimæ* ; quasi Cathecumeni solum feriâ quintâ *ultimæ* septimanæ Fidem suam Episco-

copo, aut Presbyteris reddere debuissent. Idem error occurrit in versione Dionysii, qui legit *feria quinta septimanæ* Majoris.

In morbo Baptizati monendi sunt de gratia susceptâ.

Can. XLVII. » quod oporteat eos, qui in morbo Baptismum accipunt, & deinde resurgunt, fidem » addiscere, & nosse, quod divino munere digni habiti sunt. «

Exemplo hujus canonis monendi Christiani ut sæpiùs recolant gratiam sibi in Baptismo collatam, & promissiones eorum nomine factas.

Indubiè spiritum hujus Canonis secuti sunt, S. Carolus, aliique, qui in suis respectivè Synodis ordinârunt, » ut Parochus & Confessarius, proùt occasio » tulerit, cohortationis officio in id incumbant, ut » fidelium quorum curam gerunt, unusquisque quo » die baptizatus est, quatenis ardentiori prece, eleëmosyna, si per facultates potest, omnique charitatis opere atque officio, spiritualisque gaudii celebritate, recolat; memor se chirographo damnationis deleto, hæreditatis cœlestis participem in Christo Domino factum esse. Qua cogitatione cùm semper » alias, ferèque in singulos dies, ut Beatus Chrysostomus monet, tum eo potissimum die sanctè sese » excitet ad preclarum illam sponsionem, & christianam professionem, quam in sacro lavacro per » sponsores solemniter edidit. *Repete*, inquit Sanctiss. Pater Noster Ambrosius, « *quid interrogatus sis*; *recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus*: *Mundo ac luxuriis ejus ac voluptatibus*: *memor esto sermonis tui & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.* Hactenus S. Carolus in Synodo Provinciali VI. *cap.* 6. & iis planè similia habens in Synodo Mechliniensi anno 1609. *tit.* 3. *cap.* 10.

Canon loquitur de Sacramento Confirmationis, quod immediatè post Baptismum olim conferebatur.

Can. XLVIII. » quod oportet eos qui illuminantur, juxta Dionysium, *Qui Baptizantur*, post Baptisma inungi super cœlesti chrismate, & esse regni » Christi participes. «

Hoc Canone sermonem esse, de unctione chrismatis in fronte, sive de sacramento confirmationis, unanimis est Græcorum interpretum expositio. Et sanè antiquitus chrismationem hanc immediatè Baptismum secutam fuisse, præsertim apud græcos expeditum est. Imò, ut advertit vir multæ eruditionis Gabriel Albaspineus *lib.* 1. *observ. c.* 25. nemo Christiani nomen olim sortiebatur, nemo perfectus existimabatur Christianus, » qui dono Spiritus S. confirmatus & donatus non esset. «

In Quadragesima sacrificium non offertur. Ratio Canonis.

Can. XLIX. » quod non oportet in Quadragesima » panem offere, nisi Sabbatho & solis Dominicis. « *Grat.* 33. *q.* 4. *Can.* 9. sed non sub nomine hujus Concilii, sed Martini Papæ.

Rationem hujus Canonis assignant Balsamon, aliique commentatores Græci quòd sacrificium sit lætitiæ ac festivæ celebritatis actus; Quadragesimæ autem tempus luctus & doloris, exceptis Sabbathis & Dominicis diebus, resurrectioni Dominicæ, & futuræ requiei consecratis; quibus diebus propterea etiam apud Græcos non jejunatur.

His itaque diebus exceptis, plenum sacrificium in Quadragesima Orientalis Ecclesia non offert, sed solis præsantificatis utitur; ad eum modum, quem Ecclesia Latina in die *Parasceves* etiam num observat.

Omititur hic Canon in codice Romano, quem edidit Paschasius Quenellius; *quia*, inquit Quenellius, *Usui Romanæ Ecclesiæ contrarius.*

Eidem fundamento, cui præcedens, innititur Can. LI. » quod non oporteat in quadragesima Martyrum natales peragere, sed Sanctorum Martyrum » facere commemorationes in Sabbathis & Dominicis. «

In Quadragesima nec Martyrum natales, nec nuptias celebrare oportet.

Dies namque festos esse publica Ecclesiæ gaudia; ideoque in hac misera lacrymarum valle multiplicari non oportere, etiam ex Latinæ Ecclesiæ sensu scribit S. Bernardus, *epist.* 174.

Similiter nuptias & natalitia celebrare, luctui ac mœrori non convenire nemo ambigit; quare & hæc non opportere in Quadragesima celebrari, Can. LII. decernit.

Integra Quadragessima jejunandum & aridis vescendum.

Can. L. » quod non oportet in quadragesimæ » trema septimana quintâ feriâ jejunium solvere, & » totam Quadragesimam injuria afficere; sed oportet totam Quadragesimam jejunare aridis vescentes. «

Unde consuetudo, seu potiùs abusus solvendi jejunium feriâ quinta majoris hebdomadæ originem traxerit, vide infra *ad Can.* 29. *Trullanum.*

Modestia & frugalitas à Christianis, ac præcipuè Clericis servanda in conviviis.

Can. LIII. » quod non oporteat Christianos ad » nuptias venientes, se turpiter, & indecorè gere» re vel saltare: sed modestè cœnare, & prandere ut » decet Christianos.

Clerici convivia ex collata pecunia instruere vetantur. Ratio Canonis.

Can. LIV. » quod non oporteat Sacratos & Cle» ricos in nuptiis, vel conviviis aliqua spectacula con» templari, sed priusquam ingrediantur Thymelici » surgere & recedere. «

Can. LV. » quod non oporteat Sacros & Cle» ricos ex collatione convivia peragere; sed neque » Laicos. »

Ex collatione convivia peragere: » hoc est, ait » Zonaras, à pluribus, ut exquisitis epulis mensæ » instruantur, pecuniâ collatâ convivia apparari; quod » ea res ebrietatis voracitatisque ac aliorum criminum » causam præbeat, nullo modo licere hic Canon » decernit. «

Episcopo exibendus honor à presbyteris.

Can. LVI. » quod non oportet Presbyteros ante » te Episcopi introitum vel justa Dionysium ante *Pro*» *cessionem Episcopi*, sacrum tribunal, vel ex ver» sione Dionysii *Sacrarium*, ingredi, & sedere in » tribunali; sed cum Episcopo ingredi, addit Diony» sius *vel in subselliis sedere*; præterquam si Episco» pus sit malâ valetudine, vel profectus sit peregrè. « *Grat. Dist.* 95. *Can.* 8. ex prisca versione: *sed* » *Dionysius*, ajunt Correctores Rom. *longè propriùs* » *ad verba Græca.*

Hic Canon ostendit, quem honorem Presbyteri & reliqui Clerici suo debeant respectivè Episcopo.

Inferiores Ministri nihil sine consensu Episcopi agere posunt. Missæ Sacrificium in privatis domibus non peragendum.

Can. LVII. » Quod non oportet in vicis & pa» gis Episcopos constitui, sed periodeutas, hoc est, » circumcursatores, ex versione Dionysii & Isidori » *visitatores*; eos autem qui priùs constituti fuerunt, » nihil agere sine mente Episcopi qui est in civitate. » Similiter autem & Presbyteros nihil agere sine men» te Episcopi. « *Grat. dist.* 80. *Can.* 5.

Docet præsens Canon, totam auctoritatem regendi, & administrandi penes Episcopum esse; & ab eo in inferiores ministros debere derivari.

Can. LVIII. » quod non oportet in domibus fie» ri oblationes ab episcopis vel presbyteris. «

En seculo IV. in privatis Oratoriis Missæ Sacrificium offerri vetitum; quod & sequentium Conciliorum Decretis, ac tandem Synodi Tridentinæ auctoritate renovatum ac firmatum fuit. Ut mirum sit, neglectis adeo sanctis & iteratis Ecclesiæ Decretis sine ullo pene delectu, aut ulla necessitate hujusmodi hodiè Oratoria concedi. Aliter sanè sentiebat S. Carolus, ut ex ejus Concilio I. *p.* 1. *c.* 5. constat.

Canonem confirmat Synod. Tridentina.

In Ecclesia Canonica & Scripturæ legenda. Ratio Canonis.

Can. LIX. » Quòd non oporteat privatos & vul» gares aliquos psalmos dici in Ecclesia, nec libros » non canonicos, sed solos canonicos Veteris & » Novi Testamenti. « Verebantur indubiè Patres, ne quid apocryphum, aut ædificationi audientium minùs conveniens publicè in Ecclesia legeretur. Quo eodem motivo nonullæ Ecclesiæ diciplinam hoc Canone expressam diutiùs retinuerunt. Et quidem eam in Ecclesia Lugdunensi seculo IX. adhuc superstitem acriter propugnavit S. Agobardus ejusdem Ecclesiæ Antistes in Libris *De Divina Psalmodia*, *& correctione Antiphonari.* Vide latiùs Mabillonium *de cursu Gallicano* §. 2. *N.* 26.

Disciplina hæc ab aliquibus Ecclesiis diutius retenta.

Catalogus Librorum Canonicorum huic Canoni subjectus, in quo à Tridentino diversus.

In codice Eclesiæ universæ apud Justellum in Biblioteca Juris Canonici veteris, tanquam pars hujus Canonis subjicitur catalogus librorum canonicorum, tam Veteris, quàm Novi Testamenti.

Hic catalogus, qui primus est, qui à Synodo aliqua probatus legitur, continet omnes Libros Veteris Testamenti in Canone Concilii Tridentini expressos, præter Libros *Tobiæ*, *Judith*, *Ecclesiasticum*, *Sapientiæ*, & *Machabeorum.* E Libris Novi Testamenti sola Apocalypsis S. Joannis deest.

Dionysius hunc catalogum omisit: & quare.

Catalogum hunc omisit in sua Versione Dionysius. Cùm enim codicem suum Romæ confecerit; constetque ex catalogo ab Inocentio I. sub initium seculi V. exerato, inter canonicos Libros à Romana Ecclesia ante tempora Dionysi receptos fuisse, quos Synodus Laodicæna omiserat, convenire judicavit Dionysius, catalogum Librorum canonicorum tantoperè à Romano discrepantem omittere; ne vel hoc solo titulo codex ejus Romanis minùs gratus fuisset.

Olim non erat idem in omnibus

Cæterùm, quòd primis Ecclesiæ seculis, nondùm satis illustratâ ac probatâ de numero Librorum canonicorum traditione, Libri quidam ab una aut plu-

bus Ecclesiis illorum librorum catalogus.

pluribus Ecclesiis particularibus ut *Canonici* fuerint recepti, qui ut tales ab aliis non reciperentur, docet S. Augustinus, intruens Sacrarum Scripturarum solertissimum indagatorem, quomodo in hac Ecclesiarum varietate se gerere debeat; » Tenebit igitur hunc » modum in Scripturis canonicis, *inquit*, ut eas, quæ » ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præ- » ponat. Eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis, » quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ te- » nent. Si autem alias invenirit à pluribus, alias à » gravioribus haberi, quanquam hoc facilè invenire » non possit, equalis tamen auctoritatis eas habendas » puto. «

Error Gratiani.

Hanc Augustini sententiam refert Gratianus *Dist.* 19. *Can.* 6. sed à textu nonnihil diversam; ut notant correctores Rom. qui & monent, quod hæc *B. Augustini sententia non ad Decretales Romanorum Pontificum* (uti fecit Gratianus) *sed ad Canonicas, & sacras referenda sit.*

§. XIII.

De Canonibus Concilii Constantinopolitani Œcumenici II.

COdicem *Ecclesiæ universæ*, quo usa fuit Synodus Calchedonensis, claudunt Canones secundi Concilii generalis Constantinopoli celebrati; de quo Socrates scribit: „ post hæc Imperator Theo- » dosius nihil cunctatus, suæ fidei Episcoporum Con- » cilium convocat, quo & Nicæna fides confirmare- » tur, & Constantinopoli ordinaretur Episcopus. Et » quoniam in spem venerat, Macedonianos fidei suæ » posse sociari, eorum quoque Antistes evocavit. Con- » veniunt igitur ex iis quidem, qui consubstantialis » fidem profitebantur universi centum & quinquagin- » ta numero. « Hinc vulgò dicitur, *Synodus* 150. *Patrum.*

Synodus hæc ab initio non fuit universalis.

Concilium hoc, cùm ex solis orientalibus Episcopis evocatum sit, vi suæ vocationis non universalis Ecclesiæ, sed Orientalis duntaxat Concilium haberi potuit: licèt Damasi Papæ, & Occidentalium Episcoporum postmodum accedente consensu, ex post facto Œcumenicis Conciliis annumeratum fuerit. Hinc Photius in Libro *de VII. Synodis*, ubi illustriores hujus Synodi Episcopos recensuit, subdit: *Quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ, eadem confirmans, atque sentiens, accessit.*

Græci huic Concilio VII. canones attribuunt.

In codice Ecclesiæ universæ apud Justellum, uti & apud Photicum, Balsamonem, Zonaram aliosque Græcos VII. Canones huic Concilio adscribuntur; quos & secutus Gratianus Hervetus, VII. è Græco in Latinum vertit.

Vero similius huic Conc. quatuor tantùm adscribuntur.

Dionysius Exiguus verò tres duntaxat ab hoc Concilio editos Canones affirmat: *Sub Theodosio Piissimo Imperatore apud Constantinopolim*, ait, *expositi sunt Canones numero tres.* Ubi tamen observandum est Dionysium Canonem III. qui est de prærogativa Episcopi Constantinopolitani, ita secundo appendere, ut è duobus unum conficiat; qui si separentur ut apud Græcos, Canones omninò quatuor à Dionysio versi exsurgent.

Hoc Dionysii testimonio permoti complures in re canonica haud mediocriter versati, credunt, præter relatos à Dionysio Canones ab hac Synodo nullos conditos fuisse, neque in Græcorum codice, quem è Græco in Latinum vertit Dionysius, plures huic Synodo tempore Dionysii adscriptos fuisse, sed tres alios postmodum à Græcis fuisse adjectos, & huic Synodo suppositos: præsertim cum & ipsi historici Græci Dionysio aut antiquiores, aut coævi, nimirum Theodoretus, Socrates, & Sozomenus referentes acta hujus Synodi meminerint Canonum à Dionysio relatorum, reliquorum nullâ mentione factâ. Imò Sozomenus Canonibus Dionysianis relatis, subdit: *Et hæc quidem à Synodo constituta sunt in hunc modum*: Quibus sat apertè innuit, nihil præter hæc à Synodo decretum fuisse.

Varia hæreses condemnantur.

Canon I. ait: » Trecentorum decem & octo Pa- » trum, qui Nicænæ convenerunt fidem non abrogari, » sed firmam ac stabilem manere oportere, & omnem » hæresim anathematizari & specialiter Eunomianorum, » sive Anomœorum, & Arianorum sive Eudoxiano- » rum, & Semiarianorum, sive Spiritûs S. adversario- » rum, & Sabellianorum & Marcelianorum, & Pho- » tianorum & Apollinaristarum.

Quæ fuerint præcipua horum hæreticorum impia Dogmata, ad Symbolum fidei ab hac Synodo editum observavit Christianus Lupus: ibidem ostendens, qua ratione singula in Symbolo addita, alicui speciali dogmati hæretico opponantur.

Diœceses suis limitibus circumscriptæ.

Canon II. in quatuor partes dividitur. Prima quidem parte decernitur, » ne Episcopi ad Ecclesias, » quæ sunt ultra suam Diœcesim, suosque limites, ac- » cedant; sed secundum Canones, Alexandriæ qui- » dem Episcopus Ægyptum solùm regat; Orientis au- » tem Episcopi Orientem solum administrent; serva- » tis privilegiis & præeminentiis, quæ sunt in Nicæni » Concilii Canonibus, Antiochenæ Ecclesiæ. Et Asia- » næ Diœcesis Episcopi, quæ sunt in sola Asiana ad- » ministrata: Et Traciæ Episcopi Traciam tantùm re- » gant: Et Pontanæ Pontanam.

Quid sit Diœcesis ad sensum Canonis.

Pro intellectu Canonis notandum, Diœcesim hic sumi pro districtu plures Provincias complectente, idque ad normam Diœcesis civilis.

Diœceses Ecclesiasticæ ad normam & juxta limites Diœcesium civilium institutæ.

Et quidem hoc Canone, Patres Diœceses quinque Ecclesiasticas instituisse; ad normam, & juxta limites Diœcesium civilium, quæ Præfecto totius Orientis erant subjectæ, atque varias singulæ Provincias complectebantur, eruditè ostendit Guillelmus Beveregius ad hunc Canonem: primamque Diœcesium institutionem, ac Patriarchatuum originem huic Canoni acceptam referri debere, ibidem observans.

Episcopi intra suam Diœcesim maneant.

Diœcesibus ita constitutis, & determinatis, subjicit Canon in secunda parte: » non vocati autem » Episcopi, ultra Diœcesim non transeant ad Ordina- » tionem, vel aliquam aliam administrationem Eccle- » siasticam.

Provinciæ à Synodis administrari debent.

Tertia parte Canonis tanquam ex præcedentibus profluens subjicitur: » Servato autem præscripto de » Diœcesibus Canone, clarum est, quod unaquam- » que Provinciam Provinciæ Synodus administrabit, » secundum ea quæ fuerunt Nicænæ definita. «

Ad hæc Canonis verba notandum monet Balsamon: » Quod olim omnes Provinciarum Metropoli- » tani erant ipsi per se suarum Provinciarum Ca- » pita, & à propiis Synodis ordinabantur. «

Hoc Canone Episcopis, qui toti Diœcesi præsunt Primatus tantum honoris datur.

Hanc Balsamonis observationem probans Beveregius, ulteriùs monet, quòd » etiamsi Diœceses Ec- » clesiasticæ juxta Politicas hîc determinentur; nulli ta- » men Episcopo in Provinciæ cujusvis Metropolitam » auctoritas attribuitur; sed singulas potiùs Provincias » à suis Synodis administrari decernitur: adeò ut qui » toti alicui Diœcesi præessent Episcopi, Primatum » tantùm honoris haberent. Reliqua omnia privilegia » posterioribus Conciliis accepta fuerunt. «

De Ecclesiis in partibus infidelium.

Parte quarta Canonis statuitur: » Quæ in Barbaris » sunt gentibus Dei Ecclesias administrare oportet se- » cundum Patrum, quæ servanda est, consuetu- » dinem. «

Primitùs Ecclesias recenter conversas, à vicinis Episcopis recepisse Episcopos, & à Synodis Provincialibus ad instar aliarum Ecclesiarum administratas significat præsens Canon: & multis adstruit Ludovicus Thomasinus *de disciplina Ecclesiastica, p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. ibidem ostendens, qua viâ tandem Missio Episcoporum ad populos recenter conversos devoluta sit ad Sedem Apostolicam.

Episcopo Constantinopolitano primus post Romanum honor tribuitur.

Canon III. decernit, » ut Constantinopolitanus » Episcopus habeat priores honoris partes post Ro- » manum Episcopum; eo quòd sit ipsa nova Roma. «

Est genuinus hujus Synodi Can.

Hujus Canonis tanquam ab hac Synodo editi expressè meminere Socrates, *lib.* 5. *c.* 8. & Sozomenus, *lib.* 7. *c.* 9. eumque Canoni II. annectit Dionysius, ut mirum sit, qui incidere potuerit Cardinali Baronio Canonem esse Synodo Constantinopolitanæ additum: præsertim cùm omnes, tum veteres, tum recentiores Canonum codices, & collectiones illum huic Synodo adscribant.

Præter honoris prærogativam nihil Episcopo Constantinopolitano concedit.

Porrò ex verbis Canonis mox relatis, tum ex Socrate, & Sozomeno sat apparet, Episcopo Constantinopolitano nihil præter *honoris* prærogativam esse concessum. Decretum fuit, inquiunt Socrates & Sozomenus, ut *post Episcopum Urbis Romanæ Constantinopolitanus habeat* honoris prærogativam: & Dionysius: honoris Primatum *post Romanum Episcopum*: idque sine qualibet vel Metropolitica in alios potestate. Quemadmodum Episcopo Hierosolymorum Can. VII. Nicæno, indultum fuisse ibidem notavimus. Atque hoc sensu acceptus Canon nullatenus refragatur Canoni præcedenti; quo præceperant Patres, singulas Diœceses à suis Episcopis, sive ab omnium ejusdem Diœ-

ce-

ceseos Synodo administrari eosdemque in sua sola Diœcesi potestatem exercere: cum nullam in alios potestatem, sed nudam honoris prærogativam Constantinopolitano Episcopo hoc Canone Patres impertiantur: prout latiùs deducit & exponit Beveregius ad hunc Canonem. » Cæterum, ait idem Auctor, » non dessitendum est, quin honor in Episcopum » Constantinopolitanum collatus viam stravit, qua » ad potestatem tandem pervenit; adeò ut non lon» go post tempore Metropolitanos in Diœcesibus Pon» tica, Asiana & Thracia ordinaret. «

Romana Ecclesia multisseculis hunc Canonem non recepit.

Hoc indubiè prævidentes Romani Pontifices licèt hanc Synodum quoad Fidei ut Œcumenicam susciperent & colerent, Canones, ac præsertim hunc tertium agnoscere noluerunt. Et quidem Legati Leonis I. in Synodo Calchedonensi palam sunt professi *eos in Synodicis Canonibus non haberi.* Et S. Gregorius, *L. 6. Epist.* 31. » Romana autem Ecclesia » eosdem Canones, vel gesta Synodi illius Constan» tinopolitanæ hactenus non habet, nec accepit: in » hoc accepit quod est per eam contra Macedonium » definitum. Et quidem, quod ad præsentem Cano» nem relatum à Gratiano, *dist. 22. Can.* 3. atti» net, monent correctores Romani eum longo tem» pore ab Ecclesia Romana non fuisse receptum: quan» quam, inquiunt, Constantinopolitani Episcopi Im» peratorum potentiâ freti, secundum locum Patriar» chalium Sedium sibi usurpârunt: idque tandem pa» cis & tranquillitatis causâ fuit ipsis concessum; si» cut in cap. *Antiqua, de privilegiis*, Innocentius Pa» pa III. declaravit. «

Canon hic non statim fuit receptus.

Hîc obiter nota, recens non esse, Concilium aliquod recipi in iis, quæ fidem tangunt, licet non ubique recipiantur omnia disciplinam spectantia.

Canon. IV. dicit, » statuerunt etiam de Maximo » Cynico, & ejus petulantia & insolentia, quæ fuit » Constantinopoli, vel ut legit Dionysius: *de Ma» ximo Cynico & ejus inordinatâ constitutione, quæ » Constantinopoli facta est*, ut Maximus Episcopus » nec fuerit, nec sit, nec qui ab eo ordinati fue» runt in illo, quicunque is sit, gradu Clerici; omni» bus, & quæ circa ipsum fuerunt, & quæ ab illo » facta sunt, infirmatis. «

Sensus Canonis.

Canonem brevi compendio exhibit Sozomenus *lib. 7. cap.* 9. hæc insuper pro intellectu Canonis subnectens: » Namque hunc (Maximum) Alexandrinum » quidem genere, professione vero philolophum Cy» nicæ Sectæ, cæterùm Nicænæ fidei defensorem ac» cerrimum, Episcopi, qui Ægypto advenerant, *furtiva* ordinatione Episcopum Constantinopolitanæ ur» bi sacraverant. «

Ordinatio Maximi cur irrita declarata.

Maximi ergo ordinatio irrita declara fuit; quia à quibusdam Ægyptiacis *furtivè*, neglectis nimirùm Comprovincialibus, contra Canon. IV. Nicænum facta erat. Ulteriùs Metropolitanus Heracleensis, cui tunc suberat Constantinopolitanus, nec Maximum ordinaverat, nec ejus ordinationi consenserat; atque eo titulo Episcopus non erat, ut *Can. VI. Nicæno* erat declaratum. Hæc latiùs referuntur in vita S. Gregorii Nazianzeni à Gregorio Presbytero conscripta.

Aliqua reddunt ordinationem invalidam uno tempore & non alio.

Non caret proindè fundamento, quod *in Tractatu de SS. Ordinibus* asserit, multisque exemplis declarare contendit Morinus; nimirùm, olim plures ordinationes habitas fuisse pro invalidis, quas hodie Ecclesia habet pro validis.

Canon. V. » de Libello occidentalium, vel ut » apud Balsamonem & Zonaram legitur: *quod Vo» lumen attinet Occidentalium*, etiam eos suscipimus, » qui Antiochiæ unam Patris & Filii & Spiritus Sancti » Deitatem confitentur. «

Sensus Canonis.

Ut Canonis sensu aliàs obscuri elucescat, notandum, quod absolutâ Synodo Constantinopolitanâ Œcumenica, » sequenti æstate, quam plurimi eorum, qui » dictæ Synodo interfuerant, ad eandem urbem de» nuo regresi, Epistolam à Concilio Episcoporum » in occidente coactorum, ait Theodoretus, *Lib. 5. » Histor. Cap.* 8. » accepêre, quæ illos hortabatur » ut Romam, ubi jam maximus Episcoporum cœ» tus congregatus erat, accederent. At tam longum » iter suscipere, cùm nihil inde lucri facturos se pu» tarent, omninò recusârunt illi quidem; sed tamen » scripserunt Epistolam. « Hactenus Theodoretus: qui cap. sequenti Epistolam Orientalium Constantinopoli coactorum refert; ubi verbis disertis de Divinitate Verbi & Spiritûs Sancti, nec non ipsius Incarnatione facta professione, addunt: » Atque ista de fide » à nobis liberè ingenueque prædicata summatim dis» suruimus, de quibus pleniorem cognitionem ani» mis poteritis percipere, si libellum in Concilio An» tiochiæ convocato de fidei decisione editum & eum » etiam, qui superiore anno à Concilio generali com» positus est, legere placuerit: in quibus cum fidem » nostram uberius exposuimus, tum Hæresibus nu» per excogitatis anathema scriptis proditum denun» tiavimus. «

Hæc verba, si cum verbis Canonis conferantur, apparebit, præsentem Canonem epitomen quamdam esse quantùm ad finem, hujus Epistolæ Synodicæ; *libellumque* sive *Tomum* de quo in Canone, esse eam Occidentalium Epistolam Orientalibus inscriptam: adeo ut sensus Canonis summatim huc redire videatur: quantum ad Volumen istud attinet, quod ab Occidentalibus Episcopis accepimus, respondemus, nos fidem ab Episcopis Antiochiæ non ita pridem congregatis expositam, amplexos esse: qua nimirùm unam Patris & Filii & Spiritûs Sancti divinitatem professi sunt: ac proinde non opus esse, ut Romam pro ista fide stabilienda proficiscamur, quippè quæ hic à nobis sat asserta & confirmata est.

Non sine discussione admittenda accusationes adversus Episcopos.

Canon. VI. quâ formâ judicandi sint Cpiscopi orthodoxi exponit. Et primò quidem ait: » Quo» niam multi ecclesiasticum ordinem confundere, & » subvertere volentes, inimicè & sycophanticè ad» versus Orthodoxos Episcopos, qui Ecclesias ad» ministrant, accusationes quasdam confingunt, ni» hil aliud, quàm Sacerdotum bonam existimationem » contaminare, & in pace degentium populorum » tumultus concitare conantes: ea de causa placuit » Sanctæ Synodo Episcoporum qui Constantinopo» li convenerunt, nec sine discussione admittere ad» cusatores, nec omnibus eorum, qui Ecclesias ad» ministrant accusationes permittere, nec omnes ex» cludere. «

Qui ab Episcopo se credit injuria affectum, audiri debet.

Post hæc decernit, » quòd si quis querelam pro» priam quidem, id est, privatam, intendat Episco» po ut detrimento aliquo, vel injuriâ ab ipso affectus, » in ejusmodi accusationibus, nec accusatoris perso» nam, nec Religionem examinari: id est, cuilibet, » sive Catholico, sive Hæretico, sive Gentili libe» rum esse agere adversus Episcopum, si se ab Epis» copo gravatum credat. « Rationem addit Canon: » portet enim Episcopi conscientiam esse omnibus » modis liberam, & eum, qui sibi injuriam factam » esse dicit, cujuscumque sit Religionis, jus suum » consequi.

Si de crimine ecclesiastico accusetur Episcopus, persona accusantis considerandа est.

» Si autem sit crimen ecclesiasticum, quod Epis» copo intentatur, tunc examinari personas accusa» torum: ut primùm quidem Hæreticis non liceat » Orthodoxos Episcopos pro rebus ecclesiasticis ac» cusare. Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab » Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt posteà à no» bis anathematizati. Ad hæc autem, & eos qui se » sanam fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem » sunt, & abscissi, & adversus Canonicos nostros » Episcopos congregationem faciunt. Præterea autem » & si aliqui eorum ab Ecclesia ob aliquas causas » priùs condemnati & ejecti & excommunicati fue» rint, sive ex Clero, sive ex Laicorum ordine, nec » eis licere Episcopum accusare, priusquam proprium » crimen absterserint. Similiter autem & eos, qui » priùs rei facti accusatique sunt, non priùs ad Epis» copi, vel aliorum Clericorum recusationem admit» ti, quàm se objectorum sibi criminum insontes » ostenderint.

Coram quibus accusandus Episcopus, & quâ formâ.

» Deinde tertiâ parte declaratur; coram quibus » accusandus sit Episcopus; & quidem si accusato» res non sint ex iis, quos Canon exclusit, eos ju» bet Sancta Synodus, primùm quidem apud Pro» vinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud » eos probare crimina Episcopi, qui aliquarum re» rum accusatur. Quod si evenerit ut Provinciales » Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, cor» rigere non possint; tunc ipsos accedere ad ma» jorem Synodum Diœcesis illius Episcoporum pro » hac causa convocatorum, & accusationem non priùs » intendere, quàm in scriptis æquale periculum si» bi statuant, si quidem in rebus examinandis, ac» cusatum Episcopum calumniari convicti fuerint. Si » quis autem iis, quæ, ut priùs declaratum est, de» creta fuerunt, contemptis, ausus fuerit vel Im» peratoris aures molestiâ afficere, vel secularium

» Prin-

» Principum judicia, vel universalem Synodum per» turbare, neglectis Diœcesis Episcopis, eum nullo » modo esse ad excusationem admittendum, ut qui » Canonibus injuriam fecerit, & Ecclesiasticum or» dinem everterit. «

Quoad hanc judicandi formam planè conformis est præsens Canon Canoni 12. Antiocheno: quo cavetur, ut causæ Episcoporum in Synodo provinciali indicentur; & si hic Episcopus se gravatum sentiat, ad majorem Synodum, quam præsens Canon Synodum Diœcesis (sumendo Diœcesim pro territorio plures provincias sub se comprehendente) interpretatur.

Denique ex finalibus verbis videmus, immunitatem sive exemptionem Ecclesiasticorum à judiciis secularibus, præsertim in personalibus, & quæ religionem concernunt, jam pridem prolatam & stabilitam.

Canon hic non est hujus Synodi fœtus.

Canonem hunc in quadam Synodo Constantinopolitana editum fuisse ambigi nequit: siquidem in Canone dicatur, *placuit Sanctæ Synodo Episcoporum; qui* Constantinopoli *convenerunt*; sed ut Concilio Constantinopolitano Œcumenico tribuatur, refragantur non tantùm Dionysius Exiguus omnesque Latini Canonum collectores, sed etiam Socrates, Sozomenus, & Theodoretus historici græci; qui circa tempora hujus Concilii floruerunt, & acta Concilii fideliter posteritati tradiderunt, qui nullam hujus Canonis, aut eorum, quæ illo continentur mentionem faciunt; ut proinde incertum sit, cujus Synodi sit fœtus; & qua ratione in græcis Canonum collectionibus huic Concilio adscriptus fuerit: illud tamen constat ex Epistola VIII. Nicolai I. Canonem illum eo tempore tanquam Canonem hujus Synodi à Græcis, nequaquam verò à Latinis agnitum fuisse. *Tom.* 8. *Concil. col.* 299. *ult. edit.*

Quo ritu Hæretici ad Ecclesiam conversi accipiendi.

Can. VII. ait. » eos qui rectæ fidei adjiciuntur, » & parti eorum qui ex hæreticis servantur, recipi» mus secundum subjectam hîc consequentiam, & » consuetudinem. «

Deinde duas hæreticorum clases distinguit. Prima comprehendit illos, quorum baptismum ut ritè collatum agnoscebat Ecclesia: » eosque revertentes » ad fidem recipit, dantes quidem libellos, & omnem » hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut S. » Dei Catholica & Apostolica Ecclesia; & signatos, » sive unctos primùm Sancto chrismate, & frontem, » & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos sig» nantes dicimus: *signaculum doni Spiritus Sancti.* «

Cæremoniarum usus probatus.

In secunda clase reponit hæreticos, quorum Baptismum invalidum reputabant: » Quicumque, ait Ca» non, ex his rectæ fidei adscribi volent, ut Græ» cos admittimus: & primo quidem die ipsos Chris» tianos facimus: secundo Catechumenos: deinde » tertio exorcizamus, sive adjuramus ipsos, ter si» mul in faciem eorum, & aures insufflando. Et sic » cos catechizamus sive initiamus, & curamus, ut » longo tempore versentur in Ecclesia, & audiant » Scripturas, & tunc eos baptizamus. «

Canon præsenti Synodo adscribi nequit, est tamen antiquus.

Canonem hunc Synodo Constantinopolitanæ non posse adscribi indubitatis argumentis adstruit Beveregius ad Canonem: contendens admodum esse verisimile, nec alicujus Synodi Canonem esse, sed compendium aliquod Epistolæ ex Constantinopoli ad Martyrium Patriarcham Antiochenum circa Ann. 450. scriptæ: quam & è veteri M. S. primus græcè & latinè edidit. Quo tempore huic Synodo adscriptus sit, incertum, saltem seculo IX. tamquam Canonem hujus Synodi eum retulit Photius in suo Nomo-Canone *tit.* 12. *c.* 14. ut proinde eo tempore, Græci eum pro tali indubiè agnoverint.

Utque daretur, Canonem hunc esse Epistolæ illius compendium, nihilominus proderet, rituum, & cæremoniarum, quæ in administratione Baptismi ex præscripto Ecclesiæ adhibentur, vetustatem, ostenteretque hæreticorum impudentiam, ritus illos veneranda Patrum traditione ad nos perlatos contemnentes, & superstitionis arguere non verentes.

Symbolum Constantinopolitan. quando in Missa canturi cœpit.

Canonibus subjicitur Symbolum Fidei, ab actore vulgò dictum Constantinopolitanum: quod à seculo VI. ad minus in aliquibus Ecclesiis etiam Occidentalibus, decantari cœpit, ut constat ex *Can.* 2. *Syn. Toletanæ* 3. *ann.* 589. & à pluribus seculis per universam Ecclesiam inter Missarum solemnia decantatur iisdem verbis, quibus ab hac Synodo editum fuit: exceptâ voculâ de processione Spiritûs Sancti: *Filioque*: quæ additio quo præcisè tempore contigerit, incertum est. Illud constat, sub initium seculi IX. additionem illam à Romana Ecclesia nedum fuisse receptam, sed etiam improbatam; nam anno 809. instantibus Missis sive Legatis Caroli M. apud Leonem III. ut Symbolum cum additione *Filioque* decantari posset, renuit Pontifex: quærentibusque Legatis, num Constantinopolitani Patres non benè fecissent, si quatuor tantùm addendo syllabas, tam per necessarium Fidei Sacramentum cunctis deinceps seculis perspicuum redderetur? Respondet Papa: Sicut non audeo dicere non benè fecisse, si fecissent, quia procul dubio sicut cætera, quæ vel omiserunt, scientes utique non tam humanâ quam divinâ illuminati sapientiâ, fecerunt, ita quoque non audeo dicere istud eos nobis minùs intellexisse, perpendisse cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne ultra mitteretur, sicut & cætera prohibuêre. Tu, & tui videre, quid sentiatis de vobis. Nam & ego me illis non dico præferam, sed etiam istud absit mihi, ut coæquare præsumam. *Tom.* 7. *Concil. pag.* 1191.

Additio Filioque quo tempore facta.

Quin tamen postmodum hæc additio facta sit, & ab Ecclesia justa de causa fuerit probata, Ecclesiæ auctoritas dubitari non sinit. Ut vel hinc doceâmur, aliqua uno tempore meritò, & justâ ratione improbari, quæ alio tempore probantur. In quibus nimirùm, non de Fide, sed de disciplina sola vertitur quæstio; uti in casu præsenti. Fatebatur quippe Leo III. Spiritum Sanctum à Patre *Filioque* procedere, at solùm dubitabatur, num voculam *Filioque* à Patribus Constantinopolitanis omissam Symbolo addere conveniret, ipsum consequenter Symbolum aliquâ ratione mutare.

CAPUT II.

De Veteri Codice Ecclesiæ Romanæ.

PARAGRAPHUS I.

Ecclesia ante Codicem Dionysianum editum sub finem V. seculi, habuit Codicem Canonum diversum à Codice Orientalium.

Auctoritate Concilii Calchedonensis asseritur vetus Codex E. R.

POstquam actione 16. Concilii Calchedonensis pro asserenda prærogativa Episcopi Constantinopolitani ab Orientalibus, ex codice Canonum lectus esset Canon 3. Constantinopolitanus, Lucentius Reverendissimus Episcopus Vicarius Sedis Apostolicæ dixit: » Canones istius Synodi (Constantinopolita» næ) in synodicis constitutionibus non habentur. «

Indicium haud obscurum, Lucentium habuisse codicem diversum à codice Orientalium, qui Canes Constantinopolitanos huic insertos non continebat.

Ulteriùs in eodem Concilio, & eadem Actione Paschasinus Reverendissimus Episcopus Vicarius Sedis Apostol. recitavit: » 318. Sanctorum Patrum » Canon. 6. Quod Ecclesia Rom. semper habuit pri» matum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episco» pus Alexandriæ omnem habeat potestatem, quo» niam & Romano Episcopo hæc est consuetu» do, &c. «

Postmodum Constantinus devotus Secretarius divini Consistorii, ex dato codice ab Aëtio Archidiacono Constantipolitanorum Sanctissimæ Ecclesiæ recitavit: » Regula sexta 318. SS. Patrum: Antiquæ con» suetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus » Episcopus omnium habeat potestatem; quoniam & » Romano Episcopo hæc consuetudo est. «

Idem astruitur testimonio Dionysii Exigui.

Hic manifestum est, alium fuisse codicem quo usus fuit Vicarius Sedis Apostolicæ, & alium, quo utebantur Græci: atque aliis verbis Canonem VI. Nicænum ex utroque codice recitatum fuisse.

Et quid plura? Cùm ipse Dionysius Exiguus asserat, se cohortatione quorundam, qui *confusione* pristini codicis Roman. offendebantur, inductum fuisse, ut novam translationem Canonum adornaret.

Nulli ergo dubium esse potest, quin ante Dionysii Exigui codicem, qui sub finem seculi V. primùm confectus est, Ecclesia Romana alium Canonum codicem proprium habuerit: qui codex, an hodie extet, quidque comprehenderit, item quid utilitatis ex ejus notitia hauriri possit, expendemus, si priùs ejus notas, sive characteres notaverimus.

§. III.

§. II.

Exhibentur characteres pristini Codicis Ecclesiæ Romanæ.

ALiquos codicis illius characteres §. præcedenti prælibavimus.

Primus character. Primùm quidem ut constat ex actis Concilii Calchedonensis, in codice Romanæ Ecclesiæ Canon VI. Nicænus legebatur cum his verbis : quòd *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Atque hic primus character codicis Romani, quo in Calchedonensi usi sint Vicarii Sedis Apostolicæ. Et quidem hic character meritò, ut specialissimus istius codicis habetur; quia, ut notat Vir eruditus Paschasius Quenellius: » Nec in textu græco, nec in ulla alia versione, nec » in ipso priori codice Rom. reperitur, ut dubium » non sit, vel eam ex margine irrepsisse in textum vel » à Romanæ Ecclesiæ Clericis aliisve esse additam, » ne Romanæ dignitatis obliti esse SS. Patres viderentur. « Hæc ille, in notis ad Can. 10. Nicenum in codice ab ipso evulgato.

Secundus. Secundò, ex Actis Synodi Calchedonensis habetur, quòd, tempore hujus Synodi, Canones Constantinopolitani codici Romano non essent inserti : atque hic secundus codicis illius character.

Tertius. Tertiò, ex Dionysio Exiguo intelligimus, priscum Romanæ Ecclesiæ codicem adeò magnâ confusione laborâsse, ut eâ plures Viri eruditi offensi, ipsum Dionysium ad novam Canonum collectionem solicitaverint & induxerint.

Quartus. Quartò Canones Nicænos & Sardicenses in prisco codice Romano in unum fuisse confusos; sive Canones Sardicenses continua numerorum serie Canonibus Nicænis fuisse subjectos, & quasi pro iisdem reputatos, plura sunt, quæ evincunt.

Imprimis scribit Innocentius I. ad Thephilum Alexandrinum : » Si conscientiæ confidis, tuo quoque » judicio accurre ad Synodum in Christo proximè celebrandam, & illic juxta *Niceni Concili Canones*, & » decreta contende : *alios quippe Canones Romana non* » *admitit Ecclesia.*“ Item ad Clerum Populumque Constantinop. scribit : „ Canonibus porrò obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti; quos » *solos* consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxta » eos judicare.“

Si igitur fides Innocentio, *solos Canones Nicenos* noverat Ecclesia Romana: iisque *solis* utebatur, & tamen Canonum Sardicensium auctoritate usum fuisse Innocentium, ex pluribus ejus epistolis constat. Signum admodum probabile, in codice Ecclesiæ Romanæ eo tempore, Sardicenses Canones Nicænis ita fuisse subjectos, ut pro eisdem haberentur.

Confirmat hoc ipsum factum Zosimi & Bonifacii Romanorum Pontificum in causa Appiarii Presbyteri Africani.

Sufficienter enim modò compertum est, Zosimum Pontificem per suos in Africam Legatos pro Canonibus Nicænis (quorum auctoritate provocationem Appiarii à Synodo Africana ad Romanum Pontificem tueri volebat) Canonem Sardicensem allegâsse, & in eodem errore ejus succesorem Bonifacium perstitisse.

Scio quidem Heterodoxos Zosimo & Bonifacio affectari mendacii, ac meditatæ imposturæ crimen procacibus verbis impingere; sed injustè & nimis temerariè. Si enim ex præmeditata fraude id actum fuiset, nequaquam credibile est, quod Bonifacius tam promptè, ut factum legitur, Legatos suos ad Orientales Ecclesias, pro conquirendis authenticis exemplaribus Concilii Nicæni misisset : quandoquidem dubitare non potuisset (si nimirùm scivisset Canonem à se citatum non esse Nicænum, sed Sardicensem) fraudem detegendam, & se mendacii & imposturæ convincendum.

Nil proinde verosimilius, quàm erroneam illam citationem inde natam, ut & advertit Petrus à Marca, quòd eà tempestate Canones Nicæni & Sardicenses in eodem volumine nullo discrimine adhibito sub titulo Canonum Nicænorum descripti essent.

§. III.

An Codex à Justello editus sit genuinus Ecclesiæ Romanæ pristinus Codex.

COdicem Canonum ante codicem Dionysianum ab Ecclesia Romana confectum usque receptum eum esse, nonnulli existimant, qui non ita pridem ex vetusto MS. Christophori Justelli, operâ Henrici Justelli, & Guilelmi Voëllii Tomo 1. Bibliothecæ Juris Canonici veteris, post Codicem Dionysianum luce donatus est.

Argumenta quæ probant non esse verum E. R. Codicem. Primum. Verùm præter plurima, quæ in hac Canonum collectione ocurrunt toti antiquitati ignota; ipsamque collectionis stupendam barbariem, hunc non esse pristinum Ecclesiæ Romanæ codicem, evincunt Canon 28. Concilii Calchedonensis, itemque Canones Constantinopolitani huic collectioni inserti.

Quis enim credat, quod in codicem Romanæ Ecclesiæ paulò post Concilium Calchedonense relatus esset Canon, cui tanto vigore Vicarii Sedis Apostolicæ repugnârant?

Canones autem Constantinopolitanos, quos in canonicis constitutionibus non haberi dixerat Vicarius Sedis Apostolicæ, quâ specie huic codici insertos fuisse credemus? Et quod amplius est, in hoc ipso codice de Canonibus Concilii Constantinopolitani I. dicitur : » Hi Canones expositi sunt ab Epis- *Secundum.*
» copis CL. congregatis in unum Constantinopolim, » quando ordinatus est D. Nestorius Episcopus con- » sulatu piissimi atque amatoris Christi Imperatoris » nostri Flav. *Marciani*, Aug. III. Kalend. Novem- *Tertium.*
» bris per gratiam Dei & constitutione piissimorum, » & fidelium Imperatorum, unà cum Sancta Syno- » do in Basilica Sanctæ & vitricis Martyris *Euphe-* » *miæ.* «

Quis porrò nescit, concilium hoc Constantinopolitanum habitum fuisse imperante Theodosio seniore, adeoque ut minùs 70. annis ante Marciani imperium? Quid deinde certius, quàm Constantinopoli nullum fuisse templum S. Euphemiæ dicatum, sed Calchedoni, atque in hoc Concilium Calchedonense fuisse congregatum?

Hæc aliaque plura, quæ auctor Gallicus de judiciis Episcoporum notat *cap. 3. art. 3.* sat evincunt, hunc nequaquam esse genuinum codicem quo Ecclesia Romana ante Dionysium ussa fuit : satque verisimilem esse Viri Eruditi Paschasii Quenelli conjecturam: » esse Græculi alicujus ad Latinam aspirantis, suum- » que in ea profectum periclitantis tentamentum, » prorsus Ecclesiâ Romanâ indignum. «

§. IV.

Codex Quenellianus multos præfert pristini codicis Romani characteres.

Unde codicem suum habuerit Quenellius. VIr singularis eruditionis, ac in re canonica peritissimus Pascasius Quenellius Presbyter Oratorii *tom.* 2. operum S. Leonis, evulgavit codicem Canonum, cui hunc dedit titulum : » *Codex canonum* » *Ecclesiasticorum & constitutorum sanctæ sedis Apos-* » *tolicæ*, omnium, qui hucusque prodierunt, *ve-* » *tustissimus* & *amplissimus*, qui quidem in usu fuit » in Ecclesia Romana Innocentio I. Zosimo, &c. ac » Leone I. Pontificibus.

Hunc codicem se evulgâsse asserit ex quodam manuscripto sibi ex Anglia transmisso, quod asservatur in Orielensi collegio in Academia Oxoniensi 600. » ferè annorum esse dicitur codex manuscriptus, ait » Quenellius, cujus Apographum ad nos transmissum » est : Sed ex codice alio longè *antiquissimo* descrip- » tum est, uti tum ex aliis, tum hac scribæ nota » intelligitur, quam descriptam habes Pag. 34. Codi- » cis : *Iste Codex transcriptus est ex vetustissimo* » *exemplari, quocirca de veritate scriptorum, nec in* » *isto primo Capitulo Nicænorum Canonum, nec in* » *omnibus sequentibus aliquis dubitare debet, licèt* » *aliter in novellis exemplaribus inveniatur.* « Hæc Quenellius, qui addit : Alterum istius collectionis exemplar MS. 800. circiter annorum ac notæ optimæ à se repertum esse in Bibliotheca Thuanea.

Tertium exemplar MS. huic suo per omnia simile delitescere in Bibliotheca S. Vedasti Atrebati, ex iis, quæ Jacobus Pamelius & Alanus Copus, qui manuscrip-

cripto illo se usos testantur, proferunt, credit Quenellius: è quorum trium exemplarium consonantia sui codicis sinceritatem sufficienter probatam autumat, præsertim quia nullum fraudis aut suppositionis indicium se offert.

Assertâ codicis sui sinceritate, eum proprium fuisse Romanæ Ecclesiæ ostendere aggreditur *dissert.* 12. *cap.* 4. *tom.* 2. Operum S. Leonis insertâ.

Characteres pristini codicis Romani huic codici conveniunt.

Et quidem characteres pristini codicis Ecclesiæ Romanæ superiùs positi, huic codici non parum convenire haud diffiteri possumus.

Primò quidem Canon VI. Nicenus in hoc codice legitur, prout in Concilio Calchedonensi à Vicario Sedis Apostolicæ lectus fuit: *Ecclesia Romana habeat*, aut *habuit Primatum*: atque hunc esse codicis Romani planè singularem characterem monuimus.

Secundò in hoc codice Canones Sardicenses sub uno titulo, ac numerorum serie Nicænis junguntur; ita ut nomine Synodi Nicænæ exhibeantur 46. Canones: qui rursus est pristini codicis Romani specialis character.

Tertiò Constantinopolitani à codice hoc non quidem absunt, sed ita extra ordinem positi, & ad calcem rejecti, ut dubitari nequeat, quin post Synodum Calchedonensem, cujus etiam Canonibus postponuntur, adjecti fuerint; ideoque tempore hujus Synodi in hoc codice non haberentur: qui est tertius codicis Romani character.

Quartò confusio, qua pristinum Ecclesiæ Romanæ codicem laborâsse testatur Dionys. Exiguus, nec huic codici deest. Nam quod ad translationem Canonum spectat, ea paraphrasi aliquot in locis similior est, quàm translationi. 2. Quoad Canonum distinctionem & integritatem, aliqui omittuntur, ut vigesimus Nicænus & Gangrensis quartus: alii ejusdem Concilii in unum conflantur: quidam etiam nonnullorum Conciliorum miscentur aliorum Canonibus: quidam truncantur: quidam amplificantur. 3. Quantum ad ordinem, cùm Conciliorum decreta, Pontificum decretis misceantur, nec pro ætatis suæ ordine collocentur, sed posteriora præponantur prioribus, topica Œcumenicis. » Neque tamen hæc confusio codicis auctoritati detrahit quidquam: suâ » enim ratione hæc confusio nititur, nec ordine vacat ipsa ordinis perturbatio, inde nimirùm orta, » quod obscuriores quandoque Canonum regulæ luce » parafrasis indigerent, quod ante Calchedonensem » Synodum nullis, nisi Nicænis Canonibus astringi se » Romani existimaverunt, nec eis alias regulas admittere placuit, nisi quas Ecclesiæ suæ consuetudini ac » moribus convenire censuerunt. Inde factum, ut eas » aliquâ immutatione factâ suis usibus accomodârint, » nec alio ordine digestæ reperiantur in codice, quàm » serie temporis, per quod visum est, earum unasquasque in usum recipere. «

Hæc aliaque, quæ ibidem summa eruditione, pro adstruenda codicis sui cum pristino codice Romano consonantia adducit Quenellius, admodum verisimile reddunt, hunc esse codicem, quo ante Dionysium usa fuit Ecclesia Romana.

§. V.

Quæ in hoc Codice contineantur.

COdex, prout à Quenellio editus, constat 60. capitulis, quæ in plura capita vel canones dividuntur, non quidem, ait laudatus auctor, quòd omnes codicis partes ejusdem esse ætatis credendæ sint, sed aliæ aliis antiquiores, & per succedentia ætatum intervalla additæ.

Prima codicis ætas.

Et quidem solis Nicænis Canonibus, & qui pro Nicænis habebantur, nimirùm Sardicensibus, codicem constitisse tempore, quo primùm editus est, credit Quenellius. Et quidem hi soli Canones primum codicis capitulum, sive partem implent.

Primum codicis incrementum.

At sub Innocentio I. postrema tempora adolevisse codicem, auctioremque Canonibus Carthaginensis Concilii factum autumat; cùm videlicet suborta Pelagiana hæresi, majoris Romanam inter & Africanas Ecclesias commercii necessitatem fecit, ut indicat S. Augustinus *lib.* 2. *ad Bonifacium*, *cap.* 3. atque hac occassione disciplina Africana Romanis ampliùs innotuit. Nam suis moribus accomodatam judicantes Romani Cleri Proceres, suam illam facere, ac proprii codicis partem esse voluerunt: & hac ætate secundum capitulum primo accessit.

Secundum.

» Majores vires, ait Quenellius, sumpsit sub Innocentii Successore Zosimo; qui cùm natione Græcus esset, patriarum legum amore captus, Græcos » Canones Romanâ civitate donavit, tresque illas Synodos Ancyranam, Neocæsariensem & Gangrensem, » quæ Carthaginensem in codice excipiunt, Romanæ » collectioni attexuit: « & Capitula III. IV. & V. conficiunt.

Tertium.

» Virile robur adeptus esse mihi videtur, pergit Quenellius, post Zosimi mortem. Finitâ enim sub » ejus Pontificatu Pelagianorum causâ, quidquid de » ea re vel scriptum erat ad Romanum Pontificem » ab Africanis Episcopis, vel his ab illo rescriptum, » ac præterea Synodos adversus Pelagianos in Africa » celebratas, placuit in codice Romano reponi; ad» junctis etiam Imperatoris constitutionibus & præfectoriis edictis adversus eosdem hæreticos datis: ut » si fortè aliquando pugnam adversus Catholicam doctrinam redintegrarent, vel illis decretis subscribere, » vel pœnis illic sancitis plecti juberentur. «

Quartum.

Ex his conflata sunt capitula quindecim. His subnectuntur 4. Epistolæ Decretales Innocentii I. quibus varia magni momenti disciplinæ capita, fraterna Coëpiscoporum suorum Exuperii, Victricii, Decentii & aliorum consultatione pulsatus secundum ecclesiasticas regulas, ac Romanæ imprimis Ecclesiæ normam explicat confirmatque: quæ conficiunt capitula 21. 22. 23. & 24.

Quintum.

Et hæc quidem omnia ante Leonis M. tempora codici Romano apposita fuisse contendit Quenellius. » Post Calchedonense Concil. Leonis curâ & solicitudine, verba sunt Quenellii, uti ex ejus Epistolis » non semel habemus, collecta hujus Synodi gesta, » Latinè reddita, & in unum corpus collecta sunt. » Quæ cùm seorsim in scriniis servarentur, placuit ta» men præcipua capita ex illis delibata codici Roma» no annecti, ut ad manum omnibus essent. « Et ea » sunt, quæ jacent in hoc codice post Innocentii Papæ Epistolam ad Vitriciam, in capite 25. 26. 27. & 28.

Calchedonensia monumenta sequuntur Epistolæ Siricii Papæ cum S. Ambrosii rescripto, nec non Epistolæ Zosimi, Bonifacii & Cœlestini Pontificum Romanorum, quæ capitulis 29. 30. 31. 32. 33. 35. & 36. continentur. Has à Leone I. codici fuisse insertas evincere studet Quenellius.

Sextum.

Sequitur narratio quædam Euthychianorum, ubi de Dioscori & Acacii quoque damnatione tractatur; hancque narrationem unà cum Epistolis Simplicii, Felicis & Gelasii Pontificum Romanorum, cæterisque Incarnationem Domini attinentibus usque ad capitulum 56. Gelasii tempore insertam esse codici probabile est, inquit Quenellius.

Septimum.

Quatuor Conciliorum Canones, qui omissi fuerant in anterioribus, Ephesini scilicet definitio, Antiocheni, Laodicæni & Constantinopolitani decreta cum Thelensi Synodo, totum claudunt codicem. An eodem tempore addita, an diverso? Non liquet. Constantinopolitani saltem Canones post S. Gregorium Magnum subnexi sunt, ni fallor, codici: ejus enim tempore huic esse insertos ut credamus, vetat Pontificis ejusdem testimonium (quod suprà parte 2. cap. 1. §. 12. exhibuimus) asserentis, Constantinopolitanos Canones adhuc suo tempore receptos non esse. Hactenus Quenellius, qui insuper ad Dissertationem XV. nos remittit, ut Thelensi Synodo, quæ Capitulum finale codicis conficit, qui sentiendum sit, intelligamus. Enim verò, cui eam pervolvere libuerit, fatebitur solidissimis rationibus adstructum, Synodum hanc unà cum Epistola Siricii Papæ adjunctâ esse meram fabulam, merumque commentum: atque à quopiam imperito consarcinatore, putidum pannum codici assutum fuisse.

Hæc sunt, quæ per capitula sexaginta distincta codicem hunc Romanum constituunt, variisque succedentibus ætatibus, pro re nata, codici annexa fuêre; ut latius in Dissertatione sua 12. de hoc codice eruditè prosequitur laudatus Quenellius; nunc quid utilitatis rei canonicæ ex codicis hujus notitia accedere possit, paucis videamus.

§.

§. VI.

Quæ possit esse Codicis hujus utilitas.

Codicis utilitates. SI Codex à Quenellio publici juris factus, is ipse sit (uti sat plausibiliter adstruit ejus Dissertatio 12.) quem sibi confecit Ecclesia Romana, statim atque scripto jure & ipsa administrari cœpit, & Ecclesias ad suam ordinationem pertinentes regere; & quousque ad Dionysiani codicis receptionem perpetuò usa fuit, vel hoc antiquitatis ecclesiasticæ, & canonicæ disciplinæ titulo Studiosus intelliget, quo in pretio hoc opus habendum sit.

Prima codicis utilitas. Codex quippe ille primùm ex solis Nicænis Sardicensibusque Canonibus conflatus; ac variis per succedentes ætates accesionibus auctus, ducentorum beatioris illius ævi annorum disciplinam representabat.

Secunda. Præterea ex versione Canonum græcorum, quæ hoc codice repræsentatur, Ecclesiæ Romanæ disciplina innotescet; dum aliquos ab ea rejectos docet, alios mutatos suoque accomodatos usui, (uti circa Canonem 10. Ancyranum contigisse infrà ad collectionem Martini Bracarensis observabimus) quod ex versione Dionysii obscurum manet: quippe qui Canones ad fidem græci textûs transtulit, nullâ aut modicâ habitâ ratione receptæ ab Ecclesia Romana disciplinæ.

Tertia. Deinde præter alia, quæ utilitatem codicis mirificè commendant, duo sunt, ait Doctissimus hujus codicis evulgator in præfatione operibus Leonis præfixa, » quæ Ecclesiæ Rom. Studiosos (Ecquis porrò » hujus studiosus non sit, si Catholicus) & antiqui- » tatis Ecclesiæ amatores magis afficient. Unum, quod » ope hujus codicis dignoscitur, quæ, quove tem- » pore Orientales Synodi in usum receptæ fuerint in » Ecclesia Romana, quo Antiocheni Canones, Cons- » tantinopolitani, Africani, & si qui alii in contro- » versiam vocantur.

Quarta. » Alterum est, ex eodem codice repelli ac fun- » ditùs convelli impudentem calumniam, quam fa- » mosi illi Magdeburgenses Centuriatores adversus » Sanctissimos Pontifices Romanos Zosimum, Boni- » facium & Cœlestinum sceleratissimè struxerunt; cum » eos palam & publicè traducunt velut Nicænorum » Canonum *adulteratores*, *fallatores & corruptores*: » quasi per immane scelus & impietatem, ac furio- » sam ambitionem à Zosimo Papa *sciente ac volente* » supposuti sint Sardicenses Canones pro Nicænis, cum » illos sub Nicænorum nomine Carthaginensi Con- » cilio per Legatos suos obtulit in celebratissima illa » Apiarii Presbyteri causa: in qua nefaria Decreto- » rum Nicænorum adulteratione pervicaciter perstite- » rit Bonifacius, homo ambitiosus, inquiunt, & im- » pius, ac pertinaciter perseveraverit Cœlestinus; li- » cèt Africanum Synodum veriora exemplaria Nicæ- » norum Canonum Constantinopoli & Alexandria ac- » cepisse, ac sceleratam fraudem falsificatorum Cano- » num detectam esse probè sciret. Certa erit deinceps » ex codicis inspectione, non dicam modò apud Ca- » tholicos, sed & apud quosvis non desperatæ cons- » cientiæ homines, & scelerata hominum mente cor- » ruptorum protervia, & sinceritas candorque Epis- » coporum Romanorum, qui quod acceptum à ma- » joribus in suo codice legebant, bona fide protulerunt: » quos eam ob rem ignorantiæ accusari non possis, » quin Africanos Episcopos, Orientales, ac pleros- » que Occidentales pariter insimules, quibus vel nul- » latenus vel obscurè admodum innotuerant Sardi- » censes Canones ac Nicænorum numerus, de quo » ad nostram usque ætatem perseveraverit erudito- » rum controversia. "

Hæc utilitas facilè patebit, si attendatur, ex hoc Codice intelligi, quod supra notavimus, Canones Sardicenses in codice Rom. cum Nicænis fuisse confusos: Ideoque Pontifices in citandis dictis Canonibus secutos fuisse bona fide suum codicem.

Hæc abundè sanè adstruunt, quantopere notitia pristini codicis Romani; tum ad illustrandam canonicam scientiam; tum ad illustrandas alias inter eruditos hodiedum motas quæstiones conducere possit. Ut proinde nullatenus inutilis reputandus sit labor, qui in assequenda hujus codicis notitia, eoque revolvendo intenditur.

Cur Canones hoc codice contenti non referantur, & explanentur. Cur autem Canones, aliaque in hoc codice contenta singulatim referre & explanare omiserim, in causa est, quòd Canones disciplinam spectantes tum in codice *Ecclesiæ universæ*, de quo capite præcedenti, tum in codicibus subsequentibus rursus occurrant: ac præsertim in eo codice, quem Ecclesia Romana hoc codice abdicato circa seculum VII. recepit; & multis postmodum seculis constanter retinuit; nimirum Dionysii Exigui, de quo codice parte sequenti cap. 1. agemus.

CAPUT III.

De codice Ecclesiæ Africanæ.

PARAGRAPHUS I.

A quibus hic codex evulgatus.

Justelli editio. COdicem Canonum Ecclesiæ Africanæ è vetusto quodam manuscripto sub initium currentis seculi græcè & latinè publicavit, notisque illustravit Christophorus Justellus; eumque tomo priori Bibliothecæ Juris canonici veteris inseruerunt Guillelmus Voëllus, & Henricus Justellus Christophori Filius.

Binnii editio. Codicem hunc in quatuor partes dissectum nullo servato numero, aut quod pejus est, omninò perturbato tenore suæ Conciliorum collectioni inseruit Severinus Binnius, uti observat P. Philippus Labbeus:

Labbei editio. qui ipse in sua Conciliorum editione Tomo II. » inte- » grum codicem illum non intercisum, neque in va- » ria veluti membra discerptum, atque ad Justellianam » utramque editionem anni 1614. in 8. & 1661. in » folio, & manuscriptos nonnullos codices sedulâ cu- » râ diligenter exactum " (verba ejus sunt) exhibuit.

Editio Dionysii. Ad hæc, Dionysius Exiguus sub finem seculi V. aut initium VI. novam collectionem Canonum adornans, hunc Ecclesiæ Africanæ codicem sub titulo *Synodi apud Carthaginem Africanorum* eadem serie & modo, quibus apud Justellum & Labbeum prostat, retulit: adeo ut hic codex totus Dionysiano codici eodem penè ordine & verbis insertus habeatur.

Codex primùm latinè compositus in Græcum versus & à Græcis receptus. Denique Canones Africani, aliaque Synodorum acta, quæ hunc codicem conficiunt, ab auctoribus seu conditoribus primùm *latinè* edita (ut doctè ac nervosè probat Christophorus Justellus in præfatione ad hunc codicem) postea in græcum versa, ab Orientalibus in Codicem Canonum sub nomine *Concilii Carthaginensis* recepta, & à Synodo Quini-Sexta Canone II. probata sunt: adeò ut integer hic codex in corpore Canonum Ecclesiæ Græcæ hodie extet, à Balsamone, Zonara aliisque Canonum commentarioribus cum reliquis Canonibus notis illustratus.

§. II.

A quo hic codex confectus: & quo tempore.

An hic codex ante Conc. Carthag. VI. Ann. 419. fuerit notus. IN Concilio Carthaginensi VI. habito 25. Maii anno 419. cui unà cum Sedis Apostolicæ Legatis interfuere 217. Africani Episcopi, è quorum numero erat S. Augustinus; cûm quæstio incidisset, num Canones à Zosimo Papa sub nomine Canonum Nicænorum Concilio exhibiti & prælecti, revera essent Canones Nicæni, resolutum fuit, ut in hoc plenario Africæ Conventu Canones Nicæni juxta fidem exemplaris, quod Cæcilianus, è Synodo Nicæna redux in Africam attulerat; una cum Canonibus & actis Conciliorum; quæ in Africa post Concilium Nicænum, præsertim sub Aurelio Carthaginensi Episcopo, celebrata fuerant, recitarentur.

Post relatam hanc Patrum resolutionem dicitur in Actis Concilii: „ Daniel Notarius, Nicæni Concilii » professionem, vel ejus statuta recitavit in Concilio » Africano. " Et ad Calcem Canonis 33. scribitur: » Recitata sunt etiam in ista Synodo diversa Conci- » lia universæ Provinciæ Africæ transactis temporibus » Aurelii Carthaginensis Episcopi celebrata."

Justellus in sua ad hunc codicem præfatione relatis his verbis, subdit: „ Quæ quidem Concilia XVII. nu- » mero ubi recensentur, ex quibus hic codex compo- » situs est. Deinde sequitur altera Sessio ejusdem Sy- » nodi Carthaginensis 3. Kal. Jun. habita & Epistola » Synodica die sequenti ad Bonifacium P. R. scripta. Ex » his planum est, ante prædictum Carthaginense Con- » cilium, hunc codicem in Africa esse receptum, atque » postea in illo Concilio probatum, & 217. Episco- » porum Diœcesis Africæ auctoritate confirmatum, ut » ipsa Acta Synodalia testantur. " Hæc ille.

Supponit ergo Justellus, codicem Ecclesiæ Africanæ à se editum ante edictum Carthaginense Concilium fuisse concinnatum; & in ipso Concilio relectum ac probatum. Sanè haud crediderim, codicem hunc eâ formâ, qua nunc extat, ante hoc Concilium in Africa fuisse notum, cùm nec Ferrandus Diaconus Dionysio antiquior, nec alius ullus ante Dionysium, qui sub finem seculi V. vixit, ejus meminerit.

Neque etiam in actis refertur, codicem Canonum fuisse, sed *recitata esse diversa Concilia universa Provinciæ Africæ transactis temporibus Aurelii Carthaginensis Episcopi celebrata*: quæ verba nullatenus innuunt Concilia illa in unum Codicem ab Ecclesia Africana jam receptum collecta fuisse.

Codex Africanus non comprehendit omnia in Concilio Carthag. VI. recitata & probata.

Quinimò illud crediderim, codicem Canonum, quem sub titulo *Concilio Carthaginensis* suæ collectioni Canonum Dionysius inseruit: quemque Justellus, & post ipsum R. P. Labbeus græcè & latinè exhibuêre; & Ecclesia Orientalis Seculo VII. probavit; hunc, inquam, codicem haud crediderim comprehendere, & exhibere omnia Conciliorum Acta, quæ in Concilio Carthaginensi fuêre recita, & Actis inserta: sed Dionysium ex omnibus illis Canonibus ac Conciliorum Actis, suâ auctoritate collectionem aliquam adornâsse, omissis iis, quæ sibi pro disciplina Ecclesiæ minùs utilia aut necessaria videbantur; aut suæ collectioni jam ante inserta erant. Adeò, ut codex à Dionysio concinnatus, compendium aliquod sit eorum, quæ in conventu hoc 217. Episcoporum recitata & probata fuêre.

Collector hujus codicis fuit Dionysius Exiguus.

Ne verò hæc gratis ac sine fundamento asserere videamur, pauca ex ipso codice, prout apud Dionysium extat, delibabimus.

Postulaverat Aurelius Carthaginensis Episcopus non solùm, ut recitaretur Nicæni Concilii Professio Fidei, sed etiam ejusdem Concilii statuta. Dionysius verò relatâ Fidei professione, simpliciter subjungit: » *Statuta quoque Nicæni Concilii in 20. Capitulis similiter recitata, sicut ait, in superioribus inveniuntur adscripta.*« En Dionysio sufficit breviter referre, statuta Nicæni Concilii recitata esse, sed ea prout relecta fuerant, referenda non putavit; eo quòd in capite suæ collectionis ex ea, quam ex Græco fecerat versione, jam extarent.

Huc quoque alludit ipsius Dionysii post relictas Cyrilii Alexandrini & Attici Constantinopolitani ad Africanos Epistolas, subjecta annotario: » *Huic symbolo Fidei*, ait, *etiam exemplaria statutorum ejusdem Concilii Nicæni à memoratis Pontificibus annexa sunt. Sicut superius per omnia continentur; quæ nos hic iterum conscribi necessarium non esse credidimus.*«

Nonnè hæc clamant, Canonum & Actorum collectorem, fuisse hominem privatum, qui omissis iis, quæ necessaria sibi non videbantur, suâ auctoritate Canones Actaque Conciliorum Africanorum in unum collegit? Quod & inde clariùs elucescit, quod loquens de Concilio Africano anni 405. dicat: *Hujus Concilii gesta ideo non ex integro descripsi, quoniam magis ea, quæ in tempore necessaria fuerunt, quàm aliqua generalia constituta sunt, sed ad instructionem studiosorum, ejusdem concilii brevem digessi.*

Quid evidentius, quàm hunc codicis collectorem, non integra Conciliorum Acta voluisse referre; sed studiosorum utilitati, ac commoditati præcipuè consulere studentem, quæ utiliora credidit duntaxat colligere & proponere.

Hæc itaque sufficienter evincunt, codicem seu collectionem Canonum Ecclesiæ Africanæ, prout hodie extat, & à Dionysio suo codici fuit annexa, non fuisse in eadem forma & modo in Concilio Carthaginensi VI. probatum; neque in illo contineri omnia Conciliorum Acta à Patribus illius Concilii relecta & probata.

Illud interim non gravatè admisero, Dionysium habuisse Acta & Canones à Concilio Carthaginensi VI. partim primùm edita, partim probata & confirmata; atque ex ipsis excerpsisse, quæ rei canonicæ, ac disciplinæ ecclesiasticæ promovendæ aptiora judicavit: eaque omnia sub nomine unius *Concilii Africani* promulgâsse; quasi unius ejusdemque Concilii propter approbationem, censeri deberent.

Dionysius canones Africanos interdum in compendium redigit, quo obscurior redditur sensus.

Quin & Dionysius brevitati consulens, non tantùm Conciliorum Acta, sed & ipsos Canones nonnunquam in compendium redegisse; quin & interdum plures in unum conflâsse videtur; quo vel alius, vel obscurrior Canonis sensus subinde redditur. Quapropter, licèt Canones hujus codicis juxta editionem Dionysii simus relaturi, alias tâmen Canonum horum editiones & lectiones, quæ plures hodiè extant, ubi eas illustrandis Canonibus servire posse videbimus, assumere non prætermittemus.

Adhæc, cùm in hoc Canonum codice reperiantur, non pauci, qui non tam disciplinam, quàm particularem inter certos Episcopos vel Ecclesias, aut Catholicos inter & Donatistas controversiam aut quæstionem narrant, & decidunt, eos, utpotè rei canonicæ, præsertim hodiernæ parùm aut nihil subservientes vel planè omittemus, aut verbo, quid eis contineatur, indicabimus: præcipuè si eorum nulla à Gratiano mentio facta sit. Illorum quippè, qui in decreto Gratiani habentur, rationem particularem habendam esse duximus: utpotè qui & in scholis juventuti præleguntur, & à Canonistis ampliùs revolvuntur & examinantur.

§. III.

Quæ codicis hujus auctoritas.

TAmetsi non credamus cum Justello, Beveregio aliisque, hunc Canonum codicem, ut hodie extat, in Concilio Carthaginensi VI. 217. Episcoporum fuisse recitatum, ac probatum, sed eum à Dionysio Exiguo sub finem seculi V. fuisse concinnatum supponamus; quia tamen Dionysius hanc suam collectionem ex Canonibus Actisque Conciliorum, quæ in dicto Concilio Carthaginensi vel primùm edita, vel relecta probataque sunt, concinnavit, etiam sano sensu dici potest, hunc codicem à Concilio Carthaginensi fuisse probatum, quatenus nimirùm compositus, & concinnatus fuit ex Canonibus Actisque à dicto Concilio comprobatis.

Hic codex ab Ecclesia Romana receptus.

Quæ sanè approbatio tam illustris conventûs 217. Episcoporum, quantam huic codici, ac Canonibus, disciplinæque in eo exhibitis, auctoritatem conciliet, nemo non intelligit.

Ulteriùs, cùm hic codex integer codici Canonum Dionysii Exigui contineatur; ipsaque Ecclesia Romana (ut infra videbitur) hunc Dionysianum probaverit, ac receperis, etiam & hunc Africanum probâsse, ac recepisse dicenda est. Unde de Canonibus Africanis notant correctores Rom. *Eos Ecclesia Romana probâsse videtur, quando* in codicem canonum *referendos curavit*. Ad can. 1. dist. 20.

Ecclesia Orientalis illum etiam recepit.

Nec tantùm Ecclesiam Romanam, sed & Orientalem hunc codicem suscepisse, suprà notavimus: dum illum è latino in græcum versum sub nomine *Synodi Carthaginensis* in suum codicem retulit, & Synodo Quini-Sextâ cum reliquis codicis sui Canonibus probavit.

Quomodo hæc universalis Ecclesiæ receptio intelligenda.

Hanc tamen Canonum Africanorum receptionem, sive ab Ecclesia Romana, sive Orientali non eâ latitudine intelligere oportet, quasi Ecclesia Romana, aut Orientalis omnem planè in illis exhibitam disciplinam servâssent, aut pro sua agnovissent; sed quod horum Canonum disciplinam probaverint in his, in quibus Ecclesiæ Romanæ, aut Orientalis contraria non esset disciplina; quamque mutari, nec Ecclesiæ Romanæ, nec Orientalis conditio, aut status permittebat: Quemadmodum omnes Ecclesiæ Latinæ auctoritatem Decretalium Gregorii XI. admittere dicuntur, licèt non ubique, ob particulares quarundam Ecclesiarum & Provinciarum consuetudines & jura, omnis in illis contenta disciplina sit recepta, usque servetur.

Hinc interim abundè colligi potest, non mirum, si horum Canonum magna fuerit in Ecclesia auctoritas, quibus & Latinæ & Orientalis Ecclesiæ accessit consensus.

De his itaque eo ordine, quo in codice extant, acturi, primùm 33. Canones, qui Concilio Carthaginensi VI. adscribuntur: & primo loco in codice referuntur, exhibebimus, & notis ac reflexionibus quibusdam illustrare conabimur.

§. IV.

§. IV.

Canones Concilii Carthaginensis VI. Sessione I. editi.

Canones 20. tantum à Nicæna Synodo editi.

POst recitatum Symbolum Nicænum; nec non ejusdem Synodi Canones 20. Aurelius Episcopus Canone I. dixit: »Hæc ita apud nos habentur »exemplaria statuorum, quæ nunc Patres nostri de »concilio Nicæno secum detulerunt, cujus formam »servantes hæc quæ sequentur constituta, firmata à »nobis custodientur. «

Ratio convocandi Concilia.

Hæc luce meridiana clariùs probant, ab Episcopis Africanis è Concilio Nicæno reducibus, non fuisse allatos nisi 20. Canones, ut ab illa Synodo editos; ut consequenter vel hinc probetur: Nicænam Synodum plures, quàm 20. Canones non edidise, uti fusiùs supra probavimus.

Canone II. Universum Concilium dixit: »Deo »propitio pari professione, fides ecclesiastica quæ »per nos traditur in hoc cœtu glorioso, primitùs »confitenda est; tunc demum ordo ecclesiasticus »singulorum, & omnium conservandus. Ad corro»borandas autem Fratrum & Coëpiscoporum nos»trorum nuper promotorum mentes, ea proponen»da sunt, quæ à patribus certa dispositione accepi»mus, ut Trinitatis, quam nostris sensibus conse»cratam tenemus, Patris & Filii & Spiritus Sancti »unitatem, quæ nullam noscitur habere diferen»tiam; sicuti dicimus, ita Dei populos instrua»mus. Item ab universis Episcopis nuper promotis »dictum est, planè sic accepimus, sic tenemus, sic »docemus fidem evangelicam cùm vestra doctrina »sequentes. «

Extat hic Canon in Concilio vulgo Carthaginensi II. ostenditque, causam congregandi Concilia esse, stabilire, & exponere fidem, & formare Ecclesiæ disciplinam.

Fidei articuli ex ante traditis hauriendi.

Adhæc evidens est ex hoc Canone, in Fidei explanatione, patres traditionis rationem habuisse, illudque solum tanquam Fide credendum proposuisse, quod ipsi à Majoribus suis traditum acceperant.

Continentia Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum.

Can. III. Aurelius Episcopus dixit: »cùm in »præterito Concilio de continentia & castitatis mo»deramine tractaretur: gradus isti tres, qui cons»trictione quadam castitatis per consecrationes ad»nexi sunt, Episcopos, inquam, Presbyteros & »Diaconos, ità placuit, ut condecet sacros Antis»tites, ac Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel »qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes »esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod »à Domino postulant, impetrare, ut quod Aposto»li docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque »custodiamus. «

Can. IV. »Faustinus Episcopus Ecclesiæ Poten»tinæ, Provinciæ Piceni, Legatus R. E. dixit: Placet »ut Episcopus, Presbyter & Diaconus, vel qui Sa»cramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab uxo»ribus se abstineant. Ab universis Episcopis dictum »est, placet, ut ab omnibus pudicitia custodiatur, »qui Altari inserviunt. «

Ex his Canonibus tria elicimus. Primùm, eo tempore, Episcopos, Prsbyteros, & Diaconos lege castitatis vi suæ ordinationis constritos fuisse.

Cur Sacerdotes oporteat esse in omnibus continentes.

Secundò ex his discimus, cur Ecclesiæ Ministros oporteat in omnibus esse continentes: nimirùm, ut possint simpliciter, quod à Domino postulant, impetrare. »Sunt hi namque, ait Zonaras, inter »Deum & homines intercessores, qui Numen cæ»teris hominibus conciliantes, fidelibus salutem, »universoque terrarum Orbi pacem deposcunt. Si se »igitur in omni virtutum genere, inquit, exerceant »Deumque prohinde fidenter alloquantur, ita pror»sùs ab eo, quæ postulaverint, impetrabunt: at si »liberè loquendi facultate ipsimet destituantur, quo »pacto deprecatoris munus obire pro aliis queant? «

Lex continentiæ non hic primum inducta.

Tertiò evincit Zonaras Canone 3. hanc continentiæ legem, non à Concilio Carthaginensi primùm constitutam, sed à Patribus Africanis, quod ab Apostolis traditum, & ab ipsa Antiquitate servatum est, conservatum fuisse.

Refert hos Conones Gratianus *dist.* 31. *can.* 3. & *dist.* 84. *can.* 3. ex Concilio Carthag. II.

Cur puellarum con-

Can. VI. »Ab omnibus Episcopis dictum est; »Chrismatis confectio, & puellarum consecratio, »à Presbyteris ne fiat: vel conciliare quemquam in »publica Missa Presbytero non licere. *secratio Episcopis reservata.*

»Antiqui moris fuit, inquit Zonaras, puellas »quæ virginitatem profiteretur & castimoniam vo»verent, in templo sistere, quas Episcopi adhi»tis precationibus, veluti Deo dicatas, consecrabant: »earumque custodiæ & institutionis, postquam à pa»rentibus secessisent, curam ipsi suscipiebant. «

Quid hic conciliare pœnitentes.

Conciliare pœnitentem in publica Missa, idem esse credit Vir eruditus Gabriel Albaspinæus ad *Con.* 3. *Concil. Carthag.* 11. quòd conciliari altario, sive Sanctissimo Sacramento: cui suffragatur, quòd apud Balsamonem & Zonaram Canon ita legatur: *nec aliquem publico rei sacræ mysterio reconciliare Presbytero liceat.*

»Solerti enim judicio est opus, ait rursus Zo»naras, ut, an ex animo doleat, qui pecavit, & »satis suplicii luerit, investiges; ad quæ providen»da, minùs idoneus fortè Sacerdos fuerit. «

Refert hunc Canonem Grat. 26. *q.* 6. *Can.* 1. Syn. Carthag. 11.

Can. VII. »Aurelius Episcopus dixit: »si quis»quam in periculo fuerit constitutus, & reconcilia»ri divinis Altaribus petierit: si Episcopus absens »fuerit, debet utique Presbyter consulere Episco»pum, & sic periclitantem ejus præcepto reconci»liare; quam rem debemus salubri consilio robora»re. Ab universis Episcopis dictum est: placet, quod »Sanctitas Vestra necesariò nos instruere dignata est.« Grat. 26. *q.* 6. *can.* 5.

De quo periclitante agatur.

Hæc verba: *Reconciliari sacris altaribus*, dilucidè evincunt, hîc agi non de quovis fideli periclitante, sed de *pœnitente*, id est, qui in statu pœnitentiæ juxta temporis illius disciplinam versabatur; sive de eo, qui nondum *altario* sive Sacramento esset *reconciliatus*; adeoque jus plenæ communionis non habeat.

Quo maxima & minima reconciliatio.

Adhæc jam relata verba innuunt *maximam reconciliationem*, quæ *reconcilatio altario* dicitur, ait Albaspinæus ad Canonem IV. Concilii Carthag. II. »hoc »est, Sanctissimo Sacramento, quod omnes testantur »Canones. Quod enim attinet ad minimam reconci»liationem, pergit Albaspinæus, id est, ad simplicem »absolutionem & communionem, eam omnes Pres»byteri inconsulto Episcopo in necessitate conferre »poterant: maximam verò, quæ in administranda »Eucharistia posita erat, vel in necesitate solus Epis»copus. «

Criminosi ad accusationem Episcoporum non admittendi.

Can. VIII. »Aurelius Episcopus dixit: Placet »Caritati Vestræ ut is, qui aliquibus sceleribus irre»titius est, vocem adversus majorem natu non habeat »accusandi. Ab universis Episcopis dictum est: si cri»minosus est, non admittatur, placet. «

Quæ hoc Canone continentur, latiùs prosequitur & explicat Canon VI. Constantinopolitanus suprà relatus & expositus. Hoc unum notandum, per *Majores natu* hîc Episcopos intelligi: Unde apud Græcos pro verbis *Majores natu*, ponitur *Patres.*

Ab uno Episcopo excommunicatus ab alio in communionem recipiendus non est.

Can. IX. »Augustinus Episcopus Legatus Pro»vinciæ Numidiæ dixit: Hoc statuere dignemini, ut »si qui fortè meritò facinorum suorum ab Ecclesia »pulsi sunt, & sive ab aliquo Episcopo vel Presby»tero fuerint in communione suscepti, etiam ipse »pari cum eis crimine teneatur obnoxius, refugien»tes sui Episcopi regulare judicium. Ab universis »Episcopis dictum est: Omnibus placet: « Grat. 11. *q.* 3. *Can.* 29.

Renovatur hoc Canone decretum Canonis V. Nicæni; cujus notas consule.

Can. X. »Alypius Episcopus Legatus Provinciæ »Numidiæ dixit: nec illud prætermittendum est, ut si »quis fortè Presbyter ab Episcopo suo correptus, »tumore vel superbiâ inflatus putaverit separatim sa»crificia Deo offerenda; vel aliud erigendum altare, »contra ecclesiasticam fidem vel disciplinam, cre»diderit; non exeat impunitus. Valentinus primæ »Sedis Numidiæ dixit: Necessariò disciplinæ eccle»siasticæ, & fidei congrua sunt, quæ frater nos»ter Alypius prosecutus est: prohindè quid videatur »vestræ dilectioni, edicite. «

Can. XI. »Ab universis Episcopis dictum est: »si quis Presbyter à Præposito suo correptus fuerit, »debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut »ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo »piscopo reconciliari: quod nisi fecerit, sed superbia »(quod absit) inflatus, secernendum se ab Episcopi

» sui comunione duxerit, ac separatim, cum aliqui- » bus schisma faciens, sacrificium Deo obtulerit, ana- » thema habeatur, & locum amittat: ac si querimo- » niam justam adversus Episcopum non habuerit, » inquirendum erit. «

Hi duo Canones tum apud Græcos, tum in Concilio Carthaginensi 11. unum Canonem conficiunt; idque, ut apparet, concinniùs: cum prior duntaxat propositionem, posterior Concilii resolutionem contineat.

Deinde in Concilio Carthaginensi 11. post hæc verba Canonis posterioris, *Anathema habeatur & locum amitat*: additur: » Nihilominus & de civi- » tate & congregatione, in qua fuerit, longiùs re- » pellatur, ne vel ignorantes vel simpliciter viven- » tes serpentinâ fraude decipiat, quoniam secundum » Apostolum: *Ecclesia una est, una fides, unum* » *baptisma.* «

Episcopis non obedientes schisma inducunt.

Ex his Canonibus rursus disce, Episcopos à Synodo Provinciali fuisse judicatos; nec tantùm habitos fuisse schismaticos, qui à Sede Apostolica se separabant; sed & eos, qui in causa fidei, aut etiam disciplinæ Episcopo recalcitrantes, ei procaciter obedire nolebant, & ab ejus se communione separabant.

Canon. XII. » Felix Episcopus dixit: Suggero » secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis » Episcopus (quod non optamus) in reatum ali- » quem incurrerit, & fuerit ei nimia necessitas, non » posse plurimos congregare, nec in crimine rema- » neat, à duodecim Episcopis audiatur, & Pres- » byter à sex Episcopis cum proprio suo Episcopo » audiatur, & Diaconus à tribus. « Grat. 15. *q.* 7. *Can.* 4.

Reconciliatio Canoniscum Can. IV. Antiocheno.

Sed dicet quis, quomodò hic Canon requirit VI. Episcopos, ut judicetur Presbyter, & III. ut Diaconus; cùm juxta Canonem IV. Antiochenum, Presbyteri & Diaconi à solo suo Episcopo judicari debeant? Respondet Zonaras. Canonem Antiochenum procedere in prima instantia; hunc verò in secunda, dum scilicet Ptesbyter, aut Diaconus de sententia Episcopi queritur. Hæc enim querela juxta Canones coram Synodo Provinciali quidem esset instituenda: at si Synodus convenire nequeat, permittit præsens Canon, ut querela Presbyteri à VI. Diaconi verò à III. assistente proprio Episcopo examinetur: atque de hoc solo casu Canonem loqui, legenti manifestum est.

Insuper observandum, in Concilio Carthaginensi II. legi *à sex Presbyteris, & tribus Diaconis*: consequenter tantùm de judicio Episcopi hoc Canone tractaretur: quam lectionem in multis etiam manuscriptis Gratiani exemplaribus occurrere, monent correctores ad citatum locum Gratiani.

Illud autem, *ne Episcopus in crimine maneat*, id est, ait Zonaras, » ne dum ambigua ejus innocen- » tia est tanquam accusationi obnoxius, à populo, cui » præest, despicietur. «

Verba præcendi Canoni jungenda.

Canon. XIII. » Aurelius Episcopus dixit: Quid » ad hæc dicit Sanctitas Vestra? ab universis Epis- » copis dictum est; à nobis veterum statuta debere » servari. « Hæc verba tamquam à Genedio dicta, in Concilio Carthaginensi cladunt Canonem præcedentem: idque, ut apparet, conformius textui: Nam si rectè attendatur, præcedens Canon resolutionem Synodi non exhibet, sed solam propositionem.

Post hæc apud Dionysium sequitur: » Sicuti & » inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ tam faci- » lè non præsumant multi congregati Episcopi Epis- » copum ordinare: nisi necessitas fuerit, tres Epis- » copi, in quocunque loco sint, ejus præcepto or- » dinare Episcopum debebunt: & si quis contra suam » professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, » ipse se honore privabit. «

Sensus Canonis ex Concilio Carthaginensi 11. etucidatur.

Fatendum est, Canonem hunc à Dionysio obscurè esse expressum: & ut apparet, non ad verbum relatum. Et quidem in Concilio Carthaginensi sententia Canonis fusiùs clariusque exprimitur: estque hæc Canonis summa: Ut inconsulto Primate cujuslibet Provinciæ, tam facilè nemo præsumat, licet cum multis Episcopis Episcopos ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.

Hic Canon sic expressus coincidit cum Canone IV. Nicæno, eumque renovat. Atque ita intelligitur, quâ ratione cohæreat cum præcedenti, in quo dictum erat: *Veterum statuta debere servari.* Hoc unum nota, *Primatem* Provinciæ hîc eundem esse cum Metropolitano, de quo Canone IV. Nicæno; uti notandum est, & monent Balsamon, Zonaras aliique Græci.

Canon XV. tria diversa disciplinæ puncta proponit. Primum » ut quisquis Episcoporum, Presbyte- » rorum & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in » Ecclesia ei fuerit crimen institutum, vel civilis cau- » sa fuerit commota: si relicto ecclesiastico Judicio, » publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso » fuerit prolata sententia, locum suum amitat, & » hoc in criminali; in civili verò perdat, quod evi- » cit, si locum suum obtinere maluerit. «

Clausula Canoni adjecta.

Refert hanc partem Gratianus 2. *q.* 1. *Can.* 43. ex Concilio Carthaginensi III. additâ hac clausulâ: » Si quidem ad eligendum judices iniquè de Eccle- » siæ consortio judicat, qui de Ecclesia universa ma- » lè sentiendo, de judicio seculari poscit auxilium; » cùm privatorum Christianorum causas Apostolus » etiam ad Ecclesiam referri, atque ibi terminari » præcipiat. Quæ verba, *ait Christophorus Justellus* » *in notis ad Codicem Africanum*, in omnibus la- » tinis græcisque Cod. editis & M. S. quibus in hac » editione usi sumus, non habentur, nec in collec- » tione Dionysii Exigui Moguntiæ edita anno 1525. «

Hinc non levis oritur conjectura, hanc periodum recentiori manu Canoni assutam esse. Nec enim verisimile est, Dionysium Exiguum, Romæ codicem exarantem, omissurum fuisse clausulam exemptioni Clericorum adeò faventem, si Canoni tunc temporis fuisset annexa.

Accedit, eam aliter à Gratiano, aliter in Conciliorum collectionibus, & rursus aliter in antiquioribus, quàm in recentioribus exhiberi; uti monent Correctores Romani ad citatum *Canonem* 43. Gratiani.

Judices à quibus provocatur, propriam sententiam tueri non debent.

Secundum caput Canonis est: » Hoc etiam placuit, » ut à quibuscunque Judicibus ecclesiasticis ad alios » Judicibus ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, » fuerit proventum; non eis obsit, quorum fuerit so- » luta sententia, si convinci non potuerint, vel ini- » mico animo judicâsse, vel aliquâ cupiditate aut gra- » tiâ depravari. «

Hîc probatum videmus communem judiciorum morem, qui judices, à quibus appellatur, à sententiæ defensione eximit.

Error Gratiani.

Tertio Canonis capite decernitur; » si ex con- » sensu partium electi fuerint Judices, etiam à pau- » ciori numero quàm constitutum est, non liceat pro- » vocare; « Grat. 2. *q.* 6. *Can.* 34. Verùm ut post Correctores Romanos notat Vir eruditus Joannes Acosta ad tit. Decret. *De Arbitris*, contra omnem codicum tam editorum, quàm Mss. fidem, corruptè legit affirmativè, *liceat provocare.* Ex quo interim Gratiani errore invaluit communis Canonistarum sententia, Jure Pontificio permissum esse à sententia Arbitri provocare. Quinimò, ait Acosta, hodiè moribus nostris hic error invaluit, appellari sententia Arbitri; & privatorum consensum constituere posse judices privatos, à quibus tanquam à Judicibus ordinariis *supremæ curiæ* appellantur. Hîc obiter observa punctum hodiernæ disciplinæ, quod ex Gratiani errore fluxit; cujus generis plura in decurso notabimus.

Ex errore Gratiani novum disciplinæ punctum stabilitum.

Quarto Canonis capite decernitur, » ut filii Sa- » cerdotum spectacula secularia non exhibeant; sed » nec spectent: licèt hoc semper Christianis omnibus » interdictum sit, ut ubi blasphemiæ sunt, accedant. «

Quid blasphemiæ nomine significetur.

Blasphemiæ nomine, ait Zonaras, ea, quæ licen- » ter ac inverecundè fient, significavit. Ob illa quip- » pe fideles, quasi temperantiæ integritatisque con- » temptores, ab infidelibus blasphemantur. «

Plura de sensu & ratione Canonis, ac spectaculorum natura vide infrà ad *Canon.* 24. Trullanum.

Secularia negotia à Clericis fugienda.

Canon. XVI. quatuor disciplinæ puncta continet. Primum, » ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi non » sint conductores aut procuratores, neque ullo tur- » pi negotio & inhonesto victum quærant, quia respi- » cere debent scriptum esse: *Nullus militans Deo im-* » *plicat se negotiis secularibus.* Grat. 21. *q.* 3. *Can.* 3. » ex Con. Carth. III. observat autem Labbæus in ve- » tustis quibusdam libris legi: neque ullo negotio tali » victum quærant, quo eos peregrinari, vel ab eccle- » siasticis officiis avocari necesse sit. «

Mo-

Ne victus quidem causa sordido artificio lucrum quærendum.

Monet ad hunc Canonem Zonaras, quòd Synodus non *lucrum* dixerit, sed *victum*; ex quo infert: » Quamvis enim eo inopiæ redigantur sacris initiati » homines, ut alimenta quoque deficiant; ne tunc » quidem eos turpi aut sordido artificii genere vitæ » subsidia comparare oportet. «

Perstringitur hodiernum Missarum commercium.

Quàm hoc Canone feriantur hodierni Sacerdotes, qui victûs parandi causâ, de celebratione Missarum faciunt artem de pane lucrando, nemo non videt, qui infame, & sacrilegum modernum Missarum commercium vel leviter expendit.

Continentia lectorum.

Secundâ Canonis parte decernitur, » ut Lectores, » cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut » uxores ducere, aut continentiam profiteri. « Grat. *dist.* 32. *Can.* 8. Notat autem Labbæus, quod vetusti codices hunc Canonem sic habeant: » ut Lectores us- » que ad annos pubertatis legant, deinceps autem, ni- » si uxores, custoditâ pudicitiâ, duxerint, aut con- » tinentiam professi fuerint, legere non sinantur. «

Patrum disciplina recipiendi ad Clerum etiam impuberes.

Hic Canon exhibet pristinam Patrum disciplinam, recipiendi in Clerum etiam impuberes, quos ecclesiasticis officiis, pro ætatis illius capacitate applicabant: ut ita ab infantia in Militia Christi exercitati, tandem ad majora Ecclesiæ ministeria obeunda forent exercitatiores. Unde de S. Joanne in Episcopum Cabilonensem electo scribit Sidonius Apolinaris, *Lib.* 4. *Epist.* 25. » Lector hic primùm, sit Minister Alta- » ris, idque ab infantia; pòst laborum temporumque » processu Archidiaconus, &c. « Et de S. Felice Martyre canit S. Paulinus in ejus vita *carm.* 4. *A puero instituit servire Deo, & primis Lector servivit in annis.* Meminit quoque puerorum ad Lectoris officium assumptorum S. Augustinus, *lib.* 1. *de const. Evangelist. cap.* 10.

Non ergo à Patrum disciplina deflecterent hodie Episcopi, pueros militiæ clericali adscribentes, modò eo duntaxat fine adscriberent, ut minoribus muniis occupati, faciliùs probarentur, & exercerentur, ut ad majora exinde Ecclesiæ munia obeunda sensim redderentur aptiores.

Usura vetatur.

Tertia parte Canonis statuitur, » ut Clericus, si » commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat: Si spe- » ciem, quantam dederit, accipiat. « Grat. 14. *q.* 4. *Can.* 6. additque hæc verba: *Et quidquid aliud, tantum quantum dederit, accipiat*: Quæ clausula forsan adjecta est, ut usuram esse generaliter damnatam, exprimeretur.

Quartâ denique Canonis parte edicitur: » Ut ante » 25. annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec Vir- » gines consecrentur: & ut Lectores populum non » salutent. « Grat. *dist.* 77. *Can.* 5.

Quid populum salutare, & cur id Lectoribus vetitum.

Ut intelligantur postrema Canonis verba, observandum, eo tempore moris fuisse, ut non Diaconi, sed Lectores Evangelium ab Episcopo in conventu populi exponendum legerent. Priusquam verò Evangelii pronuntiandi initium faceret Lector antè elatâ voce proferebat, *Pax vobis*, uti hodie Diaconus dicit, *Dominus vobiscum*. Quia verò Patres hanc cæremoniam habebant pro divina salutatione, & ab Ecclesia ad impertiendam Christi *pacem* usurpatam; adeò quidem, ut qui eâ formulâ salutabatur, in communionem & *pacem* Ecclesiæ receptus videretur, Synodus Carthaginensis, eam auctoritatem ampliorem, majoremque existimans, quàm ut Lectoribus competeret, edixit, ne deinceps Lectores dicant *Pax vobis*, sive quod idem est, *populum salutent*: Uti latiùs exponit Albaspinæus ad *Canonem IV. Concilii Carthag. III.*

Canones Clericis prælegendi.

Can. XVIII. Tria complectitur. I. Ut ordinatis Episcopis vel Clericis, priùs ab ordinatoribus suis, placita Conciliorum auribus eorum inculcentur: Ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse pœniteat, Grat. *dist.* 38. *Can.* 7.

Augustinus Canonis Auctor.

Hoc decretum suasu S. Augustini, qui Synodo interfuit, editum esse, testatur Possidius in ejus vita; ubi de ordinatione ejus contra Canonem Nicænum celebrata loquens, ait: » *Quod in seipso* postea fieri » non debuisse, ut vivo suo Episcopo ordinaretur, » & dixit, & scripsit, propter Concilium universa- » lis Nicæni I. vetitum, quod jam ordinatus didicit. » Nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. » Unde etiam sategit, ut Conciliis constitueretur Epis- » coporum, ab ordinatoribus ordinandis, vel ordi- » natis, omnium statuta Sacerdotum in notitiam esse » deferenda. «

Hinc intelligant Clerici, Canonum notitiam nullatenus negligendam. Cui consonat illud Celestini I. effatum: *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare.* Grat. *dist.* 38. *cap.* 4.

Secundò decernitur hoc Canone, » ut corporibus » defunctorum Eucharistia non detur: Scriptum est » enim: *Accipite & edite*: Cadavera autem nec acci- » pere possunt, nec edere. Et ne jam mortuos bap- » tizari faciat Presbyterorum ignavia. «

Sensus & ratio Canonis.

Si rationem decreti attenderimus, facilè apparebit, Patres Africanos solum inhibuisse, ne Eucharistia per modum communionis mortuis daretur; nequaquam verò improbâsse morem consepeliendi mortuis Eucharistiam; qui olim viguit non solùm apud Græcos, sed etiam apud Latinos, ait Cardin. Bona, *lib.* 2. *rer. liturg. cap.* 17. §. 6. Qui relatis exemplis SS. Basilii & Benedicti, addit: » sive id fecerint Sanc- » ti Patres peculiari instinctu, ne unquam à Do- » mino separarentur, sive ex consuetudine tunc recep- » tâ, hæc tamen postmodum abrogata fuit. «

Altera ratio Decreti his verbis expressa: *Et ne jam mortuos baptizari faciat Presbyterorum ignavia*, in Can. 6. Concilii Carthaginensis III. alio planè sensu exprimitur: *Cavendum est etiam ne mortuos baptizari posse Fratrum infirmitas credat, cùm Eucharistiam mortuis* non *dari animadvertit*: Quibus significari videtur, Patres timuisse, ne ex hoc decreto, *ne mortuis Eucharistia daretur*, aliquorum infirmitas occasionem cœpisset credendi mortuos esse baptizandos: cum expressio Canonis Dionysiana contrarium insinuet; quasi ignavia Presbyterorum credidisset, eos posse baptizari, quibus dabatur Eucharistia. Huncque sensum præfert Can. IV. Hipp. apud Quenellium; qui consonans com dicto Can. VI. habet: Cùm *Eucharistiam mortuis dari animadverterint*, omissa negatione: quam lectionem etiam Quenellius magis probat.

Tertia pars Canonis decernit, » ut secundum Ni- » cæna Statuta, propter causas Ecclesiasticas, quæ » ad perniciem plebium sæpè veterascunt, singulis qui- » busque annis Concilium convocetur, ad quod om- » nes Provinciæ, quæ Primas Sedes habent de Con- » ciliis suis binos, aut quantos delegerint, Episcopos » Legatos mittant; ut congregato Conventu plena » possit esse auctoritas. « Concilium Carthag. III. legit: *De Conciliis suis ternos legatos admittant: Ut & minus invidiosi, minusque hospitibus sumptuosi, Conventus plena possit esse auctoritas.* Quam lectionem quoque exhibet Canon IV. Hipponensis in codice R. Quenellii.

Can. XIX. constituit, » ut Episcopus accussatus » non suspendatur à communione, nisi intra mensem » à receptis litteris citationis non comparuerit: & si » justas absentiæ causas probaverit, alter ei mensis » indulgetur: pòst secundum verò mensem tamdiu non » communicet, donec purgetur. Si autem ad Conci- » lium Universale anniversarium occurrere noluerit, » ut vel ibi causa ejus terminetur; ipse in se damna- » tionis sententiam dixisse judicetur.

» Accusator autem si aliquando defuerit, subtrahens » se, restituto in communione Episcopo, ipse remo- » veatur à communione accusator: ità tamen, ut nec » ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem » occurrere non noluisse, sed non potuisse probave- » rit. Si autem cum agere cœperit in Episcoporum ju- » dicio, si fuerit accusatoris (in codice Quenelli addi- » tur, probata) persona culpabilis ad arguendum non » admittatur, nisi proprias causas, non tamen eccle- » siasticas asserere voluerit. « Gratianus Canonem in duas partes divisit; ac priorem partem refert 4. *q.* 5. *Canon.* 1. posteriorem 4. *q.* 6. *Canon.* 1. additque hic vocem *criminales*. „ Quæ, ut notant Correctores Ro- » mani, abest à Concilio, & cæteris Collectoribus. «

Quomodo judicandi Presbyteri, & Diaconi.

Can. XX. „ Si autem Presbyteri vel Diaconi fue- » rint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis cum pro- » prio Episcopo legitimo numero collegarum, quos ab » eodem accusati petierunt; id est, unà secum in » Presbyteri nomine sex; in Diaconi tres, ipsorum » causam discutiant, eadem dierum & dilationum, & » à communione remotionum, & discussione persona- » rum inter accusatores, & eos, qui accusantur, for- » mâ servatâ. Reliquorum autem Clericorum causas » etiam solus Episcopus loci agnoscat & finiat. «

Gratianus quidem refert hunc Canonem sub nomine Concilii Carthag. III. 15. *q.* 7. *Can.* 5. at iisdem verbis, quibus ex codice Africano hîc exhibetur: cùm tamen hodie in Concilio Carthag. III. pro Episcopis sex *in nomine Presbyteri* quinque; & pro tribus *in no-*

nomine Diaconi, ponantur duo duntaxat.

Nota Correctorum R. de varia Canonis lectione.

Monent autem Correctores Roman. Lectionem Gratiani, quæ & codicis hujus est, » extare in cæteris codicibus impressis, & manuscriptis, præterquam in editione Coloniensi IV. tomorum: « At non viderant hi Correctores codicem, quem edidit Quenellius, qui Coloniensi editioni consentit.

Can. XXI. » decernit, ut Clericorum filii (Carthaginensis III. addit: *vel Filiæ Episcoporum, vel quorumlibet Clericorum*) » gentilibus, vel hæreticis matrimonio non jungantur. « Quod hîc de Clericorum filis hoc *Can.* 31. Laodiceno, & 72. Trullano de omnibus orthodoxis decernitur.

Auctoritas Ecclesiæ in bona Clericorum.

Canon. XXII. » Ut in eos, qui Catholici Christiani » non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum Episcopi vel Clerici (in Carthaginensi: *Nec per testamentum rerum suarum aliquid conferat*) nihil conferant. « Hic Canon evincit, Ecclesiæ eo tempore fuisse auctoritatem etiam in bona patrimonalia Clericorum. Ostendit quoque hic Canon, quantopere Clerici omnem cum Hæreticis communionem, & familiaritatem vitare debeant: cùm nec in ipsos ut consanguineos de patrimonialibus quidquam transferre permitat.

Catholicismus nota Ecclesiæ.

Denique nomen *Catholici Christiani*, quo Patres Africani Christianos Orthodoxos distinguunt ab Hæreticis, qui nomine Christiano gloriabantur, manifestat novum non esse, si & hodiè Ecclesia se eo nomine à cæteris hæreticorum Conventibus secernat; ac ut veræ Ecclesiæ *notam* assumat.

Can. XXIII. » Ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ Sedis Episcopo suæ » cujusque Provinciæ, ut ab eo præcipuè possint summere formatam vel commendationem. «

Hic Canon de litteris dimisorialibus & pacificis agit.

Apud Balsamonem & Zonaram additur in Canone, *quæ dicitur dimisoria*: sed malè: neque enim Epistola *formata* in hoc Canone propriè significat litteras *Dimissoriales*, quæ dabantur duntaxat Clericis ad aliam Diœcesim transeuntibus, ut ibidem manerent, & in Clerum adscriberentur; sed simplices *commendatis* sive pacificas, quæ dabantur Clericis extra Diœcesim itinerantibus, sed animo revertendi; ut doctè observat & exponit Jacobus Sirmondus in notis ad *Epist.* 8. *lib.* 6. Sidonii Apollinariis nihilque præter simplicem Episcopi aut Clerici comendationem continebant.

Cathalogus Sacrorum Librorum hodiernus à Concilio prolatus.

Can. XXIV. item placuit, » ut præter Canonicas Scripturas nihil in Ecclesia legatur sub nomine » Divinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ » Scripturæ, Genesis, Exodus, « & reliqui prout » *Sess.* 4. *Concilii Tridentini* recensetur. Atque ità catalogum Sacrorum librorum, quem Ecclesia Catholica hodie recognoscit, seculo V. decreto synodali 217. Episcoporum probatum, & ut legitimum » declaratum conspicimus.

Libri 2. Machabæorum in Canone. recensendi.

Sed ait Guilelmus Beveregius in notis ad hunc Canonem post Christophorum Justellum: » Dionysius Exiguus in sua horum Canonum collectione » addit, *Machabæorum libri duo*: Verùm hi libri à » nullo græco codice vel impresso vel manuscripto recensentur. « Hæc illi.

Verùm cum & fatentibus Beveregio, & Justello constet Canones Africanos latinè primùm fuisse editos, quis ambigat, quin potius Exemplaribus latinis, utpotè originalibus, quàm græcis è latino, & quidem multo tempore ab eorum editione translatis esse credendum? Præsertim quia Dionysius eodem seculo, quo hic Canon editus est, eum non translatum, sed prout reperit latinè editum, in suam collectionem, additis Machabæorum libris, transtulit.

Denique omne dubium de veritate lectionis Canonis, uti apud Dionysium, aliosque Latinos Collectores legitur, eximit, qui confectioni Canonis interfuit S. August. cujus est hæc toties decantata sententia, *lib.* 18. *de Civ. Dei, cap.* 36. *Libros Machabæorum non Judæa, sed Ecclesia pro Canonicis habet.*

Post exhibitum Sacrorum Librorum catalogum additur hæc clausula: » Hoc etiam Fratri, & Consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto Canone inotescat; quia à » Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. « Duo nobis hæc clausula aperit.

Patres non voluerunt condere novum SS. Librorum catalogum. Hic Canon non potest adscribi Synodo Carth. anni 397.

Primum, Patres noluisse novum Librorum Sacrorum catalogum cudere; sed solum quem à patribus acceperant, proponere & firmare.

Alterum, Canonem hunc non posse adscribi Concilio Carthaginensi III. habito ann. 397. cui vulgo in Conciliorum collectionibus adscribitur; quandoquidem Bonifacius demum in Pontificem sit electus 28. Decembris an. 418. Quapropter ad calcem præsentis Canonis in Concilio Carthaginensi III. hæc nota subjicitur: » Licèt illud cap. 47. in præsenti exemplari, tanquam aliquod hujus Concilii Capitulum habeatur, in aliis tamen certis Conciliorum libris dicitur esse Cartaginensis Concilii 24. capitulum, celebrati post consulatum Honorii duodecimum, & » Theodosii octavum, quorum annus currit sub » Bonifacio Papa. «

Vel hinc elucet, collectionem Canonum Africanorum per Dionysium adornatam, in qua præsens Canon conficit Concilii Cartaginensis anni 419. (id est, primi anni Pontificatus Bonifacii) 24. Capitulum, esse sinceriorem, quàm Canonum Africanorum collectionem, quæ sub nomine variorum Carthaginensium in tomis Conciliorum extat, & è quibus tanquam fontibus à Gratiano aliisque recentioribus Collectoribus Canones Africani allegari solent.

Can. XXV. » Placuit, quod & id diversis Conciliis firmatum est, ut Subdiaconi, qui Sacra Mysteria contrectant, & Diaconi, presbyteri, sed & » Episcopi, secundum propria statuta, etiam ab uxoribus se contineant, ut tanquam non habentes videantur esse: quod nisi fecerint, ab ecclesiastico » removeantur officio, cæteros autem Clericos ad » hoc non cogi, nisi maturiori ætate. «

Græci hunc in alienum sensum contorquent.

Refert hunc Canonem Grat. ex Concilio Carthag. V. *dist.* 24. *Can.* 5. sed pro *propria*, legit *priora*; ut verba sint *secundum* Priora *statuta*: uti in quibusdam exemplaribus latinis, tum Concilii Carthag. V. tum codicis Africani etiam legitur. At Græci non tantùm priorem lectionem retinuerunt, sed ita transulerunt, quasi hujus Canonis auctoritate, Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri in ordine vicis suæ sive dum instat tempus, quo in Altari ministrare debent, ab uxoribus duntaxat abstinere deberent, reliquis verò temporibus maritali consortio iisdem choabitare liceret. De qua Græcorum interpretatione, seu potiùs Canonis contorsione infrà ad *Can.* 13. *Trullanum* opportunior erit tractandi occasio.

Rerum Ecclesiæ vetita alienatio.

Can. XXVI. » Item placuit, ut rem Ecclesiæ » nemo vendant: quòd si redditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogit, hanc insinuandam esse » Primati Provinciæ ipsius, ut cum statuto numero Episcoporum utrum faciendum sit, arbitretur. » Quod si tanta urget necessitas Ecclesiæ, ut non » possit ante consulere, saltem vicinos testes convocet Episcopos curans ad Concilium referre omnes » suæ Ecclesiæ necesitates: quod si non fecerit, reus » Deo, & Concilio venditor, honore amisso, teneatur. «

Correctores R. ad codicem Africanum alludunt.

Refertur à Gratiano 17. *q.* 4. *Can.* 39. monentque correctores Romani, hoc esse *caput* 26. *Carthaginensis unici*, *inserti codice Canonum.* Ubi Viri hi eruditi evidenter alludunt ad codicem Dionysii Exigui, cui sub nomine Concilii *Cartaginensis Unici* inserti sunt Canones Africani: atque inter cæteros, præsens Canon sub *numero* 26. exhibetur.

Hîc obiter attende » quanta jam pridem Patribus » cura fuerit, ne res Ecclesiæ temerè alienarentur.

Clericis in crimen pro lapsis manus in pœnitentiam non imponendæ.

Can. XXVII. » Item confirmatum est, ut si » quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori » culpa convicti fuerint, qua eos à ministerio necesse » sit removeri: non eis manus, tanquam Pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis, imponatur: neque » permitendum, ut rebaptizati ad clericatûs gratiam promoveantur Grat. *dist.* 50. *Can.* 65.

Disciplina hoc canone expressa 3. primis seculis ignota fuit.

Quod Presbyteris & Diaconis in crimen prolapsis manus in pœnitentiam non imponantur, sive publicæ pœnitentiæ, uti Laici peccantes non subdantur, tribus primis seculis notum non fuisse, multis, solidisque argumentis adstruit Morinus *lib.* 4. *de pœnitentia cap.* 12. Primumque Seculo IV. hanc inter Laicos & majores Clericos distinctionem incepisse, neque antiquius illius disciplinæ testimonium haberi responso Siricii Papæ *Epist.* 1. *cap.* 14. relato à Gratiano *dist.* 50. *Can.* 66. Unde quod seculo V. S. Leo, postquam dixit: » Alienum est ab Ecclesiastica consuetudine, ut qui in presbyterali honore, aut in » Diaconi gradu fuerint consecrati, si pro crimine aliquo suo per manum impositionem remedium accipiant » pœnitendi, adjecit: *Quod sine dubio ex Apostolica tra-*

Vida S. Leo-

Leonis contraria benignè interpretanda.

traditione descendit, secundum quod scriptum est: » *Sacerdos, si peccaverit, quis orabit pro illo?*« benignè intelligendum est, uti rectè notat Quenellius ad *Epistolam 2. Leonis notá 6.* Ibidem monens, familiare » esse S. Leoni, ut cùm de Apostolica traditione ser- » monem habet, de ea loquatur, quam ab Apostolo » Petro Ecclesiæ Romanæ relictam putabat. Ea verò » ex Beati Petri traditione descendere existimavit, quæ » olim observata, & decretis sancita inveniebat, eo- » rum Ecclesiæ suæ Pontificum, quorum monumenta » supererant illâ ætate.« Cùm verò sat persuasum sit Eruditis, nullius ante Siricium P. Episcopi Romani Decretalem superfuisse, quod in hujus Epistola reperit, à prædecessoribus manâsse credidit; uti latiùs prosequitur Quenellius. Interim notanda sunt Leonis verba, quæ mox relatis subjicit, » Unde hujusmo- » di lapsis, ad promovendam misericordiam Dei pri- » vata est expetenda sucessio, ubi illis satisfactio, si » fuerit digna, sit etiam fructuosa.« Clericis erga publica & omnium oculis patens pœnitentia non imponebatur, ne Laicis scandalo esset, sed privata; atque inde labentibus seculis invaluit, Clericos in monasteria detrudendi ad agendam pœnitentiam disciplina. Verba Leonis refert Gratianus *dist.* 50. *c.* 67.

Can. XXVIII. » Item placuit, ut Presbyteri, Dia- » coni vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas ha- » buerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi » fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Epis- » copi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis » Episcopis. Quod si & ab eis provocandum putave- » rint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad » Primates suarum Provinciarum: *sicut & de Episco- » pis sæpè constitutum est.* Ad transmarina autem, qui » putaverit appellandum, à nullo intra Africam ad » communionem suscipiatur.«

Hic Canon, si hanc clausulam, *sicut & de Episcopis sæpè constitutum est*, excipias, iisdem planè verbis repetitur, in hoc codice *Num.* 125. ex Concilio Carthaginensi anni 418. eumque sine prædicta clausula, sub nomine Concilii Milevitani refert Gratianus 2. *q.* 6. *Can.* 34. qui more suo Canones ad sui temporis disciplinam inflectere studens, ei insignem hanc notam appendit: *nisi fortè Romanam Sedem appellaverint.* Quasi, ait Severinus Binnius in notis *ad Can.* 22. *Concilii Milevitani II.* » Africani trans- » mare appellantes, aliò quàm ad Romanum Ponti- » ficem appellare consuevissent.«

Erratque Gratianus Canonem ad sui temporis disciplinam inflectens.

Prædictam verò clausulam: *Sicut & de Episcopis sæpè constitutum est*, Baronius, Perronius, atque novissimè Auctor Gallicus de judicio Episcoporum *Cap.* 12. *art.* 2. contendunt, supposititiam esse: Nec ab ulla Carthaginensi Synodo additam. Ex adverso autem, Petrus à Marca, Guillelmus Beveregius post Bsalmonem, Zonaram aliosque, fatentur quidem eam à synodo Milevitana non fuisse Canoni insertam, sed contendunt, à Synodo Carthaginensi VI. adjectam: Quia in omnibus Concilii hujus Carthaginensis codicibus tam Græcis, quàm Latinis, manuscriptis pariter ac impressis habetur: & à Dion. Exiguo cum illa clausula huic Synodo adscribitur.

Quod verò idem Beveregius ad hanc clausulam subjicit: quod quidem » eximium argumentum est, » Papam Romanum, Africanorum horum Patrum ju- » dicio, nec Caput Ecclesiæ esse, nec summum Ec- » clesiasticarum causarum Judicem, quem Episcopo » aut Clerico in sua Provincia condemnato, appel- » lare liceat:« si dicere intendat, quod ex denegatâ à sententia Primatis Provinciæ appellatione, vel in speciem, omnis Romani Pontificis in Africanos Episcopos Clericosque negaretur auctoritas, & superioritas, multum hallucinatur.

Cur enim coërcendis malevolorum tergiversationibus & frivolis appellationibus, hæc statui non potuit disciplina, sine Episcopi Romani Primatûs aut Superioritatis læsione; æquè ac sine Regiæ auctoritatis violatione ubique penè receptum est, à sententia capitali lata à Magistratu civili, nullam admitti appellationem ad Supremum Principis Senatum?

Can. XXIX. » Placuit universo Concilio, ut qui- » cumque excommunicatus fuerit pro suo neglectu, » sive Episcopus, sive quilibet Clericus, & tempo- » re excomunicationis suæ, ante audientiam, com- » munionem præsumpserit, ipse in se damnationis ju- » dicetur protulisse sententiam.«

Allusio ad hunc codicem.

Grat. II. *q.* 3. *Can.* 9. ex Concilio Africano: sed monent Correctores Romani: » In Concilio quod ho- » die inscribitur Africanum, Caput hoc non habetur; » sed in Carthaginensi inserto in *Codice Canonum*: & » in Græco *cap.* 29. & refertur in Synodo 5. Sess. 7. » in Epistola Vigilii.«

cem Africanum.

En rursus argumentum pro auctoritate codicis Africani; qui sub nomine Concilii Carthaginensis in codice Canonum Dionysii Exigui extat.

Can. XXX. » Placuit, ut accusatus vel accusa- » tor in eo loco, unde & ille, qui accusatur, si me- » tuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi » eligat proximum, quo non sit difficile testes perdu- » cere, ubi causa finiatur.«

Clerici imperantibus Episcopis, suas Stationes mutare debent.

Can. XXXI. » Placuit, ut quicunque Clerici vel » Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtem- » peraverint Episcopis suis, volentes eos ad honorem » ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic mi- » nistrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.«

Hoc canone perstringuntur Ecclesiastici, qui vel lucro temporali, vel corporali quieti nimium addicti, renuunt legitimis Superioribus obedire, dum eos à statione, quam tenent, vocant ad aliam; forsan quidem minùs lucrosam, minusve commodam; sed in qua plus laborare, talentaque sua majori cum fructu impendere possint.

Can. XXXII. » Placuit, ut Episcopi, Presbyte- » ri, Diaconi vel quicumque Clerici, qui nihil ha- » bentes ordinantur, & tempore Episcopatûs, vel » Clericatûs sui agros, vel quæcunque prædia nomine » suo comparant, tanquam rerum Dominicarum in- » vasionis crimine teneantur; nisi admoniti eadem ip- » sa in Ecclesiam contulerint. Si autem ipsis propriè » aliquid liberalitate alicujus, vel succesione cogna- » tionis obvenerit, faciant inde, quod eorum pro- » positio congruit; quod si à suo proposito retrorsum » exorbitaverint, honore Ecclesiastico indigni, tan- » quam reprobi judicentur.«

Reflexio moralis adversas Clericos ex beneficiis Ecclesiasticis divitias congregantes.

Ad hunc Canonem reflectens Car. Baronius, ad annum 397. N. 53. ait: » Memoriâ quidem dignum » illud, quod tunc à Patribus sancitum est. Cùm » enim redditâ pace, Ecclesia ubique bonis afflue- » ret, complures ex iis, qui eidem ministrabant, pie- » tatem convertentes in quæstum, tepescente in eis » sanctitatis vitæ studio, vel curâ pauperum frigescen- » te, colligendi divitias tantummodo flagrabant, agrum » agro jungentes, & domum domui copulantes. Hos » planè sugillat S. Hieronymus, hos ut caveat, admo- » net Nepotianum *Epist.* 2. cùm ait:« Obsecro ita- » que te, & repetens iterum iterumque monebo, ne » officium Clericatûs genus antiquæ militiæ putes, id » est, ne lucra seculi in Christi quæras militia, nec » plus habeas, quàm quando Clericus esse cæpisti.... » Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex » ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge.«

Utinam hæc expenderent, qui pauperes nati & educati, ad optima Beneficia Ecclesiastica hodie promoventur!

Can. XXXIII. » Placuit, ut Presbyteri non ven- » dant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescienti- » bus Episcopis suis, quomodo Episcopis non licet » vendere prædia Ecclesiæ, ignorante Concilio vel » Presbyteris suis. Non habente ergo necessitatem, nec » Episcopo liceat Matricis Ecclesiæ, nec Presby- » tero rem tituli sui usurpare.« Gratianus 12. *q.* 2. *Can.* 50. & 51. sub nomine *Carthaginensis unici*: Quo verisimiliter codicem hunc Africanum, qui, ut sæpius monuimus, sub hoc titulo in Canonum codice Romano non semel designatur, designat.

Expresio Gratiani planior & textui conformior quàm Græca.

Finalem ita expresit Gratianus: *Nec Episcopis liceat vendere prædia inconsulto Concilio, vel cuncto Presbyterio sine ulla necessitate*: Quæ expressio & propiùs accedit ad expresionem Dionysianam; & præcedentibus Canonis verbis convenientior est, quàm expressio ex Græco, quam citato Canoni 51. subjiciunt Correctores Romani.

Hactenus, è codice Ecclesiæ Africanæ relati 33. Canones Synodo Carthaginensi VI. anno 491. à 217. Patribus celebratæ à viris eruditis adscribuntur: testaturque Labbæus, quod in codice manuscripto prædictis Canonibus subjiciatur: *Finis Canonum Sanctorum Patrum 217. cum Papa Aurelio Carthagine congregatorum.*

§. V.

§. V.

Canones Concilii Carthaginensis, Cæsario & Attico VV. CC. Cons. quinto Kalendas Septembris, id est, juxta Justellum, Ann. 397.

POst relatos 33. Canones Concilii Carthaginensis VI. sequitur in Codice Canonum: » recitata » sunt etiam in ista Synodo diversa Concilia universæ » Provinciæ Africæ, transactis temporibus Aurelii Car» thaginensis Episcopi celebrata. «

Hæc esse verba Dionysii Exigui (quem hujus codicis collectorem fuisse suprà monuimus) non autem ipsius Synodi, plùs quàm manifestum est.

Meminit deinde Concilii Hipponensis. » Gloriosis» simo Imperatore Theodosio Augusto III. & Abun» dantio V. C. Conss. 8. idus Octobris; « id est, juxta Justellum, anno 393. de quo refertur. » Gesta hujus » Concilii ideo descripta non sunt, quia ea, quæ ibi » statuta sunt, in superioribus probantur inserta.

Canones Concilii Hipponensis in Synodo Carthaginensi VI. repetiti.

Cùm verò Dionysius hactenus nihil præter Canones Synodi Carthaginensis VI. retulit, non caret fundamento, quod ex Dionysii nota elicit Petrus à Marca in dissertatione *de veteribus collectionibus Canonum*, quæ in dicto Concilio Hipponensi statuta erant, à Synodo Carthaginensi fuisse assumpta; atque sub ejus nomine promulgata.

Post hæc mentio fit Concilii Carthaginensis Imperatoribus Arcadio III. & Honorio II. Augg. Conss. VI. Kalendas Julias; id est, notante Justello, anno 394. de quo id duntaxat narratur. » In hoc Con» cilio Legati delecti sunt Episcopi Proconsulares ad » Concilium Adrumentinum. «

His subjicitur Synodus Carthaginensis habita 5. Kalend. Septemb. 397. secundùm Justellum: ubi multa sunt constituta, ut in titulo notatur, è quibus Canones 23. retulit Dionysius: eosque continuâ numerorum serie cum 33. præcedentibus, tanquam unius ejusdemque Synodi Canones, suo codici inseruit: majoris tamen claritatis causâ hos atque sequentium Conciliorum Africanorum Canones, per novos & distinctos numeros referemus, annotato interim numero, sub quo in codice Africano quisque Canon notatur.

Can. I. hujus Concilii: In Cod. 34. » Epigonius » Episcopus dixit: in hoc Breviario, quod excerptum » est de Concilio Hipponensi, nihil arbitramur esse » emendandum, vel assuendum, nisi ut dies Sanctæ » Paschæ tempore Concilii innotescat. «

Quid emancipatio.

Can. II. In cod. 35. » Ut Episcopi, vel Clerici fi» lios suos suâ potestate per emancipationem exire » non sinant, nisi de moribus eorum fuerint & de » ætate securi, ut possint ad eos jam propria perti» nere peccata. «

Ratio & spiritus Canonis.

Emancipatio apud Romanos dicitur libertas, quam dat Pater filiis, qui in ejus sunt potestate. Dicit ergo Canon, non debere Episcoporum & Clericorum filios, per emancipationem eorum exire potestate; » nisi, ait Balsamon, ex ætate & bonis moribus rectam » scientiam dederint, se posse sua prudenter, & ut » oportet, administrare. Hoc autem nisi ita fiat, di» cunt Patres reddituros rationem pro peccatis filio» rum. «

Spiritus Canonis est, inculcare parentibus, sedulò agere curam filiorum, ne horum peccata ipsis imputentur.

Can. III. In cod. 36. „ Ut Episcopi & Presbyteri » & Diaconi non ordinentur, priusquam omnes, qui » sunt in suis ædibus, Christianos Catholicos fece» rint.

Ratio Canonis.

„ Quisquis enim domesticos suos erudire, atque » à privato sensu ad rectam sententiam traducere non » potest, aut negligit, ait Zonaras, quo pacto aliis » erudiendis ille sufficit? "

Consonat huic Canoni monitio Apostoli: *si quis domui suæ præesse nequit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*

Can. IV. In cod. 37. „ Ut in Sacramentis Corpo» ris & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm » quod ipse tradidit, hoc est, panis & vinum aquâ » mixtum: primitiæ verò, seu mel & lac, quod uno » die solemnissimo in infantium mysterio solet offer» ri, quamvis in altari offerantur, suam tamen ha» beant propriam benedictionem, ut à Sacramento » Dominico Corporis & Sanguinis distinguantur, nec » amplius in primitiis offeratur, quàm de uvis, & fru» mentis. " Grat. dist. 2. *de Consec. Can.* 5.

Recens baptizatis lac & mel gustandum dare, ritus antiquissimus est, quæ illius ratio.

Per *Infantes* intelligit Canon Neophytos sive recenter baptizatos; de quibus & hodie canit Ecclesia in die octava Paschæ: *quasi modò geniti infantes.*

Ad hæc notandum, ritus esse antiquissimi, ut recens baptizatis, tanquam in Christo renatis infantibus lac & mel gustandum detur. Ejus meminit Tertullianus, de Corona milit. *cap.* 3. „ Inde ex sacro » fonte suscepti lactis & mellis concordiam degusta» mus. " Et S. Hieronymus: „ Multa quæ per tradi» tionem observantur in Ecclesiis, auctoritatem sibi » legis scriptæ usurparunt, velut de sancto fonte egres» sos lactis & mellis prægustare concordiam, ad in» fantiæ significationem. "

Lacte hoc materiali significatum volebat Ecclesia illud, de quo S. Petrus ad Neophytos: *quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite.*

Abusus hoc canone notatus qua occasione invaluerit.

Lac autem illud & mel in solemnissimo die Paschæ, olim Baptismo conferendo præcipuè destinato, offerri & benedici in altari consueverat: & hinc imperiti quidam Episcopi, & Presbyteri, cœperunt ipsam Eucharisticam consecrationem eis impertiri; quem errorem & abusum præsens Canon proscribit.

Can. V. In cod. 38. „ Clerici vel Continentes, » ad viduas, vel virgines, nisi ex jussu vel permis» su Episcoporum, aut Presbyterorum non acce» dant: & hoc non soli faciant, sed cum Conclericis, » vel cum quibus Episcopus aut Presbyter jusserit, » nec ipsi Episcopi vel Presbyteri soli habeant ac» cessum ad hujusmodi fœminas, sed ubi aut Clerici » præsentes sunt vel graves aliqui Christiani. " Grat. *dist.* 31. *Can.* 32.

Juxta Spiritum hujus canonis, vetitum, ne Monachi sine licentia claustra Monialium frequentent.

Hujus Canonis mentem secuti Romani Pontifices sub gravissimis pœnis prohibuerunt, ne Monachi ad monasteria Monialium colloquendi causâ sine expressa Superiorum licentia accedant: de quibus consuli poterit Prosper Fagnanus ad cap. *Quanto*, ✠ *de privileg.* ibidem latè probans, Regulares sine legitima Superiotum licentia ad Monialium Monasteria, quantumvis Ordinariis non subjecta, accedentes, posse ab Episcopis saltem ut Sedis Apostolicæ delegatis puniri tanquam contra clausuram Monialium peccantes.

Can. VI. In cod. 39. „ Ut primæ Sedis Episcopus » non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus » Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantùm pri» mæ Sedis Episcopus. " Grat. *dist.* 99. *Can.* 3.

Quod hic titulis significatur verè competit Episcopis, licet tiulos fugere debeant.

Prohibuit Canon hos titulos ab Episcopis assumi, non quasi illis haud competeret, id quod illis significatur; cùm teste ipso Augustino, *Episcopus non sit nisi primus Sacerdos, hoc est*, ait, *summus Sacerdos*, » sed vetita sunt hæc vocabula, " ait Theodorus Balsamom laudatus à Baronio ad annum 397. „ ad tol» lendam arrogantiam: & propterea plures Patriar» chæ & Antistites se ipsos viles & humiles appellant » in suis inscriptionibus. "

Frequentatio tabernarum Clericis vetita.

Can. VII. In cod. 40. „ Ut Cleri edendi vel bi» bendi causâ tabernas non ingrediantur, nisi pere» grinationis necessitate compulsi. " Grat. *dist.* 44. *Can.* 4.

„ Statutum verè aureum, " ait D. Schelstratius in sua Ecclesia Africanâ, *diss.* 3. *cap.* 8. *N.* 12. „ quod » utinam observaret Clerus nostri temporis. " Hanc disciplinam ex Synodis Belgicis latiùs prosecuti sumus Dissertatione de Canonicis, *p.* 2. *cap.* 3. §. 6.

Disciplina de servando jejunio ante sumptionem Eucharistiæ probata.

Can. VIII. In cod. 41. „ Ut Sacramenta Altaris » non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto » uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. » Nam si pomeridiano tempore defunctorum sive cæ» terorum commendatio facienda est, solis orationi» bus fiat; si illi, qui faciunt, jam pransi inveniuntur. " Grat. *dist. de Consec. Can.* 49.

De exceptione diei anniversariæ, qui etiam non jejuni de Sacramento Altaris participare licebat, agit S. Augustinus Epist. ad Januarium *cap.* 7. & meminit *Canon.* 9. *Trullanus.*

Oblatio Sacrificii pro mortuis stabilita.

Ex reliquis Canonis verbis adstruitur, jam tum receptum fuisse Ecclesiæ Catholicæ ritum, non tantum fundendi præces & orationes, sed etiam Sacrificium Missæ offerendi in defunctorum sepultura.

A conviviis in Ecclesia populus retrahendus.

Can. IX. In cod. 42. „ Ut nulli Episcopi vel Cle» rici in Ecclesia conveniantur, (vel ut apud Justel» lum, *conviventur*) nisi fortè transeuntes hospitiorum » necessitate illic reficiant: populi etiam ab hujus» modi conviviis, quantum fieri potest, p rohibean» tur. "

Grat. *dist.* 42. *Can.* 5. De his conviviis, quæ apud Græ-

Græcos *Agapæ*, sive convivia charitatis dicta fuêre, vide supra ad *Can.* 27. *Laodicenum*.

Pœnitentia temporà ab Episcopis designanda? & eorum conciliatio Episcopis reservata.

Can. X. In cod. 43. »Ut pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio »pœnitentiæ tempora decernantur, & ut Presbyter »in consulto Episcopo non reconciliet pœnitentem; »nisi absentiæ Episcopi necessitate cogente. Cujuscunque autem pœnitentis publicum & vulgatissimum »crimen est, quod universalem Ecclesiam commoverit, ante absidem manus ei imponantur.«

Hic Canon refertur à Gratiano ex Concilio Carth. III. in duos divisus, 26. *q.* 6. *Can.* 14. & 26. *q.* 7. *can.* 5.

Observet hîc lector, tanti momenti existimâsse Patres Africanos, tempora pœnitentiæ peccatorum gravitati convenientia præscribere, & pœnitentes reconciliare, ut ea Presbyteris non crediderint, sed solis Episcopis.

Quid sit conciliare ante absidem.

Quid per hæc verba, ante *absidem* inteligatur, inter interpretes non omninò convenit. Quidam enim, ac præcipuè Græci volunt significari locum *extra Ecclesiam*: alii verò, locum in Ecclesia, sed *patentem*; »ita ut certum sit, quacunque notione sumatur, »hujus Canonis mentem esse,« ait Vir eruditus Albaspinæus *in notis Ad Can.* 32. *Concilii Carth. III.*

Pœnitentia publica pro peccatis publicis.

»ut eorum gravissimorum criminum pœnitentia & »purgatio in omnium oculis constituatur; exemplique cujusdam vim rationemque propositi subeat.«

Specialis cura habenda circa sacras Virgines.

Can. XI. in cod. 44. »Ut Virginis sacræ, cum »Parentibus à quibus custodiebantur, privatæ fuærint, Episcopi, vel Presbyteri ubi Episcopus absens est, providentiâ gravioribus fœminis commendetur, aut simul habitantes invicem custodiant; »ne passim vagando, Ecclesiæ lædant existimationem.«

Hoc est, ait Zonaras, *suspicionibus de Ecclesia parum commodis occasionem nonullis præbeant.*

Can. XII. In cod. 45. Duas partes habet: Et in Concilio Carthaginensi III. uti & à Gratiano in duos Canones dividitur.

Priori parte decernitur; »Ut ægrotantes, qui »pro se respondere non possunt, cùm voluntatis »eorum testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizentur.« Vel ut legitur in Concilio Carthag. III. Can. 34. *Cùm. voluntatis, eorum testimonium hi qui sunt, periculo proprio dixerint.* Hîc satis innuitur de domesticis infirmis agi, Grat. *dist.* 4. *de consec. Can.* 75. Non agitur hoc Canone de Cathecumenis, id est, qui declarato desiderio recipiendi Baptismi, jam ad eum ritè suscipiendum instituebantur, sed de gentilibus nondum in Cathecumenatu constitutis. Animus enim & voluntas suscipiendi Baptismum toto Catechumenatu nemini non cognita, omnem de dando Baptismo dubitationem tollebant: secùs in alio, qui catechumenus non erat, unde hujus exploranda erat voluntas & sententia, uti latiùs & eruditè ostendit Albaspinæus ad *Can.* 34. *Concilii Carthag.* ibidem observans, etiam pœnitentibus, id est, qui in ordine pœnitentium erant adscripti, si in similem morbum subitò incidissent, sine prævia ulteriori de eorum voluntate inquisitione reconciliationem datam fuisse; eo quòd similes toto tempore pœnitentiæ indicia sufficientia desideratæ reconciliationis dedissent. Unde & apud Gratianum additur: *Similiter & de pœnitentibus agendum est*: Quod nec in Concilio Carthaginensi, nec codice Canonum legitur.

De quibus hoc Canone agatur.

Clausula à Gratiano aliena addita à textu, sed non à sensu.

Altera Canonis parte statuitur: »Ut scenicis, »atque histrionibus, cæterisque his personis vel »apostaticis conversis vel reversis ad Deum, gratia »vel reconciliatio non negetur.« Grat. *dist.* 2. *de Consec. Can.* 96.

Scenicorum & histrionum vita Christianissimo valde opposita.

Quam alienam à professione Christianismi crediderint Patres scenicorum atque histrionum vitam, vel exinde patet, quod eos cum apostaticis, aliisque, de quibus aliquando dubitatum fuit, num danda esset conciliatio, conferre non dubitent.

Ritus legendi acta Martyrum in Ecclesia probatur.

Can. XIII. In cod. 46. »Liceat etiam legi passiones Martyrum, cùm anniversarii dies eorum celebrantur.«

Can. XIV. In cod. 47. Continent controversiam de infantibus à Donatistis baptizatis, & ad Ecclesiam reversis, utrum ad Clerum promoveri possint: »super qua consuli volunt Patres Africani, »Consacerdotes Siricium (Episcopum Romanum) »& Simplicianum (Mediolanensem) de solis infantibus, qui baptizantur penes eosdem: ne quòd »suo non fecerunt judicio, cùm ad Ecclesiam Dei »salubri proposito fuerint conversi, parentum illos »error impediat, ne promoveantur sacri Altaris »Ministri.«

Translationes Episcoporum comparantur rebaptizationibus.

Can. XV. In cod. 48. »Illud autem suggerimus »mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, ut non liceat fieri »rebaptizationes, reordinationes vel translationes »Episcoporum. Nam Cresconius Villa-Regensis »Episcopus plebe suâ derelictâ, Tubuniensem invasit Ecclesiam, & usque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem, »quam invaserat, plebem contempsit. Adversus istum »quæ pronuntiata fuerant, confirmata quidem audivimus: sed petimus secundum quod nobis mandatum »est, ut dignemini dare fiduciam, quod jam necessitate ipsâ cogente liberum nobis sit Rectorem Provinciæ secundum statuta gloriosissimorum Principum, adversùs illum adire: Ut qui miti admonitione sanctitatis vestræ acquiescere noluit, & emendare illicitum, auctoritate judiciariâ prorsus excludatur. Aurelius Episcopus dixit: servatâ formâ disciplinæ non æstimabitur appetitus, si à vestra charitate modestè conventus recedere detrectaverit; cùm »fuerit suo contemptu & contumacia, faciente etiam »auctoritate judiciariâ, conventus. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt: hoc ergò omnibus placet. Ab universis Episcopis dictum est: justum est »placet.«

Translationes Episcoporum odiosæ.

Canonem in duos divisum refert Gratianus, & quidem paucis verbis è canone desumptis, hunc Canonem confecit: »Non licet fieri rebaptizationes & »reordinationes, vel translationes Episcoporum.« *Dist.* 4. *de Cons. Can.* 107. Ex hoc Canone apparet, quàm odiosæ jam pridem Patribus fuerint Episcoporum translationes; quandoquidem eas cum rebaptizationibus & reordinationibus conferre haud dubitent.

Implorationis brachii secularis probata.

Alterum suum Canonem conflavit Gratianus ex sequentibus verbis, incipiendo à verbo *petimus* paucis immutatis, 11. *q.* 1. *Can.* 19. qui Canon ostendit, novum non esse implorare brachium seculare, etiam contra Episcopos potestati Ecclesiasticæ rebelles.

Tres Episcopi ad ordinandum Episcopum sufficiunt.

Can. XVI. In cod. 49. Permittit, ut juxta antiquam formam tres Episcopi suficiant ad ordinandum Episcopum: quia frequenter dificile esset, & Ecclesiis incommodum, plures Episcopos convenire.

Objecta Episcopo electo qua forma examinanda & à quibus.

Can. XVII. In cod. 50. „Sed illud est statuendum, ut quando ad eligendum Episcopum con»venerimus, si quæ contradictio fuerit oborta, quia »talia tractata sunt apud nos, non præsumant ad »purgandum eum, qui ordinandus est, tres jam, »sed postuletur ad numerum supra dictorum unus »vel duo in eadem plebe,“ (apud Justellum & Labæum: *Unus vel duo, & in eadem plebe*: Ita ut hæc *in eadem plebe*, ad sequentia referantur) „cui »ordinandus est, discutiantur primò personæ con»tradicentium. Postremò etiam illa quæ objiciuntur: »pertractentur, & cùm purgatus fuerit in conspectu »publico, ita demùm ordinetur. Si hoc cum vestræ »Sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ Dig»nationis responsione. Ab universis Episcopis dictum »est: Satis placet.“

Grat. *dist.* 23. *Can.* 5. ex Concilio Carthag. III. qui pro verbis *unus vel duo*, legit, *duo vel tres*.

Quidquid sit de hac lectionis varietate, illud ex hoc Canone constat, ea quæ Episcopis electis objiciebantur, per Episcopos, qui ad ordinationem conveniebant, fuisse tunc temporis discusa & judicata.

Can. XVIII. In cod. 51. Hoc unum decernitur, ut in annuo Episcoporum conventu evulgetur sanctus Paschæ dies per Legatos, qui adfuerint concilio. Vide notas ad Can. 73. cod.

Can. XIX. In cod. 52. Nullum specialem disciplinæ articulum exhibet; sed solùm narrat, quòd ob tyranicos incursus Mauritania, aliæque quædam Provinciæ suo ordine & tempore visitari non potuerint.

In Parochia qua Episcopum proprium non

Can. XX. In cod. 53. Duo præcipuè continet. Primò suggerit Epigonius Episcopus; »In multis »Conciliis hoc statutum à Cœtu Sacerdotali est, ut »plebes, quæ in Diœcesibus ab Episcopis retinentur,

non habuit, Episcopus constitui non potest sinè consensu Episcopi, cui hactenus subfuit.

tur, quæ Episcopos nunquam habuerunt, non nisi » cum voluntate ejus Episcopi, à quo tenentur, pro- » prios accipiant Rectores, id est, Episcopos. « Hanc partem iisdem verbis refert Gratianus 16. *q.* 1. *Can.* 51. exceptis solis finalibus, *id est Episcopos.*

Sensus est: quòd populus alicujus civitatis aut parochiæ, qui nunquam proprium Episcopum habuit, non nisi de assensu ejus Episcopi sub cujus Diœcesi hactenus fuit, Episcopum accipere possit. Hoc Epigonius Aurelio Carthaginensi Episcopo proposuit, ut ejus auctoritate à Synodo confirmaretur; eo quod quidam » tumidi atque stolidi adversus Episcopum suas » cervices erigunt Presbyteri, vel conviviis sibi con- » ciliantes plebem, vel certè persuasu maligno, ut » illicito favore eosdem velint sibi collocare Recto- » res. « Vel ut habent Græca apud Balsamonem. *Multitudinem conviviis & malignis consiliis instigantes, ut in ordinatâ benevolentiâ eos sibi Directores constituant.*

Episcopi Syn. non parentes, & rebeles è sedibus suis ejiciendi.

Aurelius probans consilium Epigonii, addit insuper » sunt plurimi conspirantes cum plebibus propriis, » quas decipiunt, earum scalpentes aures, blandi ad » seducendum, vitiosæ vitæ homines vel certè inflati, » & ab hoc consortio separati, qui putant, propriæ » plebi incubandum, & nonnunquam conventi ad Con- » cilium venire detrectant; sua fortè ne prodantur fla- » gitia metuentes. « Aut ut clariùs, & sequentibus conformius legitur apud Græcos: » Potius autem infla- » ti, & ab hoc consortio se ipsos separantes, qui qui- » dem proprio populo innitentes, sæpe evocati, ut » veniant ad Synodum, recusant, ut qui timeant, ne » absurda eorum facta manifestentur. «

Non enim Aurelius loquebatur de his, qui à consortio Sacerdotali erant separati, ut innuit lectio Dionysiana, sed de his, qui seipsos separabant; utpotè qui vocati ad Synodum, venire detrectabant; adversus quos Aurelius proposuit, » an placeat, his » non tantùm Diœceses non esse servandas, « (sive juxta Græcos: *ut non solùm iis non serventur hujusmodi Diœceses*, de quibus locutus erat Epigonius) » ve- » rùm & de propria Ecclesia, quæ illis malè faverit, » omnimodò annitendum, ut publicâ auctoritate re- » jiciantur, atque ab ipsis Principalibus Cathedris re- » moveantur: « Hoc est, ut iis, qui populi favore innixi, Fraternâ Dilectione contemptâ Synodos refugiunt, etiam propriis Cathedris & Ecclesiis *publica auctoritate* seu *seculari* ejiciantur, ut *rebelles*. Propositio Aurelii omnibus visa fuit justa; dixeruntque universi Episcopi: *Placet, placet.* Hocque est alterum punctum hoc Canone expressum.

Episcopi à Synodis judicati.

Hîc rursus observa, Episcopos in Synodis Provincialibus fuisse judicatos; eosque qui Synodorum judicia maliciosè & pertinaciter subterfugerent, dignos judicatos, ut tanquam *rebelles* auctoritate publicâ seu seculari suis sedibus ejicerentur.

Casus in Can. propositus.

Can. XXI. in cod. 54. Particularem casum & quæstionem exortam occasione cujusdam ordinationis exprimit Julianus Episcopus, puerum quemdam egentissimum Epigonio Episcopo commendaverat. Hic misericordiâ motus, eum ad se receperat, instruxerat & baptizaverat; cumque eum multis annis aluisset, tandem Lectorem ordinaverat; at postquam duobus annis in Ecclesia legisset, » nescio, ait Epigonius, quo » contemptu humilitatis meæ idem Julianus eum arri- » puit, quem dicit quasi *proprium civem sui loci Va-* » *zaritani*, « me inconsulto usurpare, nam & Diaconum illum ordinavit. » Quæsivit Epigonius à Con- » cilio num id liceret. Numidius Episcopus dixit: si » non postulatâ neque consultâ tuâ dignatione id vi- » detur fecisse Julianus, judicamus omnes iniquè fac- » tum atque indignè: Quapropter nisi idem Julianus » correxerit errorem suum, & cum satisfactione eun- » dem Clericum, quem fuerat ausus ordinare, revo- » caverit tuæ plebi, contra statuta Concilii faciens, » contumaciæ suæ separatus à nobis excipiet judi- » cium. «

Olim qui Ordinem etiam minorem ab uno Episcopo acceperat, ab alio superiorem accipere non poterat.

Hîc averte, quàm arcto vinculo Ordo etiam inferior Ordinatum Episcopo Ordinanti adstringeret; ac insuper eo tempore Clericos magis vi Ordinationis, quàm nativitatis Episcopis fuisse subjectos: adeò, ut qui inferiorem Ordinem ab uno Episcopo accepisset, ab alio nec titulo originis sine hujus consensu ad alteriorem promoveri posset. Quæ disciplina multis seculis satis universaliter conservata fuit. Hinc & hodiè obtinuit, ut qui à Romano Pontifice Ordinem unum accepit, à nullo, sine ejus speciali licentia, ulteriorem accipere queat: cujus rei testimonium habetur apud Innocent. III. *Regist.* 1. *Epist.* 22. & in *Cap.* 12. ✠ *de temp. Ordinat.* ubi id communiter observant Canonistæ; sed imperitè ex ignorantia veteris disciplinæ, id in privilegium Romani Pontificis passim refundentes; cùm non sit, nisi veteris & generalis disciplinæ fidelius in Ecclesia Romana conservatæ aliqua restans particula.

Error Canonistarum ex ignorantia veteris disciplinæ.

Occasione eorum, quæ tum præcedenti, tum aliis multis Canonibus decreta erant: ne quis alienum Clericum sine licentia Episcopi ordinare præsumeret.

Can. XXII. In cod. 55. Aurelius Carthaginensis Episcopus, & totius Africæ Primas exposuit: » Sæpè » evenit, ut Ecclesiastici, qui indigent, Diaconos, vel » Presbyteros vel Episcopos à me petant: ego tamen, » memor eorum, quæ constituta sunt, illa sequor, » ut conveniam Episcopum Clerici, qui petitur, & ea » illi ostendam, quod qui sunt cujusvis Ecclesiæ, ejus » Clericum postulant. « Et hactenus quidem ex versione, quæ in codice Græcorum extat; Dionysiana quidem quoad sensum consona, sed expressione clarior. Post hæc quærit Aurelius, quid si Episcopus amicè ac humaniter interpellatus, Clericum suum pertinaciter recusaret, quid sibi hoc eventu esset agendum: *Ego enim*, inquit, *cunctarum Ecclesiarum, dignatione Dei, ut scitis Fratres, solicitudinem sustineo*: Vel ut in codice Græcorum: *Multarum Ecclesiarum curam gero*: Numidius dixit: Fuit semper hæc licentia huic Sedi, ut unde » vellet & de cujus nomine fuis- » set conventus, pro desiderio cujusque Ecclesiæ or- » dinare Episcopum. « Numidio succinuit Epigonius adjecitque: » Necesse habes tu omnes Ecclesias ful- » cire, unde tibi non potestatem damus, sed tuæ » assignamus: « (res potiùs *tua*, ut in codice Justelli; vel, *ea tua voluntate obsignamus*, ut in codice Græcorum) ut liceat voluntati tuæ, & » semper tenere » quem voles, ut Præpositos plebibus constitutas, qui » postulati fuerint, & unde volueris. «

Primatus Episcopi Carthaginensis.

Disciplina hoc Canone exhibita, ostendit; quòd nec ambitio, nec avaritia, aliusve Clericorum inordinatus aut carnalis affectus esset, qui rumperet vinculum, quo Clerici suo alligabantur Episcopo; sed Episcopi, quin suarum Ecclesiarum necessitatibus adacti, Coëpiscoporum charitatem & benignitatem implorabant.

Reflexiones occasione disciplinæ hoc Canone exhibitæ.

Ulteriùs evincit, quòd si Episcopi non moverentur Coëpiscoporum suorum necessitatibus, recusarentque pertinaciter Clericos, quos postulabant, fuisse in Africa unum scilicet Episcopum Carthaginensem, qui suâ auctoritate Episcoporum consensum suppleret; possetque transferre Clericos de una Ecclesia in aliam ad altiorem gradum promovendos. Quam Ecclesiæ Carthaginensis prærogativam Ferrandus Diaconus in Breviario suo *cap.* 230. his verbis expressit: *Ut soli Ecclesiæ Carthaginis liceat alienum Clericum ordinare.*

Deinde notandum; hîc propiè non agi de translationibus, quibus vel Episcopus ad alium Episcopatum, aut Presbyter ad aliam Parochiam transfertur, sed solùm de dandis inferioribus Clericis, qui necessitate exigente in alia Ecclesia ad altiorem ordinem essent promovendi: v. g. Diaconus in Presbyterum, vel Presbyter in Episcopum.

Canon XXIII. in cod. 56. Edicitur, ut si quæ parochia, quæ hactenus proprium Episcopum non habuit, de consensu Episcopi cui suberat, Episcopum acceperit, is Episcopus limitibus sibi assignatis sit contentus, nec in alias Diœceses se extendat. Post hæc Aurelius finem Synodo imponere desiderans ait: » Quoniam igitur universa arbitror fuisse tractata, si » omnia cum animo vestro concurrunt, sermone ves- » tro cuncta roborate. Universi Episcopi dixerunt: » omnia nobis hæc placuerunt, & hæc nostrâ subs- » criptione firmavimus. Et subscripserunt. «

Episcopus suis terminis debet esse contentus.

§. VI.

Canones Concilii Carthaginensis anni 401. *vel* 399.

RElatis XXIII. Canonibus Concilii Carthaginensis anno 397. 5. Kalendas Septembris celebrati, subnectitur aliud Concilium eodem anno, si Justello credimus celebratum, de quo hæc referuntur: » Placuit, » ut nullus Episcoporum naviget sine formata Pri- » matis. Gesta in authenticis, qui quæret, inveniet. «

Hæc

Hæc postrema verba esse Dionysii Exigui hujus codicis compilatoris, cui animus erat solos Canones referre, nullus non videt.

Asylus Templorum probatus.

Post hæc sequitur in codice, Synodus Carthaginensis 5. Kalendas Maii ann. 399. ut computat Justellus, collecta, de qua referuntur sequentia. » In » hoc Concilio Legationem susceperunt Epigonius & » Vincentius, Episcopi: ut pro confugientibus ad » Ecclesiam, quocunque reatu involutis, legem de » gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos » audeat abstrahere. «

Qua sit ex cujus occasione suscepta legatio.

Sat manifestum hæc supplicâsse Patres occasione legis, quæ suggerente Eutropio ab Arcadio anno præcedenti evulgata fuit. Hac quippe lege, ut ait Socrates *l.* 6. *cap.* 5. jubebatur, *ne quis ad Ecclesias confugeret, sed ut quicunque ad eas confugissent, inde abstraherentur.* Idem testatur Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 7. Vide notas Jacobi Gothofredi ad *L.* 2. *cod. Theod. de his qui ad Eccles. confug.* qui ibidem observat, quomodo interdum necesse fuerit, pro tranquillitate Reipublicæ Ecclesiarum asylo, quod à Clericis nimiùm subinde extendebatur, ab Imperatoribus limites figi.

Deinde exhibetur in cod. Synodus Carthaginensis habita 16. Junii an. 401. ut vult Justellus vel anno 399. ut alii contendunt; in cujus initio allocutus Pater Aurelius Carthaginensi Episcopus, exposuit necessitates, & angustias, in quas ex Donatistarum schismate incideret Africa: quodque tanta esset indigentia Clericorum multæque Ecclesiæ ita desertæ, *ut ne unum quidem Diaconum, vel illitteratum habere reperiantur*: quapropter suggerit, » eligendum esse e numero Consacerdotum, qui auxiliante Domino, ait, orationibus vestris, & has » ipsas necessitates suscipere possit, & graviter peragendas implere, perrecturus ad transmarinas Italiæ partes, ut tam Sanctis Fratribus & Consacerdotibus nostris, Venerabili Sancto Fratri Anastasio, Sedis Apostolicæ Episcopo, quam etiam Sancto Fratri Venerio Sacerdoti Ecclesiæ Mediolanensis necessitatem ipsam, ac dolorem atque inopiam » nostram valeat intimare. Ex his enim Sedibus hoc » fuerat prohibitum, quod noverint, communi periculo providendum: maximè quia tanta indigentia Clericorum est, multæque Ecclesiæ ità desertæ sunt, ut ne unum quidem Diaconum vel illitteratum habere reperiantur. Nam de cæteris superioribus gradibus, & officiis tacendum arbitror, quia » ut dixi, si ministerium Diaconi facilè non invenitur, multò magis superiorum honorum inveniri non » posse certissimum est. «

Unde tanta per Africam Clericorum penuria.

Ut postremorum horum verborum sensus percipiatur, sciendum, summam illam Cleri Africani penuriam de qua Aurelius, inde contigisse, quod Donastistæ tunc temporis per Africam latè diffusi, omnes pene Ecclesias occupâssent. Verum quidem est, Aurelio, Agustino aliisque Catholicis Episcopis allaborantibus, multos è Donatistis fuisse conversos: sed cùm eos ad Clerum promoveri vetuisset Anastasius Papa in Concilio Italico, cui Venerius Mediolanensis interfuerat, legationem ad illos mittendam censuit Aurelius; ut spectatâ præsenti Africæ necessitate, & præsertim Clericorum penuriâ, de suo constituto aliquid relaxare vellent, communi periculo providentes. Quem verborum illorum sensum & Legationis scopum manifestè evincit Canon I. ex novem huic Synodo adscriptis.

Parvuli apud Donatistas baptizati & ad Ecclesiam reversi in Clerum assumi possunt.

Itaque Canone I. in cod. 57. Aurelius Patribus revocavit in memoriam, quoniam superiori Concilio statutum esset, » ut hi, qui apud Donatistas » parvuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum, posteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnitâ veritate falsitatem eorum abhorrentes ad Ecclesiam Dei Catholicam, per universum mundum diffusam ordine antiquo, per manûs impositionem recepti sunt, debere talibus suscipiendum munus Clericatûs non impedire nomen erroris: cum veram Ecclesiam eorum putaverint ad fidem accedendo, & ibi Christo crediderint, & Trinitatis Sacramenta perceperint, quæ omnia vera, & Sancta atque divina esse certissimum est, & in his omnem animæ spem » constitutam. Deinde aliquibus interpositis, Aurelius idem rursus proposuit, & resolvit, & ii parvuli, qui mâtris Ecclesiæ ubera congnoscentes, illa » omnia Sancta Mysteria amore veritatis crediderunt, » atque perceperunt, quibus Sacramentorum rebus » cùm vitæ bonæ probitas acesserit, sine dubio ad » officium clericatûs tales esse applicandos, & maximè in tanti rerum necessitate, nullus est, qui » non concedat. Quanquam nonnulli ejusdem sectæ » Clerici cum plebibus, atque honoribus suis ad nos » transire desiderent; qui amore honoris aut persuadent ad vitam, aut retinent ad salutem. Sed hoc » majori fratrum considerationi dimittendum censeo; » ut prudentiori suo consilio nostræ suggestionis sermonem cùm perpenderint, quid de hac re eis placeat, nos informare dignentur. Tantum de his, » qui infantes baptizati sunt, satagimus, ut nostræ, » si placet, in iisdem ordinandis consentiant voluntati. Omnia ergo quæ superius comprehendimus » apud Sanctos Episcopos agenda mecum honorabilis fraternitas vestra perpendat. «

Gratianus Canonis verba refert 1. *q.* 4. *Canon.* V. » ut probet, filio non nocere paternum crimen, eo » ignorante commissum. «

Ratio legationis, ad Episcopos Romanum & Mediolanensem.

Porrò ex hoc Canone evidens est, consultationem, & legationem, de qua in præfatione Synodi locutus erat Aurelius, spectâsse quæstionem, num reversi à Donatistis aliquando ad Clerum admitti possent; ipsosque Africanos nihil præter arbitrium Anastasii Episcopi Romani, & Venerii Mediolanensis agere voluisse; ne si ipsi ad Clerum admisissent, quos illi excludendos decreverant, Unitati Ecclesiæ vulnus aliquod inflictum videretur, cujus conservandæ causâ jam toties decretum fuerat, ne exclusus ab una Ecclesia temerè ab alia reciperetur.

Quid præfati Episcopi responderint; quidve ulteriùs resolutum sit, infrà videbitur.

De abolendis reliquiis idolorum.

Canon. II. in codice 58. » Instant etiam aliæ necessitates à religiosis Imperatoribus postulandæ, ut » reliquias idolorum per Africam jubeant penitus amputari. Nam plerisque in locis maritimis atque possessionibus diversis, adhuc erroris istius iniquitas » viget, ut præcipiantur & ipsa deleri & templa » eorum quæ in agris vel in locis abditis constituta, nullo ornamento sunt, jubeantur omnimodo » destrui. «

Ut Clerici qui judices fuerunt in causa ad dicendum testimonium non cogantur.

Canon. III. In codice 59. » Petendum etiam, ut » statuere dignentur, ut si qui fortè in Ecclesia quamlibet causam jure Apostolico Ecclesiis imposito, » (apud Græcos, *jure Apostolico, quod in Ecclesiis situm est*) agere voluerint, & fortasse decisio Clericorum uni parti displicuerit; non liceat » Clericum in judicium ad testimonium devocari eum, » qui cognitor, vel præsens fuit: « (vel ut Græci legunt: *Non licere in Judicium ad testimonium ferendum vocare Clericum illum qui priùs rem ipsam examinavit, vel examinationi interfuit*) » ut nulla » ad dicendum testimonium Ecclesiastici cujuslibet » persona pulsetur: « (apud Græcos verò ita legitur: *Ut nec quis ad Ecclesiasticam personam attinens in Jus vocetur, ut ferat testimonium.*)

Notatur Gratianus.

Hunc Canonem refert. Grat. 2. *q.* 6. *Can.* 38. sed ità, ac si à Patribus Africanis *statutum esset*, quod ipsi ut statueretur ab Imperatoribus postulandum decernunt. Deinde pro verbo *Præsens*, posuit *Præses*; quem errorem in margine notant correctores Romani.

Sensus Canonis.

His verbis, *jure Apostolico Ecclesiis imposito*, signifinare voluêre Patres, Apostolico quodammodo jure Ecclesiæ deberi, quod quasdam ut minùs causas cognoscat, cùm dicat Apostolus 1. *ad Corinth.* 6. *Audet aliquis vestrûm habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? &c.*

Si versionem Græcorum sequantur: clarum est, quod etiam postulandum censuerint, ne consanguineus, id est, *attinens*, Clerici cogatur testimonium dicere contra consanguineum, uti notat Zonaras; & à legibus civilibus non est dissonum.

Convivia Paganorum abolenda.

Canon. IV. in cod. 60. » Illud etiam petendum, » ut quæ contra præcepta divina convivia multis in » locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta » sunt, ita ut nunc à paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur: « (in codice græco: *Ut etiam Christiani ad paganos clanculum in eorum celebratione accedant*) » ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri videatur: « (hæc postrema à codice græco absunt) » vetari talia jubeant, & de civitatibus & de possessionibus » impositâ pœnâ prohiberi, maximè cum etiam in » natalibus Martyrum per nonnullas civitates, & in » ipsis locis sacris talia committere non reformident.

» Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, » saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas » exerceant: ut matronalis honor & innumerabilium » fœminarum pudor, devotè servientium ad sacra- » tissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur: ut » etiam ipsius Sanctæ Religionis penè fugiatur ac- » cessus. «

De spectaculis & ludis publicis abolendis.

Can. V. in cod. 61. » Nec non & illud peten- » dum, ut spectaculo Theatrorum cæterorumque lu- » dorum die Dominica, & cæteris Religionis chris- » tianæ diebus celeberrimis amoveantur; maximè, quia » Sancti Paschæ Octavarum die populi ad Circum » magis, quàm ad Ecclesiam conveniunt, debere » transferri devotionis eorum dies, si quando occur- » rerint: nec oportere etiam quemquam Christiano- » rum cogi ad hæc spectacula; maximè, quia in » his exercendis, quæ contra præcepta Dei sunt, » nulla persecutionis necessitas à quoquam adhiben- » da est: sed ut oportet, homo liberâ voluntate » subsistat sibi divinitus concessa. Corporatorum enim » maximè periculum considerandum est, qui con- » tra præcepta Dei magno terrore coguntur ad spec- » tacula convenire. «

Quid sint Corporati.

In codice Africano Labbei pro *corporatorum* legitur *Cooperatorum*: sed convenientior videtur Dionysiana, cui & Justelliana consentit. *Corporati* enim dicebantur *Urbium incolæ*, qui ex certis *Corporibus*, præsertim artificum erant; quorum meminit *L. Unica*, *Cod. de privilegiis* Corporatorum *Urbis Romæ*, *Lib.* 11. *tit.* 14. & *L. Unica*, *Cod. de Alexandriæ Primatibus*, *eod. lib. tit.* 28. Hos ergo, utpote Corpori artificum aut alterius publici operis adscriptos, facile erat terrore amittendi lucri ad exhibenda hujusmodi expectacula cogere. Ut proinde sapientissimum fuerit Patrum consilium hujusmodi homines periculo eximere. Utinam & hodie Ecclesiæ Prælati, exemplo Patrum, ita invigilarent, ut suis subditis pericula & occasiones peccatorum subtraherentur!

Porrò Patrum Africanorum postulatis mox in omnibus assentire noluit Honorius Imperator: uti pater ex *L.* 17. & 18. *Cod. Theod. de Paganis*, Apollodoro Africæ Proconsuli in scriptis, quàsque his Patrum postulatis respondere notat & ostendit Vir Eruditus Jacobus Gothofredus; unà observans, Honorium quidem jussisse omnia idola sive simulacra, quibus à Paganis cultus impenderetur, deponi; nequaquam tamen permissise ipsa Paganorum templa destrui; ipsosque ludos publicos citra tamen ullum Sacrificium, & citra ullam superstitionem damnabilem, quam sese jam antea edita lege damnasse profitetur *in dicta lege* 17. permittit.

At decennio post rursus editâ constitutione, quæ refertur *in L.* 19. *Cod. Theod. eod. tit.* non solum jam dictis Patrum Africanorum postulatis, sed & iis, de quibus infra Canone 84. hujus codicis annuit: ad dictum Canonem 84. ostendemus.

Exemplo Patrum Africanorum agendum ad destruendas reliquias gentilitatis.

Hîc interim notet lector, mirum non esse, Honorium aliqua debuisse permittere ad tempus Gentilitate nondum mortua seu sepultâ, sed tantùm ad interitum tendente, quæ postmodum haud permittenda censuit. Sed illud dolendum, hodie inter ipsos Christianos, gentilitate jam multis seculis sepulta, extare, imò & publicè frequentari quæ vel à gentilibus fieri Patres exhorrebant. Utinam in his gentilitatis reliquiis evellendis reviviseret in Prælatis Patrum zelus; sperandum esset, quod nec deesset in Magistratibus Civilibus Honorii pietas.

Clericus ab Episcopo damnatus à nemine vi facti defendendum.

Can. VI. in cod. 62. » Et illud petendum, ut » statuere dignentur: ut si quis cujuslibet honoris » Clericus judicio Episcoporum, quocunque crimine » fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari; interpositâ ponâ damni, pecuniæ, atque » honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum » esse præcipiant. « Grat. 21. *q.* 5. *Can.* 3. ex Carthag. V.

Sensum Canonis compendio expressisse videtur Aristenus his verbis: » Clericus, qui ob delicta ab Episcopo condemnatur, si sibi videtur injuriâ affectus, » appellet, cum auctoritate & potestate à quopiam, » ne liberetur. «

Can. VII. *in cod.* 63. » Et de his etiam peten- » dum: ut quis ex qualibet ludicra arte ad christianitatis gratiam venire voluerit, ac liber ab illa macula permanere; non eum liceat à quoquam iterum ad eadem exercenda reduci, vel cogi. «

Sensus Canonis.

Pro intellectu hujus Canonis notat Zonaras, in magnis civitatibus olim extitisse theatra, in quibus statis temporibus populi conventu ludi exhibebantur, ad eamque rem Scenicorum opera & servitium, nullâ excusatione admissâ, ita flagitabatur, ut ad ea munia vel inviti traherentur.

Petendum ergo censent ab Imperatoribus, ut si quis hanc Scenicam artem professus, ad Christianismum sit conversus, à nemine compelli possit, ad eadem exercitia resumenda.

Reflexio moralis.

Hîc rursus docemur, quomodo Patres soliciti fuerint, ne qui vitam suam moresque mutârunt, iterum implicarentur exercitis vitæ illi contrariis, aut admodum periculosis.

Canones VIII. & IX. *in cod.* 64. & 65. quorum prior de servorum manumissionibus agit: posterior verò particulare factum alicujus Episcopi jam olim depositi examinari mandat, cùm nullum disciplinæ punctum, saltem huic tempori conveniens, exhibeant, omittimus, & ad sequentes codicis Canones transimus.

§. VII.

Canones Concilii Carthaginensis anni 401.

NOvem Canonês, de quibus §. præcedenti, sequitur in codice Africano Synodus Carthaginensis Vincentio & Flavito VV. CC. Coss. Idus Septemb. id est, juxta Justellum, ann 401. celebrata.

Littera Anastassi Papæ ad confirmandos Africanos contra Donatistas.

In prologo Synodi legitur, quod recitatæ sint Epistolæ beatissimi Fratris & Consacerdotis nostri Anastasii, Ecclesiæ Romanæ Episcopi, » quibus nos » paternæ & fraternæ charitatis solicitudine, ac since- » ritate adhortatus est, ut de hæreticorum & Schis- » maticorum Donatistarum insidiis, & improbitatibus, » quibus Africanam Ecclesiam Catholicam graviter ve- » xant, nullo modo dissimulemus. «

Hæ quidem Anastasii Papæ litteræ vel perierunt, aut usque modo sub Bibliothecæ pulveribus latent: quin autem responsoriæ fuerint ad postulata Africanorum de Donatistis ad Ecclesiam conversis, de quibus supra, sat apertè jam recitata verba evincunt: quibus Patres Africani hæc Ecclesiæ Unitatem mirè spirantia, subjiciunt: » Gratias agimus Domino nos- » tro, quod illi optimo ac Sancto Antistiti suo tam » piam curam pro membris Christi, quamvis in di- » versitate terrarum, sed in una compage corporis » constitutis, inspirare dignatus est. «

Unitas Ecclesiæ.

Post hæc subjiciuntur 20. Canones, quorum 4. priores modum, quo cum Donatistis agendum judicârunt Patres Africani, exprimunt; qui unà ostendunt, quâ viâ & hodie cum hæreticis & schismaticis procedendum sit.

Cum Donatistas leniter & pacificè agendum.

Can. 1. In cod. 66. » Deinde petractis, & consi- » deratis omnibus, quæ utilitati Ecclesiæ convenire » videbantur, annuente, atque admonente Spiritu » Dei eligimus cum memoratis hominibus quamvis » de Dominici corporis unitate inquietâ dissensione » præcisis, leniter & pacificè agere; ut quantum » in nobis est omnibus, qui eorum communione & » Societate irretiti sunt, per universas Provincias » Africanas penitùs innotescat, quàm miserabili er- » rore devincti sint; ne fortè, sicut dicit Apostolus, » nobis in mansuetudine corripientibus diversa sen- » tientes, det illis Deus pœnitentiam, ad cognos- » cendam veritatem, & resipiscant de Diaboli la- » queis, captivati ab ipso in ipsius voluntatem. «

Hic agendi modus reducendis hæreticis utilis, & qui contra eum agant.

Hic tractandi modus, quem pro reducendis Donatistis servatum voluêre Patres Africani, si & modo, non verbis solùm, sed re ipsa servaretur, spes esset, plures ad Ecclesiæ gremium reducendos, id est, si pro tempore, ut minus cum hæreticis dissimularentur, quæ salvâ fide, & veritate tolerari possunt: ut & jam pridem S. Gregorius monuit S. Augustinum Angliæ Apostolum. » Sed immoderatus & » indiscretus quorundam zelus hunc lenem & modera- » tum agendi modum non patitur, « ut monet Eruditus Notator *in tom. Epist.* 71. *lib.* 9. *S. Gregorii*, quos delectat clamare: *Exinanite*, *Exinanite usque ad fundamentum*, fibras etiam minimas extirpate &c. » Tam præposterâ agendi ratione plurimi » fuerunt in schisma aut hæresim compulsi, quos mo- » deratio retinuisset in Ecclesia. Alii fortè reddirent » in unitatis gremium, si morosi quidam objectis spi- » nis viam non sepirent, aut propugnatione quarun- » dam

» dam corruptelarum, aut ritus exigendo laudabiles » quidem, at minùs fortè necesarios, aut alios minùs » laudabiles importunè exagitando, quos Patres sanc- » tissimi unitatis studio tolerâssent. Scilicet *piscatoriè* » *nobis est agendum, non Aristotelicè*, ut habet » Epistola Episcoporum Ponti ad Leonem Imperato- rem post Calchedonense Concilium." Hæc ille. Quæ utinam hodie attentè expenderentur, dum de hæreticis ad Ecclesiam reducendis agitur.

Donatistarum facta diligenter annotanda.

Can. III. In cod. 67. » Itaque placuit, ut ex » Concilio nostro litteræ darentur ad Judices Afri- » canos, à quibus hoc peti congruum videretur, » ut in hoc adjuvent communem Matrem Eccle- » siam Catholicam, in quo Episcopalis auctoritas » communiri in civitatibus potest, id est, ut judi- » ciaria potestate atque diligentia ex fide Christia- » na, quid gestum sit in omnibus locis, in quibus » Maximianistæ Basilicas obtinuerunt, qui ab eis » schisma fecerunt, înquirant, & gestis publicis, » propter firmam notitiam omnibus necessariam faciant » inhærere. «

Qui Maximianistæ, quæ in hoc decreto Patrum intentio.

Maximianistæ erant quoddam hominum genus, qui à secta Donatistarum se per speciem quandam schismatis avulserant, quemmadmodum Donatistæ ab Ecclesia Catholica, uti refert S. Augustinus *Epist.* 185. *cap.* 4. Voluerunt ergo Patres Africani diligenter annotari, quæ Donatistas inter & Maximianistas reverentes agebantur. Ut ex propriis Donatistarum factis suum leniùs cum Donatistis ad Ecclesiam Catholicam reverteritibus agendi institutum, quod nonnulli pervicaces Donatistæ carpebant, justificarent. Quod & factum esse docet citata S. August. Epistola; & ad Canonem V. ostendetur.

Patres Africani reverentiam Concilio Transmarino, & desiderium unitatis Ecclesiæ ostendunt.

Can. IV. In codic. 68. „ Deinde placuit, ut lit- » teræ mittantur ad fratres & Coëpiscopos nostros, » & maximè ad Sedem Apostolicam, in qua præsi- » det memoratus Venerabilis frater & Collega nos- » ter Anastasius, quo noverit habere Africam mag- » nam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem & uti- » litatem, ut ex ipsis Donatistis quicunque Clerici » correcto consilio ad Catholicam unitatem transire » voluerint, secundum uniuscujusque Episcopi Ca- » tholici voluntatem, atque consilium, qui in eo- » dem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci chris- » tianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus » suscipiantur, sicut prioribus ejusdem divisionis tem- » poribus factum esse manifestum est. Quod multo- » rum & penè omnium Africanorum Ecclesiarum, » quibus talis error exortus est, exempla testantur: » Non ut Concilium, quod in transmarinis parti- » bus de hac re factum est, dissolvatur; sed ut re- » maneat circa eos, qui sic transire ad Catholicam » volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio pro- » curetur. Per quos autem vel omnimodo perfici » vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris » Catholica unitas in locis, in quibus degunt, vi- » sa fuerit: non eis obsit, quod contra honores » eorum, quamvis salus nulli interclusa sit, in trans- » mariano Concilio statutum erit; id est, ut ordina- » ti in parte Donati, si ad Catholicam correcti tran- » sire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis » secundum transmarinum Concilium: sed exceptis » his, per quos Catholicæ unitati consulitur. «

Concilii Transmarini, cujus hic Canon meminit, nulla vel in tomis Conciliorum, vel apud Scriptores Ecclesiasticos memoria extat. Illud constat ex præsenti Canone, in illo statutum fuisse: *ut Ordinati in parte Donati, si ad Ecclesiam Catolicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis.*

Quid resolverint ut reverentia statuto Transmarino servaretur, & una pax Ecclesiæ procuraretur.

Patres verò Africani ex una parte expendentes hoc Concilii Transmarini decretum, & ex altera parte summam Africæ necessitatem, & Ecclesiasticæ Unitatis bonum, resolverunt, » ut ex Donatistis » quicunque Clerici ad Ecclesiam Catholicam tran- » sire voluerint, secundum uniuscujusque Episcopi » Catholici voluntatem atque consilium, qui in eo- » dem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci chris- » tianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus susci- » piantur. . . . Non ut Concilium, quod in Transma- » rinis partibus de hac re factum est, inquiunt, dis- » solvatur; sed ut illud maneat circa eos qui sic tran- » sire volunt, ut nulla per eos unitatis compensatio » procuretur. «

Patres Africani reverentes ex Donatistis receperunt in suis honoribus, etiam cum aliqua disciplinæ infractione.

Hanc suam resolutionem, necesitati Africæ, & bono unitatis Ecclesiasticæ innixam significari voluerunt Episcopis Transmarinis, & maximè Sedi Apostolicæ, in qua præsidebat Anastasius. » An autem Sum- » mus Pontifex Anastasius secundo rogatus Africanæ » Ecclesiæ indulserit, monumentorum defectu « ait Scheltretius in sua Ecclesia African. *dist.* 3. *cap.* 10. *num.* 3. decerni nequit. Hoc scimus, Episcopos Africanos, conformiter ad hanc resolutionem, è Donatistis reverentes Clericos & Episcopos in suis honoribus suscepisse: illudque pertinaces quosdam Donatistas, Ecclesiæ Catholicæ improperasse, scribit S. Augustinus *Epistola* 185. scripta circa annum 417. adeoque 15. post habitam hanc Synodum annis. Verba August. sunt: » Si ergo (inquiunt Donatistæ) opor- » tet ut nos extra Ecclesiam, & adversus Ecclesiam » fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus, quomodo » post istam pœnitentiam *apud eos Clerici, vel etiam* » *Episcopi permanemus*? Respondet Augustinus: Hoc » non fieret, quoniam reverà (quod fatendum est) » fieri non deberet, *nisi pacis ipsius compensatione* » *sanaretur*. Sed hoc sibi dicant, & multò maximè » humiliter doleant, qui in tanta morte precisionis ja- » cent, ut isto quodam vulnere Matris Catholicæ revi- » viscant."

Quid nos doceat hoc Patrum factum.

Duo nos docet hæc Patrum resolutio. Primum, quanta eis cura fuerit, ut Episcopis, præsertim tamen Sedi Apostoliæ, in regimine Ecclesiæ consentirent. Alterum ipsos credidisse rigori disciplinæ non esse inhærendum, si vulnus disciplinæ infligendum, pacis & unitatis Ecclesiæ compensatione sanari possit.

Agendum contra Donatistas ex proprio ipsorum facto.

Can. V. *In Cod.* 69. „ Deinde placuit, ut his pe- » ractis legati etiam prædicandæ pacis, atque unitatis, si- » ne qua salus christiana non potest obtineri, è nu- » mero nostro ad ipsorum Donatistarum sive quos ha- » bent Episcopos, sive ad plebes mittantur, per quos » omnibus in notitiam perferatur, quam nihil habeant » quod adversus Ecclesiam Catholicam justè possint » dicere; maximè ut manifestum fiat omnibus, per » gesta etiam municipalia, propter documentorum » firmitatem quid ipsi de Maximianistis Schismaticis » suis egerint: ubi eis divinitùs demonstratur, si » attendere volunt, tam iniquè tunc illos ab Ecclesiæ » unitate præcisos, quàm iniquè nunc clamant à se » Maximianistas Schisma fecisse; ex quorum tamen » numero quos jam plenarii Concilii sui auctoritate » damnaverant, in suis honoribus planè receperunt; » baptismum, quem damati, & exclusi dederant, ac- » ceptaverunt: & videant, quàm stulto corde resis- » tant paci Ecclesiæ toto orbe diffusæ, cùm ista fa- » ciant pro parte Donati, neque se istorum, quos ita » receperunt, communione propter intuitum pacis, » contaminari dicant, & nos condemnent, id est, » Ecclesiam Catholicam, etiam in extremis terrarum » partibus constitutam, per eorum communionem » inquinatam, quos tunc accusantes convincere nequi- » verunt."

Catholici utuntur argumento adversùs Donatistas ex ipsorum facto.

Ex Canone III. jam relato constat, Patres Africanos petiisse à Judicibus publicis, ut diligenter annotarent, quid cum Maximianistis ad Donatistas revertentibus ageretur in parte Donati. Cùm autem reperissent, quod ex Maximianistis, quos aperta proprii Concilii auctoritate condemnaverint, postea in propriis honoribus plenè susciperent; & baptismum, quem damnati & exclusi desiderant, acceptarent; voluêre Patres, ut mitterentur in Provincias, qui hunc agendi modum Donatistarum publicarent; ut hoc pacto populo ostenderetur, quàm injustè Ecclesiam Catholicam arguant Donatistæ; ob id quod è Donatistis, quos pro schismaticis habet, reverentes in suis honoribus suscipiat; & baptismum apud Donatistas susceptum probet; cum idem ipsi Donatistæ in Maximianistis ad se reverentivus probent.

De hoc Catholicorum argumento ex proprio Donatistarum facto formato, & populo proposito agit etiam Sanctus Augustinus, illudque penè eodem, quo hoc Canone expressum est, proponit; additque: » Plurimi confundebantur, & manifestâ veritate eru- » bescentes corrigebantur, solito crebiùs, & multò » magis ubicunque, ab eorum „ (Donatistarum) sævitia » respirabat aliquanta libertas. «

Can. IV. In cod. 70. » Præterea cum de quo- » rundam Clericorum, quamvis erga uxores pro- » prias, incontinetia referretur: Placuit, Episcopos, » & Præsbyteros & Diaconos secundum priora statuta » etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, » ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros

au-

» autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum » unicujusque Ecclesiæ consuetudinem observari de- » bere. «

Refert hunc Canonem Gratianus ex Concilio Carthaginensi V. *dist.* 28. *Can.* 4. Ubi notant Correctores Rom. quod post finalia verba, » in codicibus (De- » creti Gratiani) impressis hæc sequebantur: Contrà » Martinus Papa. *Si Lector viduam duxerit*, ut su- » pra legitur, sed illud ubi necesitas urget. « Quæ sunt expuncta, inquiunt, quia in vetustis codicibus non habentur, aut sunt ascripta ad marginem. » Hîc » observa, quod sæpius notant Critici notas margina- » les incuriâ liberariorum, aut exscriptorum in textum » irrepere; idque non rarò cum sensûs ipsius alte- » ratione. «

Notæ marginales interdum per incuriam in textum irrepunt.

Pro sensu Canonis repete notata ad Canonem 25. codicis, qui & huic omninò similis est.

Can. VIII. In cod. 71. » Ut nemini sit facultas, » relicta principali Cathedra ad aliquam Ecclesiam in » diœcesi constitutam se conferre, vel in re pro- » pria diutiùs quàm oportet constitutum, curam vel » frequentationem propriæ Cathedræ negligere. « Aut ut legitur in codice Græcorum: » vel de re propria » plusquam oportet, solicito, propriæ Sedis curam & » solicitudinem negligere. «

Grat. 7. *q.* 1. *Can.* 21. Vide infrà ad Canonem 15. Sardicensem.

De rebaptizandis dubiè baptizatis.

Can. VII. in cod. 72. „ Placuit de infantibus quo- » ties non inveniuntur certissimi testes, qui eos bap- » tizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi » sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei » respondere, absque ullo scrupulo eos esse bapti- » zandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramento- » rum purgatione privari. Hinc enim legati Mauro- » rum, fratres nostri, consuluerunt; quia multos ta- » les à barbaris redimunt."

Clausula à Gratiano addita.

Grat. *dist.* 4. *de cons. Can.* 3. additque ex Concilio Carthaginensi V. » Similiter & de Ecclesiis, quo- » ties super earum consecratione hæsitatur, agendum » est; id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur. « Verùm diligenter notant Correctores Rom. » Hæc » absunt à Codice Regio hujus Concilii, à 72. Car- » thaginensi Canone græco, à Burchardo Worma- » tiensi. «

Forma baptizandi sub conditione olim fuit ignota.

Hoc unum circa præsentem Canonem notandum, nullam hîc fieri mentionem cautelæ, de qua in *Cap.* 2. ※ *de Baptismo*, & in omnibus modernis Ritualibus, cùm de dubiè baptizato rebaptizando agitur, solitè inculcatur: » Si baptizatus es, non te baptizo, sed si » nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c. «

Ne hanc disciplinam Africana duntaxat Ecclesia, sed & Romana secuta fuit, ut constat ex S. Leone, qui interrogatus à Rustico Episcopo Narbonensi, » utrum parvuli ab hostibus capti, & non se sapiunt » baptizatos, sed sciunt se aliquoties ad Ecclesiam à » parentibus ductos, possint vel debeant, cùm ad » Romanam venerint, baptizari? Respondet; qui » autem possunt meminisse, quòd ad Ecclesiam ve- » niebant cum parentibus suis, possunt recordari, an » quod parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc » etiam ab ipsorum memoria alienum est, conferen- » dum eis videtur, quod collatum esse nescitur; quia » non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est di- » ligentia pietatis. *Epist.* 1. *inquis.* 17. Et pluribus verbis rescribit, & exponit in Epistola ad Neonam Ravennatem Episcopum: » Quoniam, ait, non potest in » iterationis crimen venire, quod factum esse omni- » nò nescitur. « *Epist.* 135. *edit. Quenellii.* Gratianus *dist.* 4. *de Consecr. Can.* 112.

Quin & post tempora Alexandri III. disciplinam simpliciter baptizandi dubiè baptizatos superstitem fuisse in Anglia, docent nos Synodus Eboracensis 1195. *Can.* 4. & Londinensis 1200. *Can.* 3. quo postremò dicitur: » De baptismate si dubitetur, Sacrorum Ca- » nonum statuta sequentes, statuimus ut conferatur; » quia non dicitur iteratum quod non scitur fuisse » collatum. Ideoque baptizentur expositi de quorum » baptismo dubitatur, sive inveniantur cum sale sive » sine sale. «

At post relatum Alexandri III. decretum in Decretales Gregorii IX. sensim generaliter dicta formula sub conditione baptizandi invaluit; & in Theologiam Scholasticam intravit. Fatendum tamen, hujus aliquod vestigium seculo VIII. occurrere in Constit. Isaac Lingonensis. *tit.* 11. *cap.* 17.

Can. VIII. In cod. 73. Placuit ut dies venerabilis Paschæ, » formatarum subscriptione omnibus in- » timetur: dies verò Concilii idem servetur, qui in » Hipponensi Concilio constitutus est, id est, X. Ka- » lendas Septembris. Et scribendum ad singularum » quarumcumque Provinciarum Primates, ut quando » apud se Concilium congregant, istum diem non im- » pediant. «

Grat. *dist.* 3. *de Consec. Can.* 24. sed ab originali, & etiam à græco nonnihil recedens, ut notatur emendatione R.

Solicitudo Patrum ut Pascha ubique eodem die celebraretur.

Quàm olim soliciti fuerint Patres, ut solemniter Paschalis uno eodemque die per omnes Ecclesias celebraretur, abundè indicant Epistolæ Paschales, quibus futurus dies Paschatis Episcopis indicabatur; qui deinde populo in festo Epiphaniæ à Diacono denuntiabatur; qui mos ad nos usque penè descendit, ut testantur Libri Rituales. Et quidem in Sacerdotali Romano Venetiis impresso anno 1597. ista denuntiatio legitur & cantatur. Eundem in finem inventus cyclus Paschalis; de quo vide citatos in glossario de Fresne Verbo, *Cyclus Paschalis.*

Intercessor datus vacanti Ecclesiæ ad eam eligi nequit.

Can. IX. In cod. 74. » Item constitutum est, ut » nulli intercessori licitum si Cathedram, cui inter- » cessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel » seditionibus retinere; sed dare operam ut intra an- » num eisdem Episcopum provideat: Quod si negle- » xerit, anno exempto (vel ut in aliis legitur, *expleto*) » interventor alius tribuatur. « Grat. 7. *q.* 1. *Can.* 11.

Quis sit intercessor.

Intercessor hîc vocatur Episcopus, qui Ecclesiæ vacanti à Metropolitano præficiebatur, ut Civium animos pro eligendo Antistite in concordiam revocaret. Hæcque disciplina non in Africa duntaxat, sed & in aliis Provinciis per aliquot secula in usu fuit. Et quidem hujusmodi Intercessoris sub nomine Visitatoris sæpius in suis Epistolis meminit S. Gregorius, & signanter *Lib.* 11. *Epist.* 19. ad Benenatum Visitatorem Ecclesiæ Cumanæ; ubi & quod ejus sit munus proponit: „ Assiduis adhortationibus Clericum, ple- » bemque ejusdem Ecclesiæ admonere te volumus, ait, » ut remoto studio diversarum partium, uno eodem- » que consensu talem sibi præficiendum expetant Pon- » tificem, qui & tanto ministerio dignus valeat re- » periri & à venerandis Canonibus nullatenus res- » puatur." Quin & seculo IX. hanc in his partibus disciplinam superstitem fuisse, evincit Epistola Hincmari Remensis, quâ Hedenulphum Laudunensem Episcopum rogat, ut Visitatoris officio fungatur in electione Episcopi Cameracensis. Extat *Tom.* 8. *Concil. p.* 1867. & *p.* 1871. refertur allocutio Visitatoris Episcopi ad Clerum, & plebem electionis causâ congregatam.

Defensores pauperum.

Can. X. in cod. 75. » Ab Imperatoribus universis » visum est, postulandum propter afflictionem pau- » perum, quorum molestiis sine intermissione fatiga- » tur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias » divitum cum Episcoporum provisione delegentur. «

Quomodo designandi Episcopi ad Synodum generalem Africæ.

Hîc patet Patrum cura pro pauperibus; quos meritò Episcopi, & Pastores æmulabuntur, eorum defensionem suscipiendo.

Can. XI. in cod. 76. » Item placuit ut quoties- » cumque Concilium congregandum est, Episcopi, » qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliqua » graviori necessitate impediuntur, competenter oc- » currant, & Primatibus suarum quarumque Provin- » ciarum intimetur, ut de universis Episcopis vel duæ, » vel tres turmæ fiant, ac de singulis turmis vicissim, » quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantis- » simè occurrant. Quod si non potuerint occurere, » excusationes suas in tractatoria conscribant, vel si » post adventum tractatoriæ aliquæ necessitates repen- » tè forsitan ortæ fuerint, nisi rationem impedimenti » sui apud eundem Primatem reddiderint, Ecclesiæ » suæ communione debere esse contentos. «

Error Gratiani.

Grat. *dist.* 18. *Can.* 10. sed nonnullis omissis; & nonnullis aliter quàm in codice relatis; uti notant Correctores Rom. Qui inter alia observant, malè legisse *litteratoriè* pro *tractoria*; multisque ibidem inquirentes, quid *tractoria*, vel ut in quibusdam exemplaribus legitur, *tractoria*, Epistola significet.

Novum genus excommunicationis hic insinuatur.

Cæterùm monet Balsamon, » hîc notari novum » excommunicationis genus. Alii enim Canones, ait, » accipiunt excomunicationem, quod quidem attinet » ad Episcopos, ut nihil sacerdotale obeant; præsens » autem Canon eos à Sacro Ministerio non impedit, » sed separat à reliquorum fratrum communione. «

Et sanè justum est, eos à confratrum communione arceri, qui Coepiscoporum Conventuum respuerunt.

Can.

Can. XII. in cod. 77. Agit de quodam Cresconio, ut per Primatem suum moneatur ad proximam universæ Africæ Synodum accedere : si autem venire neglexerit, sciat adversus se ferendam sententiam.

In electione Episcopi vota laicorum concurrunt.

Can. XIII. in cod. 78. Mittuntur quidam Africani Episcopi, quorum unus erat Augustinus, ut sedarent turbas exortas in Ecclesia Hypponensi : non cui præfuit Augustinus, sed Equitius ob vitam facinorosam depositus (erant enim in Africa duæ Hyppones) utque in locum Equitii, *cùm omnium voto eis Episcopus ordinetur*. Obiter hîc nota, in Africa in electione Episcoporum vota fidelium laicorum concurrisse.

Clericus laborans infamia debet se quam primùm purgare.

Can. IV. in cod. 79. » Rursus constitutum est, ut » quoties Clericis convictis, & confessis in aliquo crimine, vel propter eorum, quorum verecundiæ parcitur, vel propter Ecclesiæ oprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum, atque gentilium, » si fortè causæ suæ ad esse voluerint, & innocentiam » suam asserere, intra annum causuam suam purgare » contempserint, nulla eorum vox postea penitùs audiatur. « Grat. 11. *q.* 3. *Can.* 36.

De quibus Clericis agatur.

Notat hîc Zonaras, quod Canon Clericos, de quibus agitur, *convictos* appellavit, non quia manifestò obnoxii criminibus tenerentur, *convictos* enim pœna depositionis illic sequuta esset, sed quod extarent indicia facinoris, ex quibus meritò communionis privatione mulctati sunt.

Ratio Canonis.

Ex hoc Canone discimus, quàm soliciti fuerint Patres, ut Clerici infamiâ criminis laborantes, & functionibus Ecclesiasticis addicti, quàm primum se à criminis suspicione liberare satagant : Nam ut ait S. Augustinus, » duæ res sunt conscientia & fama. Propter » nos conscientia nostra sufficit nobis ; propter alios » fama necessaria est ; conscientia tibi, fama proximo » tuo. « *Serm.* 1. *de vita commun. Cler.*

Episcopus ex monasterio alterius Diœcesis Monachum accipere non potest.

Can. XV. in cod. 80. » Item placuit, ut si quis » de alterius monasterio repertum vel ad Clericatum » promovere voluerit, vel in suo monasterio majorem monasterii constituerit, Episcopus, qui hoc » fecerit, à cæterorum communione sejunctus, suæ tantum plebis communione contentus sit, & ille neque » Clericus, neque Præpositus perseveret. «

In Decreto Gratiani aliqua addita.

Refertur à Gratiano *dist.* 58. *Can.* 2. & quidem in editione Decreti anni 1515. 1550. item 1572. post hæc verba, *vel in suo Majorem monasterii constituere*, sequitur : *sine licentia Abbatis & Monachorum.* Unde Glossa casum Canonis exprimens ait : » Dicitur in hoc » Canone, quod Episcopus non potest alienum Monachum promovere ad Clericatum, vel facere Abbatem in suo monasterio, nisi de voluntate proprii » Abbatis. «

Verùm in editione Gratiani correcta, prædicta verba esse expuncta, monent Correctores ; quia » absunt » à Concilio Carthaginensi & Africano, & plerisque » vetustis Gratiani codicibus. « Ut proinde verisimile sit, à recentiore manu adjecta esse, ut Canonem ad sui temporis disciplinam inflecteret.

Sensus Canonis.

Cæterum evidens est, in præsenti Canone hoc unice caveri, ne Episcopus è monasterio alterius Diœcesis Monachum ad Clericatum, aut sui monasterii Præfacturam assumat sine dimissoriis Episcopi, sub quo illud monasterium est situm ; ut rectè exponit Balsamon : adeoque, idem hîc de Monachis constitui, quod suprà de Clericis decretum fuit. Et sane, juxta temporis illius disciplinam, ut etiam hîc observat Balsamon, Monacho, de suo monasterio ad illud migrare volenti, Episcopi dimissoriis magis opus erat, quàm monasterii Præfecti: quod *Episcopis magis subjecti sunt Monachi, quàm monasteriorum Præfectis.* Vide infrà ad Can. 4. Calchedonensem.

Anathema post mortem dicitur Episcopo, cujus bona ad hæreticos pervenium.

Can. XVI. In cod. 81. » Item constitutum est, ut » si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut » paganos Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem » anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei » Sacerdotes nullo modo recitetur. Nec excusari possit, si intestatus decesserit, quia utique debuit factus Episcopus rei suæ ordinationem congruam suæ » professioni nequaquam differre. « Hujus Canonis auctoritate usui sunt impugnatores *trium Capitulorum* in Synodo V. ut evincerent Theodorum Mopsuestenum post mortem, ut hæreticum posse damnari.

Quid sit nomen inter Dei Sacerdotes non recitari.

Pro intellectu horum verborum, *atque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur*, notandum, quod nomina, præsertim Episcoporum, in communione Ecclesiæ mortuorum referrentur in cer-

tas tabulas, quas *Diptycha* dicebant, ut tempore Sacrificii publicè recitarentur, & eorum memoria fieret. Qui autem de hæresi, aut schismate aliove crimine erant convicti, aut multum suspecti, vel in dipthycha non referebantur, aut relati delebantur : atque ita ab Ecclesiæ communione, etiam post vitam, abscindi videbantur. Hinc in Edicto Justiniani de Fide orthodoxa inter acta Synodi V. de Theodoro Mopsuesteno, legitur : *Deleverunt è Sacris Ecclesiæ Diptychis ejus nomen.* Vide plura in Glossario Caroli Du Fresne Verb. *Diptycha.*

Can. XVI. In cod. 82. » Item placuit, ut de manumissionibus in Ecclesia celebrandis ab Imperatore » petatur. «

Altaria in memoriam Martyrum condita, si nulla ibi sint reliquiæ, evertenda.

Can. XVII. In cod. 83. » Item placuit ut altaria » quæ passim per agros, & per vias, tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum » corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, » ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri poterit, evertantur ; si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne » illa loca frequentent, ut qui rectè sapiunt, nullà » ibi superstitione devincti teneantur : & omninò nulla » memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi » ubi corpus, aut aliquæ reliquiæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia & » per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum » ubicumque constituuntur altaria, omni modo reprobentur. « Grat. *Dist.* 1. *de Consec. Can.* 26.

Ostendit Canon : I. Martyrum reliquias, eorumque memorias hoc tempore Patribus in honore fuisse. II. Patribus jam pridem probatum fuisse modernum Ecclesiæ ritum, Sanctorum reliquas altaribus includendi. III. Patribus persuasum fuisse, haud facilè deferendum esse privatorum revelationibus IV. Patres credidisse, nonnunquam in externo cultu aliqua esse toleranda sive dissimulanda, ad evitandum populi commotionem & tumultum.

Reliquiæ idololatriæ evellendæ.

Can. XVIII. In cod. 84. » Item placuit ab imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquæ idololatriæ » non solùm in simulacris, sed in quibuscunque locis, » vel lucis, vel arboribus omni modo deleantur. «

Postulatis Patrum annuit imperator.

Non solùm his, sed & aliis Patrum postulatis, de quibus suprà, Imperatorem Honorium annuisse manifestat ejus Constitutio anni 408. relata in L. 19. *Cod. Theod. de paganis* : & extat apud Baronium ad ann. 408.

Hac constitutione, voluit Honorius : Primò, ut templorum annonæ his detractæ annonis militaribus deputentur. II. Ut simulacra, quibus adhuc cultus impendebatur, non tantùm in templis verùm ubicunque ea essent (veluti in *lucis* & *arboribus*, quod hoc Canone ab Imperatore petendum decreverunt Patres Africani) evellerentur. III. Ut *aræ* ubique destruerentur. IV. *Ut templa publica* usibus publicis vindicarentur: in possessionibus Principis constituta, ad alios usus transferantur : in privatorum fundis seu agris extantia destruantur : quæ petitioni Patrum, de qua in Canone 61. respondent. V. *Convivia* & ludos gentilitios prohibet : quod postulandum Patres censuerant Canone 62.

Vult ut Episcopi & Magistratus evellendis ritibus gentilium allaborent.

Post hæc sanctionem suam his verbis concludit: » Episcopis quoque locorum hæc ipsa prohibendi Ecclesiasticæ manus tribuimus facultatem : Judices autem 20. librarum auri pœnâ constrigimus, & pari » forma officia eorum, si hæc eorum dissimulatione » fuerint neglecta. «

Quàm esset optandum, ut & hodie Episcopi & Magistratus, quod & posterioribus Canonibus & legibus sæpiùs injunctum, sedulò allaborarent evellendis, quæ nimirùm, proh polor ! in populo frequentantur, è gentilitate ad Christianos derivatis superstitionibus!

Episcopus Carthaginensis omnium nomine Litteris Synodalibus subscribit.

Can. XIX. In cod. 85. Vult, ut ab Episcopo Carthaginensi, tanquam totius Africæ Primate, cùm opus fuerit, omnium Episcoporum nomine dictentur & subscribantur litteræ.

Hîc rursus elucet Episcopi Carthaginensis per Africam Primatia.

§.

§. VIII.

Canones Synodi Carthaginensis anni 402.

Præcedentium Synodorum Decreta probantur.

IN Codice Africano sequitur Concilium Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio & Honorio Augustis 5. Consulibus, id est, an. 402. VI. Kalendas Septembris in civitate Milevitana celebratum: unde & *Milevitanum* Concilium vocatur.

In præfatione dicitur, relecta fuisse, & ab Episcopis prolata decreta, » quæ jam dudum vel Hippo» nensi Synodo firmata sunt, vel postmodum melio» ri apud Carthaginem Concilio definita. « Deinde sequuntur sex Canones.

Can. I. In cod. 86. Declarat, inter Episcopos eum esse Primatem seu Primum, qui priùs fuit ordinatus. » Hic ordo, ajunt, & Patribus, & à Ma» joribus servatus est, & nobis Deo propitio ser» vabitur, salvo etiam jure Primatûs Numidiæ & Mau» ritaniæ. « Additur in codice græco: *ex Indice & matricula Numidiæ.* Hunc Canonem compendios è ita reddit Ferrandus Diaconus tit. 78. » Ut nullus » Episcopus prioribus suis se audeat anteponere. «

Primus in Ecclesia Africana quis.

Occasionem Canoni dedit altercatio de Primatu Numidiæ exorta inter Victorinum, & Xantippum, de qua Augustinus in epistola 59. ad Victorinum. Prætendebat enim Xantippus, quem *senem* vocat Augustinus, inter reliquos Numidiæ Episcopos jus primatûs titulo prioritatis Ordinationis: illudque Patres Milevitani Concilii juxta Ecclesiæ Africanæ morem eidem adjudicârunt.

De Ecclesia enim Africana id speciale annotandum est, in Provinciis Africanis urbes Metropolitanas non habuiesse Metropolitanos, sive Primates Ecclesiasticos ut habebant cæteræ per orbem Metropoles; sed urbes illas Primates habuisse, quæ habebant seniorum in Provincia Episcopum. Hinc de Primatibus Africæ loquens Leo IX. Epist. 4. ad Petrum & Joannem Episcopos ait: » In singulis ejus » (Africæ) Provinciis antiquitùs Primates instituebantur non secundum potentiam alicujus civitatis, sed » secundum tempus suæ ordinationis. «

Cùm verò ex hac disciplina, prima Sedes nunc apud hanc, nunc apud illam Urbem esset, ut Archivum Provinciæ meliùs conservaretur.

Can. II. » Placuit omnibus Episcopis, qui in hoc » subscripserunt, ut Matricula & Archivus Numidiæ, » apud primam Sedem sit, & in Metropoli, id est, » Constantina. «

Sensus Canonis.

Id est, ait à Marca in dissertatione de Primatibus §. 3. » ut regesta provinciæ & in Urbe Me» tropoli conderentur (ipsæ fortassis authenticæ litte» ræ) ubi tutior erat custodia, tùm etiam in prima » Sede, (exempla fortasse litterarum) ut primæ Se» dis Episcopo parata essent ad manum, ne in hac » parte à Metropoleos Episcopo penderet. « Hæc ille.

Can. III. in cod. 87. » De Quodvultdeo etiam » Centuriensi, quoniam adversarius ipsius, cùm se » petiisset introduci ad Concilium nostrum, inter» rogatus, utrum cum eo vellet apud Episcopos » experiri, primò promiserat, & alia die respon» dit hoc sibi non placere, atque discessit: placuit » omnibus Episcopis, ut nullus eidem Quodvult» deo communicet, donec causa ejus, qualem po» tuerit, terminum sumat. Nam adimi ei Episco» patum, antequam causæ ejus exitus appareret, nul» li Christiano jure videri potuisset. « Hic Canon refertur à Raymundo *in Cap.* 1. ✠ *de judiciis*, sed verbis quibusdam omissis, & quibusdam immutatis & additis; quæ exhibent disciplinam temporibus hujus Synodi planè ignotam.

Ita pro his verbis: *Ut nullus eidem Quodvultdeo communicet*, donec causa ejus, qualem potuerit, terminum sumat (vel ut est apud Græcos: *donec ejus negotium finem acceperit*) Raymundos hæc supposuit: *Placuit, ut nullus eidem communicet, donec satisfactione præmissa fuerit absolutus.* Quibus verbis apertè insinuat disciplinam, quæ circa sua tempora invaluerant, ut excommunicatus ob contumaciam, absolvatur data cautione judicio sisti; quæ disciplina ætate Patrum ignota fuit; remanebatque excommunicatus usquequò negotium finem accepisset; nec antea absolvi poterat. Vide Cujacium ad citatum Cap. 1.

» Can. IV. in cod. 88. de Maximiano autem Ba» gaiensi, & ad eum, & ad ipsam plebem placuit » de Concilio litteras dari, ut & ipse ab Episcopatu » discedat, & illi sibi alium requirant. «

Quis Maximianus, cujus memi. nit Canon.

Maximianum, cujus hîc mentio, non *Bagaiensem*, sed *Vagiensem* Episcopum fuisse monet Baronius ad annum 402. adeoque in Canone pro *Bagaiensi*, legendum esse *Vagiensi*; eumque non esse Maximianum, de quo S. Augustinus *Lib.* 3. *contra Cresconium*, *cap.* 43. sed eum, qui ex Donatistarum Schismate ad Ecclesiam reversus, cùm à populo Vagiensi haud pacificè recipereretur, *pacis* causâ Episcopatu cedere voluit; eaque de causa ad hanc Synodum litteras dedit, quæ sanctum ejus propositum laudavit, abdicationemque probavit; atque in ejus locum Pastorius Frater Maximiani ordinatus fuit: at extat epistola SS. Alypii & Augustini 69. ubi de Maximiano *pacis* ergo se abdicante, hæc ab omnibus Ecclesiæ Pastoribus meritò notanda habentur: » Longè est gloriosiùs, Episcopatus sarcinam prop» ter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quàm prop» ter regenda gubernacala suscepisse. Ille quippè se » honorem, si pacis ratio pateretur, dignè accipe» re potuisse demonstrant, qui acceptum non de» fendit indignè. «

Episcopatus pacis causa admittendus.

Quandoquidem, ut suprà monuimus, Africana disciplina Primatum Provinciæ seniori in Ordinationes deferret, ne dubium super prioritate Ordinationis forsan exoriri posset.

Can. V. in cod. 89. » Placuit, ut quicunque » deinceps ab Episcopis ordinantur per Provincias » Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis » manu eorum subscriptas, continentes Consulem & » diem: ut nulla altercatio de posterioribus vel an» terioribus oriatur. «

Qui semel Clero est adscriptus, recedere nequit.

Can. VI. in cod. 90. » Item placuit, ut quicun» que in Ecclesia vel semel legerit, ab alia Eccle» sia ad Clericatum non teneatur. «

Grat. *dist.* 2. *Can.* 8. qui erroneè pro *vel semel legerit*, ponit *vel semel elegerit*, ut etiam notat Correctio R.

Hîc rursus apparet, quàm arcto vinculo Clericus adstringeretur Ecclesiæ, cujus servitio jam semel esset adscriptus: quamque puriori Patrum disciplinæ contrariæ sint hodiernæ Clericorum de una ad aliam modò pinguiorem aut commodiorem decursationes.

Prædictis Canonibus subjicitur Synodus Gloriosissimo Imperatore Theodosio Augusto & Rumorido V. Cons. (id est, anno 403.) IX. Kalendas Septembris Carthagine in Basilica regionis secundæ celebrata.

De hac Synodo refertur duntaxat, quòd auditi sint Legati ad Anastasium Papam jam pridem super receptione Donatistarum ex Africa missi: sed quid retulerint, non dicitur.

Episcopi Unitati Ecclesiæ allaborare debent.

Item in eadem Synodo decretum esse, ut Episcopi amore unitatis ecclesiasticæ singuli in sua civitate cum Donatistarum præpositis convenirent, iisque dicerent: » convenimus vos ex Concilii nostri Ca» tholicâ auctoritati missi, de vestra correctione gau» dere cupientes, considerantes Domini charitatem, » qui dixit: *Beati pacifici, quia ipsi filii Dei voca» buntur*, & admonuit per Prophetam etiam in his, » qui dicunt se fratres nostros non esse, decere nos » dicere, *fratres nostri estis.* Hanc ergo pacificam » ex charitate venientem commonitionem nostram con» temnere non debetis: ut si quid veritatis habere vos » arbitramini, non dubitetis adserere, id est, ut con» gregato vestro Concilio deligatis ex vobis, quibus » causam assertionis vestræ committatis: ut & nos pos» simus hoc facere, ut etiam de nostro Concilio de» ligantur, qui cum eis, quos delegeritis, constituto » loco & tempore quidquid quæstionis est, quod ves» tram à nobis separat communionem, cum pace dis» cutiant, & tandem aliquando adjuvante Domino » Deo nostro, finem veternosus error accipiat, ne » propter animositatem hominum infirmæ animæ, & » ignari populi sacrilegâ dissensione dispereant. «

Hujus amicè tentatæ, ac oblatæ collationis meminit S. Agustinus *lib.* 3. *contra Cresconium*, *cap.* 45.

Pacificam collationem respuunt Donatistæ.

Cùm verò tractatum respuerent Donatistæ, neque veritati aures prebere vellent; sed quasi in furorem, ac rabien versi, majores, quàm priùs, in Catholicos violentias exercerent, Patres Africani ex Synodo Carthaginensi anno 404. XII. Kalendas Julias ad Imperatores deputârunt Theasium & Evodium contra

tra Donatistas cum commonitorio, in codice Africano cap. 93. conficit.

Patres Africani præsidium Imperatorum contra Donatistas expetunt.

Hoc commonitorio Imperatoribus unitatis studium commendant, & pœnas adversus Donatistas sanciri expetunt, presidiumque adversus eorum furorem deposcunt; atque inter cætera ajunt: »Donatistæ pacifica collatione spreta ad immanes violentias sunt conversi, ita ut multos Episcopos »multosque Clericos (ut de Laicis taceamus) insidiis oppresserint, & Ecclesias etiam aliquas invaserint, aliquas invadere pertentaverint: ipsorum »jam Clementiæ est consulere, ut Ecclesia Catholica, quæ eos religioso utero in Christo genuit & »fidei firmitate nutrivit, etiam eorum prospectione muniatur, ne temerarii homines, religiosis »temporibus, infirmos populos terrendo prævaleant; quoniam seducendo depravare non possunt.«

Imperatores postulatis annuunt.

His Patrum postulatis obsequentes Imperatores legem adversus Donatistarum tumultus promulgârunt; quæ refertur in *L.* 38. *Cod. Theod. de Hæreticis*: ut ibidem doctè notat Jacobus Gothofredus.

Pœnas exposcunt contra Donatistas.

Post hæc subjungunt: »Simul etiam petendum, »ut illam Legem, quæ à religiosæ memoriæ eorum »patre Theodosio de auri libris decem in ordinatores, vel ordinatos hæreticos, seu etiam in possessores, ubi eorum congregatio deprehenditur, »promulgata est, ità deinceps confirmari præcipiant, ut in eos valeat, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem »deposuerint, ut hoc saltem terrore à schismatica »vel hæretica pravitate desistant, qui consideratione æterni supplicii emendari corrigique dissimulant.«

Lex illa Theodosii Senioris, quam innovari petunt Patres Africani, refertur in *L.* 21. *Cod. Theod. de Hereticis*: eamque anno sequenti ad Donatistas extenderunt Theodosius Junior & Arcadius *L.* 39. *Cod. Theod. de Hæreticis*; cujus legis sæpiùs meminit Augustinus, ac præcipuè Epist. ad Bonifacium, in qua latè ocasionem hujus latæ legis prosequitur; unaque ostendit charitatis Doctor, quantâ animi mansuetudine Donatistas fuerit complexus. Deinde quâm conveniens fuerit convertendis Donatistis hæc legum promulgatio: »quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque »sibi fuissè saluberrimas Leges, quantum insania detestabantur, tantum receptâ sanitate gratulantur, »& in residuos, cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, ne »illi pereant, excitantur.«

Legem pœnalem laudat Augustinus.

Petitur ut ab acquisitione bonorum excludantur Donatistæ.

Posthæc indicarunt Patres Africani etiam & illud petendum, ut lex, „quæ hæreticis vel ex »donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi, vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum »quoque pietate hactenus repetatur, ut eis relinquendi, vel sumendi jus adimat, qui pertinaciæ »furore cæcati in Donatistarum errore perseverare »voluerint. Cæterùm illis, qui consideratione unitatis, & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis capiendæ hæreditatis aditus »pateat, etiamsi ad huc in errore hæretico constitutis aliquid ante donationis, vel hæreditatis obvenit: his sanè exceptis, qui lite pulsati, putaverint »ad Catholicam traseundum, quia de talibus credibile est, non metu cœlestis judicii potiùs, quàm »terreni commodi aviditate unitatem Catholicam »præoptâsse.«

Satisfit Partum petitioni.

Huic similiter Patrum postulato ab Imperatoribus planè satisfactum fuisse, patet ex *L.* 4. *&* 5. *Cod. Theod. ne sanctum Baptisma iteretur*: & fusè ac eruditè ibidem demonstrat Jacobus Gothofredus; meminit & S. Augustinus Epist. 93. ad Vincentium: ubi & illarum utilitatem & fructum ad conversionem Donatistarum multis rationibus evincit: »aitque se »in hac primum fuisse sententia, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum; ne fictos, ait, Catholicos haberemus, quos »apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, »non contradicentium verbis, sed demonstrantium »superatur exemplis.«

Augustinus probat hæreticos cogi posse.

Patrum Africanorum exemplo evincitur, cum hæreticis, ac schismaticis primùm quidem mansuetudine agendum, ut veritatis potiùs amore, quàm pœnarum terrore ad Ecclesiæ unitatem reducantur: in pertinacia autem perseverantes suppliciorum, ac pœnarum metu & inflictione, implorato etiam Principum auxilio esse coërcendos.

Post hæc in codice Africano subjicitur Synodus Carthaginensis habita an. 405. Kalendas Septembris.

»Hujus Concilii, ait auctor collectionis, gesta »ideo non ex integro descripsi, quoniam magis ea, »quæ in tempore necessaria fuerunt, quàm aliqua »generalia constituta sunt, sed ad instructionem studiosorum ejusdem Concilii *brevem* (id est, compendium) digessi.«

Can. 94. Codicis.

Hæc *brevis*, sive narratio compendiosa causarum, quæ conficit Canonem 94. codicis Africani, refert, destinatam esse legationem ad Comitatum ad agendum gratias Judicibus, quorum operâ & auxilio Ecclesia Carthaginensis ad unitatem tandem reducta erat. Decretumque fuisse, ut per litteras Judices rogarentur, quatenus & aliis Provinciis & civitatibus operam impendi jubeant *unitati*. Denique recitatas fuisse litteras Innocentii Papæ, ut Episcopi ad transmarina facilè pergere non debeant: quod hoc ipsum sententiis Episcoporum confirmatur.

Episcopi non facile ad Transmarina pergant.

§. IX.

Canones Concilii Carthaginensis anni 407.

Tantùm semel in anno habendaplenaria Africæ Synodus.

SEquitur in Codice Africano Synodus Carthaginensis celebrata Idibus Junii Honorio & Thodosio II. iterum Augustis Conss. id est, juxta Justellum, anno 407. »Cùm Aurelius Episcopus unà cum Episcopis suis consedisset, ait Synodi præfatio, adstantibus Diaconis: quoniam constitutum fuerat in Concilio Hipponensi, ut singulis annis contraheretur Concilium Africæ plenarium, non tantùm hìc apud »Carthaginem, verum etiam per diversas Provincias suo ordine, & hoc reservatum est, ut indiceremus aliquando in Numidia, aliquando in Byzantio, atque hoc laboriosum omnibus fratribus visum est.«

Causæ communes in plenaria, privata in Provinciali Synodo tractandæ.

Canone I. in cod. 95. »Placuit, ut non sit ultra fatigandis fratribus aniversaria necesitas, sed »quoties exegerit causa communis, id est, totius »Africæ. Undecunque ad hanc Sedem de hac re datæ »litteræ fuerint, congregandam esse Synodum, in »ea Provincia, ubi opportunitas persuaserit; causæ autem, quæ communes non sunt, in suis Provinciis judicentur.«

Quæ causa communes & quæ privatæ.

Causas communes interpretatur Balsamon, *quæstiones dogmaticas*; speciales autem seu privatas, quæ fortassis exortæ sunt inter Clericos & Episcopos. Illas in generali totius Africæ Synodo examinari; has verò in unaquaque Provincia terminari oportet.

Causæ examinandæ in loco, ubi sunt exortæ.

Hîc nota, jam pridem à Patribus probatum esse, ut causæ particulares in illis partibus judicentur, in quibus exortæ sunt.

Item hîc advertere est, quàm soliciti fuerint Patres, ne citra necesitatem Pastores à suis ovibus avocarentur.

A Judicibus electis non provocatur.

Can. II. in cod. 96. »Si autem fuerit provocatum, »eligat qui provocaverit Judices,“ (vel ut clarius in codice græco: *Si autem emissa sit appellatio, & qui appellavit Judices elegerit*) „& cum eo & ille contra quem provocaverit; ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare:“ *Grat. 2. q. 6. can.* 39.

»Dicit ergo Canon, ait Balsamon, quòd si quis »fuerit judicatus, & cùm appellaverit, voluerit ab »hoc, quisquis is sit, Episcopo de sua appellatione cognosci, & nec adversarius ei contradixerit, »nulli eorum licebit deinceps appellare adversus sententiam Judicis, quem uterque adversarius elegit.“ Sive, ut notat Zonaras, Canon idem statuit, quod legibus cautum est, quod ab arbitris nulla detur provocatio.

Defensores Ecclesiarum.

Canon III. in cod. 97. „Placuit etiam, ut petant ex nomine Provinciarum omnium Legati per »recturi Vincentius & Fortunatianus à gloriosissimis Imperatoribus: Ut dent Facultatem defensores constituendi scholasticos, qui in actu sunt, »vel in munere defensionis causarum, ut more Sacerdotum Provinciæ, iidem ipsi, qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit,

» vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad neces-
» saria suggerenda, ingredi judicum secretaria.“ Vel ut habet codex græcus: *Secreta judiciorum ingredi.* Est autem, ait Zonaras, *Secretum* Latinis exercendi judicii locus.

Postulantur Defensores ex Ordine, Advocatorum.

Duo hîc postulanda dicunt ab Imperatoribus. Primum; cùm hactenus è clericis delecti fuissent, qui causas in Principum Tribunalibus tuendas susciperent; indecensque videretur Patribus, Clericos forensibus negotiis implicari, & secularia tribunalia terere, postulandum censuerunt, ut è Scholasticorum sive Advocatorum Ordine Ecclesiarum defensores eligi possent *more Sacerdotum Provinciæ.* Erant enim inter gentiles Sacerdotes Provinciæ, sive Provinciales, ad quorum curam templa templorumque solemnia pertinebant: hi autem per Africam ex Constitutione Constantii in *L.* 46. *Cod. Theod. de Decurionibus*, eligebantur ex Ordine Advocatorum. Petunt igitur Patres, ut *more Sacerdotum Provinciæ defensores* Ecclesiæ ex eodem ordine constituti queant. De his Sacerdotibus Provinciarum vide latiùs Jacobum Gothofredum ad dictam *L.* 46. & in *paratitlæ* tituli Cod. Thodosiani, *de Paganis.*

Quid Sacerdotes Provinciarum.

Petitioni annuit Imperator

Huic Patrum postulato annuit Honoribus Imp. constitutione edita hoc anno 407. XVII. Kalendas Decembris, relatâ in *L.* 38. *Cod. Theod. de Episcopis.*

Petitur ut causæ Ecclesiasticæ celeriter expediantur.

Alterum postulationis membrum erat, ut Defensores Ecclesiarum haberent facultatem pro negotiis Ecclesiarum, „quoties necessitas flagitaverit, vel
» ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria
» suggerenda ingredi Judicum secretaria,“ sive locùm judicii: id est, uno verbo, ut negotia Ecclesiarum non retardentur; sed promptè expediri possint.

Postulato consensit Imperator.

Huic postulato respondet constitutio ejusdem Honorii relata in *L.* 7. *Theod. Denuntiat. & editione rescripti.* » Quæcunque fortè, ait, Ecclesiæ
» venerabilis negotia sunt, vel esse poterunt actiones,
» celeri (legum ordine servato) Judicantium disceptа-
» tione finiantur. Nec enim decet, defensione loci
» nominisque venerabilis susceptâ, publica diù secre-
» taria præstolari.“

Nihil evidentius, quàm hac Honorii constitutione edici, negotia Ecclesiastica celeriter esse expedienda, hac tamen limitatione, ut legum ordo etiam in his servetur: quod indicatur verbis parenthesi inclusis, *legum ordine servato.*

Porrò notant Viri eruditi ex hoc Patrum Africanorum postulato manâsse originem *Defensorum laicorum*: qui cùm ex ordine *Advocatorum* assumerentur, dicti fuerunt *Advocati Ecclesiarum.* Succedentibus verò seculis id munii non ampliùs viris *Scholasticis*, sed potentioribus ac militaribus atributum; ut essent, qui non linguâ duntaxat, sed & armis jura tuerentur Ecclesiarum, quarum in se recipiebant protectionem.

Advocatorum Ecclesiarum origo.

De hodiernis Ecclesiarum Advocatis.

Et quidem frequens in Chartis fundationum Ecclesiarum & Monasteriorum hujusmodi *Advocatorum* mentio ocurrit. Sic legitur in diplomate Henrici III. quo collegio Canonicarum Nivellensium prædia olim oblata restituit anno 1040. „ Non sit tibi *Advocа-*
» *tus* quisquam vel *Comes*, nisi quem Abbatissa ele-
» gerit, nec requirat ipse *Advocatus* vel *Comes*, ali-
» quod judicium vel plàcitum, nisi invitetur ab Ab-
» batissa, vel Præposito. Sit autem ab omni potestate
» *Comitis* vel *Advocati* ulteriùs libera; nisi inviten-
» tur justitiæ causâ.“ Apud Miræum *in notit. Eccles. Belgii cap.* 87. *Et cap.* 101. exhibetur instrumentum dotationis Collegii Canonicorum Lensensis in Arthesia per Eustachium Comitem Boloniæ in quo libera conceditur potestas Canonicis assumendi quemcunque voluerunt *Advocatum*, qui tandiu, & non ulteriûs eorum rebus vel eorum causis præsit quandiu eis placuerit.

Sat manifestum est ex his, jam tum *Advocatos* illos Ecclesiis & Monasteriis fuisse interdum onerosos & molestos; quod loculentiùs probat diploma fundationis Abbatiæ Lacensis in Diœcesi Trevirensi ab Henrico Comite Palatino anno 1093. apud Miræum in diplomatibus Belgicis *lib.* 2. *cap.* 35. Ideoque privilegii instar esse cœpit, liberam esse Ecclesiam ab Advocato, aut saltem eligendi liberam habere facultatem. Inde quoque factum, ut à fundatoribus jura *Advocatorum* taxarentur, & designarentur, ne alias Ecclesias nimium gravarent; uti videre est in diplomate dato in favorem monasterii Trudonensis apud Miræum in codice *donationum piarum, cap.* 54. interdum ipsi Reges & Duces Ecclesiarum Fundatores sibi, & suis Succesoribus *Advocatiam* reservârunt; uti videre est in diplomate dato monasterio Gemblacensi *anno.* 1123. *apud Miræum*, *ibid. cap.* 76. Et in diplomate Philippi Alsatii Comitis Flandriæ, quo Abbatiæ Ninivensis Advocatum & Defensorem se profitetur: apud Miræum in *donationibus Belgicis lib.* 2. *cap.* 53.

Atque ad hæc Monasteria & pia loca alludit Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. eximens à visitatione Episcoporum *pia loca, quæ sub Regum immediatâ protectione sunt, sine eorum licentia.*

Cæterùm qui plura de his Advocatis, eorumque juribus, & muniis scire desiderat, consulat D. Du Fresne in suo glossario, Verbo *Advocati Ecclesiarum.*

Novi Episcopatus auctoritate Synodi Provincialis instituuntur.

Can. IV. In cod. 98. „ Placuit & illud, ut
» plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episco-
» pos nisi ex Concilio plenario uniuscujusque Provin-
» ciæ & Primatis, atque consensu ejus, ad cujus
» Diœcesim ea Ecclesia pertinebat, decretum fuerit,
» minimè accipiant.“

Probat hic Canon, institutionem novi Episcopatûs eo tempore necdum Sedi Apostolicæ fuisse reservatam; sed auctoritate Concilii Provincialis fieri potuisse.

Can. V. In cod. 99. „ Sanè ut illæ plebes, quæ
» conversæ sunt à Donatistis, & habuerunt Epis-
» copos sine dubio, inconsulto Consilio habere me-
» reantur; quæ autem plebes habuerunt Episcopum,
» & eo defuncto voluerint non Episcopum pro-
» prium habere, sed ad alicujus Episcopi Diœcesim
» pertinere, non eis esse denegandum. Nec non
» & illud suggestum est, quòd plebes ante legem
» Imperatoris de unitate latam quicunque conver-
» terentur Episcopi ad Catholicam ipsi eas obti-
» nere debeant: verùm à lege *Unitatis*, & deinceps,
» oporteat universas Ecclesias vindicare sibi Episco-
» pos Catholicos eorum locorum, ad quæ loca sub
» hæreticis pertinebant vel conversorum ad Ca-
» tholicam, vel non conversorum hæreticorum, &
» Diœceses, & si quæ fortè sunt instrumenta Ec-
» clesiæ, vel ad ejus jus pertinentia. Qui verò aliqua
» usurpaverunt, post legem usurpata conventi resti-
» tuant.“

Quid lex de Unitate.

Legem Imperatorum de *Unitate* latam intelligunt Patres legem, quæ pœnarum metu Donatistæ ad *Unitatem* Ecclesiæ redire cogebantur; atque huc spectat rescriptum Acadii & Honorii anno 405. missum ad Proconsulem Africæ; referturque in *L.* 2. *Cod. Theod. de religione.* „ Edictum, inquiunt, quod
» de *Unitate* per Africanas regiones Clementia nos-
» tra direxit, per diversa proponi volumus, ut om-
» nibus inotescat Dei omnipotentis unam & veram fi-
» dem Chatholicam, quam recta credulitas confite-
» tur, esse retinendam.“

Inter ea autem, quæ pro reducendis Donatistis ad *Unitatem* edixerant Imperatores, & hoc erat, teste S. Augustino *Epist. ad Bonifacium, quidquid nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur, ad Catholicam Ecclesiam transire juserunt.*

Sensus Canonis.

Sensus ergo Canonis est, quod Episcopi à Donatistis ad Ecclesiam reversi retinere debeant Ecclesias, quas apud Donatistas obtinuerant; si modò ante legem Imperialem de *Unitate* essent conversi; secus si post eam legem; quia per illam legem Episcopis Catholicis erant addictæ, & Donatistis ablatæ.

Canone VI. in Cod. 100. Solùm exhibetur querela Maurentii Episcopi, qui cum à Senioribus suæ Diœcesis accusaretur, neque Synodo, licet invitati, se sisterent, Judices petiit, inter quos fuêre Augustinus & Possidius; quos Synodus annuit.

Episcopi conciliandæ paci Ecclesiarum incumbere debent.

Can. VII. in cod. 101. „ Placuit etiam, ut de
» dissensione Romanæ, atque Alexandrinæ Ecclesiæ
» ad Sanctum Papam Innocentium scribatur, quo utra-
» que Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Do-
» minus, teneat.“

De qua dissensione hic agatur.

Notat Baronius, hîc agi de dissensione inter dictas Ecclesias exortâ occasione S. Chrysostomi, qui factione Theophili Alexandrini fuerat in exilium missus; quam ob causam Innocentius I. teste Palladio, Theophilum à communione separare decreverat: hoc ne fieret, vel factum fuerat, ne perseveraret, rogandum ducunt Patres Africani: suo exemplo docentes, quomodo Ecclesiarum Prælati soliciti esse debeant

beant, ut pacem & concordiam inter dissentientes Ecclesias Concilient & foveant. Hæc enim Patrum prima semper cura fuit, ut pacem inter Ecclesias retinerent. Sic Basilius *Epist.* 52. *ad Athanasium*: „curandum ut *paci* posthabeantur omnia: & cùm primùm Antiochenæ Ecclesiæ medeatur, ne illa sincera pars imbecillis facta, personarum respectu scindatur."

Divortium quoad vinculum improbatum.

Can. VIII. in cod. 102. » Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur, sed ità maneant, aut sibimet reconcilientur: quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur, in qua causa legem Imperialem petendam promulgari. «

Grat. 32. *q.* 7. *Can.* 5. omissis postremis verbis: *In qua causa Legem Imperialem petendam promulgari.*

Ritè examinanda, quæ in Ecclesia leguntur.

Can. IX. in cod. 103. » Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manûs impositiones ab omnibus celebrentur, nec aliæ omninò contra fidem præferantur, sed quæcunque à prudentioribus fuerint collectæ, dicantur. «

Alia Canoni lectio.

Postrema pars Canonis ita legitur in Concilio Milevitano II. *cap.* 12. » Nec aliæ omninò dicantur in Ecclesia, nisi quæ à Prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam vel per minus studium sit compositum. «

Docent hoc suo decreto Patres Africani, quàm soliciti esse deberent Ecclesiarum Rectores, ne quid apocriphi, aut non satis probati in ritus, & preces Ecclesiæ irrepat.

Can. X. in cod. 104. » Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur: si autem Episcopale judicium ab Imperatore postulavit, nihil ei obsit. «

Grat. 11. *q.* 1. *Can.* 11. ex Concilio Carthaginensi VIII. sed notant correctores Rom. intelligi debere Concilium Milevitanum II. in quo hîc Canon extat *cap.* 19.

Sensus Canonis.

» Sensus Canonis est, ait Zonaras, si quis Ordine initiatus Imperatorem adeat, ac suæ causæ cognitionem publicis judiciis, hoc est, politicis & secularibus Magistratibus, committi postulat, proprio honore privabitur, hoc est, deponetur. Si vero ad Imperatorem accedens, Episcopale ab eo judicium postulaverit; hoc est, causam suam in Conventu Episcoporum Imperatoris auctoritate habendo cognosci velit, nullam dignitatis suæ jacturam ex ea re faciet. «

Clericus à suo Episcopo excommunicatus alibi communicare non potest.

Can. XI. in cod. 105. » Quicumque autem non communicans in Africa, in Transmarinis ad communicandum obrepserit, jacturam Clericatûs excipiat. «

Hoc Canone feriuntur, qui & hodie frequenter per sub vel obreptionem à Romano Pontifice impetratis litteris se à legitimis Superiorum sententiis eximunt, cum manifestâ hierarchiæ & unitatis Ecclesiasticæ infractione.

A quo Clericus ad Comitatum pergens formatam accipere debeat.

Can. XII. in cod. 106. » Placuit, ut quicunque ad Comitatum ire voluerit, in formata, qua ad urbis Romæ Ecclesiam mittitur, intimetur ut inde etiam ad Comitatum formatam accipiat. Quod si accipiat ad Romam tantummodo formatam & tacens necessitatem, ob quam ad Comitatum illi pergendum est, voluerit etiam ad Comitatum pergere, à communione removeatur. Quod si ibi Romæ ei repentina necessitas orta fuerit ad Comitatum pergendi, alleget apud Episcopum urbis Romæ ipsam necessitatem, & de hoc scripta ejusdem Romani Epispi perferat. «

§. X.

De Canonibus Concilii Carthaginensis anni 418.

SEquuntur in codice tria Concilia Carthaginensia, quibus nulli Canones adscribuntur. Duo priora habita anno 408. XVI. Kalendas Julias & Idus Octobris: Tertium anno 409. Kalendas Julias: de quo ait codicis Compilator: » Gesta hujus Concilii ideo non descripsi, quoniam Provinciale, non universale celebratum est. «

Canones contra Pelagianos

His demum subjicitur famosum illud Concilium Carthaginense *Universale*, scilicet totius Africæ anni 418. contra hæresim Pelagianam: cui in hoc codice 19. Canones assignantur atque inter illos, octo illi famosissimi, quibus prædicta hæresis postrata & damnata fuit. Hos enim huic Concilio, nequaquam autem Milevitano II. ut vulgò creditum est, adscribi debere, rectè monent Labbeus & Cossartius in ultima Conciliorum editione in nota margin. ad *Canonem I. dicti Concilii Milevitani*; & pluribus probat Paschasius Quenellius *diss.* 13. additâ tomo 2. operum S. Leonis.

nos huic Synodo adscrivendi.

Corrigendus proinde Gratianus, qui hos Canones sub nomine Concilii Milevitani II. suo decreto *dist.* 4. *de Consecratione*, inseruit: Quem errorem nec Correctores Rom. notârunt; utpote necdum adeò clarè detectum.

Anathema ei qui dicit hominem necessitate naturæ esse mortalem.

Can. I. in cod. 109. » Placuit omnibus Episcopis, quorum nomina & subscriptiones inditæ sunt, in Sancta Synodo Carthaginensis Ecclesiæ constitutis, ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit. «

Error Gratiani.

Grat. *dist.* 4. *de Consecrat. Can.* 152. hunc ei titulum præfigens: *Ex Concilio Milevitano cui interfuit Augustinus, & Anselmus Romanæ Sedis Legatus contra Pelagianos.* Errorem Gratiani, quo Concilio Milevitano Canonem attribuit jam notavimus: monent autem Correctores Rom. in margine circa nomen Anselmi: *videtur mendum in hoc nomine.*

Infantes veraciter in remissionem peccatorum baptizantur.

Can. II. in cod. 110. » Item Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matris baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adami trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde sit consequens, ut eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum irritavit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransit, in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsos committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Grat. *dist.* 4. *de Consec. Can.* 153. Hic Canon ostendit, Patribus Africanis visum fuisse sensum S. Scripturæ ex traditione esse potissimum hauriendum. «

Medius locus pro parvulis sine baptismo morientibus reprobatur.

Post hunc Canonem in editione Conciliorum Labbeana sequitur hæc nota ex Surio & Binnio: » Quidam pervetustus codex hoc loco hujusmodi caput inserebat habebat: Item placuit, ut si quis dicit ideò dixisse Dominum: *In Domo patris mei mansiones multæ sunt*, ut intelligatur, quia in Regno Cœlorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui sine Baptismo ex hac vitâ migrârunt, sine quo in Regnum Cœlorum quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cùm Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum*: Quis Catholicus dubitet, participem fore Diaboli eum, qui cohæres esse non meruit Christi? Qui enim dextrâ caret, sinistram proculdubio partem incurret. «

Verum esse canonem probatur.

Neque solùm in uno illo pervetusto codice, è quo Surius & Binnius retulêre, extat hic Canon; sed & in codice antiquo Ecclesiæ Romanæ, quem edidit Quenellius; de cujus sinceritate & auctoritate capite præcedenti actum fuit. Citatur insuper à Photio in Nomo-Canone, videturque ad eum alludere S. Augustinus *lib.* 2. *de Anima & ejus origine cap.* 12. „Novellos, ait hæreticos Pelagianos justissimè *Conciliorum* Catholicorum & Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint *parvulis* dare *quietis* & *salutis* locum, etiam præter Regnum Cœlorum."

Ad hunc locum Augustini reflectens Vir eruditus Paschasius Quenellius *diss.* 13. *cap.* 21. *n.* 4. ait: „En materiam Canonis, de quo quæstio est, disertis verbis explicatam: nullo enim Canone alio, *medius* ille quietis & beatitudinis parvulorum locus proscriptus legitur. Ita ut vel hoc uno Augustini testimonio certum sit, & invictè probatum, pro genuino Canone habendum esse eum, quem ut adjectitium ablegant plerique." Hæc ille. Verum quidem est, Canonem hunc in codice Africano à Dionysio Exiguo compila-

to, & suæ collectioni inserto non extare : sed quidnî credamus Dionysium, qui plura compendii causa omisit, & rescidit, hunc Canonem omisisse ; quod supponeret eum sufficienter contineri in præcedentibus, quibus definitum erat, parvulos peccato originali nasci obnoxios. Plura videri possunt pro adstruenda Canonis sinceritate, & objectorum solutione in dicta dissertatione Quenellii ; qui & ibidem ex conjectura non planè levi suspicatur, hunc Canonem aliquando in codice Africano à Dionysio fuisse insertum, sed recentiori manu postmodum fuisse erasum.

Gratia Deictiam detur ad adjutorium.

Can. III. in cod. 111. » Item placuit, ut quicunque dixerit gratiam Dei, quâ justificatur homo per » Jesum C. D. N. ad solam remissionem peccatorum » valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit. « Grat. *Dist.* 4. *de Consec. Can.* 154.

Gratia Dei non tantùm ad cognoscendum bonum, sed etiam faciendum requiritur.

Can. IV. in cod. 112. » Item quisquis dixerit eandem gratiam Dei per Jesum Christ. D. N. per hoc » tantùm nos adjuvare ad non peccandum ; quia per » ipsam nobis revelatur & aperiatur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare » debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut » quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, Anathema sit. Cùm enim » dicat Apostolus, *scientia inflat, Charitas verò ædificat*, valde impium est, ut credamus ad eam, quæ » inflat nos habere gratiam Christi ; ad eam, quæ » ædificat nos non habere : cùm sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, *qui docet hominem scientiam*, ita etiam » scriptum est, *charitas ex Deo est.* « Gratianus eum refert *dist.* 4. *Cons. Can.* 155. usque ad hæc verba *anathema sit*, omissis iis, quæ in sententiæ suæ probationem Patres apposuerunt.

Gratia Dei non solum requiritur, ut facilius bona faciamus.

Can. V. In cod. 113. » Item placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis » dari, ut quod facere libero jubemur arbitrio, faciliùs possimus implere per gratiam tanquam & si » gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, *sine me » difficiliùs potestis facere*, sed ait, *sine me nihil potestis facere*, Gratianus *dist.* 4. *de Consec. Can.* 156.

Omnes veraciter confiteri se debent peccatores.

Can. VI. In cod. 114. » Item placuit quod ait » S. Joannes Apostolus : *Si dixerimus quia peccatum » non habemus, nos ipsos decipimus & veritas in nobis non est.* Quisquis sic accipiendum putaverit, » & dicat propter humilitatem oportere dici, nos » habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit : *Si » autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est » & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi satis apparet, hoc » non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere : Si dixerimus, non » habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est : sed cum ait, *non ipsos » decipimus, & veritas in nobis non est*, satis ostendit, eum, qui dixerit se non habere peccatum, » non verum loqui, sed falsum.

Justi in Oratione Dominica petant propria peccata dimitti.

Can. VII. in cod. 115. » Item placuit, ut quicunque dixerit in oratione Dominica, ideo dicere Sanctos : *Dimitte nobis debita nostra*, ut non » pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria illa petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo » populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, dimmitte mihi debita mea, sed » *Dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potiùs, quàm pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus » Jacobus, cum dicebat *in multis offendimus omnes.* » Nam quare additum est, *omnes*, nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo, ubi legitur : *Ne intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* : Et in oratione sapientissimi Salomonis : *Non est homo qui » non peccavit* : Et libro Sancti Job : *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam.* Unde etiam Daniel Sanctus, & justus » cum in oratione pluraliter diceret : *Peccavimus, » iniquitatem fecimus*, & cætera, quæ ibi veraciter, » & humiliter confitetur : ne putaretur quemadmodum quidam sentiunt, hoc non de suis, sed de » populi sui potiùs dixisse peccatis, postea dixit : » *Cum orarem & confiterer peccata mea & peccata » populi mei Domine Deo meo*, noluit dicere peccata nostra, sed peccata *populi sui*, dixit, & *sua*; » quoniam futuros istos, qui tam malè intelligerent, » tanquam Propheta prævidit. «

A Sanctis veraciter dicitur, dimitte nobis debita nostra.

Can. VIII. in cod. 116. » Item placuit, ut quicunque ipsa verba Dominicæ Orationis, ubi dicimus, *dimitte nobis debita nostra*, ita volunt à » Sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem & non » hominibus, sed ipsis Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ » sibi dimittantur debita non habere. «

Reflexiones ad hos Canones abstrusiora originalis peccati & Divinæ Gratiæ mysteria exponentes, & declarantes Theologis faciendas relinquo, subsequentes Canones interim relaturus.

Can. IX. *in cod.* 117. Hoc Canone reformatur Canon 4. Concilii Carthaginensis anni 407. sub numero 99. supra exhibitus ; quo nimirum statuebatur, ut qui Episcopi Catholici ad Ecclesiam Catholicam reduxissent Donatistas ante legem *unitatis* latam, in eos jurisdictionem haberent. Quoniam ex hoc Canone multa orta essent dissidia, visum est Patribus, » ut ubicunque & Catholica fuit, & pars » Donati, & ad diversas Cathedras pertinebant, quocunque tempore illic unitas facta est, vel facta fuerit, sive ante leges, sive post leges, ad eam Cathedram pertineant, ad quam Catholica, quæ jam » ibi fuerat, pertinebat. «

Cùm verò in una eademque Diœcesi duo erant Episcopi, alter quidem Catholicus, alter Donatista ad Ecclesiam conversus, multæ occurrebant dissentiones ; quibus ut Patres mederentur, placuit.

Dum duo sunt ejusdem Diœcesis Episcopi, quomodo loco dividenda.

Can. X. *In cod.* 118. » Ut si Episcopus ex Donatistis ad Catholicam unitatem conversus est, » æqualiter inter se dividant eas, quæ sic fuerint » inventæ, ubi ambæ partes fuerunt, id est, ut alia » loca ad illum, alia ad illum pertineant : ita ut ille dividat, qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat. Quod si fortè unus fuerit locus, ad eum pertineat cui vicinior invenitur. Quod » si ambabus Cathedris æqualiter vicinus est, ad eum » pertineat quem plebs elegerit. Quod si fortè antiqui Catholici suum Episcopum voluerint, & illi suum, qui ex Donati parte conversi sunt ; plurium voluntas paucioribus præferatur. Si autem partes æquales sunt, majoris temporis Episcopo deputetur. Si autem ita plurima loca inveniuntur, » in quibus ambæ partes fuerunt, ut non possint » æqualiter dividi, velut ut si impari numero fuerint, distributis iis locis, qui parem habent numerum, quicumque locus remanserit, hoc in eo » servetur, quod superiùs dictum est, cum de uno » tractaretur loco. «

Condescendentia dum de convertendis Hæreticis tractatur.

Hîc rursus mirè elucet, qua mansuetudine, & condescendentiâ utendum sit, dum de pace, ac unitate Ecclesiæ procuranda tractatur ; nec de honoribus, aut Cathedris anxie esse disputandum ; sed iis etiam renuntiandum, si conversioni populi, ac paci Ecclesiæ necessarium esse videatur. Audire lubet unum è Patribus Africanis S. Augustinum, *Sermone II. ante cellationem Carthaginensem* : » Episcopi vultis esse nobiscum ? (Donatistæ) estote. Non vult » populus duos Episcopos, nobiscum in hæreditate Fratres estote. *Non propter honores nostros impediamus pacem Christi.* . . . Ergo sublato errore de » medio, tanquam pariete materiæ contradictionis & » divisionis, esto Frater meus, & ego sum Frater » tuus ; ut ambos simus ejus, qui Dominus est & » meus & tuus. *Hæc dicimus amore pacis, non diffidentiâ veritatis.* «

Qui Ecclesiam per triennium pacificè possedit, turbari non potest.

Canon. XI. *In cod.* 119. » Statuitur, ut si quisquam post Leges, aliquem locum ad Catholicam » unitatem converterit ; si eum per triennium nemine repetente retinuit, ulteriùs ab eò non repetatur. » Si tamen per ipsum triennium fuit Episcopus, qui » posset repetere, & tacuit, præjudicium patietur : » si autem non fuit, non præjudicetur Matrici, sed » liceat, cùm locus acceperit Episcopum, qui non » habebat, ex ipso die intra triennium, repetere. » Itemque si fuerit Episcopus ad Catholicam ex Do-

» na-

» nati parte conversus, non ei præjudicet præfinitum » tempus : sed ex quo die conversus est, habeat per » triennium potestatem repetendi loca, quæ ad ipsam » pertinebant Cathedram. «

Ecclesia Pastore viduata est instar pupilli.

Hoc Canone non obscurè probatur Canonistarum commune principium fundatum in *Cap.* 1. & 2. ✠ *ne Sede vacante aliquid innovetur*, nimirum, Ecclesiam Pastore viduatam esse instar pupilli defensore destituti: ideoque ne ei præjudicium creari posse.

Præluditur Regulæ Cancellariæ de triennali possessore.

Adhæc, in hoc Canone videmus prælusum regulæ Cancellariæ de *triennali possessore* : qua decernitur, ut si quis Beneficium Ecclesiasticum non simoniacè, nec per intrusionem, pacificè possederit per triennium, super eodem Beneficio taliter possesso nequeat molestari.

Can. XII. *In cod.* 120. » Item placuit, ut quicunque Episcopi plebes, quas ad suam Cathedram æstimant pertinere, non ita repetunt, ut causas suas » Episcopis judicantibus agant, sed alio retinente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur. Et quicunque jam hoc » fecerunt, si nondum est inter Episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt, ille inde discedat, quem constiterit prætermissis judiciis Ecclesiasticis irruisse. Nec sibi quisque blandiatur, si à Primate ut retineat, litteras impetrârit, sed sive habeat » litteras sive non habeat, conveniat cum qui tenet, & » ut litteras accipiat, ut eum appareat pacificè tenuisse Ecclesiam ad se pertinentem. Si autem aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices » causa finiatur : sive quos eis Primates dederint, sive » quos ipsi vicinos ex consensu elegerint. «

Nemo propria auctoritate rem aliquam vindicare potest.

Hic Canon ostendit, perpetuò à Patribus improbatum, ut quis propriâ auctoritate, juris Ordine prætermisso, rem ab alio detentam sibi audeat vindicare : quod & legibus civilibus statutum fuit : atque in hunc finem allegatur hic Canon à Grat. 16. *q.* 6. *Can.* 2. cum hac epigraphe : *Quod autem quisquis suâ auctoritate, quod sibi deberi putat, usurpat, nec per Judicem reposcit, cadat à causa.*

Quomodo puniendæ negligentia Episcoporum in reducendis schismaticis.

Can. XIII. *In cod.* 121. » Item placuit, ut quicunque negligunt loca ad suam Cathedram pertinentia, in Catholicam unitatem lucrari, conveniantur » à diligentibus vicinis Episcopis, ut id agere non morentur. Quod si intra sex menses à die conventionis, » non effecerint, qui potuerit ea lucrari, ad ipsum » pertineant. Ita sanè, ut si ille ad quem pertinuisse » videbantur, probare potuerit magis illius electam » negligentiam ab hæreticis, ut impunè ibi sint, & » suam diligentiam fuisse præventam, ut eo modo ejus » cura solicitior vitaretur, cùm hoc Judices Episcopi » cognoverint, suæ Cathedræ loca restituant. Sanè si » Episcopi inter quos causa versatur, diversarum sunt » Provinciarum, ille Primas det Judices, in cujus Provincia est locus, de quo contenditur. Si autem ex » communi placito vicinos Judices elegerint, aut unus » eligatur aut tres; ut si tres elegerint, aut omnium » sententiam sequantur, aut duorum. «

Gratianus corrigitur.

Hunc Canonem refert Grat. 16. *q.* 3. *Can.* 15. in qua quæstione tractat de requisitis ad præscriptionem, ejus speciebus, & effectibus, atque inter alia immediatè post hunc Canonem, dicit : *Quod sufficiat initio cuique bonâ fide possidere cœpisse, etiamsi medio tempore scientiam rei alienæ habuerit.* S. Antoninus in Summa, *p.* 4. *tit.* 11. *cap.* 8. notans dicta Gratiani quæ communiter reprobantur, etiam citatam opinionem illis annumerat : additque, » quod licèt hoc sit se- » cundum jura civilia, tamen, ut dicit Glossa, hoc » non tenetur secundum jus canonicum, cui in hoc » standum est. Oportet enim, quod non solùm ab ini- » tio, sed per omne tempus, quo currit præscriptio, » habeat bonam fidem, id est, credat se justè possidere. «

à S. Antonino.

Can. XIV. *In cod.* 122. » A judicibus autem quos » communis consensus elegerit, non liceat provocare, & quisquis provocatus repertus fuerit per contumaciam nolle obtemperare Judicibus, cùm hoc » primæ Sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras, » ut nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet. «

Gratiani Canonem in partes dividens sensum alterat.

Hunc in duas partes dissectum retulit Grat. 2. *q.* 6. *Can.* 19. & 33. quæ dissectio non tantùm obscuriorem sensum Canonis, sed etiam à mente Patrum diversum imprimit : quasi nimirùm, semper, qui per contumaciam Judicibus obtemperare noluerit, communione privandus sit ex Patrum Africanorum sententia : cùm tamen ex integro Canone manifestum sit, hic duntaxat actum esse de contumacia contra judices de *consensu partium* electos.

Hinc statuat Juris Studiosus pro exacta Canonum notitia, non nimiùm fidendum esse fragmentis Canonum à Gratiano relatis, sed inspiciendos integros Canones.

Episcoporum solicitudo etiam ad aliorum Diœceses subinde extendendo.

Can. XV. *In cod.* 123. » Si in matricibus Cathe- » dris Episcopus negligens fuerit adversus hæreticos, » conveniatur à vicinis Episcopis diligentibus, & ei » sua negligentia demonstretur, ut se excusare non po- » sit. Quod si ex die, quo convenitur, intra sex men- » ses, si in ejus Provincia executio fuerit, & non » eos ad unitatem Catholicam convertendos curaverit, » non ei communicetur, donec adimpleat. Si autem » executor ad loca venerit, non adscribatur Episcopo. «

Can. XVI. *In cod.* 124. » Si autem probatum fue- » rit, eum de communione eorum fuisse mentitum, di- » cendo eos communicasse, quos eo sciente non co- » municasse constiterit, etiam Episcopatum amittat. «

Cânones hi docent, quanto animi vigore, Episcopi conversioni, & saluti populi debeant intendere. Quodque Pastoralis Episcoporum solicitudo non semper concludi possit limitibus suarum respectivè Diœcesium, sed ad aliorum extendi debeat : si eas à suis Pastoribus negligi, aut malè administrari noverint.

Can. XVII. *In cod.* 125. Iisdem omninò verbis suprà in Canone 28. hujus codicis relatus est, cum hac solummodo adjecta clausula, *Sicut & de Episcopis sæpè constitutum est* : ut ibidem monuimus.

Velanda Virgines ab Episcopis interdum ante ætatis præscriptum.

Can. XVIII. *In cod.* 126. „ Item placuit ut qui- » cumque Episcoporum necessitate periclitantis pudi- » citiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor » aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis peri- » culoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata » moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad » quorum curam pertinet, velaverit Virginem, sen » velavit intra viginti & quinque annos ætatis, non » ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est. «

Gratianus 20. *q.* 1. *Can.* 15. sub nomine Pii Papæ refert : „ Virgines non velentur ante annos 25. » nisi fortè necessitate periclitantis pudicitiæ virgi- » nalis : & non sunt consecrandæ nisi in Epiphania, » & in Sabbatho Paschæ, & in Apostolorum na- » talitiis, nisi causâ mortis urgente. Notant Correctores Rom. Caput hoc inter decreta Pii non » est inventum, & abest à tribus vetustis Gratiani » exemplaribus. De causa verò, ob quam ante 25. » annos possint virgines velari, agitur in Concilio » Milevitano *cap.* 26. & Africano *cap.* 93. " Hæc illi, evidenter ad Canonem præsentem alludentes. Cæterum ex hoc Canone cum Balsamone observari potest, non permitti alicui homines monastico habitu induere sine permissione Episcopi. Hanc disciplinam exemptiones monasteriorum à jurisdictione Episcoporum mutârunt & multum labefâctarunt.

Providetur ne diutius Episcopi à suis Ecclesiis abesse cogantur.

Canone XIX. *in cod.* 127. » Placuit, ne diutius » universi Episcopi, qui ad concilium congregati » sunt, tenerentur, ab universo Concilio Judices ter- » nos de singulis Provinciis eligi. « Posthæc subjiciuntur nomina eorum, qui de singulis Provinciis electi fuêrè ; primusque post Aurelium Carthaginensem nominatur Faustinus Ecclesiæ Potentinæ, Provinciæ Italicæ Piceni, Legatus Romanæ Ecclesiæ, ac deinceps reliqui 22. quos inter erant Alypius Thagastensis, Augustinus Hipponensium Regiorum, & Possidius Calamensis Legati Provinciæ Numidiæ.

§. XI.

De Canonibus Concilii Carthaginensis VI. Sess. II. promulgatis.

CAnonibus 19. Synodi Carthaginensis anni 418. subjiciuntur in codice Africano sex Canones editi Sessione II. Concilii Charthaginensis VI. habitâ 30. Maii 419. cùm Sessione I. celebrata 28. ejusdem mensis & anni editi essent 33. Canones, qui primum in hoc codice locum occupârunt.

Hujus proinde Sessionis decreta à 22. Episcopis Provinciarum singularum Legatis, & à Concilio electis, confecta fuêre : at Canones actaque Sessionis primæ à 217. Episcopis ut contra Baronium notat Cardi-

dinalis Petronius in Scripto contra Regem Angliæ *cap.* 48.

Excommunicatus ad accusationem Clericorum non admittendus.

Can. I. *in cod.* 128. » Placuitque omnibus, quoniam superioribus Conciliorum decretis de personis, quæ admittendæ sunt ad accusationem Clericorum jam constitutum est, & quæ personæ non admitterentur, non expressum est: idcircò definimus, eum ritè ad accusationem non admitti, qui postquam excommunicatus fuerit, in ipsa ad huc excommunicatione contitutus, sive sit Clericus sive Laicus, accusare voluerit.«

Infames similiter ad accusationem non recipiendi.

Can. II. *in cod.* 129. » Placuit, ut omnes servi, vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes, etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ, heretici etiam, sive Pagani, seu Judæi: sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda.«

Gratianus Canones mutilat.

Gratianus nonnullis ex priore, & aliquibus ex posteriore Canone verbis desumptis unum confecit, retulitque 4. *q.* 1. *Can.* 1. sub nomine Concilii Carthaginensis VII. *cui*, ait, *interfuit Faustinus Ecclesiæ Romanæ Legatus.* At notârunt Viri Eruditi Concilium

Hæc Synodus non est alia à Synodo VI.

hoc Carthaginense non esse VII. & diversum à VI. sed hujus duntaxat continuationem, sive secundam Sessionem.

Canones parum sincerè à Gratiano referuntur.

Ad hæc verba finalia Canonis III. *Sed tamen quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non est deneganda*, citato loco omittens, ex illis singularem Canonem confecit 4. *q.* 6. *Can.* 2. Ut vel hinc appareat, Canones à Gratiano nunc truncatè, nunc per partes divisos, nunc plures in unum conflatos, parum sincerè referri.

Qui unum crimen objectum probare non potest ad aliorum accusationem non admittitur.

Can. III. *in cod.* 130. » Item placuit, ut quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur.« Grat. 3. *q.* 10. *Can.* 1.

Qui contra Clericos testari non possunt.

Can. IV. *in cod.* 131. » Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem intra annos 14. ætatis suæ non admittantur.« Grat. 4. *q.* 2. *Can.* 1.

Can. V. *in cod.* 132. Item placuit, ut si quando » Episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen » fuisse Confessum, atque ille neget; non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi soli non » creditur, etsi scrupulo propriæ conscientiæ se dicit» neganti nolle communicare.«

Quid agendum Episcopo cum illo, qui secretè ipsi crimen confessus.

In margine ad Canonem 99. Concilii vulgò Africani, *tom.* 2. *Concil. edit. Labbeanæ pag.* 1669. notatur ad hæc verba, *nolle communicare*: » in editione Mog. inferuntur hæc verba: *secretè* tamen» interdicat ei communionem, donec obtemperet.«

Can. VI. *in cod.* 133. „ Quamdiù excommunicato » non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis; ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, quod » aliis documentis convincere non poterit.«

Hos duos Canones minus aptè in hoc codice divisos esse ipse Canonum tenor satis ostendit; & notatur ad citatum Canonem 99. Concilii vulgo Africani, ubi ut unus idemque Canon conjunguntur.

Consectaria ex dictis Canonibus.

Ex his Canonibus colligitur, quod tunc temporis Fideles sua peccata Episcopis *secretò* interdum confiterentur; quandoquidem Episcopus ob hæc crimina tametsi *occulta*, etiam excommunicaret, & publicam pœnitentiam imponeret; licèt ad eam suscipiendam invitos cogere non posset in foro externo, nisi aliis documentis crimina probari possent. Hancque disciplinam imponendi pœnitentiam publicam pro peccatis *occultis*, multis seculis viguisse, multis probat Morinus *lib.* 7. *de Pœnit.*

His ità peractis, Aurelius Synodum claudit; concluditque ad Bonifacium Romanum Episcopum scribendum. Quæ litteræ unà cum litteris Patrum Africanorum ad Cælestinum Papam, & litteris Cyrilli Alexandrini & Attici Constantinopolitani ad Patres Africanos quatuor ultima codicis Africani capita conficiunt.

§. XII.

De litteris Africanorum ad Bonifacium & Cœlestinum Pontifices Romanos.

POst variorum Conciliorum Africanorum Canones referuntur in eodem codice Africano quatuor Epistolæ: Duæ Patrum Africanorum; una ad Bonifacium, altera ad Cœlestinum Romanos Pontifices: Et duæ ad Patres Africanos, prior Cyrilli Episcopi Alexandrini; posterior Attici Episcopi Constantinopolitani, quæ 4. Epistolæ quatuor ultima codicis capita seu Canones conficiunt.

Occasio litteræ ad Bonifacium.

Porrò ut harum litterarum sensus faciliùs percipiatur: breviter occasionem scriptionis præmittam.

Urbanus Episcopus Siccensis, Sancti Augustini olim Discipulus; Apiarium Ecclesiæ suæ Presbyterum quorundam criminum convictum, Synodali sententiâ exauctoraverat. Hic vero ad Zosimum Romanum Pontificem recurrit, à quo benignè exceptus, & in communionem receptus fuit.

Cùm verò id repugnare videretur Canonibus, & disciplinæ Ecclesiasticæ, testantibus, ne quis Episcopus in communionem recipiat eos, qui à suo Episcopo sunt excommunicati, hæc Zosimi agendi ratio non parum Patres Africanos commovit. Quod dum Zosimus intellexit, Legatos suos scilicet Faustinum Episcopum, & Assellum ac Philippum Ecclesiæ suæ Presbyteros in Africam ablegavit, qui & suum circa Apiarium agendi modum defenderent, & alia nonnulla negotia cum Africanis tractarent.

Patres ut Pontifici obsequantur, aliquibus condescendunt.

Ubi verò Africani perceperunt Apiarium à Zosimo defendi, ut disceptationem cum Sede Apostolica declinarent, negotium illud ita componendum censuerunt, ut Apiarius Presbyter, de cujus ordinatione & excommunicatione & provocatione fuerat exortum, non solùm Siccensi, sed etiam totius Africanæ Ecclesiæ non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni restitueretur » Quia verò, *inquiunt* in Epistola ad Bonifacium » Papam, paci & quieti Ecclesiæ non tantùm ad » præsens, sed etiam imposterum prospiciendum fuit, » quoniam talia multa præcesserant, ut vel similia, » vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret; » placuit nobis, ut à Siccensi Ecclesia, retento sci» licet honore gradûs sui, Presbyter removeretur » Apiarius, & accepto Epistolio ubicunque alibi vel» let & posset, Presbyteri munere fungeretur. Quod » eidem ipsi per litteras proprias postulanti sine dif» ficultate concessimus.«

Quid Legati Pontificis haberent in mandati.

Verùm priusquam hoc negotium concluderetur, rogarunt instanter Papæ Legatos Patres, ut promerent quidquid eis cum Patribus Africanis agendum fuisset injunctum; Legati primùm nonnulla quidem sine ullo scripto prosecuti sunt verbis: » sed cùm » id potiùs flagitaremus, inquiunt in Epistola ad Bo» nifacium, quod in litteris ferrent, commonitorium » protulerunt, quod recitatum nobis, etiam gestis » quæ secum ad vos deferunt, est allegatum. In quo » eis quatuor quædam nobiscum agenda mandata sunt, » unum de appellationibus Episcoporum ad Roma» næ Ecclesiæ Sacerdotem; alterum, ne ad Commi» tatum Episcopi importunè navigent; tertium de » tractandis Presbyterorum & Diaconorum causis » apud finitimos Episcopos, si à suis excommuni» cati perperam fuerint: quartum de Urbano ex» communicando, vel etiam Romæ vocando, nisi » ea quæ videbantur corrigenda, corrigeret.«

Circa secundum & quartum nulla aut exigua erat difficultas. Africani enim Episcopi jam lege latâ prohibuerunt, ne Episcopi, Presbyterive in Aulam aut Commitatum pergerent. Quartum quoque adhibito temperamento, de quo jam diximus, sopitum videbatur.

Primum & tertium majoris momenti & consequentiæ Patribus Africanis videbatur, quare & de his disceptatio non modica exorta fuit.

Legati Canones Sardicentes allegant pro Nicænis.

Legati ergo in Synodo Generali Africæ 217. Episcoporum ex commonitorio suo (ita enim appellabant mandata Legatis scripto prodita) in horum articulorum probationem allegârunt duos Canones, tamquam Canones Nicæni Concilii, qui reverà erant duo Canones Concilii Sardicensis.

Africani his Canonibus

Cùm verò hos Canones ignorarent Patres Africani, noluerunt mox iis, quæ asserebantur, assenti-

nibus pervenia assentire noluerunt.

tiri ; quia tamen eos esse Nicænos assererent Legati, ob reverentiam huic Sedi, & Canonibus Nicænis debitam dixerunt, se Canones illos observaturos, donec compertum sibi esset, utrum Concilii Nicæni essent nec ne: *Et hoc, inquiebat* S. Augustinus, *nos servaturos profitemur, salva diligentiore inquisitione Concilii Nicæni.*

Inquirendum censent de veritate horum Canonum.

Cùm autem factâ inquisitione in suis exemplaribus Nicæni Concilii Canones illos Patres Africani non reperissent, censuit Alypius, mitendos esse Legatos ad Episcopos Constantinopolitanum, Alexandrinum & Antiochenum, ut allatis ab eis genuinorum Nicæni Concilii actorum excriptis, lis illa tutiùs dirimi posset. Accepta est ab omnibus Alypii sententia ; decretumque interea observandam esse praxim his Canonibus prescriptam. Quin etiam visum Patribus, de rebus omnibus, quæ in hoc Concilio agitatæ fuerant, Bonifacium Papam (qui sub finem anni 418. Zosimo successerat) litteris certiorem reddendum; rogandumque, ut de eo ipso ad Orientales Ecclesias scribat, quo manifestùs de canonum horum veritate constare possit. Hæ itaque sunt litteræ Patrum Africanorum ad Bonifacium, quæ, *Cap.* 134. in codice Africano conficiunt : in quibus primùm relatis quatuor articulis, quos è suo Commonitorio Legati Sedis Apostolicæ recitaverant, hæc subjiciunt: » Quo-

Littera ad BonifaciumPapam

» rum omnium de primo & tertio, id est, ut Ro-
» mam liceat Episcopis provocare, & ut Clericorum
» causæ apud suarum Provinciarum Episcopos finian-
» tur, jam priore anno, etiam litteris nostris ad
» eundem venerabilis memoriæ Zosimum Episcopum
» datis insinuare curavimus, ut ea servare sine ulla
» injuria *paulisper sineremus usque ad inquisitionem*
» Concilii Nicæni. Et nunc de Tua poscimus Sancti-
» tate, ut quemadmodum ea apud Nicæam à
» Patribus acta vel constituta sunt, sic ea à nobis
» facias custodiri, & ibi apud vos ista, quæ in
» Commonitorio attulerunt, facias exerceri, id est,
» si Episcopus accusatus fuerit, &c." Hîc inseruntur Canones 5. & 14. Sardicenses, quos sub nomine Nicænorum allegaverant Legati Sedis Apostolicæ : Quibus relatis pergunt litteræ : » hæc utique usque ad ad-
» ventum verisimorum exemplariorum Nicæni Con-
» cilii, inserta gestis sunt : quæ si ibi, quemadmo-
» dum ipso, quod apud nos Fratres ex Apostolica
» Sede directi allegaverunt, Commonitorio conti-
» nentur, eoque ordine vel apud vos in Italia custo-
» direntur, *nullo modo nos talia*, qualia commemora-
» re jam nolumus, vel tolerare cogemur : sed credi-
» mus adjuvante misericordiâ Domini Dei nostri,
» quod tuâ Sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente,
» non sumus jam istum typhum passuri. Et serva-
» buntur erga nos, quæ nobis etiam non disserenti-
» bus custodiri debeant cum fraternâ charitate quæ
» secundum sapientiam, atque justitiam, quam tibi
» donavit Altissimus, etiam prespicis esse servanda,
» nisi fortè aliter se habeant Canones Concilii Nicæ-
» ni. Quamvis enim plurimos codices legeremus ; sed
» nusquam in Nicæno Concilio, in latinis codicibus
» legimus, quemadmodum in supra dicto Commoni-
» torio inde directa sunt. Tamen quia hîc in nullo
» codice græco ea potuimus invenire, ex Orienta-
» libus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta
» posse etiam authentica reperiri, magis nobis desi-
» deramus afferri. Pro qua re, tuam quoque Ve-
» nerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse
» digneris ad illorum Patrum Sacerdotes, hoc est, Ec-
» clesiæ Antiochenæ Alexandrinæ, & Constan-
» tinopolitanæ, & si aliis etiam tuæ placuerit Sanc-
» titati, ut inde ad nos iidem Canones apud Nicæ-
» nam Civitatem à Patribus constituti, veniant, te
» potissimùm hoc beneficium cunctis Occidentalibus
» Ecclesiis in Domini adjutorio conferente. Quis enim
» dubitet, exemplaria esse verissima Concilii Nicæ-
» ni in Græcia congregati, quæ de tam diversis locis &
» de nobilibus Græcis Ecclesiis allata & comparata con-
» cordant? Quod donec fiat; hæc quæ in Commonito-
» rio suprà dicto nobis allegata sunt de Capellationibus
» Episcoporum ad Roman. Ecclesiæ Sacerdotem, & de
» Clericorum causis apud suos Provinciarum Episcopos
» terminandis,nos usque ad probationem servaturos es-
» se profitemur, & Beatitudinem tuam ad hoc nos ad-
» juturam in Dei voluntate confidimus. Cætera verò,
» quæ in nostra Synodo gesta vel confirmata sunt,
» quoniam supradicti Fratres nostri Faustinus Coëpis-
» copus. Philippus & Asellus Presbyteri secum ferunt,
» si dignatus fueris, tuæ nota facient Sanctitati. Et aliâ
» manu : Dominus noster te nobis annis pluribus cus-
» todiat, Beatissime Frater Subscripserunt quoque
» Alypius, Augustinus, Possidius, Marinus & cæteri
» Episcopi."

Promittunt observare quæ Canonibus continentur, donec inquisitio sit facta.

Rogans Papam ut in Oriente faciat inquiri de veritate Canonum.

Exemplaria Concilii Nicæni à Patriarchis Orientalibus per Africanos expetita, eodem anno in mense Novembri allata fuêre, simulque amicissimæ litteræ Cyrilli Alexandrini, & Attici Constantinopolitani ad Patres Africanos : quarum priores, *cap.* 135. codicis Africani constituunt, dicitque se scripta Synodi Carthaginensis *multum habentia querimoniarum cum omni lætitia* per Innocentium Presbyterum suscepisse, » quibus, inquit, à nobis speratis, ut de scrinio nos-
» træ Ecclesiæ verissima exemplaria ex authentica
» Synodo apud Nicænam civitatem Metropolim Bithy-
» niæ, à Sanctis Patribus constituta & firmata sub nos-
» træ Fidei professione vestræ Dilectioni porrigamus.
» Unde enim, Domini honorabiles Fratres salute præ-
» eunte, necesse habui per harum latorem Filium nos-
» trum Innocentium Presbyterum, fidelissima exem-
» plaria ex Authentica Synodo in Nycæa civitate Bi-
» thyniæ habitâ, vestræ charitati dirigere. Quod & in
» Ecclesiastica historia requirentes invenietis. «

Littera Cyrilli Alexandrini cum authenticis exemplaribus Canonum Nicanorum.

Similiter Atticus Constantinopolitanus, cujus litteræ *caput* 136. codicis conficiunt, præmisâ humili salutatione, & gratiarum actione, quòd meruerit tantorum Fratrum benedictione perfrui, ità prosequitur: » Domini Beatissimi Fratres, scripsistis sanè, ut ve-
» rissimos Canones apud Nicæam civitatem Metropo-
» lim Bithyniæ à Patribus constitutos sub Fidei adsti-
» pulatione dirigam. Et quis est, qui communem fidem,
» vel statuta à Patribus firmata Fratribus suis deneget?
» Qua de re per eundem filium meum Marcellum Sub-
» diaconum vestrum nimium festinantem, sicut statuti
» sunt in Nicæa civitate à Patribus, Canones in inte-
» gro, ut jussistis, direxi; petens ut pro me plurimum
» Vestra Sancta Congregatio orare jubeat. Et aliâ ma-
» nu: Deus noster Sanctitatem Vestram custodiat,
» quod optamus, Sanctissimi Fratres."

Littera Attici Constantinopolitani cum Canonibus Nicanis.

Porrò in his allatis Nicæni Concilii exemplaribus haud reperti fuerunt Canones à Zosimi Legatis citati ; sed solùm Fidei formulâ, & 20. Canones hactenus noti : quæ mox ad Bonifacium Africani retulerunt; videnturque litem dirimisse. Et reverà toto tempore Pontificatûs Bonifacii negotium hoc agitatum ulteriùs fuisse non invenitur. Et moveri rursus cœpit sub Cœlestino Bonifacii successore.

Non reperiuntur inter Canones à Legatis pro Nicænis adducti.

Apiarius quippe, cui in gratiam Papæ, Faustino Episcopo ejus Legato allaborante, ignoraverant Patres Africani, novis & immanibus criminibus nova sibi negotia facessivit : tantùmque sua temeritate fecit, ut ipsum damnare cogerentur Africani. Hic verò cùm semel non sine successu refugium ad Romanum Pontificem esset expertus, rursus ad Celestinum Papam confugit; qui ipsum non tantùm in communionem recepit, sed & literas in ejus favorem ad Episcopos Africanos, & Faustinum Episcopum in Africam misit, qui ejus restitutionem urgeret.

Rursus instauratur causa Apiaris.

Itaque Episcopi cum Faustino Episcopo in Synodum coëunt, ut causam Apiarii discutiant, & judicent ; & credidimus, inquiunt, » ideo cum illo
» (Apiario) missum (Faustinum) quoniam sicut per
» ejus operam Presbyterio antea redditus fuerat, ita
» nunc posset de tantis criminibus à Tabracenis ob-
» jectis, eo laborante purgari. «

Mox Synodo se Faustinus opposuit, » omni con-
» gregationi varias injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ
» Romanæ afferens privilegia ; volens eum (Apiarium)
» à nobis, inquiunt, in communionem suscipi, quem
» tua Sanctitas credens appellâsse, quod probare non
» potuit, communioni reddiderat : quod minimè ta-
» men licuit, quod etiam gestorum ex lectione cog-
» nosces «

Faustinus Apiarii causam propugnat.

Hac Faustini oppositione non refragante, examen Apiarii Patres prosecuti sunt ; ac cum triduano *laboriosissimo* agitato judicio, diversa eidem objeta afflictissimi Patres Africani quæsivissent, » vel mo-
» ras Faustini Episcopi, vel tegiversationes ipsius
» Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere co-
» nabantur, *Deus Judex Justus*, fortis & longani-
» mis, magno compendio resecavit: « Tertio nam-
que consessu confessus est Apiarius omnia, quorum accusabatur, atque ita opus non fuit, ut de hac causa ulteriùs tractaretur. At verò Patres seriò considerantes quam sua referret, ut posthac eorum judiciis sua

Apiarius sua crimina fatetur.

sua inconcussa staret auctoritas; consultum credidêre ad Cœlestinum Papam litteras dare, quæ in *codice cap.* 136. faciunt; in quibus primùm expositis, quæ in causa Apiarii acta sunt, ita pergunt: » Præfato » itaque debitæ salutationis officio, impendio depre- » camur, ut deinceps ad vestras aures hinc venien- » tes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommu- » nicatos in communionem ultra velitis excipere: quia » hoc etiam Nicæno Concilio definitum facilè adver- » tet Venerabilitas qua. Nam etsi de inferioribus Cle- » ricis vel Laicis videtur ibi præcaveri, quantò ma- » gis de Episcopis voluit hoc observari, ne in sua » Provincia communione suspensi, à tua Sanctitate » vel festinato, vel præproperè, vel indebitè videan- » tur communioni restitui? Presbyterorum quoque » & sequentium Clericorum improba refugia, sicuti » te dignum est, repellat Sanctitas tua; quia & nul- » la Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est » Africanæ; & decreta Nicæna, sive inferioris gra- » dûs Clericos sive ipsos Episcopos, suis Metropo- » litanis apertissimè commiserunt: prudentissimè enim, » justissimeque providerunt, quæcumque negotia in » suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique » providentiæ gratiam S. Spiritûs defuturam, quâ » æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter vi- » deatur, & constantissimè teneatur. Maximè quia » unicuique concessum est, si judicio offensus fue- » rit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel » etiam universale provocare. Nisi fortè quisquam est, » qui credat, unicuilibet posse Deum nostrum exa- » minis inspirare justitiam & innumerabilibus congre- » gatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quo- » modo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad » quod testium necessariæ personæ vel propter se- » xûs vel propter senectutis infirmitatem multis aliis » intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? » Nam ut aliqui tanquam à tuæ Sanctitatis latere mit- » tantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitu- » tum; quia illud, quod pridem per eundem Coë- » piscopum Faustinum, tanquam ex parte Nicæni » Concilii exinde transmisistis, in Conciliis veriori- » bus, quæ accipiuntur Nicæni à S. Cyrillo Coë- » piscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à vene- » rabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex au- » thentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocen- » tium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum, per » quos ad nos ab eis directa sunt, venerab. mem. » Bonifacio Episcopo Prædecessori vestro à nobis » transmissa sunt, in quibus tale aliquid non po- » tuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros » quibuscunque petentibus nolite mittere, nolite con- » cedere, ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam » Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem, » Deum videre cupientibus præfert, videantur indu- » cere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto jam » pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia do- » lendo Apiario) securi sumus, quod eum probi- » tate & moderatione tuæ Sanctitatis, salvâ fraternâ » charitate, ulteriùs Africa minimè sustinere patietur. » Et alia manu: Dominus noster Sanctitatem ævo » longiore orantem pro nobis custodiat, Domine » Frater. «

Epistola ad Cœlestinum, qua petitur ut judicia Episcoporum maneant firma.

Post missas has litteras non invenitur quidquam ulteriùs Africanam inter & Romanam Ecclesiam super hac materia dissensionis intercessisse; pacemque inter utramque Ecclesiam conservatam fuisse constat; ut proinde meritò ut impudentissimum commentum à Baronio explodatur, quod sub nomine Bonifacii scri- » bitur: » Aurelius enim Carthaginensis Ecclesiæ olim » Episcopus, cum Collegis suis (instigante diabolo) » superbire temporibus Prædecessorum nostrorum » Bonifacii atque Cœlestini contra Romanam Ec- » clesiam cœpit: sed videns se more peccantis Au- » relii Eulalius à Romanæ Ecclesiæ communione se- » gregatum: humilians recognovit se peccâsse, pa- » cem & communionem Romanæ Ecclesiæ petens, » subscribendo unà cum collegis, damnavit Apos- » tolicâ auctoritate omnes scripturas, quæ adversus » Romanæ Ecclesiæ privilegia facta quoque ingenio » fuerunt. «

Pax Ecclesiam Romanam inter & Africanam turbata fuit.

Quæ apertè significant, à temporibus Aurelii usque ad tempora Bonifacii II. fuisse schismate divisam Ecclesiam Africanam à Romana: Quod absurdum esse, vel solum ominari ob varios Sanctos qui medio tempore in Africa floruêre, ut inter cæteros S. Augustinum, *notat Baronius*; ostenditque multis ex capitibus, hanc unam esse è spurcissimis mercibus Isidori à similibus suppositiis mercimoniis famosissimi; de quo plura dicentur parte 4. ubi de collectione Isidori vulgò *Mercatoris* agetur.

Epistola Bonifacii suppositia.

PARS TERTIA.

De Codicibus & Collectionibus Canonum, à Seculo VI. usque ad Seculum VIII.

CAPUT PRIMUM.

De codice Dionysii Exigui.

PARAGRAPHUS I.

Quid fuerit Dionysius Exiguus.

Testimonium Cassiodori de Dionysio.

CAssiodorus ipsi Dionysio coævus ita de illo scribit: » Fuit nostris temporibus Dionysius Mona- » chus, *Scytha* natione, sed moribus omninò *Roma- » nus*, in utraque lingua valde doctissimus, reddens » actionibus suis, quam in libris Domini legerat æqui- » tatem, qui scripturas tantâ curiositate discusserat, at- » que intellexerat, ut undecunque interrogatus fuis- » set, paratum haberet competens sine aliqua dila- » tione responsum. Qui petitus à Stephano Episcopo » Salonitano, ex Græcis exemplaribus *Canones Eccle- » siasticos*, moribus suis, ut erat plenus, atque di- » sertus, magnæ eloquentiæ luce composuit, *quos ho- » die usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* « Hæc ille *cap.* 23. *divin. lect.*

Testimonium Venerabilis Bedæ.

Meminit & Dionysii venerabilis Beda scribens: » Dionysius venerabilis Abbas Romanæ Urbis, & » utriusque linguæ græcæ videlicet & latinæ non igno- » bili præditus scientia. «

Trithemii Baronii Trithemius quoque ac Cardinalis Baronius eum ab ingenio & scientiâ, atque linguarum peritiâ plurimum extollunt, quibus subscribens Bellarminus ait: » Dio- » nysius natione *Scytha* sed moribus *Romanus*, que- » madmodum cognomento *Exiguus*, sed doctrinâ & » sanctitate *maximus*, vixit tempore Theodorici Re- » gis Italiæ & successorum ejus; nam anno Domini » 527. scripsit cyclum Paschalem, & omissa profanâ » numeratione annorum ab Imperio Diocletiani im- » pii persecutoris, numerare cœpit ab Incarnatione » Domini Jesu-Christi. Scripsit præterea collectionem » Sacrorum Canonum ex Conciliis Ecclesiæ Catholicæ, » quem postea imitati sunt Martinus Bracarensis & » Cresconius. «

& Bellarmini.

Hactenus Bellarminus: Ex quo & illud habemus sub initium seculi VI. Dionysium floruisse; uti & Trithemius observavit, qui & addit, ipsum sub Justiniano Magno anno 540. adhuc claruisse.

§. II.

Codex Dionysianus in duas partes divisus; & quid in utraque contineatur.

COdex Dionysianus divisus est in duas partes; easque sive tempus confectionis, seu compilationis, sive materiam spectes, plurimum inter se dispares. Priorem enim dudum posteriorem tempore præcessisse, tes-

testis est ipse Dionysius in præfatione partis posterioris. Adhæc, prior solos Canones Conciliorum partim Græcos, partim Latinos continet; ideoque inscribitur *Codex Canonum Ecclesiasticorum*: Posterior verò solas Decretales Epistolas, sive decreta Romanorum Pontificum exhibet: Et ob id vocatur: *Collectio decretorum Pontificum Romanorum.*

Quid priore Codicis parte contineatur, & quo motivo ad eam inductus.

Quid in priore codicis sui parte præstiterit, & quâ ratione ad eam conficiendam inductus fuerit, aperit ipse Dionysius in Epistola ad Stephanum Episcopum Salonitanum vice præfationis huic parti præfixâ. » Quamvis charissimus frater noster Laurentius, assiduâ & familiari cohortatione parvitatem nostram regulas ecclesiasticas de Græco transferre repulerit, tamen ingestum laborem tuæ Beatitudinis consideratione suscepi... Magna siquidem jubentis auctoritas, eadem primitùs jussa complentis, quatenus inconcussa Ecclesiastici Ordinis disciplina inviolabilis permanens ad capessendum perenne præmium Christianis omnibus præstat accessum, per quem Sancti Præsules paternis muniantur regulis, & obedientes populi spiritualibus involvantur exemplis. In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco transtulimus .. Deinde regulas Nicænæ Synodi & deinceps omnium Conciliorum, si quæ ante eam, sive quæ postmodum facta sunt, usque ad Synodum 150. Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à primo capite usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in græca auctoritate, digessimus. Tum Sancti Calchedonensis Concilii decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestræ credat velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africani, quæ latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta. «

Qui Canones, ex hoc codice exhibendi.

Præter Græcos ergo Canones qui prisco codice græco continebantur, de quibus parte 1. actum fuit, & Canones Africanos, quos similiter suprà retulimus & explanavimus, hoc codice continentur 50. Canones vulgo Apostolorum: item 27. Canones Calchedonenses, & 21. Canones Sardicenses. Cæterum cùm codex græcus sub finem seculi VII. in Synodo Trullana seu Quini-Sexta probatus, 85. Canones sub nomine Apostolorum referat, nec non Canones Calchedonenses; iique græcè primùm editi fuerint; horum Canonum tractatione tantisper, quoadusque ad dictum codicem græcum pervenerimus, suspensâ, solos Sardicenses, qui latinè editi sunt, occasione hujus codicis repræsentabimus, & breviter elucidare conabimur.

Quid parte posteriore contineatur.

Posteriore verò parte exhibuit, » præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, quæ ait in præfatione hujus partis, quâ valui curâ diligentiâque collegi, & in quendam redigens ordinem titulis distinxi compositis: ita duntaxat, ut singulorum Pontificum, quotquot à me Præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem, omnesque titulos huic præfationi subnecterem, eo modo, quo dudum de græco sermone Patrum transferens Canones, ordinâram, quod vobis nimiùm placuisse cognoveram. «

Incipit autem à decretis Siricii Papæ, qui demum sub finem IV. seculi sedit; ut vel ex hoc argumentum sumatur, Epistolas anteriorum Pontificum tunc temporis haud notas fuisse; sed de hoc fusiùs ubi de collectione Isidori Mercatoris agetur.

Porrò licèt quæ in posteriore hac parte continentur, multa præclara disciplinæ ecclesiasticæ documenta contineant; quia tamen animus tantùm fuit Canones, præsertim ac Orientali pariter ac Latina Ecclesia receptos referre ac breviter explanare, hanc partem omittendam judicavimus.

§. III.

Quæ sit codicis auctoritas.

Auctoritas codicis. Codex Dionysii privata auctoritate confectus.

SIve Codicis, seu collectionis auctorem spectemus, sive eos, quorum precibus, vel familiari cohortatione ad eam conficiendam Dionysius inductus fuit, non nisi opus privatæ auctoritatis esse hanc collectionem fateri debemus. Neque enim Dionysius operis architectus, neque Laurentius, Stephanus, aut Julianus aliique Dionysii ad hoc opus conficiendum incitatores, publica auctoritate valebant, ut eam codici communicare potuissent. Quinimò nec Dionyssii propositum fuit, hunc suum sive posteriorem codicem ad usum Ecclesiæ Romanæ condere, sed privatorum duntaxat, ac sibi familiarium, qui pristini codicis confusione offendebantur, usibus ac studiis aptare, & succurrere.

Ecclesia Romana magno plausu codicem recepit.

Cæterùm ut primùm codex hic privatorum manibus terri cœpit, mox apparuit, illum sive Canonum græcorum versio expectaretur, sive Canonum & totius materiæ ordinata dispositio, & relationis fidelitas attenderentur, pristino Canonum codici in multis præstare: quia ut rectè notat Baronius, » si fidelitas atque peritia in transferendo, & sinceritas in edendo quàm maxima requiratur; nulla exquiri potest editio exactior atque fidelior quàm quæ à magno illo, sed cognomento *Exiguo* Dionysio elaborata est; cujus eximiam in utraque lingua peritiam, & morum egregiam probitatem Casiodorus dignis laudibus mirificè prædicat. « Hæc Baronius ad annum 325. Hinc contingit, ut codicem hunc vix editum Ecclesia Romana, ceu quoddam Canonum Corpus, ut phrasi hodierna loquar, susceperit ut adeò Cassiodorus ipsi Dionysio coævus scribat: Dionysius Canones Ecclesiasticos composuit, » quos *hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* «

Et quidem sub initium seculi VI. Joannem II. usum fuisse codice Dionysiano manifestum est ex ejus epistola ad Cæsarium Arelatensem; in quantum decreta Siricii Papæ, tum Canones Apostolorum, & Antiochenos ex ejus versione transcripsit, & Cæsario Arelatensi misit, ut secundum illos de causa judicaret. Habetur *tom. 4. Concil. ult. edit. Labb. colum.* 1756.

Deinde continuo usu à Romana Ecclesia ita probata, & suscepta fuit, ut à Nicolao I. *Dist.* 19. *Can.* 1. & Leone IV. *Dist.* 20. *Can.* 1. ac omnibus sequentibus Canonum Collectoribus *Codex Canonum* dicta sit, quemadmodum observant Correctores Romani; qui & addunt; *Et hæc ea est* collectio, *quæ in notationibus, quæ nunc eduntur, absolutè codex Canonum vocatur.* In præfat. ad Decretum Gratiani.

Quomodo intelligenda hæc receptio.

De hoc tamen hîc monitum velim Lectorem, receptionem sive approbationem codicis Dionysiani ab Ecclesia Romana nequaquam eo cum rigore contigisse, ut universos Canones, totamque in eis contentam disciplinam pro suâ receperit: quandoquidem certum sit, plures in hoc codice Canones contineri, quos vel nunquam, vel multo post receptum Dionysii codicem tempore Romana Ecclesia recepit; utpotè quibus disciplina Ecclesiæ Romanæ directè contrariebatur. Itaque codex Dionysianus à Romana Ecclesia probatus, & susceptus fuit modo non absimili, quo Decretales Gregorii X. aliæque moderni corporis canonici partes in Belgio aliisque Provinciis pro jure communi, ubi singularia Provinciarum jura, aut non improbandæ consuetudines haud repugnant, agnoscitur & recipitur.

§. IV.

Ab Ecclesia Africana, Gallicana aliisque hic codex fuit receptus.

IN Ecclesia Africana notum fuisse codicem Dionysianum sub finem seculi VII. magnoque in pretio habitum, testis est Cresconius Episcopus Africanus; qui sub idem tempus Canonum summariam collectionem instituens, Indicem seu catalogum Conciliorum & Epistolarum Decretalium, quibus uti instituit, præmittit eo ordine & numero servatis, quibus in codice Dionysii extant.

Ab Ecclesia Gallicana Dionysianum codicem, mox ut editus fuit, susceptum fuisse contendit Petrus à Marca; at Jacobus Sirmundus, Christophorus Justellus, ac Vir eruditus Paschasius Quenellius singulari solidissimaque dissertatione, quæ est 16. *Tom. II. operum S. Leonis* subnexâ, contendunt, ante Caroli M. tempora Gallicanam Ecclesiam codicem Dionysianum non suscepisse: neque ante hæc tempora Synodos Gallicanas Canones Græcos ex versione Dionysii allegâsse: quorum sententiam recenter probat Jacobus Petitus in præfatione ad collectionem canonum, quam ex vetustissimo manuscripto una cum pœnitentiali Theodori Cantuariensis primùm evulgavit.

Collectio Canonum edita à Jacobo Petito.

Hanc collectionem ad usum Ecclesiæ Gallicanæ compilatam fuisse probat; eo quòd Canones Græcos, præsertim Nicænos, referat eodem penè modo, quo in antiquis Gallicanis Synodis proferuntur.

Ulteriùs notat hanc Canonum collectionem nullis fœdatam esse pseudo-Isidori Epistolis. » Unde ait Pe-

» titus, cuique erudito facilè est intelligere, non so- » lùm Gratiani, Ivonis, Burchardi collectionibus an- » tiquiorem esse, cùm falsis istuis collectionis mer- » cibus cæteræ collectiones subsequentes eo turpiùs » deformatæ sint, quò ad posteriora tempora deve- » niunt. «

Verùm, ut fateamur eam Isidorianâ antiquiorem esse, eam tamen circa tempora Caroli M. compositam fuisse, ex Canonibus aliisque monumentis relatis satis constat; ipseque Petitus fateri debet; sed cùm & Canones Nicæni ex versione seu potiùs interpretatione Rufini referantur, & reliqui Græci à versione Dionysii plerumque differant, Ecclesiam Gallicanam codice Dionysiano usam non fuisse tempore hujus collectionis probabile argumentum est: præsertim cùm Canones Sardicenses sub nomine Canonum Nicænorum in hac quoque collectione exhibeantur: quod non codicem Dionysianum, sed potiùs pristinum Romanum redolere ex suprà dictis facilè est intelligere.

Interim ut demus, prout admodum verisimile est, ante tempora Caroli M. codicem Dionysianum per Gallias in usu non fuisse; nequaquam tamen negari potest, quim à tempore Caroli Magni, cui Adrianus I. hunc codicem dono dedit, à Gallicana, & reliquis Occidentis Ecclesiis in usum recepta fuerit; & consequenter jam à novem & ampliùs seculis hanc Dionysianam Collectionem ceu quoddam corpus Canonum non à Romana duntaxat, sed tota Latinâ Ecclesiâ receptam ac probatam esse; atque *Codicem Canonum* famoso nomine simpliciter dictam fuisse; adeò quidem, ut Episcopi Gallicani præeunte Hincmaro Remensi, etiam seculo IX. auctoritatem Epistolarum Decretalium à Nicolao I. reproductarum admittere nolluerint, quia in hoc codice Canonum non reperiebantur.

Ex his non difficulter quisque statuet, quæ censenda sit hujus codicis, ac disciplinæ in eo contentæ auctoritas, quantâque veneratione suscipienda.

§. V.

De Canonibus Sardicensibus.

Causa convocandi Concilium Sardicense.

COnstans Constantini M. Filius Imperator Occidentis intellectis technis & dolis, quibus Eusebiani sive Arriani S. Athanasium aliosque Orthodoxos Episcopos opprimerent, scripsit ad Fratrem suum Constantium Imperatorem Orientis, ut utriusque Imperii Episcopi ad unum eundemque locum cogerentur; Synodusque œcumenica haberetur, in qua dissidia & contentiones tandem soppirentur; & vera & Catholica Fides stabiliretur.

Votis Fratris sui annuit Constantius; atque de utriusque sententia, Episcopi tam Occidentis, quàm Orientis ann. 347. Sardicam convenire jussi sunt.

Unde S. Athanasius Apologia II. recitatâ Julii Papæ » Epistolâ ad Eusebianos, ait: » Hæc cùm Romæ Sy- » nodus per Julium Romanum Episcopum scripsisset, » improbâ iterum audaciâ Eusebiani in Ecclesiis per- » turbandis, insidiisque tendendis usi sunt, quod cùm » rescitum esset à Religiosissimis Imperatoribus Cons- » tantio & Constante, jussi sunt Episcopi Orientis » & Occidentis Sardicam convenire. «

Et Socrates *lib. 2. Hist. Capite vigesimo.* » Indi- » citur ergo iterum Generale Concilium apud Sar- » dicam, quæ Urbs est Illyrici: idque de sententia » duorum Imperatorum, quorum alter hoc per litteras » flagitaverat: alter verò, scilicet Orientis Imperator, » libenter annuerat. « Convenerunt itaque Sardicam, tùm Occidentales, tùm Orientales Episcopi. Quis autem fuerit illorum numerus, haud certò constat.

Quis fuerit Episcoporum numerus.

Gratianus *dist. 16. Can. 11.* refert Synodum constitisse ex Patribus duntaxat 60. sed eum in hoc errâsse notant Correctores Rom.

Socrates *lib. 2. Cap. 20.* ait: » Et ex Occidentis » quidem partibus *trecenti* circiter convenerunt Epis- » copi, ut scribit Athanasius. Ab Oriente verò *sep- » tuaginta sex* tantùm adfuisse scribit Sabinus. « Hæc Socrates. Verùm, ut rectè advertunt Henricus Valesius *in Notis ad Socratem*, aliique Viri eruditi, nequaquam scribit Athanasius, quod ipsum scripsisse asserit Socrates, nimirum, *trecentos circiter* Episcopos Occidentis convenisse ad Synodum; sed duntaxat dicit Athanasius, tam eos, qui Synodo Sardicensi interfuerunt, quàm illos, qui epistolas Synodicas postea ad ipsos missas subscripserunt, item qui ante hanc Synodum pro ipso litteras Synodicas scripserant, universos fuisse 344. Locus Athanasii habetur *Apol. 2. contra Arrianos.*

Sententia Athanasii de numero Episcoporum.

Imò ipse Athanasius in epistola ad Solitarios disertè testatur, Episcopos, qui ad Sardicense concilium convenêre, tam ex Occidentis, quàm Orientis partibus non plures fuisse, quàm *centum & septuaginta.*

Cùm præcipuè Athanasii causâ Synodus coacta fuerit, ipseque ab initio usque ad finem interfuerit, nemo non videt, quanti momenti hoc Athanasii testimonium habendum sit.

Orientales à Concilio recedunt.

Quidquid interim de Episcoporum numero sit, illud constat, quòd cùm Sardicam omnes convenissent, Episcopos quidem Orientis conspectum Occidentalium refugisse: » negantes, ait Socrates *loco citato*, » se in colloquium cum illis venturos esse, nisi priùs » Paulum & Athanasium è suo cœtu ejecissent. Sed » cùm Protogenes Sardicensis & Osius Episcopus Cor- » dubæ, quæ est civitas Hispaniæ, ut suprà dixi, ne- » quaquam pati possent, ut Paulus & Athanasius à » consenssu excluderentur, *Orientales illicò discesserunt.* «

Hæc convocatione œcumenica, sed exitu particularis.

Hanc Orientalium secessionem, seu potius turpissimam fugam fusè & eleganter suis coloribus delineavit Athanasius in epistola ad Solitarios.

Soli itaque Occidentales Synodum composuerunt.

Hac de causa arbitrantur nonnulli cum Petro à Marca *lib. 7. de Conc. Sacerd. & Imp. Cap. 3.* Synodum hanc à Patribus olim dictam fuisse *Concilium Occidentalium*: esseque quidem convocatione œcumenicam, sed exitu & celebratione non nisi *particularem* Ecclesiæ Occidentalis: hujusque sententiæ fuisse apparet Gatianum, qui ipsi inter Synodos particulares locum assignat, *dist. 16. Can. 11.*

Canones Sardicenses etiam ab Orientali Ecclesia recepti.

Id ut verum esset, illud equidem inficias ibit nemo, Canones hujus Synodi non tantùm à Romana & Latina Ecclesia, sed etiam ab Orientali fuisse receptos; ut minùs circa tempora Concilii *Quini-Sexti*, vulgò in *Trullo*; quod Canone 11. disertè Canones recipit & probat.

Canones hi paulò aliter à Dionysio, aliter à Græcis Canonum collectoribus referuntur. Et hi quidem 20. duntaxat, ille autem 21. refert. Porrò cùm & codicem Dionysianum modò præ manibus habeamus, & constet ex epistola Dionysii ad Stephanum vice præfationis codici præfixa, Canones hos primùm latine editos esse, ordinem & divisionem Dionysii in Canonum relatione & explanatione amplectemur; subinde tamen ordinem Græcorum & eorum Versionem pro clariori Canonum intellectu assumpturi.

Can. I. » Osius Episcopus dixit: non minùs mala » consuetudo, quàm perniciosa corruptela funditùs » eradicanda est; ne cui liceat Episcopo de civita- » te sua ad aliam transire civitatem; manifesta est » causa, qua hoc facere tentat: cùm nullus in hac » re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad » minorem transiret. Unde apparet, avaritiæ ardore » eos inflammari, & ambitioni servire, & ut domi- » nationem agant. Si omnibus placeat, hujusmodi per- » nicies sæviùs & austeriùs vindicetur, ut nec lai- » cam communionem habeat, qui talis est. Responde- » runt universi: Placet. «

Partem Canonis, quæ ordinariam Translationum causam continet, Refert Raymundus in *Cap. 1. ※ de Clericis non residentibus.* Hæc ratio, si ritè expendatur, verendum, ne & hodiernarum Translationum præcipuum ordinarium motivum esse deprehendatur.

Canonis causam sat innuit Julius Papa in Epistola ad *Eusebianos*, arguens, quòd Nicænum Canonem 15. totamque Synodum *contemptus haberent, jam in usu habentes de loco ad locum ad Episcopatus capiendos transilire; & rejecta civitate concredita minore, transire ad magnam.*

Hanc itaque totius disciplinæ corruptelam, Canonumque contemptum violentâ medicinâ impetit Synodus; quibuscunque transeuntibus Episcopis negans laicam etiam communionem: hoc est, ne laicorum quidem more ipsis communionem cum Fidelibus permittendam esse decernens.

Prætextus transeuntium Episcoporum præscinduntur.

Can. II. „ Osius Episcopus dixit: etiamsi talis » aliquis extiterit temerarius, ut fortassis excusatio- » nem afferens, assereret, quòd populi litteras acce- » perit, cùm manifestum sit, potuisse paucos præmio » & mercede corrumpi eos, qui sinceram fidem non ha-

„ habent, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum pe-
„ tere viderentur Episcopum, omninò has fraudes dam-
„ nandas esse arbitror, ita ut nec laicam in fine com-
„ munionem talis accipiat. Si vobis omnibus placet,
„ statuite. Synodus respondit: Placet.“

Ad hunc Canonis rigorem reflectens Aristenus, ait:
„ Et nota; hoc enim inauditum & horrendum est, ut
„ neque in discessu communione dignus censeatur,
„ quod alibi in Canonum ullo non invenies cuilibet
„ impositum, & inflictum peccato.“

In Oriente nulli peccato denegata fuit reconciliatio in fine vitæ secus in Occidente.

A vero forsam non aberravit Aristenus Auctor Græcus, si ad Orientales reflexerit Ecclesias: nam ipse Morinus *lib. 9. Cap. 19. De Pœnit.* fatetur, in Orientalibus nulli unquam crimini hanc pœnam impositam fuisse: in aliquibus tamen Ecclesiis, primis seculis, tria crimina, nimirum idololatriam, homicidium & mœchiam hac pœnâ fuisse vindicata: id est, illis, qui horum aliquod admisisset, etiam in fine vitæ reconciliationem denegatam fuisse, *diffiteri, ut opinior*, ait Morinus, *nemo poterit, qui Antiquorum testimonia de hac re tantisper animo versaverit.*

Ecclesiam ex affectu carnali deserere, quod peccatum.

Absit tamen, ulli unquam crimini negatam fuisse reconciliationem, quasi alicujus criminis enormitas, Ecclesiæ in remittendis peccatis excessisset potestatem, ut voluit Novatus; sed criminis enormitas, & pecantium audacia & malitia eum disciplinæ rigorem interdum extorxit. Hinc ex rigore disciplinæ meritò de enormitate criminis ex præsenti Canone quis arguet, & utinam seriò expendat, qui de Ecclesia, quam desponsavit, ad aliam migrare ambit!

Raymundus Canonis sensum alteravit.

Canonem hunc retulit Raymundus in *Cap. 2. X De Electione*; sed attendens ad sui temporis disciplinam; eamque planè contrariam videns disciplinæ canone expresæ, his verbis canonis, *ut nec laicam in fine communionem talis accipiat*, interposuit hanc parenthesim, *nisi de hoc pœnituerit*; non solùm contra omnium Latinorum & Græcorum codicem, atque ipsius pristinæ Decretalium compilationis fidem, verùm etiam contra manifestum Canonis sensum. Ut vel hinc appareat, quàm necessarium sit ad ipsos fontes, è quibus sua desumpsit Raymundus, recurrere, ut genuinus Canonum sensus habeatur; at de hoc latiùs, ubi de Decretalibus Gregorii IX. tractabitur.

De renovatione Judicii contra Episcopos instituti.

Can. III. „ Osius Episcopus dixit: illud quo-
„ que necessariò adjiciendum est ut Episcopi de sua
„ Provincia ad aliam Provinciam, in qua sunt Episcopi,
„ non transeant; nisi fortè à fratribus suis invitati;
„ ne videantur januam claudere charitatis. Quod si in
„ aliqua Provincia aliquis Episcopus contra fratrem
„ suum Episcopum litem habuerit; unus è duobus ex
„ alia Provincia advocet Episcopum cognitorem. Quod
„ si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua cau-
„ sa, & putat se causam bonam habere, ut iterum
„ Concilium“ (Græca versio Herveti: *ut etiam rursus* Judicium) „ renovetur: si vobis placet “ (Græca: *Si vestræ dilectioni videtur*) „ Petri Apostoli memoriam
„ honoremus, ut scribatur ab his, qui causam exami-
„ nârunt.“ (Græca *judicârunt*. Isidorus verò addit: *vel etiam ab aliis Episcopis, qui in Provincia proxima morantur*: quæ nec in codice Romano Quenelliano habentur) „ Julio Romano Episcopo (Isidorus no-
„ men Julii omittit) & si judicaverit renovandum esse
„ judicium, renovetur, & det judices: “ Græca: *Et per propinquos Provinciæ Episcopos, si opus sit, judicium renovetur, & cognitores ipse præbeat*) „ si autem
„ probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea,
„ quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. “
(Græca *Si autem probare non potest, causam ejus es-*
„ *se talem, ut eam rursus judicari opus sit, quæ semel*
„ *sunt judicata, non infirmentur, sed rata sit lata sententia.* Isidorus addit: Quæ decreverit Romanus Episcopus, *confirmata erunt*: Quæ & in codice Romano Quenelliano desiderantur) „ si hoc omnibus placet “ (Isidorus addit: *statuatur*) „ Synodus respondit:
„ Placet. “ Grat. 6. *q.* 4. *Can.* 7. Et versione Isidori.

Prosecutio præcedentis Canonis.

Can. IV. Gaudentius Episcopus dixit: „ Adden-
„ dum si placet huic sententiæ quam plenam sanctitate
„ protulisti“ (Græca: *Quam sincera dilectione plenam protulisti.* Isidorus: *protulistis*) „ ut cùm aliquis Epis-
„ copus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio,
„ qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit
„ agendum sibi negotium in urbe Roma.“ (Græca: *Ut si quis Episcopus depositus fuerit judicio Episcoporum, qui sunt in vicinia, & dicat rursus sibi defensionis negotium competere*) „ alter Episcopus in ejus Cathedra,
„ post appellationem ejus, qui videtur esse depositus,
„ omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio
„ Episcopi Romani determinata.“ (Græca; *Non priùs in Cathedram alius substituatur, quàm Romanus Episcopus causâ cognitâ sententiam tulerit.*)

Cùm Canon VII. apud Dionysium, & V. apud Græcos, sit duorum præcedentium quædam appendix seu prosecutio, in ejus relatione ordinem Græcorum neglecto Dionysiano sequeremur.

Appendix præcedentium Canonum.

Can. V. aliàs VII. apud Dionysium & Isidorum:
„ Osius Episcopus dixit, placuit autem, ut si Episco-
„ pus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Epis-
„ copi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint,
„ si appellaverit, qui dejectus est, & cofugerit ad Epis-
„ copum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri; si
„ justum putaverit, ut renovetur judicium, vel discus-
„ sionis examen.“ (Græca: *Placuit, ut si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem regionis Episcopi eum gradu moverint, & veluti appellans confugerit ad Beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari.* In codice Africano, ubi hic Canon ex Commonitorio Vicariorum Zosimi Papæ recitatur, legitur: *Et appellase videatur*) „ scribere his Episcopis dignetur, qui in
„ finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter
„ omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant.“
(Græca: *Coëpiscopis scribere dignetur, qui sunt propinquæ Provinciæ, ut ipsi diligenter & accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant.* Isidorus legit: *Qui in finitima & propinqua* altera *Provincia sunt*: Sed Vocula *altera*, nec in Africano nec in Romano codice Quenelli occurrit.) „ Quod si is, qui
„ rogat suam causam iterum audiri, deprecatione suâ
„ moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo
„ Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid
„ velit, & quid æstimet. “ (Hervetus: *Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri, & ad suam supplicationem Romanum Episcopum movere visum fuerit, ut è proprio latere Presbyteros mittat, sit in potestate ipsius, quodcunque rectè habere probaverit,*)
„ & si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum
„ Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à
„ quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò cre-
„ diderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum
„ imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo
„ judicaverit (Græca: Si quis autem postulet suum
„ negotium rursus audiri, & ad suam supplicatio-
„ nem Romanorum Episcopo judicare visum fuerit,)
„ à proprio latere Presbyteros mittat; ut sit in po-
„ testate ipsius Episcopi (quod rectè habere proba-
„ verit & statuerit oportere) eos mitti, qui cum Epis-
„ copis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus,
„ à quo missi sunt: Et hoc ponendum est. Si autem
„ ad rei cognitionem Episcopi etiam sententiam suffi-
„ cere putaverit: (Faciet, quod prudentissimo ejus
„ consilio rectè habere videbitur.) Responderunt Epis-
„ copi; quæ dicta sunt, placuerunt. “

Varia lectiones eruendo vero sensui Canonis conducunt.

Varias Canonum illorum versiones seu lectiones notandas duximus, quod ad verum & genuinum eorum sensum eruendum non parùm conducant. Pro quo observandum: Synodum hanc coactam esse in gratiam S. Athanasii aliorumque orthodoxorum Episcoporum, quos calumniis jam pridem vexabant, & opprimebant Arriani; uti in Epistola Synodica ad Julium Papam disertè exprimitur.

Notanda pro assequendo sensu Canonis.

Adhæc, consilium Patrum, qui magna ex parte erant Occidentales, fuisse, ut causa S. Athanasii & Sociorum ejus in Occidentem pertraheretur: Quia Orientales plerique, penes quos summa rerum erat, ipseque Imperator Orientis Constantius Athanasium angue pejus oderant, ejusque perniciei toti adlaborabant.

His præmissis facilis & dilucidus erit Canonum horum sensus, si modò verba Canonum attentè expendantur.

Sensus Canonum

Itaque Canon III. supponit, Episcopum à proprio Provinciæ suæ Concilio sententiam damnationis excepisse; sed eundem injuriam sibi factam existimantem postulâse, *ut Concilium renovetur*: Quod manifestè significatur his verbis ex versione Dionysii & Isidori: *Quod si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere; ut iterum judicium renovetur.*

Igitur Osius Episcopus Cordubensis Occidentalium Coryphæus, S. Athanasio aliisque Orthodoxis Episcopis Arrianorum fraudibus vexatis & oppressis

favere addictus : quem & diuturnus rerum Ecclesiasticarum usus & Arrianorum importunæ vexationes docuerant, sæpissimè accidere, ut sine ulla ratione, ac pro hæreticorum vafritie Episcopi Sedibus suis moverentur, censuit optimum fore, si alicui à Concilio facultas daretur judicandi, utrùm & quando *renovatione judicii* locus esse deberet, vel non ; ne judicia Ecclesiastica paterent magis nebulonum quorundam artibus & proteriviæ, quàm secularia : Quorum non omnes appellationes recipi docet titulus codicis, *Quorum appellationes non recipiantur*, lib. 7. tit. 65.

Cùm verò nemo esset, qui hoc munere potiùs honorandus esset, quàm Pontifex Romanus communis omnium Pater, & totius Ecclesiæ Caput & unitatis centrum ; & in quo B. Petri *honoranda memoria* ; Osius, qui causam Athanasii ejusque Sociorum in Occidentem trahere avebat, proposuit Synodo, si placeret, ut *honoretur memoria S. Petri* : scribaturque ab Episcopis, qui judicârunt, ad Julium R. Pontificem, ut ipse judicet, an renovandum sit judicium, nec ne : si prius, renovetur, & det Judices ; si posterius, rata & firma maneat priorum Judicum sententia. En Canonis verba ex versione Herveti, quæ hunc sensum clariùs, quam apud Dionysium exprimunt : » Si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli » memoriam honoremus, ut ab iis, qui judicaverunt, » scribatur Julio Rom. Episcopo, & per propinquos » Provinciæ Episcopos, si opus sit, judicium renovetur : & cognitores ipse præbeat. Si autem probari » non potest, causam ejus esse talem, ut eam rursus judicari opus sit, quæ semel sunt judicata, non » infirmentur, sed rata sit lata sententia. «

Hæc verba commentario non egent. Cæterùm cùm in hoc Canone diceretur, quòd Episcopus Romanus, si judicâsset sufficientem rationem allegatam, cur Judicium renovaretur ; *daret Judices*, vel *Cognitores ipse præberet*, nec forma sat esset expressa, Canone VII. qui apud Græcos est quintus, eam exprimendam censuere : quodque Canone III. obscuriùs, & generalibus duntaxat terminis expressum erat, explanare.

Itaque Canone VII. seu V. placuit, ut Episcopus Romanus, si judicaverit renovari judicium, scribat Episcopis, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut omnia diligenter perquirant, novum examen instituant, judiciumque renovent : Vel si is qui se gravatum credit, postulet, ut Episcopus Romanus aliquos *à Latere* mittat, qui una cum Episcopis Provinciæ judicent, arbitrium sit Episcopi Romani eos mittere, vel non.

En verba Canonis : » Si justum putaverit (Episcopus Romanus) ut renovetur judicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in » finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant ; quod si is, qui rogat causam suam iterum » audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Roman. ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in » potestate Episcopi, quid velit & quid æstimet. Et » si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum » Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à » quo destinati sunt, erit in suo arbitrio : si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum » imponant, faciet, quod sapientissimo consilio suo » judicaverit. «

Summarium Canonum vexatissimorum.

Summa proinde Canonum, qui tot ingenia vexaverunt, & in diversa sciderunt, hæc est : Episcopus in prima instantia à Synodo Provinciali depositus, si injuriam sibi factam autumet, scribetur ad Romanum Episcopum, ut ipse videat, num renovandum sit judicium. Si judicaverit *renovandum*, non quidem ipse judicet, nec Romæ *judicium renovetur*, sed *det judices* ; sive scribere dignetur his Episcopis, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, ut ipsi omniâ diligenter requirant, & juxta veritatis fidem definiant : Vel si condemnatus postulaverit, & Romano Episcopo videatur, aliquem vel aliquos *à latere* mittat, qui cum Episcopis judicent, sive judicium renovent. Si autem Episcopus Romanus judicet non esse *renovandum* judicium, *quæ semel sunt judicata, non infirmentur, sed rata sit lata sententia* : adeoque R. P. non tam confirmat judicium Synodi Provincialis, quàm judicat, nùm novum judicium institui debeat, quo prius rescindi posset. Neque propriè in his Canonibus agitur de appellatione, quæ effectum sententiæ suspendit, & quodammodo inanem reddit, quousque per sententiam Judicis *ad quem* confirmetur, sed de renovatione judicii, (quæ hodiernæ revisioni Sententiæ Supremi Senatûs Regii à Principe postulandæ similis est :) quæ utrum instituenda sit, Romano Pontifici defertur. Unde quod in Canone VII. dicitur ex lectione Dionysii, si *appellaverit*, non debet strictè accipi pro propriè dicta appellatione, sed generatim pro omni confugio ad superiorem, vel postulatione renovationis judicii. Unde interpres Græcus reddidit, *ac* veluti *appellans*, & in codice Africano : Et *appellâsse* videatur.

Formajudicii his Canonibus prescripta similis est revisioni

à sententia supremi Senatus Regii.

Præterea quemadmodum in *revisione* sententiæ latæ à Senatu Regio, iidem, qui judicârunt, rursus in judicio revisorio interveniunt, ita quoque mens Patrum Sardicensium fuisse apparet, ut unà cum datis Judicibus à Romano Pontifice Episcopi Provinciæ prioris instantiæ Judicium renovarent, sive de novo causam examinarent. Hunc sensum non obscurè expressit inscriptio Canonis VII. in veteri codice Ecclesiæ Romanæ, *de retractanda causa appellantis in Synodo Provinciali*, eumque seculo IX. expressit Hincmarus Remensis in Epistola sub nomine Caroli Calvi ad Joannem VIII. En ejus verba : » Cujus ait, » Sanctæ Synodi (Nicænæ) constitutionem Sardicenses Canones non convellunt, qui cum Pontificis Romani vicario, vel arbitrio causam Episcopi in Provinciali Synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio vel judicio, qui eum judicaverunt, cum Episcopis, qui in finitima & propinqua Provincia sunt, » præcipiunt terminari, quatenus sive in mutanda » sententia, juxta Canones Nicænos, commune sit » placitum. «

Sensum Canonum expressit Hincmarus Remensis.

Denique, sicuti pendente judicio revisionis ratum manet Senatûs Regii judicium : ita quoque Episcopus à Synodo depositus ex sententia Patrum Sardicensium manet depositus, quousque renovato judicio declaratum sit priorem sententiam non ritè fuisse prolatam.

Episcopus depositus pendente novo examine manet depositus.

Cùm verò inde consequens videretur, alium in locum depositi interim ordinari posse, qui postmodum retractatâ priori sententiâ non sine tumultu subinde amoveri posset, Gaudentius Episcopus Patribus proposuit, utrùm placeret decernere, Canonique præcedenti adjicere, ut Episcopus in locum depositi, & ad Romanum Episcopum pro renovatione judicii recurrentis ordinari nequeat quoad usque Romanus Episcopus sententiam protulerit ; utrum scilicet, judicium sit renovandum, vel non : atque hæc est summa propositionis Gaudentii, quæ Canonem IV. conficit : exprimiturque in titulo his verbis : *Ut appellanti non subordinetur Episcopus.*

Can. V. in Graco VI. » Osius Episcopus dixit : » Si contigerit in una Provincia, in qua plurimi « (in codice veteri Ecclesiæ Romanæ MS. Thuanæo legitur, non *plurimi*) » fuerint Episcopi, unum forte » remanere Episcopum ; ille verò per negligentiam » noluerit ordinare Episcopum « (in codice Romano Quenelli hæc desunt : *Ille verò per negligentiam noluerit ordinare Episcopum*) » & populi convenerint ; » Episcopi vicinæ Provinciæ debent illum priùs convenire Episcopum, qui in ea Provincia moratur : « (in codice Quenelliano : *Et populi convenerint Episcopos vicinæ Provinciæ, &c.*) » & ostendere, quòd » populi petant sibi Rectorem, & hoc justum esse, » ut & ipsi veniat (vel ut alii legunt : *ipse veniat*) » & cum eo ordinent Episcopum ; quod si conventus litteris tacuerit & dissimulaverit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, ut veniant » ex vicina Provincia Episcopi & ordinent Episcopum. «

Cùm Canone IV. Nicæni Concilii cautum sit, Episcopum ordinari à tribus ut minùs Episcopis : Tertius verò Sardicensis vetet, Episcopum ordinationum faciendarum causâ transire in aliam Provinciam, nisi invitatum ab ejus Provinciæ Collegis, quæsitum est, quid si superstes in tali Provincia Episcopus nolit, etiam à Sedis vacantis populo rogatus, vicinæ Provinciæ Episcopos vocare ? Huic eventui providere voluit præsens Canon, permittens, ut à populo vicinæ Provinciæ Episcopi invitentur ; hique ad ordinationem procedant, postquam Episcopum superstitem illius Provinciæ, in qua est ordinandus Episcopus, monuerint & rogaverint, ut & ipse cum ipsis ad ordinationem conveniat.

Hunc esse sensum Canonis, etiam observat Christianus Lupus in scholiis : ostenditque Episcopos Galli-

licanos seculo VIII. ita intellexisse hunc Canonem eoque usos fuisse.

Eum sensum indubie non parum juvat Lectio codicis Romani Thuanæi, quæ, ut suprà notavimus, pro *plurimi*, habet, *non plurimi*. Hinc enim intelligitur, cur unicum contigerit remanere Episcopum; quare non immeritò hanc Lectionem ut optimam laudat Quenellius.

Episcopi constituti duntaxat in Civitatibus. Novorum Episcopatuum institutio olim fuit penes Synodos Provinciales.

Can. VI. qui apud Hervetum & Isidorum præcedenti jungitur: » Licentia verò danda non est ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in » modica civitate, cui sufficit unus Presbyter, quia » non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi, & auctoritas. Non debent illi ex » alia Provincia invitati facere Episcopum, nisi aut in » his civitatibus, quæ Episcopos habuerunt, aut si» qua talis, aut tam populosa civitas, quæ meretur » habere Episcopum. Si hoc omnibus placet: Syno» dus respondit, placet. «

Apud Hervetum hæc verba: *Non debent illi*, & sequentia, ita sunt expressa: » Sed Provinciæ Epis» copi debent in iis urbibus Episcopos constituere, ubi » etiam priùs Episcopi fuerunt. Si autem inveniatur » urbs aliqua, quæ adeò populosa evadat, ut ipsa Epis» copatu digna judicetur, accipiat. «

Præsens Canon, præsertim ex versione Herveti, ostendit, eo tempore, etiam in Ecclesia Latina, novorum Episcopatuum erectionem competiisse Synodis Provincialibus; quod etiam hîc notat Christianus Lupus. Quâ verò ratione, seculo X. & sequentibus Sedis Apostolicæ consensus postulari cœperit, ac tandem privativè Sedi Apostolicæ reservata sit, consule Ludovicum Thomassinum de *discipl. Eccles. p. 3. lib. 1. cap. 9.*

Quâ ratione fiat, ut Episcoporum apud Principes vilescat auctoritas.

Can. VIII. in Græco VII. » Osius Episcopus di» xit: Importunitas, & nimia frequentia, & injustæ » petitiones fecerunt, nos non tantam habere vel » gratiam vel fiduciam « (Versio Herveti: *ut nos non habeamus tantam gratiam & libertatem dicendi, quantam debeamus habere*) » dum quidam non cessant ad » Comitatum ire Episcopi & maximè Afri, qui, si» cuti cognovimus, Sanctissimi Fratris & Coëpiscopi » nostri Grati salutaria consilia spernunt, atque con» temnunt, & non solùm ad Comitatum multas & di» versas Ecclesiæ non profuturas perferant causas, ne» que, ut fieri solet, aut oportet, aut ut pauperibus, » aut viduis, aut pupillis subveniatur, sed & dignita» tes seculares & administrationes quibusdam postu» lent. Hæc namque pravitas olim non solùm murmu» rationes, sed & scandala excitat. Honestum est au» tem, ut Episcopi intercessionem his præstent, qui » iniquâ vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut » pupillus expolietur; si tamen isthæc nomina justam » habeant causam aut petitionem. Si ergo vobis, Fra» tes charissimi, placet, decernite, ne Episcopi ad » Comitatum accedant, nisi fortè hi, qui Religiosi » Imperatoris litteris, vel invitati, vel vocati fue» rint. Sed quoniam sæpè contingit, ut ad misericor» diam Ecclesiæ confugiant, qui injuriam patiuntur, » aut qui peccantes in exilio vel insulis damnantur, aut » certè quamcumque sententiam excipiunt, subvenien» dum est his & sine dubitatione petenda indulgentia. » Hoc ergo discernite, si vobis placet. Universi dixe» runt: placet, & constituatur. «

Hîc à Patribus detectam videmus causam, quæ Episcopos & Ecclesiasticos suâ apud Principes & eorum Ministros auctoritate, & loquendi libertate privat: nimirum, quòd non tam Ecclesiæ utilitatem, quàm suæ, aut suorum commoda sectentur; & sectari à Laicis observentur.

Intercessiones Episcoporum pro condemnatis ad mortem, quo motivo fierent.

Meminit quoque Canon *intercessionis*, qua Episcopi apud Regios Magistratus, aut Principes pro reis intercedebant, & veniam postulabant; quam pridem non minimam sui offlicii partem Episcopi existimabant. De hac intercessione variis locis agit S. Augustinus, & signanter *Epist. ad Macedonium* 153. ibidem ostendens, Ecclesiam non quærere impunitatem criminis, sed correctionem criminosi; » desiderans hanc » vitam mortalem, non ut temporaliter vivat, sed ut » spiritualiter per pœnitentiam resurgat. Morum por» rò corrigendorum, ait, nullus alius quàm in hac » vita locus est; nam post hanc vitam quisque id ha» bebit, quod in hac conquisierit. Ideo compellimur » humani generis charitate intervenire pro reis, ne is» tam vitam sic finiant per supplicium, ut eâ finitâ » non possint finire supplicium. «

Unicus proinde hujus intercessionis scopus erat, ut reis pœnitentiæ agendæ vitæque emendandæ tempus daretur; utque salutari pœnitentia ipsi in se punirent viventes, quod mortis supplicio punire Judex decrevit. Quapropter rei intercessione Episcoporum liberati, publicæ & rigorosæ pœnitentiæ subjiciebantur, uti ex dicta S. Augustini epistola, aliisque Patribus colligitur. Unde & seculo VII. Synodus Remensis anni 630. *Can.* 7. ait: Ille, qui Sanctæ Ecclesiæ bene» ficio liberatur à morte, non priùs egrediendi acci» piat libertatem, quam pœnitentiam se pro scelere » esse facturum promittat, & quod ipsi canonicè im» poneretur impleturum. «

Quæ de causa desierint.

Quandiu apparuit, exitusque docuit, Episcoporum & Ecclesiasticorum preces & intercessiones in hunc scopum collimare, sua etiam illis non defuit auctoritas; at cùm visum fuit preces has plurimùm ad amicorum solicitationem fieri; imò & nonnunquam quæstui subservire, potiusque criminum impunitatem fovere, quàm peccatorum emendationem & pœnitentiam promovere, suo cœperunt effectu & auctoritate destitui, ipsisque Regiis Ministris diligentibus justitiam reddi odiosæ. Quo factum, ut hoc Episcoporum officium postremis hisce seculis magna ex parte desierit: præsertim postquam invaluit perniciosa illa & à mente Patrum remotissima multorum praxis, quasi etiam sceleratissimorum hominum conversio, & peccatorum expiatio pauco dierum spatio obtineri sine magno labore, & pœnitentiæ operibus soleat.

Cummagna cautione Episcopi Aulam Principis accedere debent?

Can. IX. in Græco VIII. Osius Episcopus dixit: » Hoc quoque providentia vestra tractare debet, quia » decrevistis, ne Episcoporum improbitas nitatur, ut » ad Comitatum pergant. « (Græca: *Ne aliquis Episcopus in condemnationem incidat ad castra veniens.*) » Quicumque ergo, quales superiùs memoravimus, » preces habuerint vel acceperint, per Diaconum suum » mittant, quia persona ministri invidiosa non est, & » quæ impetravit, celeriùs poterit referre. Et hoc » consequens esse videtur, ut de qualibet Provincia » Episcopi ad eum Fratrem, & Coëpiscopum nos» trum preces mittant, qui in Metropoli consistit, » ut ille & Diaconum ejus & supplicationes desti» net, tribuens commendatitias Epistolas pari ratio» ne ad fratres & Coëpiscopos nostros, qui in illo » tempore in his regionibus, & urbibus morantur, in » quibus felix, & beatus Augustus rempublicam gu» bernat. Si verò habeat Episcopus amicos in Palatio, » qui cupit aliquid (quod tamen honestum est) impe» trare, non prohibetur per Diaconum suum rogare » & significare his, quos scit benignam intercessionem » sibi absenti posse præstare. «

Sensus prioris partis.

Canon hic duas partes habet, & apud Græcos in duos Canones VIII. & IX. dividitur. Prioris partis sensus est: Si Episcopus causas legitimas habeat supplicandi Imperatori, mittat litteras per Diaconum potiùs, quàm ut ipse pergat ad *Comitatum*, id est, Aulam Principis, *ne Episcopus in damnationem incidat*, hoc est, ne suspectus fiat, quasi non ex probatis causis, sed ut suis commodis provideat, accedat.

Sensus posterioris partis.

Posterioris partis sententia est, ut bene notat Zonaras, ut si quis Episcopus ad Episcopum Regionis, in qua Imperator degit, de re aliqua scribat, ejus loci Metropolitano primù eas litteras supplicationesque tradi oportet, quas is postea per ministrum suum ad Episcopum, cui inscriptæ sunt, cum commendatitiis, quibus eum, qui mittitur, commendet, perferendas curabit. » Hujus decreti, ait Zona» ras, ea ratio fuit, ut causam, de qua litteræ ab» Episcopo ad Coëpiscopum datæ sunt, Metropoli» tanus cognoscat; ac si quidem postulatio impor» tuna sit, nec ea de re Imperatoris auribus censeat » obstrependum, supplicationes eas rejiciat, curet» que ad eundem illum, qui miserat, referendas. « Reliqua Canonis verba expositione non egent. Hoc interim observa, quàm soliciti fuerint Patres, ne quidquam injusti per ob vel subreptionem Principibus imponatur, aut ab illis extorqueatur: in quod & Canon sequens unicè collimat.

Prosecutio Canonis præcedentis.

Can. X. Qui verò Romam venerint sicut dictum » est, Sanctissimo Fratri Coëpiscopo nostro Rom. » Ecclesiæ præces, quas habent, tradant, & ut ip» se priùs examinet, si honestæ & justæ sunt, & præs» tet diligentiam atque solicitudinem, ut ad comita» tum preferantur. Universi dixerunt, placere sibi, & » honestum esse consilium. «

Hæc

Hæc apud Isidorum & Græcos præcedentis Canonis partem faciunt : quibus & congruentia materiæ, & particula adversativa *verò* non parum favent. Quæ verò in Canone sequuntur, apud Dionysium & in codice Romano & apud Isidorum Canonem X. conficiunt, & apud Græcos desiderantur : Sunt autem hæc : » Alypius Episcopus dixit : Si propter pupillas & viduas, » vel laborantes, qui causas non iniquas habent, susceperint peregrinationis incommoda, habebunt aliquid rationis ; nunc verò cùm ea postulent præcipuè, quæ sine invidia hominum & sine reprehensione esse non possunt, non necesse, est eos ire ad » comitatum. «

Sanè si quis propriùs attenderit, facilè videbit, hæc verba potiùs continere querelam Alypii, quàm aliquod Synodi decretum, ideoque à Græcis in Canonum versione non immeritò omissa videntur.

Can. XI. in Græco X. » Gaudentius Episcopus dixit : Ea, quæ salubriter providistis, convenientia & » æstimationi omnium, & Deo placitura & hominibus, » tenere hactenus firmitatem possunt, si metus huic » sententiæ conjugatur. Scimus enim & ipsi, sæpissimè » propter paucorum impudentiam Religiosum Sacerdotale nomen reprehensum fuisse. Si igitur aliquis » contra omnium sententiam nisus, voluerit ambitioni magis placere, quàm Deo, is debet scire, causis » redditis, honorem dignitatemque se amissurum. « Apud Hervetum : *Si quis ergo præter ea, quæ omnibus visa sunt, ausus fuerit studens fastui magis & arrogantiæ servire, quàm Deo placere, aliquid aliud agere, sciat jam se criminis reum ac defensioni obnoxium constituere, & Episcopatus honorem & dignitatem amittere.*

Can. XII. » Osius Episcopus dixit : sed & moderatio necessaria est, dilectissimi Fratres, ne adhuc » aliqui nescientes, quid decretum sit in Synodo, subitò veniant ad civitates eas, quæ in Canali sunt. » Debet ergo Episcopus civitatis ipsius admonere eum, » & instruere, ut ex eo loco Diaconum suum mittat, » admonitus tamen ipse redeat in Parœciam suam. «

Quid Episcopi in canali constituti?

Præsens Canon in codice Romano præcedenti jungitur ; & apud Græcos deest. Uterque verò attentione magis, quàm explanatione indiget. Hoc unum notandum, per Episcopos aut civitates in *Canali* consistentes, intelligi Episcopos & Civitates, qui in transitu sunt : ideoque apud Hervetum legitur : *Prope* vias publicas *seu Canale constituti Episcopi* : & in codice Græco : in transitu *seu Canali constituti.*

Per gradus ad Sacerdotium ascendendum.

Can. XIII. in Græco X. » Osius Episcopus dixit : » Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissimè tractetur, si fortè aut dives aut Scholasticus de foro, » aut *ex administratione* (hæc ultima desunt in Græco) Episcopus fuerit postulatus ; ut non priùs ordinentur, nisi ante & Lectoris munere & officio Diaconi vel Presbyteri (Græca legunt copulativè : *Lectoris & Diaconi & Presbyteri*) fuerit perfunctus, & » ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat » ad culmen Episcopatûs. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, quave modestiâ, quâ gravitate & » verecundiâ. Et si dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illustretur : quia conveniens non est, nec » ratio vel disciplina patitur ut temerè vel leviter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est : maximè cùm & Magister gentium Beatus Apostolus, ne hoc fieret, denuntiâsse & prohibuisse videatur, sed hi, quorum » per longum tempus examinata sit vita, & merita » fuerint comprobata. Universi dixerunt, placere sibi hæc. «

Error Gratiani.

Prior pars Canonis refertur à Gratiano *Dist.* 61. *Can.* 10. qui ad particulam *dives* addit, *Laicus* ; contra fidem omnium editionum, ut etiam notant Correct. R.

Quid Scholasticus de foro.

Scholasticus de foro, de quo in Canone, idem est, quod disertus, eloquens & peritus Patronus, qui causas in *foro*, sive judicio agit.

Cur Ordines Minores olim præmissi Majoribus.

Cùm Patres in hoc Canone enumerantes Ordines, per quos aliquis ad Episcopatum ascendere debeat, omittant 3. Minores Ordines & Subdiaconatum, sat innuitur, eo tempore non fuisse creditum, omnes Ordines inferiores necessarios fuisse, ut quis ritè superiore Ordine insigniretur : quod fusè confirmat Morinus de *SS. Ordinat. p.* 3. *Exercit. II. Can.* 2. ostendens jam pridem plures fuisse Ordinatos in Presbyteros, & Episcopos omissis inferioribus Ordinibus. Imò nec inferiores Ordines alium in finem fuisse olim præmissos, nisi ut in horum exercitiis probarentur, priusquam ad Majores assumerentur ; quod & præsens Canon apertè confirmat : ideoque, ut notat Morinus, nunc plures, nunc pauciores Ordines Ordinationi alicujus in Presbyterum aut Episcopum præmittebantur ; prout Episcopi judicabant longiore probatione Ordinandi opus esse. Itaque Ordines inferiores non judicabantur præmittendi tanquam necessarii pro validitate superioris, ut hodie plures apprehendunt, sed ut in illis exercitarentur & probarentur ad Majores assumendi.

Episcopus unus alium apud suum populum vilipendere non debet.

Can. XIV. in Græco XI. » Osius Episcopus dixit : » & hoc quoque statuere debetis, ut Episcopus, si ex » alia civitate convenerit ad aliam civitatem, vel ex » Provincia sua ad aliam Provinciam, & ambitioni magis, quàm devotioni serviens, voluerit in alia civitate multo tempore residere ; fortè enim evenit, Episcopum loci non esse tam instructum, neque tam » doctum ; is verò, qui advenit, incipiat contemnere » eum, & frequenter facere sermonem, ut dehonestet & infirmet illius personam, ita ut ex hac occasione non dubitet relinquere assignatam sibi Ecclesiam, & transeat ad alienam ; « (versio Herveti clariùs sensum Canonis exponit :) *Ne illum despiciat & frequentiùs concionetur, studens, dedecore afficere & vilipendere personam Episcopi* (*hic enim pretextus solet turbas excitare*) *nec ejusmodi calliditate alienam sedem sibi conciliare, & attrahere studeat, non dubitans sibi traditam Ecclesiam relinquere, & in aliam transire* : » Definite ergo tempus ; quia & non recipi Episcopum, inhumanum est, & si diutiùs resideat, » perniciosum est ; hoc ergo ne fiat, providendum est. » Memini autem superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur » civitate, tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrâsset conventum, communione » privetur : si ergo hæc circa Laicos constituta sunt, » multò magis Episcopum nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas, quæ detineat, ut amplius » à suprà scripto tempore absens sit ab Ecclesia sua. » (Græca addunt : *& commissum sibi populum contristent*) Universi dixerunt, placere sibi. «

Laicus tribus Dominicis à communi conventu absens privatur communione.

Etiam hodie Canon locum habet.

Quæ Canon in Episcopis arguit, meritò attendant, qui cùm ad subsidium duntaxat Parochorum vocati sunt, quosque consequenter in excolenda Vinea Domini in suis concionibus juvare deberent. » Virulentâ ac detractoriâ fingnâ carpunt, uti nonnuli hujus generis » solent, ait Synodus Coloniensis 1536. *part.* 4. *cap.* 8. » qui inflati, ac incompositi populi auribus demulcendis student, suam, non Christi gloriam ambientes ; » tam ignari omnis ecclesiasticæ disciplinæ, ut ignorent Parochos, si fortè ceciderint, suos habere judices non ipsos fratres censores : multò minùs promiscuam plebem, quam exploratum est mutuis Ecclesiasticorum virorum amarulentis detractionibus adeò » non emendari, ut scandalizetur multò magis. «

Ex hoc Canone elicitur obligatio frequentandi Parochiam.

Deinde ex hoc Canone communiter tradidêre Canonistæ & Theologi, ac novissimè S. Carolus in Concilio Provinciali VI. jam pridem arctam fuisse Laicorum frequentandi Missam Parochialem (quæ nomine *conventus* hîc significatur) obligationem : triumque dierum Dominicarum continuam sine causa absentiam interpretati sunt *Ecclesiæ Parochialis contemptum* : ut videre est apud Zypæum in *Jure novo Tit. de Parochiis.*

Prosecutio præcedentis.

Can. XV. in Græco XII. » Osius Episcopus dixit : » Quia nihil prætermitti oportet : sunt quidam fratres, » & Coëpiscopi nostri, qui non in ea civitate resident, » in qua videntur Episcopi esse constituti, vel quòd » parvam rem illic habeant, alibi autem idonea prædia » habere cognoscuntur : vel certè affectione proximorum, quibus indulgeant. « (Græca habent : *Quidam Fratres, & Coëpiscopi in civitatibus, in quibus Episcopi constituuntur, videntur valde pauca, quæ sibi sunt propria possidere : in aliis autem locis magnas possessiones, ex quibus etiam possunt opem ferre pauperibus*) » hactenus permitti eis oportet, ut accedant ad possessiones suas, & disponant vel ordinent » fructum laboris sui ad tres Dominicas, id est, post » tres hebdomadas, si morari necesse est, in suis potius » fundis morentur. Ut si est proxima civitas, in qua » est Presbyter, ne sine Ecclesia videatur facere diem » Dominicum, illuc accedat : ut neque res domesticæ per absentiam ejus detrimentum sustineant, & non » frequenter veniendo ad civitatem, in qua Episcopus

» pus moratur, suspicionem jactantiæ & ambitionis eva-
» dat. Universi dixerunt, placere sibi. «

Excommunicatus ab uno Episcopo ab alio recipi non potest.

Hunc Canonem esse appendicem præcedentis, eundemque utriusque scopum rectè notat Balsamon: ne scilicet, illius Regionis Episcopus turbetur ab Episcopo, qui ultra suæ Diœcesis fines accedit, & ab ipso fortasse injuria afficiatur.

Can. XVI. in Græco XIII. » Osius Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, ut sive Diaconus, sive Presbyter, sive quis Clericorum ab Episcopo suo communione fuerit privatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & sciret ille, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abjectum: non oportet, ut ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dictarum. Universi dixerunt: hoc statutum & pacem servabit, & concordiam custodiet. «

Hic Canon coincidit cum Can. V. Nicæno & VI. Antiochæno.

Qui se gravatum credit ab Episcopo, ad quem confugere debeat.

Can. XVII. in Græco XIV. » Osius Episcopus dixit: Quod me adhuc movet, retinere non debeo. Si Episcopus quis fortè iracundus (quod esse non debet) citò & asperè commoveatur adversus Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur aut perdat communionem. Et ideo habeat potestatem is, qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti." (Græca *qui ejicitur, potestatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis ejusdem Provinciæ. Si autem Metropolitanus abest, ad finitimum concurrendi & rogandi, ut suum judicium accuratè examinentur.*) „Et ille Episcopus, qui aut justè aut injustè, eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum, qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus alius debet præsumere, ut communioni societ. Hi verò, qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse studium & superbiam, qui jam non decet, ut Episcopus injuriam, vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo: quia sicut ille Clericis sincerum exibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim Ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia. «

Innovatio Canonis V. Nicæni & XXVIII Carthag.

Hîc rursus est innovatio Canonis V. Nicæni notatque Binius ad hunc Canonem, Milevitano Canone XXII. (qui supra inter Canones Africanos relatus est) » idem quod hîc, præcipi Presbyteris & minoribus Clericis, ut scilicet suas apud vicinos Episcopos causas terminari permittant, & ad sedem Apostolicam ulteriùs non appellent." Vide notas ad Canonem XXVIII. codicis Africani.

Alienum Clericum nullus ordinare potest.

Can. XVIII. » Januarius Episcopus dixit Illud quoque statuat Sanctitas vestra, ut nulli Episcopo liceat alterius Episcopi civitatis ministrum ecclesiasticum solicitare; & in suis parochiis ordinare. Universi dixerunt, placet: quia ex his contentionibus solet nasci discordia, & ideo prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat."

Can. XIX. in Græco XV. » Osius Episcopus dixit: Et hoc universi constituimus, ut quicunque ex alia parochia voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius, & sine voluntate ordinare, non sit rata ordinatio ejus. Quicunque autem hoc usurpaverit, à fratribus & Coëpiscopis nostris & admoneri debet & corrigi."

Hic Canon ad propositionem Osii exhibet resolutionem Synodi super eo, quod in præcedenti ad Januarii Episcopi propositionem resolverat. Quare Græci Canonem illum præcedentem omiserunt: Quod verò hoc Canone decernitur, coincidit cum Canone XVI. Nicæno; & LV. & XC. in codice Africano, quorum notas consule.

Presbyterorum & Diaconorum in suis Ecclesiis residentia.

Can. XX. in Græco XVI. » Aëtius Episcopus dixit: Non ignoratis, quanta & qualis sit Thessalonicensium Civitas. Sæpè ad eam veniunt ex aliis regionibus Presbyteri & Diaconi, & non sunt continenti brevi tempore morari, sed aut resident ibi, aut certè vix post longa spatia ad sua redire coguntur. Universi dixerunt: Ea tempora, quæ constituta sunt circa Episcopos, & circa has personas observari debent. "

Quod suprà Canone XIV. de Episcopis à sua civitate absentibus decretum, id in præsenti de Presbyteris & Diaconis decernitur.

Humanitas exhibenda Episcopis injuste expulsis.

Can. XXI. in Græco XVII. „Osius Episcopus dixit: Suggerente fratre & Coëpiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit, ut si aliquis vim perpessus est, & iniquè expulsus pro disciplina & catholica confessione, vel pro defensione veritatis, effugiens pericula, innocens & devotus in aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quandiu aut redire possit, aut injuria ejus remedium acceperit; quia durum est, eum, qui persecutionem patitur, non recipi: etiam & larga benevolentia, & humanitas ei est exibenda. Omnis Synodus dixit: Universa, quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in universo orbe diffusa custodiet: Et subscripserunt, qui convenerunt." Postrema hæc clausula, *omnis Synodus dixit &c.* legitur quoque in uno codice MS. Thuanæo, ut notat Paschasius Quenellius in nota marginali ad hunc Canonem, sed nec inversione græca, nec Isidori, nec aliis editionibus reperitur.

Occasione Eusebianorum, seu Arrianorum, qui quosvis doctiores Episcopos, ut scribit S. Athanasius *ad Solitarios*, fictis calumniis, & auctoritate Constantii Imperatoris ejecerint è suis Sedibus, conditum esse hunc Canonem monet Christianus Lupus.

Utinam quod in Eusebianis execramur, hodie inter ipsos Catholicos fieri non conspiceremus: Doctiores nimirum & Zelosiores Pastores & Ecclesiasticos fictis calumnis & technis nonnunquam opprimi, & Sedibus deturbari; quibus humanitas & benignitas hoc Canone proposita, citra summam duritiem negari non potest.

CAPUT II.

De Codice Martini Archi-Episcopi Bracarensis.

PARAGRAPHUS I.

Quis fuerit Martinus hujus codicis Auctor: & an è Græco Canones verterit?

Martinum natione Græcum fuisse vulgò creditur.

DE hoc Martino ita scribit Isidorus Hispalensis de *Viris Illustribus cap.* 22. „Martinus Dumiensis monasterii Sanctissimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans, Galliciam venit, ibique conversis ab Arriana impietate ad Fidem Catholicam Suevorum populis, Regulam Fidei & Sanctæ Religionis constituit, Ecclesias confirmavit, monasteria condidit, copiosaque præcepta piæ institutionis composuit."

Eadam penè ad verbum habet Honorius Augustodunensis de *Scriptorib. Eccles. 3. c.* 4.

Horum auctoritate inducti Antonius Augustinus, Garsias Loaysa, Francisc. Florens aliique non Pauci crediderunt, Martinum fuisse natione Græcum; at nec verba Isidori id convincunt, nec aliorum auctorum, & monumentorum fides patitur.

Pannonium fuisse probatur.

Refert enim Gregorius Turonensis *Hist. Francorum lib. 5. cap.* 38. „Hoc tempore & beatus Martinus Galliciensis Episcopus obiit, Magno populo illi faciente plantum. Nam *Pannoniæ* ortus fuit, & exinde ad visitanda loca Sancta in Orientem properans, in tantum se litteris imbuit, ut nulli secundus suo tempore haberetur: exinde Galliciam venit, ubi cùm B. Martini reliquiæ portarentur, Episcopus ordinatur, in quo Sacerdotio impletis plus minus triginta annis, plenus virtutibus migravit ad Dominum."

Gregorio succinit Amoinus de *gestis Francorum lib. 3. cap.* 38. hæc scribens. „Ea tempestate B. Martinus Galliciensis migravit ad Dominum. Hic *Pannonia* oriundus loca in Oriente circumiens, abundè se illis litteris imbuit; & per Galliciam revertens in Basilica, quæ prima apud Hispanos in honore S. Martini dedicata est, Pontifex ordinatus, triginta in hoc officio implevit annos."

Denique Aubertus Miræus in scholiis ad citatum locum Isidori, præmissis nonnullis de vita & scriptis Martini, concludit: *Fuit autem natione* Pannonius, *ut ex ejus* Epitaphio *constat*,

Hæc itaque adeò clara, & expressa testimonia dubitari vix sinunt, quin Martinus natione non *Grecus*, sed

sed *Pannonius* fuerit. Nec contrarium relata Isidori verba omninò evincunt, cùm ejus ex Oriente in Galliciam adventus, cujus meminit Isidorus, tantum evincat, eum aliquando ex Oriente in Galliciam venisse; quod citati auctores non negant; imò dissertè asserunt, eum ex Pannonia ad *visitanda loca Sancta in Orientem properasse*: *ibique in tantum se litteris imbuisse, ut nulli secundus suis temporibus haberetur*, adduntque *exinde Galliciam venisse.*

E Græco Canones in Latinum vertis.

Ex quo ulteriùs conficitur, Martinum licèt natione Pannonium, græcis litteris aliunde fuisse imbutum, ut & Græcos Canones è Græco Latinos redderet; quod & fecisse satis significat ejus epistola Nitigesio Episcopo inscripta, & vice præfationis codici præfixa: » Canones, ait, qui in partibus Orientis ab antiquis Patribus constituti sunt, græco priùs sermone conscripti sunt; postea autem succedente tempore in Latinam linguam translati sunt. Et quia difficile est, ut simplicius aliquid ex alia lingua transferatur in aliam; simulque & illud accidit, ut in tantis temporibus Scriptores, aut non intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittunt; & propterea in ipsis Canonibus aliqua simplicioribus videantur obscura. Ideo visum est, ut cum omni diligentia, & ea quæ per Scriptores sunt immutata, simpliciùs, & emendatiùs restaurarem. «

Unde D. Elias Du Pin *Parte 5. suæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ* tractans de Martino Bracarensi asserit quidem eum natione *Pannonium* fuisse; at unà asserere non dubitat, eum Canonum Græcorum novam translationem fecisse; eo quòd antiquam obscuriorem minusque fidelem reperisset.

§. II.

Quo ordine, & forma codicem formaverit, quidque eo contineatur.

COdicem suum in duas partes divisit. » Id primum » observans, ait ipse in *præfatione*, ut illa, quæ » ad Episcopos vel universum Clerum pertinent, unâ » in parte conscripta sint: Similiter & quæ ad Laicos pertinent, simul sint adunata: ut de quo capitulo scire aliquis voluerit, possit invenire celeriùs. «

Integer Codex constat 84. Capitulis, quorum 68. priora Clerum & res Ecclesiasticas concernunt; reliqua verò Laicos spectant.

Fontes Capitulorum non indicavit.

E quibus verò hæc sua Capitula desumpserit, ipse Martinus non indicaverat: unde nec in antiquis editionibus, nec in ea, quam ex antiquis manuscriptis se edidisse dicit Garsias à Loaysa in colectione Conciliorum Hispaniæ, horum Capitulorum fontes indicantur. At Joannes Doujatius in Academia Parisiensi Primarius Canonum Professor, & Historiographus Regius Collectionem hanc, non tantùm cum cæteris editionibus & antiquis manuscriptis de novo contulit, variasque lectiones ad marginem annotavit, sed insuper fontes seu Canones, è quibus Capitula Martini sunt desumpta, indicavit & adcripsit: quæ hac Lectionum varietate, & Canonum adscriptione adornata, inserta est tomo I. Bibliothecæ Juris Canonici veteris anni 1660. & tomo V. collectionis Conciliorum Labbeanæ.

Non integros Canones retulit.

Et quidem capitula sua potissimùm è Canonibus Græcis desumpsit, paucis ex Conciliis Africanis, & Hispanicis adjectis. Neque integros Canones edere animum ei fuisse, sed *Capitula ex Græcorum Synodis collecta* innuit præfationis ejus inscriptio, & probat ipsius operis methodus; in quo multa abreviata, interpolata aliave ratione mutata sunt. Voluit enim non tantùm, quæ in Canonibus erant immutata, emendatiùs, sed & *simplicius*, id est ad captum simpliciorum restaurare. Hoc verò ut assequeretur, interdum aliquid addere, aut mutare necesse habuit; atque ita in vitium, quod in aliis reprehendit, ipse incautus nonnunquam incidit; & à sensu Canonis deflexit; quod sequenti Paragrapho aliquot exemplis ostendetur.

§. III.

Ostenditur, Martinum non retulisse integros Canones, nec quoad verba, nec quoad sensum.

ANtonius Augustinus *Cap. 15. de Collectoribus Canonum*, loquens de his Martini Capitulis ait: *Aliquando non ita Latina facta, ut Græcè habentur, sed ex duobus vel tribus Capitulis diversorum Conciliorum uno Capitulo conscripto.*

Interdum Canones in unum conflavit, interdum divisit & truncavit.

Exemplum suppeditet Capitulum 32. quod ex Canone 3. Synodi Nicænæ, Canone 15. Concilii Bracarensis 1. & Canone 6. Toletani 1. conflatum esse notat Doujatius; atque ex collatione Capituli cum dictis Canonibus fit manifestum.

Adhæc illud idem Capitulum, uti & plura alia probant, Martino Canonibus aliqua esse addita, vel detracta aut immutata. Quin & interdum in contrarium sensus esse inflexos ostendit Capitulum 39. quod esse desumptum ex Canone 10. Ancyrano legenti manifestum est, notatque Duojatius; & ante ipsum observaverat Antonius Augustinus de emend. Gratiani, *Lib. 1. Dial. 10.*

Interdum contrarium sensum reddidit.

Capitulum his verbis exprimitur: » Diaconus, » qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo » matrimonio, & dixerit in castitate non posse per» manere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione » tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimo» nium desideraverit, alienus sit à ministerio, & va» cet à Clero. «

Quid manifestius, Canone ita expresso, significari, in Diaconum non esse ordinandum, qui castitatem non velle profiteri, palam in ordinatione protestatur? Cujus contrarium Canonem Ancyranum exprimere: vel sola Canonis lectio evincit: » Quicun» que Diaconi constituti, ait Canon, in ipsa consti» tutione testificati sunt, & dixerunt, oportere se » uxorem ducere, cùm non possent sic manere, ii, » si uxores postea duxerint, sint in ministerio, eo » quòd hoc sit illis ab Episcopo concessum. Si qui au» tem hoc silentio præterito, & in ordinatione, ut ita » manerent, suscepti sunt, postea autem ad matri» monium venerunt, ii à Diaconatu cessent. «

Inquiritur causa errandi.

Hanc contrarietatem advertens Antonius Augustinus in Dialogis suis de emendatione Gratiani, unum è Collocutoribus introducit interrogantem: *Cur Martinus ab archetypo discessit?* Respondet alter, *cùm in Occidente esset, noluit Orientis licentiam imitari.*

Verùm hæc ratio Viro Erudito Paschasio Quenellio non probatur: » Dicendum potiùs existimâ» rim, ait, istud Martinum ex antiqua versione La» tina hausisse, quæ apud Ecclesiam Romanam in » usu erat. Persuadere enim mihi vix possum, id » quemquam auctoritate privatâ tentâsse, ut in Ca» nonis ab Ecclesia universa jam recepti versione ita » recederet à sensu Canonis, ut eum subverteret » omninò: imò & hoc in Canonum translatoribus » maximè redarguit Martinus, quod eorum vel os» citantiâ vel ignorantiâ nonnulla immutata essent. « Hæc ille. At pace illius Viri dixero, si versionem Latinam, quæ apud Romanam Ecclesiam in usu erat, & quæ in ejus codice extat, fuerit secutus Martinus & ex illa Canonem Ancyranum retulerit, cur eum non iisdem verbis, aut saltem eodem retulit sensu? Ita enim in codice Romano à Quenellio evulgato exprimitur. » Diaconi quoque cùm ordinantur, si in » ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle ha» bere uxores, neque posse se continere; hi si pos» tea ad nuptias venerint, maneant in Clero tan» tùm, & à ministerio abjiciantur. Quicunque sane » tacuerunt, & susceperunt manûs impositionem, pro» fessi continentiam, & postea ad nuptias conve» netur, à ministerio & Clero cessare debebunt, » Laicam tantùm communionem recipientes. »

Si Canon his verbis expressus conferatur cum Capitulo Martini suprà relato, planum erit, nec verbis, nec in sensu omninò convenire.

Martini enim Capitulum vult, ut Diaconi, de quibus in prima Canonis parte, non ordinentur: Canon verò Romanus permittit, ut maneant *in Clero tantùm, & à Ministerio abjiciantur.* Quoad Diaconos, de quibus in postrema Canonis parte, Canon Romanus vult, ut *Laicam tantum communionem recipiant*: Hujus communionis nulla apud Martinum mentio fit.

Quod

Quod verò Quenellius persuadere sibi vix possit, ut quisquam privatâ auctoritate à sensu Canonis ab Ecclesia universali recepti ita in sua versione recederet; quâ ratione sibi persuadere potuit, quòd Ecclesia Romana Canonem illum in sensum planè adversum converterit? Scio quidem Ecclesiæ Romanæ auctoritatem fuisse, in his, quæ disciplinæ sunt, Canonibus aliarum Ecclesiarum recedere; & disciplinam etiam planè oppositam stabilire; at eam Canoni alicui falsò adscribere, eique contrarium sensum affingere, faciliùs privato, quàm Ecclesiæ Romanæ contigere posse, crediderim: Maximè, cùm fatente & ipso Quenellio, certum sit, Martinum in sua capitulorum collectione frequenter à Canonum sensu aberrâsse.

Ut ut sit, ex his sat probatum est, capitula Martini nonnumquam ab ipsis Canonibus, è quibus desumpta sunt, multùm recedere: nunc videndum restat, quomodo Gratianus hac collectione fuerit usus; & in quos errores ejus occasione inciderit.

§. IV.

Quomodo Gratianus hoc codice sit usus; & qua ratione intellectui decreti Gratiani servire possit.

Collectio hæc citatur à Gratiano sub nomine Martini Papæ in Synodo.

GRratianus in suo decreto multa citat ex *Concilio Martini Papæ*: *Quæ omnia* inquiunt Correctores Romani ad *Can.* 15. *Dist.* 18. » sumpta sunt ex » Libro capitulorum Græcorum Synodorum Martini » Episcopi Bracarensis. (Antiquitus enim Episcopi » Papæ dicebantur.) Hic enim cùm esset Græcus ad » utilitatem Ecclesiarum Hispanæ, ubi Episcopatum » obtinebat, ea capitula Latina fecit & in nonnullis » quædam addidit; in aliis verò aliqua detraxit, que» madmodum in hoc capite, quod sumpsit ex con» cilio Anthiocheno Can. 20.“ Hæc illi; qui communi errore decepti, Martinum natione *Græcum* supposuerunt.

Eundem Gratitiani errorem notans Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emend. Gratiani Dial.* 10. „hanc » erroris originem credo, inquit, ut cùm aliquis hæc » capita Martini *Papæ*, hoc est, Episcopi, inscrip» sisset, alius Papæ Romani interpretaretur.“

Hic error Gratiani plerisque in locis à Correctoribus Romanis diligenter notatur; & capitulum Martini Bracarensis, cui respondet citatus Canon, in margine indicatur.

Secundus errorGratiani.

Adhæc Gratianus non advertens capitula Martini è Canonibus græcis desumpta; illa tanquàm à Canonibus græcis planè diversa in ejusdem quæstionis decissionem retulit. V. G. *distinctione* 64. *Can.* 1. Exhibet quartum Canonem Nicænum, & eundem ex versione Martini rursus refert *Can.* 7. *ejusdem distinctionis*. Imò *distinctione* 14. *Canone* 11. relato Neocæsariensi *Canone* 8. immediatè rursus eundem Canonem subjicit ex versione Martini. Plurima alia exempla, quibus probetur, Gratianum credidisse capitula Martini planè fuisse à Canonibus græcis diversa; neque advertisse esse Canones græcos in Latinum versos, videri possunt apud Antonium Augustinum loco citato *dial.* 10. & 11.

Tertius error.

Quin & interdum nec ipsa Martini capitula fideliter à Gratiano relata sunt: Sic enim 26. *q.* 5. *Can.* 3. plura capitula Martini in unum Canonem conflavit; idque ordine, quo in codice Martini extant, plane inverso.

Utilitas Codicis.

Hinc ergo patet, collectionem Martini Bracarensis nonnumquam posse subservire assequendo genuino sensui Canonum in decreto Gratiani occurrentium.

Deinde, licèt Martinus in multis à Canonibus Græcis recedat, nihilominus ex ejus collectione non parum elucescit, quæ disciplina tempore Martini in Ecclesiis Hispaniarum vigurerit: Cùm admodum verisimile sit, Martinum Canones suos præcipuè adaptâsse disciplinæ, quam ibidem vigere videbat.

CAPUT III.

De codice Græcorum aucto.

PARAGRAPHUS I.

De Incrementis codicis Græcorum, & quid hodie contineat.

Quis antiquus Codex Græcorum.

ECclesiæ Orientali Seculo V. suum fuisse codicem Canonum, è quo in judiciis Canones depromeret, *Parte præcedenti*, *Cap. I.* evicimus ex Synodo Calchedonensi & Dionysio Exiguo, unaque ostendimus, eundem fuisse codicem, quo in Synodo Calchedonensi Græci utebantur, & quem è Græco Latinum reddidit Dionysius Exiguus.

In hoc codice, teste eodem Dionysio, & ex Actis Synodi Calchedonensis manifestum est, continuâ numerorum serie continebantur Canones Nicæni, Ancyrani, Neocesarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, & Synodi Constantinopolitanæ I.

Et hæc quidem prima fuisse videtur in Ecclesia Orientali Canonum collectio, quam *Græcam auctoritatem* vocavit Dionysius. Porrò licèt non inveniatur, Orientales unquam hanc suam Canonum collectionem seu codicem deseruisse, illud tamen constat successu temporis, pluribus Canonibus locupletatum fuisse.

Primum incrementum.

Et quidem sub initio seculi VI. Justinianus Imperator *Novell.* 131. *cap.* 1. sancivit, » vicem legum ob» tinere Sanctas Ecclesiasticas Regulas, quæ à Sanctis » quatuor Conciliis expositæ sunt, aut firmatæ, hoc » est, in Nicæna 318. & in Constantinopolitana Sanc» torum 150. Patrum, & Ephesina prima, in qua » Nestorius est damnatus, & in Calchedonica, in qua » Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Prædic» tarum 4. Synodorum dogmata sicut Sanctas Scriptu» ras accipimus, & *Regulas sicut leges observamus.*«

Hinc non obscurè colligimus, prisco Canonum codici, istis saltem temporibus, Ephesinos & Calchedonenses Canones fuisse adjectos, licèt de ipso temporis articulo, quo fuêre adjecti, nihil certi habeamus.

Secundum.

Quin & Justiniani temporibus floruit Joannes Scholasticus Presbyter Antiochenus, ab eodem Justiniano ad Thronum Constantinopolitanum promotus. Hic autem Canones ab Ecclesia Græca tunc receptos in 50, titulos digessit; opusque suum *collectionem Canonum* indigitavit, cui & indicem præfixit omnium Canonum, quos ipse ad illa 50. capitula reduxerat. Verùm tam in illo indice, quàm in sua collectione præter Canones in prisco codice congestos, apostolicos etiam, Sardicenses, Ephesinos, Calchedonenses, & S. Basilii nonnullos Canones recenset; idque hoc ordine, *Apostolorum Canones* 85. *Nicenos* 20. *Ancyranos* 25. *Neocæsarienses* 14. *Sardicenses* 21. *Gangrenses* 20. *Antiochenos* 25. *Laodicenos* 59. *Constantinopolitanos* 6. *Ephesinos* 7. *S. Basilii* 68. Hos autem Canones ille verisimiliter in 50. titulos non redegisset, nisi eos in codice Græcorum extantes reperisset: ut proinde probabile sit, illos omnes tum temporis codici Græcorum fuisse insertos; licèt non constet, num auctoritate publica, an privata duntaxat additamentum illud factum esset.

Tertium.

At currente Seculo VII. regnante Justiniano II. Synodus in Trullo Constantinopoli celebrata, vulgò dicta *Trullana*, non modo eos omnes, quos Joannes Antiochenus in suum opus congesserat, verùm etiam complures alios secundo suo Canone confirmavit; nimirum Canones Concilii Carthaginensis, Concilii Constantinopolitani sub Nectario Patriarcha Constantinopolitano, & Theophilo Alexandrino: Item multorum patrum Canones, puta Dionysii Aleaxandrini, Petri Alexandrini, Gregorii Neocæsariensis sive Thaumaturgi, Athanasii Alexandrini, Basilii Cæsareæ Cappadociæ Archi-Episcopi, Gregorii Nysseni, Gregorii Thologi sive Nazianzeni, Amphilocii Iconii, Thimothei, Theophili & Cyrilli Alexandrinorum, Gennadii Constantinopolitani, & unum denique Canonem & è Synodo sub S. Cipriano celebrata.

Quartum.

His Canonibus si addantur CII. Canones in ipsa Synodo Trullana editi, integrum codicem Græcorum, quo Seculo VII. ubi sunt habemus. Octavo deinde labente Seculo habita Synodus Nicæna, quæ communiter Œcumenica VII. dicitur, XXII. Canones edidit, quorum primo, sex priorum Concilio-

liorum generalium decreta confirmavit : Trullanos nimirum Canones quintæ pariter ac sextæ Synodo adscribens : neutra enim Canones edidit præter illos, qui à Synodo Trullana sanciti sunt, quæ propterea *Quini-Sexta* passim appellatur.

Quintum. Porrò & hi XXII. Canones Synodi VIII. codici Græcorum additi fuêre: Unde in Basilicis *Lib.* 5. *tit.* 3. *cap.* 2. dicitur : » Sancimus igitur, ut sacri Ecclesiasti» ci Canones Legum vicem obtineant, qui à Sanctis » Synodis constituti sunt, aut confirmati, hoc est, Ni» cena, &c. « Et recensitis sex primis Œcumenicis Conciliis mox additur : » Ad ultimum, Nicæna se» cunda, in qua illi, qui adversus sanctas imagines fu» rore perciti erant, pariter cum anterioribus hæreti» cis à Catholica Dei Ecclesia abdicati sunt : Prædicta» rum enim Synodorum dogmata tanquam Sacras » Scripturas suscipimus, & Canones ut Leges custo» dimus. «

Sextum. Nonne deinde fluente seculo Photius Patriarcha Constantinopolitanus duas Synodos habuit; alteram in templo SS. Apostolorum, in qua editi XVII. Canones ; alteram in templo S. Sophiæ sive Sapientiæ, quæ III. Canones evulgavit.

Hi autem Canones primùm à Photio in Nomo-Canone ab ipso elaborato editi, postmodum ab Ecclesia Orientali in partem Juris Canonici recepti sunt. Atque ex his ac præcedentibus Canonibus integrum Jus Canonicum Græcum conflatum est, quod cum commentariis Balsamonis, Zonaræ & Aristeni Juris Ecclesiastici peritissimorum, græcè & latinè nuper elegantissimis characteribus, & propiis observationibus illustratum evulgavit Guillelmus Beveregius Presbyter Anglicanus sub hoc titulo : *Pandectæ Canonum SS. Apostolorum & Conciliorum ab Ecclesia Græca receptorum ; nec non Canonicarum SS. Patrum Epistolarum, unà cum Scholiis Antiquorum singulis eorum annexis.*

Quæ sit codicis hujus apud Latinos auctoritas; & quâ ratione ab Ecclesia Latina fuerit receptus, saltem pro ea parte, quâ Canone II. Trullano fuerit probatus, in Scholiis ad eum Canonem inquiretur.

Porrò cùm in hoc codice referantur plures Canones Synodorum generalium, aut particularium utrisque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ consensu receptarum in hoc opere referre & explanare statuerimus, his prætermissis, exhibebimus occasione hujus codicis Canones Apostolorum, Calchedonenses, Trullanos, & Synodi Nicænæ II. quibus addemus & Canones III. Synodi, quæ, ut habet ejus inscriptio in hoc codice *in celebri templo, cui nomen à vera Dei Sapientia inditum, habita est* : quia etsi à Photio Patriarcha Constantinopolitano contra S. Ignatium celebrata videatur, tamen cùm sub nomine Concilii Constantinopolitani à Gratiano & Innoc. III. citetur, ut in notis ad Canonem II. ostendetur, de tribus Canonibus sub ejus nomine relatis aliquid dicendum credidi.

Canones, qui sub nomine *Sanctæ & magnæ Constantinopolitanæ primæ & secundæ Synodi, quæ congregata est in venerabili templo SS. Benedictorum Apostolorum*, in hoc codice referuntur, omittimus ; eo quòd nulla eorum apud Latinos auctoritas sit, aut memoria.

Ephesinos quoque octo Canones prætermissimus: tum quòd in ipsa Ephesina Synodo non sint propriè editi, sed ex epistola Synodica duntaxat excerpti: tum quod in nullis antiquis Canonum codicibus extent: neque ullum propriè disciplinæ articulum exhibeant, sed penè unicè pœnas in Nestorium & Cœlestium eorumque fautores decernant.

§. II.

De numero Canonum, vulgò Apostolorum.

PRiusquam ad singulorum Canonum horum relationem, aut expositionem veniamus, priùs de omnibus generatim duo discutienda sunt. Alterum de Canonum horum numero, & alterum de eorum auctoritate, & antiquitate.

Incertus horum Canonum numerus. Quod ad numerum attinet, licèt plures è priscis Patribus aliquorum ex hisce Canonibus meminisse videantur, ut in scholiis observabitur, nihil certi de eorum numero è quopiam antiquorum elici potest.

Scio quidem circumferri Epistolam Decretalem Zepherini Papæ, qui vixit sub finem Seculi II. in qua dicitur : *Septuaginta enim Apostoli sententias præfixerunt*: At præterquam quod Gratianus, *dist.* 16. *c.* 2. pro *septuaginta*, legat *sexaginta*, & Gregorius Presbyter in sui Policarpi lib. 3. tit. 2. *quinquaginta*, ut annotant correctores Roman. ad dictum *Can.* 2. insuper hodie compertum est, nihil ex illa Epistola pro antiquitate concludi posse ; utpote quam nôrunt Eruditi omnes, unam esse è Decretalibus primis Pontificibus falsò suppositis.

A tempore recepti codicis Dionysiani Ecclesia Latina 50. Canones Apostolorum numeravit. At Seculo V. exeunte Dionysius Exiguus suum Canonum codicem adornans (de quo capite I. hujus partis actum est) Canones L. sub nomine Apostolorum è Græco in Latinum transtulit, aliisque Canonibus in suo codice præmisit sub hoc titulo: *Incipiunt Regulæ Ecclesiasticæ* Sanctorum Apostolorum *prolatæ pro Clementem Ecclesiæ Romanæ Pontificem.*

Cùm verò hic codex Dionysianus mox à Romana Ecclesia fuerit probatus, & ut minus seculo VIII. ejus auctoritas totam Ecclesiam Latinam pervaserit: *Quinquaginta* Canones sub nomine Apostolorum Latini numerârunt. Et quidem Leo IV. apud Grat. *dist.* 20. *Can.* 1. ait : *Quibus autem in omnibus Ecclesiasticis judiciis utimur, sunt* Canones Apostolorum, *Nicænorum*, &c. Videlicet juxta versionem Dionysii, qua Apostolici soli 50. numerantur. Et Anastasius Bibliothecarius ann. 872. ad Joannem VIII. Papam Romanum scribit, Stephanum prædecessorem ejus solos 50. Apostolorum Canones recipiendos Synodicè promulgâsse : » Et certè, ait, de Apostolorum Ca» nonibus liquidò novimus, quoniam his quidam fa» cilè non præbuêre consensum. Sed & prædecessor » Vester Beatissimus Papa Stephanus non ex his plus» quam *quinquaginta* Synodicè promulgavit. «

Item Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus in disputatione de jejunio Sabbathi contra Nicetam ann. 1050. apud Gratianum, *dist.* 16. *Can.* 3. hæc habet : » Et hoc asserere conatis ex apocriphis libris & » Canonibus pari sententiâ SS. Patrum repudiat: » nam Clementis librum, id est, Petri Apostoli iti» nerarium, & Apostolorum Canones numerant Pa» tres inter apocrypha, exceptis 50. *Capitulis*, quæ » decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda. «

Unde liquet, tunc temporis apud Latinos solos 50. Canones Apostolorum, reliquis repudiatis fuisse agnitos. Hinc Urbanus II. iisdem penè temporibus scripsit Præposito S. Juventii, *sciendum verò, quòd Canones Apostolorum, quorum auctoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Ecclesia*, &c. Grat. *dist.* 32. *Can.* 6. Et ipse Gratianus in præfatione *dist.* 26. ait : » Apostolorum verò Canones, qui per Clemen» tem Romanum Pontificem, sicut quidam asserunt, dicuntur esse translati, sunt *quinquaginta.*

Sed Isidorus vulgò Mercator in sua collectione de solis 50. Canonibus Apostolorum meminit : idque ex versione Dionysii : etiamsi in reliquis Conciliorum Canonibus antiquam versionem retineat.

Seculo VI. in Orientali Ecclesia LXXXV. Canones Apostolorum noti fuere. Constat ergo Dionysium Exiguum solos 50. Canones Apostolorum è Græco in Latinum vertisse: eumque numerum ab Ecclesia Romana per multa secula fuisse retentum. An verò in Græco exemplari, quo usus est Dionysius, plures extarent, incertum est. Illud constat, tempore Dionysii plures in Ecclesia Orientali sub hoc nomine extitisse. Joannes enim Scholasticus primùm Antiochiæ Presbyter (unde & *Antiochenus* dicitur) postea Patriarcha Constantinopolitanus, Dionysio coævus in præfatione suæ collectionis Canonum, disertis verbis ait : *Sancti Domini discipuli & Apostoli*, octoginta quinque *Canones Clementis operâ ediderunt.*

Hanc suam Collectionem in 50. titulos distribuit, quibus Canones hos Apostolicos 85. inter aliorum Conciliorum Canones commiscet: adeò ut cum reliquis Synodalibus unum codicem Canonum conflarent.

Et sanè ante Synodum Trullanam Canones illos ab Ecclesia Orientale fuisse receptos, luculenter insinuat ipsa Synodus Trullana *Canon II.* dicens : » Placuit, ut ab hoc tempore deinceps, ad animarum » medelam & perturbationum curationem firmi sta» bilesque maneant, qui à Sanctis & Beatis Patribus, » qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, » atque adeo nobis etiam traditi sunt *Sanctorum & » gloriosorum Apostolorum nomine* 85. *Canones.* «

Ab hoc verò tempore Ecclesia Orientalis religiosissimè, si quos alios, hos 85. Apostolorum Canones suspexit & servavit. Et quicumque ex Orientalibus Jus Canonicum tractarunt, nec plures, nec pauciores recensent. Quos & tandem in posterioribus Con-

Conciliorum editionibus Latini ediderunt; atque in recentiore corporis Canonici editione omnes exhibentur sub hac epigraphe: *Canones Sanctorum Apostolorum per Clementem à Petro Apostolo Romæ ordinatum Episcopum, in unum congesti.*

§. III.

Quæ horum Canonum ætas & auctoritas.

Inter libros Sacros à Joanne Damasceno recensentur.

UTi de horum Canonum numero, ita & de eorum auctoritate & antiquitate in varias itum est sententias. Nam S. Joannes Damascenus Libros Hagiographos recensens, post Librum Apocalypsis mox subdit, *Canones denique Apostolorum P. Clementem concinnati, lib. 4. de fide orthod. cap. 18.* quod tamen *nimis inconsultè* fecisse monet Baronius *ad annum.* 102.

Græci eos jam pridem Apostolis attribuerunt.

Concilium verò Trullanum *Can. II.* hosce Canones non quidem inter canonicos scripturæ libros, sed tamen in reliquos ab Ecclesia recipiendos Canones recenset; idque sub *Apostolorum* nomine. Hinc Græcorum plurimi hujus Synodi auctoritate inducti, non solos 50. priores, sed universos 85. ab ipsis Apostolis vel compositos, vel saltem ab Apostolis Clementi dictatos asserunt. Unde Balsamon in dictum *Canonem II.* eos qui solos 50. recipiunt perstringens, ait: » Hujus præsentis Canonis perpetuò re» cordare. Per ipsum enim os eis occludes, qui à *Sanctis Apostolis* non fuisse editos 85. Canones. «

Græcis quoad L. priores, non pauci à Latinis consentiunt.

Neque è Latinis desunt, qui hos Canones saltem 50. priores Apostolis acceptos retulerunt, *Apostolorum Canones certò sunt Apostolorum*, ait Lindanus in *Chron. præfat. panopl.* Istos *Canones ab Apostolis constitutos, à Beatoque Clemente conscriptos esse multis & certis argumentis adducor ut credam*, inquit Lambertus Guiterus *in præfat. oper Clem.*

Franciscus Turrianus peculiarem tractatum edidit, quo probare nititur, omnes hosce Canones ab Apostolicis compositos esse, idque in Concilio Hierosolymitano. Cui subscribit Lorinus *in Act. Apost. cap.* 15. nec non Onuphrius *in Catalogo Platinæ* præfixo.

Prædicta tentantia reprobatur.

Verùm si hi Canones Apostolos auctores habuerint, quidnî Canonicis Scripturæ libris adscribuntur; quod tamen à nemine, uno Joanne Damasceno excepto, hactenus tentatum fuit.

Adhæc si quis Canones hosce perlustret, multa in illis reperit adeò clarè dilucideque expressa & explicata, ut de eorum sensu nec vel minimum dubitari queat; quæ tamen tertio quartoque seculo summâ contentione disputata sunt; uti in scholis ad ipsos Canones annotabimus.

Porrò si Canones illi, constitutionesque ab Apostolis probatæ sancitæque fuissent, quis in animum inducat, ea in dubium fuisse revocanda, quæ ab Apostolis decreta sancitaque fuissent? An adeò ignorantes erant illius ætatis Patres, ut si extitissent, illi Canones, eosque ab Apostolis editos credidissent, illos non continuò produxissent, eorumque auctoritate quæstionibus finem imposuissent?

Præterea multa in illis Canonibus occurrunt, quæ temporibus Apostolorum planè fuêre ignota, neque cum ætatis illius disciplina conveniunt; uti pluribus exemplaribus in notis ad Canones ostendetur.

Ob hæc aliave in Canonibus illis ocurrentia, inter notas ad Canones suis locis notanda, Eruditis hodiè persuasum est, hos Canones nec ab Apostolis fuisse editos, nec Clementi dictatos.

Verùm licèt inter Eruditos conveniat, eos nec Apostolis, nec Clementi ut horum Amanuensi posse adscribi, nequaquam tamen de eorum antiquitate, iisque debita exinde pendente veneratione, cessat controversia & dissensio.

Sententia Joannis Dallæi.

Nonnulli enim cum Joanne Dallæo Libro de *pseudepigraphis Apostolicis* contendunt Canones hos omnes esse spurios, & circa medium quinti seculi ab impostore quodam hæretico sub nomine Apostolorum consarcinatos: ideoque & in Synodo Romana 70. Episcoporum sub Gelasio I. inter scripta apocrypha relatos esse apud Gratianum *dist.* 15. *Can.* 3.

Inter has directè sibi oppositas opiniones nonnulli mediam inîere viam; uti nimirum Canones hos Apostolis quidem adscribi haud posse consentiant; at supposititios, seculoque V. eoque adulto demum noviter consarcinatos esse, negant.

Sententia Albaspinæi.

Et quidem Vir in re canonica versatissimus Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis postquam probavit Canones hosce nequaquam Apostolis tribui posse, subdit: » Sunt tamen illis Canones constitu» tionesque *antiquissimæ*, multaque in illis excellen» tissima & magni ponderis continentur. Nec dubi» to quin olim græcæ Ecclesiæ pro legibus, ma» nuali, Pontificali, rituali, ut vocant, ac codice » fuerint: satis enim constat nihil quidquam in iis » reperiri quod ecclesiasticæ quatuor primorum se» culorum disciplinæ consentaneum non sit. Quod » attinet ad Canones, existimo eos ita appellatos » esse ab antiquitate, nam cum eorum aliquot ab » Apostolorum successoribus, qui teste Tertulliano » de *præscriptis*, Apostolici viri nominabantur, fac» ti essent, *Apostolicorum* primùm *Canones*, deinde » nonnullorum Latinorum ignorantiâ, aliquod litte» rarum detractione, *Apostolorum* dicti sunt. Et apud » Græcos quoque res ità processisse videtur. Aucti » sunt postea, cum illis adjuncti essent, & eodem » volumine comprehensi græcæ Ecclesiæ Canones. » Quod quidem confirmari duabus maximè rationibus » potest: primùm quod iis, qui eorum meminerunt » Auctoribus, non unus, aliquis constans Canonum » numerus sit, sed 50. nonnunquam, plures alias, » aut pauciores censeantur. Altera ratio est, quod » ex toto Canonum corpore manifestè appareat, alios » aliis seculis factos esse, quod controversias diri» mant eas, quæ variis seculis contigêre. Cujusmo» di est Canon, qui de *admittendis ad Pœniten» tiam lapsis* factus est, qui certè ante Cyprianum » sancitus esse non potuit, cum alius esset Eccle» siæ usus, & illa demum tempestate admittendos » esse lapsos, decretum sit. Hinc igitur manifestè » constat, Canones eo tempore auctos esse, idque » ita factum cum unà colligarentur, unoque veluti » codice continerentur privatarum Ecclesiarum sta» tuta, quæ ab aliis postmodum Ecclesiis observa» rentur. Hæc autem conjectura eo probabilior red» ditur, quo certius est, Græcos solitos fuisse uno » eodemque quasi titulo & volumine complecti cum » antiquos Canones tum recentes, nullâ Concilii » temporis, auctorumque mentione factâ; quique » præcedentibus addebantur, tacito ordine numero» que, quem in Conciliis, unde decerpebantur, ha» bebant, ab iis ordinem numerumque accipiebant, » quibus in illa collectione adjiciebantur: quare si » jam centum Canones præpositi fuissent, quibus » de novo addebatur, centesimus primus, quæ ra» tio par fuit in cæteris, censebatur, *Lib.* 1. *ob» serv.* 13. «

Albaspinæo consentit Beveregius.

Hanc Albaspinæi de Canonum horum antiquitate, eorumque exinde dependente debitâ veneratione contra Dallæum multis, nec contemnendis argumentis propugnat Beveregius in præfatione ad suas in hos Canones observationes; creditque canonum horum collectionem meritò *Codicem primitivæ Ecclesiæ* nuncupari posse; tum quod plures ex his Canonibus, tam in Synodis quàm Patribus ante quintum, imò & quartum seculum sub nomine *Antiquarum legum, Regularum SS. Patrum, Canonum Ecclesiasticorum*, aut *Apostolicorum* non obscurè citentur, quorum exempla nonnulla in Scholiis Canonum indicabimus; tum, quod nihil in his Canonibus occurrat dissonum à disciplina & doctrina trium primorum seculorum, imò & ea, quæ contraria videntur, ipsam Canonum vetustatem potius stabiliant, quàm evacuent; uti in Scholiis ad dictos Canones breviter notabimus.

Denique expendit citatus Auctor, nullatenus esse verisimile, quòd jam tum sub finem quinti seculi hi Canones tantam auctoritatem & venerationem apud Eruditos meruissent, ut Canones Apostolorum haberentur; ipsisque quoque Canonibus Nicænis prælati fuissent, si eodem seculo eoque adulto ab hæretico aliquo impostore fabricati & in publicum protrusi fuissent.

Porrò constat Dionysium Exiguum exeunte seculo V. quinquaginta priores Canones in Codice suo Nicænis aliisque Canonibus præposuisse sub hoc titulo: *Incipiunt Regulæ Ecclesiasticæ Sanctorum Apostolorum prolatæ per Clementem Ecclesiæ Romanæ Episcopum.*

Subscribit etiam Elias Du Pin.

Hæc aliaque argumenta, à Beveregio latiùs ibidem deducta, & in scholiis à nobis breviter attingenda admodum plausibilem faciunt Canonum horum vetustatem: quam & novissimè amplectitur severus

alias veterum monumentorum criticator Elias Du Pin *Tomo I. Bibliothecæ Ecclesiasticæ*; unà tamen monens, nequaquam constare, quo præcisè tempore Canonum horum collectio facta sit; & an ab initio 85. Canones vel pauciores complexa sit: verisimile autem est, ait, variis temporibus confectam esse, Canonesque varios successivè adjectos, eo, quòd nullus servetur ordo, Canonesque unam eandemque materiam spectantes à se mutuò separati reperiantur; imò & quædam inter ipsos Canones contrarietas occurrat, quæ tamen nequaquam eorum antiquitati derogare, aut eorum falsitatem, aut suppositionem evincere in Scholiis ostendemus.

Hincmari consonans sententia.

Quæ citati Auctores post Albaspinæum de antiquitate, ac collectione horum Canonum annotârunt, non obscurè expresserat seculo IX. Vir in re canonica versatissimus Hincmarus Remensis: » Canones qui » vocantur *Apostolorum*, ait, non Episcopalium Con» ciliorum auctoritate constituti sunt, sed à primis » temporibus traditione viritim Apostolicorum Viro» rum fuerunt mentibus commendati, & partim ver» bis, partim sensu, ac sparsim diversis quorundam » epistolis pro qualitate causarum, ac temporum in» diti, atque exinde, antequam Episcopi Concilia » liberè inciperent celebrare, à devotis quibusque col» lecti. In quibus quædam receptibilia, quædam verò » sunt non servanda. De quibus interdum quædam » sumpta sunt in Conciliis, quædam etiam à maximis » & magnæ auctoritatis viris in suis opusculis, sicut de » apocryphis adsumpta fuisse legimus, quoniam qui» busdam ad instructionem valent. Et ideò, sicut Ma» jorum traditione dicimus, seorsum ante Concilia in » Canonum libris ad instructionem, & propter vul» gatam eorum famam ponuntur. Cæterùm iidem Ca» nones, qui vocantur *Apostolorum*, non ab Aposto» lis conscripti esse creduntur. « Hæc ille in opusculo quinquaginta quinque capitulorum *Cap.* 24. ibidem post pauca adjiciens Gelasium I. recensitis in suo Synodali Decreto libris qui ab Ecclesia Catholica recipiuntur, de Apostolorum Canonibus penitus tacuisse, *sed nec*, ait, *inter apocrypha eos misit.*

Porrò cum in omnibus hujus Gelasiani decreti editionibus legatur, *Liber Canonum Apostolorum apocryphus*, credunt nonnulli, Hincmarum habuisse exemplar ab hodiernis exemplaribus diversum; alii verò (quod est verisimilius, & ex verbis Hincmari satis colligi potest) in editione Hincmari mendum irrepsisse credunt, & pro *misit*, legendum *omisit*.

Qua ratione à Gelasio inter apocrypha relati.

Quidquid sit, nequaquam ex hoc decreto confici potest, Gelasium habuisse hos Canones pro absolutè fictitiis & suppositiis, sed solum eos falsò Apostolis attribui; eoque nomine inter apocrypha rejiciendos, uti notat, & ex ipso decreto probat Petrus à Marca *lib. 3. de concord. Sacerd. & Imp. cap. 2.*

Quo verò tempore, aut auctore Canones hi Apostolis supposititi fuerint, incertum est; eundem credit Du Pin, qui libros octo constitutionum eis affinxit; quique his Canonibus quædam de suo immiscuisse, ut hanc suppositionem probabilem redderet, videtur, quæ in notis ad Canones notabimus.

Quis eo Apostolis supposuerit.

His de Canonum horum auctoritate, & vetustate præmissis, ad eorum brevem explanationem transimus; primùm de 50. prioribus, utpote apud Latinos magis receptis, acturi; ac deinde 35. posteriores explanaturi.

§. IV.

Referuntur, & exponuntur priores quinquaginta Canones vulgò Apostolorum.

CAnon I. » Episcopus à duobus aut tribus Epis» copis ordinetur. «

Ordinatio Clericorum semper ab Episcopo facta.

Can. II. » Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, » & Diaconus, & reliqui Clerici. «

Hîc observare est, Presbyteri, Diaconi & reliquorum Clericorum ordinationem ab Episcopo celebratam jam olim fuisse. Et quidem, ait Beveregius *Presbyter* Ecclesiæ Anglicanæ schismate à Romana Ecclesia licèt separatus, » ante delirum hoc nostrum » & præcedens seculum Apostolicum hoc institutum » ab *universa* Ecclesia religiosissimè observatum est, » ut nec inter inferiores Clericos, nedum inter Pres» byteros, quispiam recenseretur, nisi ab Episcopo » ordinatus. « Quod in notis ad hunc Canonem latè, ac solidè demonstrat.

Can. III. » Si quis Episcopus vel Presbyter præ» ter Domini de Sacrificio ordinationem, alia quædam » ad altare attulerit, mel vel lac, vel pro vino sice» ram, vel confecta, vel aves, vel aliqua animalia, » vel legumina præter ordinationem, deponatur, præ» terquam nova legumina (apud Græcos *præterquam* » *novas spicas vel uvas*) tempore opportuno. «

Quid in Sacrificio offerendum.

» Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offer» re, quàm oleum ad luminare, & incensum tempore » sanctæ oblationis. «

Varia Canonis lectio.

Dionysius Exiguus alio planè modo hunc Canonem construit. Primò quidem hæc verba *congrua tempore* refert ad verbum, *deponatur*: ut sensus sit: Episcopus vel Presbyter, qui præter Domini ordinationem aliquid in altari obtulerit, *deponetur congruo tempore*. Deinde ex verbis sequentibus conflavit hunc separatum Canonem: » Offerre non liceat aliquid ad al» tare præter novas spicas & uvas & oleum ad lu» minare, & thimiana, id est, incensum tempore quo » sancta celebratur oblatio. «

Can. IV. » Omnis autem alius fructus domum mit» tatur, primitiæ Episcopo & Presbyteris. « (Apud Græcos additur: *sed non super altare*) » Clarum » autem est, quod Episcopus & Presbyteri Diaconis » & reliquis (apud Græcos additur, *Clericis*) dis» tribuunt. «

Sensus Canonum

Horum Canonum hæc est summa, etiam juxta Græcorum commentarios, ne quid aliud quidpiam in Sacrificio incruento ad altare offeratur præter Panem & Vinum ab ipso Christo instituta. Vinique loco alia potionis uti specie vetuerunt; qualis est *sicera*. » Si» cera autem est, inquit Zonaras, quidquid præter vi» num facit ebrietatem: qualia sunt quæ per artem » parant homines. «

Permittit verò Canon novas spicas vel uvas *tempore opportuno*, id est, cum maturæ fuerint, offerri in altari: » verumtamen non ut sacrificia, ait Zonaras, » isthæc offerri, sed tanquam primitias tempestivorum » fructuum. « Reliquorum autem fructuum primitiæ in altari non offeruntur, sed mittuntur ad Episcopum vel Presbyterum: » ut per eum, ut par est, inquit » Balsamon, Deo gratiæ agantur: qui eas Diaconis & » Clericis distribuant; id est notante Zonarâ, qui » cum susceperint eas, in domesticam suam solam » non habeant utilitatem, nec soli fruantur, sed uni» verso Clero distribuant. «

Uvarum & spicarum primitiæ quare in altari offerantur.

Cur verò uvarum, ac spicarum primitiæ potiùs, quàm aliorum fructuum in altari offerantur, indicat Aristenus quia, ex uva fit vinum, & ex spicis panis, quæ ad Sacrificium incruentum perficiendum assumuntur. Simili ratione oleum & incensum offerri permittuntur, quia Sacrificio peragendo subserviunt.

Videntur tamen nonnulli ex pravo hujus Canonis intellectu existimâsse, uvas, seu botrum uvarum integrum posse consecrari, de quo vide *Canonem* 28. *Trullanum* & ibidem annotata.

Canon hic ante tempora Cypriani additus videtur.

Canon V. » Episcopus vel Presbyter, vel Diaco» nus uxorem suam, ne ejiciat religionis prætextu; » sin autem ejecerit, segregetur; & si perseveret, de» ponatur. «

Can. VI. » Episcopus vel Presbyter, vel Diaco» nus seculares curas non suscipiat, alioquin depo» natur. «

Quod hoc Canone edicitur, jam ante tempora Sancti Cypriani statutum fuisse, ipse Cyprianus testatur, dolens Clericum in testamento tutorem datum: » Cum jam pridem in Concilio Episcoporum » statutum sit, ait, ne quis de Clericis & Dei mi» nistris tutorem & curatorem testamento suo cons» tituat, quando singuli Divino Sacerdotio honorati » & in Clerico Ministerio constituti, non nisi altari» bus & sacrificiis deservire, & precibus & oratio» nibus vacare debent: scriptum est enim; *nemo* » *militans Deo obligat se molestiis secularibus*, ut » possit placere ei cui se probavit. Quod cum de » omnibus dictum sit, quantò magis molestiis & la» queis secularibus obligari non debent, qui divi» nis rebus & spiritualibus occupati, ab Ecclesia » recedere, & ad terrenos & seculares actus vaca» re non posunt? «

Hujus decreti hic Canon, ait Beverêgius, epitome quædam ac compendium esse videtur; unà hinc argumentum pro Canonum horum antiquitate assumens.

Can. VII. » Si quis Episcopus, vel Presbyter vel » Diaconus, sacri Paschæ diem ante vernum æquinoc» tium cum Judæis celebraverit, deponatur. «

De

De die Paschali olim magna contentio fuit.

De die, quo festivitas Paschalis celebranda esset, in Ecclesia etiam recens natâ multas, gravesque ortas esse dissensiones neminem latet. Nonnulli enim 14. Lunâ Martii, quamcumque demum in feriam incidisset, hanc solemnitatem cum Judæis obeundam esse contendebant; quique hac opinione erant imbuti, *Quartadecimani* dicebantur; è quorum numero olim fuêre hæretici dicti *Audiani*, & omnes in Asia Minori Christiani. Europei verò omnesque præter Asianos Christiani contenderunt, ex Apostolica traditione non alia quàm Dominicâ die 14. Lunam Martii subsequente celebrandam solemnitatem Paschalem. Plura autem circa finem II. seculi coacta sunt Concilia, videlicet Romanum, Palæstinum, Ponticum, Gallicum, aliaque, à quibus statutum est, id quod in hoc Canone continentur, & quibus propterea, inquit Beveregius, hic Canon in Apostolicorum numerum collectus videtur.

Canon hic Apostolis adscribi nequit.

Quæ hoc Canone decernuntur, sat evidenter evincunt, eum Apostolis adscribi non posse. Si enim ab Apostolis conditus fuisset, quomodo eum in suæ disciplinæ probationem Europæi contra Asianos urgere non debuissent?

Can. VIII. »Si quis Episcopus, Presbyter vel »Diaconus, vel ex Sacerdotali Catalogo, factâ oblatione non communicaverit, causam dicat; & si probabilis fuerit veniam consequatur: sin verò minùs se»gregetur, ut qui populo offensionis causa sit, & »suspicionem dederit adversus eum qui obtulit, tanquam non dignè obtulerit.«

Excommunicantur qui usque ad finem Sacrificii non perseverans.

Can. IX. »Quicunque fideles ingrediuntur & »scripturas audiunt, in precatione autem & Sacra »Communione non perseverant, (Dionysius *nec Sanctam Communionem percipiant*) ut Ecclesiæ confu»sionem afferentes (Dionysius: *velut inquietudines »Ecclesiæ commoventes*) segregari portet.« (Dionysius: *convenit communione privari*) Grat. *dist.* 1. *de consecrat. Can.* 62. sed aliqua addens, & à textu græco nonnihil recedens.

Canon non astringit fideles ad Sacrum Communionem.

Græca hujus Canonis expressio sat insinuat, nequaquam excomunicari, seu communione privari fideles, qui Sacram Communionem non perceperint; sed eos duntaxat, qui usque ad finem Missæ in ea non perseveraverint. Unde Aristenus hunc commentarium Canoni subjicit; »Qui non manet in Ec»clesia usque ad finem, sed de Ecclesia egreditur, »dum adhuc sacra Liturgia celebratur, eum ut con»fussionem facientem in Ecclesia, segregari oportet.«

Aristeno suffragatur Zonaras dicens, »præsens Ca»non excomunicat etiam non permanentes, aut or»dinem turbantes.«

Et sanè si Canon sub pœna segregationis constringere voluisset omnes fideles assistentes divinis mysteriis ad Sacram Communionem, quis ambigat, quin addidisset nisi *causam probabilem* non communicandi habeant & probent, cùm illam exceptionem Canon præcedens probet etiam in his, qui de Ordine sunt Sacerdotali.

Vix ergo dubitari potest, quin lectio græca sit genuina, Ex quo ulteriùs consequitur, nullâ specie hunc Canonem ab hæreticis urgeri contra *Missas privatas*, id est, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat.

Ex hoc Canone nihil habetur contra Missas privatas.

Ad hæc Canon non excomunicat eos, qui in precatione & in Sacra Communione non perseverant; aut juxta Dionysium, *nec Sanctam Communionem percipientes*, quasi aliquid integritati Sacrificii detrahentes, sed *Ecclesiæ confusionem afferentes*, aut ut legit Dionysius, *velut* inquietudines Ecclesiæ commoventes: adeoque etiam positâ Dionysii lectione, & sensu ex ea resultante, ne in speciem hic canon rationem veri Sacrificii Missis privatis detrahit.

Cum excommunicato communicatur.

Can. X. »Si quis cum excomunicato, vel in do»mo unâ precatus fuerit, is segregetur.«

Can. XI. »Si quis cùm sit Clericus, unà cum Cle»rico deposito (Dionysius addit *Veluti cum Clerico*) »oraverit, deponatur & ipse.«

Hi Canones coincidunt cum Canone V. Nicæno, & IX. in codice Africano. Hoc unum notandum, versionem Dionysii sat apertè insinuare, Canonem postremum agere de communione cum Clerico in officio clericali, id est, *veluti cum Clerico*; & ità intellexisse Aristenum & Zonaram eorum commentaria evincunt.

Can. XII. »Si quis Clericus vel Laicus segrega»tus, sive non recipiendus, discedens in aliena ur»be receptus fuerit absque litteris commendatitiis, se»gregetur, & qui excepit, & qui exceptus est. Sin »autem est segregatus, ejus intendatur segregatio.« Dionysius verò postremam partem ità legit & auget: *Excomunicato verò proteletur ipsa correptio, tanquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit.*

Sensus Canonis.

Congruit præsens Canon Canoni VI. Antiocheno; hoc tamen hîc notandum, in postrema Canonis parte agi de Laico à communione segregato, non autem de clerico deposito. In primitiva quippe Ecclesia, Clericus semel depositus in perpetuum depositus censebatur; neque unquam in Clerum restituebatur: at Laici ad certum tempus à communione segregabantur: ideoque ex causa superveniente eorum segregatio sive *correptio* intendi, sive ut legit Dionysius *protelari* poterat.

Translationes non posunt nisi ob bonum Ecclesiæ fieri.

Can. XIII. »Episcopo non liceat sua relicta Pa»rochia ad aliam transire, etiamsi à pluribus coga»tur, nisi sit aliqua causa rationi consentanea quæ »eum cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, cum »possit ipse iis, qui illic habitant, pietatis verbo con»ferre; ideoque non ex se, sed ex multorum Epis»coporum judicio & maxima exhortatione.«

Hic Canon planus est, & ostendit, quàm arcto vinculo Episcopus suæ Ecclesiæ astringatur; vinculumque illud per ipsum motu proprio nunquam rumpendum; imò nec unquam, nisi justâ cogente causâ etiam Superiorum auctoritate rumpendum: Quo unà verum Ecclesiæ spiritum in usu dispensationum expressit.

Quid significet Parochia.

Hoc tamen obiter pro sensu Canonis observa: *Parochiam* hîc non sumi hodiernâ phrasi pro districtu alicujus Presbyteri, quem *Curatum vel Parochum* dicimus; sed pro districtu Episcopi, quem modo *Diœcesim* vocamus: quæ nomenclatura pluribus seculis in usu fuit; uti videre est in Glossario Du Fresne verbo, *Parohia.*

Alienum Clericum sine consensu sui Episcopi in alia Ecclesia recipere non licet.

Can. XIV. »Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel »omnino ex Clericorum catalogo, relictâ suâ Parochiâ »in aliam abscesserit, & cùm penitùs transierit, præ»ter Episcopi sui sententiam in alia Parochia maneat, »eum non ampliùs celebrare jubemus, maximè si eum »adhortante Episcopo ut rediret, non paruerit, in »contumacia & insolentia preservans, is tamen ut Lai»cus communicet.«

Can. XV. »Sin autem Episcopus nihil faciens ad»versus eos decretam à munere cesationem, eos ut »Clericos receperit, segregetur, ut immodestiæ, & »insolentiæ magister.«

De non Ordinando qui plures uxores aut concubinam habuit.

Can. XVI. »Qui post Sanctum baptismum duo»bus conjugiis fuerit implicitus, vel habuerit con»cubinam, non potest esse Episcopus, vel Pres»byter vel Diaconus vel omninò ex numero Sacer»dotali.«

»Eum qui post S. Baptismum Bigamus fuerit, vel »fornicatus sit, ait Balsamon, prohibet Canon Epis»copum fieri vel Sacerdotale quidpiam exercere. Quæ »enim ante Baptismum admissa sunt omnis generis »peccata prætermittit, cum factus sit novum opus »solâ gratiâ S. Spiritûs.«

Græci credunt eandem irregularitatem incurri per fornicationem & plures nuptias.

Sat evidenter hîc supponit Balsamon, iteratas nuptias ante Baptismum contractas non magis inducere irregularitatem, quàm fornicationem à non baptizato commissam: quod & Zonaras in suo ad hunc Canonem commentario expressit; quibus non Græci duntaxat, sed etiam quidam è Latinis consenserunt, atque inter alios S. Hieronymus apud Gratianum *dist.* 26. *Can.* 1. creduntque, irregularitatem expressam ab Apostolo his verbis *Unius uxoris Vir*, æquè per fornicationem, quàm iteratas nuptias incurri. Quibus præsentem Canonem non obscurè suffragari vel sola ejus lectio indicat.

Aliter sentiunt Latini.

Ex adverso Sanctus Augustinus & plerique è Latinis crediderunt, irregularitatem indicatam prædicto præcepto Apostolico, etiam contrahi per iteratas arte Baptismum nuptias, nequaquam verò per fornicationem.

Hæc Græcorum & Latinorum opinionum diversitas profluxisse videtur ex diversa consideratione rationis, in qua hæc irregularitas ex mente Apostoli sit fundata.

Unde hæc diversitas opinionum.

Græci enim, quibus Hieronymus adhæsit, crediderunt, eam non fundari simpliciter in nuptiarum multiplicatione, sed in *incontinentiâ*, aut ejus suspicione iteratis nuptiis annexâ. Licèt enim Græci non dubitârint, licitas secundas, tertiasque nuptias, iteran-

rantes tamen insolita incontinentiæ libidine ferri crediderunt; ideoque & pœnitentiam iterantibus impossuisse constat ex *Canone VII. Neocæsariensi* & *Can.* 1. *Laodicæno*, quorum notas consule.

Si ergo crediderint defectum continentiæ à Paulo fuisse consideratum, dum voluit Episcopum esse *Unius uxoris Virum*, quid mirum, si contractas ante Baptismum nuptias judicârint non inducere hanc irregularitatem; cui, ut ait Sanctus Hieronymus, *prorsus novo homini nec stupra, nec alia, quæ ante fuerint, jam obsunt*: aut quid mirum, si per fornicationem, quæ certius indubiè præbet incontinentiæ indicium, eandem ex mente Apostoli inductam crediderint?

Ad Latini, unicè à Paulo iterationem nuptiarum præallegatis verbis consideratam fuisse supposuerunt; nullam verò vitii aut criminis rationem, post Baptismum eluendi.

Unde Innocentius I. *Epist.* 2. *cap.* 6. cùm hanc irregularitatem non tantùm ex Apostolo, sed etiam ex lege veteri deducere studuit, subjicit: » Ac ne » ab aliquibus existimetur, ante baptismum si quis » fortè accepit uxorem, & eâ de seculo recedente » alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis » errat à regula: *Quia in baptismo*, ait, *peccata re-* » *mittuntur, non acceptarum uxorum numerus abo-* » *letur.* «

Innocentio consonans Sanctus Augustinus ait: » Quia de Sacramento agitur, non de peccato: Nam » in baptismo peccata omnia dimittuntur, & qui » dixit: *Si nupserit Virgo non peccavit*, satis decla- » ravit nuptias non esse peccatum. « Apud Grat. *Dist.* 26. *Can.* 2.

Post hæc ostendit, cur, etsi nihil in secundis nuptiis vitii sit, tamen ratio postulet, ut Episcopus sit *Unius uxoris Vir*: » Sicus plures uxores antiquorum » Patrum, ait, significaverunt futuras nostras ex om- » nibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo, » ità noster Antistes *Unius uxoris Vir* significat ex » omnibus gentibus *unitatem* uni viro subditam Chris- » to.... ergo sicut Sacramentum pluralium nuptia- » rum illius temporis significavit futuram multitudi- » nem Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus: » sic Sacramentum nuptiarum singularium nostri tem- » poris significat *unitatem* omnium nostrorum subjec- » tam Deo futuram in una cœlesti Civitate. « *de bono Conjug. cap.* 18.

Ratio bigamia primum à S. Augustino proposita, & ab Ecclesia latina recepta.

Porrò cùm secundæ nuptiæ hanc perfectam unitatem signare non posse viderentur; utpote non unius cum unica, imperfectio quædam videbatur Sacramenti; ideòque & Sacerdotio indignus, qui hunc in Sacramento defectum passus fuisset.

Hæc ratio à Sacramenti quodam defectu petita, & è tanto Doctore proposita, sensim in Ecclesia Latina tanto applausu recepta fuit, ut non dubitaretur hanc unicam esse hujus irregularitatis fundamentalem rationem. Hinc consultus Innocentius III. num censeretur bigamus, qui duxisset aliquam quæ alteri priùs fuerat marito juncta, sed non cognita, respondit, non censeri bigamum: » Cùm enim propter Sacra- » menti defectum, ait, inhibitum sit, ne bigamus, » aut maritus viduæ præsumat ad Sacros Ordines pro- » moveri, quoniam nec illa est unica unius, nec iste » unus unius: profectò ubi deficit inter hujusmodi » conjuges commixtio corporum, non deest hujusmodi » signaculum Sacramenti. « *Cap.* 5. ✠ *de Bigamis.*

A sensu Canonis aberravit Binnius.

Hinc facilè intelligitur, cur in hoc Græcorum Canone eâdem irregularitate innodati censeantur, qui plures uxores, & qui concubinam habuerunt: quod si notâsset Severinus Binnius, nec unicè ad suæ Ecclesiæ & temporis disciplinam reflexisset, Canonem nequaquam ad publicos concubinarios, & irregularitatem ex publica infamia contractam contorsisset.

Patres faciliùs cum Bigamis quàm fornicariis dispensassent.

Ex dictis quoque collige, Græcos non dubitâsse, quin ex mente Apostoli potiùs fornicarii, quàm Bigami à Sacerdotio essent excludendi. Et licèt Latini non crediderint his verbis, *Unius uxoris vir*, fornicarios à Clero exclusos, eos tamen exclusos & irregulares non dubitârunt per hæc verba, *sine crimine*, imò nec dubito, quin & Patres Latini faciliùs cum Bigamo, quàm cum fornicario dispensâssent.

Can. XVII. » quid viduam accepit, vel ejectam, » vel meretricem, vel servam, vel mimam, seu sce- » nicam. « (Dionysius: *vel aliquam de iis, quæ publicis spectaculis mancipantur*) » non potest esse Epis- » copus, vel Presbyter vel Diaconus, vel omninò » ex numero Sacerdotali. « Gratian. *Dist.* 24. *Canon.* 15.

Ratio Canonis.

» Nota, ait Balsamon, præsentem Canonem, » vult enim non solùm eum qui sacratus est, esse » modestum & continentem, sed etiam ejus conju- » gem: & ideo mulieres quæ hîc comprehendun- » tur, prohibuit cum sacratis hominibus matrimo- » nio conjungi, utpotè quod eas continenter vive- » re non credatur, propter earum sordes & impro- » bitatem. «

Græci quid in matrimonio cum vidua attenderint?

Ex hac Balsamonis aliorumque Græcorum observatione, quin & ipso Canonis tenore, sat manifestum est, Græcos in matrimonio cum vidua non tam attendisse defectum Sacramenti, uti Latini præsertim recentiores, sed suspicionem incontinentiæ viduæ nuptias reiterantis; eamque maculam in virum eatenus redundare, ut eum propterea Sacerdotali Ministerio indignum reputaverint.

Hinc statue, quàm sublimis fuerit Patrum de Sanctitate, & puritate in Clero requisita idea!

Can. XVIII. » Qui duas sorores duxit vel con- » sobrinam, non potest esse Clericus. «

Quid hic considerâverint Patres An nota fuerit bigamia similitudinaria?

Cùm Canon eâdem pœnâ feriat, & eum qui duas sorores duxit, & eum, qui unas illicitas nuptias contraxit cum consobrina, planum est, non ad bigamiam similitudinariam, sed ad indignitatem facti Patres respexisse. Unde etiam observandum monet Balsamon, quod non solùm qui duas sorores, aut consobrinam duxit, » sed & qui aliud matrimonium » propter consanguinitatem vel affinitatem prohibitum » contraxit, non fit Clericus, sed ei pœna potiùs im- » ponetur. «

Can. XIX. » Clericus fide jubens « (Dionysius *Fide jussionibus*) » deponatur. «

De quo Clerico hic agatur.

Præsentem Canonem non agere de Clerico quocumque modo, etiam ex motivo charitatis fidejubente, sed qui fidejussionibus intentus lucrum captat, consentiunt interpretes, & electio Dionysiana sufficienter insinuat.

De Eunuchis, qui à Clero excludendi.

Can. XX. » Eunuchus, si ex hominum quidem in- » juria factus sit, vel in persecutione virilibus priva- » tus sit, vel sic natus est, & dignus est, fiat Episco- » pus. « Grat. *Dist.* 55. *Can.*

Can. XXI. » Qui se ipsum mutilârit, ne sit Cle- » ricus, est sui homicida, & Dei opificii hostis. «

Can. XXII. » Si, quis, cùm sit Clericus, seip- » sum mutilaverit, deponatur: est enim sui homici- » da. « Gratianus utrumque in unum conflavit. *Dist.* 55. *Can.* 4.

Can. XXIII. » Laicus, qui seipsum mutilavit tri- » bus annis segregetur: est enim suæ ipsius vitæ in- » sidiator. «

Occasio Can.

Secundo Ecclesiæ seculo exorta est Valesiorum hæresis, qui varia Scripturæ loca præsertim *Matth.* 19. ℣. 12. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum*, perperam interpretati, exsectis virilibus seipsos eunuchos faciebant; ut testantur Epiphanus *hæresi* 58. & August. *hæresi* 37. Adversus hos conditos esse IV. præcedentes Canones credit Beveregius; prætenditque Demetrium Episcopum Alexandrinum factum Originis qui in seipsum facinus illud exegerat, *tamquam absurdissimum proscindere cœpisse*, ut est apud Eusebianum, *lib.* 8. *c.* 8. *Hist. Eccles.* non alia de causa, nisi quod Canoni jam relato repugnaret; ut exinde Canonum horum antiquitatem evincat: nùm verò ejus ratiocinatio sat concludat, penes eruditum lectorem sit examen & judicium.

Episcopus, Presbyter, vel Diaconus fornican deponitur.

Can. XXIV. » Episcopus vel Presbyter vel Diaco- » nus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus de » ponatur & non segregetur. « Dicit enim Scriptura: *Non vindicabis bis in idipsum.* » Similiter reliqui quo- » que Clerici. « Grat. *dist.* 81. *Can.* 12.

Partem postremam Dionysius Canone separato reddidit his verbis: *Similiter & reliqui Clerici huic conditioni subjaceant.*

Ad hunc Can. alludit S. Basilius.

Ad hunc Canonem alluisisse videtur S. Basilius *in prima Epistola cannoica*, *Can.* 3. ubi scribit: » Dia- » conus post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu qui- » dem ejicietur; in Laicorum autem locum extru- » sus, à communione non arcebitur, *quoniam*, ait, *an-* » *tiquus* est *Canon*, ut qui à gradu exciderunt, hoc » solo punitionis modo puniantur: primis, ut æsti- » mo, legem illam secutis, *non vindicabis bis in idip-* » *sum.* «

Nec enim ullus *Canon antiquus* præter hunc Apostolorum id constituisse legitur. Ut proinde vix dubita-

tari possit, quin hunc Canonem Apostolorum præ oculis habuerit Basilius.

Deinde prosequitur: » Et etiam propter aliam causam, quod qui sunt in ordine Laico, à loco fidelium ejecti, rursus in eum, ex quo exciderunt, locum recipiuntur: Diaconus verò, semel habet quod suffiat, depositionis judicium. Tanquam ergo ei non reddendo Diaconatu in ea sola punitione steterunt. Hæc quidem sunt quæ ex *constitutionibus* habentur. «

Diaconus depositus ob fornicationem nunquam restituitur.

Quæ rursus hæ *Constitutiones* ? Nisi relatus Canon Apostolorum ; cùm nullæ aliæ veteres reperiantur.

Interim ex verbis Basilii patet, ex mente Canonum, Diaconos in crimen prolapsos in perpetuum à Sacro Ministerio esse deponendos ; quam disciplinam usque ad seculum X. conservatam fuisse ostendimus in dissertatione *de Canonicis, p.* 2. 62. Ex quo facilè quisque intelliget, quàm visa fuisset Patribus horrenda sententia, quæ Sacerdotem de nocte in hujusmodi impuritatis crimen prolapsum, die sequenti Sacris Altaribus astare permitteret.

Can. XXV. » Ex iis, qui non ductâ uxore ad Clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxorem ducere Lectores & Cantores solos. «

Episcopum non oportet esse percussorem.

Can. XXVI. » Episcopum, vel Presbyterum vel Diaconum, qui verberat eos qui peccant, vel infideles, qui injuriam fecerunt, & per hæc vel perterrefacere, deponi jubemus. Dominus enim nos nequaquam hoc docuit. Contra autem ipse verberatus, non repercussit : maledictis appetitus, maledicta non retulit : patiens, non minatus est. « Grat. *dist.* 45. *Can.* 7.

A Sacerdotio semel depositus, nihil ministerii attingere potest.

Can. XXVII. » Si quis Episcoporum, vel Presbyter, vel Diaconus justè ob manifesta crimina depositus, sibi aliquando creditum ministerium attingere audeat, ab Ecclesia omninò abscindatur. « Consonat Canoni IV. Antiocheno cujus notas consule.

Contra Simoniacos.

Can. XXVIII. » Si quis Episcopus per pecunias hanc dignitatem assecutus, vel Presbyter vel Diaconus, deponatur & ipse, & qui eum ordinavit, & à communione omninò exscindatur, ut Simon Magus à *me* Petro. «

Quid Apostolis Canones supposuit aliquid addidit.

Consule Canonem II. Calchedonensem & ibidem notata. Hoc unum hîc notandum, voculam *me* deesse apud Dionysium ; uti & in Epistola Tarasii ad Adrianum Papa ubi hîc Canon refertur ; ideòque suspicantur Eruditi, eam additam ab eo qui hos Canones Apostolis primùm affigere studuit ; eodem nimirum, qui Libros Constitutionum eisdem supposuit.

Ambitus ad Sacerdotium improbatus.

Can. XXIX. » Si quis Episcopus secularibus Principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur, & omnes qui illi communicant. «

Hinc collige quàm odiosum jam pridem fuerit Patribus per ambitum ad Episcopatum promoveri.

Presbyteri à suo Episcopo non separandi.

Can. XXX. » Si quis Presbyter contempto proprio Episcopo, seorsum congregationem fecit, & ad alterum altare fixerit, Episcopo suo in religione ac justitia nulla in re à se condemnato, deponatur, ut Imperium obtinendi cupidus ; est enim tyrannus. Similiter & reliqui Clerici & quotquot ei accesserunt. Laici autem segregentur, eaque post unam alteramque ac tertiam admonitionem fiant. «

Coincidit cum Canone 5. Antiocheno, quem vide.

Canon. XXXI. » Si quis Presbyter vel Diaconus ab Episcopo sit segregatus, non liceat alii eum suscipere, quàm qui ipsum segregavit : nisi fortè sit mortuus Episcopus, qui ipsum segregavit. «

Sensus Canonis.

Quod dicitur, segregatum Clericum ab Episcopo ab alio suscipi non posse, pluribus aliis Canonibus & signanter Nicæno V. constitutum est ; exceptio verò quæ additur, *nisi fortè* &c. non significat, *segregatum* à suo Episcopo, post ejus mortem à quocunque recipi posse, sed *ab alio*, inquit Zonaras, sic accipitur, hoc est, ab eo, qui vitâ functi dignitatem Pontificalem suscepit. » Alterius enim Diœcesis Episcopo non conceditur absolvere condemnatum ab alio, nisi fortè Synodica fuerit inquisitio, & Episcopus injustè videatur excommunicâsse. «

Commendatitiæ examinandæ.

XXXII. » Nullus externorum Episcoporum vel Presbyterorum, vel Diaconorum sine commendatitiis recipiatur ; iisque afferentibus, examinentur. Sin minùs iis quæ sunt necessaria, aliis exhibitis ad communionem ne admittantur. Multa enim per surreptionem fiunt. «

Hoc Canone docemur, non mox ad Sacra Ministeria & functiones Ecclesiasticas admittendos litteris commendatitiis Episcoporum, aut suorum Superiorum instructos, nec tamen ex avaritia potiùs, quàm zelo religionis & veritatis videantur rejici, meritò monet Canon, *iis quæ sunt necessaria illis exhibitis.*

Sine Metropolitani sententia nihil ardui Episcopis agendum.

XXXIII. » Episcopus uniuscujusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est primus, & existimare ut caput : & nihil facere, quod sit arduum aut magni momenti, præter illius sententiam: illa autem facere unumquemque, quæ ad suam Parochiam pertinent, & pago, qui ei subsunt. Sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. « (In aliis additur : *aliquid in eorum Parochiis.*) » Sic enim erit concordia, & glorificabitur Deus per D. N. Jesum Christum. «

Concilium Antiochenum ad hunc Canonem alludit.

Coincidit hic Canon cum Canone 9. Antiocheno; qui & ad hunc Canonem alludere videtur in verbis: *ut vult, qui ab initio obtinuit* patrum Canon : nec enim alius anterior, qui id constituit, Canon reperitur. Canonem hunc Apostolis tribui non posse, satis ostenditur, quia *Metropolitani*, quem *primum Episcopum* vocat, meminit ; quem tempore Apostolorum necdum notum fuisse satis compertum est.

Exemplum ejus, quod hoc Canone decretum est, illustre occurrit actione IV. Concilii Calchedonensis ; ubi X. Episcopi Diœceseos Ægyptiacæ noluerunt subscribere Epistolæ Sancti Leonis contra Eutychen, quousque in locum Dioscori sui Patriarchæ depositi alius esset suffectus: *Extra voluntatem* inquiebant, *Archiepiscopi nostri, non possumus subscribere.* Et nonnullis interjectis : *Petimus autem vestram sublimitatem & hanc Sanctam & magnam Synodum, ut misereamini nobis, & exspectetis nostrum Archiepiscopum, ut secundum* antiquam consuetudinem, *illius sequamur sententiam.*

In aliena Diœcesi Episcopus nihil faciat.

XXXIV. » Episcopus ne audeat extra suos fines facere ordinationes in urbibus, & pagis non ei subjectis. Sin autem hoc fecisse convictus fuerit præter eorum sententiam, qui tenent pagos illos, vel civitatem, deponatur & ipse, & ii, quos ordinavit. «

Et hic Canon, non secus ac præcedens, positus est, ait Zonaras, ad unionis, omnisque boni conservationem. Coincidit cum Canonibus 13. & 22. *Antiochenis.*

Officium sibi commissum quisque suscipere debet.

Can. XXXV. » Si quis ordinatus Episcopus non suscipiat ministerium, & curam sibi commissam, sit segregatus, donec eam susceperit ; similiter & Presbyter, vel Diaconus. Sin autem recesserit, nec susceptus fuerit, non sua quidem voluntate, sed propter populi improbationem, ipse quidem maneat Episcopus. Clerus autem civitatis segregetur, quod ejusmodi rebellis, & insolentis populi institutores non fuerint. «

Consonat Canonibus 17. & 18. *Antiochenis* exceptâ clausulâ finali, quæ ostendit, ut notat Balsamon, quomodo Clerus puniatur propter populi insolentiam. » Et ejus occasione observatum cupit Zonaras, Canonem velle esse Clericos non solùm doctos ; verùm etiam aptos natos ad docendum, qui possint alios docere, & modestos reddere. «

Bis in anno Synodi Provinciales celebrandæ.

Can. XXXVI. » Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, & inter se examinent decreta religionis, & incidentes Ecclesiasticas controversias componant, semel quidem quartâ hebdomadâ Pentecostes, iterum autem Hyperberetæi duodecimo. «

Pentecoste quid significet.

Quarta hebdomada Pentecostes, est quarta hebdomada post Pascha. Intervallum enim à Dominica Resurrectionis ad festum Pentecostes, Græcis & Latinis Scriptoribus passim etiam *Pentecoste* dicitur.

Quid Hyperberetæus.

Hyperberetæus verò coincidit cum mense *Octobris* ; uti non solùm Balsamon & Zonaras, sed etiam Dionysius Exiguus interpretatur.

Quod autem de bina Synodorum celebratione statuitur, idem Canone 5. Nicæno, 21. Antiocheno, plurimisque aliis sæpius statutum fuit ; proh dolor! nec ea toties iterata Canonum decreta efficere potuerunt, quin hodie verissimum sit, quod ad hunc Canonem notavit suo tempore Zonaras : » Nunc autem harum Synodorum magnus ubique contemptus. «

Quomodo rebus Eccle-

Can. XXXVII. » Omnium rerum ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas administret tanquam

clesiæ utendum.

» quam Deo intuente. Ne liceat autem aliquid ex eis » sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt, » largiri. Sin autem sunt pauperes, ut pauperibus sup- » peditet: sed non eorum prætextu vendat, quæ Ec- » clesiæ sunt. «

Presbyteri sine sententia Episcopi nihil agant. Bona Ecclesiæ & Episcopi distinguenda.

Can. XXXVIII. » Presbyteri & Diaconi sinè sen- » tentia Episcopi nihil perficiant: ipse enim est, cujus » fidei populus est creditus, & à quo pro animabus » ratio exigetur. «

Can. XXXIX. » Manifestæ sint Episcopi res pro- » priæ, si quidem res habeat proprias, & manifestæ » res Dominicæ; ut sit in potestate morientis Epis- » copi, propria, quibus vult relinquere, & non rerum » Ecclesiasticarum prætextu res Episcopi intercidant; » qui nonnunquam uxorem habet, & liberos, vel » cognatos vel famulos. Est enim justum apud Deum » & homines, ut nec Ecclesia damnum aliquod ac- » cipiat propter rerum Episcopi ignorationem: Nec » Episcopus vel ejus cognati Ecclesiæ prætextu pros- » cribantur, vel in negotia, litesque incidant, qui » ad eum attinent, & ejus mortem maledictis, infaus- » tisque verbis prosequantur. «

Convenit cum Canone XXV. Antiocheno; & refertur à Gratiano 12. *q.* 1. *Can.* 21.

Episcopo rerum Ecclesiæ cura committenda.

Can. XL. » Jubemus Episcopum rerum Ecclesiæ » potestatem habere. Si enim pretiosæ hominum ani- » mæ sunt ei credendæ, multò magis sunt ei com- » mittendæ pecuniæ, ut in ejus sit facultate, omnia » administrare, & iis, qui egent per Presbyteros, & » Diaconos subministrare cum Dei timore & omni » religione, & etiam, si sit opus, « (apud Dionysium *si tamen indigent*) » in necessarium suum usum » accipere, & fratrum, qui hospitio excipiuntur; ita » ut ipse nullo modo egeat. Lex enim Dei hoc habet » ut qui Altari assident, ex Altari alantur: quando- » quidem nec miles unquam suo viatico adversus hos- » tes progreditur. «

Hîc rursus Can. Antiocheno XXV. consonat eumque in duos divisum refert Gratian. 12. *q.* 11. *Can.* 22. & 24.

Hi Canones perfectam de reditibus Ecclesiasticis Ecclesiæ ideam, & normam administrationis primorum seculorum representant.

Oeconomia circa administrationem rerum Ecclesiæ ex his Canonibus deducta.

Et primò quidem res Ecclesiæ, ut *res Dei* reputatas fuisse. II. Episcopum curam & administrationem earum habuisse. *Si enim*, ait Canon 40. *Pretiosæ hominum animæ sint ei credendæ, multò magis ei sunt committendæ pecuniæ.* III. Episcopum eas tanquam *res Dei* administrare debere, & *tanquam Deo intuente*, sive *cum Dei timore & omni religione.* IV. Res Ecclesiæ iis, qui egent subministrandas. V. Distributionem in pauperes exercendam per Presbyteros, & Diaconos; » ut immunem se servet Episcopus, ait » Zonaras, ab omni suspicione. « VI. Episcopum nihil posse dare propriis cognatis ex iis rebus Ecclesiæ; sed si pauperes sint, ut *pauperibus* suppeditet. Quod & sub nomine Canonum Apostolorum Synodus Tridentina, *Sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.* rursus innovavit, & Episcopis inculcavit. VII. Ex his rebus supeditanda esse, quæ Ministris Altaris necessaria videbuntur. VIII. Episcopum quoque in necessarios suos usus posse accipere; cum hac tamen moderatione, *si sit opus*, vel *si tamen indiget*: Quæ clausula seu modificatio ex ipsa rerum conditione ducta satis apparet.

Ex natura rerum Ecclesia deducit Clericos patrimonio divites non posse ex iis vivere. Idem sentit Adrianus VI.

Et sanè, si res tanquam *res Dei*, in pauperes sunt distribuendæ, quâ specie Episcopi aliunde divites, res pauperum usibus deputatas sibi applicari audeant? Unde Adrianus VI. *in quartum sententiarum de Sacram. Pœnitentiæ*, ex natura bonorum Ecclesiasticorum deducere non dubitat, Clericum ex patrimonio divitem haud posse ex reditibus Ecclesiasticis, reservato patrimonio vivere, probans sententiam Alexandri de Hales, quam refert verbis sequentibus: » Clericus habens stipendium sufficiens, vel » reditum unde possit aliter quàm decimis sustentari » sufficienter & secundum statutum personæ, potest re- » cipere decimas ut procurator, in necesitates paupe- » rum vel utilitates Ecclesiæ expendendas, non autem » in usus proprios convertendas, vel in usus malos dis- » trahendas. Imò si in usus proprios convertant, commit- » tunt Sacrilegium: si in malos ussus expendant, incur- » runt judicium. De illis enim intelligitur, quod scribit » Augustinus ad Bonifacium: Si privatim, quæ nobis suf- » ficiant possidemus, non illa nostra sunt, sed paupe- » rum, quorum procurationem quodammodo gerimus, » non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendi- » camus. « *Hæc ille*, ait Adrianus: qui & hanc Alexandri opinionem non solùm amplectitur, sed multis argumentis confirmat, & rationes in contrarium refellit.

Reflexio ad auctorem appendicis VViggerianæ.

Hos si consuluisset Eximius auctor appendicis Wiggerianæ, de contraria sententia non tam fidenter pronutiasset: » Post Doctorem Angelicum Scolastici passim non tam tradiderunt hanc sententiam, quam ut » certam, & extra controversiam positam supposue- » runt.... Solus interea contradixisse videtur Dio- » nysius Carthusianus, ab alterius sententiæ Defen- » soribus citari solitus. «

Adhæc si dictus appendicis Auctor seriò & attentè hos Apostolicos Canones expendisset, videre potuisset, quàm inepta esset argumenti pro sententia Adriani ex Canone Apostolico petiti solutio: nimirum, clausulam Canonis, *si tamen indiget*, » non respicere » Episcopos, qui aliunde haberent, unde viverent, » cûm passim tempore Apostolorum illi sua deseruis- » sent; sed dici propter illos, qui fortè ultra indigen- » tiam ex bonis Ecclesiæ sumerent, quos Canon ille » monet non ultra sumere, quàm ad sustentationem » verè opus haberent. « Quidquid sit de tempor Apostolorum, evidens est ex Canone XXXIX. tempore horum Canonum, Episcopos etiam *propria* retinuisse; quandoquidem adeò solicite Canon ille moneat, & præcipiat, res Episcopi *proprias* à rebus Ecclesiæ debere secerni; modumque, quo de utriusque Episcopus disponere debeat, præscribat.

Deinde si Canon solùm vetuisset, ne Episcopus ultra indigentiam summeret ex bonis Ecclesiæ, non dixisset, *si tamen indiget*; sed *uti*, vel *in quantum indiget*.

De Clericis aleis & ebrietatibus vacantibus.

Can. XLI. » Episcopus vel Presbyter, vel Dia- » conus aleis, & ebrietatibus vacans, vel cesset, vel de- » ponatur. «

Can. XLII. » Hypodiaconus, vel Lector, vel Can- » tor similia faciens, vel cesset vel segregetur. Iti- » dem & Laicus. «

Utrumque in unum conflatum refert Gratianus *Dist.* 35. *Can.* 1.

Fornicatio est multo gravius peccatum, quam ebrietas.

Hos Canones, si quis contulerit cum Canone XXIV. apparebit quàm grave fuerit crimen fornicationis, præ peccato ebrietatis ex mente Patrum. Hi enim Canones Episcopum, aut Presbyterum non solùm in unam ebrietatem prolapsum, sed *ebrietatibus vacantem*, vel ut Dyonisius legit, *inservientem*, non absolutè censent deponendum; sed inquit Canon, *Cesset vel deponatur*; at Canon de Episcopo, Presbytero, & Diacono *fornicationis* convicto absolute & simpliciter pronuntiat, *deponatur*.

Hæc utinam seriò expendat, qui nuper non sine multorum scandalo hoc novum & nunquam auditum dogma in publicum protrusit: *Ebrietas per se atque ut communiter fit, est gravior fornicatione.*

Usuræ interdictæ.

Can. XLIII. » Episcopus, vel Presbyter, vel » Diaconus pecunias mutuo datas cum fœnore exigens: » (Dionysius *usuras à debitoribus exigens*) vel cesset, » vel deponatur. « Grat. *Dist.* 47. *Can.* 1. ex versione » Dionysii. «

Communicare cum hæreticis vetitum est.

Can. XLIV. » Episcopus, vel Presbyter, vel Dia- » conus, qui cum hæreticis vel solùm comprecatus est, » segregetur. « (Dionysius, *Tantum modo communione privetur.*) » Sin autem eis tanquam Clericis aliquid » agere permiserit, deponatur. «

Observat Balsamon in priore parte Canonis, *Comprecari* non accipi pro *orare in Templo* unà cum hæreticis; sed pro eo, quod est, *simpliciter communicare*: Qui enim cum Hæreticis in Templo » orat, » aut iis tanquam Clericis aliquid operari permittit, » deponitur. «

Baptizati ab Hereticis rebaptizandi.

Can. XLV. Episcopum vel Presbyterum qui „ hæ- » reticorum baptismum vel sacrificium admiserit, de- » poni jubemus: « *quæ est enim conventio Christi cum Belial? Vel quæ pars est fideli cum infideli?*

Can. XLVI. » Episcopus vel Presbyter eum, qui » verè habet baptismum, si de integro baptizaverit; » vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptiza- » verit, deponatur; ut qui irrideat mortem & crucem » Domini, & non discernat Sacerdotes à falsis Sacer- » dotibus. «

Canones Apostolis nequaquam adscribendi. Vetustas ho-

Hi Canones, si Apostolos auctores habuissent, quis dubitet, quin Cyprianus aliique Africani Episcopi illos in quæstione de iterando hæreticorum baptismo produxissent, ipsamque quæstionem decidissent.

Porrò dum hæc evincunt, Canones hos Apostolis tri-

tribui non posse, unà ostendunt, admodum esse verisimile, Canones illos esse temporis, quo nondum ea de iterando hæreticorum baptismo quæstio decisa erat, & quando plures eam iterationem necessariam magno animi vigore sustinebant.

horum Can. ostruitur.

Et sanè, Canones de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis ante tempora Cypriani editos fuisse, testatur Cyprianus in Epistola ad Jubajanum 7. Apud » nos autem non nova, aut repentina res est, inquit, » ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad » Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint, » & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ me- » moriæ convenientes in unum Episcopi plurimi *hoc* » *statuerunt*, atque exinde in hodiernum tot mil- » lia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam » conversi, non aspernati sint neque cunctati, imò » & rationabiliter, & libenter amplexi sint, ut la- » vacri vitalis & salutaris baptismi gratiam conseque- » rentur. «

Quin & constat ex Epistola Dionysii Alexandrini apud Eusebium *Lib. 7. Hist. Eccles. cap. 7. in Ecclesiis populosissimis & in Conciliis Fratrum apud Iconium & Synoda, & apud alios plurimos idem decretum fuisse.*

Quid mirum ergo, si Canones hac de re editi primùm dicti sint *Apostolici*, ac dein ab aliquo Apostolis suppositi; præsertim cùm Orientales, ac maximè Cappadoces morem suum in rebaptizandis hæreticis longo tempore constantissimè retinuerint, ut patet ex S. Basilii ad Aphilochium *Epistola* 1. *Can.* 2.

De vera forma baptismi. Ritus trina immersionis in baptismo.

Can. XLVII. » Si quis Laicus suâ ejectâ uxore » aliam acceperit, ab alio solutam, segregetur. «

Can. XLVIII. » Si quis Episcopus vel Presbyter » ex Domini ordinatione non baptizaverit in nomine » Patris & Filii & Spiritûs Sancti, sed in trium prin- » cipii expertium, vel trium Filiorum, trium Para- » cletorum, deponatur. «

Can. XLIX. » Si quis Episcopus vel Presbyter, » non tria unius ministerii Baptismata perfecerit, sed » unum baptismum, qui datur in mortem Domini, » deponatur. Non enim dixit Dominus: in mortem » meam baptizate: sed *ambulantes docete omnes gen-* » *tes, baptizantes ipsos in nomine Patris, & Filii &* » *Spiritus Sancti.* «

Per *tria baptismata*, & *unum baptismum*, significari *unam* vel *trinam mersionem* Balsamon, aliique Græci notârunt; & disertè expressit Dionysius, qui ita vertit: *Si quis Episcopus aut Presbyter, non* trinam mersionem *unius Mysterii celebret, sed* semel mergat *in baptismate &c.*

Canoni aliquid additum ut Apostolorum tradere- tur.

Apud Dionysium, quoque legitur: *Non enim* nobis *Dominus*, uti etiam ex hac Dionysii versione refert Gratianus *Dist. 4. de Consecrat. Can. 79.* at eam voculam *nobis* additam ab eo, qui Apostolis hos Canones supponere studuit, suspicantur Eruditi.

Ritus baptizandi per trinam immersionem antiquissimus.

Cæterum ritus trinæ mersionis, cujus meminit hic Canon, apud veteres primis seculis, ad signandum Mysterium SS. Trinitatis, in usu fuisse evidens est ex eorum scriptis; quin & eum ritum ex traditione Apostolica descendere pro indubitato asseruit S. Basilius *lib. de Spiritu S. cap. 27.* & plura SS. Patrum testimonia refert Gratianus *dist. 4. de Consecrat. Can. 78.* & sequentibus: eam tamen ad Sacramenti integritatem non requiri ostendit responsum S. Gregorii ad Leandrum *lib. 1. epist. 41.* & relatum à Gratiano dicto loco *Can. 80.* & unicam mersionem probavit Concilium Toletanum IV. *Can. V.* ibidem apud Gratianum *Can. 85.* contra Arrianos, qui ex hoc ritu trinam in Personis Divinis arguebant naturam: econtra Canon noster trinam vult adhiberi, ut ostenderet non in nomine Christi, sed SS. Trinitatis juxta formam à Christo traditam baptismum esse conferendum. Ut vel hinc pateat, Ecclesiam ritus suos interdum mutare, uti nascentibus erroribus reprimendis magis convenire judicat.

Cùm hic Canon in codice Dionysiano sub numero 50. referatur, ultimusque sit inter 50. à Latinis maximè probatos & receptos, licèt in versione Herveti tantùm sit 49. novum paragraphum, quo reliqui referantur, inchoandum judicavimus.

§. V.

De posterioribus XXXV. Canonibus Apostolorum.

Nihil in cibis propter se abominandum.

CAn. in versione Herveti 50. » Si quis Episcopus » vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex » Sacerdotali numero à nuptiis, carnibus, & vino non » propter exercitationem, sed propter abominationem » abstinet, oblitus, quòd omnia valde bona, & quod » Masculinum & Fœmeninum fecit Deus hominem, sed » blasphemans calumniatur opificium; vel corrigatur, » vel deponatur, & ex Ecclesia ejiciatur. Similiter & » Laicus. «

» A nuptiis, & esu carnium, vinique potu prop- » ter abstinentiam temperare, probandum est, ait Zo- » naras; sed hæc abhorrere velut animæ perniciosa, ac » rejicere non caret crimine. « Repete dicta ad *Can. II.* Gangrensem.

Qui convertitur à peccatis non rejiciendus.

Can. LI. » Si quis Episcopus, Presbyter, vel Dia- » conus eum, qui à peccatis convertitur, non rece- » pit, sed ejicit, deponatur. Quoniam Christum mo- » lestiâ afficit, qui dixit: *Gaudium est in Cœlo propter* » *unum peccatorem pœnitentiam agentem.* «

Hunc Canonem contra Novatianos, qui lapsos ad Pœnitentiam non esse recipiendos dicebant, editum esse rectè notat Binius; eumque ab Origine *Lib. 3. contra Celsum*, fuisse citatum monet; quod ejus arguit antiquitatem.

Diebus Festis non jejunandum.

Canon. LII. » Si quis Episcopus, Presbyter, vel » Diaconus in festis diebus carnem & vinum non su- » mit, abhorrens, & non propter exercitationem, de- » ponatur, ut qui habeat injustam conscientiam pro- » priam, & sit multis offensionis causa. «

Repete, quæ ad *Canonem II.* Gangrensem notata sunt; vide etiam Augustinum *Epist. ad Casulanum*, ibidem ostendentem ob Manichæorum errorem hoc esse statutum.

Popina Clericis vitanda.

Can. LIII. » Si quis Clericus in caupona come- » dens deprehensus fuerit, segregetur, præterquam » si in publico diversorio in via propter necessitatem » diverterit. «

Quid circa præscriptum præsentis Canonis habeant Concilia, & Decreta Belgica, vide in *Dissertatione de Canonicis, p. 2. cap. 4. §. 6.*

Can. LIV. » Si quis Clericus Episcopum contu- » meliâ affecerit, deponatur. *Principi enim populi tui* » *non maledices.* «

Can. LV. Si » quis Clericus Presbyterum vel Dia- » conum injuriâ affecerit, segregetur. «

Can. LVI. » Si quis Clericus claudum vel surdum » vel eum, cui vitiosus est incessus, irriserit, separe- » tur. Similiter & Laicus. «

» Membris aliquibus mutilatos misereri convenit, » inquit Zonaras, illosque, quantum fieri potest, in- » firmos suscipere, manuque regere, non autem il- » ludere. «

Notantur qui homines fatuos ad recreationem ad hibent.

Huc ex mente Patrum referri possunt, qui homines mente captos in recreationem suam tenent: de quibus S. Augustinus *Lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 35.* » Ipsos quoque fatuos videmus, quos » vulgò *Moriones* vocant, ad cordatorum delicias ad- » hiberi: & in mancipiorum æstimatione pretiosiores » esse cordatis; tantum valet *carnalis* affectus etiam » minimè fatuorum in delectatione alieni mali. «

Pastores curam populi gerere debent.

Can. LVII. » Episcopus vel Presbyter, qui Cle- » ri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non » docet, segregetur: & si in socordia perseveret, de- » ponatur. «

Ostendit hic Canon, Patribus ignotam fuisse persuasionem multorum Pastorum existimantium, satis esse, si curam populi & Cleri aliis committant, ipsis interim in otio torpentibus, & de Ecclesiæ redditibus commodè & splendidè viventibus.

» Episcopalis dignitas, ait Balsamon, in docendo » consistit: & omnis Episcopus debet docere populum » pia dogmata, & statutum Orthodoxorum. Specula- » tor enim ideo constituitur, ut quæ sunt sui populi, » attendat: & ideo *Episcopus* est appellatus. Vide la- » tiùs infrà ad *Can. XIX. Trullanum.*

Episcopus Clericis egentibus succurrere debet.

Canon LVIII. » Si quis Episcopus, vel Presby- » ter, cùm sit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ sunt » necessaria, ei non suppeditat, segregetur: sin au- » tem perseveret, deponatur, ut qui fratrem suum in- » terfecerit. «

Notandum primis Ecclesiæ seculis Clericos passim victitâsse ex distributionibus quotidianis, aut menstruis; quas *sportulas*, & Clericos eas accipientes, Fratres *Sportulantes* vocabant; de quibus S. Cyprianus Epist. 66. His ergo ab Episcopis & Presbyteris provideri præcipitur.

Can. LIX. » Si quis falsò inscriptos impiorum libros, tamquam Sanctos, in Ecclesia publicat ad populi & Cleri perniciem, deponatur. «

Libri apochryphi publicè non legendi.

» Ab impiis hominibus, ait Zonaras, suppositi libri multi fuerunt in perniciem simpliciorum... Ab illis quoque sunt omninò quædam composita, falsas inscriptiones habentia, perinde ac si forent à Sanctis Patribus conscripta; sunt & quædam nuncupata apochrypha. Canon censet igitur hæc esse rejicienda, nec ad lectionem proponenda. «

Si conformiter ad hunc aliosque Canones, Patribus aliisque falsò supposita hodie rejicerentur, nec ad lectionem saltem publicam & Ecclesiasticam proponerentur, nôrunt Eruditi quàm multa meritò hodie è Breviariis essent eradenda.

De fornicatione convictus ad Clerum non promovendus.

Can. LX. » Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, ut fornicationis vel adulterii: vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum non provehatur. «

Hîc notat Zonaras, » Quòd in adulterio, vel scortatione vel aliâ qualibet absurditate deprehensus non solùm à Sacerdotio prohibetur, sed nec in ullum quidem Cleri gradum promovetur. Idipsum & reliqui Commentatores Græci observant. «

Hujus Canonis, disciplinæque in eo contentæ meminit Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus in *Epistola ad Joannem Presbyterum & Hegumenum, recitatâ* actione VIII. Synodi Nicænæ II. » In scortatione, aut adulterio, si quisquam post baptismum fuerit deprehensus, *divini Canones* illum ad Sacerdotium non admittunt. « Quin & idipsum à S. Cornelio Papâ decretum fuisse testatur S. Cyprianus; imò & in hoc ipsi consensisse omnes omnino Episcopos in toto mundo Constitutos, Epistolâ 68. Plura vide in *Dissertatione de Canonicis, p. 2. cap. 2. §. 1.*

Qui erubescis verbo vel facto se Clericum esse à Clero removendus.

Can. LXI. » Si quis Clericus propter metum hominum vel Judæi vel Græci, vel Hæretici, negaverit, si quidem nomen Christi, ejiciatur: si autem nomen Clerici, deponatur. Pœnitentiam autem agens ut laicus recipiatur. «

Notat ex hoc, ait Balsamon, » Quòd qui tonsuræ characterem acceperunt, & deinde in lectorum ordine constituti sunt, si sacras vestes projecerint, & ad instar Laicorum conversati fuerint, non possunt quidquam tanquam Lectores agere, si rursus ad Clerici habitum rediderint, vel etiam Monachi facti fuerint; sed ut Laici vitam agent. Si enim qui propter metum Clericatum suum negavit, deponitur, & tanquam Laicus solùm post pœnitentiam admittitur; multò magis, qui talem suâ sponte abnegationem admisit, & sanctum amictum illusit, dignus priori Clericatu non censebitur. «

Quâ ratione juxta hodiernam disciplinam Clericus per vestium Clericalium abjectionem privilegiis Clericalibus exuatur, & pœnis Canonicis subjiciatur, latiùs prosequor in *jure Ecclesiastico Belgis acommodato, tit. 2. cap. 2.* quod, Deo favente, prope diem lucem videbit.

De prohibito esu suffocatorum.

Can. LXII. » Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex Sacerdotali catalogo, comederit carnes in sanguine animæ ipsorum, vel quid à feris captum, vel morticinum, deponatur. Hoc enim lex prohibuit: si autem sit Laicus, segregetur. «

Pro sensu Canonis repetenda, quæ ad Canonem II. Gangrensem notata sunt de diuturna, non tantùm apud Orientales, sed etiam Latinos observatione legis prohibentis esum *suffocatorum.*

Can. LXIII. » Si quis Clericus, vel Laicus in Judæorum vel Hæreticorum Synagogam ingressus sit ad orandum, deponatur & segregetur. «

Pœna Canone præscripta ita dividi debet, uti notant Græci, ut *depositio* Clericum spectet, *segregatio* Laicum: *quod nec possit deponi Laicus*, inquit Balsamon.

Canon Apostolis non potest tribui.

Cæterum de vetita communione Christiani cum Judæo, vide *Canonem XI. Trullanum.*

Interim evidens est, hunc Canonem ad tempora Apostolorum non posse referri, cùm eo tempore prohibitum fuisse Christianis ingredi Judæorum Synagogam, ab omni specie veri abhorreat.

Can. LXIV. » Si quis Clericus in pugna pulsatum aliquem uno ictu occiderit, deponatur propter suam proclivitatem, & temeritatem. «

» Cum Dominus omnibus imperet, ut etiam obvertant sinistram verberanti maxillam dextram, inquit Zonaras, & non obsistant: Clericus, qui quemplam percusserit in pugna, si percussus interierit, etiamsi uno ictu, tanquam temerarius ordine movetur. Laicus autem hoc faciens, excommunicatur. Pugnam verò esse rixosam contentionem, nihil amplius putes oportet. «

Non jejunandum in Sabbatho. Vindicatur Can. à falsitate.

Can. LXV. » Si quis Clericus inventus fuerit in Dominico jejunare, vel Sabbatho, præterquam uno solo, deponatur; sin autem Laicus, segregetur. «

Hic Canon occasionem dedit quibusdam è Latinis rejiciendi non tantùm hunc, sed & omnes XXXV. posteriores Canones tanquam supposititios, & apochryphos; eo quod jejunium Sabbathi interdiceret, directè contra Ecclesiæ Romanæ consuetudinem. Verùm immeritò; nam cùm sciatur, jejunium Sabbathi esse è rebus istis, de quibus ait S. Augustinus: » In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt: « ac insuper certum sit, eodem Augustino testante, tam Orientis, quàm Occidentis populos Christianos, exceptis Romanis & paucis adjacentibus, Sabbatho non jejunâsse, quidni hic canon edi potuit, ab illarum Ecclesiarum Episcopis, ubi non jejunandi die Sabbathi mos obtinebat, contra illos, qui institutis Majorum jam pro lege receptis, tanquam malis quadam temeritate se opponebant. Nam, ut notat Balsamon, hoc Canone nequaquam condemnantur *Divini Patres, qui propter* exercitionem *nonnunquam jejunant etiam his diebus.*

Qui aliquam vi illatâ desponsavit cum ea manere debet.

Can. LXVI. » Si quis virginem non sponsatam vi illatâ habet, segregetur: ei autem aliam accipere non liceat, sed illam retinere quam elegit, etiamsi pauper sit. «

Ordinatio non iteranda, nisi facta ab hæreticis.

Can. LXVII. » Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus secundam ordinationem ab alio susceperit; deponatur & ipse, & qui ordinavit, nisi utique constiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati & ordinati sunt, ut fideles & Clerici sint, fieri non potest. «

Canon nihil habet quod ejus arguit suppositionem.

Reiteratio baptismi ab hæreticis collati arguit quidem Canonem Apostolis tribui non posse, sed eum fictitium sive supposititium esse nequaquam probat; uti notatum est ad Canonem XXXXVII. multò minus reordinatio ejus qui ab hæreticis ordinatus fuit, suppositionem sive falsitatem canonis infert; quandoquidem expeditum sit, multis seculis ordines quocunque modo ab hæreticis collatos, habitos fuisse non tantùm ab Orientali, sed & Occidentali Ecclesia pro invalidis; quin & usque ad seculum 11. aut 12. de earum validitate etiam apud Latinos dubitatum fuisse, ex Petro Damiani aliisque ostendit Morinus de SS. Ordinat. *p. 3. Exercitat.* 5. Hinc illud Gratiani 1. *q.* 1. post *Canonem* 45. Patet ergo illud Augustini (Sacramenta videlicet Christi per hæreticos ministrata suo non carere efectu) non de omnibus intelligi generaliter, sed de Sacramento Baptismi. «

Quidni igitur hic Canon sit illius temporis, quo communi quasi omnium Ecclesiarum consensu, ut citato loco ostendit Morinus, Ordines ab hæreticis collati habeantur pro invalidis?

Jejunium legitimum non solvendum.

Can. LXVIII. » Si quis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, Sanctam Paschæ quadragesimam, non jejunat, vel quartum diem, vel Parasceven, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur; si autem sit Laicus, segregetur. «

Antiquissimum esse jejunium quadragesimale ante Paschæ festivitatem, atque in illud omnes Ecclesias convenisse infinita propemodum Patrum testimonia evincunt; licet de numero dierum, quibus peragendum erat hoc Antepaschale jejunium non eadem omnium Ecclesiarum esset disciplina, uti videre est apud Socratem *Lib. 5. Hist. cap. 22.* omnes nihilominus, ut notat Socrates, hoc tempus, *quadragessimam* appellabant.

Jejunium quoque feriæ IV. & VI. per annum æquè penè ac quadragesimale antiquum est. Et quidem Gratianus ex dictis Apollonii refert, *Dist. 3. de Consecrat. Can. 16.* » Jejunia sanè legitima, id est, quartâ & sexta feriâ non sunt solvenda, nisi grandis aliqua ne-

» necessitas fuerit ; quia feriâ quartâ Judas de tradi-
» tione Domini cogitavit, & feriâ sextâ crucifixus est
» Salvator. «

Et quidem Balsamon & Zonaras, aliique Græci hæc jejunia jejunio quadragesimali æquiparata asserunt, » nam & in eis similiter ac in quadragesima aridis ves-
» ci jussi sumus. « ait Balsamon. Verùm circa tempus protrahendi jejunium, hæc erat differentia : quod quadragesimale ad vesperam protraheretur ; hæc verò ad nonam, id est, tertiam nostram pomeridianam solverentur, ideoque dicebantur *jejunia dimidiata*. Adhæc Patres non agnovisse aliam legitimam causam solvendi jejunium, nisi infirmitatem sive imbecilitatem corporalem, sat præsens Canon innuit : & quidem si Balsamoni credimus, infirmis solùm per pisces jejunium solvendi venia dabatur ; per *carnem* autem non solvet, ait, quis, quemcunque quartum diem, & Parascevem (sive feriam sextam) *etiamsi extremum spiritum agat*.

Rigor Græcorum in relaxatione jejunii.

Hunc Græcorum rigorem non esse in obligatione, imò nec communiter imitandum mecum faciliè quisquis judicabit ; neque Ecclesiam saltem Latinam eum unquam filiis imposuisse legitur.

Ut minùs hic rigor ostendit, majore moderatione, quàm hodiè fit, dispensationes seu relaxationes jejuniorum ex mente Ecclesiæ esse concedendas.

Communicare cum Judæis vetitum.

Can. LXIX. » Si quis Episcopus vel Presbyter, vel
» Diaconus vel omninò ex Clericorum catalogo, je-
» junat cum Judæis, vel cum ipsis festos dies agit,
» vel ab ipsis venia accipit, ut v. g. azyma, vel
» quid tale, deponatur. Si verò sit Laicus, segre-
» getur. «

Occasio Canonis.

De Judæis festivitatem solemnem, quæ dicebatur *Phurim*, de qua in libro Esther *cap.* 9. celebrantibus, dicitur ibidem, quod sibi *mutuo mitterent partes epularum & ciborum* : Et sic in aliis quoque festivitatibus Christianos autem inter Judæos conversantes, hujusmodi portiones nonnumquam suscepisse verisimile est ; quod hoc Canone prohibetur, ne per hoc videantur Christiani cum Judæis jejunia vel festa peragere. Eodem pertinet Canon sequens.

Can. LXX. » Si quis Christianus oleum defe-
» rat in templum gentium, vel in Synagogam Ju-
» dæorum in eorum festis, vel lucernam accendat,
» segregetur. «

Can. LXXI. » Si quis Clericus vel Laicus à
» Sancta Ecclesia ceram vel oleum auferat segre-
» getur. «

Sensus Canonum.

» Auferre autem, inquit Balsamon, ne de furto
» intelligas (qui enim oleum, aut ceram ecclesias-
» ticam hoc consilio furatur, ut Sacrilegus punitur),
» sed hîc punire dicas eum, qui quovis modo infe-
» rat, & quod Deo dicatum est, commune faciat
» sive imperii dominium in templo habeat, sive ejus
» sit minister. «

Nihil Deo consecratum profanis usibus applicandum.

Can. LXXII. » Vas aureum vel argenteum, vel
» velum Sanctificatum nemo ampliùs in suum usum
» convertat. Hoc enim fit præter jus & contra leges. Si
» quis autem deprehensus fuerit, mulctetur. «

» Ea, quæ Deo consecrata sunt, ait Zonaras, usu
» communi pollui non oportet. Sunt enim sanctificata...
» In Dei nempe templo facta hujusmodi rerum obla-
» tio sanctificat eas. «

Pauperum usibus impendi potest.

Hæc tamen sanctificatio non obstitit, quo minus SS. Patres vasa templi in usum pauperum distrahi, & impendi posse, verbo & facto docuerint, scientes vel tunc maximè Domino consecrari, dum membris ejus ex charitate impenduntur.

Quomodo procedendum contra Episcopum accusatum.

Can. LXXIII. » Episcopum à viris fide dignis
» ob aliquid accusatum ipsum ab Episcopis vocari
» necesse est : & si se quidem stiterit, & confessus
» vel convictus sit, statuatur pœna. Si autem voca-
» tus non paruerit, secundò etiam vocetur, missis ad
» ipsum Episcopis duobus. Si autem sic non obedie-
» rit, vocetur & tertiò, duobus ad eum rursus missis
» Episcopis. Si autem vel sic aspernans vel contumax
» se non stiterit, Synodus ea, quæ videntur adversus
» eum pronuntiet, ne lucrifacere videatur, dum judi-
» cium subterfugerit. «

In Synodo Constantinopolitana anni 394. hic Canon citatur.

Cùm in Synodo Provinciali Constantinopolitana anno 394. examinaretur causa Agapii & Bagadii contendentium de Episcopatu Bostrenorum. Bagadius enim depositus fuerat, & Agapius in ejus locum electus ; cumque compertum esset, Bagadium à duobus solùm Episcopis depositum fuisse, ne quid simile imposterum contingeret, à Nectario consentientibus reliquis Episcopis decretum est, *non licere imposterum, nec à tribus quidem, nedum à duobus, eum qui reus examinatur, deponi, sed majoris Synodi & Episcoporum Provinciæ sententiâ*, sicut *Apostolici definire canones*. Quibus verbis hunc Canonem indigitari, non obscurum est ; utpotè quo solo ex Apostolicis constituitur, Episcopi accusati causam à Synodo Provinciali dijudicandam esse.

Causa Majores olim in Synodis decisæ.

Insuper ex hoc Canone, & citato Synodali Decreto rursus patet, causas etiam majores, qualis indubiè est Episcoporum depositio, olim in Synodis Provincialibus fuisse discussas, & decisas.

Quis testis contra Episcopum non admittatur.

Can. LXXIV. » In testimonium adversus Epis-
» copum hæreticus ne admittatur ; sed nec unus so-
» lus fidelis. In ore enim duorum vel trium testium
» stabit omne verbum. « Vide *Canonem V. Constantinopolitanum*.

Episcopatus non conferendus ex affectu carnali.

Can. LXXV. » Quod non oportet Episcopum
» fratri, vel filio, vel alii cognato gratificantem, hu-
» mana affectione ad Episcopatus dignitatem, quem
» vult, eligere. Episcopatûs enim hæredes facere jus-
» tum non est, eas, quæ Dei sunt, largientem. «
(apud Græcos additur : *non enim licet Ecclesiam Dei in hæredes conferre*) » Si quis autem hoc fecerit,
» irrita quidem maneat electio, ipse autem segrega-
» tione mulctetur. «

» Pontificiam potentiam, Sancti Spiritûs gratiæ do-
» num convenit existimari, ait Zonaras. Gratiam Spiri-
» tûs igitur velut hæreditatem quomodo quis in al-
» teram transfert, ipsi gratificans?

Ratio eadem militat in aliis quoque Ecclesiæ ministeriis.

Hæc ratio non tantùm in Episcopatu, sed in omni Ecclesiæ ministerio obtinet ; & non dubium, quin & ratio Canonis ad omne Ecclesiæ ministerium pertineat ; in cujus distributione omnis carnalis affectus, tot ineptorum Ministrorum in Ecclesiam intrusionis origo, non secùs ac in Episcoporum electione, exultare debet.

Vitium corporis à Sacerdotio non excludit; ni functiones impediat.

Can. LXXVI. » Si quis vel oculo orbatus, vel fe-
» more oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non
» enim corporis damnum eum polluit, sed animæ in-
» quinatio. «

Can. LXXVII. » Qui autem est surdus, & cæ-
» cus, ne sit Episcopus : non ut pollutus, sed ne
» Ecclesiastica impediantur. «

Ex his Canonibus, præsertim posteriore, evidens est, juxta disciplinam iis expressam, ex defectu corporis irregularitatem non induci, nisi talis sit defectus, qui ad functiones Sacerdotii absolutè reddat incapacem. Quod & Balsamon & Zonaras notârunt ; unà observantes differentiam inter Legem Mosaïcam, & Legem Christi, quod illa quidem exigeret consecratos suos Ministros, integros esse corpore, notamque nullam habentes : hæc verò corpore mutilatos ad divinum Sacerdotium admittat, modò quæ Sacerdotii sunt, exequi non impediantur. » Animam enim
» puram & integram volunt habere omnes, ait Bal-
» samon, non autem corpus. « Vel, ut ait Zonaras:
» Animam requiritur habere puram sine vitio, &
» sorde. «

Et quidem irregularitatem ex defectu corporis ante seculum V. nequidem in Ecclesia Latina ulteriùs extensam fuisse, admodum est verisimile. Vide Thomassinum de *Discipl. Eccles. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 8.

Energumenus à Clero, & publicis precibus exclusus. Ratio Canonis.

Can. LXXVIII. » Si quis dæmonem habeat,
» ne fiat Clericus, sed neque cum fidelibus prece-
» tur. Purgatus autem recipiatur, & si sit dignus,
» fiat. «

Rationem Canonis allegat Balsamon, ne forte si quid mali, aut inhonesti egerit, aut dæmoniacas voces emiserit, populum Dei conturbet, atque officium divinum impediat. Sed quid si dilucida intervalla habeat, nec ei concedetur in Clerum cooptari, » ne
» Sacerdotium, inquit Balsamon, furoris tempore con-
» tumeliâ afficiatur, probrisque & blasphemiis Numen
» appetatur. «

Neophitus ad sacerdotium non promovendus.

Can. LXXIX. » Eum, qui ex vita gentili acces-
» serit, & baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi
» ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri.
» Iniquum est enim, ut qui sui nondum experien-
» tiam ostenderit, sit aliorum Magister, nisi forte hoc
» divina gratia fiat. «

Vide notata ad *Can. II. Nicænum, & XIII. Sardicensem*.

Publica ad-

Can. LXXX. » Diximus, non oportere Episco-
» pum

adminis. trationes Episcopis & Presbyteris interdictæ.

pum vel Presbyterum seipsum ad publicas administrationes admittere, sed in Ecclesiasticis negotiis versari. Vel ergo ita non facere persuadeatur, vel deponatur. «

Reflectitur in hoc Canone ad Canonem VI. supra relatum, cujus annotata repete.

Servi ad Clerum sine licentia Dominorum non admittendi.

Can. LXXXI. » Servos in Clerum provehi sine voluntate dominorum, non permittimus ad eorum, qui possident, molestiam. Domorum enim eversionem talia efficiunt. Si quando autem etiam dignus servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, & Domini concesserint, & liberaverint, & ædibus emiserint, fiat. «

Pronomen *noster*, cujus nec Balsamon, nec Zonaras meminêre, nec Paraphrastes Arabicus, adjectum videri ab eo, qui hos Canones Apostolis supponere voluit, rectè notat & probat Beveregius; & consentit Elias Du Pin.

Ratio Canonis.

» Fideles decet ea fugere, inquit Zonaras, quæ scandala gererent aliquibus. Alienum verò servum contra Domini sententiam Clericum fieri, causa est scandali, atque molestiæ. «

De hac disciplina, & manumissionibus servorum ordinationis causa consule notas Bignonii ad *cap.* 8. *appendicis formularum Marculfi.*

Can. LXXXII. » Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utraque obtinere volens, Romanum scilicet Magistratum, & Sacerdotalem administrationem, deponatur. « *Quæ sunt enim Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.*

Pro sensu hujus Canonis vide Canonem VII. Calchedonensem, & ibidem annotata.

Magistratus contumelia non afficiendi. Reprehendere licitum.

Can. LXXXIII. » Quisquis Regem vel Principem præter jus contumeliâ affecerit, pœnas luat, & si sit quidem Clericus, deponatur; si verò Laicus, segregetur. «

» Reges & Magistratus afficere contumeliâ quisque prohibitus est, inquit Zonaras. At hos reprehendere aliquid agentes, contra quam deceat, non prohibetur; etiamsi reprehensionis verba, fortè acerbiora existentia, ad reprehensorum contumeliam spectare existimentur. « Post hæc subjungit ex libris Basilicorum hanc Christiano Principe dignam sententiam: » Si quis malè mentionem Regis fecerit, non subjacet pœnæ; sed quæ de illo sunt, Regi significari oportet. Nam si per levitatem excessit, contemnendus est. Quod si velut injuriâ affectus, ei remittendus est. «

Catalogus sacrorum Librorum.

Can. LXXXIV. » Sint vobis omnibus Clericis, & Laicis libri venerandi & Sancti, veteris quidem Testamenti Moysis quinque: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Josuë unus. Judicum unus: Ruth unus: Regum quatuor. Paralippomenon, id est, derelictorum libri dierum, duo: Esther unus: Machabæorum tres: Job unus: Psalterium unus: Salomonis tres, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum: Prophetarum XII. unus: Esaiæ unus: Jeremiæ unus: Ezechiel unus: Daniel unus. Extrinsecus autem à vobis intelligatur, debere vestros adolescentes discere sapientiam eruditissimi Sirach. «

Canoni aliqui additum.

» Nostra autem, id est, novi testamenti Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Pauli Epistolæ quatuordecim, Petri Epistolæ duæ, Joannis tres, Jacobi una (apud Labbæum in margine additur, *Judæ una*) Clementis Epistolæ duæ, & ordinationes vobis Episcopis per me Clementem in octo libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ, propter ea, quæ sunt in eis mystica: Et Actus *nostri* Apostolorum. «

Hîc rursus advertitur ab eruditis in fine Canonis adjectam esse vocalem *nostri* ab eo, qui Canones hosce Apostolis primus supposuit.

Cardinalis Baronius, aliique non pauci non solùm hunc Canonem esse ab hæretico confictum credunt; sed etiam ob ea, quæ hîc occurrunt, omnes 35. posteriores ut suppositities rejiciendos arguunt.

Argumenta pro suppositione Canonis.

Primò quidem, quòd in Catalogo sacrorum librorum veteris Testamenti omittantur liber Judith, Tobiæ & Ecclesiastici; è libris novi Testamenti, Apocalypsis S. Joannis. Secundò, quia de libro *Sapientiæ* velut ad legendum *utili* disseritur. Tertiò, quia in Catalogum sacrorum librorum referuntur libri tres Machabæorum, Clementis Epistolæ duæ, nec non octo libri constitutionum ejusdem Clementis.

Responsio ad I. Argumentum.

Quantum ad primum, tantum abest, ut suppositionem, aut falsitatem Canonis evincant, ut potiùs ejus astruat antiquitatem: cùm certum sit, primis tribus seculis, præsertim in Ecclesia græca, nullos libros veteris Testamenti canonicis annumeratos fuisse præter eos, qui in Canone Judæorum habebantur, è quorum numero non erant libri hoc Canone omissi; ut vel hinc argumentum sit, hunc Canonem primorum seculorum fœtum esse, quando Catalogus librorum canonicorum nullos præter comprehensos Hebræorum Canone exhibebat.

Responsio ad secundum.

Ad Apocalypsim S. Joannis quod attinet, plures ex antiquis de ejus auctoritate dubitâsse; imò & eam ut librum apocryphum repudiâsse constat ex Dionysio Alexandrino; sed nec in Canone ultimo Laodicæno libris canonicis annumeratur. Quidnî igitur hic Canon editus sit ab ea Ecclesia, quæ necdum Apocalypsim tanquam librum canonicum receperat.

Ad tertium.

Quod modum loquendi de libro *Sapientiæ* spectat, is nihil minùs, quàm Canonis suppositionem probat; cùm eodem modo de hoc libro Patres olim locutos fuisse reperiatur. Et quidem S. Athanasius relatis libris Veteris Testamenti in Judæorum Canone contentis, subdit: » Præter istos autem sunt adhuc alii veteris Testamenti Libri, *non canonici*, qui *catechumenis tantùm leguntur in Synopsi.* His autem annumerat Librum *Sapientiæ.*

Epiphanius de libris Ecclesiastici & Sapientiæ ità loquitur: *Utiles quidem sunt & commodi, sed in numerum receptorum non referuntur*, Lib. de *mens. & pond.* Quid verbis præsentis Canonis similius esse potest?

Ad quartum.

Sed & ipsum S. Hieronymum audiamus: » Sicut Judith, & Tobiæ & Machabæorum Libros quidem legit Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit: si hæc duo volumina (Ecclesiastici & Sapientiæ) legat, ait, *ad ædificationem plebis*, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. « *Præfat. in Proverbia Salom.* En rursus ipsissimus modus loquendi Canonis, ab Hieronymo expressus.

Sed dicet quis, si Canon expresserit Catalogum sacrorum Librorum secundum communem primorum seculorum expressionem, quâ ratione Libris canonicis *Machabæorum tres Libros* annumerat? Quandoquidem, ex citatis verbis Hieronymi, omnibusque antiquis, præsertim Græcorum Catalogis compertum sit, nequidem duos Machabæorum Libros ut canonicos fuisse eâ ætate receptos? Verum est, Libros Machabæorum tribus primis Ecclesiæ seculis extra Catalogum Librorum canonicorum à multis Patribus fuisse rejectos; nec in Catalogis illius ætatis Libris sacris annumerari; ideoque suspicantur nonnuli, hos Libros manu recentiori Canoni esse adjectos, maximè quia in græca collectione Canonum Joannis Antiocheni (qui primus tempore Justiniani Imperatoris hos omnes Canones cum aliis Græcorum Canonibus in unum codicem collegit) Libri Machabæorum in hoc Canone reperiuntur. Accedit, quòd Joannes Damascenus Machabeorum Libros pro canonicis non habeat. Signum non obscurum, eos tempore Joannis Damasceni in hoc Canone non fuisse; quia ut suprà monuimus, ipse hos Canones etiam Libris Hagiographis annumeravit.

Ad quintum.

Quod Epistolas S. Clementis spectat, imprimis, sat constat, Clementem Romanum duas scripsisse Epistolas, utramque ad Corinthios. Et quidem priorem summâ laude ac approbatione à primis Christianis exceptam fuisse, usque adeò, ut in Ecclesiis etiam publicè legeretur, testatur Eusebius *Lib.* 3. *Hist. Eccles. cap.* 16. » Hujus Clementis (Romani) extat Epistola ab omnibus, ait, uno consensu recepta, eximia prorsus atque mirabilis, quam nomine Ecclesiæ Rom. ad Corinthiorum Ecclesiam scripsit, cùm apud eos gravis esset exorta dissensio. Hanc in plerisque Ecclesiis & nostra & superiori memoria palam recitari consuevisse comperimus.«

Eusebio consentit S. Hieronymus *de Scriptoribus Eccles.* in *Clemente*, aliique non pauci, cum laude hanc Clementis Epistolam citantes; quorum testimonia relata videri possunt *Tomo I. Conciliorum edit. Labæi, pag.* 116. & sequentibus.

Hanc Clementis Epistolam ex vetustissimo manuscripto anno 1632. evulgavit, notisque illustravit Patricius Junius Scotus Britannus; eamque unà cum notis suæ collectioni Conciliorum inseruit Labbæus:

ea-

eaque, ait Elias Du Pin, *si Scripturam Sacram excipias, unum est meâ sententiâ ex pulcherrimis Antiquitatis monumentis.*

Non idem fuit Veterum de altera Clementis Epistola judicium, ut ex Eusebio, Hieronymo aliisque manifestum est.

Ad sextum. Nonnullos tamen è Patribus easdem paris auctoritatis reputâsse constat, & quidem in vetusto illo manuscripto Veteris & Novi Testamenti, è quo Patritius Junius primam Clementis Epistolam nuper evulgavit, » ambæ hæ Epistolæ eâdem quâ totus liber » manu, & grandioribus characteribus exarantur, « ut notat Bevereguis: » Unde, inquit, non ineptam » liceat conjecturam facere, has epistolas, tempore » & loco, quo transcriptus est dictus codex, in ca» nonicorum etiam librorum censum juxta hujus Ca» nonis præscriptum relatas esse: alioquin enim diffi» cillimum esset reddere rationem, quam ob rem » una compingerentur. «

Quidnî igitur hic possit esse verus, ac genuinus Canon illius Ecclesiæ; quæ tunc temporis ambas illas Epistolas in censum canonicorum Librorum referebat? Nec id mirum videri debet, cùm liber Hermæ, vulgò *Pastoris*, apud quasdam Græciæ Ecclesias publicè legeretur, licèt apud Latinos penè ignotus esset, ut scribit S. Hieronymus.

Constitutiones Clementis octo Libris comprehensas per earum auctorem esse Canoni adjectas ex verbis Canonis non est obscurum; ut nimirum suis his libris auctoritatem conciliaret.

Adhæc, olim extitisse aliquas constitutiones sub nomine Apostolorum colligitur ex Epiphanio aliisque Veteribus, sed ab his, quæ hodie sub Clementis, nomine extant, multùm diversas; ut ex sententiis, quas ex illis citat Epiphanius compertum est; ita ut Petavius fidenter asserat, *aliud fuisse constitutionum genus, quàm quibus hodie nomen imponitur.*

Licèt ergo non videatur verisimile ab ulla unquam Ecclesia inter Libros canonicos relatas fuisse, hodie sub Clementis nomine extant constitutiones, nullatenus inde consequens est, quòd illæ, quarum Veteres meminerunt, non potuerint, saltem ab aliquibus, Libris sacris adscribi, & Catalogo illorum inseri.

Hæc sunt, quæ dici posse videntur pro veritate hujus Canonis; qui apud Græcos conficit Canonem 85. in versione verò Herveti 84. eo quòd Græci Canonem 12. in duos dividant.

§. VI.

De Canonibus Calchedonensibus.

Occasio Synodi Calchedonensis. CUm Eutyches, ejusque asseclæ mirum in modum Ecclesiam turbâssent, & scinderent, Marcianus imperium adeptus, mox ad dissidia religionis sedanda se composuit, nullumque opportunius, quam Synodi Œcumenicæ celebrationem, remedium reputans, Sacras misit ad omnes sui Imperii Metropolitas, in quibus exponit quasdam dubitationes circa orthodoxam fidem motas esse, sicut, inquit, » indi» cant, & litteræ sanctissimi Archiepiscopi felicissimæ » senioris Romæ Leonis, placuit nobis propriè » Sanctum Concilium fieri in Nicæa Bithiniæ Civitate; » quatenus cunctis concordantibus veritate examina» ta, & vacante omni studio, quo quidem jam abu» si religionem turbaverunt orthodoxam, vera ac sa» luberrima fides sic omni mundo manifestetur, ut » de cætero omnis quæstio & dubitatio auferatur. Un» de tua Sanctitas cum quantis approbaverit reveren» dissimis Episcopis sub suo Sacerdotio constitutis » Sanctarum Ecclesiarum, expertas habentibus divi» nas Scripturas, & in scientia, & doctrina ortho» doxæ, & veræ fidei præ cunctis eminentibus, ad » memoratam Nicænam Civitatem proximis Kalendis » Septembris venire festinet.... Agnoscat autem & tua » Sanctitas, quia nostra pietas aderit in ipso Concilio, » nisi quædam publicæ, & inevitabiles curæ nos in » expeditione fecerint occupari. «

Episcopi Nicæam advenerunt. Ad diem designatum Nicæam occurrerunt sexcenti triginta Episcopus in *Breviario*, ut narrat Liberati, *cap.* 13. » & iis sedentibus, inquit idem, Legati » Papæ Leonis Marcianum petierunt, ut sui præsen» tiam præstaret Concilio: Alioquin ipso absente, ip» si ad Concilium non occurrerent. «

Episcopi Nicæa vocantur Calchedonam. Cùm verò Nicæa procùl à Constantinopoli distaret, scripsit Marcianus ad Episcopos Nicææ existentes, ut sine ulla dilatione accederent ad Calchedonensium Civitatem.

Habetur prima Sessio. His litteris receptis Episcopi mox Calchedonam se contulerunt; Synodique prima Sessio, sive Actio habita fuit 8. Octobris 451.

Legati S. Leonis & Commissarii Imperatoris interfuerunt. Vices & locum S. Leonis Papæ tenuerunt Paschasius, & Lucentius Episcopi, Bonifacius & Basilius Presbyteri; quibus & Julianus Coënsis Episcopus adjunctus fuit.

Adfuêre & Comissarii Imperatoris, ut tumultus cohiberent, judiciorum ordinem servarent, utque secundum Canones omnia geri curarent.

Imperator quoque accessit. Venit quoque ad Synodum die 25. Octobris Marcianus Imperator, ipseque Actioni VI. interfuit; allocutusque Patres ait: » Nos ad fidem confirmandam, » non ad potentiam ostentandam, exemplo Religiosi » Principis Constantini, Synodo interesse voluimus, » ut inventâ veritate, non ultra multitudo pravis quo» rundam doctrinis attracta discordet.

Quæ actione Canones editi incertum. Sedecim actiones, seu sessiones habitæ fuerunt, quâ verò actione Canones disciplinam concernentes, & quos hîc exhibere, scholiisque compendiosis illustrare intendimus, editi sint, incertum est. Quin & non immeritò quidam dubitant, nùm Canonum illa collectio, prout hodie extat, ad calcem actionis XV. in ulla actione facta sit, creduntque potiùs eam post absolutas actiones adornatam; & ex iis, quæ in diversis actionibus acta erant, confectam fuisse. Ut ut sit, hoc constat, Canones illos semper fuisse in summa veneratione; eosque tam ab Ecclesia Latina, si Canonem 28. exceperis, quàm Orientali pari consensu fuisse receptos & laudatos; ac in utriusque Ecclesiæ Canonum codicem relatos.

Can. I. » Qui à Sanctis Patribus in unaquaque Sy» nodo hucusque expositi sunt, observari Canones » æquum censuimus. « Gratian. 25. *q.* 1. *Can.* 14.

Qui Canones à Synodo renoventur. Cùm codex Canonum, quo Synodus Calchedonensis in decisione controversiarum usa fuit (& de quo suprà parte II. cap. 1. egimus) complecteretur Canones non tantùm Conciliorum generalium, sed & provincialium Canones, hos omnes præsenti Canone confirmari & stabiliri Græcorum opinio est; eamque præfert Novella Justiniani 131. *cap.* 1. quâ præcipitur: » Legum vicem obtinere Sanctos Ecclesiasti» cos Canones à Sanctis quatuor Synodis editos vel » *confirmatos*, hoc est, in Nicæna 318. & in Cons» tantinopolitana Sanctorum 150. Patrum, & in » Ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus, & » in Calchedonica qua Eutyches cum Nestorio ana» thematizatus est. Prædictarum enim quatuor Syno» dorum dogmata sicut Sanctas Scripturas accipi» mus, & regulas sicut leges observamus. «

Cùm enim hîc non tantùm *Legum* vicem obtinere præcipiantur Canones, qui à quatuor Conciliis Œcumenicis editi sunt, sed etiam qui *confirmati* fuêre, constetque à nulla istarum quatuor Synodorum Canones esse confirmatos, præterquam ab hac in præsenti Canone, evidens est hunc Canonem spectari in dicta Novella; aliosque in eo supponi *confirmatos* Canones à nominatis quatuor Synodis non editos; qui alii esse non videntur, quàm qui Provincialibus quidem Synodis editi, sed in codicem unà cum Canonibus Nicænis & Constantinopolitanis tempore hujus Synodi sub una numerorum serie, quasi unius Synodi erant collecti.

De Simonia. Can. II. » Si quis Episcopus propter pecunias or» dinationem fecerit, non venalem gratiam in vendi» tionem deduxerit, & propter pecunias ordinaverit » Episcopum vel Chor-Episcopum, vel Presbyterum, » vel Diaconum, vel aliquem eorum, qui in Clero an» numerantur, vel propter pecunias promoverit Œco» nomum, vel defensorem, vel paramonarium, vel » omninò aliquem ex Canone turpis quæstûs gratiâ: » qui hoc tentâsse convictus fuerit, de proprio gra» du in periculum veniat: & qui est ordinatus, ex » ordinatione vel promotione, quæ instar mercato» rum venundatur, nihil juvetur; sed sit à dignita» te, vel curatione alienus, quam pecuniis adeptus » est. Si quis autem sequester & intercessor adeo » turpibus, & nefariis lucris apparuerit, hic quoque, » si sit quidem Clericus, proprio gradu excidat: si » sit autem Laicus, vel Monachus, anathematizetur. « Grat. 1. *q.* 1. *Can.* 8. qui pro *Paramonarium* legit, *Mansionarium*; uti & quædam editiones Dionysii & Isi-

Quid Paramonarius.

Isidori legunt. Quidquid sit, clarum est ex textu, *Paramonarium*, sive *Mansionarium* hîc significare aliquem rerum Ecclesiasticarum administratorem: quod & confirmat *L.* 42. *Cod. de Episcopis & Clericis*, ubi *Paramonarii* inter Xenodochos, Ptochotrophos, Œconomos, aliosque qui administrationem aliquam habent, recensentur; quemadmodum & in hoc Canone defensoribus & Œconomis annumerantur.

Circa quæ Simonia committatur.

Hîc observa Simoniæ crimine infectos, & pœnis canonicis subjectos declarari, non tantùm qui *gratiam*, id est, gradum, seu honorem Sacerdotii vendunt, sed quicumque quemcumque Ecclesiæ Ministrum, licet temporalibus duntaxat administrandis præfectum, mediante pecuniâ constituit; ut proindè dubium non sit, Simoniacum esse ex mente Patrum pecuniâ interveniente constituere *Matricularium* sive *custodem* Ecclesiæ; cùm certum sit, etiam ex Synodis nostris Belgicis officium Matriculariorum esse *Ecclesiasticum*; ipsosque Ministris Ecclesiæ annumerari; ideoque & *Bigamos* excludi; ut fusè ostendi *in jure Ecclesiastico*, *p.* 1. *tit.* 6. *cap.* 2.

Monachos à Clericis fuisse distinctos, ac inter Laicos recensitos hoc tempore fuisse, ex pœna utrisque inflicta colligitur.

Clerici secularibus non se immisceant.

Can. III. » Pervenit ad Sanctam Synodum, quod » eorum, qui in Clerum cooptati sunt, quidam propter turpe lucrum alienas possessiones conducunt, & » secularia negotia exercent, divinum ministerium » negligentes, secularium verò domos subeuntes, & » eorum facultatum tractationem, ac curationem propter avaritiam suscipientes. Definit ergo Synodus, » neminem deinceps, nec Episcopum, nec Clericum, » nec Monachum, vel possessiones conducere, vel » secularibus possessionum administrationibus seipsum » ingerere: nisi utique ex lege ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur, vel civitatis Episcopus » eum rerum ecclesiasticarum cura gerere permittat, » vel orphanorum, vel viduarum, quibus provideri » non potest, & personarum, quæ ecclesiastico auxilio maximè indigent, propter timorem domini. » Si quis autem, quæ statuta sunt deinceps transgredi » aggressus fuerit, iis pœnis ecclesiasticis subjiciatur.« Gratian. *Dist.* 86. *Can.* 26.

Synodo inchoata die 8. Octobris, ipse Imperator die 25. ejusdem accessit, elegantemque coram Synodo orationem habuit, omnium Patrum acclamationibus exceptam. Quâ finitâ, & fide à Concilio recitatâ, ipse tria capitula Synodo confirmanda proposuit his verbis: » Quædam sunt capitula, quæ ad honorem » Vestræ Reverentiæ servavimus, decorum esse judicantes, à vobis potius hæc canonicè firmari per Synodum, quàm nostra lege sanciri.« *Art.* 6.

Imperator aliqua proponit.

Imperatore hæc præfato, à Secretario divini consistorii recitata sunt tria capitula, quorum secundum hoc Canone, licèt non iisdem verbis, eodem tamen sensu expressum esse evidens est, ità enim ab Imperatore fuit propositum: » Quoniam verò aliqui » Clericorum & Monachorum, pecuniæ amore langüentes, curis mundanarum rerum semetipsos subjiciunt, aut possessionum conductores aut procuratores constituti, aut in domibus secularium, observantes tanquam dispensatores effecti: placuit » huic Sancto magno Concilio nullum Clericum conducere possessiones aut procurationem suscipere, » nisi forte ei à proprio Episcopo jubeatur ecclesiasticarum possessionum habere solicitudinem. Si » quis autem post hanc definitionem aut ipse conducere præsumpserit, aut per alium quemlibet hanc curam suscipere.... ecclesiasticæ pœnæ subdatur: quod » si in contentione perstiterit, dignitate privetur.«

Quàm conformia sint quæ hoc Canone de fugiendis negotiis secularibus, præsertim conductione alienarum possessionum lucri causa decernuntur, decretis Belgicis, latè ostenditur in citato Jure ecclesiastico *p.* 1. *tit.* 2. *cap.* 6. ubi unà observo, moribus Belgicis receptam esse legem Justinianam, Clericos à suscipiendâ legitima tutela excusantem.

Disciplina monastica.

Can. IV. » qui verè, & sincerè monasticam vitam aggrediuntur, digni convenienti honore habeantur. Quoniam autem nonnulli monachico prætextu » utentes, & temerè citrà ullam discriminis rationem » in urbibus circumcursitantes, quin etiam monasteria sibi constituere studentes, visum est, nullum » usquam ædificare nec constituere posse monasterium, vel oratoriam domum præter sententiam ipsius Civitatis Episcopi: Monachos autem, qui sunt » in unaquaque regione, & civitate Episcopo subjectos esse, & quietem amplecti, & soli jejunio, & » orationi vacare, in quibus ordinati sunt, locis forüiter perseverantes, nec ecclesiasticicis nec secularibus negotiis se ingerere, vel communicare, propria relinquentes monasteria, nisi quandoque à civitatis Episcopo eis permissum fuerit: nullum autem » in Monasteriis servum recipi, ad hoc ut sit Monachus, præter voluntatem sui Domini. Eum autem, » qui hanc nostram definitionem transgreditur, definimus esse excommunicatum, ne nomen Dei » blasphemetur: civitatis autem Episcopum oportet » eam, quam par est, monasteriorum curam agere.«

Reflectio ad Gratianum.

Grat. 16. *q.* 1. *Can.* 12. Non tantùm in multis à textu græco recedens, sed insuper media Canonis verba omittens, è quibus separatum Canonem multis aliis intermixtis conflavit, 18. *q.* 2. *Can.* 10. Ut vel hinc pateat, quàm parum fidendum Gratiano in horum Canonum relatione. Hic Canoni respondet capitulum primo loco à Marciano Synodo, non eodem duntaxat sensu, sed & iisdem penè verbis propositum.

Varia puncta disciplinæ Canone contenta. Primum.

Plura notabilia puncta pristinæ disciplinæ hic Canon repræsentat.

Primò quidem eos, qui verè & sincerè *monasticam*, vel ut legit Dionysius, *singulare n*, aut juxta Isidorum, *solitariam* vitam eligunt, dignos competenti honore declarat.

Secundum.

Secundò, nullum posse construi novum monasterium, aut domum oratoriam sine consensu ipsius civitatis Episcopi: quod punctum renovat Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 3. *de regularib.* » Causam, » ait Christianus Lupus, scribit S. Ivo Carnotensis » Epistola 41.« *Omnis traditio religionis novitate, & raritate viget, & floret; antiquitate, & numerositate, nisi distinctè legitur, & servetur, frigescit & vilescit.* » Gentis multiplicatio lætitiæ magnificationem » quandoque subvertit. Quocircà non nisi sub Episcopali oculo, & examine congruit monasteria » multiplicare.« Hæc ille in Scholiis ad hunc Canonem.

In articulo à Marciano proposito addebatur: *neque in possessione præter voluntatem Domini possessionis.*

Quod additamentum à Theodosio in erectione monasterii servari præcepit S. Gregorius *Lib.* 3. *Epist.* 8. Et hinc profluxit, quod passim moribus obtinuit, ut in erectione monasterii etiam loci ipsius incolæ audiri debeant, de quo favente Deo, plura in Jure ecclesiastico *p.* 2. *tit. de ædificandis, & reparandis Ecclesiis.*

Tertium.

Tertiò decernit, cujusque civitatis, aut territorii Monachos Episcopo subjectos. Quomodò hoc decretum tanquam Ecclesiæ regimini, & monasticæ disciplinæ consentaneum posteriores Ecclesiæ sanctiones frequenter innovaverint, fusiùs ostendi in quodam Opusculo, cui titulus *Repagulum canonicum adversus nimiam exemptionum extensionem, part.* 2. *cap.* 1. *regulâ prima.*

Quartum.

Quarto, Canon propriam Monachi professionem his verbis expressit: vissum est Monachos quietem amplecti, & soli jejunio, & orationi vacare, in quibus ordinati sunt, vel justa Dionysium, *in quibus renuntiaverunt seculo*, aut secundum Isidorum, *semel Deo se voverunt*, locis fortiter perseverantes. Unde Eutyches volens se ostendere verum Monachum, ait ad S. Flaviani legatos, se vivere in Monasterio, *quasi in sepulcro.* Et ad Romanam Ecclesiam, quæ Eugenium III. ex Monacho ad Papatum evexerat, exclamat S. Bernardus Epist. 136. *Parcat vobis Deus, quid fecistis?* Sepultum *hominem revocâstis ad homines, fugitantem curas, & turbas curis denuo implicuistis, & turbis.* » Monachus est, ait Christianus » Lupus ad hunc Canonem, pœnitentis species, cujus unicum munus est peccata sua plangere & » purgare, quod fit potissimum jejunio & oratione.“

Quintum. Monachi functiones hierarchicas sine licentia Episcopi facere non possunt.

Quintò, mandat, ne ecclesiasticis aut secularibus negotiis se ingerant; vel communicent; addit Dionysius, *vel in aliquo sint molesti.* Hinc collige, Monachos de quibus in canone, non fuisse Clericos, aut functionibus ecclesiasticis occupatos, sed de ordine Laicorum: Unde ad Rusticum Monachum scribit Sanctus Hieronymus: *Si te Clericatûs titillat desiderium, ita age, & vive in monasterio, ut Clericus esse merearis.* » Desiderium, & ambitum illum, ait » Lu-

» Lupus, esse monachismi pestem Patres passim af-» firmant.»

Addit Canon: *Nisi quandoque à civitatis Episcopo eis permissum fuerit*; vel ut legit Isidorus: *Nisi fortè jubeantur, propter urgentes necessitates, ab ipsius civitatis Episcopo.*

Supponit ergo Canon, Monachum utpotè è sorte Laicorum, functionibus ecclesiasticis non posse comunicare, nisi vocante, & permittente Episcopo.

Et sanè nî hæc regula servetur, Monachique ad Clerum assumpti in functionibus ecclesiasticis, seu hierarchicis Episcopo subjiciantur, tota penitus Hierarchia divina ordinatione instituta evertitur.

In prædictis functionibus debent Episcopo subesse.

Quapropter quæcumque à Romanis Pontificibus contra hunc Canonem Monachis concessa fuerit à subjectione Episcoporum exemptio, ea nunquam ex mente Pontificum functiones hierarchicas, seu Clericales comprehendit, sed solam disciplinam monachalem spectavit: sive Monachos ut Monachos exemit, non verò ut Clericos, sive ad aliam planè disparatam conditionem translatos: uti latiùs in citato Opusculo ostendi.

At quia difficile fuit exemptiones illas intra legitimos limites concludere; hinc altæ illæ, & frequentes Patrum de illis exemptionibus querelæ; tanquam ordinis ecclesiastici eversivis, & plurimorum scandalorum, & turbarum in Ecclesia occasionibus. Et quidem privilegia & exemptiones, quæ variis titulis plerisque concreduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis laxioris vitæ occasionem præbere, agnovit Synodus Tridentin. *Sess.* 24. *c.* 11. *de reform.*

Unde ad quendam Episcopum scribit S. Franciscus Salesius *lib.* 1. *Epist.* 30. » In hoc maximam esse » Dei gloriam, quod ordo Episcopalis agnoscitur » qualis est: Quodque muscus *ille exemptionum* ab » Ecclesiæ arbore sit avulsus, in qua tantum mali » fecit. « Plura hujusmodi vide in Epilogo jam citati *Repaguli*, in quo unà referuntur decem regulæ in materia exemptionum à Canonistis communiter probatæ: Quæ nî observentur contra mentem Pontificum innumera ex iis exemptionibus, nota sunt in Ecclesiam & regimen Episcopale incommoda, & turbationes oriri.

Sextum.

Sextò vetat Canon, servos sine Domini licentia ad monasteriorum recipi, ne nomen Domini blasphemetur. Causam reddidit Gelasius Papa Epistola 9. *Ne per christiani nominis institutum aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti.* Grat. *dist.* 54. *Can.* 12.

Septimum.

Denique injungit Episcopis, eam quam par est monasteriorum curam gerere. » Curabit Episcopus, ait » Zonaras, ut operosis negotiorum curis, ac molestiis » soluti, tranquillam, & quietam vitam agant, ea so-» lùm unde fructus animo existat, meditantes. «

Transmigrationes Clericorum improbantur.

Can. V. » De Episcopis, vel Clericis, qui à » civitate in civitatem transeunt, placuit eos qui » editi sunt à Sanctis Patribus Canones, vires ob-» tinere. «

Nullis unquam repagulis sisti potuit; & utinam vel hodie non continuò augeretur transmigratio Episcoporum, Pastorum, aliorumque Ecclesiasticorum de una ad aliam Ecclesiam, quo vel major proventuum copia, aut secularis honor allicit, hinc toties canones eum ambitum & avaritiam damnantes renovari oportuit.

Nullus absolutè ordinari potest.

Can. VI. » Nullum absolutè ordinari, nec Pres-» byterum, nec Diaconum, nec omninò aliquem eo-» rum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter » in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio vel mo-» nasterio is qui ordinatur, designetur. Eos autem, qui » absolutè ordinantur, decrevit S. Synodus irritam & » invalidam habere hujusmodi manum impositionem, » & nusquam exercere, ac operari posse ad ejus, qui » ordinavit, injuriam.«

Quid sit absolutè ordinarii.

Quid sit *absolutè* ordinari, ipse Canon satis indicat; in quo *absolutè* ordinari dicuntur, qui cùm ordinantur, certo loco sive Ecclesiæ non aplicantur, ubi munus Ordini annexum obeant; & cui tanquam Clerici serviant.

Quid Martyrium.

Martyrium, de quo in Canone, est ædes sacra Deo sub Martyrum nomine dedicata. Vide Glossarium Du Frense Verbo, *martyrium*. Itaque permittit Canon, ut quis ordinetur Presbyter, qui hujusmodi ædi sacræ, sive martyrio præficiatur; ibique functionibus ecclesiasticis incumbat.

Quid ad Monasterium ordinari.

In monasterio etiam aliquem ordinari permittit canon; id est, ordinari in eum finem, ut alicui monasterio serviat, ibique functiones ecclesiasticas obeat. Cùm enim primis seculis monachi essent Laici, unus eis dabatur Presbyter, qui Missarum solemnia, aliaque Sacerdotalia iis impenderet. Ità in sua Regula & Epistolis Sanctus Augustinus non semel distinguit monasterii Præpositum, & monasterii Presbyterum, dicens hunc esse majoris auctoritatis. Et S. Gregorius *Lib.* 1. *Epist.* 41. scribit Episcopo Panormitano, ut ad postulationem Abbatis monasterii S. Hermæ ordinet Presbyterum ad Missarum solemnia in monasterio celebranda, » eum qui ad ministerium de eadem Con-» gregatione electus fuerit, cujus vita, mores & actio » tanto ministerio posint convenire.... quatenus nec ille » de monasterio suo hac pro causa regredi, nec ex-» traneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur » adducere.«

Ad hæc S. Gregorii verba reflectens Vir eruditus Petrus Gusanvillæus in notis ait: „ aut nulli, aut pau-» ci erant in monasteriis Presbyteri. Extraneum sæ-» pè adducebant, qui coram illis Sacrum faceret. » Hunc qui cum nostro morem contulerit, mira-» bitur: nam in unoquoque monasterio tot ferè » sunt Presbyteri, quot Monachi, imò jam non-» nullis Sacerdotium est ita neccessarium, ut æta-» tem legitimam præveniant, & ante 24. annum ordi-» nentur.«

Itaque ex mente Canonis, ordinari in monasterio, sive ad monasterium, est ordinari eum in finem, ut Presbyter sit monasterii, ibique suis functionibus occupetur.

Hunc Canonem expressè renovavit Synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 16. *De reformat.* neminem ordinari permittens, » qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, » pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non » adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec in-» certis vagetur sedibus.«

Quot hodiè ex neglectu hujus saluberrimi decreti oriantur scandala ab otiosis, & vagis Sacerdotibus, & quantum ipsius Sacerdotii vilipendium, proh dolor, notius est, quàm ut hîc pluribus exponatur!

Ex errore Gratiani exortus titulus patrimonii.

Refert præsentem Canonem Gratianus *Dist.* 70. *Can.* 1. ubi pro *pagi* legitur *possessionis*, quo factum est, ut contra mentem Canonis, & illius temporis disciplinam creditum sit, aliquem posse ordinari ad titulum *possessionis*, sive *patrimonii*, uti expressè interpretatur Glossa ad citatum Canonem: atque ità ex erronea lectione Gratiani sensim introductum esse titulum patrimonii, plures notârunt, ut videre licet apud Franciscum Florentem in commentario ad *cap.* 2. *De Præbendis.*

An ordinationes contra Canonem factæ sint irritæ.

Quod in fine Canonis decernitur, eos qui *absolutè* ordinantur, irritam ac invalidam habere hujusmodi manuum impositionem, mirum videri quidem posset illis, qui hodiernam Ecclesiæ disciplinam, quæ hujusmodi Ordinationes, tametsi illicitas, pro validis agnoscit, & communem quoque modernorum Canonistarum persuasionem, quasi validitas Ordinationis solùm dependeat à forma & materia à Christo institutis, unicè considerant; at non illis, qui cum Morino ex Veterum Canonistarum, & Theologorum sententia sciunt, » quædam esse ecclesiasticæ institutionis, » quæ licèt mutari possint, & pro temporum, & re-» gionum varietate aliter atque aliter observari, tanti » tamen sunt momenti, quandiù ab Ecclesia revocata, » aut abrogata non sunt, ut eorum omissio Ordinatio-» nem reddat non modò inhonestam, & illicitam, » sed etiam irritam, & nullam omnique effectu & gra-» tiâ cassam. « Hæc Morinus de SS. Ordinat. *Exercit.* 5. *cap.* 2. ibique ex antiquis Scholasticis ostendens, Ordinationes uno tempore, & loco invalidas, & irritas, alio tempore, aut loco posse esse validas; idque ex Ecclesiæ depositione dependere.

Error Glossæ. Nec Clerici, nec Monachi à sua professione recedere possunt.

Hoc non advertens Glossa, & eum secuti Recentiores, Canonibus vim inferentes, Ordinationem *irritam, invalidam*, vel ut legit Gratianus *vacuam*, intelligunt, *quoad executionem*; sive quòd illicita, sed non invalida esset, Ordinis sic suscepti executio.

Can. VII. „ Eos, qui in Clero semel ordinati » sunt, & itidem Monachos, statuimus nec ad mi-» litarem expeditionem, nec ad secularem dignitatem » posse venire. Qui autem hoc audent, & non pœ-» nitentiâ ducti ad id revertuntur, quod propter Deum » priùs elegerant, anathematizari. «

Pro

Clerici omnes ex mente Patrum Clericali vitæ perpetuò adstricti.

Pro intellectu Canonis observandum, Patres jam pridem existimâsse, per professionem clericalem in cujuscunque Ordinis etiam minoris susceptione, alicui vitæ, & professioni clericali ita adstringi, ut sinè quadam apostasia non liceret ad vitæ secularis exercitia professioni clericali opposita transire; licèt ad statum Matrimonialem, tamquam clericatui haud repugnantem transire, non esset interdictum.

Unde circa tempora hujus Synodi decrevit Synodus Turonensis *Can.* 5. „ Si quis Clericus, relicto „ officii sui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel „ se militiæ tradiderit, excommunicationis pœnâ fe„ riatur.“

Et multis hanc disciplinam in suis Novellis, præsertim *Novellâ* 123. *cap.* 15. inculcat Justinianus Imp. Rationem illius reddit S. Ambrosius *Epist.* 17. „ Quid „ enim, *ait*, stultius, quàm relictis cœlestibus ad ter„ rena intendisse, & posthabitis perpetuis, elegisse ea, „ quæ caduca sunt, & fragilia?“ Et nonnullis interjectis: „ Tu quicumque in Clero es Domini, portio „ ejus & possessio, noli recedere de Domini posses„ sione. “

Constans ergo erat Patrum sententia, quod qui semel vitam elegisset clericalem, eam deserere, & ad exercitia vitæ sacularis eidem opposita transire non posset: quòd & Canonis finalia verba inuunt: *Qui autem hoc audent, & non pœnitentiâ ducti ad id revertuntur, quod* propter Deum *priùs elegerunt*, anathematizari.

Hac disciplinâ, & opinione suppositâ, nihil mirum, si Clero semel adscriptos, non secus ac Monachos vetet Canon ad *militarem expeditionem*, vel *secularem dignitatem transire*: cum semper reputatum fuerit, expeditionem militarem, ac seculares dignitates non minus professioni clericali, quàm monasticæ opponi.

Porrò hanc disciplinam etiam usque ad seculum XIII. viguisse ostendit Thomassinus de *discipl. Eccles. p.* 4. *lib.* 2. *cap.* 3. unà observans, nec hodie ad Clerum quemquam esse assumendum, nî probabilis sit conjectura, illum eo animo accedere, ut perpetuò Ecclesiæ, & Deo in hoc vitæ genere inserviat.

Præpositi dominibus & monasteriis, ac Martyriis subjecti Episcopo.

Can. VIII. „ Clerici Ptochotrophiorum, Monas„ teriorum, & Templorum Martyrum sub potesta„ te Episcoporum, qui sunt in unaquaque civitate „ ex SS. Patrum traditione, permaneant, & non per „ arrogantiam se à propio Episcopo, imperium ejus „ detrectantes, subducant. Qui hanc autem constitu„ tionem evertere ausi fuerint, si sint quidem Clerici, „ Canonum pœnis subjiciantur, si autem Monachi vel „ Laici sint, excommunicentur.“ Grat. *dist.* 18. *Can.* 10.

„ Sunt *Ptocheia*, inquit Zonaras, domus, quæ pau„ peribus sustentandis, curandisve destinatæ sunt, qua„ les ea videlicet, in quas aut pupilli, aut alii ætate „ variisque morborum generibus confecti homines re„ cipi & ali solent.“

Ne verò homines illi infirmi, aut ætate confecti divinis officiis frustrarentur, curæ fuit Fundatoribus, „ & in eis ædiculas excitare, ait Zonaras, & divinis „ laudibus persolvendis Clericos constituere, ut ad „ eas auscultandas tota illa qualiscunque familia non „ difficile conveniret.“

Clerici necessariè subjiciuntur Episcopis, ne Hierarchia evertatur.

Eos igitur Clericos, quique & in martyriis, templis scilicet Martyrum nomini dicatis, uti & monasteriorum Clericos, suæ quemque regionis Episcopo vult esse subjectos; sive ut ait Canon, *in potestate Episcoporum, qui sunt in unaquaque Civitate ex Sanctorum Patrum traditione permaneant*; atque hinc constat, Patres hîc nihil novi constituisse, sed quod ex Patrum traditione acceperant, confirmâsse.

Et sanè, sicuti subordinatio hierarchica ex Episcopis, Presbyteris, & aliis inferioribus ministris constans, ex traditione Apostolica habetur: ita & eidem traditioni adscribendum, quod Clerici in his, quæ functiones hierarchicas spectant, Episcopo tanquam Hierarchiæ Capiti subjiciantur; cùm manifestum sit, sine illa subordinatione Hierarchiam consistere non posse.

Hinc rursus patet, Monachos ad Clericatum assumptos, in his, quæ Clericatum concernunt, arctiùs Episcopo subjici, quàm Monachos consideratos, ut Monachos & quoad disciplinam merè monasticam. Nec enim sub ea consideratione propriè ad Hierarchiam pertinent, sed de sorte Laicorum sunt, ex quo ulteriùs conficitur exemptionem Monachis indultam nequaquam trahi posse ad Monachos ut Clericos, aut functiones hierarchicas exercentes: uti latiùs ostendi in citato Repagulo, ibidem unà ostendens, ex non exacta hujus regulæ custodia contra mentem Pontificum, summam in Ecclesia, occasione exemptionum, oriri confusionem.

Coram quo judicium contra Episcopum aut Metropolitanum instituendum.

Can. IX. „ Si quis Clericus habet cum Clerico li„ tem, aut negotium, proprium Episcopum ne relin„ quat & ad secularia judicia ne excurrat, sed causam „ priùs apud proprium Episcopum agat, vel de Epis„ copi sententia apud eos, quos utraque pars elegerit, „ judicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, „ canonis pœnis subjiciatur. Si Clericus autem cum „ proprio Episcopo, vel etiam alio Episcopo nego„ tium aut litem habeat, à Provinciæ Synodo judice„ tur. Si autem cum ipsius Provinciæ Metropolita„ no Episcopus, vel Clericus controversiam habeat „ Diœcesis Exarchum adeat, vel Imperialis Urbis „ Constantinopolis Tronum, & apud eum liti„ get.“

Canonem refert Gratian. *caus.* 11. *q.* 1. *cap.* 46. item Raymundus partem illius, eamque truncatam refert *in cap.* 9. ✠ *de foro competenti.*

Quid Exarchus.

Canon per se planus est; hoc unum notandum, per *Exarchum* hîc intelligi eum, qui pluribus Provinciis ecclesiasticis, (qui districtus olim *Diœcesis* dicebatur) præest. Hoc sensu in Concilio Antiocheno, cujus acta in hoc Concilio Act. 14. recitata sunt, dixit Stephanus Episcopus, Athanasium Episcopum Perrhæ ab *Exarcho* Orientalis Diœcesis evocatum non fuisse.

Interdum autem eos, qui hîc *Exarchi* vocantur, dicti fuêre *Primates*: unde & Dionysius pro *Exarchum*, legit *Primatem Diœcesis*; uti & Isidorus.

Pluralitas beneficiorum damnata.

Can. X. „ Non licere Clericos in duarum civita„ tum Ecclesiis eodem tempore in Catalogum referri, „ & in ea, in qua in principio ordinatus est, & in ea, „ ad quam tanquam ad majorem confugit, propter „ magnæ gloriæ cupiditatem: eos autem, qui hoc fa„ ciunt, propriæ Ecclesiæ restitui, in qua ab ini„ tio ordinati sunt, ut illic solùm ministrent: sed si „ jam quispiam ex alia in aliam Ecclesiam translatus „ est, nihil prioris Ecclesiæ, vel eorum, quæ sub eo „ sunt Martyriorum, vel Ptochotrophiorum, vel Xe„ nodochiorum rebus communicare; eos autem, qui „ ausi fuerint post magnæ hujus, & universalis Sy„ nodi definitionem aliquid eorum, quæ sunt prohi„ bita, facere, statuit sancta Synodus eos proprio gra„ du excidere.“

Nota olim non fuit beneficiorum compatibilium, & incompatibilium distinctio.

Juxta modernam Ecclesiæ disciplinam Clerici per institutionem, & possessionem Beneficiorum Ecclesiis, in quibus Beneficia fundata sunt, adscribuntur; quapropter dum quis duo Beneficia in duabus Ecclesiis obtinet, in duabus Ecclesiis eodem tempore censetur adscriptus; sive in Catalogum Clericorum duarum Ecclesiarum relatus, contra hujus Canonis Sanctionem.

Hinc nulli dubium est, quin hic Canon pluralitatem Beneficiorum absolutè, idque sub gravissimis pœnis condemnet; & sine ullâ Beneficia compatibilia inter & incompatibilia distinctione, quæ multis post seculis demum exorta fuit. Vide notata ad Canonem 15. Concilii VII.

Pensiones ex causa resignationis & permutationis improbatæ.

Ulteriùs, dum sub iisdem pœnis mandat, ut ex legitimâ causâ de una ad aliam Ecclesiam translatus, prioris Ecclesiæ rebus in nullo communicet, evidenter reprobat pensiones hodiernas ex causa permutationis, sive resignationis, quasi sola Beneficii alicujus per tempus aliquod possessio causa esset sufficiens, ut in ejus vel resignatione, aut permutatione pensio retineretur: de quo fusiùs egi in Tractatu de *Simonia & Pensionibus*, *p.* 2. *c.* 4. & 5.

Quibus concedenda pacificæ & quibus commendatitiæ. Alia Canonis lectio.

Can. XI. „ Omnes pauperes, & qui auxilio indi„ gent, cum examinatione, cum epistolis seu pacifi„ cis Ecclesiasticis solis viam ingredi statuimus, & „ non cum commendatitiis, quoniam litteras com„ mendatitias iis solis personis, quæ sunt suspectæ, „ præberi oportet.“

Dionysius verba finalia ita legit: *Propterea quod litteras commendatitias* honoratioribus *tantummodò personis præstari conveniat.* Isidorus pro *honoratioribus* legit, *qui in opere sunt clariores.* Ab his non discordat vetus Codex Romanus à Quenellio editus, pro *honoratioribus* legens, *qui bonæ opinionis esse videntur.*

Latinorum

Hæc Latinorum lectio sat luculenter sensum Ca-

no-

nonis exhibet; si modò quid *pacificæ*, & quid *commendatitiæ* litteræ comprehenderent, intelligamus.

rum lectio reddit sensum magis perspicuum & rationi conformiorem.

Prioribus quidem, duo comprehensa erant; illos nimirùm, qui eas adferebant, reverà *pauperes* esse, & *dignos*, quibus eleemosynæ darentur. Hinc priorem hujus Canonis partem ita interpretatus est Josephus Ægyptius: *De omnibus pauperibus, qui eleemosynas rogant, mandamus modò, ut scribentur iis Ecclesiis, cùm inquisitum est in negotia eorum, & quòd illi digni sunt eleemosynis, & quòd necessaria illis deficiant.* Posterioribus verò, scilicet *Commendatitiis* non comprehendebatur duntaxat, ut iis muniti, communionis, sive *pacis* & *hospilitatis* jure, sive *necessariis alimentis* gauderent; sed insuper, ut cum aliquo honore, & *latiùs*, ac digniùs reciperentur, ut proinde mirum non sit, has non omnibus indifferenter pauperibus, sed *honoratioribus* duntaxat concedi, uti rectè observat Vir eruditus Albaspinæus in notis ad hunc Canonem; ibidem ostendens, Latinorum lectionem Græcorum lectioni præferendam; sensumque, quem Græci Canoni juxta suam lectionem affingunt, nullatenus cum verbis Canonis consistere.

Quid pacificæ & commendatitiæ.

Sensus Canonis.

Pacifica non danda nisi prævio examine.

Hoc in præsenti notandum, Epistolas *pacificas* sive communicatorias pauperibus non esse concedendas nisi *cum examinatione*, utrum nimirùm tales sint, qui eleemosynis digni sint: si enim & hodiè persuasum esset, litteras similes non dari, nisi hujusmodi examine præcedente, non dubium, quin ampliùs illis quàm solet deferretur; & opera charitatis afferentibus securiùs, & largiùs exhiberentur.

Qua ratione Metropoles Ecclesiasticæ formentur ad normam civilium.

Can. XII. » Pervenit ad nos, quòd quidam, cùm » præter ritus ecclesiasticos ad Potentatus accesissent, » per Pragmaticas unam Provinciam in duas divise- » runt: ut ex eo essent duo Metropolitani in eadem » Provincia. Statuit ergo S. Synodus ne Episcopus » deinceps tale quid audeat; quoniam is, qui hoc » aggreditur, à suo gradu excidit. Quæcunque au- » tem civitates per Litteras Imperatorias Metropo- » lis nomine honoratæ sunt, solo honore fruantur, & » qui ejus Ecclesiam administrat Episcopus, servato » scilicet veræ Metropoli suo jure. « Grat. *Dist.* 101. » *Can.* 1. sed omissâ postremâ Canonis parte.

Ut hic Canon intelligatur, sciendum, Ecclesiam in Imperio natam, & crescentem, regimen suum externum ad imperii regimen, quantum possibile fuit, ordinâsse. Unde civitates, quæ secundum Reipublicæ distinctionem erant *Metropoles*, etiam in Hierarchia Ecclesiastica voluit esse *Metropoles*; Episcoposque qui iis præerant, *Metropolitanos*; ut ex Canone XI. Antiocheno, aliisque perspicuum est.

» Hinc divisa per Principem Provincia, ait Lu- » pus, quomodo duos Præsules, seu civiles Rectores, » ità duos accipiebat Episcopos Metropolitas. «

Interdum civitas erigebatur in Metropolim sine vera provinciarum divisione.

Contingebat verò ut Episcopi dignitatem, & honorem Metropolitæ appetentes, ab Imperatore impetrarent, civitatem suam citra realem & veram Provinciarum divisionem, quasi nomine tenus in Metropolim erigi; atque ita suam Cathedram in Metropoliticam.

Exemplum illius disciplinæ.

Exemplum tempore hujus Synodi occurrebat in Eustachio Berytensi, ad cujus preces Theodosius Imperator civitatem Berytensem in Metropolim ecclesiasticam erexerat citra veram Provinciarum divisionem; adversus quam erectionem supplicavit Photius Tyriorum Metropolita, cui Berytensis Ecclesia subjecta fuerat, Marciano Imperatori; qui causam Synodo Calchedonensi commisit, eaque actione IV. discussa & terminata fuit. Et quidem Judicibus rogantibus, *an è Patrum regulis aut è sacris Principum Pragmaticis hæc causa essent examinanda*, respondit Synodus, *contra regulas nihil Pragmaticum valere.* Et rursus Judicibus petentibus, *num liceat è sacro Pragmatico alienæ Ecclesiæ jura ab aliis Episcopis averti*, denuò respondit Synodus: *non licet hoc, est præter regulas.* Et infrà: *Unum juxta regulas SS. Patrum volumus esse Metropolitam: petimus, ut regulæ SS. Patrum teneant.*

Post hæc Atticus Nicopolitanus Episcopus dixit: » Trecentorum decem & octo Patrum regula *unum* » vult *Metropolitam* in quavis Provincia esse Episco- » pum, & supplicamus, ut etiam nunc *virtus re-* » *gularum in omnium & in omnes Provincias valeat*: » cessantibus *omnibus Pragmaticis*, quæ ex concursa- » tione, & ambitione fiunt, quæque everterunt ea, quæ » spiritualiter, & secundum Deum à Sanctis Patri- » bus sancita sunt. Magnificentissimi, & gloriosissimi » Judices dixerunt: Juxta regulas 318. Sanctorum Pa- » trum, & juxtam sententiam totius sanctæ Synodi » Photius Reverendissimus Episcopus Tyriorum Me- » tropolis omnem potestatem ordinandi in universis » civitatibus primæ Phænices Provinciæ habebit. Eus- » tachius verò Reverendissimus Episcopus à sacro » Pragmatico typo nihil amplius sibi vindicet, quàm » reliqui Episcopi Provinciæ, & an his consentiat » sancta Synodus, edoceat. Sancta Synodus acclama- » mavit: *hoc justum judicium, hoc Dei judicium, hæc* » *justa sententia.*

Occasio, & Sensus Canonis.

Ex his perspicuum est, quâ occasione præsens Canon sit editus, quippè qui est illud ipsum decretum in formam Canonis redactum, eo tamen temperamento, ut non tam Pragmaticas Principum, quibus Metropoles erigunt, quàm Episcopos has Pragmaticas importunè, & ex vanitate & fastu solicitantes feriat, ut notat Lupus: ideoque nec sic ipsam Principis auctoritatem refrænat, quin possit etiam citra Provinciarum divisionem civilem, Cathedram aliquam in Metropolim erigere: ita tamen ut *solo nomine & honore* perfruantur ita erectæ Metropoles; *servato scilicet veræ Metropoli suo jure.*

Honor Metropolitis delatus quis.

Hic honor præcipuè consistebat in duobus. Primò, quod nomine *Metropolitæ* gauderent; secundò, quòd in Synodo Provinciæ primum post Metropolitam locum ante omnes Comprovinciales, licèt consecratione anteriores, obtinerent.

Clerici sine commendatitiis non admittendi.

Can. XIII. » Externos Clericos, & ignotos in » alia civitate sine proprii Episcopi commendatitiis lit- » teris nusquam ullo modo ministrare. «

Sensus Canonis.

Grat. *dist.* 71. *Can.* 7. legens *extraneo Clerico*, & *Lectori*; at, ut rectè notat Cujacius ad *c.* 5. ✠ *de Clericis non resid.* legendum ex Græco, *ignoto*: quod & sensum Canonis clariorem reddit; hunc nimirùm, Clericum externum & ignotum non esse ad ullum Ecclesiasticum officium admittendum, nisi litteras commendatitias à suo Episcopo habeat; quod & aliis Canonibus frequenter statutum fuit; ne alias Clerici immorigeri, & in suis Ecclesiis à functionibus exclusi, in ministeria ecclesiastica furtim irrepant.

Renovatus in Synodo Tridentina.

Canonem hunc, eoque contentam disciplinam renovat Synodus Tridentina, præcipiens Episcopis, ut » singuli in suis Diœcesibvs interdicant, ne cui vago » & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. « In Decreto *de obs. & evit. in celebrat. Missæ.* Et expressus *Sess.* 23. *c.* 16. *de reformat.* » Nullus præte- » rea Clericus peregrinus, inquit, sine commenda- » titiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad di- » vina celebranda, & Sacramenta administranda ad- » mittatnr. «

Qua ratione Synodi Belgicæ decreta hæc inculcaverint, sæpiusque innovaverint, quidquid in his litteris hodie desideretur; latiùs deducam in Jure ecclesiastico *p.* 2. *tit. de Sacrificio Missæ.*

Clerici in minoribus constituti, quas in uxores accipere nequeant.

Can. XIV. » Quoniam in nonnullis Provinciis con- » cessum est Lectoribus, & Cantoribus uxores duce- » re, decrevit Sancta Synodus, nulli eorum licere di- » versæ à recta opinionis uxorem ducere, eos autem, » qui ex ejusmodi matrimonio liberos susceperunt, si » eos quidem baptizare apud hæreticos prævenerint, » ad Catholicæ Ecclesiæ Communionem adducere: si » autem non baptizarint, non posse eos apud hære- » ticos baptizare. Sed neque Hæretico, vel Pagano, » vel Judæo, matrimonio conjungere, nisi utique per- » sona quæ orthodoxæ conjungitur, se ad orthodo- » xam fidem convertendum spondeat. Si quis autem » hoc Sanctæ Synodi decretum transgressus fuerit, Ca- » nonicis pœnis subjiciatur. «

Primam duntaxat Canonis partem refert Gratianus *dist.* 32. *Can.* 15. Canon satis innuit, in quibusdam Provinciis tempore hujus Synodi prohibitas fuisse nuptias Lectoribus & Cantoribus: ut proinde mirum non sit, si Ecclesia Latina hodie à quibusdam continentiam exigat, à quibus Orientalis non requirit.

Sensus Canonis.

Quod in Canone dicitur, eos qui alterius sectæ uxorem duxerant, & ex eo matrimonio liberos susceptos ab Hæreticis baptizari permiserant, debere ad Catholicæ Communionem adducere, id ita intelligi oportet, ut » vel Sancto Chrismate solùm inunganr » tur, ait Zonaras, si ab Hæreticis recepto ab Eccle- » sia more baptizati sint, vel si alieno ab eccle- » siastica consuetudine damnatoque ritu initiati, sa- » lutaribus undis iterum repetito Baptismo expien- » tur.“

Can. XV. » Diaconissam non esse mulierem or-
» dinandam ante annum quadragesimum, & eam cum
» accurata examinatione. Si autem postquam ordi-
» natione susceptâ ministerio aliquo tempore per-
» mansit, seipsam matrimonio tradiderit, Dei gratiæ
» injuriam faciens, ea unà cum illo, qui ei conjunctus
» est, anathematizetur. « Grat. 38. *q.* 1. *Can.* 25.

De Ordinatione Diaconissæ.

Diaconissas per manum impositionem eodem penè ritu, quo Diaconi, præsertim in Oriente, ordinatas fuisse, ex antiquis Græcorum ritualibus probat Morinus de SS. Ordinat. *p.* 3. *Exercit.* 10. *cap.* 1. præmonetque, » hæc videri posse comunem Theologorum sententiam evertere, quæ negat ordinationem » ullam mulieribus competere posse: Verùm, ait » Morinus, non existimant Græci istâ cæremoniarum communicatione ullam mulieribus propriè dictam χειροτονίαν infundi, ut disertissimè testatur S. » Epiphanius hæresi 79. *Quanquam Diaconissarum in* » *Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotii func-* » *tionem, aut ullam hujusmodi administrationem* » *institutus est, sed ut muliebris sexûs hones-* » *tati consulatur &c.* Nec opinor Theologos aliquos » ita severos fore, ut mulieres abdicare velint omni » in Ecclesia erga alias mulieres ministerio, & sacra aliqua ad illud suscipiendum & conferendum » cæremoniali inauguritane. « Hæc Morinus; qui multis probat antiquitùs Diaconissas per manus impositionem fuisse ordinatas: cui Canon favet, presertim apud Dionysium, qui legit: *Si verò suscipiens Manus impositionem*: At Canonem Nicænum 19. ad hanc ordinationem à Morino malè adduci monui ad dictum Canonem; neque tempore Synodi Nicænæ Clero adhuc fuisse annumeratas. Diaconissarum officium idem penè erat circa mulieres, quod Diaconorum circa viros; uti ex antiquis monumentis ostendit Morinus *loco citato cap.* 3. monetque, quod tota illa disciplina in Diaconissis & ipsæ Diaconissæ, ab hinc annis quingentis & amplius abolitæ sint & extinctæ in utraque Ecclesia Græca & Latina.

Qua ratione hodie devota mulieres officium Diaconissarum subire queant.

Porrò cùm inter officia harum mulierum numeretur apto & sano sermone docere imperitas, & rusticas mulieres, ut tempore quo baptizandæ sunt, baptizatori interrogatæ respondeant, & qualiter accepto Baptismate vivant, *Syn. Carth. VI. Can.* 12. indubiè mulieres illæ, quæ hodiè pauperes puellas, aut imperitas mulieres diebus Dominicis, aut festis privatim instruunt, licèt Diaconissarum ordinationem non recipiant, officium tamen earum à Patribus laudatum æmulantes, earum etiam mercedem consequentur.

Virgo Deo dicata nuptias contrahere non potest.

Can. XVI. » Virginem, quæ se Domino Deo
» dedicavit, similiter & Monachos non licere ma-
» trimonio conjungi. Sin autem hoc fecisse inventi
» fuerint, sint excommunicati. Ostendendæ autem in
» eos humanitatis auctoritatem habere statuimus Epis-
» copum ejus loci.“

Grat. 72. *q.* 1. *Can.* 22. ex versione Isidori; & eundem ibidem ex versione Dionysii *Can.* 12. retulerat sub nomine Synodi Triburiensis, uti notat Correctio Rom.

Termini Diœcesium spatio 30. annorum præscribuntur.

Canon. XVII. » Quæ sunt in unaquoque Provin-
» cia, rurales, vicinasque Parochias, firmas & in-
» concussas manere apud eos, qui illas teneant Epis-
» copos: & maximè si 30. annorum tempore eas sine
» vi detinentes administraverint. Si autem intra 30. an-
» nos fuit aliqua vel fuerit de iis controversia, lice-
» re iis, qui injuriam sibi fieri dicunt, de iis litem
» movere apud Synodum Provinciæ. Si quis autem
» injuria afficiatur à proprio Metropolitano, apud
» Exarchum Diœcesis, vel Constantinopolitanam Se-
» dem litiget, sicut priùs dictum est. Sin autem etiam
» civitas aliqua ab Imperatoria auctoritate innovata fue-
» rit, civiles & publicas formas ecclesiasticarum quo-
» que Parochiarum ordo consequatur. Grat. 19. *q.* 3.
» *Can.* 1.

Civitas à Principe in Metropolim erecta privilegia etiam ecclesiastica consequitur.

» Postrema pars Canonis, ait Lupus, confirmat
» antiquam Principis potestatem, qua castrum, aut
» villa ab ipso in civitatem erecta, statim consequi-
» tur non tantùm civilia privilegia, sed & ecclesias-
» tica, quorum principale est Cathedra & Clerus
» Episcopalis.... Atque ita facta per Principem nova
» civitas habet Episcopum, isque non viciniorem, à
» cujus Throno divulsus est, Episcopum habebit in Me-
» tropolitam, sed illum, qui secundum laudatos Ca-
» nones, est verus & antiquus Metropolita istius
» Provinciæ. Unà hîc rursus confirmatur, quod ad
» Canonem XII. annotatum est; distributionem Dioe-
» cesium, & Provinciarum Ecclesiasticarum factam &
» mutatam fuisse secundum civilem earundem distinc-
» tionem; repeti quoque ex ibi annotatis poterit,
» quid sint *Exarchi* in Canone; reliqua autem Ca-
» nonis perspicua sunt.“

Conjurationes & phratria prohibita.

Can. XVIII. „ Conjurationis vel sodalitatis cri-
» men ab externis etiam legibus est omninò prohi-
» bitum: multò magis hoc autem in Dei Ecclesia fie-
» ri prohibere oportet. Si qui ergo Clerici vel Mo-
» nachi inventi fuerint, vel se jactantes, vel sodali-
» tates comparantes, vel aliquid struentes ac mo-
» lientes adversus Episcopos, ac Clericos, pro-
» prio gradu omninò excident.“ Grat. 11. *q.* 1. *Can.* 21.

Quid conjuratio.

„ Conjuratio est, ait Zonaras, cùm adversus ali-
» quos inito consilio, nunquam se quieturos donec
» cogitata perfecerint, mutuo se invicem jurejurando
» complures obligavêre.“

Quid Sodalitas sive phratria.

» Soladitas sive ut Græcè sonat & legit Isidorus,
» *phratria*, conventiculum est, ait Zonaras, &
» ad maleficia suscipienda quorundam consensio.“

His prænotatis, perspicuus est Canonis sensus; satisque apparet, pœnam crimine non esse justo graviorem.

Synodorum celebratio.

Can. XIX. „ Pervenit ad aures nostras, quod in
» Provinciis, Canonibus constitutæ Episcoporum Sy-
» nodi non fiant, & ex eo multa ecclesiastica negli-
» guntur, quæ correctione indigent. Statuit ergo
» Sancta Synodus secundum Sanctorum Patrum Ca-
» nones, ut bis in anno eundem in locum conveniant
» uniuscujusque Provinciæ Episcopi, ut Metropoli-
» tanus meliùs esse perspexerit, & singula emergen-
» tia corrigant: Episcopi autem qui non conveniunt, si
» in eadem Metropoli versentur, atque adeo sani
» sint & ab omni inexcusabili & necessario negotio
» liberi, fraternè reprehendantur.“ Grat. *dist.* 18. *Can.* 6. Est innovatio Canonis V. Nicæni, cujus annotata repete.

Clericus in Ecclesia, cui semel est redditus manere debet.

Can. XX. „ Clericos in Ecclesiis Ministerio fun-
» gentes quemadmodum jam statuimus, non licere in
» alterius civitatis Ecclesia ordinari, sed illa esse con-
» tentos, in qua ab initio ut ministrarent digni ha-
» biti sunt; præter illos qui amissâ suâ patriâ in aliam
» Ecclesiam necessariò transierunt. Si qui autem Epis-
» copi post hoc decretum, Clericum qui ad alium
» Episcopum pertinent, susceperint, placuit esse ex-
» communicatos, eumque qui susceptus est & eum
» qui suscepit, donec Clericus, qui migravit, in suam
» Ecclesiam redeat.“ Grat. *dist.* 71. *Can.* 4.

Canon hic est tertium è tribus Capitulis, quæ Marcianus Synodo sancienda proposuerat; Synodusque in eo sanciendo nihil immutavit, aut addidit præter hæc verba, *quemadmodum jam statuimus*: quæ idcircò addita videntur, quia eadem priùs Canone V. in genere constituta erant.

Canones non sunt editi in eadem Actione.

Vel ex hoc sufficienter patet quod suprà monuimus, Canones hos non esse unâ eâdemque Actione editos: imò admodum verisimile est Canonem V. ante Actionem VI. cui Marcianus interfuit, & Capitulum hunc Canonem constituens, sanciendum Synodo proposuit, fuisse editum.

Cæterum de disciplina Canonis repete notata ad Canonem XV. & XVI. Nicænum, & Canonem I. & II. Sardicensem.

Non quilibet ad accusationem Episcopi admittendi.

Can. XXI. „ Clericos vel Laicos, Episcopos,
» aut Clericos accusantes, non indiscriminatim nec ci-
» tra inquisitionem admittere ad accusationem, nisi
» eorum existimatio priùs examinata fuerit.“

Grat. 2. *q.* 7. *Can.* 49. sed nonnulli à Græco recedens, uti notant Correctores Romani; qui & rectè monent, quæ hoc Canone dicuntur copiosè exponi in Concilio Constantinopolitano I. *Can.* 6. quem repete.

Res propria Episcopi à Clericis non auferendæ.

Can. XXII. » Non licere Clericis, post mor-
» tem proprii Episcopi, res quæ ad ipsum pertinent,
» rapere, quemadmodum & iis, qui assumunt, pro-
» hibitum est: eos autem, qui faciunt, de pro-
» prio gradu in periculum venire.« Grat. 12. *q.* 2. *Can.* 43.

Alia Canonis lectio.

Pro illis verbis: *quemadmodum & iis, qui assumunt*, in quibusdam legitur, *ut antiquis quoque Canonibus*, ut monet nota marginalis ad hunc Canonem ex versione Herveti. Eadem lectio est apud Dionysium, & apud Joannem Antiochenum in collectione Canonum *tit.* 4. Isidorus legit: *sicut jam præcedentibus regulis statutum est*, quem sequitur

Gra-

Gratianus. Codex Romanus Quesnellii habet : *sicut & anterioribus Canonibus cautum est.*

Hæc lectio preferenda. Hanc lectionem priori Herveti, quæ & apud Balsamonem extat, præferendam esse rectè observat, & probat Beveregius ; unà notans, hîc reflecti ad Canonem 39. Apostolorum ; quo solicitè cavetur, ut post mortem Episcopi fiat provida discretio rerum spectantium ad Episcopum, & spectantium ad Ecclesiam ; *nec Episcopus vel ejus cognati Ecclesiæ prætextu proscribantur, vel in negotia, litesque incidant* ; id est, ut Episcopo ejusque hæredibus res propriæ relinquantur ; quod hoc Canone unicè cautum esse perspicum est.

Sensus Canonis.

Contra Monachos & Clericos in rebus extraneis. Can. XXIII. » Pervenit ad aures sanctæ Syno» di, quòd Clerici quidam, & Monachi, quibus ni» hil à proprio Episcopo mandatum est, & sunt » etiam ab ipso communione segregati, ad Impera» toriam Constantinopolis urbem se conferunt, & in » ea diù morantur, turbas excitantes, & Statum Ec» clesiasticum perturbantes, aliquorum domos sub» vertunt. Statuit ergo S. Synodus, ut ii priùs à » sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ defensore » admoneantur, ut Imperatoriâ urbe excedant : si au» tem in iisdem negotiis impudenter perseverent, ut » per proprium defensorem ejiciantur, & in propria » loca revertantur. «

Monasteria de consensu Episcopi semel dicata in usum prophanum converti nequeunt. Grat. 16. *q.* 1. *Can.* 17. sed quibusdam omissis, sive in compendium contractis, uti notat Correctio Roman.

Perspicuus est Canon, & nullum particularem disciplinæ articulum exhibet. Cæterum *De Defensoribus* vide Can. 75. & 97. Africanos.

Can. XXIV. » Quæ semel voluntate Episcopi » consecrata sunt monasteria, perpetuò manere mo» nasteria, & res quæ ad ea pertinent, servari, ea» que non ampliùs fieri secularia habitacula ; eosque » qui hoc permittunt, Canonum pœnis subjici. « Grat. 19. *q.* 3. *Can.* 4.

Hunc Canonem renovat Synodus VII. Œcumenica Canone XIII. uti ibidem videbimus : hoc unum hîc notant Græci, rectè additum, *voluntate Episcopi.* » Monasterium enim quodcunque, ait Zonaras, » aut nullâ Episcopi auctoritate, aut consecratione » legitimâ, instar fundamenti firmissimi præeunte ex» citatum, ne monasterii quidem loco haberi placet. «

De Metropolitanis Ordinationes suffraganeorum negligentibus. Can. XXV. » Quoniam nonnulli Metropolitani, » ut sæpè à nobis auditum est, & gruges sibi com» missos negligunt, & Episcoporum Ordinationes dif» ferunt, sanctæ Synodo placuit, ut intra tres men» ses Episcoporum Ordinationes fiant, nisi inexorabi» lis utique necessitas effecerit, ut dilationis tempus » prorogetur. Si autem hoc non fecerint, eos eccle» siasticæ pœnæ subjici. Viduæ verò Ecclesiæ reddi» tum, apud Ecclesiæ œconomum salvum custo» diri. «

Distinctio inter hunc Canonem, & Decretum Synodi Trid. & distinctionis ratio. Tempus Consecrationi, seu Ordinationi Episcoporum hoc Canone præfixum, etiam servandum esse decrevit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 2. *De Reformat.* Attamen hæc inter Tridentinum Decretum, & Canonem nostrum intercedit differentia, uti rectè notat Christianus Lupus, » quòd hîc à cœpta vacatione » Ecclesiæ, Tridentinum verò Decretum à data per » Dominum Papam confirmatione velit tres menses » computari. « Cùm enim juxta pristinam disciplinam electio Episcopi fieret congregatis Comprovincialibus præsidente Metropolitano ; cui & jus confirmandi, & consecrandi competebat, omnia facilè intra tres menses à die vacationis perfici poterant : at, devoluto jure confirmandi ad Sedem Apostolicam vix possibile est, ut infrà tres menses à die vacationis consecratio fiat ; ideoque à die obtentæ confirmationis hoc tempus computari cœpit.

Postrema Can. sententia à Synodi Trident. renovata. Similiter quòd hîc præcipitur, viduatæ Ecclesiæ redditum apud Ecclesiæ Œconomum salvum custodiri : » ita scilicet, ait Zonaras, ut quæ opus fuerit in » Episcopatûs necessarios usus erogatis, reliqua dein» de, si qua fortè supererunt, sarta recta conser» vent : « Hoc, inquam, à Synodo Tridentina renovatum est *Sess.* 24. *c.* 16. *de Reform.* & facilè per X. secula hæc constans fuit disciplina, ut redditus Ecclesiæ vacantis futuro Episcopo servarentur ; at seculo X. paulatim cœperunt Reges fructus vacantium Ecclesiarum sibi arrogare jure quodam *regaliæ* ; de cujus juris origine hîc non est disserendi locus.

Episcopus per œco- Can. XXVI. » Quoniam in nonnullis Ecclesiis, » ut sæpè à nobis auditum est, Episcopi absque Œco-

» nomo tractant res ecclesiasticas, placuit omnem Ec- *nomum res Ecclesia dispensare debet.*
» clesiam Episcopum habentem, ex proprio Clero » Œconomum habere, ut nec sine testibus sit Ec» clesiæ ministratio, ne ideo res ejus dissipentur, & » probrum, ac dedecus Sacerdotio inuratur. Si au» tem hoc non fecerit, eum divinis etiam Canonibus » subjici. «

Res Ecclesia primis seculis dispensabat Episcopus. Ex Canonibus Apostolorum & Antiochenis aliisque antiquis monumentis constat, primis ut minùs tribus seculis, omnes Ecclesiæ redditus, tam qui ex Fidelium oblationibus, quàm qui ex agrorum frugibus colligebantur, Episcoporum curæ, & dispositioni creditos fuisse ; ut ipsi ex iis sibi necessaria providerent, & quod superesset inter Clericos & pauperes distribuerent.

Occasio œconomorum. Cùm autem hoc malevolis quibusdam traducendi Episcopos occasionem præberet ; quasi non satis fideliter proventus ecclesiasticos distribuerent, cautum fuit ab antiquis Patribus, & hoc Canone generaliter observari præceptum, ut non ipsi Episcopi, sed œconomi, iique non ex domesticis ipsius Episcopi, aut ejus propinquis, sed ex Clero ipsius Ecclesiæ eligendi, administrent.

Observatio decreti Tridentini Episcopos à suspicione malæ administrationis eximet. Porrò œconomo, » ex Episcopi tamen sententia, » bona procurante, & quos in usus ecclesiastici reddi» tus insumantur, facilè apparebit, ait Zonaras, nec » erit cur quispiam in Ecclesiæ patrimonio dissolutum » Episcopum fuisse suspicari queat, eumque quasi sa» cros proventus perditè & irreligiosè effudentem, » convitiis contumeliisque proscindat.

Si Episcopi sedulò expenderent, observarentque, quod exemplo Patrum Carthaginensium ipsis tam sedulò inculcavit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reformat.* » non tantùm modestâ supellectile & » mensâ, ac frugali victu contenti sint, verùm etiam » in reliquo vitæ genere, ac tota domo caveant, ne » quid appareat à sancto hoc Instituto alienum, quod» que non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum » contemptum præ se ferat. Et quod adjungit : ne » res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis do» nent, sed si pauperes sunt, iis ut pauperibus dis» tribuant.... omnemque humanum hunc erga fra» tres, nepotes, propinquos carnis affectum, unde » multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, » deponant : « hæc inquam, si sedulò Episcopi observarent, non dubium quin à se facilè suspicionem amolirentur, quam amoliri hic Synodus Calchedonensis satagit.

Contra raptores. Can. XXVII. » Eos, qui nomine conjugii mu» lierem rapiunt, vel opem ferunt, ac consentiunt » eis qui rapiunt, statuit Synodus, si sint quidem » Clerici, proprio gradu excidere ; sin autem Laici, » anathematizari. «

Qui consentire rapteribus dicantur. » Adjutores quidem intelligimus, inquit Zona» ras, qui ad scelus patrandum operam suam rapto» ri commodârunt : consentire verò eos dicimus, quo» rum manus quidem à scelere abfuit, consilio ta» men, ac studio delinquentibus suppetias ac opem » tulerunt. »

Cæterùm de raptu ejusque pœnis hodie extat decretum Concilii Trid. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat. Matr.*

Privilegia indulta Episcopo Constantinopolitano. Can. XXVIII. » Sanctorum Patrum decreta ubi» que sequentes, & Canonem qui nuper lectus est, » centum & quinquaginta Dei amantissimorum Epis» coporum agnoscentes, eadem quoque & nos de» cernimus, ac statuimus de Privilegiis sanctissimæ » Ecclesiæ Constantinopolis novæ Romæ. Etenim an» tiquæ Romæ throno, quòd urbs illa imperaret, jure » Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratio» ne moti 150. Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo » novæ Romæ Throno æqualia privilegia tribuerunt, » rectè judicantes, urbem quæ & Imperio & Senatu » honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regi» na Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus eccle» siasticis, non secùs ac illam, extolli ac magni fie» ri, secundam post illam existentem : ut & Ponticæ » & Asianæ & Thraciæ Diœcesis Metropolitani soli, » præterea Episcopi præditarum Diœcesium, quæ » sunt inter Barbaros à prædicto Throno sanctissi» mæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ordinentur : uno» quoque scilicet prædictarum Diœcesium Metropo» litano, cum Provinciæ Episcopis, Provinciæ Epis» copos ordinante, quemadmodum divinis Canoni» bus est traditum. Ordinari autem, sicut dictum est, » prædictarum Ecclesiarum Metropolitanos à Cons»

» tantinopolitano Archiepiscopo, convenientibus de » more factis electionibus, & ad ipsum relatis. «

Hic est ille Canon, cui nunquam suum voluit præbere assensum S. Leo & cui in ipsa Synodo omnibus viribus omnique studio se opposuêre S. Leonis Legati.

Brevis descriptio contentionis inter Patres Calchedonenses, & Vicarios Sedis Apostolicæ.

Et quidem cùm hic confectus esset Actione XV. postridie rursùs congregatâ Synodo Paschasinus Sedis Apostolicæ Legatus apud Judices graviter conquestus est post Judicum suumque è Synodo discessum, quædam esse gesta contra Canones, quæ coram relegi petiit. Annuerunt Judices: sed priusquam relegerentur, dixit Aëtius Archidiaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, consuetudinis esse, ut absolutis quæ omnium sunt præcipua, quædam, quæ levioris sunt momenti constituantur. » Habuisse Ecclesiam Cons- » tantinopolitanam aliqua, quæ per Synodum de- » cernerentur. Rogâsse se Dominos Episcopos de Ro- » ma, ut communicarent iis gestis: ipsos autem refu- » tâsse, dicentes talia se non suscepisse mandata. Re- » tulisse quoque ad Judices, ipsosque jussisse, ut » præsens sanctum Concilium hoc ipsum inspiceret. » Post hæc Episcopos, tanquam de communi causa » surgentes postulâsse hæc fieri: *Et adsunt hic*, ait » Aëtius, *neque in occulto gestum est, neque furtim* » *sunt gesta, sed consequenter atque canonicè facta.* «

Dicuntur Episcopi circumventi, & ministerii.

His dictis relectus est Canon: Quo relecto, Lucentius S. A. Legatus clamare cœpit, » circumventos » Episcopos, coactosque subscribere: Nicænæ Sy- » nodi, & 318. Patrum decretis postpositis, 150. » Patrum, (scilicet Constantinopolitani Concilii I.) » qui in Synodicis Canonibus non habentur, mentio- » nem tantum fecisse noscuntur, quæ dicunt ante » octoginta propè annos constituta fuisse. Si his tem- » poribus hoc beneficio usi sunt, quid opus denuò » confirmare? Si nunquam in usu sunt, cur Syno- » di rogare sententiam super eo, quod contra Cano- » nes, & quod nunquam usurpatum? «

Recitatur mandatum S. Leonis.

Post hæc petente Aëtico Bonifacius S. A. Legatus recitavit hoc Leonis Papæ mandatum: » Sanctorum » quoque Patrum constitutionem prolatam nulla pa- » tiamini temeritate violari vel imminui, servantes om- » nimodis personæ nostræ in vobis (quos vice nostrâ » transmisimus) dignitatem: ac si qui fortè civitatum » suarum splendore confisi aliqui sibi tentaverint usur- » pare, hoc quâ dignum est, constantiâ retundatis. «

Judicibus mandantibus leguntur Canones.

His lectis, jubentibus Judicibus utraque pars legit ex suo codice Canones; nimirùm Romani Canonem VI. Nicænum; & Aëtius Archidiaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ similiter eundem, sed aliis verbis, ut supra *p.* 2. *c.* 1. notavimus, ac insuper Canonem III. Constantinopolitanum.

Episcopi respondent, se libera voluntate Canonem probasse. Judices probant Canonem.

Quibus peractis Judices petunt ab omnibus Episcopis, sed speciatim ab Episcopis Ponti & Asiæ qui de novo Patriarchatui Constantinopolitano subdebantur, & Alexandrino substrahebantur, utrum spontè, an aliqua necessitate coacti subscripserint: Cùm autem universi, nemine excepto, respondissent, se liberè & propria voluntate subscripsisse; deindè etiam auditis sententiis Episcoporum, qui non subscripserant, dixerunt Judices: ex his, quæ gesta sunt & ab unoquoque deposita perpendimus, *omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo* conservari: Oportere autem Sanctissimum Archiepiscopum Regiæ Constantinopolis novæ Romæ eisdem privilegiis honoris, & ipsum dignum esse, &c. uti in hoc Canone exprimitur. *Hæc à nobis inspecta sunt*, (inquiebant Judices.) *Quæ autem sibi videantur, sanctum, & universale Concilium docere dignetur. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Hæc justa sententia: Hæc omnes dicimus: Hæc omnibus placent: Hoc justum decretum est. Quæ constituta sunt, valeant: Hæc justa sententia. Omnia ordinatè decreta sunt.*

Synodus etiam probat.

Oppositio Vicarii Sedis Apostolicæ.

His reposuit Lucentius S. A. Vicarius, Sedem Apostolicam hujusmodi actis humiliari non debuisse: quæcumque autem in præjudicium Canonum, vel regularum hesterna die sese absentibus facta essent, irrita esse debere: sin minus, contradictio ejus actis inseratur, » ut noverimus, ait, quid Apostolico Viro » universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus; ut ipse » aut de suæ Sedis injuria, aut de Canonum eversio- » ne possit ferre sententiam. «

Tum Joannes Episcopus Sebastiæ dixit: » Omnes » in sententia vestræ magnificentiæ (id est, *Judicum*) » permanemus. Viri Illustrissimi Judices dixerunt, *quod* » *interlocuti sumus, tota Synodus approbavit.* «

S. Leo noluit consentire.

S. Leo receptis Synodi Actis nimirum in modum de triumphis contra hæreticos exultavit; sed ut hunc Canonem probaret, neque Imperatoris, neque Imperatricis aut Juliani Coensis sui Legati, neque Patrum Calchedonensium sollicitis precibus unquam induci potuit: imò resistere modis omnibus instituit, & rationibus decretum hoc infringere.

Quæ Canoni opposuerit.

Asserebat, coactam Synodum ad fidem vindicandam, perfidiamque Eutychianam perimendam non ad serviendum Anatolei Episcopi Constantinopolitani cupiditati. Deindè arguit Episcopos vel promissis electos, vel minis territos. Consilia Anatolii ad perturbationem & Ecclesiæ scandalum tendere. Canones Nicænos violatos esse sæpiùs inculcat. *Epist.* 80. *ad Anatolium*, editionis Quenelianæ.

Orientales in gratiam Leonis Canone usi non fuere.

Quid tandem hac sua oppositione apud Orientales evicerit S. Leo, non ita constat. Scribit Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 13. de hoc Canone loquens: *Et licet Sedes Apostolica nunc usque contradicat quod à Synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodammodò.* His non obscurè innuitur ea, quæ hoc Canone sancita sunt in gratiam Episcopi Constantinopolitani, *Imperatoris patrocinio* executionem obtinuisse, sed *quodammodò*: id est, non per omnia ut Synodo placuerat.

Alio titulo Episcopus Constantinopolitanus sibi privilegia asserit.

Et sanè satis verisimile est, quod observat Petrus à Marca *Lib.* 3. *de concord. Sacerd. & Imp. cap.* 3. in gratiam S. Leonis, etiam Orientales Canone hoc usque ac Synodum Trullanam usos non esse; Episcopum tamen Constantinopolitanum usum fuisse privilegiis, & juribus hoc Canone expressis, idque partim auctoritate Canonis III. Constantinopolitani, quem Patres Calchedonenses se renovâsse asserunt; partim auctoritate antiquæ consuetudinis, qua etiam ante editum hunc Canonem jus ordinandi Metropolitanos Diœceseos Ponti, Asianæ & Thraciæ sibi assuerat, & vindicaverat; maximè accedente Imperatorum patrocinio. Quibus verò gradibus sensim ad eam auctoritatem Episcopus Constantinopolitanus pervenisset, compendiosè & eruditè describit Quenellius *Dissertat. I. de vita & rebus gestis S. Leonis.*

Sensus Canonis.

Quænam verò Canon in gratiam Episcopi Constantinopolitani decernat, nequaquam est obscurum; ac imprimis renovat, confirmatque honoris prærogativas ipsi per Canonem III. Constantinopolitanum delatas. Deinde ipsi asserit, jus Patriarchicum in tres Diœceses, Pontum, Asianam & Thraciam; vi cujus earum Diœcesium Metropolitanorum ordinatio ad ipsum spectet, quod licet jam ante favore Imperatorum, & conniventiâ Episcoporum esset assecutus, hactenus tamen nullo positivo, ac conciliari decreto firmatum fuerat.

Canon adscribit Primatum Episcopi Romani Ecclesiæ aut Principum largitioni.

Sed dicet aliquis, videtur Canon innuere, prærogativam Ecclesiæ Romanæ profluxisse ex eo, quòd Roma olim *imperaret*, sive esset Sedes imperialis; eoque titulo aliis Ecclesiis à Patribus prælatam fuisse; atque ita Patres Calchedonenses, qui hunc Canonem probârunt, videntur censuisse, Primatum Romani Pontificis Urbis dignitati, & amplitudini potiùs, quàm Christi institutioni adscribendum. Absit, ut id Patribus illis affricemus: Neque enim de Primatu Episcopi Romani loquitur Canon: sed de quibusdam privilegiis ab ipso Primatu distinctis, neque illi necessariò connexis, sed quæ partim ab Ecclesiæ, partim à Principum largitione & Urbis amplitudine Episcopo Romano delata sunt. Hâc enim viâ successu temporis multa Ecclesiæ Romanæ obtigisse privilegia nemo, nisi omnis Historiæ, imò sensûs communis expers inficiabitur. Atque de his duntaxat Canonem loqui verba ipsa sat insinuant: *Etenim Antiquæ Romæ Throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres* privilegia *tribuerunt.* Hæcque sunt privilegia, non autem ipse *Primatus* jure divino Romano Episcopo competens, quæ Episcopo Constantinopoleos, tanquam *Novæ Romæ*, communicanda esse Patres Calchedonenses censuerunt: ut proinde sine fundamento Sectarii contra Primatum Episcopi Romani hunc Canonem urgeant.

Omittuntur 2. Canones, & quare?

Præter hos XXVIII. Canones, extant præterea duo sub nomine hujus Synodi apud Balsamonem, Zonaram, aliosque recentiores Græcos; sed cùm nullus antiquorum illorum meminerit; ipseque Photius in *præfatione ad Nomocanonem* fateatur, duntaxat 28. Canones ab hac Synodo editos fuisse, illos haud re-

fe-

ferendos censuimus, præsertim, cum 29. tantum sit repetitio eorum, quæ actione IV. à Paschasino, & Anatolio dicta fuerant, nimirùm, justum non esse, ut Episcopus ob crimen depositus Presbyteri locum obtineat. Canon autem 30. similiter est repetitio eorum, quæ in causa Episcoporum Ægypti (qui Epistolæ S. Leonis dogmaticæ subscribere nolebant, priusquam in locum Dioscori Patriarchæ Alexandrini, cui suberant, alter fuisset ordinatus) actione IV. decreta erant.

§. VII.

De Synodo Quini-Sexta, sive Trullana ejusque Canonibus.

ANnis aliquot post absolutam Synodum VI. adversus Monothelitas, Justiniano juniore imperante rursus convocata est Synodus Constantinopolim ad restaurationem disciplinæ, morumque reformationem: eo quòd Synodus VI. nullos Canones edidisset. » Quoniam, *inquiunt Patres in allocutione ad Imperatorem*, Sanctæ, & universales duæ Synodi (nimirùm quinta & sexta) Sacros Canones nequaquam conscripserunt, sicut reliquæ quatuor universales Synodi, per quos populi quidem à deteriore, & adjectiore vivendi ratione recedant, ad meliorem autem, & altiorem vitam se traducant... Sanctam hanc & divinitùs electam universalem Synodum congregari decrevisti, ut multorum simul junctâ voluntate, unanimique consensione id, quod studio contenditur, à te rectè, & ordine efficiatur... Propterea ergo tuæ pietatis jussu in hac Dei observatrice & imperante Urbe congressi, Sacros Canones conscripsimus.« Compendium refert Grat. *dist.* 16. *Can.* 7.

Unde dicta Trullana & Quini-Sexta.

Celebrata est hæc Synodus in *Trullo* magni Palatii Imperatoris, id est, sub Regia cuppula vel lucerna; atque inde dicta Synodus *Trullana*. Vocatur etiam nonnunquam *Quini-Sexta*, quod velut ad supplementum Synodorum quintæ & sextæ, quæ Canones non ediderant, celebrata sit.

Vicarii Sedis Apostolicæ adfuerunt.

Huic Synodo adfuisse nomine totius Synodi Romanæ Ecclesiæ Basilium Gortynæ Episcopum & Ravennatem Episcopum asserit Balsamon. Et quidem si Synodi subscriptionibus fides sit: in iis legitur: *Basilius Episcopus Gortyniorum Metropolis* Christo *amabilis Cretæ Insulæ, & locum tenens totius Synodi Sanctæ Ecclesiæ Romanæ definiens subscripsit.*

An & quando Ravennatis Episcopus Synodo adfuerit, non æquè ex subscriptionibus habetur, in quibus solùm legitur, *locus Ravennatis*. Cæterùm Sedis Apostolicæ Legatos sive locum tenentes adfuisse, testatur etiam Anastasius in vita Sergii I. scribens: *Hujus Pontificis temporibus Justinianus Imperator Concilium in Regia Urbe fieri jussit, quo & legati Sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant.*

An Canones à Synodo editi ab Ecclesia Romana sint probati.

Canones CII. editi fuêre; quorum plurimos jure, meritoque laudari; optimamque disciplinam continere nemo inficiabitur; esse tamen nonnullos, qui Romanæ Ecclesiæ disciplinæ non tantùm repugnent, sed justo acrius carpant, negari similiter non potest; unde plures Romani Pontifices Canones hos agnoscere noluerunt. At Synodus VII. *Canone I.* sub nomine Synodi VI. hos Canones laudavit. Et Anastasius in præfatione hujus VII. Synodi ait: » Ergo Regulas, » quas Græci à sexta Synodo perhibent editas, ita in » hac Synodo principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex illis recipiantur, quæ prioribus Canonibus vel Decretis, Sanctorum hujus Sedis (Romanæ) Pontificum, aut certè bonis moribus inveniuntur » adversæ.« Et quidem Xistus V. iis Canonibus etiam sub nomine VI. Synodi usus est in constitutione adversus procurantes abortum, uti ad *Canon.* 91. notabimus; plures quoque suo decreto inseruit Gratianus, ut in scholiis indicabitur.

Fides Patrum tenenda.

Can. I. Fidem à sex primis Conciliis Œcumenicis expositam, & ab Apostolis traditam, inviolabiliter servandam esse docet: » atque ut semel dicam, » ait, omnium, qui in Dei Ecclesia decora, ornamentaque fuerunt, & luminaria in mundo vitæ rationem obtinentia, firmam fidem valere, & usque » ad seculi consummationem inconcussam, & illabefactatam permanere sancimus, eorumque scripta, ac » decreta divinitùs tradita: rejicientes omnes, & anathematizantes, quos rejecerunt, & anathematizâ» runt ut veritatis inimicos, & qui adversus Deum » inaniter fremuerunt, & injustitiam in altum meditati sunt. Si quis autem ex omnibus prædicta pietatis » decreta non tenet, & amplectitur, sicque opinatur » & prædicat, sed iis contra adversari conatur, sit » anathema, & secundum expositum prædictorum, & » beatorum Patrum decretum à christiano quoque catholico, ut alienus extrudatur, & excidat. Nos enim » his priùs definitis, neque aliud adjicere, neque quid» quam adimere studuimus, vel nullo modo potuimus.

Patrum Canones probati.

Can. II. » Hoc quoque huic Sanctæ Synodo pulcherrimè, & honestissimè placuit, ut ab hoc nunc » tempore deinceps ad Animarum medelam, & perturbationum curationem firmi, stabilesque maneant, » qui à sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, susscepti, ac confirmati sunt, atque adeò nobis etiam » traditi sunt, Sanctorum, & gloriosorum Apostolorum » nomine octoginta quinque Canones. Quoniam autem » in his nobis Canonibus præceptum est, ut eorum» dem SS. Apostolorum per Clementem constitutiones susciperemus; quibus olim ab iis, qui à fide » aliena sentiunt ad labem Ecclesiæ aspergendam, » adulterina quædam, & à pietate aliena introducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem ac decoram speciem obscurârunt, has constitutiones ad gregis ædificationem & securitatem conducibiliter rejecerimus, hæreticæ falsitatis fœtus nequaquam admittentes, & germanæ ac integræ Apostolorum doctrinæ inserentes. Obsignamus etiam reliquos omnes Canones, qui à Sanctis & beatis nostris Patribus expositi sunt, id est, à 318. Sanctis » & Deiferis Patribus, qui Niceæ convenerunt, &c.« Hîc enumerantur Conciliorum Canones & Patrum opuscula, suprà *cap.* 3. §. 1. relata. Et post hoc subjungit Canon: » Et nulli priùs declaratos Canones » adulterare, vel non admittere, vel alios præter hîc » propositos recipere Canones, à quibusdam falsa » adjecta inscriptione compositos, qui veritatem cauponari conati sunt. Si quis autem, quod prædictorum Canonum aliquem innovare vel subvertere co» netur, convictus fuerit, reus erit secundum eum » Canonem, ut ipse pronuntiat Canon, pœnam luens, » & per ipsum in eo, in quo ostendit, medelam sus» cipiens.«

Reprehenditur Gratianus.

Partem Canonis refert Gratianus *dist.* 16. *Can.* 7. & quidem eam, qua Synodus Sancti Cypriani de iterando hæreticorum baptismate probatur; quod advertens Antonius Augustinus ait: » Non est ferendus » Gratianus, cùm ex hac Synodo (Trullana) partem » refert; in qua Cypriani Synodum probare videtur de » *baptismo hæreticorum*, cum contra Cypriani sententiam omnes Veteres Patres steterint.« De emend. Grat. *lib.* 1. *dial.* 8. Vide quoque notas Romanas ad citatum *Can.* 71. & nostras ad *Can.* 46. Apostolorum.

Constitutionum Apostolicarum libri ab hæreticis corrupti.

Si de iisdem, quæ hodie extant, Constitutionibus Apostolicis sub nomine Clementis Romani octo libris comprehensis Synodus in hoc Canone loquatur, meritò eas à se rejectas esse ait; eo quòd ab hæreticis *quædam adulterina, & à pietate aliena introducta sint*. Licèt enim nonnulli Viri eruditi, esse antiquissimas credant; imò & olim Ecclesiæ Græcæ pro legibus fuisse, fatentur tamen sat evidens esse, in illis quædam, adulterata, corrupta & perperam adjecta; videri potest præfatio P. Labbæi ad has constitutiones *Tom.* 1. *Conc. p.* 191. & Elias Du Pin *tom.* 1. *Biblioth. Eccles.*

Canon III. omissus & quare.

Can. III. admodum prolixus, multa continet, sive refert, quæ tempus præteritum tantùm respiciunt; quæ verò apud posteros quoque esse voluerunt, Apostolico 17. & 18. Canone consinentur, uti notant Balsamon & Zonaras; qui ob id ejus interpretationem omiserunt; unde & brevitati studens, eum haud referendum credidi.

Can. IV. „ Si Episcopus, vel Presbyter, vel » Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Can» tor, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit » deponatur, ut qui Christi sponsæ vitium attulerit; sin » autem Laicus, segreget ur.«

Interdicta Clericorum & mulierum cohabitatio.

Can. V. » Nullus eorum, qui in Sacerdotali catalogo degunt, extra eas, quæ in Canone recen» sentur, à suspicione alienas personas, mulierem » possideat vel ancillam, se nulli reprehensioni affinem ex hoc servans. Si quis autem, quæ à nobis » definita sunt, transilierit, deponatur. Hoc ipsum » autem etiam Eunuchi servent, ut à vituperatione » alieni sint, providentes: qui autem transgrediun» tur, si sint quidem Clerici, deponantur, si vero » Laici, segregentur.«

Est

Est innovatio Canonis III. Nicæni: Quæ autem Belgica decreta circa hanc disciplinam statuerint, vide Jus Ecclesiasticum *p.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3.

Ordinibus Sacris initiati uxores ducere non possunt.

Can. VI. » Quoniam in Apostolicis Canonibus » dictum est, eorum, qui non ductâ uxore in cle- » rum promoventur, solos Lectores, & Cantores uxo- » rem posse ducere; & nos hoc servantes decerni- » mus, ut deinceps nulli penitùs Hypodiacono, vel » Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem » contrahere liceat. Si autem hoc fuerit ausus facere, » deponatur. Si quis autem eorum, qui in clerum ac- » cedunt, velit lege matrimonii mulieri conjungi, » antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Pres- » byter ordinetur, hoc faciat. «

Canon Apostolicus, cujus hîc fit mentio, est 25. supra relatus; eumque confirmavit Justinianus *in L.* 45. *Cod. de Episc. & Cler.*

Cur de solis Lectoribus, & Cantoribus loquatur.

Occasione hujus Canonis quis forsan credet, in Ecclesia Græca matrimonium fuisse interdictum Ostiariis, Acolytis, & Exorcistis: quandoquidem hic Canon, uti & Apostolicus, solis *Lectoribus & Cantoribus* uxores ducere permittat; sed nihil minus: Quod enim de solis Lectoribus & Cantoribus loquantur Canones, ea est ratio, quod hi soli juxta Græcorum disciplinam in clerum per ordinationem reciperentur; Ostiarii verò, & Acolyti, ac Exorcistæ inter Ecclesiæ Ministros, sed citra ullam ordinationem, assumebantur; atque de Laicorum ordine manebant: uti latè & solidè ostendit Morinus de SS. Ordinat. *p.* 3. *Exercitat.* 14. *cap.* 1. & notavimus ad Canonem 25. Laodicænum. Cùm ergo de solis Clericis quæreretur necesse non erat eorum meminisse, qui de Clero non erant.

Postremam partem sub nomine sextæ Synodi refert Gratianus his verbis: » Si quis eorum, qui ad » Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri » copulari, hoc ante ordinem Subdiaconatûs faciat. « Eisdem planè verbis etiam nomine Synodi sextæ eum citat Innocentius III. *in cap.* 9. ✠ *de ætat. & qualit. Ordinand.* ut vel inde apparet, Innocentium Canones non in fontibus, sed in Gratiano legisse.

Arrogantia Clericorum retunditur.

Can. VII. » Quoniam in nonnullis Ecclesiis Dia- » conos officia Ecclesiastica habere didicimus, & ex » hoc nonnullos eorum arrogantiâ, & licentiâ fretos » ante Presbyteros sedere; statuimus ut Diaconus, » etiamsi dignitate, id est, in quovis sit officio ec- » clesiastico ante Presbyterum ne sedeat, præterquam » si proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem ge- » rens adsit in alia civitate super aliquo capite; tunc » enim ut locum illius implens honorabitur. Si quis » autem tyrannicâ adductus audaciâ tale quid efficere » ausus fuerit, is ex proprio gradu dejectus sit om- » nium ultimus ejus ordinis, in cujus est Catalago » in sua Ecclesia, Domino nostro admonente, ne » primis sedibus delectemur, secundum eam, quæ » in Sancto Evangelista Luca, ut ex Domino nos- » tro & Deo profecta, posita est, doctrinam. Is » enim, qui vocati erant, dicebat parabolam: *Quan- » do ab aliquo ad nuptias invitatus fueris, ne in pri- » mo loco accubueris, ne fortè quispiam te honoratior » ab eo invitatus fuerit, iisque qui te & ipsum invita- » vit, veniat & dicat: Da ei locum, & tunc incipies » cum pudore ultimum locum tenere. Sed quando invi- » tatus fueris, in ultimo loco accumbe; ut quando » venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascen- » de altiùs. Tum erit tibi gloriam coram iis, qui tecum » accumbunt. Nam quisquis se extollit, humiliabitur, » & qui se humiliat, exaltabitur.* Hoc ipsum autem » etiam servabitur in reliquis sacris ordinibus; quan- » doquidem secularibus dignitatibus spirituales præs- » tantiores esse scimus. «

Unde hæc Diaconorum arrogantia.

Hîc notandum, Officia Ecclesiastica in Ecclesia Græca fuisse distincta à sacris Ordinibus, uti monet Balsamon. Neque enim Officiales qua tales sacras celebrârunt, sed tantùm ecclesiasticarum quorundam rerum curam vel custodiam sibi commissam habebant: quorum præcipui fuerunt hi sex, Magnus Œconomus, magno Sacello Præpositus, magnus vasorum Custos, Carthophilax, parvo Sacello præpositus, & primus Defensor. Summis istis in Ecclesia Officiis cùm Diaconi aliique inferiores Clerici nonnunquam fungerentur, Officii dignitate freti ante Presbyteros, & Superioris Ordinis Clericos sedere præsumpserunt; quod hoc Canone prohibetur hac unica ratione: *Quandoquidem secularibus seu mundanis dignitatibus spirituales digniores esse sciamus.*

Laici qui ob gradum Academicum Presbyteris se præferunt hoc Canone feriuntur.

Utinam hæc seriò attenderent, qui ob aliquem Academicum eminentiorem gradum, etiam in communi conversatione, & extra consessus Academicos, inter Presbyteros & Sacratos Viros eminentiorem locum, non sine Sacerdotii vilipendio, occupant.

Cæterùm de hac Diaconorum insolentia repete notata ad *Canonem* 18. *Nicænum.*

Synodus Provincialis singulis annis his cogenda, nisi temporum calamitas non patiatur.

Can. VIII. » In omnibus ea, quæ à nostris sanc- » tis Patribus decreta sunt, nos quoque rara ac fir- » ma esse volentes, Canonem quoque renovamus, qui » jubet uniuscujusque Provinciæ Episcoporum quo- » tannis fieri Synodos, ubi Metropolitanus Episcopus » satiùs esse duxerit. Quoniam autem propter Bar- » barorum incursiones, & quasdam alias incidentes » causas non possunt, qui Ecclesiis præsident, Sy- » nodos bis in anno facere, visum est, ut omninò » semel in anno propter Ecclesiasticas quæstiones, ut » consentaneum est, emergentes, fiat prædictorum » Episcoporum Synodus à Sancto Paschæ Festu & us- » que ad Octobris mensis complementum singulis an- » nis, in loco, quem ut prædictum est, Metropoli- » tanus Episcopus aptiorem judicaverit. Ii autem, » qui non conveniunt, Episcopi, cum in suis civi- » tatibus agant, & sani sint, & ab omni inevitabili » & necessario negotio liberi, fraternè corripian- » tur. «

Quòd hic Canon ob ocurrentes necessitates dispensativè permittit, ut nimirùm semel duntaxat singulis annis Synodus Provincialis habeatur, hoc tandem Ecclesia relaxare ad triennium coacta est, id est, ut saltem singulis triennis semel congregaretur; quod tamen nec sic observatur; & inde horrenda illa totius disciplinæ prolapsio.

Frequentatio popinarum Clericis interdicta.

» Can. IX. Nulli licere Clerico cauponariam habere » tabernam. Si autem in cauponam ingredi non est » permissum, quantò magis aliis in ea ministrare, & » ea, quæ non licet ipsi tractare? Si quis autem tale » fecerit, vel cesset vel deponatur.

Quid de vetita Clericis popinarum frequentatione habeant Synodi Belgicæ, vide in Jure Eccles. *tit.* 2. *cap.* 4.

Usura vetita.

Can. X. » Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, » qui usuras, vel quæ dicuntur centesimas accipit, vel » cesset vel deponatur. «

Omnis cum Judæis communio Christianis interdicta.

Can. XI. » Nemo eorum, qui in sacerdotali ordi- » ne enumerantur, vel Laicus, Judæorum azyma » comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, » vel in morbis accersat, vel ab eis medicinas ac- » cipiat, vel unà cum eis in balneis lavetur. Si » quis autem hoc facere aggressus fuerit, si sit qui- » dem Clericus, deponatur; si autem laicus, segre- » getur.

Consonat moderna disciplina.

Omnem quoque cum Judæis familiaritatem, ac communionem posteriores Summorum Pontificum constitutiones Christianis interdixerunt, uti videre est toto Titulo Decretalium *De Judæis & Saracenis*: » Quoniam, ait Pontifex in *cap.* 8. *ibid.* Ju- » dæorum mores & nostri in nullo concordant, & » ipsi de facili ob continuam conversationem & assi- » duam familiaritatem ad suam superstitionem & per- » fidiam simplicium animos inclinarent. « Quæ ratio evincit omnem cum Hæreticis familiaritatem fugiendam esse.

Episcopi à conversatione uxorum, quas ante Episcopatum habuerunt abstinere debent.

Can. XII. » Porrò hoc quoque ad nostram cog- » nitionem pervenit, quod in Africa, & Lybia, & » aliis locis quidam ex iis, qui illic sunt, religiosis- » simi Præsules cum propriis uxoribus, etiam post- » quam ad eos processit ordinatio, unà habitare non » recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum » afferentes. Cùm itaque studium nostrum in eo » magnoperè laboret, ut omnia ad gregis in manus » nostras traditi nobisque commissi utilitatem fiant, » nobis visum est, ut nihil ejusmodi deinceps ullo » modo fiat. Hoc autem dicimus non ad ea abolenda, » & evertenda, quæ Apostolicè anteà constituta » sunt, sed populorum salutis & ad meliora pro- » gressionis curam gerentes: & ne status ecclesias- » ticus ullo probo afficiatur. Dicit enim D. Apos- » tolus: *Omnia ad Dei gloriam facite, sine offen- » diculo estote, & Judæis, & Græcis, & Dei Ec- » clesiæ, quemadmodum & ego omnibus in omni- » bus placeo, non quærens meam utilitatem, sed » multorum ut serventur. Imitatores mei estote, si- » cut ego Christi.* Si quis autem tale quid agere de- » prehensus fuerit, deponatur. »

Quod

Idem de omnibus, qui Sacro Ordine insigniuntur servari vult Ecclesia Latina.

Quod hoc Canone circa Episcopos statuitur, ut nimirum ab uxorum, quas ante Ordinationem habuerunt, cohabitatione tanquam periculosa, & scandalosa abstineant, ab Ecclesia latina etiam quoad Presbyteros, Diaconos, & quoscunque Sacratos homines voto castitatis adstrictos receptum fuit. Et quidem Synodus Agathensis *Can.* 16. » non ordinentur conjuncti, » nisi sequestrati mansionis cubiculo.“ Et Synodi Turonensis *Can.* 19. cavetur „Ne Presbyteri cum suis » uxoribus maneant, sed segregatim solitarii in cella » jaceant, orent, dormiant: “ *quia*, ait, *nulli Clericorum juxta Canonum sententiam cum conjuge sua manere permittitur.*

Corrigitur locus S. Gregorii relatus à Gratiano.

Ubi ergo legitur apud S. Gregorium *lib.* 1. *Epistolâ* 50. & refertur à Gratiano *Dist.* 81. *Can.* 24. » Volumus, ut Sacerdotes prohiberi debeant, ne » cum mulieribus conversentur, exceptâ duntaxat » matre, sorore vel *uxore*, quæ castè gerenda est.“ Dubitat Vir eruditus Petrus Gussanvillæus, „An » non vox illa *uxore*, irrepserit; siquidem ista conversatio res est plena periculi, & suspiciosissima.... » Ideòque quod ait *Lib.* 7. *Epist.* 39. uxores non re» linquant, interpretor, curam earum non deserant, » victum eis administrent.“ Hæc ille in Notis ad dictam Epist. 50.

Cæterùm quid obtineat de Jure Decretalium circa uxorem illius, qui ea vivente ad sacrum Ordinem, vel vitam monasticam transit, vide Commentatores ad Titulum Decretalium *De conversione conjugatorum.*

Disciplina Græcorum de matrimonio Presbyterorum & Diaconorum.

Can. XIII. » Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro » Canone traditum esse cognovimus, ut promovendi » ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur se » non ampliùs suis uxoribus conjungendos, nos an» tiquum Canonem Apostolicæ perfectionis ordi» nisque servantes, hominum, qui sunt in sacris, » legitima conjugia deinceps quoque firma & stabilia » esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus con» junctionem dissolventes, vel eos mutuo tempore » convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si » quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel » Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem » gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum le» gitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tem» pore ab eo postuletur; ut profiteatur se à legitima » cum uxore consuetudine abstenturum: ne ex eo à Deo » constitutas, & à suâ præsentiâ benedictas nuptias » injuriâ afficere cogamur, Evangelicâ voce excla» mante: *Quæ Deus conjuxit, homo non separet.* Et » Apostolo docente, *Honorabiles nuptias, & torum* » *immaculatum*: Et: *Aligatus es uxori? Ne quære* » *solutionem.* Scimus autem, sicut & qui Carthagine » convenerunt, & vitæ ministrorum honestatis curam » gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra mys» teria contractant, & Diaconi & Presbyteri secun» dum proprios terminos à consortibus abstineant: ut » & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa usque » antiquitate servatum, nos quoque similiter servemus, » tempus in omni re scientes, & maximè in jejunio & » oratione. Oportet enim eos, qui Divino Altari as» sident, in sanctorum tractandorum tempore esse » omninò continentes, ut possint id, quod à Deo » simpliciter petunt, obtinere. Si quis ergo fuerit au» sus præter Apostolicos Canones incitatus aliquem » eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, in» quimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum, » conjunctione cum legitima uxore, & consuetudi» ne privare, deponatur. Similiter & si quis Pres» byter vel Diaconus suam uxorem pietatis præ» textu ejecerit, segregetur; & si perseveret, de» ponatur. “

Ostenditur Canonem hunc ab Ecclesia Romana meritò repudiatum.

Rationes, quibus disciplinam suam circa usum matrimonii Diaconorum, & Presbyterorum stabiliunt, non obscurè carpunt Ecclesiam Romanam, quasi per legem continentiæ Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis indictam, vinculum matrimonii ante ordinationem legitimè contracti dissolveret; vel nuptias a Deo constitutas, & suâ præsentiâ benedictas injuria afficeret; cum certum sit, & notorium, Ecclesiam Romanam nunquam matrimonium Presbyterorum aut Diaconorum ante legitimè contractum quoad vinclum dissolvisse; sed usum duntaxat Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, tanquam sacris eorum functionibus minùs convenientem ademisse, neque unquam nuptias ipsas contempsisse, aut injuriâ affecisse; sed perfectionem majorem in suis desideraus Ministris, eos solummodo eligendos censuit qui eam perfectioris vitæ normam ultrò & liberè eligere volunt; quemadmodum in Episcopis ipsimet Græci observandum Canone præcedenti statuerunt.

Erratum in sensu Canonis Carthaginensis.

Ulteriùs sicuti nimio studio stabiliendæ propugnandæque Ecclesiæ suæ disciplinæ à mente & sensu Ecclesiæ Romanæ abberrârunt, ita & eodem præcipiti zelo abrepti, à sententia Patrum Carthaginensium recesserunt, Canonemque eorum in alienum planè sensum contorsisse videntur.

Cùm enim Canon latinè editus diceret, placere Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos secundum *priora statuta*, vel ut alii legunt, Propria *statuta*, id est, secundum *priores*, aut *proprias* constitutiones jam editas, ipsi verterunt, *secundum proprios terminos*; quasi eo Canone solùm interdiceretur Presbyteris, & Diaconis usus matrimonii *secundum proprios terminos*, sive cum eorum vices sacrificandi vel ministrandi altari recurrunt. Quod alienum esse à mente Patrum, non tantùm ipse obvius verborum intellectus ostendit, sed & illud, quod constet ex S. Augustino *lib.* 2. *de adulter. conjug. cap.* 20. In Africa Sacratis hominibus usum matrimonii nullo tempore indultum fuisse. Deinde si Canon pateretur sensum ipsi à Græcis affictum, non tantum Presbyteris, & Diaconis, verùm & Episcopis licita fuisset conjunctio matrimonialis extra tempus ministerii; cum & de his Carthaginensis Canon eodem, quo de Presbyteris, & Diaconis modo loquatur: & tamen nec ipsi Græci id Episcopis licitum fuisse prætendunt.

Tametsi ergo Ecclesia Latina disciplinam Græcorum, Presbyteris, & Diaconis usum matrimonii priùs contracti indulgentem non improbet, quasi legi Evangelicæ repugnantem, nunquam tamen Canonem hunc, zelo nimium præcipiti contrariam disciplinam reprobantem, & Ecclesiæ Romanæ errores temerariè nimis affingentem probavit.

Culpatur Gratianus Canonem referens.

Unde nec immeritò dixit Antonius Augustinus *lib.* 1. *dial. de emend. Grat. cap.* 8. nullo *pacto recipi potest*: *Est enim contra cælibatum Latinorum Sacerdotum conscriptus, & apertè contra Romanam Ecclesiam.* Refertur tamen à Gratiano *dist.* 31. *Can.* 13. quod notare poterunt, qui credunt omnia in decreto Gratiani contenta ab Ecclesia Romana esse probata.

In aliquibus Canon probatus.

Quod verò in præsenti Canone edicitur, Presbyteros, & Diaconos recurrentibus vicibus suis sacrificandi, aut ministrandi debere ab usu matrimonii abstinere, quia » oportet eos, qui divino altari assident, » in sanctorum tratandorum tempore esse omninò con» tinentes, ut possint id, quod à Deo simpliciter pe» tunt, obtinere“ nunquam non probare potuit Ecclesia Romana; utpote quæ planè continentes Ministros Altaris desiderat. Quare & Clemens VIII. statuit conformiter ad hunc Canonem, ut Presbyter Græcus conjugatus Missæ sacrificium oblaturus per hebdomadam, vel triduum ab uxore abstineat. Constit. 33. in Bull. Rom.

Hæc expendat, qui Presbyterum, non tantùm licito actui matrimoniali operam dantem, sed & in actum fornicationis, & sacrilegii prolapsum, nullo pene, aut exiguo intercurrente tempore Sacris altaribus adstare permittit.

Presbyter ante annum trigesimum non ordinandus.

Can. XIV. „Sanctorum, Divinorumque Patrum » nostrorum Canon in his quoque valeat, ut Presbyter » ante triginta annos non ordinetur, etiamsi sit homo » valdè dignus, sed reservetur. Dominus enim Jesus » Christus trigesimo anno baptizatus est, & cœpit » docere. Similiter nec Diaconus ante 25. annos, nec » Diaconissa ante 40. annos ordinetur.

Subdiaconus minor 20. annis non ordinandus.

Can. XV. „Subdiaconus ne minor 20. annis or» dinetur. Si quis autem in quovis Sacerdotii gradu » præter præfinita tempora ordinatus fuerit, depo» natur. “

De quibus Diaconis agatur in Actis Apostolorum.

Can. XVI. Referunt Patres, in Neocæsariensi Synodo edito Canone decretum esse, „quod septem » debent esse Diaconi ex Canone, etiamsi sit magna » civitas, ex libro actuum persuadeberis.“ Est *Canon* 15. Neocæsariensis supra relatus. Hunc Canonem videntes Græci suæ disciplinæ, quæ plures Diaconos in una Ecclesia admittebat, contrariari, dicunt: „Nos » cum dicto Apostolico Patrum mentem adaptasse» mus, invenimus eos esse locutos non de viris, qui » ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in » usu mensarum adhibebatur.“ Deinde interpositis ver» bis Actuum Apostolorum, quibus Diaconorum electio

tio describitur ; nec non commentatio S. Chrisostomi in eundem locum , concludunt : „Propter hæc » ergo nos quoque prædicamus , ut prædicti septem » Diaconi non de iis accipiantur,qui mysteriis serviunt, » ut est priùs exposita doctrina : sed eos esse quibus » fuit concredita & tradita dispensatio communi eorum » usui, qui tunc collecti fuerant , qui nobis in hoc quo- » que forma fuêre humanitatis , & studii in eos qui » indigent "

An erratum sit à Patribus Neocæsariensibus.

Si ergo his Patribus credimus, erratum fuit à Synodo Neocæsariensi , quod Diaconos , quorum electio in Actis Apostolorum describitur, crediderit fuisse Diaconos Sacris altaribus ministrantes ; cùm , ut ipsi supponunt , septem primi Diaconi tantùm mensarum pauperum curam habuerint; adeoque nec Diaconos hodiernos cum illis Apostolicis esse conferendos ; quæ Sententia Latinis rursus parùm placet : videri potest Baronius ad annum 34. Item Morinus *de SS. Ordinat. p.* 3. *exercit.* 9. *c.* 3.

Clericus sine propria Episcopi licentia ab Ecclesia recedere nequit.

Can. XVII. » Quoniam diversarum Ecclesiarum » Cleriei propriis , in quibus ordinati sunt, relictis » Ecclesiis ad alios Episcopos se contulerunt , & sine » proprii Episcopi sententia in alienis Ecclesiis consti- » tuti sunt , & ex eo ipsos reddi insolentes, ac inobe- » dientes evenit : Statuimus ut à mense Januario præ- » teritæ quartæ indictionis , nullus omninò Clericus in » quocunque sit gradu , potestatem habeat sine pro- » prii Episcopi scripta dimissoria in alienæ Ecclesiæ » catalogum referri. Qui hoc enim à præsenti nunc » tempore non servaverit , sed quod in se est , eum, » qui illi manus imposuit , dedecore affecerit , depo- » natur & ipse , & qui eum præter rationem suscepit.

Can. XVIII. » Eos , qui Barbaricæ incursionis » prætextu , vel alio modo propter aliquam circums- » tantiam emigrârunt , Clericos , postquam modus ille » ac circumstantia cessârit , vel Barbaricæ incursiones, » propter quas recesserant , rursus in suas jubemus » Ecclesias reverti , nec eas diù absque ulla occasione » relinquere. Si quis autem non ut præsens vult Canon, » adierit , segregetur , donec ad suam Ecclesiam re- » deat. Hoc ipsum autem etiam in eo fiat Episcopo, » qui illum detinet. «

Hi Canones nec obscuritatem , nec difficultatem habent , renovantes & stabilientes disciplinam multis anterioribus Canonibus expositam , nimirùm Clericos non posse ab Ecclesia , cui semel fuêre adscripti, sine licentia proprii Episcopi ad aliam Ecclesiam transire.

Episcoporum munus est sacras Scripturas populo docere.

Can. XIX. » Quod oporteat eos , qui præsunt » Ecclesiis , in omnibus quidem diebus sed præcipuè » Dominicis , omnem Clerum & populum docere pie- » tatis , & rectæ religionis eloquia , ex divina scriptu- » ra colligentes intelligentias , & judicia veritatis , & » non transgredientes jam positos terminos , vel Divi- » norum Patrum traditionem. Sed etsi ad Scripturam » pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam » aliter interpretentur , quàm quomodo Ecclesiæ lumi- » naria & Doctores suis scriptis exposuerunt, & majo- » rem ex iis laudem assequantur , quàm si quæ à se » dicuntur , componant , ne dum quandocunque ad » id hæsitant , ab eo, quod convenit , excidant. Per » prædictorum enim Patrum doctrinam populi ad eo- » rum , quæ sunt bona & expetenda , & inutilia ac » rejicienda , cognitionem venientes , vitam in melius » componunt , nec in ignorantiæ vitium dilabuntur; » sed doctrinæ mentem adhibentes se ipsos ad id , ne » mali quid eis accidat, excitant, & imminentium sup- » pliciorum metu sibi salutem operantur. «

Tria præsens canon docet. Primum Episcopos, qui præsunt Ecclesiis , debere Clerum populumque sibi commissum docere , id est , verbo prædicationis instare præsertim diebus Dominicis. » Per eos enim dies, » ait Zonaras , vacationem à laboribus nacti homines » in Ecclesiam conveniunt , & divinas Scripturas audiunt. «

Prædicationis officium præcipuum est Episcoporum munus.

Quanta Episcopis Apostolorum successoribus sit prædicandi obligatio , liquet ex verbo S. Pauli : *Non misit me Dominus baptizare , sed prædicare.* Et præcipua ejus ad Timotheum per J. C. judicem & adventum ejus adjuratio fuit : *prædica verbum.* Unde Patres olim Episcopatum dixêre, *officium prædicationis*, uti liquet ex professione Adalberti Episcopi Moriensis, & formula professionis futuri Archiëpiscopi: utraque extat in Appendice ad *tomum* 8. *Concil. n.* 12. & 13.

Unde nec Synodus Tridentina dubitavit iteratò *Sess.* 5. *cap.* 2. & *Sess.* 24. *cap.* 4. *de reformat.* dicere, Evangelicam prædicationem esse *præcipuum Episcoporum munus* ; eosque *teneri per seipsos , si legitimè impediti non fuerint , ad prædicandum Sanctum Dei Evangelium.*

Quid populo annuntiandum.

Secundò inculcat Canon, ut Prædicatores , ea, quæ populum docent, ex divina scriptura colligant; vel ut ait Synodus Tridentina , *predicent sanctum J. C. Evangelium.*

Utinam id hodie amplius attenderetur , & observaretur , neque verissimum esse videremus , quod suo tempore dixit S.Hieronymus. » Ex litteratis quicunque » ordinantur , id habent curæ , non quomodo *Scrip-* » *turarum medullas* ebibant , sed quomodo aures po- » puli declamationum flosculis mulceant. « *Lib. ad Lucif. cap.* 82.

Scriptura interpretanda ex Patrum Traditione.

Tertiò monet Canon , » ne Prædicator Scriptu- » ram aliter interpretetur , quàm quomodo Eccle- » siæ luminaria , & Doctores suis scriptis exposuerunt. En clarissimis terminis expressum quod contra nostri temporis Sectarios proposuit Synodus Tridentina Sess. IV. » Ut nemo contra unanimem consensum Pa- » trum , ipsam Scripturam Sacram interpretari au- deat. « Vel ut habet professio fidei : Sacram Scriptu- » ram nunquam nisi juxta unanimem consensum Pa- » trum accipiam , & interpretabor. «

Episcopus in aliena civitate prædicare non potest.

Can. XX. » Ne liceat Episcopo in alia , quæ ad » se non pertinet , civitate publicè docere. Si quis » autem hoc facere deprehensus fuerit , ab Episcopa- » tu desistat , Presbyteri autem munere fungatur. «

Rationem hujus prohibitionis vide in *Canone XIV.* Sardicensi.

Quare Episcopus in Presbyteri officio manere possit.

Quod verò Episcopus id attentans Episcopali functione privatus , Presbyteri munere fungi permittatur; ideo est , ait Zonaras » quod hic Episcopus nullum, » ex quo Sacerdotio moveri debeat , in se facinus ad- » misit : sola ambitione , laudisque immoderata cupi- » ditate peccavit. Ut igitur peccati animadversio res- » pondeat , & temeraria hominis elatio comprimatur, » ab Episcopatu gerendo desistere , atque in Presby- » terorum ordinem traduci jubet. «

Humilis delictorum confessio pœnitentia diminutionem meretur.

Canon XXI. » Qui canonicorum quidem crimi- » num rei facti , & propterea perfectæ ac perpetuæ » depositioni subjecti , in Laicorum locum detrusi » sunt , siquidem ad conversionem suâ sponte respi- » cientes peccatum deflent , propter quod à gratia » exciderunt , & ab eo se penitùs alienos efficiunt, » Clerici habitu tondeantur. Sin autem non sua sponte » hoc elegerint , comam sicut laici nutriant , utpotè » qui mundanam conversationem vitæ cœlesti præ- » posuerint. «

Hæc disciplina consona Patribus.

Propter ultroneam & humilem delictorum confessionem , & voluntariè susceptam pœnitentiam , pœnam mitigandam esse ostendit hic Canon ; dum Clericum ob crimen canonicum , v. g. fornicationem depositum , & ultrò ac voluntariè pœnitentem , & detestantem , non quidem functionibus clericalibus restituit , sed tamen habitu clericali donat. Quàm hæc pœnæ mitigatio ob ultroneam criminis confessionem & voluntariè susceptam pœnitentiam Patribus, & Canonibus sit consona , ostendit Morinus de Pœnit. *Lib.* 2. *cap.* 6.

Contra simoniacas Ordinationes.

Can. XXII. » Eos qui pecuniis ordinantur , sive » Episcopos , sive qualescunque Clericos & non per » examinationem , ac vitæ electionem , deponi jube- » mus , sed & eos etiam , qui ordinaverunt. «

Sacra communio ob pecuniam non danda.

Can. XXIII. » Ut nullus sive Episcopus , sive » Presbyter , sive Diaconus , immaculatam præbens » communionem , ab eo , qui communicat , ejus » participationis gratiâ obolos vel quamvis aliam » speciem exigat. Non est enim venalis gratia , nec » pro pecuniis Spiritus Sanctificationem impartimur; » sed ea iis , qui digni sunt , absque ulla est calidita- » te communicanda. Si quis autem eorum , qui sunt » in cleri catalogo , ab eo , cui immaculatam imper- » tit communionem , ullam speciem exigere visus fue- » rit , deponatur , ut Simoniaci erroris & maleficii » æmulator. «

Hic Canon perspicuus , est , nec hodiernum propriè , & dissertè ferit abusum , cùm pro sacra communione impertienda quidquam à Sacerdotibus accipi hodiè in usu vix sit : sed utinam nec à Confessariis quidquam acciperetur ; neque oblatorum spe allecti citius , quàm par est , suos pœnitentes reconciliarent, & ad sacram communionem mitterent ; sed de hoc plura in tractatu de simonia circa beneficia *p.* 1. *c.* 10.

Spectacula

Can. XXIV. » Ne cui liceat eorum , qui in sa- » cer-

la & scenici ludi à Clericis vitanda.

» cerdotali Ordine enumerantur, vel Monachorum, » in equorum curriculis subsistere, vel scenicos lu» dos sustinere. Sed & si quis Clericus ad nuptias vo» cetur, quando ad receptionem comparata ludicra » ingressa fuerint, surgat, & discedat, Patrum nos» trorum sic jubente doctrinâ. Siquis autem ejus rei » convictus fuerit, vel cesset, vel deponatur.«

Hic Canon renovat Canonem LIV. Laodicænum suprà relatum; pœnamque contravenientibus imposuit.

Nuptiæ saltibus aliisque ineptis non fœdandæ.

Nuptias solemnibus conviviis, saltibus scenicis fœdare, potiùs quàm ornare abusus est antiquissimus: unde jam pridem in Synodo Agathensi anno 506. *Can. XXXIX.* „injunctum fuit Sacratis hominibus, » ut nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus ad» misceantur, ubi, ait, amatoria cantantur, & tur» pia, aut obsceni corporum motus choreis, & sal» tationibus efferuntur: ne auditus, & obtutus, sacris » mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque » verborum contagione polluantur.“ Apud Grat. *distinc.* 34. *Can.* 19.

Ut hic abusus tollatur, statuit Synodus Trid. » Nuptias Episcopi, ut ea, quâ decet modestia & » honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matri» monium, & sanctè tractandum.“ *Sess.* 24. *de ref. matrim. cap.* 10.

Can. XXV. Est mera renovatio Canonis XVII. Calchedonensis.

De pœna illius, qui ignoranter cum consanguinea matrimonium contraxit.

Can. XXVI. » Presbyterum, qui per ignorantiam » illicitis nuptiis est implicatus, esse quidem Cathedræ » participem, secundum ea, quæ sunt nobis à Sacro » Canone decreta; à reliquis autem operationibus abs» tinere. Ei enim, qui est talis, satis est, si venia de» tur. Ut is autem aliis benedicat, qui debet » propria curare vulnera, non est consentaneum. » Benedictio enim est sanctificationis impertitio: » Qui autem id non habet propter delictum ex » ignorantia, quomodo alteri impertiet? Nec er» go publicè, nec privatim benedicat, nec ergo » Christi Corpus aliis distribuat, nec aliquod aliud » ministerium obeat; sed præcedentia contentus » Domino defleat, ut illi ex ignorantia peccatum » remittatur. Manifestum enim est, quòd nefarium » conjugium dissolvetur, nec vir cum ea ullo modo » consuetudinem habebit propter quam sacrâ ope» ratione privatus est.“

Canon, ad quem hîc fit allusio, est IX. Neocæsariensis, & conformiter ad illum decernitur, ut si quis se ante ordinationem imprudenter illicitis nuptiis, v. g. cum sua cognata ignoratâ consanguinitate implicaverit, ac Presbyter factus peccatum suum fuerit confessus, nuptiisque illicitis renuntiaverit, solo honore cathedræ sit contentus; à reliquis autem operationibus, seu functionibus debeat abstinere: *Etenim tali satis est, si venia detur.* Reliqua Canonis perspicua sunt: & utinam rursus expenderent, qui Sacerdotes, non ante ordinationem, nec per ignorantiam, sed in ipso Sacerdotio constitutos & scienter in peccatum fornicationis prolapsos, post modicum à lapsu intervallum Sacris Altaribus astare posse credunt. Sane verendum, ne similes Sacerdotes pro benedictione maledictionem frequenter in populum derivent.

Clerici vestibus Ordini suo congruentibus utantur.

Can. XXVII. » Nullus eorum, qui in Cleri ca» talogum relati sunt, vestem sibi non convenientem » induat, neque in civitate degens, neque iter ingre» diens, sed utatur vestibus, quæ iis, qui in Clerum » relati sunt, attributæ fuêre. Si quis autem tale quid » fecerit, unâ septimanâ segregetur.“

Quid circa disciplinam hoc Canone contentam præscripserit Synodus Tridentina, & Synodi Belgicæ latiùs ostendo in Jure ecclesiastico *p.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2.

In uvarum benedictione quid cavendum, & observandum.

Can. XXVIII. » Quoniam in diversis Ecclesiis in» telleximus, uvâ ad altare allatâ ex quadam, quæ in» valuit consuetudine, ministros hanc incruento obla» tionis sacrificio conjungentes, utraque simul populo » distribuere: decernimus, ut nullus Sacerdos hoc » ampliùs faciat, sed ad vivificationem & peccatorum » remissionem solam oblationem populo impertiat: » tanquam primitias autem uvæ allationem existi» mantes, Sacerdotes eam seorsum benedicentes, » petentibus impertire ad fructum datoris gratiarum » actionem, per quos corpora nostra divina disposi» tione augentur & aluntur. Si quis autem Clericus » præter hæc decreta fecerit, deponatur.“

In quibusdam Ecclesiis consuetudo invaluerat, ut *uvæ* ad altare offerentur, ac uvæ cum speciebus consecratis populo distribuerentur; ne post hæc fiat, hoc Canone edicitur, at uvarum primitias à Sacerdote benedici, & populo distribui » permittitur, ut exin» de frugum datori, omniumque, quæ ad carnis » victum, cultumque necessaria sunt, largitori, ait » Zonaras, gratias agant.“

Benedictio uvæ olim in Ecclesia recepta.

Similes frugum, ac singulatim *uvarum* benedictiones extant, tam in recentioribus, quàm vetustioribus Græcorum & Latinorum vitualibus. Et quidem in Sacrmentario S. Gregorii in Festo Xisti extat benedictio *uvæ* his verbis expressa: » Benedic Domine, & » hos fructus novos uvæ, quos tu Domine, rore cœ» li, & inundantiâ pluviarum, & temporum serenita» tate atque tranquilitate ad maturitatem perducere » dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros, cum » gratiarum actione percipere in nomine Domini nos» tri Jesu Christi. Per quem hæc omnia.“

Frugum benedictio solebat inter Missarum solemnia peragi post consecrationem.

Illud *&c.* includit, quæ hodie in Missa sequuntur: *Semper bona creas, sanctificas, benedicis & præstas nobis.* Nam ut advertit Cardinalis Bona *Lib.* 2. *rer. Liturg. Cap.* 14. immediatè antè hæc verba, si novæ fruges, aut quælibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante altare olim collocari solebant, & hîc à Sacerdote benedici; & terminatâ benedictione solitâ clausulâ *Per Christum Dominum nostrum*, sequentem addebant orationem, *per quem hæc omnia bona creas, &c.* Quæ tunc non tam ad Corpus, & Sanguinem Christi, quàm ad res benedictas referebantur, quas Deus continuò reservando creat; easque petimus ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas.

Extra Missam fieri cœpta: & quæ inde incommoda.

Sed succesu temporis, tepescente Fidelium fervore, hæc, ne Missa prolixior esset, ab ea sejuncta fuerunt; manente interim oratione, quæ dum hodie super solas species consecratas profertur, vix intelligitur; imò, ut sensum habeat convenientem, mirum in modum torqueri debet; quod & in multis aliis in Missa occurrentibus accedisse, & hodie obscuritatem magnam parere sæpius monet Cardinalis Bona.

Consuetudo solvendi jejunium in Cœna Domini improbata.

Can. XXIX. » Carthaginensis Synodi Canon dicit, » ut sancta altaris non nisi à sobris hominibus peragan» tur, excepto uno die in anno, in quo Cœna Domi» ni peragitur; tunc fortassè propter aliquas in iis lo» cis occasiones Ecclesiæ utiles Sanctis illis Patribus » hac dispensatione usis. Cùm ergo nihil nos inducat, » ut accuratam observationem relinquamus, statuimus » Apostolicas ac paternas traditiones sequentes non » oportere in Quadragesimæ postrema septimana » quintâ feriâ jejunium solvere, & totam Quadrages» simam injuriâ efficere.“

Can. Carthaginensis, cujus hîc fit mentio, est Canon XXXXI. in Codice Africano exibitus; quo permittitur feria V. in Cœna Domini à non jejunis sumi Eucharistia: quam indulgentiam seu *dispensationem* Patres Trullani abrogant, *Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes*; quibus verbis, ut notat Zonaras, *LXVIII. Canonem Apost. & L. Laodicænum* intellexerunt.

Porrò de hac Ecclesiæ Africanæ dispensatione in dicto Canone XLI. expressâ, solvendi jejunium feriâ quintâ hebdomadæ majoris, sive in Cœna Domini, nec non accipiendi Eucharistiam eo die à non jejunis tractat S. Augustinus *Epstola* 54. *ad Januarium*, aitque, eam esse de hoc genere, *quod per loca, regionesque variatur*, ac de quo consequenter concludit: *Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, ad quam venit, invenerit.*

Post hæc ostendit, quòd, licèt » liquidò appareat, » quando primùm Discipuli acceperunt Corpus, & » Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos, ne» quaquam tamen propterea calumniandum esse uni» versæ Ecclesiæ, quòd à jejunis semper accipiatur. » Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem » tanti Sacramenti in os Christiani, priùs Dominicum » Corpus intraret, quàm cæteri cibi.“

Dispensationis origo.

Deinde adductis rationibus quibus hanc universalis Ecclesiæ praxim justificat, subjungit: » Sed non» nullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno » certo die per annum, quo Cœnam Dominus de» dit, tanquam ad insigniorem commemorationem » post cibos offerri, & accipi liceat Corpus & San» guinem Domini. Honestiùs autem arbitror eâ ho» râ fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refec» tionem, quæ horâ nonâ fit, ad oblationem possit » occurrere.

» Quapropter neminem cogimus ante Dominicam » illam Cœnam prandere, sed nulli etiam contradi- » cere audemus. Hoc tamen non arbitror institutum, » nî quia plures, & propè omnes in plerisque locis eo » die lavare consueverunt. «

Hactenus Augustinus, addens & causam, ob quam plerique in variis locis illa die lavarent; eo quòd » baptizandorum corpora per Quadragesimæ obser- » vationem sordidata, cum offensione sensûs ad fon- » tem tractarentur, nisi aliquâ die lavarentur. Istum » autem diem potiùs ad hoc electum, quâ Cœna Do- » minica anniversariè celebratur. Et quia concessum » est hoc baptismum accepturis, multi cum his la- » vare voluerunt, jejuniumque relaxare. «

Uxorati ad Sacerdotium promoti à cohabitatione uxorum abstinere debent.

Canon XXX. » Ad Ecclesiæ ædificationem om- » nia facere volentes, etiam Sacerdotes, qui sunt » Barbaricis Ecclesiis, complecti curâ constituimus. » Quare si Apostolicum Canonem de uxore non » ejicienda pietatis ac religionis prætextu se super- » gredi debere existimant, & ultra ea, quæ sunt » constituta, facere: & ideò communi cum suis con- » sortibus conventione & consensu inito, à mutua » consuetudine abstinent, statuimus eos non ampliùs » cum illis ullo modo cohabitare debere; ut ex » eo nobis perfectam sui promissi demonstrationem » præbeant. Hoc autem illis non propter alium, » quàm propter eorum pusillanimitatem, extraneos- » que ac non satis firmos mores concessimus. «

Sacerdotes nonnulli in Barbaricis Ecclesiis more Latinorum ab uxoribus ante Sacerdotium ductis abstinendum crediderunt; quod licèt esset contrarium Græcorum disciplinæ, imò & *Canoni* V. Apostolico oppositum videretur, tamen Patres esse tolerandum crediderunt; modo tales Sacerdotes etiam à cohabitatione uxorum abstinerent; *ut ex eo*, inquiunt, *nobis perfectam sui promissi demonstrationem præbeant.*

Ratio Canonis.

» Hinc enim, ait Zonaras, cùm & eos imple- » re promissi fidem facilè apparebit, tum verò cons- » tantiores in suscepto continentiæ consilio disso- » ciatio procul amandatæ uxoris efficiet. Cum iis » enim cohabitare, easque continuò aspicere, ad » veneream congressionem sit illis forsitan incita- » mento. «

Missarum solemnia vetita in privatis oratoriis.

Canon XXXI. » Clericos, qui in oratoriis, quæ » sunt intra domos, sacra faciunt, vel baptizant; hoc » illius loci Episcopi sententiâ facere debere decer- » nimus. Quare si quis Clericus hoc non sic servave- » rit, deponatur. «

Disciplinam hujus Canonis renovavit Synodus Tridentina in decreto *De observandis, & evitandis in celebratione Missæ*; & fusiùs de eo agemus *in Jure Ecclesiastico*, *p. 2. in Tit. de Sacrificio Missæ.*

Aqua vino miscenda in Sacrificio Missæ.

Can. XXXII. » Quoniam ad nostram cognitionem » pervenit, quod in Armeniorum Regione vinum tan- » tùm in sacra mensa offerunt; aquam illi non mis- » centes, qui incruentum sacrificium peragunt, ad- » ducentes Ecclesiæ Doctorem Joannem Chrysosto- » mum hæc dicentem in interpretatione Evangelii se- » cundum Matthæum: Quamobrem non aquam bi- » bit, cùm surrexit, sed vinum? Improbam sanè hæ- » resim radicitùs extirpans. Quoniam enim nonnulli » aquâ in mysteriis usi sunt, ostendens, quòd & » quando mysteria tradidit, & quando, postquam » resurrexisset, absque mysteriis solam ac nudam » mensam apposuit, usus est vino ex genimine, inquit, » vitis: vitis, autem vinum, non aquam generat: & » ex eo aquæ in sacro sacrificio adjunctionem Docto- » rem subvertere existimant: ut non ab hoc tempo- » re imposterùm ignorantia teneantur, Patris senten- » tiam orthodoxè aperimus. Cùm enim improba Hy- » droparastarum, hoc est, eorum, qui aquam offere- » bant, antiqua esset hæresis, qui pro vino solâ » aquâ in proprio sacrificio usi sunt; refellens hic » vir divinus detestabilem ejusmodi hæresis doctrinam, » & ostendens, quòd directè Apostolicæ traditioni » adversatur, id, quod jam dictum est, affirma- » vit. Nam & suæ Ecclesiæ, ubi est illi Pastoralis ad- » ministratio tradita, aquam vino miscendam tradi- » dit, quando incruentum peragi sacrificium opor- » tet, ex pretioso Christi nostri Redemptoris latere » ex sanguine & aqua contemperationem ostendens, » quæ in totius mundi vivificationem effusa est, & pec- » catorum redemptionem, & in omni etiam Eccle- » sia, ubi spiritualia lumina defulserunt, hic ordo di- » vinitus traditus servatur. Nam & Jacobus Christi » Domini nostri secundum carnem frater, cui Hiero- » solymitanæ Ecclesiæ Thronus primùm est creditus, » & Basilius Cæsariensium Ecclesiæ Archi-Episcopus, » cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mys- » tico nobis in scriptis tradito sacrificio, ita consecran- » dum in Divina Missa ex aqua & vino sacrum cali- » cem ediderunt. Et qui Carthagine convenerunt » Sancti Patres his verbis apertè & præcisè mentionem » fecêre: ut in Sanctis nihil plus, quàm Corpus, & » Sanguis Domini offeratur, ut ipse Dominus tradi- » dit, hoc est, panis & vinum aquâ mistum. Si quis » ergò Episcopus vel Presbyter non secundum tradi- » tum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino » miscens, sic immaculatum offert sacrificium, de- » ponatur, ut imperfectè mysterium enuntians, & » quæ tradita sunt, innovans. «

Doctrina Canonis à Syn. Trid. probata & exposita.

Doctrinam & ritum hujus Canonis etiam Synodus Tridentina probavit, declaravitque, » præceptum es- » se ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice » miscerent: tum quòd Christum Dominum ita fecis- » se credatur, tum etiam qui à latere ejus aqua simul » cum sanguine exierit, quod Sacramentum hoc mix- » tione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi Beati » Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum » Capite Christo unio repræsentatur. « Sess. 22. *de Sacrific. Missæ cap.* 7.

Tertiam ritûs illius rationem à Synodo adductam, » multis jam pridem urserat, & exposuerat S. Cypria- » nus in epistola ad Cæcilium, & refertur à Gratiano *Can.* 1. & 2. *dist.* 2. *de Consecrat.* sed nonnihil aliter quàm apud Cyprianum extant, uti notant Correcto- res Romani; quia Gratianus *Canone* 7. refert decre- tum sub nomine Julii Papæ, quo dicta ratio fortissi- mè asseritur, diciturque: » Quæ copulatio, & con- » junctio aquæ, & vini sic miscetur in calice Domini, » ut mistio ista non possit separari. Nam si vinum tan- » tùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine » nobis. Si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine » Christo. «

In assumptione ad Sacros Ordines conjunctio sanguinis non attendenda.

Can. XXXIII. » Quoniam cognovimus in Arme- » niorum Regione eos solùm in Cleri ordinem referri, » qui sunt ex genere Sacerdotali, iis, qui hoc facere » aggrediuntur, mores Judaicos sequentibus: nonnul- » los autem eorum, etiam non tonsos, sacros Canto- » res, & divinæ legis Lectores constitui: decernimus, » ut deinceps non liceat eis, qui volunt aliquos ad » Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, » genus respicere; sed examinantes, an digni sint jux- » ta exposita in Sacris Canonibus decreta, in Cleri ca- » talogum referri, ut eos ecclesiasticè promoveant, » sive sint ex majoribus suis Sacerdotibus, sive non. » Sed etiam ut nulli ex omnibus permittant, juxta or- » dinem eorum, qui sunt in Clericorum ordinem re- » lati, populo in suggestu Divinas Scripturas recita- » re, nisi is Sacerdotali tonsurâ usus fuerit, & bene- » dictionem à suo Pastore canonicè susceperit. Si quis » autem præter hæc facere deprehensus fuerit, se- » gregetur. «

Canon evertit omnem in conferendis beneficiis carnalem affectum.

Ratio hujus Canonis funditùs evertit omnem in conferendis Sacerdotiis carnalem proximitatis & consanguinitatis affectum; quem & olim S. Grego- rius *Lib.* 7. *Epist.* 5. ad Brunichildam Francorum Reginam, non secus ac Simoniacam pravitatem ca- vendum monuit: » Christianitatis vestræ solicitudo » diligenter invigilet, & nullum, qui sub regno » vestro est, ad Sacrum Ordinem ex datione pecuniæ, » vel quorumlibet patrocinio personarum, seu *proxi-* » *mitatis jure* patiatur accedere; sed ille ad Episco- » patus, vel alterius Sacri Ordinis officium eligatur, » quem dignum & vita & mores ostenderint. «

Et Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reformat.* deplorat, quod ex illo multorum malorum in Ec- clesia seminarium extet; monetque propterea Episco- pos, ut eum *penitùs* deponant.

Can. XXXIV. Est renovatio Canonis XVIII. Cal- chedonensis; cujus notata repete.

Metropolitano non licet Episcopi sui suffraganei mortui res rapere.

Can. XXXV. » Nulli omnium Metropolitanorum » liceat, mortuo Episcopo, qui ejus throno subest, res » ipsius, vel Ecclesiæ ejus auferre, vel sibi vindi- » care; sed sint sub custodia Cleri Ecclesiæ, cui de- » functus præfuit, usque ad alterius Episcopi promo- » tionem; præterquam si in eadem Ecclesia non relicti » sint Clerici. Tunc enim Metropolitanus ea non dimi- » nuta servabit, ordinando Episcopo omnia reddens. «

Quod Canone XXII. Calchedonensi de Clericis simpliciter dictum fuerat, præsenti Canone de Metro-

tropolitano quoque edicitur, nihilque obscuritatis habebit, si cum notatis ad dictum Canonem XXII. conferatur.

Renovatio Canonis III. Constantinopol. & XXVIII. Calched.

Can. XXXVI. » Renovantes, quæ à Sanctis centum quinquaginta Patribus in hac à Deo conservanda & regiâ urbe & sexcentis triginta, qui Calchedone convenêre, constituta sunt, decernimus, ut thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Ecclesiasticis ut ille rebus magnifiat, ut qui sit secundus post illum. Post quem magnæ Alexandrinorum Civitatis numeretur thronus, deinde Antiochiæ & post eum Hierosolimitanæ civitatis. «

Ordo quinque Patriarcharum hic primum expressus.

Hoc Canone innovantur, & confirmantur Canon III. Constantinopolitanus, & Canon XXVIII. Calchedonensis, quorum notas consule; ac insuper quinque Patriarchæ nominatim exprimuntur; ordoque inter ipsius observandus præscribitur; qui ante hunc Canonem nullibi expressus reperitur.

Refert eum Gratianus *dist.* 22. *Can.* 6. sed necessariò conferenda Correctio Romana.

Episcopus ob incursiones Barbaricas non valens ad suam Ecclesiam accedere honoris & muneris particeps est.

Can. XXXVII. » Quoniam diversis temporibus Barbaricæ incursiones fuêre, & ex eo plurimæ civitates infidelibus subjugatæ fuêre, ut ideò non possit ejus civitatis Præsul postquam ordinatus fuerit, suum thronum apprehendere, & in eo in Sacerdotali constitutione collocari, & sic pro ea, quæ invaluit, consuetudine ordinationes & omnia, quæ ad Episcopum pertinent, agere & tractare: nos honorem, ac venerationem Sacerdotio servantes, & gentilem injuriam nequaquam ad ecclesiasticorum jurium perniciem exerceri volentes; eos, qui sic ordinati sunt, & propter prædictam causam in suis thronis non sunt constituti, ut absque ullo ex ea re præjudicio conserventur, decrevimus, ut & diversorum Clericorum ordinationes canonicè faciant, & præsidentiæ auctoritate secundum proprium statum utantur, & sit firma, ac legitima, quæcunque ab eis procedit, administratio. Non enim à tempore necessitatis exactâ juris observatione circumscriptâ dispensationis terminus circumscribetur. «

Ex ensio Canonis Antiocheni.

Quod Canone XVIII. Antiocheno decretum erat, ut Episcopus electus & ordinatus, qui ad suam Ecclesiam non ierit, non suâ quidem culpâ, sed propter populi recusationem, aut aliquam aliam causam, quæ à se non oritur, sit honoris & muneris particeps, id per præsentem Canonem extenditur, & applicatur Episcopo, qui Civitatem suam Episcopalem intrare non potest, eò, quòd à Barbaris sit occupata; fusiusque exprimuntur, quæ ad honorem & munus Episcopi spectant.

Innovatis Canonis XVII. Calchedonensis.

Can. XXXVIII. » Canonem, qui à Patribus factus est, nos quoque observamus, qui sic edicit: Si qua civitas ab Imperiali potestate innovata est, vel rursus innovata fuerit, civiles ac publicos typos ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequatur. «

Canon cujus hîc fit mentio & innovatur, est XVII. Calchedonensis; cujus notas repete.

De juribus & privilegiis conservandis novæ Justinianopolit.

Can. XXXIX. » Cùm frater & Comminister noster Joannes Insulæ Cypri Præsul unà cum suo populo in Hellesponticam Provinciam & propter Barbaricas incursiones, & ut à gentilium servitute liberarentur, & christianissimæ potentiæ sceptris purè subjicerentur, à prædictâ insula emigraverit, Cletis mentis Dei providentia, & pii Deique amantis Imperatoris nostri labore constituimus, ut citra ullam innovationem serventur, quæ à divinis Patribus, qui Ephesi primùm convenerunt, prædicti viri throno privilegia concessa sunt, ut nova Justinianopolis Constantinopoleos jus habeat, & qui in ea constituitur, pius ac religiosissimus Episcopus præsit omnibus Hellesponticorum Provinciæ Episcopis, & à suis Episcopis eligatur ex antiqua consuetudine. Mores enim, qui sunt in unaquaque Ecclesia, divini etiam nostri Patres servandos censuerunt. Cyzicenorum Civitatis Episcopo Præsuli dictæ Justinianopoleos subjecto existente ad imitationem reliquorum omnium Episcoporum, qui subsunt prædicto Dei amantissimo Præsuli Joanni, à quo, cùm usus postulaverit, etiam ipsius Cyzicenorum Civitatis Episcopus ordinabitur. "

Sensus Canonis.

Pro intellectu hujus Canonis notandum, quod Metropolis Cypriorum olim, dicta *Constantia*, à Justiniano Imperatore restaurata suo de nomine vocata sit *nova Justinianopolis*.

Porrò Synodus Ephesina ante hac decreverat, ut nec Antiochenus, nec ullus quivis Episcopus in Insula Cypro aliquam vel Metropoliticam auctoritatem exerceret; sed ut omnia negotia ecclesiastica ibi emergentia à Metropolitano *Constantiæ*, & Synodo Provinciæ definirentur.

Cùm verò Saraceni tempore hujùs Synodi Constantiam sive *novam Justinianopolim* occupâssent, Joannes Civitatis illius Episcopus cum suo populo emigravit in Hellesponticam Provinciam, *ut christianissimæ potentiæ sceptris pure subjiceretur.* Cùm itaque Joannes cum suis Episcopis, Clericis & populo hîc esset, Patres in ejus gratiam constituerunt, annuente etiam Imperatore, ut jura à Synodo Ephesina suæ quondam Cathedræ indulta, etiam in Hellesponto obtineret; ut nimirum nullus is suos Episcopos aut populos potestatem haberet; atque insuper Hellespontica Provincia, ejusque Metropolita Cyzicenus Episcopus dicto Joanni subjiceretur; in hancque Provinciam *nova Justinianopolis* idem jus exerceret, quod antea *Constantinopoli* sive *novæ* Romæ competierat.

Porrò monent Balsamon, Zonaras, & Aristenus suo tempore, nullam ex his Ecclesiis Cypri Archiepiscopatui fuisse subjectam; cujus rationem attigisse videtur Aristenus, » quod postquam Cyprus gentium manibus liberata fuit, quæ in Hellesponto erant Metropoles ad Thronum Constantinopolitanum redierint. « Ut vel hinc appareat, hanc indulgentiam tantum fuisse temporalem; quamdiu ipse Joannes Provinciâ suâ à Barbaris occupatâ, in Provincia Hellespontica pro fide quasi exulare debebat.

Ætas professioni monasticæ præscripta.

Can. XL. » Quoniam Deo hærere per secessum ex vitæ strepitu, ac perturbatione valde est salutare, oportet nos non sine examinatione eos, qui vitam monasticam eligunt, non intempestivè admittere, sed nobis à Patribus traditum terminum in eis quoque servare, ut vitæ secundum Deum professionem ut jam firmam, & a scientia, ac judicio factam tunc admittamus, post rationis complementum. Qui ergo monachicum jugum est subiturus, ne sit minor quàm decem annorum natus, ejus quoque rei examinatione in Præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet ad introductionem & constitutionem in vita monastica. Etsi enim magnus Basilius in sacris suis Canonibus eam, quæ se sua sponte Deo offert, & virginitatem complectitur, si septimum decimum annum compleverit, in Virginum ordinem referendam esse statuit; sed tamen de viduis & Diaconissis exemplum secuti, in dictum tempus, analogiâ, & proportione habita, eos, qui vitam monasticam elegerunt, deduximus. In divino enim Apostolo scriptum est, sexaginta annorum viduam in Ecclesia eligendam: Sacri autem Canones quadraginta annorum Diaconissam ordinandam esse statuerunt; cùm Dei Ecclesiam Dei gratiâ potentiorem, ac robustiorem evasisse, & ulteriùs procedere vidissent, fidelium que ad divinorum mandatorum observationem, firmitatem, ac stabilitatem. Quod quidem cùm nos quoque optimè intellexissemus, modò statuimus benedictionem gratiæ ei, qui certamina secundum Deum aggressurus est, veluti quoddam signaculum celeriter imprimentes, hinc eum ad non diu cunctandum, & tergiversandum inducentes, vel potiùs etiam ad boni electionem, & constitutionem incitantes. «

Vita monastica secessus ex vita strepitu.

Canon vitam monasticam dicit *secessum ex vitæ strepitu*, conformiter ad ea, quæ ante scripserat Sanctus Ambrosius ad Ecclesiam Vercellensem, „ Clericorum officia in theatro, ac studio, Monachorum instituta esse in spelunca, & secreto. " Pluraque Veterum consona testimonia refert Christianus Lupus in scholiis ad hunc Canonem: concluditque: *Et hinc in Ecclesia nullum fœdius monstrum, quàm Monachus inquietus.*

Ratio Canonis dubia.

Quod dicat Synodus se contraxisse ætatem professioni monasticæ præstitutam ad annum decimum; idque contra Canonem XVII. S. Basilii, qui in professura virginitatem requirit, ut supra 16. aut 17. annos nata sit, eo quòd humana infirmitas ad divina mandata, atque consilia adimplenda jam per Dei gratiam evaserit firmior, & robustior, meritò monet idem Christianus Lupus, *esse longæ indaginis*, an ratio hæc subsistat. Illud constat, Synodum Tridentinam non existimasse hanc decem annorum ætatem

satis maturam, & idoneam sese alligandi professioni monasticæ cùm statuit : » quòd in quacunque Religio- » ne tam virorum, quam mulierum professio non » fiat ante 16. annum expletum, «*Sess. 15. cap. 15. de Regularib.* Quin & ipsa Synodus Trullana sat evidenter innuit, decem annorum ætatem non semper esse sufficientem, ut quis ad professionem monasticam judicetur sat maturus ; dum in Episcopi examinatione reponit, *an augeri tempus conducibilius existimet.*

An & qua ratione professio monachalis dicatur benedictio gratiæ.

Quod Canon *benedictionem monachalem* vocet *benedictionem gratiæ*, ac veluti quoddam *signaculum* quod Monacho imprimitur, Goffredo Abbati Vindocinensi occasionem dedit, teste Christiano Lupo » existimandi, aut saltem graviter dubitandi, eam be- » nedictionem esse *consecrationis* speciem, manûs im- » positionem, Sacramentum ex Apostolica traditione » celebrandum, quod possit à solo Abbate, non à » simplici Monacho imprimi, ac nullo pacto, aut ca- » su iterari. At rectius ejus Episcopus Sanctus Ivo: » *Monachi benedictio aliam vim mihi habere non vide-* » *tur, quàm super populum Sacerdotis oratio.* Eam » Sancto Antonio ac aliis antiquis Monachis dicit fuis- » se ignotam, multiplicatis postmodum Monachorum » gregibus inductam ex quadam cautela, tamqam re- » ligionis vinculum humanæ infirmitati provisum, *ut* » *Monasticus Ordo quantò firmiùs in conspectu Dei &* » *hominum, & solemniùs ligaretur, tantò robustiùs,* » *ac devotiùs à Monachis servaretur. Et qui vellent* » *ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus con-* » *vincerentur, & tanquam jurati in Christi Sacra-* » *menta tyrones ad propositum suum reverti cogeren-* » *tur.* Et hinc liquet Dionysium illum, qui nobis » Monachorum benedictiones producit, non esse » Areopagitam Apostoli discipulum, sed Sancto An- » tonio ac primis ejus discipulis posteriorem. « Hæc Lupus.

De Anachoretis.

Can. XLI. » Eos, qui in urbibus vel vicis in clau- » suras volunt secedere, & sibi ipsis separatim atten- » dere, priùs quidem in monasterium ingredi opor- » tet, & anachoreticam, hoc est, ab aliis separatam, » ac semotam vivendi rationem exercere, & spatio » triennii ei, qui mansioni præest, in Dei timore pa- » rere, & obedientiam in omnibus, ut æquum est, im- » plere ; & ita hujus vitæ eligendæ institutum profiten- » tes, & quod eam ex toto corde sua sponte amplec- » tuntur, & ab ejus loci Præsule examinari : deindè » sic alio anno extra clausuram fortiter se gerere, ut » scopus eorum evadat manifestior. Tunc enim plenè, » ac perfectè significabunt, quòd non inanem gloriam » captantes, sed propter ipsum revera pulchrum ac » honestum hoc silentium persequuntur. Post tanti » autem temporis complementum, si in eodem eligen- » dæ vitæ instituto permaneant, includi ipsos, & eis » non amplius licere, quando voluerint, ex tali man- » sione egredi, præterquam si propter communem » utilitatem, vel aliam necessitatem ad mortem ur- » gentem, ad id trahantur ; & ita cum benedictione » ejus loci Episcopi. Qui autem sine his jam dictis » causis ex suis habitaculis exire aggrediuntur, pri- » mò quidem vel invitos dictâ clausulâ coërceri, dein- » de jejuniis & aliis afflictionibus ipsos curare, scien- » tes, quemadmodum scriptum est, quod nemo, » qui manum aratro immisit, & retrò conversus est, » aptus est regno cœlorum. «

Cur dicti discedentes.

Hoc Canone agitur de Anachoretis, quos etiam *discedentes*, sive *Helichastas*, id est, *quiescentes* vocari monet Justinianus in sua *novel.* 5. *cap.* 3. tamquam *à communione ad meliora exceptos*, hoc est, à vita communi separatos, solitariè in silentio, & contemplatione viventes.

Hæc vita multis tentationibus obnoxia.

Hoc vitæ genus multis tentationibus & periculis expositum, non nisi *perfectis* convenire Patres crediderunt. Quæ omnia latè exponit S. Hieronymus in Epistola ad Rusticum Monachum rogantem, *num solus, an cum aliis in monasterio deberet vivere.*

Ibidem enumeratis Eremi multis, gravibusque periculis respondet : » De ludo monasteriorum hujus- » modi volumus egredi milites, quos Eremi dura ru- » dimenta non terrent, quin speciem conversationis » suæ multo tempore dederint qui omnium fuerint » minimi, ut primi omnium fierent. «

Multum probandi priusquam ad hanc vita admittantur.

Ne igitur tot tantisque periculis incautus quis se inserat, multâ probatione opus esse priusquam ad vitam Reclusorum, sive Anachoretarum quis admittatur, jam pridem Patres judicârunt, & præsens Canon confirmat : Nam, ut benè advertit Zonaras, » qui » se ex communi vitæ consuetudine ad Anachoreti- » cum institutum subitò transferunt, cellulæque an- » gustiis inclusi facti sibi duces vivendi degunt, pe- » riculoso se negotio haud dubiè committere Patres » existimavêre.

Falsi Eremitæ.

Can. XLII. » Eos, qui dicuntur Eremitæ, qui » quidem nigris vestibus induti & capite comati ur- » bes obeunt, & cum viris secularibus, ac mulieribus » versantur, & propriæ professioni faciunt injuriam, » statuimus, si elegerint quidem tonsis comis reli- » quorum Monachorum amictum suspicere, eos in Mo- » nasterio constitui, & inter Fratres referri. Quod, » si hoc non elegerint, ex urbibus expelli, & soli- » tudines habitare, ex quibus sibi etiam dominatio- » nes confinxêre. «

Occasio Canonis.

Testatur Balsamon ex hoc hominum genere suâ ætate fuisse nonnullos : » Qui dicerent se Dei jussu ex » solitudine in civitates venisse, ut futura quædam » prædicant : & simplicioribus quædam impudenter » pollicentur lucri, & mercimonii gratiâ. «

Hodie merito observandus hic Can.

Optandum esset, nec hodie similes reperiri ; atque observarentur circa hujusmodi hominum genus, quos vulgò *Eremitas* dicimus, quæ præsens Canon præscribit, majorique cautelâ, & maturiori examine præcedenti ad vitam Eremiticam admitterentur, sperandum esset, ut qui aliquando vitæ suæ Sanctitate, & Angelicâ in terris conversatione bono odore Ecclesiam perfuderunt, hodie sæpè non essent hominibus odibiles & suspecti.

Profiteri vitam monasticam omnibus etiam sceleratis liberum.

Can. XLIII. » Licet omni Christiano vitam exer- » citatricem eligere, & rerum ad vitam pertinentium » depositâ tempestate, monasterium ingredi, & ha- » bitu Monachi tonderi, in quacumque prolapsione » deprehensus fuerit. Salvator enim noster Deus in- » quit : *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* » Tanquam ergo monachali vitæ agendæ instituto in » pœnitentia nobis vitam describente, ei, qui ad illud » germanè, ac sincerè accedit, acquiescimus, ac fa- » vemus : nec ulli ei mores impedimentum afferent, » quo minus proprium scopum adimpleat. «

Vita Monastica vita pœnitentiæ.

Hic Canon confirmat, quod Patres unanimi consensu tradidêre, nimirum vitam Monasticam esse *Vitam pœnitentiæ*, juxta illud vulgatissimum S. Hieronymi : *Monachus non docentis habet officium, sed plangentis.* Hîc concludit præsens Canon, unicuique integrum esse, quamvis valde scelerato & nefario vitam monasticam eligere. » Ut enim columna, quod » in ea describitur, nobis exprimit ; sic ait Zonaras, » monastica professio pœnitentiæ imaginem ita effin- » git ac exprimit, ut eam ex animis nostris elabi, » aut effluere nunquam omninò patiatur. «

Rectè proinde ex hoc Canone concludit Christianus Lupus : nemini ex criminum anteriorum causâ solet occludi ingressus in monasteria, at utinam, qui hodie ad vitam monasticam, sive regularem recipiunt adolescentes multis criminibus, & passionibus carnalibus onustos & implicatos, eos tanquam ad statum pœnitentiæ reciperent : nec passim exiguo ab emissa professione tempore ad Sacros ordines, quasi ab omni vitiorum illorum colluvie purgatos, protruderent, non sine horrenda Sacrorum Ordinum & præcipue Sacerdotii profanatione, sed de hoc fusiùs egi in *Dissertatione de Canonicis, p. 2. cap. 3. §. 11.* & Repagulo Canonico *p. 2. §. 10.*

De Monacho fornicante.

Can. XLIV. „ Monachus fornicationis convictus, » vel qui ad matrimonii communionem, vitæque so- » cietatem uxorem duxit, fornicatorum pœnis secun- » dum Canones subjicietur.

Quæ pœna fornicatorum.

„ Quod fornicatorum pœnis subjiciatur, qui for- » nicatus est Monachus, ait Balsamon, est ut cle- » mentissimum amplectendum, ac recipiendum.

» Fornicatorum autem pœna, inquit Aristenus, est » septem annorum juxta LIX. Canonem Basilii Mag- » ni, duos namque annos deflet, duos audit, duos » substernitur, unum cum fidelibus consistit, & oc- » tavo ad communionem admittitur. «

Secularis ornatus non assumendus à professuris Monialibus.

Can. XLV. „ Quoniam inselleximus in nonnullis » mulierum monasteriis mulieres, quæ sacro illo amic- » tu sunt induendæ, priùs sericis & omnis generis » vestibus, præterea autem & mundis auro & gemmis » variatis ab iis, qui illas ducant, exornari, & sic ad » Altare accedentes exui tanto opum apparatu, & » statim in illis fieri habitus benedictionem, illas- » que nigro amictu indui, statuimus, ne hoc deinceps » fiat. Neque enim fas est, ut quæ jam propriâ vo- » luntate omnem vitæ jucunditatem deposuit, & eam, quæ

» quæ est secundum Deum, vitæ agendæ rationem » ampleva est, firmisque ac stabilibus rationibus eam » confirmavit, & ita ad monasterium accessit, per » eum, qui interit ac fluit, mundum, quorum jam » oblita erat, memoriam revocet, & ex eo anceps » reddatur, & ejus anima perturbetur instar exun- » dantium fluctuum, huc que & illuc versantium: ut » nec nonnunquam lachrymam emitens, cordis per » corpus compunctionem ostendat; sed etsi exigua ali- » qua, ut est consentaneum, lacryma exilierit, non » magis propter affectionem, quam habent propter » exercitatorium certamen, quam propterea quod » mundum & mundana relinquant, ea a videntibus » profluxisse videtur."

Morem, seu consuetudinem hoc Canone improbatam etiamnùm hodie in multis mulierum monasteriis superesse compertum est; qui eis intendunt, expendere poterunt, quid fieri & emendari conveniat.

Monachi non nisi necessitate cogente & pravia Superioris benedictione è monasterio egrediantur.

Can. XLVI. „Quæ vitam exercitatoriam eligunt, » & monasteriis sunt constitutæ, ne omninò pro- » grediantur. Si qua autem inexorabilis necessitas ad » hoc trahit, cum benedictione, & permissione ejus, » quæ præest, hoc agant, tuncque non solæ per se, » sed cum aliquibus vetulis, & quæ monasterio primæ » sint, cum mandato ejus, quæ perfecta est. Eis autem » omninò extra cubare non licet. Sed & viri, qui » vitam monasticam persequuntur, urgente necessitate, » & ipsi cum benedictione ejus, cui regimen credi- » tum est, procedant. Quamobrem, qui transgre- » diuntur id, quod est nunc a nobis decretum, sive » sint viri, sive mulieres, convenientibus pœnis sub- » jiciantur."

Quod primâ Canonis parte, de clausura monialium decernitur, firmavit & vehementer ursit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 11. *de Regularib.* quod tamen decretum, tametsi saluberrimum non ubique in Belgio hactenus executioni mandatum est: de quo fusiùs in jure ecclesiastico titulo de Monialibus.

Jubet insuper Canon Monachos propter solam inexorabilem necessitatem à mansione egredi cum benedictione, & permissione ejus, qui præfectus est; uti notat Balsamon.

Solitudo Monachis maximè commendata.

Quàm enixè solitudinem Monachis Patres tanquam summopere utilem, ac penè necessariam inculcaverint, uno consensu clamant eorum regulæ. Et quidem S. Benedictus: » Monasterium, si fieri potest, ita » constituit vult, ut omnia necessaria, id est, aqua, » molendinum, hortus, pristinum vel artes diversæ » infra monasterium exerceantur:" *Ut non sit*, ait, *ne-* » *cessitas Monachis evagandi foras*; *quia omninò non expedit animabus eorum.* In regula *Cap.* 66. Notum quoque est illud Eugenii Papæ apud Gratianum 16. *q.* 1. *Can.* 18. „Monachus claustro suo sit contentus; » quia sicut piscis sine aqua caret vitâ, ita sine mo- » nasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius, & ta- » ceat; quia mundo mortuus est, Deo autem vivit." Cæterum de hac Monachorum solitudine, & à seculo separatione præter eruditas notas Hugonis Menardi *ad. cap.* 81. *Concordiæ Regularum*, vide latè discurrentem Abbatem Trappensem in Tractatu *de sanctitate vitæ monasticæ*, *cap.* 16.

Quod Monachi egredientes benedictionem accipiunt vetus est disciplina.

Quod de benedictione Præfecti accipiendâ à Monacho foras egressuro dicitur. „Antiquus & laudabilis in monasteriis mos invaluit, ait Hugo Menardus » loco citato §. 9. ut nunquam Monachus sine bene- » nedictione vel oratione sui Rectoris foras progredia- » tur, ut hac veluti circumvellatus, mundi pericula » & dæmonum tela declinare possit."

Mulieres in monasteriis Virorum non dormiant.

Canon. XLVII. » Neque mulier in virorum mo- » nasterio, neque vir in mulierum dormiat. Extra of- » fendiculum enim & scandalum fideles esse opor- » tet, & ad id, quod decorum & honestum, Deo- » que gratum, vitam suam componere. Si quis au- » tem hoc fecerit, sive sit Clericus, sive Laicus, se- » gregetur. «

Canon perspicuus est, duntaxat fidelis desideratur custodia.

Uxor ejus, qui ad Episcopatum promovetur in monasterio collocanda.

Can. XLVIII. » Uxor ejus qui ad Episcopalem » dignitatem promovetur, communi sui viri consen- » su priùs separata, postquam in Episcopum ordi- » natus est, ac consecratus, monasterium ingredia- » tur procul ab Episcopi habitatione extructum; & » Episcopi providentiâ fruatur. Sin autem digna vi- » sa fuerit, etiam ad Diaconatûs dignitatem prove- » hetur. «

Ad Episcopatum promotus uxorissua curam habere debet. Et quam.

Quod hîc statuitur de uxore illius, qui ad Episcopatum promotus est, & communi consensu separatâ, quod monasterium ingredi debeat, sat conforme est juri Decret. *in cap.* 5. & 6. *de conversione conjugat.* quod verò dicitur: *Et Episcopi providentia fruatur* uxor, id ita accipiendum monet Zonaras, » nisi mulie- » ri scilicet, ex domestica istius copia, opportuna vi » tæ subsidia suppeditari queant. Si namque Episco- » po ipsi, ne sui quidem commodi causâ, quidquam » ex Episcopatûs sui proventibus, præterquam in ne- » cessarios usus, idque nisi domesticis facultatibus » destituto, insumere concessum est: quanto minus » illi ad uxoris relictæ subsidium aliquid ex Ecclesiæ » bonis, si mulieri vitæ opportunitates aliunde sup- » peditentur, licebit?"

Hæc ille; è quibus manifestum est, eruditissimum hunc Græcorum Canonistam nec dubitâsse, quin illicitum esset Episcopum vivere ex bonis Ecclesiæ, dum ex patrimonio sibi sufficit.

Can. XLIX. Est simplex, & nuda renovatio Canonis XXIV. Calchedonensis.

Ludus alearum vetitus.

Can. L. » Nullum omnium, sive Clericum, sive » Laicum, ab hoc deinceps tempore aleâ ludere. Si » quis autem hoc deinceps facere deprehensus fuerit, » si sit quidem Clericus, deponatur; si Laicus, se- » gregetur. «

Quid de disciplina hoc Canone expressa habeant Synodorum & Principum Belgii decreta & edicta, latè deducam in Jure ecclesiastico *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 5.

Spectacula, & spectationis venationum prohibita.

Can. LI. » Omninò prohibet hæc sancta, & uni- » versalis Synodus eis, qui dicuntur *Mimos*, & » eorum spectacula; deinde venationum quoque » spectationes, atque in scena saltationes fieri. Si » quis autem præsentem Canonem contempserit, & » se alicui eorum, quæ sunt vetita, dederit, si sit » quidem Clericus deponatur: si verò Laicus, se- » gregetur. «

Quæ venationes hic intelligantur.

Notat » hîc Zonaras, venationum spectacula, quo- » rum spectationes hîc prohibentur non Clericis dun- » taxat, sed & Laicis, non ea intelligenda esse, cum » feræ canum ministerio, aut aliâ simili ratione cap- » tantur; nec enim spectaculi vicem, sed actionis po- » tius cujusdam ea res obtinet. Verum in magnis ur- » bibus feræ bestiæ leones nimirùm ursique alebantur, » quæ quidem cum statis temporibus producerentur » in theatrum, ibique vel cum hominibus, aut captivis, » aut rei capitalis damnatis committerentur, plures » eo aspectu oblectari soliti sunt. Ea igitur specta- » cula, quippè sævitiæ astantium argumenta, qui » alienâ clade ad suas ipsi voluptates abuterentur, edi » vetat Canon. «

De usu Præsanctificatorum, describitur ritus.

Reliqua Canonis satis perspicua sunt: monet autem Christianus Lupus, » hodiernos Latinæ linguæ » Professores adolescentulorum saltus tamquam præ- » cipuum ornatum scenis suis intrudentes, graviter » impingere in regulas christianas. «

Can. LII. » In omnibus sanctæ quadragesima je- » junii diebus præterquam Sabbatho & Dominicâ, & » sancto Annuntiationis die, fiat Sacrum Præsanctifi- » catorum ministerium.

Præsanctificatorum apud Græcos in usu.

Jam olim moris fuisse diebus jejuniorum, præsertim quadragesimæ plenum sacrificium non offerre, sed solis præsanctificatis uti, diximus, & rationem dedimus ad Canonem L. Laodicenum: eumque ritum apud Latinos abolitum, præterquam in die parasceves, hodie adhuc per totam quadragesimam Græci observant. Ritus autem hic est: Die Dominicâ præter illius diei oblationem quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbathum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in Ecclesia, & in ipso vespertinarum precum officio Sacramentum antea consecratum proponunt & sumunt, præmissis Psalmis gradualibus. & recitatis quibusdam canticis, lectionibus & orationibus, quæ legi possunt in Euchologio Græcorum cum notis Goar. pag. 187. & sequentibus.

Plura de hoc ritu scire desiderans consulat eruditam de eo dissertationem Leonis Allatii operi ejus de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensu adjectam.

De impedimento matrimonii ex cognatione à spirituali.

Can. LIII. » Quoniam spiritualis necessitudo, seu » affinitas corporum conjunctione major est, in non- » nullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex » sancto, & salutari Baptismate infantes suscipiunt, » postea quoque cum matribus illorum viduis matri- » mo-

» monium contrahere, statuimus, ut imposterum » nihil fiat ejusmodi. Si qui autem post præsentem » Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem » primo ab hoc illicito matrimonio desistant, deinde » & fornicatorum pœnis subjiciantur. «

De impedimento ex cognatione spirituali resultante tenendum hodie decretum Tridentini, de quo latiùs in *Jure Ecclesiastico*, *p.* 2. *tit.* de impedimentis matrimonii.

De impedimentis consanguinitatis.

Can. LIV. » Cùm Divina Scriptura nos apertè » doceat: *Non ingrederis ad omnem consanguineam* » *carnis tuæ ad revelandam ejus turpidinem*, Divi» nus Basilius nonnullas prohibitas nuptias in suis Ca» nonibus enumeravit, multis silentio præteritis, & » bis utrisque nobis utilitatem attulit. Turpium enim » nominum multitudine evitatâ, ne verbis orationem » pollueret, generalibus nominibus impuritates com» plexus est, per quas legibus vetitas nuptias nobis in » summa ostendit. Quoniam autem propter ejusmodi » silentium, & quod non discerni posset illicitarum » nuptiarum prohibitio, se ipsam natura confudit: » Nobis visum est ea paulo apertiùs exponere, ab » hoc deinceps tempore decernentes, ut qui cum » patrui sui filia matrimonii societatem coierit, ut » pater & filius, qui cum matre & filia, vel cum » duabus puellis sororibus pater & filius vel cum » duobus fratribus mater & filia, vel fratres duo cum » duabus sororibus, in septenni Canonem incidant, » iis procul dubio separatis à nefario contubernio. «

De his quoque impedimentis agemus in Jure ecclesiastico loco citato.

Improbata consuetudo jejunandi die Sabbathi.

Can. LV. » Quoniam intelleximus in Romanorum » Civitatibus, in sanctis Quadragesimæ jejuniis, in » ejus Sabbathis jejunare, præter ecclesiasticam tradi» tam observationem: Sanctæ Synodo visum est, ut » in Romanorum quoque Ecclesia inconcussè vires » habeat Canon, qui dicit: « *Si quis Clericus inven*» *tus fuerit in sancto Die Dominico vel Sabbatho jeju*» *nare, præter unum et solum, deponatur; sin autem* » *laicus, segregetur.*

Canon ab Ecclesia Romana non receptus.

Canon, quem hîc inculcat Synodus, quemque etiam ab Ecclesia Romana inviolabiliter observari præcipit, est Canon LXV. inter Apostolicos supra relatos; eumque ab ipsis Apostolicis editum fuisse Patres hujus Synodi supponunt; ideoque acriùs quàm oportuit, consuetudinem Romanæ Ecclesiæ jejunandi die Sabbathi reprobâsse videntur. Unde & hic unus est ex Canonibus, quos Ecclesia Romana nunquam recepit. Repete notata ad dictum Canonem Apostolorum.

Quæ ex carne originem trahunt vetita diebus jejuniorum.

Can. LVI. » Similiter accepimus & in Armenio» rum regione, & in aliis locis, in Sabbathis & Do» minicis Sanctæ Quadragesimæ quosdam ova & ca» seum comedere. Visum est ergo & hoc, ut omnis » Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, » unum ordinem sequens, jejunium perficiat, & abs» tineat sicut ab omni mactabili, sic ab ovis & caseo, » quæ quidem sunt fructus, & fœtus eorum, à qui» bus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si » sint quidem Clerici, deponantur, sin autem Laici, » segregentur. «

Canonis disciplina etiam apud Latinos in usu fuit.

Ostendit hic Canon, Veteres Græcos licèt Quadragesimæ diebus Dominicis, & Sabbathis non jejunarent, à carnibus tamen abstinuisse, credidisseque abstinentiam à carnibus inferre necessariò abstinentiam ab iis omnibus, quæ sementinam ex carne trahunt originem. Quod & Latinos olim in quadragesima observâsse; & etiamnùm in quibusdam regionibus in usu esse notum est. Vide *Can.* V. VI. X. ex responso S. Gregorii ad Agustinum Angelorum Episcopum.

Mel & lac ad Altare non referendum.

Can. LVII. » Quod ad Altare mel, & lac of» ferre non oportet. «

Relege notata ad Canonem III. Apostolorum, & XXVIII. hujus Synodi.

Laici sibi Sacram communionem dare nequeunt.

Can. LVIII. » Nemo eorum, qui sunt in ordi» ne Laicorum, divina sibi misteria impertiat præ» sente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono. » Qui autem tale quid ausus fuerit, ut præter ea, » quæ sunt constituta faciens, una septimanâ segre» getur, & ex eo doceatur non ampliùs sapere, » quàm sapere oportet.

Zonaras ad hunc Canonem videtur supponere Laicum sibi posse divina mysteria, id est, Sacram Eucharistiam impartiri, si nemo ex initiatis adfuerit, & necessitas sumendi urserit. Et sanè olim Laicos Sacram Eucharistiam manibus contigisse, & ori suo imposuisse multis ostendit Cardinalis Bona *lib.* 2. *rerum liturg. cap.* 17.

In privati Oratoriis Baptismus non conferendus.

Can. LIX. „ In Æde oratoria, quæ est intra do» mum, Baptismus nequaquam peragatur, sed qui » illuminatione ab omnibus sordibus aliena digni ha» bendi sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & » hoc illic munere perfruantur. Si quis autem, quæ » à nobis constituta sunt, non servare convictus fue» rit, si sit quidèm Clericus, deponatur; si autem » Laicus segregetur. «

Conformis est *Clementinæ unicæ*, *de Baptismo*, à Synodis Belgicis sæpiùs innovatæ, uti latiùs dicetur in Jure ecclesiastico, *p.* 2. *tit. de Baptismo.*

Puniendi qui se à dæmone obsessos simulant.

Can. LX. » Cùm clamet Apostolus, quod qui » Domino adhæret, unus est spiritus, clarum est, » quod qui etiam cum contrario init familiaritatem, » ac consuetudinem, cum illo conjunctione unum fit. » Eos ergo, qui se à dæmone correptos esse simulant, » & morum improbitate eorum figuram, & habitum » simulatè præ se ferunt, visum est omni modo puni» ri, & ejusmodi afflictionibus, laboribusque eos sub» jici oportere, quibus ii, qui verè à dæmone cor» repti sunt, ut à dæmonis operatione liberentur, ju» re subjiciuntur.“

Etiam hodie in similes animadvertendum.

Observat Balsamon & Zonaras, quod hi, de quibus in Canone, illa simulatione ad quæstum abuterentur; quod & hodie non rarò contingere, facile deprehenderetur, si seriò in illos, qui se à dæmone correptos asserunt, inquireretur.

Contra Magos & incantatores.

Canon LXI. » Qui vatibus seipsos tradiderunt, » vel iis, qui Hecantontarchi seu Centuriones dicun» tur, vel aliis ejusmodi, ut ab illis discant, si quid » sibi revelari velint, convenienter iis, quæ de ipsis à » Patribus constituta sunt, sexennii canoni subjiciun» tur. Et ipsi autem eos quoque subjici oportet, qui » ursas, vel ejusmodi animalia ad ludum, & sim» pliciorum noxam circumferunt, & fortunam, ac fa» tum, & genealogiam, & quorundam ejusmodi ver» borum multitudinem, ex fallaciæ, imposturæque » nugis proferunt; eosque, qui nubium persecutores, » & incantantores, & amuletorum præbitores, & » vates appellantur. Eos autem, qui in iis persistunt, » & non ab ejusmodi pernitiosis, gentilibusque stu» diis avertuntur, & aufugiunt, Ecclesia omnino ex» turbandos decernimus, sicut & sacri Canones di» cunt. *Quæ enim est luci cum tenebris communica*» *tio?* Ut ait Apostolus: *Vel quæ fideli cum infideli* » *pars est? Quæ autem Christo est cum Belial con*» *cordia, ac conventio?*

Si Pastorum vigilantia seriò intenderet, non dubium, quin & plures ritus superstitiosos hoc Canone expressos, aut iis pejores, & perniciosiores hodiè frequentari non rarò deprehenderent.

A gentilium ritibus & festivitatibus abstinendum.

Can. LXII. » Kalendas, quæ dicuntur, & vota » & Brumalia, quæ vocantur, & qui in primo Mar» tii mensis die fit, conventum ex fidelium universi» tate omninò tolli volumus: sed & publicas mu» lierum saltationes, multam noxam exitiumque affe» rentes. Quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui » falsò apud gentiles Dii nominati sunt, vel nomine » virorum, ac mulierum fiunt, saltationes, ac mys» teria more antiquo à vita Christianorum alieno, » amandamus, & expellimus, statuentes, ut nullus » vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier » veste viro conveniente. Sed neque comicas, vel sa» tyricas, vel tragicas personas induat: neque exe» crandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus expri» mentes invocent, neque vinum in idolis effunden» tes risum moveant, ignorantiâ vel vanitate ea, quæ » ab insaniæ impostura procedunt, exercentes. Eos » ergo, qui deinceps aliquid eorum, quæ scripta sunt, » aggrediuntur, ubi ad horum cognitionem pervene» rint, si sint quidem Clerici, deponi jubemus; si » verò Laici, segregari. «

Quid Kalendæ.

Kalendæ sive festum Kalendarum vocantur publicæ illæ, ac superstitiosæ lætitiæ, quas Kalendis Januarii, quibus annus aperitur, exhibuêre primùm Gentiles, usurpavêre postmodum Christiani, & quas utrique indecoris choreis, mulierumque, aut ferarum assumptis formis, & vestibus fædabant: uti pluribus ostendit Du Fresne in Glossario verbo, *Kalendæ*: ibidem observans, quod licet frequenter ab Ecclesia, & Episcopis proscriptæ fuerint, indictis ad hanc diem Jejuniis, & litaniis, quibus eæ quodammodo expiaren tur, & ut ludricæ, & impiæ festivitatis loco vera ac solida succederet; non potuisse tamen tam altè radi-

Kalendæ apud Christianos in festum earum degenerare vere.

dicatas prorsus evelli, adeo ut extremis temporibus etiam plus solito vires acceperint, & non à Secularibus duntaxat, sed & ab ipsis Episcopis, & Sacerdotibus legantur usurpatæ; dictæque postmodum *Festum Hypodiaconorum* vel *fatuorum*, quod multis superstitiosis & inhonestis, atque impuris ritibus in ipso templo peragebatur; atque in Gallia usque ad annum 1444. perseverâsse evincit epistola encyclica Facultatis Theologiæ Parisiensis ad universos Galliæ Episcopos; in qua refert prorsus abominanda in hoc festo fieri solita, quæ tamen à multis sustinebantur hoc unico argumento, quo passim inveterati abusus sustinentur: *Prædecessores nostri, qui erant notabiles Viri reputati istud permisserunt, sufficit novis vivere ut ipsi.* Cui respondit Facultas: *Procul dubio istud argumentum diabolicum est, & infernalis hæc persuasio: Vos illorum exitum ignoratis, an bonus vel malus fuerit.* Habetur hæc epistola *in appendice ad opera Petri Blesensis, ult. edit.* Quæ utinam expenderetur ab iis, qui à praxi suorum Prædecessorum, quorum exitum ingnorant, quidvis inveteratum propugnant, & sustinent.

Pernicio-sum argu-mentum quo susti-nebantur explo-sum.

Quid vo-ta.

Per vota, quorum hîc mentio fit, designari videtur, uti observat Du Fresne in verbo *Votum*, dies festos Romanorum tertio nonas Januarii celebrari solitus, qui in Kalendari Bucheriano *Votorum nuncupatio* appellatur. Hæc ille: qui in verbo, *Bruma* notat, *Brumalia*, de quibus in Canone, esse festum octavo Kalendas Decembris celebrari solitum. Quæ omnia, utpotè Paganismum redolentia præsenti Canone Christianis interdicuntur.

Nomina falsorum Deorum à Christianis ne-quaquam usurpan-da.

Cætera Canonis obscura minimè sunt; hoc unum insuper notandum, Patres hîc insinuare, Bachum, aliosque falsos Deos à Christianis nec per jocum, aut pravam consuetudinem ac inde notam inadvertentiam esse nominandos, aut invocandos, occasione cujus, hodiernis litterarum Professoribus suadet Christianus Lupus, ut fabulosa gentilium Deorum deliramenta nostris adolescentibus nunquam sine antidoto edicant.

Nihil falsi in Ec-clesia le-gendum.

Can. LXIII. „Quæ à veritatis hostibus falsò con„ fictæ sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres „ ignominiâ afficerent, & qui eas audituri essent, ad „ infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publica„ ri jubemus, sed eas igni tradi. Qui eas autem ad„ mittunt, vel tanquam veris iis mentem adhibent, „ anathematizamus."

Semper admodum solicitos fuisse jam pridem Ecclesiæ Patres, ne quid falsi, aut apocryphi publicè in Ecclesia legeretur, constat. Ideoque seculo V. Gelasius I. ait, quòd licèt Ecclesia Romana suscipiat gesta SS. Martyrum, „ea tamen ideo in Ecclesia secun„ dum antiquam consuetudinem singulari cautelâ non „ legi; quia & eorum, qui conscripsêre, nomina „ penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis su„ perflua aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scrip„ ta esse putantur." Grat. *dist.* 15. *Can.* 3.

Laicus si-bi auctо-ritatem docendi aut dis-putandi de rebus Religio---nis non assumat.

Can. LXIV. „Quod non oportet Laicum publi„ cè disputare, vel docere, docendi auctoritatem ex „ eo sibi vendicantem, sed ordini à Domino tradito „ cedere; & aurem iis, qui docendi gratiam acce„ perunt, aperire, & divina ab eis doceri. *In una* „ *enim Ecclesia diversa membra fecit Deus*, ut est „ vox Apostoli. Quàm aperte interpretans Grego„ rius Theologus eum qui in iis est ordinem com„ mendat, dicens: Hunc ordinem revereamur, fra„ tres, hunc servemus. Hic quidem sit auris, ille ve„ rò lingua; hic autem manus, hic verò aliquid aliud: „ hic quidem doceat, ille verò discat."

Et paulò post: „Et dicens in docilitate, & sup„ peditans in hilaritate, & ministrans in alacritate. „ Ne simus omnes lingua, quod est promptius; ne „ omnes Apostoli, ne omnes Prophetæ, ne omnes „ interpretemur." Et post quædam: „Cur te Pas„ torem facis, cùm sis ovis? Cur caput efficeris, cum „ sis pes? Cur Imperator esse conaris, cùm relatus „ sis in numerum militum? Et alibi jubet sapientia, „ ne sis velox in sermonibus, ne cùm sis pauper, una „ cum divite extendaris; ne quæras sapientibus esse „ sapientior. Si quis autem præsentem Canonem la„ befactans deprehensus fuerit, quadraginta diebus se„ gregetur."

Hîc de publico disputandi, aut docendi munere agi notant Balsamon & Zonaras: „Privatim, enim „ ajunt, quis interroganti respondere, ac propositæ „ ab eo quæstioni docendo satisfacere non prohi„ betur."

Super-stitiones gentilium vitanda.

Can. LXV. „Qui in Novilunîis à quibusdam an„ te suas officinas, & domos accenduntur, rogos, su„ pra quos etiam antiquâ quadam consuetudine salire „ ineptè, ac desilire solent, jubemus deinceps cessa„ re. Quisquis ergo tale quid fecerit, si sit quidem „ Clericus deponatur; sin autem Laicus, segrege„ tur." In quarto enim libro Regum scriptum est. „Et ædificavit Manasses altare universæ militiæ cœ„ li in duobus atriis domus Dei, & filios suos tradu„ xit per ignem, sortibusque & auguriis, auspicis„ que usus est, & fecit, ventriloquos seu pythones, „ & divinatores multiplicavit, & ambulavit in eo, ut „ faceret malum coram Domino, ut eum ad iram „ provocaret."

Quid No-vilunia.

„Novilunia dicebantur *dies primi mensium*. Mos „ ergo erat apud Judæos & Græcos, ait Balsamon, „ festum tunc agere, & genu flectere, ut totum men„ sem feliciter transigerent." De quibus Deus quoque dixit per Prophetam: *Novilunia vestra & Sabbatha odit anima mea.* „Sed & ante officinas & ædes „ rogos incendebant, & super eos saliebant, per id „ existimantes ea, quæ illis priùs obtigissent mala „ comburi, foreque, ut in alia bona inciderent. His „ ergo consequenter faciebant etiam quidam Ortho„ doxi, eo tempore, quo habita est Synodus." Hæc ille.

Gentili-um ri-tuum re-liquiæ.

Horum Gentilium rituum reliquiæ sunt, quæ restant in quibusdam Sanctorum festis publici ignes, saltus, potationes, adolescentum pugnæ, *per Episcopos*, ait Lupus, *omnino eliminandæ.*

Octo die-bus Pas-chalibus vacan-dum.

Can. LXVI. „A Sancta Christi Dei nostri Re„ surrectionis die usque ad novam diem Dominicam „ totâ septimanâ vacare fideles jugiter oportet Psal„ mis & Hymnis, & spiritualibus Canticis in Christo „ gaudentes, festumque celebrantes, & divinarum „ Scripturarum lectioni mentem adhibentes, ac sanc„ tis mysteriis jucundè, & lautè fruentes. Sic enim „ cum Christo exultabimus, & unà resurgemus. Ne„ quaquam ergo prædictis diebus equorum cursus vel „ aliquod publicum fiat spectaculum."

Diù in Ecclesia festivitas Paschalis ad octi-duum pro-tracta fuit.

Paschale Festum per dies octo continuos ut festivos à populo celebrari antiqua fuit Ecclesiæ, tam Occidentalis, quàm Orientalis pietas; quæ etiamnum in Gallia & Germania usque ad finem seculi XI. ubique pene superfuit: nam de Synodo Constantiensi anni 1094. scribit Bertholdus, quòd in illa Gebehardus Episcopus statuerit, ut tam in hebdomada Pentecostes, quàm in hebdomada Paschali tres tantùm dies festivi celebrarentur: cùm eodem Bertholdo teste, alii penè omnes Episcopatus ad illud usque tempus integram Paschalem hebdomadam celebrarent: eique Gebehardo tanquam Canonis, & moris eversori graviter obmurmurâsse scribit Chronicon Ecclesiæ Augustanæ *ad ann.* 1094. Tandem omnes per Europam Ecclesiæ Constantiensis Synodi relaxationem admiserunt; veteris tamen disciplinæ vestigio in hoc remanente, quod Paschalis diei officium, omnibus aliis festis intermissis, per dies octo continuos in Ecclesia recitari jubeatur.

Diebus festivis abstinen-dum ab omni quod à divino cultu a-vocat.

His ergo diebus Paschalibus jubet præsens Canon cessare equorum cursus, publicaque spectacula, quibus fideles à vero, ac religioso illorum dierum cultu avocantur. Nam etiam de Christianis verum est, quod de Judæis dixit S. Augustinus: Quantò meliùs fœminæ eorum lanam facerent, quàm Sabbatho in Neomeniis saltarent, *tract.* 34. *in Joann.*

De absti-nentia à sanguine, & suffo-cato.

Can. LXVII. „Divina nobis Scriptura mandavit „ à sanguine, & suffocato, & fornicatione abstine„ re. Eos ergo, qui propter lautum, & delicatum „ ventrem cujuscunque animalis sanguinem arte ali„ quâ esculentum condiunt, ac instruunt, atque ita „ illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis ergo „ deinceps animalis sanguinem quovis modo comede„ re aggrediatur, si sit quidem Clericus, depona„ tur; sin autem Laicus, segregetur."

Pro intellectu Canonis repetenda notata ad Canon XI. Gangrensem.

Libros sa-cros vili-pendere non licet.

Can. LXVIII. „Nulli ex omnibus licere veteris, „ & novi Testamenti librum, nec Sanctorum nostro„ rum præconum ac Doctorum corrumpere, vel cons„ cindere, vel librorum cauponatoribus, vel iis, qui „ dicuntur unguentarii, vel alicui alii ex omnibus ad „ eum delendum tradere. Nisi utique vel à tineis vel „ ab aqua, vel ab aliquo alio modo redditus fuerit in„ utilis. Qui autem tale quid facere deinceps depre„ hensus fuerit, anno uno segregetur. Similiter & qui „li-

„ libros emit, si eos quidem ipse non ad suam utili-
„ tatem retineat, nec alteri ad ejus beneficium, & ut
„ ii permaneant, tradat, sed eos corrumpere aggres-
„ sus fuerit, segregetur.“

Summa semper fuit erga Sacrum Codicem præsertim Evangelicum veneratio.

Quod hoc Canone decernitur, profluit ex summa illa veneratione, quam erga Codicem Sacrum præsertim Evangelicum, Patres jam pridem exhibendam censuerunt; adeo ut eum, tanquam Christum referentem, etiam adorandum censuerint: „ Sacram ima-
„ ginem Domini nostri Jesu Christi æquo honore cum
„ libro Sanctorum Evangeliorum *adorari* decernimus,“ ait Synodus VIII. *Can.* 3.

Laici ad altare non accedant.

Can. LXIX. „ Nulli omnium liceat, qui quidem
„ sit in Laicorum numero, intra septa sacri Altaris in-
„ gredi, nequaquam tamen ab eo prohibitâ potestate
„ & auctoritate Imperiali, quandoquidem voluerit
„ Creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.“

Latini à Græcis de hoc abusu arguuntur.

Vide Canonem XLIX. Laodicænum supra relatum.

Balsamon ad hunc Canonem arguit Latinos, „quod
„ apud eos, non solùm viri Laici, sed & mulieres in
„ sanctum tribunal ingrediantur, & sedeant, stantibus
„ sæpè iis qui sacrificant.“

Utinam mulierum hodierna impudentia, & Ecclesiasticorum ignavia non verificaret hæc Schismaticorum adversus Ecclesiam nostram improperia!

Mulieres in Ecclesia sileant.

Can. LXX. „ Ne liceat mulieribus in divini sacri-
„ ficii tempore loqui, sed ut vox est Apostoli Pauli,
„ sileant; non eis loqui permissum est, sed subjici“ sicut dicit Lex; *Si quid autem volunt discere, domi proprios maritos interrogent.*

Quod hoc Canone mulieribus injungitur ad mentem Apostoli 2. *ad Corinth.* 14. intelligitur de *conventu publico*, juxta illud Synodi Carthaginensis IV. *Can.* 99. apud Grat. *Dist.* 33. *Can.* 29. *Mulier quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat.* „ Privatim autem, ait Balsamon, prudentio-
„ res interrogare de aliquibus animæ conducibilibus,
„ novum non est.“

Can. LXXI. „ Eos, qui docentur leges civiles,
„ Gentilium moribus uti non oportere, & neque in
» theatrum induci, neque eas, quæ dicuntur cyllis-
» tras peragere, vel præter usum communem sibi ves-
» tes induere, nec quo tempore disciplinam aggrediun-
» tur, vel ad finem ejus perveniunt, vel ut in summa
» dicam, in ejus doctrinæ dimidio. Si quis autem dein-
» ceps hoc facere ausus fuerit, segregetur.“

Sensus & scopus Canonis.

Consuetudinis fuisse videtur apud Græcos, uti notat Balsamon, eos, qui Legum erant disciplinam ingressuri, vel qui per mediam doctrinam processerant, vel qui jam perfecti erant, cum magna quadam pompa, & sumptuosis insuetis vestibus in theatrum deducere; quæ tanquam à Gentilitate profecta, nec Christianis convenientia uuiversim hoc Canone abrogantur.

Perpendant Academiarum Moderatores, num ille sumptuosus, ac superfluus apparatus hodie in Legum Doctoratibus exhiberi solitus, etiam Gentilismum aliquatenus non sapiat, & præsenti Canoni non adversetur?

De Matrimonio Christiani cum infideli.

Can. LXXII. „ Non licere virum orthodoxum
» cum muliere hæretica conjungi, neque verò ortho-
» doxam cum viro hæretico copulari. Sed & si quid
» ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit,
» irritas nuptias existimare, & nefarium conjugium
» dissolvi. Neque enim ea, quæ non sunt miscenda
» misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sor-
» tem cum Christi parte conjugi oportet. Si quis au-
» tem ea, quæ à nobis decreta sunt, transgresus
» fuerit, segregetur. Sin autem aliqui, qui adhuc sunt
» infideles & in orthodoxorum gregem nondum rela-
» ti sunt, inter se legitimo matrimonio conjuncti, de-
» inde hic quidem eo, quod est honestum, electo
» ad lucem veritatis accurrerit, ille verò erroris vin-
» culo detentus fuerit, nolens divinos radios fixis ocu-
» lis intueri, fideli verò placeat cum infideli cohabi-
» tare, ne à se invicem separentur. Ex divini enim
» Pauli sententia, sanctificatus est vir infidelis in mulie-
» re, & santificata est mulier infidelis in viro.“

Hic Canon loqui videtur de matrimonio fidelis cum infideli, id est, non baptizato, quemadmodum & Græci intellexisse videntur; atque hoc sensu perspicuus est, & conformis decisioni Innocentii III. in Capit. *gaudeamus* ✠ *de divortiis.*

Crux in pavimento non efformanda.

Can. LXXIII. „ Cùm Crux nobis vivifica salutare
» ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere opor-
» tet, ut ei, per quam ab antiquo lapsu salvati sumus,
» eum, quem par est, honorem habeamus. Quamob-
» rem & mente, & sermone & sensu adorationem
» ei tribuentes, Crucis figuras, quæ à nonnullis in
» solo, ac pavimento fiunt, omninò deleri jubemus,
» ne incidentium conculcatione victoriæ nobis tro-
» phæum injuriâ afficiatur. Eos itaque, qui deinceps
» Crucis signum in solo construunt, segregari de-
» cernimus.“

Quæ Veneratio Cruci Christi exhibenda.

Vivificæ Crucis imagini, ob eum, qui per eam nos redemit, mente, & sermone, & sensu adorationem tribuendam ait Canon. „ Ac *mente* quidem illam ve-
» neramur, ait Zonaras, cum tacita meditatione,
» quàm ingentia bona per illam ad nos devenerint re-
» colentes, tantæ Dei in nos beneficientiæ magnitu-
» dinem obstupescimus; *sermone* cum illa eadem ser-
» monibus usurpantes; quantum proinde nostro Sal-
» vatori debeamus, apud alios profitemur. *Sensu* ve-
» rò, cùm eam aspicientes veneramur atque salu-
» tamus.“

Olim vetitum signum Crucis pavimento infigere: id hodie licitum.

Ob debitam Cruci venerationem statutum est, ne Crucis imago pavimento, aut solo efformetur: ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuriâ afficiatur: quod & à Theodosio & Valentiniano sub gravi pœna sancitum erat in *L. unica*, *Cod. nemini liceat Signum Salvatoris*, &c. At hanc legem, ac consequenter, & hunc Canonem antiquatam esse rectè monet Tuldenus ad dictum titulum Codicis, addens: „ in reverentiam Crucis cedit, quod omni lo-
» co, sive infernè, sive supernè obversatur.“

In locis sacris Agapæ non celebrandæ.

Can. LXXIV. „ Quod non oportet in Dominicis
» locis vel Ecclesiis eas, quæ dicuntur agapas, id est,
» Charitates facere, & intùs in æde comedere, & ac-
» cubitus sternere. Qui autem hoc ausi fuerint, vel
» cessent, vel segregentur.“

Repete notata ad Canonem XXVII. & XXVIII. Laodicænum.

Quæ à Psallentibus in Ecclesia observanda.

Can. LXXV. „ Eos, qui in Ecclesiis ad psallen-
» dum accedunt, volumus nec inordinatis vociferatio-
» nibus uti, & naturam ad clamorem urgere, nec ali-
» quid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt & apta
» non sunt, adsciscere, sed cum magna attentione &
» compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum
» inspector, offerre. Pios enim & sanctos fore filios
» Israël, sacrum docuit oraculum.“

Hic Canon nequaquam explanatione, sed seria attentione eorum, quibus canendi officium incumbit, indiget.

Res venales in templo non exponendas.

Can. LXXVI. „ Quod non oportet intra sanctos
» ambitus cauponariam officinam, vel ciborum species
» proponere, vel alias venditiones facere, suam ve-
» nerationem Ecclesiis servantes. Salvator enim noster,
» & Deus per suam in carne vivendi rationem nos ins-
» tituens, non facere domum Patris sui domum nego-
» gotiationis jussit, qui etiam nummulariorum mensas
» effudit, & eos, qui sacrum communem faciunt, eji-
» cit. Si quis ergo in prædicto delicto deprehensus
» fuerit, segregetur.“

Conforme est Synodi Lugdunensis decretum *in cap. 2. de immunitate Eccles. in VI.* Cessent *in Ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuscunque tumultus.*

Ad usum Sacrificii spectantia in Ecclesia vendere non convenit.

Porrò cùm Canon alludat ad factum Christi ejicientis ementes, & vendentes in templo non obscurè inuit etiam ad ea, quæ Sacrificium, aut Ecclesiæ usum spectare possent, hanc prohibitionem extendi; cum teste Venerabili Beda quæ in templo Jerosolimitano vendebantur, & à Christo ejiciebantur, ad usum Sacrificiorum illius temporis pertinerent.

Unde S. Carolus in Synodo sua Provinciali I. *p. 2. cap.* 57. statuit: „ Ne Clericus, aut alius quivis in Ec-
» clesiis earumve cœmeterio, atrio, vestibulo, aut
» porticu, foribusve, quidquam venale exponat, *ni-*
» *si ad usum quidem Sacrificii vel Ecclesiæ futurum*
» *sit.*“ Idem iisdem verbis habet Synodus Aquensis anni 1585. pluresque aliæ Synodi.

Balneæ cum mulieribus communio vetita.

Can. LXXVII. » Quod non oportet sacris initia-
» tos, vel Clericos, vel Ascetas, id est, Exercitato-
» res seu Monachos lavari cum mulieribus, nec om-
» nem Christianum aut Laicum. Hæc est enim prima
» condemnatio apud gentes. Si quis autem in hoc de-
» prehensus fuerit, si sit quidem Clericus deponatur,
» si autem Laicus, segregetur.“

Repete notata ad Canonem XXX. Laodicænum, quo idem omni generaliter Christiano interdicitur.

Can. LXXVIII. Est idem planè cum Canone XLVI. Laodicæno; cujus notas consule. Hoc unum

unum addo: non eundem omnium Ecclesiarum morem, & ritum traditionis Symboli & fidei, ejusque redditionis fuisse; uti notatur ad sermonem 212. Augustini in ultima Parisiensi editione.

Diva Virgo puerperium passa non fuit.

Can. LXXIX. » Absque puerperio editum ex » Virgine divinum partum esse confitentes, ut qui » sine semine constitutus sit, idque toti gregi annuntiantes, eos, qui ex ignorantia faciunt quod non » decet, correctioni subjicimus: quare quoniam ali» quos post Sanctæ Christi Dei nostri nativitates diem » similam coquere compertum est, & eam sibi in» vicem impartiri, honoris scilicet prætextu puerpe» rii impollutæ Virginis Matris; statuimus, ut dein» ceps nihil tale fiat à fidelibus. Neque enim hoc » honor est virgini, quæ supra mentem & sermo» nem, quod comprehendi non potest verbum per» perit carne, ex communibus, & iis, quæ in no» bis sunt, inenarrabilem ejus partum definire, ac » describere. Si quis ergo deinceps hoc facere aggres» sus fuerit, si sit quidem Clericus, deponatur; si ve» rò Laicus, segregetur. «

Quid sit puerperium.

» Puerperium est, ait Zonaras, emissio fœtus, quam » doloris sensus, ac profluvium sanguinis comitantur; » quibus quidem malis nullatenus obnoxiam fuisse Dei» param credimus. «

Hanc veritatem confirmans Synodus, ipsisque Fidelibus imprimere volens, prohibet, ne quid à populo exhibeatur, quo indicetur, eam puerperium, instar aliarum mulierum, passam.

Credere videntur & hodie è Vulgaribus nonnulli Deiparam in *puerperio* fuisse à Christi Nativitate usque ad festum *Purificationis*, atque in ejus memoriam in plerisque Ecclesiis indultum esse in diebus Sabbathi per id tempus occurrentibus, esum carnium; quâ de re cùm occasio fuerit, Pastores populum instruere poterunt.

Can. LXXX. » Si quis Episcopus, vel Presbyter, » vel Diaconus, vel eorum, qui in Clero enume» rantur, vel Laicus nullam graviorem habet ne» cessitatem, vel negotium difficile, ut à sua Eccle» sia absit diutissimè, sed in civitate agens tribus » diebus Dominicis in tribus septimanis unà non con» veniat, si sit quidem Clericus, deponatur; sin ve» rò Laicus, segregetur. «

Videtur hic Canon desumptus ex Canone XIV. Sardicensi, hujus notas repete.

De Trisagio ejusque additamento.

Can. LXXXI. » Quoniam in nonnullis locis di» dicimus in Sanctissimo hymno, quo ter Sanctus » canitur, additamenti loco dici post illud: *Sanc» tus immortalis*, hoc, *qui crucifixus est pro nobis, » miserere nostri*: Id autem ab antiquis sanctis Pa» tribus, ut à pietate alienum, ex hoc hymno ejec» tum est cum scelerato hæretico, qui hanc vocem » innovavit. Nos quoque confirmantes, ea, quæ à » sanctis nostris Patribus priùs piè constituta sunt, » anathematizamus eos, qui post præsens decretum » ejusmodi vocem admittunt in Ecclesiis, vel aliquo » modo, sanctissimo hymno adjungunt. Et si est qui» dem Sacerdotalis ordinis, qui transgressus est, eum » Sacerdotali dignitate privari jubemus; sin autem » Laicus vel Monachus, segregari. «

De quo Trisagio agatur.

Hoc Canone sermonem esse constat de *Trisagio* sive hymno *Ter Sanctus*, quem Græci quotidie, Latini verò semel in anno græcè & latinè in magna Parasceve concinunt, nempè *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Inmortalis*.

Quod sit additamentum.

Additamentum, cujus hîc fit mentio, factum esse à Petro Gnapheo sive Fullone Episcopo Antiocheno communiter creditur, ac evidenter asserit Felix III. in Epistola ad dictum Petrum, ubi eum graviter arguens ait: incautè, ut serpens Evæ, tu ipse quoque erroris venena multitudini fidelium auribus infudisti, traditamque ab Angelis Sanctissimam laudationis formam (hoc scilicet Trisagion, quod ab Angelis cuidam puero revelatum esse asserit) corrupisti, inserens illi: *Qui crucifixus est pro nobis.* Ac deinde subjungit: » Ergonè non advertisti, quod » Paulum Samosatenum Photinumque & Artemium » impietate transcendis, qui duos Dei filios posue» runt, unum quidem ante secula, alterum verò no» viter natum, cùm ipse quoque Trinitati invexeris » pluralitatem, duos Dei filios dicens, unum fortem, » alterum Crucifixum? Adhæc fidelissimum Christi » gregem in Manichæi opinionem præcipitare con» tendis, qui Spiritum S. asserit crucifixum, nam » quod post illud *Sanctus immortalis*, quod est Spi» ritus Sanctus, tunc infers, *qui pro nobis crucifixus* » *est*, *miserere nobis*: quaternitatemque, non Tri» nitatem populo insinuare videris. «

Improbatum est quare.

Hos forsan errores hac additione insinuari verentes Parres Trullani, omnemque novitatem abominantes, eam additionem adeo solicitè rejecerunt; quin tamen additamentum illud sano, ac orthodoxo sensu accipi queat, nemo Catholicus dubitat: quare & plures Ecclesiæ illud postmodum admiserunt. Unde apud Photium in Bibliotheca *num.* 228. scribit Ephræmius Patriarcha Theopolitanus, » Hunc » Hymnum Orientales *Christo Jesu* attribuere, ac » propterea nihil peccare tametsi abjiciant: *Crucifi» xus pro nobis*: Constantinopolitanos verò & Oc» cidentales, in supremum sacratissimumque bonorum » omnium fontem, consubstantialem Trinitatem sen» tentiam referre; idcirco non sustinere illud addi: » *Crucifixus pro nobis*. Et in multis Europæ ditioni» bus pro illis verbis, qui *Crucifixus est pro nobis*, » hoc reponunt, *Sancta Trinitas miserere nobis* « Hæc ille, qui & asserit, neutram partem esse arguendam, quando in cæteris piis dogmatibus nihil depravare comperiantur: neque ullam se reperire rationem, cur alterutra pars reprehendatur, vel in disquisitionem revocetur. Quod & pluribus confirmat Lupus ad hunc Canonem; qui ibidem fusiùs originem hujus Trisagii, ejusque additamenti prosequitur. Addi potest Hugo Menardus in notis ad Sacrament. S. Gregorii pag. 10. & 11.

Ab aliquibus Ecclesiis postea receptum, idque salva fide.

Quod circa hoc additamentum accidit, idem contigit circa propositionem, *unus de Trinitate crucifixus est*: eam enim duo Pontifices Felix III. & Hormisdas veluti Eutycherii errores faventem rejecerunt, duo verò alii Pontifices Joannes XI. & Agapetus cum tota Ecclesia tanquam Catholicam probârunt; uti latè ostendit Christianus Lupus Tom. 1. Schol. ad cap. 10. Synodi V. ac tandem concludit: *Ex quo vides eandem, æquivocam propositionem posse ab Ecclesia successivè & probari & damnari.*

De efformatione Agni.

Can. LXXXII. » In nonnullis venerabilium Ima» ginum picturis, Agnus, qui digito Præcursoris de» monstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram as» sumptus est, verum nobis Agnum per legem Chris» tum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas ergò » figuras & umbras, ut veritatis signa, & characteres » Ecclesiæ traditos, amplectentes, gratiam & verita» tem præponimus, eam ut legis implementum susci» pientes. Ut ergo quod perfectum est, vel in colo» rum expressionibus omnium oculis subjiciatur, ejus, » qui tollit peccata mundi, Christi Dei nostri humana » forma characterem etiam in imaginibus deinceps pro » veteri Agno erigi, ac depingi jubemus; ut per ip» sum Dei verbi humilitationis celsitudinem mente » comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in car» ne conversationis, ejusque Passionis & salutaris mor» tis deducamur, ejusque, quæ ex eo facta est mun» do, redemptionis. «

Ratio Canonis.

Rationem prohibitionis, de qua in Canone, esse, quòd voluerint cessare figuras, & umbras præsenti veritate, id est, Agnum figuram Christi, præsente Christo, rectè advertit Caranza, additque, ideo & prohibuisse Spiritum Sanctum sub columba figurari, & Magos sub stella. His Caranzæ verbis relatis subdit Molanus in oratione de Agnis Dei *Cap.* 16. *Cæterum Græcos hîc nec accusandos, nec defendendos suscipio.*

Picturæ quædam uno tempore tolerari possunt, & non alio.

Et meritò; sciebat quippe Vir eruditus, posse uno tempore, & certis locis picturas aliquas jure prohiberi ob periculum erroris, in quem rudis populus earum occasione prolapsurus timetur; quæ alio tempore, & alio loco, ubi populus sat instructus fuerit, vel periculum erroris aliundè cessat, permitti, & exponi possunt; uti de imagine Sanctissimæ Trinitatis idem Molanus docet *Lib.* 2. *Hist. SS. imag. cap.* 4.

Consuetudo benedicendi agnos cereos nequaquam improbata.

Nequaquam ergo Canon contrariatur consuetudini Romanæ Ecclesiæ *Agnos* Dei effigurantis; & per Romanum Pontificem solemniter benedicentis; de qua latè agit Molanus in dicta oratione; cùm in hac re varia possit esse salva fidei integritate, Ecclesiarum disciplina.

Evidens autem est, Patres in hoc ipso Canone dogma Catholicum de cultu imaginum exprimere; ideoque & in Synodo VII. à defensoribus imaginum hic Canon sub nomine *Sanctæ*, *& Universalis sextæ Synodi* lectus est, atque à Synodo probatus. *Act.* 4. *colum.* 752. ult. edit.

Infantes, quorum baptismus dubius, rebaptizandi.

Can. LXXXIV. Nudam exhibet innovationem & confirmationem Canonis LXXII. Codicis Africani, cujus notæ repeti poterunt.

Duorum testimonium ad probationem sufficit.

Can. LXXXV. „ In duobus vel tribus testibus » confirmari omne verbum ex Scriptura accepimus Ser» vos ergo, qui à suisD ominis manumituntur sub tribus » testibus eo frui honore decernimus, qui præsentes li» bertati vires, & firmitatem adferent, & ut iis, quæ » ipsis testibus facta sunt, fides habeatur, efficient.“

Cogentes mulierem ad lapsum quomodo puniendi.

Can. LXXXVI. „Eos, qui ad animarum lapsus » meretrices cogunt & alunt, si sint quidem Cle» rici, segregari, ac deponi; si verò Laici, segre» gari.“

Quomodo ad reconciliationem recipiendi adulteri.

Can. LXXXVII. „Quæ maritum reliquit, est » adultera, si venerit ad alium, ut vult sacer & di» vinus Basilius, qui ex Hieremia Propheta hoc » optimè colligit: *Quod si alii Viro fuerit, ad mari» tum suum non convertetur, sed polluta polluetur.* Et » rursùs: *Qui autem detinet adulteram, est insipiens » & impius.* Si ergo præter rationem à marito reces» sisse visa sit, illi quidem venia dabitur, ut Ec» clesiæ communicet. Sed ei, qui legitimè sibi da» tam uxorem relinquit, & aliam ducit, è Domini » sententia est adulterii judicio obnoxius. A Patri» bus enim nostris statutum est, ut qui sunt ejusmo» di, annum defleant, biennio audiant, trienio subs» ternantur, & septimo cum fidelibus consistant, & » sic oblatione digni habeantur.“

Explanatione non eget; id unum notari velim, Patres ante adulteri reconciliationem, non nudam peccati confessionem, aut verbis testatam pœnitentiam, sed opera, quibus peccati sui detestationem manifestam faciat dessiderare: quod utinam hodie animarum directores omnes sedulo attenderent!

Res profanæ in templum non inducendæ.

Can. LXXXVIII. » Nemo intra ædes sacras quod» vis jumentum introducat, nisi fortè vitator quis» piam, maxima urgente necessitate, domunculæ » vel diversorii indigens in id templum divertit. Ni» si enim jumentum introductum fuerit, ipsum qui» dem nonnunquam peribit, hic verò propter jumen» ti amissionem, & facultatis ad iter peragendum ex » eo profectam inopiam, mortis periculo tradetur. » Sabbathum enim propter hominem factum esse do» cemur: quamobrem & per omnia præferendam esse » existimare hominis salutem & incolumitatem. Quo » circa si quis deprehensus fuerit sine necesitate jumen» tum in templum introducens, si sit quidem Cle» ricus, deponatur; si verò Laicus, segregetur.“

Spiritum præsentis Canonis secuta Synodus Namurcensis anno 1604. tit. XI. cap. XII. interdixit: » Tam Ecclesiarum Rectoribus, & aliis Clericis, » quàm locorum incolis, ne in illas cum suis peco» ribus, & aliis bestiis, ac domesticis utensilibus se » recipiant, sed nec in illis dormire, comedere, aut » bibere, præsumant. Quod si absoluta necessitas ob » vim, aut incursus hostium, aliquos ipsorum ad hoc » compellat, statim illâ cessante, non solùm peco» ra, sed etiam dicta utensilia, quæ magnum præstant » divinis officiis impedimentum, amoveant, templa» que ipsa diligenter mundentur, priusquam in illis » sacrosanctum Missæ Sacrificium celebretur, sub » pœna suspensionis à divinis in Clericos, & excom» municationis in Laicos decernendæ. «

Quomodo dies passionis Dominica transigenda.

Can. LXXXIX. „Dies salutiferæ passionis in » jejunio, & oratione, & cordis compunctione pe» ragentes fideles usque ad mediam magni Sabbathi » noctem jejunare oportet; cum divini Evangelistæ » Matthæus & Lucas, ille quidem per *Vespere Sab» bathi*, hic verò per id, *valdè diluculo*, noctis no» bis tarditatem describant.“

Sensus Canonis.

Quoad ait, dies pasionis Dominicæ cordis compunctione esse peragendos, hoc indicare voluit, inquit Zonaras, „Compunctionem non fore simula» tam, externâ tantùm specie apparentem; sed quæ » ipsius quoque cordis penetralia contingat. Circi» ter verò mediam Sabbathi noctem, pergit Zona» ras, quam dies mox Dominicus excipit, ad sol» venda jejunia, hoc est, cibi aliquid sumendum, quasi» redivivo jam à mortuis Christo, invitat. Nam Evan» gelista quidem, inquit, Matthæus, *vespere Sabba» thi* cùm dixerit; Lucas autem, *valdè diluculo*, noc» tis illius tarditatem nobis describunt, hoc est, sig» nificant, indicant.“

Diebus Dominicis genui non flectere à die-

Can. XC. » Dominicis genu non flectere à di» vinis nostris Patribus Christi resurrectionem hono» rantibus canonice accepimus. Nec ergo hujus ob» servationis evidentiam ignoremus, fidelibus mani» festum facimus, quòd post vespertinum Sacerdo» tum ad Altare Sabbatho ingressuin, ex consuetu» dine, quæ servatur, nemo genu flectat usque ad » sequentem vesperam in die Dominico, in qua post » ingressum in Completorio genua rursus flectentes » Domino preces sic offerimus. Salvatoris enim nos» tri resurrectionis præcursorem noctem, quæ fuit » post Sabbathum, accipientes, hymnos ab ea spiritua» liter incipimus, festum ex tenebris in lucem finien» tes, ut in perfecto, & integro die ac nocte nos » resurrectionem celebremus.“

flectendum à primis Vesperis.

Dies Festi etiam in populo olim incipiebant à Vespera præcedentis diei.

Festos, & cunctos generaliter dies à vespera in vesperam computare traditio est Apostolica, ab Hebræis mutuò accepta; eaque disciplina multis seculis in Ecclesia etiam Latina religiosè servata est. Et quidem sub finem seculi VIII. Synodus Francofordiensis *Can.* 21. ait, *ut Dies Dominica in vespera usque ad vesperam servetur.* Quod & recentioribus quoque decretis non semel innovatum fuit: quin & illius disciplinæ evidens etiamnùm hodie superest vestigium, cùm nimirum dierum festorum Officium à vespera præcedentis diei inchoatur. Officium enim, quod *Vesperarum* dicimus, ex prima Ecclesiæ institutione ad tenebras, sive Vesperam demum inchoandum esset. Hinc olim officium Vesperum dictum fuit *Lucernarium*, quia *Lucernæ* in Ecclesia accedebantur. Vide Durantum de *Retibus Eccles. lib.* 3. *cap.* 11. & plures citatos apud Du Fresne in Glossario verbo, *Lucernarium.*

Vestigium illius disciplinæ hodie superstes.

His præmissis nihil obscuri habet Canon; hoc unicè inculcans, ut ritus non flectendi genua in die Dominica servetur ab Officio Vespertino diei Sabbathi, quo dies Dominica inchoata censetur: uti & juxta hodiernas rubricas, ut vocant, servatur.

Contra procurantes abortus.

Canon XCI. » Eas quæ dant abortionem cien» tia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena » accipiunt, homicidæ pœnis subjicimus.“

Auctoritate hujus Canonis sub nomine VI. Synodi usus est Sixtus V. in Constitutione adversus procurantes abortus: *Non immeritò*, ait, *in sexta Synodo Constantinopolitana sancitum, ut personæ, quædant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipunt, homicidæ pœnis subjiciantur.* Constitut. 87. in Bull. Rom.

Can. XCII. Est simplex innovatio Canonis XXVII. Calchedonensis.

Uxor de mariti absentis morte incerta, alteri nubere nequit.

Can. XCIII. „Uxor viri, quæ secessit, & non » apparet, antequam de ejus morte certior facta » sit, alteri cohabitans adulteratur. Similiter & mi» litum uxores, quæ non apparentibus maritis nup» serunt, in eandem rationem incidunt; quemadmo» dum & quæ propter mariti peregrinationem re» ditum non expectant. Sed res hîc quidem aliquam » veniam habet, quòd sit major mortis suspicio. Ea » autem, quæ illi, qui ad tempus erat ab uxore » relictus, nupsit per ignorantiam, deinde dimissa est, » quòd prior ad ipsum redierit, est quidem fornica» ta, sed per ignorantiam: à matrimonio ergo non » arcebitur; rectiùs autem sic manserit. Sin autem » miles aliquanto post tempora redierit, cujus uxor » propter longam ipsius absentiam alteri viro con» juncta est, is, si velit, propriam uxorem recipiat, » ipsi venia propter ignorantiam data, eique qui il» lam in secundis nuptiis domum duxit.“

Probatur lex Justinianæa.

Præsens Canon pronuntians adulteram uxorem, quæ alteri viro conjungitur, quandiù de morte mariti absentis certior facta non est, non obscurè reprobat legem Justiniani *in Novella* 22. *cap.* 7. quo decernitur. „Si incertum sit, utrum superest an non, quæ ad » hostes devenit persona; tunc *quinquenium* exspectan» dum est sive à viro, sive à muliere; post quod » sive manifestum de morte fiat, sive incertum ma» neat, nubere sine periculo licebit.“

Hanc quoque legem abrogavit, & annullavit Leo Sapiens *Constit.* 33. eamque una cum præsenti Canone, repudiatâ lege Justinianæâ, ipsa Ecclessia, tanquam indisolubili matrimonii vinculo conformem, probavit ac recipit.

Contra juramenta per falsos Deos. Pœna jurantium.

Can. XCIV. „Eos, qui Gentilium Sacramen» ta jurant, Canon pœnis subjicit: & nos iis quo» que segregationem decernimus.“

Alluditur hic ad Canonem LXXXI. S. Basilii, quo decernitur, ut qui Gentilium juramenta usurpaverint, „tribus annis ejiciantur, duobus audiant; postquam au-

» autem in substratione tribus annis oraverint, & in » tribus illis enim fidelibus adorationem constiterint, sic » admittantur ad boni communionem.“

Nec in hoc Canone, nec in Canone S. Basilii distingui num quis veraciter, an fallaciter per falsos Deos juraverit, ex eorum lectione sat manifestum est.

Gravius est jurare falsum per verum Deum, quàm verum per falsos Deos.

» Si Sancti Patres adeo diuturnâ & laboriosâ pœnitentiâ expiandum judicaverint juramentum præstitutum per falsos Deos; quid censuissent de perjurio per verum Deum? Nam teste S. Augustino in epist. ad Publicolam, *sine ulla dubitatione minus malum est per falsum Deum jurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter. Quantò enim per quod juratur est magis sanctum, tanto magis est pœnale perjurium.*

Can. XCV. „ Est innovatio Canonis VII. Cons» tantinopolitani.

Quomodo vivendum iis, qui per Baptismum Christum induerunt.

Can. XCVI. „ Qui Christum per Baptismum in» duerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imita» ri professi sunt. Eos ergo, qui capillos ad videntium » detrimentum, scitè ex cogitatis nexibus adornant » & componunt, & infirmis animis escam ea ratione » objiciunt, convenienti supplicio paternè curamus; » ipsos instituentes, & temperanter vivere docentes, » ut relictâ fraude & vanitate, quæ ex materia oritur, » ad exitio carentem, beatamque vitam mentem assi» due traducant, & in timore puram & sanctam con» versationem habeant, & Deo, quoad ejus fieri po» test, appropinquent per vitæ puritatem; & inter» num magis, quàm externum hominem virtutibus & » bonis inculpatisque moribus exornent; ut nullas in se » ferant reliquias diabolicæ perversitatis. Si quis autem » præter hunc Canonem versatus fuerit, excommu» nicetur.“

Hic Canon seriâ potiùs moderatione, quàm explanatione eget.

In locis sacris vir cum muliere dormire non potest.

Can. XCVII. „ Eos, qui vel cum uxore cohabitant, vel alioquin indiscriminatim sacra loca com» munia faciunt, & contemptim in ea afficiuntur, & » sic in eis permanent, etiam & iis, quæ sunt in vene» rabilibus templis, catechumenorum mansionibus ex» trudi jubemus. Si quis autem hæc non servaverit, » si sit quidem Clericus, deponatur; si verò Laicus, » segregetur.

Sensus Canonis.

» Sacra loca dicuntur, inquit Balsamon, quæ sunt » Deo dedicata, ædes scilicet divinæ & divinarum » ædium porticus seu vestibula & catechumenia, & » quæ circa ea sunt. Neque enim sacra loca dixe» ris omnia, quæ sunt Ecclesiæ attributa, domos sci» licet & reliqua habitacula. Quidam ergo templa te» nentes, nullâ penitùs distinctione habitâ, cum suis » mulieribus habitant in catechumeniis & habitacu» lis, inter sanctum, & prophanum nullum peni» tùs discrimen facientes, sed promiscuè his omnibus » utentes. Quamobrem sancti quoque Patres statuerunt, » eos qui sacra loca per contemptum communia fa» ciunt, non solum ab Ecclesiis expelli, etsi jus in eis » habeant, sed ab ipsis etiam Catechumeniis.“

Alter desponsatam ducens pœnis adulterii puniretur.

Can. XCVIII. „ Qui alteri desponsam mulierem » eo adhuc vivo, cui desponsata est in nuptiarum du» cit societatem, adulterii crimini subjiciatur.“

Contra ritus judaicos.

Can. XCIX. „ Porrò hoc quoque in Armenio» rum regione fieri didicimus, quod quidam intus in » sacris Altaribus carnium membra coquentes frusta » offerunt, Sacerdotibus judaicè distribuentes. Quo » circa Ecclesiam immaculatam servantes, statuimus » nulli licere Sacerdoti separata carnium membra ab » offerentibus accipere, sed iis sint contenti, quæ » offerenti visa fuerint, ejusmodi oblatione facta ex» tra Ecclesiam. Si quis autem hoc non fecerit, segre» getur.“

Sensus Canonis.

Sensum Canonis his verbis expressit Balsamon: » Quoniam didicere S. Patres, quod in Armeniorum » regione per animalia quidem non fiunt sacrificia, sed » carnium partes intra altare coquuntur, & ex iis » frusta quædam, scilicet membra separata, pedes » fortè & caput, vel aliquid ejusmodi, Sacerdoti» bus more Judæorum offerunt, statuerunt, ne in al» tari carnium membra coquere, nec extra ipsum ta» les separatas partes Sacerdotibus offerre ex antiqua » consuetudine oportere, sed ejusmodi cessare, & Sa» cerdotes à Laicis oblationem suscipere debere, in » quibuscumque rebus & generibus ipsi voluerint.“

Benedictio Agni Paschalis non improbata.

Usitata quidem fuit, & etianum hodie probata ejus formula in ordine Romano servatur Agni Paschalis benedictio; sed ritum hoc Canone expressum Judaismum redolentem, nunquam agnovit, aut probavit Ecclesia: quamvis non diffiteamur, in hunc aliosque ecclesiasticos ritus nonnullas Judaicas aut Gentiles superstitiones ex Pastorum dessidia, atque exinde proveniente imperiti vulgi ignorantiâ irrepere & immisceri: at eas Ecclesiæ adscribere, propria Sectariis nostris calumnia est.

Pictura lasciva vetita.

Can. C. „ *Oculi tui recta adspiciant, & omni* » *custodiâ serva cor tuum*, jubet Sapientia. Corporis » enim sensus se facile in animam effundunt. Picturas » ergo, quæ oculos præstringunt, sive in tabulis, si» ve quovis alio modo fiant, & mentem corrumpunt, » & ad turpium voluptatum movent incendia, nullo » modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem hoc » facere aggressus fuerit, deponatur.“

Quàm salutare sit hoc præsentis Canonis decretum frustra ostendero; hoc unum optandum, ut frequentissimè licet renovatum, executioni mandaretur; atque Episcopi, reliquique tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ moderatores in perniciosas has picturas, quæ, ut rectè notat Balsamon, sensum perstringunt, seu fallunt, & in animam infundunt, seu immittunt omne malum, turpibusque & inhonestis, ineptis, quæque Dei imaginem corrumpunt, causam præbent, suâ auctoritate adverterent.

Eucharistia manu recipienda, & ori imponenda.

Can. CI. „ Corpus Christi & templum, homi» nem ad imaginem Dei creatum, divinus magna vo» ce appellat Apostolus. Omnem ergo sensibilem crea» turam separans, is qui salutari passione cœlestem dig» nitatem est assecutus, Christum bibens vel come» dens æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus di» vinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis » immaculati corporis in synaxis tempore esse parti» ceps voluerit, & offerre se ad Communionem, ma» nus in crucis formam figurans sic accedat, & gra» tiæ communionem accipiat. Eos enim, qui ex auro, » vel ex alia materia quædam loco manus receptacula » efficiunt ad divini muneris susceptionem, & per ip» sa immaculatam communionem recipiunt, minimè » admittimus, ut qui inanimatam subjectamque ma» teriam Dei imagini præferant. Si quis autem depre» hensus fuerit immaculatam communionem iis im» pertiens, qui ejusmodi receptacula afferunt, & ip» se segregetur, & is, qui affert.“

Ritus olim usitatus.

Ritum accipiendæ Sacræ Eucharistiæ hoc Canone præscriptum esse antiquissimum, & in Ecclesia fuisse vulgatissimum multis ostendit Cardinalis Bona *Lib. 2. rerum Liturg. cap.* 17. ibid. observans, quod ex hujus ritûs ignorantiâ quidem in reconciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana inter errores Ibirorum, nunc *Georgianos* vocamus, hunc enumerat, quod Eucharistiam à Sacerdote celebrante recipiant in propriis manibus & ipsimet proprio apponant ori.

Quam multi hodie simili ignorantia laborantes non reperiuntur, qui quidquid à Scholasticis, aut modernis Ritualibus, quibus unicè incumbunt, dissonum apparet, pro noxia novitate, aut periculoso errore reputant, imò tanquam nascentem pènè hæresim proclamant.

Peccatorum & pœnitentis qualitates expendenda.

Can. XII. „ Oportet autem eos, qui solvendi, » & ligandi potestatem à Deo accipêre, peccati qua» litatem considerare, & ejus qui peccavit ad con» versionem promptum studium, & sic morbo con» venientem afferre medicinam; ne si in utroque im» moderatione utatur, ab ejus qui laborat, salute ex» cidat. Non enim simplex est morbus peccati, sed » varius, & multiformis & multas incommodi pro» pagines germinans, ex quibus malum multum dif» funditur, & ulteriùs progreditur, donec viribus me» dentis sistat. Quare qui medicinæ scientiam in spi» ritu profitetur, oportet eum primùm ejus, qui » peccavit, affectionem considerare, & sive vergit ad » sanitatem, sive contra, propriis moribus provo» cat in se morbum, adspicere, quomodo ejus, quæ » intercedit, vitæ rationis, conversionisque curam ge» rat: & si artifici non reluctatur, & ulcus animæ au» get impositorum medicamentorum adjectionem, & » sic misericordiam prout dignus est, impertiri. Om» nem enim rationem init Deus, isque cui pastoralis » traditus est principatus, ut errantem ovem redu» cat, & ei, quod est à serpente vulneratum, medea» tur, & neque per desperationis præcipitia impel» lat, nec ad vitæ dissolutionem, & contemptum præ» na relaxet: sed una quidem omnino ratione, sive » per acriora & stringentia, sive per moliora, & le» viora medicamenta affectioni resistat, & ad ulceris

» obductionem adnitatur, fructus pœnitentiæ exami-
» nans, & sapienter dispensans & gubernans homi-
» nem, qui ad superiorem illuminationem vocatur.
» Nos enim utraque scire oportet, & quæ sunt sum-
» mi juris, & quæ sunt consuetudinis, in iis autem,
» qui extrema non admittant, sequi formam tradi-
» tam, quemadmodum sanctus nos docet Basilius.

Quod præsens Canon pluribus exponit, hoc paucis comprehendit Concilium Lateranense in *cap. Omnis utriusque sexus ✠ de pœnit. & remiss.* „Sacerdos » autem sit discretus & cautus, ut more periti medici » superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, di- » ligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & » peccati; quibus prudenter intelligat, quale debeat » ei præbere consilium, & cujusmodi remedium abhi- » bere diversis experimentis utendo ad salvandum » ægrotum."

Hi aliique his conformes Canones clamant, quanta prudentia, ac scientia non humana, sed divina potiùs requiratur in Animarum directore; quodque non tantùm de officio Pastorum, sed & Confessorum dici queat cum Sancto Gregorio: *Ars artium cura Animarum Angelicis humeris formidanda.*

§. VIII.

De Synodo VII.

Occasio Synodi.

Cum per Leonem Isauricum ejusque in Imperium successores Sacris imaginibus, earumque cultui bellum fuisset indictum, omnisque penè earum venerandus cultus abolitus, tandem circa ann. 708. mortuo Leone IV. Irene ejus uxor imperii administrationem, ob minorem filii sui Constantini ætatem, adepta, de restaurando SS. Imaginum cultu cogitare cœpit; unaque cum Magnatibus, & Primoribus Regni deliberare; ac post diutinum seriumque initum consilium, Synodum Œcumenicam necessariam fore resolutum est: hocque suum consilium anno 784. Adriano I. Papæ per litteras, suo & Constantini filii sui nomine missas aperuit, eumque rogârunt, ut Constantinopolim venire dignaretur, Concilio præfuturus: & quod, si non possit ipse ascendere huc, inquiunt: » Eligat viros honorabiles, habentes scientiam, & di- » rigat unà cum syllabis, ut inveniantur ex persona » sacræ & paternæ Beatitudinis hîc.

Scribitur ad Pontificem, ut Synodo intersit.

Mittit Legatos, ut & Patriarchæ Orientales.

His litteris obsecundans Adrianus, Legatos Constantinopolim misit Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ S. Petri, & Petrum Abbatem S. Sabæ. Miserunt & cæteri Patriarchæ Orientales Legatos ad Syodum; cum ipsi jugo Saracenorum oppressi adesse non possent; advenit & Episcoporum, & Presbyterorum magnus numerus; cumque anno 786. Constantinopoli in Basilica SS. Apostolorum Synodus esset collecta, Iconomachi milites adversus Synodum tantam excitavêre seditionem, ut eam nec Imperatorum præsentia sedare posse videretur, quapropter in annum sequentem delata fuit: quo intervallo, summâ Irenes in agendo prudentia seditiosis illis compressis, rursus nomine Imperatorum missi fuêre per regiones, qui universos Episcopos Nicæam Bythyniæ urbem ad Synodum vocarent. Nicæam itaque convenerunt 350. Episcopi præter Legatos Ecclesiæ Romanæ & Orientalium Sedium, qui unà cum Tharasio Patriarchâ Constantinopolitano Synodo quoque adfuerunt; ac insuper selecti Archimandritæ & Monachi, nec non Proceres, ut ordine omnia in Concilio peragi curarent.

Synodus turbatur, & suspenditur.

Locus Synodi.

Locus Concilii fuit primaria Nicææ Basilica Æternæ sapientiæ sub titulo *S. Sophiæ* dicata. Et quia in eadem civitate sub Constantino M. altera Synodus celebrata fuit, hæc Synodus *Nicæna II.* appellatur, quamquam à primo suo apud Constantinopolim exordio in *Canone II.* Francofordiensi vocetur *Constantinopolitana*, uti contra Laurentium Surium rectè notavit Lupus in Dissertatione de hac Synodo *cap.* 11.

Præcipua conveniendi ratio. Definitio dogmatica Synodi.

Synodum præcipuè ad restaurandas Sacras Imagines, earumque religiosum cultum vindicandum, & stabiliendum coactam fuisse constat, eumque sequenti decreto exposuit, ac universis Fidelibus proposuit: » Definimus in omni certitudine, ac diligentiâ, sicut » figuram pretiosæ, ac vivificæ Crucis, ita venerabi- » les, ac sanctas Imagines proponendas, tam quæ de » coloribus & tessellis quàm quæ ex alia materia con- » gruenter in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, » & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & » viis: Tam videlicet Imaginem Domini Dei & Sal- » vatoris nostri Jesu Christi, quàm intemeratæ Domi- » næ nostræ sanctæ Dei genitricis honorabiliumque An- » gelorum, & omnium Sanctorum simul & Almorum » virorum. Quanto enim frequentiùs per imaginalem » formationem videntur, tanto qui has contemplantur, » alacriùs eriguntur ad primitivorum earum memo- » riam, & desiderium, & ad osculum & honora- » riam his adorationem tribuendam. Non tamen ad ve- » ram latriam, quæ secundum fidem est, ut quæque » solam divinam naturam decet, impertiendam: ita ut » isti, sicut figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis ac » Sanctis Dei Evangeliis, & reliquis sacris monumen- » tis, incensorum, & luminum oblatio ad harum ho- » norem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & » antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim ho- » nor ad primitivum transit: & qui adorat imaginem, » adorat in ea depicti subsistentiam."

Si cultus Sacrarum imaginum ad mentem hujus decreti populo ubique exponeretur, atque abusus, qui in hunc cultum irrepserunt, juxta decretum Synodi Tridentinæ tollerentur, sperandum esset, quod & Acatholici faterentur ipsâ perspicuâ veritate convicti, nihil idololatricum in hoc cultu latere.

Præter hanc fidei definitionem, aliaque in causa Iconomachorum acta reperiuntur XXII. Canones Actioni VII. ab Anastasio Bibliothecario adscripti, quibus Ecclesiæ disciplina ob turbas ab Iconomachis excitatas, non parùm collapsa restauratur; quos §. sequenti exhibemus, & scholiis exponemus.

§. IX.

De Canonibus Synodi VII.

Canonum confirmatio.

Can. I. „Iis, qui Sacerdotalem dignitatem sorti- » ti sunt, testimonia & ad rectè se gerendum » instituta sunt canonicorum constitutionum descrip- » tiones, quas cum Deiloquo Davide libenter recipien- » tes, ad Dominum Deum cantamus, dicentes: *In via* » *mandatorum suorum lætatus sum, tanquam in om-* » *nibus divitiis; & mandasti justitiam, testimonia in* » *seculum; intellectum da mihi, & vivam.* Et in se- » culum nos jubet vox Prophetica testimonia Dei ser- » vare, & in iis vivere, ut quæ scilicet nequaquam » concutienda, nullâque ratione labefactanda perma- » neant. Nam & qui Deum vidit, Moyses sic ait: *His* » *non licet addere, nec eis licet detrahere.* Et divinus » Apostolus Petrus in iis glorians exclamat: *Ad quæ* » *Angeli prospicere desiderant.* Atque etiam dicit Pau- » lus: *Etiamsi vel Angelus de cælo evangelizave-* » *rit vobis præter id, quod nos evangelizavimus vobis,* » *sit anathema.* Cùm hæc ergo ita se habeant, & sint » nobis testata, iis exultantes, ut si quis multa spolia » invenerit, divinos Canones lubenter amplectimur, eo- » rumque constitutionem integram, & illabefactatam » confirmamus, qui editi fuerunt à Sanctis Spiritûs tubis, » summâ laude celebrandis Apostolis, & sex Sanctis » Universalibus Synodis, iisque, quæ ad ejusmodi de- » cretorum traditionem localiter coactæ fuerunt, & » nostris Sanctis Patribus. Ex uno enim eodemque spi- » ritu omnes illuminati, quæ erant utilia, decreverunt: » & quos anathemati quidem trasmittunt, nos quoque » anathematizamus; quos verò depositioni, nos quo- » que deponimus; quos autem segregationi, nos itidem » segregamus, & quos pœnæ tradunt, nos quoque si- » militer subjicimus. *Sine avaritia namque sint mo-* » *res, præsentibus contenti*, is, qui tertium cœlum » conscendit, & arcana verba audivit, divinus Apos- » tolus apertè vociferatur."

Synodus supposuit Canones vulgò Apostolorum ab Apostolis editos.

Patres hujus Synodi supposuisse conformiter ad Synodum Trullanam, Canones vulgò Apostolorum editos fuisse ab ipsis Apostolis, non obscurè innuunt hæc Canonis verba: *Divinos Canones lubenter amplectimur, qui editi fuerunt à Sancti Spiritus tubis, summa laude celebrandis Apostolis*; at cum hîc de facti tantummodò quæstione agatur, etiam Œcumenica Synodus falli potuit; & revera erratum esse, plures viri Eruditi ostenderunt; de quo vide suprà *p. 3. c. 8. §. 3.*

Synodus Canones Trullanos quintæ & sextæ Synodo adscribit.

Adhæc cum in Canone asserantur, & confirmentur Canones à sex universalibus Conciliis editi; compertumque sit, nec à quinta, nec à sexta Synodo ullos Canones editos esse, dubium non est, quin Synodus Canones Trullanos Conciliis universalibus, id est, quintæ & sextæ adscripserit; eosque sub hoc titulo confirmaverit. Cùm enim Synodus Trullana ad supplemen-

mentum quintæ & sextæ coacta fuerit, ideoque *quinisexta* fuerit appellata, Canones illius his Synodis adscribi posse videntur.

Et quidem in hac ipsa Synodo, dum actione IV. prolatus esset Canon LXXXII. Trullanus sub nomine *Sanctæ & Universalis sextæ Synodi*, & nonnulli ambigere viderentur, num hic Canon esset Synodi sextæ, Sanctissimus Patriarcha Trasius dixit: »Quæ »est hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos »Canones? Scandalum enim est dubitare, num sint »sextæ Synodi.« Quod sensu jam allegato intelligi, ipse Tharasius in sequentibus exposuit. Habetur *tom. 7. Concil. col.* 752.

Qui sunt Canones Locales hoc Canone confirmati.

Canones Synodorum Localium, sive quæ Localiter coactæ sunt, atque in præsenti canone confirmantur, sunt indubiè Ancyrani, Neocæsarienses, aliique in Canone 2. Trullano expressi: atque hoc rursus titulo non mediocris hisce Canonibus accedit auctoritas.

Episcopus in Scripturis SS. & Canonibus sedulò versari debet.

Can. II. »Quoniam psallentes Deo spondemus, »*in justificationibus tuis meditabor, non obliviscar ser-*»*mones tuos*: omnes quidem Christianos salutare est »hoc servare, eos autem præcipuè, qui Sacerdota-»lem dignitatem obtinent. Quamobrem decernimus »quemlibet, qui ad Episcopalem gradum promoven-»dus est, Psalterium omnino nosse, ut ex eo omnem »quoque suum Clericum ita institui moneat. A Me-»tropolitano autem benè examinari, an ad Sacros »Canones diligenter, ac cum perscrutatione, non »autem obiter cursimque legendos, prompto parato-»que sit animo, & Sacrum etiam Evangelium, & »librum divini Apostoli, omnemque divinam Scrip-»turam, & in divinis præceptis versari, & popu-»lum suum docere. Nostræ enim hierarchiæ substan-»tia sunt eloquia divinitus tradita, divinarum scili-»cet Scripturarum vera scientia, sicut magnus ait »Dionysius. Si quis autem dubius animi fuerit, & »non libenter hæc facere & docere voluerit, non or-»dinetur. Propheticè enim dicit Deus: *Tu repulis-*»*ti scientiam, & ego te repellam, ne sis mihi Sacer-*»*cerdos.*« Grat. *dist.* 38. *Can.* 6.

Olim vulgare fuit Psalterium memoriter tenere.

Olim vulgare fuisse, Psalterium sive Psalmos Davidicos memoriter tenere, constat. Hinc ad Rusticum Monachum scribit Sanctus Hieronymus: *Discatur Psalterium ad verbum.* Et ad nobilem Virum Gaudentium, tradens regulam filiolæ ex utero per parentes Deo oblatæ: *Cùm virgunculam septimus annus ætatis exceperit, discat memoriter Psalterium*, Epist. 12. Pluras illius disciplinæ argumenta profert ad præsentem Canonem Christianus Lupus.

Mirum ergo non est, si Canon requirat, ut evehendus ad Episcopatum in Psalterii cognitione sit versatus. »Ut hoc pacto, ait Zonaras, ab illo populus »quoque initiari, hoc est, eâdem cognitione im-»bui discat.«

Qualiter ab Episcopo Canones & Scriptura Sacra legenda.

Requirit deinde Canon, ut à Metropolitano examinentur, an Sacros Canones, Sacrum etiam Evangelium, & librum divini Apostoli omnemque divinam Scripturam perlegere velit: „Ac ita quidem »perlegere, inquit Zonaras, ut reconditas, abditas-»que illorum sententias scrutetur, proindeque & »unuscujusque rei rationem intelligat, & populo si-»bi commisso erudiendo sit idoneus, ipsumque in-»terrogantibus respondere paratus... Non autem per-»functoriè, hoc est, alias res agens & verbis solum »recitandis occupatus, subjectas vero sententias cog-»nitione nequaquam attingens.“

Vitam Sacris Canonibus conformare debet.

Nec solum Canonum, ac Scripturæ Sacræ studium, sed etiam, ut vitam, ac mores ad eorum præscriptum componat, exigit; utque in erudiendo populo sibi credito laboret.

Idem quod Can. præscribit hodie etiam Pontificale.

Idipsum & hodie requirit Metropolitanus ex præscripto Pontificalis Romani ab Ordinando; eum inter cætera interrogans: *Vis ea, quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis.* Respondet ordinandus: *Volo*: ac deinde rursus ad ordinandum: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso.*

Hinc elucet invariabilis in similibus Ecclesiæ spiritus, sed hoc summoperè dolendum, quod hæc sanctissima & summè necessaria documenta, cum ex Ritualibus, aut Pontificalibus proponuntur, tandem ut quidam externi ritûs & formulæ recitentur, & accipiantur.

Electio per Laicos fieri non debet.

Can. III. „Omnem electionem Episcopi, vel Pres-»byteri, vel Diaconi, quæ fit à Magistratibus, irri-»tam manere ex Canone dicente: *si quis Episcopus* »&c.“ est Canon XXIX. Apostolorum supra relatus. »Oportet enim eum, qui ad Episcopatum promo-»vendus est, ab Episcopis eligi, quemadmodum à »Sanctis Patribus Nicææ decretum est in Canone, »qui dicit: *Episcopum oportet* &c. est Canon IV. »Nicænus ad verbum relatus. Grat. *dist.* 93. *Can.* 7.

De qua electione agatur.

Ex verbis Canonis sat perspicuum est hic agi de electione, quam Magistratus, sive Principes sibi arrogant dominationis titulo; nequaquam verò de electione, sive nominatione, quam Reges, aut Principes auctoritate sibi ab Ecclesia indultâ faciunt; idque cum subjectione judicio Ecclesiæ quoad dotes & conditiones in eligendis Ministris requisitas.

Episcopus ob rem temporalem acciendam sua potestate uti non potest.

Can. IV. »Præco veritatis Paulus divinus Apos-»tolus quemquam veluti Canonem Ephesiorum Pres-»byteris imponens, vel universæ potiùs Sacerdotali »multitudini, sic liberè dixit: *Argentum, vel aurum* »*vel vestem nullius concupivi, omnia vobis ostendi,* »*quod oportet sic laborantes infirmos suscipere; dare* »*beatius*, quàm recipere existimans. Quocirca ab eo »edocti statuimus, ne turpis lucri gratia Episcopo in »mentem veniat quærendi excusationes in peccatis, »aurum, vel argentum vel ullam aliam speciem ab »iis, qui subsunt Episcopis, vel Clericis vel Mona-»chis exigere. Dicit enim Apostolus: *Injusti regnum* »*Dei non possidebunt*: nec debent liberi parentibus »thesaurum parare, sed parentes liberis: si quis ergo »per auri exactionem, vel alicujus alterius speciei, »vel propter aliquam propriam affectionem à minis-»terio arcere inventus fuerit, vel segregare suorum »Clericorum aliquem, vel venerandum templum clau-»dere, ne in eo divina fiant ministeria, ad id quod »non est sensu præditum suam insaniam immittens, est »reverà sine sensu, & talionis erit legi obnoxius, »& labor ipsius in caput ejus redibit, ut qui sit man-»dati Dei & Apostolorum traditionum transgressor. »Præcepit enim & Petrus suprema Apostolorum sum-»mitas: Pascite gregem Domini, Episcopatum ge-»rentes non per vim, sed spontè ac voluntariè se-»cundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed promp-»tè & alacriter: nec ut dominatum in Clerum ob-»tinentes, sed gregis exemplaria existentes: & cum »summus Pastor apparuerit, quæ nec corrumpi nec »marcescere potest, gloriæ coronam referetis.“

Grat. 16. *q.* 1. *Can.* 64. Monent autem Correctores Romani, quod hic Canon antea citaretur ex Synodo VI. *cum sit* ajunt, *in septima ex versione Anastasii, ex qua nonnulla hîc sunt addita, dempta, emendata.* Hæc illi; è quibus rursus patet, Decretum, quod extat post correctionem Romanam, non esse idem cum edito à Gratiano. Sed de hoc latiùs infra, ubi de hac correctione agetur.

Decretum Tridentinum conforme Canoni.

Conformiter ad hunc Canonem decernit Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 3. de Reformat.* „Ne Epis-»copi, aut quisquam suorum quicquam procura-»tionis causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad »pios usus, præter id quod ex relictis piis jure de-»betur, aut alio quovis nomine: nec pecuniam, nec »munus quodcunque sit etiam qualitercunque offera-»tur, accipiant: non obstante quacumque consuetu-»dine, etiam immemorabili: exceptis tamen victua-»libus, quæ sibi ac suis frugalitèr, moderatèque pro »temporis tantùm necessitate, & non ultra, erunt »administranda.“

Sensus Canonis.

Quod ait Canon, *Et ad id quod non est sensu præditum, suam insaniam immittens*, significat quod episcopus ut „aurum, vel argentum extorqueat, non »sinat propterea in divino templo divinum celebrare »mysterium, & sic in id, quod non est sensu præ-»ditum, sive in templum inauditam suam insaniam »effundat,“ ait Balsamon. Reliqua Canonis perspicua sunt, sæpiusque innovata.

Qui suæ Ecclesiæ aut monasteriis obtulerunt se extollere contra pauperes non debent.

Can. V. „Est peccatum ad mortem, quando »peccantes aliqui manent incorrigibiles. Hoc autem »est deterius, quando & erecta cervice adversus pie-»tatem & veritatem insurgunt, mammona Dei obe-»dientiæ præferentes, & ejus canonicas constitutio-»nes non ferentes. In iis ergo non est Dominus Deus, »nisi fortè humiliati à suo delicto resipuerint. Oportet »enim eos magis Deo supplicare, & cum corde con-»trito hujus peccati remissionem, & condonationem se »jactare; Deus enim propè est iis qui sunt contrito »corde. Eos ergo, qui per auri dationem se fuisse in »Ecclesia constitutos gloriantur, & in ea improba con-»suetudine spem habent, quæ à Deo & omni Sacer-do-

» dotio alienat, & ideo impudente vultu, & ore aper-
» to, probrosis & contumeliosis verbis eos, qui prop-
» ter actam ex virtute vitam a Sancto Spiritu selecti,
» ordinatique sunt præter auri dationem, vilipendunt
» ac negligunt, primum quidem eos qui hoc faciunt
» ultimum proprii ordinis gradum sumere: sin autem
» perseveraverint, inflictâ quoque pœnâ corrigi de-
» cernimus. Si quis autem in ordinatione hoc quando-
» que fecisse visus fuerit, fiat ut vult Canon Apos-
» tolicus, qui dicit, *Si quis Episcopus &c.* est Ca-
» non XXVIII. Et secundus canon SS. Patrum, qui
» Chalchedone convenerunt, qui dicit. *Si quis Epis-*
» *copus pecuniis &c.* est Canon II. Calched. relatus."

Sensus Canonis.

» Nonnulli, cùm in Clerum legendi essent, pe-
» cunias Ecclesiæ offerre, Deoque dicare soliti sunt,
» ait Zonaras: quibus deinde præsidentes, seque in
» auro illo gloriosè jactantes, quoscunque nullâ datâ
» pecuniâ ob virtutem fortè, vel etiam dicendi fa-
» cultatem, Clero adscripti fuerant, protervè con-
» vitiis insectabantur. Hujus igitur homines primò qui-
» dem de gradu ejici, ac in extremum ordinis sui lo-
» cum amandari; tum si adhuc à malitia non disce-
» dant, pœnis quoque, ut per eas corrigantur, affi-
» ci Canon jubet."

Hic non agitur de Simoniacis dationibus.

Et hæc quidem prima Canonis parte continen-
tur; in qua nequaquam de simoniacis Sacrorum Or-
dinum emptoribus agitur, sed de iis, qui sua pa-
trimonia liberaliter Ecclesiæ obtulerant, eoque fuco,
pauperibus ob virtutum merita ad eundem gradum
assumptis insultabant, ac priorem locum insolenter
affectabant, uti rectè monet Lupus.

Non igitur, quod reipsa talis sit, ait Zonaras,
idcirco hæc iniqua dicta donatio est; sed quod ejus
vitio, qui se ob illam jactat, & æqualibus anteponat,
ut proinde non illum demereri numen, sed auram
inanem, popularesque rumusculos captare eâ dona-
tione voluisse suspicari liceat, speciem hominum
existimatione induit pravitatis. Hæc ille.

Quod in Clericis Canon abominatur, id in Monachis quoque cavendum.

Quod in Clericis Canon hîc abominatur, id à
Fratribus suis, qui divitias suas monasterio obtulerunt,
cavendum solicitè admodum inculcat Sanctus Augus-
tinus *Cap.* 1. *suæ regulæ*; concluditque: „Et quid
» prodest dispergendo dare pauperibus, & paupe-
» rem fieri, cum anima misera superbior efficitur
» divitias contemnendo, quam fuerat possidendo."

Qui bona suæ Ecclesiæ offert, ut ad Clerum assumatur simoniacus est.

Altera Canonis parte declaratur, pœnis simoniа-
corum *Can. XXVII. Apostolorum* & *II. Chalcedo-*
nensi expressis subjacere. „Qui ab initio non ita libe-
rali & sponte susceptâ voluntate, ait Balsamon, sed
» ut ordinetur, vel in Clerum cooptetur, vel ali-
» quo alio modo in Ecclesia eligatur, oblationem
» fecit."

Huic planè conforme est, quod in *Cap.* 34. ✠
de simonia, respondit Innocentius III. apud Deum si-
moniacum esse, qui bona sua Ecclesiæ donavit *Eâ*
intentione, ut per temporalia quæ offert, spiritualia,
scilicet Canonicatum, *valeat adipisci.*

Synodi Provinciales suo tempore habendæ, sed Metropolitani ab exactionibus abstinere debent.

Can. VI. „Quoniam Canon est, qui dicit bis in
» anno in unaquaque Provincia per Congregationes
» Episcoporum fieri oportere quæstiones canonicas,
» propter vexationem, & quod itineri perficiendo
» minus sufficerent qui cogebantur, statuerunt Sanc-
» ti sextæ Synodi Patres, ea omninò & quacumque
» postposita causa semel in anno fieri, & delicta cor-
» rigi. Hunc ergo Canonem nos quoque renovamus:
» & si quis Magistratus hoc prohibere inventus fuerit,
» segregetur. Si quis autem Metropolitanus hoc fieri
» non curaverit, præterquam vi vel necessitate & jus-
» ta aliqua de causa, Canonicis pœnis subjiciatur.
» Cùm autem de Canonicis & Evangelicis rebus fiat
» Synodus, opus est, ut congregati Episcopi mag-
» nam curam & diligentiam gerant, ut divina, & vi-
» vifica mandata serventur. In iis enim servandis est
» retributio multa, quoniam *Lucerna est mandatum,*
» lex verò lux, & via vitæ probatio, & disciplina,
» *& præceptum Domini lucidum & illuminans oculos.*
» Ne liceat autem Metropolitano ex iis, quæ secum
» affert Episcopus, vel jumentum, vel aliquam rem
» aliam petere. Si enim hoc fecisse deprehensus fuerit,
» redder quadruplum."

Synodaticum hic non improbatur.

Illud hîc solummodo notandum, finalibus ver-
bis Canonis nequaquam damnari *Synodaticum* seu
subsidium, quod jam pridem ab Episcopis Metropo-
litæ, aut à Presbyteris Episcopo ad Synodi expen-
sas sublevandas solvi consuevit, de quo *Cap.* 10. ✠
de Offic. Ordin. & *cap.* 20. ✠ *de censib.* sed solam
occurri exactionibus, quas Metropolitani sua potes-
tate abutentes, variis prætextibus ab Episcopis ex-
torquebant; qui Synodos suas quasi venales expo-
nebant.

Hinc Hincmarus Remensis monet Episcopos suos,
Synodos Presbyterorum secundum Sacros Canones sine venalitate habere.

Ecclesiæ sine reliquiis non consecrandæ.

Can. VII. „Ait Paulus Apostolus: *Quorumdam*
» *hominum peccata sunt manifesta, nonnullos autem*
» *consequuntur.* Præcedentibus autem peccatis, alia
» quoque ea sequuntur. Impiam ergo hæresim eorum
» qui Christianos accusant, alia quoque impia con-
» secuta sunt. Quemadmodum enim venerabilium
» imaginum aspectum ex Ecclesia sustulerunt, alios quo-
» que mores reliquerunt, quos quidem oportet renovari,
» & tam ex jure scripto, quàm non scripto sic ob-
» servari. Quæcumque ergo templa consecrata sunt
» absque sacris reliquiis Martyrum, in iis fieri statui-
» mus Reliquiarum depositionem cum consuetis præ-
» cibus. Episcopus autem posthac templum conse-
» crans sine sanctis Reliquiis, deponatur, ut qui
» Ecclesiasticas traditiones transgressus est."

Origo hujus ritus.

Primis Ecclesiæ seculis persecutione in Christia-
nos adhuc sæviente, mos erat Christianis convenire
ad Synaxim celebrandam in cœmeteriis in quibus
Martyrum corpora quiescebant; cessante verò perse-
cutione, cùm liceret Christianis palam templa exs-
truere, in iis præsertim locis, ad quæ antea conve-
nire consueverant, nimirum cœmeteriis Martyrum,
extrui cœperunt: atque inde originem traxisse mihi
videtur, ait Card. Bona, *Lib.* 1. *rerum Liturg.*
cap. 19. celeberrimus, & inviolabilis Ecclesiæ ritus,
ut sine Martyrum reliquiis nullum templum, nullum-
ve altare ædificetur.

Ratio ejusdem

Hoc ritu, quem Iconomachorum potentiâ ever-
sum præsens Synodus restauravit, & inviolabiliter
observandum edixit, variis SS. Patrum testimoniis
stabilito, concludit: „Hæc autem Martyrum vene-
» ratio ex eo dogmate fidei orta est, quâ Sanctorum
» communionem credimus, & fatemur. Fideles etenim,
» ut hoc factis profiterentur, in iis locis ad orationem,
» & ad divina mysteria participanda conveniebant,
» in quibus Sanctorum lipsana posita erant, ut ea ra-
» tione, quam defunctorum status permittit, cum
» illis communicarent. Per illa siquidem repræsenta-
» tur Ecclesia triumphans, quæ sic aliquo modo cum
» militante communicat, Sacrificio nostro interest."

Contra Judæos Christianissimum simulantes.

Can. VIII. „Quoniam Hebræorum religionis qui-
» dam errantes Christum Deum nostrum subsanare
» visi sunt, sese Christianos esse fingentes, ipsum
» autem clanculum, & occultè negant, Sabbatha
» observantes, & alia Judaica facientes: statuimus,
» ut neque ad communionem, neque ad orationem,
» neque ad Ecclesiam admittantur, sed aperte sint se-
» cundum suam religionem Hebræi; & neque filios
» eorum baptizari, neque servum ab eis emi, vel
» possideri. Sin autem ex pura, & sincera fide quis
» eorum conversus, & ex toto corde confessus fuerit,
» eorum moribus, & rebus insultans, veluti trium-
» phum agens, ut & alii refellantur & corrigantur,
» eum recipi, & baptizari & ejus liberos, & cautos
» reddi: ut se ab Hebræorum studiis & institutis abs-
» tineant. Si autem non ita se gerant, eos nullo modo
» admitti."

Libri Hæretici Episcopo Constantinopolitano tradendi.

Can. IX. „Puerilia omnia ludibria, furiosaque
» ac insana dicta, & scripta, quæ adversus Sanctas
» Imagines edita sunt, oportet dari Episcopo Cons-
» tantinopolitano, ut cum reliquis libris hæreticis re-
» ponantur. Si quis autem hæc celare inventus fuerit,
» & sit quidem Episcopus vel Presbyter vel Diaconus,
» deponatur; sin autem Laicus, vel Monachus, se-
» gregetur."

Clerici sine Licentia Episcopi apud Principes residere nequeunt & quod eorum officium.

Can. X. „Quoniam nonnulli Clerici canonicam
» constitutionem circumscribentes suâ relictâ paræ-
» ciâ in alias paroecias excurrunt, ut plurimùm autem
» in hanc à Deo custoditam, & Imperatoriam urbem,
» & apud Principes assident, & in eorum oratoriis
» divina ministeria faciunt: eos sine proprio Episcopo
» & Constantinopolitano non licet in quavis æde vel
» Ecclesia recipi: si quis autem hoc fecerit, si per-
» severet, deponatur. Quicunque autem cum præ-
» dictorum Sacerdotum consensu hoc faciunt, non
» licet eis curas seculares, & mundanas suscipere,
» ut qui sint a Canonibus prohibiti hoc facere. Si quis
» autem eorum, qui majores, id est, curatores appel-
» lantur, curationem obtinere deprehensus fuerit, vel
ces-

» cesset, vel deponatur : potiùs autem offerat se ad » docendos filios vel servos, legens eis divinas Scrip- » turas : ad hoc enim etiam Sacerdotium sortitus est. «

Quod præsenti Canone prohibetur, Clericos relictâ propriâ Ecclesiâ ad alias transire ; item curas seculares suscipere, multis anterioribus Canonibus cautum fuit; notandum verò, quôd in fine additur : » potiùs autem maneat ad magisterium tam puerorum » quàm famulorum, *relegens eis divinas Scripturas*; » ad hoc enim etiam Sacerdotium consecutus est. «

Utinam hæc esset hodierna Capellanorum Domesticorum Principum sancta occupatio.

Cura rerum temporalium in Ecclesiis & Monasteriis per Oeconomos gerenda.

Can. XI. » Cùm omnes divinos Canones servare » teneamur, eum quoque, qui jubet Œconomos esse » in singulis Ecclesiis, illæsum omninò servare debe- » mus. Et si quidem unusquisque Metropolitanus in » sua Ecclesia Œconomum constituit, bene habet; » sin minus Constantinopolitano Episcopo speciali » auctoritate licebit Œconomum in ejus Ecclesia præ- » ficere. Similiter & Metropolitanis, si, qui eis sub- » sunt Episcopi, nolint in suis Ecclesis Œconomos » constituere. Hoc ipsum autem servari etiam in Mo- » nasteriis oportet. « Grat. 6. *q.* 3. *Can.* 3.

Est innovatio Canonis XXI. Calchedonensis eumque ad monasteria extendit, id est, ut rerum ad monasterium spectantium administratio non per Abbatem, & superiores, sed per Œconomos, seu Officiales fiat ; quos ad nutum Superiorum amovibiles esse vult Synodus Trid. Sess. 25. *cap.* 2. *de Regularib.*

Quales cura temporalium in monasteriis præficiendi.

Verùm si Fratribus cura temporalium committatur, solicitè curandum, ut eligantur, qui per exercitia monastica ad eum virtutis & perfectionis gradum pertigerunt, ut meritò confidatur, quod interiorum curam per exteriorem rerum temporalium non negligent ; neque rebus temporalibus se ita immergent, ut charitatis, & fervoris ignem extinguant ; quique ut de fratre suo Gerardo loquitur Bernardus *Serm.* 27. *in Cantica*, non petulanti (ut assolet) in eo officio detineantur affectu, sed solo intuitu charitatis; qui quantum in ipsis est, semper optent quietem, sibi intendere, Deo vacare, nec implicitos tenent nisi timor Dei, voluntas fratrum, ac studium obediendi.

Nisi enim solicitudini, piisque Religionis exercitiis multùm delectentur, magnopere sanè verendum, ne sensim illis neglectis, rerum temporalium curis ità implicentur, ut gustu rerum spiritualium paulatim extincto, tandem sub veste religiosa cor planè seculare inveniant ; idque vel eo magis in Officialibus metuendum, quod ipsis ob varia intercurrentia negotia, major esse soleat exercitia monastica omittendi libertas. Hinc Canonici Præmonstratenses in constitutionibus *dist.* 2. *cap.* 16. §. 3. statuerunt, ne juniores temporalibus præficiantur : *quia in ruinam agitur, qui nondum in virtute roboratus suæ libertati committitur.*

Bona monasterii Magistratibus non concedenda.

Can. XII. » Si quis Episcopus inventus fuerit vel » monasteri Præfectus ex Episcopatus vel Monasterii » agris, in Principis alicujus manus alienare, vel al- » teri personæ tradere deprehensus fuerit, irrita sit » traditio, ut Sanctorum Apostolorum vult Canon, » qui dicit : *Omnem rerum ecclesiasticarum &c.* est ad verbum Canon XXXVII. Apostolorum supra rerelatus ; deinde sequitur : » Sin autem detrimentum » afferre causetur, ne quidquam ex agro emolumenti » percipi, ne sic quidem Principibus, qui sunt in » eo loco, alienet prædium, sed Clericis vel agrico- » lis : sin autem aliqua improba calliditate utentur, & » ab agricola vel Clerico agrum Princeps emerit, sic » quoque nullius sit momenti venditio & Episcopatui » vel Monasterio restituatur. Porrò Episcopus vel mo- » nasterii Præfectus, qui hoc fecerit, exturbetur qui- » dem, Episcopus ab Episcopatu, monasterii verò Præ- » fectus à monasterio, ut qui malè dissipent quæ non » congregavere. «

Occasio Canonis.

Cùm tempore hujus Synodi, Regum, ac Principum favore ad dignitates ecclesiasticas aditus frequenter pateret, Clerici ambitionis æstu incitati, facilè Principibus aliqua è rebus Ecclesiæ addicebant, si modo ad dignitates eorum intercedente patrocinio pervenirent ; huic verò simoniacæ pollicitationi satisfacere cupientes, variis prætextibus res Ecclesiæ in suos Patronos transferre studebant ; quibus occurrere per præsens Decretum Synodus voluit.

Utinam hodie nullæ hujusmodi occultæ pollicitationes fierent.

Contra infractores temporum & monasteriorum.

Can. XIII. » Quoniam propter eam quæ fuit prop- » ter peccata nostra in Ecclesiis calamitatem Sa- » crosanctæ quædam ædes à quibusdam viris arreptæ » sunt, & Episcopatus & Monasteria, & facta sunt » communia Diversoria. Si qui ea quidem tenent, vo- » lunt reddere, ut in pristinum statum restituantur, » benè & pulchrè habet : sin minus, si sint quidem » Sacerdotalis Catalogi, eos deponi jubemus ; sin » autem Monachi vel Laici, segregari, ut qui sint con- » demnati à Patre & Filio & Spiritu Sancto, & po- » nantur *ubi vermis non moritur, nec ignis extingui-* » *tur* : quia voci Domini adversantur, quæ dicit : *Ne* » *faciete domum Patris mei domum negotiationis.*« Grat. *dist.* 19. *q.* 3. *Can.* 5.

Nulli in Ecclesia publicè Sacras Scripturas legere possunt, nisi manus impositione accepta.

Can. XIV. » Quod ordo in Sacerdotio versatur, » est omnibus manifestum : & Sacerdotii munera exac- » tè servare est Deo gratum. Quoniam ergo videmus » nonullos à pueris Cleri tonsuram accipientes, non- » dum verò accepta Episcopi manuum impositione, » in congregatione in suggestu legentes, & id non » canonicè facientes, hoc à præsenti Canone fieri non » permitimus : ipsum autem etiam in Monacho servari. » Lectoris autem manuum impositionem licet in pro- » prio monasterio tantum unicuique monasterii præ- » fecto facere, si ipsi præfecto scilicet ab Episcopo » manus est imposita ad præfecturam Hegumeni, dum » sit, & ipse Presbyter. Similiter & ex antiqua » consuetudine Chorepiscopos Episcopi permissu » oportet Lectores ordinare. « Gratianus *Dist.* 69. *Can.* 1.

Tonsura et Lectoratus apud græcos conjunguntur.

„ Græci etiam hodie Tonsuram cum Lectoratu » conjungunt. Primò invocatâ S. Trinitate, ait Mori- » nus de SS. Ordinat. *p.* 3. *exercitat.* 15. *cap.* 4. & si- » gillo Crucis interim peracto, tondetur in formam » Crucis lectoratui inaugurandus. Deinde manus illi » ab Episcopo in Lectoratum imponitur. Videre po- » test in variis Lectoris ordinationibus.... Lectoratûs » ordo non datur, nisi præcedat Tonsura; nec Ton- » sura nisi statim subsequatur Lectoratus ; ita ut Ton- » sura apud eos sit veluti cæremonia ad Lectoratûs » collationem pertinens.“

Origo Abusus de quo in Canone.

Ob hanc Tonsuram inter & Lectoratum conjunctionem factum est, ut Tonsuram & Lectoratum quidam non tantùm confunderent, sed insuper per- Emitterent, pueros Tonsurâ & vestibus nigris à parentibus indutos, *publicè* in Ecclesia Sacras Scripturas legere ; quod Synodus in præsenti Canone prohibet, donec ab Episcopo Tonsuram clericalem cum manuum impositione receperint.

Ratio Canonis.

Inordinatum quippe apparebat, quemquam ad functionem aliquam publicam in Ecclesia admitti, nisi ab Episcopo ad eam vocatus, & applicatus.

Cur Abbatibus concessum Lectores ordinare.

Idem etiam in Monachis servari jubet ; ut nimirum sine manuum impositione Lectorem agere nequeant.

» Quoniam autem, ut consentaneum est, inquit » Balsamon, hoc Monachis dificile videbatur, qui » eremos ut plurimùm habitant, & non possunt Ur- » bes obire, nec Episcopos facilè adire, concessum » est eorum præfectis, qui ab Episcopis caracterem » accepêre, Presbyteris quidem necessariò existenti- » bus, Monachos Lectores in proprio monasterio fa- » cere, ut ipsi citra ullum impedimentum divinas in » suggestu Scripturas legant.“

Restricta Licentia ad proprios Monachos.

Plerique hodie Abbates, præsertim ex privilegio ornamentis Pontificalibus utentes, conferunt non tantùm Lectoratum, sed & reliquos minores Ordines; de quo indulto agit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* vultque ut nullo prætextu Tonsuram, aut Minores Ordines conferant cuiquam, qui *Regularis* sibi subditus non sit ; idque conformiter ad hunc Canonem, qui solùm permittit Abbatibus Lectores ordinare in *proprio monasterio.*

Pluralitas Beneficiorum indistinctè damnata.

Can. XV. „Clericus ab hoc deinceps tempore » in duabus Ecclesiis non collocetur. Hoc enim est » negotiationis, & turpis lucri proprium, & ab » Ecclesiastica consuetudine alienum. Ab ipsa enim „Domini voce audivimus, non posse quempiam duo- „bus Dominis servire. *Vel enim unum odio habebit,* » *& alterum diliget* : *aut unum sustinebit & alterum* » *contemnet. Unusquisque ergo* ut est vox Apostolica, » *in eo in quo vocatus est debet manere, & in una Ec-* » *clesia assidere.* Quæ enim propter turpe lucrum » fiunt in ecclesiasticis negotiis, ea a Deo sunt aliena, » Ad hujus autem vitæ usum sunt diversa studia, ex » iis ergo, si quis velit, ea quæ sunt corpori ad usum ne-

„ necessaria comparet. Dixit enim Apostolus, *usui „ meo & iis, qui mecum sunt subministraverunt ma- „ nus meæ.* Et hoc quidem in hac à Deo custodita ci- „ vitate. In iis autem quæ extra sunt locis propter ho- „ minum inopiam permittatur." Grat. 21. *quæst.* 1. *cap.* 1.

Pluralitas beneficiorum hoc Canone damnatur, hoc uno fundamento, non posse quemquam *duobus dominis servire*, id est, duabus Ecclesiis.

Et quidem hæc ratio omnem beneficiorum pluralitatem facilè exclusit, quandiu persuasum fuit nullum esse beneficium quod non requiret personale officium per ipsos beneficiorum possessores personaliter præstandum in ea Ecclesia, cui per beneficii institutionem erat adscriptus.

Unde beneficiorum aliquorum compatibilitas.

Verùm postquam invaluit distinctio inter beneficia requirentia residentiam, & non requirentia, nullo negotio ipsa beneficiorum compatibilitas hactenus ignota, quasi naturaliter secuta est.

Cùm enim crederent Beneficiati, se non tantùm ab officio præstando immunes, sed etiam à residentia *personali* in Ecclesia, cui servire deberent, absolutos, nihil obstare videbatur, quare cum Beneficio nec *personale* officium, nec *porsonalem* residentiam requirente aliud, cujus officium præstare posset, obtinere haud valeret.

Beneficia de Jure communi residentiam requirunt & qua ratione aliqua ab ea exempta.

Porrò prædicta beneficiorum distinctio non à Canone, sed à consuetudine sive potius inolito abusu originem duxit. Cùm enim citra seculum X. & XI. omnes passim dignitates, ac beneficia, enim curam animarum habentes residentiam negligerent, functionesque sacras Vicariis delegarent; Pontifices huic abusui occurrere volentes, edixerunt, ut obtinentes dignitates, beneficia cum cura animarum, aut etiam canonicatus, residere tenerentur, nullâ reliquorum inferiorum beneficiorum factâ mentione; hinc creditum fuit, ea pristinæ consuetudini, sive potiùs abusui esse relicta: ideoque & Canonistæ unanimiter fatentur, omnia beneficia *de Jure communi* requirere residentiam, aliaque verò de consuetudine ab ea duntaxat esse exempta; quâ distinctione stabilitâ compatibilitas beneficiorum suâ sponte quoque invaluit.

Non mirum proinde hanc Synodum nullam admittere beneficiorum pluralitatem, aut compatibilitatem beneficiorum, etiam ob unius beneficii ad honestam Clerici sustentationem insufficientiam, quia nondum beneficia non requirentia residentiam innotuerant, sed omnia personalem residentiam exigebant: quorum duo quantumvis tenuia, nec ipsa Synodus Tridentina habere permittit, uno quoque consensu etiam hodie pro incompatibilibus habentur.

Canon nullam beneficiorum compatibilitatem admitit.

Neque jam dictis obest clausula finalis ipsius Canonis: *Cæterum in villis, quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.* Non enim hic permittitur, ut Clericus duabus Ecclesiis adscribatur, sive ut phrasi modernâ loquamur, duo beneficia habeat, quo possit *suæ necessitati* consulere; sed solùm permittitur, ut unus duabus Ecclesiis sibi vicinis deserviat ob hominum inopiam, id est, in villis sive ubi tanta est hominum inopia, ut unaquæque Parochia Presbyterum habere nequiret, permittit, unum Presbyterum duabus Ecclesiis servire; non ut ejus inopiæ succurratur, uti hodie per beneficii simplicis compatibilis combinationem permittitur, sed ut hominum seu incolarum necessitati provideatur.

Can. XVI. „ Omnis luxus, & ornatus corporeus „ est à Sacerdotali statu alienus. Episcopos ergo vel „ Clericos, qui se splendidis, & insignibus vestibus „ exornant, se corrigere oportet. Sin autem perma- „ neant, supplicio tradi: similiter & eos, qui sunt un- „ guentis delibuti. Quoniam autem radix acerbitatis „ sursum pullulans, fuit nostræ Ecclesiæ inquinamen- „ tum, Christianos scilicet accusantium hæresis; & „ qui eam susceperunt, non solùm Imaginum pictu- „ ras aversati sunt, sed omnem etiam pietatem, ac re- „ ligionem extruxerunt, in eos qui piè, & honestè „ vivunt invehentes; & in eis impletum fuit quod „ scriptum est: *execratio peccatori Dei cultura.* Si in- „ venti itaque fuerint nonnulli eos irridentes, qui vi- „ lem, & modestum amictum induti sunt, pœna cor- „ rigantur. A superioribus enim usque temporibus „ omnis Vir Sacerdotalis cum moderato & honesto „ indumento versabatur. Quidquid enim non prop- „ ter usum, sed ostentatorium ornatum assumitur, in „ nequitiæ reprehensionem incurrit, ut ait Magnus „ Basilius. Sed nec ex sericeis texturis variatum quis „ vestimentum habebat, neque in extremis vestimentis „ adjecta erant alieni coloris additamenta. Ex divina „ enim lingua audiverunt, quod *qui mollia ferunt, „ sunt in ædibus Regum.*"

Luxus in vestibus Clericorum vitandus.

Can. perspicuus est; cæterum de Clericorum convenienti ornatu latiùs agimus in jure ecclesiastico *p.* 1. *tit.* 2 *cap.* 2

Can. XVII. „ Quidam Monachi suis monasteriis „ relictis, ut qui imperare desiderent, & parere re- „ cusent, oratoria ædificare aggrediuntur, cum ea non „ habeant, quæ ad perfectionem pertinent. Si quis „ ergo hoc facere aggressus fuerit, prohibeatur ab ejus „ loci Episcopo. Si quis autem ea habeat, quæ ad „ perfectionem sufficiunt, quæ ab ipso deliberata sunt, „ ad finem deducantur. Idem autem servetur in Lai- „ cis & Clericis."

Monasteria nova non temere, & sine sufficienti dote ædificanda.

Jam pridem Canonibus cautum erat, ne Ecclesiæ sine dote fabricæ, ministris, aliisque necessariis sufficienti construantur *Can.* 9. *Dist.* 1. *de consecrat.* quos Canones ad monasteria præsens Synodus extendit.

Observatio Canonis multum utilis ad arcendum à monasteriis Simoniam.

Hoc si observaretur, faciliùs occurri posset sordidis illis exactionibus, prætextu paupertatis in admissione ad Religionem fieri solitis.

Testimonium Christiani Lupi.

Et quidem Christianus Lupus tametsi exactiones illas à Simonia titulo parùm fundato excusare prætenderit, uti in Dissertatione mea fusè ostendi, nihilominus postquam pro animi sui candore respondit „ Pacta illa esse de fœdo isto ulcere Simoniæ gra- „ viter suspecta, frequenterque infecta, semper sor- „ dida, statui monastico dedecorosa, imò & graviter „ perniciosa, ideoque eliminanda; nihilque posse es- „ se fœdius, aut perniciosius, quàm stipulatâ pecu- „ niâ solos opulentos ad monasteria admittere; ideo- „ que ob inopiam patientibus, ait, necessarium Fra- „ trum & Sororum numerum alere non valentibus „ monasteriis, servanda est antiqua, quam Regulæ „ suæ Sanctus Benedictus inseruit, Patrum lex, ut „ spontè oblatum acceptetur, & nihil penitus exiga- „ tur. Quam legem diversæ generales Synodi inno- „ varunt, & usque ad paucos abhinc annos Belgium „ nostrum observavit sanctissimè: His inquam, præ- „ missis subjungit: *reducenda omninò est illa animæ „ castitas: rogandi Episcopi nostri, ne novis, & „ superfluis, quibus oriuntur nobis tantæ sordes, præ- „ sertim Monialium monasteriis sinant suas Eccle- „ sias gravari.*

Hæc illæ in resolutione ad quæstionem: num licita sint pacta de dote danda ab ingredientibus monasterium; cujus autographum habetur in monasterio Monialium S. Theresiæ Alosti.

Vitanda solicite Sacerdotibus mulierum familiaritas.

Can. XVIII. „ Sine offensione esse etiam iis, qui „ extra sunt, inquit divinus Apostolus. Mulieres au- „ tem in Episcopiis vel Monasteriis versari, est omnis „ offensionis causa. Si quis ergo ancillam, vel liberam „ in Episcopio possidere deprehensus fuerit, vel in „ monasterio ad ministerium aliquod obeundum, pu- „ niatur: sin autem perseveret, deponatur. Si verò „ etiam in suburbanis mulieres esse contigerit, & vo- „ luerit Episcopus vel monasterii præfectus illuc iter „ facere, præsente Episcopo vel monasterii præfecto „ mulier eo tempore nullo modo ministerium obeat, „ sed alio in loco seorsim versetur, donec recesserit „ Episcopus aut Hegumenus, ut omnis reprehensio- „ nis occasio vitetur."

De disciplina hujus Canonis agimus in jure Ecclesiastico *p.* 1. *tit.* 2. *cap.* 4.

De Simonia circa beneficia, & ingressum religionis.

Can. XIX. „ Tanta execrabilis avaritiæ labes Ec- „ clesiarum præfectos invasit, ut nonnulli eorum Vi- „ rum, ac mulierum, qui pii, ac religiosi dicuntur, „ Domini mandati oblati fallantur, & eos, qui ad „ Sacerdotalem Ordinem, & vitam monasticam ac- „ cedunt, pecuniis admittant: & quorum reprobum „ est principium, universum quoque rejiciendum effi- „ citur, ut ait magnus Basilius, nec enim Deo licet „ & mammonæ servire. Si quis ergo inventus fuerit „ hoc facere, qui hoc facit, si sit quidem Episcopus, „ vel monasterii præfectus, vel ex Sacerdotali Ordi- „ ne, vel esset, vel deponatur, ut vult II. Canon „ Calchedon. Synodi. Sin autem monasterii præfecta, „ à monasterio extrudatur, & alii monasterio tradatur „ ad subjectionem. Similiter & monasterii præfectus, „ qui Presbyteri ordinationem habet. De iis autem, „ quæ dantur liberis à parentibus instar dotis, vel „ rebus suis propriis oblatis, profitentibus iis, qui ea „ offerunt, esse Deo consecrata, statuimus, ut si-

„ ve

» ve maneant, sive exeant, ea in monasterio maneant, » ut fuit ipsorum professio, nisi is qui præest, in cul» pa fuerit."

Ex pœnis in contravenientes hoc Canone decretis, sat apparet, quàm perniciosum censuerit Synodus, in admissione ad sacros Ordines, vel Monasteria pactiones pecuniarias interponere? Cæterum cum de his fusè egerim in tractatu de Simonia circa Beneficia, & Dispensatione de Simoni circa ingressum in Religionem, ea hîc repetere nolui.

Vetatur imposterum construi duplex monasterium.

Can. XX. „A præsenti statuimus non fieri duplex » monasterium, quoniam hoc fit multis scandalum » & offensio. Si quis autem velit cum cognatis mundo » renuntiare, & vitam sequi monasticam, viros qui» dem oportet in virorum monasteria discedere, fœ» minas autem ingredi in mulierum monasteria: hoc » enim est Deo acceptum. Quæ autem huc usque du» plicia fuerunt, serventur secundum Canonem Sancti » Patris nostri Basilii, & secundum ejus constitutionem, » ita regantur. In uno autem monasterio ne versentur » Monachi & monachæ. Adulterium enim inest media » conversatione. Nec Monachus liberè cum Monacha, » vel Monacha cum Monacho seorsim confabuletur, » nec cubet Monachus in fœminarum monasterio, nec » cum Monacha seorsim comedat. Et quando quæ sunt » vitæ necessaria à parte virorum ad regulares fœmi» nas deferuntur, extra portam hæc accipiat Monas» terii muliebris præfecta cum aliqua anu Monacha. Si » autem eveniat, ut aliquam velit cognatam Monachus » aspicere, præsente præfecta cum ea colloquatur exi» guo & brevi sermone, mox ab ea recedat." Grat. 18. *q.* 2. *Can.* 22.

Quid duplicia monasteria.

Duplicia monasteria sunt, „non in quibus cum » viris simul in eodem loco fœminæ degebant; sed » ita in propinquo, inquit Zonaras, ut voces audi» re, reddereque invicem possent."

Vetita jam pridem per Justinianum.

Hæc fieri imposterum vetat Synodus; eaque jam pridem separari mandaverat Justinianus in *Leg.* 44. *Cod. de Episcopis* » Virosque à mulieribus ità segre» gatos esse, ut nullam participationem ad invicem ob » quamcunque causam habeant ipsi, neque excogita» ri aliquam occasionem, vel illis vel his mutuæ in» ter se commorationis; sed soli per se homines in » Monasterio degant, à vicinis sibi per quamcunque » causam monasteriis segregati: solæ item per se mu» lieres non commixtæ viris; ut omnis suspicio inde» coræ conversationis penitus tollatur."

Quid de monasteriis duplicibus S. Brigittæ, qua ratione admissa.

Excipit præsens Canon duplicia monasteria S. Basilii; quia ea eorum esset structura, ac disciplina, ut nullum scandalum, ac periculum esset metuendum; quale testimonium de monasteriis duplicibus S. Brigittæ, vulgò *S. Salvatoris*, reddidêre Episcopi Regni Sueciæ anno 1434. in Epistola ad Synodum Basiliensem pro obtinenda dictorum monasterium approbatione missâ: » De modo cohabitationis Sororum, & » Fratrum in Monasteriis ordinis prædicti, quæ situa» ta sunt in regnis istis, quam alii quidam pacis æmu» li, & tranquillitatis calumniari conantur, nulla datâ » hîc cuiquam Christi fidelium suspicionis occasio, » quod eorum habitacula adeo firmis, altisque muris, » & ædificiis distincta, ac divisa sunt, prout fere nos » omnes, præcipuè autem, qui monasteriorum, & » locorum eorundem visitatores sumus, vidimus. Quod » securè, & absque conscientiarum scrupulo juxta » primariam Ordinis institutionem, quam adeo piè cre» dimus factam esse, Sorores licitè poterunt commorari.

Hæc cautela nî rigidè servetur, nemo non videt, quot hæc monasteriorum duplicitas periculis & offensionibus exposita sit.

De vetita Monachorum, & Monachorum conversatione.

Quæ Canon de cavenda Monachorum cum Monialibus conversatione, atque in ea servandâ cautione statuit, conformia sunt etiam recentioribus Pontificum constitutionibus, uti videre est apud Fagnanum ad *Cap. Quanto* ✠ *de privilegiis* qui & ibidem multis probat, Regulares sine licentia accedentes ad monasteria Monialium, Regularibus etiam subjectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Monialibus colloquentes, à Diœcesano Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato puniri, & coërceri, imò si Episcopus sub pœna excommunicationis inhibuisset accessum ad monasteria Monialium sine legitima licentia, resolvisse S. Congregationem, Regulares quantumvis exemptos, huic decreto Episcopi esse subjectos; eo quòd hæc omnia ad custodiam clausuræ Episcopis per Synodum Tridentinam tam solicitè commendatam, pertineant.

Monachi suis monasteriis addicti.

Can. XXI. „Non oportet Monachum vel Mona» cham proprium relinquere monasterium, & ad aliud » se conferre. Si hoc autem contigerit, ipsum ut hos» pitem accipi est necessarium, sed eum recipi sine » mente monasterii ejus præfecti non convenit."

» Quomodo Clerici ad certam Ecclesiam ordinati, » inquit Christianus Lupus, ita olim omnes passim » Monachi ad certum Monasterium fuêre professi, & » professione, quasi spirituali matrimonio, adfixi, » non nisi ex gravissimis causis poterant transferri."

Migrantem verò Monachum de uno monasterio ad aliud hospitio excipi vult, ait Zonaras, „ne profana » diversoria ingredi, & cum iis, qui nullâ ad hones» tè vivendum disciplinâ instructi sunt, vitam agere » cogatur."

Qualiter Laici in conviviis se gerere debeant.

Can. XXII. „Deo quidem universum dedicare, » & non propriis voluntatibus servire, res magna est. » *Sive enim comeditis, sive bibitis*, inquit divinus » Apostolus, *omnia in Dei gloriam facite*. Christus » autem Deus noster in suis Evangeliis jussit peccato» rum principia resecare. Non enim adulterium solùm » apud ipsum punitur, sed etiam cogitationis motus » ad aggrediendum adulterium condemnatur, ipso di» cente: *qui aspexerit mulierem ad concupiscendam* » *ipsam, eam jam in corde suo adulteravit*. Unde nos » quoque edocti, debemus cogitationes purgare. *Et*» *si enim omnia licent, non tamen omnia expediunt*, » ut à voce Apostolica docemur. Cuivis ergo homini » necesse est comedere, ut vivat: & quibus est vita » quidem matrimonii & liberorum & Laicæ constitu» tionis, permixtim comedere viros & mulieres, est ab » omni reprehensione alienum, si modo ei qui dat » nutrimentum gratias agant, non cum scenicis quibus» dam studiis sive Sathanicis canticis & citharœdicis, » ac meretriciis inflexionibus; quos prophetica exe» cratio persequitur, sic dicens: *Væ qui cum citha*» *ra & Psalterio vinum bibunt, Domini autem opera* » *non respiciunt*, & *opera manuum ejus non conside*» *rant*. Et sic ubi tales fuerint inter Christianos, cor» rigantur: sin minùs adversus eos robur suum obti» neant, quæ ab iis, qui nos præcesserunt, canonicè » tradita sunt. Cui autem quieta est vita & solitaria: ut qui Domino Deo jugum monasticum tollere statue» rit, in solicitudine, & silentio sedebit. Atqui nec » iis etiam, qui vitam Sacerdotalem elegerint, licet » omninò seorsim cum mulieribus comedere, nisi uti» que cum divinis, & religiosis viris, ac mulieribus: » ut ipsum etiam convivium ad spiritualem correctio» nem adducat. Porrò idipsum etiam in cognatis fa» ciat. Si autem rursus contingat, ut quæ sunt ad usum » necessaria non afferat Monachus vel Sacerdos, & » propter necessitatem velit, sive in publico diver» sorio, sive in alicujus domo divertere, ei liceat » hoc facere, utpote urgente necessitate."

Sensus Canonis.

Qui communi more cum uxoribus suis & liberis habitantes degunt, cum mulieribus cibum sumere possunt, si meritas interea divinæ liberalitati gratias agant, neque inter epulas scenica studia, hoc est sathanicas, & meretricias cantiones adhibeant. „Quæ» nam hæc verò? interrogat Zonaras; Citharicæ, me» retriciæque flexiones, inquit. Flexionum autem nomi» ne, inconditas saltationes, aut vocum in cantilenis » modulationes significavit."

Porrò Monachis, & Sacerdotibus præcepit, ne seorsim cum mulieribus comedant etiamsi reverà eorum cognatæ sint. Si verò quandoque necessitas exigat cum mulieribus discumbere, id ne fiat, nisi præsentibus honestis viris, ac mulieribus, ut spiritualem aliquem fructum illa ipsa convivendi societas pariat.

Non nisi necessitate exigente ad diversoria, & domos Laicorum Clerici & Monachi divertere possunt.

Si autem contingat Monachum, aut Sacratum hominem in itinere constitutum necessitate premi, permittitur ei, ad publicum diversorium, sive alicujus domum divertere: „Sed in locis iis quoque, inquit Zonaras, » religionis ac temperantiæ rationem Canon haberi » jubet."

Quam cautionem in his adhibuit S. Carolus.

Verùm quia admodum periculosum est Sacratis hominibus in publicis diversoriis inter omnis generis Laicos eo divertentes, conversari, meritò statuit S. » Carolus, „ut in singulis civitatibus curent Episco» pi parandum unum, aut alterum publicum, & ho» nestum diversorium, quo suarum Diœcesium Cle» ricis rusticanis necessitatis causâ convenire liceat: nec » in eo hospitio improbis, aut nequam hominibus locus » sit, neve fœminis ullo modo; sed tantum Clerici, » & religiosi viri, si fieri possit, in eo recipiantur" in *Concilio Prov.* 1. *part.* 2. *tit.* 25.

Clericis & Monachis à convictu mulierum abstinendum.

§. IX.

De Synodo Constantinopolitana sub Photio, anno 879. habita, ejusque Canonibus.

Joannes VIII. Photii restitutioni annuit.

ANno 879. Basilius Augustus legationem misit ad Joannem VIII. qua Photium in Sedem Patriarchalem Constantinopolitanam, contra iterata decreta Nicolai I. & Adriani II. intrusum in Sedis Apostolicæ communionem suscipi, & in Patriarchali Sede confirmari, ardentibus votis postulabat.

De levitate arguitur Joannes VIII.

Imperatoris precibus permotus, ac tandem victus Joannes VIII. ejus votis annuit; ac Photium in communionem, & Sedem restituit.

Hoc suo facto *magnam existimationi suæ, & Cathedræ Pontificiæ notam inussit*, ait Baronius, qui subdit: » Hinc factum puto, quod ob nimiam Joannis animi facilitatem, & mollitudinem abjectâ penitùs omni virilitate, fractus animo, Sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa ut Nicolaus & Adrianus, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus: utpotè quod qui nec resistere sciret Eunucho, quique vinceretur à semiviro, non vir, sed esset fœmina potiùs nuncupandus, & sic nomen contumeliæ transierit posteris rerum insciis in veritatis opinionem, ita à compluribus decantatum fuerit, Joannem VIII. Papam fuisse fœminam, sicque jactata vulgò invenerit eo modo locum fabula. «

Mittit Legatum Constantinopolim.

Igitur cum Oratoribus Imperatoris Joannes VIII. novum Legatum Petrum Tituli S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem Constantinopolim direxit; qui duobus aliis Legatis jam in Oriente degentibus adjunctus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ statum secundum mandata Sedis Apostolicæ in commonitorio contenta, quod ex Synodi sententia ipsi datum erat, componeret.

Litteras Joannis VIII. corrupisse dicitur Photius.

Petrus Constantinopolim advenit in Septembri 879. Photio Summi Pontificis Epistolas, & commonitorium tradidêre, & credidêre, ut in Græcum versæ in Synodo mox celebranda recitarentur: eas verò Photium in multis truncâsse, interpellâsse, ac immutasse ostendere conatur Baronius loco citato, illas ut in Synodo à Photio lectæ sunt conferendo cum ipsis eisdem Litteris, prout in regesto Epistolarum Joannis VIII. conservatas, & repertas fuisse testatur idem Baronius.

Synodus celebrata.

Synodus itaque celebrata fuit in ipsa Urbis Regiæ primaria Ecclesia *Sanctæ Sophiæ*. Adfuere 380. Episcopi cum Orientalium Patriarcharum Vicariis, & Legatis Apostolicis. Imperator quoque cum filiis suis, & Imperii Colegis eam suâ præsentiâ decoravit.

Ab Ecclesia Rom. non recepta, & quare.

In hac Synodo inter cætera abrogata, & annullata fuit Synodus habita sub Adriano II. quæ communiter dicitur *octava œcumenica*, in qua contra Photium sententia dicta fuerat; ac omnia, quæ contra Photium acta fuerant sub Pontificatu Nicolai I. & Adriani, in irritum missa, & annullata; multaque injuriosa in dictos Pontifices dicta, & declamata fuêre; ut præterea nec Ecclesia Romana eam ut legitimam & Œcumenicam Synodum receperit: ac propterea etiam à Canonibus referendis abstinuissem, nisi Gratianus, aliique nonnulli recentiores Canonum Collectores, hanc Synodum agnovissent; & unum è tribus Canonibus eidem à Græcis adscriptis, sub nomine Synodi Constantinopolitanæ retulissent; atque ita quodammodo eam probâssent, ut mox videbimus.

Cur hujus Synodi mentio fiat.

Ab uno Episcopo excommunicatus, ab alio non recipiendus.

Can. I. » Statuit Sancta, & universalis Synodus, ut si qui ex Italiæ Clericis vel Laicis vel Episcopis in Asia, vel Europa, vel Lybia versantes sub ligatione, vel dispositione vel anathematizatione apud Sanctissimum Papam Joannem fuerunt, ut ii quoque sint apud Photium Sanctissimum Patriarcham Constantinopolitanum in eadem pœnæ definitione, id est, vel depositi, anathematizati, vel segregati; & quos Photius quidem Sanctissimus noster Patriarcha Clericos, vel Laicos vel Episcopalis vel Sacerdotalis Ordinis in quacumque parœcia segregationi, vel depositioni, vel anathematizationi subjecerit, Sanctissimus quoque Papa Joannes, & Sancta Dei Romanorum Ecclesia, eosdem in eodem pœnæ judicio habeat; privilegiis, quæ Sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ Sedi, & ejus antistiti adsunt, nihil penitùs innovatis, nec nunc, nec imposterum. «

Judicium Binnii, & Baronii de hoc Canone.

Severinus Binnius in notis ad hanc Synodum secutus more suo Cardinalem Baronium, relato hoc Canone ait » Sicque confectus de his est primus Canon; quo quis non videat summâ Photii calliditate interceptas esse appellationes ad Apostolicam Sedem, & recursum ad eam? Siquidem ablata fuit per Canonem istum auctoritas Romani Pontificis, ut judicare non posset, quos Photius condemnasset. Quis animo concipere potest, Legatos Apostolicæ Sedis adeo oscitantes, & prodigentes jura Apostolicæ Sedis, ut & adversus contra ea obtinentes, non tùm non restiterint, sed ut isthæc sancirentur, ipsi suggesserint? An non manu palpantur commenta Photii. «

Examinatur eorum Judicium.

Verùm cùm jam pridem Canone V. Nicæno aliisque quamplurimis decretum esset, excommunicatum ab uno Episcopo ab aliis non esse recipiendum; atque per clausulam finalem solicitè cautum esset, nihil per hoc decretum derogatum iri *Privilegiis Romanæ Ecclesiæ*, non video cur Vicarii Sedis Apostolicæ tanti oscitantiæ, aut prodigalitatis jurium Sedis Apostolicæ arguendi, tametsi ipsis præsentibus, & non contradicentibus hic Canon editus esset?

Episcopus ad vitam monasticam transiens, rursus ad Episcopatum redire nequit.

Can. II. » Etiamsi hucusque nonnulli Antistes, qui ad Monachorum habitum descenderant, ut in Episcopali fastigio manerent, vim adhibuerunt; & cum hoc facerent, neglecti sunt: Sancta tamen, & universalis hæc Synodus hanc negligentiam quoque corrigens, & ad ritus ecclesiasticos hanc inordinatam actionem redigens, statuit, ut si quis Episcopus, vel aliquis alius ex Pontificali dignitate, voluerit ad vitam monasticam descendere, & pœnitentiæ locum implere, ne ampliùs Antistitis dignitatem usurpet. Monachorum enim professiones subjectionis & discendi cupiditatis rationem habent, non autem doctrinæ vel primatus; nec alios pascere, sed ipsos pasci profitentur: & ideò quemadmodum prædictum est, decernimus ut nemo eorum, qui in Episcopalem, Pastorumque Catalogum relatus est, ad eorum, qui pascuntur, & agunt pœnitentiam, locum se dimittat: si qui autem hoc facere ausus fuerit, post denuntiationem, & declarationem hujus editæ sententiæ ipse, qui seipsum Episcopali gradu privavit, non ampliùs ad priorem, quam factis despicatui habuit, dignitatem reverteretur. «

Canon contra S. Ignatium conditus.

Hunc Canonem à Photio, ejusque Fautoribus editum fuisse creditur, ut Sanctum Ignatium, qui è solio Patriarchali Constantinopolitano pulsus in monasterium secesserat, à Sede Apostolica, & octavâ Synodo illegitimè restitutum fuisse, imperitis persuaderet.

Ivo Carnotensis, & Gratianus eum retulerunt.

Ivo tamen Carnotensis in suo decreto *p. 7. cap.* 149. Canonem ità expressit: » Apocrisiarii Papæ dixerunt. Hoc nequaquam apud nos habetur, ut quicunque de Pontificali ordine ad Monachorum, id est, pœnitentium, descenderit vitam, ulteriùs possit ad Pontificatum reverti. Item. Præcepit Sancta Synodus, ut quicunque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ descenderit locum, nequaquam jam ad Pontificatum resurgat: Monachorum enim vita subjectionis verbum habet, & discipulatus, non docendi, vel præsidendi, vel pascendi alios. «

Ivonem secutus Gratianus eundem, iisdem verbis retulit 7. *q.* 1. *Canon.* 45. tanquam *ex quinta actione Constantinopolitanæ Synodi* 383. *Patrum sub Joanne VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus Episcopus, & Eugenius Ostiensis Episcopus.*

Nota Correctorum Romanorum de hac Synodo.

Monent hîc Correctores Romani: » Hæc Synodus sub Joanne VIII. extat in Vaticana Bibliotheca. Cujus Synodi tres tantùm Canones cum explanatione Balsamonis editi sunt Lutetiæ, & apud ipsum inscribitur; *Synodus in templo Sapientiæ habita sub Photio Patriarcha.* In secundo autem trium illorum Capitulo habetur hujus capitis sententia.“ Hæc illi: qui ad clariorem hujus Canonis, prout à Gratiano refertur, explanationem, eum integrum, ut apud Balsamonem extat, græcè & latinè subjiciunt.

S. Thom. Canone hoc usus.

Hujus quoque Canonis auctoritate, Gratianum secutus, utitur Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 185. *art.* 4. *ad* 2.

Innocentius III. hunc Can. credidit

Quin & Innocentius III. *in cap. XI.* ✠ *de renuntiatione*, rogatus, ut postulatum in Ravennatensem Archiepiscopum confirmare dignaretur, respondit: » Verùm postulationi hujusmodi videbatur Concilii Cons-

es-

esse Constantinopolitani I.

Constantinopolitani Capitulum obviare, in quo statutum, ut quicumque de Pontificale dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulteriùs ad Pontificatum ascendat: unde contra dictum Concilium (cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur) nullatenus videbatur eorum postulatio addmittenda. «

Quin hic Innocentius citet Canonem præsentem, prout in Gratiano extabat, nemo ambigit. Quod autem Concilium Constantinopolitanum, cui Canonem attribuit, dicat esse unum è quatuor Conciliis, quæ *sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur*, evidenter ostendunt, Innocentium hunc Canonem tribuisse Concilio Constantinopolitano I. in quo *Doctissimi Pontificis Scrimiarium memoriâ fuisse lapsum*, monet Lupus *tom.* 2. *Schol. p.* 1560.

Sensus Canonis ex mente Innocentii III.

Cæterùm Canonem illum intelligendum esse, docet Innocentius, ut ad Episcopalem dignitatem resurgere non valeat, qui ob crimen Episcopatum deserens, vitam monasticam agendæ pœnitentiæ causâ amplexus est; plures autem casus esse, in quibus, hoc Canone non obstante, rursus queat à vita monastica ad Episcopatum ascendere.

Institutum Episcopale, & monasticum in hoc Canone rectè discerni, vitamque monasticam, vitam *pœnitentiæ* dici, ex notatis ad Canonem IV. Calchedonensem, & XLI. Trullanum intelligi potest.

Quare Episcopi ad vitam monasticam transire sive nequeant.

Id autem benè advertit Balsamon, quod Patres prohibentes, Episcopos ad vitam monasticam, tanquam statum pœnitentiæ, transire, » non prohibeant » pœnitentiam, ut rem odiosam & avertendam (ea » enim magnâ quoque laude digna est) sed significant, » tales esse Antistites, & ita vivere, ut propemodum » pœnitentiâ non indigeant, sed & suis intercessioni- » bus Deum aliis placent. «

Contra Magistratus Episcopos verberantes aut incarcerantes. Sensus Canonis.

Can. III. » Si quis Laicus auctoritate usus divinis » quidem & regiis jussis contemptis, reverendisque » Ecclesiæ ritibus & legibus irrisis, aliquem Episco- » pum verberare ausus fuerit, vel in custodiam tra- » dere, vel sine causa, vel aliquâ confictâ causâ, is sit » anathema. «

» Cùm autem audis Canonem dicentem, quod il- » le Laicus anathematizetur, qui sine causa, vel cum » ficta causa, hoc est, præter rationem solâ aucto- » ritate usus Episcopum vel verberaverit, vel custo- » diæ tradiderit; ne dicâs, ait Balsamon, argumento » à contrario sumpto, licere Laicis Magistratibus » Episcopos ex justa & probabili causa verberare, & » custodiæ tradere. A diversis enim Canonibus & no- » vellis constitutionibus didicisti, quod Laici Magis- » tratus nullam habent in Episcopos jurisdictionem, » unde etiam Laicus qui quemvis Antistitem vel ver- » berat, vel conjicit in carcerem, etiamsi ex cau- » sa longè justissima, & majorem Magistratum gerat, » punietur, & causæ bonitas, ac probabilitas ei non » proderit. Audiet enim quod Synodis, iisque solis, » Antistites punire permissum est; debebat de An- » tistite cognitionem ad convenientem Synodum re- » mittere, & se ab Episcopalis causæ discrepatione » integrum, intactumque conservare. Adjectum est au- » tem Canoni istud *sine causa*, & reliqua propter » anathematizationem. Neque enim æquum erat, ut » Magistratus, qui justæ causæ prætextu, tale quid » fecerat contumeliosiùs in Episcopum, anathemati- » zaretur, sed aliquo alio modo puniretur. «

PARS QUARTA.

De Collectionibus Canonum, quæ seculo VIII. & IX. prodierunt.

CAPUT PRIMUM.

De Collectione Isidori vulgò *Mercatoris*.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Quis hujus Collectionis auctor.

Circa seculum VIII. prodiit.

SUb initium seculi VIII. prodiit, & publicata fuit Collectio Canonum, anterioribus Canonum Latinis Collectionibus ampliata; quam in Gallias ex Hispania à Riculfo Episcopo Moguntino allatam, & Gallis communicatam fuisse, testis est Hincmarus Remensis in opusculo adversus Hincmarum Laudunensem cap. 24. » De libro Collectarum Epistolarum ab » Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Epis- » copus Moguntinus, in hujusmodi, sicut & in Ca- » pitulis Regiis studiosus, obtinuit, & istas regiones » ex illo repleri fecit. «

Nonnulli S. Isidoro Hispalensi adscribunt: sed male.

Hincmarum hîc loqui de Collectione, quæ vulgò *Isidori Mercatoris* dicitur, cui Epistolæ multorum veterum Pontificum insertæ erant, uti mos dicetur, nemini dubium est: sicuti & de eadem loqui *in Epist. 7. cap. 12.* ubi scribit. » Isidorus Hispalensis » collegit cum Epistolis Romanæ Sedis Pontificum à » S. Clemente, usque ad B. Gregorium. « Hoc Hincmari testimonio inducti credidêre non pauci, Collectionis hujus Auctorem fuisse S. Isidorum Episcopum Hispalensem. Atque inter alios Hincmari judicium probârunt decreti Gratiani Correctores Romani in admonitione Decreto præfixâ. Verùm ut rectè advertit Vir summæ eruditionis Antonius Augustinus, hæc Collectio Isidoro Hispalensi tribui non potest, in qua permulta sunt post ejus mortem conscripta, ut est sexta Synodus generalis, & Concilia Toletana VI. VII. & cætera ad XIII. ineditis, XVII. veteribus, & Emeritense, & Bracarense II. Hæc ille; & 636. ut rectè quandoquidem Isidorus obierit anno Christi testantur Redemptus ejus Diaconus in illius vita, aliique vitæ ejus Scriptores; adeoque Concilii Toletani XI. anno 675. nec Concilii sexti anno 681. celebratorum meminisse potuit.

Auctor collectionis vixit post annum 700.

Ulteriùs sat constat, hujus Collectionis Auctorem vixisse post annum 700. siquidem ex Bonifacii Moguntini Archiepiscopi Epistolâ ad Ethibaldum Regem, quæ post annum. 744. data est; & ex Epistola celebris Abbatissæ Cangith post annum 720. ad eundem Bonifacium scripta, plurimas lacinias excerpsit.

Incertus est auctor.

Hinc facilè innotescit, nullum Isidorum Episcopum Hispalensem hanc Collectionem instituisse: quia in Catalogo Episcoporum Hispalensium, nullos Isidorus post annum 700. reperitur.

Quis igitur sit ille Isidorus Mercator, cui vulgò Collectio hæc inscribitur, incertum est. Chronicon quidem Juliani Toletani innuit, Isidorum Mercatorum Setubensem Episcopum, ope Monachi cujusdam Epistolas Decretales veterum Pontificum compilâsse, & obiisse anno 805. Verùm Chronicon istud apud Eruditos omnes suspectæ fidei est, & sancto Archiepiscopo existimatur suppositum.

Quidam Isidorum illum credunt fuisse magni nominis Monachum, qui humilitatis causâ se diceret *peccatorem*, & nomini suo id elogium semper adderet: *ex peccatore* autem scribarum oscitentiâ transire *in Mercatorem.*

Alii hoc *peccatoris* elogium servantes Isidoro, ipsum Episcopum suspicantur; quod solemnis esset mos Sanctorum Episcoporum, ut se *peccatores* subscriberent, ut constat ex Concillis Turonensi I. Parisiensi III. aliisque; hocque verisimilius existimat Petrus A Marca *Lib. 3. cap. 5. de Concord. Sacerd. & Imp.*

Quidquid sit de vero collectionis auctore, ea hodie communi nomine dicitur, collectio *Isidori Mercatoris*; quin & testantur Romani Correctores in sua Decretum Gratiani admonitione: » in Codice autem » Dominicanæ Bibliothecæ initio præfationis ita legi- » tur: *Isidorus* mercator *servus* Christi *Lectori con- » servo suo &c.* multò secus in Vaticanis. « Et ubi apud Gratianum legitur *Isidorus servus* Christi, rursus observant: » Apud Ivonem & in manuscriptis » collectionis illius codicibus est: *Isidorus* Mercator

» *servus* Christi *conservo suo*, & *parenti fidei in* » *Domino salutem.*"

Adhæc, si fides præfationi huic collectioni præfixæ sit, constat auctorem suam collectionem confecisse multorum Episcoporum rogatu; ait enim: *Complector à multis tam Episcopis, quàm reliquis servis Christi Canonum sententias colligere, & in unum volumen redigere, & de multis unum facere.* Ac infra multitudinem Episcoporum, qui hoc ab ipso opus desiderârunt, expressurus, alloquitur 80. *Episcopos qui hoc opus me incipere, & præficere coegistis.*

§. II.

Materia hujus Collectionis.

Materia collectionis Ordo celebrandi Concilium.

XLIX. QUæ auctor hujus Collectionis in unum collegit, ipse in præfatione operi præfixâ attingit.

„In principio, ait, voluminis hujus, qualiter » Concilium apud nos celebretur, posuimus: ordi» nem nimirum de celebrando Concilium ex Concilio » Toletano IV. desumptum. Integer ex collectione » Isidori habetur *Tom.* 1. *Concil. ult. edit. pag.* 8.

Canones Apostolorum.

Sequitur in præfatione: „Propter eorum auctoritatem cæteris Conciliis præposuimus Canones, » qui dicuntur Apostolorum (licèt à quibusdam apo» cryphi dicantur) quoniam plures, qui eos reci» piunt, & sancti Patres eorum sententias Synodali » auctoritate roboraverunt, & inter canonicas posue» runt constitutiones."

Solos priores L. Canones Apostolorum retulit; atque hinc patet, nequidem horum auctoritatem, etiam seculo VIII. ab omnibus agnitam fuisse.

Notatur Gratianus.

Hanc præfationis partem sub nomine Isidori refert Gratianus *dist.* 16. *Can.* 4. cum immediatè ante *Can.* 1. etiam sub nomine Isidori retulisset planè contrarium his verbis: „Canones qui dicuntur Apostolorum, seu » quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec » Sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo » quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compo» siti dignoscuntur. Quamvis in eis utilia inveniantur, » tamen ab auctoritate canonica, atque Apostolica, » eorum gesta constat esse remota, atque inter apo» crypha deputata."

Antonius Augustinus *lib.* 1. *dial.* 6. *de emendat. Gratiani* ait: „hæc verba (scilicet postrema) in om» nibus veteribus libris Hispaniæ Conciliorum inve» niuntur, non illa, quæ Isidorus Mercator in præ» fatione Conciliorum scripsit, quæ etiam Gratianus » *in capite* 4. ejusdem distinctionis posuit; neque dis» tinxit varietatem horum scriptorum, ut debuit, » cum contraria dicerent, (hic enim Mercator hos » Canones probat, quos ille rejecerat) sed utrumque » Isidorum vocat." Hæc illæ.

Argumentum sanè non exiguum, Collectionis hujus auctorem haud fuisse Sanctum Isidorum Hispalensem, apud Hispanos & tam à doctrina, quàm vitæ Sanctitate nimiùm celebratum, quàm ut ejus scriptorum memoria in Hispaniarum Conciliis ita periisset.

Epistolæ veterum Pontificum.

Hinc quoque colligo, quàm parùm exactus in sua compilatione fuerit Gratianus.

Prosequitur præfatio: „Deinde quarumdam Epis» tolarum decreta Virorum Apostolicorum inserui» mus, id est, Clementis, Anacleti, Evaristi, & » cæterorum Apostolicorum, quas potuimus hacte» nus reperire Epistolas usque ad Sylvestrum Papam."

Hæ sunt, ferè famosæ Veterum Pontificum Decretales, de quibus inter Eruditos, hoc præsertim seculo, non exigua contentio fuit.

Enumerantur Epistolæ Decretales.

Ne quis verò eas cum eorumdem Veterum Pontificum veris, & indubitatis epistolis, quæ in prisco eorum Patrum & Historicorum scriptis nobis fuêre conservatæ, confundat, necessarium censui, Veterum Pontificum Decretales, quas hæc Isidoriana collectio exhibet, & de quarum auctoritate digladiatum fuit, nominatim recensere.

Sunt igitur Clementis I. Epistolæ quinque; Anacleti tres; Evaristi duæ: Alexandri I. tres: Sixti I. Epistolæ duæ: Telesphori una: Higinii duæ: Pii I. quatuor; Aniceti una: Soteris duæ: Eleutherii una. Victoris quatuor: Zephyrini duæ: Callisti duæ: Urbani una: Pontiani duæ: Anteri una: Fabiani tres: Cornelii duæ: Lucii una: S. Stephani duæ: Sixti II. duæ: Dionysii duæ: Felicis tres: Euthychiani duæ: Caji una: Marcelli duæ: Eusebii tres: Melchiadis una. Post hanc sequitur apud Isidorum sub nomine ejusdem Pontificis altera epistola *de primitiva Ecclesia & munificentia Constantini Magni erga eandem*: quæ dici solet, *Donatio Constantini.*

Qua ratione hæ Epistolæ unà cum hac collectione communi applausu per sex facile secula, ut genuinæ illorum Pontificum partus, receptæ & probatæ fuerint; & quibus argumentis earum suppositio, uti quorumdam aliorum, quæ in hac collectione continentur, comperta fuerit, infra ostendemus, ubi primùm quid contineat, sequendo ordinem præfationis, summatim retulerimus.

Enumerantur cætera in hac collectione contenta.

Prosequitur præfatio: » Postmodum verò Nicæ» nam Synodum constituimus, propter auctoritatem » ejusdem magni Concilii; deinceps diversa Concilia » Græcorum, & Latinorum, sive quæ ante, sive quæ » postmodum facta sunt, sub ordine numerorum, ac » temporum capitulis suis distincta, sub hujus volu» minis aspectu locavimus, subjicientes etiam reliqua » decreta Præsulum Romanorum, usque ad Sanctum » Gregorium, & quasdam Epistolas ipsius, in quibus » pro culmine Sedis Apostolicorum extat auctoritas. «

Quæ his verbis ab Isidoro insinuantur sunt hæc: » Fides Gregorii majoris; Concilium Ancyranum, » Neocæsariense, Gangrense, Sardicense, Antioche» num, Laodicenum, Constantinopolitanum, Ephesi» num, Calchedonense; Edictum Martiani Impera» toris, Sacra Valentiniani & Martiani Augustorum, » Edictum Martiani Imperatoris contra hæreticos, » Epistola formata qualiter debet fieri: Concilium » Carthaginense 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Milevitanum, » Arelatense 1. 2. 3. Valentinum, Taurinatense, Re» giense, Auriacense, Eibertinum, Tarraconense, Ge» rundense, Cæsar Augustanum, Illerdense, Valen» tinum, Toletanum, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. » 12. 13. Bracarense 1, 2. Liber Capitulorum ex di» versis Conciliis Collectorum à B. Martino Braca» rensi Episcopo; Concilium Bracarense 3. Hispalense » 1. 2. Excerptiones ex decretis Sylvestri Papæ, De» creta Marci Papæ, Julii Liberii, Fœlicis, Damasi, Sy» ricii, Anastasii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Celes» tini, Sixti Papæ, Decreta Epistolica Leonis Papæ I. » Decreta Hilarii, Simplicii, Fœlicis, Gelasii, Anas» tasii, Symmachi: Liber Ennodii, Decreta Hormis» dæ Papæ: Libellus fidei Joannis Constantinopolitani, » Decreta Joannis Papæ, Fœlicis, Bonifacii, Joannis, » Agapiti, Sylverii, Virgilii, Pelagii, Joannis Bene» dicti, Pelagii Gregorii. «

Ita Ludovicus Bail.

Aliqua Isidori collectioni admista.

Post hæc Jacobus Merlinus Doctor Parisiensis editâ integrâ hac Isidori Collectione Tomo I. suæ Collectionis subdit tanquam ex ipsa Isidoriana collectione, Decreta Gregorii II. Vitaliani, Martini, Gregorii III. & Zachariæ Romanorum Pontificum; quæ Isidori esse non possunt: „cum in Gregorio Magno » desiise Isidorum ex ejus præfatione compertum » est," ait Labæus in observatione ad Merlini præfationem, quam ipse Labæus cum aliorum præfationibus Tom. 16. suæ Compilationis vice apparatûs Conciliorum inseruit.

Ipsi quoque Gratiani Correctores Romani in citata admonitione Decreto præfixa, Isidorianæ Collectioni recentiore manu quædam adjecta esse monent: „Cæ» terum, inquiunt, inter privatos Collectores, qui » multò plura congerere struderunt, perantiquus est » Isidorus, cujus collectio protenditur à Canonibus » Apostolorum usque ad Concilium Hispalense 2. Ha» beturque in duobus Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, » & uno monasterii Dominicanorum Sanctæ Mariæ » super Minervam: extat autem impressa in editio» nibus Conciliorum, in antiquioribus quidem pu» rior, in recentioribus autem multis aliis Conciliis » scriptisque *admista.*

Tota hæc collectio extat in tomis Conciliorum.

Porrò quidquid hac collectione continetur, sive verum & genuinum, sive falsum & apocryphum in ultima Conciliorum compilatione est insertum. Et quidem Canones Græci sub hoc titulo: *Et interpretatione Isidori Mercatoris*: vel hoc modo interpossitâ notâ marginali, quam ubique adjicit Labæus: *Ex interpretatione* Veteri *quæ reperitur in collectione, quam vulgò dicunt* Isidori Mercatoris.

Creditur enim, Isidorum veterum Canonum Græcorum versionem, sive interpretationem nobis conservâsse quæ licèt nonnunquam minus, quàm aliæ versiones congruat textui originali, uti ex relatione & scholiis Canonum supra exibitis colligi potest, nihilominus, vel ad disciplinam illius temporis cognos-

noscendam, vel etiam ad sensum Canonis percipiendum, nonnumquam conducere, ex scholiis nostris quoque disci potest.

Reliqua Conciliorum decreta, aliaque monumenta ordine temporum servato referuntur. Decreta, sive Decretales Pontificum singulis eorum vitiis subjiciuntur.

Gratianus pleraque de reto inseruit.

Gratianus quoque, aliique Canonum compilatores magnâ ex parte Isidorianam collectionem in suas compilationes retulerunt; ut vel inde intelligi possit, quàm necessarium sit, discernere, quæ vera & genuina, quæ falsa & apocrypha in hac collectione contineantur.

§. III.

Decretales Veterum Pontificum, aliaque antiquitatis monumenta in hac Collectione exhibita, multis seculis pro indubitatis recepta fuere.

NOva hæc Canonum, ac Decretorum collectio mox ut apparuit, vel solo nomine, quo insignita apparebat, plerosque in sui comprobationem attraxit.

Nomen, quo insignita erat auctoritatem conciliavit.

Cùm enim Isidori nomine esset larvata, vix dubitabatur, quin S. Isidori Hispalensis Sanctitate, & doctrina nominatissimi opus esset, ut ex Hincmaro Remensi supra diximus; & ita nemo non illius desiderio trahebatur.

Decretales Veterum Pontificum in ea exhibita ejus receptionem promoverunt.

Adhæc Decretales illæ Epistolæ, quæ sub gloriosisimis illis nominibus Pontificum Romanorum, qui immediatè post Apostolos non tantùm doctrinâ, sed & martyrio Ecclesiam illustrârunt, & firmârunt, hactenus ignotæ in hac collectione apparebant, mirum! quam venerationem apud multos conciliaverint: præsertim cùm viderent, & Ecclesiæ disciplinam, ac doctrinam in illis tam vivaciter expessam, & tanquam Apostolicam comprobatam.

Pontifices Romani faverunt, & quare.

Accedebat, quod hæc novæ Decretales Epistolæ ad sublevandam Sedis Apostolicæ majestatem, & omnem ecclesiasticam jurisdictionem essent compositæ, ut notat Lupus *tom.* 4. *schol. pag.* 362. Atque inter cætera Epistolâ III. Anacletus respondisse omnibus Episcopis, ac reliquis Christi Sacerdotibus fertur. „Si quæ »causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad hujus »Sanctæ Sedis apicem eas, quasi ad Caput referre, »ut Apostolico terminentur judicio: quia sic Do»minum velle, ab eoque ita constitutum esse, an»tedictis testimoniis declaratur. Hæc verò Apostoli»ca Sedes cardo, & caput (ut præfactum est) om»nium Ecclesiarum à Domino & non ab alio est cons»tituta, et sicut cardine ostium regitur, sic hujus Sanc»tæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino dispo»nente reguntur."

Multa continentur, quæ favent privilegiis Sedis Apostolicæ.

Eleutherius verò ad Episcopos Galliæ scribit: »De accussationibus ergo Clericorum, super qui»bus consulti sumus, quia omnes eorum accusa»tiones difficile est ad Sedem Apost. deferre, fi»nitiva Episcoporum tantum judicia huc deferantur, »ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, sicut »ab Apostolis eorumque Successoribus multorum »consensu Episcoporum jam definitum est."

Quin & in prima Epistola Julio I. adscripta dicitur: „verò primæ Sedis Ecclesiæ convocanda»rum generalium Synodorum jura, & judicia Epis»coporum singulari privilegio Evangelicis, & Apos»tolicis, atque Canonicis concessa sunt institutis, quia »semper majores causæ ad Apostolicam Sedem mul»tis auctoritatibus referri præceptæ sunt, nec ullo »modo potest major à minori judicari. *Cap.* 1. & »*cap.* 2. Porrò dudum à SS. Apostolis, Successori»busque eorum, in præfatis antiquis decretum »fuerat statutis, quæ hactenus Sancta & Universa»lis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter »sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, »nec Episcopum damnari, quoniam Sanctam Ro»manam Ecclesiam Primatem omnium esse volue»runt."

Pontifices & plures Episcopi eas defendunt.

Hæc, aliaque, quæ in dictis Epistolis, pro asserendis Sedis Romanæ privilegiis, præsertim in judicandis Episcoporum causis, occurrunt, mirum! quantopere excitârint Romanos Pontifices, atque singulariter Nicolaum I. ut earum auctoritatem propugnarent, & extollerent.

Unde de illis loquens Nicolaus Epist. 47. ait. Absit, ut »Scriptura eorum quoque modo parvi»pendenda ducamus, quorum videmus Deo auctore »Sanctam Ecclesiam, aut roseo cruore floridam, »aut rorifluis sudoribus, & salutaribus eloquiis ador»natam."

Adhæc Episcopi complures ambientes se judiciis, & correctioni Metropolitarum, & Synodorum eximere; Sedique Apostolicæ immediatè potius subjici, earum quoque auctoritatem acriter propugnabant.

Sic auctoritate harum Epistolarum Hincmarus Laudunensis se substrahere conabatur judicio avunculi sui Hincmari Remensis, cui tanquam Suffraganeus suberat; qui prolatis Anacleti, Victoris, Callisti, & Elutherii testimoniis, seu Decretalibus ità avunculum alloquitur: *Ecce, Pater, qui Canones recipiendi, venerandi ac observandi habeantur.* His id unum reposuit, Hincmarus Remensis: »Si isti »sunt Canones recipiendi, venerandi, ac observan»di, quos commemorâsti; qui sunt illi, quos & »Apostolica Sedes, & omnes Episcopi per univer»sum Orbem à primæ Sedis Apostol. Pontifice usque »ad illum, qui modo novissimè etiam post te ordina»tus est Episcopus, imò & omnis Catholica Eccle»sia, Canones appellant? Quique à Nicæno Conci»lio, quod primum in nostris codicibus, quos ab »Apost. Sede Majores nostri acceperunt, sequen»dos per ordinem, usque ad Africanum Concilium, »pro Canonibus recipiendis, venerandis, & obser»vandis retinent; & Innocentius, Zosimus & cæ»teri quique observandos Canones nominant. Inter »quos & istas Epistolas Apost. Sedis Pontificum, »quas *Canones* appellas, Gelasius, ut supra posui, »differentiam facit: & illa Concilia Canonum obser»vanda decrevit; has autem Epistolas pro consola»tione quorumdam directas, venerabiliter suscipien»das dicit."

Hincmarus Remensis veritatem Epistolarum non negavit.

Ex illis, aliisque Hincmari verbis rectè colligere videtur post Petrum à Marca Schelstratius in Antiquitate illustrata *dissert.* 3. *cap.* 5. *num.* 3036. Hincmarum Remensem nunquam negâsse auctoritatem harum Epistolarum, de quarum falsitate seu suppositione non constabat, sed eas recipiendas, ac venerandas dicebat in iis, quibus à posterioribus Conciliis non fuerant mutatæ. Cùm enim in Canonibus, quæ illis Decretalibus erant posteriores, quoad aliqua puncta aliam disciplinam videret exhibitam, tamquam posterioribus in materia disciplinæ inhærendum esse sustinebat.

Dum ergo nemo harum Epistolarum veritatem in dubium traheret; ipsique Romani Pontifices, pluresque Episcopi earum vehementiùs auctoritatem urgerent, tandem eo deventum est, ut quasi uno consensu, tantis nominibus veterum Pontificum, & Martyrum cedentes, Episcopi eas in auctoritatem, ac pro jure receperint.

Ab Episcopis Galliæ in auctoritatem recepta.

Ita in Concilio Remensi anno 992. Episcopi Galliæ »Anacleti, Julii, Damasi, & aliorum Pontificum »Epistolas expendunt in causa Arnulphi, inquit à Mar»ca *lib.* 3. *cap.* 6. §. 2. *de concord. Sacer. & Imp.* ac »si in Canonum census receptæ essent."

In omnibus passim Conciliis, Canonum Collectoribus, Theologis & Canonistis citata fuerunt.

Quinimò quotquot hoc & sequentibus seculis celebrata fuêre Concilia, Epistolis his, aliisque in hac Collectione exhibitis testimoniis usa fuêre. Secuti sunt ipsorum Canonum Collectores, Burchardus Wormatiensis, Ivo Carnotensis, ipseque Gratianus; cujus decretum fragmentis Epistolarum Decretalium, aliorumque ex hac Collectione desumptis plenum est.

Quod decretum cùm cœpit publicè in Scholis prælegi, & commentariis Doctorum illustrari, omnes passim Theologi Polemici, & Scholastici, omnesque Juris canonici Interpretes ab annis 400. ad hoc fere seculum, horum omnium testimonia pro confirmatione Dogmatum Catholicorum, & stabilienda Ecclesiæ disciplina uno quasi consensu laudârunt; & iis libros suos impleverunt; quod manifestius est, quàm ut nostrâ expositione indigeat.

Wiclefus creditur à Constantiensi Concilio damnatus, quod Decretales diceret apocryphas.

Quin tam constans erat Epistolarum illarum apud Catholicos inconcussa auctoritas, ut, si D. Schelstratio credimus, Concilium Constantiense adeo graviter tulerit, Joanem Wiclef. palam profiteri, has Decretales Epistolas esse apocryphas, ut *Sess.* 8. inter alias propositiones Wiclef. damnârit hanc 38. *Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à Christi fide; & Clerici sunt stulti, qui student iis.*

»Quasnam Decretales Epistolas intellexerit »Wiclefus, ait Schelstratius, licet non exprimat »Concilium Constantiense, verisimile tamen est, »intelexisse priscorum Pontificum, quas econtra tunc om-

» omnis Ecclesia recipiebat ut authenticas. Patet id ex » scriptis Cancellarii Parisiensis Joannis Gersonis, qui » huic Constantiensi Concilio interfuit; & ex Tho- » ma Woldensi, qui ex professo contra Wiclefistas » de mandato Martini V. circa hæc tempora scrip- » sit, cujus libri abundant Decretalium illarum tes- » timoniis. «

Usque ad seculum XVI. recepta.

An Constantiense Concilium Wiclefum ferierit eò quòd *palam professus esset, Decretales Epistolas esse apocryphas*, ut vult Schelstratius, nescio; id compertum esse cum Schelstratio haud dubito, & Theologorum & Canonistarum libros hisce Epistolis tanquam sincerissimis venerandæ antiquitatis testimoniis redundâsse usque ad finem penè seculi elapsi, quando de earum auctoritate primùm cœpit dubitari, ac deinde certa earum suppositio haberi: quo verò gradu, & quibus argumentis eo perventum sit, in sequentibus paucis exponemus.

§. IV.

Quo gradu detecta harum Decretalium suppositio.

Hæretici cæperunt vetera monumenta ad incudem revocare.

SEculo elapso exorti Lutherani, Calvinistæ aliique hæretici omnem moveri lapidem, ut venerandæ antiquitatis monumenta, quibus dogmata, & Ecclesiæ disciplina suæ prætensæ reformationi contraria asserebantur, vel suppositicia, vel dubiæ fidei redderent; aut ad alium, quàm hactenus Ecclesia crediderat, sensum detorquerent.

Cùm verò viderent in Catholicorum, præsertim recentiorum libris ad confirmationem, tum dogmatum, tum disciplinæ, cumulatim ex his veterum Pontificum Decretalibus testimonia adduci, omne Catholicorum penè argumentorum armamentarium ereptum iri crediderunt, si has Decretales suppositicias probarent.

Atque inter cæteros, Centuriatores Magdeburgenses famosi prætensæ reformatæ religionis Antesignani his Decretalibus bellum indixerunt; argumentaque pro earum suppositione nonnulla adduxerunt: quibus è Catholicis nonnulli respondere voluêre: & præ cæteris Decretalium illarum defensionem suscepit quinque editis libris Franciscus *Turrianus* nominatus è Societate Theologus. At nonnulli è Catholicis propriùs & ipsas Decretales hac ocasione, seposito præjudicio ex tot seculorum consensione Catholicis ingesto, expendentes, argumentaque, quæ tum à parte adversa erant adducta, tum quæ in ipsarum Epistolarum lectione suâ sponte occurrebant; intelligere cœperunt, ex earum Decretalium auctoritate fidem Ecclesiæ non dependere; multaque reverà esse, quæ eas ut dubiæ fidei esse suaderent.

Unde de illis loquens Baronius ad annum 865. §. 8. ait: » Ex multis eas reddi suspectas Epistolas, » quæ dicta sunt 2. Annalium tomo, dum de illis sin- » gulis mentio facta est, satis demonstratum, simul- » que ostensum, illis non indigere S. Ecclesiam, ut » si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus, » & privilegiis, cum etsi illis careat, ex legitimis alio- » rum Pontificum Rom. Epistolis Decretalibus satis » superque roborata consistat.«

Et Bellarminus candidè fatetur, quòd eas *indubitatas esse affirmare non audeat.*

Cùm ergo eo res deducta esset, ut & hi è Catholicis dubitare inciperent, fortiori, & exactiori criterio eas subjecerunt tam Catholici, quàm Acatholici.

Argumentis illis summatim propositis, virorum eruditorum de his Epistolis judicium depromam.

§. V.

Argumenta quibus de suppositione Decretalium Viri eruditi se convictos fatentur.

Primum argumentum.

PRimum: Omnes hæ Decretales, si primam Clementis Epistolam, quam interpretatus est Ruffinus, exceperis, antiquis Patribus Romanis Pontificibus, & auctoribus Ecclesiasticis usque ad nonum Ecclesiæ seculum ignotæ fuêre. Quod & ipse Antonius Augustinus jam pridem non obscurè fassus erat. » Illud, ait, verum est, Nicolaum I. referre non uno » loco verba earum Epistolarum, quod a temporibus » Adriani Pontificis & Caroli Magni Imperatoris fieri » cœptum est. Prioribus Scriptoribus ignotæ fuisse vi- » dentur.« *Lib. 2. de emendat. Grat. dial.* 14.

Quis verò credat, tot Epistolas à Sanctissimis illis, atque Apostolicis Viris conscriptas, totque momentosa disciplinæ puncta, & dogmatum articulos continentes, fuisse Eusebio, Hieronymo, aliisque ecclesiasticis Scriptoribus, qui tam solicitè Romanorum Pontificum litteras conservârunt, adeo ignotas, ut ne vel unius apud ipsos vestigium extet?

Quis sibi persuadere poterit, si veræ essent hæ Epistolæ, quod nullum octo primorum seculorum Concilium eas in auctoritatem stabiliendæ à se disciplinæ aut in decisionem controversiæ adduxisset?

Nihil enim evidentius, quàm quod earum auctoritate infinita penè disciplinæ puncta stabiliri, & dirimi potuissent. Unde & videmus, postquam seculo VIII. prodiêre, nihil in Conciliis, in Pontificum decretis, in Canonistarum libris frequentius & familiarius fuisse his Epistolis.

Secundum.

Secundum Argumentum suppeditat Dionysius Exiguus. Hic enim in Epistola Juliano Presbytero inscriptâ, & parti posteriori sui codicis vice præfationis præfixâ ait: » Præteritorum Sedis Apostoli- » cæ Præsulum constituta, *quâ valui curâ & dili- » gentiâ* collegi, & in quandam redigens ordinem, ti- » tulis distinxi compositis. «

Si igitur Dionysius Vir summæ eruditionis Romæ existens *quâ valuit curâ, & diligentiâ* collegerit præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, an non meritò de falsitate suspectæ sunt Decretales illæ, quæ omnem planè Dionysii notitiam fugerunt; quarumque ne vel verbo meminit.

Tertium.

Tertium argumentum suppositionis suppeditant recentiorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Auctorum fragmenta, è quibus hæ Epistolæ consarcinatæ reperiuntur.

Et quidem David Blondellus unus è Calvinistarum secta, qui singulari studio, & exactiori criterio has Decretales aggressus est, magno labore, & industriâ in singulis Epistolis notavit sententias ex scriptis posteriorum Auctorum delibatas, & ad verbum descriptas, è quibus singulæ Epistolæ fabricatæ fuêre; easque indicatis Patrum, Conciliorum, & Auctorum locis in notis marginalibus ad singulas Epistolas indicat R. P. Labbæus; notatque hunc insignem novarum mercium *Mercatorem* non tantùm ex recentioribus scriptis has Decretales consarcinâsse, sed insuper mutilâsse, & truncâsse Patrum sententias, ut vel sic incautos falleret.

Exempli gratiâ, in nota marginali ad Epistolam 3. Anacleti colum. 530. indicans sententiam esse desumptam ex S. Hieronymo Epist. 2. ad Nepocianum addit: *Cujus verba mirè deformata mangonio nostri Mercatoris.*

Rursus ad Epistolam I. Alexandri, notatâ sententiâ Idacii, duobus ut minus seculis Alexandro posterioris, monet colum. 548. *Arrianorum expunxit nomen, ut meliùs falleret incautos.*

Neque robur argumenti infringi potest, quòd dicatur scriptores, quorum sententiæ his Epistolis insertæ sunt, eas ex hisce Epistolis desumpsisse. Quis enim credat, infinitos penè auctores loca ex his Epistolis tantis nominibus inscriptis desumpsisse, & nunquam eas aut earum actores citâsse; cùm nihil esset, quòd eorum dictis majorem conciliâsset auctoritatem.

Deinde Epistolæ horum Auctorum stylo scriptæ sunt; at quis credat veteres illos Pontifices tot variis stylis scripsisse. Denique hæc loca in his Epistolis non rectè sunt possita: facilè animadvertitur, ea esse adjecta, & reliquo sermonis adtexta, cùm contra in libris Patrum, ex quibus deprompta sunt, naturali ordine sint collocata.

Quartum.

Quartò, omnes ferè illæ Epistolæ falsis temporum, consulatuumque notis consignatæ sunt, ut ad calcem singularum accuratè observavit R. P. Labbæus in ultima Conciliorum collectione.

Quintum.

Quintò, harum Epistolarum stylus planè barbarus est; solœcismis plenus; idemque & uniformis in omnibus Epistolis; indicium non obscurum eas unâ, eademque manu exaratas esse.

Sextum.

Sextò, Scriptura Sacra in his Epistolis citatur ex versione vulgata; multaque ex interpretatione S. Hieronymi: quæ cùm sint integris seculis posteriora illis Pontificibus, nota illis haud esse potuerunt.

Septimum.

Septimò, in illis Epistolis non impugnantur hæretici trium primorum seculorum; imo nec nominantur

tur quidem ; de persecutionibus tyranorum ; de Confessorum consolatione , & ad Martyrium exhortatione; de lapsis in persecutione, eorumque pœnitentiis, aliisque , quibus seculorum illorum sincera scripta abundant, ne verbum in hisce Decretalibus reperitur.

Octavum. Octavò , hæ Epistolæ exhibent plurima , quæ nullatenus cum disciplina trium primorum seculorum conveniunt , sed recentiorem omninò redolent.

Pauca è multis sint hæc. In Clementis Epistola 2. S. Jacobo inscriptâ , fit mentio vestium, quibus Presbyteri induti Missæ sacrificium offerant, Pallæ , vasorum sacrorum , calicum : Item Ostiarii, Archidiaconi , aliorumque Ministrorum Ecclesiæ , aliaque multa , quæ tempore Clementis planè erant ignota.

Epistola III. inscripta est *omnibus Coepiscopis, Presbyteris , Diaconis , aliisque Clericis , omnibus Principibus magnis & parvis , omnibusque fidelibus.* Ætate autem Clementis , neque nomen *Clerici* notum erat , nec Ecclesia *magnos & parvos Principes* suo sinu fovebat.

In Epistola I. Anacleti præcipitur , ut ,, Episcopus » in solemnibus diebus celebrans , aut septem , aut » quinque , aut tres Diaconus , qui ejus *oculi* dicun- » tur , & Subdiaconos , & Ministros reliquos secum » habeat , qui sacris induti vestimentis , in fronte & » a tergo ; & Presbyteri è regione dextra lævaque » contrito corde , & humiliato spiritu , ac prono stent » vultu , custodientes eum à malevolis hominibus , & » consensum ejus præbeant sacrificio.“

Asserit insuper , à sententiis Judicum secularium appellari ad Ecclesiastica tribunalia posse. Multa de appellationibus à judiciis ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam ; itemque de variis causarum ecclesiasticarum generibus statuit. Non tantùm *Primatuum* & Metropolitanorum , sed etiam *Apochrysiariorum* mentionem facit : quæ omnia planè aliena esse ab ætate Anacleti; eoque tempore adhuc ignota , nemo vel leviter in historia , & disciplina Ecclesiastica versatus non videt.

Epistola II. eidem adscripta loquitur de Patriarchis , & Regibus Christianis ; de distributione Provinciarum Ecclesiasticarum , aliisque , quæ seculo Anacleti haud conveniunt.

Evaristo prior inscripta Epistola continet plura concernentia matrimonium clandestinum , atque hujus Sacramenti cæremonias , quæ seculi Evaristi esse nequeunt.

Si quis reliquas Epistolas per leviter pervolvere voluit, in singulis quamplurima offendet , quæ primis illis adhuc quodammodo nascentis, & sub Gentilium Imperatorum duris persecutionibus quasi delitescentis Ecclesiæ seculis nequaquam conveniunt ; & quorum nulla in sinceris ætatis illius monumentis mentio fit.

Judicium Christiani Lupi. Hæc omnia argumenta simul sumpta tantæ efficaciæ visa sunt plerisque Viris eruditioribus , ut jam non tantùm de harum Epistolarum suppositione dubitent, sed indubitatæ suppositionis supponant. Paucorum è multis testimonia subjicio. Christianus Lupus *part.* 4. *Schol. pag.* 362. Ad sublevandam Sedis Apostolicæ auctoritatem & omnem Ecclesiasticam jurisdictionem seculo VIII. multùm depressam ,, nescio , inquit , quis » pius fidelis finxit sub antiquorum Romanorum Pon- » tificum nomine Decretales illas Epistolas , quas pas- » sim vocamus collectionem Isidori Mercatoris.“ Et pag. 479. eas *suppositittias* esse simpliciter affirmat.

Et alibi rursus de iis loquens ait : *Quisquis earum natales jam credit legitimos atque authenticos , censetur nugas vendere & fabulas.*

Judicium Patris Labbai. Non mitiori stylo de iis loquitur Labbæus Tomo I. suæ Collectionis Conciliorum pag. 78. » Mirum est, » inquit , Viris Doctissimis Turriano , Binio & qui- » busdam aliis in tanta eruditionis Ecclesiasticæ luce » probari potuisse decretales illas Epistolas à quocun- » que , seu Mercatore , seu peccatore fabricatas , & » antiquis Romanæ urbis Pontificibus circiter annum » christianæ epochæ octingentesimum suppositas : adeò » enim perspicacibus viris deformes videntur hoc sal- » tem tempore , ut nullâ arte, nullâ cerussa, aut purpu- » risso fucari possint. Eas omnes , saltem plerasque ea- » rum repudiârunt viri eruditissimi quique tractatores » Catholici , Baronius, Bellarminus , Perronius , Con- » tius , Antonius , Augustinus , Lorinus , Sirmon- » dus , Ducæus , Petavius , Marca , Bosquetus. Ut » alios modò sive antiquiores , sive recentiores silen- » tio obvolvam.“ Addit se probare non posse novelli cujusdam studium , ,, qui mala ave ex zelo quidem, » sed minùs prudenti , & considerato , certè non se- » cundum scientiam , easdem abjectas ac penitùs re- » pudiatas defendere aggressus est. *Non tali auxilio* » *nec defensoribus istis* indiget , aut unquam indiguit » Rom. Ecclesia.“

Hæc ille ; qui & singulis Epistolis illis Isidorianis hanc , similemve notam marginalem apponit : *Viris eruditis suspectæ* vel *suppositiciæ* : quâ notâ eas à nonnullis sinceris eorum Pontificum Epistolis , quarum Veteres meminere , distinguit ; & Juris canonici Studiosi internoscere facilè poterunt.

Papembrochius. Labbæo succinit ejusdem Societatis Theologus R. Pater Papebrochius , quæ in propilæo Maii sive *conatu chronico historico ad Cathalogum Pontificum Romanorum* 1. *parte pag.* 4. *num.* 15. dicit , » multas » quoque Epistolas Pontificum falsò inscriptas nomini- » bus.... diù illusisse credulitate Christiani orbis , ipsis- » que Ecclesiastici juris compilatoribus quin etiam Ni- » colao I. ejusque deinceps Successoribus , nec in » Conciliis , tam generalibus , quàm particularibus.“ Ac deinde subdit , *eas nunc Viles historicis haberi.*

Posthæc pag. 136. relatis Nicolai I. verbis , quibus indicat Nicolaus Epistolas aliquorum Pontificum, qui Martyrio Ecclesiam illustrârunt , volens ostendere de Decretalibus hisce verba Nicolai necessariò esse intelligenda , ait , „ Nam quos alios habuit Romana » Ecclesia Pontifices Martyres , nisi eos , sub quorum » nominibus tunc circumferebantur , & passim susci- » piebantur ut veræ Decretales Epistolæ , nunc autem » *convicta* tenentur suppositionis *certissimæ?*

§. VI.

Nonnulla alia suppositittia monumenta ex collectione Isidoriana , quibus etiam Gratianus usus est.

PRæter Decretates Epistolas nominibus Romanorum Pontificum à Clemente I. usque ad Siricium Papam , qui Petri Cathedram ascendit anno 385. inscriptas , quæ Viris eruditis hodie *certissimæ suppositionis* convictæ habentur , sunt nonnulla , quæ hæc Isidoriana collectio exhibet , & à Gratiano nostro adoptata sunt , non minus de suppositione suspecta: imò convicta.

Donatio vulgò Constantini à Gratiano relata. Inter hæc occurrit edictum, sive donatio Constantini ; cujus meminit Gratianus *dist.* 69. *Can.* 13. & 14. cum hoc proëmio : „Constantinus Imperator coronam, » & omnem regiam dignitatem in Urbe Romana & in » Italia , & in partibus occidentalibus Apostolico con- » cessit.“

Suppositittia judicio Eruditorum. Integra extat in collectione Isidori ; creduntque non pauci , nec sine fundamento , eundem esse hujus instrumenti fabricatorem , qui prædictarum Epistolarum Decretalium : Neque pauciora , aut obscuriora præfert suppositionis argumenta ; unde & Eruditorum consensu ut suppositittium repudiatur. Vide Cardinalem Cusanum *Lib.* 3. *Concord. Cathol. cap* 2. S. Antonium *part.* 1. *hist. tit.* 8. *cap.* 2. Baronium ad annum 1191. Atque inter recentissimos , Christianum Lupum Tom. 4. Scholiorum ad Canonem VIII. dictatûs Gregorii VII. ubi asserit , Gregorium in condendo hoc Canone : *Quòd solus Papa possit uti Imperialibus insigniis* , respexisse ad hoc Constantini edictum , atque ex hoc fonte processisse, quod referente Conrado Abbate Uspergensi, Bonifacius VIII. *penès se utriusque gladii potestatem esse affirmavit* » Plurium Jurisconsultorum , qui non » solam Romanam Urbem , sed omne cum spectanti- » bus ad ipsum Regnis Occidentale Imperium fuisse à » Constantino datum Sylvestro tunc docebant , sen- » tentiam Bonifacius sequebatur. Et quidem istud do- » nationis instrumentum à cunctis tunc adeò credeba- » tur authenticum , ut ipsum admisserit etiam Hen- » rici Regis Advocatus.“ Hæc Lupus , qui subdit: esse *spurium* & *fictitium nemo eruditus hodie dubitat.*

Judicium Christiani Lupi.

Papembrochii. Non dissentit à Lupo R. P. Papembrochius, qui *in citato Propilæo* , *p.* 1. *p.* 123. non dubitat, hanc donationem vocare *fictitiam* , *pudendam* , *suppositittiam, commentum, conficta* , &c. Et in paralipomenis ad hoc *Propilæum pag.* 43. advertens Paulum II. an. 1469. hoc instrumento usum fuisse , ait : » Sed hæc utcunque à » Paulo dicta, & pleniùs apud Mabilionem sua originali » actorum ipsorum lingua legenda *lib.* 6. *de re di-* » *plom. num.* 20. numquam efficere poterunt , ut Vi- » ri eruditi desinant de rei veritate dubitare ; op- » tentque videre certiora Constantinianæ donationis, » etiam quoad solam substantiam , documenta.“

Ex-

Exhibetur in Isidoriana Collectione Synodus Romana II. sub S. Sylvestro anno 324. cum 20. Canonibus; eaque tanquam *excerpta quædam ex Synodalibus gestis S. Sylvestri* proponitur.

Synodus Rom. II. sub Sylvestre à multis pro vera agnoscitur.

Multa ut illis in capitulis vulgò Adriani I. reperiuntur, uti rectè advertit Antonius Augustinus in notis ad dicta capitula, de quibus capite sequenti.

Ejusdem Synodi auctoritate usus est Nicolaus I. Epistolâ 8. ad Michaëlem Imperatorem; & Synodus Moguntina an. 888. *Can.* 12. disertis verbis *Canonem III.* renovat.

Leonem IV. in Epistola ad Episcopos Britaniæ ad eundem alludere adeò manifestum, ut Ivo & eum secutus Gratianus verbis Leonis addiderint: *Sicut nobis Beatus Sylvester tradidit* 2. q. 4. Can. 3.

Ejus meminit Gratianus.

His secuti Canonum Collectores, Burchardus Wormatiensis Episcopus, Ivo Carnotensis, & Gratianus Synodi hujus gesta pro indubitatis habuêre; atque hic quidem 2. *q.* 4. *Can.* 2. sub nomine *Sylvestri Papæ in Generali Synodo residentis* referri hæc ex Canone III. » Præsul non damnabitur nisi cum 52. » testibus: nec Præsul summus à quoquam judicabi» tur, quoniam scriptum est: *non est discipulus super* » *Magistrum.* Presbyter autem Cardinalis nisi cum 44. » testibus non damnabitur: Diaconus vero Cardina» lis Urbis Romæ, nisi cum 27. testibus non condem» nabitur. Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, » Ostiarius non nisi septem testibus condemnabitur. » Testes autem & accusatores sine aliqua sint infa» mia. «

Et 2. *q.* 7. *can.* 10. ex eodem Canone III. refert: » Clericus adversus Exorcistam, Exorcista adversus » Acolytum, Acolytus adversus Subdiaconum, Sub» diaconus adversus Diaconum, Diaconus adversus » Presbyterum, Presbyter adversus Episcopum ac» cusationem dare, aut testimonium ferre non valet.«

Ac Canone II. ibidem sub nomine ejusdem Synodi ait: » Nullus Laicus audeat Clerico crimen inferre. «

Rursus 11. *q.* 1. *Can.* 9. nomine Sylvestri in Synodo Romana cap. 14. hæc profert: » Testimonium » Clerici adversus Laicum nemo recipiat. Nemo enim » Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, » nisi in Ecclesia. « Et *Can.* 10 » Si quis Clericus ac» cusans Clericum in Curiam introierit, anathe» ma sit. «

Evincitur, & habetur supposita.

Quàm hæc, aliaque ex eadem Synodo relata sint aliena à tempore & seculo Sylvestri Papæ; cum vix Ecclesia à persecutione respirare cœperat, nescio quis non videat.

His, si alia, quæ in dicta Synodo leguntur, addantur, v. g. Photinum esse damnatum, cùm certò constet, ut & Binius observat, post hæc tempora eum esse damnatum; Canone XX. Primam Sedem neque à *Regibus* judicari; cùm certum sit eo tempore, nullos in Imperio Romano *Reges* fuisse.

Uno verbo universa, quæ hîc occurrunt, adeò evidenter clamant suppositionem, & fictionem, ut meritò dixerit Schelstratius occasione receptionis hujus Synodi, quod *deplorare cogamur antecedentium seculorum in discernendis actis suppositiis incuriam.*

Hodie eam Viri Eruditi passim rejiciunt, uti in nota marginali monent Labbæus & Petrus à Marca *lib.* 1. *cap.* 11. *de concord. Sacerd. & Imp.* eamque *fictam & spuriam* dicere non dubitat Lupus *tom.* 4. *Schol. pag.* 597.

Exemplar Epistolæ formatæ supposititium.

Exemplar formatæ Epistolæ relatum à Gratiano *dist.* 73. *Can.* 1. & 2. quod apud Isidorum extat sub titulo, *Epistola formata qualiter debet fieri*, esse è fictitiis Isidori commentis notavimus suprà *p.* 2. *cap.* 1. §. 6.

Epistola S. Athanasii fictitia.

Epistolam S. Athanasii ad Marcum, cujus fragmentum est apud Gratianum *dist.* 16. *Can.* 12. cùm cæteris putidis mercibus Isidori rejiciunt Baronius, Bellarminus, aliique periti Catholici, ut monet nota marginalis Labbæi *Tom.* 2. *Concil. colum.* 469.

Epistolæ duæ Anastasii I. fictæ.

Præter Epistolas, quas Romanis Episcopis, qui Siricium præcesserunt, suppositas diximus, etiam non paucas sequentibus quoque ab eo suppositas fuisse, & Gratiano nostro, aliisque pro genuinis obtrusisse à multis observatum est.

Sic Anastasio I. qui Siricium secutus est, supposuit Epistolam primam ad omnes Germaniæ, ac Burgundiæ Episcopos, cujus fragmenta sunt apud Gratianum *dist.* 98. *Can.* 2. *dist.* 1. *de consec. Can.* 68. consignatur autem nonis Octobris *Arcadio & Bautone Viris Clarissimis Consulibus*, id est, anno 385. adeoque 14. annis ante Anastasii Pontificatum. Epistola verò secunda ejusdem ad Merianum consignatur Theodosio Augusto VII. & Palladio Viris Clarissimis Consulibus, id est, 416. jam Anastasio diu mortuo; unde utramque fictitiis mercibus Isidorii annumerat Labbæus, aliique. Hujus autem memminit Gratianus 13. *q.* 2. *Can.* 27.

Epistola Sixti III. falsa.

Sixto III. adscripta Epistola ad Orientales Episcopos Isidori putidas merces olet, ut sentiunt Eruditiores; eamque ex variis S. Gregorii, ipso Sixto multo junioris congestam advertit Labbæus; unde & in margine monet: *Fidei admodum suspectæ, imo nullius.*

Ejus meminit Gratianus sub nomine Gregorii I. 11. *q.* 3. *Can.* 55. *Item* 2. *q.* 5. *Can.* 10. deinde 2. *q.* 8. *Can.* 4. & 2. *q.* 7. *Can.* 50. sub nomine Synodi Romanæ.

S. Leoni Epistola supposita.

S. Leoni adscriptam Epistolam ad universos Germaniæ & Galiæ Ecclesiarum Episcopos de privilegio Chor-episcoporum, sive Presbyterorum *supposititam* multa arguunt, inquit Labbæus; atque fusè, docteque ostendit Paschasius Quenellius dissert. XI. operibus S. Leonis adjectam; credit tamen, posse videri non ab impostore aliquo esse confictam, sed Leoni III. posse adscribi.

Fragmentum refertur in Decreto Gratiani *dist.* 68. *Can.* 4. sub nomine Leonis I. Sed animadvertit Quenelius: „ Leonis I. insertam mentionem Gratiano non » esse imputandam; sed novellis Correctoribus, qui » errorem hunc cum aliis innumeris ex Epistola» rum Pontificiarum interpolatis editionibus hauserunt. » Antiquiores enim Decreti editiones, Parisiensis an» no 1531. Lugdunensis Hugonis à Porta anno 1549. » & aliquæ aliæ hæc tantummodo habent: *De his ità* » *scribit Leo Episcopus omnibus Episcopis* " hactenus Quenellius.

Epistola Joannis I. Spuria.

Joannis I. Epistolam Decretalem ad Zachariam Archiepiscopum de non accusandis Episcopis, nota consularis adscripta, aliaque multa suppositiitiam & ab Isidoro fabricatam esse evincunt, monente Labbæo; & consentit ipse Binius.

Ejus fragmenta plura sunt in Gratiani decreto, sub nomine Eusebii 2. *q.* 7. *Can.* 13. Et ibidem *q.* 2. *Can.* 4. & 3. *q.* 1. *Can.* 4. & Canone tertio præcedente nomine Joannis I.

Bonifacii II. falsa Epistola.

Bonifacii II. Epistolam ad Eusalium Alexandrinum Episcopum falsam, & adulterinam, & Ecclesiæ summè injuriosam proclamant Bellarminus, Baronius, aliique; unamque esse ex impudentissimis hujus Pseudo-Isidori commentis ostendit, & pro merito exagitat Baronius ad anno 530. & in notis ad Martyrologium Rom. ad 16. Octob.

Joan. III. Epistola apocrypha.

Fragmentum est apud Gratianum *Dist.* 89. *Can.* 7. Litteras Joannis III. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, „ *adulterinas* omnes docti censent, nec ipse, „ Baronio præeunte, ausus est refragari Binnius, " ait Labbæus in nota marginali *tom.* 5. *Concil. colum.* 823.

Occurrit illius fragmentum apud Gratianum 8. *q.* 1. *Can.* 1.

S. Gregorii ficta Epistola.

Epistolam ad Secundinum inclusum S. Gregorio vel integram supposuit Pseudo Isidorus, vel saltem variis assumentis interpolavit; atque inter alia decretum *de recipiendis lapsis Sacerdotibus*, relatum à Gratiano *dist.* 50. *Can.* 16. huic Epistolæ assutum esse, eruditè ostendit Petrus Gussanvilleus *in notis ad dictam Epistolam*, *lib.* 7. *ind.* 2. *Epist.* 54. Illudque assumendum directè contrariari aliis indubitatis ejusdem Gregorii sententiis, latè demonstravi in Dissertatione *de Canonicis*, *p.* 2. *cap.* 2. §. 3. & §. 6. Ostendi, ex hac & aliis suppositiitiis hujus Mercatoris mercibus, disciplinam de non restituendis Sacerdotibus lapsis circa seculum X. cœpisse immutari.

Plura quidem in ea Pseudo Isidoriana farragine suppositiitia obtruduntur; at hæc specialiter indicare volui, ut Canonum Studiosi Gratiani Decreto incumbentes, apocrypha à sinceris vetustatis monumentis secernere queant; præsertim, quia & Correctores Romani suppositionis & confictionis notitiam nullam habuisse videntur; aut saltem eam nec verbo insinuârunt.

§.

§. VII.

Notanda ex jam dictis occasione Isidorianæ collectionis.

Caute recipienda quæ à Theologis, Canonistis; imò & Pontificum Bullis, & Conciliorum decretis media ætatis historicè narrantur, aut citantur.

QUi perpenderit quàm universali & constanti consensu, non tantùm à Theologis, & Canonistis, privatisque Canonum Collectoribus, sed etiam à Pontificibus in suis Bullis, & Conciliis tam generalibus quàm particularibus in suis decretis, & decisionibus per VI. & amplius secula pro indubitatis veterum Pontificum Epistolis receptæ fuerint illæ Decretales, quas hodie ut supposititicias, & fictitias Eruditi omnes pari suffragio repudiant; intelliget, quàm infirmo nitantur fundamento, qui historiam, factumve aliquod pro canonizato, seu indubitato habendum censet, quia in Pontificum Bullis, aut aliquo Concilii etiam generalis decreto recitativè narratur; aut etiam in alicujus articuli probationem assumitur; ut bene observat R. P. Daniel Papebrochius *in citato Conatu Chronico-Historico in Nicolao I.* qui unà cum sociis suis magno Ecclesiæ bono acta & vitas Sanctorum purgare conatur à fabulis & sordibus, quibus à Scriptoribus etiam Catholicis conspersa fuerunt, ab his nimirum, qui, ut ait Melchior Canus, » vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita » multa confingunt, ut eorum me nimirùm non so» lùm pudeat, sed etiam tædeat. «

Non omnia in decreto Gratiani contenta, ut vera recipienda.

Adhæc, deploranda illa nonnullorum antecedentium seculorum incuria in discernendis veris à falsis vetustatis monumentis, clamat, quàm cautè & circumspectè assumi debeant traditionis testimonia, quæ à Scriptoribus illorum temporum, quantumvis unanimi consensu allegantur; quamque imprudens futurus esset, qui Pontificum, aut Conciliorum decreta omnia pro genuinis susciperet, quæ ut talia in decreto Gratiani allegantur. Ex allegatis enim sat constat, & nôrunt omnes Eruditi, quàm crassæ naris Gratianus jure meritò habeatur in dignoscendis legitimis scriptis à spuriis.

Non omnes Veterum Pontificum Epistolæ supposititiciæ,

Hoc hîc tamen observandum, uti & suprà obiter monuimus, inter Veterum Pontificum, qui etiam ante Siricium fuerunt, Epistolas ab omnibus tamquam apocryphas rejectas, non esse numerandas, quæ apud Scriptores coævos recensentur; ut v. g. Epistolam Clementis ad Corinthios; de qua in notis ad Canonem ultimum Apostolorum, Litteras S. Cornelii inter opera S. Cypriani; Julii I. quarum meminit S. Athanasius; Liberii apud S. Hilarium in fragmentis &c.

Imò & à Gratiano citatur subinde fragmentum Epistolæ sub nomine Pontificis, qui ante Siricium sedit, quæ inter Pseudo-Isidorianas numerari nequit, v. g. citat Gratianus fragmentum sub nomine Damasi Papæ 7. *q.* 1. *Can.* 43. ex ejus Epistola ad Paulinum Antiochenum, cujus meminit Theodoretus *lib.* 5. *hist. cap.* 11. quæ consequentur ab Isidoro conficta non fuit.

Si quis verò dubitet quæ inter Pseudo-Isidorianas reponendæ sint, consulat Labbæum, qui has à veris hac simile notâ marginali, *Veris eruditis supposititicæ*, exactè discernit.

CAPUT II.

De Capitulis vulgò *Hadriani Papæ.*

§. I.

Quis Capitulorum Auctor, & unde desumpta.

Capitula hæc vulgo credita fuerunt esse Hadriani I.

SUb finem seculi VIII. nova prodiit collectio ex Synodis Romanis, & Decretis Pontificum conflata; quam ab Hadriano I. anno 785. oblatam fuisse Agilamno Metensi Episcopo supposuit Hincmarus Rhemensis in opusculo adversus Hincmarum Laudunensem *cap.* 24. eamque pleræque editiones repræsentant sub hoc titulo: » *Hadriani Papæ* Capitula, » quæ ex Græcis, & Latinis Canonibus, & Syno» dis Romanis, atque Decretis Præsulum, ac Prin» cipum Romanorum sparsim collecta sunt, & In» gilramno Mediomatricæ urbis Episcopo Romanæ à » Beata Hadriano Papa tradita, sub die 13. Kalen» das Octobris indictione nona, quando pro sui ne» gotii causa agebatur. «

Dubitat Antonius Augustinus.

Verùm de hoc titulo se dubitâsse in procemio notarum suarum ad hæc Capitula sat innuit Antonius Augustinus dum ait: » De Hadriani Papæ decretis » sumptis, ut ajunt, ex Græcis & Latinis Canoni» bus, & Synodis Romanis, atque decretis Præsu» lum, ac Principum Romanorum, & traditis In» gilramno Mediomatricis urbis Episcopo 13. Kalen» das Octobris indictione 9. anno Christi 785. ut sus» picor. «

Quid quæso indicant hæc verba, ut ajunt, nisi viri illius vacillationem de tituli veritate?

Mentem clarius expressit.

Quid verò in titulo falsi suspicatus fuerit, aperuit *in dialogo* 15. *lib.* 1. *de emend. Grat.* Ubi cùm ostendisset à Gratiano Canones Trullanos falsò adscribi Synodi sextæ, subjungit: » Conjungi his possunt » illa Hadriani nomine capita ad Ingilramnum, quæ » *cum Hadriani nihil habeant*, ejus nomine fe» runtur. «

Credidit non esse Hadriani.

Hinc non obscurum est, Antonium Augustinum scivisse hæc Capitula habita quidem fuisse Hadriani; ideoque eis, & titulum vulgarem præposuisse; sed tamen credidisse, ea ab Hadriano non fuisse ex Synodis & Decretis Pontificum collecta.

Fundamenta illius opinionis.

Nec id sanè sine fundamento credidit. Collectio enim plena est falsis illis Pseudo-Isidorianis Decretalibus, quemadmodum in notis suis ad singula penè capita ostendit Antonius Augustinus.

Verisimile autem non est, Hadriano notas fuisse dictas Decretales; quandoquidem anno 774. offerens Canonum Codicem Carolo Magno, solas Decretales à Dionysio Exiguo relatas eidem inseruerit, nullâ harum Decretalium factâ mentione, aut ullo ex illis relato decreto.

Quare plures hodie credunt cum Antonio Augustino hæc Capitula non ab Hadriano esse collecta, sed esse Agilramni, qui ea ex novitiis veterum Pontificum Epistolis ut plurimùm collegerit, & Hadriano obtulerit; & ita suspicatur Stephanus Balusius in præfatione ad dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani; qui & addit; » Hanc conjecturam multa adju» vant, sed in primis vetus Codex Ms. Bibliothecæ » S. Victoris Parisiensis, in quo sic habetur: *Incipiunt* » Capitula collecta ex diversis Conciliis, sive Decre» tis Pontificum Romanorum ab Agilramno Metensi » Episcopo, & Adriano Papæ oblata. «

Eundem titulum præferre & aliud manuscriptum optimæ fidei, & venerandæ antiquitatis monasterii Lætiensis testatur Natalis Alexander *tom.* 13. *Hist. Eccles. pag.* 54.

Credit autem Balusius, Agilramnum hanc collectionem è novitiis hisce Decretalibus confecisse, *quando pro sua causa agebatur*, id est, ut ego arbitror, inquit, subtrahere se voluit cognitioni suorum judicum.

Quidquid sit de hac Balusii conjectura, id sat constat, in hanc collectionem relata esse pleraque quæ in fictitiis illis Isidorianis Decretalibus de judiciis Episcoporum ad Sedem Apostolicam deferendis reperiuntur expressa.

Auctoritas horum Capitulorum.

Ulterius dubitari nequit, quin hæc collectio, licèt Agilramnum auctorem habuisset, Hadriano non tantùm fuerit oblata, sed etiam benignè, ac gratiosè ab eo recepta: ut nec mirum sit, si successu temporis Hadriani nomine fuerit publicata.

Porrò sicut Decretales illæ faventibus Pontificibus, & nonnullis Episcopis summâ veneratione susceptæ fuêre, & in auctoritatem transiere, ut superiori capite latiùs expositum fuit, ita quoque hæc capitula ex iisdem Decretalibus desumpta; tantæ auctoritatis fuêre, ut etiam nonnumquam Episcopi eadem sibi, & Ecclesiis suis pro lege observanda proposuerint; ut Hincmarus Laudunensis, cujus in codice Sanctæ Mariæ Virdunensis, inquit Jacobus Sirmondus in *nota his capitulis præfixâ*, post hæc Adriani Capitula istiusmodi extat professio. » Hinc» marus Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis Epis» copus, hic Sanctorum Apostolicæ Sedis Patrum » decretis optemperandum subscripsi. Qui quoque » mihi eodem auctore commissi sunt, & in his simi» liter sentiunt, solicitè servare unitatem spiritûs in » vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si verò aliqui secùs nolentes fieri socii hujus disciplinæ, » nec habeantur participes communionis nostræ: Ac» tum Lauduno 8. Idus Junias. «

Verum quidem est, Hincmarum Remensem hanc auctoritatem studuisse infringere & elevare,

tanquam à Sacris Canonibus discrepantem; ipsamque Hincmari Laudunensis nepotis sui subscriptionem vellicâsse *cap.* 36. sui opusculi adversus nepotem; at ejus conatum frustratum fuisse, vel exinde colligitur, quòd hæc omnia capitula postmodum in ipsa Regum Francorum Capitularia, de quibus capite sequenti, relata fuerint.

Utilitas, quin & necessitas notitiæ horum capitulorum patescet, ubi vissum fuerit, quâ ratione Gratianus illis usus sit; & quomodo sensus Canonum apud Gratianum nonnunquam ex his capitulis erui debeat.

§. II.

Ostenditur utilitas notitiæ horum capitulorum ad intellectum decreti Gratiani.

Gratianus capitula hæc in fonte legisse non videtur. Argumentum primum.

PLurima ex his, quæ in his capitulis occurrunt decreto Gratiani inserta sunt. At è multis colligitur, Gratianum illa non ex hac capitulorum collectione sumpssisse, sed ex variis Canonum Collectoribus.

Primò, quia nunc sub uno, nunc sub alio titulo proponuntur: quin & monet Balusius in notat. ad Gratianum, nunquam referendo hæc *Capitula* illa in titulo nominâsse: advertitque titulum Canonis 40. 2. *q.* 6. qui in edictione Romana correctâ ita legitur: *Hadrianus Papa ait* in Capitulis à se collectis, *cap.* 44. per Correctores esse extensum; cùm antea simpliciter legeretur: *Unde Hadrianus Papa ait.* Et hoc quidem titulo in relatione capitulorum ordinariê usum fuisse Gratianum ex exemplaribus antiquioribus Romanâ correctione intelligitur, attamen interdum alium etiam adhibuit.

Sic 5. *q.* 3. *Can.* 1. referens fragmentum capituli 5. citat illud sub nomine *Synodi Romanæ quæ tempore Hadriani Papæ celebrata est.* Et 3. *q.* 7. *can.* 1. proferens aliud ejusdem capituli 5. fragmentum hunc titulum præfigit: *Dicit enim Sancta Romana Synodus.* Ac rursus ex cap. 5. referens laciniam 3. *q.* 6. *can.* 18. utitur hoc titulo: *Ex decreto Hadriani Papæ.*

Quæ diversitas citationis non obscurè significat Gratianum hæc capitulorum fragmenta in suum Decretum contulisse, prout ea apud præcedentes Canonum Collectores reperiebat.

Secundum. Idipsum evincit, quòd Gratianus valdè inutilè, ac confusè capitulorum illorum segmenta referat.

Exempli gratiâ 3. *q.* 6. *Can.* 18. hæc habet sub nomine decreti Adriani Papæ: „ Qui crimen objicit, sciat se probaturum. Revera ibi causa agatur, „ ubi crimen admittitur; cùm in capitulo LII. Hadriani ita legatur: Qui crimen objicit, scribat se „ probaturum revera, & ibi causa agatur, ubi „ crimen admittitur, ut qui non probaverit, quod „ objicit, penam, quam intulerit, ipse patiatur.“

Quæ alium, ac planiorem sesum facere, nemo non videt.

Tertium. Interdum verò plura fragmenta ex variis his capitulis desumpta in unum conflat; eaque conflatione & sensum obscuriorem, & à textu originali planè dissonum efformat. Exemplum pete ex Canone 16. *caus.* 3. *q.* 6. ubi in fine insuper addit hæc verba: *Nisi Prælatus sit, qui accusatur,* quæ in capitulis Hadriani nullibi habentur, ut etiam monent Correctores Romani.

Quartum. Adhæc, nescivit, aut certè non advertit Gratianus, hæc capitula esse desumpta ex Epistolis Decretalibus veterum Pontificum. Hinc cùm 4. *q.* 6. *Can.* 3. retulisset ex Epistola Felicis Papæ hanc laciniam: „Si accusatorum personæ in judicio Epis„ coporum culpabiles apparuerint, ad arguendum „ non admitantur, nisi proprias causas asserere, non „ tamen criminales, vel ecclsiasticas voluerint,“ eadem omninò verba sub nomine Hadriani Papæ retulit *Cannone IV.* immediatè sequenti.

Notitia Capitulorum conducit ad intellectum Gratiani. Hinc quisque facile colliget, quàm utilis sit ad intellectum Canonum in Decreto Gratiani hæc capitulorum notitia, ac insuper scire, quæ horum sit auctoritas; ut & sensus Canonum Gratiani haberi possit, & statui, quæ horum auctoritas; cùm hæc major esse nequeat, quàm sit eorum, unde desumpti sunt a Gratiano, uti infrà pluribus ostendimus.

CAPUT III.

DE CAPITULARIBUS REGUM FRANCORUM.

PARAGRAPHUS I.

Inquiritur in nomenclaturam Capitularium.

Canones, & Leges subinde Capitularia dicuntur.

QUanquam Canonum Ecclesiasticorum, & Legum Regiarum codices *Capitula & Capitularia* dicti interdum fuerint, eo quod per *Capitula*, seu sectiones digesti, distinctique essent, ut ostendit D. Du Fresne in Glossario verb. *Capitularia*; & latiùs Stephanus Balusius in doctissima, ac discretissima Præfatione Capitularibus Regum Francorum præfixâ, ea tamen potissimùm *Capitularium* nomine donata sunt, quæ in publicis Comitiis, vel Synodis Episcoporum, & populi consensu, ab ipsis Principibus edebantur, in iis præsertim casibus, qui in Legibus deerant. Unde *Capitula* à Legibus distinguntur apud Hincmarum Remense *opusc.* 14. *cap.* 8. „ Habent enim Reges, & Reipublicæ Ministri Leges, „ quibus in quacunque Provincia degentes regere „ debent, habent Capitula Christianorum Regum, „ ac progenitorum suorum, quæ generali consensu „ Fidelium suorum tenere legaliter promulgaverunt.“ Et *cap.* 11. „ Ex Christianorum Regum constitutio„ nibus per Capitula breviter, ac salubriter, si te„ neantur, & exequantur, collecta continentur.“ Denique *opusc.* 15. *cap.* 15. „ Quando sperant ali„ quid lucrari, ad legem se convertunt: quando ve„ rò per legem non æstimant acquirere, ad capitula „ confugiunt.“ In Synodo Suessionensi *An.* 853. *cap.* 44. „ Capitula Synodalia Caroli Magni, “ &c.

Propriè Capitularia dicuntur, quæ in Conventibus publicis eduntur à Principe.

Capitularia supplementa legum.

Erant igitur, inquit D. Du Fresne in Glossario loco citato, *Capitula* legum appendices, & additamenta, eaque in Synodis sancita, Eginhardus anno 819. „ legibus etiam capitula quædam necessaria, quia „ deerant, conscripta, atque addita sunt.“ Capitul. *Ann.* 821. *cap. ult.* „ capitula, quæ præterito anno „ legi Salicæ per omnium consensum *adenda* esse cen„ suimus, jam non ulteriùs capitula, sed tantùm lex „ dicantur, & pro lege teneantur.“

Interdum nomine legis veniunt.

Attamen quia Principium decreta in communem regni utilitatem edebantur, vimque subditos ligandi habebant, nihil eis deerat de vigore, & essentia legis; ideoque & interdum legis nomine donata fuerunt: communiter tamen *Capitularia*, aut *Capitula* appellata sunt: atque sub hoc nomine apud Gratianum, aliosque Canonum Collectores recitantur.

§. II.

Unde Capitularia desumpta, & qua forma edita.

In generali Procerum, Ecclesiasticorum & Laicorum à Principe proponebantur, & communi consensu confirmabantur.

REgum Francorum Capitularia in generali Procerum conventu edita fuisse, sat expertè docet „ Carolus M. *lib.* 6. *Capitular.* 371. „ Et quando vita „ comite, Deo auxiliante, ad generale placitum ve„ nerimus, consultu omnium Fidelium nostrorum „ Scriptis firmare, nostris nostrorumque, atque fu„ turis temporibus irrefragabiliter manenda firmis„ simè Domino adminiculante cupimus. Modò ea, „ quæ generalia sunt, & omnibus conveniunt Ordi„ nibus, statuere, ac cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ, „ nostrisque fidelibus ob Dei omnipotentis amorem, „ & recordationem tradere parati sumus, & ad pro„ximum Synodalem nostrum conventum ac generale „ placitum, ubi plures Episcopi, & Comites con„ veniunt, ista, sicut postulâstis, firmabimus.“

Et Carolus Calvus in Capitulari apud Carisiacum anno 873. *cap.* 8. „Capitula avi & patris nos„ tri, quæ Franci pro lege tenenda judicaverunt, & „ Fideles nostri in *Generali placito* nostro conservan„ da decreverunt.“

Idipsum clarius, & latius exprimitur in ejusdem Caroli altero Capitulari anni 877. etiam apud Carisiacum *cap.* 2. „ Capitula, quæ avus, & pater nos„ ter pro statu, & munimine Sanctæ Dei Ecclesiæ, & „ ministrorum ejus, & pro pace, & justitia populi, „ ac quiete regni constituerunt, & quæ nos cùm fra„ tribus nostris Regibus. & nostris, & eorum fide„ libus communiter constituimus, sed & quæ nos „ consilio, & consensu Episcoporum, & cæterorum „ Dei, & nostrorum pro suprascriptis causis in di„ versis placitis nostris conservanda statuimus, & ma„ nere inconvulsa decernimus, similiter & à filio nostro

» tro inconvulsa conservari volumus & mandamus. «

Qui his Conventibus interessent.

Hinc docemur, in his Conventibus adfuisse cum ipso Principe Episcopos, & cæteros fideles, id est, Abbates, Duces, Comites aliosque Proceres; ut legitur in præfatione Capitularis secundi anni 813. » Carolus Serenissimus Imperator Augustus à Deo coronatus, magnus, & pacificus, cum Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, omnibus fidelibus » Christianæ Ecclesiæ cum consensu, consilioque constituit ex lege Salica, Romana, atque Gundobada » capitula ista in Palatio Aquis, ut unusquisque fidelis justitias ita faceret, quæ & ipse manu propriâ firmavit capitula ista, omnes fideles manu » roborare studuissent.«

Idem occurrit in præfatione Capitularis anni 779. aliisque multis locis: ut proinde rectè observatum sit à viro doctissimo Francisco Florente in dissertat. *de origine juris Can.* „adhibitos fuisse in consilium » Episcopos unà cum Regni Proceribus in Conventibus publicis, qui à Regibus indicebantur, in quibus Capitularia confirmabantur: res ad Ecclesiasticam politiam spectantes ordinabantur, & ad omnium utilitatem capitula seu leges promulgabantur » omnium Ordinum consensu.«

Capitularia etiam subsignari debebant.

Postquam omnes capitulis à Principe propositis consenserant, novis illis capitulis omnes subscribebant, Capitulare III. anni 803. *cap.* 19. » Ut populus interrogetur de capitulis, quæ in lege noviter addita sunt. Et postquam omnes consenserint, » *subscriptiones & manufirmationes* suas in ipsis capitulis faciant.«

Et in veteri nova adjecta Capitulari secundo ejusdem anni legitur: „Etiam omnes Scabinei, Episcopi, Abbates, Comites manu propriâ subter signaverunt.«

Interdum etiam è Synodis Episcoporum desumpta.

Verùm licet ex hisce perquam certum sit, Capitularia in publico Episcoporum, & Procerum conventu edita fuisse, constat tamen, plura eorum, quæ inter Capitularia Regum Francorum numerantur, atque pro talibus à Regibus probata, è Synodis, & Conciliis Episcoporum sumpta esse; ut proinde non malè suspiciatus sit Antonius Augustinus, „fontem hunc Capitularium fuisse ipsa Concillia, » atque Conventus, in quibus Imperator cum Episcopis, & aliis Consiliariis de rebus tam ecclesiasticis, quàm profanis agebat.« Hæc ille *lib.* 2. *dial.* 10. *de emendat. Grat.* additque: „Sic in Concilio Trosslejano appellantur Conciliorum *pedissequa* hæc Capitularia Principum.«

Excerpta è Synodis non semper facta in publico Conventu.

Observandum hîc monet Balusius, excerpta illa Capitulorum Synodalium non semper facta fuisse in Conventibus, aut Synodis publicis, sed cum delegatione Principis in privatis Episcoporum virorumque ecclesiasticorum cœtibus, qui tum fortè in Comitatu erant; uti pluribus ostendere conatur in *allegata præfatione*, §. 9.

Capitularium autem promulgatio, & executio committebatur Episcopis, Comitibus, & Missis Dominicis.

Quid Missi Dominici.

Missi Dominici dicebantur, qui è Palatio in Civitates, & Provincias extra ordinem mittebantur cum amplissima potestate, „ut de omnibus causis, quæ ad » correctionem pertinere viderentur, quanto possent » studio, per semetipsos regiâ auctoritate corrigerent: » & si aliqua difficultas in qualibet re eis obsisteret, » ad Regis seu Imperatoris notitiam deferre curarent.« Deinde ut inquirerent, „quomodo hi qui » populum regere deberent, unusquisque in suo ministerio se custoditum haberet, quique gratiarum actione » & qui correctione, & increpatione digni habeantur,« ut est in Capitulari III. Ludovici Pii, *cap.* 3. 4. 5.

Qui plura de eorum inquirendi facultate scire desiderat, consulat Du Fresne in Glossario verbo, *Miss.*

Ne verò Episcopi, aliive quibus eorum executio incumbebat, tergiversandi occasionem haberent, cautum erat, ut Archiepiscopi, & Comites majores Capitularia acciperent à Cancellario Palatii, & ipsi eorum postea copiam facerent minoribus Comitibus, Episcopis, & aliis Magistratibus, illaque relegi, ac transcribi facerent in suis Comitatibus, & Provinciis: ut videre est in Capitulari Ludovici Pii anni 823. *cap.* 24. & Caroli Calvi anno 853. apud Sylvacum *tit.* 14. *cap.* 11. Item in instructione data Missis *anno* 624. *cap.* 27.

§. III.

De Capitularium Auctoritate.

QUandoquidem, ut superiori paragrapho ostendimus, Capitularia vel in publico Conventu Episcoporum, Abbatum, & Procerum legerentur, & probarentur; vel mandante Principe è Synodis, & Conciliis excerperentur, magna quoque eorum, etiam in causis ecclesiasticis non potuit non esse auctoritas.

Capitularium auctoritas, non minor quam Canonum.

Et parem iis cum Sacris Conciliorum Canonibus honorem ab Episcopis delatum fuisse, sat innuit præfatio Synodalis Episcoporum, qui anno 881. apud Martyrium Sanctæ Macræ convenerant: „Ab omnibus, inquiunt, qui justè, & piè in Communione » Catholicæ Ecclesiæ, quæ Christi Corpus est, vivere volunt, ea, quæ sequuntur, Domino mediante, observari decernimus, non nova condentes, » sed quæ à Majoribus nostris secundum tramitem SS. » Scripturarum statuta, & à Christianis Imperatoribus, ac Regibus promulgata, & usque ad hæc periculosa nostræ infelicitatis tempora fuêre servata, » quasi lumina in malignorum hominum tenebris quæ » excæcant diffidentiæ filios, devocamus.«

Concilium quoque Troslejanum anno 909. ab Archiepiscopo Remensi, ejusque Suffraganeis celebratum, *Capitularium* indifferenter, & Sacrorum Canonum auctoritate in stabilienda Regulari disciplina utitur; dicitque ea esse Canonum *pedissequa*; id est, quasi ad Canonum supplementum edita. „Itemque & Canonum, inquit, præcipiunt instituta, » simulque eorum pedissequa Regum Capitularia, » sicut in libro primo Capitulorum Imperialium con» tinentur capitulo XXVIII. Ut Clerici, & Monachi, si inter se negotium aliquod habuerint, à suo » Episcopo judicentur, & non à secularibus.«

Uno verbo, Episcopi Capitularia vice Canonum habebant. Sic Heardi Turonensis Archi-Episcopi capitula, quæ constat esse è libris Capitularium accepta, dicuntur esse *excerpta ex corpore Sacrorum Canonum.* Lab. *t.* 8. *Conc. p.* 627.

Capitula quoque Isaac Episcopi Lingoliensis, quæ ex libris tribus postremis Capitularium desumpta sunt, ut ipsa præfato declarat in Cronico S. Benigni Divionensis, teste Sirmondo in nota his capitulis præfixa, *Canones Isaac* vocantur; & Capitularia *Libri Canonum.* „*Composuit*, inquit auctor, *& librum*, qui » dicitur *Canones Isaac*, eò quòd ex libris Canonum » utiliora quæque eligendo in unum volumen coarctaverit.«

Extant hæc capitula lectu digna, unà cum nota Sirmondi *tom.* 8. *Concil. p.* 598.

Concilia Episcoporum, & Canonum Collectores iis utuntur.

Ipsa denique Concilia, atque Episcoporum decreta eorum erga hæc Capitularia venerationem palam pronuntiant; cùm ea videmus excerptis ex Libris Capitularibus redundare. Ipsosque Canonum Collectores pari veneratione cum cæteris Conciliorum Canonibus Capitularia assumpsisse; ac præcipuè Gratianum, ex eorum collectionibus evidens est.

Etiam Romani Pontifices eorum agnoscunt auctoritatem.

Verùm nihil est, quod Capitularium auctoritatem amplùs commendare possit, quàm illud, quod ex Epistola Leonis IV. post Ivonem refert Gratianus *Dist.* 10. *Can.* 9. „De capitulis, vel præceptis » Imperialibus vestris, vestrorum Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis, & conservandis, quantum valuimus, & valemus Christo » propitio, & nunc & in ævum nos conservaturos » omnibus modis profitemur. Et si fortassè quilibet » vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.«

Monent ad hunc Canonem Correctores Romani, ante dictionem *Prædecessorum* addendum esse conjunctionem, & quemadmondum est in Pannormia Ivonis. „Nam hoc significabitur, inquiunt, Imperatores illos solitos fuisse edere *Capitula*, adhibitis in consilium Pontificibus Regni, quod verissimum est. Omninò hæc, quæ à Leone scribuntur, spectare videntur ad capitula Caroli, & Ludovici, quæ Lotharius in universa Italia servari » mandaverat.« Nam in Legibus Longobardicis lib. 3. tit. 15. Lotharius ita constituisse traditur. *Placuit nobis, ut capitula quæ excerpsimus de Capitulari Bon. mem. gloriossisimi Domini Caroli, & genitoris nostri Ludovici, Imperatoris invictissimi, his omni-*

bus, & fidelibus nostris, Sanctæ Ecclesiæ in regno Italiæ consistentibus per legem teneantur, & serventur: & quicunque horum capitulorum contemptor extiterit, 60. solidis componatur. » Id populo Roma- » no, qui jure antiquo Romanorum uti prohiberetur, » valdè displicuit: sicut ex Canone finali infrà *eadem* » *dist.* colligi potest, disseminatusque etiam rumor » fuit, eandem esse Pontificis, & populi sententiam. » De qua re Leo hac se Epistola videtur purgare voluis- » se, & tamen postea pro conservando jure civili Ro- » manorum cum eodem Lothario iterum diligentiùs » egit; quod apparet ex dicto Canone finali. «

Hæc sanè summam etiam in Italia, & apud ipsos Romanos Pontifices Capitularium venerationem, & auctoritatem ostendunt.

§. IV.

De Collectione Capitularium, ejusque receptione.

Primùm circa annum 827. cœpit Capitularium fieri collectio.

QUæ hodie prostant simul collecta Regum Francorum Capitularia, sub variis Regibus, ac variis temporibus edita fuisse constat: eaque ante annum 827. necdum in unum volumen relata fuerant, sed separatim scripta habebantur in schedulis, & membranulis.

Circa verò dictum tempus, Ansegisus Abbas, vulgò *Lobbiensis*, collegit aliquot Caroli Magni, & Ludovici Pii capitula, ne oblivioni traderentur, ut ipse in præfatione monet; eamque in IV. libros digessit. Duobus libris comprehendit ad ecclesiasticam legem pertinentia, & duobus ad legem mundanam spectantia.

Hæc collectio auctoritatem accepit.

Collectio illa Capitularium ab Ansegiso Abbate confecta statim auctoritatem non exiguam obtinuit, quòd eam Ludovicus Pius Imperator suam fecerit.

Etenim in constitutionibus editis post annum 827. referens verba vel sensum legum à Patre suo Carolo, aut à se ante editarum, reperiri illa scribit in *Capitulari*; quo nomine intelligit collectionem Ansegisi.

Sic in Capitulari Wormatiensi anni 829. *t.* 1. *c.* 5. » Ita enim continetur in *Capitulari* bonæ memor. ge- » nitoris nostri « *in libro primo, capit.* 557. » Ut qui » Ecclesiarum beneficia, &c. « Et paulò post: *Item in Capitulari nostro in lib.* 1. *cap.* 21. *de eadem re.*

Similia passim in Ludovici Capitularibus occurrunt, quæ evidenter ostendunt, ipsum hanc collectionem pro codice Capitularium habuisse.

Carolus Calvus eandem quoque Collectionem sæpiùs laudâsse, tanquam publicum legum Francicarum codicem, ex ejus Capitularibus probari potest.

Exemplum illius sit, Capitularium ejus tituli 36. cap. 1. » Comites Episcopis, & Ministris Ecclesiæ » in eorum ministeriis adjutores in omnibus fiant, si- » cut in *Capitulari* Prædecessorum, ac progenitorum » nostrorum continetur *in* 2. *lib. capit.* 32. &c. ibid. » cap. 4. Volumus, & expressè mandamus Comiti- » bus nostris, ut sicut in XXIV. capitulo *libri se-* » *cundi Capitulorum* Prædecessorum nostrorum con- » tinetur, &c. «

Si quis capita reliqua ejusdem percurrat, videbit, Carolum ad hanc collectionem, tanquam ad publicum Legum codicem continuò remisisse.

Ordo Collectionis.

Collectionis suæ ordinem ipse Ansegissus in præfatione expressit: » Hoc notum sit Lectori, inquit, » quia prædicta capitula, quæ per intervalla tempo- » rum à præfatis sunt Principibus edita, in quatuor » distinxi libellis. Illa scilicet, quæ Dominus Caro- » lus Imperator facit ad ordinem pertinentia eccle- » siasticum, in primo adunavi libello. Et verò eccle- » siastica, quæ Dominus, ac piissimus Ludovicus Im- » perator edidit, in secundo descripsi. Illa verò quæ » Dominus Carolus in diversis fecit temporibus ad » mundanam pertinentia legem, in tertio adunavi. Ip- » sa verò, quæ Ludovicus præclarus Imperator fecit » ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quar- » to congessi. «

Hoc proprio Ansegisi testimonio convincuntur erroris illi, qui crediderunt, secundum & quartum Librum Capitularium, non secus ac primum, & tertium, esse Caroli Magni; cùm ipse illos ex capitulis Ludovici esse congestos clarissimis terminis præmoneat.

Inter Capitula

Cæterùm tametsi institutum Ansegisi fuerit in primo libro tantùm capitula Caroli ponere, certum tamen esse monet Balusius in sæpiùs laudata præfatione, permixta per errorem ab illo fuise quædam capitula Ludovici Pii, caput nimirùm LXXIX. & sequentia usque CIV. quæ sumpta sunt ex capitulis, quæ anno 816. à Ludovico sancita sunt. Hæc Balusius; qui ibidem causam erroris assignat.

Car nonnulla Ludovici intermixta.

Quoniam verò Ansegisus plurima Caroli Magni, ac Ludovici Pii capitula prætermiserat, abstinueratque prætereà à referendis Pippini & Carlomagni constitutionibus, quarum tamen frequens usus erat, Benedictus Levita Moguntinensis hanc in se curam suscepit circa annum 845. ut Capitularia in unum colligeret, & in tres libros distribueret.

Secunda Collectio à Benedicto Levita facta.

Materiam ordinemque Librorum suorum nobis ipse Benedictus in præfatione aperuit.

Collegi quæ Ansegisus omiserat.

Primum monet ab Ansegiso collectos Libros nonnulla quidem Caroli Magni, & Ludovici Pii capitula continere, sed plura superesse, quæ vel ab ipso non sunt inventa, vel non collecta; » quapropter, » ait Benedictus, ea, quæ ille, aut invenire nequivit, » aut inserere fortasse noluit, & illa, quæ postmo- » dum à fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Pippini, ac » Caroli, ac Ludovici didicimus in jam dictis libellis » minimè esse inserta, pro Dei omnipotentis amore, » & S. Dei Ecclesiæ, ac servorum ejus, atque totius » populi utilitate fideliter investigare curavimus, & » in tribus subsequentibus libellis distinctè cum titu- » lis suis coadunare.... non distulimus. «

Quid libro primo contineatur.

Primo igitur in loco se dicit posuisse nonnullos versiculos in laudem Principum, quibus libros suos obtulit. » Deinde sequuntur capitula primi libelli sub- » jectis numeris suis, ut faciliùs inveniri possit sen- » tentia, quæ quæritur. His ita peractis, est in fronte » primi libelli posita Zachariæ Papæ Epistola omni- » bus Episcopis, ac reliquis ecclesiasticis ordinis gra- » dibus, & cunctis Ducibus, atque Comitibus, om- » nibusque Deum timentibus per Gallias, & Franco- » rum Provincias constitutis directa, sicut in ea con- » tinetur. Quam sequuntur duo Synodales conventus, » quos S. Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Legatus » Bonifacius memoratæ Moguntiacensis Ecclesiæ Ar- » chiepiscopus vice supradicti Zachariæ Papæ, unà » cum Carlomagno Francorum Principe canonicè te- » nuit. Ut agnoscant omnes hæc prædictorum Prin- » cipum capitula maximè Apostolica auctoritate fo- » re firmata. Post illa quoque, quæ sequuntur, ea- » dem auctoritate, maximâ, ut dicimus, ex parte, & » omnium Francorum utriusque ordinis virorum as- » sensu sunt roborata. «

Hæc non obscurè innuunt, Benedictum in primum suum Librum collegisse capitula, quæ citra controversiam edita essent à Regibus Francorum in publicis conventibus.

Quid secundo, & tertio.

Deinde prosequitur præfatio: » Secundo verò in » Libello, post capitulorum numerum, primâ fron- » te posita sunt quædam ex lege divinâ præcepta ca- » pitula, sicut eâ sparsim in eorum mixta capitulis re- » perimus; ut omnes hæc capitula legibus divinis, re- » gulisque canonicis concordare non ignorent. Ter- » tio siquidem in libello, post ejusdem libelli capitu- » lorum numerum, quædam ex Canonibus à Pauli- » no Episcopo, & Albino Magistro, reliquisque jus- » sione Caroli invictissimi Principis Magistris sparsim » collecta, sunt inserta capitula; & quibusdam inter- » positis sequuntur alia regulæ monasticæ congruentia, » & demum ea, quæ sequuntur, ad S. Dei Eccle- » siæ, servorumque ejus, atque totius Christiani po- » puli utilitatem sunt conscripta capitula, sicut in eo- » dem continentur libello. «

His igitur duobus ultimis libris ea possuit, quæ Principum jussu ab Episcopis, aut viris doctis excerpta erant ex libris divinæ Scripturæ, sicut ea sparsim in eorum mixta capitulis invenit, & quæ excerpta ab iisdem fuerunt ex Canonibus Conciliorum, decretis Pontificum, ex dictis SS. Patrum, ex constitutionibus Synodalibus, ex codice Theodosiano, seu Aniani interpretationibus, Pauli sententiis, Juliani Antecessoris Novellis, codice legum Wisigothorum, ex lege Salica, ex lege Ripauriorum, ex lege Bajuvariorum.

Unde hæc collectio confusa & obscura.

Ex his enim Benedicti Colectio conflata est; confusè sanè facta, nullo servato temporum ordine; mutatis etiam sæpiùs verbis capitum, quæ illic referuntur; ut omni legenti obvium est advertere. Illud tamen Benedicto imputandum non videtur; cùm ipse in præfatione præmonuerit, se capitula illa sic indi-

digesta, & confusa in diversis schedulis invenisse; & ob id tam citò, hæc emendare nequivimus, ait, sed cunctis scientiæ repletis lectoribus hæc corrigenda dimisimus. » Invenimus insuper, pergit Benedictus, » quædam ex his paria initia habentia, & imparem » finem; quædam verò pares fines, sed non paria ini- » tia; in quibusdam autem minûs, & in quibusdam » plus. Et propterea illa sic demisimus sicut inve- » nimus. «

Confusio Benedicto non imputanda.

Non ergò culpandus Benedictus, cujus labore, & industriâ nobis conservata sunt temporum illorum pulcherrima, & utilissima monumenta, prout ea invenire potuit.

Hanc collectionem mox receptam fuisse ceu quendam Canonum, & Legum publicum codicem constat ex Decretis Episcopalibus, & Synodalibus, necnon Canonum Collectoribus, qui passim ex hac collectione expresso nomine Canones desumpserunt.

Duæ hæ collectiones non semper unum corpus constituerunt

Hæ duæ collectiones hodie constituunt septem libros Capitularium Regum Francorum: quamquam Benedicti collectionem non semper constituisse unum cum Ansegisi collectione corpus certum sit.

Atque ideo, quæ hodie extant in libro quinto Capitularium, qui est primus in collectione Benedicti, aliquando citata reperiuntur apud veteres ex libro primo Capitularium; nimirùm Benedicti Levitæ. Vide loca citata apud Balusium in præfatione. §. 48.

Quatuor additiones quid contineant.

Post septem libros Capitularium hodie sequuntur quatuor additiones; quarum prima continet 80. capitula ad Monachos spectantia, quæ an. 817. in Conventu Aquisgranensi Abbatum & Monachorum edita sunt. Secunda constat 28. capitulis partim Clericos & Monachos, & partim reliquos fideles Laicos concernentibus. Tertia continet 124. capitula, proprie ad Episcopos, vel ad Ordines quosque Ecclesiasticos pertinentia; quæ non solùm observare, sed etiam sibi subjectis vel commissis facienda perdocere debent. Additio quarta constans capitulis 171. hoc præfert procœmium: » Sequentia quædam capitula ex Sancto- » rum Patrum decretis, & Imperatorum edictis col- » ligere curavimus, atque inter nostra capitula lege » firmissima tenenda generali consultu Erchembaldo » Cancellario nostro inserere jussimus. «

De Capitularium editione.

Prima Capitularium per typographos editio contingit anno 1549. quam plures postmodum subsecutæ sunt, sed satis imperfectæ quousque Vir Clarissimus Stephanus Balusius anno 1677. absolutissimam Capitularium editionem, ad plurima exemplaria manuscripta, fideliter collatam in duobus tomis procuravit: additis insuper plurimis antiquitatis monumentis, & doctissimis notis, ad illustrationem non solum Capitularium, sed totius disciplinæ ecclesiasticæ notitiam plurimùm conducentibus.

§. V.

Astruitur multiplex Capitularium utilitas.

REgum Francorum Capitularia potissimùm in publicis Conventibus Episcoporum, Abbatum & Procerum Regni edita fuisse, aut ex Patrum, vel Conciliorum sententiis jubente Principe pro morum, & disciplinæ directione excepta, suprà notavimus; eademque instar Sacrorum Canonum, atque Ecclesiasticarum Legum Episcopis & Romanis Pontificibus fuisse in veneratione.

Quin & Bendictus Levita in capite finali sui tertii Libri (quod hodie in editione Balusiana conficit caput 478. libri 7. Capitularium) hæc habet: » Maxi- » mè trium ultimorum capitula istorum librorum » Apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia » his cudendis maximè Apostolica interfuit Legatio. «

Hæc non tantùm Capitularium auctoritatem asserunt, sed vel maximè eorum commendant utilitatem.

Prima utilitas.

Quidnî enim utile sit, videre integram, omnibusque numeris absolutam disciplinam ecclesiasticam; eamque tam Ecclesiæ Ministros, quàm Monachos, omnemque populum concernentem; idque in omni penè rerum & negotiorum genere.

Hîc reperient Episcopi & Pastores, quomodo vitam suam instituere; quomodo populum docere: qualiter Sacramenta administrare debeant.

Reperient Canonici, quid exigat ad mentem Ecclesiæ vita Canonicalis; quâ pietate, & reverentiâ, atque assiduitate officio divino peragendo incumbere debeant; quàm sobriè, & fideliter in partici- pandis, & expendendis Ecclesiæ proventibus versari teneantur.

Clerici denique universi normam clericalis vitæ, totamque agendi rationem expressam offendent.

Monachalem institutionem, ejusque disciplinam secundum S. Benedicti Regulam, quæ tunc unica penè in usu erat, eleganter & copiosè descriptam, vitiaque, & corruptelas damnata invenient.

Quod communionem fidelium vitam concernit, pluribus Canonibus expositum est.

Uno verbo, nihil penè est disciplinam, & rationem, moresque vivendi in quocunque statu & ordine concernens, quod in his libris non formatur; ut proinde non immeritò hæc Regum Francorum Capitularia, Corpus Canonicum illius temporis nuncupari queant.

Secunda.

Et licèt eorum non sit eadem, quæ olim, auctoritas, & vis obligandi, nihilominus magno cum fructu & ædificatione illa & hodie revolvi, & pertractari nemo negaverit, qui scit in Canonibus præsertim morum vi æque rationem exprimentibus, plurima, imò omnia penè esse talia, quæ nec temporum lapsu, nec locorum intervallis mutari possunt.

Tertia.

Insuper in his reperiuntur quàmplurima hodiernæ disciplinæ conformia, quæ proinde non exiguam huic ex tot seculorum antiquitate, tum eorum, qui hæc Capitularia probârunt, auctoritate, venerationem conciliabunt.

Quarta.

Subserviet quoque hæc notitia, ut sciamus disciplinam aliquam, jam forsan abolitam, ad illa usque tempora fuisse continuatam, novisque decretis stabilitam. Atque hinc concludi poterit, quo in pretio hujusmodi disciplina, tot seculorum decursu continuata & iteratis decretis stabilita, habenda sit; quomodo pro temporum, & locorum, atque personarum ratione ad ejus restaurationem laborandum sit; vel si nondum in totum collapsa sit, quomodo conservanda, & suffulcienda.

Quinta.

Ex horum, similiumve veterum monumentorum lectione non rarò quoque intelligimus, disciplinam quandam, etiam circa Sacramentorum administrationem ab hodierna diversam; eamque magis Patrum praxi, quàm nostram modernam, respondentem. Hinc que statuendum, non esse mox culpandos, si qui modernâ ultimorum seculorum disciplinâ sepositâ illam amplectantur, quam plurimis seculis in veneratione fuisse compertum habemus, modò id fiat prudentiâ christianâ moderante.

Exempli gratiâ in *cap.* 132. *lib.* 7. *Capitularium* satis innuitur disciplina, quæ per XI. & ampliùs secula viguit, administrandi Sacram Unctionem ante Viaticum; ut illius susceptione à peccatorum reliquis infirmi purgati, mente puriore Viaticum susciperent.

De hac disciplina optimè instructi duo hujus Academiæ Theologi, & Augustinianæ Familiæ non exigua Ornamenta Christianus Lupus, & Franciscus Farvacques Sacro Oleo inungi ante Viaticum petierunt, & obtinuerunt.

Quis eorum votum & desiderium hîc culpabit, nisi qui neglectâ veterum monumentorum Lectione, pristinæ & venerandæ Patrum disciplinæ perfectam scientiam non habet.

Sexta.

Denique quantopere concludere queat ad moderni Juris Canonici notitiam Capitularium Lectio patebit, ubi ostenderimus qua ratione Gratianus Capitularium auctoritate fuerit usus.

§. VI.

Quomodo ad intellectum Gratiani notitia Capitularium conducat.

Variis titulis elucidatio Gratiani erui debet ex Capitularibus.

QUàm utile fuerit notitiam habere Capitularium ad assequendum verum sensum multorum, quæ à Gratiano referuntur, atque de eorum auctoritate probè judicandum, non difficulter intelliget, qui pervolvendo Decretum Gratiani advertit, quàm multa in eo ex Capitularibus passim occurrant, quæ ex Capitularibus elucidari debent; idque variis ex titulis.

Primus titulus.

Primo refert nonnunquam Gratianus aliter quàm in Capitulari continetur.

Exemplum sit 16. *q.* 1. *can.* 59. Ubi ex *lib.* 1. *cap.* 77. refert hunc Canonem: » Quia juxta Sancto- » rum Patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vo- » ta Fidelium esse, pretia peccatorum: cuique non

» so-

» solùm habita conservare, verùm etiam (Deo opi-
» tulante) conferre optamus. Ut autem ab ecclesias-
» ticis *officiis* dividendis rebus Ecclesiæ suspicionem
» dudum conceptam penitùs amoveamus: statuimus,
» ut neque nostris, neque filiorum & Deo dispen-
» sante successorum nostrorum temporibus illam pe-
» nitùs divisionem, aut jacturam patiantur. «

Si consulatur ipsum citatum caput 77. Capitularium, reperietur, Gratianum addidisse hanc voculam, *officiis* post vocem *ecclesiasticis*, quod sensum alienum reddere, etiam notant Correctores Romani. Insuper pro *dividendis*, in Capitularibus legitur negativè, *non dividendis*.

Secundus. Adhæc, post illa verba, *successorum nostrorum temporibus*, in Capitulari sequitur: *Qui nostram vel Progenitorum nostrorum voluntatem, vel Exemplum imitari voluerint*, quæ Gratianus omisit. Suppleverunt quidem Correctores Romani; sed nullâ correctionis factâ mentione. Ut hinc rursus patescat, post correctionem Romanam non esse idem decretum, quod Gratiano est compilatum.

Rursus 16. *q.* 4. *Can.* 26. ita habet: » Omnes
» Presbyteri interfectores compositione Episcopi, ad
» cujus Parochiam pertinent, solvantur: ita videli-
» cet, ut medietatem Wiregeldi ejus Episcopus uti-
» litatibus Ecclesiæ, cui præfuit, tribuat, & alteram
» medietatem in eleemosynam illius justè dispertiat:
» quia nullus nobis hæres proximior videtur quàm ille,
» qui ipsum Domino sociavit. «

Hoc quidem decretum citat Gratianus secutus Burchardum ex Concilio Triburiensi; sed esse ex *cap.* 15. *L.* 4. *Capitularium* constat; ubi etiam nonnulla addunt, & aliqua aliter leguntur.

Ubi Gratianus legit, *Presbyteri* interfectores, in Capitularibus legitur, *Presbyteri* interfecti. Vox *compositione* à Gratiano ex Burchardo addita est.

In Capitularibus post verbum, *solvantur*; sequitur: *secundum Capitulare generosi Caroli genitoris nostri*, quæ Gratianus omisit; quia non ex fonte nimirùm Capitularibus, sed Burchardo sumpsit.

Quid Wiregeldum. Obiter hîc notandum, *Wiregeldum esse pœnam pecuniariam*, uti ad *cap.* 1. *de pœnis* in prima collectione Decretalium notat Antonius Augustinus.

Sensus itaque Canonis est, pœnam pecuniariam Presbyteri interfecti esse solvendam Episcopo Presbyteri interfecti, qui eam partim in utilitatem Ecclesiæ, cui Presbyter præfuit, partim in eleemosynam distribuat.

Tertius titulus Adhæc, nonnunquam unum Capitulare in plures Canones divisit, ac ordinem partium turbavit.

Sic caput 366. lib. 6. Capitularium dividit in tres partes; atque ex iis conficit Canonem 35. 36. & 37. 11. *q.* 1. & ita quidem, ut quæ vicem præfationis conficiunt in Capitulari, ultimo loco, id est, Canone 37. referat: quod *ineptè factum*, meritò existimat Antonius Augustinus *lib.* 2. *dial. VI. de emendat. Gratiani.*

Deinde hæc sectio obscurum reddit sensum; qui clarior reddetur, si textus integer in fonte legatur.

Præterea errorem commisit Gratianus, constitutionem, cujus hîc fit mentio, tribuendo *Theodosio Imperatori*; cùm certum sit eam *Theodosio* tribui non posse; inscripta quippè est Ablavio PP. quem non sub Theodosio, sed Constantino M. fuisse constat.

In hunc errorem incidisse videtur Gratianus, eo quòd in Capitularibus citetur hæc constitutio *ex sexto decimo Theodosio Imperatoris libro*, uti & notat Antonius Augustinus loco citato; credidit verisimiliter Gratianus, omnia in Codice Theodosiana contenta ipsi Theodosio Imperatori tribuenda esse; quod falsum esse nemo nescit; convenitque inter omnes, nemini constitutionem, quæ hic innovatur, tribui posse, quàm Constantino Magno; sed, ut hîc per transennam moneam, etiam Constantino supposita esse, nonnulli Eruditi cum Jacobo Gothofredo ad *L.* 1. *Cod. Theod. de Episcop. judicio*, contendunt.

Error Gratiani in Decretales irrepsit. Error Gratiani irrepsit quoque in *c.* 13. ✠ *de judiciis*; idque ex more illius temporis, quo non ad fontes, sed ad Decretum Gratiani penè unicè recursus habeatur.

Capitularia sub alio titulo citantur à Gratiano. Illud denique notandum, multa referri ex Capitularibus in Decreto Gratiani, quæ tamen aliam inscriptionem habent; idque exinde profluxit, quod Gratianus ordinariè non ad fontes recurrerit, sed fidem aliorum Collectorum secutus fuerit; ac præcipuè Burchardi Episcopi Wormatiensis, qui quasi ex professo citationem Capitularium evitavit, uti parte sequenti *cap.* 2. ostendemus, ubi quæ illius fuerit ratio, dicemus.

Huic Gratiani defectui in multis occurrerunt Correctores Romani, in nota marginali capita Capitularium, unde Canones Gratiani desumpti sunt, indicando.

In Capitularibus multa etiam apocrypha occurrunt. Priusquam concludam, illud monendum censui; quòd tametsi Capitularia multa præclara ecclesiasticæ disciplinæ monumenta suppeditent, multumque tum ad illustrandam ecclesiasticam disciplinam, tum ad assequendum sensum Decreti Gratiani conducant, tamen etiam in illis non pauca in astructionem, & confirmationem disciplinæ allegari tanquam primitivæ Ecclesiæ monumenta, quæ reverà falsa sunt & apocrypha. Et quidem primorum illorum Pontificum Decretales, quas apocryphas esse hodie nemo eruditus negat, frequenter occurrunt; alia quædam non magis certa allegantur; ac ipsa Patrum loca interdum mutila referuntur.

Quapropter ipsa Capitularium fides quidem evincit, quid seculo illo obtinuerit; aut creditum fuerit; sed si quis ex actis Capitularibus recitatis seu allegatis, primitivam Ecclesiæ disciplinam eruere vellet, necesse esset, ut veritatem, ac sinceritatem illorum monumentorum sedulò priùs expendisset; cùm certissimum sit, eo tempore, quo Capitularia edita sunt, multa falsa pro veris obtrusa fuisse; ut circa Epistolas Decretales aliaque apocrypha in collectione Isidoriana contenta ostendimus.

PARS QUINTA.

De Collectionibus, quæ seculo X. & XI. prodierunt.

CAPUT PRIMUM.

De collectione Reginonis Abbatis.

PARAGRAPHUS PRIMUM.

Quis Ordo collectionis, & unde desumpta.

Qui fuerit Regino. Reginonis sæpiùs meminit cum laude Joannes Trithemius. Et quidem in Chronico Hirsaugiensi, ad annum. 892. ait: » Farabertus Abbas Prumiensis
» annuente Rege Francorum Abbatiam suam sponte
» resignavit. Cui Regino Monachus ejusdem Coe-
» nobii successit, vir vitâ, & eruditione celeberri-
» mus, qui inter cætera ingenii sui opuscula, tran-
» sacti temporis Chronicon scripsit ad Adelberonem
» Treverensem Archiepiscopum, incipiens ab origi-
» ne mundi usque ad tempora sua, opus profectò
» celeberrimum & lectione Doctorum Virorum dig-
» nissimum. «

Rursus in catalago illustrium virorum: » Regino
» Abbas monasterii Prumiensis Ordinis Divi Patris
» Benedicti in Diœcesi Treverorum, Vir in Divinis
» Scripturis eruditissimus, & in secularibus litteris
» egregie doctus, eloquio clarus, vita, & conver-
» satione devotus, facilè inter doctiores sui tempo-
» ris obtinuit principatum. «

Deinde injectâ rursus mentione Chronici à Reginone compilati subjungit: » Jubente Rathbodo Ar-
» chiepiscopo Treverorum comportavit ex decretis,
» & sententiis Patrum, & Conciliorum generalium
» *Opus Canonicum* insigne, quod prænotavit de eccle-
sias-

» siastica disciplina, & Religione Christiana: « Illudque est, quod meritò collectionem Canonum vocari credimus.

Quomodo Collectionem composuerit.

Opus illud composuit sub initium seculi X. cùm æmulorum insidiis, & injuriis auctoritate Principis Abbatiali dignitate cedere coactus simplicem Monachum agebat; idque instigante Rathbodo Treverorum Episcopo, in cujus Diœcesi situm erat monasterium Prumiense.

Titulum operi hunc præfixit: » Incipit libellus » de ecclesiasticis disciplinis, & Religione Christiana, » collectus ex jussu D. Metropolitani Rathbodi Tre» vericæ urbis Episcopi à Regione quondam Abbate » Prumiensis monasterii ex diversis Sanctorum Patrum » Conciliis, & Decretis Rom. Pontificum feliciter in » Dei nomine. Amen.

Usus est autem Regino non vulgari artificio in cudendo hoc suo opusculo.

Ordo operis.

Divisit illud in duos libros; in quorum primo tractat *de rebus, & personis ecclesiasticis*; in secundo de *vita & conversatione Laicorum*; ut ipsemet docet in præfatione libri secundi: » In superiori libello, ait, » quid Episcopo vel ejus Ministris cum Ecclesiasti» cis viris sit agendum & in sua Synodo requirendum » ex parte notavimus. Nunc quid cum Secularibus, » & Laicis sit agendum vel agere oporteat, prout » Dominus dederit, percurramus. «

In fronte libri primi ponitur *Inquisitio*, sive formula *Inquisitionis*, secundum quam Episcopi interrogare debebant de vita & conversatione Clericorum. In initio autem secundi, *Inquisitio* ab Episcopo facienda circa Laicos.

Quid inquisitio de qua Regino.

Pro quo notandum, jam pridem in more positum fuisse, ut Presbyteri, qui plebes regebant, semel in anno Episcopo ejusve Ministris in Synodo reddere deberent rationem suæ villicationis, tam de fide Catholica, quàm administratione Sacramentorum, alisque, quæ statum interiorem & exteriorem Parochiæ suæ concernebant.

Certa formula Inquisitionis. Et unde ejus origo.

Porrò ut Presbyteri juxta Sacros Canones officii cui sui ritè admonerentur, & de omnibus debita fieret *Inquisitio*, mediis seculis, cum esset magna in Presbyteris, & Clero Canonum ignorantia, necesse fuit componi brevissimum Canonum, seu regularum breviarium, quo continebantur ea, de quibus Presbyteri præcipuè essent admonendi; aut super quibus inquirendum.

Hunc in finem edita videtur *admonitio* illa, quæ sub nomine Leonis IV. extat tom. 8. Concil. pag. 33. in qua continentur vivendi & docendi ecclesiasticæ regulæ.

Non solùm autem hæc admonitio coram Presbyteris in Synodo legebatur; sed insuper Episcopus, ejusve Ministri munus visitationis obeuntes, secundum titulos illa admonitione comprehensos inquirebant de vita & conversatione, tam Clericorum, quàm Laicorum; atque eo titulo formula illa nunc *admonitio*, nunc *inquisitio* dicta fuit.

Hæc autem formula *admonitionis* sive *inquisitionis* communis erat omnibus Provinciis; ut vel inde colligitur, quod à Burchardo Wormatiensi in fronte sui Decreti descripta sit tanquam formula eorum, quæ ab unoquoque Episcopo intimanda erant Presbyteris in Synodo residentibus.

Confirmat & hanc sententiam hodiernus Ecclesiæ usus, secundum quem ea *admonitio*, quamvis nonnihil immutata, ab Episcopo mitrato legenda est in Synodo Diœcesana; ut habetur in Pontificali Romano, titulo *de ordine ad Synodum.*

Itaque ut ad Religionem redeamus, ipse in fronte sui primi libri posuit formulam seu articulos *Inquisitionis*, secundum quos Episcopus inquirere, & interrogare deberet de vita & conversatione Clericorum: sub initium verò secundi, *Inquisitionem* ab Episcopo faciendam circa Laicos.

Capita Inquisitionis canonica auctoritate confirmat.

His generalibus *Inquisitionibus* subjicit auctoritatem canonicam, id est, Canonum, ac Decretorum, aliorumque sanctarum institutionum auctoritatem, quibus fulciri, & approbari queant capita, quæ in utraque *Inquisitione* continentur.

Hunc suum scopum ipse aperit post *Inquisitionem* libri primi subjiciens: *Capitula hæc, quæ per ordinem annotavimus, canonicis oportet roborari decretis.* Est post *Inquisitionem* de vita Laicorum rursus sit: *Capitula hæc, quæ per ordinem annotavimus, canonicis oportet roborari decretis.*

E quibus sua sumpserit.

Ad probationem itaque istorum capitulorum affert Canones Conciliorum, decreta Pontificum, Rom. dicta SS. Patrum Basilii, Ambrosii, Hieronimi, Augustini, Gregorii, & Casiani, Ferrandi, Benedicti, Fructuosi, Aureliani, Theodori, Bedæ, & Rabani.

Adducit præterea leges ex Codice Theodosiano seu potiùs verba Aniani interpretis. Plerumque etiam utitur auctoritate Capitularium Regum Francorum Caroli M. Ludovicii Pii, & Caroli Calvi, tum etiam lege Burgundionum, & lege Ripuariorum.

Epistolas Romanorum Pontificum, quas verè illorum esse constat, citat frequenter; at verùm Pontificum pseudo Epistolas ab Isidoro confictas rarò. Ut vel inde appareat, Reginonem non magni eas fecisse.

Editiones hujus opusculi.

Hoc Regionis opusculum, quod meritò inter collectiones Canonum reponitur, ut ex dictis sat intelligitur, primus typis evulgavit Joachimus Hildebrandus Helmestadi anno 1659. ex vetustissimo Ms. codice; eumque natus Stephanus Balusius editionem Helmestadiensem contulit cum altero veteri Ms. quo se usum fuisse scribit Dorinus in apendice libri de pœnitentia; quâ collatione factâ, ac Reginone innumeris propemodum in locis, ut ipse loquitur in præfatione, emendato, restituto, ac perfecto, novam, elegantemque editionem dedit; adjectis ad duos libros Reginonis binis appendicibus; primâ ex Codice Ms. Parisiensi; alterâ ex editione Helmestadiensi; monetque illas nullatenus videri esse Reginonis; sed à quodam studioso adjectas antiquitùs fuisse: quare & illas appendices ab opere Reginonis divisit, & suos unicuique numeros atribuit.

Appendices libris Reginonis ab aliquo adjectæ.

Doctissimis insuper notis illustravit, atque appendicem veterum Auctorum ex antiquis manuscriptis adjecit.

§. II.

Multiplex Colectionis utilitas.

Prima.

IMprimis hæc Reginonis lucubratio Canonum studiosis loco compendii esse potest, in quo compendiosè pleraque disciplinæ ecclesiasticæ puncta variis canonibus, & testimoniis asserta, & probata videant.

Secunda.

Ulteriùs exhibetur hîc vetus formula, secundum quam Episcopi de vita, & conversatione Clericorum, eorumque ministeriis, nec non de vita Laicorum inquirebant.

Ac rursus hîc in multis pristinam disciplinam relucentem erit invenire.

Sic prima parte *Inquisitionis* articulo 18. hanc reperies interrogationem: » Si visitet infirmos, si eos » reconciliet, si eos ungat Oleo Sancto juxta Apos» tolum, si eos propria manu communicet, & non » per quemlibet Laicum. Si tradat communionem lai» co, aut fœminæ ad deferendum infirmo, quod ne» fas est. «

Hæc interrogatio sat apertè exhibet veterum disciplinam ungendi infirmos ante receptionem Viatici; unde in confirmationem hujus articuli subjicit hoc testimonium cap. 119. » Postquam infirmus sacra Unc» tione fuerit delibutus, statim Corpore, & Sanguine » Domini recreandus est, ut de cujus vita corpo» rali desperatur, vivificari in anima, aut vita merea» tur æterna. «

Tertia.

Hinc ulteriùs intelliges, quod *admonitio* in Pontificali Romano eundem articulum exhibens, sed Unctionem post Viaticum referens, ævo recentiori condita, & ad disciplinam sui temporis fuerit accommodata.

Item art. 57. inquiritur: » Si feriâ quartâ ante » quadragesimam plebem sibi commissam ad confessio» nem invitet, & ei juxta qualitatem delicti pœni» tentiam injungat, non ex corde suo, sed sicut in pœ» nitentiali scriptum est. «

Idem edicitur in admonitione hodierna; at rursus novitiam manum videre est. Hæc enim simpliciter monet, » ut Presbyteri ante quadragesimam feriâ » quartâ populum ad confessionem invitent, & con» fessis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injun» gant: « omissis hisce verbis, *non ex corde suo, sed sicut in pœnitentiali scriptum est*: quibus innuitur veteris disciplinæ institutum, quo Presbyteri pœnitentiam pro qualitate, & gravitate peccatorum imponere debebant, *non ex corde*, id est, ex animi sui motu, sive prout sibi visum fuerit, sed prout in *pœni-*

nitentiali scriptum est ; in quo singulorum peccatorum remedia, pœnitentiæque convenientes continebantur, & præscribebantur. Unde art. 95. istius *Inquisitionis* interrogatur Presbyter : » Si habeat Pœni-» tentiale Rom. vel à Theodoro Episcopo, aut à ve-» nerabili Presbytero Beda editum : ut secundum quod » ibi scriptum est, interroget confitentem, aut con-» fesso modum pœnitentiæ imponat. «

Admonitio moderna in Pontificali Romano vult, ut Presbyteri tribus temporibus in anno, Nativitate Domini, Pascha, & Pentecoste, omnes fideles accedere ad Communionem Corporis D. N. J. C. admoneant ; additque hanc clausulam : *Et ne omittant, qui saltem in Pascha communicent* ; quæ clausula in articulo 58. *Inquisitionis* Reginonis omittitur ; indicium non obscurum, eam additam esse, postquam obligatio communicandi ad solam solemnitatem Caschalem restringi cœpit.

Admonitio hodierna habet : Certis temporibus conjugatos abstinere ab uxoribus *exhortamini*. Inquisitio verò Reginonis articulo 59. ita interrogare jubet : » Si illud etiam admoneat, quibus temporibus con-» jugati se abstinere *debent* à propriis uxoribus. «

Hos binos articulos si quis expendat, facilè videbit, priorem labentis, imò collapsæ disciplinæ præferre ætatem ; cùm Ecclesia, infirmitate filiorum coacta, multa intra limites consilii permittere debuit, quæ melior ætas vinculo legis concluserat.

Quarta. Nec tantùm ea pars *inquisitionis*, & Reginonianæ lucubrationis, quæ circa Clericos versatur, plurima, eaque utilissima disciplinæ capita Lectori offert ; sed & altera, quæ Laicos spectant, non pauca quoque exhibet.

Exempli gratiâ articulo 57. accurrit hæc interrogatio : » Est aliquis, qui in Die Dominico, vel in » præcipuis festivitatibus quicquam operis faciat ; & si » ad Matutinas, & ad Missam, & ad Vesperas his die-» bus imprætermissè omnes occurrant. «

Quæ interrogatio manifestè declarat, eo tempore Laicos non tantùm Missæ Sacrificio, sed & reliquo divino officio diebus dominicis, & festis debuisse interesse. Quam disciplinam multis seculis in Ecclesia viguisse ; atque Officium illud ideò dici *publicum* ; quia in gratiam populi est institutum, & etiamnum hodie persolvitur, fusiùs ostendi in quadam thesi Historico-Canonica de Horis Canonicis, & earum partibus.

Articulus 68. censet, » inquirendum de mendi-» cis, qui per Parochias discurrunt, & si unusquis-» que pauperem de familia sua pascat. «

In hujus autem articuli confirmationis c. 417. adducit Regino hoc Concilii Turonensis decretum : » Unaquæque civitas pauperes, & egenos alimentis » congruentibus pascat secundum vires, & tam vici-» ni Presbyteri quàm cives unusquisque suum Pau-» perem nutriat : quo fiat, ut ipsi pauperes per alias » civitates non vagentur. «

Articulis 69. hanc exhibet interrogationem : » Si » in unaquaque Parochia Decani sunt per villas cons-» tituti, viri veraces & Deum timentes, qui exteros » admoneant, ut ad Ecclesiam pergant ad Matuti-» nas, Missam & Vesperas, & nihil operis in diebus » festis faciant ; & si horum quisque transgressor fue-» rit, statim Presbytero annuntient. Similiter & de » luxuria & de omni opere pravo. «

Hæc aliaque plura in hoc Libello occurrentia, & auctoritate sacrorum Canonum, aliisque ecclesiasticis monumentis firmata, & probata, sufficienter evincunt hujus collectionis utilitatem.

Quinta. Accedit, quòd in hac collectione Regino nonnullos nobis reservaverit Canones, qui hactenus vel latent, vel deperditi sunt : uti sunt Canones Concilii Triburiensis, quos sæpius laudat Regino ; qui tamen in vulgatis Editionibus desiderantur : quos interim Germanos esse multa persuadent ; uti *in Præfatione* §. 10. probat Balusius. Similiter cujusdam Concilii Rotomagensis Canones frequenter adducit, qui tamen in Conciliorum collectionibus non inveniuntur ; quos tamen propterea apocryphos esse nequaquam consequens est ; quandoquidem compertum sit, multa antiquitatis monumenta periisse, vel adhuc sub pulveribus Bibliothecarum delitescere, quorum Antiqui notitiam habuere. Ni ergo alia sint suppositionis argumenta, sive indicia, nequaquam tanquam apocryphum est rejiciendum, quod sub alicujus Concilii nomine refertur, tametsi hodie vel acta Concilii illius nulla reperiantur, vel id, quod refertur, in actis vulgatis illius Concilii non reperiatur.

Relata à Reginone ut apocrypha rejicienda non sunt, eò quòd in vulgatis editionibus non inveniantur.

Imò si aliundè constet de bona fide, & eruditione referentis, vel hâc solâ relatione non parum astruitur veritas relati ; præsertim si nihil appareat, quod ipsum bonâ fide agentem in errorem ducere potuisset.

Sexta. Denique subservit Reginoniana collectio, ut reperiantur fontes aliquorum, quæ apud posteriores Collectores reperiuntur. Plura enim Burchardus, de quo Capite sequenti, ex Reginone in suum Opus derivavit : Burchardo autem Gratianus & Decretalium Collectores frequenter usi fuêre, ejusque fidem secuti ; uti Capite sequenti §. 3. ostendetur.

CAPUT II.

De Decreto Burchardi Episcopi Wormatiensis.

PARAGRAPHUS I.

De Ordine, & Materia decreti Burchardi.

Testimonium Sigeberti de Burchardo. » Burchardus Wormatiensis Episcopus, ait Sige-» bertus ad annum 1008. qui in Scripturis stu-» diosus, magnum illud Canonum Volumen edidit, » Scripturarum sententiis undique compilatis deflora-» tum, collaborante sibi in hoc Magistro suo Olber-» to Abbate, Viro undecunque doctissimo. «

Testimonium Trithemii. Et Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis scribit : » Burchardus ex Monacho Lobiensis monasterii » Ordinis S. Benedicti Episcopus Wormatiensis in » Germania, Alberti Gemblacensis Abbatis apud Lo-» bias quondam auditor, atque Discipulus. Hujus in » Canone fit mentio 73. Dist. cap. 1. In nomine Do-» mini. Vir in divinis Scripturis studiosissimus, & » valdè eruditus scripsit ex sententiis SS. Patrum, & » Generalium Conciliorum, atque summorum Pon-» tificum magnum, & insigne Opus post Isidor. vi-» delicet decretorum, quod divisit in Libros XX. «

Hoc Volumen, quod hodie per abusum, ad exemplum forsitan *Decreti* Gratiani vocatur *Decretum* Burchardi, aggressus fuit Burchardus hortante, & urgente Brunichone Wormatiensis Ecclesiæ Præposito, ut ipse Burchardus refert in Epistola Operi præfixa & Præposito inscripta. Rationem deinde adjungit, cur tam instanter id postularet Præpositus. » Et id qui-» dem vel ea ratione maximè flagitare videbatis, quòd » Canonum jura, atque pœnitentium formæ, in nos-» tra quidem Diœcesi adeò confusa sint, atque inter » se discrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni » penè auctoritate destituta, vel modicè in ecclesias-» tica disciplina institutis apparere possint. Qua de » causa sæpè accedit, ut ad pœnitentiæ remedium » confugientibus, cùm ob Canonum descriptionem » confusam, tum ob Presbyterorum nostrorum ig-» norantiam, non facile subveniatur ; quod an ideò » potissimum fieret, non imprudenter ex me rogâsti... » Et quia hæc res ita habet, eò me dilectio tua ro-» gavit, ut Opellam hanc congestam junioribus nos-» tris legendam proponerem, quo ipsi nimirùm in » idonea ætate, ea discant, quæ vel serior æqua-» lium nostrorum ætas modò assequi non possit, vel » Antecessorum negligentia non attingit. Utpote de-» centissimum fore existimans, ut quis cum omni » probitate se discipulum priùs exhibeat, quàm Doc-» toris auctoritatem apud vulgum temerè præsumat, » & in Scholis discat, quod suæ fidei commissos do-» ceat. «

Ordo, & materia Operis. Deinde concludit, quòd non obstante mole negotiorum quâ quotidie premitur, » Sanctis petitioni-» bus Præpositi obsecutus Synodalia præcepta, sanc-» taque Instituta, tam ex SS. Patrum sententiis, » quàm ex Canonicis Scriptis, adjutore Deo, in » unum fascem ex amplissimo Orbe collegit. Eaque » ut potui, pergit, uno veluti corpore connexa vi-» ginti Libris distinxi, ita ut quisquis eos diligenter » legerit, fructum non vulgarem sentiet se brevi » consequi posse. Perutilem quidem in docenda ple-» be, firmum autem propter Scripturarum auctorita-» tem, honestum tanquam studio & diligentiâ ac-» quisitum : neque enim Sacerdotis nomen meretur, » qui, quàm solicitè Evangelicam minam expendi » oportet, ignorat, ut cæcus cæco Dux esse non » potest. «

Opus

Opus suum in XX. Libros divisit, atque unicuique suam particularem materiam atribuit.

Summa singulorum Librorum.

Singulorum Librorum Indicem, & summam in fronte sui Operis præmittit.

» Primus Liber continet de Potestate & Primatu » Apost. Sedis, Patriarcharum, cæterorumque Primatum, Metropolitanorum, & de Synodo celebranda, & Vocatione ad Synodum, de Accusatis, » Accusatoribus, & testibus, de Expoliatis injustè, » de Judicibus, ac de omni honore competenti ac » dignitate, & diverso negotio, & ministerio Episcoporum.

» Secundus Liber continet de congruente dignitate, & diversa Institutione, ac nutrimento, vel » qualitate vitæ, & diverso negotio, & ministerio » Presbyterorum, & Diaconorum, seu reliquorum » Ordinum Ecclesiasticorum.

» Liber tertius continet de divinarum domorum » Institutione, & Cultu, Honore. De Decimis & Oblationibus, & Justitiis singulorum, & qui Libri in sacro catalogo recipiantur, qui verò apocryphi, & » quando apponendi sint.

» Quartus liber continet Sacramentum Baptismatis, & ministerium baptizandorum, & bap» tizatorum, & consignandorum, & consignato» rum.

» Quintus liber continet de Sacramento Corporis » & Sanguinis Domini, & de perceptione, & ob» servatione eorum."

Sextus & sequentes usque ad decimum septimum inclusivè tractant de variis generibus peccatorum, & pœnitentia singulorum.

» Octavus decimus liber continet de visitatione, & » pœnitentia, & recociliatione infirmorum.

» Nonus decimus liber, qui *corrector* vocatur, » continet correctiones corporum, & animarum » medicinas, & docet unumquemque Sacerdotem » etiam simplicem, quomodò & qualiter unicuique » sucurrere valeat, ordinato vel sine ordine, paupe» ri, divini, puero, juveni, seni, decrepito, sa» no, infirmo, in omni ætate, in utroque sexu.

» Vigesimus Liber *speculationum* vocatur, spe» culatur enim de providentia, & de Prædestina» tione divina, & de adventu Anti-Christi, de ejus » operibus, de resurrectione, de die judicii, de in» fernalibus pœnis, de felicitate perpetuæ vitæ."

Judicium Antonii Augustini de opere Burchardi.

Hæc est summa librorum 20. qui vulgò *decretum Burchardi* dicuntur: de qua Antonius Augustinus in opusculo de Collectoribus Canonum cap. 27. ita loquitur; » Laudanda est Burchardi maxima diligen» tia in coligendis variis sententiis ex Conciliis, & » Decretis Pontificum Rom. & aliis scriptis SS. Vi» rorum. Item ex Imperatorum, & Regum Sanctio» nibus, aliisque libris. Laudo etiam ejus pruden» tiam in discernendis, & separandis rebus, de » quibus agitur: quamvis alius fortasis ordo aptior » inveniri potuisset, tamen hic ipse ab eo excogita» tus non est inutilis."

Hoc unum dolendum Burchardum pro seculi sui obscuritate & incuria, nullum penè habuisse scriptorum delectum; sed omnia, quæ suo scopo videbat congruere in unum congessisse; opusque suum multis apocriphis, & falsis inscriptionibus implevisse; de quo sequenti paragrapho, originem erratorum unà indicaturi.

§. II.

Detegitur origo erratorum Burchardi.

EA erat seculi, quo floruit Burchardus, miseria: ut authenticum crederetur ferè quidquid in Canonum, aut aliorum monumentorum collectionibus inveniebatur.

Burchardus ad fontes non recurrit.

Hinc in more positum erat, non ad ipsos fontes recurrere, sed solas Canonum collectiones revolvere; & quidquid in iis pro materia, quam tractare volebant, oportunum videbant, tanquam authenticum arripiebant: uti rectè notavit Antonius Augustinus.

Laudatâ enim Burchardi prudentiâ in discernendis, & separandis rebus, de quibus agitur, subjungit: „In librorum delectu, & in inscriptione singu» lorum capitum minus certa notari potest. Est enim » Burchardus, ut cæteri qui postea scripserunt re» prehendendus, quod non ex fontibus ipsis hausit » singula, sed ex rivulis, & stagnis aliorum."

Isidorum Mercatorem fuit secutus.

Cùm verò ætate Burchardi famosa esset ea collectio, quæ *Isidori Mercatoris* vulgò dicitur, eâ sine ulla discretione apocrypha inter & sincera usus Burchardus, opus suum replevit fragmentis pseudo Decretalium veterum Pontificum, aliisque suppositiis monumentis, quæ in illa Collectione continebantur.

Multa ex Reginone descripsit.

Insuper usus fuit Burchardus libris, sive collectione Reginonis; adeo, ut notante Balusio, capita 670. aut circiter Collectione Reginonis in suam transtulisse videatur; idque simpliciter fidem, & citationem Reginonis sequendo.

Hinc rursùs omnia errata Reginonis in suam Collectionem transtulit: quin & ex malo intellectu Reginonis plurimos proprios errores addidit.

Occasione Reginonis multos errores commisit.

Exempli gratiâ Regino volens certum articulum *Inquisitionis* auctoritate aliquorum Canonum confirmare, citato uno Canone, sequenti capite frequenter scribit; *Unde suprà*; quo indicare volebat, hîc de eodem articulo *Inquisitionis* tractari, de quo capite præcedenti.

Burchardus verò credidit, Reginonem per hæc, *Unde suprà*, voluisse notare fontem, è quo caput illud esset desumptum; adeoque caput illud esse ex Concilio, aut Patre decerptum, è quo præcedens.

Hac persuasione factum, aut multa capitula suæ Collectionis falsò inscripserit.

Rem uno, alterove exemplo declarabo. Regino *lib.* 2. *cap.* 363. citat Canonem ex Concilio *Anquirensi*, sive Ancyrano, & capite sequenti alium cum hac simplici inscriptione: *Unde suprà.* Burchardus autem eundem referens *lib.* 10. *cap.* 1. ex jam dicta persuasione tribuit illum Concilio *Anquirensi.*

Ex eodem errore factum, ut caput 407. & 408. Libri 2. Reginonis tribuat Burchardus *Lib* 11. *c.* 2. & 3. Concilio Rothomagensi; eò quòd apud Reginononem sequantur immediatè cap. 406. citatum ex dicto Concilio cum nota, *Unde suprà.*

Simili ex errore credit Stephanus Balusius plures Canones Conciliis Toletanis à Burchardo, & aliis Canonum Collectoribus Burchardum secutis, tribui, qui nulli Concilio Toletano tribui possunt; quos ad calcem Concilii Toletani I. cum hac epigraphe exhibet Garcias Loaisa: „Fragmenta sub titulo Concilio» rum Toletanorum, vel corruptè, vel falsò citata, » cùm in his Conciliis non inveniantur." Habentur tom. Concil. p. 1232.

Deceptus Sigebertus.

Quod autem non refragante hac apocrypharum, & falsarum inscriptionum copiâ de Burchardo dixerit Sigebertus de *Scriptoribus Eccles. cap.* 141. ipsum magnum Canonum Volumen multo labore composuisse, quod testimoniis omnium *authenticorum* Conciliorum, & Decretis Romanorum Pontificum, & sententiis omnium penè Catholicorum Patrum authorizavit: ex quo adhuc omnium Conciliorum decreta *auctorizantur*, id sanè infelicitati istius ætatis adscribendum; quæ, ut dictum est, passim pro *authentico* recipiebat, quidquid in Opere alicujus Viri pro conditione temporis doctrinâ & eruditione celebris, referebatur.

Burchardus aliis Collectoribus Canonum causa fuit errorum.

Hinc factum, ut quemadmodum Burchardus neglectis fontibus rivulos & stagna consuluit, ita qui post Burchardum Canones colligere instituerunt, Burchardi fidem secuti plurima ab ipso collecta in suas collectiones derivaverint; quod de Gratiano, & Collectoribus Decretalium paragrapho sequenti, nonnullis adductis exemplis ostendemus; ut vel hinc appareat, opus Burchardi etiam ad hoc utile esse, ut fontes, è quibus Gratianus & illi Collectores sua hauserunt, noscantur.

§. III.

Gratianus, & Decretalium Collectores fidem Burchardi secuti.

GRatianum in multis simpliciter Burchardi fidem fuisse secutum; eoque ex capite in multiplices errores incidisse, à multis jam pridem annotatum. Pauca è pluribus in re haud dubia sufficiunt.

Regino *lib.* 1. *c.* 136. refert Exemplar Epistolæ Formatæ cum hac epigraphe: „Reverendissimo, & » Sanctissimo Rathbodo S. Treverensis Ecclesiæ Ar» chiepiscopo Dado Wirdunensis Ecclesiæ devotus » gregis Christi famulus in Domino verò Rege sum» mam felicitatis beatitudinem."

Burchardus hoc caput referre intendens, procœmium mutavit in hæc verba: „In nomine Patris, & „ Filii, & Spiritûs S. Walterio Spirensi Episcopo, Ego „ Burchardus Sanctæ Wormatiensis Ecclesiæ devo„ tus gregis Christi famulus in Deo vero summam fe„ licitatis beatitudinem.“

Et tandem concludit; „Data Wormatiæ Idus „ Martii anno Dominicæ Incarnationis millesimo duo„ decimo, indictione X.“ Qui fuit annus, quo Burchardus Volumen suum compilabat. Apud Reginonem annus Dominicæ Incarnationis 904. erat expressus; quo nimirùm Regino suæ erat occupatus collectioni. Gratianus verò nullâ planè factâ mutatione, exemplar illud iisdem verbis, etiam *Burchardi & Wormatiæ* nomine necnon annorum numero retentis, prout à Burchardo erat conceptum, refert *dist.* 73. *Can.* 1.

Suprà monuimus, Burchardum ex errore quodam caput 364. lib. 2. Reginonis tribuisse Concilio Ancyrano, cui tribui non posse etiam monet Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emend. Grat. dial.* 14.

Hîc rursus secutus Burchardum Gratianus eundem refert 26. *q.* 5. *Can.* 12. ex Concil. *Anquirensi cap.* 1. notantque ibidem Correctores Romani: „In Concilio „ Ancyrano Græco aut Latino, neque impresso, ne„ que manuscripto est inventus.

Prætereà Burchardus, cùm in Germania versaretur, eo tempore, quo Francorum nomen parùm ibidem gratum esset, licèt multa referat, quæ ex Capitularibus sumpta esse non obscurè constat tamen solicitè valde à nomine *Capitularium* abstinuit, uti pluribus ostendit Sthephanus Balusius tam in Notis ad Reginonem §. 22. quàm in Notis ad Capitularia, Burchardum tantùm semel citare capitula Caroli Magni, nimirùm *lib.* 2. *cap.* 281. sic tamen, ut addat, ab Episcopis collaudata esse apud Aquisgranum, alioqui forsitam non usurus.

Hinc multa apud Burchardum, & ex Burchardo apud Gratianum variis Synodis adscripta, quæ Capitularibus Regum Francorum fuissent adscribenda; nec in Synodis, sed in Capitularibus passim reperiuntur, ut in multis notârunt Correctores Romani.

Sed hujus Burchardiani instituti, illustrius specimen expeti nequit, quàm quod occurrit *lib.* 6. *cap.* 2. Ibidem enim referent sub nomine Concilii Triburiensis *cap.* 15. *lib.* 4. *Capitularium*, omittit hanc clausulam: *secundum Capitulare gloriosi Caroli genitoris nostri.*

Cùm verò apud Gratianum 17. *q.* 4. *Can.* 26. referatur & sub nomine Concilii Triburiensis, ubi non extat, & omissâ eàdem clausulâ, evidentius argumentum esse non potest, ex Burchardo in Gratianum errores derivatos esse. Repete ea, quæ de hac eadem erronea citatione dicta sunt *part.* 4. *pag.* 114. Quod ad Decretalium collectores attinet, hi non tantùm Burchardi fidem in referendis Canonibus, & Decretis secuti sunt, sed expresso nomine operis illius auctoritate usi fuerunt.

Sic Bernardus Papiensis auctor primæ collectionis Decretalium lib. 4. *de sponsa duorum*, *cap.* 2. refert hoc decretum: „Accepisti illam tibi uxorem, quam „ alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, quia „ nunquam potest tibi fieri legitima & 40. dies in pa„ ne & aqua, quod *carinam* vocant, cum 7. sequen„ tibus annis pœniteas.“ Refertur autem cum hoc titulo: *Ex B. Lib.* 19. hac verò littera notâri *Burchardum* nemini dubium est, & nota marginalis monet.

Burchardus olim dictus Brochardus.

Unde Raymundus dictum decretum ex prima compilatione transferens in Decretales Gregorii IX. in *cap.* 2. ✠ *de sponsa duorum*, dedit hunc titulum, *ex Brochardo libro trigessimo*, at in margine notatur: *ex Burchardo libro decimo nono, capite quinto.* Nam ut observat Boëtius Epo apud Duacenses olim Canonum Antecessor Primarius libro secundo de Jure sacro, Burchardum nationis exteræ, id est, non Germanicæ corrupto nomine passim vocant *Brochardum*; cujus id circò Decretum libris 20. comprehensum sub vocabulo *Brochardicorum* plerumque profertur in medium.

Simili epigraphe inscribuntur *cap.* 1. ✠ *de frigidis & maleficiatis*; & *cap.* 8. ✠ *de accusationibus*: quæ si conferantur cum iis, quæ *lib.* 19. *cap.* 9. Burchardi habentur, uti etiam monet Boëtius, ea non aliunde quàm ex Burchardo desumpta esse videbitur. Ut vel hinc pateat, etiam Burchardi decretum ad hoc conducere, ut sciamus unde ipse Decretales primitùs desumptæ fuerint, earumque genuini fontes detegantur.

CAPUT III.

De Collectione Ivonis Episcopi Carnotensis.

PARAGRAPHUS I.

De Decreto, & Panormia Ivonis, & an hæc revera sit Ivonis.

Quis fuerit Ivo.

Sigebertus *de viris illustribus cap.* 168. ait: „Ivo „ Carnotensis Episcopus scripsit ad Hugonem „ Lugdunensem Archiepiscopum, & Apostolicæ Ec„ clesiæ Legatum Epistolam non multùm prolixam sed „ multùm canonicis & catholicis testimoniis autho„ rizatam pro desidio Regni & Sacerdotii, & pro „ inusitatis Romanæ Ecclesiæ decretis: scripsit & ad „ diversos amicos utiles valdè Epistolas.“ Composuit etiam *insigne volumen Canonum.*

Ivo merito inter Divos relatus.

Præter Sigebertum omnes ferè Historici illius temporis Ivonis cum laude meminerunt. Et ut hi silerent, ejus Epistolæ adeò manifestè loquuntur viri eruditionem & in Canonibus peritiam conjunctam cum vitæ sanctitate; ac præcipuè Episcopali magnanimitate, qua Regis sui vitiis obsistere, cum summo illius in se concitando odio, quod prævidebat, non reformidavit; atque Ecclesiasticæ disciplinæ reformationi cum plurimorum obloquiis & in se conjectis injuriis generosè incumbere perrexit, ut mirandum non sit, si Pius V. Canonicis Regularibus Lateranensis Congregationis diem ejus festum celebrare permiserit 20. Maii, Bullâ datâ 18. Decemb. 1570.

Collectioni Ivonis, quæ decretum dicitur alius ab ipso titulus fuit propositus.

Duplex sub ejus nomine hodie extat Canonum collectio. Una, quæ vulgò dicitur, *Decretum D. Ivonis Episcopi Carnotensis*; cùm tamen verus titulus ab ipso auctore in prologo sui operis expressus esset: *Excerptiones ecclesiasticarum regularum*, id est, excerpta ex ecclesiasticis regulis.

Nec dubium, quin hic titulus operi huic convenientior sit, quàm hodiernus: quandoquidem nullum hîc Ivonis decretum, sed solùm ex Conciliis, Pontificum decretis, aliisque monumentis *excerpta* occurrant; ut infrà dicemus. At postquam Gratiani collectio dicta fuit, *Decretum Gratiani*, etiam eundem titulum Ivoni tributum fuisse credo.

An Libellus, qui dicitur Panormia Ivonis, sit verus ejus fœtus.

Altera collectio inscribitur: *Panormia Ivonis*: eandem cum priori præfationem habens. Quo factum ut viri eruditi non pauci crediderint non esse Ivonis opus, sed Hugonis cujusdam Cathalaunensis, aut alterius incerti auctoris, qui decretum Ivonis in compendium redegerit: idque probare putant ex Vincentio Bellovacensi, qui *lib.* 25. *Speculi Hist. c.* 84. refert, Hugonem ex volumine abbreviato libellum portatilem composuisse, qui *Summa decretorum Ivonis* appellatur.

Verùm cùm referat Sthephanus Balusius in præfatione ad Dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani, hunc Libellum, qui vulgò *Panormia* vocatur, in vetustissimo codice Ms. Sancti Victoris Parisiensis, & in duobus antiquis codicibus Ms. Monasterii S. Alvini Andegavensis vocari *Panormiam*, nonnunquam verò *Summam decretorum*, sat apparet, Libellum à Vincentio Bellovacensi adscriptum Hugoni, fuisse diversum ab illo, qui *Panormia* dicitur; præsertim si vera sit Balusii suspicio, codicem manuscriptum Victorinum antiquiorem esse ipso Hugone Cathalaunensi, cujus meminit Bellovacensis.

His manuscriptis consonat Trithemius qui in libro de scriptoribus ecclesiasticis agens de Ivone ita loquitur: „Scripsit post Burchardum Wormatiensem „ Episcopum ex Canonibus Sanctorum compendio„ sum decretum, quo ante Gratiani tempora utebantur Juristæ quod prænotavit *Panormiam* lib. 10. Excerptiones Ecclesiæ.

Quod verò in editis *Panormiæ* exemplaribus ad calcem descripta sint decreta Innocentii I. qui multis post Ivonis obitum annis factus est Pontifex, non infert, illam esse Ivoni suppositam; quia decreta illa manu recentiori esse adjecta evincit codex Ms. cujus meminit Antonius Augustinus, à quo illa decreta aberant; uti & absunt in antiquissimo codice Bibliothecæ Sancti Victoris, „ in quo ait Stepha„ nus Balusius, Caput quod est 136. octavæ partis in „ editionibus (*Leo Papa in Synodo congregata*) fi„ nem

„ nem imponit Panormiæ. Postea verò nihil aliud re-
„ peritur scriptum in codice illo."

Editiones decretii

Decretum Ivonis primùm typis evulgavit ex codice Ms. Joannes Molinæus in hac academia Lovaniensi Jurium Doctor, & decretorum Regius Professor anno 1561.

Vir eruditus Joannes Fronto Canonicus Regularis Sanctæ Genovefæ, hanc Molinæi editionem contulit cum alio antiquissimo manuscripto Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, & à multis mendis, quibus scatebat, emendatam, & brevibus notis illustratam anno 1647. rursus evulgavit: unde satis intelligitur, quæ editio præferenda.

Editiones Panormis.

Alterum opusculum, quod *Panormia* dicitur, primùm typis evulgatum fuit curâ, & operâ Sebastiani Brant Basiliæ anno 1499. qui hæc de etymo vocis *Panormia* apposuit: »Appellavit autem hunc suum librum Panormiam, quasi to-
Unde nomen Panormia.
» tius justitiæ, sive legis materiam continentem à *Pan*, » quod est *totum* & *nomos* lex, sive *nomia* Justitia, » sive à norma, quæ est regula, sive fabrorum direc- » torium."

Altera editio prodiit Lovanii anno 1557. operâ Melchioris à Vosmediano Artium & S. Theologiæ, Doctore; qui, ut habet ejus ad Lectorem Epistola, multa Conciliorum & Pontificum annotavit Decreta, è quibus capita hujus operis excerpta videbantur: »etiam capitum summaria, quæ desiderabantur, adjeci, ait, & capitum distinctiones toto ope- » re apposui; præter alia multa, quæ ipse restitui, » & emendavi."

§. II.

Unde sua hauserit Ivo, & aliqua de ejus prologo.

Fontes collectionum Ivonis.

FOntes, è quibus opus suum hausit, indicat ipse in prologo utrique operi præfixo. »Excerptiones ecclesiasticarum regularum, inquit, partim ex » Epistolis Romanum Pontificum, partim ex gestis » Conciliorum Catholicorum Episcoporum, partim ex » Institutionibus Catholicorum Regum nonnullas in » unum corpus adunare curavi, ut qui scripta illa ex » quibus ista excerpta sunt, ad manum habere non » poterit, hinc saltem accipiat, quod ad commo- » dum causæ suæ valere perspexerit."

Ivo alios Canonum Collectores secutus.

Huic rursus viro alioqui erudito, ex sui temporis misera conditione accidit, quod non ex fontibus, sed rivulis & stagnis, id est, præcedentibus Canonum Collectoribus, aut posteriorum temporum Scriptoribus veterum Conciliorum, & Patrum sententias retulerit.

Et quidem Ivonem pleraque ex Burchardo mutuasse, eumque *paucis additis & mutatis* secutum esse, monet Antonius Augustinus.

Duo in Ivone, quæ non in Burchardo.

Fatetur quoque Joannes Molinæus in præfatione Decreti Ivoniani, sibi non videri, quid scientiæ Pontificiæ post Burchardum præstiterit Ivo, si hæc duo excipias.

Unum, quod concernit hæresim Berengarii, quæ tempore Ivonis orta demum erat. In cujus confutationem parte 2. *Decreti*, & parte 2. *Panormiæ*, multæ Conciliorum, & Patrum sententiæ referuntur ad confirmationem dogmatis catholici de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia; quarum nulla apud Burchardum occurrit; sed eas postmodum ex Ivone Gatianus in suum Decretum transtulit.

Alterum, quod in Ivone, & non in Burchardo reperitur, est conjunctio Juris civilis cum canonico.

Ivo conjunxit Jus civile cum canonico.

Ivo enim parte 15. *sui Decreti*, & parte 4. *Panormiæ* cap. 23. & sequentibus tranctans de causis, & negotiis Laicorum multa adfert ex Libris Juris civilis; tàm ex Pandectis, quàm ex codice, & Novellis ac Institutionibus Imperatoribus Justiniani, cùm Burchardus ne meminerit quidem Juris civilis; nisi quòd semel iterumve codicis Theodosiani testimonio usus fuerit: adeò ut Ivo primus credatur, qui in Occidente Jus civile cum canonico conjunxerit; quem secuti fuêre Gratianus, aliique posteriores Canonum, & decretalium collectores; atque inde contigit, ut operam dantes Juri canonico etiam animum ad Jus civile applicare cœperint; adeò ut suo tempore quereretur S. Bernardus de Curia Romana, quòd *& quidem quotidie in Palatio perstreperent leges, sed Justiniani, non Domini*, lib. 1. *de consid. cap.* 30.

Prologus utrique

Prologus decreto Ivoniano præfixus, etiam ipsi Panormiæ in editis exemplaribus præfigitur, sub hac epigraphe: *Incipit prologus Panormiæ Ivonis Carnotensis Episcopi de multimoda distinctione Scripturarum sub una castorum eloquiorum contentarum.* *operi præfixus.*

Et quidem prologum à se primùm compositum, ut Panormiæ præponeretur, satis videtur insinuâsse, dum ad calcem prologi dixit, »se deinceps sin- » gularium partium totius Voluminis intentionem bre- » viter perstringere velle, ut hîc prudens Lector ad- » vertat, quid in utraque parte sibi necessarium quæ- » rere debeat:« ibique tantùm octo partium, quibus Panormia constat, compendia refert, cum decretum septendecim partes complectatur.

Panormia ante decretum composita videtur.

Ut proinde non sine fundamento credat Vir Clarissimus Stephanus Balusius, Ivonem primò scripsisse Panormiam, & Præfationem, sive Prologum eodem tempore confecisse, quæ posteà magno Decretalium Volumini præfixa est.

Cùm enim videret Panormiam favorabiliter acceptam in manibus Studiosorum versari, majus Opus aggressus est, in quo & causas tractaret abundantiùs, & præterea excurreret ultra terminos Panormiæ præfixos. Ergo incipiens rursus à Prologo opus, quod in 8. tantum partes diviserat, nunc in 17. distribuit, mutato tamen ordine à Burchardico nimirùm non multùm absimili.

Summarium singularum partium decreti.

Prima pars decreti agit de Sacramento Baptismi & Confirmationis. II. De Eucharistia, Sarificio Missæ, & reliquis Sacramentis. III. De Ecclesia, & rebus ecclesiasticis, & earundem reverentia & observatione. IV. De Festivitatibus, & Jejuniis; Scripturis Canonicis: Consuetudinibus & celebratione Concilii. V. De Primatu R. E. De Jure Primatum, Metropolitanorum, & Episcoporum eorumque Ordinatione, & Dignitate. VI. De Clericorum conversatione, & ordinatione, & correctione & causis. VII. De Monachorum, & Monacharum singularitate, & quiete, & pœnitentia eorum, qui à proposito recesserunt. VIII. De legitimis conjugiis. De Virginibus & Viduis non velatis. De Raptoribus & Concubinis, & pœnitentia singulorum. IX. De diversi generis Fornicatione: & in qua linea Fideles conjungi possint: & de correctione & pœnitentia singulorum. X. De variis homicidiorum generibus & singulorum Pœnitentia. XI. De diversis speciebus Magiæ, & earum pœnitentia. XII. De Furibus, & Usurariis. XIII. De Venatoribus. De Maledicis & contentiosis. De Comessationibus & ebrietatibus. De furiosis. De Judæis. XIV. De Excommunicatione & quibus de rebus, quo ordine facienda sit. XV. De Pœnitentia sanorum, & infirmorum, & qua commutatione leniri possit pœnitentia. XVI. Officiis Laicorum, & causis eorundem. XVII. Continet speculativas SS. Patrum sententias de Fide, Spe, & Charitate.

Multa utilia in decreto, & Panormia Ivonis.

Compendium Panormiæ, ut dixi, inveniet Lector ad calcem prologi ab ipso Ivone descriptum.

Sive Decretum, sive Panormiam spectes, plurima in omni materia reperiuntur in compendio coacervata: plurima Conciliorum & Pontificum Sanctissima decreta: Sanctorum Patrum gravissimæ sententiæ; aliaque veneranda antiquitatis monumenta; ut proinde non sine fructu hæc Ivonis opera revolvantur; modò tamen cum aliquo discretionis sale apocrypha à sinceris secernantur.

Prologus Ivonis opus præclarissimum.

Verùm præ omnibus lectu dignissimus est prologus utrique operi præfixus; in quo Ivonis non tantùm eruditio, sed & verissima Sanctorum scientia mirè relucet; dilucidè pariter, ac doctè exponendo, quomodo in iis, quæ disciplinæ sunt, Ecclesiæ Prælati versari debeant.

Ponit Regulas circa disciplinam à Prælatis observandas.

In primis hanc figit fundamentalem regulam, quòd omnis disciplina ecclesiastica principaliter habeat „ hanc intentionem, vel omnem ædificationem „ adversus scientiam Christi se erigentem destruere, „ vel ædificationem Dei, fidei veritatè, & morum „ honestate constantem construere, vel eandem, si „ contaminata fuerit, pœnitentiæ remediis emunda- „ re. Hujus ædificationis magistra est charitas, quæ „ saluti proximorum consulens, id præcipit aliis fie- „ ri, quod sibi quisque vult ab aliis impendi. Qui- „ cunque ergo Ecclesiasticus Doctor ecclesiasticas re- „ gulas ità interpretatur, aut moderatur, ut ad reg- „ num charitatis cuncta, quæ docuerit, vel expo- „ suerit, referat, nec pecat, nec errat, cùm saluti „ proximorum consulens, ad finem Sacris Institu- „ tionibus debitum pervenire intendat. Unde dicit „ B. Augustinus *de disciplina ecclesiastica* tractans: » cha-

„ Charitatem habe, & fac, quidquid vis. Si corri-
„ pis, corripe cum charitate. Si parcis, parce cum
„ charitate. Sed in his adhibenda est summa diligen-
„ tia, & mundandus oculus cordis; quatenus in pu-
„ niendo, vel parcendo, sanandis morbis charitas
» sincera subveniat: & nemo ibi venalium medico-
» rum more, quod suum est, quærat, & Propheticam
» illam reprehensionem incurrat: mortificabant ani-
» mas, quæ non moriebantur, *& vivificabant animas,*
» *quæ non* vivebant. «

Quomodo Directores spirituales, qua disciplina sunt moderari debeant.

Hac fundamentali regulâ præmissa, exemplo medici corporalis, qui sibi contrarius non censetur, dum pro diversa qualitate morbi, & ægri nunc mordentia, nunc mollientia applicat medicamenta, ostendit, spirituales medicos, Doctores videlicet Sanctæ Ecclesiæ, nec à se, nec inter se dissentire, cùm illicita prohibent, necessaria jubent; summa suadent, venialia indulgent: » cùm secundum duritiem cordis delin-
» quentium pro correctione eorum, vel cautela cæ-
» terorum, severas pœnitentiæ leges imponunt, vel
» secundum devotionem dolentium, & resurgere vo-
» lentium, consideratâ fragilitate vasis, quod portant,
» indulgentiæ malagma superponunt. Nam qui indul-
» gent, majoribus morbis amovendis providenti: &
» qui illicita prohibent, à morte deterrent: qui ve-
» rò necessaria jubent, salutem cupiunt conservare:
» qui autem summa suadent, salutem student au-
» gere. «

Post hæc explicat, quomodo quædam sunt absolutè ad salutem necessaria; quædam absolutè vetita; alia verò consilii, & perfectionis, sine quorum observantia salus æterna etiam acquiri potest, quæ ab hominibus ad salutem tutiùs muniendam, aut faciliùs consequendam insituta sunt.

Præceptiones aliæ mobiles, aliæ immobiles.

His ita breviter prælibatis concludit: » Præceptio-
» nes itaque & prohibitiones, aliæ sunt mobiles, aliæ
» immobiles. Præceptiones immobiles sunt, quas lex
» æterna sanxit: quæ observatæ salutem conferunt, non
» observatæ eandem auferunt: Qualia sunt: *Diliges*
» *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proxi-*
» *mum tuum sicut te ipsum; & honora Patrem tuum,*
» *& Matrem tuam.* Et si qua sunt, his similia. «

Mobiles verò sunt, quas lex æterna non sanxit, sed Posterorum diligentia, rationę utilitatis invenit, »non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad
» eam tutiùs muniendam. Quale est illud Apostoli:
» *Hæreticum hominem post primam, & secundam*
» *correptionem devita.* Non quòd eorum colloquium
» per se saluti obesset, sed quòd frequentatum ex
» obliquo quorundam simplicitatem corrumpere pos-
» set. Et multa reperies in canonicis institutionibus in
» hunc modum. «

Bina regula materia dispensationis.

Posthæc binas, easque utilissimas regulas in materia dispensationis subnectit: » In his igitur, in qui-
» bus observatis salus acquiritur, vel in quibus ne-
» glectis mors indubitata consequitur, nulla est ad-
» mittendâ dispensatio; sed ita sunt omnia mandata,
» vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege san-
» cita. In his verò, quæ propter rigorem disciplinæ,
» vel muniendam salutem Posteriorum sanxit diligen-
» tia, si honesta, vel utilis sequatur compensatio, po-
» test præcedere auctoritate præsidentium diligenter
» deliberata dispensatio. «

Hæc sanctissimæ regulæ, si jam pridem observatæ fuissent, & etiamnùm hodie servarentur; nec Canonum fieret relaxatio, nisi *honesta, vel utilis* sequatur *compensatio*, hoc est, nisi ea ex relaxatione utilitas sequeretur, quæ malum, quod relaxatio secum trahit, compensaret; quomodo non videremus Ecclesiæ disciplinam in multis vigere, quam effrænis Prælatorum relaxatio paulatim evacuavit, & tandem oblitteravit.

§. III.

Gratianus collectione Ivonis usus fuit.

Pleraque Panormiæ capita in decretum Gratiani relata.

SI quis Panormiam Ivonis cum decreto Gratiani contulerit, Gratianum ex hoc libro pleraque, & quidem eodem ordine, ut loquitur Antonius Augustinus, sumpsisse apparebit. Unde & in editione Lovaniensi ad singula penè Panormiæ capita indicatur locus Gratiani, quo idem decretum refertur.

Fontes eorum, qua apud Gratianum extant, apud Ivonem requirendi primum exemplum.

Et quidem, si fontes eorum, quæ apud Gratianum relata sunt, reperire desideras, frequenter ni Ivonis opus consulas, frustrà quæres.

Unum, alterumve è multis exemplum proferam. *Dist.* 1. *de consecrat. Can.* 39. refertur in nomine *S. Ambrosii de catechizandis rudibus*: » Panis, & ca-
» lix non qualibet, sed certa consecratione mysti-
» cus fit nobis non nascitur. Proinde, quod ita fit
» nobis, quamvis sit panis, & calix, alimentum est
» resurrectionis, non Sacramentum Religionis: non
» quod benedicimus, gratiasque agimus Domino in
» omni ejus munere, non tantùm spirituali, verùm
» etiam corporali. «

Certum in primis est, nullum esse Ambrosii Librum de *catechizandis rudibus*, sed Augustini: sed nec in hoc relatam sententiam extare monent Correctores Romani; tametsi similia aliqua apud Augustinum *lib.* 20. *cap.* 13. *contra Faustum*, reperiri dicant; multùm tamen à verbis Gratiani diversa. Unde ergo desumpsit Gratianus? Indubiè ex Panormia Ivonis, ubi etiam nomine Ambrosii de catechizandis rudibus, iisdem planè verbis refert *p.* 1. *cap.* 123.

Secundum.

Rursus Canone sequenti refertur sententia sub nomine Ambrosii ex variis laciniis conflata; quam alibi, quàm apud Ivonem in Panormia *cap.* 124. & in Decreto *p.* 2. *cap.* 7. non facile est reperire: ut proinde haud dubitandum sit, quin hîc sit fons, è quo Gratianus hausit.

In *Can.* 42. eâdem distinctione legitur Confessio Berengarii *iis* verbis expressa, ut eam ex Ivone, qui illam eodem tenore inseruit Panormiæ *p.* 1. *cap.* 126. & decreto *p.* 2. *c.* 10. esse descriptam, sat sit manifestum: quandoquidem ea, quæ alibi extat, ab hac plurimùm discrepet: hæc verò apud nullum Gratiano antiquiorem, si Ivonem excipias, referatur.

Plura similia Lectori, si Gratiani sententias, sive Canones attendere velit, occurrent, quæ ex Ivone deprompta, & ad verbum descripta agnoscet.

Tertium.

Non immeritò proinde gloriatus fuit Joannes Molinæus, quòd adepto Ivonis Opere, repurgando Gratiano, ejusque sententiis ad fontes ipsos reducendis, summum senserit subsidium.

PARS SEXTA.

De Decreto Gratiani.

CAPUT PRIMUM.

De Decreto Gratiani non correcto.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Vera inscriptio Decreti Gratiani. Concordia discordantium Canonum; *& quæ illius ratio.*

Quis Gratianus & quotempore scripserit.

GRatianum patriâ Clusinum, Professione Monachum Sancti Fœlicis Bononiensis, Ordinis S. Benedicti Opus suum, quod hodie vulgò dicitur *Decretum Gratiani*, adornâsse circa annum 1151. communis est opinio, & post Glossam ad *Canonem* 31. *causa* 2. *q.* 6. atque Correctores Romanos veriorem credit Aubertus Miræus in Scholiis ad Henricum Gandavensem de Scriptoribus Eccles.

Qua vera Collectoris inscriptio.

In plerisque vetustis Exemplaribus, inquiunt Correctores Romani in præfatione, hæc tamquam inscriptio rubris litteris posita est, *Concordia discordantium Canonum*, additâ in quibusdam dictione, *incipit*, sine ulla Gratiani mentione.

Hæc

Hæc inscriptio extat etiam, inquit Stephanus Balusius, in Præfatione ad Dialogos Antonii Augustini in duobus Codicibus Ms. Bibliothecæ Regiæ, in uno Sancti Germani Parisiensis, & in alio Bibliothecæ Colbertinæ, tum etiam in antiquis editionibus. Sic etiam in melioribus editionibus, ait Antonius Augustinus *lib.* 1. *dial.* 1. Antonii Democaris & Antonii Contii vox illa *Decretum* utpote inepta, in multitudinem mutata est. *Decretorum collectanea* Democharis; *Decretorum Canonicorum collectanea* Contius appellavit.

Unde Decretum dicta sit collectio Gratiani haud constat.

Decretorum enim, pergit Antonius Augustinus, collectionem esse hanc nemo negaverit, non unius Decreti explanationem.

Decreti nomen collectionem Gratiani non accepisse ab Ivonis, aut Burchardi collectione evidens est; quandoquidem, ut bene observat Antonius Augustinus, veteres libri Ivonis non habebant titulum *Decreti*, sed vocantur, *Excerptiones Ecclesiasticarum Regularum.* Burchardi vero libri veteres carent inscriptione; sed in editis non *Decretum*, sed *Decretum libri XX.* appellantur. *Collectiones* Burchardi Wormatiensis apellat Ivo Carnotensis in Epist. 74.

Qua vero ratione ineptus titulus *Decreti* collectioni Gratiani datus fuerit planè incertum est, illud non obscurum, cur opus suum Gratianus vocare potuerit, *Concordia discordantium Canonum.*

Cur rectè dicatur concordia discordantium Canonum.

Gratianus enim non tantùm Decretis colligendis, uti Isidorus, Burchardus, Ivo aliique antiquiores Canonum Collectores fecerant, operam dedit, sed eo potissimum incubuit, ut certis quæstionibus propositis, quid in utramque partem ex Canonibus, qui inter se nonnunquam pugnare videbantur, inquiunt Correctores Romani in præfatione, dici posset, ipse & afferret & explicaret; omniumque eorum varietatem, quæ speciem dissensionis habebat ad *concordiam* revocaret.

Hæc Correctores Romani, qui ea propter titulum hunc, tanquam operi convenientiorem editioni præfigendum crediderunt. Hinc omnibus editionibus post Romanam correctionem hoc Gratiani volumen inscribitur: *Concordia discordantium Canonum.*

Titulus Decreti cur retentus.

Sed quod mirum, neque ratio, neque edentium auctoritas efficere potuit, ut usus Scholasticus nomen operis mutaret; semper enim usque in hodiernum diem retinuit nomen *Decreti*; nec ferè sub alio nomine in Scholis, aut judiciis innotescit. Unde huic communi, ac insolito usui me accomodans, ne alias idioma ignotum loqui videar, hanc Gratiani collectionem *Decretum Gratiani* voco.

§. II.

Divisio operis, ejusque forma.

OPus suum Gratianus in tres principaliores partes divisit.

Pars I. quid habeat.

Prima pars continent centum & unam distinctiones; quæ *distinctiones* sunt totidem capita, sive sectiones, quibus materiam distinctam proponit & subjectis Conciliorum & Pontificum decretis, vel aliorum sententiis exponit.

Quid distinctio.

Videtur Gratianus in hac uti & in tertia parte specialiter nomen *distinctionum* assumpsisse: quod licèt & in secunda parte Canonum apparentem discordiam in concordiam vocare intendat; tamen præcipuè in hac & tertia parte, distinguendo varias locorum temporumque circumstantias id facere satagat.

Quid in distinctionibus *tractetur.*

In viginti primis distinctionibus tractat de origine, auctoritate, & variis speciebus juris; idque confusè, adductis quibusdam divisionibus. Primò in jus divinum & humanum; in naturale, & positivum.

Secundò in jus scriptum. Tertiò, in jus civile, & ecclesiasticum.

Post hæc explicat præcipuas partes è quibus jus ecclesiasticum constat: quæ sunt Canones Conciliorum, de quibus agit. *dist.* 15. 16. 17. & 18. Item Decreta, & Epistolæ Decretales Pontificum, de quibus tractat *dist.* 19. & sententiæ SS. Patrum de quibus disserit *dist.* 20.

In reliquis distinctionibus de Clericis, & eorum variis speciebus, dignitatibus, promotionibus, honoribus, eorumque officiis; adeo ut ipse Gratianus & Collectores Decretalium asserant, à distinctione 21. incipere *tractatum ordinandorum* & desinere in distinctione 101.

Quid parte II. continetur.

Secunda pars Decreti continet XXXVI. causas; & singulæ causæ suas quæstiones.

Quid causæ.

Porrò *causæ* sunt quasi totidem hypotheses, sive casûs positiones; quarum occasione varias quæstiones format, & proponit; quas frequenter in utramque partem, allegatis Canonibus discutit; suam deinde sententiam depromens.

Exempli gratiâ: Causâ I. proponit hunc casum. „Quidam habens filium obtulit eum ditissimo Cœnobio; exactus ab Abbate, & à fratribus decem libras solvit, ut filius susciperetur, ipso tamen, beneficio ætatis, hoc ignorante. Crevit puer & per incrementa temporum & officiorum ad virilem ætatem, & Sacerdotii gradum pervenit. Exinde suffragantibus meritis in Episcopum eligitur, intervenientе obsequio, & paternis precibus, datâ quoque pecuniâ cuidam ex Consiliariis Archiepiscopi consecratur iste in antistitem, nescius paterni obsequii, & oblatæ pecuniæ. Procedentę verò tempore nonnullos per pecuniam ordinavit, quibusdam verò gratis benedictionem sacerdotalen dedit: tandem apud Metropolitanum suum accusatus, & convictus sententiam in se damnationis accepit."

Hoc casu proposito, deinde septem exinde quæstiones formatas, proponit.

Has quæstiones allegatis auctoritatibus utrimque discusas non tantùm resolvit, & objectas difficultates solvit; sed nonnunquam ratione incidentis sententiæ alicujus Sancti Patris, aut Canonis aliam difficultatem discutit.

Occasione levi accepta ad alia transilit.

Exemplum occurrit in prima quæstione deducta è casu jam proposito, quæ est hæc: *An sit peccatum emere spiritualia?* Cum multorum auctoritate probâsset esse peccatum; atque in testimonio S. Leonis reperisset, quod Simoniaci non nisi spiritum mendacii accipiant; & in testimonio S. Gregorii, apud Simoniacos Sacerdotium non subsistere, & eorum benedictionem in maledictionem converti; latè discutit, atque in utramque partem disputat, an Simoniaci validè Sacramenta conferre possint.

Quod hîc evenit, frequenter contigisse facilè deprehendet diligens Lector; notantque passim Eruditiores Canonistæ, nulla penè materiarum servatâ connexione, acceptâ nescio qua levi occasione, de una ad aliam materiam desultare Gratianum.

Quo occasione inseruerit tractatum de pœnitentia.

Illustre illius hoc exemplum accipe. A causa XXVII. cœperat agere de Matrimonio, cui decem causas, propter materiæ utilitatem & vastitatem destinaverat: causâ verò XXXIII. hunc casum proponit: „Quidam vir maleficiis impeditus, uxori suæ debitum reddere non potuit. Alius interim clanculo eam corrupit: à viro suo separata, corruptori suo publicè nubit: crimen, quod admiserat, *corde tantùm Deo confitetur.*"

Occasione finalium verborum format hanc tertiam quæstionem: *Si sola Confessione cordis crimen possit deleri.* Levissimâ hac occasione arrepta, hac Causa inter tertiam & quartam quæstiones totam materiam Sacramenti Pœnitentiæ latè discutit; eaque nulla facta distinctionum partitione in antiquioribus Gratiani exemplaribus uno contextu legebatur, ut post Antonium Contium monent Correctores Romani; at hodie claritatis causâ in septem distinctiones dividitur; vocaturque *tractatus de Pœnitentia.*

Nullus penè ordo à Gratiano servatus.

Hæc, atque similia evincere videntur, non procul à verò aberrâsse Joannem Molinæum, dum in præfatione Decreti Ivoniani dixit, quod qui ordinem in Gratiano quærunt, venationem delphinorum in sylvis, aut aprorum in fluctibus instituere videantur. Et unus Collocutorum apud Antonium Augustinum lib. 1. dial. 1. *Si artem requiras & ordinem docendi, frustra laborabis.*

Quid tertia pars contineat.

Tertia pars, quæ hodiæ ab aliquibus, propter tractatum *de pœnitentia* vocatur quarta, continet tractatum de *consecratione* in quinque distinctiones divisum.

Quid in singulis distinctionibus, causis & quæstionibus tractet Gratianus, summariè hîc exponerem, nisi in ipso Decreti initio summarium totius Decreti dilucidè extaret sub hoc titulo *decretum abbreviatum singillatim cuncta attingens.*

§.

§. III.

De materia Decreti, ac præsertim de paleis.

Tria genera materiarum. Primum genus.

DEcretum Gratiani è tribus potissimum tanquam materia conflatum est.

Primi quidem generis sunt, Conciliorum, & Pontificum decreta; Patrum, aliorumque Auctorum Ecclesiasticorum sententiæ; & Regum, aut Imperatorum Sanctiones, quæ exemplo Reginonis, Burchardi, Ivonis, aliorumque posteriorum Canonum Collectorum Gratianus collegit; & per varios titulos pro diversitate materiæ distribuit: quæ omnia simpliciter sub nomine *Canonis*, sive quod idem est, *Regulæ* exprimuntur; & in Scholis, & auctoribus passim sub hoc titulo allegari solent.

Secundum genus.

Alia sunt quæ non simpliciter sub nomine *Canonis* exprimuntur; sed additâ hac voce, *palea*.

Quid palea.

Quid hæc inscripto significet, non convenit inter Canonistas.

Nonnulli enim credunt, hanc vocem quibusdam Canonibus præfixam, ut notaretur esse *paleam*, id est, levioris, aut nullius momenti; adeoque tanquam *paleam* à reliquo tritico esse separandam.

Verùm si quis conferat Canones hac inscriptione notatos, cum iis, qui eâdem carent, comperiet, multos illorum utilitate, & auctoritate hisce præstare.

Verisimilius proinde apparet, Canones hac inscriptione insignitos, esse quasdam additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani; sed eas in margine primùm fuisse adscriptas; quæ dein vel librariorum, vel etiam eorum, qui editioni superintenderunt, aut quod frequentius olim contingebat, Scriptorum incuriâ, vel ignorantiâ in textum irrepserunt; idque interdum sine additamento, interdum cum additamento istius vocis *palea*; eâ forsan ratione, quod ut quidam credunt, additionum Auctor appellaretur *palea*.

Hanc opinionem verisimilem reddit, quod monentibus Correctoribus Romanis, in antiquis exemplaribus Gratiani paucas, aut nullas esse *paleas* observetur; adduntque, » in uno valdè emendato exemplari capita illa, quæ *paleæ* inscribuntur, apposita » esse in margine sine ulla nota, sed non omnia quæ » in impressis; quamvis vicissim in illo additiones aliquæ sint, quæ in his non habentur. In alio litteris » perantiquis descripto, *paleæ* ipsæ recentiori scriptura toti volumini præponuntur. In cæteris habentur, aut omnes, aut pleræque: & partim quidem » cum *paleæ* nomine, partim verò sine ullo à cæteris capitibus discrimine. «

Ex hac observatione colligi & ipsi agnoscunt sententiam jam à nobis expressam esse admodum verisimilem.

Palea non contemnenda.

» Falsam verò esse illorum opinionem, inquiunt, » qui eas contemnendas putant, ex eo constat, quòd » multæ & in Decretalibus, & apud vetustiores Gratiani collectiones habeantur. « Quod infra exemplis ostendetur.

Tertium genus.

Tertiò constat Decretum Gratiani ex propriis ipsius Gratiani verbis, quibus casus, aut quæstionis positionem, vel suam circa quæstionem propositam opinionem aut pro contraria opinione objectiones, & argumenta expressit: quæ omnia non sub nomine Canonis, sed solùm sub nomine Gratiani, aut alterius cujuslibet privati Scriptoris dicta citari, aut allegari solent, ut infrà latiùs patebit.

CAPUT II.

De Erratis, et Correctione Decreti.

PARAGRAPHUS I.

De Erratis Gratiani ante Correctionem & eorum fontibus.

PRiusquam de correctione agamus, priùs ostendendum, quot mendis, ac erratis scateret hoc Gratiani Decretum, antequam Virorum eruditorum correctoriam manum subiisset; ut vel hinc appareat correctionis necessitas & laboris utilitas.

Genera erratorum.

Genera eorum breviter expressit Antonius Augustinus *lib.* 1. *dial.* 1. *de emend. Grat.* » Sæpè erratum esse video, inquit, in nominibus hominum, » Urbium, Provinciarum, Conciliorum, & aliarum » rerum. Sæpè falsæ sunt inscriptiones, & quæ Conciliorum sunt, Pontificum esse dicentur; & quæ sunt » unius Episcopi inferioris, Rom. Pontifici, aut Concilio generali vel provinciali tribuuntur. Ex hoc » genere sunt illa, quæ ex Concilio Martini Papæ, » & Adriani Papæ sumpta esse fueruntur, quæ vel » Martino Bracarensi, & Græcis Concilis, vel Engelramo Episcopo, vel Adriano ad Engelramum inscribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quæ » aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa, quæ inscriptiones habent veras, non rectè referuntur. Sæpè enim contrarias sententias referri » scimus, sæpè valdè præcisas. Jam verò quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis Interpretationibus » afferuntur, quasi sint aliorum Scriptorum; ac sæpè » aliud Græcè quàm latinè significant. Exempla singulorum facilè est reperire, & in Scholis ad Canonem per occassionem notata fuerunt; unde his » prætermissis, errorum fontes breviter indicabo. «

Primus erratorum fons.

Primus, hicque exundantior fons est, quod Gratianus ex seculi sui more, non ipsa Concilia, aut regesta Pontificum, neque alia Sanctorum Patrum Scripta revolverit, & consulerit; sed quæ in variis Canonum, aut Scriptorum compilationibus reperit, sine ullo discretionis examine in suam collectionem transtulerit; atque ita quidquid ab illis vel ex ignorantia, vel incuria, aut etiam interdum ex proposito erratum fuerat in suum Codicem invexit.

Accedit, quòd cum eâ ætate nondum nota esset ars typographica, virorum eruditorum scripta amanuensium operâ communicari, ac divulgari deberent. Horum verò imperitia, & obscitantiâ, aut nonnunquam audaciâ, & præsumptione plurima sæpe mutabantur, aut mutilabantur, aliâve ratione corrumpebantur. Hinc manuscriptorum Codicum frequens varietas.

Secundum

Cùm verò nonnunquam vel manuscriptorum deesset copia, vel non vacaret, aut luberet manuscripta inter se conferre, quâ collatione errores deprehendi potuissent, contingit, ut ex vitiato manuscripto errores ulteriùs fuerint propagati.

Quidnî ergo & hinc in ipsum Gratiani Decretum multa errata irrepsisse credamus.

Interim undecunque errores promanaverint, nemo non videt, quàm necessaria fuerit correctoria censura; multumque mirandum hanc fragmentorum, & multorum centonum confusam farraginem præ omnibus reliquis præcedentibus Canonum collectionibus eum habuisse applausum ad successum, ut præcedentibus omnibus Canonum collectionibus tenebris obvolutis, hæc in omnium manibus versaretur; multorum Doctorum illustrata sit lucubrationibus, in Judiciis omnibus & à Theologis & Canonistis in pretio habita, uti infra latiùs dicemus, ejusque rationem assignavimus.

§. II.

De emendatione Gratiani ante Romanam.

Antonius Demochares, & Antonius Contius correxere satagunt.

PRæterito seculo ante factam correctionem Romanam, duo Doctissimi Viri Antonius Demochares Theologus, & Antonius Contius Jurisconsultus dolentes, opus quod in Scholis publicis prælegebatur, commentariis illustrabatur; imo ad quod tanquam totius ecclesiasticæ scientiæ instructissimum armamentarium passim & Theologi, & Canonistæ recursum habebant, tot mendis, & apocryphis scatere, illud studuerunt & in meliorem ordinem, formamque reducere, & à falsis inscriptionibus, & mendis purgare, atque apocrypha à veris monumentis secernere.

Contius Canones suis numeris distinxit.

Imprimis Contius, qui ut asserit Vir eruditus Franciscus Florens Antonius Democharis, *& longè eruditior erat & ingeniosior*, capita, sive Canones in Decreto Gratiani *numeris* distinxit. » Ante Contianam » enim editionem certum est, ait Antonius Augustinus lib. 1. dial. 18. capitum *numeris* nullum Gratiani volumen fuisse distinctum. «

Quæ inde commoditas.

Hinc ab editione Contiana citari cœperunt Canones à Decreto Gratiani designato numero, cùm ante semper citarentur per initialia verba; quæ allegatio non æquè ac per numeros facta Lectoribus, citatum Canonem in Gratiano inspicere cupientibus, erat opportuna.

Cùm enim interdum sub eadem quæstione, vel distinctione plurimi Canones referrentur, tædiosum erat

erat Lectori per omnes inquirere *initialia* eorum verba, ut citatum Canonem reperiret, quæ difficultas non occurrit, ubi per *numeros* allegantur.

Ulterius Democharis ac præcipuè Contius plurimas addidere notas, quibus & veras Canonum inscriptiones, atque apocrypha, nonnumquam feliciter satis indicatur.

Unum hoc accipe specimen.

Contii insignis non.

Incidens Contius in Canones I. & XI. *caus.* 30. *q.* 5. eosque advertens desumptos ex Epistolis Evaristi & Eleuterii ad Canonem XI. hanc notant appendit: » Adulterinam esse hanc Eleuterii Epistolam, quæ tamen extat in primo volumine Conciliorum, vel ex » hoc fragmento liquet. Hæc etenim sunt verba Constantini Imp. in *L.* 1. *C. Theodosiano, de judiciis.* » quæ plusquam centum post Eleuterium annis sunt à » Constantino conscripta, quæ illius Epistolæ fabricator » suppresso nomine copilavit, putans furtum semper » celari posse, sed & tam infeliciter compilavit, ut verba textus cum verbis subjectæ illi præposteræ interpretationis in Alarico breviario temerè miscuerit. «

Et ad Canonem I. postquam diversam Lectionem Canonis è veteri manuscripto codice notavit, subjicit: » Tametsi omnia istius Evaristi decreta videri possint *supposititia*, ut dixi in Præfatione. «

Refert se ad præfationem, in qua multis rationibus ostenderat, Epistolas Decretales veterum Pontificum ante Sylvestrum falsas esse.

Censor Antuerpiensis Præfationem Contii mutilavit.

Hæc quidem in præfatione Contii editioni Antuerpiensis anni 1570. præfixa non leguntur; quia, ut notat Franciscus Florens, Censor Antuerpiensis præfationem mutilavit, ejusque exiguum duntaxat fragmentum reliquit; ejus tamen notas intactas prætermisit, in quibus se in præfatione id præstisse profitetur Contius.

Ex notis intelligitur, quid præfatio habuerit.

Cùm enim ad Canonem 13. *dist.* 6. dixit, Canones XXIV. qui sub nomine Synodi Nicænæ I. citantur in Epistola Julii I. esse supposititios, eò quod nemo, ne Gratianus quidem ipse, eos allegare ausus est, subnectit: Multas autem *suprà in Præfatione* » rationes adduxi, quibus omnes Pontificum, qui Sylvestrum præcesserunt, Decretales falsas esse manifestè ostendi. « Hæc in nota ex editione Antuerpiensi jam citata.

Notatur Antonius Augustinus.

Quod autem dicat Antonius Augustinus *lib. Dialog.* 20. » Ea verba, *nullatenus autem, &c.* mihi » videntur esse Molinæi, non Contii, in eo à Franc» cisco Florente reprehenditur. Sunt enim, ait, re» vera Contii, & ipse Contius ea sibi asserit, si lo» ca omnium, quæ citavimus ex editione Antuerpia» na, diligenter comparantur. "

Accedit, quòd tota latinitas Scholii valdè diversa sit, uti observat Balusius in *notis ad Antonium Augustinum pag.* 433. à stylo Molinæi, neque in editione Gratiani à Contio procuratâ operæ à Molinæo præstitæ ulla mentio fit.

Sed dicit Antonius Augustinus, *nihil ea de re Contius in Præfationibus editis, scriptis*; verisimiliter dum hæc scripsit Ant. Aug. illi non nisi mutilam Præfationem Contii præfixam editioni Antuerpianæ videre licuerat; uti nec aliam hactenus videre potuit.

Nota Democharis, & Contii in editione Antuerpiensi malè miscentur.

Occasione hujus Editionis, illud notandum monet Franciscus Florens, Contii editioni notas ex editione Democharis „ plures admixtas fuisse in editione » Antuerpiensi absque delectu, ità ut non rarò inter se » pugnantia inserantur. Nec enim eadem semper fuit sententia Democharis, quæ Contii; qui Contius & » longè eruditior & ingeniosior erat. "

Et sanè tum hæc, quæ vice speciminis hîc adducta est, tum aliæ non paucæ Viri illius notæ, eruditionem ejus non exiguam ostendunt; ac persuadent editionem Antuerpianam, quæ notas retinuit (correctores enim Romani in sua editione eas omiserunt; aut si iis interdum usi sint, nomen Contii suppresserunt) non esse vilipendendam, ac etiam post correctionem Romanam suâ non carere utilitate infrà ostendetur.

§. III.

De Correctione Romana.

Ratio, quæ ad emendationem Pontifices induxit

NOn pauca quidem pro emendatione Gratiani Decreti per Democharem, ac Contium observata, notataque fuisse jam ostendimus; & ex collatione veterum editionum cum Contiana facilè videri potest.

At Gratiani contextus erat ager incultus, tot herbis asperis, & agrestibus vestitus, ut omnes virorum illorum cultura, & opera ad eum purgandum haud sufficere facilè adverteretur.

Hinc Romani Pontifices, rei amplitudinem considerantes, unaque expendentes, quàm indecorum esset, ut volumen quod majorem corporis canonici partem conficit, quodque in Academiis juventuti prælegitur, exponitur, atque Doctorum commentariis illustratur, tot mendis, & apocryphis scateret; tantâque confusione laboraret, ut à peritioribus passim reputaretur pro indigesta apocryphorum fragmentorum congerie, & farragine; quod, *inquam*, Ecclesiæ nostræ esset probrosum expendentes Romani Pontifices Pius IV. & Pius V. selectis quibusdam viris Gratiani Decreti emendationem, ac correctionem commiserunt; quæ demum sub Gregorio XIII. qui primùm Bononiæ Jus canonicum fuerat interpretatus; ac postmodum factus Cardinalis à Pio IV. pro emendatione fuerat delectus, consummata fuit.

Sub quibus Pontificibus inchoata & absoluta.

Catalogus Virorum, quibus ea cura à Romanis Pontificibus data fuit, extat apud Antonium Augustinum in fine libri prioris Dialogorum de emendatione Gratiani.

Omnes Bibliothecæ excussæ.

Porrò ut hoc Opus ad perfectum perduceretur, » Et Romæ Vaticana Bibliotheca, & monasterii Do» minicani supra Minervam, aliæque non paucæ ex» cussæ sunt, & ex aliis urbibus, & regionibus in» vitati doctissimi homines, qui idem facerent, & si » quidem invenissent, quod ad hanc rem pertineret, » ut suâ pietate libenter communicarent, atque ad » Pontificem mitterent. «

Doctores hujus Academiæ ad operam præstandum incitati.

Breve Apostolicum missum ad hanc Lovaniensem Academiam, quo monentur Doctores, ut conferant operam suam in emendatione Gratiani, habetur in Volumine auctorum Universitatis ab anno 1567. usque ad annum 1576. folio 108.

Index Codicum.

Index Librorum variis ex locis missorum, & quorum operâ hæc Gratiani emendatio subsidium accepit, post præfationem appositus est; in quo sub littera D. habetur: *Decretorum excerpta ex Bibliotheca S. Trudonis ab Alberto Leonino nomine Universitatis Lovaniensis.*

Quid tandem effectum.

» Quâ diligentiâ illud factum est, ut cùm jam pro » magna parte suum unicuique tributum sit, inquiunt » ipsi Correctores in Præfatione, ac propterea intel» ligi plerumque possit, quæ Synodorum generalium, » quæ summorum Pontificum, quæ Provincialium » Conciliorum, quæ Patrum decreta, ac sententiæ; » atque inter hæc, quæ S. Rom. Sedis probata sint, » quæ minimè, vix quisquam errare, atque incerta » pro certis sequi, certa verò pro incertis suspecta » habere posthac queat. "

Num verò hæc Correctorum opinio in tota sua latitudine vera sit, infra investigabimus.

§. IV.

Quæ ratio in emendatione servata.

QUoad falsas citationes, quæ in Gratiani Decreto frequentissimæ erant, hic ordo in emendatione observatus fuit.

Quoad falsas citationes quid factum.

Ubi error evidens erat, aut nonnulla Gratiani exemplaria cum veriore, atque ab aliis Collectoribus allatâ citatione consentiebant, sublatis falsis inscriptionibus veræ sunt restitutæ.

» Ubi verò, quamvis caput apud alium auctorem » esset inventum, fieri tamen poterat, ut illius quo» que esset, quem Gratianus citaret, retentâ Gra» tiani citatione, satis visum est locum ubi hodie ha» beatur indicare.

» Et quoniam interdum aut capitis aliqua quidem » pars illius auctoris est, qui citatur, aliqua verò mi» nimè aut verba valdè sunt mutata; id quoque est » indicatum, adscriptumque præterea in margine, quo » loco idem caput in Glosa Bibliorum ordinaria, in li» bris sententiarum & apud cæteros Collectores ha» beatur. «

Quid in emendatione textus.

Circa emendationem textûs, hæc ratio servata fuit. „ Primò initia capitum ob usitatas Doctorum » citatione non sunt mutata: sed ubi ab originali dis» crepabant, margine, aut in notatione est indicata » germana lectio. "

Hæc sanè cautio necessaria fuit, quia, ut suprà monui, usque ad Contium, Capita, seu Canones non citabantur nisi per verba initialia; eo quòd nec-

dum

dum essent numeris distincta; ideoque nî hæc ratio inita fuisset, loca è Gratiano apud antiquiores Contio relata vix reperiri potuissent.

Habita ratio Glossæ.

„Deinde hæc Glossæ ipsius habita ratio est, (per„gunt Correctores in sua præfatione,) ut nihil in „textu sit mutatum, ubi mutatio ipsa impeditura „erat, quominus quid sibi auctor Glossæ voluisset, „animadverti posset; sed eodem modo aut in mar„gine, aut in notatione mendum indicatum est.

» Ubi verò non obstabant, hæc ferè observata cor» rigendi ratio est: ut si videretur voluisse Gratianus » Auctorum quos citaret, ipsa prorsus verba referre, » ea ex ipso Originali emendarentur, & interdum » etiam non levi proposita utilitate aliqua adderentur: » nisi sicubi vulgata lectio visa est melior; nam tunc il» là retenta notatum est, quomodo Originale ipsum ha» bet. Si autem Gratianus non eadem prorsùs verba af» ferre voluerat, sed aut in summam quamdam ipse re» digere, aut ab aliis reducta, ut ab Auctore Glossæ or» dinariæ, ab Ivone, & alliis Collectoribus, referre; » tunc nihil ferè emendatum est, nisi fortè Partis il» lius unde Collector acceperat, restituta lectio mag» nam afferre visa esset utilitatem: multisque locis id » notatum est, & verba ipsius Originalis allata, ut » Lector identidem in memoriam hujus adhibitæ cor» rectionis revocaretur, & labore ad Originalia adeun» di levaretur. «

§. V.

Quid in forma emendationis observatum desiderâssent Eruditi.

RAtionem, quam in emendatione Gratiani Romani Correctores sibi proposuerant, ipsorum verbis suprà exposuimus; eamque passim quoque servatam fuisse ex eorum notis, & Decreti emendati cum non emendato collatione constare potest.

Varietas Lectionum solum indicanda.

Porrò in hac emendationis forma illud observatum dessiderâssent Viri eruditi, ut vulgatæ editiones Gratiani nunquam ità fuissent immutatæ, quin ejus saltem mentio facta est, imò, ut à variis eruditis Auctorum Correctionibus observatum est, tantùm variantes lectiones annotâssent; Lectori permittentes examen & judicium, quæ è variis lectionibus verior videretur.

Hæc varietas ad quid profuisset.

Quin & hæc varietas lectionum nonnunquam obscuritatem, aut dubium, quod in Canone occurrit, elucidare potuisset; aut etiam detegere fontem lectionis quæ apud veteres Auctores reperitur.

Nihil in inscriptione debuisset mutari.

Illud quoque nonnullis minùs conveniens visum est, quòd viri illi eam sibi libertatem sumpserint; ut inscriptionem Gratiani, etiam interdum costantem in omnibus, tam editis, quam manuscriptis Codicibus Gratiani, sua auctoritate mutaverint; quo factum, ut Gratiani attribuatur id, de quo nunquam cogitavit; nec amplius tam Gratiani, quàm Correctorum opus habeatur.

Exempla mutationis.

Sic *Can.* 3. *dist.* 54. in omnibus antiquis editionibus habetur cum hac inscriptione, *ex Concilio Moguntiensi*, nisi quod Democharis & Contius pro *Moguntiensi*, haberent *Guntiensi*; qui & in margine notârunt: *Can.* 8. *Conc. Cartag. primi*, *id habebatur*. Ex quo factum ut Correctores Romani videntes eam Democharis, & Contii notam esse veram deletâ inscriptione, quæ in omnibus Gratiani editionibus habebatur, hanc ex Concilio Carthaginensi primo substituerint, cum id potiùs in margine, ut Contius & Democharis fecerant, notatum fuisset. Hîc quidem in nota subjecta veteris inscriptionis meminerunt, & unde ejus correctio desumpta sit, indicant, sed nec id ubique monendum censuerunt.

Pro exemplo sit *Can.* 34. *dist.* 50. in omnibus antiquis editionibus hanc præfert inscriptionem *Rabanus Archiepiscopus scribit ad Heribaldum* Correctores Romani nullâ suæ additionis factâ mentione addiderunt in contextu Gratiani: *ex libr. pœn. capit.* 1. hoc est, ex libro pœnitentiali cap. 1.

Inscriptio Romana falsa, & vera Gratiani.

Quæ inscriptio non tantùm falsò attribuitur Gratiano, sed & falsa est; cùm è contra verâ esset ipsius Gratiani. Nam nullus Liber Rabani pœnitentialis unquam inscriptus legitur Heribaldo: sed extat Epistola ad *Heribaldum*, in qua præsens Canon extat; non capite primo, sed decimo; de quo consule Balusium tum in notis ad hunc Canonem, tum in præfatione ad citatam Epistolam Rabani.

Alterum Exemplum.

Similiter inscriptio *Can.* 4. *dist.* 68. ex emendatione Romana habet: *Leo I. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ epist.* 86. *aliàs.* 88. quæ inscriptio non tantum adversatur omnibus Gratiani editionibus, adeoque Gratiano imponit, sed & manifestè falsa est; cùm ex contextu Epistolæ compertum sit, eam nequaquam Leoni I. adscribi posse, uti observat in suis ad hunc Canonem notis Stephanus Balusius; & fusè ac solidè probat Paschasius Quenellius *in dissert.* 11. Operibus S. Leonis annexâ: ibidem tamen monens, eam posse videri esse Leonis III. adeoque veram esse potuisse Gratiani inscriptionem, quæ eam tribuit simpliciter *Leoni*, non exprimendo, num primo, num tertio.

Ex his, aliisque similibus non paucis sat inteligitur, quàm fundata sit nonnullorum querimonia, quod sublatis Gratiani inscriptionibus, aliæ substitutæ fuerint; & non potiùs si quæ mutatio facienda judicaretur, ea in margine aut alibi annotata fuisset, intacto manente ipsius Gratiani contextu.

Verùm de eo major extat Virorum Eruditorum querimonia; quòd ipsum textum Canonum, prout à Gratiano referebantur, vel additione aliquorum verborum, aut eorum detractione sæpius mutaverint.

Exemplum primum.

Exemplum sit *Can.* 3. *caus.* 8. *quæst.* 1. ibi post verba: *Judicio Episcoporum*, *in Codicibus Gratiani etiam manuscriptis* uti Correctores monent, sequebatur: *Et electione Clericorum*: quæ sunt expuncta, inquiunt, quia neque in originali, *neque apud ceteros Collectores leguntur.*

Exemplum secundum.

Sed nonne satius fuisset textum servare integrum, & in notis admonuisse eam clausulam non extare in Originali, neque apud cæteros Collectores? Quidnî fortassis Gratianus exemplar aliquod viderit Concilii Antiocheni, in quo clausula continebatur.

Iterdum autem mutârunt contextum, monendo tantùm in genere aliquid mutatum; quid verò illud sit, subticentes.

Exempli gratiâ *in Canone* 7. *caus.* 34. *q.* 1. emendata, & addita esse nonnulla ex originali & cæteris Collectoribus notant; sed quid emendatum, aut additum sit, non exprimunt.

Quinimò interdum aliqua addita sunt, nequidem in genere ullius emendationis facta mentione.

Plura istius exempla, qui volet, reperiet ex collatione Decreti emendati cum non emendato; unum hoc pro specimine accipe.

Tertium.

In Canone 4. *dist.* 22. post hæc verba: *De Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam?* sequitur: *Quod & D. Piissimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assiduè profitentur*: quæ clausula deest in omnibus antiquis Gratiani exemplaribus, & editionibus, etiam apud Democharem, & Contium; adeo ut evidens sit, eam à Correctoribus Romanis additam esse; nulla tamen addictionis facta mentione, aut insinuatione.

Consectanea ex hac immutatione.

Ex hac tum inscriptionum, tum textum immutatione fit, ut sæpius diximus, ut Gratiani collectionem hodie non habeamus, sed collectionem Romanorum eodem ordine dispositam, qui à Gratiano servatus fuerat.

Ulterius ex hac immutatione contingit, ut quæ in antiquis auctoribus ex Gratiano citantur, & pro auctoritate adferuntur, in ipso Decreto Gratiani non amplius reperiantur.

Denique quis ambigat; quin etiam & ipsa errata auctorum multum nonnunquam asserendæ & eruendæ veritati subserviant, præsertim Auctoris, qui seculis pluribus publicè in scholis, & Judiciis, atque à Theologis, & Canonistis, tanquam totius rei canonicæ absolutum, & perfectum armamentarium habitus fuit.

Veteres Gratiani editiones consulere interdum convenit.

Hinc facilè est concludere, quòd licèt fatendum sit Romanam hanc Decreti Gratiani emendatum editionem in plurimis locis, Conciliorum, Patrum, aliorumque Auctorum, è quibus sua desumpsit Gratianus, textibus esse conformiorem: & à multis mendis & sordibus esse purgatam, tamen si ipsam Gratiani Collectionem, ut à Gratiano edita est, & apud veteres Theologos, & Canonistas recepta, & laudata fuit, consulere velimus, recurrrendum esse ad editiones, quæ Romanam correctionem præcesserunt.

§.

§. VI.

Errata Gratiani post emendationem Romanam.

GRegorius XIII. in Bulla in commendationem Decreti Gratiani jam emendati edita injungit omnibus Christi fidelibus, » ut quæ emendata, & reposi» ta sunt, omnia quàm diligentissimè retineantur, ita » ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur. «

Non est prohibitum inquirere in errata Gratiani. Judicium eruditorum de Decreto emendato.

Hâc tamen Pontificis declaratione nequaquam effectum est, quin etiam post Romanam emendationem plura errata, & apocrypha in Gratiano superesse, quæ omnem Romanorum notam effugerunt, fateri debeamus.

Unde de Gratiano, etiam emendato, dixit Antonius Possevinus *in Apparatum sacro*, *lib.* 1. » De » Gratiano id sciendum est, eum sæpè errâsse tri» buentem iis auctoribus opera, quorum non sunt. « Addit aliquot exempla: Et ante ipsum Bellarminus in Scriptoribus Ecclesiasticis in Gratiano, plurima refert erratorum notabilia exempla, quæ ipsi Correctores ne verbo quidem attigerunt; imò nonnulla ex iis pro veris ipsi agnoverunt.

Multa errata manserunt intacta.

Et quid plura, quis nescit hodie pro apocryphis haberi veterum Pontificum, qui Siricium præcesserunt Decretales Epistolas; aliqua plurima, quæ Isidorus vulgò *Mercator* summâ andaciâ, & impudentiâ confinxit, & supposuit, quibus tamen Gratiani Decretum plenum est? Eaque omnem corectoriam censuram evasere; imò tanquam ad sinceros fontes sæpiùs ab ipsis Correctoribus Romanis ad illa Lector remittitur.

Imò tantùm abest, ut viri illi Decretales illas pro apocryphis haberent, ut notas Antonii Contii, qui plerasque ut suppositicias rejiciebat, omittendas censuerint; neque earum notarum in hoc articulo ullam rationem habuerint.

Alia errata non correcta.

Quid de decretis, quæ sub nomine Concilii Elibertani refert Gratianus, neque à Correctoribus Romanis in dubium vocantur, quæ Vir eruditus Ferdinandus Mendoza *lib.* 1. *de confirmat. Conc. Elibertani*, *cap.* 6. suppositicios esse evidenter ostendit; imò plures illorum ex Canonibus diversarum Synodorum in unum conflatos fuisse.

Quis insuper ignorat, quot hoc seculo prodierint variorum Patrum castigatæ editiones, in quibus tanquam suppositicia probata, & rejecta fuêre quamplurima, quorum fragmenta sub nomine illorum Patrum Gratianus retulerat, & Correctores Romani pro indubitatis Patrum illorum operibus habuêre?

Nequaquam igitur etiam post Romanam emendationem recipiendum ut sincerum, aut suo originali conforme, quidquid à Gratiano refertur; imò nec omnia, quæ ipsi notarunt, aut mutârunt pro talibus habenda; cùm certum sit, ut supra vidimus, etiam Correctores Romanos aliquibus attribuisse aliqua, quæ posteriorum diligentior inquisitio reperit, iis tribui non posse; aliaque tanquam apocrypha rejecta, quæ Romani Correctores pro sinceris monumentis susceperant.

Inutilis non est correctio Contii.

Ex dictis quoque conficitur, nec post correctionem Romanam inutilem esse correctionem, & notas Antonii Contii.

Prima ratio.

Constat enim quædam ipsum annotâsse tanquam apocrypha, quæ ut talia hodie etiam ab omnibus agnoscuntur, a Romanis tamen Corectoribus nequaquam notata; uti sunt, ut suprà diximus, omnes illæ Decretales Epistolæ veterum Pontificum. Quædam deinde à Contio ex originali in margine ad supplendum fragmentum Gratiani notantur, quæ Romani omiserunt.

Secunda.

Denique Romani Correctores Canones aut fragmenta à Gratiano relata interdum ex originali suppleverunt, nullâ facta distinctione supplementi & textûs Gratiani; ut propterea nesciri interdum possit, quid Gratianus voluerit. At Contius dum ex fontibus, vel aliunde ad complendum aut elucidandum textum supplet, illud distincto a reliquo textu charactere notavit. Quod tamen & in Contio reprehendit Antonius Augustinus *in præfatione ad antiquas collectiones Decretalium*; » res enim, ait, est ple» na periculi; cum facile in his librarii labi soleant, » & aliena verba vel longius separata in nostrum ver» borum numerum referre.“

Ita metuebat Vir ille, ne textus alicujus auctoris admixitione alienorum verborum immutaretur.

CAPUT III.

De Auctoritate Decreti Gratiani.

PARAGRAPHUS I.

Decretum Gratiani passim fuit receptum.

ANtonius Augustinus relatis cum laude variorum Doctorum Virorum collectionibus, dicit: » Sed » Gratianus eorum omnium luminibus obstruxit, mul» tis quæstionibus & distinctionibus additis ex jure ci» vili Romanorum, quod tunc reviviscere cœperat, » multis capitibus. «

Decretum Gratiani omnibus præcedentibus collectionibus prælatum. Ab omnibus passim recipitur.

Quin eo brevi pervenit, ut verè de Gratiano dixerit idem Aug. *lib.* 1. *dial.* 1. *de emendat. Grat.* quòd licèt verum esset, quod Gratianus nihil attulisset, quod non apud anteriores Collectores reperitur, » feliciorem tamen cæteris Collectoribus fuis» se negari non posse, quos diù in tenebris fuisse no» vimus, dum hic in omnium manibus versatur, mul» torum Interpretum illustratur lucubrationibus, re» fertur denique in judiciis omnibus, atque à Theo» logis non minus quàm Juris utriusque peritis in pre» tio habetur. « Hæc ille.

Et sanè de Juristis res per se patet, cùm eorum commentarii vix ex alio, quàm ex Gratiani decreto Canones exhibeant; eumque passim ut Juris & Canonum præcipuum fontem respiciant. Et quia in Scholis alios sibi vix Canones prælegi audiunt, dum ad forensia properant, causis ecclesiasticis instruendis, aut decidendis ex hoc decreto Canones haurire solent. Si Theologorum quoque commentarios, præsertim antiquiores, inspiciamus, auctoritates vix alias, quàm ex Gratiano petitas reperiemus. Atque hinc & in his & in illis lapsus frequens, dum Gratiani suppositicias merces à veris non distinguunt; à quo nec S. Thomas omninò est immunis.

Collectores Decretalium illud consuluerunt.

Ulteriùs ea fuit Gratiani auctoritas, ut sequentes Decretalium Collectores, ejus collectionem ut Canonum Codicem seu Decretorum corpus respicerent; atque ad eam vel remitterent, vel quod opportunum videbatur excerperent; parùm soliciti, an ea, quæ Gratianus referret, sincera essent, an mutila, vel apocrypha.

Exemplis paucis hæc declarâsse sufficiet.

Bernardus Papiensis auctor primæ collectionis Decretalium *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 9. ait: *Illud autem, quod de Archiepiscopi consecratione, ordinatione, &c.* ut *in tractatu Ordinandorum.*

Collectores Decretalium remittunt ad Decretum Gratiani.

Ex quo apparet, ait Antonius Augustinus in *notis ad prim. collectionem Decretalium*, *tit.* 4. *cap.* 9. » Bernardum Papiensem habuisse rationem collectio» nis Gratiani, & noluisse repetere, quæ is cons» cripsisset. Namque *tractatus ordinandorum* appella» ri solet à Gratiano, *à distinctione* 23. *usque ad* » *quæstionem primam sive causam* conscripta. Inter» pretes quoque veteres Alanus, Vincentius Tancre» dus, Laurentius & cæteri cum capita collectionis » istius referunt, semper *supra* addunt, perinde ac si » post Gratiani volumen hoc adscriptum esset. Si quis » hanc clausulam integram desideret, videat *cap.* 1. » *dist.* 66. “

Quid vox supra & vox extra in Decretalibus posita significet.

Et quidem in Decretalibus frequenter occurrit illa particula *supra*, qua indicatum voluêre citationem esse in Collectione præcedenti, sive superiore, id est, Decreto Gratiani.

In citatione verò Decretalium addita fuit, vox *extra*; quâ denotabant, collecta illa esse *extra* Decretum Gratiani.

Hinc Bernardus Papiensis primus post Gratianum Decretalium Collector suam collectionem ità inscripsit, *Breviarium extra*, hoc est *extravagantium*; eo, quod præcipua Collectorum post Gratianum intentio esset solùm colligere, quæ *extra* Decretum Gratiani quasi *vagabantur*.

Cur Decretales post Gratianum dictæ extravagantes.

Hanc Bernardi Papiensis mentem expressit Vincentius Hispanus vetus Decretalium Interpres, cujus hæc sunt verba apud Antonium Augustinum *in notis ad primam collectionem Decretalium.* » Quia non om» nia comprehendi poterant in Decretorum corpore, » ut *dist.* 19. *Si Romanorum.* Ideo Magister Bernar» dus Papiensis Præpositus hoc opus compilavit; cu-

» jus intentio est, diversa extravagantia Romanorum » Pontificum, & auctoritates novi, & veteris Testa» menti compilare sub titulis. Materia sunt ipsæ cons» titutiones, seu Decretales &c. «

Ut vel inde sua intelligi queat, quâ in æstimatione apud Decretalium Collectores fuerit Decretum Gratiani.

Indifferenter sine examine Canones Gratiani assumebantur.

Neque multùm erant soliciti, num, cum suo relatum congrueret originali, modo Gratiani fide niteretur.

Exemplum sit. In *Cap.* 1. *de Capellis Monach.* in prima collectione ponitur decretum sub nomine Synodi Claromontensis sub Urbano II. cum nusquam in Synodis sub Urbano II. tale decretum reperiatur; uti ad *Can.* 4. *caus.* 16. *q.* 7. notant Correctores Romani; sed satis erat à Gratiano in citato Canone II. ex illa Synodo referri.

Sic & Innocentius III. *in cap. XI.* ⁂ *de renuntiatione*, utitur auctoritate Canonis II. Pseudo-Synodi Photianæ; eo, quòd sub nomine Concilii legitimi Constantinopolitani eum retulisset Gratianus *Can.* 45. *caus.* 7. *q.* 2. ut notavimus suprà *p.* 3. *cap.* 3. §. 9.

Similiter *in Cap.* 13. ⁂ *de Judiciis*, constitutio tribuitur Theodosio Imperatori, quæ nullâ specie eidem adscribi potest; eo, quòd Gratianus per errorem eam Theodosio tribuisset *in Canone* 35. *caus.* 11. *q.* 1. ex more nempè illius temporis, quo non ad fontes, sed ad Gratianum recurri solebat; quod infinitis propemodum exemplis ostendi posset.

§. II.

Qua ratione tanta Decreto conciliata auctoritas.

MIrum alicui non immerito videri posset, quomodo opus privati Monachi, qualis fuit Gratianus, tanta confusione compactum, tot erratorum congerie refertum, ad eam auctoritatem, & venerationem, de qua in §. præcedenti, pervenire potuerit; tantoque Doctorum, tam Theologorum, quàm Jurisperitorum consensu, & applausu suscipi, & laudari meruerit.

Duo ad hoc concurrunt.

Duo potissimum ad hoc opus specialiter, præ aliis Canonum collectionibus amplectendum, ejusque auctoritatem promovendam conduxisse videntur.

Methodus quem in tractando observavit Gratianus.

Primum, methodus tractandi, & materia, quæ Decreto continetur.

Collectores enim ante Gratianum ipsorum Conciliorum, aut Pontificum decreta, vel SS. Patrum, aliorumque auctorum sententias simpliciter referebant; at Gratianus cum plures Canones, aut Patrum sententias inter se in speciem discordare vidit, varias interpretandi & conciliandi rationes excogitavit & proposuit: unde & opus ejus nomen accepit *concordiæ discordantium Canonum.*

Adhæc, varias quæstiones in utramque partem discutit, ac discusas tandem resolvit.

Porrò cum sub idem tempus exoriri cœpisset disciplina tractandi, quam vulgò dicimus *Scholasticam*; quæ in argumentationibus, variisque quæstionibus in utramque partem discutiendis non parùm occupatur: mirè placuit Doctoribus illius temporis methodus Gratiani, ut pote scholasticum tractandi modum multum redolens.

Accessit & ipsa Gratiani materia. Gratianus enim præ reliquis Canonum collectoribus jure civili Romanorum utitur, quod tùm primùm publicè in Academia Bononiensi doceri, & exponi cœperat: quo titulo Academiæ illius Doctoribus, præcipuè Jurisconsultis Gratiani collectio præ reliquis placuit.

Academia Bononiensis fama multum Decreti auctoritatem promovit.

Alterum quod ad diffundendam longè, latèque hujus operis famam juvit, erat Academiæ Bononiensis tunc temporis nomen.

Cùm enim in ea penè solâ, eâ ætate jus civile Romanorum in toto Occidente prælegeretur, ad ipsam undique Juris studiosi in magno numero confluebant; qui cùm à Juris Ecclesiastici Professoribus nihil præter Decretum Gratiani prælegi audirent; atque in illud Glossas, ac commentarios edi; illudque ut unicum Sacri Juris codicem consuli, magnam indubiè paulatim animis ipsorum illius existimationem instillavit.

Cumque studiorum curriculo absoluto ad proprios lares remeantes, hac circa Decretum existimatione imbuti, nihil præter Canones in eo contentos, atque glossas, & commentarios in eosdem deprædicarent, & secum comportarent, non difficulter intelligitur, summam hoc potuisse auctoritatem operi illi apud varias gentes longè lateque conciliare: maximè accedente temporum illorum conditione, quod sine ullo ferè examine tamquam authenticum reciperetur, quidquid in collectoribus occurrebat.

§. III.

An Decretum publicâ auctoritate polleat.

DEcretum Gratiani nullam publicam auctoritatem à sua posse mutuare auctoritate apud omnes in confesso est.

Ex persona Gratiani non habet.

Cùm enim Gratianus Monachus nullâ in Ecclesia publicâ auctoritate esset donatus, etiam suo operi eam dare non potuit.

Neque pariter Decreto Gratiani publicam auctoritatem conciliat ejus in Scholis publica prælectio. Si enim Trithemio credimus; ante tempora Gratiani Panormiâ Ivonis utebantur Juristæ. Et quid notius, quàm Theologis in Academiis pluribus prælectum fuisse opus Magistri sententiarum, quod tamen publicâ auctoritate pollere nemo unquam dixit?

An ab Eugenio III. probatum.

Quod verò nonnulli dicere voluerint Decretum Gratiani ab Eugenio III. sub quo vixit Gratianus, approbatum fuisse; » Cùm illud nullo (præter unum » Trithemium) probent idoneo teste, inquit Boëtius » Epo apud Duacenses olim Canonum Antecessor » Primarius *lib.* 2. *de Jure Sacro*, *num.* 134. meritò » rejicitur à nobis ut suspectissimum, cùm neque dili» gentissimus in rebus talibus adnotandis Antonius » Archiëpiscopus Flor. neque Platina in vitis Pontifi» cum accuratissimus, neque quisquam probatus Auc» tor alius, qui quidem nostras venerit in manus, id » affirmet. Quin imò contra sentiunt Interpretes ad » unum omnes nostri tam Civilis Juris quàm Pontifi» cii, non ab ullo unquam Pontifice nominatim fuisse » probatum Gratiani hoc Decretum, sed solâ consue» tudine receptum; neque plus auctoritatis adhuc ha» bere, quàm per se habeant auctoritates ipsæ, sive » Pontificum, sive Conciliorum, sive quorumlibet alio» rum Scriptorum, ex quorum fragmentis Decretum » suum Gratianus post Isidorum & Burchardum & » Ivonem & alios consarcinavit; in propriis autem » Gratiani verbis nihil esse majoris auctoritatis, quàm » quantum ratio & æquitas per se patiantur, cùm non » plus tribuatur (in solis quidem suis) Gratiano, quàm » interpreti cuiquam alteri. «

Judicium Antonii Augustini de auctoritate Decreti.

Hæc ille: Cui planè consonat Vir in re canonica versatissimus, quique summo studio Libros duos Dialogorum de Emendatione Gratiani summâ eruditione confectos edidit, Antonius Augustinus in Præfatione ad Canones pœnitentiales: » Est etiam, inquit, de» lectus habendus & ratio auctoritatis constituentium, » in quo video multos Juris Pontificii Studiosos vehe» menter decipi, qui Gratiani collectionem parem » vim cum Gregoriana habere putant: cùm tamen » Gregorius IX. Pontificia auctoritate usus omnibus in » eo volumine Decretalium contentis vim legis statue» rit. Gratianus unius Magistri & Monachi personam » gerens, ea quæ refert non majori pollere potuit ef» ficere auctoritate, quàm antea fuerunt. Itaque siqua » sunt ab eodem relata ex Pontificibus Epistolis, aut » ex Conciliis generalibus sumpta, ex supremâ illâ po» testate, quâ excellunt, apud omnes vim legis ob» tinent: at quæ ex Provincialibus Conciliis, aut ex » Episcoporum, aut aliorum Sanctorum Virorum Li» bris, aut Epistolis accepta sunt, ea generalem non » habent auctoritatem. Accidit autem sæpè, ut falsæ » sint apud Gratianum inscriptiones singulorum Capi» tum.... Ità fit, ut ne illa quidem Capita vim legis » obtineant, quæ dicuntur esse sumpta ex Rom. Pon» tificum, aut ex generalium Conciliorum decretis; » sed necesse est adire fontes unde emanârunt, ut » certa ab incertis distinguamus. «

Judicium antiquum Theologorum Parisiensium.

Observanda quoque hanc in rem vetus, ac doctissima Theologorum Parisiensium Dissertatio edita in confirmationem Censuræ Episcopi Parisiensis contra aliquem è Familia S. Dominici, qui sustinuerat, nihil reperiri apud S. Thomam, quod non esset credendum: cujus Dissertationis hæc est Summa, nec S. Thomæ, nec Magistri sententiarum, nec *Gratiani* imò nec cujuslibet alterius Doctoris, adeò esse per omnia veram sententiam, quin & errare & labi quando-

doque possit: quod nonnullis ex S. Thomæ, Magistri sententiarum, & *Gratiani* desumptis errorum exemplis ostendere conantur. Scripta fuit hæc Apologia anno 1277. & extat ad calcem Magistri Sententiarum.

§. IV.

Nullâ quoque publicâ auctoritate pollet post Correctionem Romanam.

Auctoritate Gregorii XIII. Decretum pretenditur confirmatum. Sed malè.

DEcretum Gratiani ante correctionem Romanam, auctoritatem Juris non obtinuisse facilè omnes concedent, atque de eo duntaxat tempore loqui suprà citatos Auctores prætendunt nonnulli, qui post hanc correctionem volunt illud auctoritate Gregorii XIII. ita esse probatum, ut Canones sive Capita Gratiani undecunque desumpta Juris auctoritatem acceperint, non secus atque Capitula in Decretalibus Gregorii IX. relata; idque per Breve dicti Pontificis Gregorii XIII. editioni Romanæ correctæ præfixum: in quo *jubet, ut quæ emendata, & reposita sunt, omnia quàm diligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur.*

Verùm hæc non ad auctoritatem aliquam publicam Decreto impartiendam spectant, sed ad cavendum, ne quis Operi publico auctoritate, sive curâ Romani Pontificis purgato, & correcto, privatâ auctoritate quidquam addere, aut detrahere audeat.

Quam suam mentem apertiùs in aliis suis litteris eidem Operi præfixis declaravit his verbis: „Nos opportunè providere volentes, ut hoc Jus Canonicum sic expurgatum ad omnes ubique Christi Fideles sartum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quidquam addere, vel immutare, aut invertere, nullave interpretamenta adjungere, sed prout in hac nostra Urbe Roma nunc impressum fuit, semper & perpetuò integrum, & incorruptum conservetur. Motu proprio &c.“

Quid manifestius, quàm id unicè intendisse Pontificem, ne quidquam post Romanam correctionem Corpori Canonico à se emendato *adderetur* aut *detraheretur*, vel *immutaretur*.

Verba Pontificis etiam privatas Gratiani opiniones respiciunt.

Adhæc, cùm jam relata Pontificis verba totum Gratiani Decretum respiciant, etiam consequenter referuntur non tantùm ad ea, quæ ex Conciliis vel Epistolis Pontificum, aut SS. Patrum, aliisque monumentis desumpsit Gratianus, quæ sub nomine *Canonum* citat, sed præterea ad ipsas privatas Gratiani opiniones; quas auctoritatem Juris habere, atque à Pontifice ità probatas esse, ut ab iis recedere non liceret, nemo hactenus asserere ausus fuit.

Liberum est à sententia Gratiani recedere: & sapius recedit Glossa.

Exempli gratiâ: Gratianus in principio distinctionis 18. dicit. » Episcoporum igitur Concilia, ut » ex præmissis apparet, sunt invalida ad definiendum, » & constituendum, non autem ad corrigendum. » Sunt enim necessaria Episcoporum Concilia ad » exhortationem, & correctionem, quæ etsi non habent vim constitutionis, habent tamen auctoritatem imponendi, & indicendi, quod aliàs statutum » est, & generaliter seu specialiter observari præceptum. «

Hanc Gratiani opinionem, quæ negat Episcoporum Conciliis auctoritatem constituendi, & etiamnum hodie Decreto emendato continetur, quisquamne dicet publicâ Ecclesiæ auctoritate probatam? Quam jam pridem his verbis improbavit ipsius Gratiani Glossographus: » Illud non est verum, quia Episcopi » benè condere possunt Canones Episcopales, Archiepiscopi Provinciales: quia quilibet populus, & » quælibet Ecclesia sibi potest statuere Jus aliquod. «

Opinio Gratiani ab omnibus improbata.

Gratianus distinctione prima de Pœnitentia, in utramque partem disputat, an pro remissione peccatorum mortalium in Sacramento Pœnitentiæ requiratur oris confesio ipsi Sacerdoti facienda, an verò non sufficiat soli Deo confiteri; ac tandem allegatis multis Patrum sententiis post Canonem 89. finit his verbis: Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & » confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potiùs adhærendum sit, Lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes, & religiosos Viros. «

Num hoc rursus Gratiani fluctuans in utraque partem judicium ab Ecclesia probatum asseremus? An non potiùs dicemus cum ipsis Romanis Correctoribus: » Certissimum est, & pro certissimo » habendum, peccati mortalis necessariam esse confessionem Sacramentalem, eo modo ac tempore adhibitam, quo in Concilio Tridentino post alia Concilia est constitutum. «

Plura alia Gratiani dicta, quæ jam pridem improbabit Glossa; item S. Antoninus; & quæ tamen post emendationem Romanam supersunt, vide citata in notis subjectis dialogo 18. lib. 2. Antonii Augustini *de emendatione Gratiani*: & in Summa S. Antonii *p.* 4. *tit.* 11. *cap.* 8.

Judicium Doctorum de auctoritate Decreti emendati.

His, aliisque rationibus moti eruditiores passim tam Theologi, quàm Canonistæ, idem planè judicium de relatis à Gratiano, Conciliorum & Pontificum decretis, SS. Patrum, aliorumque Auctorum sententiis proferunt post Romanam editionem emendatam, quale ante eam datum fuit; nimirùm singula, quæ in eo comprehensa sunt, ad suos fontes, & origines revocanda esse; *eo quod*, ait Andræas Vallensis in procemio paratitlorum Decretalium §. 8. num. 12. *ratione Auctorum, è quibus decreta desumuntur, major vel minor sit eorum auctoritas.*

Judicium Henrici Zoesii.

Vallensi succinit alter Academiæ nostræ Auctor Henricus Zoësius in præfatione ad Decretales *num.* 10. qui ibidem probans Decretum Gratiani à nullo Pontifice probatum, ait: » Neque item rectè quis allegavit, Decretum à Gregorio XIII. emendatum, » retineri jussum, eique addi, aut detrahi quid vetitum esse: nam hoc nihil ad confirmationem singulorum eo contentorum, & non alio fine id factum, quàm ut fides sit penes auctorem; nec alia » Canonum ibi contentorum est auctoritas, quam fontium unde emanârunt. «

Sed ut nostrates Theologos, Canonistasque prætereamus, quid ipsi Romani etiam recentiores sentiant, audiamus.

Judicium Fagnani.

Fagnanus ad *cap.* 1. *de constit. num.* 38. probat opinionem Joannis Andreæ, quod *generaliter Decreta Conciliorum, Decretales & leges civiles à Gratiano ibidem insertæ, non aliam habent auctoritatem quàm leges ipsæ, Decreta vel Decretales.*

Cardinalis de Luca.

Et latius Cardinalis de Luca in Annotat. ad Concilium Trident. *discursu* 28. *num.* 8. » Decretum » Gratiani non habet vim Legis per se, utpote con» tinens privatam collectionem plurium sententiarum » SS. Patrum sive aliquorum Decretorum Concilio» rum Generalium, vel Provincialium, necnon regis» trationem aliquarum Legum Civilium, quæ anti» quitus ante inventionem, vel communem receptio» nem, seu usum totius corporis civilis juxta com» pilationem Justiniani, sparsim circumferebantur » per manus aliquorum eruditorum, sive registrata » habebantur in Codice confecto per Gothoicos Re» ges, qui in aliquibus Hispaniæ partibus regnabant; » atque eatenus aliqui ex dictis Canonibus vim legis » habent, quatenus per se eam auctoritatem circum» ferebant, ut sunt decreta aliquot Conciliorum, sive » illæ SS. Patrum traditiones, quas Ecclesia recepit. «

His uno penè calculo subscribunt tam Theologi quàm Canonistæ negantes auctoritatem Juris volumini, quod & hodie post repurgationem factam, mendis, erroribusque non paucis scatere sciunt.

Decretum Gratiani non ita probatum, ut Institutiones Justiniani.

Hoc quidem agnoscunt, opus aliquod à privatis Viris eruditis collectum, & in ordinem redactum, Ecclesiæ, aut Principis auctoritate posse probari; eoque contenta vim legis obtinere; at id quoad Decretum Gratiani contingisse negant; neque Gregorium XIII. aliumve aliquem Romanum Pontificem unquam edixisse de contentis in Decreto Gratiani, quod de *Institutionibus* Juris civilis à privatis quibusdam compilatis dixit Justinianus in procemio Institutionum §. 6. *Et legimus & recognovimus, & plenissimum nostrarum Constitutionum robur eis accommodavimus*, sed solùm jussisse, ne Decreto emendato quidquam adderetur, aut detraheretur, vel immutaretur: quod & de alio quocumque opere verè dici, & statui possent.

§. V.

Utilitas Decreti Gratiani.

Ex communi Decreti receptione auctoritas illi accedit.

TAmetsi communi tam Theologorum quàm Canonistarum consensu Decreto Gratiani, etiam post emendationem Romanam, Juris auctoritas negetur; quia tamen à pluribus jam seculis publicè, tanquam pars Corporis Canonici in Scholis prælegitur, com-

mentariis illustratur; atque ad controversiarum decisionem ex illo tanquam Canonum codice Canones allegari & citari à Canonistis consueverunt, non dubium, quin vel ex illa receptione aliquid saltem auctoritatis Canonibus illis, sive fragmentis à Gratiano relatis accedat: præsertim cum per quatuor facilè secula, Theologi, atque Canonistæ ad hoc Decretum tamquam Canonum Ecclesiasticorum codicem communiter recurrit.

Frequenter utilius est ex Gratiano, quàm ex fonte Canones allegare.

Quapropter si Danon alicujus particularis Concilii, aut sententia S. Patris alteriusve probati Auctoris à Gratiano referatur; & quis illius Canonis, aut sententiæ auctoritate uti velit, sæpiùs non inutile erit, eum è Decreto Gratiani citare; præcipuè si cum Canonistis agatur.

Cùm enim hi à puero Decreto Gratiani assueverint; illudque una cum reliquis partibus Juris Canonici in Scholis prælegi & exponi audiverint, majorem eis idæam imprimere solent, qui è Decreto Gratiani proferuntur Canones, quam è Synodis aliquibus, aut Patribus, aliisque Auctoribus, quos penè nunquam legunt; imò de quibus frequenter nec audiverunt; creduntque communiter, quæ ex his referuntur, Thologos, non Canonistas spectare; nullâque auctoritate valere, nî in Decreto Gratiani sint canonizata.

Hac indubiè de causa, qui Concilia & Patres ediderunt, in margine notare consueverunt loca Gratiani, in quibus Canones aut Patrum sententia referuntur.

Adhæc nemo ambigere potest, quin in Decreto Gratiani contineantur quamplurima, idque in omnibus penè disciplinæ ecclesiasticæ articulis, tum Conciliorum, & Pontificum decreta, tum SS. Patrum

Lectio Gratiani utilis ad assequendam notitiam disciplinæ Ecclesiasticæ.

sententiæ, quæ puriorem Ecclesiæ disciplinam repræsentant, atque abusus condemnant: adeò ut certum sit, ejus lectionem non modò non esse inutilem, sed plurimùm commendandam; ut per eam vera Ecclesiæ disciplina hauriatur: modò cum ea instituatur discretione, ut non omnibus in eo relatis tanquam sinceris illorum Conciliorum, Pontificum, Patrum, aliorumque Autorum verbis, sub quorum nomine proferuntur, indifferenter fides habeatur: atque fragmenta nonnunquam cum integro suo contextu conferantur: quia, ut suprà monui, non semel contingit, fragmentum à Gratiano à reliquo contextu rescissum, alium, aut obscuriorem sensum reddere, quàm eum, quem totus contextus exprimit.

Non omnia rejicienda à Gratiano relata; quia hodie in fontibus non reperiuntur.

Hoc unum hîc monendum censui, non mox ut apocryphum, aut falsum esse rejiciendum à Gratiano relatum, eò quod hodie sub nomine Synodi, aut Auctoris, è quo Gratianus recitat, non reperiatur; cùm certum sit, multa vera esse, quæ temporum vetustas nobis subtraxit, aut hactenus celavit.

Quidnî enim quædam Gratianus sub tempore vidisse potuit, quæ vel temporum injuriâ perierunt, vel hactenus sub pulveribus Bibliothecarum delitescunt.

Utque id possibile esse ostendamus, exempla bina à Stephano Balusio in notis ad Dialogos Augustini accipite.

Probatur pro exempla.

Gratianus 7. *q. in principio*, citavit Canonem ex Concilio apud *Arverniam* celebrato, uti etiam Burchardus & Ivo; cùm verò cum Antonius Augustinus in vulgatis Concilii Arverniensis Canonibus non invenerit, sed inter Canones Concilii Aurelianensis V. sibi visus est justè in hoc loco reprehendisse prædictos Colectores, notando, illos falsò attribuisse Concilio Arveniensi Canonem Concilii Aurelianensis. Non viderat nimirùm Vir eruditus (uti nec Correctores Romani, qui hic etiam Gratianum correxerunt) Synodum Arveniensem II. quam juxta exemplar, quod extat Tolosæ in Bibliotheca Fuxensi, edidit Jacobus Sirmundus, in qua hoc ipsum à Gratiano, Burchardo & Ivone relatum Decretum extat. Habetur tom. 5. Concil. ultimæ edit. *p.* 401.

Alterum exemplum occurrit in *can.* 4. *caus.* 1. *q.* 3. cum hac inscriptione à Gratiano relato: *Ex Concilio Urbani Papæ habito Arveniæ.* Hunc Canonem cum Jacobus Sirmundus non reperisset inter vulgatos Canones illius Synodi, sed legeret inter non editos Concilii, quod anno sequenti Urbanus II. habuit apud Nemausum, admonuit in Antirrhetico secundo adversus Aurelium *p.* 97. falsam esse ejus Canonis inscriptionem apud Gratianum; eumque esse restituendum Concilio Nemausensi. At injustè Gratianum falsæ inscriptionis accusâsse patuit; cum repertum fuit ex vetustis Manuscriptis, hunc Canonem editum revera fuisse in Concilio Claromontano apud Arverniam sub Urbano II & anno sequenti in Synodo Nemausensi renovatum. Vide Notas Gabriëlis Cossartii S. 1. t. 10. C. *p.* 590.

PARS SEPTIMA.

De veteribus Decretalium Collectionibus.

CAPUT PRIMUM.

De Prima, et secunda Decretalium Collectione.

PARAGRAPHUS PRIMUM.

De prima Decretalium Collectione.

Quis hujus collectionis auctor.

PRimus post Gratiani collectionem Bernardus *Circa* Papiensis Præpositus, ac postmodum Episcopus Faventius collectionem fecit, quam ipse *Breviarum Extra* sive *Extravagantium* appellat: eo, quòd collectum sit ex iis, *quæ extra* Decretum Gratiani *vagabantur*; unde & supplementum quoddam est ipsius Gratiani.

Eâ ratione omnes post Gratianum Decretalium collectiones citari solebant per voculam *extra*; per quam & hodie Decretales Gregorii IX allegatur, ut infrà notabitur.

Quid contineat.

Præter antiqua à Gratiano omissa monumenta, Romanorum Pontificum Epistolas Decretales, & Decreta, atque signanter Alexandri III. & Decreta Concilii Lateranensis III. & Turonensis III. quæ sub eodem Pontifice celebrata sunt, colligit; atque eodem

Quis collectionis Ordo.

penè ordine Librorum, & Titulorum materias distribuit, quo hodierna Gregoriana Decretalium collectio composita est; sed sine numeris Capitum, aut Titulorum, quos se addidisse monet Antonius Augustinus in notis ad *cap.* 1. *de constitut.* in hac compilatione.

§. II.

Secunda Decretalium Collectio.

Quis collectionis auctor.

DUodecim circiter annis post factam Bernardi Papiensis Decretalium collectionem, aliam compilationem aggressus est Joannes Gallensis, sive Vallensis ex eorumdem Pontificum Decretalibus in prima omissis; quibus quasdam Cœlestini III. Decretales adjunxit: antiquiora quoque, nonnulla à Gratiano prætermissa intermiscens.

Ordo collectionis.

Ordinem Librorum, & Titulorum in distributione materiæ eundem, quem Bernardus Papiensis, servavit: nisi quod illa multo prolixior sit quam hæc.

In quibus hæc duæ collectiones conveniant.

Utraque hoc commune habet, quod varii cùm primum editæ fuêre, suas Notas & Glossas addiderint; uti testatur Antonius Augustinus in Proœmio de quinque veteribus Collectionibus, eas se vidisse affirmans. Quod sanè ostendit illas apud Eruditos in pretio fuisse.

Utraque apud eruditos in æstimatione fuit, publicam ta-

Constat tamen nunquam publicâ auctoritate probatas fuisse, sed ut privata Doctorum Opera habita, quemadmodum monet loco citato Antonius Augustinus, & vetus Interpres Tancredus; cujus fragmentum refert Franciscus Bosquetus in Notis ad Epist. 71. registri 13. Inocentii III.

Un-

tamen auctoritatem neutra obtinuit.

Unde in *Cap.* 40 ✠ *de sententiâ excom.* dicitur *Verùm ex verbis cujusdam Epistolæ, quam Scholastici ab Alexandro Papa emandâsse proponunt* &c. quo alluditur ad *cap.* 2. *de offic. & potest. Prælati & jud. ord.* in prima compil. ut ex textu manifestum est. Quare & in margine dictum *cap.* 40. notatur.

Cùm ergo tanquam Opus Scholasticorum à Pontifice citetur, non nisi Opus privatum habitum fuisse evincitur.

Utramque edidit Antonius Augustinus; ac priorem doctissimis notis illustravit, ac præcipuè variantes Lectiones Capitulorum ex Originali, & aliorum collectionibus exactè, multoque labore annotavit.

De multiplici harum compilationum utilitate, ubi de tribus reliquis priùs egerimus, uno contextu dicemus.

CAPUT II.

De tertia, et quarta Decretalium Collectione.

PARAGRAPHUS I.

De tertia Decretalium Collectione.

Quis collectionis auctor.

MAgister Bernardus compostellanus Archidiaconus, ait Tancretus *apud Bosquetum loco supra citato*, in Romana Curia moram faciens aliquantùm »de registris Domini Papæ Innocentii III. unam »fecit Decretalium compilationem, quam Bononiæ »studentes *Romanam compilationem* aliquando vo»caverunt. Verum, quia in ipsa compilatione quædam »reperiebantur Decretales, quas Rom. Curia refu»târat, sicuti hodie quædam sunt, quas Curia ip»sa non recipit, idcirco fœlicis record. Dominus In»nocentius Papa III. suas Decretales usque ad an»num XXII. per Magistrum Petrum Beneventanum »Notarium suum in præsenti Opere compilatas Bo»noniæ studentibus destinavit.«

Innocentius III. eam probat.

Hanc collectionem Innocentius III. missit ad Doctores & Scholares Bononienses cum hac epigraphe: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, universis Magistris, & Scholaribus Bononiæ commorantibus salutem & Apost. benedictionem.* »Devotioni ves»træ insinuatione præsentium innotescat, Decretales »Epistolas à Dilecto filio Magistro P. Subdiacono & »Notario nostro compilatas fideliter, & sub compe»tentibus titulis collatas in nostris usque ad 21. annum »contineri registris, quas ad cautelam vobis sub Bul»la nostra diximus transmittendas; ut eisdem absque »quolibet dubitationis scrupulo uti possitis, cùm opus »fuerit, tam in Judiciis, quam in Scholis.«

Hæc compilatio, rejectâ Bernardi Compostellani collectione, *tertia* Decretalium compilatio vocatur.

Prima publica auctoritate facta.

Notat autem Antonius Augustinus hanc primam fuisse, quæ auctoritate publicâ facta fuit Juris Pontificii collectio. »Nam superiores omnes, inquit, si»ve Decretorum sive Decretalium Collectores pri»vatâ auctoritate scripserunt: & rescripta ab eis re»lata negari poterant, nisi ab Scriniariis Rom. Eccle»siæ comprobarentur.«

Unde desumpta.

Desumpta est compilatio ex solis Epistolarum Registris Innocentii III. nihilque præter Epistolarum illarum fragmenta continet. Ordinem Librorum, & Titulorum in dispositione materiæ præcedentium collectionem secutus est etiam hujus Collectionis Auctor.

Eam cum duabus præcedentibus edidit Antonius Augustinus, asseritque in Præfatione, se eadem nomina in Scholiis hujus collectionis vidisse, quæ in aliis collectionibus.

§. II.

De quarta Decretalium Collectione.

ELapso quinquennio ab edita tertia Collectione, quarta prodiit.

Quid huic collectioni causam præbuit.

Huic collectioni causam præbuit Concilium generale Lateranense IV. in quo idem Pontifex Innocentius III. Capita 71. ediderat. Sed illo quinquennii spatio post tertiam Collectionem aliquot ediderat constitutiones. »Ità duplex editio extat,« ait Antonius Augustinus *in Proœmio de quinque antiquis collectionibus*, »altera Canones ejus Concilii tantùm continet. »alia alias quoque Constitutiones.“

Posteriorem duntaxat, quæ „multa Innocen»tii III. post tertiam collectionem rescripta, omnes»que Concilii generalis Lateranensis Constitutiones »ejusdem Pontificis auctoritate, & præsentiâ con»firmatas complectitur.“ edidit Antonius Augustinus, ut ipse in proœmio hujus Collectionis refert; ibidem unà monens, „in hac permulta esse, quæ »in superioribus Collectionibus duriora aut obscurio»ra videbantur, mutata rectiùs, & maximâ cum pru»dentiâ atque æquitate moderata.“

Hæc collectio priores elucidat.

Addidit huic collectioni Scholia veteris Interpretis Joannis Teutonici, & quorundam aliorum.

Idem qui aliorum ordo.

Idem rursùs hujus Collectionis atque præcedentium Librorum, & Titulorum ordo.

CAPUT III.

De Quinta Decretalium Collectione, et hujus ac præcedentium utilitate.

PARAGRAPHUS I.

De quinta Decretalium Collectione.

HOnorius III. immediatus Successor Innocentii III. in multis eum imitatus, Epistolas edidit Decretales decem libris comprehensis, juxta numerum decem annorum, quibus Ecclesiam rexit; quemadmodum Innocentius III. juxta sexdecim annos, quibus in Pontificatu sedit, in totidem libros Epistolas digesserat.

Hæc collectio ex Epistolis Honorii III. conflata auctoritate Honorii publicata.

Porrò sicuti Innocentius ex suis Epistolis, & Decretis duas collectiones in quinque Libros, & varios Titulos distinctos confici jussit; easque suo nomine publicari fecit, ut in Scholis ac judiciis illarum esset usus; ità & Honorius Collectionem è suis Epistolis, servato simili Librorum, ac Titulorum ordine, confici jussit; ac per Magistrum Tancredum Bononiensem Archidiaconum solemniter publicari jussit; atque publicata ab omnibus recipi faceret, tam in judiciis, quàm in scholis: atque hæc est, quæ vocatur Quinta Decretalium Collectio.

Hæc omnia manifesta sunt ex Epistola Tancredo inscriptâ, quæ his verbis concepta conficit capitulum primum hujus Collectionis.

Bulla publicationis.

Honorius Episcopus servus servorum Dei Dilecto Filio Magistro Tancredo Archidiacono Bononiensi salutem & Apost. benedictionem. „Novæ causarum »emergentium quæstiones novis exigunt decisionibus »terminari, ut singulis morbis competentibus reme»diis deputatis, jus suum cuique salubriter tribua»tur. Licet igitur a quibusdam Prædecessoribus nos»tris, per ea, quæ suis temporibus sunt decissa, for»ma futuris negotiis providè sit relicta: quia tamen »prodiga rum natura, secundum varietates multi»plicium cassum parit quotidie novas causas, nos »quasdam Epistolas Decretales super his, quæ nos»tris suborta temporibus, per nos vel fratres nos»tros decidimus, vel etiam aliis de ipsorum consilio »commisimus decidenda, compilari fecimus, & ti»bi sub Bulla nostra duximus destinandas; quo cir»ca discretioni tuæ per Apostol. Scripta mandamus, »quatenùs eis solemniter publicatis absque ullo scru»pulo dubitationis utaris & ab aliis recipi facias, tam »in judiciis, quam in scholis.“

Hujus collectionis quidam Veterum meminere.

Hujus Collectionis jam pridem Canonum Interpretes meminerant, ut Antonius Contius, variis locis, & Cujacius ad titulum Decretalium de *frigidis & maleficiatis*, in fine. Item Antonius Augustinus, qui *proœmio de antiquis Decretalium Collectionibus* hæc habet. „Quinta Collectio Honorii III. »Constitutiones habet à Tancredo Bononiensi Ar»chidiacono, sub ipsius Pontificis Maximi nomine »collectas. Ejus interpres fuit Jacobus Albanus Fa»ventius Episcopos Henrici Ostiensis Præceptor.“

Quin igitur hujus Collectionis aliquam habuerit notitiam Antonius Augustinus ambigi nequit; sed an exemplar illius nactus sit, dubitari facit, quod publicatis quatuor prioribus Decretalium antiquis Collectionibus, hanc non adjunxerit: adjuncturus indubiè si ejus copiam habuisset: quandoquidem non minor ex hac, quam ex præcedentibus utilitas speranda esset, ut mox videmus.

Quis eam primus ediderit.

Primus itaque ex vetustis codicibus manuscriptis Bibliotecæ Albiensis eam evulgavit ann. 1645. Innocentius Cironius juris utriusque Professor, &

Ec-

Ecclesiæ Academiæ Tolosanæ Cancellarius, adjectis doctissimis Scholis, in quibus multa ad Decretalium notitiam assequendam, ex historiis, & aliis antiquis monumentis eruditè explicat.

§. II.

Multiplex hujus, & præcedentium Collectionum Decretalium utilitas.

Prima utilitas. IN primis hæ Collectiones continent plura Pontificum, & Conciliorum utilia Decreta, quæ alibi non reperiuntur: atque hæc prima eorum utilitas.

Secunda. Adhæc, cùm Collectiones illæ publicæ in Scholis prælectæ, atque Doctorum Commentariis illustratæ fuerint, imò & tres posteriores publicâ auctoritate confectæ & publicatæ; etiam decreta in illis conservata, & ad nos transmissa, hoc titulo majoris auctoritatis censenda sunt, atque hinc altera earum utilitas.

Tertia. Sed omnium præcipua, eaque sane magna earum utilitas est, quod sine illarum subsidio, sæpius vix, aut ne vix quidem haberi possit verus sensus Decretalium Gregorii IX. quibus hodie utimur.

Cùm enim Raymundus Decretalium Gregorii IX. Collector, ex præcedentibus Collectionibus fragmenta duntaxat collegerit, intermediis nonnunquam omissis, aut in varias partes dissectis, frequenter contingit à sensu ipsius constitutionis aberrari, dum fragmentum duntaxat à reliqua parte abstractum habetur.

» Quapropter antiquiores, & eruditiores Juris ca-» nonici Interpretes, haud contenti, " inquit sæpiùs laudatus Franciscus Florens in Oratione *de recta juris discendi ratione*, » collectione illa, quam interpretan-» dam suscipiebant, ad alias etiam antiquiores animum » adjecerunt, sine quibus novas intelligi non posse » verissime judicabant. « Quàm verum sit illud Florentis, pluriumque Eruditorum Canonistarum in hac re judicium multis prolatis exemplis ostendam *Parte sequenti cap. primo*, ubi de Decretalibus Gregorii IX. tractabitur.

PARS OCTAVA.

De Decretalibus Gregorii IX. & reliquis moderni Corporis Canonici partibus.

CAPUT PRIMUM.

De Decretalibus Gregorii IX.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Auctor, occasio, ac scopus hujus Collectionis.

POst Decretum Gratiani, tum privatorum operâ, tum Pontificum auctoritate Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum, eorumque in Conciliis sive extra illa variis temporibus edita decreta in unum collecta fuêre.

Quinque veteres collectiones jam suprà retulimus, notatumque fuit, tametsi duæ priores nec publicâ auctoritate essent confectæ, aut probatæ, non minùs tamen, quàm tres posteriores in scholis fuisse prælectas, atque Doctorum commentariis illustratas.

Occasio collectionis. Cùm verò ex hac multiplici collectionum varietate, atque Doctorum commentariis, non exigua obscuritas, & confusio; imò in nonnullis contrarietas occurreret, desiderari cœpit nova collectio, ut colligitur ex Auctore tripartiti opusculi: » Valde bonum *Scopus ejusdem.* » esse, inquit, quòd fieret per Viros sapientes ali-» quod opus continens breviter totum Jus canonicum, » cui Papa præstaret auctoritatem, in quo determina-» rentur contrarietates opinionum. « Habetur *tom.* 11. *Concil. edit. Colon.*

Similis extat querela Auctoris Anonymi, in fine notitiæ utriusque Imperii, quâ Imperatorem Thodosium post editiones Gregoriani & Hermogeniani Codd. ad expurganda contraria, & confusa jura excitat: » Restat unum de tua serenitate remedium ad civi-» lium curarum medicinam', ut confusas legum, con-» trariasque sententias, improbitatis rejecto litigio, ju-» dicio augustæ dignationis illumines." Quod in constitutionibus Imperatorum Theodosius præstare tentavit edito Codice Theodosiano.

Et posteà Justinianus operâ Triboniani celeberrimi Jurisconsulti & in Decretalibus Pontificum Gregorius IX. operâ Raymundi de Pennafort Capellani sui, & Pœnitentiarii.

Testimonium Mathæi Parisiensis de hac collectione. Hæc sat apertè expressit Mathæus Parisiensis in Henrico III. ad ann. 1223. » His temporibus, inquit, » Gregorius IX. videns *tædiosam* Decretalium *pro-» lixitatem*, sub quodam compendio eas eleganter » *abbreviatas & collectas*, solemniter, & authenticè » per totius mundi latitudinem legi præcepit & pro-» mulgari. Illas autem ab Auctore *Gregorianas* ap-» pellamus. «

Martini Poli. Et Martinus Polus de Gregorio IX. loquens ait: » Hic Papa per Raymundum Ordinis Prædic. Pœni-» tentiarium, & Capellanum, ex pluribus voluminibus » Decretalium compilavit unum volumen, mandans » ubique Doctoribus illo uti."

Quæ omnia latiùs ipsemet Gregorius exponit in Epistola suæ collectionis conformatoria, quæ incipit: *Rex Pacificus*, ut ex verbis sequenti §. citandis patebit.

§. II.

E quibus conflata hæ Collectio.

FOntes è quibus collectionem suam conficiendam jusserit Gregorius, suumque in ea conficienda scopum expressit in Epistola hujus suæ collectionis confirmatoria his verbis: „Sanè diversas Constitutio-„nes, & Decretales Epistolas prædecessorum nostro-„rum in diversa dispersas volumina, quarum aliquæ „propter nimiam similitudinem, & quædam propter „contrarietatem, nonnullæ etiam propter suam pro-„lixitatem, confusionem inducere videbantur: aliquæ „verò vagabantur extra volumina supradicta, quæ „tanquam incertæ frequenter in judiciis vacillabant: ad „communem, & maximè studentium utilitatem, per „prædictum filium Fr. Raymundum Cappellanum, „& Pœnitentiarum nostrum, illas in unum volumen, „resecatis superfluis providemus redigendas, adjicien-„tes Constitutiones nostras, & Decretales Episto-„las, per quas nonnulla, quæ in Prioribus erant „dubia, declarantur."

Primus fons. Primùm itaque confecta est ex diversis Pontificum Epistolis Decretalibus, & Constitutionibus, quæ in diversa volumina jam tum erant dispersæ. Quibus indicare voluit præcedentes Decretalium collectiones, de quibus parte præcedenti actum est; è quibus magna ex parte hanc collectionem conflatam esse manifestum est.

Cum autem in his collectionibus non tantum Pontificum Constitutiones & Decretales Epistolæ continerentur, sed insuper nonnulla è Scriptura Sacra, antiquis Conciliis, & Sanctis Patribus, etiam in hac Gregoriana Decretalium compilatione plurima sub eorum nominibus reperiuntur.

Secundus. Secundò, collectioni huic subservierunt, ut dicitur in Præfatione, Epistolæ Decretales, & Constitutiones Pontificum prædecessorum Gregorii, quæ extra ipsas veteres Decretalium collectiones adhuc vagabantur; quæ ob id tanquam incertæ in judiciis frequenter vacillabant.

Undè ait Glossa ad dictam Epistolam Gregorii verbo *vagabantur*: » Illæ non erant in antiqua com-» pilatione, & sunt istæ infra *de servis non ordi-*

» nan-

» *nandis*, *cap. miramur*: Et de *bigamis*, *cap. à no-*
» *bis*, & ità de aliis. «

Tertius. Tertiò, additæ sunt huic Collectioni Decretales, & Constitutiones variæ ipsius Gregorii, » Et quidem, » ut notat Cujacius ad *cap. ult.* ⁘ *de re judicatâ*, » hic ut in hac collectione aliquid de suo insereret, » Jure civili ultrò, non aditus à consultoribus ullis » vel litigatoribus, pleraque sumpsit, & inseruit, » quo fit, ut in ejus constitutionibus nemo inscri- » batur, ad quem constitutiones dirigantur. «

Quàm vera sit hæc Cujacii reflexio, qui hanc Decretalium compilationem vel leviter inspexerit, facilè advertit; cùm ferè sub singulis titulis quædam sub Gregorii IX. nomine simpliciter referantur, quæ nec Epistolam nec alium locum, è quo desumpta sint, adscriptam habent, uti in aliorum Pontificum decretis fieri solet.

Hinc ulteriùs contingit, ut aliorum Pontificum integras Epistolas, è quibus Raymundus, aliique Collectores fragmenta desumpserunt, frequenter non sine magno commodo consulere possimus, nihil verò Gregorii præter ea, quæ Raymundus retulit, non raro obscura habeamus, è quibus eorum elucidationem accipiamus; nî fortè ipsas leges civiles, quibus Gregorius usus fuit, ut infrà latiùs ostendetur.

§. III.

Quis Collectionis Ordo.

Collector ordinem Codicis Justinianæi secutus. IN Decretalibus concinnandis secutus est eam methodum Raymundus, quam in antiquis collectionibus servatam deprehendit.

Quid primis tribus libri primi contineatur. Hi verò Justinianæi codicis, cujus tunc auctoritas elevari cœpta, artem secuti sunt. Unde & hic Gregorianus codex quoad materiæ dispositionem codicem Justinianæum imitatur. Statim enim, uti codex Justiniani, à titulo *de Summa Trinitate* initium sumit. Post hunc partes & species Juris canonici scripti & non scripti, tribus titulis explicantur: *De Constitutionibus*, *De Rescriptis*, & *De Consuetudine*.

Quid reliquis titulis. A quinto verò titulo usque ad titulum *De pactis*, *de Constitutione*, *Qualite Clericorum*, *Ordinationibus*, *Electionibus & Dignitatibus* tractatur, & pars illa prima, *De personis* appellari potest.

Quid libro secundo. A titulo de *Pactis* usque ad finem llbri secundi, tractatur plenissimè de Judiciis Civilibus instituendis, instruendis, & perficiendis: ex qua parte Viri docti observant, praxim fere omnem fluxisse.

Quid tertio & quarto. In tertio & quarto libro de *Rebus Ecclesiasticis* agitur, tam spiritualibus, qualia sunt Sacramenta, quàm temporalibus, verbi gratiâ de Bonis Ecclesiasticis, Contractibus, Testamentis. Item De Ministris, De Præbendis, aliisque dignitatibus, Jure Patronatûs & reliquis. Quia tamen beneficia Ecclesiastica, & bona non in personæ gratiam conferuntur, sed propter officium confertur beneficium, ut vulgò dicitur; Clerici enim divino cultui, ministerio Religionis se debent impendere: breviter antequam de Præbendis tractetur, in quatuor primis titulis libri tertii traditur, quid desideretur in Clericis, ut rectè munus suum peragant, & officii sui admoneantur.

Quid quinto. Postremo, in quinto libro de *criminibus Ecclesiasticis*, agitur de *Accusatione*, de *Persecutione*, *Instructione*, de *Forma Judiciorum criminalium*; ultimò de *Pœnis* & *Censuris Ecclesiasticis*.

Si quis hunc Ordinem cum codice Justinianæo contulerit, videbit, in hac collectione ipsam Justiniani methodum fuisse servatam; si tres tamen posterioris codicis Justiniani Libros, in quibus de Jure publico tractatur, neque in Scholis exponi consueverunt, exceperis; de hoc enim Jure nihil in Decretalibus occurrit.

§. IV.

Multis titulis utiles veteres Decretalium Collectiones.

PRæcedentibus Decretalium collectionibus in hac concinanda collectione usum fuisse Raymundum, suprà notavimus; ipseque Gregorius IX. in sua Epistola collectioni præfixa testatur, se voluisse, ut per Raymundum Prædecessorum suorum Decretales, & Constitutiones per diversa sparsa volumina in unum volumen, *resecatis superfluis*, redigerentur.

Primus titulus. Verùm Raymundus Pontifici obsequi intendens, atque *superflua resecare* volens, nonnunquam superflua credidit, quæ utilia, & summè necessaria erant; ut minùs ad assequendum ipsius Decretalis sensum.

Hinc ad illa verba Epistolæ Gregorianæ, *resecatis superfluis*, hæc extat nota Contii, etiam in editione Romana; *interdum* & utilibus, *quod & de Tribioniano dicitur*, *qui fuit Raymundo isto doctior*.

Secundus. Adhæc Raymundus interdum unam Decretalem divisit; quâ divisione sensus Decretalis vel alius vel saltem obscurior redditur.

Tertius. Ulteriùs Raymundus nonnunquam unam Decretalem retulit omissâ præcedenti, aut sequenti Decretali; cujus cum priore conjunctione Decretalis à Raymundo relata alium planè sensum eumque planum habet, quo caret, cum separata à præcedenti & consequenti legitur.

Quartus. Quin non semel Decretales volens suo quasi tempori accommodare aliqua de proprio admiscuit, quæ alienum omninò sensum ipsi Canoni, aut Decreto affingent.

De his omnibus monitum Francisci Florentis. Hinc Vir eruditus Florens *in oratione de rectæ Juris canonici discendi ratione*, » diligentiorum Ca- » nonistarum exemplo Auditores suos communit, ut » in Gregorii collectione legendâ antiquas collectio- » nes semper adhibeant; in quibus constitutiones » Pontificum integriores reperient, quas Raymundus » à Pennaforti Barcinonensi Gregorii IX. Tribonia- » nus, passim inrerpolavit, rescidit, & immuta- » vit; ac sæpè contra mentem Auctorum « Hæc ille.

Ut verò patescat, quàm fundata ac necessaria sit Viri Clarissimi monitio, juvabit ea, quæ in genere hîc dicta sunt, quibusdam exemplis ostendere, & evincere.

§. I.

Præcedentia exemplis demonstrantur.

Ob omissa à Raymundo verba sensus alteratur. PRimò itaque paucis è pluribus desumptis exemplis ostendemus, ob rescissa, aut omissa à Raymundo verba, alium vel obscurum ipsius Decretalis sensum reddi, ex ipsius integræ Decretalis lectione elucidandum.

Primum exemplum. Exempli gratiâ: *In Cap.* 9. ⁘ *de Consuet.* sub nomine Honorii III. refertur hoc responsum Parisiensi Capitulo: » Cum consuetudinis, ususque longævi non » sit levis auctoritas, & plerumque discordiam pariant » novitates, auctoritate vobis præsentium inhibemus, » ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ec- » clesiæ vestræ constitutiones, & consuetudines ap- » probatas, vel novas etiam inducatis. Si quas fortè » fecistis, irritas decernentes. «

Hoc responsum ita expressum quid aliud insinuat, quàm Capitulum non posse sine consensu Episcopi novas condere constitutiones? Quod generaliter sic intellectum, falsum esse nemo dubitat. Hinc sensus hujus Capituli Canonistis obscurus, & difficilis apparuit; quæ difficultas omnis evanuisset, si ipsam, integram Decretalem consuluissent, quæ extat in quinta collectione *cap.* 1. *eodem titulo*; in quo pro his verbis à Raymundo relatis: *Si quas forte* (constitutiones) *fecistis*, *irritas decernentes*, legitur: *Irritas decernentes* (novas institutiones) *si quas fortè fecistis in ipsius Episcopi præjudicium*, *postquam est regimen Parisiensi Ecclesiæ adeptus*.

Nonne hæc clausula à Raymundo omissa manifestè ostendit, Honorium III. irritas duntaxat declarâsse novas constitutiones à Capitulo factas sine contensu Episcopi *in ipsius Episcopi præjudicium*? Quod responsum nullâ elucidatione eget.

Secundum exemplum. Alterum exemplum peti potest ex *Cap.* 3. ⁘ *de appelat.* quod à Raymundo quibusdam resecatis ità exprimitur: » Ad nostram. *Et infrà*: quia verò re- » medium Appell. non ideo est inventum, ut ali- » cui à religionis & ordinis observantia exorbi- » tanti debeat in sua nequitia Patrocinium exhi- » bere: Mandamus quatenus, si quando quilibet » subditorum tuorum ad remedium appellationis sub- » convolaverit, non ideò minus eum juxta tenorem » mandati, quod in prædicta regula continetur, & » institutionem ordinis corrigas, & castiges. «

Responsum ita expresum insinuat, quasi de Jure canonico inibitum esset appellare, quandocunque Superiores subditos suos inflictis pœnis corrigere volunt. At si integrum legatur ex prima Decretalium collectione, apparebit, agi duntaxat de casu, quo Abbas juxta ipsum regulæ præscriptum, aut Ordi-

nis

nis institutionem subditos corrigere intendit.

Integra Decretalis ita habet: » Ad nostram no-» veris audientiam pervenisse, quod si quando subditos » tuos vis pro excessibus suis secundum regulam S. Be-» dicti, & institutionem tui Ordinis corrigere, & cas-» tigare, ipsi, ut malitiam liberiùs suam valeant exercere, » ad remedium Appellationis confugiunt. Quia verò » remedium Apellationis non ideò fuit inventum, ut » alicui à religionis & ordinis observantia exorbitan-» ti debeat in sua nequitia exhibere patrocinium: d. t. » per A. s. piæ m. qua. si quando quilibet subditorum » ne ipsum pro suis excessibus corrigas, & castiges, » ad remedium Appellationis convolaverit, non ideò » minus eum juxta tenorem mandati, quod in præ-» dicta regula continetur, & institutione, corrigas, » & castiges. «

Omissio unius vocula obscurum sensum reddit.

Quinimò interdum una vocula omissa vel immutata à Raymundo obscurum, imò interdum non inteligibilem facit ipsius Decretalis sensum, qui in ipsa antiqua Decretali planus est & prepicuus.

Exemplum.

Exempli gratiâ: *In Capitulo* 2. ⁂ *de judiciis*, ita legitur: » Decernimus, ut Laici ecclesiastica » tractare negotia non præsumant, sed Episcopi, » Abbates, Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Præ-» lati negotiis ecclesiasticis (maximè de illis, quæ » spiritualia esse noscuntur) Laicorum judicio non » disponant. «

Duo apud Raymundum obscura elucidanda ex antiqua collectione.

Hîc duo obscura admodum sunt. Primum, quomodo *Archiepiscopi*, Episcopis, & Abbatibus postponantur; quæ obscuritas dispellitur è prima collectione, in qua pro *Archiepiscopi* legitur *Archidiaconi*, quod & Glossa advertit, cum notat in margine, Archiepiscopi *aliàs est* Archidiaconi, *& melius*.

Alterum obscurum est, quod dicatur, *ut Prælati de negotiis ecclesiasticis* maxime de illis, quæ spiritualia *esse noscuntur, Laicorum judicio non disponant*; quasi de aliquibus ecclesiasticis negotiis ita disponere possent: quæ rursùs obscuritas ex lectione integræ Decretalis tollitur, ubi loco vocis *maximè* ponitur disjunctiva *vel*; ut sit sensus, *vel de illis, quæ spiritualia esse noscuntur*, &c. quæ sensum habent planum, & minimè obscurum.

Si *Capitulum* 6. *de* ⁂ *Probationibus* legas ut à Raymundo relatum, vix illud conciliabis cum *cap.* 26. ⁂ *de Testibus*; at si primum legas, sicuti in antiqua collectione refertur, obvia erit eorum conciliatio, idque propter hæc à Raymundo omissa verba: *Nec de* Unius *testimonio tantùm curandum est*. Vide Cujacium ad dictum Capitulum 6.

Plurima similia reperiet, qui hanc nostram collectionem cum antiquis conferre voluerit: fatebiturque verissimum esse, quod jam pridem notavit magnus ille Canonista Antonius Augustinus in Præfatione ad antiquas collectiones: *Multa sunt à Raymundo detracta, quæ nisi legantur, vix relictorum sententiam deprehendimus.*

Obscuritas ex omissione aliquarum Decretalium.

Ulteriùs, quia non omnes antiquas Decretales suæ collectioni inserendas censuit Raymundus, sed aliquas quas inutiles, aut superfluas credebat, omisit, factum est, ut interdum integram Decretalem ut in antiqua collectione extabat, referat: sed cujus sensus redditur planè osbcurus aut alius, eo quòd à reliquis, quæ præcedebant, vel sequebantur Decretalibus, & à Raymundo omissæ sunt, sejuncta sit.

Exemplum.

Exemplum sit *Cap.* 3. ⁂ *de Constitut.* quod desumptum est ex *cap.* 4. *eod. tit.* in prima compil. atque ita legitur in utraque collectione *Translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat.* » Quia » enim simul & ab eodem & sub eadem sponsione utra-» que data sunt, quod de uno dicitur, necesse est, ut » de altero intelligatur. «

Hoc fragmentum ita simpliciter expressum, quemadmodum apud Raymundum extat, apparet obscurum, nec intelligitur, qua parte legis translatio facta sit; at si conferatur cum *cap.* 3. & 5. in prima collectione, quæ Raymundus omisit, sensus planus, & vera species facti à pristino Collectore proposita habebitur; nimirùm, præcepta legis veteris, verbi gratiâ Sabbathi, & Circumcisionis, de quibus in dicto *cap.* 3. & legalia, quorum meminit *cap.* 5. sublata esse per Legem Gratiæ: quia cùm Sacerdotium, & Lex antiqua, simul eodem tempore, & sub eadem promissione data sint, ut legitur in hoc nostro Capitulo, sequitur, ut translato Sacerdotio, & novo Sacerdote dato, id est, Christo, per consequens, simul etiam nova Lex daretur, & abrogaret antiquam; quoad ceremonialia scilicet & Legalia, de quibus in citatis Capitulis. Ità Franciscus Florens.

Hinc iterùm evincitur, quàm meritò eruditiores Canonum interpretes ad antiquas collectiones, pro eruendo vero sensu Decretalium Gregorii IX. recurrerint.

Raymundus dividens Decretalem reddit sensum obscurum.

Adhæc Raymundus unam interdum Decretalem in duas, tresve partes divisam sub diversis titulis collocavit; quæ nisi integra legatur, intelligi nequit, neque vera species facti, quæ Pontifici proposita fuit; haberi.

Exemplum.

Ita *caput* 5. *de foro competenti* in III. Compilatione, in tres partes divisit; quarum una refertur *in cap.* 10. ⁂ *de Constitutionibus*, altera *in cap.* 3. ⁂ *ut lite pendente nihil innovetur*, & tertia pars *in cap.* 4. ⁂ *eodem titul.* quæ separationes planè obscurum Capitulorum, uti apud Raymundum extant, sensum efficiunt; neque intelligi queunt, ni integræ & simul junctæ, quemadmodum in antiqua Collectione extant, legantur, ut jam pridem benè advertit & monuit Abbas ad dictum *Capitulum* 3. cujus hæc notanda sunt verba: » Hæc Decretales, & sequens de eodem fac-» to loquuntur, & aliqua ponuntur ibi, quæ præces-» serunt tempore aliqua posita hîc. Et de eodem fac-» to loquitur Cap. *Ecclesiæ S. Mariæ*, *de Const.* & » male potest intelligi una sine aliis. Et ideò Glossa » hic ponit casum & seriem facti ad omnes tres De-» cretales. «

Addendo propria verba sensum invertit.

Quod Raymundus propria sua verba nonnunquam interseruerit; atque ita vel diversum, vel obscurum sensum reddiderit, ex multis compertum est.

Exemplum.

Pro exemplo sit *Cap.* 2. ⁂ *de Elect. & Electi potestate*; quod refert ex prima collectione sub nomine Concilii Sardicensis additâ hâc parenthesi, *nisi de hoc pœnituerit*; quæ nec in Canone Sardicensi, neque in antiqua collectione legitur; ipsumque Canonis sensum non tantùm invertit, sed planè ridiculum reddit. Quis enim pœnam esse dicat, ad communionem non recipi, si de suo commisso peccato non pœnituerit? Vide Notas ad Canonem II. Sardicensem.

Aliud exemplum.

Rursus *in Cap.* 1. ⁂ *de Judiciis*, addidit hanc clausulam: *donec satisfactione præmissa fuerit absolutus*; quæ neque in Canone Africano, è quo primitùs desumpta est Decretalis, neque in antiqua collectione habetur; ipsique Canoni alium planè sensum affingit.

In ipso quippe Canone, uti & in antiqua collectione legitur: *Nullus eidem quod vult eo communicet, donec causa ejus, qualem potuerit, terminum sumat*: quibus verbis innuitur jus, quo olim utebantur, ut benè advertit Cujacius *ad hoc Capitulum*: ne scilicet quis excommunicatus absolveretur ante discussum crimen, cujus reus postulabatur, & ante discussam finitamque excommunicationis causam. At posterioribus seculis obtinuit, ut excommunicatus ob contumaciam statim absolvatur, atque satisfecerit, puta, præstita cautione judicio sisti, etiamsi causa nondum peracta sit: *ob id*, ait Cujacius, *Raymundus verba antiqui Canonis immutavit*. Repete notas ad Canonem LXXXVII. Codicis Africani.

Infinitum esset notare omnia, quæ Raymundus ex antiquis Decretalibus detraxit, aut immutavit, quæ vel ad elucidationem Decretalis, vel etiam ad extruendum alicujus disciplinæ notabile punctum conducunt; quæque Cujacius, Franciscus Florens, aliique eruditiores Decretalium Commentatores, ac præ reliquis Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem exactè notârunt.

Interim hæc vice speciminum prolata sufficere poterunt, ut Canonum diligentiores Studiosi ad consulendum veteres Decretales incitentur; ac persuadeantur, magno sibi in studio Canonum subsidio esse posse.

§. VI.

Sæpe convenit etiam ad ipsarum Decretalium primos fontes recurrere; occurriturque objectionibus contra jam dicta formandis.

Veteres Decretalium Collectiones non semper integras Decre-

PRræcedenti paragrapho sat ostensum fuit quàm fundatè meliores quique Canonistæ pro vero sensu Decretalium Gregorii IX. assequendo suadeant recursum ad pristinas Decretalium collectiones.

Verùm non rarò contigit, ut & ipsi pristini Decretalium compilatores non satis sincerè, aut inte-

Decretales retulerunt Convenit integras consulere.

tegrè ipsos fontes hauserint ; adeò ut nec ex illis verus sensus hauriri queat : ideoque accuratiores & diligentiores Canonistæ non contenti ipsis antiquis Decretalium Collectionibus, harum quoque fontes investigant ; atque in iis non rarò ipsum genuinum Decretalis sensum accipiunt.

Plurima hujusmodi exempla inveniet, qui Cujacium, Franciscum Florentem, Joannem A Costa aliosque meliores Canonistas revolvere voluerit; unum alterumve exemplum magis obvium hîc vice speciminis proferam.

Nemo hodie inter Juris Studiosos ignorat, quanto fervore frequenter agitetur hæc quæstio : *Utrum legatum rei alienæ valeat de jure canonico*, idque unicè propter decisionem *cap.* 5. ✠ *de testamentis*; qua Leges seculi, quæ hujusmodi legatum probant, reprobari videntur : » Et quidem leges seculi » hoc habent, *inquit Decretalis*, ut hæres ad solvendum cogatur, si auctor ejus rem legaverit alienam, sed quia lege Dei, non autem lege hujus » seculi vivimus, valde mihi videtur injustum, ut » res tibi legatæ, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, quia aliena restituere debuisti. «

Primum exemplum

Difficultas circa Cap. 5. ✠ de testam. solvitur.

Quantopere se torqueant Doctores, ut leges civiles, quas nihil in hac parte iniquitatis habere notissimum est, cum hac decisione concilient; utque probent Jus canonicum à Jure civili nequamquam in hac parte dissentire, sciunt omnes : idque sanè non aliunde, quam quod ad fontem Decretalis non recurrant.

Hæc itaque Decretalis fragmentum est Epistolæ 4. lib. 7. S. Gregorii ; quæ si integra legatur, satis patebit aliud noluisse S. Gregorium, quam ut Episcopus, cujus Ecclesiæ legatum relictum erat sepulturæ gratia, non cum omni rigore illud ab hæredibus exigeret ; quia licèt seculi leges, id est, Justinianææ id habeant, ut hæres legatum rei alienæ præstare teneatur, id est, rem illam à Domino emendo, aut si is eam vendere nolit, ejus æstimationem dando, tamen quia, ait Gregorius, *nos lege Dei, non hujus seculi vivimus*, id est, non rigorem legis civilis, sed charitatis, & æquitatis sequi debemus, æquum non est, tale legatum in hoc casu exigere ; eo quòd, uti in Epistola satis insinuatur, charitati parum congruum videretur, legata sepulturæ gratiâ ab Ecclesia rigorosè exigi, ubi adhuc non constabat, num liberi, quos testator reliquerat, satis unde sustentarentur, essent habituri, si legata illa fuissent soluta.

Elucidatio Cap. 13. ✠ de testam. ex integra Decretali.

Obvium quoque est hodie ad nodum usitatam esse quæstionem, *num de Jure canonico institutio hæredis conferri possit in arbitrium tertii*, difficultatemque moveri ratione *Cap.* 13. ✠ *de testament.* quod habet: *Cum tibi de benignitate & infra. In secunda quæstione dicimus, quod qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videretur decedere intestatus.*

Hæc sanè Decretalis ita expressa primo intuitu decidere videtur, *institutionem hæredis in alterius arbitrium posse conferri*, quandoquidem talis *non videatur decedere intestatus.* Neque difficultas ex antiqua collectione tolli potest, cum eisdem verbis ibidem referatur ; at si cum ipsa integra Decretali conferatur, quæ extat, apud Innoc. III. *Lib.* 3. *Epist.* 38. mox difficultas evanescet : Nam ex illa patebit, Innocentium tantùm decidere, similem non decere intestatum ad eum effectum, de quo erat quæstio ; nimirùm ad hoc, ut cesset indultum Episcopo concessum disponendi de rebus Clericorum, qui intestati decedunt. Nam cùm Clericus, decedens, alterius arbitrio ultimam suam voluntatem committit, satis dicitur testari, ac declarare, se nolle, ut ea potestas sit penes Episcopum, verùm penes alium, cujus prudentiæ & arbitrio totum committit. Ecce ex integra Decretali difficultas soluta, quod & advertit Fachinæus *lib.* 5. *controver.* 6. *cap.* 57.

Veterus Decretalium Collectores vera ab apocryphis non distinxerut, & inde in hac collectione quarum fidem secutus Raymundus in similes errores incidit : unde non pauca apud ipsum videre SS. Patribus, aut antiquis Conciliis vel Pontificibus adscripta, quæ illorum non esse apud omnes expeditum est.

tione multa errata.

Capitula 3. & 4. ✠ *de Constitut.* inscribuntur S. Augustino, & *cap.* 5. *eod.* S. Hieronymo ; quæ nec Augustini nec Hieronymi sunt : sed ut notatur in Editione Romana, *hæc verba leguntur in glossa ordinaria.* Et *cap.* 1. *de Sponsa duorum*, citatur *Augustinus de Fide pactionis & consensus* ; cùm hujusmodi Librum edidisse Augustinum nunquam auditum sit : unde & in margine notat Antonius Augustinus : *In B. Augustini verbis hæc nondum inveni.*

Primum genus erratorum.

Similia multa Augustino, Hieronymo aliisque Ecclesiasticis Auctoribus supposita fragmenta occurrunt. Nonnulla etiam ex falsis veterum Pontificum Decretalibus, ut v. g. in *cap.* 1. ✠ *de Hereticis* & aliis.

Secundum genus.

Similiter non pauca antiquis Synodis attribuuntur, quæ illarum non sunt, Sic exempli gratiâ *cap.* 3. ✠ *de Adulteriis*, tribuitur etiam in prima collectione Concilio Arelatensi ; cui tribui non posse notat Antonius Augustinus de *emend. Gratiani*, *lib.* 1. *dialog.* 6. sunt autem verba desumpta ex Libro Hermetis, vulgò *Pastoris* ; & sub ejus nomine extant tanquam *palea* apud Gratianum 34. *quæst.* 1. *can.* 7. Et *cap.* 2. ✠ *de Clerico excomunicato*, dicitur desumptum ex Concilio Antiocheno, cujus tamen nihil in illo Concilio simile occurrit, nisi fortè aliquid in canone 4. qui tamen quàm differat ab hac Decretali, ex sola inspectione illius Canonis *part.* 2. *cap.* 1. §. 11. relati patebit. Plura alia attento Lectori facilè occurrent ; maximè, si quis consulat Notas Antonii Augustini ad primam collectionem. Ex hac enim collectione pleraque falsò inscripta in hanc Decretalium collectionem dimanârunt.

Tertium.

Sed opponet quis, quid opus ad fragmentorum fontes recurrere ; aut quid necessè scrupulose indagare, num relata sint sincera, an apochripha; utrum genuina Auctorum quibus tribuuntur opera, an supposititia? Sicuti enim Justinianus licentiam tribuit sui novi codicis confectoribus, ut anterioribus, constitutionibus, ea, quæ opportuna & utilia viderentur, adderent, vel demerent, atque iis ità immutatis plenam Legum vim impartitus est, nullis concedens *ex Libris veterum Juris interpretatorum aliter eas habentes recitare*, L. *Unica*, *C. de Justinianæo Cod. confirm.* ita quoque Gregorius voluit per Sanctum Raymundum prædecessorum suorum Decretales in diversa sparsas volumina in unum colligi, *resecatis superfluis* ; atque collectionem factam & sibi oblatam approvavit ; „ volens, ut hac tantùm compilatione universi utantur in judiciis & scholis, districtiùs » prohibens, ne quis præsumat aliam facere, absque » auctoritate Sedis Apostolicæ. «

Duplex contra antedicta objectio.

De auctoritate, & approbatione hujus collectionis agemus infra capite 3. postquam de reliquis corporis canonici partibus egerimus ; interim datâ hac approbatione nequaquam inutilis est, quem doctiores quique Canonistæ tantopere commendârunt, recursus ad fontes, è quibus fragmenta hujus collectionis desumpta sunt.

Ut enim demus illa fragmenta, ut in hoc codice extant, auctoritatem juris habere, non secus atque ea, quæ è veterum Jurisconsultorum libris, aut Imperatorum constitutionibus in corpore Juris civilis relata sunt, negari tamen nequit, quin frequenter ambiguitas & obscuritas in his ipsis fragmentis occurrat ; quæ ex toto contextu facilè elucidari possit.

Occurritur priori.

Neque enim suadetur recursus ad fontes, quasi sine illis nulla juris auctoritas esset fragmentorum relatorum, sed solùm ut verus, & genuinus sensus eorum haberi queat.

Et quis nescit, quantopere clariores Legum interpretes desiderent & investigent veterum Romanorum Jurisconsultorum, Papiniani, Ulpiani, aliorumque responsa, & scripta, ut ex illis Legum clariorem sensum eruere queant?

Similiter nemo dubitat, quin Ecclesia, Pontifex, aliusve publica instructus auctoritate, queat auctoritatem juris impartire iis, quæ aliquorum Auctorum, aut Conciliorum vel Pontificum creduntur, licèt revera

Occurritur posteriori.

eorum non sint. Nequaquam tamen propterea inutile, aut superfluum esset inquirere, num quæ referuntur, rectè & verè eorum nominibus inscribantur; haud difficulter intelliget, qui expenderit, multum sanè interesse, num disciplina aliqua recenter duntaxat sit introducta, an verò a temporibus Patrum fuerit usitata. Item an in melioribus Ecclesiæ temporibus in plenariis Conciliis probata, an verò durioribus & declinantibus jam Ecclesiæ seculis sensim tolerata potiùs, quam positivè probata. An disciplina, quæ in suppositiiis fragmentis exhibetur, contraria non sit disciplinæ, quæ ætate auctoris, aut Concilii; cui tribuitur, vigebat.

Quàm hæc pro assequenda vera notitia disciplinæ ecclesiasticæ, justumque de ejus auctoritate formandum judicium necessaria sint, abundè ostendi supra *p.* 1. *cap.* 2.

Potest supplementa ex antiquis Decretalibus addita, adhuc convenit eas consulere.

Sed dicet quis, quid opus consulere antiquas collectiones, cùm illa, quæ è pristinis collectionibus detraxerat Raymundus, suppleverint partim Antonius Contius, partim Franciscus Pegna Hispanus, & ad calcem capitulorum in Editione Romana diverso charactere subjiciantur? Respondeo, imprimis ex hac adjectione, sive capitulorum suppletione satis evincitur, non Contium tantùm & Franciscum Pegnam, sed & Romanos, qui Editioni huic intenderunt; non dubitasse admodum conducere integram Decretalem, è quâ suam traxerat Raymundus, habere.

Verùm multa sunt partim addita, partim omissa à Raymundo, quorum nulla in parte adjecta fit mentio: imò nescio an vel unum ex iis quæ suprà retuli, integrè in Editione Romana suppleantur; ideoque nec post hunc Virorum eruditorum laborem inanis erit ad veteres collectiones recursus.

CAPUT II.

De reliquis Corporis Juris Canonici partibus.

PARAGRAPHUS I.

De Sexto Decretalium.

GRegorius IX. in Epistola suæ collectionis confirmatoria prohibuerat, ne quis præsumeret aliam collectionem facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali; quare penè cessatum fuit à collectione Decretalium usque ad Bonifacium VIII. qui anno quarto sui Pontificatûs, id est, sub finem seculi XIII. novam Decretalium fieri mandavit, & suo nomine publicavit.

Verba præfationis.

Quis scopus, materia & methodus sit hujus collectionis, ex verbis Epistolæ collectionis confirmatoriæ habetur: » Sanè, cùm post volumen, inquit, » Decretalium à felicis recordationis Gregorio Pa» pa IX. Prædecessore nostro tâm providè quàm uti» liter compilatum, nonnullæ ab eo & ab aliis Rom. » Pontificibus successivè super diversis dicerentur ar» ticulis æditæ Decretales; de quarum aliquibus, an » Decretales existerent, earumque Auctoribus, du» bitabatur solicitè in Judiciis & Scholis; nos ad api» cem summi Pontificatus suprema dispositione vo» cati, super hoc cum instantia requisiti à multis, » ambiguitatem, & incertitudinem hujusmodi dispen» dium pluribus afferentem omninò tollere ac elu» cidare, quæ de Decretalibus ipsis teneri, quævè » deberent in posterum refutari, gratia suffragante » divina, pro utilitate publica desiderabiliter affec» tantes; per venerabiles Fratres nostros Guillelmum » Archiepiscopum Ebrudunen, & Berengarium Epis» copum Biterenen. ac dilectum Filium Richardum de » Senis S. R. Ecclesiæ Vice-Cancelarium, J. U. Doc» torem, Decretales hujusmodi diligentiùs fecimus re» censeri: & tandem pluribus ex ipsis (cùm vel tem» porales, aut sibi ipsis, vel alii Juribus contrariæ, » seu omninò superfluæ viderentur) penitùs resecatis, » reliquas, quibusdam ex eis abbreviatis, & aliqui» bus in toto, vel parte mutatis, multisque correc» tionibus, detractionibus, & additionibus (pro ex» pedire vidimus) factis in ipsis, in unum Librum » cum nonnullis nostris constitutionibus (in quibus » ad correctionem morum, subitorumque quietem, » multa statuuntur salubria, fructusque uberes Deo » propitio in Domo Domini allatura; & plurima in » Judiciis, & extra frequentata dubia deciduntur) re» degi mandavimus, & sub debitis titulis collocari. «

Scopus Bonifacii VII.

Hinc patescit, scopum Bonifacii fuisse Decretales Pontificum, quæ extra collectionem Gregorii IX. vagabantur; & quarum fides in Judiciis vacillabat, & quæstiones frequentes excitabant, in unum volumen redigere: eâque redactione discernere, quæ recipiendæ, & quæ repudiandæ essent.

Materia collectionis.

Materia quoque, è qua collectionem fieri voluit, non obscurè innuitur: nimirùm ex ipsius Gregorii IX. Decretalibus, quas ipse suæ collectioni non inclusserat, quæ ante editam Bonifacii compilationem dicebantur, *Extravagantes Gregorii IX.* & interdum titulis Decretalium adjungebantur, & à Doctoribus unà cum reliquis Capitulis Decretalium Gregorii IX. exponebantur: de quibus consule Cujacium ad *cap. ult. de Testibus.*

Præter Gregorii IX. insuper aliorum Pontificum, qui ipsum inter & Gregorium IX. intercessere, Decretales & constitutiones colligi voluit, potissimum autem occurrunt Innocentii IV. Gregorii X. Alexandri IV. Nicolai IV. & ipsiusmet Bonifacii VIII. frequentissimæ: ac insuper duorum Conciliorum Lugdunensium, quorum unum sub Innocentio IV. anno 1245. celebratum est; alterum sub Gregorio X. anno 1292.

Suspecta Inscriptio Cap. 1. de Præb. in 6.

Cum verò Bonifacius VIII. expressè præfatus sit, se edere Constitutiones Pontificum post edictionem Decretalium Gregorii IX. meritò suspecta est Boëtio Epom *lib. 2. de jure Sacro, Num.* 184. moderna scriptio *cap. 1. de præb. in VI.* Clementi III. utpote qui diu Gregorium præcessit; creditque sinceriorem antiquam lectionem, quæ dictam Decretalem tribuit Clementi IV.

Multa mutavit Bonifacius.

Hoc meritò notandum, quod in præcitatis verbis fatetur ipse Bonifacius, quasdam Decretales suorum Prædecessorum multis correctionibus, detractionibus & addictionibus esse emendatas, vel mutatas: adeò, ut sciri nequeat, an ipsas præcedentium Pontificum, an Bonifacii constitutiones habeamus; maximè quia ipsæ Decretales alibi, quam hîc relatæ non reperiuntur: ut consequenter ignoretur, quid detractum aut additum sit.

Cur dicatur hæc collectio sextus Decretalium.

Hanc collectionem voluit esse quasi appendicem sive supplementum Decretalium Gregorii IX. quæ cùm quinque libris constarent, voluit suam collectionem vocari *Sextum Decretalium*; atque hoc nomine hodie citatur; tametsi quinque libros æquè ac collectio Gregorii contineat; eademque methodo quoad materiæ divisionem in libros & titulos servatâ.

§. II.

De Clementinis.

POst *sextum* Decretalium, sive collectionem Bonifacii VIII. in Corpore Juris canonici sequitur collectio, quæ vulgo *Clementinæ*, sive *Liber Clementinarum* dicitur.

Quis auctor Clementinarum.

Hanc Clemens V. qui sub initium seculi XIV. electus fuit Pontifex, & primus Avenione in Gallia Cathedram Petri collocavit, partim ex Canonibus Concilii Viennensis, cui ipse præsedit, partim ex propriis constitutionibus confici curaverat; at morte præventus non publicavit: uti in Epistola huic collectioni præfixa monet ejus immediatus Successor Joannes XXII. qui suo nomine eam publicavit.

Non omnes quæ adscribuntur Concilio Viennensi sunt illius Concilii.

Sed priusquam de materia, aut methodo collectionis dicamus, nonnulla præmittenda sunt ex Glossa, sive Joanne Andræa ad illa verba præfationis, *De cætero*, » Circa hoc sciendum est, quod constitu» tiones Concilii, licèt non omnes fuerint in Conci» lio publicatæ, tamen postea de facto fuerunt pu» blicatæ, & ipsarum habita copia, & jam habeba» tur, quod ligarent. Et quia patuit aliquas ex illis » ineptè, aliquas prolixè, aliquas defectivè compo» sitas, aliquas etiam non expeditè, noluit Clemens, » quod compositio illa procederet; sed, ut fertur, » sub excommunicationis pœna mandavit, quod illas » habentes intra certos dies restituerent Cameræ, vel » intenderent, vel dilacerarent etiam easdem. De» mum per peritiores fecit illas recenseri, qui ali» quas, & paucas in totum reservârunt, aliquas in » totum resecârunt, aliquas mutaverunt quoad verba, » mente servata in aliquibus mentis & verbis detraxe-

» xerunt, & addiderunt. Et has licèt non sub his ver-
» bis in Concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine
» Concilii reservari, & multas constitutiones utiles ad-
» dens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum. «

Falsa Clementinarum inscriptio. Ex quibus patet, quod licèt omnia capitula legantur in hac collectione cum hac inscriptione: *Clemens V. in Concilio Viennensi*, non tantùm omnia, imò fortè admodum pauca in Concilio Viennensi fuisse edita; saltem eo modo & illis verbis, quibus in jure canonico referuntur.

Ordo collectionis. Constat rursus hæc collectio quinque libris; eisque in titulos divisis servata methodo præcedentium Decretalium collectionum.

§. III.

De Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

Extravagantes Joannis XXII. JOannes XXII. immediatus Clementis V. Successor non tantùm collectionem, quæ vulgò *Clementinæ* vocatur, à Clemente inchoatam perfecit, & publicavit, sed etiam spatio 18. annorum, quibus Pontificatum gessit, varias Decretales evulgavit; è quibus viginti in unum collectæ fuêre; quo auctore nescitur; vocanturque simpliciter: *Extravagantes Joannis XXII.* eo quod nullæ alterius Pontificis Decretales, aut Constitutiones admisceantur.

Collectio hæc ob paucitatem Decretalium in Libros non dividitur; sed tamen ipsæ Decretales sive Extravagantes secundum ordinem præcedentium Collectionum disponuntur.

Extravagantes Communes. Plures ejusdem Pontificis Decretales postmodum in unum volumen cum aliorum Pontificum nonnullis Decretalibus, & Constitutionibus collectæ sunt; vocaturque hæc collectio *Extravagantes communes.*

Quo tempore hæc prodierint. Quo auctore prodierint, & cur dictæ Extravagantes. Cùm verò inter illius collectionis Decretales etiam reperiantur sub nomine Xisti IV. qui in Pontificatu sedit ab anno 1471. usque ad annum 1484. necesse est, ut non nisi circa hoc tempus hæc collectio prodierit. Eadem methodo Librorum & titulorum disposita est, quâ præcedentes; nisi quod libro quarto, quo in aliis de matrimonio agitur, careat.

Quo auctore hæc atque præcedens facta sit, non constat. De eo inter omnes convenit, auctoritate publicâ neutram inchoatam, aut expressè probatam esse: ideoque multo tempore tanquam nullius aut exiguæ auctoritatis habitas fuisse; ideoque tanquam *extra* corpus canonicum *vagantes* dictas esse *Extravagantes*: quod nomen ipsis adhæsit etiam postquam corpori canonico, nescitur quo auctore, agglutinatæ fuerint.

CAPUT III.

De Auctoritate Decretalium Gregorii IX. et subsequentium collectionum, item de citationibus partium juris canonici.

PARAGRAPHUS I.

De Auctoritate Juris canonici.

Publica Decretalium, Sexti & Clementinarum auctoritas. QUin auctoritate Romani Pontificis facta sit collectio vulgò Decretalium Gregorii XI. atque ejus auctoritate publicata, ut ejus tam in judiciis, quàm in Scholis usus esset, manifestum est ex ipsa Gregorii IX. Epistola collectioni prefixâ, atque Doctoribus & Scholaribus Bononiæ commorantibus inscriptâ.

Idem de collectione Bonifacii VIII. & Clementinarum esse dicendum, ex epistolis Bonifacii & Joannis XXII. istis collectionibus respectivè præfixis æquè manifestum est; cùm uterque expressè præcipiat, ut earum usus sit in Judiciis & Scholis.

Ubique gentium recepta auctoritas. Neque hæc Pontificum declaratio suo frustrata est effectu: nam quemadmodum jus civile Rom. ubique penè gentium pro jure communi habetur, ut nimirum, jure patrio consuetudinario deficiente, causæ civiles, ac Reipublicæ negotia ex illo dirigantur; & si quod in lege patria aut consuetudine dubii occurrat, ex jute Romano dilucidationem accipiat; ita quoque causæ Ecclesiasticæ, ac exterior Ecclesiæ politia jure canonico tanquam jure communi diriguntur, dirimuntur & deciduntur; & si quid difficultatis in jure Ecclesiastico particulari aut consuetudinario occurrat, ex illo interpretationem accipere debet. Quinimò ea est juris canonici auctoritas, ut etiam in Foro civili, & in civilibus causis, si jus Romanum dubium fuerit, ex jure canonico interpretationem sumat: Hinc illa communiter recepta regula: *Quando decisio est dubia in jure civili, & est clarè decisa in jure Canonico, stari debet juri canonico.* Rebuffus ad *Constitut. Regulas in Proœmio Glossâ 5. num.* 126.

Ulteriùs, si jus civile juri canonico repugnet, etiam in foro civili hoc prævalebit, si subsit materia peccati. Verbi gratiâ: in materia præscriptionis jus canonicum non admitens præscriptionem cum mala fide, prævalebit juri Romano eam cum mala fide admittenti. Similiter in materia Usurarum servatur jus canonicum jure civili posthabito.

Et apud Protestantes. Hæc omnia adductis variis diversarum Gentium Auctoribus latiùs tradit Arturus Duck *lib. 1. de auctoritate juris civilis cap. 7.* qui num. 16. & 17. hæc habet: » Illud porrò in juris canonici laudibus exi-
» mium est, quòd Principes Protestantes Germani-
» ci, aliive, postquam ab Ecclesia Romana seces-
» serant, Lutheri & Calvini doctrinam amplexi, om-
» nemque Pontificis Rom. potestatem abdicassent,
» Jus tamen canonicum non excuserunt, sed eo in
» causis suis decidendis etiamnum utuntur; eodem
» planè modo sicut Principes Europæi, postquam re-
» nuntiaverant Cæsarum potestati, leges tamen Cæsa-
» reas adhuc observant. Et licèt Martinus Lutherus
» zelo præpropero & inconsulto ductus juris canonici
» Libros repugnantibus Jurisconsultis Wittebergæ
» combusserat, Juris tamen canonici usum ab eo tem-
» pore Saxonei, Brusvicensei, cæterique Protestan-
» tes semper conservârunt nullâ mutatione in eo ad-
» missâ, sicut in Augustana confessione consenserunt.
» Jusque canonicum Wittebergæ, & in reliquis Pro-
» testantium Academiis adhuc publicè docetur. «

Hæc quàm sufficientissimè evincunt, quanto applausu ubique penè gentium Jus canonicum pro decisione causarum, id est, non in Scholis duntaxat, sed in Judiciis ex intentione Pontificum receptum sit.

Non sunt Regulæ fidei. Quod autem dicant Theologi post Veronium in *Regula Fidei* §. 4. & Illustrissimos Fratres Walenburgicos, qui hanc regulam adoptârunt, » nu-
» llas Decretales Romanorum Pontificum contentas
» in corpore Juris canonici, sive in sex Libris Decre-
» talium, sive in Clementinis, sive in Extrava-
» gantibus esse sufficientes fundando articulo Fidei Ca-
» tholicæ; ideoque Adversariis modò ex Decretali-
» bus, seu jure canonico varia consarcinantibus, &
» sæpè easdem falsò glossantibus, Nostrates compen-
» diosiori viâ & regiâ reducendis deviis ad castra Ca-
» tholica respondere posse, palam inclamando, *nihil*
» *horum esse de fide Catholica?* « hæc, inquam, ut vera esse Theologis daremus, nihil intentioni Pontificum Jus canonicum publicantium aut probantium officerent: nam ut benè advertit Davenportius in Sistemate Fidei *cap.* 3. » Corpus Juris propter Œconomiam
» Ecclesiæ & externam ejus gubernationem, ut patet
» ex Proœmiis Pontificum recitatis, non propter ejus
» fidem declarandam compactum est: adeò, ut per
» accidens sit respectu juris, quòd Canones generent
» Fidem, nec inde, ut tales sint, fides colligitur. «

De Institutionibus Lancel. Ab annis 70. plus minùs corpori canonico ad calcem adjici solent Iustitutiones Juris à Joanne Paulo Lancelotto Jurisconsulto Perulino conscriptæ ad imitationem Institutionum Juris civilis in quatuor Libros divisæ.

Verùm tametsi Auctor in proœmio sui Operis asserat, se Opus illud ex mandato Papæ composuisse, illudque à Commissariis Pontificiis revisum & correctum, nihilominus, quia de publica approbatione non constat, nemo hactenus his Institutionibus anctoritatem Juris concedit, propterea quòd reliquis Juris canonici partibus annectantur, cùm nec publicâ auctoritate id factum sciatur.

Auctoritas Extravagantium. Aliud de utraque *Extravagantium* collectione suprà relatâ videtur dicendum. Quantumvis enim nesciatur, eas aut publicâ auctoritate collectas, aut simili auctoritate cæteris corporis canonici partibus fuisse adjectas, tamen eas hodie passim in Scholis & Judiciis, tanquam Decretales Pontificum sufficienter publicatas; & quibus particularibus Juribus defficientibus, in decisione causarum stetur, allegari & recipi videmus, quamvis & illud non ignorent, inter Doctores etiamnum hodie disputari, num reservatio con-

tenta in his Extravagantibus dicenda sit reservatio *clausa in Corpore Juris* : quo dubio satis insinuant, non esse certum , eas esse eodem modo inclusas corpori Juris , quo præcedenter collectiones.

§. II.

De Citationibus Juris canonici.

CUm tam apud veteres , quàm recentiores Theologos , & Canonistas frequentissima sint è Jure canonico desumpta testimonia ; atque non rarò contingat , præsertim in Theologis , ut loca allegata in corpore Juris canonici reperire nequeant ; eo quod ipsas citationis notas non satis intelligant , breviter hic citationum notas exponam , à Decreto Gratiani incipiendo.

Citationes primæ partis Decreti Gratiani.

Decretum Gratiani tribus partibus constare suprà diximus ; singulæ verò suas particulares citationes habent.

In priore Parte solet fieri citatio per numerum distinctionum & canonum , vel etiam per initialia Canonis verba , hoc modo *can.* 6. *dist.* 8. vel quod idem est : *Can. veritate* , *dist.* 8. id est , Canone, cujus initiale verbum est , *veritate*.

Secundæ partis.

Secundæ partis Canones uti & tertiæ , similiter vel per numeros , vel initialia verba citantur additâ in secunda parte , causâ & quæstione hoc modo : *can.* 6. *causâ* 1. *q.* 1. vel subintellectâ voculâ *causâ* , hoc modo , 6. *q.* 1. *can.* 3. id est , *causa* 6. *q.* 1. *cap.* 3.

Tractatus de pœnitentia.

Tractatus de pœnitentia secundæ parti immixtus citatur eodem modo , quo prima pars additis his verbis , *de pœnitentia* , v. g. *can. reperiuntur* , 2. *dist.* 2. *de pœnitentia.*

Tertiæ partis.

Ex tertia sicuti è prima editione particulæ , *de Consecratione* , v. g. *can.* 82. vel , *can. in Christo Pater* , *dist.* 2. *de Consecrat.* Hoc est , distinctione 2. Tractatu de Consecratione.

Decretalium Gregorii IX.

Decretales Gregorii IX. citantur vel per initialia verba capitulorum , vel per numeros , quod commodius est , expressâ rubricâ seu titulo , sub quo referuntur ; additurque frequenter vocula *extra* , vel quod idem significat ⁂ ; ad indicandum , quòd sit prima collectio hodie recepta , & corpori canonico inclusa , quæ *extra* vetus corpus Canonum , hoc est, Decretum Gratiani extat , V. G. *Cap. Osius* 2. *extra, de electione* ; id est , Capitulum secundum , quod incipit *Osius* in Decretalibus Gregorii IX. sub titulo *de electione* , qui est titulus 6. Libri primi. Interdum vero claritatis causâ additur *apud Gregorium vel apud Raymundum* ; ut intelligatur esse in collectione Decretalium facta auctoritate Gregorii IX. aut operê Raymundi.

Interdum tamen nec additur *extra* , aut notula, ⁂ vel *apud Gregorium* , aut *apud Raymundum* , sed simpliciter citatur initium , vel numerus capituli cum expresione tituli , quo casu semper intelligitur hæc Gregorii collectio tanquam famosior.

Porrò quia in editione harum Decretalium recentiore sæpè suppletur pars Decretalis omissa , quæ per Raymundum indicatur per voculam , *infra* , & textui Decretalis alio expressa charactere subjicitur , solet , dum hæc citatur , in citatione capituli addi , in *parte decisa* , quasi diceretur in parte à Raymundo *decisa* seu *rescissa.*

Collectio Bonifacii VIII. quæ in corpore Juris canonici sequitur Decretales Gregorii IX. citatur eodem modo , quo præcedens , nisi quod ad distinctionem addatur , *in sexto* , aut hoc modo *in VI.* vel interdum claritatis causa , *apud Bonifacium.*

Clementinarum & extravagantium.

In citatione Clementinarum , & Extravag. additur in *Clementinis* , *in Extravagantibus Joannis XXII.* vel *in Extravagantibus communibus.*

Interdum tamen hæ posteriores non citantur sub nomine capitulorum , sed dicitur ; v. g. *Clementina* 1. *de elect.* aut *Extravagante* 2. *Joannis XXII. de verborum significatione* ; aut , *Extravagante communi* 2. *de præbendis.*

Difficultas inveniendi titulos, quomodo solvatur.

Porrò quia plures sæpè tituli in his collectionibus, præsertim Gregorii IX. & Bonifacii VIII. continentur eodem libro , atque insuper singulæ collectiones plures libros comprehendant ; neque exprimatur, nec cujus libri , nec quotus alicujus Libri titulus sit , qui citatur , hinc præcipuè Theologi , qui rarius Libros Juris canonici revolvere solent , difficulter ipsum titulum citatum reperire possunt , ni ostendatur. Cui difficultati occurritur per indicem alphabeticum titulorum , qui collectioni Gregorii IX. & Bonifacii VIII. præfixus est.

Methodus inveniendi titulos in collectionibus sequentibus Decretales Gregorii IX.

Pro faciliori etiam titulorum in collectione Bonifacii VIII. Clementinarum & Extravagantium notitiâ, illud quoque repetendum , quod in his collectionibus tituli , licèt sint pauciores quàm in Gregorii collectione , eodem tamen ordine disponantur : ideoque si quis sciat , v. g. titulum de electione inter primos titulos Libri primi Decretalium Gregorii , & titulum de præbendis inter priores libri tertii haberi , & sic de reliquis , si hi citentur in aliis collectionibus , non dubitet , quin illos etiam eodem Libro , & inter priores titulos illarum collectionum reperiet : adeoque , ut quis reperire facilè queat titulos omnium partium corporis Juris canonici , sufficiet , si aliquam notitiam habeat titulorum Decretalium Gregorii IX.

PARS NONA.

De Jure hodierno præcipuè Belgico.

CAPUT PRIMUM.

De Jure novissimo e constitutionibus Ecclesiasticis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Bullis, & Constitutionibus Pontificis.

JUs Canonicum novissimum dicimus, omne illud, quod in materia disciplinæ, & œconomiæ Ecclesiasticæ, sive personas, sive res, sive judicia, eorumve formam & ordinem spectans, post evulgatas Collectiones, quæ hodierno corpore juris canonici comprehenduntur, à legitima potestate editum & promulgatum est.

Observanda circa Constitutiones Pontificias. Hujus generis imprimis sunt Decretales sive Constitutiones Romanorum Pontificum, quas variis temporibus, atque in diversis materiis, vel interrogati & interpellati, aut *motu proprio* ediderunt.

Sed tamen ne quis circa has hallucinetur, credatque omnes indifferenter pro lege generali suscipiendas, quas Laëtius Cherubinus, ejusque continuator in magnum Bullarium Romanum colligit; aut alii privati Doctores aut Collectores passim referunt, notanda sunt sequentia.

Primum. Primò legitimè & autenticè constare debere, num *Bulla*, sive Decretalis, aut constitutio, quæ profertur à Romano Pontifice, reverà ab ipso emanaverit, aut forsan præter ejus intentionem alterata non sit; quod non semel contigisse notorium est; ac circa famosam Bullam Pii V. contigisse testatur Gregorius XIII. in sua Bulla quæ incipit: *In tanta.*

Secundum. Secundò, si eam à Romano Pontifice emanâsse constiterit, dubia esse potest ejus intentio; vel etiam satis ex contextu liquere, quod non omnia loca, omnes personas, vel tempora omnia comprehendere voluerit: de quibus priusquam pro lege suscipiatur, inquirendum.

Tertium. Tertiò, in Ecclesiastica Hierarchia, sicut in cœlesti illuminantur, perficiuntur à Superioribus medii, & à mediis infimi. » Quamobrem, inquit » Auctor » *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ lib. 2. cap. 3.* » Decreta Ecclesiastica primùm quidem Episcopis, ab » istis deinde inferioribus Sacerdotibus, & à Sacerdo- » tibus plebi sunt intimanda; adeò, ut si alia viâ » perferantur, in suspicionem meritò veniant, nec » satis sit, ut fidelibus quoquo modo innotescant, » nisi consueto more promulgentur, si nempè po- » tuerit solitus ordo commodè servari.“

De hac igitur publicatione inquirendum priusquam de ipsius Bullæ, sive Decretalis Pontificiæ auctoritate statuatur.

Quartum. Denique, ut rectè advertit citatus Auctor *ibidem cap. 3. num. 4.* solemne est Ecclesiæ, ut in gubernandis fidelibus divinum regimen imitetur, nec solùm attingat à fine ad finem fortiter, sed etiam disponant omnia suaviter. „ Itaque, pergit Auctor, ho- » noris Principibus debiti meminit, illorum jura ser- » vat illæsa, ordinem, & dignitatem Episcoporum ve- » neratur, populorum studia, & usus attendit.“

Cùm itaque usu inveterato in Belgio obtineat, ut etiam notat Ludovicus Guicciardinus *in generali descriptione Belgii.* „ Quod Pontifex nec beneficium » ullum, aut gratiam possit conferre, nec expedi- » re in hanc terram diplomata, aut quid aliud tale, » quod effectum sortiatur, absque Principis quidem » vel Consiliorum ejus placito atque consensu; inten- » tio indubiè Pontificum est, hæc Principum jura non » infringere;“ nec velle subditos suis constitutionibus esse constrictos, nisi servatis Principum juribus, & inveteratis Provinciarum usibus, sint publicatæ. Latiùs de hoc usu Belgii vide Hubertum Loyens *in tractatu de Consilio Brabantiæ, tit. de litteris Placeti.*

Si itaque quæstio sit de constitutione Pontificia concernente externum Ecclesiæ regimen (nec enim de merè dogmaticis hîc agitur; uti nec de illis, quæ certas forsan Regularium familias concernunt, nec eorum claustra eggrediuntur) sedulò inquirendum, num juxta Provinciarum inveteratos mores & antiqua Principum jura publicatæ & notificatæ fuerint: aut saltem, an vetustus usus eas probaverit; ut, si quæ deesse potuissent publicationi, hæc longus usus suppleverit.

Et sanè quid notius, quàm infinitas penè Bullas passim in Bullariis atque Doctorum commentariis extare, quarum nullus sit in his Provinciis usus, imò nec memoria.

§. II.

De Regulis Cancellariæ.

Regulæ Cancellaria unde habeant originem. » SAtis compertum est, inquit Ludovicus Gome- » sius *ad Regulas Cancellariæ in Proœmio, q. 1.* » Regulas Cancellariæ à Joanne XXII. initium, & » originem habuisse; nam in vetusto quodam membra- » no codice (quem vulgares *quinternum* Cancellariæ » vocant) primus omnium in ordine ponitur Joan- » nes XXII. Regularum Auctor, nec ante ipsum alius » summorum Pontificum invenitur, qui hoc priùs ten- » taverit. Et licèt Cancellaria Apostol. & Vice-Can- » cellarii officium (unde Regulæ istæ denominatio- » nem acceperunt) longè ante Joannem XXII. præ- » cessisse videantur, nihilominus Regulæ istæ non fue- » runt eo tempore, saltem in scriptis, sed longo in- » tervallo conditæ.“

Quid regulæ Cancellariæ. Hinc sufficienter habetur, has regulas esse quædam principia sive normas à Pontificibus præscripta, juxta quæ ipsa Cancellaria Romana in negotiis ad suum tribunal spectantibus procedere debeat: quare in earum proœmio dicitur, quod eas Vice-Cancellarius in Cancellaria Apostolica fecerit publicari.

Hinc Gomesius loco citato *quæst. 2.* „ asserit quod » regulæ ab initio introductæ fuerint, ut Officiales » Cancellariæ per eas in litteris expediendis instrue- » rentur, ut patet ex Regulis Joannis XXII. & Be- » nedicti, ac aliorum. Et licèt à tempore Nicolai V. » aliquid plus ad eas circa judicia additum fuit, il- » lud tamen respexit actum in Curia gerendum.“ Hæc ille.

Non sunt perpetuæ. Insuper circa has Cancellariæ regulas notandum, illas non esse perpetuas, sed finiri morte Pontificis, quod in proœmio significatur his verbis: *Et suo tempore duraturas.*

Singuli verò Pontifices altero suæ assumptionis die eas de novo probant, atque in Cancellaria per Vice-Cancellarium publicari jubent; interdum novis additis, vel etiam antiquis immutatis, aut etiam nonnunquam omissis; uti ad singulas penè ostendit Gomesius, & post Choquier in commentario ad has regulas.

Singuli Pontifices de novo eas publicant, & mutant. Exempli gratiâ: Gomesius ad regulam de *idiomate*, quæ valdè utilis & ubique recepta est, ait: „ Imprimis illud meminisse oportet, illius regulæ „ primum conditorem Gregorium XI. fuisse, quod ex „ eo apparet, quia inter regulas prædecessorum Pon- „ tificum ista regula non reperitur.“ Hæc ille, qui & notat, Eugenium IV. addidisse verba *de gratia expectativa.*

Et Choquier ad regulam *de infirmis resignantibus*, sive *de viginti* hodiè usitatissimam, ait, hanc regulam, à temporibus Innocentii VIII. qui eam his verbis publicavit: „ Item voluit, quòd, si quis in „ infirmitate constitutus resignaverit aliquod benefi- „ cium, sive simpliciter, sive ex causa permutatio- „ nis, & postea infra 20. dies de infirmitate decessit, „ ac ipsum beneficium conferatur; per resignationem „ sic factam, collatio hujusmodi nulla est, ipsum- „ que beneficium per obitum vacare censeatur. No- „ tat, inquam Choquier, hanc Innocentii regulam » auc-

„ auctiorem esse factam per alios novissimos Pontifi-
„ ces ; nimirùm Adrianum VI. Clementem VII Ju-
„ lium III. quos exinde ad nostra usque tempora se-
„ cuti sunt alii : nam post vocem *permutationis* ad-
„ jecta vides in modernis regulis sequentia parenthe-
„ si inclusa : (*vel aliàs dimisserit aut illius commen-*
„ *dæ cesserit, seu ipsius beneficii unioni dissolutio-*
„ *nis consenserit, etiam vigore supplicationis dum*
„ *esset sanus signatæ*) *Et* postea, *infra* 20. *dies*
„ (*à die per ipsum resignantem præstandi consen-*
„ *sus computandos*) *de ipsa infirmitate decesserit,*
„ *ac ipsum beneficium* (*quamvis auctoritate*) *confe-*
„ *ratur, per resignationem sic factam, &c.*“

Plures ex his passim hic & in aliis Provinciis receptæ.

Porrò licèt hæ regulæ vi suæ primæ institutionis, & publicationis solam Romanam Cancellariam concernere videantur; neque generalis legis rationem habere; tamen plures illarum, & in Belgio, & in Gallia, aliisque exteris Provinciis receptas, & usitatissimas esse; earumque occasione quotidianas exoriri quæstiones, & controversias, nimis, quàm ut probari debeat, compertum est.

Regulæ aliquæ in Regno Galliæ pro lege Regni reputatæ.

Et quidem quod regula *de verisimili notitia*, 28. Innocentii VIII. & 29. Pauli V. & 30. Innocentii X. „ fuerit recepta, & registrata in Parlamento Pari-
„ siensi anno 1493. die 20. Novembris, & ubique in
„ Regno Franciæ recepta, & in forensi judicio ad un-
„ guem servetur testatur Rebuffus *in addit. ad hanc*
„ *regulam*; estque, ait, lex Regni effecta, adeò, quod
„ sicut Imperator legem ut dicunt canonizatam, &
„ à Canonibus approbatam revocare non potest, li-
„ cèt eam Legem ex Libro tollat : sic nec Papa re-
„ gulam incorporatam, & descriptam in registris cu-
„ riæ, etiamsi tollat illam, eo casu servabitur tan-
„ quam Regni, non tanquam Papæ regula.“

Rursus ad regulam *de publicandis resignationibus*, quæ fuit, 34. Innoc. VIII. & 29. Pauli V. ait: „ Hæc
„ regula fuit recepta, & in curia Parlamenti registra-
„ ta anno 1493. die 27. Augusti, unde est Lex Reg-
„ ni affecta, ideoque per mortem Papæ non tollitur.“

Regula de publicandis resignationibus e numero regularum sublata.

Notandum, hanc regulam à temporibus Gregorii XIII. Regulis Cancellariæ non esse insertam, sed omissam; propterea, ait Choquier, quod multifariam ea sit immutata, vel abrogata per Constitutionem Gregorii XIII.

Servata in Gallia & Belgio.

Nihilominus tamen & in Regno Galliæ etiamnum hodie servatur; uti & in Belgio locum habere asserit Zypæus *in jure novo*, *tit. de renuntiatione*, *num.* 2. „ Sed publicationis forma, ait, strictè non servatur:
„ sufficit enim palam innotescat, nec celetur resig-
„ natio, etsi in templo coram populo in celebritate
„ Missæ, aut Concionis die festivo non promul-
„ getur.“

Hæ Regulæ juri novissimo merito adscribuntur.

Non dubium ergo regulas Cancellariæ meritò inter jus novissimum numerari; earumque notitiam hodie propemodum, iis saltem qui in foro judiciali versantur, necessariam esse.

Plura de iis dicemus in jure Ecclesiastico, ubi de Beneficiis, ac eorum provisione agemus. Hoc unicum observatum velim, quod licèt satis constet hîc aut alibi regulam aliquam esse receptam, inde tamen nullatenus consequens, eam esse receptam cum additionibus, quas recentiores Pontifices addiderunt; quæ nunquam forsan in illis Provinciis publicatæ aut recognitæ fuerunt.

Notandum circa has regulas.

Exempli gratiâ, regulæ de *infirmis resignantibus*, addita fuit, per recentiores Pontifices inter verbum, *Beneficium*, & verbum, *conferatur*, hæc clausula *quavis auctoritate*; quæ regulam etiam ad Ordinarios extendit. Licèt autem regula fuerit in Regno Galliæ recepta, hodieque servetur, additio tamen illa Pauli III. in usum recepta non est. Unde & sustinent Pragmatici eam in resignationibus coram Ordinario factis non obtinere. Vide Zypæum *loco citato*, *num.* 3.

§. III.

De Concilio Tridentino.

Concilium Tridentinum à Pio IV. confirmatum & publicatum.

CConcilio Œcumenico Tridentino in fine anni 1563. absoluto, Pius IV. ejus acta & decreta confirmavit solemni constitutione Romæ editâ & publicatâ 7. Kalendas Febr. 1564. Deinde subsecuta est altera ejusdem Pontificis Bulla, quæ incipit : *Sicut ad Sacrorum*, qua declarat ubique terrarum obligare Concilium à Kalendis Maii anni 1564. etsi singulari per Provincias promulgatione non esset insinuatum.

Publicatum in Hispania.

Philippus II. tunc Hispaniarum Rex cupiens hac in parte piæ & salutari tum Concilii tum Pontificis intentioni satisfacere, non tantùm jussit per Hispaniarum Regna decreta Concilii publicari, adjuncto mandato ad omnes Officiarios seculares, ut dum requisiti fuerint, auxiliare brachium in eundem effectum sine ulla tergiversatione præstent; sed insuper scripsit ad Margaritam Parmensem, tunc temporis Belgii Gubernatricem, ut Decreta Concilii indilatè per has Provincias publicari, & observari faceret.

Decreta missa ad Episcopos & Magistratus Belgii.

Mox receptis litteris, Margarita scripsit ad Archiepiscopum Cameracensem, aliosque Belgii Episcopos; necnon ad Provinciarum Gubernatores; Consilia Regia; Academiam Lovaniensem, & Magistratus Primariarum Civitatum, quarum omnium Litterarum ea erat summa, ut de modo, & forma publicationis, & de decretis disciplinæ in Concilio Tridentino formatis deliberarent, judiciumque suum rescriberent. Episcoporum omnium atque Academiæ nostræ judicium fuit, decreta esse quamprimum publicanda; eumque in finem Synodos Provinciales esse quamprimum cogendas.

Quid resolverint.

Concilia verò Regia examinatis & reversis decretis; plura hinc inde notârunt, quæ juribus Regiis suorumque vassallorum, atque inveteratis harum Provinciarum consuetudinibus, & ritibus videbantur contrariari; unde judicabant, non nisi cum quadam modificatione pubilcationem admittendam; ne aliàs ob inveteratos Provinciarum mores subitò inversos omnia turbarentur; omnisque Concilii fructus impediretur.

Publicatio Concilii simpliciter sine ulla limitatione facta.

Omnium itaque responsoriis litteris receptis Gubernatrix omnia rursus ad Regem misit; cujus postmodum cognitâ enixâ voluntate circa Concilii publicationem, & observationem, Gubernatrix publico edicto publicationem fieri mandavit; eaque tum in Cameracensi Synodo Provinciali, anno 1565. tum Mechliniensi anni 1570. aliisque Diœcesanis recepta & probata fuit.

Itaque dubitari nequit, quin decreta disciplinæ sive reformationis his in partibus publicata & recepta sint; adeoque meritò Concilium Tridentinum pro insigni fonte Juris novissimi in his Provinciis sit habendum.

Monet Gubernatrix Episcopos de mente Regisque ad publicationem factam.

Illud tamen observandum, quòd licèt in ipso publicationis edicto nulla exceptio, nulla limitatio fieret, sed simplex esset & generalis Concilii publicatio, in litteris tamen seu mandatis tum ad Archiepiscopum, tum ad Provinciarum Magistratus, quibus executionem Concilii commendabat, & injungebat Gubernatrix, expressè declaraverit, mentem Regis esse, ne ob promulgationem illam licèt ilimitatam, quid immutetur, aut innovetur, circa Regalia Jura, privilegia suæ Majestatis, aut suorum vasallorum, statuum, „ aut subjectorum & speciatim circa Jurisdic-
„ tionem Laicalem, Jus patronatus Laicis indultum,
„ seu Jus nominationum, cognitionem causarum, &
„ materiæ possessoriæ beneficiorum, decimarum pos-
„ sessarum, aut prætensarum per Laicos, superinten-
„ dentiam & administrationem hospitalium, aliorum-
„ que piorum locorum : *Non ad contraveniendum dic-*
„ *to Concilio*, inquit, *sed ut executio accomodetur na-*
„ *turæ cujusque Provinciæ.*“

Quibus verbis Gubernatricem alludere ad exceptiones & modificationes à Regiis Parlamentis decretis Concilii adjectas, nemo qui eas cum dicta clausula contulerit, dubitare poterit.

Hæc clausula alludit ad annotationes factas per Concilia Regia.

Unde Bernardus Loth *in resolutionibus Belgicis*, *tract.* 2. *art.* 9. relatis annotationibus Consilii Arthesiæ addit : *Concilium Tridentinum quoad dicta puncta non fuit receptum in Arthesia.*

Similiter Antonius Anselmo Juris-consultus Antuerpiensis in *Tribuniano Belgico*, *cap.* 32. volens exprimere ea quæ per prædictam clausulam in publicatione Concilii Tridentini fuerint reservata, refert servato ordine Sessionum, quid ad singula capita annotaverunt Consilia Regia; haud dubius, quin hæc essent illa puncta, quæ esse Rex salva voluerat pro pace, & quiete Provinciarum; & ut felicior in reliquis decretorum Conciliis executio obtineri posset.

Concilium ergo Tridentinum meritò tanquam Juris novissimi præcipuum fontem recipere debemus; modò tamen hos modificationis articulos, qui potissimum Jus Regium, & Conciliorum Regiorum Jurisdictionem spectant, jungamus; quos apud Anselmo

mò loco citato exhibitos videre licebit. Videri etiam potest de hac modificationis clausula Zypæus *in Jure novo, tit. de Constitut. num.* 6.

§. IV.

De Synodis Particularibus.

Synodi particulares jus statuendi habent.

PEnes Synodos etiam non Œcumenicas sive generales, sed vel Nationales, vel Provinciales aut Diœcesanas esse auctoritatem statuendi ea, quæ pro Ecclesiæ & populi utilitate judicaverint, convenire; earumque ordinationes, & statuta vim legis per districtum illum, qui Synodo illi Nationali, Provinciali, aut Diœcesanæ, continetur, habere notatum est.

Quare pro jure esse debent, quæ cujusque Provinciæ, Diœcesis, aut Nationis respectivè Synodi Provinciales, Diœcesanæ, aut Nationales decreverunt.

Hujusmodi Synodi per omnes quasque Provincias immediatè post Concilium Tridentinum habitæ; atque inter cæteras in hoc nostro Belgio inferiori Synodi Provinciales binæ Cameracenses anni 1565. & 1583. item binæ Mechlinienses anni 1570. & 1607. atque post illas plures singularum Diœcesium sub his Provinciis comprehensarum Synodi Diœcesanæ, quæ omnes pro Jure novissimo habendæ & consulendæ sunt.

Synodis particularibus indubiè annumeranda veniunt acta Cleri Gallicani, id est, quæ in generalibus totius Cleri Gallicani Conventibus pro reformatione disciplinæ statuta sunt; quæ omnia latissimè referuntur in sex voluminibus, quæ sub titulo *Actorum Cleri Gallicani* evulgata sunt.

Acta Cleri Gallicani Synodorum statutis annumeranda.

Imò licèt hæc acta extra Ditiones Gallicanas vim legis habere nequeant, admodum tamen utilis est eorum notitia.

Licèt enim non ubique habeant vim legis positivæ, tamen multa in illis continentur, quæ juris sunt naturalis; aut sanè quæ non nisi declarant & proponunt media aptissima, quibus ea, quæ Jus naturale præscribit, meliùs & aptiùs pro temporum & locorum circumstantiis observari queant; aut etiam ipsam disciplinam Ecclesiæ in anterioribus Canonibus ubique obligantibus clariùs exponunt.

Unde indubiè magnum pro Ecclesiastica disciplina ritè formanda; aut veram ejus esentiam assequendam lectio Conciliorum & Actorum similium subsidium conferre potest; ut infrà latiùs ostendetur.

CAPUT II.

De Jure novissimo ex Concordatis inter Ecclesiasticos, et Civiles Magistratus, et Edictis Principum.

PARAGRAPHUS I.

De Concordatis inter Prælatos Ecclesiasticos, & Magistratus Civiles.

De Concordatis inter Carolum & Episcopum Leodiensem.

PRo ea Belgii Parte, quæ ante erectionem novorum Episcopatuum Episcopo Leodiensi in spiritualibus suberat, vel etiamnum parte sed in temporalibus Ditioni Principum Belgii subest, extat Concordatum initum inter Carolum V. Cæsarem uti Ducem Brabantiæ & Comitem Namurci ex una parte, & Episcopum Leodiensem ex altera anni 1541. Extat integrum in primo volumine edictorum Brabantiæ *Lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 8.

Maximè autem versatur circa Jurisdictionem civilem, & ecclesiasticam, per novem distinctos titulos exponens, de quibus Laici, & de quibus Ecclesiastici cognoscere debeant: item quibus casibus Laici coram Ecclesiasticis, & Clerici coram Laicis in Jus vocari possint; atque in fine additur hæc mutuæ concordiæ conservandæ aptissima causa: » Quod si super » præmissis, & articulis superiùs non decisis, dubium » emergat, aut difficultas oriatur inter Justitiarios » Principum, talis difficultas terminari & sedari de- » beat mutuis communicationibus, vel litteris, ita, » quod una Jurisdictio aliam non turbet, aut im- » pediat. «

Hæc tit. 9. §. 29. & 31. additur: » Item pœnæ & » censuræ hinc inde comminatæ & fulminatæ occas- » sione controversiæ Jurisdictionis, relaxabuntur, & » per istius concordiæ acceptionem, sublatæ censen- » buntur. «

De hac clausula videri potest Zypæus in *Jure novo, tit. de foro compet. num.* 25. & 26. qui & eodem titulo *num.* 48. summatim complectitur crimina, quæ in vim hujus Concordati sunt merè ecclesiasticæ cognitionis; quæ merè civilis; ac denique quæ mixti fori sint; id est, quæ uterque Judex per præventionem, vel pro qualitate personarum delinquentium punire potest.

Monet quoque idem Zypæus *in notitia Juris Belgici, de Jurisdictione, num.* 58. » Quod hæc concor- » data confirmata dicantur per Paulum III. & acep- » tata per Episcopum Cameracensem, quamvis non » verbo tenus, præsertim adversus speciales concor- » dias, & res pro se judicatas. «

Concordata inter Episcopum Cameracensem & Magistratum Antuerpiensem.

Quidquid sit de hac approbatione, hoc sat constat, in Belgio Jurisdictionis Laicalis & Ecclesiasticæ terminos hoc Concordato regulari; ni forsan per particularia inter Episcopos, & certas Civitates, aut Provincias concordata aliter provisum sit. Extant duo concordata inter Episcopum Cameracensem & Magistratum Antuerpiensem, unum 13. Januarii 1490. & alterum 9. Septembris ejusdem anni; quibus Episcopo Cameracensi privatè cognitio trium causarum, nimirùm testamentariæ, contractuum antenuptialium, & bonorum ecclesiasticorum amortizatorum reservatur. Hocque Jure hodie utitur Episcopus Antuerpiensis in locum Cameracensis suffectus; tametsi in concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem hæ causæ sint mixti fori, & preventioni esse locum dicatur. Consule Zypæum in *Jure novo tit. de foro comp. num.* 26. Habentur autem dicta concordata in citato volumine Edictorum *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. & 6.

Concordata inter Episcopum Cameracensem & Hannones Concordata Germania.

Referuntur ibidem *cap.* 2. & 3. concordata inter Curiam spiritualem Cameracensem, & temporalem Hannoniæ conclusa anno 1483. & an. 1531. continens 29. articulos; quibus plures difficultates inter utramque Curiam deciduntur.

Famosa sua quoque concordata inter Nicolaum V. Romanum Pontificem, & Fredericum Imperatorem Principesque Nationis Germanicæ super collatione & provisione Episcopatuum, dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum.

De his Concordatis videri potest commentarius in varias quæstiones divisus Georgii Branden. Item Zypæus *consult.* 3. *de præbendis*, ubi latè discutit, num hæc concordata obtineant etiam in Brabantia, & *consult.* 5. & 6. eodem titulo; & Wamesius consilio Canonico 155.

Concordata inter Leonem X. & Regem Gallia.

Non minus famosa sunt concordata inita inter Leonem X. Pontificem, & Franciscum I. Regem Galliarum; quæ hodie magnam partem Juris Canonici in materia Beneficiali in Gallia conficiunt.

Historiam horum concordatorum, & Sanctionis Pragmaticæ, in cujus locum hæc concordata successerunt, scripsit Petrus Pithæus Advocatus Parlamenti Parisiensis.

Commentariis verò amplissimis textum concordatorum illustravit Petrus Rebuffus, qui una cum commentariis Gregorii Branden super concordatis Germaniæ impressi sunt in uno volumine cum praxi Beneficiorum ejusdem Rebuffi, Parisiis anno 1663.

Hæc impresentiarum exponere instituti mei non est, sed solum indicare, quid pro Jure novissimo, & hodierno recipiendum; cujus generissimilia Concordata esse indubitatum est.

§. II.

Edicta Principum Juri Novissimo annumeranda.

Necessaria Principum edicta in materia Ecclesiastica & quare.

TAmetsi Ecclesiastico Magistratui præcipuè incumbere videatur decernere ea, quæ disciplinam Ecclesiæ, aut res ecclesiasticas spectant, tamen, ni Principes sua auctoritate Ecclesiæ Decreta sufficiant, vix Ecclesiasticorum Ordinationes effectum sortientur; præsertim si circa res temporales, aut personas Laicas versentur.

Hinc frequentissimæ per omnem Europam Regum, atque Principum ordinationes, & edicta in materia ecclesiastica, quæ pro legibus observantur; & quarum notitia, non minùs quà canonum, aut decretorum ecclesiasticorum notitia, hodie necessaria.

Si

Si quis volumina edictorum sive Brabantiæ, sive Flandriæ pervolverit, plura in omni penè materia reperiet, quorum hodie frequentissimus est usus.

Edicta referuntur. Talia imprimis sunt, ut è pluribus pauca annotem, edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem anni 1586. constans articulis 25. & edictum Alberti & Isabellæ ad Synodum Mechliniensem anni 1607. comprehendens 30. articulos.

Ultra hæc quid famosius & quotidiano usu tritius, quàm edictum Caroli V. super materia decimarum, edictum 6. Novemb. 1520. quo modus exactioni novarum decimarum imponitur? Extatque in primo volumine Edictorum Brabantiæ *tit.* 5. *cap.* 2. & de eo agit Antonius Anselmo in suo *Triboniano Belgico*, *cap.* 1. & Zypæus in *Jure novo*, *tit. de decimis*: item *consult.* 3. & 4. *eod. tit.*

Ejusdem generis sunt edicta, quæ corporibus ecclesiasticis, quæ *manus mortuæ* vulgò dicuntur, inhibent bonorum immobilium acquisitionem sine licentia Principis; quam licentiam *amortizationem* vocant.

Horum quàm frequens & receptus sit usus, nullum Belgarum ignorat; ideoque & hæc juri novissimo meritò annumeranda: de quibus consuli poterunt Anselmo in codice Belgico verbo vernaculo, *Geestelyckheyt*: item verbo, *amortizatio*: item Zypæus in *Jure novo*, *tit. de Foro competenti*, & *tit. de immunitate Ecclesiastica*: sed signanter Petrus Peckius in suo particulari tractatu de *Amortizatione bonorum à Principe impetrandâ.*

Hic meritò annumerantur regulamentum, sive edictum provisionale Alberti & Isabellæ *de reparandis & reficiendis Ecclesiis*, *& campana decimali.* Habetur primo volumine Edict. Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 7. & exponitur ab Anselmo in *Triboniano*, *cap.* 89. ubi §. 2. simile regulamentum prodiisse ait pro Flandris 2. Oct. 1613. In Concilio Provinciali Flandriæ publicatum 21. Junii 1614. de quibus etiam tractat, eorumque summam refert Zypæus in Jure novo, tit. *de ædificandis & reparandis Ecclesiis.*

Hæc pauca vice speciminum sufficiant, ut ostendatur, etiam edictorum Principum notitiam esse necessariam, ut quis statuat, quid in causis ecclesiasticis sit statuendum; in singulis enim penè materiis inveniet, qui aut Zypæi *Jus novum*, *& notitiam Juris Belgici*, aut *Codicem Belgicum* Antonii Anselmo pervolverit.

Quàm copiosa sit similium edictorum in quacunque materia ecclesiastica seges in Regno Galliæ, opus non est hic speciatim enarrare; cum illa palam extent tum in Actis Cleri Gallicani; tum in Codice Henrici III. cujus liber primus totus est de materia ecclesiastica per 34. titulos divisus.

PARS DECIMA.

De mediis perveniendi ad veram & utilem disciplinæ ecclesiasticæ, & sacrorum canonum scientiam.

CAPUT PRIMUM.

PROPONUNTUR MEDIA PERVENIENDI AD VERAM ET UTILEM NOTITIAM DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Scopus studii SS. Canonum.

Quid Canones. SAcri Canones sunt regulæ, quas jam pridem in Sacris Conventibus Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati proposuerunt, ut ex iis, Clerus præcipuè recte vivendi normam, ac insuper optimum Ecclesiæ administrandæ genus haurire posset.

Clerici scire Canones debent, & quare. Hinc illud Cælestini I. apud Gratianum *Dist.* 38. *Can.* 4. Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare. Et illud Concilii Carthaginensis VI. *Can.* 18. ut » ordinatis Episcopis vel Clericis priùs ab Ordinatoribus suis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur: ne se aliquid contra statuta Concilii fecisse » pœniteat. «

Quibus consonat Concilii Remensis anni 813. Canon VIII. » Lecti sunt Sacri Canones, ut quisque Canonicus Legem, vitamque suam minimè » ignoret. «

Quis scopus studii Sacrorum Canonum Nequaquam igitur præcipuus scopus studiis Sacrorum Canonum, aut Juris Canonici esse debet scire causarum aut controversiarum in materia ecclesiastica ocurrentium dirigendi modum; sed ex Sacris Canonibus, atque Pontificum Decretis hurire optimas morum regulas; & aptissimum ritè componendæ & administrandæ Ecclesiæ genus, juxta Patrum instituta & ipsius, quæ à Spiritu Sancto dirigitur, intentionem.

Judicium S. Caroli de SS. Canonibus. Hæc perspectisima erant Sancto Carolo, de quo in ejus vita refert Petrus à Basilica *L.* 7. *cap.* 11. » Canonum ea stientia ipsi perjucunda erat, quæ » Patrum mores, & acta representans, Ecclesiæ com» ponendæ atque ordinandæ rationem continet. Dolens » autem eos communi consuetudine tantumodo canones ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciaque » valeant; constitit ipse, qui iis declarandis præes» set, unde Sacra Majorum instituta & ritus, op» timumque Ecclesiæ administrandæ genus hauritur. «

Scopus hujus partis. Ut igitur ad solidam ac utilem, ad mentem Ecclesiæ, Disciplinæ Ecclesiasticæ & Canonum notitiam paulatim attingere valeat Canonum & Juris Canonici studiosus, præter ea quæ parte prima circa auctoritatem Canonum; atque in ipso decursu aliarum partium circa ipsos Codices, & Canones monui, breviter alia nonnulla media, quæ ad eam notitiam servire & facilitare queant, ordine proponam.

§. II.

Canonum Studiosum oportet attendere rationem disciplinæ externæ.

Quid Patres per Canones intenderint. NEmini dubium est, quin Patres in suis Canonibus, seu Regulis præcipuè intenderint exprimere, quid in moribus fidelium, ac præcipuè Ministrorum desiderarent; quam in administratione Sacramentorum, tum ex parte suscipientium, tum administrantium sanctitatem ac dispositionem requirerent; qualiter ad sacra munia Clerici assumendi; qui ut indigni aut incapaces rejiciendi; quomodo vitia arguenda, aut punienda; quæ iis extirpandis, aut resecandis media adhibenda, aliaque ejus generis.

Intentio Patrum non habetur ni interior Disciplinæ ratio expendatur. Verùm si externa duntaxat disciplina per Canones stabilita attendatur, sæpè nihil eorum videbitur; at si ipsum spiritum, & intimam disciplinæ rationem attenderimus, regulas morum sanè sanctissimas in ea latentes, & propositas perspiciemus.

Exemplis declaratur. Pauca è pluribus vice speciminis accipe. Constans est omnibusque notoria Ecclesiæ Latinæ disciplina, ad Sacra Ecclesiastica munia non admitti conjugatos, ni usui & cohabitationi uxorum renuntient: imò Ecclesiasticis Beneficiis ipso Jure privari, si ea obtinentes nuptias contraxerint.

Primum exemplum. Hæc disciplina si nudè & externè consideretur, simplicem à nuptiis abstinentiam proponere videtur; at si interior ejus spiritus attendatur, apparebit per ea alia multa inculcari.

Ideò enim nuptiis implicatos ad sacra ministeria admitti non vult Ecclesia, » quoniam uxorati cum » divisi sint, & eos cogitare oporteat, quomodo uxoribus placere valeant & servire, obsequiis non » solumodo possunt intendere divinis, « ut loquitur Alo-

Alexander III. in *Cap.* 2. *de Clericis Conjug.* in prima compilatione, vel ut idem ait in *Cap.* 3. ℵ *eod.* » quòd simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac » divinis, & ecclesiasticis obsequiis vacare non va» leant. «

Si disciplina illa unà cum hac ratione expendatur, manifestum erit, per eam Clericis inculcari, ne temporalium rerum solicitudine, atque carnalibus desideriis & voluptatibus se immergant, quo impedirentur divinis officiis, & obsequiis, quibus mancipati sunt, incumbere; cùm idcircò, ne id contingat, nuptiis implicatos in suos Ministros assumi Ecclesia nolit.

Secundum. Pariter nemo facilè Clericorum ignorat immunitatem à civilibus & personalibus oneribus per Canones & Leges Imperiales indultam. Hic rursus si solam externam hanc indulgentiam consideres, nihil præter aliquam onerum exemptionem Clero indultam credes; sed rationem expendas, & aliud Ecclesiam & Imperatores intendere, evinces: Idcircò scilicet eam datam immunitatem, ut Clerus jugiter & sine distractione ad alia negotia divinis officiis incumberet.

Hinc istud Concilii Africani apud S. Cyprianum: » Ne quis de Clericis & Dei Ministris tuto» rem testamento suo constituat, quando singuli » divino officio honorati, & in clerico ministerio » constituti *non nisi Altari & sacrificiis deservire,* » *& precibus & orationi vacare debeant.* «

Et Justinianus eis tantùm Clericis & Monachis immunitatem ab omni cujuscunque generis tutela & cautela concessam voluit, qui apud Sacrosanctas Ecclesias vel Monasteria permanent » *Cum propter hoc*, ait, *ipsum beneficium eis indulgeamus, ut* » *aliis derelictis, Dei Omnipotentis ministeriis inhæreant.* «

Disciplina sic considerata non tantùm Clericorum ab oneribus exemptionem exhibet; sed unà ostendit, Clericos jugiter & continuò divinis ministeriis debere esse intentos, ac ne ab eis distraherentur, esse indultam immunitatem.

Tertium. Et quid rursus ipsa decimarum, & proventuum ecclesiasticorum assignatio, si ex mente Ecclesiæ & Fundatorum vel offerentium expendatur, aliud clamat, quàm Clericum, qui de altari vivit, debere laborare, & jugiter divinis obsequiis se impendere: » Nam, ut verissimè dixit Justinianus, qui consti» tuerunt, vel fundaverunt sanctisimas Ecclesias pro » sua salute & communis Reipublicæ reliquerunt illis » substantias, ut per eos debeant sacræ Liturgiæ » fieri, & ut in illis à ministrantibus piis Clericis Deus » colatur. «

Quartum. Quid notius, quàm nullum hodie ad Beneficium quodcunque Ecclesiasticum, etiam vulgi opinione minimum, assumi posse, nî tonsura clericali ut minùs insignitum.

Hæc disciplina, si duntaxat in superfic, & exteriùs aspiciatur; mera ac simplex cæremonia esse videtur; at si vera ejus ratio & Ecclesiæ circa illam spiritus expendantur, apparebit: per eam velle Ecclesiam excludere à suo ministerio (cui per Beneficium, quodcunque illud sit, applicatur) nisi priùs constiterit, eum velle posthac fidelem Deo cultum exhibere; atque fideliter professus sit, se renuntiare omnibus prætensionibus secularibus, velleque unicè Ecclesiæ militare; ac ostendere, quod ex animo dixerit: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*; prout in tonsuræ susceptione profitetur.

Esse enim intentionem Ecclesiæ, ut Tonsurandus non fictè, sed verè ac sincerè & animo profiteatur, quæ verbis profert, nemo dubitare potest; Episcopoque incumbere, ne ad Tonsuram admittat, nisi de quibus spes non infundata appareat, eos fideliter & ex animo professuros, multis ostendi in Dissertat. de Canonicis *p.* 1. *cap.* 1.

Itaque disciplina, quæ non nisi meram & simplicem cæremoniam continere videtur, si ex mente Ecclesiæ propriùs expendatur, non exigui apparebit momenti.

Quintum. Nonne & merè cæremonialis apparet disciplina, quæ ad Sacros Ordines ascensum non admittit, nisi Minoribus præmissis; tamen si ejus ratio rursus expendatur, videbitur Ecclesiam per hanc disciplinam observatum voluisse illud summi momenti Apostolorum præceptum: *Manus nemini citò imposueris*: vel illud *Non Neophytum*; ut nimirùm priusquam ad superiores Ordines & Gradus Ecclesiasticos assumantur, in inferioribus & minoribus aliquandiu versentur & probentur; ac demum digni probati ad altiores promoveantur, ut loquitur Canon XIII. Sardicensis; cujus notas consule.

Ex his quisve facilè judicare potest, quàm utile, imò necessarium sit pro assequenda genuinà disciplinæ Ecclesiasticæ notitiâ non hærere in ipso exteriori cortice, sed rationem & spiritum Ecclesiæ in ea stabilienda præcipuè esse rimandum, & attendendum.

§. III.

Qui potissimùm Canones pro notitia disciplinæ pervolvendi.

ILlius disciplinæ, quæ circa mores formandos, vitiaque extirpanda versatur, notitiam Clericis præsertim esse maximè utilem & necessariam, jam suprà notavimus.

Disciplina in prioribus Canonibus præcipuè reperitur. Porrò cùm hæc disciplina præcipuè contineatur in Canonibus, seu Regulis, quos jam pridem Ecclesia pro formandis filiorum moribus, ac vitiis extirpandis condidit, ut parte prima *cap.* 1. hujus Tractatûs ostendi; facilè quisque intelliget, pro consequenda verâ ac utiliori disciplinæ notitiâ Canones illos potissimùm esse consulendos & relegendos.

Quo ex capite disciplina majore veneratione digna. Adhæc ostensum fuit in prima parte *cap.* 2. disciplinam eo majore veneratione esse suscipiendam, quo eam antiquiorem & frequentiùs renovatam aut ab omnibus vel à pluribus Eclesiis receptam intelligimus.

Canones universalis Ecclesiæ consensu recepti. Quare nemo dubitaverit, disciplinam contentam in Canonibus universalis Ecclesiæ, id est, tam Orientalis, quàm Occidentalis Ecclesiæ consensu probatis, singulari veneratione dignam esse: adeoque Canones Conciliorum sive generalium, sive particularium, quos utraque Ecclesia recepit, & in suum respectivè Canonum codicem retulit, pro assequenda notitia disciplinæ Ecclesiasticæ præ reliquis legendos esse.

Hos reperiet Canonum studiosus præsenti tractatu exhibitos, & brevibus scholiis illustratos; unàque probatum, quâ ratione per utramque Ecclesiam Orientalem & Occidentalem recepti fuerint.

Decreta Pontificum jam pridem recepta. Post hos Canones assumuntur meritò decreta Romanorum Pontificum, quæ in suum Codicem sub nomine *Decretorum Romanorum Pontificum* retulit Dionysius Exiguus; quæ una cum eo codice tota tandem Ecclesia Latina recepit; uti ostendimus *parte* 3. *cap.* 1. §. 3. & 4. quæque à Leone IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ annumerantur Canonibus: *Per quos judicant Episcopi, & judicantur Episcopi simul & Clerici.* Apud Gratianum *Dist.* 20. *Can.* 1.

Habentur hæc decreta unà cum ipso Codice Dionysii tomo primo Bibliothecæ Juris Canonici veteris Justelli editionis Parisiensis anni 1661. Item in tomis Conciliorum post vitam singulorum Pontificum incipiendo à Siricio, qui assumptus fuit ad Pontificatum anno 385. usque ad Gelasium I. aut Anastasium.

Exhibentur quidem in Epistola Leoni IV. tanquam ex eodem Codice quorundam recentiorum Pontificum decreta: sed ea non potuisse à Dionysio esse collecta certum est: quandoquidem indubitatum sit, Dionysium ante horum Pontificatum obiisse: quare & in Justelliana Bibliliotheca exhibentur separatim à Decretalibus præcedentium Pontificum sub titulo: *Collectio II. Decretorum Pontificum Romanorum ab Hilario ad Gregorium II. Collectioni I. Dionysii Exigui addita.*

Canones, & opuscula. Sicuti Ecclesia Romana in suum codicem retulit Pontificum suorum Decreta; ita Orientalis Ecclesia quorundam illustrium suorum Præsulum Canones, & opuscula assumpsit, atque pro regulis disciplinæ habere voluit *Can. II. Synod. Trullanæ*, quos *p.* 3. *cap.* 3. §. 1. retuli; atque in plerisque eorum, præsertim SS. Basilii, Petri Alexandrini, Gregorii Neocæsariensis seu Thaumaturgii, Timothei Alexandrini; plurima præclara atque utilissima disciplinæ monumenta continentur, & licèt Canones illos Ecclesiam *Græcorum.* Latinam in suum Canonum codicem recepisse non legatur, nunquam tamen eos non suspexit & laudavit.

Hos igitur Canones à Sanctissimis illis Ecclesiæ Patribus propositos, tanquam disciplinæ Ecclesiasticæ instructissimum atramentarium meritò consulet, qui ad perfectam disciplinæ notitiam pertingere desiderat.

Exhibentur hi omnes in codice Canonum Græcorum, quem elegantissimis typis in duobus tomis cum Græcorum commentariis anno 1672. evulgavit Guillielmus Beveregius Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter: de quo opere infrà latiùs.

Pleraque hæc Patrum opuscula, & Canones referuntur etiam in appendice tomi 2. Conciliorum editionis Labeanæ.

Canones particularium Ecclesiarum quomodo consulendi.

Sunt deinde Canones, quos non una tantùm particularis Ecclesia, sed omnes integri Regni, aut Nationis Ecclesiæ quasi uno consensu receperunt; & in suum Canonum codicem retulerunt.

Hujus generis sunt Canones Conciliorum Hispaniæ, quos edidit notisque elucidavit Garsias Loaisa Archipræsul Toletanus, & hodie servatâ temporum serie aliis Conciliis in editione Labeana sunt immixti.

Ejusdem generis sunt Canones Gallicani à Jacobo Sirmondo collecti, & illustrati; nec non Anglicani ab Henrico Spelmmanno collecti: quos pariter in editione Conciliorum Labeana cæteris intermixtos reperies.

In his quoque magnam disciplinæ Ecclesiasticæ notitiam reperire poterit disciplinæ studiosus: singulari tamen titulo, utilis & conveniens erit hæc Canonum lectio, ut quis suæ Nationis, & Ecclesiæ disciplinam pridem receptam, & à Patribus laudatam intelligat & cognoscat.

Si plura quis de horum particulatium Gallicani, Hispanici, atque Anglicani codicum receptione & auctoritate scire desideret, consulat doctam præfationem Chrystophori Justelli de veteri codice Canonum Ecclesiæ Universæ, in citata Juris canonici Veteris Bibliotheca.

§. IV.

Quæ potissimum hodierni corporis canonici partes pro notitia disciplinæ ecclesiasticæ legendæ.

DEcreto Gratiani contineri quamplurima in omni pène Ecclesiasticæ disciplinæ genere, tum Conciliorum, & Pontificum decreta, tum SS. Patrum sententias, pristinam & puriorem Ecclesiæ disciplinam exhibentia, nemo, quid illud legerit, negare poterit.

Lectio Decreti Gratiani utilis ad hauriendam utilem disciplinam.

Quapropter ejus lectionem plurimum posse conducere, ut disciplina, quæ optimis formandis moribus, vitiisque extirpandis idonea sit, hauriatur, non dubium; maximè si adjungantur tum Romanæ Correctiones, tum Doctissimi Dialogi Antonii Augustini cum eruditis notis Stephani Baluzii; & iis, quæ observanda monui parte 7. quæ tota decreto Gratiani occupatur; unà cum reflexionibus sparsim ad decretum Gratiani in scholiis ad Canones Conciliorum factis.

Decretum exponi jussit S. Carolus.

Et sanè quod de Sancto Carolo scribitur, constituisse aliquem, *qui iis Canonibus declarandis præesset, undè Sacra Majorum Instituta & ritus optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur*, omnino verisimile est, id de Canonibus in Decreto Gratiani contentis intelligi; atque ab ipso constitutum qui Gratiani Decreto interpretando, atque exponendo occuparetur.

Lectio Decreti aliis præferenda.

Nec enim dubium est, quin si Canones atque Patrum sententiæ à Gratiano relati ritè exponerentur, & juventuti diligenter prælegerentur, alia de Ecclesiastica disciplina idæa haberetur, quàm hodie passim haberi soleat.

Ut propterea non immeritò prima post SS. scripturarum Lectionem, si utilitatem ejus & dignitatem spectemus, reputetur Lectio, quæ Decreti Gratiani expositioni & prælectioni destinata est, dolendumque eam hodie in nostra Academia adeo frequenter intermitti, ob disputationes publicas in tempus eidem destinatum incidentes. Optandum esset, ut publica auctoritate in horam nonam, qua nulla Lectio canonica habetur, transferretur; atque Studiosi ad eam frequentandam amplius instigarentur, & etiam constringerentur.

Qua ratione Decretum Gratiani

Quid igitur, dicet quispiam, Gratiani Decretum præferendumne cæteris partibus Corporis Juris Canonici, quæ publicâ auctoritate editæ & publicatæ sunt, atque juris auctoritatem obtinent, quam non habere Decretum Gratiani superius probatum fuit? Quantum ad Juris auctoritatem Decretales Gregorii IX. Bonifacii VIII. atque Clementinas decreto Gratiani præstare ultro concessero; ait si quæstio sit de haurienda disciplina, quæ Majorum instituta & ritus, optimumque administrandæ Ecclesiæ genus continet (quam præcipuè desiderabat exponi Sanctus Carolus) Gratiani Decretum præ Decretalibus, cæterisque corporis Canonici partibus conveniens est.

præferendum cæteris partibus corporis Canonici.

Quo enim tempore conscriptæ sunt illæ Epistolæ Pontificum, è quibus potissimum hæ partes corporis canonici sunt conflatæ & à quibus *Decretalium* nomen illis adhæsit, causæ Ecclesiasticæ multùm de antiqua simplicitate amiserant; erantque hujusmodi, ut ferè ad normam causarum civilium in judicio forensi agitarentur, & difinirentur; imò jus civile magna ex parte in forum Ecclesiasticum intraverat.

Decretales præcipuè ad quæstiones forenses.

Inde est, quod quæ in libris illis continentur ad lites, & quæstiones forenses decidendas, præcipuè spectent.

Quod & Pontifices in suis respectivè procœmiis innuunt, dum earum usum in *judiciis* esse volunt & declarant.

Quare nec dubitatur, quin Canones sive decretales his libris contentos præ oculis habuerit S. Carolus dum dolebat, *eos tantummodo Canones communi consuetudine ad interpretandum seligi, qui ad lites Judiciaque valent.*

Ad Decretales allusisse videtur S. Carolus.

Utinam nec hodie in Accademiis par esset dolendi ratio, dum fere nihil in Canonum Scholis auditur, quam ad lites, causasque forenses decidendas spectans.

Quæ incommoda, quod solis Decretalibus neglecto SS. Canonum studio unico incumbatur.

Ut enim majorem partem libri primi, & integrum librum secundum, qui nihil, nisi forensia continent, omitam, si de materia alia sermo sit, v. gr. de Beneficiis, quid aliud auditur, quam quomodo beneficia acquirantur, amittantur, retineantur, aliaque similia: quæ quidem causis, quæstionibusque Judicialibus decidendis conducunt, sed parum moribus formandis, aut vitiis extirpandis, aut Ecclesiæ administrandæ subserviunt. Hinc fit, ut dum Studiosi toti hisce fuerunt implicati, atque de illis optimè instructi, causis forensibus litibusque prosequendis, quam disciplinæ Ecclesiasticæ formandæ sint aptiores.

Atque hac ratione ulteriùs contingit, ut qui in Cathedralibus Ecclesiis, ex Ecclesiæ & fundatorum præscripto, deberent esse Sacris Canonibus instructi; ad hoc ut Episcopis in restauratione, aut conservatione disciplinæ, optimis moribus formandis, atque vitiis eradicandis ex præscripto SS. Canonum, consilio & opera assistere possent, penè ad aliud nihil, quàm ad lites quætionesque forenses & judiciarias super beneficiis, decimis aliisque materiis incidentes decidendas, aut prosequendas sint idonei.

Absit tamen, ut studium Decretalium, aut cæterorum librorum corporis canonici etiam Clericis inutile credam; cùm sciam multa, quæ hodiernam disciplinam spectant, ex illis aurienda esse; quorum notitiam nec in Decreto Gratiani nec aliis pristinis Canonum Collectoribus, aut etiam ipsis Canonibus reperiet.

Ad id unicè intendo, ita moderatè, eoque Spiritu, præsertim Clericis, Decretalium studio esse incumbendum, ne omissis Canonibus è quibus utilior disciplina assequenda est, potius causidici & forenses Patroni, quàm veri Canonistæ evadant.

§. V.

Lectio Concilii Tridentini, & Synodorum particularium utilis pro notitia disciplinæ Ecclesiasticæ.

VErissimum quidem est, tempore Concilii Tridentini eam fuisse temporum duritiem, atque abusuum exundantiam, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium potuerit adhibere, ut ipsum Concilium dolenter expressit *Sess.* 25. *c.* 21. *de Regularibus* & latiùs probatum est, *part.* 1. *cap.* 1. §. 6. at nec illud minùs verum certumque est, plurima morum ac disciplinæ decreta ad Ecclesiæ reformationem, si non integram, eam saltem, quam temporum conditio patiebatur, esse ab eodem Concilio publicata.

Synodus Tridentina utilia pro disciplina Ecclesiastica edidit.

Sy-

Synodi Provinciales plurima pristinæ disciplinæ decreta continent.

Synodi quoque Provinciales & Diœcesanæ post Concilium Tridentinum celebratæ, atque ejusdem Concilii vestigiis insistentes, plurima eaque utilissima reformationis edidere decreta; in quibus morum purior disciplina mere refulget: atque inter alia sanctissimi, ac zelosissimi pro restauratione pristinæ SS. Patrum disciplinæ Mediolanensis Archi Præsulis S. Caroli Borromæi Concilia tum Provincialia, tum Diœcesana aliaque ejus acta, quàm non redundant Sanctissimæ ac purissimæ veteris illius disciplinæ monumentis.

Præcipuè iis abundant Concilia Mediolanensia S. Caroli.

Qui illa revolverit, reperiet, abundè ubique expressum, quod toties habebat in ore: *Patres imitari oportet.* » Non adumbratam quamdam, sed ex» pressam illam christianæ disciplinæ formam affilante » Spiritu S. decretis nostris restituere curemus, quam » nascente Ecclesia instruit vivus sermo Dei & effi» cax.... Non est cur nos vel cum iis quæ proximè » accesserunt temporibus, vel cum aliorum factis ac» tiones nostras expendamus, sed comparemus opor» tet cum ea sanctè agendi formula nobis divinitùs » præscripta, quæ si ob oculos versabitur, facilè » cernemus quam longè ab ea distemus. Aliud nos » Spiritus S. doctrina docet, aliud Apostolorum ins» tituta monent, aliud Patrum exempla declarant, » aliud Canonum leges jubent, aliud vetus Eccle» siæ usus in omnes partes utilis postulat."

Suffragatur Cardinalis de Aguirre.

Hæc, inquam, Sanctissimum hunc disciplinæ Ecclesiasticæ instauratorem executum esse, Conciliorum ejus decreta, & Acta dilucidè adeò ostendunt, ut verè dicat Eminentissimus Cardinalis De Aguirre *in præfatione sui operis de Conciliis Hispanicis*, (cujus sola præfatio hactenus ad me pervenit) » quod » qui attentiùs involverit S. Caroli Concilia Mediola» ni habita, inveniet ardentissimum studium SS. Ca» nonum servandorum, & austerioris disciplinæ in » iis traditæ."

Occasione accepta hic adducitur quid aliquando de probabilismo senserit, & quod hodie sentiat hic Vir eminentissimus.

Occasione hujus præfationis, quæ fortè ad paucorum manus hîc perveniet, omittere nequeo sincerum ac rarum & meritò ab omnibus imitandum Illustrissimi Viri illius animi candorem, quæ recognoscit, in quam tandem errorum abyssum per *probabilismum* adductus fuerit; & quomodo tandem Deo miserante, ac ejus oculos mentis illustrante aductus fuerit.

» Imprimis itaque præfatur, quod datâ aut ac» ceptata occasione ex Canonibus horum Conciliorum » (Hispanicorum) studeat promovere veterem illam » pietatem, quatenus præsens rerum status sinit, & an» tiquos revocare mores, à quibus mirum, quantum » distamus. Curæ quidem est in hoc opere, inquit, » plurima exhibere ad criticam sacram, historiam Ec» clesiasticam, chronologiam, & eruditionem spec» tantia. Verùm potior ratio & præcipuum studium » nostrum sicut & prædictorum interpretum, fuit » confirmare fidei ac traditionum Apostol. dogmata » (quæ maximè illustrantur Canonibus istis) & dis» ciplinam Ecclesiasticam, ac doctrinam moribus cor» rigendis aptiorem tutioremque, jam diu impertitam » novis & laxis opinionum commentis, tueri & ve» luti postliminio revocare."

Quid præcipuum Cardinalium officium.

Post hæc fatetur ostenditque, se suosque Emi'nentissimos Collegas ex vi muneris sui debere pro viribus laborare opere, » verbo ac scriptis ad bonum re» gimen, aut reformationem non unius Provinciæ » aut Regni tantùm, sed totius Orbis Christiani: ac » studium & curam suam, doctrinamque salutarem, » tutiorem, imitationi Christi aptiorem, Sacris ca» nonibus conformiorem, ac proinde severiorem por» rigere non in unam tantum vel aliam Ecclesiæ » partem, sed in totam illam, quæ longè ac latè » patet."

Hoc securioris doctrinæ tradendæ institutum executos fuisse non solùm præcedentium aliquod seculorum Sanctissimos Cardinales, sed quotquot ferè ab ineunte hac secunda chiliade annorum æræ christianæ floruerunt sanctitate ac doctrinâ, ostendit; atque inter alios de severiori tradita morum ac disciplinæ doctrina laudatis Sanctis Petro Damiani & Carolo Borromæo, item Cardinali Bellarmino, relatis ejus verbis ex Epistola ad nepotem suum Episcopum Theanensem, quibus *probabilismum* omnium laxitatum fontem totaliter evertit, refert, qualiter Cardinalis Sportia Pallavicinus suam de *probabilismo*, quam in decursu vitæ sustinuerat, opinionem retractaverit; ac testimonium

Cardinalis Pallavicinus opinionem suam de Probabilismo retractat.

suæ retractationis authenticum R. P. Nicolao Mariæ Pallavicino tradiderit, » quod, inquit apud se reti» net modò reverendissimus P. Thyrsus Gonzalez, » Generalis Societatis Jesu, Primarius olim Theolo» giæ Professor in Salmanticensi Academia, eandem » ferè utriusque Cardinalis sententiam ex instituto se» quens cum Michaële Elizalde aliàs Cella Dei, & » multis aliis doctis hominibus ejusdem instituti, quo» rum scripta parantur suo tempore in lucem proditu» ra. Præluxit verò iis non parum olim Mutius Vi» tellescus Generalis ejusdem Societatis in celebri illa » Epistola ad suos scriptâ anno 1617. die 4. Januarii."

Nominatis deinde ac laudatis variorum Episcoporum, atque Doctorum eruditis lucubrationibus adversum *probabilismum*, tandem subjungit.

» Ab iis præstantissimis Episcopis & Scriptoribus » variis instructus, paucis post annis cœpi dubitare » de securitate illa, quam nobis plurimi alii pollice» bantur in usu opinionum quorumlibet probabilium. » Eo usque enim communi ferè sensu, aut præjudicio » abductus, in Probabilismo, veluti in pulvino, molli» ter quiescebam: & plerumque studium meum (ita » ingenuè fateor) situm erat in examinando potiùs, an » aliquid esset probabile, quàm in investigando an » esset verum. Detectâ enim probabilitate, nullatenus » dubitabam me posse illud in praxi sequi, aut aliis » consulere. Unde & in Theologia Florulenta, quam » edidi Salmanticæ anno MDCLXVII. ludo V. præ» sertim à num. 70. usque ad 98. tota mihi cura fuit in » examinandis conditionibus opinionis ab uno Docto» re pio & docto traditæ adversus communem alio» rum, necessariis, ac sufficientibus, ut illa proba» bilis censeatur. Hoc enim semel statuto, non du» bitabam licitum esse ipsius usum; adhuc post» quam Alexander VII. anno MDCLXVI. damna» verat XLV. Propositiones, & in iis illam nume» ro vicesimam septimam: *Si liber sit alicujus ju» nioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis; » dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica ut » improbabilem.* Hanc ipsam thesim per se spectatam » ibidem latè impugnavi, sicuti & nimiam licentiam » opinandi circa doctrinam morum: quam in rem mo» moravi num. 79. ea ferè ipsa, quæ paulò antea pro» tuli de Illustrissimis Episcopis Calagurritano, Oxo» mensi, ac Placentino.

» Nec processi ulteriùs ad quærendum, an dato, » quòd opinio aliqua sit probabilis, liceat omninò il» lam sequi in praxi, aut aliis consulere relictâ proba» biliore, ac tutiore. De hoc enim nemo tunc Salman» ticæ dubitabat. Usque adeò invaluerat probabilismus » ibidem, quamvis paulò antea Magister Joannes Mar» tinez de Prado, & Vincentius Baronius, ambo Do» minicani, scriptis editis impugnâssent longè ac latè » Caramuelem, & rejecissent usum opinionis minùs » probabilis faventis libertati in concursu probabilioris » stantis pro præcepto. Nulla enim ferè ratio utrius» que laudati scriptoris habebatur in ea parte, ob » multitudinem innumerabilium aliorum liberius scri» bentium: ut possent ii dicere cum Poëta: *Obruimur » numero.*

» Cœpi itaque rem maturiùs examinare, ab anno » circiter MDCLXXI. usque modò, lectis ac relectis, » ultra prædictos, plurimis auctoribus recentibus, qui » hinc & inde controversiam hanc gravissimam profli» gârunt ex instituto. Deprehendi verò ingens pericu» lum salutis in sectando aut consulendo aliis Proba» bilismo sive usu cujuslibet opinionis minus probabi» lis faventis libertati, in concursu alterius probabilio» ris adherentis præcepto. Idem mihi altè insedit, ubi » utraque apparet probabilis æquè aut circiter. Ma» net enim adhuc res verè dubia, & incertum omni» nò, an actio vel omissio sit contraria legi æternæ, » nec ne, quidquid plerique recentiorum distinguant » inter dubium speculativum & practicum. Hanc enim » distinctionem quoad controversiam præsentem, plu» rimi alii à triginta circiter annis usque modò doctis» simè rejecerunt. In dubiis autem, & spectantibus » ad æternam salutem, eligendam esse tutiorem par» tem, jura clamant, & prudentia, ac lex charitatis » divinæ de propria & aliorum salute, palam dictat.

» Certè nemo prudens vitam corporis ita negli» git, ut audeat uti cibo aut pharmaco solùm probabi» liter sano, quod tamen æquè aut magis probabi» liter censeatur noxium & exitiale futurum. Quare » ne exponat se probabili, aut probabiliori periculo

» mortis, eligit alium certò innoxium, aut salutiferum. » Idem ferè accidit circa rem familiarem servandam, & » honores assequendos. Cur ergo vita animæ, & sa- » lus æterna longè pretiosior, passim exponatur pro- » babili periculo opinionum liberiorum? Nec reflexio- » nes aliquæ, seu judicia reflexa ad auctoritatem alie- » nam, videntur prodesse aut sufficere ad forman- » dum judicium moraliter certum & necessarium de » usu licito opinionis benignæ quoad bona animi, po- » tiùs quàm corporis vel fortunæ, ubi opinio seve- » rior æquè aut magis urget. Non enim voluntas » habet vim imperandi intellectui, ut judicio reflexo » censeat verum aut certum moraliter id, quod direc- » to judicio æstimat falsum, aut dubium, aut minùs » probabile.

» Quare reflexiones illæ ad summum possunt habe- » re locum, & prodesse, ubi vir doctus, & prudens, » rectâ intentione placendi Deo, aut ipsum non of- » fendendi, & nullo præjudicio, passione, aut uti- » litate abductus, diligenter inquirit veritatem pro » qualitate materiæ, & debitis circunstantiis, quando » concurrunt invicem contrariæ opiniones inter Scrip- » tores Catholicos, doctos, & pios. Si post rem exa- » minatam, inveniat sententiam benignam longè ac » palam prævalere opinioni austeriori, tùm auctori- » tate & numero Patronorum, tùm rationibus, & ple- » nè respondere argumentis contrariis; videtur posse » formare judicium moraliter certum de illius veri- » tate & licito usu, aut nihil curare rigidiorem alio- » rum opinionem, vel eam reputare ortam ex inani » scrupulo. Dato enim aut permisso, quòd senten- » tia illa benignior esset falsa in re, agens excusa- » retur à peccato, saltem gravi, ob rectam inten- » tionem, bonam fidem, & ignorantiam venialem ex » infirmitate humana: si autem post diligentem in- » quisitionem inveniat opinionem austeriorem æquale » pondus habere, aut etiam majus, ac proinde ve- » ritatem rei esse speculativè dubiam; non poterit » ullâ reflexione formare sibi judicium moraliter cer- » tum de illius veritate, aut usu licito. Quare abs- » tinendum erit ab opinione benigniore, & adhæren- » dum tutiori sive stanti pro præcepto.

» Hæc videtur fuisse praxis assidua Sanctorum » Patrum, Pontificum, ac Theologorum doctrinâ & » pietate insignium, à tempore nascentis Ecclesiæ » usque ad finem ferè seculi præcedentis, quo cœpit » reputari securus usus opinionis benignæ probabilis, » in concursu opinionis austerioris æquè probabilis aut » probabilioris, per reflexiones antiquis ignotas. Se- » quebantur enim veteres illi, quod intra sinum Ec- » clesiæ Catholicæ post rem maturè examinatam, ora- » tione, ac studio competenti, videbatur verum, aut » moraliter certum. Et licèt ipsi Sancti Patres, aut » Doctores celebres aliter atque aliter circa varias » quæstiones morum censerent, unusquisque tamen » pius ac prudens id agebat vel consulebat aliis, quod » post debitum examen judicabat verum, aut saltem » longè conformius Canonibus Sacris, rationi, & æqui- » tati. Neque enim amplius exigi putabat ab homine » mortali, infirmo, & ignorantiis obnoxio. Alioqui » sequebatur tutiorem partem. Exempla plurima pos- » sent hoc loco produci, ni quæstionem hanc gravis- » simam potiùs excurrendo libandam, quàm ex insti- » tuto dirimendam recepissemus. «

Ratio digressioni. Hæc digressio, præterquam quod Eminentissimi illius Viri in recognoscendo errore animi candorem omnibus imitandum ostendat; insuper Canonum & Juris Canonici studiosis demonstrat, quàm periculosum sit aliquorum, licèt etiam magno sint numero, cæco quodam impetu opinionem sequi; securumque se credere, præsertim in rebus ad salutem pertinentibus, quoties sententiam aliquam Virorum, qui eruditionis & pietatis fama videntur clarere, sequendo; præsertim quia etiam inter anonum & Dectetalium Interpretes plures probabilissimum apertè proponunt. Nunc igitur ad ea unde digressi summus revertentes dicimus.

Ratio quæ utilem esse Synodo Tridentinæ & aliarum Lectionem ostendit. Decretorum Concilii Trid. & aliorum Conc. particularium lectionem magnum esse subsidium ad assequendam utilem disciplinæ Ecclesiasticæ scientiam; eoque incipientibus præcipuè utiliorem, quod Canonum & Patrum sensus in his soleat clarioribus, & huic ætate accommodatioribus terminis exprimi, atque disciplina illis contenta, etiam his nostris temporibus esse magis attemperata; & vitiis & abusibus jam amplius frequentatis opposita.

Acta Ecclesiæ Mediolanensis, & Cleri Gallicani jungenda. Conciliis addenda sunt Acta Mediolanensis Ecclesiæ sub S. Carolo, quæ una cum Synodis Provincialibus & Diœcesanis in unum volumen collecta sunt, & edita Lugduni anno 1683. item Acta Cleri Gallicani in sex magnis voluminibus; quorum summarium servato Librorum, Titulorum & Capitum ordine in unicum exiguum volumen in 410. collegit D. Borion; magno, ac utili subsidio eorum, quibus magna Actorum illorum volumina desunt.

Occurritur objectioni. Verum quidem est, ut suprà monui, Conciliorum particularium vim obligandi extra suum respectivè non extendi districtum: sed tamen, si disciplina illis contenta conveniens sit formandis moribus, aut vitiis curandis & eliminandis, non minùs propterèa grata esse debet; & pro temporum, & personarum conditione ultrò amplectenda.

An Canones Africani Ecclesiæ Romanæ, aut Orientalibus legem ponere poterant? Et quanto in pretio utrique Ecclesiæ fuerint, abundè constare potest ex iis, quæ de codice Ecclesiæ Africanæ diximus; idque non alia de causa, quàm quòd intelligerent disciplinam Canonibus illis contentam Ecclesiæ administrandæ esse convenientissimam, & menti Patrum conformem.

§. VI.

Leges Codicis Justinianæi, necnon Novellæ ejus Constitutiones utiles sunt pro disciplina ecclesiastica.

LEges Justiniani, necnon novellas Constitutiones de rebus ecclesiasticis non modò Orientalis, sed & Occidentalis laudavit & recepit Ecclesia.

Leges Justiniani ab Ecclesia probatæ. De Orientali certius est & evidentius quam ut probari debeat; de Occidentali verò testis est S. Gregorius, qui Joannem Defensorem abeuntem in Hispaniam monens, quid sequi debeat in causa sibi delegata, eum ad Novellam 123. Justiniani remittit: » De persona Presbyteri, ait *lib.* 11. *Epist.* 57. hoc » attendendum est, quia si quam causam habuit non » ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit; si- » cut novella Constitutio manifestat, quæ loquitur de » sanctissimis & Deo amabilibus ac Reverendissimis » Episcopis, Clericis & Monachis, Imperator, Jus- » tinianus Augustus Petro gloriosissimo Prætecto » Prætorio, si quis contra aliquem Clericorum &c. «

Testimonium S. Gregorii.

Joannis VII. Papæ. Et Joannis VIII. monens Episcopos, ne quem non probatâ causâ excommunicent, ita scribit: » Insuper nostro Apostolatui intimavit (Bickbertinus) » ut eum sine ratione discussâ excommunicare vul- » tis. Quapropter Apost. auctoritate jubemus, ut ne- » mo vestrum eum excommunicet, antequam ad » legis examen perveniat. Scitote, quæmadmodum in » centessimo Capitulo Concilii Africani legitur: simi- » liter in *secundo Novellarum Justiniani Libro*, ut » nemo Episcopus, aut Presbyter aliquem excommu- » nicet, antequam causa probetur. «

Hincmari Remensis. Tertiò, id ipsum constat ex Hincmaro in Opusculo *cap.* 17. » Sed & leges Romanæ, inquit, ab Impera- » tore Justiniano promulgatæ, quas probat Ecclesia, » decernunt de Episcoporum sine Metropolitani sui » auctoritate, profectione &c. «

Ivonis Carnotensis. Denique Ivo Carnotensis *epist.* 280. idem testatur: » Dicunt instituta legum Novellarum, quas » commendat & servat Rom. Ecclesia &c. «

Et quid plura? Nunquam Ecclesia respuit leges Imperatorum & Principum exteriorem Ecclesiæ disciplinam concernentes, nisi inveniatur Evangelicæ, aut Canonicæ sanctioni contrariari. *Dist.* 10. *Can.* 1.

Porrò leges Justinianæas his minime contrariari, sed potiùs Canonum, & pristinæ Patrum disciplinæ synopsim sive epitomen continere, earum diligens scrutator agnoscet.

Pauca illius è multis accipe specimina.

Primum exemplum. In *L.* 31. *Cod. de Episcopis & Clericis*, hæc habes: Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur, quantum quisque mereatur, non quantum » dare sufficiat, æstimetur. Profectò enim quis locus » tutus, & quæ causa esse poterit excusata, si ve- » neranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem » murum integritatis aut valum fidei providebimus, » si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat?

» pat ? Quid denique cautum esse poterit, aut secu-
» rum, si Sanctitas incorrupta corrumpatur ? Cesset
» Altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & à
» sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque
» castus, & humilis nostris temporibus eligatur Epis-
» copus ; ut quocunque locorum pervenerit, omnia
» vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio, sed
» precibus ordinetur Antistes. Tantùm ab ambitu de-
» bet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus
» recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur ne-
» cessitas excusandi. «

An quid sanctius aut Patrum disciplinæ conformius exprimi posset ; an quidquam in sacris Canonibus utilius inveniri ?

Secundum exemplum.

Et in *L.* 42. *Cod. eod. tit.* volens, ut in eligendis ac ordinandis Episcopis meritorum ratio duntaxat habeatur, hanc præclaram subjungit sententiam: » Si enim
» sancti & gloriosi Apostoli Sacerdotium à Domino
» Christo Deo consecuti, & qui bonis omnibus ter-
» ram repleverunt, & ejus doctrinam omnibus im-
» partiti sunt, neque ipsi vitæ suæ, quam in hoc
» mundo degebant, salutis nostræ causâ perpecerunt:
» Quomodo æquum non fuerit, ut qui subingrediun-
» tur eorum ordinem, & instituuntur sanctissimarum
» Ecclesiarum Sacerdotes purum habeant propositum,
» & pecunias contemnant, omnemque vitam suam ad
» clementissimum applicent Deum. «

Tertium.

Deinde §. 1. ejusdem legis declarans, convenire hujusmodi in Episcopum eligi, & ordinari, quibus nec liberi sunt, nec nepotes, hanc præclaram & admodum notandam rationem redit : » Etenim vix fieri
» potest, ut vacans hujus quotidianæ vitæ curis, quas
» liberi creant parenti maximas, omne studium, om-
» nemque cogitationem circa divinam liturgiam, &
» res ecclesiasticas consumant. Nam cum quidam,
» summâ in Deum spe, & ut animæ eorum salvæ fiant,
» ad sanctissimas adcurrant Ecclesias, & eis omnes
» suas facultates adferant & derelinquant, ut in paupe-
» res & egentes & alios pios usus consumantur : in-
» decens est, Episcopos in suum illas auferre lu-
» crum, aut in propriam sobolem & cognatos impen-
» dere. «

Volumine integro opus esset, si his non impares in legibus Codicis Justinianæi, præsertim sub titulis *de Sacrosanctis Ecclesiis*, item *de Episcopis & Clericis*, *de Episcopali Audientia* & aliquot sequentibus præclarissimas pro ecclesiastica disciplina contentas sententias referre vellem.

Novellæ Justinianæ disciplinam in multis exhibent.

Novellæ iterum Justinianææ promptuarium disciplinæ ecclesiasticæ vocari possunt ; atque inter reliquas legi merentur Novella tertia & quinta, quæ *de Monachis* inscribitur ; plerasque monasticæ Institutionis regulas breviter complectens ; observatuque dignum, quod capite 2. præcipit, Monasterio aggregari petentes, à monasteriorum Præsulibus non prompte mox habitum Monachalem percipere, sed per triennium totum tolerare nondum habitum monachalem promerentes : » Sed tonsurâ, inquit, & veste
» eorum, qui Laici vocantur, uti, & manere di-
» vina addiscentes eloquia, & Reverendissimos eo-
» rum Abbates requirere eos, sive liberi sint, sive
» servi, & unde eis desiderium vitæ singularis acces-
» serit : & discentes ab eis, quia nulla maligna occa-
» sio ad hoc eos adduxit, habere eos inter eos, qui
» adhuc docentur atque monentur : & experi-
» mento percipere eorum tolerantiam & honestatem,
» non enim facilis est vitæ mutatio, sed cum animæ
» fit labore. «

Quid amplius in Patrum Regulis aut sacris Canonibus à monasteriorum Superioribus quoad Novitiorum instructionem, & probationem requiritur?

His adde Novellam sextam in tres partes divisam; quarum prima qualitates Ordinandi in Episcopum exponit ; secunda de Clericis, quale eligendi sint, tractat ; tertia de expensis Ecclesiarum, & Clericorum multitudine non facienda.

Verùm de his amplissimè, & totius quodammodo disciplinæ compendium complectendo disserit Novella 123. *de Sanctissimus Episcopis & Deo amabilibus & Reverendissimus Clericis & Monachis*, per 45. capita, quidquid ad hanc materiam ferè spectat, exponens.

Et in Novella 137. *de Ordinatione Episcoporum & Clericorum* per sex capita tractatur.

Hæ itaque quinque Novellæ etiam solæ, si attentè legantur, disciplinæ ecclesiasticæ assequendæ non parum proderunt.

§. VII.

Aliqua notanda pro assequenda perfecta Canonum, & Decretalium notitia.

PRo assequenda & perfecta Canonum notitia eorumque genuino sensu conveniens esse, inspicere textum originalem ipsorum Canonum sive græcum sive latinum sæpius in scholis monui, & ostendi ; quin & varias Canonum versiones nonnumquam subsidio esse ad sincerum Canonis sensum assequendum reipsa demostravi; præsertim in notis ad Canones Sardicenses.

Recurrendum ad fontes Decretalium.

Ulterius parte IX. *Cap.* 1. §. 4. 5. & 6. ex professo probavi, pro notitia Decretalium Gregorii IX. utile, imò pene necessarium esse, non tantum ad pristinas Decretalium collectiones, è quibus Raymundus pro majore parte hanc Decretalium collectionem desumpsit, sed etiam ad harum Decretalium fontes recurrere ; atque ex iis earum sensum accipere. Ultra hæc duo sunt, quæ plurimum Canonum perfectam notitiam facilitare possunt ; & sine quibus à vero eorum sensu facilè aberrari contingit.

Quid occasionem dederit Canoni.

Primum ut sciatur, quid condendo Canoni occasionem dederit ; v. g. quis esset, & in quo versaretur abusus, quem per Canonem eliminatum voluêre Patres ; quis error, cui Canon opponitur ; in quo potissimum quæstio, aut dubium per Canonem determinatum versaretur, aliaque similia quæ si una cum contextu Canonis expendantur, mirum! Quantum lucis sæpius ipsis Canonibus adferant.

Horum probationem si quis expetat, tantum relegat hæc scholia nostra ad Canones, & frequentissime sensum Canonum horum subsidio acceptum reperiet ; eorumque defectu non raro à vero sensu ab aliquibus fuisse deflexum.

Casus, & quæstionis status per Decretales decisus.

Cum autem Decretales, præsertim in collectione Gregorii IX. magna ex parte desumptæ sint ex Epistolis Romanorum Pontificum, signanter Alexandri III. Innocentii III. & Honori III. quibus interrogati responderunt ad difficultates, & quæstiones sibi propositas, nemini dubium esse potest, quin consequendo Decretalis sensui admodum conveniens sit, statum controversiæ, & quæstionis propositæ, omnesque ejus circumstantias, ejusque occasionem novisse.

Historiarum notitia plurimum conducit.

Hæc vero cum interdum neque ex Decretali, neque ex integra Pontificis Epistola haberi queant, sed ex historicis illius temporis haurienda sint, rectè monet Clarissimus Florens in oratione *de recta juris discendi ratione*, pro consummata juris canonici scientiâ historiarum Ecclesiarum, præsertim Occidentalium notitiam esse penè necessariam „ quæ, ait, » non ex vulgatis & futilibus quibusque, sed ex
» æqualibus & coætaneis repetenda est. "

Quam hæc Florentis observatio vera sit, intelliget & persuadebitur, qui eruditissimos Viri hujus ad Decretales commentarios pervolverit ; de quibus plura dicendi capite sequenti occasio dabitur ; uti & de aliis nonnullis, qui eodem subsidio usi sunt.

Vocum variata significatio utilis pro Canonum intellectu.

Alterum pro assequenda perfecta atque accurata Canonum, ac Juris canonici notitia non modò conveniens, sed penè necessarium est scientia variatæ vocum & verborum, pro diversitate temporum & locorum significationis.

Quis enim nescit, uno tempore aut loco aliam esse vocum verborumque significationem, quàm altero tempore & loco? Adeo, ut qui ea in una eademque significatione semper & ubique acciperet frequenter à mente loquentium, & verba illa usurpantium procul aberraret.

Declaratur exemplum.

Exempli gratiâ : multis seculis obtinuit, ut *Parœcia* sive *Parochia*, quæ hodie districtum significat uni Presbytero, quem Parochum dicimus, commissum, significaret integrum Episcopi distritum, quem nunc *Diœcesim* dicimus. *Diœcesis* autem pro districtu plurium Provinciarum Ecclesiasticarum acciperetur; uti in scholiis ad Canones non semel notavi.

Notum quoque est, quatuor ut minus primis seculis nomen *Sacerdotis*, quod hodie *Presbyterum* significat, pro *Episcopo* usurpatum ; & pro Presbytero non nisi cum addita clausula, *secundi ordinis.*

Nomen *Papæ*, quod soli Pontifici Romano hodiè tribuitur, olim promiscuè Episcopis tributum fuisse, quis ignorat?

Quàm

Quàm diversa fuerat *Communionis*, *Viatici*: *Missæ* aliorumque similium vocabulorum ab hodierna significatione, apud Veteres acceptio, quis ignorat?

Primates apud Veteres ubique penè dicebantur Episcopi, qui Metropoli Civitati præsidebant, quos hodie *Metropolitanos* dicimus; at in Africa aliter se res habebat. Is enim *Primas* apud Africanos dicebatur, qui ordinationis tempore Collegas suos anteibat, quem propterea & *Senem* vocabant.

Si quis hæc, aliaque ferè infinita vocabula, quæ pristinam suam, aut particularem significationem mutârunt, in pristinis Patrum Canonibus, aut scriptis accipiat in ea significatione, quam modò obtinent, mirum! Quam procul à mente & sententiâ Canonum & Scriptorum sæpiùs sit recessurus.

Plurima quoque & in Decretalibus similia vocabula, quæ vel nomenclaturam mutavêre vel prorsus obsoleta sunt, occurrunt: ut nisi quis prius de Verborum significatione nonnihil sit instructus, frequenter vel circa Decretalium sensum hærebit vel cespitabit.

A titulis de Verborum significatione studium juris inchoandum. Qui potissimum pro hac materia consulendi.

De hac re persuasi tum Legum, tum Canonum & Decretalium Interpretes, passim suadent Jurium Candidatis, ut à titulis de *Verborum significatione* studium Juris incipiant.

Cæterum pro eorum verborum intellectu, quæ seu in Canonibus, seu Decretalibus obscura, & in varia significatione occurunt, utiliter legi possunt Virorum eruditorum observationes, notæ, vel glossaria, quibus obscuriorum aut obsoletorum verborum significationem inquirunt, & exponunt: ut sunt Libri duo observationum Gabrielis Albaspinæi Episcopi Aurelianensis, ejusque in varios Canones annotationes; Francisci Pithæi in Legem Salicam, ac Libros Capitularium Glossarium; Jacobi Sirmondi in eosdem libros, nec non in plures Canones notæ. Item Hieronymi Bignonii in Legem Salicam, & formulas Marculfi Monachi observationes; quæ cum Glossario Pithæi & notis Sirmondi ad Libros Capitularium extant in tomo II. Capitularium editionis Stephani Baluzii; cujus quoque in Libros Capitularium eruditæ notæ non parùm huic vocum obscuritati lucis adferre possunt.

His addi possunt Libri quinque observationum Innocentii Cironii, in quibus penè omnia obscuriora & obsoleta vocabula in decretalibus occurrentia breviter exponit. Habentur hi observationum Libri unà cum quinta Decretalium Collectione ab ipso primùm typis evulgatâ (de qua supra *Parte VIII. cap.* 3.) & ejus paratitlis in quinque Libros Decretalium in uno volumine edito Tolosæ anno 1645.

Plurima sunt aliorum erudita Lexica & Glossaria, quæ eidem argumento servire possent; sed unum pro omnibus sufficere posse videtur, nimirum instructissimum ac eruditissimum Glossarium *ad Scriptores mediæ & infimæ latinitatis*, *in quo latina vocula novatæ significationis*, *aut usus rarioris barbara & exotica explicantur*, *eorum notiones & originationes reteguntur*, auctore Carolo Du Fresne, Domino Du Cange Regi à Consiliis, & apud Ambianos Quæstore, tribus voluminibus distinctum.

Quo Opere, in hoc argumenti genere non credo unquam aut eruditius aut absolutius aliquid prodiisse.

CAPUT II.

De Interpretibus, seu Commentatoribus Canonum et Decretalium.

PARAGRAPHUS I.

De Interpretibus Canonum.

Apud Latinos aliquot seculis pauci Canonistæ, plures apud Græcos.

POstquam sæculo XII. incœpit Decretalium usus, non parùm apud Latinos cœpit flaccescere Sacrorum Canonum studium, uti advertit Petrus de Marca *lib.* 3. *cap.* 6. *de Concord. Sacerdotii & Imperii*: » quod, ait, ab Auctore Librorum *de Hierarchia* » *subcœlesti* hæc verba expressit anno 1446. « *In Ecclesia Græca multi sunt Canonistæ, id est, scientes Canones universalium & generalium Conciliorum; in Latina nulli sunt Canonistæ, sed multi Decretalistæ.*

Id forsan suo tempore verè dixit auctor ille; at hoc nostro seculo etiam inter Latinos, Canonistas, id est, scientes Canones Conciliorum plurimos esse, eorum sanè erudita Commentaria plus satis evincunt; quæ mox indicabimus, si priùs Græcorum aliquot celebriores notaverimus.

Joannes Zonaras.

Joannes Zonaras Vir in Imperio seculo XII. Clarissimus, omnibus seculi dignitatibus nuntium remisit, & Monachus factus præter Historiam, Commentarios amplissimos scripsit in omnes Canones & Patrum Epistolas, qui Codicem Græcorum (de quo *Parte* 3. *cap.* 3. egimus) conficiunt.

Magnæ apud Græcos fuisse hos Canonum commentarios auctoritatis satis notum est: & qui eos pervolverit, inficiari haud poterit, multâ eruditione, ac utilissimis reflectionibus, & documentis esse refertos.

Theodori Balsamonis Commentarii.

Alter apud Græcos admodum celebris & nominatus Canonista fuit Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui præter alia plura Juris opera scripsit illud, quod inscripsit: *Expositio Sacrorum divinorum Canonum, sanctorum celebratissimorum Apostolorum & Sacrorum Œcumenicorum, atque etiam Provincialium sive particularium Conciliorum, reliquorumque sanctorum Patrum*; id est, uno verbo, omnium Conciliorum & Patrum, quorum Canones in codice Græcorum comprehenduntur.

Judicium Gentiani Herverti de his commentariis.

Hos Balsamonis Commentarios magno in pretio apud Græcos fuisse haud probari debet: de illis autem ita loquitur Vir in re Canonica versatissimus Gentianus Hervetus in Epistola ad Joannem Tullium Episcopum Briocensem: » Canonibus Patrum magnam afferet lucem Theodori Balsamonis Interpretatio, quæ & Imperatorum Leges explicat ecclesiasticas, & nihil omittit in Canonibus, quod non exactè & accuratè expendat. Atque in hoc quidem opere laudando non video, pergit Hervetus, opus esse, ut diutiùs immorer, cum in eo legendo sit ejus utilitas per se omni ex parte se satis ostensura. «

Diversus scopus Balsamonis, & Zonaræ.

Porrò licèt super iisdem Canonibus sint Zonaræ, ac Balsamonis Commentarii, tamen in his Scholiis componendis aliud fuit Balsamoniis, aliud Zonaræ propositum.

» Balsamon enim civilis æquè ac canonici Juris consultissimus, inquit Guilielmus Beveregius in prolegomenis ad Codicem Græcorum §. 23. utriusque concordiam prosequitur, apparentes discrepantias componit, & canonicas quæstiones à se motas multoties solvit. At Zonaras econtra ipsis Canonum verbis, & sensui interpretandis strictè adhæret, rarò admodum ad civiles leges digrediens. Hinc fit, quod Balsamon totum Zonaræ commentarium totidem nonnunquam verbis transcribat; superfluum nimirùm judicans alia Zonaræ dictis addere, cùm nihil in tali canone occurrat, de quo, ex legibus politicis & Imperialibus constitutionibus disputatio instituatur, hoc est, nihil quod ad suum propositum pertineat. «

Præferendi commentarii Zonaræ.

Et quidem ob hanc Canonum & Legum mixturam Scholia Balsamonis & longiora, & non rarò obscuriora sunt, quàm scholia Zonaræ; unde & canonum studioso hæc præ illis utiliora videntur.

Alexius Aristenus.

Sub idem penè tempus floruit Alexius Aristenus, cujus magna cum laude meminit ipse Balsamon in scholiis Canonis VI. Apostolici, & Canonis XXXII. Trullani, vocans eum *incomparabilem Dominum & magnum Œconomum.*

Notæ Guilielmi Beveregii.

Scripsit hic non quidem Canonum Synopsim, ut quidam crediderunt, sed eruditas in eam Synopsim annotationes; quas unà cum prædictis Balsamonis & Zonaræ commentariis, ac ipso integro Græcorum codice Græcè & Latinè typis elegantissimis evulgavit Guillielmus Beveregius Presbyter Ecclesiæ Anglicanæ, & recensuit ad veteres codices manuscriptos, necnon eruditis, & copiosis annotationibus illustravit.

Quædam notanda circa prædictos Auctores.

Opus sanè eruditâ admodum Canonum explanatione, ac totius ecclesiasticæ disciplinæ expositione refertum, lectuque dignissimum. Hoc unum tamen notandum, hos omnes Canonum Interpretes, cùm ab Ecclesia Romana schismate essent divulsi, circa disciplinam & praxim Ecclesiæ Romanæ & Pontificis Romani Primatum interdum minus æquos esse; uti in Scholiis ad Canones interdum notavimus; & de Balsamone singulariter observat Baronius ad annum 1191. ibidem rationem assignans, quæ Balsamonis ab Ecclesia Latina aversionem auxit, ut propterea in ejus scrip-

scriptis ampliùs, quàm aliorum alienatio ab Ecclesia Latina se ostentet.

§. II.

De Latinis Canonum Interpretibus.

Antonius Augustinus.

INter Latinos tum hoc, tum præterito seculo plures claruêre non decretalium duntaxat, sed & Sacrorum Canonum doctissimi, ac solidissimi interpretes.

Claruit imprimis seculo præcedenti nominatissimus, & in re canonica exercitatissimus Antonius Augustinus Aschiepiscopus Tarraconensis; qui inter alia edidit *epitomen Juris Pontificii veteris* in tres partes divisam; quarum prima de personis, secundà de rebus, & tertiâ de judiciis fusissimè, adductis Conciliorum, ac Pontificum decretis, & SS. Patrum sententiis, discurrit; hoc unum dolendum, quod falsas illas Isidorianas merces cæteris immisceat.

Edita est hæc epitome Parisiis anno 1641. in qua editione post primam operis partem stat ejusdem Antonii Augustini *de quibusdam veteribus Canonum Ecclesiasticorum Collectoribus judicium ac censura*: opus non inutile, quo & in hoc Tractatu interdum usi sumus.

Accedunt huic editioni Canones, seu libri tres pœnitentiales; nimirùm Pœnitentiale Romanum, Bedæ Præsbyteri, & Rabani Mauri Archiepiscopi Moguntinensis, cum ejusdem Antonii Augustini eruditis notis; quæ & eo titulo utiliter consuluntur, quòd ex dictis Canonibus nonnullos in suum Decretum retulit Gratianus.

Præter hæc, sunt ejusdem auctoris sæpiùs laudati Dialogorum libri duo de emendatione Gratiani; item notæ in Capitula vulgò Hadriani Papæ (quarum meminimus *part. IV. cap.* 2.) in quibus plurima ad sensum Canonum erudiendum, & veros a falsis secernendum occurrunt.

Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis.

Gabrielis Albaspinæi Episcopi Aurelianensis libri duo observationum, ejusdemque notæ in Canones Eliberitanos, & nonnullos aliorum Conciliorum Canones magnam spirant eruditionem, multamque Canonibus lucem adferunt.

Garsias de Loaisa, Jacobus Sirmondus & Stephanus Balusius.

Non exiguo etiam cum fructu legentur notæ in Canones Conciliorum Hispaniæ Garsiæ Loaisæ Archiepiscopi Toletani; & Jacobi Sirmondi in Canones Conciliorum Galliæ, & Capitularia Regum Francorum. Item Stephani Balusii in eosdem Libros Capitularium; necnon in Collectionem Reginonis, & in Decretum Gratiani.

Scholia Christiani Lupi.

Scholia, ac notæ P. Christiani Lupi in Canones octo primorum Conciliorum generalium, nec non quorundam Conciliorum particularium, præsertim Romanorum, quinque tomis comprehensa, non pauca quoque pro intellectu Canonum, & notitia disciplinæ suppeditare possunt.

Scholia Auctoris.

Sed cum plurimis, quibus Canonum, & disciplinæ ecclesiasticæ notitia convenit; quique eorum notitiam habere desiderant, non liceat per occupationes, quibus vi sui muneris, & professionis detinentur, fusiora illa Canonum Commentaria pervolvere, ut ex illis aliquam convenientem ideam disciplinæ ecclesiasticæ hauriant; non inutile, aut ingratum futurum judicavi, exhibere, compendiosis Scholiis illustrare, non tantùm Conciliorum generalium Canones, sed eos omnes, quos Ecclesia universalis Occidentalis pariter ac Orientalis uno quasi consensu probavit, & laudavit; & consequenter, de quibus affirmari quodam sensu posse videtur, quod de Canonibus Nicænis dixit aliquando Leo Magnus: *Canones Spiritu Dei, & tottus mundi reverentia roborati.*

In his quoque reperiet Lector puriorem Patrum disciplinam in omnibus, aut saltem præcipuis punctis expressam.

Monitum ad Lectorem.

Hoc unum requiro, ut tam in meis, quàm aliorum, quos hactenus allegavi, & infra citavo, observetur illud Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

§. III.

De Interpretibus Decretalium.

Varia illorum Interpretum genera. Primum.

NOn unius generis sunt Decretalium sive Juris canonici Interpretes seu Commentatores.

Nonnulli enim, iique eruditione & utilitate præcipui, explanatione Juris Canonici, & Decretalium intermiscent quoque Ecclesiæ disciplinam ex SS. Canonibus, & Sanctis Patribus haustam; ac insuper ex Decretalium fontibus, & historiis earum genuinum sensum hauriunt.

Francisci De Roye Institutiones.

Hujus generis pro incipientibus sunt institutiones canonici Juris in tres libros divisio: quorum primò de Legibus & Personis Ecclesiasticis; secundo de rebus ecclesiasticis & earum acquisitione; & tertiò de actionibus & judiciis tractatur Auctore Francisco De Roye Antecessore Andegavensi.

Commentaria Francisci Florentis.

Provectioribus servire possunt erudita illa Francisci Florentis Aurelianensis primùm ac deinde Parisiensis Antecessoris Commentaria ad varios Decretalium titulos; quibus admodum eruditè non tantùm pristinam Ecclesiæ disciplinam ex Patribus & Sacris Canonibus depromptam proponit; sed insuper ipsarum Decretalium sensus ex fontibus, & historiis eâ eruditione detexit, ut vel ex solis his commentariis cuivis innotescat, verissimum esse, quòd suprà monui, sensum Decretalium Gregorii IX. ex antiquis Decretalium compilationibus, & historiis esse desumendum.

Janus à Costa.

His addi possunt Jani à Costa Antecessoris Tolosani in Decretales Gregorii IX. *Summaria, & Commentaria.*

Innocentius Cironis.

Item *Paratitla* in quinque libros Decretalium Gregorii IX. Innocentii Cironii Juris utriusque Professoris & Academiæ Tolosanæ Cancellarii.

Antonia Altesserra.

Commentarius quoque in Decretales Innocentii III. quæ Decretalium Gregorii IX. præcipuam partem constituunt, Antonii Dadini Altersserræ meritò his jungitur.

Jacobus Cujacius.

Doctissima denique Jacobi Cujacii Jurisconsulti Celeberrimi in Decretales Commentaria huic Interpretum generi annumeranda, utpotè qui ex fontibus & historiis Decretalium sensum feliciter eruit, & eruendum ostendit.

Secundum genus Scriptorum.

Sunt deinde Juris canonici, aut ecclesiastici Scriptores, qui Juri communi, non tantùm aliquid de pristina disciplina immiscent, sed insuper jus Patrium & consuetudinarium adjiciunt; illudque variis Tribunalium, præcipuè Regiorum sententiis & decisionibus confirmant.

Franciscus Zypæus.

Hujus generis reputari possunt opera canonica Francisci Zypæi, qui jus Belgicum juri communi miscet; pluresque Regiorum Magistratuum decisiones refert.

Petrus Rebuffus.

Item Petri Rebuffi praxis beneficiorum, aliaque ejus de re canonica opera, quæ Parlamentorum sententias refert.

Joannes Journet.

His meritò annumeratur *arresta* seu sententia prolatæ in Regiis Parlamentis in omni penè materia ecclesiastica, ordine alphabetico collecta in duos tomos per Joannem Tournet.

Journal des Audiences.

Plurima quoque ad elucidationem rei Canonicæ cum Parlamentorum decisionibus occurrunt in Collectione, quæ vulgò dicitur *Journal des Audiences*, & quatuor ut minus tomis constat.

Renatus Choppinus.

Verùm in hoc genere Doctorum, sive Scriptorum eminent opera Renati Coppini de sacra politia forensi, & ejusdem Monasticon.

Carolus Fevret.

Quibus adjungi potest tractatus Caroli Fevret *de abusu*; sive de vera materia appellationis, quæ insigniri solet hac qualitate, *tanquam de abusu.*

In his operibus omnem ferè materiam ecclesiasticam ex Sacris Canonibus, Patribus, & historiis primò deductam habes; ac deinde quid jure consuetudinario, præsertim Regni Galliæ, obtineat; & in contradictorio judicio decisum sit, doctissimè proponitur: hoc unum notandum, quod posterior plus justo videatur Jurisdictioni Laicali favere, & Ecclesiasticam deprimere.

Hi, similesvè Auctores licèt singulariter serviant iis, qui in foro versantur, atque controversiis ecclesiasticis decidendis, & deducendis ex officio incumbunt, tamen cum in pluribus ipsam quoque Patrum pu-

puriorem disciplinam proponant & explanent, etiam ecclesiasticis eorum lectio utilis & conveniens esse potest.

Tertium genus Scriptorum.

Tertium denique Decretalistarum, seu Decretalium Interpretum genus est, qui ferè ipsis Decretalibus, sive Juri Canonico scripto inhærent; nec nisi rarò ex ipsis Decretalium primis fontibus, vel historiis sensum Decretalium quærunt vel investigant.

Glossographi.

Hujus generis famosissimi sunt qui vulgò *Glossographi* dicuntur, eo quod ad singula Capitula suas glossas sive breves annotationes aut expositiones apposuerint.

Quæ circa hos notanda.

Circa Glossographos attendendum, quod præterquam nimium inhærendo litteræ Decretalium, prout per fragmenta per Raymundum aliosve Collectores sunt relatæ, verùm sensum Decretalium sæpiùs non sint assecuti, nonnullos etiam graves errores incautè nimis immiscuerint.

Exempli gratiâ: ad Cap. 8. *De transactionibus*, verbo, *necessaria*: »Sacramentum verò Baptismi in »necessitate à quocunque recipi potest, dummodo in »forma Ecclesiæ conferatur. Et etiam *Pœnitentia*: »Nam confiteri possunt quicunque in necessitate juxta »illud: *Confitemini alterutrum peccata vestra.*«

Ad Cap. 6. *de celebrat. Missarum*, verbo, *Sanguinis veritatem*, proponit tres sententias de præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, quasi æquè probabiles & indifferentes, quarum tertia apertè hæretica est hæc: *Tertia dicit, quod remanet substantia panis & vini, & sub eadem specie est Corpus Christi.*

Et ad Cap. 14. ✠ *eod. tit.* verbo *fermentato* probare videtur sententiam Hugonis, *quod si quis conficeret de fermentato pane in Ecclesia Occidentali nihil fieret*; qui est error manifestus.

Hæc pauca vice specimînum proposita sat ostendunt maturo discretionis judicio Glossas Juris canonici esse legendas. Qui plura, tum in Glossis Decreti Gratiani, tum Decretalium & aliarum corporis canonici partium errata in unum collecta videre velit, consulat libellum cui titulus: *Collatio Censuræ in Glossas Juris Canonici jussu Pii V. Pontificis anno 1572. edita cum iisdem Glossis, Gregorii XIII. mandato, anno 1580. recognitis & approbatis.*

Alii Veteres Decretalium commentatores.

Huic generi Auctorum annumerari quoque possunt Veterum multorum, ut Joannis Andreæ, Innocentii IV. Panormitani, Cardinalis Florentini sive Francisci Zabarellæ, aliorumque in Decretales & alias Juris canonici partes, vel commentaria, vel paratitla, quæ longum esset hîc enumerare.

Institutiones Lancellotti.

Ex his utiliores incipientibus videntur Institutiones Joannis Pauli Lancellotti (de quibus actum *p.* 8. *cap.* 3. §. 1.) præsertim cum notis Joannis Doujatii, in quibus multa breviter, & nervosè ad hodierni Juris notitiam supplentur, & adjiciuntur.

Adjecta est & huic editioni ejusdem Doujatii brevis historia Juris canonici aliaque nonnulla per modum appendicis quæ Juris canonici Tironibus non parùm subservire possunt.

Alii prolixiores recentiorum commentarii.

Provectioribus subservire possunt prolixiores Decretalium Commentarii; atque inter cæteros Henrici Canisii commentarii in Decretales; item Prosperi Fagnani; nec non, quæ passim hîc Studiosorum manibus teruntur paratitla Andreæ Vallensis; circa quæ tamen nonnulla observanda sequente paragrapho proponemus.

§. IV.

Observanda circa Decretalium Commentatores; & specialiter circa Paratitla Andreæ Vallensis.

Prima observatio.

QUemadmodum, ut suprà notavimus, libri Decretalium & sequentes corporis canonici partes potissimum forensia prosequuntur, & pro judicialibus causis decidendis promulgati sunt, ita quoque Commentarii Decretalium præcipuè circa judicialia & forensia occupantur.

Unde Andreas Vallensis in sua ad Paratitla Decretalium præfatione monet, quod ad *forensia negotia* hæc paratitla seu *institutiones potissimum accomodare voluerit.*

Quapropter de his Decretalium commentatoribus jure meritò dici posset, quod de Canonibus nimirum, qui lites, judiciaque præcipuè valent, dixisse fertur Joannes Salisberiensis Episcopus Carnotensis ad S. Thomam Cantuariensem: *Quis à lectione Legum aut etiam Canonum compunctus surgit.*

Meritò proinde suadendum Clericis, ut si hujusmodi Decretalium commentariis, pro notitia Juris canonici, studere velint, illorum lectionum, aliorum librorum, v. gr. Sacræ Scripturæ, aut SS. Patrum, vel SS. Canonum lectione ità temperent, ut non planè aridi, totique forenses ac veri Spiritûs ecclesiastici expertes reddantur.

Secunda reflexio.

Ulteriùs hi Commentatores dum potissimum circa judicialia forensia occupantur, non satis distinguere solent inter forum externum & internum sæpiùsque licita pronuntiant, quæ quidem in foro fori impugnari, aut irritari nequeunt; at in foro poli, id est, foro conscientiæ sæpiùs illicita sunt.

Exemplum sit, quod Vallensis ait titulo de *Institutionibus*, §. 2. *num.* 8. quod Vicarius Sede vacante instituit præsentatos à Patronis; *imò etiam uni ex præsentatis gratificari potest*; id enim si de foro fori intelligatur; sivè quod si unicè duobus præsentatis Vicarius *gratiam* sive favorem fecerit, institutio in foro fori impugnari non possit, verum est; modo institutus capax sit. At in foro poli sive conscientiæ nullus *gratificationi* locus est; sed Vicarius in electione duorum Præsentatorum omni favore, & gratificatione excluso, eum instituere debet, quem omnibus attentis judicaverit in Ecclesiæ bonum esse instituendum.

Tertia reflexio.

Adhæc dum Decretalium illi Interpretes unicè ferè materiam beneficiorum tractant in ordine ad forense judicium, facilè contingit, ut beneficia potissimùm attendant quoad temporalia; quippè quæ penè sola sunt, ob quæ super beneficiis ecclesiasticis contentiones & litigia oriantur, & moveantur.

Hinc frequenter vilem, ac indignam de beneficiis ecclesiasticis imprimunt idæam, quasi primum ac principale in beneficiis esset ipsum temporale; atque à majori, vel minori beneficiorum temporali emolumento, aut mundano honori eis annexo magis, vel minus essent æstimanda; ideoque nonnunquam de beneficiis non secus, ac de re aliqua profana & temporali ratiocinantur.

Hinc illa apud Andream Vallensem titulo, *ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, num.* 3. quòd pensio beneficio conferendo imponi possit *in permutatione beneficiorum ratione inæqualitatis si beneficium alterum alteri præponderet.*

Et ad tit. *de rerum permutatione, num.* 3. cùm locutus esset de beneficiorum permutatione, addit: »Sic quoque aliæ res ecclesiasticæ cum aliis item eccle»siasticis permutari possunt, etiam *addito pretio ad* »*æqualitatem fructuum & reddituum compensandam.*

Num hæc aliam idæam imprimunt, quam beneficia instar rerum temporalium esse pretio coæquanda, atque in permutatione beneficiorum id maximè attendendum, ut æqualitas fructuum utrimque servetur, & quemadmodum in rerum temporalium commercio servari justitia requirit.

Has compensationes inæqualitatis fructuum non esse justam causam exigendi pensionem, easque à Simoniaca labe non esse immunes, abundè ostendi in tractatu *de simonia circa Beneficia & pensionibus, parte* 2. *cap.* 4. §. 4.

Quidnî eidem ideæ, nimirùm quod beneficia non satis considerent tanquam ministeria Ecclesiæ, quæ Clericos ad laborandum, & militandum in militia Christi astringunt, adscribatur quod cum Vallensi ad titulum *de peculio Clericorum, num.* 2. communiter tradunt Decretalium Commentatores, scilicet tanquam propria Clericorum bona *quasi patrimonialia* censeri, quæ Clerici acquirunt ratione clericalis ordinis vel officii, sed aliâ ratione quàm beneficii veluti, celebran»do, concionando, confessiones audiendo, Vica»riæ temporali deserviendo, aut alias similes actiones »spirituales exercendo.

»Cùm verò pergit Vallensis, bonorum patri»monialium *plenè sint Domini*, perinde ut Laici suo»rum, de iis etiam liberimè, quantum volunt, & cui »volunt donare, aut alio quovis modo, sive in»ter vivos, sive ultimâ voluntate disponere possunt. »Idem dicendum, ait, de quasi Patrimonialibus.«

Nonne hæc aperte evincunt, ab his Auctoribus beneficia ecclesiastica non satis considerari, ut ministeria & officia Ecclesiæ, quæ Clericos ad militandum in militia Christi, & laborandum in vinea Domini ads-

adstringunt ; & quorum intuitu ipsis tanquam laborantibus & militantibus temporalia subministrantur juxta illud Christi : *Dignus est Operarius mercede suâ.* Si enim eam de beneficiis idæam haberent, facile viderent, nullas decimas, vel alia cujuscumque generis temporalia Clericis ratione Beneficiorum dari, nisi intuitu laboris & operæ ; adeoque illa, quæ *quasi patrimonialia* vocant, ab his non distingui : cùm & illa Clericis dentur ut Ecclesiæ Ministris laborantibus, & militantibus. Vide citatum tractatum *de Simonia*, *p.* 1. *cap.* 7. §. 4.

Ex eadem de beneficiis ecclesiasticis idæa profluere videtur, quod sæpiùs citatus Vallensis asserit titulo de testamentis §. 5. *num.* 8. » quod Clericus ex » proventibus sui beneficii donare possit intuitu sanguinis suis consanguineis, si egeant, ad decentem » eorum sustentationem consideratâ qualitate, quam » tales acquirunt per promotionem ejus, qui donat, » ad aliud beneficium vel dignitatem. Crescit enim, » inquit, Cerici promotione etiam consanguineorum » dignitas, & in gradu non sufficeret eis ad decentem » sustentionem, quod ante sufficere poterat. «

Nonne hæc eam præferunt de beneficiis, & dignitatibus ecclesiasticis pessimam illam, ac nocentissimam idæam, quasi illa non tantùm suos possessores, sed eorum consanguineos ad honores mundanos elevarent ; atque his sustinendis convenientes seculi opes essent necessariæ : quo nihil à mente Ecclesiæ magis alienum, quæ ministros suos à seculi vanitate, & mundanis honoribus planè alienos esse vult ; illudque ut profiteantur in ipsa Clericalis Tonsuræ susceptione (qua primùm servitio Ecclesiæ nomen dant) præcipit ; & verbis, atque ipsis ritibus manifestè exponit.

Et quidem vi hujus professionis tenentur Clerici omnes in quacunque etiam Episcopali dignitate constituti cavere, ne in toto vitæ genere quid appareat, *quod non simplicitatem*, *Dei zèlum*, vanitatum contemptum *præseferat*, ut loquitur Synodus Tridentina *sess.* 25. *cap.* 1. *de reform.*

Ex quo manifestum est, quàm alienum sit à mente Ecclesiæ, quod non tantùm Clerici, sed & eorum consanguinei pro qualitate beneficii, aut dignitatis, etiam dignitate mundanâ crescere censerentur.

De hac Ecclesiæ mente optimè conscii sanctissimi quique Episcopi ac Pontifices solicitè cavebant, ne consanguineis suis se extollendi, suamque secundum seculum conditionem augendi occasionem præberent.

Pulcherrima in hanc rem, & utinam omnium Ecclesiasticorum cordibus altissimè impressa ! est Epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum fratrem suum data, quam hic totam inserere, nec inutile, nec ingratum fore credidi.

Epistola Clementis IV. de non promovendis aut dictandis consanguineis.

Clemens Episcopus servus servorum Dei *Dilecto sibi Petro Grosso de Sancto Ægidio salutem, &c.* » Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli » sumus, qui certiùs immensitatem oneris experimur: » & idcircò quod aliis gaudium, nobis metum subministrat, & fletum. Sanè ut scias, qualiter his » auditis debeas te habere, scire te volumus, quòd » humilior solito debes esse. Neque enim, quod nos » vehementer humiliat, debet nostros extollere, maximè cùm honor hujus seculi momentaneus sit, & » sicut ros transeat matutinus, nec ad nos te, nec » fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire » volumus sine nostro speciali mandato. Quia spe suâ » frustratos, si secus venire præsumerent, oportet » redire confusos. Sed nec in tuæ sororis nuptiis gradum quæras propter non altiorem : nec enim nos » haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis simplicius desponsaveris, in» ter centum Libris Turonensibus tibi proponimus » subvenire. Et si altiora quæsiveris, nec à nobis denarium speres unum ; & hoc ipsum secretissimum » esse volumus, & tibi & matri solummodo notum » esse. Illud etiam scias, quod nullum nullamque de » sanguine nostro sub nostræ sublimationis obtentu » inflare volumus : sed tam Mobiliam, quàm Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si » essemus in simplici Clericatu. Sybillam visita, & » dic ei, quod locum non mutet, sed remaneat apud » Susam, & omnem maturitatem, & habitus honestatem observet, & preces nobis pro aliquo non » præsumat assumere. Nam & ei, pro quo fierent, » essent inutiles : & ipsi, qui rogaverit, damnosæ. Et » si fortè per aliquos ex hac causa munera offeran» tur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. » Saluta matrem & fratres : non scribimus tibi nec » familiaribus nostris sub Bulla, sed sub Piscatoris Si» gillo quo Romani Pontifices in suis secretis utun» tur. «

Conforme judicium Adriani VI.

Quàm alienum fuerit à mente Adriani VI. quod consanguineorum dignitas, à dignitate Pontificali, ad quam erat profectus, cum proportione cresceret; eâque de causa plura in ipsos ex Ecclesiæ thesauris conferre liceret, clamant vitæ ipsius acta ; in quibus inter alias refertur, quod nonnullos sibi non remoto affinitatis gradu conjunctos, qui spe celsioris fortunæ è Germania pedibus Romam venerant, verbis severioribus exceperit, singulosque sagis laneis & frugi viatico donatos, pedibus in patriam redire jusserit.

Nepoti quoque unum satis tenue beneficium habenti, aliud opulentius adjungere noluit ; illud continuò habens in ore : *Ecclesias Sacerdotibus*, *non Sacerdotes Ecclesiis ornare se velle.*

Idem judicium Marcelli II.

Quid de Marcello II. qui Pontifex factus consanguineos suos nec in Urbem venire permisit, Fratris sui filios in Urbe morantes à nemine salutari voluit ; rarò in publicum prodire, nec sericis vestibus uti permisit. Quin & rogatus, ut in Palatium adduci possent, respondit: *Quid illis cum Palatio? Idne patrimonium eorum esse judicatis?*

Quarta reflexio.

Notissimum est, tum hoc, tum præcedenti seculo nonnullos Theologos ad tantam in moralibus laxitatem fuisse prolapsos, ut tandem eo penè deventum esset, teste Cardinale Bona, *ut ferè liceret*, *quidquid libueret.* Notum quoque est plurima in Decretalibus, aliisque corporis canonici partibus occurrere, quæ Canonistis & Theologis sunt communia.

Hinc nonnulli è recentioribus Decretalium Commentatoribus in eas materias incidentes, etiam è Theologis illis laxioribus quosdam consuluerunt ; eaque occasione eorum nonnulla laxioris disciplinæ principia suis quoque Commentariis inseruerunt.

Exempla plura suppeditant Andreæ Vallensis Paratitla in Decretales.

Et quidem titulo de *præscriptionibus*, §. 3. *num.* 3. secutus Leonardum Lessium apertè ipsum *probabilissimum* omnium laxitatum fontem proponit.

Cùm enim dixisset, ad præscriptionem *juris clari ignorantiam quidem non prodesse*, sed aliud dicendum esse de ignorantia juris verè dubii, pro ratione subjungit : » Quia quando jus est *verè dubium*, » id est, de quo utrimque multorum sunt sententiæ, » licet in praxi utramlibet sequi sententiam, perin» de ac si clarum jus esset, Lesius 2. *de Justit. cap.* 6. » *disput.* 5. *n.* 16. « Hæc ille.

Quid evidentius quam hunc Auctorem occassione hujus Theologi incidisse in eam opinionem sive apertum *probabilismum*, qui omnibus laxitatibus viam aperit ?

» Cum enim nulla ferè sit veritas moralis (verba » sunt Prosperi Fagnani *ad Cap.* ne initiaris ✠ *de* » *Constit.*) quæ plausibili aliquâ ratione oppugnari non » possit, nihil dubium est, *quin omnis regula morum* » *possit everti ex libertate opinandi*, non modò in » præceptis humanis, verùm etiam in divinis & na» turalibus ; dum de ipsis interdum non occurrunt » nobis rationes demonstrativæ: *Unde his temporibus* » *eò res producta est*, ut nullus ferè sit articulus in » moralibus, in quo non sit varietas, vel contrarietas » opinionum : adeò ut in solo opere non ita pridem » impresso resolutionum moralium Antonii Dianæ, » numerentur in unum collectæ quæstiones supra ter » mille cum opinionibus, & Auctoribus pro utraque » parte affirmantibus, aut ambas esse probabiles aut » unam probabilem, & alteram probabiliorem, & in » quibus ferè omnibus agitur de peccato mortali : ut » de Sacramentis, de Censuris, de votis, de Jeju» nio, de Restitutione & aliis hujusmodi, quæ com» plectuntur universam fere materiam ad forum cons» cientiæ pertinentem. Quem scribendi morem passim » observant & alii plures ex recentioribus Theologis. » Quare, pergit idem Fagnanus, hæc doctrina pro» babilitatum videtur fovere veluti quandam libertatem » conscientiæ, ac proinde magnopere indigere dexte» râ Dei, & Beatissimi Romani Pontificis provisio» ne, ne venenum jam plus nimiò dilatum, ulte» rius serpat. «

Deinde prædictus Canonista, quod generalibus terminis dixit, specialibus exemplis demostrare pergit eo loco, ubi agit de » innumeris ferè opinionibus » falsis (verba ejus sunt) temerarii & scandalosis, quæ » ex libertate eligendi quascunque opiniones proba- » biles, *tanquam ex Equo Trojano*, indies prodeunt, » & quamplurimæ pallio probabilitatis tectæ tradun- » tur in Scriptoribus nostri temporis, quæ reverà non » sunt tolerandæ. «

Hæc Fagnanus. Qui pluribus ex laxioribus illis propositionibus ibidem relatis, tandem laudare non dubitat quendam Juris-Consultum, » *quod hic rotun- » dis*, ut ait, *verbis affirmet, usum probabilitatum esse commentum diaboli ad enervandam vim præ- ceptorum.*

Deinde prosequitur, ac ibidem fusissimè tum à ratione, tum ex jure, eam opinandi libertatem seu probabilismum destruit; stabilitque regulam jure naturali notissimam, & apertissimè traditam in *Cap.* 12. ¨ *de homicidio. Cap.* 5. ¨ *de Clerico excommùnicato adminis.* nimirùm, *quod in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*; vel quod idem est: *In dubiis via est eligenda tutior.*

Hîc pariter ostenditur, quàm opportunè, ut juris Tyrones à *probabilismo* sibi caveant, insertus sit discursus Cardinalis De Aguirre solidissimè probabilismum evertens.

Hæc aliaque, quæ facilè Lectori occurrent sub iis titulis, qui Theologis, & Canonistis sunt communes, sat evincunt laxiores Theologos, ad quos & frequenter remittit, ab hoc Auctore fuisse adhibitos. *Quare à paratitlis Vallensis desumpta sint exempla.*

De hoc Lectorem monitum velim, non eo fine exempla reflexionum generalium è paratitlis hisce fuisse petita, quod in aliorum Commentariis similia, imò & plura non occurrerent; sed quia scio, hæc paratitla præ aliis Commentariis Studiosis Juris esse specialiter nota & familiaria.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

Abortum procuranti quæ pœna constituta, pag. 98.
Abstinentia à canonibus jam pridem usitata, 14.
Damnantur, qui esum carnium per se illicitum credunt, 17. 78.
De abstinentia à carnibus manet lex ecclesiastica intacta, 17.
Abstinentia à sanguine, idolothyto & suffocato diu viguit, 17.
Accusans Clericum excommunicatus rejicitur, 54.
Ad accusationem non recipiendi infames, *ibid.*
Unum crimen objectum non probans ad aliorum accusationem non admittitur, *ibid.*
Acta Cleri Gallicani, quam habeant auctoritatem & utilitatem, 143.
Adam non moriturus fuisset, si non peccâsset, 51.
Agapæ, sive convivia charitatis contemni non debent, 17.
Convivia hæc charitatis denegârunt in cupiditatem, hinc in Ecclesia celebrari vetantur, 17. 26. 40. 96.
Illicitum ex Agapis partes domum asportare, 25.
Agobardi testimonium de Auctoritate Canonum, 1.
Alienatio rerum Ecclesiæ vetita, 38.
Anachoretarum quæ vivendi ratio, 92.
Anachoretæ cur dicti *discedentes*, *ibid.*
Quibus cautelis via anachoretica assumenda, *ibid.*
Angelorum cultus idololatriam redolens, reprobatur, 26.
Quid sit Angelus nominare, *ibid.*
Appellatio quoad effectum suspensivum olim ignota, 19.
Appellare ab arbitris num liceat, 49. 53.
Asylum templorum comprobatur, 43.

B

Balnea intrare viros unà cum mulieribus abominabile est, 26. 100.
Baptismi forma quæ sit, 73.
Ritus trinæ immersionis in Baptismo, *ibid.*
Baptizati ab hæreticis an rebaptizandi, 73.
Baptizandi, de quorum baptismo dubitatur, 46. 98.
Forma baptizandi sub conditione olim ignota, 46.
Baptismus non conferendus in oratoriis, 94.
Quæ agenda catechumeno ante baptismi susceptionem, 8. 15. 26.
Mulier gravida catechumena baptizari potest quando. Ratio dubitandi, 15.
Baptizari non possunt mortui, 37.
Ægrotantes qua ratione baptizandi, 41.
In morbo baptizati monendi sunt de suscepta gratia, 27.
Gratia in Baptismo recepta in memoriam revocanda, *ibid.*
Recens baptizatis lac & mel gustandum datur. Quæ ratio, 40.
Baptizantur infantes in remissionem peccati originalis, 51.
Quomodo vivendum iis, qui per Baptismum Christum induerunt, 99.
Beneficiis non ditandi nepotes, 153.
Beneficia consanguineis conferentes à scandalo præcipuè caveant, 152. 153
Beneficii Pensiones ex causa resignationis & permutationis improbatæ, 80.
Bigamorum pœnitentia, 15. 23.
Secundæ nuptiæ non fuerunt damnatæ, *ibid.*
Presbyter nequit interesse nuptiali convivio bigami, 11.
Blasphemiæ nomine quid significetur, 36.
Burchardus quis fuerit, 120.
Quæ materia, quis ordo Decreti Burchardi, *ibid.*
Burchardus ad fontes non recurrit, 121.
Burchardus Isidorum Mercatorem secutus, *ibid.*
Burchardus multa ex Reginone descripsit, *ibid.*
Aliis Canonum collectoribus causa fuit erroris, *ibid.*
Burchcardus olim dictus Brocardus, 122.

C

Canon quid significet, 1. 2. 144.
Unde libri sacri dicantur *Canonici*, 1.
Regulæ Ecclesiæ unde dici cœperint *Canones*, *ibid.*
Canones Ecclesiæ non ut leges merè humanæ considerandi, *ibid.*
Canones encomiis celebrati à Patribus, 144.
Canones quidam nihil præscribunt nisi quod jus naturale, 1.
Canones alii positivi quidem aliquid, sed præcipuè continent jus naturale, 1.
Qui Canones in totum abrogari nulla ratione possint; & quare, 2.
Canones alii externos duntaxat ritus ordinant, & quid de his sentiendum, *ibid.*
Canones alii morum disciplinam præscribunt. Hi difficiliùs abrogantur, *ibid.*
Canones morum disciplinam præscribentes abrogatos esse malè concluditur ex conniventia Ecclesiæ, *ibid.* & 3.
Canones suos attemperavit Ecclesia temporum malignitati, *ib.*
Quæ attendenda, ut rectè statuatur de auctoritate Canonum, 3. & *seqq.*
Canones XX. duntaxat à Synodo Nicæna editi, 8. 35.
Canones LXXX. Arabici Synodo Nicenæ adscripti, rejiciuntur ut supposititi, 8. & *seqq.*
Quis numerus Canonum vulgò Apostolorum, 66. & *seq.*
Quæ Canonum vulgò Apostolorum ætas, quæ auctoritas, 67. & *seq.*
Quis scopus studii sacrorum Canonum, 144.
Canonum studiosus attendere debet ad medullam & spiritum disciplinæ ecclesiasticæ, 144. & *seq.*
Quæ media accipiendæ Canonum notitiæ imprimis conducant, 145.
Qui potissimùm Canones pro notitia disciplinæ pervolvendi, 146.
Quæ notanda pro assequenda perfecta Canonum, & Decretalium notitia, 149.
Canonum Interpretes Græci, 150.
Canonum Interpretes Latini, 151.
Canonum Codices. Canones Ecclesiæ olim inclusi erant Codici, 4.
Ex diversitate disciplinæ orti diversi in diversiis Ecclesiis Canonum Codices, *ibid.*
In Codicem relati Canones vim obtinebant legis, *ibid.*
Canonum Codex ostendebat, qui Canones recipiendi non essent, *ibid.*
Quæ sit auctoritas Canonum, privata alicujus opera, in unum Codicem compilatorum, 5.
Quæ inquirenda, ut de auctoritate codicis rectè statuatur, *ibid.*
Caracteres Codicis, qui dicitur *Ecclesiæ* universæ, 6.
Codex *Ecclesiæ universæ* idem cum eo, quem Dionysius Exiguus è Græco in Latinum transtulit, 7.
Codex hic quo sensu dici possit *Ecclesiæ universæ*, *ibid.*
Canonum in Codice *Ecclesiæ universæ* contentorum quæ sit auctoritas, *ibid.*
Codex vetus, quo usa est Ecclesia Romana assertus, 30.
Codicis Ecclesiæ Rom. characteres, 31.
Codicis Rom. prima ætas & varia incrementa, 32. & *seq.*
Codicis Rom. plures utilitates, 33.
Codex Africanæ Ecclesiæ à quibus editus, 33.
Codex Ecclesiæ Africanæ receptus ab Ecclesia Romana & Orientali. 34.
Quomodo hæc universalis Ecclesiæ receptio intelligenda, *ibid.*
Codex Dyonisianus quid contineat, 56. 57.
Codex Dionysianus ab Ecclesia Romana, aliisque magno plausu receptus, 57. & *seqq.*
Codex Græcorum quis, & qua ratione auctus, 58. & *seq.*
Cantorum qui Psalmodiam inchoant, & moderantur antiquitas, 24,
Capitulorum vulgò *Adriani* quis auctor, 113,
Quæ horum Capitulorum auctoritas, quæ utilitas, *ibid.*
Capitularia quæ dicantur, 114.
Capitularia unde desumpta, & qua forma, *ibid.*
Capitularium quæ auctoritas, 115.
Capitularium collectio quomodo cœpta, 116.
Capitularium collectio quibus auctoribus tribuenda, *ibid.*
Capitularium editio quo tempore facta, 117.
Capitularium multiplex utilitas, *ibid.* & *seqq.*
In capitularibus multa etiam apocrypha occurrunt, 118.
Carolus Borromæus Ecclesiam in primævam integritatem satagit restituere, 3.
Judicium Caroli de SS. Canonibus, 144.
Jussit exponi Decretum Gratiani, 146.
Catechumenorum plures classes. Vide *Baptismus*, *Pœnit.* 11. 15.
Catholicismus nota Ecclesiæ, 38.
Causæ examinandæ in loco, ubi sunt ortæ, 49. 56.
Causæ Ecclesiasticæ celeriter expediendæ, 50.
Choriepiscopi qui dicantur, 14.

Chorìepiscopi Vicarii Episcoporum, & in quibus, 16. & 20.
Chorìepiscopi vi suæ ordinationis non erant Episcopi, 20.
Chorìepiscopi successerunt in locum discipulorum, 16.
Christianis interdicta communio cum Judæis & Gentilibus, 26. 74. 75. 86.
Christiani in conviviis quo pacto se gerere debeant, 27. 105.
Christiani quàm debeant esse alieni à vita Scenicorum & Histriorum, 41.
Christianis illicitum ludere aleis & interesse spectaculis, 93.
Sitne satis conforme regulis christianis adolescentulorum saltus intrudere in scenas, *ibid.*
Christianis non usurpanda falsorum Deorum nomina, 95.
Clericis interdicta mulierum conversatio, & habitatio, 8. 40. 85. 105.
Clericis usura & omnis turpis quæstus interdicitur, 11.
Clerici non possunt sine licentia Episcopi ad aliam Diœcesim migrare, 20. 48. 69.
Clericis interdictum frequentare popinas, 25. 40. 73. 105.
Clericis interdicta, quæ superstitionem sapiunt, 26.
Clerici debent fugere negotia secularia, 36. 68. 76. 78. 103.
Ad Clerum recipiuntur etiam impuberes, 37.
Clerici debent scire Canones, 37. 144.
Quibus potissimùm Clericis commendata continentia, 37. 45.
Clericis in crimen prolapsis quæ agenda pœnitentia, 38.
Clerici imperantibus Episcopis mutant stationes, 39.
Quid de Clericis, qui lucra seculi quærunt in militia Christi, *ibid.*
Clericorum in Africa unde tanta olim penuria, 43.
Clericus ab Episcopo damnatus à nemine via facti defendendus, 54.
Clericus laborans infamiâ debet se quam primum purgare, 47.
Clerici tenebantur communicare tempore Sacrificii. 69.
Clericus ex patrimonio dives possitne vivere ex bonis Ecclesiæ, 72. 93.
Quid de Clericis, qui aleis vacant & ebriteatibus, 72. 93.
Clericis erubescens suum clericatum à clero removendus, 74.
Clericus, qui in pugna aliquem occidit, ordine movetur, 74.
Clerici à sua professione recedere non possunt, 79. 89.
Clerici prohibentur excitare tumultum, 82.
Clerici vitare debent ludos scenicos, & spectacula, 89.
Clerici vestibus ordini suo congruentibus uti debent, *ibid.*
Clerici in vestibus vitare debent luxum, 104.
Clerici res Ecclesiæ ne addicant Principibus, & quare, 103.
Clericorum quæ debeat esse vivendi ratio. Vide *Ordines*, 153.
Concilia convocandi ratio, 35.
Concilia quoties convocanda, 37. 72. 80. 82.
Conciliorum utilitas, & necessitas, 26.
Concilium Antiochenum qua ratione celebratum, 18.
Quot Episcopi convenerint ad Concil. Antiochenum, 19.
Antiochena Synod. inter Catholicos est recensenda 19. *& seqq.*
Concilium Sardicense qua de causa convocatum, 58.
Quis Episcoporum in Concilio Sardicensi numerus, *ibid.*
Concilium Sardicense an generale, *ibid.*
Concilium Tridentinum quo anno, à quo Pontifice confirmatum, 142.
Concilium Tridentinum quomodo publicatum, *ibid.*
Lectio Concilii Trid. utilis ad acquirendam notitiam disciplinæ ecclesiasticæ, 146.
Ratio, quæ utilem esse Synodi Trid. lectionem ostendit, *ibid.*
Concilium Trid. optat remedium posse adhibere præsentiùs contra abusus inveteratos, 3.
Concilium Trid. optat renovari puriorem disciplinam. Vide *Tridentinum*, 3.
Concilium Calchedonense ex pristino Græcorum codice usum, 6.
Confessio. Per confessionem non semper intelligi confessionem sacramentalem, 23.
Confessio secreta olim in usu, 54.
Confirmatio. Sacramentum Confirmationis sine manuum impositione à Græcis collatum, 23.
Sacramentum Confirmationis olim immediatè post Baptismum conferebatur, 27.
Corporati qui dicantur, 44.
Cruci Christi quæ debeatur veneratio, 96.

D

Dæmoniaci quomodo puniendi, qui se à Dæmone correptos simulant, 94.
Quomodo advertendum in magos & incantatores, *ibid.*
Decretales veterum Pontificum *Isidori Mercatoris* multis seculis pro genuinis receptæ, 109. *& seqq.*
Decretalium Isidori Mercatoris suppositio quo seculo, & quibus argumentis detecta, 110. *& seqq.*
Non omnes veterum Pontificum epistolæ supposititicæ, 112.
Decretales Gregorii IX. quo auctore compositæ, ex quibus conflatæ, 134.
Quis collectionis ordo, quæ materia, 135.
Decretalium veteres collectiones multis sunt utiles titulis, *ib.*
Decretalium veterum fontes adire convenit, & quare, 136. *& seqq.*
Decretalium sexti quis scopus, materia, methodus, & cur sextus dicatur, 138.
Clementinarum quis auctor, & ordo, *ibid.*
Extravagantium auctor, cur sic dictæ, & quæ auctoritas, 139.
Decretalium qui sint interpretes, 150.
Decretalium triplex genus, *ibid.*
Quæ observanda circa Decretalium interpretes, & singulariter circa paratitla Andreæ Vallensis, 152.
Diaconorum in Presbyteros repressa arrogantia, 11. 86.
Vetantur Presbyteris Eucharistiam distribuere, 11.
Populo porrigebant olim Eucharistiam, *ibid.*
Prohibentur ante Episcopos Eucharistiam attingere, *ibid.*
Inter Presbyteros sedere non possunt, 25. 11.
Lapsi in idololatriam arcentur à SS. functionibus, 12.
Diaconorum olim officium, *ibid.*
Quatenus debeant servare continentiam, 13. 35. 87.
Diaconatus non semper fuit impedimentum dirimens matrimonium, 13.
Qui ante ordinationem in peccatum carnale se prolapsos fatentur, à ministerio submoventur, 15. 16.
Septem tantùm Diaconi in unaquaque Ecclesia, qua ratione ordinati, 16.
Diaconus, qui sententia Episcopi quæritur, à tribus Episcopis est audiendus, 36. 37.
Diaconi ante annos 25. non ordinandi, 37.
Diaconorum in suis Ecclesiis residentia, 63.
In fornicationem lapsus deponitur, 70.
Ob fornicationem depositus nunquam restituitur, *ibid.*
Diaconus simoniacus deponitur, 71.
De quibus Diaconis agatur in actibus Apostolorum, 88.
Diaconissis reverentibus quid statuatur, 12.
Quæ, & qua ratione ordinandæ, 82.
Diaconissarum quod officium, *ibid.*
Dionysius Exiguus quis fuerit, 6.
Fuit collector codicis Africani. Vide *Canonum Codex*, 34.
Dispensatio est disciplinæ noverca, 16.
Binæ regulæ pro materia dispensationis, 45.
Faciliùs cum Bigamis, quàm cum fornicariis dispensâssent Patres, 70.
Donatistæ leniter ad Ecclesiam reducti, & quare, 44.
Donatistæ ad Ecclesiam recepti, suis cur restitui sunt honoribus, 45. 52.
Donatistæ per Imperatorum leges repressi, 49.

E

Ecclesia interdum quidpiam decernit, non probando, quod sic fiat, sed præcavendo, ne quid deterius fiat, 3.
Ecclesia in partibus infidelium quomodo administranda, 28.
Ecclesiæ auctoritas in bona Clericorum, 38.
Ecclesiæ unitas à SS. Patribus desiderata, 45.
Ecclesiæ Parochialis. Laicus tribus diebus Dominicis à conventu Ecclesiæ Parochialis absens privatur communione, 62.
Obligatio frequentandi Parochiam, *ibid.*
Episcopus ut minus à tribus Episcopus constituendus, & à Metropolitano confirmandus, 89. 41.
Episcopi ordinatio facta ab uno solo num certò invalida, 9.
Episcoporum & Presbyterorum transmigrationes de una Ecclesia ad aliam vetitæ, 11. 50. 59. 79. 82.
In Episcopis plenitudo Sacerdotii, 14.
Quid de Episcopis ordinatis quidem, sed à populo, & clero rejectis, 14.
Episcopi Presbyteris superiores, *ibid.*
Episcopus Metropolitanus toti præest Provinciæ, 20. 71.
Episcopus suæ Dœceseos plenam habent administrationem, 20.
Episcopus Metropolitanus sine sententia Episcoporum nihil aggredi potest, *ibid.*
Quid de Episcopis depositis ad Imperatorem confugientibus, 21.
Episcopus in aliena Ecclesia sua unionis fretus potestate nihil agere potest, *ibid.* 61. 71.
Quid agendum, si in causa Episcopi sententia Synodi non sit uniformis, 21.
Si Episcopus unanimi Synodi consensu sit damnatus quid juris, *ibid.*
Episcopus ejiciendus, qui sine *perfecta* Synodo Eccclesiam occupat, 22.
Episcopus Ecclesiam, ad quam ordinatus est, debet adire, *ibid.*

Quid de Episcopo, qui Ecclesiæ suæ servire prohibetur, 22. 91.
Episcopus sibi constituere successorem non potest, 22.
Episcopi proventuum Ecclesiarum dispensatores, *ibid.* 72.
Episcopi an proventus Ecclesiæ donare possint cognatis, suis, 22. 47. 149.
Episcopi, priusquam ordinentur, longo tempore probari debent, 24.
Ad Episcopi electionem concurrebat etiam populus, 24. 47.
Episcopi ad Synodos vocati tenentur comparere, 26. 47.
Episcopi exhibendus honor à Presbyteris, 27.
Sine Episcopi consensu nihil agant inferiores Ministri, *ibid.* 72. 88.
Episcopo Constantinopolitano quis honor tribuendus, 28. 83. 91.
Accusationes adversus Episcopum quomodo admittendæ, 29.
Qui ab Episcopo se credit injuria affectum debet audiri. *ibid.*
Quis testis contra Episcopum non admittatur, *ibid.* 35. 75. 82.
Coram quibus accusandus Episcopus, & qua forma, 29. 75.
Episcoporum continentia, 35. & *seq.* 86.
Episcopis reservata puellarum consecratio, & quare, 35.
Per *majores natu* intelliguntur Episcopi, *ibid.*
Qui superbia inflati non obediunt Episcopis, inducunt schisma, 36.
Episcopus, qui criminis accusatur, aliquando à 12. Episcopis judicandus, *ibid.*
Quid agendum in causa Episcopi accusati, 37. 41. 58. 80.
Cur vetitum Episcopis seipsos appellare *Summos Sacerdotes*, 40.
Qua ratione Episcopus designandus Parochiæ, quæ proprium Episcopum necdum habuit, 41. 50. 61.
Episcopi Synodis non parentes, ut rebelles sedibus suis ejiciendi, 42.
Episcopi Carthaginensis Primatus. 42. 48.
Episcopi Coepiscoporum benevolentiam circa assumendos sibi alienæ Diœceseos Clericos implorant, 42.
Anathema post mortem dicitur Episcopo, cujus bona ad hæreticos perveniunt, 47.
Possitne Episcopus ex monasterio alterius Diœcesis monachum accipere, *ibid.*
Episcopus pacis causa deponendus, 48.
Episcoporum negligentia in reducendis schismaticis quomodo punienda, 53.
Episcoporum solicitudo etiam ad aliorum Diœcesis subinde se extendit, *ibid.*
Solicitudo Patrum ne Episcopi à suis Ecclesiis diutiùs absint, 54.
Episcopus depositus pendente novo examine manet depositus, 60.
Episcopi constituendi duntaxat in civitatibus, 61.
Episcoporum apud Principes, qua ratione vilescat auctoritas, *ibid.*
Episcopi intercedunt pro damnatis ad mortem, & quo motivo, *ibid.*
Quid Episcopi in *Canali* constituti, 62.
Per Gradus ad Episcopatum ascendendum, & quare, *ibid.*
Episcopus alienum Clericum ordinare non potest, 63.
Episcopus injustè expulsus, humaniter excipiendus, *ibid.*
Episcopus in fornicationem lapsus deponitur, 70.
Episcopus percussor deponitur, 71.
Episcopus, qui per simoniam hanc dignitatem consecutus est, deponitur, *ibid.*
Episcopi, qui curam gregis negligit, quæ pœna. 73.
Episcopus Clericis egentibus debet sucurrere, *ibid.*
Episcopatus non conferendus est affectu carnali, 75.
Episcopus intra quod tempus ordinandus, 83.
Episcopus per Œconomum res Ecclesiæ debet dispensare, *ibid.*
Præcipuum eorum munus est prædicare, 88.
Defuncti Episcopi bona à quibus non auferenda, 82.
Episcopi studium in scripturis & canonibus persolvendis, 101.
S. Scripturas verbis docere debet & exemplis, 101.
Ob rem temporalem sua non potest abuti potestate, *ibid.*
Ad vitam transiens monasticam, rursus ad Episcopatum redire nequit, 106.
Episcopus non pretio, sed precibus ordinandus, 148. 149.
Vide *Pœnitentia.*
Eremitæ. Quid statuendum de falsis Eremitis, 92.
Eucharistia in Paschate ad alias Parochias non transportanda, 24.
Episcopi in signum communionis sibi mutuò mittunt particulas Eucharistiæ, *ibid.*
Eucharistia non danda corporibus defunctorum, 37.
A jejunio est sumenda, 40.
Eam an laici sibi ipsis possint dare, 94.
Eucharistia manu olim recipiebatur, & ori imponebatur, 99.
Eulogiæ quid sint, 26.
Excomunicatio non levi de causa ferenda, 9.
Excommunicatus ab uno Episcopo, ab alio non est recipiendus, *ibid.* 20. 35. 51. 63. 106,
Communicans cum excommunicato, excomunicatur, 22. 69.

F

Fid.s Patrum tenenda, 85.
Fornicatio est peccatum multò enormius ebrietate, 72

G

Gratia Liberari ab exteriori actu peccati, divinæ est gratiæ adscribendum, 15.
Gratia Dei non tantùm valet ad cognoscendum bonum, sed etiam ad faciendum requiritur, 52.
Gratia non tantùm necessaria, ut *Facilius* bona faciamus, *ibid.*
Gratianus. Quis, & quo tempore scripserit, 124.
Collectio Gratiani *dicta concordia discordantium Canonum*, *ibid.*
Titulus *Decreti* cur retentus, 125.
Decreti Gratiani qua forma, *ibid.*
Gratianus nullum penè ordinem servavit, *ibid.*
Decreti Gratiani quæ materia, 126.
Gratianus suum decretum ex præexistentibus collectionibus Canonum conflavit. 5.
Gratiano in relatione Canonum non fidendum, 13.
Gratiani error in citandis Canonibus Ancyranis, 15.
Gratiani error circa numerum Canonum Laodicenorum, 23.
Error Gratiani circa numerum Canonum Nicænorum & ipsos Canones, 8. 10.
Quomodo Gratianus sit usus Codice Martini Bracarensis, 20.
Gratianus crassæ naris in agnoscendis legitimis scriptis à spuriis, 113.
Gratianus Burchardi fidem secutus in multos incidit errores, 121.
Gratianus collectione Ivonis usus, 124.
Gatiani error, eorumque fontes, 126.
Emendatio Gratiani ante Romanam. Quæ inde utilitas, *ibid.*
Emendatio Romana, & quibus auctoribus facta, 127.
Quæ ratio servata in emendatione Romana, *ibid.*
Quid in forma emendationis Rom. desiderâssent eruditi, 128.
Errata Gratiani non pauca etiam post emendationem Romanam, 129.
Gratiani Decretum ab omnibus passim recipitur, *ibid.* & *seq.*
Qua ratione tanta Decreto Gratiani conciliata auctoritas, 130.
Gratiani decretum an publica polleat auctoritate, *ibid.* & *seq.*
Decreti Gratiani utilitas, 131. 146.
Qua ratione *Decretum Gratiani* præferendum cæteris partibus Juris Canonici, 146.

H

Hæretici. Quomodo ad Ecclesiam recipiendi, 23. 30.
Eorum oratoria à fidelibus non frequentanda, 23.
Cum illis nulla habenda communio, 26. 72.
Possunt ad Ecclesiæ unitatem cogi, 49.
Cum hæreticorum libris quid agendum, 74.

I

Id dolorum reliquiæ abolendæ, 44. 47.
Jejunandum diebus ab Ecclesia præscriptis, 17.
In cibis nihil propter se abominandum, 73.
Qua ratione diebus festis non jejunandum, *ibid.*
Quid de jejunio in Sabbatho, 74. 94.
Jejunium legitimum non solvendum, 74.
Differentia inter jejunium quadragesimale, & feriæ IV. & VI. *ibid.*
Quadragesimale est perantiquum, *ibid.*
In quadragesima jejunandum, & aridis vescendum, 75.

Græcorum rigor in servandis legibus jejunii, *ibid.*
Quæ ex carne originem trahunt, vetita sunt diebus jejunorum, 94.
Consuetudo solvendi jejunium in Cœna Domini improbata, 89.
Imaginum cultus assertus, 100.
Abusus, qui in cultum imaginum irrepsêre, tollendi, *ibid.*
Quid de scriptis adversus imagines, 102.
Intercessor quis olim diceretur, 46.
Intercesor datus Ecclesiæ vacanti ad eam eligi nequit, *ibid.*
Interpres Canonum. Vide *Canonum interpres.*
Interpres Decretalium. Vide *Decretales.*
Judex, à quo provocatur, propriam sententiam tueri non debet, 36.
Ivo quis fuerit, 122.
Unde sua hauserit, 123.
Ivo conjunxit jus civile cum canonico, *ibid.*
In Ivonis decreto, & panormia multa sunt utilia, *ibid.*
Juris Canonici quæ auctoritas, 139.
Methodus reperiendi, quæ ex jure canonico citantur, 140.
Jus canonicum novissimum quod dicatur, *ibid.*
Quæ observanda circa jus novissimum, *ibid.*
Quale Jus statuant Synodi particulares, 142.
Jus novissimum ex concordatis inter Prælatos Ecclesiasticos, & Magistratus civiles, *ibid.*
Juri novissimo annumeranda edicta Principum, 143.
A titulis de verbotum significatione inchoandum est studium juris, & quare, 149.
Justinianæi leges ab Ecclesia probatæ, 148.
Justinianææ leges epitomen continent Canonum, & pristinæ disciplinæ, *ibid.*
Justinianææ Novellæ veterem disciplinam in multis exhibent, 149.

K

Kalendæ quid sint? 94.
Kalendæ apud Christianos in festum fatuorum degenerârunt, *ibid.*
Kalendas celebrantium perniciosum argumentum confutatur, *ibid.*

L

Laicus quatenus possit disputare de rebus ad religionem spectantibus, 95.
Laicis vetatur accessus ad altare, 96.
Lectorum continentia, 37.
Lectores populum salutare non possunt, & quare, *ibid.*
Quinam possent in Ecclesia legere scripturas sacras, 103.
Litteræ pacificæ quid, 80.
Litteræ pacificæ, quibus concedendæ, *ibid.*
A quibus concedendæ, 20.
Litteræ testimoniales non sine cautela dandæ, *ibid.*
Sine Episcopi litteris nullus è Clero ad Imperatorem pergere potest, 21.
Litteræ Metropolitani, aliorumque Episcoporum necessariæ Episcopis, ut in aliena Diœcesi quidpiam licitè agant, 25.
Litteræ commendatitiæ quid, & quibus concedendæ, 82.
Litteræ commendatitiæ afferendæ & examinandæ, 71.

M

Martinus Bracarensis qualis fuerit, 63.
Quo ordine, qua forma codicem canonum formaverit, *ibid.* 64.
Martyrum veneratio astruitur, 17. 23. 102.
Martyria, sive ædes sacræ ad Martyrum sepulturas struuntur, 23.
Martyria accedunt fideles orationis & curationis gratia, *ibid.*
Martyrum acta leguntur in Ecclesia, 41.
Martyrum Reliquiæ in honore habitæ, 47.
Martyrum Reliquiæ altaribus inclusæ, *ibid.* 102.
Matrimonium est licitum, 16.
Matrimonii vinculum indissolubile, *ibid.* 51. 73.
Matrimonia fidelium cum infidelibus vetita, 23. 38. 96.
Quæ pœna illius, qui ex ignorantia contraxit matrimonium cum consanguinea, 89.
Impedimenta consanguinitatis, 94
Impedimentum matrimonii ortum ex cognatione spirituali, 93.
Uxor de morte absentis mariti incerta, alteri nequit nubere, 98.
Metropolitanus. Vide *Episcopus.*
Missæ sacrificium in privatis domibus non peragendum, 27. 90. 102.
Qui Missæ instersunt, & S. Commnniouem aversantur, expelluntur, donec pœnituerint, 19.
Oblatio sacrificii pro mortuis asserta, 40.
Quid in sacrificio Missæ offerendum & benedicendum, 68. 89. 94.
In sacrificio Missæ aqua vino miscenda, 90.
Segregatur, qui usque ad finem sacrificii non perseverat, 68.
Monachi pristini spalmos præ ertim longiores interrumpebant, 24.
Monachi à conversatione cum mulieribus debent abstinere, 40. 105.
Monachi Episcopis debent esse subjecti, 78. 80.
Monachorum proprium officium est jejunare & orationi vacare, 78. *& seq.*
Monachi nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotiis se ingerant, *ibid.*
Monachi à sua professione recedere non possunt, 79.
Quæ pœna statu a in Monachum fornicantem, 92.
Monachorum conjurationes adversus Clericos vetitæ, 82.
Monachi vetantur excitare turbas, *ibid.*
Monachi egredientes benedictionem accipere debent, 93.
Monachis maximè commendata solicitudo, *ibid.*
Monachus, qui temporalia sua contulit monastetio, ne se contra alios efferat, 102.
Monachus proprium monasterium relinquere non potest, 134.
Vita monastica patet omnibus quantumvis sceleratis, 92.
Vita monastica est vita pœnitentiæ, *ibid.*
Quæ ætas professioni monasticæ præscripta, 91.
Vita monastica, seccessus è vitæ strepitu, *ibid.*
Qua ratione nova monasteria ædificanda, 105.
Quid duplicia monasteria, *ibid.*
Duplicia monasteria vetantur construi, *ibid.*
Quæ requirantur ad Novitiorum instructionem & approbationem, 149.
Mulier anathema, quæ assumit vestem virilem, 16. 94.
Anathema in mulierem, quæ comam sibi abradit, 16.
Mulieribus religiosis licitè abscinditur coma, *ibid.*
Mulieres ad altare ingredi prohibentur, 26.
Mulier in templo quatenus debeat silere. 96.

N

Novatiani quibus conditionibus ad Ecclesiam recepti, 10.
A Novatianis ordinati, non erant postea reordinandi, *ibid.*
A Novatianis ordinati in eodem ordine manebant, ratio hujus disciplinæ, *ibid.*
Novilunia quid sint, 95.
Quid Judæi, quid Græci istis noviluniis factitarent, *ibid*
Nuptiæ saltibus, aliisque ineptis non fœdandæ, 89

O

Officium Divinum Ritus legendi Evangelium in Officio Ecclesiastico diebus Dominicis & festis, 24.
Consuetudo legendi lectiones post Psalmos, *ibid.*
Varii ritus officii divini, *ibid.*
Libri apocryphi publicè in eo non sunt legendi, 74. 95.
Quænam à Psallentibus in Ecclesia observanda, 196.
Quando inter orandum oporteat stare, 12.
Cur diebus Dominicis & tempore Paschali non sit genuflectendum, 12. 98.
Uniformitas in publicis precibus SS. Patribus curæ fuit, 12.
Ordines Sacri. Qui Eunuchi à sacris Ordinibus & Ordinum ante susceptorum functionibus excludantur, 8. 70.
Recenter baptizati non admittendi ad Presbyteratum, nisi magna admodum præceserit probatio, 8. 75.
Qui post Baptismum crimen commisit, cessare debet à sacris functionibus, 8. 10.
Pœnitentes à Clericorum officiis amoventur, 10.
Presbyteri, qui semel fidem negaverunt, nullum ampliùs, tametsi conversi, Sacerdotale officium obire possunt, 12.
Cathecumeni lapsi & postea baptizati ordinari possunt, 14.
Baptizatus urgente morbo non potest ordinari Presbyter, 16

Ordinationes non debent fieri coram infidelibus, 23.
Quædam reddunt Ordinationem invalidam uno tempore & non alio, 29.
Quàm arctè Ordo etiam inferior Ordinatum Ordinando olim adstringeret, 42.
Ordines minores cur præmissi majoribus, 62.
Ordinatio Clericorum semper ab Episcopo facta, 68.
Ordinari non potest qui plures uxores, aut concubinam habuit, 69. & *seqq.*
Ordinatio non iteranda, nisi collata ab hæreticis, 74.
Vinum corporis, nisi functiones impediat, olim ab Ordinibus non excludebat, 75.
Energumenus ad Clerum non admittendus, *ibid.*
Neque servi sine Dominorum licentia, 76.
Nullus *absolutè* potest ordinari, & quid sit *absolutè* ordinari, 79.
Quid ad Monasterium ordinari, *ibid.*
Ordinationes contra canones factæ an sint irritæ, *ibid.*
Ordinibus sacris ordinati uxores nequeunt ducere, 86.
In assumptiones ad sacros Ordines non consanguinitas, sed dignitas attendenda, 90.
Osculi pacis quis usus, quis postea abusus, 25.

P

Paganorum convivia, ludi & spectacula vetantur, 44. 47. 94.
Parentes sub obtentu Religionis liberorum educationem negligere non possunt, 16.
Parentes fideles ne proles suas hæreticis in matrimonium tradant, 23.
Parentes quam curam habere debeant suarum prolium, 40.
Pascha quo die celebrandum, 19.
Solicitudo Patrum, ut Pascha eodem die ubique celebraretur, 46.
In festo Epiphaniæ à Diaconis denuntiabatur futurus dies Paschatis, *ibid.*
De die, quo Pascha celebrandum, magna olim contentio, 69.
Paschæ dies potissimùm olim destinatus conferendo Baptismo, 40.
Patriarcharum quinque quis ordo? 91.
Paulinianistæ unde dicti, & cur rebaptizandi, 12.
Quomodo ad Ecclesiam admittendi, *ibid.*
Pauperibus constituti defensores, 46.
Peccatum animale quid sit, 8.
Peccata Superiorum non levi de causa populo exponenda, 23.
Omnes debent veraciter confiteri se esse peccatores, 52.
Excellentia imponitur pœnitentia 10. annorum pro unico peccato idololatriæ, 10.
Pœnitentes relapsi severiùs puniuntur, *ibid.*
Pœnitentiam secundum fervorem pœnitentis diminuere possunt Episcopi, *ibid.* 13. 14.
Pœnitentibus in vitæ periculo constitutis, ultimum viaticum non est denegandum, 11.
Pœnitentes ægroti, si convalescant, ad ordinem pœnitentum redire debent, *ibid.*
Citra pœnitentiam admissi, qui prorsus inviti & coacti Idolis immolaverant, 13.
Quam agere pœnitentiam deberent, qui licèt coacti, cœnaverant in Idolio, *ibid.*
Pœnitentium examinanda vita tum præterita, tum præsens, ut de eorum reconciliatione statuatur, *ibid.*
Pro injungendis pœnitentiis attendendus est numerus peccatorum mortalium, *ibid.*
Pro determinandis pœnitentiis consideranda gravitas criminum, conditio personarum, modus perpetrationis, temporis diuturnitas, quo peccatis inhæserunt, 14. 99.
Pœnitentia Presbyteri in fornicationem vel adulterium lapsi, 15.
Difficilis pœnitentia manentis in peccato usque ad mortem complicis, *ibid.*
Pœnitentia iterantium nuptias, *ibid.*
Pœnitentia eorum, qui in diversa crimina sunt prolapsi, 23.
Pœnitentiæ tempora ab Episcopis designanda, 41.
Pœnitentium reconciliatio Episcopis reservata, *ibid.*
Pœnitentia publica pro peccatis publicis, *ibid.*
Pro peccatis occultis imposita aliquando pœnitentia publica, 54.
Pœnitentes turpia vitæ exercitia debent relinquere, 44.
Humilis voluntaria confessio pœnitentis aliquid sibi de pœnitentia remitti meretur, 88.
Quæ pœnitentia injuncta pro fornicatione, 92.
Quæ pœnitentia imposita adultero, 98.
Pœnitentia malè jurantium, 98. 99.
Pœnitentia ducentis mulierem alteri jam desponsatam, *ibid.*
Præceptiones aliæ mobiles, aliæ immobiles, 124.
Mobiles qua ratione moderari debeat director spiritualis, *ibid.*
Presbyter. Quid de Presbytero, qui uxorem duxit, 15.
Quid cum illo, cujus uxor est adultera, 15.
Presbyter, qui ante ordinationem in carnale peccatum se prolapsum confitetur, offerre non potest, *ibid.*
Presbyter nemo ordinabatur ante annum trigesimum, 16.
Presbyteri rurales nihil agere possunt in Ecclesia urbis præsente Episcopo, aut urbis Presbyteris, *ibid.*
Presbyteri conjugati non rejicienda communio, 17.
Presbyteri contra Episcopum altare exigentis, quæ pœna, 19. 71.
Presbyteros in Ecclesia constitui vetitum, 23. 24.
Presbyterorum continentia, *ibid.* 35. 90. 93.
Presbyter criminis reus, in secunda instantia à sex Episcopis, cum suo proprio Episcopo audiri debet, 36. 37.
Presbyterorum filiis spectacula exhibere, vel spectare nefas, 36.
Presbyterorum in suis Ecclesiis residentia, 63.
Presbyteri in fornicationem lapsus deponitur, 70.
A Sacerdotio semel depositus nihil ministerii obire potest, 71.
Presbyter simoniacus deponitur, *ibid.*
Qui Sacerdotium ambigit, segregatur, *ibid.*
Presbyter curam populi negligentis quæ pœnæ, 73.
Vide Pœnitentia.
Opinionem suam de Probabilismo mutârunt Cardinales De Aguirre, Pallavicinus, 147.
Probabilismus omnibus laxitatibus viam aperit, 254.

Q

Quadragesima. Qua ratione olim in Quadragesima non offeretur sacrificium, 27. 93.
In Quadragesima nec Martyrum Natales, nec nuptias celebrare licet. 27.
Quomodo dies passionis Domini transigenda, 98.

R

Raptus. Cum puellis raptis quid agendum, 14.
Reconciliare pœnitentem *in publica Missa* quid? 35.
Reconciliare sacris Altaribus quid sit, *ibid.*
Reconciliare ante absidem quid sit, 41.
In Oriente nulli peccato denegata reconciliatio in fine vitæ, secus in Occidente, 59.
Regino quis fuerit, 118.
Reginonis collectio quomodo composita, 119.
Reginonianæ collectionis multiplex utilitas, *ibid.* & *seqq.*
Regulæ Cancellariæ unde habeant originem, & quid sint, 141.
Plures ex regulis Cancellariæ receptæ in Belgio, & alibi, *ibid.*
Quid circa Regulas Cancellariæ notandum, 141.

S

Scapulare cui rei primitùs servierit, 18.
Scriptura. In Ecclesia legendæ Scripturæ Canonicæ, 27.
Quid de Catalogo Librorum sacrorum, *ibid.* 38. 76.
Scripturæ explicandæ juxta traditionem SS. Patrum, 88.
Libri sacri quanta in veneratione habendi, 95.
Servi prætextu pietatis Dominus suos non possunt deserere, 18.
Simonia. Pœna in Episcopos, qui aliquem promoverint per simoniam. 77.
Simonia circa Beneficia, & ingressum Religionis, *ibid.* & *seqq.*
Pœna contra simoniacas Ordinationes, 102.
Simoniacus est, qui bona sua offert Ecclesiæ, ut ad Clericatum assumatur, *ibid.*
Simonia circa Ordines accipiendos per Leges Imperatorias grvissimè vetita, 148.
Subiaconi in *Diaconico* sedere non possunt, 25.
Subdiaconis nunquam interdictus fuit sacrorum Vasorum contactus, 25.
Subiaconis non licet invadere ministeria Diaconorum, *ibid.*
Subdiaconi Fores Ecclesiæ deserere non possunt, *ibid.* 26.
Subdiaconus minor 20. annis non ordinandus, 87.
Symbolum Constantinopolitanum quando in Missa cantari cœpit, 30.
Additio *Filioque* quo tempore facta, *ibid.*

T

Templum. Ne ad usum quidem Sacrificii res exponendæ venales in templo, 96.
Res profanæ in templum non inducendæ, 98.
Quid statuendum contra effractores Templorum & monasteriorum, 103.
Traditiones admittendæ, 18.

V

Vestis insolitam neminem facit Religiosum, ut deliberabat Eustachius, 18.
Vestis monastica modernorum Religiosorum minimè damnatur, *ibid.*
Quid in habitu potissimùm attenderint Religiosorum Patres, *ibid.*
Unde factum, ut Monachorum habitus à communi tantopere sit discretus, *ibid.*
In vestibus commendatur humilitas, *ibid.*
Virgo, *Virginitas* qua intentione servanda, 17.
Virgines conjugatis ne insultent, *ibid.*
Virginitas laudibus celebrata, *ibid.*
Virgines non consecrandæ ante 25. annos, 37. 44.
Specialis cura habenda sacrarum Virginum, 41.
Velandæ aliquando justis de causis Virgines ante præscriptum ætatis tempus, 53.
Virgo Deo consecrata nuptias contrahere non potest, 82.
A Virginibus Deo sacrandis non est assumendus habitus secularis, 92.
Decernitur clausura Monialium. *ibid.* 93.
Viris in Monasteriis mulierum dormire vetitum, *ibid.*
Uxor ejus, qui ad Episcopatum promovetur, in monasterio collocanda, *ibid.*
Usura vetita, 37. 72. 86.

BREVIS COMMENTARIUS AD DECRETUM GRATIANI,

AUCTORE

ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN

In Academia Lovan. J. U. D. SS. Can. Profes.

DISSERTATIO PROŒMIALIS AD COMMENTARIUM DECRETI GRATIANI.

CAPUT PRIMUM.

De Auctore hujus Operis, & vera ejus inscriptione & titulo.



Ratianum patriâ *Clusinum*, professionem *Monachum* sancti Felicis Bononiensis, Ordine sancti Benedicti, opus suum, quod hodie vulgò dicitur, *Decretum Gratiani*, composuisse circa annum 1151. communis est opinio.

* Hoc opus esse istius ætatis, Glossa ad *Canonem*, *post appellationem*, *caus.* 2. *quæst.* 6. non tantùm observavit, sed etiam notârunt Correctores Romani in præfatione Decreto Correcto præmissa; ibi enim asseruerunt in antiquissimo exemplari Vaticano ante ipsas *Paleas* (a) esse hunc titulum: *Decretum Gratiani Monachi Sancti Felicis Bononiensis Ordinis Santi Benedicti, compilatum in dicto Monasterio anno Domini* 1151. *tempore Eugenii Papæ III.* Æram hanc compilati Decreti ut veriorem arbitratus quoque est Aubertus Myræus in Scoliis ad Henricum Gandavensem *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 49.*

Licèt titulum hunc etiam notaverint Correctores Romani, monent nihilominus, » quod in plerisque vetustis hujus collec» tionis exemplaribus, hæc tanquam inscriptio rubris litteris » posita sit: *Concordia discordantium Canonum*, addita in qui» busdam dictione, *incipit*, sine ulla Gratiani mentione. «

Notat quoque Stephanus Baluzius in præfatione ad Dialogos Antonii Augustini *de emendatione Gratiani* §. 25. eandem inscriptionem extare in duobus codicibus Mss. Bibliothecæ Regiæ, & in uno S. Germani Parisiensis, & alio Bibliothecæ Colbertinæ (b), necnon etiam in antiquis editionibus: asseritque nec in pristinis editionibus expressum fuisse in fronte nomen *Gratiani*, tametsi de re satis constaret: » Prima, quod sciam, (ait §. 28.) » Editio Parisiensis an. 1508. *Gratiani* » nomen in titulo habet hoc modo: *Decretum aureum divi* » *Gratiani, cujus titulus talis est*: incipit concordantia dis» cordantium canonum. «

Et sanè opus hoc jam pridem hunc titulum prætulisse, *Concordantia discordantium Canonum*, annuit quoque Innocentius III. in integra Decretali in tertia Decratalium collectione apud Antonium Augustinum titulo *de Electione*, *cap.* 3. cujus fragmentum extat in *cap.* 20. ✠ *eodem.* In hac enim Decretali respiciens Innocentius ad ea, quæ Gratianus tractat *Dist.* 56. Utrum filii Presbyterorum possint ad sacros Ordines promoveri, cùm diversas in speciem Canonum sententias retulisset, ait: *Quidam verò ad concordiam discordantia revocantes, repugnantiam Canonum prædictorum quodam modo sopire videbantur, confitentes &c.* ubi non obscurè ad opus Gratiani, quod tunc in pretio erat, reflectit.

Sic etiam in melioribus edictionibus Antonii Contii vox illa, *Decretum*, utpotè inepta, in multitudinis vocem mutata est. Democharcs, & Contius, *Decretorum Canonicorum collectanea*, inscripserunt, uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emendat. Gratiani*, *dialogo* 1. addens: » Decretorum » collectionem esse hanc nemo negaverit, non unius De» creti explanationem. Sic etiam dicimus Decretorum docto» rem, non Decreti juris Pontificii consultum. «

In Corpore juris emendato jussu Gregorii XII. omissa quoque est in titulo hujus operis vox *Decretum*; diciturque simpliciter: *Concordantia*, *discordantium Canonum*: quem titulum huic operi optimè convenire fatebitur, qui illius scopum & institutum attenderit.

Gratianus enim » non tantùm decretis colligendis (quod » Burchardus, Ivo, aliique præcedentes collectores fecerant) » operam dedit; sed Ivonis fortassè præfatione excitatus, eò » potissimum incubuit, ut certis quæstionibus propositis quid » in utramque partem ex Canonibus, qui inter se nonnun» quam pugnare videbantur, dici posset, ipse & afferret & » explicaret; omniumque eorum varietatem, quæ speciem » dissensionis habebat, *ad concordiam* revocaret, inquiunt » Correctores Romani in præfatione. «

Unde nomen *Decreti* huic operi inditum sit, incertum est: verisimile admodum est, nomen illud à Gratiano ei impositum non fuisse: quandoquidem, uti suprà notavimus, in veteribus libris vox *Decretum* non compareat.

Putarunt nonnulli eam vocem ex Burchardo aut Ivone acceptam; sed monet Antonius Augustinus *in citato dialogo* 1. quod veteres libri Ivonis non habeant titulum *Decreti*; sed vocentur *Excerptiones Ecclesiasticarum regularum*: Burchardi verò libri veteres Mss. careant inscriptione, & in editis habeatur, non *Decretum*, sed *Decretorum libri* 20. Et Ivo *Epistola* 74. opus Burchardi vocat, *Collectiones Burchardi.*

Interim undecumque collectioni seu operi Gratiani adhæserit inepta hæc vox *Decretum*, illud constat, adeò tenaciter ei adhæsisse, & etiamnùm adhærere, ut non obstante vocis ineptitudine, quin & emendatione Pontificia sub Gregorio XIII. quæ huic operi titulum dedit: *Concordia discordantium Canonum*, non alio nomine appelletur, aut penè notum sit hoc opus, quàm sub nomine *Decreti Gratiani.* Quapropter communi & vulgari loquendi modo me accommodans, hanc collectionem etiam *Decretum Gratiani* vocare volui, ne alias idiomate ignoto loqui viderer.

(a) *Inferius cap. IV. exponitur, quid eo loci per* Paleas *intelligi debeat.*

(b) *In Bibliotheca Sanctæ Genovefæ Parisiensis extat* Decreti *manuscriptum, quod his incipit verbis*: Concordia discordantium Canonum, *omisso Gratiani nomine. Codex ille videtur fuisse XIV. seculo exaratus, singulis textus paginis adjacet Glossa, sed manu altera & recentiori descripta est.*

CAPUT II.

De operis hujus divisione, forma, et prima illius parte.

Opus suùm Gratianus in tres principaliores partes divisit. Prima pars continet centum & unam Distinctionem, quæ totidem sunt capita, sive sectiones, quibus materiam distinctam proponit; & subjectis Conciliorum & Pontificum decretis, vel Patrum sententiis conclusiones subjungit, & si quæ in eis varietas occurit, eam exponere studet.

Videtur Gratianus in hac, uti & in tertia parte, specialiter nomen *Distinctionum* assumpsisse, quod licet & in secunda parte Canonum apparentem discordiam in concordiam revocare intendat, tamen præcipuè in hac & tertia parte, distinguendo varias locorum temporumque circumstantias, id facere satagat.

In viginti primis distinctionibus tractat de origine, auctoritate, & variis speciebus Juris; idque confusè, adductis quibusdam divisionibus. Primò, in Jus Divinum & humanum; in naturale & positivum. Secundò, in Jus scriptum & non scriptum, seu consuetudinarium. Tertiò, in Jus civile & ecclesiasticum.

Post hæc explicat præcipuas partes, è quibus Jus ecclesiasticum constat; quæ sunt Canones Conciliorum, de quibus agit Dist. 15. 16. 17. & 18. Item Decreta & Epistolæ decretales Pontificum, de quibus tractat *Dist.* 19. Ac tandem sententiæ SS. Patrum, de quibus disserit *Dist.* 20.

Hæc ipse Gratianus paucis indicavit initio Distinctionis 21. dicens: *Decretis ergo Romanorum Pontificum, & Sacris Canonibus Conciliorum ecclesiastica negotia, ut supra monstratum est, terminantur.*

In reliquis Distinctionibus de Clericis & variis eorum gradibus, dignitatibus, promotionibus, eorumque officiis ac qualitatibus in ipsis ex præscripto Apostoli in epistolis ad Thimotheum & ad Titum requisitis amplè discurrit.

Hinc Gratianus initio Distinctionis 21. verbis suprà recitatis subjungit: » Ministri verò sacrorum Canonum & Decretorum » Pontificum sunt summi Pontifices & infra Præsules, & reli- » qui Sacerdotes, quorum institutio est in veteri testamento in- » choata, & in novo plenius consummata. «

Et sub initium Dist. 23. ait: » Breviter quæ inter Ecclesias- » tica officia sit differentia demonstravimus; nunc à summis in- » cipientes, & usque ad ultimum gradum descendentes, qua- » liter quisque eorum debeat ordinari Sanctorum auctoritatibus » ostendamus. «

Tandem ad calcem ultimæ suæ distinctionis indicat rursus, quæ præcedentibus distinctionibus tractaverit, dicens: » Hac- » tenus de electione & ordinatione Clericorum tractavimus, » nunc ad simoniacorum ordinationes transeamus. «

Ex his haud obscurum est, non immeritò Gratianum, aliosque post ipsum Decretalium collectores, partem hanc Gratiani à distinctione 21. usque ad distinctionem 101. quæ & ultima est, vocâsse *Tractatum ordinandorum.*

Ita Gratianus Causa 1. q. 7. ad calcem Canonis 6. remittens lectorem ad Canonem, *Priscis igitur*: ait: *Require supra in tractatu Ordinandorum*; manifestè indicans Canonem 1. Distinctionis 55. qui incipit: *Priscis igitur*, &c. Et primæ Decretalium collectionis auctorem ad hunc tractatum Ordinandorum remississe sat evidens est ex clausula finali *cap.* 9. *de Electione*, dictæ primæ Collectionis.

Postquam enim actum est de Ordinatione Archiepiscopi, subjungitur hæc clausula: *Illud autem quod de Archiepiscopi Consecratione, Ordinatione, &c. aut in tractatu Ordinandorum.* Ex quo non obscurum est hujus collectionis auctorem remisisse lectorem ad Can. 1. Dist. 66. ubi hæc clausula occurrit, uti rectè notavit Antonius Augustinus *in notis ad citatum capitulum* 9. qui & occassione hujus clausulæ monet; » Ex hoc apparet Ber- » nardum Papiensem habuisse rationem collectionis Gratiani, » & noluisse repetere, quæ is conscripsisset. Namque *tracta-* » *tus Ordinandorum* appellari solet à Gratiano, à Dist. 23. us- » que ad quæstionem primam sive causam conscripta. «

CAPUT III.

De secunda parte Decreti Gratiani, item tractatu de *Pœnitentia*, et tertia parte de *Consecratione*.

Secunda pars Decreti Gratiani, continet 36. Causas, & singulæ causæ continent suas quæstiones. Porrò Causæ sunt quasi totidem hypotheses, sive casus positiones, quarum occasione varias quæstiones format & proponit, quas frequenter in utramque partem allegatis Canonibus, discutit; suam deinde sententiam depromens.

Exempli gratiâ: Causa prima proponit hunc casum: » Qui- » dam habens filium, obtulit eum ditissimo cœnobio; exactus » ab Abbate, & à fratribus, decem libras solvit, ut filius sus- » ciperetur, ipso tamen (beneficio ætatis) hoc ignorante. Cre- » vit puer, & per incrementa temporum & officiorum ad vi- » rilem ætatem & Sacerdotii gradum pervenit. Exinde suffra- » gantibus meritis in Episcopum eligitur, interveniente obse- » quio & paternis precibus; datâ quoque pecuniâ cuidam ex » consiliariis Archiepiscopi consecratur iste in Antistitem nes- » cius paterni obsequii & oblatæ pecuniæ. Procedente verò tem- » pore nonnullos per pecuniam ordinavit; quibusdam verò gra- » tis benedictionem sacerdotalem dedit. Tandem apud Metro- » politanum suum accusatus & convictus sententiam in se dam- » nationis accepit. «

Hoc casu proposito septem exinde quæstiones formatas proponit.

Partem hanc multò obscuriùs & perplexiùs quàm præcedentem Gratianus compilavit; neque plerumque ordinis rationem sive subsequentia cum antecedentibus connectendi occasionem annotavit.

In hac quoque secunda parte Decreti plurima intermiscet Gratianus, & diversissima occasione arrepta, distinctam prorsus materiam aggreditur, & nonnunquam principali suo proposito deserto, de ea materia discurrit. (c)

Exemplum istud occurrit causa 32. in qua uti & in sequentibus tractans de iis, quæ matrimonium concernunt, ad calcem Canonis 19. quæst. 3. inseruit prolixum tractatum, *de Pœnitentia*; eo quod in citato Canone incidisset mentio de Pœnitentia; uti enim à pluribus notatum est, totus hic tractatus de pœnitentia per modum continui & unius discursus à Gratiano insertus fuit inter dictum Canonem 19. & Can. 20. ejusdem quæstionis. Nam uti notavit Antonius Contius in initio hujus de Pœnitentia tractatus: » In plerisque manuscriptis totus hic tractatus » *de Pœnitentia* legitur uno continenteque contextu, non dis- » tinctis capitibus, ut in superioribus distinctionibus & causis, » atque sequentibus. «

Idipsum notârunt Correctores Romani ad initium quæstionis 3. causæ 33. dicentes: » Gratianus ad explicandam hanc ter- » tiam quæstionem multa attulit. Quam per longam tractationem, » qui eum secuti sunt in septem distinctiones diviserunt; in an- » tiquioribus enim exemplaribus nulla est distinctionum sepa- » ratio. In aliquibus verò in margine tantùm est distinctio pri- » ma, secunda &c. «

Verisimile ergo est, dispertitionem per distinctiones primùm in margine fuisse annotatam, ac dein in corpus esse derivatam, forsan typographorum incuria.

Quidquid sit de occasione hujus divisionis, hodie tractatus hic in septem distinctiones dividitur, vocaturque, *Tractatus de Pœnitentia.*

Verùm cùm hic tractatus omninò sit disparatus à materia, quàm in secunda parte, ac notanter in hac causa 32. & sequentibus tractat Gratianus, hinc illum post absolutam hanc secundam partem inserendum judicavi, & nonnullis reflexionibus illustrandum.

Tertiam partem sui operis inscripsit Gratianus *de Consecratione*, eamque divisit in quinque distinctiones, in quibus nullo quoque penè ordine servato, agit de Ecclesiarum consecratione, Missarum solemniis, de Sacramentis, præcipuè Eucharistiæ, Confirmationis, Baptismi, aliisque nonnullis ad ea reductis, uti infrà in compendiosa hujus partis expositione dicetur.

CAPUT IV.

Ex quibus potissimum constet Decretum Gratiani.

Tria potissimùm sunt, ex quibus tanquam materia conflatur Decretum Gratiani.

Primi quidem generis sunt Conciliorum Canones, Pontificum & Episcoporum Decreta, Patrum aliorumque auctorum ecclesiasticorum sententiæ, & Regum aut Imperatorum sanctiones, quæ exemplo Reginonis, Burchardi, Ivonis, aliorumque posteriorum Canonum collectorum Gratianus collegit, & per varios titulos pro diversitate materiæ distribuit: quæ omnia simpliciter sub nomine *Canonis*, sive quod idem est, *Regulæ* allegantur, & in scholis & auctoribus passim sub hoc titulo citari solent, tametsi in ipso Decreto habeantur sub nomine *Capitum.* (d)

(c) *Si quis nosse desiderat, an quæ in Decreto Gratiani tractantur, inter se conjungi possint, adeat Florentem* Dissert. de Methodo Gratiani, *& D. Doujat*, Prænot. lib. 5. cap. 5. 6. 7. & 8. *ibi sanè agnoscet infelices fuisse eorum nisus, qui*

Aliud

ad rectum ordinem in Gratiano inveniendum allaborârunt.

(d) *Unaquæque pars Decreti conciliationes complectitur circa Canones, quos invicem Gratianus opponit: Paucæ sunt in tertia; multæ in prima & secunda: Hoc discrimen exigit natura-*

Alia sunt, quæ non simpliciter sub nomine *Capitis* exprimuntur, sed addita hac voce, *Palea*.

Quid hæc inscriptio significet, non convenit inter Canonistas. Nonnulli enim credunt, hanc vocem Canonibus præfixam, ut notaretur esse Paleam, id est, levioris aut nullus momenti; adeoque tanquam paleam à reliquo tritico esse separandam.

Verùm si quis conferat Canones hac inscriptione notatos, cum iis, qui eadem carent, comperiet, multos illorum utilitate & auctoritate hisce præstare.

Verisimilius proinde apparet, Canones hac inscriptione insignitos esse quasdam additiones, non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, easque in margine primùm adscriptas; quæ dein vel librariorum, vel etiam eorum, qui editioni superintendunt, aut, quod frequentiùs olim contingebat, scriptorum incuria vel ignorantia in textum irrepserunt; idque interdum sine additamento, interdum cum additamento, istius vocis *Palea*, ea forsan ratione, quod, ut quidam credunt, additionum auctor appellaretur *Palea*.

Hanc opinionem verisimilem reddit, quòd monentibus Correctoribus Romanis in antiquis exemplaribus Gratiani paucas, aut nullas esse paleas observetur; adduntque in uno valdè emendato exemplari capita illa, quæ paleæ inscribuntur: » Apposita esse in margine sine ulla nota, sed non omnia, quæ in » impressis: quamvis vicissim in illo additiones aliquæ sint, quæ » in his non habentur. In alio litteris perantiquis descripto, pa» leæ ipsæ recentiori scriptura toti volumini præponuntur. In » cæteris habentur aut omnes, aut pleræque: & partim quidem » cum paleæ nomine partim verò sine ullo à cæteris discri» mine. «

Similiter Antonius Aug. *lib.* 1. *de emendatione Gratiani Dialogo* 2. ait: » Sed & video in veteribus Gratiani libris illa » capita desiderari, & in Joannis Teutonici scholiis rarò ad ver» ba eorum aliquid adscribi. Itaque existimo illa capita postea » adjecta fuisse. Huc accedit, quod Bernardus Papiensis non» nulla ex his in librum suum retulit, quod de Gratiani capiti» bus non facilè invenies. «

Monet quoque vir eruditus Steph. Balucius in notis ad Antonium Aug. *pag.* 426. » non vidisse se hoc vocabulum (Palea) » in antiquis Gratiani exemplaribus manuscriptis, nisi quod ali» quando, sed id tamen rarò, diu postea scriptum est in nos» tris marginalibus libro Sangermanensi adjectis. Idem vocabu» lum non reperitur etiam in prima editione Moguntina in fron» te capitum, quæ eo nomine prænotantur in vulgatis editioni» bus, extat tamen, sed non adeò frequenter ut in vulgatis edi» tionibus, in antiqua editione Veneta. Istud verò non impedit, » quin antiquitùs adscriptum fuerit in libris Gratiani, cum ejus » diserta mentio extet apud Joannem Andreæ, & alios vete» res Juris-Consultos. «

Dicunt quoque Correctores Romani: » Falsam verò esse il» lorum opinionem, qui eas (Paleas) contemnendas putant, » ex eo constat, quòd multæ & in Decretalibus & apud ve» tustiores Gratiano Collectores habentur; quod suis locis » (ajunt) indicabitur."

Tertio constat Decretum Gratiani ex propriis ipsius Gratiani verbis, quibus casûs aut quæstionis positionem vel suam circa quæstionem propositam opinionem, aut pro contraria opinione objectiones & argumenta expressit; quæ omnia non sub nomine *Capitis* vel *Canonis*, sed solum sub nomine *Gratiani*, uti alterius cujuslibet privati scriptoris dicta, citari, aut allegari solent, ut infrà latiùs patebit.

CAPUT V.

Decretum Gratiani prodiit plenum erratis.

Non tantùm summâ confusione laborare opus Gratiani, sed insuper infinitis propemodum mendis & erratis repletum primitùs à Gratiano evulgatum esse, nemo negaverit; ostenduntque libri duo Antonii Augustini de emendatione Gratani & innumeræ penè emendationes à Correctoribus Romanis appositæ. Genera erratorum compendio expressit Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 1. » Sæpè erratum esse video (ait in no» minibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum & » aliarum rerum..... sæpè falsæ sunt inscriptiones, & quæ » Conciliorum sunt, Pontificum maximorum esse dicun» tur; quæ sunt unius Episcopi inferioris, Romano Ponti» fici, aut Concilio Generali, vel Provinciali tribuuntur. » Ex hoc genere sunt illa, quæ ex Concilio Martini Papæ, » aut Adriani Papæ sumpta esse feruntur, quæ vel Marti» no Bracarensi & Græcis conciliis, vel Engelramo Episcopo, » vel Adriano ad Engelramum inscribi debuerunt. Multa Gre» gorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse di» cuntur, quæ aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa quo» que ipsa quæ inscriptiones habent veras, non rectè referuntur. » Sæpè enim contrarias sententias referri scimus, sæpè valdè » præcisas. Jam verò, quæ ex Græcis fontibus manant, ex va» riis interpretationibus afferuntur, quasi sint aliorum scriptorum, » ac sæpè aliud græcè quam latinè significant."

Exempla singulorum in magna copia suppeditant duo illi libri Antonii Augustini; nec non notæ correctorum Romanorum, quæ hodie in Decreto Gratiani correcto ad Gratiani loca subduntur.

Primus, isque exundantior erratorum fons esse videtur, quod Gratianus ex seculi sui more, non ipsa Concilia, aut Regesta Pontificum, aliave SS. Patrum scripta revolverit & consulerit; sed quæ in variis canonum, aut scriptorum compilationibus reperint sine ullo discretionis examine in suam collectionem transtulerit.

Notavit id Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 6. Cùm enim Petrus Gelasius unus collocutorum dixisset: » Apud Gratianum » ex Theodosianis legibus verba referri scimus, quæ sunt Pauli » in libris Sententiarum & ejus interpretis Aniani: Gratianus » *Caus.* 2. *quæst.* 6. *cap.* 22. & aliis quinque capitibus, cum ig» noraret, quæ Pauli essent, quæque interpretis, omnia conges» sit. « Respondet Augustinus: » Sumpsit hæc Gratianus, non » ex ipsis fontibus, sed ex Ivonis Panormia, aut ex decretis » sive excerptis ejusdem. «

Itaque quidquid ab illis vel ex ignorantia, vel incuria, aut etiam interdum scienter erratum, aut comissum fuerat, in suum opus incautus retulit.

Præterea cùm ætate Gratiani nondùm nota esset ars Typographica, & virorum eruditorum scripta Amanuensium operâ communicari, ac divulgari deberent, horum imperitia & oscitantiâ, nonnunquam etiam audacia & præsumptione plurima quandoque mutabantur, aut mutilabantur, aliâve ratione corrumpebantur: & hinc manuscriptorum codicum frequens varietas.

Cùm verò nonnunquam vel manuscriptorum deesset copia vel non vacaret, aut non luberet manuscripta inter se conferre, qua collatione errores deprehendi potuissent, contigit, ut ex vitiato manuscripto errores ulteriùs fuerint propagati.

Hæc, aliaque errata, quibus hoc Gratiani opus scatebat, priusquam manus correctrix fuisset apposita, meritò movisse videtur Antonium Augustinum *lib.* 1. *de emendatione Gratiani, Dial.* 1. ut Petrum Gelasium ex collocutoribus introduceret monentem, quod errata Gratiani attendens in veteri confirmetur opinione, qui frustra hunc scriptorem mendis purgari putet. » Te verò (ait) potiùs hortari, & si pateris, monere non » desinam, ut in eam tantum rem incumbas, ut meliorem ha» rum regularum, sive decretorum collectionem edas. «

Vix dubito, quin Antonius Augustinus facilè huic monito acquievisset, atque ab mendando hoc opere abstinuisset, nisi jam tum ea fuisset illius auctoritas, ut laborem inutilem Ecclesiæ & Reipublicæ se præstiturum crederet, si illud à mendis, quantum possibile erat, repurgaret.

Ut ergo appareat, viros multum eruditos non frustra, nec infructuosè hujus operis expurgationi incubuisse & allaborâsse priùs ostendam, quanto applausu & consensu opus illud non obstante sua confussione, non obstantibus etiam mendis, erratisque non levibus, ubique penè in judiciis ac scholis publicis supra omnes præcedentes Canonum & Decretorum collectiones receptum & probatum fuerit.

CAPUT VI.

De Receptione Decreti Gratiani præ cæteris Canonum collectionibus.

Antonius Augustinus relatis, laudatisque variorum Doctorum collectionibus, dicit: » Sed Gratianus eorum om» nium luminibus obstruxit, multis quæstionibus & distinctio» nibus, additis ex jure civili Romanorum, quod tunc revivisce» re cœperat, multis capitibus. «

Quin eò brevi pervenit, ut verè de Gratiano dixerit idem Antonius *lib.* 1. *Dial. de emendatione Gratiani*, quòd licèt verum esset, Gratianum nihil attulisse, quod non apud anteriores collectores reperitur, negari tamen non posset, quin felicior fuerit cæteris collectoribus. » Quos in tenebris diu fuis» se novimus, dum hic omnium manibus versatur, multorum » interpretum illustratur lucubrationibus, refertur denique in » judiciis omnibus, atque à Theologis non minus quam juris » utriusque peritis in pretio habetur. « Hæc ille.

Et sanè de Jurisconsultis res per se patet; cùm eorum commentarii vix ex alio, quam ex Gratiani Decreto Canones exhibeant; illudque passim ut juris & Canonum præcipuum fontem respiciant. Et quia in scholis alios sibi vix prælegi Ca-

no-

ra Canonum, qui in singulis partibus collecti sunt: Nulla fere est contrarietas inter Canones in tertia parte relatos, plurimæ autem sunt contrarietates inter Canones, quos prima & secunda pars complectitur.

Van Espen Comment. ad Decret. Grat. Pars V. Tom. III.

nones audiunt, dum ad forensia properant, causis ecclesiasticis instruendis, aut decidendis ex hoc Decreto Canones haurire solent. Si Theologorum Scholasticorum quoque commentarios, præsertim antiquiores respiciamus, auctoritates vix alias, quàm ex Gratiano petitas reperiemus; atque hinc & in his & in illis lapsus frequens, dum Gratiani supposititicias merces à veris non distinguunt, à quo nec S. Thomas omninò est immunis.

Ulterius ea fuit Gratiani auctoritas, ut sequentes Decretalium collectores, ejus collectionem ut Canonum codicem seu Decretorum corpus respicerent; atque eam vel remitterent, vel quod opportunum sibi videbatur excerperent; parùm soliciti, an ea, quæ Gratianus referret, sincera essent, an mutilata vel apocrypha. Exemplis paucis hæc declarâsse sufficiet.

Bernardus Papiensis auctor primæ collectionis Decretalium *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 9. ait: *Illud autem, quod de Archiepiscopi consecratione* &c. *ut in tractatu Ordinandorum.* » Ex quo ap» paret, ait Antonius Augustinus in notis ad primam collec» tionem Decretalium *tit.* 4. *cap.* 9. Bernardum Papiensem ha» buisse rationem collectionis Gratiani, & nolluisse repetere, » quæ is conscripsisset: namque tractatus Ordinandorum ap» pellari solet à Gratiano, *à distinctione* 23. *usque ad quæstio» nem primam sive causam conscripta.* Interpretes quoque ve» teres Alanus, Vincentius, Tancredus, Laurentius & cæteri, » cum capita illius collectionis referunt, semper adduat par» ticulam, *supra*, perinde ac si post Gratiani volumen hoc » adscriptum esset. Si quis hanc clausulam integram desideret, » videat *cap.* 1. *Dist.* 66. «

Et quidem in Decretalibus frequenter occurrit illa particula, *supra*, qua indicatum voluêre, citationem esse in collectione præcedenti, sive superiore, id est, Decreto Gratiani.

Hinc Bernardus Papiensis primus post Gratianum Decretalium collector, collectionem suam ita inscripsit: *Breviarium extra*, hoc est, *Extravagantium*, eo quod præcipua Collectorum post Gratianum intentio esset colligere duntaxat, quæ extra Decretum Gratiani quasi *vagabantur*: quæ & propterea *Extravagantia* dicta sunt (e).

Hanc Bernardi Papiensis mentem expressit Vincentius Hispanus, verus Decretalium interpres, cujus hæc sunt verba apud Antonium Augustinum in notis ad primam collectionem Decretalium. » Quia non omnia comprehendi poterant in De» cretorum corpore, ut *Dist.* 19. *si Romanorum*, ideò Ma» gister Bernardus Papiensis Præpositus hoc opus compilavit, » cujus intentio est diversa *Extravagantia* Romanorum Pon» tificum, & auctoritates novi & veteris Testamenti compila» re sub titulis. Materia sunt ipsæ Constitutiones seu De» cretales, &c. « Ut vel inde sat intelligi queat, qua in æstimatione apud Decretalium collectores fuerit Decretum Gratiani.

Neque multùm erant soliciti, num per Gratianum relatum congrueret suo originali, & utrum ipsum originale esset authenticum, & non supposititicium, aut saltem non interpolatum, modò Gratiani fide niteretur.

Exemplum sit in *cap.* 1. *de Capellis Monach.* In prima collectione ponitur decretum sub nomine Synodi Claromontensis sub Urbano II. etsi nusquam in Synodis sub Urbano II. tale decretum reperiatur, uti ad *Can.* 2. *c.* 16. *q.* 7. notant Correctores Romani; sed satis erat à Gratiano hunc Canonem in citato Canone 2. ex illa Synodo referri.

Sic & Innocentius III. in *cap.* 11. ✠ *de Renuntiatione* utitur auctoritate Canonis 2. Pseudo Synodi (f) Photianæ, eo quod sub nomine Concilii legitimi Constantinopolitani eum retulisset Gratianus *c.* 7. *q.* 1. *Can.* 45.

Similiter in *cap.* 13. ✠ *de Judiciis*, Constitutio tribuitur Theodosio Imperatori, quæ nullâ specie ei asdcribi potest; eo quòd Gratianus per errorem illam Theodosio tribuisset in *Canone* 35. *c.* 11. *q.* 1. ex more nempe illius temporis, quo non ad fontes, sed ad Gratianum recurri solebat; quod pluribus exemplis in reflexionibus, seu brevi hujus operis commentario ostendetur.

CAPUT VII.

Unde orta sit hujus Decreti communis receptio.

MIrum alicui non immeritò videri posset, quomodo opus privati Monachi, qualis fuit Gratianus, tanta confusione compactum, tot erratorum congerie, nec non apocryphis monumentis refertum, ad eam auctoritatem & veneration, de qua in capite præcedenti, pervenire potuerit, tantoque Doctorum tam Theologorum quam Jurisperitorum consensu & applausu suscipi & laudari meruerit.

Duo potissimùm ad hoc opus, præ aliis Canonum collectionibus, specialiter amplectendum, ejusque auctoritatem promovendam conduxisse à multis creditur.

Primum, methodus tractandi, & materia, quæ Decreto continetur.

Collectores enim ante Gratianum Canones Conciliorum & Pontificum Decreta, vel SS. Patrum aliorumque auctorum sententias simpliciter referebant. At Gratianus, cùm plures Canones, aut Patrum sententias inter se in speciem discordare vidit, varias interpetrandi, & conciliandi rationes excogitavit, & proposuit; unde & ejus nomen accepit *Concordiæ discordantium Canonum.*

Ad hæc varias quæstiones in utramque partem discutit, ac discussas tandem resolvit.

Porrò cùm sub idem tempus oriri cœpisset disciplina tractandi, quam vulgò dicimus *Scholasticam*, quæ in argumentationibus, variisque quæstionibus in utramque partem discutiendis plurimùm occupatur, non parùm placuit Doctoribus illius temporis methodus Gratiani, utpote Scholasticorum tractandi modum multum præferens.

Accessit & ipsa Gratiani materia. Gratianus enim præ reliquis Canonum collectoribus jure civili Romano utitur, quod tum demum in Academia Bononiensi doceri & exponi cœperat; quo titulo Academiæ illius Doctoribus præcipuè Jurisconsultis Gratiani collectio præ reliquis placuit.

Alterum, quod ad diffundendam longè lateque operis famam juvit, erat Academiæ Bononiensis tum temporis nomen. Cùm enim in illa penè sola, ea ætate jus civile Romanorum in toto Occidente prælegeretur, ad ipsam undique juris studiosi in magno numero confluebant; qui cùm à Juris ecclesiastici professoribus nihil præter Decretum Gratiani prælegi audirent, atque in illud glossas, ac commentarios edi, illudque ut unicum sacri juris codicem consuli, magnam indubiè paulatim animis ipsorum illius existimationem instillavit.

Cumque studiorum curriculo absoluto ad proprios lares remeantes, hac ita Decretum existimatione imbuti, nihil præter Canones in eo contentos, atque glossas & commentarios in eosdem deprædicarent, & secum comportarent, non difficulter intelligitur, summam hoc potuisse auctoritatem operi illi apud varias gentes longe lateque conciliare, maximè accedente temporum illorum conditione, ubi sine ullo ferè examine tanquam authenticum recipiebatur, quidquid in collectoribus occurrebat.

Verùm licet hæc ad commendandam Gratiani collectionem sive *Decretum* conducere potuerint, illud tamen præcipuum & penè unicum fuit, quod Gratianus in hoc opere non tantum retulerit ea, quæ Pseudo-Isidorus ad amplificandam auctoritatem Romanorum Pontificum confixerat; sed & plura alia addiderit ad hunc finem conducentia, quæ ille suo tempore scribere ausus non fuerat, uti commentario seu reflexionibus notabitur.

Igitur hoc Gratiani opus ita adornatum non dubium, quin admodum placuerit Romanis Pontificibus & eorum Curialibus; adeò ut mirum videri non debeat, si non minus ad hujus operis auctoritatem & receptionem promovendam se impenderint, quàm ad conciliandam auctoritatem confictis Isidorianis Decretalibus. Atque ita verisimile est, & Decreti Gratiani, & falsarum Decretalium receptionem eodem fundamento potissimum niti.

CAPUT VIII.

De emendatione Gratiani per Antonium Democharem et Antonium Contium.

SUb medium seculi XVI. Antonius Democharis & Antonius Contius, ille *Theologus*, hic *Jurisconsultus*, dolentes, opus, quod in scholis publicis prælegebatur, commentariis illustrabatur, imò ad quod tanquam totius Ecclesiasticæ scientiæ instructissimum armamentarium passim & Theologi & Canonistæ recursum habebant, tot mendis & apocryphis scatere; illud à falsis inscriptionibus & mendis purgare & in meliorem ordinem formamque reducere studuerunt; atque apocrypha à veris monumentis secernere.

Imprimis itaque Antonius Contius capita sive Canones in Decreto Gratiani suis numeris distinxit: » Ante Contianam » enim

(e) *Cum Bernardus Papiensis an.* 1190. *suam Decretalium Collectionem fecit, jam anni* 39. *effluxerant à tempore, quo suam Gratianus ediderat; ejus Decretum totidem ab annis ferè legebatur in Scholis Juris Bononiensis; unde cum jam continuo usu teneretur, Bernardus intra editionem supplementi se continuit; ejusque exemplum cæteros deinceps Collectores intra eosdem limites videtur continuisse.*

(f) *Iste est Conventus, qui an.* 879. *Constantinopoli habitus est, in cujus Canones Scholia superius edidit D. Van Espen.*

» enim editionem certum est, capitum numeris nullum Gra-
» tiani volumen fuisse distinctum, uti monet Antonius Augus-
» tinus *lib.* 1. *Dial.* 18. «

Ulteriùs duo viri, ac præcipuè Contius, uti monet Franciscus Florens in Præfatione de methodo & auctoritate Collectionis Gratiani *pag.* 44. plurimas addiderunt notas eruditione refertas, quibus & veras Canonum inscriptiones sæpiùs restituerunt, & apocrypha ac suppositiția à veris ac genuinis feliciter separârunt.

Ad Canonem 1. *cap.* 30. *q.* 5. qui desumitur ex pseudo decretali Evaristi Papæ notat Contius: *Omnia istius Evaristi decreta videri posse suppositiția, ut dixi* (ait) *in Præfatione.*

Et ad Canonem 11. desumptum ex Epistola 2. Decretali Eleutherii Papæ monet: » Adulterinam esse hanc Eleutherii
» epistolam, quæ tamen extat in primo volumine Conciliorum,
» vel ex hoc fragmento liquet. Hæc enim sunt verba Constan-
» tini Imperatoris in L. 1. C. Theodosiano de judiciis, quæ
» plusquam centum post Eleutherium annis à Constantino res-
» cripta, quæ illius epistolæ fabricator suppresso nomine com-
» pilavit, putans furtum semper celari posse; sed & tam in-
» feliciter compilavit, ut verba textus cum verbis subjectæ illi
» præposteræ interpretationis in Alarici Breviario temerè mis-
» cuerit. «

Sed præ cæteris notanda nota apposita *Canoni* 13. *dist.* 16. ubi loquens de XXIV. Canonibus sub nomine Nicænæ Synodi extantibus in epist. Julii I. » præter XX. Canones Nicænos, qui vulgò extant, ait: » Sed illos esse suppositiția, vel id
» ostendit, quod nemo, ne Gratianus quidem ipse, eos
» allegare ausus est. Additque hoc notandum: Multas au-
» tem suprà in præfatione rationes adduxi, quibus omnes,
» quæ Silvestrum præcesserunt, Decretales falsas esse ostendi. «

Hæc sanè nota non mediocrem hujus viri eruditionem insinuat, qui forsan Catholicorum primus, aut forsan inter primos detexit & probavit, quod hodie communi eruditorum consensu probatum est; scilicet Decretales, primis illis Pontificibus adscriptas, esse suppositiția.

Verùm Antonio Augustino verba illa: *Multas autem suprà in præfatione rationes adduxi, &c.* visa sunt Molinæi esse, non Contii.

Sed si alia, quæ jam ex Contio citavimus, cùm hac nota conferantur, nequaquam obscurum erit, ea revera Contii esse non Molinæi, ut rectè advertit Franciscus Florens *loc. cit.* & Stephanus Baluzius in notis ad Antonium Augustin. *p.* 433. dicit, se non videre, quâ conjecturâ ductus Antonius Augustinus putaverit, hoc scholium non esse Contii, sed Molinæi. Qua conjecturâ esse putaverit, non facilè est divinare; at quâ conjecturâ putaverit non esse Contii, ipse sat indicat verbis, quæ immediatè subjungit: *Nihil enim*, ait, *ea de re Contius in præfationibus editis scripsit.*

Dum hæ scripsit Antonius Augustinus verisimiliter non aliam Contii editionem præter Antuerpiensem anni 1570. viderat.

Monet autem Franc. Florens loc. supra citato, quod » Præfationem Contii mutilaverit Antuerp. librorum censor,
» qui ex ea breve tantùm nobis fragmentum reliquit: qua de re
» meritò conqueritur Contius, *lib.* 1. *lectionem variarum,*
» *cap.* 10. *in fine.* «

Quærit Antonius Augustinus citato Dial. 20. sub finem: *Quid Romani tui de scholio Contiano censent?* Resp. Petrus Galesius collocutorum unus: » Delenda esse illa verba, *sed*
» *illos esse suppositiția*, & quæ sequuntur: Multò verò magis,
» *ait*, eis displicuerunt, quæ postea scripsit: *Multas autem*
» *suprà in Præfatione rationes adduxi.* « Et revera notam hanc, uti & plures alias à Contio appositas Correctores Romani sustulerunt: » Cautiùs, inquit Florens, quàm Antuer-
» piensis censor, qui Præfationem quidem mutilavit, notas ve-
» rò supra citatas imperitè reliquit, quibus idem dicebatur,
» quod in Præfatione. «

At dicit ulteriùs Anton. Aug. aut ejus nomine Petrus Galesius: » Prædicto scholio contrarium scholium Contius *c.* 11.
» *dist.* 22. addidit; cùm occasione epistolæ Decretal. Anacle-
» ti ponitur hoc scholium: Scio quosdam istorum Pontificum
» à Petro proximè sequentium Decretales falsi insimulare, sed
» majorem ab his probationem requirerem; cùm & in omni-
» bus, quotquot extant Canonum corporibus, ab Isidoro ex
» libro Damasi Urbis Romæ Episcopi collectis, hæ repe-
» riantur. «

Hoc scholium in editione Contii Antuerpiensi anni 1570. adscribitur Contio; sed monet hîc rursum Franc. Florens, » Contii editioni notas ex editione Democharis plures admixtas
» fuisse in editione Antuerp. absque delectu, ita ut non rarò
» inter se pugnantia inserantur: non enim eadem semper fuit
» sententia Democharis, quæ Contii, qui Contius longè eru-
» ditior, & ingeniosior erat. «

Hic per transennam observare licet, quomodo imperiti & incauti nonnulli censores interdum ipsa opera vel corruperint aliquid addendo, vel aliqua, quæ ipsis displicebant, delendo.

Fatendum est, hos Correctores signanter Antonium Contium, non exiguam & inutilem operam in emendatione Decreti Gratiani impendisse; nihilominus & illud fatendum, quod post omnem ipsorum laborem adhuc innumera penè essent emendanda & corrigenda.

Cæterùm præfationis Aut. Contii ad Decretum Gratiani, cujus sæpè hoc capite meminimus, & à censore Antuerp. pro majori parte truncatæ fragmentum magnum præfixum habetur Tom. 4. Operum Caroli Molinæi ultimæ editionis Parisiens. anni 1681. eoque continetur judicium Contii de Epistolis Decretalibus primorum Pontif.

Ex hoc præfationis fragmento patescit hujus viri non modica juris notitia & eruditio: atque postquam candidè fassus est, se nolle improbè Gratianum ipsum ab omni reprehensionis ansa & occasione vindicare, » Candide, inquit, in medium con-
» feram ea, in quibus nobis vel dormitasse, vel non satis ex
» fide, quæ receperat, explorâsse, aut perfecisse videri possit:
» ita tamen ut culpâ vel potiùs seculi sui errore, ac profundâ
» rerum caligine prolapsum interpretari maluimus, quàm dolo
» aut aliqua Pontificibus Romanis assentandi ambitione. «

Post hæc subjungitur: » Hujus autem generis sunt Epistolæ
» primorum Rom. Urbis Pontificum, Clementis, Lini, Cleti,
» Anacleti & sequentium usque ad Sylvestrum, & deinceps
» usque ad Siricium, quas multo post tempore à nebulonibus
» quibusdam confictas & concinnatas certioribus mihi videor in-
» diciis, quàm quisquam hactenùs deprehendisse. «

» Primò quod barbariore phrasi, aut stylo, aut compositio-
» ne deteriore sint conscriptæ, quàm ferret illorum temporum
» conditio; cùm præsertim Leonis I. Gelasii, Innoc. Cœlestini &
» cæterorum, quorum vera scripta extant, Epistolæ longe illis
» sint elegantiores, latiniores, religiosiores. Secundo quod loci
» Scripturæ, qui in illis allegantur, ex nova Hieronymi transla-
» tione, quæ nondum extabat, & quam nec ipse Hieron. nec
» alius ejus temporis scriptorum catholicorum allegare tum au-
» sus est, vigente adhuc 70. interpretum translatione. Et quo-
» modo eam citare potuerunt, antequam esset? Tertium & ve-
» hementissimum indicium est, quod plerumque illic constituun-
» tur & decernuntur, quæ longo post tempore primum ab Im-
» peratoribus constituta, vel posterioribus Synodis fuerunt in-
» ducta. Unum autem pro omnibus insigne exemplum in me-
» dium proferam. Eleutherio uni ex illis Pontificibus Gratianus
» affingit *Can. judicantem*, *cap.* 30. *q.* 5. quod & in primo to-
» mo Conciliorum legitur in integra ipsius Julii Epistola. Atque
» illa sunt legis Constantini verba (qui plures centum annis illo
» tempore posterior fuit,) perperam in eam Epistolam ad ver-
» bum ferè translata cum pessimi interpretis glossemate. Nam
» extat ea lex in Breviario Alarici & Codicis Theodosiani sub
» titulo *de judiciis l.* 1. quod Breviarium habuit Gratianus, &
» ex eo multa in suum volumen transtulit. «

Ex his evidens est, hunc virum jam tum non dubitâsse de falsitate & suppositione harum Decretalium, eamque indubiè in ipsa integra sua præfatione pluribus argumentis adstruxisse; recteque Francisc. Florentem dixisse, quod censor Antuerpiensis hanc præfationem Contii vel integram prætermisisset vel pro majori sua parte truncâsset.

CAPUT IX.

De Correctione Romana & Antonii Augustini.

CUm in Synodo Trid. decretum esset, ut Missalia, Breviaria, aliive libri ad Officium, & Ritum Ecclesiasticum spectantes reviderentur & emendaretur, aut deleretur, si quid apocryphum, aut divini officii majestati minus conveniens contineretur; unà cogitari cœptum est de ulteriore Decreti Gratiani emendatione. Indecorum enim atque Ecclesiæ quodammodo probrosum videbatur, quod opus primam corporis seu codicis ecclesiastici partem conficiens, quodque id Academiis Catholicis publicè juventuti pro adipiscenda notitia disciplinæ Ecclesiasticæ prælegitur, & in judiciis pro decissione causarum profertur, tot mendis, crassisque erroribus & apocryphis citationibns esset refertum.

Et quidem Pius IV. sub quo Synodus Tridentina finem accepit, ac dein Pius V. ejus successor, selectis quibusdam viris hanc provinciam commiserunt; sed tanti moliminis erat hujus operis emendatio & correctio, ut sub his Pontificibus nihil ad perfectum perduci potuerit.

Tandem mortuo Pio V. ei succesit *Hugo Boncompagnus* dictus Greg. XIII. patriâ Bononiensis, in eaque urbe olim Canonum Professor, & qui tanquam Cardinalis emendando Decreto Gratiani jam fuerat admotus, sub quo strenuè huic operi absolvendo allaboratum est, ac tandem ultima manus apposita.

Ca-

Cathalogus Cardinalium & Doctorum, quibus à Pontificibus Roman. hæc cura demandata fuit, exhibetur ad calcem Dialogi ultimi libri prioris Antonii Augustini, de quibus loquens Franciscus Florens Gallus in præfatione de auctoritate Gratiani, ait: » Doleo tamen & moneo, nec abs re unicum » *Gallum* Arnuldum Pontacum, & sero adhibitum. Reliqui » omnes fuerunt aut Itali aut Hispani. « Quàm fuerit hæc eruditi viri querimonia fundata, probant, quæ in hac emendatione desiderantur, & in reflexionibus notabuntur.

Quæ in hoc negotio correctionis acta sint, exponitur in præfatione sive monito ad Lectorem decreto Gratiani emendato præfixo. » Itaque & Romæ, inquiunt, Vaticana Bibliotheca, & monasterii Dominicani supra Minervam, aliæque » non paucæ excussæ sunt, & ex aliis urbibus atque regionibus invitati doctissimi homines, qui idem facerent, & si quid » invenissent, quod ad hanc rem pertineret, ut sua pietate libenter communicarent, atque ad Pontificem mitterent. «

Breve Apostolicum missum ad hanc Lovaniensem Academiam, quo monentur Doctores ut conferant operam suam pro emendatione Gratiani, extat in volumine continente Acta ab anno 1567. usque ad annum 1586. fol. 108.

Index librorum variis ex locis missorum, & quorum operâ hæc Gratiani emendatio subsidium accepit, post præfationem appositus est; in quo sub littera D. habetur: *Decretorum excerpta ex Bibliotheca à S. Trudonis ab Alberto Leonino, nomine Universitatis Lovaniensis.*

Quid hic consecutum sit subjungitur: » Quâ diligentia illud » factum est, ut cum jam pro magna parte suum cuique tribu» tum sit, ac propterea intelligi plerumque possit, quæ syno» dorum generalium, quæ summorum Pontificum, quæ Pro» vincialium Conciliorum, quæ Patrum decreta, ac sententiæ, » atque inter hæc, quæ S. Romanæ Sedi probata sint, quæ mi» nimè, vix quisquam errare, atque incerta pro certis sequi, » certa pro incertis suspecta habere posthac queat. «

Quæ in emendatione citationum, quæ apud Gratianum non paucæ falsæ occurrebant, methodus servata sit, in eodem monito hoc ordine indicatur.

Primo. » Ubi error evidens erat, aut nonnulla Gratiani » exemplaria cum veriore, atque ab aliis collectoribus allata » citatione consentiebant, sublatis falsis inscriptionibus, veræ » sunt restitutæ. «

Secundò. » Ubi verò, quamvis caput apud alium auctorem » esset inventum, fieri tamen poterat, ut illius quoque esset, » quem Gratianus citaret, (sunt enim haud rarò decreta translatitia, & sententiæ similes in bonis auctoribus) retenta Gra» tiani citatione, satis visum est, locum, ubi habeatur, in» dicare. «

» Et quoniam interdum aut capitis aliqua quidem pars il» lius auctoris est, qui citatur, aliqua verò minimè, aut verba » valdè sunt mutata; id quoque est indicatum, adscriptumque » præterea in margine, quo loco idem caput in Glossa Biblio» rum Ordinaria, in libris Sententiarum, & apud cæteros col» lectores habeatur, eos præsertim, qui in hujus operis emen» datione magno usui fuerunt. «

Circa emendationem textûs, hæc ratio servata fuit. » Pri» mò, initia capitum ob usitatas Doctorum citationes non sunt » mutata, sed ubi ab originali discrepabant, in margine aut in » notatione est indicata germana lectio. «

Hæc sanè cautio necessaria fuit, quia, ut supra monui, usque ad Contium, capita seu canones non citabantur nisi per verba initialia, eo quod necdum essent numeris distincta; ideoque nî hæc ratio inita fuisset, loca è Gratiano apud antiquiores Contio relata vix reperiri potuissent.

» Deinde hæc Glossæ ipsius habita ratio est, pergunt cor» rectores in sua Præfatione, ut nihil in textu sit mutatum, ubi » mutatio ipsa impeditura erat, quo minus quid sibi auctor » Glossæ voluisset, animadverti posset: sed eodem modo aut » in margine aut in notatione mendum est indicatum. «

» Ubi verò hæc non obstabant, hæc ferè observata corri» gendi ratio est: ut si videretur voluisse Gratianus auctorum, » quos citaret, ipsa prorsus verba referre, ea ex ipso originali » emendarentur, & interdum etiam non levi proposita utilita» te, aliqua adderentur; nisi sicubi vulgata lectio visa est me» lior; nam tunc illâ retentâ, notatum est, quomodo originale » ipsum habet: sin autem Gratianus non eadem prorsus verba » afferre voluerat, sed aut in summam quandam ipse redigere » aut ab aliis redacta, aut ab auctore Glossæ ordinariæ, ab Ivo» ne & aliis collectoribus referre; tunc nihil fere emendatum » vel additum est; nisi fortè Patris illius, unde collector acce» perat, restituta lectio magnam afferre visa esset utilitatem; » multisque locis id notatum est, & verba ipsius originalis alla» ta, ut lector identidem in memoriam hujus adhibitæ cautionis » revocaretur, & labore ad originalia adeundi levaretur. «

Methodum hactenus expositam exactè à correctoribus Romanis reipsa servatam esse evincit textus notarum, & varietas, quæ inter Decretum correctum, & non correctum intercedit.

Eruditis omnibus hæc emendatio admodum grata fuit; à in emendationis forma, illud imprimis observatum desiderasent, ut vulgatæ & veteres editiones Gratiani nunquam ita fuissent immutatæ, quin ejus saltem mentio facta esset; imò ut à variis eruditis auctorum correctoribus observatum est, tantùm variantes lectiones annotâssent; lectori permittentes examen, & judicium; quæ è variis lectionibus verior videretur. Quin & hæc varietas lectionum nonnunquam obscuritatem, aut dubium, quod in Canone occurrit, elucidare potuisset; aut etiam detegere fontem lectionis, quæ apud veteres auctores reperitur.

Illud quoque nonnullis minùs conveniens visum est, quod viri illi eam sibi libertatem sumpserint, ut inscriptionem Gratiani etiam interdum constantem in omnibus, tam editis quàm manuscriptis codicibus suâ auctoritate mutaverint; quo factum, ut Gratiano tribuatur id, de quo nunquam cogitavit; nec ampliùs tam Gratiani quàm correctorum opus habeatur. Exemplum suppeditat *Can.* 3. *dist.* 54. In omnibus enim antiquis editionibus habetur cum hac inscriptione, *ex Concilio Mogunt.* nisi quod Democharis & Contius pro *Moguntiensi* haberent *Guntinensi*; qui & in margine notârunt: *Can. VIII. Conc. Carthag. I. id habebatur.* Ex quo factum, ut correctores Romani videntes eam Democharis & Contii notam esse veram, delata inscriptione, quæ in omnibus Gratiani editionibus habebatur, hanc ex Conc. Carthag. I. substituerint, cùm id potiùs in margine, ut Contius & Democharis fecerant, notari debuisset: hîc quidem in nota subjecta veteris inscriptionis meminerunt, & unde ejus correctio desumpta sit, indicant, sed nec id ubique monendum censuêrunt. Pro exemplo sit *Canon* 34. *dist.* 50. In omnibus antiquis editionibus hanc præfert inscriptionem: *Rabanus Archiepisc. ad Heribaldum*; Correctores Romani nullâ suæ additionis factâ mentione, addiderunt in contextu Gratiani, *lib. Pœnit. cap.* 1. hoc est, *ex lib. Pœnit. c.* 1. quæ inscriptio non tantùm falsò attribuitur Gratiano, sed & falsa est; cum è contra vera esset ipsius Gratiani. Nam nullus liber Rabani Pœnitentialis unquam inscriptus legitur *Heribaldo*; sed extat epistola Rabani ad Heribaldum, in qua præsens Canon extat, non capite I. sed X. de quo consule Baluzium, cùm in notis ad hunc Canonem, tum in præfatione ad citatam epistolam Rabani. Similiter inscriptio Canonis 4. *dist.* 68. ex emendatione Romana habet: *De his ita scribit Leo I. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ*: quæ inscriptio non tantùm adversatur omnibus Gratiani editionibus, adeoque Gratiano imponit; sed & manifestè falsa est, cùm ex contextu epistolæ compertum sit, eam nequaquam Leoni I. adscribi posse, uti observat in suis ad hunc Canonem notis Stephanus Baluzius; & fusè ac solidè probat Paschasius Quesnellus in Dissert. 1. Operibus S. Leonis III. annexa; ibidem tamen monens eam videri esse Leonis III. adeoque veram esse potuisse Gratiani inscriptionem; quæ eam tribuit simpliciter Leoni, non exprimendo, num I. num III.

Ex his aliisque similibus non paucis sat intelligitur, quàm fundata sit nonnullorum querimonia, quod sublatis Gratiani, inscriptionibus, aliæ substitutæ fuerint, & non potiùs, si quæ mutatio facienda judicaretur, ea in margine aut alibi annotata fuisset, intacto manente Gratiani contextu.

Verùm de eo major extat virorum eruditorum querimonia, quod ipsum textum Canonum, prout à Gratiano referebantur, vel additione aliquorum verborum, aut eorum detractione sæpiùs mutaverint.

Exemplum sit *Can.* 3. *cap.* 8. *quæst.* 1. Ibi post verba, *judicio Episcoporum*, in Codicibus Gratiani etiam manuscriptis, uti Correctores monent, sequebatur, *& electione Clericorum*, quæ sunt expuncta, inquiunt, quia neque in originali, neque apud cæteros collectores leguntur. Sed nonne satius fuisset, textus servare integrum, & in notis admonuisse, eam clausulam non extare in originali, neque apud cæteros collectores? Quidni fortassis Gratianus exemplar aliquod viderit Concilii Antiocheni, in quo clausula continebatur.

Interdum autem mutârunt contextum, monendo tantum in genere aliquid mutatum, quia verò illud sit substicentes. Exempli gratia in *Can.* 7. *cap.* 34. *q.* 1. emendata & addita esse nonnulla ex originali & cæteris collectoribus notant, sed quid emendatum aut additum sit, non exprimunt.

Quinimo quandoque aliqua addita sunt, ne quidem in genere ullius emendationis facta mentione. Plura exempla, qui volet, reperiet ex collatione Decreti emendati cum non emendato. Unum hoc pro specimine accipe. In *Can.* 4. *dist.* 22. post hæc verba: *de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ subjectam?* Sequitur *quod & D. piissimus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assiduè profitentur*: quæ clausula deest in omnibus antiquis Gratiani editionis exemplaribus, etiam apud Democharem & Contium, adeò ut evidens sit, eam à Correctoribus Romanis additam esse, nulla tamen additionis facta mentione, aut insinuatione.

Ex

Ex hac tùm inscriptionum, tùm textuum immutatione, fit, ut Gratiani collectionem integram hodie non habeamus; sed collectionem per Romanos Correctores in pluribus immutatam.

Præterea ex hac immutatione contingit, ut, quæ in antiquis auctoribus ex Gratiano citantur, & pro auctoritate afferuntur, in ipso Decreto Gratiani non ampliùs reperiantur.

Denique quis ambigat, quin etiam & ipsa errata auctorum multum nonnunquam asserendæ, & eruendæ veritati subserviant, præsertim auctoris, qui seculis pluribus publicè in scholis & judiciis, atque a Theologis & Canonistis tanquam totius rei canonicæ absolutum & perfectum armamentarium habitus sit.

Hinc facilè est concludere, quod licèt fatendum sit, Romanam hanc Decreti Gratiani emendatam editionem in pluribus locis, Conciliorum, Patrum, aliorumque auctorum, è quibus sua deprompsit Gratianus textibus esse conformiorem, & à multis mendis & sordibus esse purgatam; tamen si ipsam Gratiani collectionem, ut a Gratiano edicta est, & apud veteres Theologos & Canonistas recepta & laudata fuit, consulere velimus, recurrendum esse ad editiones, quæ Romanam editionem præcesserunt.

Interea quo Romæ emendationi Decreti Gratiani allaborabatur, eidem sedulo quoque incumbebat Antonius Aug. Archiepisc. Tarracon. atque duos libros Dialogorum de emendatione Gratiani scripsit, multa doctrina, & eruditione refertos. Cum verò jam ferme ad finem operis perventum esset, allata est ad illum Tarraconen editio Gratiani emendata per correctores Rom. Hinc additiones composuit, quæ in fine singulorum Dialogorum extant & ipsas Roman. correctiones exhibent. Hoc opus jam pridem non satis accuratè impressum, de novo reimprimi jussit Steph. Baluzius; additis tam ad ipsum Antonium Aug. quàm Gratianum notis, quibus variantes præcipuè lectiones ex vetustissimis Gratiani exemplaribus tam manuscriptis, quam editis, annotavit.

CAPUT X.

De Erratis Gratiani post Correctionem Romanam.

Gregor. XIII. in Bulla edita in commendationem Decreti Gratiani jam emendati injungit omnibus Christi fidelibus: »Ut quæ emendata & reposita sunt, omnia quàm dili»gentissimè retineantur, ita ut nihil addatur mutetur, aut »imminuatur.«

Hac tamen Pontificis declaratione nequaquam effectum est, quin etiam post Romanam emendationem plura errata & apocrypha in Gratiano superesse, quæ omnem Romanorum notam effugerint, fateri debeamus.

Unde de Gratiano, etiam emendato, dixit Antonius Possevinus in *Apparato sacro. lib.* 1. »De Gratiano id sciendum »est, eum sæpè errasse, tribuentem iis auctoribus opera, quo»rum non sunt.« Addit aliquot exempla.

Et ante ipsum Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Gratiano, plurima refert erratorum notabilia exempla, quæ ipsi Correctores ne verbo quidem attingerunt; imò nonnulla ex iis pro veris ipsi agnoverunt.

Et quid plura, quis nescit pro apochryphis haberi veterum Pontificum decretales epistolas, aliqua plurima, quæ Isidorus vulgò *Mercator* summa audacia & impudentia confinxit & supposuit, quibus tamen Gratiani Decretum plenum est? Eaque omnem correctoriam censuram evasêre; imò tanquam ad sinceros fontes sæpius ab ipsis Correctoribus Romanis ad illa lector remittitur. Quin tantum abest, ut viri illi decretales illas pro apocryphis haberent, ut notas Antonii Contii, qui plerasque ut supposititias rejicebat, omittendas censuerint, neque earum notarum in hoc articulo ullam rationem habuerint.

Quid de canonibus, quos sub nomine Concilii Eliberitani refert Gratianus, neque à correctoribus Romanis in dubium vocantur, quos vir eruditus Ferdinandus Mendoza *lib.* 1. *de confirm. Conc. Eliberitani c. VI.* supposititicios esse evidenter ostendit; imò plures illorum ex Canonibus diversarum Synodorum id unum conflatos esse?

Quis insuper ignorat, quot his ultimis seculis prodierint castigatæ editiones plurimorum SS. Patrum, in quibus tanquam suppositicia probata & rejecta fuere quamplurima, quorum fragmenta sub nomine illorum Patrum Gratianus retulerat, & Correctores Romani pro indubitatis illorum Patrum operibus habuere?

Nequaquam igitur post Romanam emendationem recipiendum ut sincerum, aut suo originali conforme, quidquid à Gratiano refertur; imò nec omnia, quæ ipsi notarunt, aut mutarunt pro talibus habenda; cum certum sit, ut suprà vidimus, etiam Correctores Romanos aliquibus attribuisse aliqua, quæ posteriorum diligentior inquisitio reperit, iis tribui non posse; aliaque tanquam apocrypha rejecta, quæ Romani Correctores pro sinceris monumentis susceperant.

Ex dictis quoque conficitur, nec post Correctionem Romanam inutilem esse correctionem, & notas Antonii Contii.

Constat enim, quædam ipsum annotâsse tanquam apocrypha, quæ ut talia hodie etiam ab omnibus agnoscuntur, à Romanis tamen correctoribus nequaquam notata; uti sunt, ut supra dictum est, omnes illæ decretales epistolæ primis Pontificibus suppositæ.

Quædam deinde à Contio ex originali in margine ad supplendum fragmentum Gratiani notantur, quæ Romani correctores omisserunt.

Denique iidem Correctores canones, aut fragmenta à Gratiano relata interdum ex originali suppleverunt, nulla facta distinctione supplementi & textus Gratiani, ut propterea nesciri interdum possit, quid Gratianus voluerit. At Contius, dum ex fontibus, vel aliunde ad complendum, aut elucidandum textum aliquid supplet, illud distincto à reliquo textu charactere notavit: quod tamen & in Contio reprehendit Antonius Augustinus: »Res enim, ait, est plena periculi, cum fa»cilè in his librarii labi soleant, & aliena verba vel longius »separata in nostrorum verborum numerum referre.

Ita metuebat vir ille, ne textus alicujus auctoris admixtione alienorum verborum immutaretur.

CAPUT XI.

An Decretum Gratiani publica auctoritate polleat.

Decretum Gratiani nullam publicam auctoritatem à suo posse mutuare auctore apud omnes in confesso est.

Eum enim Gratianus Monachus nulla in Ecclesia publica auctoritate esset donatus, eam suo operi dare non potuit.

Neque pariter Decreto Gratiani publicam auctoritatem conciliat ejus in scholis publica prælectio: si enim Trithemio credimus ante tempora Gratiani Panormia Ivonis utebantur Juristæ. Et quid notius, quàm Theologis in Academiis pluribus prælectum fuisse opus Magistri sententiarum, quod tamen publica auctoritate pollere nemo unquam dixit.

Quod verò nonnulli dicere voluerint Decretum Gratiani ab Eug. III. sub quo vixit Gratianus, approbatum fuisse: »Cum »illud nullo (præter unum Trithenium) probetur idoneo tes»te,« inquit Boëtius Epo apud Duacenses olim Canonum antecessor primarius, *lib.* 2. *de jure sacro n.* 134. »Meritò reji»citur à nobis ut suspectissimum; cùm neque diligentissimus in »rebus talibus annotandis Antonin. Archiep. Flor. neque Pla»tina in vitis Pontificum accuratissimus, neque quis probatus »auctor alius, qui quidem ad nostras venerit manus, id affir»met. Qinimò contra sentiunt interpretes ad unum omnes »nostri tam civilis juris quàm Pontificii, non ab ullo unquam »Pontifice nominatim fuisse probatum Gratiani hoc Decretum, »sed sola consuetudine receptum, neque plus auctoritatis adhuc »habere, quam per se habeant auctoritates ipsæ sive Pontifi»cum sive Conciliorum, sive quorumlibet aliorum scriptorum, »ex quorum fragmentis Decretum suum Gratianus post Isido»rum & Burchardum & Ivonem & alios concinnavit: in pro»priis autem Gratiani verbis nihil esse magis auctoritatis, quàm »quantum ratio & æquitas per se ipsa patiantur: cum non plus »tribuatur Gratiano, quam interpreti cuiquam alteri.

Hæc ille, cui plenè consonat vir in re canonica versatissimus, quique summo studio libros duos Dialogorum de emendatione Gratiani summa eruditione confectos edidit, Antonius Aug. in præfatione ad canones Pœnitentiales: »Est etiam, inquit, »delectus habendus & ratio auctoritatis constituentium, in »quo video multos juris Pontificii studiosos vehementer deci»pi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana »habere putant; cùm tamen Greg. IX. Pontificia auctoritate »usus, omnibus in eo volumine decretalium contentis vim »legis statuerit. Gratianus unius magistri & monachi perso»nam gerens, ea, quæ refert, non majori pollere potuit effi»cere auctoritate, quam antea fuerunt. Itaque si quæ sunt ab »eodem relata ex Pontificiis epistolis, aut ex Generalibus Con»ciliis sumpta, ex suprema illa potestate, qua excellunt, apud »omnes vim legis obtinent: sed quæ ex Provincialibus Con»ciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum sanctorum virorum »libris, aut epistolis accepta sunt, ea generalem non habent »auctoritatem. Accidit autem sæpè, ut falsæ sint apud Gra»tianum inscriptiones singulorum capitum... ita fit, ut ne illa »quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sump»ta ex Romanorum Pontificum, aut ex Generalium Concilio»rum decretis; sed necesse est adire fontes, unde emanarunt, »ut certa ab incertis distinguamus.

Observanda quoque hanc in rem vetus, ac doctissima Theologorum Parisiens. Dissertatio edita in confirmationem censuræ Episcopi Parisiensis contra aliquem è familia S. Dominici, qui sustinuerat, nihil reperiri apud S. Thom. quod non esset credendum;

dum ; cujus Dissertationis hæc est summa : nec S. Thom. nec Magistri sententiarum nec Gratiani, imò nec cujuslibet alterius Doctoris, adeò esse per omnia veram sententiam, quin & errare & labi quandoque possit ; quod nonnullis ex S. Thom. Magistri sententiarum & Gratiani desumptis errorum exemplis ostendere conantur. Scripta fuit hæc Apologia ann. 1277. & extat ad calcem Magistri sententiarum.

Decretum Gratiani ante correctionem Romanam auctoritatem juris non obtinuisse facile omnes concedunt ; atque de eo duntaxat tempore loqui supra citatos auctores prætendunt nonnulli, qui post hanc correctionem volunt illud auctoritate Greg. XIII. ita esse probatum, ut canones, sive capita Gratiani undecumque desumpta juris auctoritatem acceperint ; non secus atque capitula in decretalibus Greg. IX. relata ; idque per Breve dicti Pontif. Greg. XIII. editioni Rom. correctæ præfixum ; in quo jubet, ut quæ emendata, & reposita sunt, omnia quàm diligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur.

Verùm hæc non ad auctoritatem aliquam publicam Decreto impartiendam spectant, sed ad cavendum, ne quis operi publico, auctoritate sive cura R. Pont. purgato & correcto, privata auctoritate quidquam addere aut detrahere audeat.

Quam suam mentem apertiùs in aliis suis litteris eidem operi præfixis declaravit his verbis : » Nos opportunè providere volen-» tes, ut hoc jus canonicum sic expurgatum ad omnes ubique » Christi fideles sartum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat » eidem operi quidquam addere, vel immutare, aut invertere, » nullave interpretamenta adjungere ; sed prout in hac nostra » urbe Roma nunc impressum fuit, semper, & perpetuo inte-» grum & incorruptum conservetur. Motu proprio, &c.

Quid manifestius quàm id unicè intendisse Pontificem, ne quidquam post Romanam correctionem corpori canonico à se emendato adderetur aut detraheretur, vel immutaretur.

Ad hæc cùm jam relata Pontif. verba totum Gratiani Decretum respiciant, etiam consequenter referuntur non tantum ad ea, quæ ex Conciliis vel epist. Pontificum aut SS. Patrum aliisque monumentis desumpsit Gratianus, quæ sub nomine capitum citat ; sed præterea ad ipsas privatas Gratiani opiniones, quas auctoritatem juris habere, atque à Pontif. ita probatas esse, ut ab iis recedere non liceret, nemo hactenus asserere ausus fuit.

Exempli gratia : Gratianus in principio *dist.* 18. dicit: » Episcoporum igitur Concilia, ut ex præmissis apparet, sunt » invalida ad definiendum & constituendum, non autem ad » corrigendum. Sunt enim necessaria Episcoporum Concillia ad » exhortationem & correctionem : quæ etsi non habent vim » constitutionis, habent tamen auctoritatem imponendi, quod » alias statutum est, & generaliter seu specialiter observari » præceptum. «

Hanc Gratiani opinionem, quæ negat Episcoporum Concilis auctoritatem constituendi, & etiamnum hodie Decreto emendato continetur, quispiam dicet publica Ecclesiæ auctoritate probatam? Quam jam pridem his verbis improbavit ipsius Gratiani Glossographus : *Illud non est verum, quia Episcopi benè condere possunt Canones Episcopales, Archiepiscopi Provinciales ; quia quælibet Ecclesià sibi potest statuere jus aliquod.*

Gratianus *dist.* 1. *de Pœnit.* in utramque partem disputat, an pro remissione peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ requiratur oris confessio ipsi Sacerdoti facienda, an verò sufficiat soli Deo confiteri : ac tandem allegatis multis Patrum sententiis post Canonem 39. finit his verbis : » Quibus actoritatibus vel » quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & » confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Utra-» que enim fautores habet sapientes & religiosos viros. «

Nùm hoc rursus Gratiani fluctuans in utramque partem judicium ab Ecclesia probatum asseremus? An non potiùs dicemus cum ipsis Romanis Correctoribus : » Certissimum est, & pro » certissimo habendum, peccati mortalis necessariam esse con-» fessionem sacramentalem, eo modo ac tempore adhibitam, » quo in Concilio Tridentino post alia Concilia est constitutum. «

Plura alia Gratiani, quæ jam pridem improbavit Glossa, item S. Antonius, & quæ tamen post emendationem Romanam supersunt, vide citata in notis subjectis *Dial.* 18. *lib.* 1. Antonii Augustini de emendatione Gratiani, & in Summa S. Antonini *p.* 4. *tit.* 11. *cap.* 8.

His, aliisque rationibus moti eruditiores passim tam Theologi quàm Canonistæ, idem plane judicium de relatis à Gratiano Conciliorum & Pontificum decretis, SS. Patrum, aliorumque auctorum sententiis proferunt post Romanam editionem emendatam, quale ante eam datum fuit ; nimirùm singula, quæ in eo comprehensa sunt, ad suos fontes & origines revocanda esse ; eo quod, ait Andreas Vallensis *in proœmio Paratitlorum decretalium*, §. 8. *num.* 12. ratione auctorum, è quibus decreta desumuntur, major vel minor sit eorum auctoritas.

Vallensi succinit alter Academiæ nostræ doctor Henricus Zoesius, in Præfatione ad Decretales num. 10. qui ibidem ostendens Decretum Gratiani à nullo Pontifice probatum, ait: » Neque item rectè quis allegaverit, Decretum à Gregorio XIII. » emendatum, retinere jussum, eique addi, aut detrahi quid » vetitum esse : nam hoc nihil ad confirmationem singulorum eo » contentorum, & non alio fine id factum, quam ut fides sit » penes auctorem ; nec alia Canonum ibi contentorum est auc-» toritas, quam fontium unde emanârunt. «

Sed ut nostrates Theologos, Canonistasque prætereamus, quid ipsi Romani, etiam recentiores sentiant, audiamus.

Fagnanus ad *cap.* 1. ✠ *de Constitut. num.* 38. probat opinionem Joannis Andreæ, quod generaliter decreta Conciliorum decretales & leges civiles à Gratiano ibidem insertæ, non aliam habeant auctoritatem, quàm leges ipsæ, decreta vel decretales.

Et latius Cardinalis de Luca in *Annotat. ad Concilium Trident. discursu* 28. *num.* 8. Decretum Gratiani non habet vim legis per se, utpote continens privatam collectionem plurium sententiarum SS. Patrum, sive aliquorum decretorum Conciliorum Generalium vel Provincialium ; necnon registrationem aliquarum legum civilium, quæ antiquitus ante inventionem vel communem receptionem, seu usum totius corporis civilis juxta compilationem Justiniani, sparsim circumferebantur, per manus aliquorum eruditorum, sive registrata habebantur in codice confecto per Gothicos Reges, qui in aliquibus Hispaniæ partibus regnabant ; atque eatenus aliqui ex dictis Canonibus vim legis habent, quatenus per se eam auctoritatem circumferebant, ut sunt decreta aliquot Conciliorum, sive illæ sanctorum Patrum Traditiones, quas Ecclesia recepit.

His uno penè calculo subscribunt tam Theologi quàm Canonistæ ; negantes auctoritatem juris volumini, quod & hodie post repurgationem factum, mendis erroribusque non paucis scatere sciunt.

* Agnoscunt tamen Canonistæ peritissimi opus aliquod à privatis viris doctissimis collectum & in ordinem redactum, Ecclesiæ aut Principis auctoritate posse probari, & quæ in eo contenta sunt vim legis obtinere ; sed illud jus & hanc prærogativam Decreto Gratiani competere negant. Quippe contendunt nec Gregorium XIII. nec alium quemvis summum Pontificem unquam edixisse de contentis in Decreto Gratiani, quod de *Institutionibus* juris civilis, quas privati quidem homines compilârunt, dixit Justinianus in procœmio Institutionum §. 6. *Et legimus & recognovimus & plenissimum nostrarum constitutionum* Robur *eis accomodavimus* : sed solùm jussisse, ne Decreto emendato quidquam adderetur, aut detraheretur, vel immutaretur : quod & de alio quocumque opere verè enuntiari & statui posset.*

CAPUT XII.

Quædam observanda circa Decretum Gratiani.

PRimò notandum circa hoc Decretum, quod Gratianus hoc suum opus demum composuerit & ediderit circa medium seculi XII.

Porrò scitur, eo tempore in pretio fuisse collectionem Pseudo-Isidori, cui insertæ erant falsæ decretales primis Pontificibus suppositæ, aliaque plura fictitia monumenta, necnon Canones Conciliorum in alienum sensum detorti.

Insuper & hoc constat, ætate Gratiani has falsas decretales, nec non reliqua fictitia monumenta tamquam authentica fuisse recepta, atque in illis expressam disciplinam pro disciplina Ecclesiæ & jure ecclesiastico notanter in Academia Bononiensi, agnitam.

Hinc factum est, quod Gratianus non tantùm has epistolas decretales, aliaque conficta monumenta, necnon corruptos, aut contortos Canones, ut authentica & sincera reputaverit, prout in collectione Pseudo Isidori, apud precedentes Canonum collectores, puta, Burchardum, Ivonem, &c. extabant, & illis ut talibus usus fuerit ; sed insuper disciplinam & praxim, quæ auctoritate horum falsorum monumentorum invaluerat, tanquam avitam & sinceram Patrum Canonicam disciplinam proposuerit, & propugnandam sive confirmandam censuerit.

Hinc ulteriùs contigit, Gratianum plurimos Conciliorum Canones, necnon veterum Pontificum decreta, puta Sanctorum Leonis, Gregorii, &c. Sanctorum quoque Patrum & aliorum sententias, quibus sincera & verissima disciplina per octo ut minus secula conservata, legebatur expressa, frequenter in alienum sensum vel aliqua detrahendo, vel addendo, aut etiam immutando, ad sui temporis disciplinam à pristina Patrum disciplina omninò alienam & diversam inflexisse. (g) Ad hæc dubio malè merentur, qui priscos mores præsentis temporis consuetudine metientes, omnem veterum disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea persuasione decepti, quod nihil unquam

(g) Veteris Ecclesiæ mores (inquit Card. Bona rer. Liturg. *lib.* 1. *cap.* 1.) ex præsentibus æstimandi non sunt... De sacris Ecclesiæ ritibus, eorumque veneranda antiquitate, illi procul

hæc volens Gratianus Canones, & Patrum dicta cum fragmentis falsarum decretalium, & aliis confictis monumentis conciliare, conciliandi rationem à Canonum, & Patrum sententiis prorsus dissonam sæpiùs impendere coactus fuit. Ex hæc autem conciliandi ratione non semel contigit, ut novum jus & Patribus ac auctoribus octo ut minimum seculis ignotum, obtruserit, quod tandem huic Decreto insertum, quasi pro jure etiam antiquitùs usitato auctoritate Gratiani receptum fuit.

Imò Gratianus exhibens Canones, aut decreta Pontificum, cernensque hæc non congruere praxi, & disciplinæ, quæ auctoritate falsarum Decretalium suo tempore invaluerat, conciliandi rationem subjecit, quæ non tantùm erat incongrua, sed evidenter dictis Pontificum & Patrum erat contraria, & omnem in illis expressam Ecclesiæ disciplinam evertebat.

Secundò notandum tempore Gratiani, ordinem judiciorum ad normam juris civilis in Ecclesiasticis Tribunalibus cœpisse sensim invalescere, atque ad eandem normam causas ecclesiasticas per Judices eclesiasticos instrui & dijudicari.

Huic praxi se accommodans Gratianus plura ad hunc ordinem judiciarium forensem, primitùs in ecclesiasticis judiciis inusitatum, spectantia, præcipuè ex jure civili desumpta, suo Decreto inseruit, quæ nullatenus ad disciplinam Ecclesiæ, in pristinis Canonibus & Patrum scriptis expressam, conducunt; sed unicè ad usum forensem, qui posterioribus seculis auctoritate præsertim falsarum Decretalium, & accedente Judicum ecclesiasticorum cupiditate summopere increbuerat.

Prætererea Gratianus ad exemplum Pseudo-Isidori, & illius ætatis auctorum, huic Pseudo-Isidori collectioni insistentium, omnia quæcunque reperit, quæ ad extendendam jurisdictionem ecclesiasticam atque Clericorum à foro seculari exemptionem conducere videbantur, sine ullo penè examine impendit; quin eundem in finem Canones nonnunquam & leges in alienum sensum detortos & mutilatos retulit; atque hinc in pluribus a Patrum disciplina & pristino Ecclesiæ regimine recessit: & variis quæstionibus ac controversiis Patrum ætate ignotis occasionem subministravit, prout in reflexionibus ad hoc Decretum notabitur.

Interim & hoc fatendum est, quod his non obstantibus in Decreto Gratiani inter omnia illa apocrypha & in alienum sensum detorta, reperiantur Canones, & Patrum sententiæ, in quibus ipsa pristina Ecclesiæ disciplina optimam Ecclesiæ regendæ rationem repræsentans exhibetur.

Proinde si hi Canones, & Patrum dicta separatim attendantur ab apocryphis & contortis, & interpretationibus, ac conclusionibus Gratiani à Canonum & dictorum Patrum sensu alienis, hoc Decretum Gratiani præ cæteris partibus & libris, quibus constat hodiernum Corpus Canonicum, utile esse poterit ad assequendam notitiam disciplinæ, quam Ecclesia in suis Canonibus seu Regulis jam pridem præscripsit, & quam Ecclesia semper retinendam optavit, & etiamnùm hodie optat, in quantum temporum & locorum circumstantiæ permittunt, intactam conservari, atque ubi collapsa est, restitui; optans etiam ut Prælati Ecclesiæ reformationi allaborantes eam restaurent, & revocent ad praxim.

Certum enim est, quòd Gratianus in pluribus referat Canones Conciliorum, necnon sanctorum Patrum dicta, quibus revera pristina Ecclesiæ disciplina continetur; & è quibus hæc oriri potest, modò quæ recentiori manu vel per Pseudo Isidorum aliumve recentiorem Canonum collectorem, aut etiam per ipsum Gratianum non sat novam, ac recentiorem disciplinam, à Patrum disciplina secernentem addita, aut intermixta sunt, resecantur.

Proinde non sine fundamento Decreti Gratiani prælectio, præ reliquorum juris canonici librorum prælectione, puta, Decretalium Gregorii IX. & sequentium Pontificum utilior & convenientior apparuit.

Hoc motivo inductus fuit Philippus II. Rex Catholicus, ut erectis in hac Academia pluribus juris canonici prælectionibus, tandem illis de novo adjunxerit prælectionem Decreti Gratiani; idque ut hâc prælectione collapsa Patrum disciplina restaurari posset, ut probant litteræ Ducis Sabaudiæ Gubernatoris Belgici nomine Regis datæ ad Collegium Doctorum Juris 22. Aprilis 1557. in quibus inter cætera hæc leguntur: » Honorabiles, » docti & sincerè dilecti. Cùm serenissimus Rex Dominus & » cognatus noster observandus pro sua in bonarum disciplinarum, & præsertim jurisprudentiæ studiis provehendis propensione, nonnullorum Professorum stipendia augenda duxerit, novasque quasdam lectiones institui mandare cupientes, » jussimus pro singulis litteras pro obtinenda debita stipendiorum solutione congruas expediri. Verùm cum præ cæteris » Majestati suæ cordi sit, ut novæ lectioni Decretorum rectè » provideatur. *Quam Majestas sua pro horum temporum* (*quibus* » *disciplina Ecclesiastica graviter convellitur*) *necessitate cupit ad primæ vam, genuinamque suam revocari originem, sicut magis ad Ecclesiæ ædificationem, quàm litium, judiciorumque disceptationem dirigatur*; dum diù multumque ad » eam provinciam idoneus quispiam quæsitus esset, tandem » Majestas sua ob singularem Petri Xemenii commendationem, » illum quantumvis reluctantem eò impulit, ut conditionem eam » susciperet, circa quem quidem ea suborta fuit difficultas, » quod duntaxat Baccalaureus ens sit in jure canonico, & altiorem gradum, docendique auctoritatem non haberet: verùm » non visum fuit hoc impedimentum tàm egregium institutum » debere remorari; & uti Regia Majestas de eo cum ipso » dispensavit, sic etiam vos non gravatè eum ad hanc possessionem admissuros esse confidimus, eâ tamen conditione ut intra annum à die cœptæ possessionis Doctoralia insignia recipiat. Cùm hæc autem lectio non minus Theologiæ » operam dantibus quàm juris canonici studiosis utilis futura » videatur, talem ei horam asignari à vobis volumus, quæ » utrisque sit accomodata. «

Huic lectioni hodiè destinata est hora decima matutina; quæ cum frequentissimè per publicas disputationes, sive juridicas, sive theologicas occupetur, contingit, ut hæc lectio frequenter vel intermittatur, vel præsertim à Theologis frequentari nequeat; ut proinde ad mentem Regis potiùs ei assignanda esset hora, quâ nulla in jure canonico, aut theologia prælectio habetur.

De sancto Carolo Archiepiscopo Mediolanensi in ejus vita legitur: » Ea Canonum scientia ipsi perjucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ, » atque ordinandæ rationem continet: dolens autem eos communi consuetudine tantummodo Canones ad interpretandum » seligi, qui ad lites, judiciaque valent, constituit ipse, qui » iis declarandis præesset, unde sacra majorum instituta & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur. «

Quantopere hic sanctissimus, ac vigilantissimus Præsul pro reducenda avita Patrum disciplina solicitus fuerit, eamque in multis tandem reduxerit, ejus acta, ac notanter in Conciliis Provincialibus sub ipso celebratis decreta abundè probant.

Cùm verò tùm temporis passim juventuti in scholis præter Decretales Gregorii IX. aliorumque Pontificum nihil prælegeretur, neglecta Decreti Gratiani prælectione, unde Patrum disciplina aliquatenus hauriri posset, non dubium quin S. Carolus exemplo sui Regis Catholici Philippi II. hujus Decreti prælectionem instauratam voluerit; atque proinde dùm auctor vitæ dixit: Constituit ipse, qui iis declarandis præesset, unde » sacra majorum instituta & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur; » non alium intellexerit, quam qui decretum Gratiani prælegeret.

* At utilis erit Decreti Gratiani lectio, modò ea fiat cum discretione, adeò ut non indifferenter fides habeatur iis omnibus, quæ ab eo referuntur quasi sincera essent illorum Conciliorum, Pontificum, Patrum, aliorumque Auctorum verba, sub quorum nomine proferuntur; modò etiam fragmenta nonnunquam cum suo textu integro conferantur; quippe superiùs monui, quòd non semel contigerit, fragmentum, quod Gratianus è reliquo contextu rescidit, alterum vel obscuriorem sensum reddere, quàm eum quem totus contextus exprimit.

Id unum hîc monendum censui; non mox ut apocryphum aut falsum esse rejiciendum, quod à Gratiano relatum est; eò quod hodie sub nomine Synodi vel Auctoris, è quo Gratianus citat, non reperiatur; cùm certum sit, multa vera esse, quæ temporum vetustas nobis subtraxit; aut hactenus nos celavit. Quidni enim quædam Gratianus sua ætate vidisse potuit, quæ vel temporum injuria perierunt, vel sub pulvere Bibliothecarum hactenus delitescunt.

Utque id possibile esse ostendatur, duo exempla à Stephano Baluzio in notis ad Dialogòs Antonii Augustini appositis relata, accipite.

Gratianus 7. *quæst.* 1. *in principio* citavit Canonem ex Concilio apud *Arverniam* celebrato, uti etiam fecerant antea Burchardus & Ivo; sed cùm hunc Canonem in vulgatis Concilii Arverniensis Canonibus non inveniret Antonius Augustinus, eum verò inter Canones Concilii Aurelianensis V. reperiisset; Antonio Augustino visi sunt reprehensione digni Gratianus aliique

quam ab his usibus diversum fuerit, quos à parentibus & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt. Quod si aliquando priscorum Patrum monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt, obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsenti compartantes; & si forte in aliqud incidunt, quod ab hodiernis ritibus discrepet, subsistunt & nutant, vel inconsulto respuentes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes, quidquid à suis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quot fit ut in maximos errores, inque rituum Ecclesiaticorum confusissimam perturbationem labantur, quia nimirum illorum causas & fundamenta, ac ipsasmet definitiones ignorant, quas benè percipere nemo potest, nisi ideam & imaginem antiqua disciplinæ in mente habeat.

que Collectores ; virga igitur censoria eos notavit , eò quod perperam Concilio Arverniensi attribuerint Canonem , qui à Synodo Aureliana V. fuit conditus. Non viderat profecto vir eruditus Synodum Arverniensem II. cujus exemplar , quod extat Tolosæ in Bibliotheca Fuxensi , edidit Jacobus Sirmondus : in hoc exemplari legitur Canon à Gratiano , Burchardo , & Ivone relatus , iisdem verbis eodem sensu expressus. Consulatur *tom.* 5. *Concil. edit. Labb. col.* 401.

Alterum exemplum occurrit in *Can.* 4. *caus.* 1. *quæst.* 3. cum hac inscriptione relata à Gratiano : *Ex Concilio Urbani Papæ habito Arverniæ.* Hunc Canonem cum Jacobus Sirmondus non deprehendisset inter vulgatos Canones illius Synodi , sed eum legeret inter Canones non editos Concilii , quod exeunte seculo XI. Urbanus II. apud Nemausum habuit , admonuit Sirmondus in Antirrhetico secundo adversus Petrum Aurelium *pag.* 97. falsam esse ejus Canonis inscriptionem apud Gratianum , eumque esse restituendum Concilio Nemausensi. At injuste Gratianum falsæ inscriptionis accusatum fuisse patuit; quippe ex vetustis manuscriptis innotuit , hunc Canonem revera editum fuisse in Concilio Claromontano , apud Arverniam sub Urbano II. & deinde in Synodo Nemausensi renovatum. Legantur notæ Gabrielis Cossartii *tom.* 10. *Conc. col.* 590. (*h*) *

CAPUT XIII.

Quis sit præcipuus scopus reflexionum in Gratianum.

QUantumvis plures viri eruditi jam pridem allaboraverint, idque non sine fructu in corrigendis erratis Gratiani , puta , Correctores Romani , Antonius Contius , Antonius Augustinus , de quorum opera in hac correctione adhibita hac præfatione egimus ; nihilominus plurima adhuc superfuisse corrigenda à pluribus notatum fuit , eaque , quantum potui , in his reflexionibus annotare studui ; quin tamen viri eruditiores, & in criticis magis versati adhuc plura sint reperturi non dubito, quin & opto , ac spero quod ea , quæ adhuc desunt , sint suppleturi ; atque tandem hoc opus ab erratis , & apocryphis plenè purgatum juventuti prælegeretur.

Quantum verò ad Canones , quos vel truncatos , vel in alienum sensum detortos , aut auctoribus non suis adscriptos notavi , pro eorum sincera lectione , & genuino sensu ad ipsos Canones remittendum lectorem brevitatis causa censui , una tamen notans , in quo à sensu Canonis recedat Gratianus ; quemadmodum & nonunquam ad integra Patrum aut aliorum auctorum scripta , quorum fragmenta Gratianus retulit ; idque frequenter nonnullis additis aut detractis , quæ sensum eorum redunt vel obscuriorem , vel à mente & sententia auctoris alienum.

In hoc autem præ reliquis collimavi , ut ex his , quæ in Gratiano leguntur , excerperem & annotarem , quæ pristinam & SS. Patrum Ecclesiasticam disciplinam exprimunt sive representant , & qualiter ab hanc Patrum disciplina Gratianus deflexerit, quidque Gratiano occasionem dederit ab ea deflectendi.

Insuper singulatim studui annotare puncta , circa quæ occasione Gratiani nova ac recentior invaluerit disciplina pristinis seculis incognita.

Qui decretum Gratiani attentiùs perlegerit , diffiteri non poterit in eo etiam hodie nonnulla admodum perniciosa , & scandalosa ocurrere asserta & principia , quæ omninò cavenda monui , & quantum scandali adversariis Ecclesiæ nostræ dederint , ostendi ; ut proinde non immeritò cogitaretur , ut interim , donec à similibus Decretum ilud esset totaliter expurgatum , publicâ auctoritate potiùs prælegeretur Codex Canonum , vulgò *Dionysii Exigui* , jam pridem ab Ecclesia Romana receptus , & ab Adriano I. Papa Carolo Magno tanquam Codex Canonum , quo Ecclesia Romana utebatur , oblatus , in scholis prælegeretur : cui addi possent illa , quæ à posterioribus nostris Synodis pro temporum & locorum conditione addita fuere ; quemadmodum & prælectioni Juris Romani necessario, vel saltem admodum utiliter Principum edicta , nec non receptæ Provinciarum consuetudines adduntur. De hujus codicis auctoritate & receptione videri poterunt , qua dicta sunt in Tractatu in Canones *p.* 3. *c.* 1.

(*h*) Hæc desumpta sunt ex Tractatu , qui *Canonico historicus* dicitur, quem D. Van Espen adornavit Scholiis in Canones.

BRE-

BREVIS COMMENTARIUS
AD PRIMAM PARTEM
DECRETI GRATIANI
Constantem centum & unâ Distinctionibus.

GRatianus inchoando opus suum, præmittit: *Ac primum de Jure divinæ, & humanæ constitutionis.*

Porrò notant hic Correctores Romani verbo, *ac primum*: » Hoc loco in manuscriptis » codicibus magna est varietas. « Post hæc annotatis variantibus lectionibus, tum in manuscriptis, tum in editis codicibus Gratiani occurrentibus, incerti, quæ inter has variantes lectiones magis conveniret textui Gratiani, subjungunt: » Verumtamen in hac » tanta varietate, quæ, ut aliæ conjecturæ mittantur, argumen- » to esse potest, nullam hic à Gratiano ipso positam esse ru- » bricam; satis visum est, retentâ vulgatâ lectione cæteras » indicare. «

Ex his habemus, prout in præfatione notavimus, admodum incertum esse, quæ huic operi, prout hodie habetur, à Gratiano sint inserta.

Notandum præterea, quod Gratianus hanc suam partem Decreti dividat in Distinctiones, quasi in totidem titulos, hisque præmittere soleat quasi quandam præfatiunculam, qua indicet, quid sub titulo, seu distinctintione tractare, seu discutere intendat.

DISTINCTIO I.

De jure naturale, & humano.

PRimæ distinctioni, seu primo titulo præmittitur hæc præfatiuncula; » Humanum genus duobus » regitur, naturali videlicet jure, & moribus. Jus » naturale est, quod in lege & Evangelio continetur, quo quisque jubetur alii facere quod sibi vult » fieri: & prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri: unde Christus in Evangelio; *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: hæc est enim Lex & Prophetæ.* « Matt. cap. 7.

Hâc præfatiuncula non obscurè indicat Gratianus, scopum suum esse, hac distinctione notare differentiam inter jus naturale & humanum.

In probationem hujus differentiæ adducit Can. 1. verba S. Isidori Hispalensis *ex Lib. 5. Etymol. cap. 2.* » Omnes leges, aut divinæ sunt, aut humanæ: Di- » vinæ naturâ, humanæ moribus constant; ideoque hæ » discrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent. *Fas*, » Lex divina est: *Jus*, Lex humana: transire per » agrum alienum fas est, jus non est. « Relatis his verbis Isidori concludit Gratianus: » Ex verbis hu- » jus auctoritatis evidenter datur intelligi, in quo differant inter se Lex divina, & humana, cum omne » quod *fas* est, nomine *divinæ* vel *naturalis* legis accipiatur: nomine verò legis humanæ mores jure conscripti, & traditi intelligantur. «

Quid per fas & nefas intelligatur.

Nequaquam obscurum est, Gratianum *legem divinam*, quasi legem *naturalem* reputâsse: ideoque, dum dicit ex Isidoro: *Fas lex divina est*, voluisse dicere, omne, quod legi divinæ, seu juri *naturali* conforme est, *fas* dici: quod verò ei repugnat *nefas* esse; quemadmodum veteres Gentiles etiam sumpsisse hæc verba, *fas* & *nefas*, ostendit Joannes d' Artis ad hanc Gratiani distinctionem: ibidemque notat ex Virgilio, quòd, sicuti jus naturale dicitur immutabile & æternum, ita & *Fas* immutabile, & æternum dictum sit: » Hujus rei hæc ratio, inquit, reddi potest, » quia, ut ait Philo Judæus, *Lib. de Abrahamo*, cum » olim ante leges omnes etiam Mosaïcas, nondum dicta essent nomina delictorum, aut egregie factorum, nec pœna ullæ constitutæ, aut præmia, sed » prisci illi homines ordinem naturæ sequerentur, quæ » lex procul dubio antiquissima omnium; ipsi eam » jus summum, *fasque* putaverent, & consequenter, » quod esset contra naturam *nefas*: ideoque duobus » tantum illis verbis bona & mala opera designabant, » *fas* & *nefas*, fandum & nefandum aut abominan- » dum. «

Itaque videbatur Gratianus, post notam ex Isidoro hanc inter jus humanum & naturale differentiam, huic distinctioni finem imponere potuisse; quandoquidem in præfatiuncula distinctioni præmissa, id unum hâc distinctione ostendere se velle dixerat.

Verùm Gratianus more suo à scopo sibi præfixo facilè recedens, Canoni I. hanc clausulam subnectit: *Est autem* Jus *generale nomen multas sub se continens species.*

Conformiter ad hanc clausulam hac distinctione verbis ex prædicto libro S. Isidori desumptis, plures species juris describit, quæ magis ad jus civile, quàm Ecclesiasticum spectant, & quæ distinctiùs & conformiùs ad ipsas leges exponuntur per interpretes juris civilis ad titulos *de origine Juris*: item *de legibus, & constitutionibus* &c.

Inter hæc tamen notandus Can. 12. in quo ex Isidoro Hispalensi hæc leguntur: » Jus Quiritum est pro- » priè Romanorum, quod nulli tenent nisi *Quirites*, » id est *Romani*. «

Circa hoc notandum, quod Isidorus hæc præscripserit sub initium VII. aut finem seculi VI. quando jus illud *Quiritum* sive *Romanorum* nondum projure communi extra imperium Romanum erat receptum.

DISTINCTIO II.

De speciebus juris civilis.

DIstinctione secunda progreditur Gratianus exponere varias species Juris civilis; idque rursus verbis ex libris S. Isidori desumptis; quæ etiam magis ad Jus civile quàm ecclesiasticum, seu canonicum spectant, uti & notavit d' Artis ad hanc distinctionem; & de his latius & exactiùs tractatur à Commentatoribus Juris civilis sive Romani ad titulos supra notatos. Id unum hic notandum, quod Gratianus Canone 7. dicit de lege, quam *Satyram* vocat.

Quid lex satyra.

Satyra, alias *Satura*, ut habet nota marginalis, *Lex est, quæ de pluribus rebus loquitur, dicta a copia rerum & quasi saturitate.* Itaque Lex *Satyra*, seu potius *Satyra* dicta fuisse videtur ea, quæ de pluribus simul rebus condita, vel ex multis aliis legibus confecta est.

Hanc improbabant Romani.

Id admodum periculosum existimabant Romani; unde in legum sanctione, teste Festo, adscribebatur: *neve per Saturam abrogato aut derogato*, quod & hic notârunt Correctores Romani.

Ad hæc verba Festi reflectens Dartis ait: » Ex hoc » loco Festi colligas, quanta prudentia cautum esset, » ne leges de pluribus rebus diversis, sive quæ non » essent ejusdem generis, simul una rogatione ferren- » tur, ne sic aliqua sine discretione reciperetur, sed » unaquæque res seriò examinaretur.“

Multo magis improbanda in decretis Ecclesiasticis præsertim dogmaticis.

Id si respectu Legum civilium, & politicarum meritò cautum fuerit, quanto magis servandum in legibus, decretis vel constitutionibus Ecclesiasticis, præsertim dogmaticis, id est, dogmata vel materiam fidei spectantibus; ut ita singula dogmata clarè, & distinctè, ac singulatim prævia diligenti discussione proponantur, ut in eorum expressione nulla de sensu dubietas oriri possit: ne alias contingat ex eorum obscuritate fideles in varios circa dogmata sensus distrahi.

DISTINCTIO III.

Quid Canon.

CUm in duabus præcedentibus distinctionibus egisset Gratianus de Legibus civilibus, hac tertia incipit nonnulla subjicere de Legibus Ecclesiasticis, ut ipse monet ad initium distinctionis, aitque: » Eccle- » siastica constitutio *Canonis* nomine censetur. Quid » autem Canon significat, subjicit *Can.* 1. & 2. ex Isi- » doro dicens: *Canon* græcè, latinè *Regula* appella- » tur. Regula dicta est, ab eo quod rectè ducit, nec » aliquando aliorsum trahit: alii dixerunt Regulam dic- » tam vel quod regat, vel quod normam rectè vivendi » præbeat, vel quod distortum pravumque corrigat.“

DISTINCTIO IV.

Scopus legum civilium.

HAc distinctione prosequens ex Isidoro materiam legum civilium, ait *Can.* 1. » Factæ sunt leges, » ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque » sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis » formidato supplicio refrænetur nocendi facultas.“

Requisita ad justitiam, & æquitatem legum.

Deinde monet *parte* 2. hujus distinctionis, » quod » in ipsa constitutione legum, maximè qualitas consti- » tuendarum sit observanda, ut contineant in se ho- » nestatem, justitiam, possibilitatem, convenientiam » & cætera, quæ in eodem libro Isidorus enumerat.“

Post hæc subjungit *Can.* 2. verba Isidori, in quibus hæc finalia notanda, præsertim pro lege Ecclesiastica » *Manifesta* quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.“

Parte 3. Distinctionis monet; » Ideo in ipsa cons- » titutione ista consideranda sunt; quia cum leges ins- » titutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipsis, sed » oportebit judicare secundum ipsas. Id probat *Can.* 3. » verbis Sancti Augustini: In istis legibus temporali- » bus, quanquam de his homines judicent, cum eas » instituunt, tamen cum fuerint institutæ & formatæ » non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum » ipsas.“

De necessaria legum publicatione.

Deinde ad calcem hujus Canonis subjungit: » Le- » ges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum » moribus utentium approbantur: sicut enim moribus » utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abro- » gatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confir- » mantur.“

Quod hîc asserit Gratianus, *leges instituì cum promulgantur*, eatenus verum est, tam de Ecclesiasticis, quàm civilibus, & politicis legibus, quod non obligent eos, pro quibus feruntur, priusquam ita ritè fuerint promulgatæ, ut vi illius promulgationis possint hi, quos lex concernit, in certam & publicæ auctoritati innixam notitiam devenire, uti latius exposui in Tractatu *de promulgatione Legum*, *Parte* 1. *cap.* 1. §. 1. & 2.

Quo sensu firmitas legum à moribus utentium dependeat.

Quod verò addit Gratianus: *Firmantur, cum moribus utentium approbantur, &c.* sano sensu intelligendum est: certum enim est leges vim suam habere, postquam institutæ, & ritè promulgatæ sunt, etiam priusquam moribus utentium fuerint approbatæ; tametsi ex earum observantia postmodum illarum utilitas & necessitas amplius se manifestet; atque eatenus dici queat, *leges moribus utentium firmari.*

Adducta à Gratiano sub nomine Telesphori Papæ & SS. Ambrosii ac

Quod Gratianus ulteriùs asserit, quasdam leges hodiè *moribus utentium in contrarium esse abrogatas*, verum est, sed in hujus probationem parum valet, quod *Can.* 3. adducit sub nomine Telesphori Papæ: hanc enim decretalem esse è suppositiis Pseudo-Isidori mercibus, omnibus eruditis hodie persuasum est.

Interim in hoc suppositito Decreto illud notandum, ibidem statui, » ut septem hebdomadas plenas » ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Do- » mini vocati à carne jejunent, hac subjecta ratione, » quia sicut discreta esse debet vita Clericorum à lai- » corum conversatione; ità in jejunio debet esse dis- » cretio.“ *Gregorii apocrypha sunt.*

Huic decreto subjungit Gratianus *Can.* 4. sub nomine Ambrosii in *libro sermonum.* Verùm vel solum decretum hic sub nomine Telesphori citatum sufficienter probat hunc sermonem meritò referendum inter sermones S. Ambrosio falso adscriptos; quales plurimos ei falso adscriptos esse monet Bellarminus de *scriptoribus Ecclesiasticis.*

Similiter fragmentum relatum sub nomine S. Gregorii *Can.* 5. non esse hujus Pontificis notarunt Eruditi Monachi Benedictini operum S. Gregorii revisores, qui hoc fragmentum ad calcem Epistolarum col. 1302. ponunt sub hoc titulo, *fragmenta Epistolarum, quas Gratianus Gregorio tribuit.*

Illud autem quod hic rursus asserit, *leges confirmari moribus utentium*, non ita intelligi debet, quasi Principum leges de quibus agit Gratianus, demum obligarent postquam moribus utentium fuerint firmatæ; quandoquidem sciatur, in statu monarchico leges suam vim, & effectum accipere à voluntate Principis, non à voluntate populi; sed hoc verum est, quod ex moribus utentium, sive spontanea populi observantia, lex queat dici firmari, quatenus inde intelligitur legem hanc populo videri planè congruere, uti supra dictum est.

DISTINCTIO V.

Jus naturale immutabile.

INitio distinctionis hujus monet Gratianus: » Hæc » quæ de privilegiis, & cæteris infra positis scripta » sunt, tam secularibus, quam Ecclesiasticis legibus » conveniunt: nunc ad differentiam naturalis juris, & » cæterorum revertamur. Naturale jus inter omnia » primatum obtinet tempore & dignitate. Ut id pro- » bet, subdit: Cœpit enim (naturale Jus) ab exordio » rationalis creaturæ, nec variatur tempore, sed im- » mutabile permanet.“

Objectio contra juris naturalis immutabilitatem.

Verum contra hæc, ac notanter contra assertam naturalis juris *immutabilitatem* format sibi Gratianus hanc objectionem: » sed cùm naturale jus in lege & » Evangelio supra dicatur esse comprehensum; quæ- » dam autem contraria his, quæ in lege statuta sunt, » nunc inveniantur concessa, non videtur, jus natu- » rale immutabile permanere.“

Quod autem in lege divina quædam præscripta mutata sint, probat Gratianus duobus exemplis ex lege Mosaïca desumptis dicens: » In lege namque præci- » piebatur, *ut mulieri, si masculum pareret, qua- » draginta, si verò fœminam, octuaginta diebus à » templi cessaret ingressu*: Nunc autem statim post » partum Ecclesiam ingredi non prohibetur: item » mulier quæ menstrua patitur, ex lege immunda esse » reputabatur; nunc autem nec statim intrare in Ec- » clesiam, nec sacræ Communionis mysteria percipe- » re; sicut nec illa quæ parit, vel illud quod gignitur » statim post partum baptizari prohibetur.“

Pro harum legum abrogatione seu cessatione adducit Gratianus quatuor Canones, sive fragmenta responsionis sancti Gregorii ad decimam interrogationem Augustini Anglorum Episcopi, quæ integra unà cum aliis interrogationibus & responsionibus ac epistola extat inter hujus Pontificis epistolas in editione Benedictinorum *lib.* 10. *epist.* 14.

Solutio objectionis.

In hac responsione latius adstruit Gregorius, legem Mosaïcam de *ingressu mulierum in templum vetito* post partum, tanquam legem mere cæremonialem esse abrogatam: unde sine ulla hæsitatione scribit: » Si mu- » lier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat » Ecclesiam, nullo pondere peccati gravatur.“

Idipsum & de mulieribus, quæ menstrua patiuntur, dicendum esse asserit: addit tamen, quòd si ex veneratione ab Ecclesia abstinere voluerint, non esse prohibendas.

Secundum hæc respondit Innocentius III. Archiepiscopo Armachano, qui ipsum interrogaverat, *utrum mulieres statim post partum debeant Ecclesias ingredi, vel ab earum ingressu per dies aliquot abstinere?* » Quod postquam umbra legis evanuit, & illuxit ve- » ritas Evangelii, si mulieres post prolem emissam ac- » turæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nulla pro- » inde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum eis » ad-

» additus est denegandus, ne pœna illis videatur verti » in culpas.«

Addit insuper & hanc clausulam conformiter ad responsum Sancti Gregorii à Gratiano relatum: » Si » tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstine- » re, devotionem earum non credimus improban- » dam. «

Cùm autem mulieres passim ad tempus ex veneratione abstinerent, idque exemplo beatæ Virginis, licet huic legi purificationis legalis non subjectæ, tandem invaluit, ut mulieres per aliquod tempus ab ingressu Ecclesiæ abstineant, & quasi purificationis diebus impletis, cum prævia sacerdotali benedictione in Ecclesiam inducuntur: qui ritus & hodie *Purificatio post partum* dici solet. De quo latiùs in jure ecclesiastico *part. 2. tit. 2. cap. 5.*

DISTINCTIO VI.

Illusio nocturna an & quando à susceptione corporis Domini, aut ejus oblatione impediat.

GRatianus initio hujus distinctionis ait: » Quia » verò de naturæ superfluitate sermo haberi cœ- » pit, quæritur an post illusiones, quæ per somnium » solet accidere, vel corpus Domini quilibet valeat » accipere, vel si sacerdos sit, sacra mysteria cele- » brare. «

De hac re undecima fuerat Augustini Anglorum Apostoli interrogatio proposita sancto Gregorio, habeturque ad eam responsio sancti Gregorii sat prolixa, è qua duo fragmenta refert Gratianus, *Can.* 1. & 2. in quorum primo resolvit sanctus Gregorius solicitè inquirendum unde hæc illusio nocturna oriatur, de qua latius tractare solent Theologi, qui casu occurrente consulendi.

Interim ex responso sancti Gregorii habetur, ipsum existimasse majorem carnis munditiam requiri ad sacrificandum, quam ad simpliciter communicandum: postquam enim dixisset: » Cum è naturæ superflui- » tate vel infirmitate evenit, omninò hæc illusio non » est timenda; quia hanc animus nesciens pertulisse » magis dolendus est, quam fecisse: deinde subjun- » git; cum vero ultra modum appetitus gulæ in su- » mendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum » receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem » reatum, non tamen usque ad prohibitionem perci- » piendi sacri mysterii, vel Missarum solemnia ce- » lebrandi; cum fortassè aut dies exigit, aut exhibe- » re mysterium pro eo, quod Sacerdos alius in loco » deest, ipsa necessitas compellit: nam si adsunt alii, » qui implere mysterium valent, illusio per crapu- » lam facta à perceptione sacri mysterii prohibere non » debet, sed ab immolatione sacri mysterii, abstine- » re, ut arbitror, humiliter debet. «

Utinam id attenderent varii superiores, præsertim regulares, qui suos ad quotidie celebrandum adigunt, unico sæpè motivo, ut plura Missarum honoraria habere queant.

Gratianus solutionem objectionis contra juris naturalis immutabilitatem distinctione præcedente motæ, demum attulit ad calcem hujus distinctionis; eo quod & hac distinctione de eadem lege Mosaica jam abrogata agere intenderet.

Abrogatio Legis Mosaicæ non officit juris naturalis immutabilitate.

Huic ergo objectioni respondet Gratianus: » In » lege & Evangelio naturale jus continetur; non ta- » men quæcunque in lege & Evangelio inveniuntur, » naturali juri cohærere probantur. Sunt enim in lege » quædam moralia præcepta, ut, *non occides*: quæ- » dam mystica, ut pote sacrificiorum præcepta, ut » de agno, & alia similia his. Moralia mandata ad na- » turale jus spectant, atque ideo nullam mutabilita- » tem recepisse monstrantur. Mystica verò, quan- » tum ad superficiem à naturali jure probantur alie- » na: quantum ad moralem intelligentiam, inve- » niuntur sibi annexa; ac per hoc, etsi secundum » superficiem videantur esse mutata, tamen secun- » dum moralem intelligentiam mutabilitatem nescire » probantur. Naturale ergo jus ab exordio rationalis » creaturæ incipiens, ut supra dictum est, manet im- » mobile. «

Deinde subjungit Gratianus: » Jus verò consue- » tudinis post naturalem legem exordium habuit, ex » quo homines convenientes in unum cœperunt simul » habitare. «

Hisce indicare videbatur Gratianus, quod intenderet, regredi ad materiam prosequendam, quam sub initium hujus primæ partis sui operis sibi proposuerat, scilicèt exponere varias juris species, earumque inter se differentias, adeoque hic de jure consuetudinario tractare vellet.

DISTINCTIO VII.

De Auctoribus Legum parum accurate agit Gratianus.

VErùm more suo omnia miscens Gratianus, & à proposito ordine facilè recedens, subjiciens distinctionem, in qua, prolatis duobus fragmentis ex libro sancti Isidori, agi de auctoribus seu conditoribus legum; & *Can.* 1. postquam monuit quòd Moyses gentis Hebraïcæ primus omnium divinas leges sacris litteris explicuit, enumerat deinde eos, qui apud Græcos leges dederunt, ac dein *Can.* 2. ponit *nomina eorum qui Leges XII. tabularum exposuerunt*, uti habet summarium Canonis. Notat autem Antonius Augustinus, *lib.* 1. *de emendat. Gratiani Dial.* 19. in pluribus, hic erratum fuisse, nec dicere veretur: *Quæ de Codice Theodosiano scribuntur, Isidori & Gratiani ignorantiam detegunt*; quod ibidem latiùs ostendit. Cæterum indubitatum est, hæc exactiùs & fusiùs referri *in L. 2. ff. de origine juris*, & per interpretes hujus legis exponi.

DISTINCTIO VIII.

Differentia inter jus naturale, & consuetudinarium ac constitutum.

HAc distinctione videtur Gratianus reverti velle ad materiam sub initium distinctionis præcedentis sibi propositam, atque prosequi differentiam inter varias juris species: sed admodum obscure.

Et quidem in hujus distinctionis procœmio, indicat se velle ostendere differentiam juris naturalis, à jure consuetudinario & jure constitutio: » Differt » autem, ait, jus naturale à consuetudine, & cons- » titutione: nam jure naturali omnia sunt communia » omnibus; quod non solùm inter eos servatum cre- » ditur, de quibus legitur, Act. c. 4. *Multitudinis » autem credentium erat cor unum & anima una*; ve- » rùm etiam præcedenti tempore à Philosophis traditum » invenitur: unde apud Platonem illa civitas justissi- » mè ordinata traditur, in qua quisque proprios nes- » cit affectus: jure verò consuetudinis vel constitu- » tionis, hoc meum est, illud alterius. «

Ultimum membrum, scilicèt, jure consuetudinario, sive constitutione, id est, jure humano, *hoc meum, alterius esse*, probat *Can.* 1. ex tractatu sancti Augustini in Joannem, *cap.* 6. ubi sanctus Augustinus agit contra Donatistas, qui legibus Imperatoris villas sibi ademptas, & Ecclesiæ Catholicæ attributas conquerebantur, uti hîc monent correctores Romani.

Quare cum Donatistæ dicerent, *villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt*; ut ostendat Augustinus, ipsos post latas has leges Imperatorum nullum jus in ipsis habere, sed ad Ecclesiam Catholicam pleno jure pertinere, post nonnulla in probationem adducta, tandem ostendit res temporales nec ab Ecclesia, nec à privatis alio jure quàm *jure humano*, sive Imperatorum possideri: » Jure humano » dicitur, ait, hæc villa mea est, hæc domus mea, » hic servus meus est: jura autem humana jura Impe- » ratorum sunt. Quare? quia ipsa jura humana per » Imperatores & Reges seculi Deus distribuit gene- » ri humano. «

Principum potestas respectu rerum temporalium.

Præterea dicebant Donastistæ: » Sed quid nobis » & Imperatori? Respondet: Sed jam dixi, de ju- » re humano agitur, & tamen Apostolus voluit ser- » viri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit, » *Reges reveremini*. Nolite dicere, quid mihi & Re- » gi? Quid tibi ergo & possessioni? Per jura Regum » possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Re- » gi? Nolli dicere possessiones tuas, quia ipsa ju- » ra humana renuntiâsti, quibus possidentur posses- » siones. «

Meritò hîc attendendæ notæ correctorum Romanorum, quæ ostendunt, Gratianum à textu originali nonnihil recessisse. Interim ex hoc textu evidens est, Augustinum id unum voluisse quod, & Ecclesiæ & privati jure humano res temporales possideant, & quod sicuti jura humana auctoritate Principum ac Imperatorum instituta sunt, & diriguntur; ita Principes rerum temporalium supereminentem inspectionem & directionem retineant, quamvis pœnes Ecclesiam, & quosque etiam privatos sit rerum illarum proprietas, ut hîc solidè adstruit Joannes Dartis in Commentario hujus distinctionis.

Par-

Quidquid legi naturali reperitur adversum vanum est, & irritum.

Parte secunda hujus distinctionis ulteriùs probare intendit Gratianus, quod *dignitate* jus naturale *similiter prævaleat consuetudini, & constitutioni*, uti loquitur ad calcem Can. 1. additque: » Quæcunque enim » vel moribus recepta sunt, vel scriptis comprehensa, si naturali juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt. «

In horum probationem refert Can. 2. quædam ex sancto Augustino *lib.* 3. *Confessionum cap.* 8.

Ut autem probet, quòd si quædam moribus recepta sint, vel scriptis comprehensa, si juri naturali fuerint adversa, vana & irrita habenda sint, producit plura ex sancto Augustino, & sancto Cypriano.

Et quidem Can. 4. ex Augustino *lib.* 3. *de Baptismo, cap.* 6. refert: » Veritate manifestata cedat » consuetudo veritati. Item: Nemo consuetudinem ve- » ritati, & rationi præponat; quia ratio & veritas con- » suetudinem semper excludit. « Verùm hæc à sancto Augustino recitantur tanquam asserta per Episcopos in Concilio Carthaginensi sub sancto Cypriano circa quæstionem de validitate Baptismi per hæreticos collati, uti & in margine ad hunc Canonem notatur.

Interim hæc Episcoporum dicta probat sanctus Augustinus dicens » Planè respondeo: quis dubitet veri- » tati manifestatæ debere consuetudinem cedere? Quæ » verba hic à Gratiano recitantur, sed tanquam ab » eodem dicta.“

Dein *Can.* 6. & 7. rursus in eamdem sententiam recitantur plura ab Episcopis in allegato Concilio Carthaginensi dicta, quæ sub nomine sancti Augustini adfert. Et *Can.* 8. & 9. refert quædam ex Epistolis sancti Cypriani ad Pompejum contra Epistolam Stephani; item ad Jubaïanum & Cæcilium, in quibus Cyprianus vehementer urget, veritati consuetudinem cedere debere; atque inter cætera in Epistola ad Pompejum scribit: » Consuetudo sine veritate vetustas er- » roris est, propter quod relicto errore sequamur » veritatem; scientes quia apud Esdram veritas vicit, » sicut scriptum est: *Veritas manet & invalescit in* » *æternum, & vivit & obtinet in secula seculorum.* «

Hæc à Cypriano & Episcopis Africanis dicta fuisse constat contra Stephanum, aliosque Episcopos, qui contra Cyprianum, & Africanos Episcopos, aliosque nonnullos sustinebant, Baptismum, ab hæreticis, aut schismaticis extra Ecclesiam Catholica collatum, esse validum: quod cum potissimum ex continua Ecclesiæ consuetudine probare pretenderent juxta illud Stephani adeò vulgatum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*; Cyprianus, aliique ei juncti sustinebant consuetudinem veritati cedere debere; quod & Sanctus Augustinus ultrò etiam Donatistis (Baptismum extra Ecclesiam collatum ut invalidum rejicientibus) concedit: sed contra ipsos Donatistas sustinet & solidè demonstrat, tempore suo tum auctoritate, tum ratione sat probatum esse, consuetudinem, quam Stephanus, aliique ipsi juncti allegabant, nequaquam rationi & veritati adversam esse; sed omninò conformen, adeoque servandam: quia ut ipse Augustinus ait citato *Can.* 7. » Cùm consuetudini veritas suffraga- » tur, nihil oportet firmiùs retineri.“

Consuetudo veritati conformis retinenda.

Gratianus non satis ipsa verba Cypriani, & Africanorum, quæ Donatistæ pro suo errore assereudo objiciebant sancto Augustino, à verbis Augustini distinguit.

Abusus eradicandi priusquam in consuetudinem transeant.

Præ cæteris autem hac distinctione relatis notari meretur relatum *Can.* 3. ex Epistola Nicolai I. Papæ Hincmaro Episcopo Rhemensi inscripta: » Mala con- » suetudo, quæ non minus, quàm perniciosa corrup- » tela vitanda est, nisi citiùs radicitùs evellatur, in » privilegiorum jus ab improbis assumitur, & inci- » piunt prævaricationes, & variæ præsumptiones ce- » lerrimè non compressæ pro legibus venerari, & » privilegiorum more perpetuo celebrari.“

Non dubium quin si Prælati nascentibus abusibus sedulò pastorali solicitudine invigilarent, radicitùs facilè evellerentur, qui eorum incuria radicem figentes, quasi pro legibus habentur, ac admodum difficulter postmodum in totum evelli possunt.

DISTINCTIO IX.

Constitutum, sive jus humanum naturali juri cedere debet.

POstquam ostendit Gratianus consuetudinem juri naturali cedere debere, hac distinctione multiplici auctoritate probare vult, quod & constitutio juri naturali cedat, ut & in procemio distinctionis monet.

Hunc in finem profert sat longum fragmentum ex Epistola sancti Augustini ad Bonifacium Comitem, in qua scribit Augustinus: „ Impetatores quando pro » veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, » terrentur sævientes, & corriguntur intelligentes: » quicumque ergo, pergit Augustinus, legibus Im- » peratorum, quæ pro Dei veritate feruntur, ob- » temperare non vult, acquirit grande supplicium; » quicumque verò legibus Imperatorum, quæ *contra* » *Dei civitatem* feruntur, obtemperare non vult, ac- » quirit grande præmium.“

Idipsum latè prosequitur ipse Augustinus, tum in fragmento hic per Gratianum prolato, tum in ipsa Epistola, cujus contextum immutato ordine Gratianum retulisse notârunt Correctores Romani: interim intentum Gratiani solidè idem adstruxit Augustinus.

Justum est, ut Principes suis legibus pareant.

Hac Augustini auctoritate existimans Gratianus assertum suum sat esse probatum, *Can.* 2. sub nomine Isidoro Hispalensis refert fragmentum, quod probat, *justum esse, Principem legibus obtemperare suis: justa est enim eorum vocis auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Auctoritas librorum Canonicorum.

Postquam ostendit Gratianus, consuetudinem, legesque humanas veritati, & juri naturali cedere, pluribus auctoritatibus, ac notanter sancti Augustini, adstruit dignitatem ac auctoritatem librorum sanctæ Scripturæ, tam veteris, quàm novi Testamenti.

Imprimis *Can.* 5. profert ex Epistola S. Augustini ad S. Hieronymum, sed corruptè, hanc notandam sententiam, quæ sanctæ Scripturæ, sive librorum canonicorum auctoritatem super aliorum quorumcunque scriptorum libros extollit: „Sic habetur apud Au- » gustinum *Epist.* 82. *aliàs* 19. Ego solis eis scriptu- » rarum libris, qui jam *canonici* appellantur, didici » hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum » eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissi- » mè credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod » videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel » mendosum esse codicem, vel interpretem non asse- » cutum esse quod dictum est, vel me minimè intel- » lexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut » quantalibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non » ideo verum putem, quia ipsi ista senserunt; sed quia » mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili » ratione, quod à verò non abhorreat, persuadere » potuerunt.“

Et *Can.* 7. ex altera ejusdem Doctoris epistola (quæ nunc est 40.) ad Hieronymum refert fragmentum; in qua epistola sanctus Augustinus asserere non dubitavit: » Si ad scripturas sanctas admissa fue- » rint vel (Aug. *velut*) officiosa mendacia, quid eis » remanebit auctoritatis? Quæ tandem de scripturis » illis sententia proferetur, cujus pondere contentio- » sæ falsitatis obteratur improbitas? «

Denique ex eodem Augustino probare intendit, quidquid vel Episcoporum, aliorumque sanctorum litteris, aut scriptis proferatur; id esse rejiciendum, si ostendatur sanctæ scripturæ adversum.

Pleraque à Gratiano adducta, desumpta sunt ex his quæ sanctus Augustinus scripsit contra Donatistas: cùm enim Donatistæ in justificationem sui schismatis & errorum, ac signanter circa invaliditatem baptismi extra Ecclesiam ab hæreticis, aut schismaticis collati, non cessarent urgere auctoritatem sancti Cypriani, aliorumque multorum Episcoporum Africanorum, qui invaliditatem hujusmodi baptismi sustinuerant, & conformiter ad eam opinionem baptizatos ab hæreticis, aut schismaticis rebaptizabant, multis ostendit Augustinus factum Cypriani & ipsi consentientium, Donatistarum schismati aut errori nequaquam patrocinari.

Fatetur quidem Augustinus, Cyprianum fuisse in ea opinione, seu errore & praxi, atque eam cum suis Episcopis in generali Synodo Carthaginensi sustinuisse: at unà asserit, se non dubitare, quin hic sanctissimus Episcopus & martyr ab opinione sua & praxi recessisset, si eam scripturæ sacræ, si verbo Dei scripto vel non scripto difformem esse mostratum fuisset.

Addit præterea pro majori Cypriani excusatione, hanc quæstionem de validitate baptismi extra Ecclesiam collati adeo tempore Cypriani fuisse intrincatam, ut dicere non vereatur, *lib.* 2. *de Baptismo contra Donatist. cap.* 4. » quòd tale aliquid asserere non an-

de-

» deret, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmatus; cui & ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur. «

Tandem in libris contra Donatistas sæpiùs ostendit Augustinus, quod Cypranus licèt sententiam, & praxim suam eo tempore, quo veritas nondum erat sufficienter eliquata, & universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate aut plenario Concilio solidata seu terminata, fortiter sustinuerit, constanter tamen cum contrarium sentientibus pacem & communionem servaverit, in quem finem profert & laudat Augustinus *ibidem cap.* 2. sermonem à Cypriano pronuntiatum in exordio prædictæ Synodi Carthaginensis: » Cùm, » ait, in unum Carthagine convenissent Kalendis Sep» tembris Episcopi plurimi ex provincia Africa, Nu» midia, Mauritania, cum Presbyteris & Diaconibus, » etiam præsente plebis maxima parte, & lectæ es» sent litteræ Jubaïani ad Cyprianum factæ, item Cy» priani ad Jubaïanum rescriptæ de hæreticis bapti» zandis, quidque postmodum Cypriano Jubaïanus » rescripserit, Cyprianus dixit: Audistis Collegæ di» lectissimi, quid mihi Jubaïanus Cœpiscopus noster » scripserit consulens mediocritatem nostram de illici» to & profano hæreticorum baptismo, quidque ego » ei rescripserim, censens scilicèt, quod semel atque » iterum & sæpè censuimus, hæreticos ad Ecclesiam » venientes Ecclessiæ baptismo baptizari & sanctificari » oportere. Item lectæ sunt vobis & aliæ Jubaïani » Epistolæ, quibus pro sua sincera & religiosa devo» tione ad Epistolam nostram rescribens, non tantum » consensit, sed & instructum esse gratias egit. Supe» rest, ut de hâc ipsa re, quid singuli sentiamus, » proferamus, neminem judicantes, aut à jure com» munionis aliquem, si diversum senserit, amoventes: » neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse » Episcoporum constituit, aut tyranico terrore ad ob» sequendi necessitatem collegas suos adigit: quando » habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & » potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judica» ri ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum » judicare: sed expectemus universi judicium Domini » nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potes» tatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ guberna» tione, & de actu nostro judicandi. «

Cæterum sanctus Augustinus tum in hisce libris contra Donatistas, tum in Epistolis, è quibus fragmenta recitat Gratianus, sufficienter adstruit quorumlibet Doctorum, & etiam Episcoporum dicta & scripta cedere debere libris canonicis; & quod firmiter tenendum sit, nihil in eis falsi contineri, ne quidquam præcipi juri naturali contrarium, quod unum evincere voluit Gratianus.

DISTINCTIO X.

Juxta Gratianum constitutiones Principum constitutionibus Ecclesiasticis obsequi debent.

HUic distinctioni præfigit Gratianus hoc procœmium: *Constitutiones verò Principum Ecclesiasticis constitutionibus non præeminent sed obsequuntur.*

In hujus asserti probationem nonnulla apocrypha adducit.

In hujus probationem plurima mutilata, incerta, quin & apocrypha profert Gratianus, uti circa fragmentum sub nomine Nicolai I. relatu m Can. 1. sufficienter probat correctio Romana. Similiter relata, Can. 2. 3. & 4. sub nomine Symmachi & Felicis Papæ parum authentica norunt eruditi.

Constitutionibus Principum circa temporalia obsequi debent Pontificis.

Porrò quod in hoc suo procœmio asserit Gratianus, *Constitutiones Principum Ecclesiasticis constitutionibus non præeminere, sed obsequi*, nec simpliciter, nec generaliter verum est, nec auctoritates per Gratianum adductæ id probant, sed restringi debet ad Ecclesiasticas constitutiones de rebus *merè* spiritualibus ad directionem animarum directè & unicè spectantibus; non autem de rebus temporalibus, aut his quæ regimen Reipublicæ spectant, ad ipsius populi, & Reipublicæ pacem & tranquilitatem conservandam, vel procurandam, uti sat luculenter probat fragmentum Epistolæ Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem à Gratiano relatum hac distinctione *Can.* 8. in quo hæc differentia luculenter exponitur.

Scribit enim ibidem Nicolaus I. quod Christus actibus & dignitatibus officia utriusque potestatis (secularis & ecclesiasticæ) ita discreverit: » Ut & Chris» tiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indige» rent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummo» do rerum Imperialibus legibus uterentur; quatenus » spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus; & ideò, » *militans Deo minimè se negotiis secularibus implica*» *ret*; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere vide» tur, qui essent negotiis secularibus implicatus. «

Hæc inter utramque potestatem differentia latiùs adstruitur infra *distinct.* 96. ubi eam latiùs explanabimus occassione famosæ Epistolæ Gelasii, cujus ibidem fragmentum adducitur.

Etiam quoad illa quæ spectant externam Ecclesiæ disciplinam.

Quin & Romanos Pontifices agnovisse, se subjectos legibus, & constitutionibus Imperatorum, non tantùm externum, temporale, ac politicum regimen Reipublicæ concernentibus, sed etiam externam & canonicam Ecclesiæ disciplinam spectantibus, evincit Epistola Leonis IV. inscripta Lothario Augusto, & hîc à Gratiano relata *Can.* 9. » De capitulis vel præ» ceptis vestris Imperialibus, vestrorumque Pontifi» cum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis, & » conservandis, quantum voluimus & valemus, Chris» to propitio & nunc & in ævum nos conservaturos » modis omnibus profitemur; & si fortasse quilibet » aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum » pro certo mendacem. «

Hoc fragmentum Epistolæ pro adstruenda auctoritate *Capitularium* Regum Francorum adducit vir clarissimus Stephanus Baluzius in doctissima sua præfatione ad hæc Capitularia Regum Francorum §. 21. omissa voce, *Pontificum*, quæ in textu Gratiani manifestè redundat, & sensum reddit obscurum, uti ex nota Correctorum Romanorum liquet.

Hanc Leonis Epistolam spectare Capitularia Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii & aliorum, quæ hodie vulgò dicuntur *Capitularia Regum Francorum*, ostendit ibidem Baluzius.

Qua autem occassione Leo Papa IV. hanc ad Lotharium Epistolam scripserit, exponit Baluzius in citata præfatione §. 23. » Primò, ait, manifestum » est ex textu Epistolæ, delatam adversus eum que» relam fuisse ad Lotharium Imperatorem, tanquam » is Capitularia Regum Francorum contemneret; ad » quam criminationem ille injuriam suam ulturus, ac » sui securus, respondit, *se ea velle irrefragabiliter* » *in ævum conservare*; magnum, & impudens men» dacium esse quidquid contra dictum fuerat Impe» ratori. Hanc interpretationem (pergit Baluzius) » quæ alioquin manifesta est, & cuivis obvia, de» bemus Bartholomæo Brixiensi, cujus hæc sunt » verba: *Lotharius audiverat, quod Leo Papa no*» *lebat leges servare Imperiales, unde interrogavit* » *de hoc Papam an esset verum? Quare Leo scri*» *bit ei & dicit, quod vult leges servare irrefragabi*» *liter, & qui aliter dicit, mendax est.* «

Cùm autem hæc Capitularia, sive capitula seu præcepta non tantùm res temporales, ac temporale & politicum regimen Reipublicæ concernerent; sed vel potissimum disciplinam exteriorem Ecclesiæ, rectè ibidem redarguit Baluzius Cardinalem Baronium, qui hanc Leonis Epistolam ita interpretatur, quasi Leo dicere duntaxat voluisset, conformiter ad supra relatam Epistolam Nicolai I. *Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus uti.*

DISTINCTIO XI.

Qua sit vis consuetudinis.

PErgens Gratianus exponere, quæ sit legum, & canonum vis, & auctoritas, hac distinctione agit de consuetudine.

Consuetudo contra legem divinam, aut naturalem corruptela est.

Imprimis certum est, consuetudinem, quæ est contraria bonis moribus, aut juri naturali; non tam pro consuetudine, quàm pro abusu & corruptela reputandam esse, uti supra notatum est, æque de hac intelligendus est Isidorus, cujus verba non sat exactè Gratianus *Can.* 1. retulit, sed in margine ita ex originali exprimuntur: *Quod malis jussionibus non sit obtemperandum.*

De simili quoque consuetudine intelligi creditur quod ex *lib.* 6. *Cod. quæ sit longa consuetudo*, refertur *Can.* 4. & clariùs exprimitur *Can.* 6. his verbis: *Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur.*

Monent hîc Correctores Romani, quod hoc caput antea tribueretur sancto Augustino: » Verba, » ajunt, hujus capitis, quod antea tribuebatur B. » Augustino, leguntur in editione Coloniensi inter » decreta Pii I. decreto 7. & in Epistola ejusdem Pii. «

» Un-

Unde & ipsi huic Canoni hunc titulum præfixerunt: *Pius Papa I. in Decretis Decreto* 7. non advertentes hæc verba non verius huic Papæ, quàm Augustino tribui posse, hæcque decreta, necnon Epistolam inter merces Pseudo-Isidori rejicienda.

Non eadem omnium consuetudinum est auctoritas.

Illud & hic probat Gratianus, non omnium consuetudinum eandem esse vim, & auctoritatem.

Et quidem quasdam esse consuetudines, quæ auctoritate, etiam Scripturæ sacræ cedere non debeant, utpote quæ ex traditione Apostolica ad nos transmissæ habentur. Eum in finem recitantur *Can.* 5. verba sancti Basilii ex *lib. de Spiritu Sancto*, c. 27. Monent autem Correctores Romani admodum mutilatum recitari hic textum Basilii: » Cæterum, inquiunt, quoniam » multis locis glossa obstitit, ne emendaretur, neces- » sarium visum est, integrum sancti Basilii locum & » Græcè & Latinè afferre. «

Meritò textus S. Basilii legitur, prout hîc integer per Correctores Romanos exhibetur; utpotè in quo Basilius probat, præter ea, quæ nobis Apostoli scripto tradiderunt, etiam ea, quæ ad nos verbo tradita, & per traditionem transmissa sunt, esse omninò servanda.

Quod addunt hîc Correctores, quod *multis locis obstiterit glossa, ne emendaretur*, plurimis aliis locis idipsum monuerunt; per hoc indicantes eam ipsis visam fuisse glossæ auctoritatem, ut satiùs crediderint permittere mutilatum textum Gratiani, quàm eum emendare, ne glossa textui mutilato aut corrupto apposita, obscura, aut non intelligibilis redderetur; licèt fatendum sit, glossas has sepè parum convenientes, imò & frequenter admodum ineptas esse, & à vero sensu canonum alienas.

Sunt insuper consuetudines, quas universalis per orbem diffusa Ecclesia servat, & quæ ab Apostolis ad nos dimanatæ creduntur; aliæ verò, quæ nec contra scripturam sacram, nec contra bonos mores esse noscuntur: ac variæ & diversæ pro varietate locorum, & populorum reperiuntur, de quibus agit S. Augustinus Epistola ad Casulanum, cujus fragmentum hîc refertur *Can.* 7. ac præcipuè in Epistola ad Januarium, cujus fragmentum hîc refertur *Can.* 8. sub nomine S. Augustini, *lib. de fide Christiana*, sed in margine notatur: » Hodie inter opera S. Augustini nullum ex- » tat sub hoc titulo; in Epistola verò ad Januarium, » quæ est 118. *cap.* 1. & 2. hæc eadem sententia co- » piosè exponitur.

Consuetudo Romanæ Ecclesiæ quandoque diversa est à consuetudine aliarum Ecclesiarum. Id negans Gratianus à pristina disciplina recessit.

Et revera in hac Epistola, quæ hodie est 54. S. Augustinus duplicem hanc consuetudinem luculenter exponit, uti ad sequentem distinctionem notabitur, ubi & textus hujus Epistolæ refertur, prout etiam textus S. Gregorii, è quibus manifestum est, jam pridem consuetudinem Ecclesiæ Romanæ circa plura puncta concernentia ecclesiasticam disciplinam fuisse diversam à consuetudine aliarum Ecclesiarum.

Proinde inter puncta, in quibus Gratianus à pristina disciplina recessit, referendum, quod hîc adstruere videtur, scilicet consuetudinem, & institutionem Ecclesiæ Romanæ *ubique* esse servandam; idque ex fragmento Epistolæ sub nomine Nicolai I. *Can.* 2. cui fragmento hoc summarium præfigitur: *Non potest statutis Pontificum consuetudo cujusquam refragari.*

Hic notandum plurima fragmenta sub nomine Nicolai I. Papæ à Gratiano referri, quæ non alia quàm ipsius Gratiani, aut alterius Canonum collectoris, è quo Gratianus exscripsit, auctoritate nituntur: & quæ è Gratiano collecta sub 20. titulis disposita per Joannem Cochlæum extant *tom.* 8. *Concil. Generalium col.* 554.

Fragmento fictitiæ Epistolæ Julii I. Papæ relato in *Can.* 3. præmittit Gratianus hoc summarium: *A consuetudine Romanæ Ecclesiæ, membris dissentire non licet*: quo non obscure insinuatur, aliis Ecclesiis tanquam membris non licere dissentire à *consuetudine Romanæ Ecclesiæ*, quod & menti & sententiæ Gregorii adversum esse, notabitur ad distinctionem sequentem ex ejus Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum ibidem relata.

DISTINCTIO XII.

Varia consuetudinis species. Alia universalis, alia particularis.

HAc distinctione prosequitur Gratianus tractare de varia specie *consuetudines*, ejusque auctoritate.

Et quidem proponit *Can.* 11. ex Augustino Epistola nunc 54. ad Januarium, duplicem speciem consuetudinis: unam earum rerum, quæ per *universalem Ecclesiam* observantur: alteram earum, quæ pro *locorum, & Ecclesiarum diversitate variæ, & diversæ reperiuntur.*

» Illa autem, ait Augustinus, quæ non scripta, » sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum » orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apos- » tolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Eccle- » sia saluberrima auctoritas, commendata, atque sta- » tuta retineri. «

Deinde allegatis quibusdam similium observationum exemplis, ad aliam speciem consuetudinum descendes, ait: » Alia verò, quæ per loca terrarum, » regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant » Sabbato, alii verò non, alii quotidie communicant cor- » pori & sanguini Dominico, alii certis diebus acci- » piunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offe- » ratur, alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tan- » tùm Dominico, & si quid aliud ejusmodi animad- » verti potest; totum hoc genus rerum liberas habet » observationes: nec disciplina ulla est in his melior » gravi, prudentique christiano, quàm ut eo modo » agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcum- » que forte devenerit: quod enim neque contra fi- » dem, neque contra bonos mores injungitur, indif- » ferenter est habendum, & pro eorum, inter quos » vivitur, societate servandum est. «

Tum subjungit, quid circa hanc consuetudinis varietatem sibi consulenti responderit S. Ambrosius: » Cum, ait, Romam venio jejunio Sabbato, cùm Me- » diolani sum, non jejuno: sic etiam tu, ad quam for- » te Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam » non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. «

Occasio autem consulendi hac de re S. Ambrosium fuerat mater ejus; ait enim ibidem: » Mater mea » Mediolanum me consecuta: invenit Ecclesiam Sab- » bato non jejunantem, cœperat fluctuare quid age- » ret: tunc consului de hac re beatissimæ memoriæ » virum Ambrosium. Cujus responsum, ait, cum ma- » tri renunciassem, libenter amplexa est. «

Quædam consuetudines, etsi inveteratæ, meritò extirpandæ.

Deinde ex eodem Augustino ad Januarium Epistola nunc 55. subjungit Gratianus *Can.* 12. » Talia, » quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus » continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta » inveniuntur, nec consuetudine universalis Eccle- » siæ roborata sunt; sed diversorum locorum diver- » sis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix » aut omninò nunquam inveniri possint causæ, quas » in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facul- » tas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existi- » mo. Rationem addit Augustinus: quamvis enim ne- » que hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, » ipsam tamen religionem, quam paucissimis, & ma- » nifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia » Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, » ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi » tempus libertatis non agnoverint, legalibus Sacra- » mentis, non humanis præsumptionibus subjiciun- » tur. «

Circa hæc duo fragmenta relata *Can.* 11. & 12. » monent Correctores Romani ad priorem: In hoc ca- » pite, quæmadmodum & in sequenti, multa sunt » emendata ex B. Augustino, ac nonnulla etiam ad- » dita. «

Meritò & ad posteriorem addi possunt verba, quæ apud Augustinum præmittuntur verbis hîc à Gratiano relatis, quæ & mentem ipsius Augustini de his observandis clariùs exponunt: » Quod autem insti- » tuitur, ait, præter consuetudinem, ut quasi ob- » servatio Sacramenti sit, approbare non possum: » etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum vel » sanctarum vel turbulentarum personarum scandala » devitanda, liberiùs improbare non audeo; sed hoc » nimis doleo, quod multa, quæ divinis libris salu- » berrimè præcepta sunt, minus curantur, & tam » multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut » graviùs corripiatur, qui per octavas suas terram » nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia » sepelierit. «

Hæc meritò attendant Episcopi, ut exemplo S. Augustini à superstitiosis & ad quæstum inductis consuetudinibus, suas Ecclesias purgare satagant.

Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat.

Insuper docet hîc Gratianus, *quod non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendet*, uti habet summarium *Can.* 10. sive quod ea sit accipienda consuetudo sine differentia locorum, quæ plus omnipotenti Deo possit placere. In hujus probationem adducu-

ducit, *Can.* 10. notandum responsum S. Gregorii ad Augustinum Apostolorum Anglorum: interrogatio 3. Augustini hæc erat: » Cum una sit fides, cur sunt » Ecclesiarum consuetudines tam diversæ, & altera » consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, at- » que altera in aliorum Ecclesiis tenetur?"

Respondet Gregorius: » Novit fraternitas tua Ro- » manæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit » enutritam; sed mihi placet, ut sive in Romana, si- » ve in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia, aliquid » invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit place- » re, solicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ » adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ » de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas; non » enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis aman- » da sunt: ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ » pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc » quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum men- » tes in consuetudinem depone."

Manifestum hinc est, Sanctum Gregorium nequaquam credidisse, consuetudinem, aut institutionem Ecclesiæ Romanæ ab omnibus aliis Ecclesiis esse servandam, uti præcedenti distinctione ex falsis & incertis scriptis innuere videtur Gratianus, qui & Canoni primo hujus distinctionis desumpto ex supposititia decretali Calixti I. Papæ hoc summarium præfigit: *Nulli agere licet sine discretione justitiæ contra disciplinam Romanæ Ecclesiæ.*

Ecclesiæ ejusdem Provinciæ jam pridem sequebantur ritum Ecclesiæ Metropolitanæ.

Scitur quidem jam pridem in pluribus locis id fuisse observatum, ut Ecclesiæ unius Provinciæ morem, & ritum eundem sequerentur, notanter Ecclesiæ Metropolitanæ, quod & ævo S. Leonis respectu Ecclesiarum, quæ jure Metropolitico Romano Episcopo subjiciebantur, quæ & *suburbicariæ* dicebantur, observatum fuisse constat ex Epistola S. Leonis ad Episcopos per Siciliam constitutos, uti notavi in jure Eccles. *part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 1.

Idipsum in quibusdam Hispaniarum Provinciis, jam pridem constitutum fuisse, ex decretis Concilii Toletani XI. & Bracarensis II. relatis respectivè hac distinctione *Can.* 13. & 14. constat.

Et quidem priori summarium præfixit Gratianus: *Omnes Provinciæ eundem in psallendo modum teneant, quem Metropolitanam sedem habere cognoverint.*

Ad ista per Gratianum relata decreta, nec non verba Gratiani reflectens in sua Analysi Ludovicus Hericourt, rectè monet, hodie non observari hæc decreta, notanter in Gallia: *On ne suit point*, ait, *à présent ces décrets, surtout dans les Eglises de France, où chaque Diocese a son Breviaire & ses cérémonies particulieres.*

De hac Ecclesiarum Gallicanarum disciplina vide dicta in jure eccles. *part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 9. ubi notavi quam fuerint tenaces Ecclesiæ Gallicanæ in retinendis suarum respectivè Ecclesiarum particularium Breviariis, & Ritualibus libris, dum Romani, præsertim post Concilium Tridentinum, prætenderunt, ut his particularibus Rituum libris abdicatis, ubique Ritus & Officium Romanum præscriberetur, prout latiùs deduxi in jure Ecclesiast. *part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 1.

DISTINCTIO XIII.

In jure naturali nunquam potest dispensari.

GRatianus postquam de variis speciebus juris egit, pergit ad distinctionem 13. cui hoc proœmium præmittit: » Item adversus naturale jus nulla dispensa- » tio admittitur, nisi forte duo mala ita urgeant, ut » alterum eorum necesse sit eligi."

Ut primam partem adstruat, nullam auctoritatem adducit, supponens eam per se sat probatam, & à nemine in dubium vocandam. In probationem verò exceptionis, adducit *Can.* 1. decretum Concilii Toletani VIII. *cap.* 2. cui hoc summarium præmittit: *minus malum de duobus eligendum est.* Et *Can.* 2. recitat longum discursum S. Gregorii in librum Job.

Rectè hîc monet Ludovicus Hericourt in sua Analysi, quod accipiendo verba Gratiani ad litteram, credere quis posset, aliquando licitum esse perpetrare minus malum ad evitandum majus; quod & falsum esse, & contra mentem Gratiani asserit: verba ejus sunt: *Il faut prendre garde au sens qu' on donnera à cette distinction, car elle peut donner occasion de croire, si on la prend à la lettre, qu' il y a des cas, dans lesquels il est permis de faire un petit mal, pour en éviter un grand: au lieu que les exemples rapportés justifient que l' intention du Compilateur n' a été que de dire qu' il n' est pas permis de commettre un nouveau crime pour executer une promesse d' une chose qui est contre la loi naturelle.*

Et revera si integri textus hîc à Gratiano citati legantur, apparebit, auctores nihil aliud voluisse, quàm quod illicitè aut inconsideratè promissum, possit & subinde debeat omitti, sive non adimpleri; quia implendo *majus malum* committeretur: sic autem non adimplendo non aliquod *minus malum* de novo committitur, sed malè promissum, sine peccato, quin & subinde meritoriè, non adimpletur.

Interim fatendum est, admodum inadæquatè locutum esse Gratianum, dum dixit: *minus malum de duobus eligendum est*: quia omissio promissi in illis circumstantiis nullum est malum, quamvis malum fuerit in promittendo.

DISTINCTIO XIV.

Utrum minus malum possit committi, ut in aliis majora mala evitentur.

HAc distinctione pergit Gratianus inquirere, an è duobus malis *minus* eligi possit: undè præmittit hunc titulum: » Verùm hoc (scilicet de eligendo » minus malo in distinctione præcedenti) in una ea- » demque persona intelligitur: cæterum an in diversis » personis eadem dispensatio locum habeat, videlicet » ut committantur minora, ne alii gravioribus impli- » centur, meritò quæritur."

In hoc summario videtur apertiùs indicari, quod præcedenti distinctione dicere voluerit, posse ab aliquo *minus malum committi*, ne ipse majus, aut gravius malum committat.

Quidquid sit de Gratiani opinione, certum est, quòd nunquam possit minùs peccatum committi, ut evitetur majus; nec id probatur auctoritatibus à Gratiano hîc adductis, uti notatum est ad distinctionem præcedentem.

Hac autem distinctione rectè probat Gratianus, nihil contra jus naturæ, aut Evangelium, sive nullum quantumvis leve peccatum posse perpetrari, ut alii à peccatis etiam enormibus retrahantur, uti probat *Can.* 1. auctoritate S. Augustini apertè docentis non posse excusari factum Loth, tradentis filias suas Sodomitis, ut iis abuterentur, ne viris sive hospitibus contumeliam inferrent; quantumvis id fecerit ob *compensationem malorum*, tradendo filias suas Sodomitis, ne enormius crimen Sodomiticum ab ipsis in viros seu hospites committeretur. » Quod, ait Sodomitis Loth: » *Sunt mihi duæ filiæ, quæ nondum noverunt virum; » producam illas ad vos, utimini illis quomodo placue- » rit: tantùm in viros illos ne faciatis iniquum*: quo- » niam prostituere volebat filias suas hâc compensa- » tione, ut viri hospites ejus nihil à Sodomitis tale » paterentur, utrum admittenda sit compensatio fla- » gitiorum vel quorumcunque peccatorum, ut nos » faciamus mali aliquid, ne alius malum gravius fa- » ciat, an potiùs perturbationi Loth non consilio tri- » buendum sit, quia hoc dixerit, meritò quæritur; & » nimirùm periculosissimè admittitur hæc compensatio: » si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti » tanto malo permotæ, nullo modo imitanda:" ita hîc Gratianus ex S. Augustino, *Lib. quæst. super Genesim.*

Post hæc quærit Gratianus parte 2. hujus distinctionis: *Quæ constitutiones valeant temperari, vel quæ non?*

Hanc quæstionem resolvit unico Canone, prolato fragmento Epistolæ S. Leonis ad Rusticum Episcopum Narbonensem, in qua scribit: » Sicut quædam sunt, » quæ nulla ratione possunt convelli, ita multa sunt, » quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consi- » deratione ætatum oporteat temperari."

Regula in dispensatione servanda.

Addit autem hîc hanc notandam, & in dispensatione meritò servandam regulam: » Illa considera- » tione semper servatâ, ut in iis, quæ vel dubia fue » rint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod » nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis » SS. Patrum inveniatur adversum."

DISTINCTIO XV.

AD distinctionem decimam quintam procedens Gratianus monet in proœmio: » Quoniam de » jure naturali, & constitutione vel consuetudine » hactenus disseruimus, differentiam, quâ invicem dis- » cernuntur, assignantes, nunc ad Ecclesiasticas cons- » ti-

» titutiones stylum vertamus, prout ex libris SS. Pa» trum colligere possumus, breviter assignantes."

Quo tempore celebrata sint singula Concilia generalia.

Hæc distinctio tribus duntaxat constat Canonibus. Primo Canone refert prolixum fragmentum sub nomine Isidori, Lib. 6. *de Ethymologiis*, *cap.* 16. cui hic titulus præficitur: *Quo tempore cœperint Canones Conciliorum Generalium.*

Verùm quàm parum authenticum sit hoc fragmentum, probant tum hîc notata per Correctores Romanos, tum quæ de hoc scripsit vir doctissimus Antonius Augustinus in Dissertatione de veterum Canonum collectoribus, *cap.* 16.

De auctoritate Conciliorum generalium.

Cæterum quo tempore, & quâ occasione singula Concilia generalia celebrata sint, accuratiùs notârunt, qui Conciliorum historias ex professo scripserunt.

De auctoritate quatuor Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis agit *Canon* 2. prolato fragmento ex Epistola S. Gregorii, in qua de his quatuor Conciliis ita loquitur: » Sicut sanc» ti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia sus» cipere & venerari me fateor. «

Post hæc subdit Gratianus: » Quintum quoque » Concilium pariter venerer. « Tum ibidem enumerat, quorum scripta in eodem Concilio fuerint damnata, scilicèt Ibæ, Theodori, & Theodoreti.

Cur nonnulli V. Concilium recipere recusaverint.

Hæc sunt tria illa Capitula, quorum occasione nonulli quintam Synodum non recipiebant: eorum enim condemnatio gravissimas, etiam inter Catholicos, excitavit contentiones, quin & Ecclesiæ scissuras; imò nec hodiè super his Capitulis inter Theologos convenit; nonnullis opinantibus in hac condemnatione Synodum quintam errâsse, sensumque horum scriptorum non habuisse sat perspectum: potest enim juxta ipsos Synodus, etiam Œcumenica, in simili quæstione facti, quis sit sensus alicujus libri vel auctoris, errare.

Cæterum Romanos Pontifices in sua ad Pontificatum assumptione, professos fuisse, octo ut minus seculis, se omnia decreta & deffinitiones Conciliorum generalium suscipere, constat ex libro Diurno RR. Pontificum; atque latiùs probatum est in jure Eccles. *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 1.

Observanda circa decretum nomine Gelasii de libris apocryphis.

Canone 3. refert Gratianus prolixum decretum sub hoc titulo: *Gelasius in Concilio habito Romæ cum 70. Episcopis scribit.* Huic Canoni præmittitur hoc summarium: *Quæ Concilia sancta Romana Ecclesia recipiat?*

Porrò in hoc Gelasiano decreto non agitur de Conciliis nisi in prima periodo, quæ finitur ad illa verba: *Custodienda, & recipienda decernimus, & mandamus.*

Cæterum in hoc decreto, quod vulgò Gelasio adscribitur, tot variantes lectiones & inscriptiones, tum in antiquioribus, tum in recentioribus Decreti codicibus editis & manuscriptis, tum apud alios Canonum Collectores occurrunt; ut vix sciri queat, quid ipsum originale contineat, ut & notârunt Correctores Romani ad verbum, *mandamus*: » Post hoc » verbum, inquiunt, in decreto Gelasii sequitur » continenter: item *Opuscula B. Cypriani*, *&c.* » Sed Burchardus & Ivo in Panormia habent ut Gra» tianus. Ac certè in toto hoc capite tot modis discre» pant collectiones ab originali, ut satis certò statui » non possit, quæ vera & pura sit Gelasii lectio, nec » magnoperè sit mirandum, si nonnulla sint, quæ dif» ficultatem faciunt. « Videri poterunt notæ Stephani Baluzii.

DISTINCTIO XVI.

De Canonibus vulgò Apostolorum.

HAc distinctione tractat Gratianus de Canonibus vulgò *Apostolorum*, de eorum numero, auctore, & receptione: sed adeo confussè, adductis & truncatis tot apochryphis monumentis, ut vix intelligi queat, quid dicere velit, uti ex notis Correctorum Romanorum patet.

De his parum accurate Gratianum.

Quæ de Canonibus sextæ Synodi hâc distinctione & de tempore quo singulæ Synodi habitæ fuerunt, Gratianus recitat, pleraque sumpta sunt ex parùm authenticis monumentis, & notanter ex Præfatione collectioni Pseudo-Isidori præfixâ: de his potiùs consulendi, qui Conciliorum historias ex professo scripserunt.

DISTINCTIO XVII.

Penes quem sit auctoritas convocandi Concilia generalia.

HUic distinctioni hunc titulum præfixit Gratianus: » Generalia Concilia, quorum tempore cele» brata sint, vel quorum auctoritas cæteris præemi» neat, sanctorum auctoritatibus suprà monstratum » est. Auctoritas verò congregandorum Conciliorum » penes Apostolicam Sedem est. «

Hâc itaque distinctione adstruere studet Gratianus auctoritatem congregandorum Conciliorum penes Apostolicam Sedem esse.

Et sanè, licèt constet primis, ut minus octo seculis Concilia, præsertim generalia, convocata fuisse per Imperatores, ut perspicuum est, ex litteris, quibus ipsi præfata Concilia indixerunt, & quemadmodum inter alios notavit Edmundus Richerius in Historia Conciliorum; nihilominus & hoc constat, seculo IX. & sequentibus, signanter, postquam in auctoritatem receptæ fuerunt falsæ Decretales, credi cœpisse, hanc convocandorum Conciliorum auctoritatem penes Apostolicam Sedem esse; ut tandem in dictatu vulgò *Gregorii VII.* inter speciales prærogativas Romano Pontifici competentes, etiam hæc his verbis exprimatur: *Quod nulla Synodus absque præcepto summi Pontificis debet* generalis *vocari.*

Eam vindicavit Apostolica Sedi dictatus vulgò Gregorii VII.

Num autem hic dictatus, seu articulorum collectio sit revera Gregorii VII. incertum est. Hoc indubitatum est, uti & notat D. Fleury in sua Historia *Lib.* 63. *num.* 11. inter hos articulos reperiri nonnullos manifestè falsos (*manifestiment faux.*) Insuper & inter eos esse quosdam extractos ex falsis Decretalibus, & contrarios pristinæ disciplinæ; inter quos est indubiè hic supra relatus articulus; utpote, qui in falsis Decretalibus per Gratianum, notanter *Can.* 1. sub nomine Marcelli Papæ, & *Can.* 2. sub nomine Julii Papæ exprimitur eisdem verbis.

Quin nec id mirum, Gratianum hanc sententiam quasi indubitatam proponere, quandoquidem ipse eam suo tempore receptam, tanquam indubitatam videret; prout & hoc circa plures alios articulos Gratiano accidisse constat, utpote, qui passim neglectâ veteri disciplinâ, ad temporis sui disciplinam opus suum inflexit; præsertim quoad ea, quæ Romani Pontificis prærogativas respicere videbantur.

Distinctionem finit adducto *Can.* 7. fragmento Epistolæ S. Gregorii, quâ declarat, quod Episcopi sive in sedendo, sive in subscribendo sequi debeant ordinem, sive tempus ordinationis: *Verùm*, ait, *tempus ordinis non ad Ecclesias, sed ad personas refertur; sicut ex consuetudine Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Episcoporum uniuscujusque Provinciæ evidenter apparet.*

DISTINCTIO XVIII.

Conciliorum Episcopalium auctoritatem contra pristinam disciplinam restringit Gratianus.

HAc distinctione prosequitur Gratianus tractare de Conciliis Provincialibus Episcoporum: præfigit autem hunc titulum: » Episcoporum igitur Con» cilia, ut ex præmissis apparet, sunt invalida ad de» finiendum, & constituendum, non autem ad cor» rigendum: sunt enim necessaria Episcoporum Con» cilia ad exhortationem, & correctionem, quæ et» si non habent vim Constitutionis, habent tamen » auctoritatem imponendi & incidendi, quod aliàs sta» tutum est, & generaliter seu specialiter observari » præceptum. «

Sanè Canones hîc Gratiano relati, Conciliis Episcopalibus auctoritatem non tantùm corrigendi aut puniendi, sed & auctoritatem Canones, & Decreta edendi, attribuunt, neque ante Gratianum hanc auctoritatem hisce Conciliis ullus negare præsumpsit, uti ostendit de Marca *Lib.* 6. *cap.* 14. *de Concord. Sacerd. & Imperii*, concludens *num.* 13. » Quaprop» ter, ait, meritò reprehendendus Gratianus, qui » novum jus introducere conatus est in Decreto suo; » nimirùm posse quidem Concilia hæc causas judica» re, & criminibus debitas pœnas imponere, non » tamen novos Canones condere, non constituere » aliquid vel definire, « ut ipse loquitur in *Distinction.* 18.

Verisimile est, Gratianum hanc limitationem circa auctoritatem Conciliorum Episcopalium excogitâsse, ut Canones hîc relatos conciliare videretur cum fragmentis è falsis Decretalibus per ipsum præcedenti distinctione relatis, in quibus asseritur, *Non esse ratum*

tum Concilium, quod auctoritate Romanæ Ecclesiæ fultum non fuerit, uti habet summarium fragmenti falsæ Decretalis Julii I. relati *Can.* 2. vel ut habet summarium Can. 6. *Provincialia Concilia sine Romani Pontificis præsentia pondere carent.* Cùm enim Gratianus videret non posse negari, Concilia Provincialia juxta Canones Antiochenos, aliosque etiam bis in anno, convocanda & celebranda esse, nullâ de auctoritate aut præsentia Romani Pontificis, ejusve approbatione, aut ejus legati præsentia factâ mentione, conciliationis gratiâ, & ut interim ipsa Concilia quodammodo Romani Pontificis auctoritati subjiceret, effectumque sive executionem ab ejus approbatione dependentem redderet, hanc circa eorum auctoritatem condendi Canones limitationem adinvenit; qua mediante, hæc Concilia sine auctoritate Romani Pontificis celebrata omni ferè pondere destituta essent, contra pristinam consuetudinem per decem & ampliùs secula observatam.

Opinionem Gratiani amplex sunt curiales Romani.

Licèt autem assertum hoc à Gratiano omni auctoritate destitutum inveniatur, nihilominus post evulgatum ejus Decretum, pro jure quasi receptum fuit, præsertim à Romanis curialibus, quia, uti rectè notavit D. Fleury in sua Historia *lib.* 70. *num.* 28. non obstante, quòd Gratianus plura contra Patrum disciplinam sine ulla auctoritate inseruit, & hactenus inaudita suo Decreto asseruerit, tanta equidem seculis sequentibus ejus auctoritas fuit, ut ipsius dicta quasi pro jure reciperentur. Verba ejus sunt: *Ainsi parle Gratien, mais de son chef, & sans alleguer aucune autorité de cette doctrine inouie jusques alors; & toutefois les sicles suivans le ont embraseé sur sa parole: tout ce qui se trouve dans son decret a passé pour la plus pure discipline de l' Eglise; & on ne l' point cherchée ailleurs pendant les trois siecles suivans.*

Et quidem Romanis annitentibus, præsentem Gratiani novam sententiam pro jure quasi invaluisse seculis XII. XIII. XIV. vel inde habemus, quòd his seculis vix ulla legantur celebrata Episcoporum Concilia, nisi Sedis Apostolicæ Legati intervenirent, imò & præsiderent; nec decreta nisi per ipsos probata, quin & formata ederentur; uti notavi in *jure Ecclesiast. part.* 1. *tit.* 21. *cap.* 3. & latiùs in Supplemento ad dictum caput.

Quin & ad eam opinionem conantur inflectere decretum Concilii Tridentini.

Quin nec hodie ab hac Gratiani sententia recedunt Romani: licèt enim agnoscant, Synodos Provinciales posse convocari & celebrari absque speciali licentia Sedis Apostolicæ aut præsentia Legati; quin & decreta ab eis concipi & condi; nihilominus insistendo Gratiani Decreto, sustinent hæc decreta publicari non posse, & consequenter non obligare, nisi prævià fuerint Romæ revisa & examinata, ut probat declaratio Congregationis Cardinalium pro interpretatione Concilii Tridentini data anno 1594. his verbis expressa: » Decreta quæ in Conciliis Provicialibus conduntur, publicari non debent inconsulto Romano Pontifice. «

Hujus declarationis meminit Petrus de Marca, *libr.* 6. *cap.* 14. *num.* 13. notatque, quòd hac Congregatio per hanc declarationem auctoritatem Conciliorum Provincialium quibusdam limitibus circumscribendo, verbis decreti Concilii Tridentini vim apertam intulerit: uti & latiùs deduxi in supplemento ad *partem* 1. *juris Eccles. tit.* 20. *cap.* 3. *num.* 3.

Cæterum de tempore, quo hæc Concilia Provincialia celebranda sint ex præscripto Canonum, qui hîc à Gratiano referuntur, necnon de obligatione Episcoporum ad eam accedendi, uti & de causis, quæ ab accessu excusant, & formâ quâ hæc excusatio intimanda sit, pleniùs deduxi in jure ecclesiastico *p.* 1. *t.* 20.

DISTINCTIO XIX.

De auctoritate decretalium Romanorum Pontificum.

HAc distinctione agit Gratianus de epistolis decretalibus Romanorum Pontificum earumque auctoritate.

Itaque initio distinctionis ait: » De epistolis Decretalibus quæritur, an vim auctoritatis obtineant, cùm » in corpore Canonum non inveniantur. «

Hîc à Gratiano intelligi famosas decretales per Pseudo-Isidorum primis Pontificibus suppositas; & per corpus Canonum codicem Dyonisii Exigui manifestum est ex his, quæ producit pro resolutione quæstionis & notanter pro asserenda decretalium auctoritate.

Adfert enim *Can.* 1. pro resolutione quæstionis propositæ prolixum fragmentum epistolæ Nicolai I. Papæ ad Episcopos Galliæ inter quos tunc temporis & eruditione, & auctoritate, ac zelo pro tuenda ecclesiastica disciplina eminebat Hincmarus Remensis: in hac epistola contendebat Nicolaus contra hos Episcopos adstruere harum decretalium auctoritatem, licet in Codice Canonum non reperirentur.

Utrum objectionem Episcoporum Galliæ, ac signantes Hincmari Rhemensis contra harum confictarum decretalium auctoritatem sat solidè solverit Nicolaus, meritò ambigi posset. Cæterum responsum Nicolai probavit Gratianus, atque de harum Decretalium auctoritate, sinceritate, & veritate nullatenus dubitans, eas in confirmationem suorum dictorum sparsim adducit; notatque D. Fleury, quòd iis innixus in omnibus faveat novellis prætensionibus Curiæ Romanæ, *Il favorisce*, ait in sua historia ecclesiastica lib. 20. n. 28. *par tout les nouvelles pretensions de la Cour de Rome, fondée sur les fausses Decretales.*

Opinio Gratiani de harum decretalium auctoritate.

Post hæc pro adstruenda in generali omnium sanctionum Sedis Apostolicæ auctoritate, adducit sub nomine Agathonis quædam verba sub hoc summario: *Omnes sanctiones Apostolicæ sedis irrefragabiliter sunt observandæ.*

Ad hanc Gratiani sententiam reflectens Ludovicus Hericourt in sua Analysi monet, quòd sicuti tempore Nicolai I. contendebant Episcopi Gallicani, Decretales vim legis non habere, dum in *codicem Canonum* non erant relatæ; ita etiam hodie prætendant: *Que les Bulles des Papes, n' ont force de loi en France, que quand elles ont eté confirmées par des Lettres Patentes enregistrées du Parlement, acceptées par les Pasteurs, & publiée dans leurs Dioceses.*

Eandem quoad Bullas Pontificias esse praxim Belgicam, latè ostendi in tractatu de Promulgatione Legum, seu Placito Regio.

Ut Gratianus eam auctoritatem decretorum Sedis Apostolicæ ampliùs confirmet, profert Canone 3. decretum, cui hoc præfigitur summarium: *Tolerandum est jugum, quod à S. Sede imponitur, licèt importabile videatur.*

Id autem in decreto his verbis exprimitur: » In » memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Ro» manam & Apostolicam Sedem; ut quæ nobis Sacer» dotalis est mater dignitatis, esse debeat ecclesiasticæ » magistra rationis: quare servanda est cum mansue» tudine humilitas, ut licèt vix ferendum ab illa sancta » Sede imponatur jugum, tamen feremus, & pia de» votione toleremus. «

Hoc decretum juxta Correctionem Romanam extat quasi desumptum ex *Capitulis Caroli Imperatoris*; notaturque extare apud Burchardum sub nomine *Concilii Triburiensis cap.* 30. quod & notavit Stephanus Baluzius in additione ad cap. 16. lib. 2. Petri de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii*: ubi monet verisimiliter Patres Triburienses verba illa mutâsse ex legibus Caroli, atque ita legem fecisse suam, quam approbaverunt: » Sed utcunque, ait, se res habeat, » magni momenti sunt verba istius capitis: nam cùm » auctor vellet gratificare Romano Pontifici in causis » ecclesiasticæ disciplinæ; videretque hoc pacto non» nulla tentari contra consuetudines receptas, usus » est eadem dexteritate, qua usus olim erat in Conci» lio Sardicensi Osius Cordubensis Episcopus, ut » Episcoporum dejectorum appellationes ad Roma» nam Sedem approbari curaret ab eadem Synodo, » nimirum adducta reverentia, quæ B. Petro, sedi» que ejus debetur. «

Monetque præterea, quòd hæc formula, & *nomen Beati Petri* ad conciliandam Sedi Apostolicæ & ejus decretis majorem reverentiam frequenter assumatur.

Canone 4. adducit Gratianus suppositicium decretum sub nomine Stephani Papæ sub hoc summario: *Quidquid Romana Ecclesia statuit vel ordinat, ab omnibus observandum est.*

Quinimò *Canone* 6. refert verba S. Augustini tanquam sumpta ex *lib.* 2. *de Doctrina Christiana, cap.* 8. cum hac epigraphe: *Inter canonicas scripturas decretales epistolæ connumerantur*: quibus videtur indicare Gratianus, quasi Augustinus etiam has decretales (de quarum auctoritate hac distinctione agitur) inter *canonicas scripturas* connumerâsset; quod & correctores Romani observâsse videntur: postquam enim monuerunt, caput hoc apud Augustinum aliter haberi, quàm retulit Gratianus, post ibidem relatam Augustini sententiam adduut; *Quæ quidem B. Augustini sententia non ad decretales Romanorum Pontificum;*

sed ad canonicas & sacras scripturas referenda est.

Addit *Canone* 7. textum ex epistola S. Leonis ad Episcopos Viennensis sub hoc summari: *Ministerii divini se exortem intelligat, qui à soliditate Petri recedit.*

An Pontifices in suis decretis recedere posint à Patrum decretis, & Evangelicis præceptis.

Quantumvis autem Gratianus hâc distinctione omnia etiam apocrypha, & ad alienum sensum detorta impenderit ad adstruendam & amplificandam auctoritatem decretalium, & decretorum Sedis Apostolicæ; nihilominus ad calcem hujus Canonis 7. (in quo refertur fragmentum epistolæ S. Leonis magnificè de Petri prærogativa loquentis;) subdendum censuit sequens monitum: *Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus vel decretalibus epistolis, in quibus, nec præcedentium Patrum decretis, nec evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur.*

Hoc monitum videtur Gratianus subjecisse ob ea, quæ de Anastasio II. Papa erat dicturus: immediatè quippe post monitum subdit: *Anastasius enim secundus favore Anastasii Imperatoris, quos Acacius post sententiam in se prolatam Sacerdotes vel Levitas ordinaverat, ritè fungi acceptis officiis debere decrevit.*

In his, quæ de Anastasio Papa refert Gratianus, erravit.

Post hæc Canone 8. relato sub hac inscriptione: *Anastasius secundus ad Anastasium Augustum epistola* 1. *cap.* 7. & 8. ita subdit Gratianus: » Quia ergo illicitè & non canonicè, sed contra decreta præ» decessorum, & successorum suorum hæc rescripta dedit, (ut probant Felix & Gelasius, qui Aca» cium ante Anastasium excommunicaverunt, & Hor» misda, qui ab ipso Anastasio tertius, eundem Aca» cium postea damnavit) ideò ab Ecclesia Romana re» pudiatur, & adeò percussus legitur fuisse. «

Dein *Canone* 9 refert, quomodo hîc Papa favore Anastasii Imperatoris ad Pontificatum evectus sit, volueritque contra decreta suorum prædecessorum Acacium jam damnatum in suam communionem recipere; atque fuerit eam ob causam reprobatus, & à Deo percussus, quod in summario Canonis ita exprimitur: *Anastasius II. à Deo reprobatus, nutu divino percussus est.*

Verùm hîc notant Correctores Romani, Gratianum in his, quæ hîc de Anastasio II. Papa dixit, in multis errâsse; monetque Stephanus Baluzius in notis ad citatum Canonem 9. » Certum est, permul» ta in hoc capite esse, quæ non congruunt cum fide » historiæ; neque tamen propterea accusandus est » Gratianus, cùm ille non sit auctor istius narratio» nis, quam accepit ex veteri libro Pontificali Ro» manæ Ecclesiæ. «

Et ante hos Didacus Covarruvias *lib.* 4. *variar. Resolut. cap.* 13. solidè evincit, Gratianum errâsse in his, quæ de hoc Pontifice attulit Can. 9. sed & unà monet *num.* 1. » Cæterum Albertus Pighius *lib.* 4. *de Eccles. Hierarch. cap.* 8. » multam adversus Gratia» num excandescit in iram, pio quidem animo, & » ferventissimo in Apostolicæ Sedis majestatem zelo; » quippe qui omni conatu contendat, summos Pon» tifices, qui post Petrum sedem illam obtinuere, à » labe hæresis prorsus immunes fuisse. «

Errorem hunc Gratiani etiam notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 6. cùm enim unus collocutorum dixisset: » Non persequar hæc latiùs; cùm id » satis acerbè Albertus Pighius & alii prosequantur; « Respondet Antonius Augustinus: *Modestiam in eis requiro, sed causæ suæ interveniunt.*

Non sine fundamento proinde notârunt hîc Correctores Romani, quod circa ea, quæ de Anastasio II. Papa dixit Gratianus, *in multis erraverit*: sed optandum esset, ut in notandis cæteris Gratiani erroribus tam soliciti fuissent: At verendum, ne de ipsis dici queat, quod de Pighio aliisque dixit Antonius Augustinus, *sed causæ suæ inserveniunt.*

Interim ex his, quæ occassione Anastasii Papæ scripsit Gratianus, dubitari non potest, quin supposuerit & existimaverit, fieri posse, ut aliquid inveniatur in decretis Romanorum Pontificum, quod *decretis præcedentium Patrum, aut Evangelicis præceptis contrarietur*; quod & aliis locis sat apertè indicavit, uti in sequentibus notabitur.

De his autem quæ *Canone* 10. dicit Gratianus de Maximo Cynico, & à Correctoribus Romanis circa hæc annotantur, videri poterunt notata ad Canonem 4. Synodi Constantinopolitanæ primæ in tractatu Historico Canonico *Part.* 2. *cap.* 1. §. 13.

DISTINCTIO XX.

De auctoritate decretalium comparata ad expositione Sacra Scriptura.

HAc distinctione disserit Gratianus de auctoritate decretalium Romanorum Pontificum comparata ad expositiones sacrarum litterarum: » Nunc, » inquit, quæritur de expositionibus (aliàs Exposito» ribus) sacræ Scripturæ, an exæquentur, an subji» ciantur eis: quo enim quisque magis ratione ni» titur, eo majoris auctoritatis ejus verba esse vi» dentur: Plurimi autem tractatorum, sicuti ple» niori gratiâ Sancti Spiritûs, ita ampliori scientiâ » aliis præcellentes, rationi magis adhæsisse proban» tur: unde nonnullorum Pontificum constitutis Au» gustini, Hieronymi, atque aliorum tractatorum dicta » videntur esse præferenda. «

In judiciis ferendis prævales auctoritas Prælatorum: in interpretandis SS. Scripturis prævalet auctoritas SS. Patrum.

Deinde immediatè ita prosequitur: » Sed aliud » est causis terminum imponere; aliud sacras Scrip» turas diligenter exponere. In negotiis definiendis, » non solùm est necessaria scientia, sed etiam potes» tas. Unde Christus dicturus Petro: *Quodcunque li» gaveris super terram, erit ligatum & in cœlis &c.* » priùs dedit sibi claves regni cœlorum; in altera dans » ei scientiam discernendi inter lepram & lepram, in » altera dans sibi potestatem ejiciendi aliquos ab Eccle» sia vel recipiendi. «

His præmissis quæstionem ita resolvit: » Cùm ergo » quælibet negotia finem accipiant, vel in absolutio» ne innocentium, vel in condemnatione delinquen» tium; absolutio verò vel condemnatio non scien» tiam tantùm, sed etiam potestatem præsidentium » desideret; apparet, quod divinarum tractatores » Scripturarum, etsi scientiâ Pontificibus præemineant, » tamen, quia dignitatis eorum apicem non sunt adep» ti, in sacrarum quidem Scripturam expositionibus » eis præponuntur; in causis verò definiendis secun» dum post eos locum merentur. «

Censet itaque Gratianus in decidendis sive judicandis causis & edendis decretis expositiones S. Scripturæ, etiam SS. Patrum, cedere decretis, & decisionibus, utpote quibus auctoritas ligandi & solvendi, necnon causas decidendi data est: at in sacrarum Scripturarum expositionibus eis Pontificum decreta postponi.

Idem censuerunt Patres Concilii Toletani XIV.

Hanc sententiam de expositionibus sacrarum Scripturarum per SS. Patres factis præferendis summorum Pontificum decretis, seculo VII. secuti Episcopi Hispani leguntur: cùm enim anno 686. in Concilio Toletano XIV. præsidente S. Juliano Archiepiscopo Toletano concepissent confessionem fidei 16. Capitulis constantem, eamque ad Benedictum II. Papam misissent, intellexerunt in hac confessione quatuor capitula Benedicto displicere.

Igitur rursus biennio post congregati in Concilio Toletano XV. decreverunt hæc quatuor Capitula conferre cum dictis SS. Patrum; at cum post factam collationem ea reperissent consona doctrinæ & expositionibus SS. Ambrosii, Augustini, & Fulgentii, pronuntiant: » Quos quia celebres in toto orbe Doctores fe» riata Ecclesiarum Dei vota percenseant, non illis » est succesendum sed potiùs succumbendum; quia » omne quod contra illos sapitur, à rectæ fidei re» gula abhorrere sentitur. «

Deinde subjicere non verentur: » Jam verò si post » hæc, & ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc » prolata sunt, in quocunque dissentiant, non jam » cum illis est ampliùs contendendum, sed majorum » directo calle inhærentes vestigiis, erit per divinum » judicium, amatoribus veritatis responsio nostra su» blimis, etiam si ab ignorantibus æmulis censeatur in» docilis. » Hæc latiùs habentur apud Labb. *tom.* 6. *Conc. col.* 1303.

Hæc dirigit contra Romanos quorum super articulis judicium postulaverant, contextus probat, & notavit D. Fleury in sua historia *lib.* 40. *n.* 40.

Ex quibus evidens est, hos Patres non secus ac Gratianum existimâsse, quod dum agitur de sensu Scripturæ sacræ, expositiones SS. Patrum decretalibus Pontificum simpliciter cedere non debeant.

Distinctionem hanc absolvit Gratianus tribus Canonibus, quorum primo exhibetur fragmentum epistolæ Leonis IV. ad Episcopos Britaniæ, quæ extat integra *tomo* 10. *Conciliorum Generalium column.* 30. Huic fragmento præmittit Gratianus hoc summarium: *Aliorum scripturæ Romanorum Pontificum decretis non sunt præponendæ*; scilicèt in *judiciis & causis* de-

ci-

cidendis, uti ex verbis Gratiani præcedentibus, necnon contextu relati fragmenti manifestum est. Unde in integra epistola, huic fragmento præfigitur hoc summarium: *Per quæ decreta debeant judicare Episcopi.*

Quæ sint decreta juxta quæ causas debent decidere Episcopi.

Quæ autem sint decretales Pontificum, per quas judicare debeant, in principio declarârunt his verbis: *Quæ habentur apud nos simul cum Canonibus*, sive, uti legitur integra epistola, & hic in nota marginali, *in Canone.*

Porrò ex Canonibus Conciliorum, & decretis Pontificum, quæ hic recitat Leo, & de quibus testatur, quod his ipsi Romani in *judiciis* uterentur, esse Canones Conciliorum, & decretales & decreta præsulum Romanorum, quæ in codice *Dionysii Exigui* continebantur, manifestum est consequenter ea ætate hunc codicem apud Romanos auctoritatem adhuc obtinuisse, ut juxta Canones & decreta Romanorum Pontificum, in eo contenta judicare deberent Episcopi, quod & notavit de Marca, *lib. 3. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 4. num. 5.* qui ibidem rectè reflectit, Leonem auctoritatem falsarum decretalium primis Pontificibus suppositarum non agnovisse: » Etenim suppositiiis antiquorum Pontificum » epistolis, ait, quæ jam à sexaginta annis sub Isido» ri nomine consarcinatæ, per Europam sparsæ vul» gabantur, locum inter Canones dare noluit; hæc » est enim verborum illorum sententia, cum de re» gulis decretalium loquitur, id est: *Quæ habetur apud* » *nos simul cum illis in Canone*; statimque non Ana» cleti, non Evaristi, cæterorumque Pontificum » ψευδεπιγράφους epistolas enumerat, sed Sirici, Innocen» tii, Zosimi & aliorum Pontificum, quæ habentur » in colectione Dionysii. «

Seculo IX. codice Dionysii Exigui utebatur Ecclesia Romana.

Post hæc meritò monet: » Quare quod Leo Pon» tifex ad cætera decreta, Sylvestri Canones adjungit, » omninò delendum est; quia sine dubio vitio scrip» toris in textum irrepsit, præsertim cum illa tempes» tate nondum Canones *Sylvestri* nec apud Sedem » Apostol. nec apud provincias recepti fuissent, ut » docet Hincmarus. «

Post relatos Canones, & regulas decretalium, quæ in collectione Dionysii continebantur, subjugit Leo: » Isti omninò sunt, & per quos judicant Episcopi & » per quos Episcopi simul judicantur & Clerici. « Judicium non obscurum, quod Leo censuerit auctoritatem harum decretalium Romanorum Pontificum urgendam non esse, eò quod cum aliis Conciliorum Canonibus insertæ non reperiantur in Canone sive codice Dionysii Exigui, quo tunc utebatur Romana Ecclesia. Proinde probâsse videtur Leo argumentum, quo eo seculo IX. usus fuisse legitur Hincmarus Rhemensis contra Nicolaum I. Papam auctoritatem falsarum decretalium urgentem; quia in *codice Canonum* non haberentur descriptæ, uti supra ad *Distinctionem* 19. notatum est.

Decreta relata sub nomine Nicolai, & Innocentii sunt suspecta fidei.

Circa decretum sub nomine Nicolai I. hic relatum *Canon. 2.* ad asserendam decretalium auctoritatem, exigui ponderis est, uti tum ex dictis præcedenti distinctione, tum ex notatis circa fragmenta sub nomine hujus Pontificis per Gratianum sparsim producta, videri poterit.

Non majoris ponderis est decretum sub nomine Innocentii Papæ relatum, *Can. 3.* uti ex nota Correctorum Romanorum intelligi potest: expressè enim monent, ne inter epistolas Innocentii I. reperiri, nec Innocentio II. adscribi posse; eò quod idem referat Burchardus Innocentio II. anterior; ac proinde solius Burchardi fidei (è quo Gratianus verisimiliter transcripsit) innitatur.

DISTINCTIO XXI.

POstquam Gratianus viginti distinctionibus egit de Canonibus, ac decretis Pontificum, quibus negotia ecclesiastica terminantur, hac distinctione & subsequentibus usque ad finem hujus primæ partis sui Decreti, tractare aggreditur de Ministris Ecclesiæ eorumque origine, institutione, officiis, qualitatibus, electione ac ordinatione, uti ipse in prœmio huic distinctioni præfixo exponit.

Hic incipit tractatus Ordinandorum: unde sic dictus.

Distinctionem exorditur Canone 1. per prolixum fragmentum desumptum ex *lib. 7. Etymol. cap. 12. S. Isidori*, cui hoc præmittit summarium *Unde nomina Ecclesiasticorum graduum sumantur.*

Unde sumantur, nomina Clericalium graduum.

Et sanè Isidorus in hoc fragmento exponere conatur incipiendo ad ipso Clericatu, unde singuli gradus, sive ordines suum nomen mutuaverint; atque ostendit omnes à suis officiis sive ministeriis nomen accepisse; hancque Isidori expositionem hodie tam Theologi quàm Canonistæ amplectuntur.

Post hæc agit Gratianus hac distinctione de primatu Romani Pontificis; profertque *Can. 2.* fragmentum epistolæ 2. Anacleti ad Episcopos Italiæ sub hoc summario: *Romana Ecclesia à Christo primatum accepit*; extatque integra *tom. 1. Concil. General.* cum duabus aliis eidem Pontifici adscriptis, sive per Pseudo-Isidorum affictis, uti ibidem notavit Labbæus: proinde nihil solidi ex hac confícta epistolæ pro primatu Ecclesiæ Romanæ à Christo collato concludi potest.

De Primatu Romani Pontificis.

Varia hic supposititia referuntur.

Hoc merito hic notatur, quòd licèt hic epistolarum decretalium confictor totus fuerit ad amplificandas Romani Pontificis prærogativas; nihilominus postquam dixit: » In Novo Testamento post Christum » à Petro Sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo » Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domi» no dicente ad eum: *Tu es Petrus, & super hanc* » *petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ infe» ri non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo cla» ves regni cœlorum.* Hic ergo ligandi potestatem pri» mus accepit à Domino; primusque populum vir» tute suæ prædicationis adduxit: addere non dubi» taverit: Cæteri verò Apostoli cum eodem pari con» sortio honorem & potestatem acceperunt. « De hac pari auctoritate & potestate in cæteris Apostolis, eorumque successoribus, latiùs actum est *Tom. 1. parte 1. juris Eccles. tit. 16. cap. 1.*

Profert Canone 3. fragmentum sub nomine *Gelasii urbis Romæ Episcopi omnibus orthodoxis*, præfixo hoc summario: *Primatum Romanæ Ecclesiæ non aliqua Synodus, sed Christus instituit.*

In margine autem ad initium Canonis notatur: *in decretis cum 70. Episcopis*: quibus verbis indicare voluit notator, verba hujus Canonis reperiri in decreto vulgò *Gelasiano*, *de libris canonicis & apocryphis*; quod creditur editum à Gelasio in Concilio Romano cum 70. Episcopis, de quo videri poterunt notata ad Canonem 3. Distinctionis 15.

His præmissis tertia parte distinctionis monet Gratianus: » In his omnibus, quanto gradus celsior, tanto major auctoritas invenitur: in majoribus siquidem est regendi, & jubendi potestas, in minoribus obsequendi necessitas. «

Ut id probet, subjicit *Canone 5. 6. 7. 8. & 9.* quinque fragmenta unius & ejusdem epistolæ Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem, quæ integra extat *tom. 8. Concil. General.*

Hanc partitionem advertens Antonius August. *lib. 2. Dial. 12.* » Poterat, inquit, si ex fonte hausisset, uno capite omnia verba referre; sic ordinem » quoque epistolæ servasset, quod minimè fecit. « Quis dubitet Gratianum in adeò multiplices incidisse errores, quia sua ex fonte non hausit?

An Pontifex à nemine possit judicari.

In hac epistola potissimum probare contendit Nicolaus, Romanum Pontificem à nemine judicari posse, eumque in finem inter alia impedit acta suppositiii Concilii, quod habitum dicitur in causa Marcellini Papæ, quod hodie passim ut fictitium rejicitur.

Rectè hic notat Ludovicus de Hericourt, quod ex hoc principio, quod Papa sit primus inter Episcopos, sive primatum habeat, malè concludat Nicolaus, Papam non posse judicari nec ab Episcopis, nec à *Conciliis*; eò quod inferiores non habeant auctoritatem in superiores: verba ejus sunt: *De ce principe, que le Pape est le primier de tous les pasteurs, le Pape Nicolas I. conclut que les Papes ne peuvent être jugez par des Evêques, ni par des Conciles; parce que les inférieurs n' ont point d' autorité sur les superieurs: c' est cependant mal à propos que les Ultramontains ont voulu couclure de ces autoritez, que le Pape ne pouvoit etre jugé même par le Concile Œcuménique, pour ce qui regarde la foi, & la réformation générale: car le Concile Général tenant son pouvoir de Jesu Christ, & représéntant l' Eglise universelle a une jurisdiction sour tous ceux qui la composent.*

DISTINCTIO XXII.

HAc distinctione inquirit Gratianus quæ sint inter Ecclesias reputandæ & habendæ majores: » Quia » ergo inquit, major à minori judicari non debet, evi-

Quæ inter Ecclesias primum lo-

locum obtineat. Quæ secundum, &c.

» videndum est, quæ inter cæteras Ecclesias primum » locum, quæ secundum vel tertium obtineat. Roma» na Ecclesia, sicut suprà dictum est, primum locum » inter cæteras obtinet, Alexandrina secundum, An» tiochena Ecclesia tertium ab ea locum accepit. «

Quod Romana Ecclesia primum locum inter cæteras obtineat probat Canone 2. per fragmentum epistolæ Nicolai II. Mediolanensibus inscripta, & Canone 2. per fragmentum fictitiæ decretalis Anacleto suppositæ, quam & ipse Gratianus in multis mutilavit, uti ex notis Correctorum Romanorum patet, qui & ibidem reflectentes ad nomen *Cephas* in hac ficta decretali occurrens, multis hujus nominis significationem exponunt.

Cùm autem Gratianus in proœmio hujus distinctionis secundum locum inter Ecclesias assignâsset Ecclesiæ Alexandrinæ, & tertium Ecclesiæ Antiochenæ conformiter ad Synodum Nicænam, postea ad sui temporis disciplinam reflectens, quæ secundum locum tum Episcopo Constantinopolitano assignabat, profert *Canone* 3. decretum Concilii Constantinopolitani I. quo decernitur: » Constantinopolitanæ civita» tis Episcopum habere oportet Primatus honorem » post Romanum Episcopum, propterea quod sit no» va Roma. «

Prærogativa concessa Episcopo Constantinopolitano non sine difficultate admissa fuit.

Ad hunc Canonem monent Correctores Romani: » Canon hic ex iis est, quos Apostolica Romana Se» des à principio & longo post tempore non recepit. » Hoc pluribus ibidem auctoritatibus adstruunt, ac » dein ex his concludunt: Quanquam Constantinopo» litani Episcopi, Imperatorum potentia freti, se» cundum locum Patriarcalium sedium sivi usurparunt; » idque tandem pacis & tranquilitatis causa fuit ipsis » concessum. «

Quantumvis autem constet, Episcopum Constantinopolitanum ad majorem sensim dignitatem fuisse elevatum, postquam hæc civitas facta est imperialis; nihilominus & hoc constat, quod Romana Ecclesia inter Patriarchales semper manserit prima & *primatum* obtinuerit: quem in finem profert Gratianus *Canone* 4. fragmentum epistolæ S. Gregorii ad Joannem Episcopum Syracusanum, quæ est 12. *lib.* 4. in editione Benedictinorum, sub hac epigraphe: *Apostolicæ Sedi Constantinopolitanum constant esse subjectum.*

An recte arguantur Correctores Romani à Baluzio.

Circa hunc Canonem plura notavit Stephanus Baluzius; atque imprimis monet, quod integra clausula incipiens à verbo *D. Piissimus*, usque ad verbum *profitentur*, desit in omnibus Gratiani antiquis exemplaribus & editionibus, etiam apud Democharem & Contium: » Adjecta ergo est, *ait*, à Correctoribus » Romanis contra omnium codicum & editionum fi» dem: & tamen iidem cum soleant admonere, si quid » propria auctoritate ex originalibus, ut ajunt, addant » in contextu Gratiani, nihil hîc admonuerunt, sed » locum hunc uno tenore ediderunt interpolatum, ac » si Gratianus ita legisset. Qua audacia non video fieri » quicquam posse audacius. Meritò tamen hîc consu» lenda est nota PP. Benedictinorum ad citatam epis» tolam S. Gregorii nov. Edit. ubi excusare nituntur » Correctores Romanos. «

Verum est quod hîc notat Baluzius, in editione Antonii Contii prædictam clausulam non haberi: quod verò idem Baluzius asserit eam in omnibus antiquis exemplaribus non haberi, ac per Correctores Romanos contra fidem omnium exemplarium adjectam, falsum id esse notat Petrus Cussant in notis ad hanc Epistolam Gregorii, ibidem de hac clausula ita disserens: » In nonnullis exemplaribus Gratiani deest hæc » clausula, scilicet in editione Parisiensi anni 1542. in » Venet. 1588. & quibusdam aliis perpaucis: sed » maxima pars tam Mss. quàm editorum Gratiani » exemplarium eam continet: & meritò, cum non » aliter potuerit legere Gratianus quàm legere apud » S. Gregorium: nam in omnibus Mss. & editis ip» sius Registri hæc clausula continetur; & ita eam le» gerunt, quotquot occasione data hanc epistolam re» tulerunt, ut infra memorabimus; imò & ipse Ja» mesius, qui nullam vellicandi Gratianum & Cor» rectores Romanos occasionem prætermittit, eandem » clausulam retulit, utpote quæ in sex Mss. An» glicanis reperiatur: unde appositè sed prudenter, suo » more Correctores Romani clausulam hanc, quæ in » corruptis quibusdam exemplaribus deerat, restitue» runt, ex incorruptis nimirum Gratiani codicibus, » & ex purissimis S. Gregorii fontibus, neque verò » monendos ea de re lectores duxerunt; nempe quia » corruptos illos Gratiani codices, aut non viderunt, » aut si viderunt, tanquam rem notis indignam, con» temnendos censuerunt. «

Monet præterea Baluzius post Baronium, in hac S. Gregorii epistola, non agi de Episcopo Constantinopolitano; sed de *Primate Bizantino* in Africa; adeoque Epigraphen præfatam, nec huic Canoni, nec epistolæ convenire.

Can. 36. Trullanus multipliciter corruptus recitatur à Gratiano.

Canone 6. retulit Gratianus Canonem 36. Concilii Constantinopolitani II. vulgo *in Trullo* his verbis: » Renovantes sancti Constantinopolitani decreta Con» cilii petimus, ut Constantinopolitana Sedes similia » privilegia, quæ inferior Roma habet, accipiat; non » tamen in Ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa: sed » hæc secunda post illam existens, priusquam Alexan» drina Sedes numeretur, dein Antiochena, & post » eam Hierosolymitana. «

Post hæc subjicit Gratianus: » Hinc datur intelligi, » quod Alexandrina Ecclesia de secunda facta sit tertia » & Antiochena de tertia sit quarta, nisi forte quis » duas contendat esse secundas, ut Constantinopoli» tanam & Alexandrinam parem suæ dignitatis velit lo» cum obtinere. «

Hic Canon, prout jam relatus est, legitur in decreto Gratiani in editione Antonii Contii ex editione Antuerpiensi anni 1570. quin & hæc fuit constans lectio hujus Canonis apud Gratianum usque ad factum ac institutam Romanam correctionem sub Gregorio XIII. adeoque facile per quator secula.

Certum est quod Gratianus in relatione hujus Canonis prodiderit vel suam crassam circa Canones ignorantiam; vel magnum pro amplificanda Ecclesiæ Romanæ prærogativa pruritum: quandoquidem apertè Canonem in alienum detorserit sensum.

Ac imprimis uti notavit Contius, & post ipsum Antonius Augustinus pro, *inferior Roma*, in Canone legitur, *senior Roma*. Deinde in Canone fit mentio Synodi Chalcedonensis, quam Gratianus omisit. Præterea ita Canonem expressit & interpretatus est, ut quatuor duntaxat viderentur Patriarchæ, scilicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus, subtracto è numero Patriarcharum Romano Episcopo, quasi hic in tantæ esset dignitatis fastigium elevatus, ut inter Patriarchas numerandus non esset; cùm tamen in Canone Trullano apertè inter Patriarchas primus numeretur: & in Novella 123. Justiniani quinque ordine designentur; sic tamen ut Episcopus Romanus constanter numeretur primus; adeò ut ejus primatus semper etiam à Græcis agnitus sit.

Auctoritate Gratiani de iit Pontifex Romanus inter Patriarchas numerari.

Gratianum cæco modo etiam errantem secuti Canonistæ, Romanum Pontificem sensim è numero & ordine Patriarcharum expunxerunt, & quatuor duntaxat Patriarchas numerârunt; quos tandem secutus est Innocentius III. *in cap. Antiqua 23. & de Privilegiis*; ubi antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovans, quatuor duntaxat expressit tanquam Patriarchales; sed Ecclesiam Romanam inter eas nequaquam reponit; sed de hac dicit: » Quæ disponente Domino » super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet princi» patum, utpote mater universorum Christi fidelium » & magistra. «

Sed præcipuum circa hujus Canonis inversionem, an ex ignorantia, an ex proposito commissam, Gratiani attentatum versatur circa clausulam, qua Episcopo Constantinopolitano prærogativa assignatur, quæ in Canone per affirmationem ita legitur expressa: *Et in ecclesiasticis ut ille rebus magnificat*: Gratianus vero negative hoc modo expressit: *Non tamen in ecclesiasticis rebus magnificetur ut illa.* Hunc crassum errorem Gratiani, sensum Canonis plane invertentem, attendentes Correctores Romani pro hisce, *non tamen* posuerunt, *necnon*, atque ita in decreto Gratiani correcto hodie legitur

Tempora Conc. VIII. adhuc inter Patriarchas numerabantur.

Hanc distinctionem concludit Gratianus per fragmentum Canonis 21. Concilii VIII. sub Adriano II. relatum hîc *Canone* 7. Evidens est tum ex contextu Canonis, tum etiam ex hoc fragmento, Sedem Romanam inter Sedes seu Ecclesias *Patriarchales* fuisse adhuc illo tempore numeratam, eique primum, Constantinopoleos autem secundum locum esse assignatum; atque de omnibus definivisse Concilium. » Neminem » prorsus mundi potentum quemquam eorum, qui » Patriarchalibus præsunt Sedibus inhonorare, aut » movere à proprio throno tentare, sed omni reve» rentia & honore dignos judicare. «

DIS-

DISTINCTIO XXIII.

EXponit Gratianus in procœmio hujus distinctionis, de quibus in ea & sequentibus usque ad finem hujus primæ partis tractare intendat: » Breviter, » ait, quæ inter ecclesiastica officia sit differentia mos- » travimus, nunc à summo incipientes, & usque ad » ultimum gradum descendentes, qualiter quisque eo- » rum debeat ordinari, Sanctorum auctoritatibus os- » tendamus. «

Quæ observanda in electione Romani Pontificis. Decretum Nicolai II de hac electione, ejusque occasio & historia describitur.

Primùm agit de electione summi Pontificis, idque prolato Canone 1. fragmento prolixo decreti Concilii Lateranensis sub Nicolao II. quod integrum extat tom. 9. Concil. General.

Porrò pro intellectu hujus decreti, quo nova forma in electione Romani Pontificis præscribitur, prænotandum quod Stephanus Papa immediatus hujus Nicolai II. prædecessor, decretum edidisset de electione novi Pontificis, relatum in vita hujus Pontificis ex Leone Ostiensi *tom. 9. Concil. General. colum.* 1087. » Post hæc congregatis intra Ecclesiam Episcopis, ait » historicus, clero populoque Romano, sub districta numinis inhibitione constituit, ut si antequam » Hildebrandus Romanæ tunc Ecclesiæ Subdiaconus » ab Imperatrice, ad quam pro quibusdam Reipu- » blicæ negotiis communi consilio mittebatur, rediret, » se mori contingeret, nullus omninò Papam eligere » auderet: sed usque ad illius reditum Sedes Apos- » tolica intacta vacaret, ejus demum ordinanda con- » silio. «

Verùm non obstante hoc decreto, mox à morte hujus Pontificis, non expectato reditu *Hildebrandi*: » Gregorius Lateranensis & Tusculanensis Comes, » comperto Romani Pontificis obitu, sociato sibi Ge- » rardo Galesense, & Romanis potentibus aliquot, » noctu cum armatorum turbis Ecclesiam unà per- » vadunt, & Joannem Velitrensem Episcopum, *Min-* » *cium* postea cognominatum, Papam constituunt *Be-* » *nedicti* nomine illi imposito. «

Ita ex Leone Ostiensi in vita Stephani legitur additurque, quòd nonnulli Cardinales, inter quos & Petrus Damiani, huic electioni resistere & reclamare cœperunt; sed cum hi, qui elegerant, essent fortiores: *Hi omnes timore perculsi per varia loca fugere.*

Postquam autem Hildebrandus (qui postmodum fuit Pontifex dictus Gregorius VII.) à sua ad Imperatricem legatione rediisset, & Florentiæ mortem Papæ Stephani, ac electionem contra hujus decretum factam intellexisset, ad novam electionem processum est; & in Pontificem elegerunt Episcopum Florentinum, qui dictus fuit *Nicolaus II.*

Hæc electio placuit Romanis & Germanis: Attamen de consilio Hildebrandi factum est, ut per Principes Romanos, missa legatione ad Imperatricem, approbatio Regis Henrici, adhuc impuberis, postularetur; hæcque obtenta est, ac insuper nomine Regis demandatum Gothofredo Marchioni Tusciæ, ut hunc electum in urbem ducat, & Benedictum invasorem sedis ejiciat, quod & effectum est: & ita auctoritate Regis schisma extinctum, & electus in Pontificem sub nomine Nicolai II. pacifice Sedem Apostolicam tenuit.

Itaque primò sui Pontificatus anno, scilicèt anno 1059. mense Aprili Synodum celebravit Romæ in Ecclesia Lateranensi cum centum & tredecim Episcopis, plurimis Abbatibus, Presbyteris & Diaconis; ipse eidem personaliter præsidens dixit: » Novit Bea- » titudo vestra, dilectissimi fratres & Coepiscopi, in- » feriora quoque membra Christi non latuit, defunc- » to piæ memoriæ domino Stephano, prædecessore » nostro, hæc Apostolica Sedes, cui auctore Deo de- » servio, quod adversa pertulerit, quod denique per » simoniacæ hæresis trapezitas repetitis malleis, cre- » brisque tunsionibus subjacuerit; adeò ut columna » Dei viventis jamjam penè videretur concussa nuta- » re, & sagena summi piscatoris, procellis intumes- » centibus cogeretur in naufragii profunda sub- » mergi. «

Quæ fuerit præcipua ratio edendi illud decretum.

Evidens est, hæc præcipue respicere ad ea, quæ occasione electionis Joannis Episcopi Velitrensis in Pontificem sub nomine Benedicti contingerant: & quia prævidebatur in hac Romana Ecclesia, ob multitudinem ambientium Pontificale fastigium, id ipsum frequenter posse contingere, huic periculo occurrere volens hic Pontifex, præsenti decreto statuit, ut, » obeunte hujus Romanæ universalis Ecclesiæ Ponti- » fice, in primis Cardinales Episcopi diligentissimè » simul de electione tractantes, mox Christi Cleri- » cos (aliàs Episcopos) Cardinales adhibeant: sicque » reliquus Clerus & Populus ad consensum novæ elec- » tionis accedat, nimirùm præcaventes, ne venalitatis » morbus aliqua occasione subrepat; & ideò religio- » sissimi viri Præduces sint in promovenda Pontificis » electione, reliqui autem sequaces. «

Quinam eo tempore ad electionem Romani Pontificis concurrerent.

Ex his intelligitur, quòd licèt Clerus, Populusque Romanus ab electione novi Pontificis non videretur totaliter exclusus, tamen Episcopi & Clerus Cardinalis præcipuas partes, & penè totales in hac electione jam habere cœpissent, quodque *reliquus Clerus, & Populus ad consensum novæ electionis accederet*: quæ non obscurè insinuant, novam electionem per Episcopos, & Clericos Cardinales factam, cui reliquus Clerus & Populus ad consensum accederet.

Nequaquam proinde negari potest. In hoc decreto non parum à forma & ritu electionis Romani Pontificis prioribus octo ut minus seculis constanter servata recedi: antiquitùs enim, nulla distinctione facta, inter Clerum Cardinalem & reliquum Clerum, ac Populum, ad hanc electionem, non secus atque ad cæterorum Episcoporum electionem, Clerus Populusque vocabatur, eorumque consensu ac suffragiis electio perficiebatur; & consequenter, etiam in electione Romani Pontificis obtinebat sententia S. Leonis, quæ in hoc decreto proponitur: » Nulla ratio sinit, ut inter » Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt elec- » ti, nec à plebibus expetiti, nec à comprovinciali- » bus Episcopis cum Metropolitani judicio consecra- » ti. «

In Ordinatione Romani Episcopi Cardinales Episcopi vicem Metropolitani supplent.

Additur in hoc decreto: » Quia verò Sedes Apos- » tolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, » atque ideò super se Metropolitanum habere non po- » test, Cardinales Episcopi procul dubio Metropo- » litani vice funguntur, qui videlicet electum Epis- » copum ad Apostolici culminis apicem provehant. «

Fatetur igitur Pontifex, quod licèt Sedes Apostolica *Metropolitanum supra se habere non possit*; nihilominus Episcopi Cardinales simul convenientes queant vice Metropolitani fungi, & quasi tanquam auctoritate synodi Provincialis electionem probent & electum ordinent: unde licèt Romanus Pontifex inter Episcopos nullum agnoscat superiorem, qui ipsum judicandi auctoritatem habeat, inde tamen perperam concluditur, quod Synodus *Generalis* ex omnibus Episcopis composita & Ecclesiam universalem representans hanc auctoritatem non habeat, uti perperam conclusisse Nicolaum I. ad Canonem finalem distinctionis 21. notavimus.

Romani Pontificis electio ab Imperatore erat probanda.

Monet autem nominatim Pontifex ut electio hac fiat: » Salvo debito honore & reverentia dilecti filii » nostri Henrici, qui impræsentiarum Rex habetur, » & futurus Imperator, Deo concedente, speratur, » sicut jam sibi *concessimus*, & successoribus illius, » *qui ab hac Apostolica Sede personaliter hoc jus im-* » *petraverint.* «

Indubiè ea ætate adhuc Romanis persuasum erat quod electus in Romanum Pontificem ordinandus non esset, nisi electio Imperatori, sive Regi Romanorum fuisset intimata, & ab eo probata, quemadmodum & in hac electione Nicolai factum fuerat, uti supra dictum est, atque eo tendit clausula decreti *Salvo honore & reverentia dilecti filii nostri Henrici, &c.*

Romani prætenderunt ex privilegio Sedis Apostolicæ jus illud Imperatori concessum fuisse.

Sed & hoc ex integro contextu hujus clausulæ nequaquam obscurum est, auctores hujus decreti prætendisse hoc jus Regis, sive Imperatoris esse personale privilegium à Sede Apostolica impetrandum, quod & notavit D. Fleury in Histor. Eccles. *lib. 60. n. 31.* ubi relata hac clausula Decreti, ait: *On fait ici passer pour un privilege personel le droit de l' Empereur, pour approuver l' élection du Pape, quoique dans la suite de cette Histoire nous aions vû ce droit établi depuis plusieurs siecles: il semble que la Cour de Rome vouloit se prévaloir de la minorité du Roi Henri.* De hoc Jure Regis & Imperatoris videri possunt dicta *Tom. 1. Part. 1. Juris Ecclesiast. tit. 13. cap. 3. num. 3.*

Etiam extra Romam electio Pontificis fieri potest.

Declaratur deinde in prefato decreto: „ Quod si » pravorum, atque iniquorum hominum ita perversi- » tas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita fie- » ri in urbe non possit electio, Cardinales Episcopi cum „ religiosis Clericis, catholicisque laïcis licèt paucis, » jus

» jus potestatis obtineant, eligere Apostolicæ Sedis » Pontificem, ubi congruere viderint: plane, post- » quam electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel » qualiscunque hominum conatus malignitatis studio » restiterit, ut is, qui electus est in Apostolica Se- » de juxta consuetudinem intronizari non valeat; elec- » tus tamen sicut verus Papa, obtineat auctorita- » tem regendi Romanam Ecclesiam, & disponen- » di omnes facultates illius, quod Beatum Grego- » rium ante suam consecrationem fecisse cogno- » vimus. «

Electus in Pontificem, an regere possit Ecclesiam ante ordinationem?

Hæc respicere ad ea, quæ in hac electione contigerat, ex prænotatis nequaquam obscurum est; sed notandum hoc decreto à pristina disciplina recedi dum electo in Romanum Pontificem datur plenum jus regendi Ecclesiam, & proventus recipiendi ac administrandi antequam in Episcopum sit consecratus seu ordinatus. Primitùs enim tametsi ritè electus, pro Pontifice non habebatur, nisi in Episcopum esset ordinatus, uti notavi *Tom.* 1. *Part.* 1. *Jur. Eccles. tit.* 14. *cap.* 5. *num.* 7.

Denique concluditur decretum adjecta pœnarum & multiplicium censurarum comminatione in decreti contraventores. Ex quo habemus, quod ætate hujus synodi, id est seculo XI. post receptas decretales cœperit decretis Romanis inseri censurarum comminatio.

De examine ordinandi in Episcopum.

Post hæc Gratianus multa miscet; atque imprimis *Can.* 2. refert formulam examinis, juxta quam examinandus sit, qui in Episcopum eligitur: hæc formula, ex antiquo Ordine Romano descripta coincidit cum formula, juxta quam ex præscripto moderni Pontificalis Romani Episcopus in sua consecratione per consecratorem examinandus & interrogandus est, uti notavi in *Jure Eccl. P.* 1. *t.* 15. *c.* 3. *n.* 5. & deinde *num.* 6. notavi hoc examen in meram ritualem cæremoniam adhiberi; hocque plurimum differre à serio illo examine, quod sancti Patres in electione Episcoporum tantoperè desiderârunt.

De qualitatibus requisitis in Clericis.

Dein Canone 3. profert Gratianus prolixum fragmentum ex S. Isidoro Hispalensi sub hoc titulo: *Qualis esse debeat Clericorum conversatio*; quod meritò à clericis legitur, & in eo descripta præcepta, & monita reperient, quæ singulatim exposui in *Jure Eccles. Part.* 1. *tit.* 2.

Satius est habere paucos Sacerdotes bonos, quàm multos indoneos.

Rursus *Canone* 4. notandum admodum ac verissimam profert sententiam ex epistola 2. decretali per Isidorum Clementi I. supposita: » Tales ad ministe- » rium eligantur Clerici, qui dignè possint dominica » Sacramenta tractare: melius est enim Domini Sa- » cerdotii paucos habere ministros, qui possint dig- » nè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui » onus grave ordinatori adducant. «

Hîc habemus, quod in præfatione monuimus, plura in supposititis & confictis per Isidorum vulgò *Mercatorem* notanda occurrere utilia, si hæc ab adjectis & insparsis ab Isidoro fœtidis mercibus sedulò secernantur.

Promissio specialis plus attenditur quàm generalis.

Notandum etiam quod *Canone* 6. refertur ex Concilio Toletano: » Quamquam omnes, qui sacris man- » cipantur Ordinibus, canonicis regulis teneantur ads- » cripti, expedibile tamen est, ut promissionis suæ » vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis » gradus ecclesiastica probat disciplina: *Solet enim* » *plus timeri quod* singulariter *pollicetur*, *quàm quod* » generali *sponsione concluditur*. «

De ritu collationis singulorum ordinum.

Prosequitur Gratianus ostendere, qualiter singuli inferiores ordines conferantur prolatis enim in finem pluribus Canonibus sub nomine Concilii vulgò *Carthaginensis IV.* in quibus ritus singulorum, qui & hodie in usu est, exprimitur; & unà designatur functio singulis ordinibus propria, uti in *Jure Eccles. Part.* 1. *tit.* 1. & *Part.* 2. *tit.* 9. exposuimus.

De usu orariis jam pridem usitato.

Miscet & alia nonnulla Gratianus, atque inter cætera *Canone* 9. ex Concilio Bracarensi III. refert: » Ecclesiastica & antiqua institutione præfixum novi- » mus, ut omnis sacerdos, cum ordinatur, orario utro- » que humero ambiatur, scilicet ut qui imperturbatus, » præcipitur consistere inter prospera & adversa, vir- » tutum semper ornamento, utroque circumspectus » appareat humero.“

Ex eodem Canone intelligitur, eo tempore fuisse quosdam Presbyteros, qui tempore sacrificii orarium non assumerent, quare subjungit: » Proinde modis » omnibus convenit, ut quod quisque percepit in con- » secratione honoris, hoc retineat & in oblatione vel » perceptione suæ salutis, scilicet ut cùm sacerdos ad » solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrifi- » cium oblaturus, aut sacramentum corporis, & sangui- » nis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter » accedat, quàm orario utroque humero circumspectus, » sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur conse- » cratus; ita ut de uno eodemque orario cervicem pa- » riter & utrumque humerum premens, signum in » suo pectore præferat (sive perferat) crucis. «

Quæ vestis nomine orarii intelligitur.

Quæ sacra vestis hîc intelligatur nomine *orarii*, incertum est. Illud constat non fuisse eandem semper & ubique hujus ornamenti formam & significationem; uti videri potest apud du Change in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis & ab eo citatos, verbo *orarium*.

Orarii usus in multis coincidit cum hodierno usu stolæ.

Admodum verisimile est, in hoc Canone sumi pro *stola* sacerdotali, prout in Ecclesia Latina pro hoc ornamento sumptum fuisse tempore Caroli Magni habemus ex Alcuino, qui eo tempore scripsit, quamvis forsitam non ejusdem tunc esset formæ cum nostris hodiernis stolis sacerdotalibus.

Nec dubium apparet, quin ii, qui modernas rubricas & sacrarum vestium usum præscripserunt, ea, quæ de orario hic præscripta repererunt, hodierno ornamento, quod stola dicitur, applicuerint, credideritque *orarium* pro stola sumi.

Nam imprimis sicuti hîc dicitur quod non liceat sine orario sacrificium offerre; ita nec hodie sine *stola* sacrificium *utroque humero circumseptus*.

Præterea juxta modernum ritum licèt stola cervicem non premat, tamen ex psæscripto Ritualium observatur, ut stolam primùm cervici, seu capiti imponat Presbyter.

Denique requirunt modernæ rubricæ, ut quemadmodum de orario dicitur in Canone, Presbyter stolam de utroque humero pendentem in *modum crucis* plicatam per cingulum, quo præcingitur, in pectore præfigat.

Ut proinde vix dubitari possit, quin auctor hodierni ritus respexerit ad hunc aliosque à Gratiano relatos Canones; atque ex hoc Canone etiam invaluisse, quòd hodie Presbyteri laicaliter communicantes, ut feria quinta in Cœna Domini, etiam *stola* ex utroque humero pendente induti communicent; dicitur enim in Canone, ut Presbyter » sacramentum corporis & » sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus non » aliter accedat, quàm *orario* utroque humero cir- » cumseptus.“

Inferiores ministri orariis uti non si nuntur, & quare.

Meminit & *Orarii* Gratianus hac distinctione *Canon.* 27. & 28. relatis ibidem Canonibus Laodicenis, quorum priore decernitur, *ministrum* (sive Subdiaconum) *non oportet uti orariis*: & Canone sequenti: *Non oportet Lectores, aut Psalmistas orariis uti, & sic Legere aut psallere.* Rationem hujus inhibitionis reddit Zonaras: „ Ne Subdiaconi, Lectores, vel psal- „ mistæ utentes *orario* viderentur *Diaconi officium* „ *usurpare*: “ Diaconis enim *orarium* dabatur, ut eo, ad exequenda sua officia & ministeria uti possent, uti ex Balsamone, Zonara, aliisque fusiùs intelligi potest.

Probat & id Canon Concilii Toletani IV. relatus à Gratiano distinctione 25. *Canone* 3. sub hoc summario: *Sacerdos utrumque humerum orario ambit*; *Diaconus verò sinistrum tantùm, ut ad ministerium expeditiùs discurrat.*

Quæ pristini orarii forma, & qualiter ab hodierna stolæ forma differat.

Ex quibus intelligitur *orarium* eo tempore ejus formæ, ejusque latitudinis fuisse, ut in Diaconis integrum humerum sinistrum tegeret, ejusque liberum usum impediret: in Presbyteris verò utriusque humeri sive lateris liberum usum non permitteret; atque propterea necesse quodam modo erat, ut in elevatione Hostiæ & Calicis Presbyter in utroque humero circumseptus *orario*, per assistentes ministros juvari deberet; ut scilicet liberum utriusque humeri sive lateris in hac elevatione usum haberet.

Hinc & hodiernus ritus remansit, levandi casulam sacerdotis in elevatione sacræ Hostiæ & Calicis. Similiter & hoc ex veteri disciplina remansit, quod nec Subdiaconi, nec Lectores aut Psalmistæ *orario* sive stola utantur; item quod Diaconi stolam in solo humero sinistro pendentem gestent: imò nonnulla in Missis solemnibus per alios ministros proclamantur, quæ juxta veterum Patrum disciplinam solis Diaconis erant propria, & per alios nequaquam expleri solebant; & quibus eorum etiam in ordinatione tradita instrumenta & sacræ vestes correspondebant. At

„ ho-

hodie hæc omnia in merè externos ritus, qui vix ab aliquo intelliguntur, transierunt; idque ob colapsam Patrum avitam disciplinam, ut in Jure ecclesiastico sparsim notavi.

De usu Dalmatica.

Interserit hîc Gratianus Canone 10. ex epistola Gregorii de veste, quæ dicitur *Dalmatica*, quæ hodie omnibus Episcopis est communis; sed tempore S. Gregorii, Episcopis Gallicanis à Romano Pontifice usum illius gratiosè indultum fuisse, intelligitur ex hac epistola; quod & notavit D. Fleury in Historia Eccles. *lib. 36. num. 10.* cæterum de vario usu & forma hujus vestis videri potest du Cange, verbo, *Dalmatica.*

Qualiter autem unusquisque sit ordinandus, prosequitur hîc Gratianus; atque incipiens *Can. 7.* ab ordinatione *Episcopi*, pergit pluribus Canonibus ex Concilio vulgò *Carthaginensi IV.* referens ibidem formam ordinationis, quæ etiam hodie quoad singulos ordines servatur.

De ministro Ordinum.

Hoc notandum quod omnium ordinum, etiam quatuor minorum, *Minister* dicatur Episcopus; de Psalmista autem, seu Cantore dicatur »Canone 20. »Psalmista, id est, *Cantor*, potest absque licentia »Episcopi sola jussione Presbyteri officium suscipere »cantandi, dicente sibi Presbytero: *Vide ut quod »ore cantas, corde credas; & quod corde credis, »operibus comprobes.*"

Admodum verisimile est, tempore editi hujus Canonis, officium Psalmistæ, sive Cantoris non fuisse reputatum inter officia minorum ordinum, saltem in Ecclesia Latina, uti notavi in Jure eccles. *Part. 2. tit. 19.*

De coma Clericis vetita.

Nonnulla hîc adjungit Gratianus de his, quæ Clericos specialiter dedecent; atque inter cætera ex supposititia decretali Aniceti Papæ: *Ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant; sed desuper caput in modum sphæræ radant.* Et Can. 22. ex Concilio Agathensi: *Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiam si noluerint, inviti detondeantur.* Quin & Canon 23. refert sub nomine Concilii Romani sub Gregorio II. *Si quis ex Clericis relaxaverit comam, sit anathema.* Denique sub nomine Concilii Martini Papæ refert Canone 32. *Nec oportet Clericos comam nutrire, & ministrare, sed attonso capite patentibus auribus.* Hæc per errorem hîc adscribi Martino Papæ aut ejus Concilio; sed esse desumpta ex collectione Martini Bracarensis scitur, & hîc in margine notatur.

Cæterum de hac vetita comæ nutritione, necnon de rasione verticis in modum *spæhræ*, de qua in citata decretali Aniceto supposita latiùs egi in *Tom. 1. Parte 1. Juris Eccles. tit. 2. cap. 2.* ubi ostendi, quis sit verus Ecclesiæ scopus & spiritus in capillorum attonsione, quæ in pristinis & recentioribus synodorum decretis, & in collatione tonsuræ clericalis, jam dictæ rasioni verticis respondentis, exprimitur.

Clerici inferiores vetantur ingredi loca destinata superioribus.

Quemadmodum vetitum fuit Subdiaconis, aliisque ministris inferioribus *orario* uti; ne eo utentes Diaconorum munia sibi arrogare velle viderentur; ita & *Diaconium*, seu *sacrarium*, aut *secretarium* intrare vetantur *Can. 26. & 30.* eò quod hæc loca Diaconis essent destinata & ipsis propria.

Subdiaconis & Clericis inferioribus vetitus sanctorum vasorum contactus.

Insuper additur, quod ministris seu Subdiaconis non licet *sacra vasa* contingere; quia proprium erat Diaconorum officium vasa sacra cum oblationibus populi cum solemni pompa & ritu deferre ad altare; uti ex Morino notavi in Tractatu Historico Canonico, *Parte 2. §. 12. ad Canonem 21. Laodicenum*; atque ibidem notavi, hîc nequaquam agi de simplici & privato contactu sacrorum vasorum, sed de horum solemni gestatione ad altare, quæ tum temporis Diaconis erat propria.

Sed & hoc scitur, circa hæc non eandem fuisse omnium Ecclesiarum & ætatum disciplinam; ac præsertim in multis fuisse Ecclesiæ Græcæ & Latinæ rituum diversitatem; qua proinde attenta, non adeò difficilis erit Canonum conciliatio, qui Subdiacono contingere vasa sacra permittere videntur: quales Canones sunt hîc relati *Can. 31. & 32.* ex Concilio Bracarensi & collectione Martini Bracarensis.

De Ritu nuptiarum.

Concludens autem Gratianus distinctionem hanc adjungit etiam aliqua *Can. 33.* de nuptiarum ineundarum ritu: »Sponsus & sponsa, ait, cum benedi»cendi sunt à sacerdote, à parentibus suis vel para»nymphis offerantur, qui cum benedictionem accepe»rint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictio»nis in virginitate permaneant."

Hoc decretum post Correctionem Romanam legitur sub hoc titulo: *Item ex concilio Carthaginensi IV. cap. 14.* monet autem Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem: »Caput illud nullam habet inscrip»tionem in antiquis Gratiani exemplaribus & editio»nibus, etiam usque ad Democharis & Contii tem»pora; sed quia Demochares & Contius in margine »adnotaverant, sumptum esse ex *Can. 13.* Concilii »Carthaginensis, hinc audaces facti Correctores Ro»mani, eam observationem transtulerunt in textum »Gratiani, fari coacti, quæ nunquam sciverat; acce»pit enim haud dubiè ex Burchardo aut Ivone, apud »quos esse dicitur caput 101. Concilii apud Valen»tias."

Hîc rursus habemus, nos post Correctionem Romanam non habere opus hoc, prout à Gratiano editum fuit. Ulteriùs quod non è fontibus sua sumpserit, sed ex præcedentibus collectionibus, notanter Burchardi & Ivonis.

DISTINCTIO XXIV.

De examine Ordinandorum.

IN procœmio hujus distinctionis, ait Gratianus: »Qualiter Episcopus sit examinandus, & quali»ter ipse simul cum reliquis infra ipsum constitutis »sit ordinandus, breviter monstratum est: nunc au»tem videndum est de sacerdotibus & reliquis an si»ne examinatione sint promovendi. De his ita scribit »Paulus ad Timotheum: *Manus nemini citò imposue»ris, & nihil sine præjudicio facias in alteram par»tem declinando.*"

Huic præfatiunculæ in moderna decreti Gratiani editione subjicitur decretum sub nomine Sylvestri Papæ *in Synodo Romana, cap. 9.* sed imprimis norunt hodie eruditi, acta hujus Synodi esse suppositia. Præterea in hoc qualicunque decreto nihil de examine Ordinandorum ocurrit; de quo tamen se velle tractare in præfatiuncula monuit Gratianus; quin nec summarium huic decreto præfixum legitur; quale tamen cæteris decretis passim adscripsit Gratianus; ut proinde verisimile sit hoc decretum manu recentiore esse adjectum; quod & probat nota Correctorum Romanorum; utpotè qui monent hoc caput quidem inveniri in exemplaribus Vaticanis: *Nam in antiquioribus*, inquiunt, *non est; sed post versiculum*, declinando, *sequitur continenter*, nullus ordinetur, scilicet decretum Concilii III. Carthaginensis sub hoc summario: *Ante probationem nullus ordinetur Clericus*, conficiens hodie *Can. 2.* qui præfatiunculæ Gratiani omninò conveniebat.

Hinc manifestum est, admodum esse incertum quid in hoc opere possit Gratiano reipsa adscribi.

Formula examinis ante Ordinationem instituendi.

Inter ea, quæ de hoc Ordinandorum examine hîc adfert Gratianus, præcipuum est vulgare decretum Concilii Nannetensis relatum *Can. 5.* in quo forma examinis ab Episcopo servanda præscribitur, eò penè modo quo hodierna formula in Ritualibus & Synodis est præscripta, de qua latiùs actum in *Jure Eccles. part. 2. tit. 9. cap. 4.* ubi unà ostendit quod & hodie ex mente Ecclesiæ desideretur testimonium populi, de quo hîc *Can. 6.* cujus est hoc summarium: *Aliàs autem sine clericorum videlicet consilio & populi testimonio nullam Episcopos ordinare præsumat.* Ex quibus admodum verisimile sit, Ritualium nostrorum auctores plurima è Gratiano decreta mutuasse.

Quod Canone 6. refertur tanquam ex concilio *Martini Papæ*, constat esse desumptum ex collectione & versione Canonum Græcorum Martini Bracarensis; estque *Can. 9.* Nicenus, de quo videri possunt dicta in Tractatu Historico Canonico *Parte 2. cap. 1. §. 2. ad Can. 9. & 10. Nicænos & §. 9. ad Can. Neocæsariensem.*

DISTINCTIO XXV.

De muniis singulorum Ordinum Ecclesiasticorum.

GRatianus hac distinctione imprimis profert prolixum fragmentum epistolæ S. Isidori Episcopi Hispalensis ad Ludifredum, ut ostendat quid ad Episcopum, quid ad unumquemque inferiorem pertineat clericum.

Epistolam hac de re sub nomine Isidori malè refert Gratianus.

Notant Correctores Romani, quod integra hæc epistola habeatur in codice Bibliothecæ monasterii Dominicanorum; sed Gratianum integram hanc epistolam non vidisse, aut consuluisse ostendunt, quæ ad hoc fragmentum ex ipsa epistola annotârunt Correctores Romani: atque inter alia notant ad verbum, cla-

clamare, » In Epistola S. Isidori, & apud Ivonem » ita legitur: *Ipse* (Diaconus) *hortatur orare, ipse* » *clamat, & pacem ipse annuntiat.* « Quæ lectio officium Diaconi, tam juxta veterem, quàm modernam disciplinam clarius exprimit, quam Gratiani lectio: uti intelligi potest ex his, quæ de Diaconorum officio notavi in *Jure Eccles. Parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 3.

Insuper monent iidem Correctores ad verbum *Archipresbyter*: » Hunc usque ad verba, *ad Pri-* » *micerium*, non sunt in ipsa epistola Isidori, neque » in Panormia, neque apud Burchardum, & *extra* » *cap.* 1. *de Offi. Archipresbyteri* citantur ex Conci- » lio Toletano. «

Occasio recentis disciplinæ de subjectione Archipresbyteri respectu Archidiaconi.

Verissima est hæc annotatio Correctorum; illa scilicèt non haberi in epistola Isidori, neque in Panormia Ivonis, sed tamen habentur in decreto Ivonis, prout hodie extat *parte* 6. *cap.* 20.

Verùm notat ad hunc locum Ivonis Joannes Molinæus doctor Lovaniensis: » Hæc non habentur in co- » dice Regio, suspectaque mihi perpetuò visa sunt, » quod Archipresbyter subdatur Archidiaconis; quod » vetustum non esse, in Canonibus Conciliorum vel » mediocriter versatus nemo ignorat. «

Admodum verisimile est Gratianum incidisse in exemplar decreti Ivonis, cum prædicta clausula, atque inde hoc fragmentum in suum decretum cum eadem clausula transtulisse.

Refertur quidem in decretalibus Gregorii IX. *in cap.* 1. ✠ *de Officio Archipresbyteri*, clausula hæc de superioritate & auctoritate Archidiaconi super Archipresbyterum sub nomine *Concilii Toletani*; sed in nullo Concilio Toletano reperitur, nec Garcias Loaisa voluit ea verba pro Canone Concilii Toletani agnoscere, unde verisimile est, ex Decreto Gratiani in Decretales dimanâsse.

Quidquid sit, non dubium, hunc esse unum ex articulis, qui occasione decreti Gratiani contra Patrum disciplinam invaluit, & receptus est, ut nimirùm Archidiaconus præcedat Archipresbyterum, vel uti legitur apud Gratianum & in Decretalibus, *ut Archipresbyter sciat se esse sub Archidiacono, & ejus præceptis sicut Episcopi sui, obedire.*

Cæterum quæ hic ex epistola Isidori de functionibus ordinum singulorum referuntur, consonant his, quæ in moderno Pontificali Romano recitantur, uti ostendi in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 9. *de Sacramento Ordinis*: ut vel inde admodum probabile sit, quod sicuti Pontifices in suis decretalibus secuti sunt decretum Gratiani, ita etiam confectores Pontificalis Romani eodem usi fuerint.

Post hæc, interjecto fragmento falsæ decretalis Clementi I. affictæ, nec non decreto Concilii Toletani IV. quo præcipitur, ut Diaconus sive Levita *orarium* duntaxat ferat in sinistro humero de quo diximus ad *distinctionem* 23. post hæc, *inquam* exponit de quibus agendum sit in sequentibus: » Nunc autem, » ait, per singulos gradus ordine recurrentes, qui, » ex quibus ordinibus, in quem gradum conscendere » possint, qui post lapsum valeant reparari, vel qui » non: quibus culpis à propio gradu mereantur deji- » ci, quo accusante, quibus testificantibus possint con- » vinci, cujus sententia sint absolvendi vel condem- » nandi, breviter consideremus; ac primùm à Pon- » tificali gradu incipientes, qualem oporteat eum esse, » qui in Episcopum est ordinandus, diligenter inves- » tigemus, Apostoli regulam secuti, quam in hujus- » modi re Timotheo & Tito scribit dicens: *Oportet* » *Episcopum irreprehensibilem esse*: id est, non ob- » noxium reprehensioni: hoc ad Timotheum: ac Ti- » tum autem: *Oportet Episcopum sine crimine esse*, » quod, ut Hieronymus scribit ab Occeanum, idem » est. «

De qualitatibus ordinandi in Episcopum.

Deinde prolixum discursum subjungit, in quo ostendere vult, quæ dici debeant delicta *mortifera*, quæ *venialia*: illa quidem *igne æterno punienda*; hæc autem *igne transitorio purganda*. Hic discursus conflatus est ex segmentis interpolatis & à suis originalibus dissonis, atque adeò obscurè dispositi, ut vix intelligi queat quid velit, uti ex notis Correctorum Romanorum manifestum est.

Ordinandus in Episcopum debet fuisse immunis à crimine post baptismum.

Hoc interim sat indicat Gratianus, quod ordinandus in Episcopum debeat omni tempore post baptismum fuisse *sine* crimine: relatis enim *Can.* 6. verbis S. Hieronymi ex ejus commentario in epistolam ad Titum, quibus docet, quod ex mente Apostoli, Episcopum oporteat esse sine crimine, sive irreprehensibilem. » Non quod eo tantum tempore, ait, » quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, & præ- » teritas maculas nova conversatione diluerit; sed quod » ex eo tempore, quo in Christum renatus est, nulla » peccati conscientia remordeatur. «

His, inquam, relatis, concludit Gratianus distinctionem his verbis: » Ecce qui ordinandus est in » Episcopum, non solùm tempore suæ ordinationis, » sed etiam omni tempore post baptismum à crimi- » ne immunis esse debet. «

mine post baptismum.

Rationem hujus puritatis in Episcopo necessariæ subjicit ibidem Hieronymus: » Quomodo enim po- » test præses Ecclesiæ auferre malum de medio ejus, » qui in delicto simili corruerit? Aut qua libertate » corripere peccantem potest, cum tacitus tibi ipse » respondeat, eadem admisisse quæ corripit? «

Ratio hujus puritatis in Episcopo requisita.

DISTINCTIO XXVI.

PErgens Gratianus describere & exponere qualitates, ac conditiones, quæ in ordinando in Episcopum juxta Apostolum in epistola ad Timotheum & ad Titum requiruntur, agit hac distinctione de ea, quæ per Apostolum exprimitur his verbis: *unius uxoris vir.*

De qualitate Episcopi his verbis expressa unius uxoris vir.

Id unum Gratianus hac distinctione quærit, utrum ad sensum Apostoli censeatur verus bigamus, qui plures quidem habuit successive uxores; sed unam *ante baptismum*, & alteram *post baptismum*; ita ut post susceptum baptismum unam duntaxat duxerit, & habuerit uxorem.

An sit bigamus censendus, qui duas uxores habuit, unam ante alteram post baptismum.

Sub initium distinctionis videtur Gratianus eam amplecti sententiam, quæ requirit, ut quis ad mentem Apostoli sit bigamus, quod duas duxerit successivè uxores post baptismum: dicit enim; *Sequitur in utraque epistola, unius uxoris virum, post baptismum videlicet non ante baptismum.*

Unde & in probationem adducit *Can.* 1. fragmentum Epistolæ S. Hieronymi ad Occeanum, ubi hic doctor claris terminis scribit; quod is ad mentem Apostoli sit dicendus *unius uxoris vir* sive monogamus, qui *post baptismum* unam duntaxat uxorem duxit & habuit: » Si enim & ante conjugem habuit, quæ obierit, non » ei imputatur, cui prorsus novo homini, nec stu- » pra, nec alia, quæ ante fuerunt, jam obsunt. «

Varias hac de re Patrum sententias refert Gratianus.

Verùm immediatè post relatum hunc textum S. Hieronymi, subjicit sententiam S. Augustini sub hoc summario: *Qui ante baptismum habuerit unam, & post baptismum aliam ordinandus non est.*

In eandem sententiam plures allegat Patrum auctoritates, notanter Innocentii I. nec non S. Ambrosii, quorum sententiam amplectitur, sic loquens ad calcem Canonis 4. » Unde datur intelligi, quod bi- » gami dicuntur, non solùm qui post baptisma con- » jugia frequentant; sed etiam, qui ante baptismum » alteram habuisse probantur; bigamus verò in sa- » cerdotem ordinari non debet, non quia deliquerit » secundam accipiendo uxorem; sed quia prærога- » tiva exutus est sacerdotii. « Et nominatim hæc sententia in decretalibus Gregorii IX. est expressa, atque in Ecclesia signanter Latina generaliter recepta, uti latiùs notavi in *Jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 2. ubi & ostendi, Græcorum Patrum sententiam consonam fuisse sententiæ S. Hieronymi supra expresæ, eamque non obscurè traditam esse in Canonibus vulgò *Apostolorum*, quodque Patres Græci rationem fundamentalem hujus irregularitatis crediderint planè diversam esse ab ea, quæ à Patribus Latinis, notanter ab Augustino fuit, & hodie recepta est.

DISTINCTIO XXVII.

HAc distinctione Gratianus à suo instituto deflectens, arrepta occassione eorum, quæ de bigamia dixerat, hac distinctione quærit, utrum ordinati Diaconi aut Presbyteri debeant servare continentiam.

De castitate in Presbyteris & Diaconis requisita.

Et quidem *Canone* 1. profert Canonem 10. Ancyranum ex versione Martini Bracarensis sub nomine Martini Papæ, uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emendat. Grat. Dial.* 10.

Porrò Martinum Bracarensem in hujus Canonis versione à verbis & sensu Canonis recessisse, & ad suæ ætatis & Ecclesiæ Hispanicæ praxim (ad cujus usum suum codicem conscripsit) inflexisse rectè no-

ta-

tavit Antonius Augustinus, quam versionem hic secutus est Gratianus, uti & monuit idem auctor.

Legit enim Martinus, & post ipsum Gratianus: » Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro acci» piendo matrimonio, & dixerit non posse in casti» tate permanere, hic non ordinetur. « In Canone autem de Diaconis, qui ita protestati fuerint, sic pronuntiatur: *Hi si postea ad nuptias venerint, maneant in ministerio.* Quæ omninò contrarium sensum reddunt. Cui sensui inhæsit Gratianus eò quod versionem Martini, quàm apud Ivonem reperit, secutus fuerit; & non attenderit ad textum Canonis originalem, prout ab ipsomet sequenti distinctione Can. 8. relatus est. De hac Gratiani obscitantia latiùs egimus in *Tractatu scholiorum in Canones, Part. 3. cap. 2.*

Varia circa hoc punctum Patrum sententiæ.

Post hæc pro resolutione propositæ quæstionis varias adducit auctoritates, quarum aliæ supponunt, matrimonium contractum post emissum votum castitatis esse validum; aliæ verò invalidum esse supponere videntur.

Ut conciliet Gratianus, distinguit inter votum simplex & solemne. At in eo à Patrum disciplina deflexit.

Has auctoritates volens conciliare Gratianus, ad calcem Canonis 8. ait: » Hïc distinguendum est, » quod voventium alii sunt *simpliciter* voventes, de » quibus Augustinus & Theodorus locuti sunt: alii » sunt, quibus post votum *benedictio* accedit *Consecrationis*, vel *propositum Religionis*, de quibus » Hieronymus, & Nicolaus, & Calixtus scripse» runt. «

Verùm hîc recessisse Gratianum à pristina Patrum disciplina, notavimus in *Jure eccles. Parte 2. tit. 13. cap. 5.* ubi etiam ostendimus hujus distinctionis inter votum simplex & religionis, sive solemne, nullam mentionem quoad effectum dirimendi subsequens matrimonium in pristinis Canonibus ocurrere: *Verùm à Gratiano non incongruè hîc impensam esse, eò quod suo tempore invalescere cœpisset.*

Refertur quidem hîc *Canone* 3. sub nomine Theodori in Pœnitentiali, textus cum hac vocula, *simplex*; sed monent Correctores Romani: » Abest vox » ista ab omnibus manuscriptis, & infra 27. *q.* 1. » *cap.* 1. *si quis votum*, etiam ab impressis. In ali» quot tamen pervetustis, est glossa interlinearis. « Admodum verisimile est, eam vocem à glossographo recentiore manu in margine appositam, in textum irrepsisse.

Sententia tamen ejus tandem recepta fuit.

Correctores Romani ad verba sub nomine S. Augustini relata *Canone* 2. monent: » Verba propria hu» jus capitis non sunt inventa apud beatum Augusti» num; sententia tamen habetur in libello, *de bono* » *viduitatis*: omninò autem intelligendum hoc est de » voto *simplici*, ut Gratianus in fine hujus distinctio» nis exponit. « Indubiè hi Correctores hanc restrictionem adjicientes, verisimiliter non ad verba aut sententiam Augustini respexerunt, sed ad sui temporis receptam disciplinam, & opinionem, quæ eam Gratiani distinctionem inter votum *simplex* & solemne jam receperat.

DISTINCTIO XXVIII.

HAc distinctione Gratianus tractat de voto castitatis ab ordinandis emittendo.

De voto castitatis à Subdiaconis emittendo.

Sub initium distinctionis asserit: *Ad Subdiaconatum accedentes non sine voto castitatis jubentur admitti*; quod ibidem *Canone* 1. probat auctoritate S. Gregorii in epistola Petro Diacono inscripta.

Non eadem fuit omnium Ecclesiarum in hoc puncto disciplina.

Verùm ex eadem epistola constat, etiam ævo S. Gregorii, non ubique, imò nec in omnibus Italiæ Ecclesiis, eam continentiæ legem Subdiaconis fuisse præscriptam; quod & ipse Gratianus advertit, uti ex dicendis patebit, qui & non semel hâc distinctione monet, non eandem fuisse quoad Diaconos & Presbyteros omnium Ecclesiarum, notanter Græcæ & Latinæ, disciplinam; unde & sub finem distinctionis, pro conciliatione Canonum, qui circa hoc punctum disciplinæ non videntur convenire, monet in his esse distinguendum ex loco, vel ex tempore; imò occasione hâc acceptâ tribus subsequentibus distinctionibus ostendit, Canones esse considerandos & examinandos *ex causa, ex loco, ex tempore, & ex persona.*

DISTINCTIO XXIX.

HAc distinctione profert Gratianus tria fragmenta, ut probet Canones disciplinam exteriorem præscribentes considerandos esse & ponderandos *ex causa, ex loco, ex tempore, & ex persona.*

Canones ex temporum, locorum & personarum circumstantiis expendendi.

Notandum in hanc rem dictum S. Isidori relatum *Canone* 1. » Sciendum est, ait, quòd pleraque » capitula ex causa, ex persona, ex loco, ex tem» pore consideranda sunt, quorum modi, quia me» dullitùs non indagantur, in erroris labyrinthum » nonnulli intricando impinguntur, cùm ante judi» cant, quàm intelligant, ante inculpant quam iterando lecta perquirant. «

Et sub nomine Gregorii dicitur Can. 2. *Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco, & persona, & negotio instante necessitate traditæ sunt.*

Nec enim dubitandum est, quin Regulæ seu Canones exteriorem Ecclesiæ disciplinam concernentes pro temporum, locorum, personarum, & etiam causarum consideratione, & necessitate, editi fuerint, & nonnuuquam temperati, aut eadem postulante consideratione, aut necessitate, mutati.

Obneglectam considerationem sæpè à verò Canonum sensu aberratur.

Quod, si ipse Gratianus & subsequentes Canonum & decretalium glossatores ac interpretes juxta hæc processissent; atque Canones secundum has omnes circumstantias expendissent, non ita à verò sensu Canonum aberrassent; imò nec eorum sensum invertissent, nec disciplinam his expressam reprobâssent: uti & in Analysi rectè notavit Ludovicus Hericourt. Postquam enim monuit, quod in examinandis Canonibus oporteat attendere causas, item circumstantias temporum, locorum & personarum, subjungit: *Ceux qui ne prennent point cette sage précaution en lisant les Conciles & l' Histoire Ecclesiastique, tombent souvent dans l' erreur, & condamnent des usages, dont ils ne connoissent pas les raisons.*

DISTINCTIO XXX.

HAc distinctione ostendere vult Gratianus, sub inde quædam *ex causa* per Canones vetari, quæ alias ex se licita & honesta, quin & multùm laudanda sunt, eò quòd quidam his abutantur. Eum in finem hîc refert Canones synodi Gangrensis celebratæ sub initium seculi IV. contra quemdam Eustachium, ejusque discipulos; in quibus plura de se bona & licita vetantur; quia his ad suos errores & superstitiones abutebantur, uti latiùs ostendi in sæpiùs citato tractatu historico canonico *Part. 2. cap. 1. §. 10.* ubi & singillatim notavi errores & superstitiones illorum hæreticorum, quibus hi Canones opponuntur; necnon qualiter hi Canones in multis à textu Græco difformiter referantur à Gratiano; quod & ex observationibus Correctorum Romanorum liquet.

Nonnunquam quædam de se licita propter abusum vetantur.

DISTINCTIO XXXI.

GRatianus ostendere pergens, quæ circa Canones sint consideranda, sub initium hujus distinctionis, ait: *Tempus quoque est considerandum*: ut autem id probet, subdit: *Quia nondum erat institutum, ut Sacerdotes continentiam servarent.*

Circa Canones, tempus, quo conditi sunt, considerandum est.

In probationem subjungit *Canone* 1. fragmentum epistolæ S. Gregorii, in qua hic Pontifex agens de Subdiaconis per Siciliam constitutis, asserit: *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur.*

Lex continentiæ non fuit eodem tempore ubique Subdiaconis imposita.

Ex his evidens est, quòd circa hunc articulum de servanda continentia à Subdiaconis, alia esset Ecclesiæ Romanæ disciplina, & alia Ecclesiarum Siciliæ, quantumvis hæ essent ex Ecclesiis *suburbicariis* Romano Episcopo jure Metropolitico subjectis, uti omnibus eruditis notum est.

Cùm nonnulli prætenderent compellendos Subdiaconos, qui ante hanc *à triennio* editam constitutionem erant ordinati, servare continentiam, & à suis uxoribus, quas duxerant, separandos, scribit Gregorius: » Quod mihi durum, atque incompetens vide» tur, ut, qui usum ejusdem continentiæ non inve» nit, neque castitatem ante promisit, compelliatur » à sua uxore separari, atque per hoc (quod absit) » in deteriùs cadat. «

Non dubium igitur rectè hîc à Gratiano notari, legem continentiæ per Canones non eodem tempore mi-

ministris Ecclesiæ fuisse impositam : sed rectè monent Correctores Romani, ex hac epistola id duntaxat probari de *Subdiaconis* ; non autem de Presbyteris aut Diaconis, ut indicare videbatur Gratianus dicens : *Nondum erat institutum, ut Sacerdotes continentiam servarent.*

Indubitatum quippè est, etiam ante tempora S. Gregorii, saltem in Ecclesia Latina, Presbyteris & Diaconis legem continentiæ fuisse impositam, quod & probant auctoritates Patrum & Conciliorum, quæ à Gratiano proferuntur, & ipse Gratianus etiam fatetur.

Eademque lex etiam Subdiaconis sensim post tempora S. Gregorii *generatim* in Ecclesia Latina, non secus ac Presbyteris & Diaconis imposita fuit, etiam antequam Subdiaconatus inter sacros ordines haberetur, uti observatum est in *jure Eccles. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. in tantum quidem, ut, si ante ordinationem legitimas uxores duxissent, histamem post ordinationem uti non possent, uti probant auctoritates à Gratiano hîc relatæ.

Ratio impositæ continentiæ ministris altaris.

Rationem hujus decreti reddit Gratianus ad calcem Canonis 1. dicens : » Causa hujus institutionis » munditia sacerdotalis fuit, ut liberè cunctis diebus » orationi possint vacare : si enim (ut Paulus ait) ab » uxoribus est cessandum, ut expeditiùs orationi va- » cemus ; ministris utique altaris, quibus quotidiana » necessitas orandi incumbit, nunquam conjugali offi- » cio vacare permittitur. «

Hanc rationem ante Gratianum jam pridem reddiderunt Patres, quorum dicta hîc referuntur, atque inter alios breviter expressit venerabilis Beda relatus *Canone* 2. » Sacerdotibus, ut semper altari queant as- » sistere, semper ab uxoribus contienendum, sem- » per castitas observanda præcipitur : « quæ ratio pluribus adstruitur ab Innocentio I. & S. Hieronymo verbis *Canone* 4. 5. 6. & 7. relatis.

Circa ea, quæ ad calcem Canonis 7. subjicit Gratianus de Canone synodi Grangrensis, meritò consulitur observatio Correctorum Romanorum & Tractatus noster Historico Canonicus, *parte* 2. 1. §. 10. *ad Canonem* 1. *Grangrensem.*

Uxori ante ordinationem ducta de necessariis providendum.

Deindè monet Gratianus ad calcem Canonis 9. quòd licèt Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus non possit post ordinationem uxore suâ, quam ante ordinationem suam legitimè duxerat, uti, eam tamen contemnere non possit : *Hoc est ab animo & cura sua ajicere, quin & necessaria provideat.* Probat id auctoritate Leonis *Canone* 10.

Tandem ad calcem Canonis 11. ait : » Ut igitur ex » his auctoritatibus apparet, Sacerdotes uxoribus, quas » in laici habitu, vel in minoribus ordinibus constituti » sibi legitimè compulârunt, necessaria ministrare, de- » bita verò reddere non valent. «

Historia de Paphnutio à Gratiano relata.

Post hæc *Canone* 12. objicit sibi Gratianus famosam & vulgarem historiam de Paphnutio Episcopo & Confessore relatam per Socratem & Sozomenum, & ex his in historia tripartita, è qua eam hîc recitat Gratianus.

Hæc historia, prout hîc relata est probat, huic sancto Confessori nequaquam placuisse, ut per synodum Nicænam lex ederetur, quâ interdiceretur Presbyteris & Diaconis uti suis uxoribus, quas ante ordinationem suam duxerant ; quin & ab hac lege ferenda Patres Nicænos dimovisse.

Quantumvis non eadem sit de veritate hujus historiæ eruditorum sententia, nihilominus hoc sat constat, Gratianum de ejus veritate non dubitâsse, atque credidisse tempore synodi Nicænæ, licitum fuisse Presbyteris & Diaconis liberè uti suis uxoribus, quas ante ordinationem suam duxerant ; quin & ibidem refert *Canone* 13. decretum Synodi IV. sive *in Trullo*, quo idipsum Presbyteris & Diaconis permittitur.

Varia fuit Ecclesiæ Latinæ & Græcæ disciplina circa usum uxorum ante ordinationem ductarum.

Hæc ut cum præcedentibus conciliet, ad calcem hujus Canonis subjecit : » Hoc autem *ex loco* intel- » ligendum est. Orientalis enim Ecclesia (cui sexta » synodus regulam vivendi præscripsit) votum casti- » tatis in ministris Altaris non suscepit. «

Hanc conciliandi rationem probat verbis Stephani Papæ relatis *Canone* 14. » Aliter se Orientalium tradi- » tio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ » Ecclesiæ ; nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque » Subdiaconi matrimonio copulantur : istius autem » Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus sacerdotum à » Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet » conjugium sortiendi. «

Quantumvis non constet de veritate hujus epistolæ, certum tamen est, hodie Ecclesiam Orientalem permittere Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis usum conjugii ante ordinationem legitimè contracti, ut notavi in Tractatu Historico Canonico *parte* 3. §. 7. *ad Canonem* 13. *Trullanum*, atque adeò etiam hodiè quoad hoc punctum aliam esse Orientalis Ecclesiæ à praxi Ecclesiæ Latinæ disciplinam.

DISTINCTIO XXXII.

EX dictis distinctione præcedenti concludit hîc Gratianus : *Servanda ergo continentia ab omnibus in sacris ordinibus constitutis.*

Circa continentiam Subdiaconorum non erat olim eadem ubique disciplina.

Profert hunc in finem fragmentum epistolæ S. Leonis, è quo habetur, quòd eo tempore esset consuetudo Romanæ Ecclesiæ, ut Subdiaconi à suis uxoribus abstinere deberent ; quamvis ea lex in pluribus Ecclesiis nondum esset Subdiaconis imposita, uti & monent Correctores Romani, & ad distinctionem præcedentem notavimus : ex quo habemus disciplinam Romanæ Ecclesiæ non semper fuisse in omnibus aliis Ecclesiis receptam.

Tempore S. Gregorii Clerici in sacris non constituti poterant uti conjugio, & stipendia ab Ecclesia recipere.

Notandum, quod *Canone* 3. retulit ex epistola S. Gregorii ad Augustinum Anglorum, in qua respondit Gregorius, quod » si qui sint Clerici extra sacros » ordines constituti, qui se continere non possunt, » sortiri uxores debent, & stipendia sua exteriùs ac- » cipere. « Dein aliquibus interjectis concludit : » De » eorum ergo stipendio cogitandum, atque provi- » dendum est, & sub ecclesiastica regula sunt tenen- » di, ut bonis moribus vivant, & canendis psalmis » invigilent, & ab omnibus illicitis cor & linguam & » corpus, Deo auctore, conservent. «

Ex his nequaquam obscurum est, quòd ætate S. Gregorii ea esset disciplina, ut Clerici in minoribus Ordinibus constituti, Ordinum illorum functiones obeuntes, possent non tantùm matrimonio jungi, sed insuper quod, postquam essent matrimonio juncti, in ministerio Ecclesiæ manere, & tanquam ejus ministris necessaria vitæ stipendia illis essent suppeditanda.

Post erectos titulos beneficiorum disciplina illa mutata est.

Porrò hæc disciplina sensim post erectos titulos beneficiorum mutata est, atque receptum est, ut si Clerici extra sacros Ordines constituti, beneficium ecclesiasticum obtineant, matrimonio jungantur, beneficium ipsorum mox à contracto matrimonio vacare censeatur ; nec ullum ad proventus Ecclesiæ jus retinere dicantur.

Auditio Missæ Presbyteri concubinarii prohibita.

Insuper hâc distinctione agit Gratianus de incontinentia Clericorum extra matrimonium, quæ seculis decimo & sequentibus in tantum invaluerat, & tam altas radices egerat, ut his eradicandis, decreta Episcoporum aut Conciliorum non sufficerent ; ut tandem statutum legamus, ut nullus Missam audiat Presbyteri, qui concubinam habere scitur, uti hîc *Canone* 5. & 6. retulit Gratianus.

Cùm verò ad calcem Canonis 6. formâsset sibi hanc objectionem, quòd » principia harum auctorita- » tum contraïre videntur Hieronymo & Augustino, & » cæteris, qui Christi Sacramenta, neque in malo ho- » mine fugienda, ostendunt ; « tum prolixo discursu probat, præsertim auctoritate S. Augustini, valorem & effectum Sacramentorum à bonitate vel malitia ministrorum non dependere, tandem ita concludit : » Prohibentur ergo de manibus talium Sacerdotum » Sacramenta suscipi, non quia (legendum *quin*) sint » vera quantum ad formam & effectum : sed quia dum » hujusmodi Sacerdotes se à populo contemptos vi- » derint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam » provocentur. «

Clerici incontinentes ab ordinum gradu dejiciendi.

Subjicit deinde decreta, quibus jubentur dejici à suorum Ordinum gradu, qui post susceptos sacros Ordines non castè vixisse probantur : atque inter alia Decretum *Urbani II.* Canone 2. his verbis expressum : » *Erubescant impii, & apertè intelligant, judicio Spi-* » *ritûs Sancti eos, qui in sacris ordinibus, Presbyte-* » *ratu, Diaconatu, Subdiaconatu, sunt positi, ni-* » *si mulieres abjecerint, & castè vixerint, excluden-* » *dos ab omni eorundem gradum dignitate.* «

Conjugati ad sacros ordines promoveri nequeunt sine consensu uxoris.

Canone 14. ex Epistola sub nomine Leonis IX. refertur, quod si quis in minore ordine constitutus uxorem duxerit, & postmodum ad Subdiaconatum promoveri velit : » *Nequibit hoc sine consensu uxoris suæ* » *ut fiat de carnali deinceps spirituale conjugium, ne-* » *mine eos ad hoc cogente ; neque permittitur postea* » *uxor jungi eidem marito suo carnaliter ; nec cui-* » *quam*

quam nubere in vita, aut post mortem illius.

Hîc videmus quod jam pridem permissum fuerit, etiam in Ecclesia Latina, ut conjugati possent ad sacros ordines de consensu uxoris assumi; licèt non possent post ordinationem uxore suâ uti: quæ disciplina etiam per Decretales recepta est sub titulo *de conversione conjugatorum*, ubi & videri possunt conditiones, quas hodierna disciplina in hac conversione requirit.

De vetita conversatione Clericorum cum mulieribus.

Cùm autem continentia cum mulierum familiaritate vix integra servari queat, subjicit hîc Gratianus auctoritates, quibus Clericis hæc familiaritas, ejusque periculum exponitur.

Refert hunc in finem *Can.* 16. decretum Synodi Nicænæ, quæ non permitit *his, qui in Clero sunt*, subintroductam *habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut etiam idoneas personas, quæ fugiant suspiciones.*

Deinde *Canone* 17. refert quædam sub nomine S. Hieronymi in Epistola ad Nepotianum, & alibi, uti hodierna habet inscriptio, quæ clausula, inquiunt Correctores Romani, indicat: *Caput hoc esse collectum ex variis B. Hieronymi locis, in quibus de vitanda mulierum consuetudine agitur.*

Inter hæc monita meritò hoc notandum: *Fœminam, quam benè videris conversantem, mente dilige, non corporali frequentia.*

Cæterum de vetita Clericorum & mulierum cohabitatione & familiaritate videri possunt dicta in *jure Eccles. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3.

De Diaconissis.

Circa ea, quæ ex *Can.* 2. Laodiceno extra materiam hujus distinctionis recitat Gratianus *Can.* 19. de fœminis, quæ apud Græcos *presbyteræ*, apud Latinos *viduæ* dicebantur, consuli potest Tractatus Historico Canonicus, *part.* 2. *cap.* 1. §. 12. *ad hunc Canonem Laodicenum.*

DISTINCTIO XXXIII.

De irregularitate ex bigamia secundum disciplinam Græcorum.

HAc distinctione Gratianus multa inter se miscet; atque imprimis ex *Can.* 17. vulgò *Apostolorum* refert: »Si quis post Baptismum acceptum secundis »nuptiis copulatus fuerit, aut concubinam habuerit, »non potest fieri Episcopus, non Presbyter, aut »Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui mi»nisterio sacro deserviunt.“

Nequaquam obscurum est, hunc Canonem conceptum esse juxta opinionem, & disciplinam Græcorum, qui irregularitatem resultantem ex his verbis Apostoli, *unius uxoris vir*, petebant ex suspicione incontinentiæ ex secundis nuptiis resultante, uti supra notavimus; ideoque requirebant, ut quis *post Baptismum* nuptias iterâsset, irregularis ad mentem Apostoli esset.

Quare & videmus æquiparari quoad hanc irregularitatem eum, qui post acceptum Baptismum *secundis nuptiis*, vel ut habet textus Græcus, *duobus conjugiis implicatus fuerit*, & eum, *qui concubinam habuerit*, hoc est, qui post Baptismum in fornicationem fuit prolapsus: »Eum, qui post Baptismum bigamus »fuerit, vel fornicatus sit, *ait Balsamon*, prohi»bet Canon Episcopum fieri, vel sacerdotale quid»piam exercere: quæ enim ante Baptismum admissa »sunt, omnis generis peccata prætermittit, cum fac»tus sit novum opus solâ gratiâ Spiritus Sancti.

A sensu Canonis Apostolici recedit Gratianus.

Itaque à vero sensu, & etiam verbis Canonis recessit Gratianus monens ad calcem Canonis, quod »concubina intelligenda sit præter uxorem, ut iste »sit sensus capituli: (si quis post acceptum sacrum »Baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut con»cubinam duxerit,) distinguendum est, antequam »uxorem duxerit, sive post mortem uxoris: “ quasi hîc ageretur de eo, qui post Baptismum duxerit suam concubinam in uxorem, cùm evidens sit, Canonem simpliciter loqui de eo, qui post Baptismum concubinam habuerit, etiamsi nullam nec primam, nec secundam uxorem post Baptismum habuerit.

De impedimentis ordinationis.

Multa hîc intermiscet Gratianus ad materiam hujus distinctionis non pertinentia; refertque imprimis *Can.* 2. prolixum fragmentum, quo exprimuntur ea, quæ impediunt aliquem in Episcopum ordinari, idque sub nomine B. Gregorii: at monent Correctores Romani: *Hoc caput sumptum est ex cap.* 72. *libelli de Ecclesiasticis dogmatibus, qui inter opera B. Augustini ex eo alibi sæpissimè ab ipso Gratiano citatur.* Quis autem sit auctor hujus libelli, inter omnes non convenit, uti monent Correctores Romani: plures enim Gennadio tribuunt; & videntur in eam opinionem inclinare eruditi Monachi Benedictini in novissima editione operum S. Augustini, in monitione huic libello præfixa in Appendice Tom. 8.

Adjungit & ibidem Gratianus aliqua ex falsa decretali Pio I. Papæ adscripta de non admittendis ad sacras functiones, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, quòd scilicet similes sacris altaribus adstare prohibeantur, de quibus latè agit Ferdinandus Mendoza in Tract. de confirmando Concilio Eliberitano, *Lib.* 2. *cap.* 59. extatque *Tom.* 1. *Concil. general.*

DISTINCTIO XXXIV.

Domesticarum etiam personarum nimia familiaritas Episcopo vitanda.

HAc distinctione dicit Gratianus se velle ostendere, quod *domesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem Episcopum vitare oporteat.*

Sæpiùs notatum est, admodum esse familiare Gratiano, à materia & scopo sibi propositis recedere, & ab his planè diversa immiscere, quod & hîc ipsi contigit: in probationem enim ejus, quod sibi ostendendum Gratianus assumpserat, nihil occurrit præter unicum fragmentum *Can.* 1. relatum sub nomine Epistolæ Nicolai Papæ, cujus varia admodum notatur inscriptio, uti monet Antonius Augustinus *de emendat. Gratiani Lib.* 2. *Dial.* 15. atque ibidem indicat, hactenus citatæ Epistolæ *fontem desiderari.*

In fragmento hîc relato scribere dicitur Nicolaus, de quodam Episcopo juvene, quod nimiâ familiaritate agat cum sua filia, quam verò similiter ante ordinationem suam habuerat: quia in hac Epistola de incontinentia non arguitur Episcopus; ut non appareat, quo titulo hæc familiaritas cum propria & legitima filia possit dici *suspecta*, quemadmodum ibidem insinuatur per rigorem, quo contra eum procedendum esse scribit auctor hujus Epistolæ; ut vel ex hoc capite meritò de ejus sinceritate ambigatur: una quoque colligitur, quàm parum attenderit Gratianus, num ea, quæ refert scopo suo, conveniant. Accusabatur quoque in hac Epistola Episcopus tanquam *venationi* addictus, scribiturque ut moneatur ab ea abstinere, proferturque eum in finem vulgare dictum Hieronymi: *Venatorem nunquam legimus sanctum.*

Venatio Clericis interdicta.

Hâc occasione subjiciuntur hîc *Can.* 2. & 3. duæ Paleæ sub nomine Concilii Aurelianensis IV. contra Clericos venatores. Hæc autem non reperiri in hac Synodo monent Correctores Romani, unà tamen notant, utramque hanc *Paleam* sub nomine ejusdem Synodi extare in decretalibus Gregorii IV. sub titulo *de Clerico venatore.* Ut hinc rursus pateat collectorem decretalium more illius temporis sine ulteriori discussione, auctoritate Gratiani, pro genuino reputâsse, quidquid in Decreto reperiret. Cæterum tumultuosas illas bestiarum venationes specialiter jam pridem etiam Clericis vetitas esse scitur.

Absona hic miscet Gratianus de concubinis.

Vix intelligi potest, qua occasione hâc distinctione agat Gratianus de concubinis; atque quæ jam referat, ac notanter *Can.* 4. ex Concilio Toletano, quæ probare videntur licitum esse non conjugatis habere concubinas loco uxoris, aut saltem hujusmodi non conjugatos concubinam habentes non esse à communione repellendos.

Cæterum certum est, quod Gratianus nullatenus crediderit, Concilium Toletanum concubinatum, prout hodie sumitur, reputâsse licitum, sed concubinam ibidem accepisse pro vera uxore, sed minus solemniter ducta, uti in præfatiunculâ huic Canoni præfixâ se explicat Gratianus: »Concubina autem hîc ea in»telligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis »unita est, & conjugali affectui adsciscitur, hanc »conjugem facit affectus, concubinam verò lex no»minat.“

Quid per concubinam intelligat.

Idipsum latiùs prosequuntur Correctores Romani prolixo discursu huic Canoni subjecto: & plura dixi in *jure Eccles. part.* 3. *tit.* 4. *cap.* 4. ubi ostendi concubinatum, id est, consuetudinem carnalem soluti cum soluta semper fuisse reputatum grave crimen. Hîc rursus notandum Gratianum non sat advertisse, num ea, quæ proferuntur, proficere possint in ædificationem legentium, ac notanter juventutis.

De bigamis non ordinandis

Post hæc rursus plura intermiscet multum inter se confusa de bigamis non admittendis ad ordines: ac inter cætera notandum, quod Canone 8. ex Aurelia-

dis extra ordinem confusè agit Gratianus.

lianensi seu potiùs ex Gerundensi Synodo anni 517. refert Gratianus: » Si quis de laicis post uxorem, aliam » cujuscunque conditionis cognoverit mulierem, in » Clericum nullatenus admittitur. «

Admodum verisimile est, hujus asserti auctorem respexisse ad interpretationem Græcorum, qui irregularitatem per Apostolum expressam his verbis: *unius uxoris vir*, non è mystica aliquâ significatione, sed ex suspicione incontinentiæ, desumendam existimabant, uti suprà notatum est.

Undè & inepta apparet explanatio Gratiani huic Canoni subjecta, qua restringere vult Canonem ad eum, qui pellicem, vel meretricem cognoverit *maritali affectu*, cum Canon simpliciter loquatur de eo, qui post uxorem, scilicet mortuam, cognoverit aliam.

Irregularitatem bigamiæ desumunt Patres Græci ex suspitione in continentia.

Profert & Canone 2. decretum Concilii Neocæsariensis in hæc verba: » Si cujus uxorem adulterium » commisisse, cum esset laicus, evidenter fuerit com- » probatum, hîc ad ministerium ecclesiasticum admit- » ti non potest. Quod si in Clericatu jam eo constitu- » to, adulteravit, dato repudio dimmittere eam de- » bet: si verò retinere ejus consortium velit, non » potest suscepto ministerio perfrui. « Eundem Ca- » nonem refert Canone sequenti ex versione Marti- » ni Bracarensis sub hac inscriptione: *ex Concilio Martini Papæ.*

Interim ex hoc Canone rursus habetur, irregularitatem ab his Patribus Græcis desumptam fuisse ex incontinentia uxoris quodammodo in ipsum maritum redundante. Similiter quæ ex Canone 18. vulgò *Apostolorum* retulit *Canone* 15. sub nomine Hieronymi de vidua, ejecta, meretrice ac ancilla, & irregularitate, ex matrimonio cum illis contracto, resultante, evidenter supponunt opinionem (quæ & fuit Hieronymi) petentium fundamentum irregularitatis, provenientis ex nuptiis cum vidua, ex suspicione incontinentiæ in vidua, uti & notavi in Tract. historico canonico *part.* 3. *cap.* 3. §. 4. *ad Canonem* 17. *vulgò Apostolorum.*

Bigami sunt incapaces omnis beneficii.

Quod sub nomine S. Ambrosii dicitur *Canone* 14. *Neque Clericum quemquam debere esse, qui secundâ conjugia sortitus est*, conforme est hodiernæ disciplinæ, quæ nec ad simplex Beneficium, etiam primam duntaxat tonsuram requirens, bigamum admittit, quamvis nesciam de hoc in Synodo Nicæna tractatum, uti in hoc Canone refertur, multò minùs quidquam decretum fuisse.

Ad calcem Canonis 16. subjicit Gratianus: » Sed » postea temporum defectui condescendens Papa Mar- » tinus in minoribus ordinibus eos constitui permisit, » non regulam præfigendo. « In margine notatur: » Hæc verba *non regulam præfigendo*, absunt ab ali- » quibus exemplaribus. « Et Canoni 18. hæc præmisit Gratianus: » Necessitate tamen exigente usque ad » Subdiaconatum *bigamus* potest promoveri. «

Verùm hîc erravit Gratianus: neque enim *Martinus Papa* quidquam hac in re remisit: quæ enim Canone 17. & 18. adducit Gratianus sub nomine *Martini Papæ Romani*, non sunt hujus Pontificis, sed Martini Bracarensis, qui desumpsit ea ex Concilio Toletano I. sed qui decreta hujus Concilii ad sua temporis disciplinam inflectendo nonnihil mitigâsse videtur: de qua pristina disciplina, & cui hodie dispensandi cum bigamis auctoritas competat, videri possunt dicta in *jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 2.

DISTINCTIO XXXV.

PRoposuerat sibi Gratianus describere qualitates, & conditiones necessarias in assumendis ad sacras functiones; ac signanter in ordinando Episcopo, idque eo ordine, quo eas expressit Apostolus in Epistolis ad Thimotheum & ad Titum.

Itaque quia in præcedentibus distinctionibus exposuerat qualitatem in Episcopo per Apostolum requisitam in verbis, *unius uxoris vir*, hac distinctione prosequens descriptionem Apostoli, probare intendit, quòd ordinandus in Episcopum debeat esse *sobrius*, *non vinolentus.*

De sobrietate requisita in Clericis.

Gratianus plures hanc in rem Patrum & Canonum auctoritates adducit, quibus non tantùm Episcopos, sed omnes sacrarum functionum ministros, oportere esse sobrios, & non vinolentos probatur, præsertim quia sine sobrietate, & magna in cibo & potu moderatione, castitas & continentia, de qua in præcedentibus egerat, vix in tuto esse possunt: hinc illud Apostoli, Ephes. c. 5. v. 18. *Nolite inebrari vino, in quo est luxuria*: item illud Sapientis *Prov. c.* 20. *v.* 1. relatum Canone 3. sub nomine S. Hieronymi; *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Et illud ejusdem Can. 5. *Venter mero æstuans citò despumat in libidines: ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor.*

Quantopere ebrietatem in Clericis non tantùm pristini Canones & SS. Patres, sed & nostræ ætatis Synodi & sancti Episcopi exhorruerint, latiùs ostendi in *Jure Eccles. Part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3.

DISTINCTIO XXXVI.

De doctrina & prudentia Episcopo requisita.

HAc distinctione dicit Gratianus, ordinandum in Episcopum debere esse prudentem: » Pru- » dentem autem Episcopum, ait, oportet intelligi non » solùm litterarum peritia, verùm etiam, secularium » negotiorum dispositione (aliàs) dispensatione.«

Prolatis *Canone* 1. & 2. fragmentis epistolarum sub nomine Gelasii & Zozimi Papæ, in quibus dicitur, *illiteratos* non posse ad Clericatus ordinem promoveri: *Quia litteris carens, sacris non potest aptus esse officiis*; vel ut ait Zozimus: » Qui ecclesias- » ticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & » temporum approbatione divinis stipendiis eruditus; » nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspi- » rare præsumat; & non solùm in eo ambitio inefficax » habeatur, verùm etiam ordinatores ejus careant eo » ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum » crediderant præsumendum. «

De scientia sanctarum litterarum ei necessaria.

Posthæc subjungit Gratianus prolixum discursum, in quo tum ex veteri, tum ex novo Testamento ostendit, quod *sacrarum litterarum* oporteat Episcopum habere notitiam: ac tandem concludens ait: » Ex » quibus omnibus liquidò colligitur, quod non suffi- » cit Prælatis bona conversatio, & morum honestas, » nisi addatur scientia doctrinæ. «

Qua populum docere debeat Episcopus.

Distinctionem finit, prolato fragmento sub nomine Hieronymi, in quo inter alia, meritò ab Episcopis & Pastoribus hæc notanda occurrunt: » Si quis » vult Pontifex non tàm vocabulo esse quàm merito, » imitetur Moysen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur » de eis? Quod non discedunt de tabernaculo Domini. » Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Do- » mini. Quod autem opus ejus erat? Ut aut à Deo ali- » quid disceret, aut ipse populum doceret: hæc duo » sunt Pontificis opera, ut, aut à Deo discat, legen- » do scripturas divinas, & sæpiùs meditando, aut po- » pulum doceat; sed illa doceat, quæ à Deo ipse di- » dicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, » sed quæ Spiritus S. docet. «

Monent autem Correctores Romani, hoc fragmentum non quidem esse Hieronymi, sed extare in *Homilia* 6. Origenis in Leviticum, quas quidem Homilias cum aliis multis Hieronymus fecit Latinâs.

Monet præterea: » Frequenter Gratianus ea, quæ » sunt Origenis, Hieronymi nomine citat, vel quia » præcipui Ecclesiæ Doctoris auctoritas majus pon- » dus habet, vel quia Hieronymus eo, quo dictum » est, modo illa vertendo, pene sua fecerat. «

DISTINCTIO XXXVII.

An Clericis litterarum secularium studium, & librorum Gentilium lectio conveniat.

HAc distinctione quærit Gratianus, an secularibus litteris, eos (Episcopos) oporteat esse eruditos?

Plura, licèt sat confusè, profert, quibus probari videtur, quòd personis Ecclesiasticis librorum Gentilium, Poëtarum, ac Philosophorum lectio vetita sit: profertque Canone 7. ex Rabano, quod legitur de B. Hieronymo: » Quòd cùm libros legeret Cicero- » nis, ab Angelo est correptus, eò quod vir Christia- » nus Paganorum figmentis intenderet. «

Post hæc adductis nonnullis ex Scriptura sacra concludit: » Ex quibus omnibus colligitur, quod non » est ab Ecclesiasticis secularium litterarum quæren- » da peritia. «

Sed immediatè objicit sibi: *Contra legitur, quòd Moyses & Daniel omni scientia Ægyptiorum & Chaldæorum eruditi fuerint.* Quibus & nonnulla addit, per quæ ostenditur, secularium rerum notitiam posse esse utilem; ac notanter Canone 8. verba venerabilis Bedæ: » Turbat, ait, acumen legentium, » & deficere cogit, qui eos à legendis secularibus lit- » teris *omnimodo* æstimat prohibendos; in quibus si

» qua

» qua inventa sunt *utilia*, quasi sua sumere licet: alio» quin nec Moyses & Daniel sapientia, vel litteris » Ægyptiorum paterentur erudiri, quorum tamen su» perstitiones simul & delicias horrebant; nec ipse » Magister Gentium aliquot versus Poetarum suis vel » scriptis indidisset, vel dictis. «

Ad calcem hujus Canonis, hæc subdit Gratianus: » Cur ergo legi prohibentur, quæ tam rationabiliter » legenda probantur: sed seculares, ait, litteras qui» dam legunt ad voluptatem, Poetarum figmentis, » & verborum ornatu delectati: quidam verò ad eru» ditionem eas addiscunt. « Ex his statuendum, magna cum moderatione lectioni librorum Gentilium esse incumbendum, præsertim à Clericis.

DISTINCTIO XXXVIII.

Ignorantia sanctarum litterarum & Canonum in Clericis perniciosa.

HAc distinctione pergit Gratianus ostendere, quam periculosa & perniciosa sit ignorantia, signanter *sacrarum Scripturarum & Canonum* in Sacerdotibus, qui ad docendum & ad æternam salutem ducendum sunt ordinati.

In probationem hujus asserti, præcipuè notandum decretum Concilii Toletani IV. relatum hîc Canone I. in quo jam pridem Patres hujus Concilii docere non sunt veriti: » Ignorantia mater cunctorum er» rorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui » docendi officium in populis susceperunt: Sacerdotes » enim legere *sanctas Scripturas* frequenter admonet » Paulus Apostolus dicens ad Timotheum: *Attende* » *lectioni, exhortationi & doctrinæ, & semper perma» ne in his.*“ *cap.* 4. *v.* 13.

His præmissis concludunt Patres: „ Sciant igitur » Sacerdotes *Scripturas sanctas & Canones*: ut omne » opus eorum in prædicatione, & doctrina consistat; » atque ædificent cunctos, tam Dei scientia quàm » operum disciplina.“ Et *Canone* 4. refert vulgare hoc S. Cœlestini dictum: „ Nulli Sacerdotum liceat » Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Pa» trum possit regulis obviare.

Quàm necessaria sit notitia sacrarum Scripturarum Ecclesiasticis, ac notanter Episcopis, exposuerunt Patres Synodi VII. Nicænæ II. *Canone* 3. qui hîc extat *Can.* 6. qui & addunt: „ Substantia enim summi » Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitùs tradita, id » est, vera divinarum Scripturarum disciplina, quem» admodum magnus perhibet Dionysius: quod si dis» ceptaverit, & ita libenter facere & docere minimè » spoponderit, nullatenus consecretur, ait enim pro» pheticè Deus; *Tu scientiam repulisti, & ego re» pellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*“ *Oseæ c.* 4. *vers.* 6.

Plura hanc in rem profert Gratianus: fatendum tamen est, inter hac esse nonnulla mutilata, uti ostendunt annotationes Romanæ, quædam apocrypha, puta, *Canones* ex falsa decretali Zepherini Papæ & *Canon* 16. ex supposititia decretali Clementis I. monent quoque Correctores Romani ea, quæ leguntur *Can.* 13. 14. & 15. à multis antiquis exemplaribus abesse.

DISTINCTIO XXXIX.

An secularium negotiorum peritum oporteat esse Episcopum.

HAc distinctione ostendere vult Gratianus, quòd ordinandus in Episcopum debet etiam habere notitiam negotiorum secularium: „ Debent namque, » ait, Prælati subditis non solùm spiritualia, sed etiam » carnalia subsidia ministrare, exemplo Christi, qui » turbas sequentes non solùm verbo docebat, sed » etiam virtute sanabat, & corporalibus alimentis re» ficiebat. Ut autem Prælati hæc omnia plenè possint » perficere secularium negotiorum oportet eos habere » solertiam, ut eorum cautela & Ecclesiæ serventur » indemnes, & cuique necessaria pro suo modo mi» nistrentur. Unde quidam in Episcopum electus à » B. Gregorio pro sua simplicitate repellitur, ne ejus » occassione res Ecclesiæ dilapidarentur.“

In probationem sui asserti subjicit fragmentum hujus epistolæ S. Gregorii ad Clerum, & Nobiles Neapolitanos, quæ si integra legatur apparebit, quòd de singulari casu & specialibus circumstantiis ageretur; quodque S. Gregorius de simplicitate electi ampliùs informari vellet, antequam pronuntiaret, eum ob simplicitatem ab Episcopatu excludendum: ut proinde appareat, S. Gregorium censuisse, haud facilè aliquem ab Episcopatu excludendum ob defectum industriæ in administrandis bonis temporalibus, modò reliquæ qualitates in Episcopo requisitæ adessent.

DISTINCTIO XL.

GRatianus qualitates in Episcopo necessarias prosequens, probat hac distinctione, » Episcopum » oportere esse ornatum & hospitalem: per ornamen» ta Episcopalia, ait, virtutes debent intelligi, quæ à » Domino eis promittuntur, cum dicitur: Sacerdotes » ejus induam salutari.“

Sublimitas Cathedræ sanctum non facit, sed requirit.

Unde præcipuus videtur esse Gratiani scopus ostendere, quòd *non loca, sed & mores sanctum faciunt Sacerdotem*, uti loquitur in procœmio hujus distinctionis.

Decretum falso adscriptum Symmacho Papæ.

Hanc in rem profert *Canone* 1. fragmentum sub nomine *Symmachi Papæ*; quod non esse Symmachi sed Ennodii Diaconi, notant Correctores Romani. In » hoc fragmento scribitur: » Quod illi (Petro) con» cessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos » par conversationis splendor illuminat;“ quibus significare apertè voluit merita Petri in ejus duntaxat transire successores, quos *par conversationis splendor illuminat*: quod scopo & proposito Gratiani omninò congruit.

Posterior pars decreti directe contraria est sententiæ Gratiani.

Verùm huic asserto directè contrariatur quod in eo eodem fragmento immediatè subjungitur: „ Quis » enim sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dig» nitatis attollit? in quo si desunt bona acquisita per » meritum, sufficiunt quæ à loci decessore præstan» tur; aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui » eriguntur, illustrat.“

Hæc simpliciter, & in sensu obvio accepta nequaquam obscurè significant, quod locus seu catedra Petri in ea sedentem sanctum faciat, licèt ipse propriis meritis careat, sive vita & conversatione sanctus non sit: *Quia*, ait, *si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loci decessore præstantur.* Ita & hunc locum intelligendum notavit D. Fleury in historia Ecclesiastica *lib.* 30. *num.* 55.

Optandum ut ejusmodi decreta in Codice Ecclesiæ non referrentur.

Optandum esset, ut similes expressiones omisisset Gratianus; aut eas saltem Correctores Romani erasissent potiùs quàm tantam eisdem auctoritatem attribuissent, ut nec studiosæ juventi errandi occasionem præberent; quæ si sublimitas cathedræ, aut loci quemquam sine propriis meritis sanctum redderet, neque sectariis nostris prætextum darent per similes expressiones in codice Ecclesiæ relatas Romanæ Ecclesiæ crimen impietatis affigendi, uti non ita pridem hac auctoritate contra Sixtum V. usus est nominatissimus jurisconsultus Franciscus Hotomanus, unus è secta Calviniana in scripto, cui titulus *fulmen Brutum*, ubi asserere non veretur: Quod Pontifex Romanus, » etiam profiteri & palam prædicare ausus est tantam es» se vim tantamque sanctitatem sedi suæ ut quicunque » impius, perjurus, sceleratus, in ea consederit, con» festim ex illa sessione sanctimoniam hauriat.“ Cujus nefariæ blasphemiæ, inquit, testimonium hoc extat in *Can. Non nos*, *Dist.* 10.

Incertus auctor Canonis si Papæ.

Adducit Gratianus *Can.* 6. tanquam ex dictis Bonifacii Martyris. „ Si Papa suæ & fraternæ salutis ne» gligens, deprehenditur inutilis & remissus in ope» ribus suis, & insuper à bono taciturnus, quòd ma» gis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles » populos catervatim secum ducit, primò mancipio » gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapu» laturus hujus culpas istic redarguere præsumit mor» talium nullus. *Quia cunctos ipse judicaturus, à ne» mine est judicandus.*“

Quis hujus Canonis sit auctor, nescitur. Imprimis vel ex ipsa epigraphe habetur nequaquam hunc Canonem esse scriptum per Bonifacium martyrem, quandoquidem dicatur id solùm haberi ex *dictis* Bonifacii Martyris. Videntur id ipsum vidisse Correctores Romani; monentque quod Nauclerus *Gen.* 26. testetur hoc fuisse dictum Bonifacii Martyris; sed quàm exigui ponderis sit hoc testimonium, facilè intelliget qui attenderit, Nauclerum demum seculo XV. adeoque sex vel septem seculis post obitum Bonifacii scripsisse. Subjungunt deinde hi Correctores, „ Quod *Deus» dedit* Presbyter Cardinalis titulo Apostolorum in Eu» doxia tempore Victoris Papæ III. libros quatuor de » rebus Ecclesiasticis composuit, qui in Bibliotheca » Vaticana servantur. Et *lib.* 1. *cap.* 231. ex gestis » Bonifacii Martyris & Archiepiscopi Moguntini, se» dis Apostolicæ Legati hæc sanctissimi illius viri de

„ Ro-

» Romano Pontifice ac sede Apostolica verba refert, » in quibus est hoc caput."

Verùm non majoris auctoritatis esse hujus auctoris testimonium inde intelligitur, quod hic demum dicatur scripsisse hoc fusum opus sub Pontificatu Victoris III. qui demum sedit sub finem seculi XI. & consequenter duobus aut amplius seculis à morte hujus Bonifacii. Interim ex hoc auctore habetur, quod hic Bonifacius fuerit Archiepiscopus Moguntinus, & *Legatus Sedis Apostolicæ*, quem scitur fuisse strenuum jurium Sedis Apostolicæ promotorem, ipsumque sub Zacharia Papa floruisse.

Proinde non immeritò notavit Antonius Augustinus lib. 2. *de emendat. Gratiani Dial.* 3. quod caput, quod apud Gratianum, *ex dictis Bonifacii martyris* inscribitur, & ab Ivone, *Ex gestis Bonifacii martyris Legati Romanæ Ecclesiæ, à nobis repertum non est.* Admodum verisimile est, Gratianum id ex Ivone descripsisse: è quo verò Ivo id desumpserit, hactenus ignoratur.

Prima pars dicti Canonis unde desumpta.

Quoad priorem Canonis partem admodum probabile est in eam conficiendam à confectore hujus decreti impensam fuisse sententiam, quam legerat in confecta, & hodie ab omnibus eruditis rejecta synodo vulgò *Sinuessana*, quæ celebrata dicitur in causa *Marcellini* Papæ, in qua idem de Romano Pontifice declaratur, nimirùm quod *iste à nemine judicandus sit, qui omnes judicat.*

Præbuit prætextum sectariis convellendi primatum Romani Pontificis.

Hoc Gratiani assertum, & juventi in scholis publicis propositum; idque auctoritate summi Pontificis, vix dici potest, quantopere sectariis subservierit; ut sedis Apostolicæ *primatum* in invidiam adducerent, uti videri potest ex Hotomanno loco citato. Et ipse sectariorum Coriphæus Martinus Lutherus inter articulos è corpore juris canonici excerptos, ob quos asserebat, hoc corpus tanquam perniciosis erroribus refertum & juventuti noxium, esse meritò flammis exurendum, & reipsa anno 1520. die 7. Decembris Wittembergæ, publice convocata studiosa juventute igne absumptum est. Octavus porro articulus constabat verbis hujus Canonis.

Supponit prafatus Canon posse esse à fide devium & ut talem judicari.

Interim clausula in hoc confecto decreto, his verbis expressa: *nisi deprehendatur à fide devius*, manifestè probat, quod ea ætate non dubitaretur, quin Papa deprehendi posset *à fide devius*; atque eo casu posset ab aliquo judicari: cum enim in præcedentibus dictum sit, Papam à nemine posse judicari, evidens est per clausulam subjectam significari, quòd à fide devius judicari posset.

Cum autem veteres glossographi & decretalium commentatores pressius inhærerent decreto Gratiani: non mirum, quod vix apud ipsos vel unum reperies, qui dixerit Papam *à fide devium* deprehendi non posse, aut à fide devium judicari non posse.

Hinc non videmus Pontifices, aut Curiam Romanam obstitisse in Concilio Constantiensi aut Basileensi, quo minus declararetur, Papam subjici Concilio generali in materia *fidei*; sed duntaxat obstitisse ne declararetur subjacere decretis Concilii quoad ea, quæ concernunt reformationem morum. Quin & constat Paulum IV. ad hunc Canonem respexisse, in famosa illa Bulla, quæ incipit: *Cum ex Apostolatus officio*; estque XIX. in Bullario Romano, ubi dicit: *Papa omnes judicat, à nemine in hoc mundo judicandus, potest, si deprehendatur à fide devius, redargui.* Verum & hoc constat, quod hic Pontifex non dixerit *judicari*, sed *redargui*; cum tamen evidenter Canon à Gratiano relatus aperte supponat Papam à fide devium posse judicari, uti supra notatum est.

Sub initium distinctionis refleximus, præcipuum Gratiani scopum fuisse hac distinctione ostendere, quod *non loca, sed virtutes sanctum faciunt*, quod plures Patrum auctoritates hic relatæ probant.

Non loca, sed virtutes sanctum faciunt.

In primis notandum dictum sub nomine S. Hieronymi *Can.* 2. » Non sanctorum filii sunt, qui tenent » loca sanctorum; sed qui exercent opera eorum. « Et S. Gregorii Canone 4. » Non loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt, sed ei nos me» rita bona jungunt, aut mala disjungunt. « At præ reliquis attendenda sunt verba S. Chrysostomi seu Auctoris operis imperfecti *Can.* 12. » Multi sacerdo» tes, & pauci sacerdotes, multi nomine, pauci » opere. Videte ergo quomodo sedetis super cathe» dram; quia non locus sanctificat hominem, sed » homo locum; non omnis sacerdos sanctus, sed om» nis sanctus sacerdos: qui benè sederit super ca» thedram, honorem accipit ab illa; qui malè sede» rit, injuriam facit cathedræ: ideoque malus sacer» dos de sacerdotio suo crimen acquirit non dignita» tem: in judicio enim sedens, siquidem benè vi» xeris, & benè docueris, omnium judex es: si au» tem benè docueris & malè vixeris, tui solius con» demnator eris: nam benè vivendo & benè docendo, » populum instruis quomodo debeat vivere: benè au» tem docendo & malè vivendo, Deum instruis quo» modo te debeat condemnare. «

Quin & ex relatis auctoritatibus probatur, peccati gravitatem crescere *propter altitudinem dignitatis*, uti loquitur S. Chrysostomus Canone 5. sive auctor operis imperfecti.

Notabile Augustini dictum de duplici modo considerandi dignitates Ecclesiasticas.

Denique *Can.* 7. refertur vulgare dictum, & meritò omnium Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ mentibus & cordibus insculpendum ex epistola S. Augustini ad Valerium: » Ante omnia peto, ut co» gitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita » & maximè hoc tempore facilius & lætius & homi» nibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut » Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res » agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tritius » & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & ma» ximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculo» sius Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio; » sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, » quo noster imperator jubet. «

Ex his nequaquam obscurum est, quod Gratianus non advertit ad verba nomine Symmachi relata *Can.* 1. quandoquidem evidens sit Gratianum asserere voluisse, cathedram, seu locum sedentem in eo sanctum non facere.

DISTINCTIO XLI.

De moderatione servanda Clericis in exterioribus.

PRæcedenti distinctione ostendit Gratianus Episcopum oportere esse *ornatum virtutibus*, nec cathedræ fastigium, aut dignitatis magnitudinem aliquem facere *sanctum*, sed requirere sanctum. Hac distinctione probare intendit, eum oportere præterea esse *ornatum in exterioribus*: » Habitu videlicet & in» cessu, ut nec fulgidis, nec sordidis, se vestibus or» net, ut enim ait Hieronymus, nec affectatæ sordes, » nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt, quod tam de » vestibus quàm de cibis intelligendum est. «

Plures Patrum auctoritates profert Gratianus, quibus rectus usus harum rerum corporalium describitur, ac notanter S. Augustini, qui in harum rerum usu id vel præcipue attendendum præscribit, ut non excedatur meta consuetudinis *bonorum*, inter quos vivitur, uti loquitur *Can.* 1. quod notanter in usum vestium locum habet.

Circa usum ciborum illud maximè obtinet, quod ibidem ait: *In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.* Nonnullis in probationem hujus sui asserti adductis, ita concludit Augustinus: » Nam in omnibus hujuscemodi rebus non ex » earum rerum natura, quibus utimur; sed ex causa » utendi, & modo appetendi, vel probandum, vel » improbandum, quod facimus. «

Adducit quidem Gratianus hæc, ut probet, Episcopum oportere esse ornatum in *exterioribus*, sive moderatum. Sed notandum, quod Augustinus locis hic allegatis nequaquam agat, qua moderatione his rebus transeuntibus uti debeant Episcopi, aut cæteri Ecclesiæ ministri, qui specialiter obstricti sunt præire populo in moderato harum rerum usu; sed generaliter de Christianis, quid in earum rerum usu vitare & præcipuè attendere debeant.

Regula hac de re à Concilio Carthaginensis præscripta.

Regulam in his rebus transitoriis, & exterioribus ab Episcopis servandam habemus expressam in Concilio Carthaginensi IV. *cap.* 15. & hic à Gratiano relatam *Can.* 7. » Episcopus vilem suppellectilem & » mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis » suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat. «

De hac regula per Synodum Tridentinam rursus innovata videri possunt dicta in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 32. *cap.* 4. & de moderato usu in vestibus Clericorum *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2.

Refertur & hic *Can.* 5. ex Concilio Gangrensi Canon finalis editus contra Eustachium, ejusve discipulos, qui pietatem in externo & affectato habitu constituere dicebantur, uti in Tractatu Historico Canonico *part.* 2. *cap.* 1. §. 10. *ad Canonem* 12. *Gangrensem* videri potest.

DIS-

DISTINCTIO XLII.

Episcopum oportet esse hospitalem.

PRosequens Gratianus virtutes in Episcopo necessarias eo penè ordine, quo per Apostolum, in epistolis ad Timotheum & Titum leguntur expressæ per Apostolum, verbo *hospitalem*, in prœmio hujus distinctionis ostendit, quod se debeat *in pauperes* exhibere *hospitalem*, qui alios ad hospitalitatem debet invitare.

» Quomodo, ait, hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim sacerdos primùm à seipso, & à domestica Ecclesia sua debet exigere, quod postea populum doceat, necesse est ut pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitem facilius suo exemplo attrahat.“

Indubitatum est, quod hîc à Gratiano exercitio virtute *hospitalitatis* recte observatum est, similiter & de cæteris pietatis & charitatis exercitiis per Episcopos populis proponendis & persuadendis esse observandum; ut scilicet, *ipsi prius sint eorum observatores, exhortatores.*

Nomine hospitalitatis intelligitur omne opus misericordiæ in pauperes.

Cæterum & hoc scitur, sub nomine *hospitalitatis* pauperibus exhibendæ, omne opus misericordiæ pauperibus, & indigentibus exhibendum comprehendi; ita ut hîc id unum significetur, Episcopum esse oportere misericordem & liberalem in pauperes.

Porrò hæc Episcoporum in pauperes liberalitas & hospitalitas speciali titulo respicit bona & proventus Ecclesiasticos, quorum dispositionem, seu dispensationem Ecclesia Episcopis ita commisit, ut ex his necessaria cum moderatione ac frugalitate acciperent, reliqua verò in pauperes & pios usus distribuerent tanquam *patrimonium pauperum*, uti latiùs ostendi in *Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 32. *cap.* 3. Ex quo consequens esse probavi, Clericos ex patrimonio divites, non posse ex mente Ecclesiæ, reservato patrimonio, ex proventibus Ecclesiasticis, utpote *patrimonio pauperum*, vivere.

Notandum monitum Chrysostomi circa exercitium hospitalitatis.

Illud & notandum quod refet Gratianus ex S. Chrysostomo *Canone* 2. in exercenda hospitalitate non nimium anxiè conditionem personæ inquirendam: » Non enim, ait, ex vita eorum, quos accipis, mercedem tibi retributurus est Deus; ex voluntate tua, » ex liberalitate, ex honorificentia multa, ex miseri» cordia, ex bonitate.“

De Agapis in Ecclesia institui solitis.

Intermiscet hîc Gratianus nonnulla de vetitis conviviis exhibendis in Ecclesiis, qualia primitiùs inter Christianos in Ecclesiis celebrata fuisse omnibus notum est, & tamquam mutuæ charitatis & dilectionis symbola, *Agapæ* dicta fuere. De his conviviis videri possunt dicta in Tractatu Historico Canonico *parte* 2. *cap.* 1. §. 12. *ad Canones* 27. & 28. *Synodi Laodicenæ*, qui hîc à Gratiano, licèt nonnihil mutilati, referuntur *Canone* 3. & 4.

DISTINCTIO XLIII.

Sacerdotem in omnibus oportet esse pudicum.

GRatianus prosequens qualitates per Apostolum in Episcopo requisitas, hac distinctione ait: „ Pudicus quoque debet esse sacerdos, ut & moribus & » verbis pudorem indesinenter exhibeat.“

Hanc in Episcopo virtutem ut adstruat, nullam hac distinctione, aut Patrum, aut Canonum auctoritatem adducit: indubiè quia in præcedentibus distinctionibus adstruxerat, continentiam in Episcopis, & Ecclesiasticis personis esse necessariam.

Multis adstruitur in Episcopis obligatio docendi populum verbum Dei.

Adjungit Gratianus in prœmio hujus distinctionis aliam qualitatem in Episcopo requisitam: „ Debet, in» quit, etiam *gratiam docendi* habere: quia, ut Hie» ronymus ait: *Innocens & absque sermone conversa» tio, quantum exemplo prodest, tantum silentio no» cet; nam latratu canum & baculo Pastorum lupi » sunt arcendi.* In ipsa autem doctrina discretum » oportet esse rectorem, ne aut tacenda proferat, aut » proferenda taceat.“ Hæc Gratianus in prœmio hujus distinctionis

Ut hanc in Episcopis & Pastoribus qualitatem esse necessariam probet, adducit *Canone* 1. prolixum fragmentum ex libro S. Gregorii de cura Pastorali *part.* 2. *cap.* 4. quo S. Pontifex multis adstruit, Episcoporum & Pastorum obligationem annuntiandi populo veritatem Evangelicam: „ Sit rector, *ait*, discretus in si» lentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut » proferenda reticescat..... sæpè namque rectores » improvidi, humanam amittere gratiam formidantes, » loqui liberè recta pertimescunt, & juxta veritatis ve» cem nequaquam jam gregis custodiæ, Pastorum stu» dio, sed mercenariorum vice deserviunt; quia ve» niente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. » Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, » dicens: *Canes multi, non valentes latrare*: hinc rur» sus quæritur dicens: *Non ascendistis ex adverso, ne» que opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis » in prælio in die Domini.* Ex adverso quippè ascen» dere, est pro defensione gregis, voce libera, hu» jus mundi potestatibus contraire, & in die Domini » in prælio stare; est pravis decertantibus ex justitiæ » amore resistere. Pastorem enim recta timuisse dicere, » quid est aliud, quàm tacendo terga præbuisse: qui » nimirum, si pro grege se objicit, murum pro do» mo Israel hostibus opponit.“ Hoc ibidem latiùs prosequitur, & Pastoribus veritatem populo exponere formidantibus imminens periculum ingens exponit.

Dein Canone 2, & 3. prolatis fragmentis desumptis ex suppositiiis decretalibus Clementis I. & Anacleti, *Canone* 4. refert iterum verba S. Gregorii ex Epistola ad Venantium: » Ephesiis Paulis dicit: *Mundæ sunt » manus meæ à sanguine omnium vestrum; non enim » subterfugi, quominus annumtiarem omne consilium » Dei vobis*: mundus ergo à sanguine eorum non esset, » si eis Dei consilium annuntiare noluisset; quia cum » increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio » tacendo pastor occidit. «

Plura de hac qualitate & officio Episcoporum adduxi & exposui in *jure Eccles. parte* 1. *tit.* 16. *cap.* 9.

DISTINCTIO XLIV.

De sobrietate in Episcopo requisita.

INter qualitates Episcopi Apostolus requirit, ut sit *non vinolentus*. De hac qualitate agere intendens Gratianus hac distinctione monet in prœmio: » Cùm » autem *vinolentus* esse prohibetur, gulæ intemperan» tiam nequaquam habere permittitur; neque enim » ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur: utrum» que enim inter opera tenebrarum Apostolus connu» merat, scribens Romanis: *Non in comessationibus:* » *& ebrietatibus.* «

Hac itaque occasione pluribus hîc agit de vetitis, non tantùm Clericis, sed & laicis, comessationibus, necnon de conviviis, & qualiter hæc à Christianis, ac notanter à Clericis, sint instituenda.

Comessationes & convivia in honorem Martyrum reprobantur.

Inter auctoritates profert *Canone* 1. notabile fragmentum ex epistola S. Augustini ad Aurelium, in qua deplorat, quod eo tempore in Africa: » Comenssa» tiones & ebrietates ita concessæ & licitè putarentur, » ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non » solùm per solemnes dies (quod ipsum quis lugendum » videat, qui hæc non carnis oculis inspicit?) sed » etiam quotidiè celebrentur. «

De modo agendi cum multitudine peccantium ex Augustino.

Post hæc scribit Augustinus, quòd ubi vitium aliquod adeò multitudinem infecit, ut quasi pro lege invaluerit, debeat contra illud per Episcopos & Pastores agi: » Non asperè, inquit, quantum existimo, » non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: » magis docendo, quàm jubendo, magis monendo, » quàm minando. Sic enim agendum est cum multitu» dine peccantium. Severitas autem exercenda est in » peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore » fiat, & scripturis comminando vindictam futuram, » ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro » sermone timeatur; ita priùs movebuntur spirituales » aut spiritualibus proximi; quorum auctoritate, & » lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus » cætera multitudo frangatur.“

Frequentatio popinarum Clericis vetita.

Quia comessationes & ebrietates frequentiùs in cauponis, seu tabernis cauponariis contingunt, & occasionem sumunt, hinc Gratianus nonnullos Canones subjicit, quibus vetatur clericis tabernas intrare. Consuli poterunt, quæ de hoc vetito tabernarum introitu, tum ex pristinis, tum ex recentioribus synodis notavi in *Jure Eccles. parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 4.

Modus christianus instituendi convivia.

Plura hîc quoque interserit Gratianus de conviviis, qua moderatione hæc, signanter à clericis, sint instituenda: atque inter alia refertur *Canone* 6. ex S. Gregorio: » Convivia, quæ ex intentione impendendæ » charitatis fiunt, rectè vestra fraternitas in suis epis» tolis laudat: sed tamen sciendum est, quia tunc » ex charitate prodeunt, cùm in eis nulla absentium » vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, » nec in eis inanes secularium negotiorum fabulæ, sed » verba sacræ lectionis audiuntur: cùm non plusquàm » ne-

» necesse sit, servitur corpori; sed sola ejus infirmi» tas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habea» tur. Hæc itaque si vos in vestris conviviis agitis, » abstinentium, fateor, magistri estis.“

Quæ *Canonibus* 8. & 9. referuntur sub nomine Concilii Nannetensis, in nullo Concilio Nannetensi, reperiri notat Baluzius ad dictum Canonem 8. monetque hoc caput extare in capitulis Hincmari Rhemensis; extantque inserta tomo 8. Conciliorum Generalium, atque meritò attendentur, dum certis diebus per suas Decanias unà cum suo Archipresbytero Pastores conveniunt.

Convivia ex pecuniis collatis prohibentur.

Canone 10. recitat Canones 55. Laodicænum ex versione Isidori, & rursus *Can.* 12. ex versione Martini Bracarensis, quamvis eum repræsentet tanquam ex Concilio Martini Papæ. Pro sensu hujus Canonis non inutiliter legentur diversæ illius versiones tum Græcorum, tum Latinorum, quæ tamen videntur eundem sensum & eandem rationem exprimere, quam non malè reddidit Zonaras dicens: » Ex collatione » convivia peragere, hoc est, à pluribus, ut exqui» sitis epulis mensæ instruantur, pecunia collata con» vivia apparari; quòd ea res ebrietatis voracitatis» que ac aliorum criminum causam præbeat, nullo » modo licere Canon decernit.“

DISTINCTIO XLV.

Episcopum non oportet esse percussorem.

GRatianus prosequens qualitates, quibus debet esse ornatus Episcopus, & vitia ac defectus, à quibus oportet eum esse immunem, hac distinctione exponit eam, quam Apostolus expresit in verbis: *Non percussorem.*

Superior mansuetudine magis quàm potestate agere debet.

Auctoritates hac distinctione per Gratianum adductæ, hoc penè unum evincunt. Episcopos & Pastores in arguendis subditis, magis exhortando & monendo procedere debere cum mansuetudine & patientia, quam potestate & puniendo; ut patres se magis quàm judices, & potestatem puniendi habentes, exhibeant. Unde in procœmio distinctionis ait: » Non » enim oportet Episcopum ita esse irascibilem, & per» turbati sensus, ut percutiat, qui debet esse patiens; » sed sequatur eum, qui dorsum posuit ad flagella.“

Inter cætera à Gratiano relata notari meretur, quod retulit *Can.* 6. ex epistola S. Leonis ad Episcopum Thessalonicensem, suum per Illyricum Vicarium: » Licèt, ait, nonnunquam accidant, quæ in sacerdo» talibus sunt reprehendenda personis, plus tamen » erga corrigendos agat benevolentia quàm severitas, » plus cohortatio quàm comminatio, plus charitas » quàm potestas: sed hi, qui, *quæ sua sunt, quæ» runt, non quæ Jesu Christi*, facilè ab hac lege dis» cernuntur: & dum dominare magis, quàm consu» lere subditis quærunt, placet honor, inflat super» bia, & quod provisum est ad concordiam, tendit » ad noxam.“

Itaque hac distinctione Gratianus conatur instruere Episcopos & Pastores, qualiter in arguendis & exhortandis subditis procedere debeant: » Ut regat » disciplinæ vigor mansuetudinem, & mausuetudo or» net vigorem; & sic alterum commendetur ex alte» ro, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dis» soluta, uti loquitur S. Gregorius Can. 14.“

Cavendus Episcopis spiritus dominandi.

Præ cæteris autem cavendus Episcopis dominatus, sive spiritus dominandi in subditos: hinc ad calcem Canonis 13. concludit Gratianus: » Percusso» res ergo, qui præmissis auctoritatibus ab Episcopa» li officio removentur, non quilibet corporaliter fla» gellantes, sed prætermissa mansuetudine ad verbe» ra semper parati intelligendi sunt; qui per flagella » non vitia corrigere, sed timeri appetunt: quibus Pe» trus scribit: *Ne sitis dominantes in Clero, sed for» ma facti gregis ex animo.*“

DISTINCTIO XLVI.

Episcopum non oportet esse litigiosum.

HAc distinctione dicit Gratianus, quod juxta Apostolum, non oporteat Episcopum esse *litigiosum*. Duplicem hujus prohibitionis adfert rationem. » Parte 1. Parati, ait, ad lites, in subjectos tumidi » intonant; quod ex arrogantia & superbia proveni» re, manifestum est.“

Multiplex hujus prohibitionis ratio.

Id probat Canone primo auctoritate S. Gregorii in verbis: » Hoc habet proprium doctrina *arrogantium*, » ut humiliter nesciant inferre, quod docent: & rec» ta, quæ sapiunt, rectè ministrare non possunt. In » verbis enim eorum proditur, quod cum docent, qua» si in quodam sibi videntur sublimitatis culmine re» sidere: eosque, quos docent, ut longè infra se po» sitos, veluti in imo respiciunt, quibus non consu» lendo loqui, sed vix dominando dignantur.“

Ad calcem hujus Canonis inchoans Gratianus secundam partem distinctionis ait: „ Ecce, quare *li» tigiosi* prohibentur in Episcopos ordinari: est & » alia causa hujus prohibitionis: *litigiosi* namque vel » adulationibus animos Principum sibi conciliant, vel » fratribus suis detrahendo, infamiæ notam ingerunt, » vel inter fratres discordiam seminando, seditionem » nunquam facere cessant, quæ omnia in Prælatis dam» nabilia esse probantur.“

Profert hanc in rem fragmentum ex libris Moralium S. Gregorii, ubi hos adulatores & vitia peccatorum palpantes dicit esse eos, de quibus per Prophetam dicitur: *Væ! qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis.*

Quæ præterea hac distinctione adduntur: omnia penè ex Canonibus Concilii vulgo *Carthaginensis IV.* referuntur, dirigunturque contra Clericos, qui proditionibus & adulationibus vacant, qui fratribus non probanda objiciunt, ut habet *Canon* 3. & 4. Et Canonum 5. 6. & 7. hoc est summarium: *Removeatur ab officio Clericus maledicus, scurra.*

DISTINCTIO XLVII.

Ratio connexionis hujus distinctionis cum præcedenti.

COnnexionem hujus distinctionis cum præcedenti exponit Gratianus in procœmio distinctionis. » Quod autem in fine hujus capituli *usurarii* ordina» ri prohibentur, inde est, quod usuram exercentes, » cupiditati deservire probantur: *cupidi* autem ab Apos» tolo ordinari prohibentur; quia tales facilè à justo » deviarent.“

Clericum non oportet esse cupidum, aut usurarium.

Itaque *Can.* 1. & 2. recitat Canonem vulgò *Apostolorum*, & Nicænum, quibus Clericis usuræ interdicuntur; addens nonnullas Patrum sententias contra recipientes usuras.

Porrò, cùm hac distinctione intenderet agere Gratianus de qualitate Episcopi per Apostolum expressa his verbis: *non cupidum*, atque ea occasione egisset de usurariis, eo quòd, usuræ receptio ex lucri cupiditate oriatur, & usurarii cupidi habentur, etiam nonnullas Patrum sententias contra rerum temporalium cupiditatem, & avaritiam, filiam cupiditatis, adjungit.

Cupiditas bonorum temporalium perniciosa præsertim in Clericis.

Inter cætera *Can.* 6. ex S. Leone: „ Virum Ca» tholicum, & præcipuè Domini Sacerdotem sicut » nullo errore implicari; ita *nulla* oportet cupidita» te *violari*, dicente sancta Scriptura: *post concupis» centias tuas non eas*; mens enim potentiæ (aliàs » pecuniæ) avidæ, nec abstinere novit à vetitis, nec » gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum.“

Et Canone 8. recitat verba S. Ambrosii, quibus ostendit imprimis, quàm densas tenebras menti humanæ offundat temporalium cupiditas: „ Sicut ii, *ait*, » qui per insaniam mente translati sunt, non jam res » ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam » mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, sem» per aurum, semper argentum videt, semper red» ditus computat, gratiùs intuetur aurum quàm so» lem; ipsa ejus oratio & supplicatio ad Dominum » aurum quærit.“ Post hæc refellit ordinariam avarorum prætensam justificationem. „ Quid injustum » est, si cum aliena non invadam, propria diligen» tiùs servo? O impudens dictum! propria dicis? » Quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum de» tulisti? Quando in hanc ingressus est lucem, quan» do de ventre matris existi, quibus quæso facul» tatibus, quibusque subsidiis stipatus ingressus es?“ Plura ibidem notanda adjungit, meritò à divitibus hujus seculi, ac notanter ab Ecclesiasticis seriò expendenda.

Episcopus ordinandus non est, qui domui suæ præesse nescit.

Gratianus hac distinctione ad calcem Canonis 8. aggreditur aliam qualitatem in Episcopo necessariam, & per Apostolum expressam his verbis: *Domui suæ benè præpositum, habentem filios sibi subditos in omni castitate, non in accusatione luxuriæ.* 1. Tim. cap. 3. v. 40.

Plura de hac qualitate ex sacra Scriptura subjungit Gratianus, ac tandem suum discursum ita concludit: „ Jure ergo, qui domui suæ nescit præesse, » in Episcopum ordinari prohibetur: quia, qui in re » mi-

» minima, de qua sibi familiarior debet cura inesse, » fidelis non est, quomodo in Ecclesia Dei, (ubi tot » sunt & alieni) solicitam diligentiam adhibet? Unde » Hieronymus: non enim justus polluitur ex vitiis fi- » liorum, sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ Principi » reservatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia » liberorum extraneos reprehendere. «

Quo sensu justus non polluitur ex vitiis filiorum.

Monet autem Gratianus, finalia verba ex S. Hieronymo relata, quibus significatur, justum non pollui ex vitiis filiorum, intelligenda esse: *si non erit, quod sibi imputetur.*

In hujus probationem adducit quædam ex S. Augustino *Canone* 9. & Cypriano *Canone* 10. quibus probat, quòd, licèt Prælatorum summa sit cura & vigilantia in exhortando & arguendo, nihilominus non omnes convertantur: » Quantumlibet vigilet, *ait Au* » *gustinus*, disciplina domus meæ, homo sum, & in- » ter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut do- » mus mea melior sit, quàm arca Noe, ubi tamen in- » ter octo homines unus reprobus inventus est. «

Ex paucis interjectis addit hoc notandum: » Sim- » pliciter autem fateor charitati vestræ coram Domi- » no Deo nostro, qui testis est super animam meam; » ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum » expertus meliores, quàm qui in monasteriis profece- » runt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in » monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apo- » calypsi scriptum: *Justus justior fiat, & sordidus* » *sordescat adhuc.* « *Cap.* 22. *vers.* 11.

Et Cyprianus Cornelio Papæ scribit: » Quod ad » nos attinet, conscientiæ nostræ convenit, Frater, » dare operam, ne quis nostra culpa de Ecclesia pe- » reat: si quis autem ultrò & crimine suo perierit, » & pœnitentiam agere, atque ad Eclesiam redire no- » luerit, nos in die judicii inculpatos futuros credi- » mus, qui consulimus sanitati, illos solos in pœnis » remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate » sanari.

DISTINCTIO XLVIII.

Neophytus in Episcopum non ordinandus.

PRosequens Gratianus qualitates Episcopi per Apostolum expressas, agit hac distinctione de *non neophyto* in Episcopum ordinando: » Causa hujus pro- » hibitionis, ait Gratianus, est secundum Aposto- » lum, ne elatus in superbiam, tanquam religio chris- » tiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam dia- » boli. «

Quis dicendus Neophytus.

Hanc qualitatem tanquam necessariam in assumendis ad ministerium ecclesiasticum, signanter Episcopale, expressit & requisivit jam pridem Synodus Nicæna Canone secundo, quem hîc refert Gratianus ex versione Isidori, de quo videri poterit Tractatus Historico-Canonicus *part.* 2. *cap.* 1. §. 7. *ad præfatum Canonem*, *ubi* latiùs exposui, qui ex mente Patrum Neophyti sint reputandi.

DISTINCTIO XLIX.

Ratio ob quam à vitiis immunes debent esse sacerdotes.

EXistimabat Gratianus, quod hactenus sufficienter ostendisset, insequendo Apostolum, à quibus vitiis debeant esse immunes, qui in Episcopum sunt ordinandi; ideò in procemio hujus distinctionis exponit rationem, ob quam necessarium sit, ut assumendi ad sacerdotium à vitiis sint immunes: *Qui enim intercessores pro populo ad Deum parantur, necesse est, ut ejus gratiam benè vivendo mereantur*: unde Gregorius ait in Pastorali: » Solicitè formidandum, ne » qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex » proprio reatu mereatur: cuncti enim liquidò novi- » mus, quia, cùm is qui displicet, ad intercedendum » mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui » ergo adhuc desideriis terrenis adstringitur, caveat, » ne districti iram Judicis gravius accendens, dum loco » delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ. Soler- » ter ergo se quisque metiatur, nec locum regiminis » assumere audeat, si in se adhuc vitium damnabiliter » regnat, nec is, quem crimen depravat proprium, » intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. «

Profertur hîc prolixum fragmentum ex libro S. Gregorii de cura Pastorali, quo Gregorius exponit vitia, a quibus Sacerdotes in novo Testamento debent esse immunes; & virtutes, quibus eos oportet esse ornatos; mysticè defectus & qualitates corporis in Sacerdotibus veteris legis, ad vitia & virtutes animæ in Sacerdotibus novæ legis reducendo. Meritò à Clericis attentè legetur.

DISTINCTIO L.

An lapsi in crimen post ordinationem peracta pœnitentia susceptis in ordinibus continuare vel ad majores ascendere queant.

POstquam in præcedentibus ostendit Gratianus, quòd criminibus irretiti Sacerdotes ordinari non possint, nunc quærit hac distinctione: *Utrum post peractam pœnitentiam, vel in propriis ordinibus remanere, aut ad majores gradus conscendere valeant?*

Hanc distinctionem in plures partes dividit Gratianus. Prima parte refert plures Patrum Sententias, & Canones, quibus probatur, lapsos in crimen absolute ab Ordinibus propriis absque spe restitutionis deponendos esse, & ab accessu majorum prohiberi.

His relatis tum in secunda parte, quæ incipit post Canonum 12. producit sententias & Canones, quibus probari videtur post actam pœnitentiam in propriis gradibus licitè posse administrare, & ad majores posse ascendere.

Varias auctoritates in utramque partem adducit Gratianus.

Hac in speciem Canonum, & Sententiarum contrarietate proposita, quærit in tertia parte post Canonem 24. » Quomodo igitur hujusmodi auctoritatum » dissonantia ad concordiam revocari valeat, breviter, » ait, inspiciamus. Sunt quidam, quos non odium cri- » minis, sed timor vilitatis, & amissio boni gradus, » & ambitio celsioris ad pœnitentiam cogit. Hos sacri » Canones irrecuperabiliter (alias irreparabiliter) de- » jiciunt: quia qui simulatione pœnitentiæ, vel affec- » tatione honoris à Deo non consequitur veniam, nec » ab Ecclesia reparationem meretur.

Ut illas conciliet, distinguit inter peccata occulta & manifesta.

Verùm & ipse Gratianus verisimiliter intelligens, quàm parùm hæc distinctio consona esset sententiis Patrum; & Canonibus in prima parte relatis, qui omnem spem restitutionis ad proprios ordines, & ascensum ad majoras adimunt, etiam post *peractam* pœnitentiam, dicit post Canonem 32. » quod possint & ali- » ter distingui præmissæ auctoritates: quorum enim » crimina *manifesta* sunt, ante vel post ordinationem, » à sacris Ordinibus dejiciendi sunt; quorum autem » peccata *occulta* sunt, & satisfactione secreta secun- » dum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Ordi- » nibus remanere possunt. «

Nonnullis interpositis Canonibus concludit: » Præ- » missis auctoritatibus lapsis permittitur, ut post » pœnitentiam in suis ordinibus reparari valeant: ad » majorem autem conscendere post lapsum nulla eis » auctoritate permittitur; imò penitus prohibetur. « Dein citato in probationem hujus sententiæ Canone Ilerdensis Concilii objicit sibi exemplum S. Petri: » Qui post trinam negationem, non solùm in gradu » sui Apostolatus remansit, verùm etiam in Pastorem » totius Ecclesiæ à Christo institui meruit. «

Sed contra hoc exemplum S. Petri sibi objicit post » Canonem 54. » Quod pœnitentes ad sacros Ordines » promoveri non debeant: non ergo lapsi post pœni- » tentiam ad majora pertingere possunt. «

Tum citatis nonnullis Canonibus, qui pœnitentes ab Ordinibus excludunt, ac signanter hoc Decreto Innocentii I. Canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludunt. Hanc conciliandi rationem subjicit: » Hoc non de » quibuslibet pœnitentibus, sed de illis tantùm, qui » post actam pœnitentiam secularis militiæ cingulum » accipiunt. «

Item inter pœnitentiam solemnem & non solemnem.

Verum rursus advertens, hanc conciliandi rationem non convenire Canonibus pœnitentes à sacris functionibus simpliciter & in perpetuum removentibus, aliam adjungit ad calcem Canonis 61. „ Potest & ali- „ ter intelligi, *ait*: Est quædam pœnitentia, quæ so- „ lemnis appellatur, quæ semel tantum in Ecclesia „ conceditur, de qua Ambrosius ait: Sicut unum est „ baptisma, ita & unica est pœnitentia. *Lib. de Pœni-* „ *tentia*, *cap.* 10.

Deinde allegatis nonnullis Canonibus de modo imponendi & agendi hanc solemnem pœnitentiam, concludit: » Hanc pœnitentiam nulli unquam Clerico- » rum agere conceditur; atque ideò hujusmodi pœni- » tentes ad Clerum admitti prohibentur. «

Itaque Gratianus, ut in quæstione hac, an lapsi in crimen, vel etiam publicè pœnitentes, possint ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis post actam pœnitentiam ministrare, Canones inter se contrarios conciliare volens, distinguit inter crimina *occulta*, & crimina *publica*: item inter pœnitentiam *solemnem & non solemnem*: atque lapsos in *occulta*, item pœnitentes *non solemniter*, posse post peractam pœnitentiam

in Ordinibus susceptis ministrare, & ad majores ascendere: secus verò lapsos in crimina *publica*, aut pœnitentes *solemniter*.

At illa conciliatio Patrum regulis & pristinis Canonibus nullatenus congruit.

Hac distinctione credidit Gratianus, Canones in speciem contrarios conciliari posse. Verùm distinctionem inter *occulta* & *publica* crimina non congruere Patrum regulis, eamque demum seculo X. aut citer, occasione falsæ decretalis Calixti I. necnon corruptæ epistolæ S. Gregorii ad Secundinum invaluisse, pluribus ostendi in *Jure Eccles. part. 2. tit. 10. cap. 7.* & latiùs in *Dissertatione de Canonicis, part. 2. cap. 2. §. 4. & sequentibus.* Similiter distinctionem inter pœnitentiam *solemnem* & *non solemnem* esse recentiorem, nec pristinis Canonibus applicabilem, monstratum est in *Jure Eccles. part. 2. tit. 6. cap. 2.* ubi ex Morino observatum est, Gratianum in has præposteras Canonum concordias incidisse, eo quòd secutus nonnullos præcedentes Canonum collectores, nec tempora satis distinxerit, nec genuina à falsis & apocryphis scriptis separaverit.

Interim Canonistæ & Theologi in hoc puncto Gratianum sunt secuti.

Idipsum quoad distinctionem inter publica & occulta crimina notavit Dominus Hericourt in Analysi decreti Gratiani, unà notans, Gratianum ad hanc & similes distinctiones permotum occasione falsarum Decretalium. Quomodo autem auctoritate Gratiani, quam secuti sunt Canonistæ, & Theologi scholastici, distinctiones illæ invaluerint, & disciplina is conformis stabilita sit, notatum est locis supra citatis, ubi hodierna disciplina circa lapsos in crimen exposita est: ibidemque notavimus, quòd in hoc puncto etiamnum disciplina per Gratianum proposita, licèt à pristina Patrum disciplina deflectat, nequidem in omnibus servetur.

DISTINCTIO LI. & LIII.

Quidam ab ordinibus arcentur ob functiones Clericis minus convenientes.

POstquam Gratianus ostendit criminosos ad Ordines non assumendos, descendit ad eos, qui non quidem ob crimina, sed ob certas functiones, sive conditiones Clericis minus convenientes à sacris prohibentur Ordinibus. Idipsum monet Gratianus in procœmio hujus distinctionis dicens: » Ecce quod cri» minosi vel non *verè pœnitentes*, vel publicam pœ» nitentiam agentes à sacris prohibentur Ordinibus: » adjecit quoque sancta Mater Ecclesia, ut Curiales » aut post Baptisma militantes, aut in foro decer» tantes à sacris prohibeantur Ordinibus.“ Hâc itaque distinctione prædicta tria personarum genera attingit.

Tales in primis sunt curiales.

Quantum ad *Curiales*, extat Epistola 24. Innocentii I. cujus fragmentum reperitur in *Can.* 1. hâc distinctione. Et rursus *Can.* 2. ex Epistola 4. ejusdem Pontificis, ubi dicitur: » De Curialibus autem ma» nifesta ratio est, quoniam etsi inveniantur hujus» modi viri, qui debeant Clerici fieri, tamen quoniam » sæpius ad curiam repetuntur, cavendum ab his est » propter tribulationem, quæ sæpè de his Ecclesiæ » provenit.“ Eadem ratio tangitur in Canone ex Epistola ejusdem Papæ.

Item, qui rationibus publicis sunt obligati.

Fragmentum Epistolæ S. Gregorii *Lib. 7. Epist. 1.* quæ hanc *Curialium* à sacris Ordinibus exclusionem spectat, & cum præcedentibus sub eadem distinctione debuisset referri, retulit Gratianus *sub distinctione* 53. In hac Epistola S. Gregorius scribit Episcopis per Siciliam constitutis: » Legem, quam piissimus » Imperator dedit, ne fortâsse hi, qui militiæ vel ra» tionibus sunt publicis obligati, dum causarum sua» rum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum » veniant, vel in monasteriis convertantur, vestræ » studui fraternitati transmittere, hoc maximè exhor» tans, quòd hi, qui seculi actionibus implicati sunt, » in Clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt, » quia dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter, » quàm vixerant, vivunt, nequaquam student secu» lum fugere, sed mutare: quòd si etiam tales quo» que monasterium petunt, suscipiendi nullo modo » sunt, nisi priùs à ratiociniis publicis absoluti fue» rint: si qui verò ex militaribus viris in monasteriis » converti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi » eorum vita fuerit subtiliter inquisita: & juxta nor» mam regularem debent in suo habitu per triennium » probari, & tunc Monachicum, Deo auctore, sus» cipere.“

Plures jam pridem fuêre de Curialibus ad Clerum aspirantibus Imperatorum constitutiones, quarum una notanda extat *in L. 4. Cod. de Episcopis & Clericis* sumpta ex *L. 7. Cod. Th. de Cohortalibus*, ad quam videndæ notæ Jacobi Gothofredi, uti & ejusdem notæ ad *L. 49. Cod. Th. de Decurionibus.*

Interim hîc notandum ex Innocentio I. & S. Gregorio, quantâ moderatione & exactione præ cæteris probatione similes personæ ad clericatum vel etiam habitum monasticum sint recipiendæ.

Præterea qui fuerunt milites.

De militantibus non ordinandis est *Canon* 1. *ex Epistola* 24. *cap.* 2. Innocentii I. ubi & ratio additur; » Qui cum potestatibus obedierunt, *sæva* necessariò » sunt præcepta executi.“ Quin & *Can.* 4. ex Concilio Toletano I. dicitur: » Si quis *post Baptismum mi*» *litaverit*, & chlamydem sumpserit, aut cingulum ad » necandos fideles, etiamsi gravia non admiserit, si » ad Clerum admissus fuerit, Diaconii non accipiat » dignitatem.“ Rectè hîc notant Correctores Romani hæc verba *ad necandos fideles*, non esse in originali.

Denique decretantes sive postulantes in foro seculari.

Militantibus adjungit Gratianus *de foro decertantes*, sive ut loquitur Innocentius I. in *Can.* 1. » Qui » post acceptam Baptismi gratiam, in forensi exerci» tatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susce» perunt.“ Et in *Can.* 2. inter genera laïcorum, qui ad clericatum pervenire non possunt, reponit: » Si » quis fidelis causas agerit, hoc est, postulaverit.“

De hac irregularitate in foro postulantium, seu causas agentium, quæ his Canonibus videtur expressa, vide in *Jure Eccles. part. 3. tit. 6. cap. 2.*

Hæ irregularitates hodie ab usu recesserunt.

Cæterum hodie nec curialitas, nec patrocinium in curia forensi & civili irregularitatem *per se* inducit, neque curiales aut causarum patroni indigent dispensatione, ut Ordines suscipiant, quod & notavit D. Hericourt in Analysi ad hanc 51. *distinctionem* Gratiani.

Interim, quod supra circa admissionem Curialium ad sacros Ordines notatum est, etiam circa militantium seu postulantium in foro ad sacros Ordines admissionem meritò observandum.

DISTINCTIO LII.

Quid agendum illi, qui per saltum ordinatus est.

INter distinctionem 51. & 53. quæ ad unam eandemque materiam spectant, mediat hæc distinctio. Quid in ea probare intendat Gratianus exprimit in procœmio: » Qui verò prætermissis aliquibus gradibus » non superbiâ, sed negligentiâ, ad majorem ascen» derit, tandiu à majoribus abstineat, quousque con» gruo tempore prætermissos accipiat.“

Quandoquidem in præcedentibus de susceptione Ordinum non egerit Gratianus, sat intelligitur, ipsum nullam habuisse rationem connexionis hujus distinctionis cum præcedenti, quam tamen insinuat per particulam, *verò*.

Interim ostendere vult, quòd Ordo omissus supplendus sit, & à functione ordinis superioris sit abstinendum; quousque *omissus* ordo sit suppletus: prolato eam in rem decreto Alexandri II. quo decernitur, ut qui ordine præpostero per negligentiam ad Presbyteratus ordinem est promotus, omisso ordine Subdiaconatus, ab officio Sacerdotali prohibeatur, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium sibi ritè impositum fuerit.

Non eadem fuit semper circa hoc punctum disciplina.

Quidquid sit de hoc Alexandri decreto, admodum verisimile, illud à Gratiano suo decreto insertum occasionem præbuisse opinioni, & disciplinæ hodiè receptæ, quòd quasi ad *validitatem* ordinis superioris suscepti requiratur, ut suppleatur ordo inferior omissus, idque contra pristinam disciplinam, uti non semel notavimus in Jure Ecclesiastico.

DISTINCTIO LIV.

De ordinatione servorum.

HAc distinctione latè agit Gratianus de ordinatione *servorum*: ostenditque, quomodo in hac ordinatione sit procedendum, ne jura Dominorum lædantur, nec Ecclesiæ noceatur; atque ex omnibus tandem concludit: *Ecce quomodo servi ad Clericatum assumi valeant, vel quomodo non admittantur.* Plura apocrypha, necnon mutilata fragmenta hac distinctione referri vel solæ annotationes Romanæ ostendunt.

Cæterum ex relatis à Gratiano & hoc constat, non eandem omnium Ecclesiarum circa hanc ordinationem disciplinam fuisse, uti & notavit D. Henricourt: & hodie in Belgio horum Canonum nullus est usus; eo quòd propriè dictos servos Belgium non agnos-

noscat, de quibus tamen proprie dictis servis Canones agunt.

DISTINCTIO LV.

De irregularitate ex defectu corporis.

COrpore vitiatos à sacris Ordinibus prohiberi, probare intendit Gratianus hâc distinctione, uti constat ex procœmio. Ex his, quæ in hanc rem profert, sat manifestum est, ac signanter ex fragmento Epistolæ Innocentii I. relato *Can.* 6. non ob quemlibet defectum membri juxta sacros Canones ab Ordinibus prohiberi; sed duntaxat, qui sibi ipsis defectum membrorum procurárunt: sive *in causa* fuerunt; uti in citata Epistola loquitur Innocentius, & manifestè supponunt Canones vulgò Apostolorum hic relati *Can.* 4. & 5. necnon Canon Nicænus relatus *Can.* 7. ipseque Gratianus idipsum vidisse apparet; quandoquidem ad calcem Canonis 3. moneat: » Corpore autem vitiati intelliguntur *non casu*, sed *propria voluntate abscissi.* « Id ipsum & modernæ disciplinæ sat conforme esse duxi in *Jure ecclesiast. part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 5. una tamen ibidem notavi, defectum corporis etiam *sine culpa* defectuosi, interdum defectuosum reddere irregularem; eo quod defectus corporis impediat, quò minus ipsas functiones Ordinis vel absolute, vel non sine irreverentia aut scandalo exercere queat.

DISTINCTIO LVI.

De irregularitate ex defectu natalium.

AGit Gratianus hâc distinctione de filiis Presbyterorum non ordinandis. Profert hanc in rem *Can.* 1. decretum sub nomine Urbani II. » Presbyterorum filios à sacris altaris ministeriis removemus, » nisi aut in cœnobiis, aut in Canonibus religiose » probati, fuerint conversati.

Hoc decretum esse editum in Concilio Melphensi sub hoc Pontifice habito notat post Sirmundum Stephanus Baluzius, monuimusque in *Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 10. *cap.* 3. non extare antiquius de hac irregularitate decretum; ibidemque ostendimus justis de causis hanc irregularitatem tandem extensam *ad omnes illegitimos natos.* Profert quidem hic Gratianus *Can.* 10. fragmentum sub nomine Bonifacii Martyris, quæ ante tempora Urbani II. vixit, sed nihil pro hac irregularitate probat, uti ex integro Canonis contextu constat.

Decretum relatum Canone 2. sub nomine Damasi Papæ apocryphum esse insinuavit Antonius Contius in nota marginali, & post ipsum Antonius Augustin. *de emendat. Gratian. lib.* 1. *Dial.* 6.

Quædam relata à Gratiano non conducentia ad ædificationem legentium.

Ceterum ex relato hoc, licèt apocrypho decreto, intelligitur, Gratianum in sui operis confectione, non sat attendisse, num à se relata & adducta ad ædificationem legentium conducerent: quis enim non potiùs offendetur, quàm ædificabitur, cum legit, etiam florentissimis Ecclesiæ seculis, Presbyterorum aliorumque illegitimos filios ad summum Pontificatum assumptos fuisse; quod falsum esse historiæ Ecclesiasticæ certissimè evincunt.

DISTINCTIO LVII.

De irregularitate baptizati in ægritudine.

PRogreditur Gratianus enumerare eos, qui à sacris ordinibus prohibentur; atque hac distinctione agit de irregularitate illius, qui in *ægritudine baptizatus est*, prolato Canone 12. Neocæsariensi, quo vetatur ordinari in Presbyterum, qui in *ægritudine* constitutus Baptismum suscepit. Circa hunc Canonem notandum, ex communi Græcorum sententia, quæ & textui Canonis plane conformis apparet, hanc irregularitatem nequaquam fundari in nullitate, aut invaliditate Baptismi in ægritudine collati; sed in eo quod ille qui usque ad ægritudinem Baptismum petere distulisset, non sat probasset fidem suam ex voluntate descendere, sive ejus ad Christianismum conversionem esse omnino sinceram.

Vera ratio hujus irregularitatis.

Præterea notari meretur Gratianum ex versione Isidori finalem clausulam proferre disjunctivè hoc modo: *Nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit*; cùm tamen in originali & similiter in versione Herveti & Dionysii Exigui legatur conjunctivè per, &: ac ita legisse Balsamonem ex ejus constat commentario: » Utrumque, ait, debet concurrere, virtutis scilicet » studium, & raritas hominum; si enim unum eorum desit, Canon observabitur. «

Magna Patrum solicitudo circa admittendos ad Sacerdotium.

Hic meritò attendant Episcopi, quantâ circumspectione processerint Patres in promovendis ad Sacerdotium.

Ex his, quæ ad calcem dicti Canonis proferunt Correctores Romani, ex historia Eusebii, probari videtur, quòd hæc species irregularitatis, etiam seculo tertio tempore Cornelii Papæ nota fuerit.

DISTINCTIO LVIII.

An, & quomodo Monachi ad officium Ecclesiasticum admitti possint.

HAc distinctione probare intendit Gratianus, id, quod in præfatione illius habetur: *Item ex monachali habitu nullus assumitur ad Ecclesiasticum officium, nisi fuerit oblatus voluntate proprii Abbatis.*

Hoc assertum probare vult auctoritate S. Gregorii *lib.* 1. *indict.* 1. *epist.* 18. Porrò ex contextu epistolæ constat, S. Gregorium agere de Monachis, qui ab Episcopo ex monasterio tollebantur, *permittente* Abbate, ad officium ecclesiasticum extra monasterium administrandum: unde immediatè in epistola subjungitur: » Quisquis autem ex prædicto monasterio » ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illuc » nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat ha- » bitandi. « Vide notas Gussanvilei ad citatam epistolam; qui ibidem notat, quod juxta pristinam disciplinam Monachi ex monasterio ejecti seu rescissi, Monachi esse desinerent; vel si ad Clericatum, aut officium Ecclesiasticum per Episcopos essent assumpti extra monasterium, nullum jus retinerent revertendi ad monasterium; imò Monachi esse desinerent. Citat & hic Gratianus Canonem XIII. Concilii Carthaginensis V. sed evidens est ex contextu Canonis, illum ad hunc casum non spectare, uti videri potest ex Tractatu Historico Canonico *parte* 2. *cap.* 3. §. 7. ad Canonem 80. codicis Africani, ubi etiam notavimus, quod in editione decreti anni 1515. 1550. item 1572. post hæc verba *vel in suo majorem monasterii constituere*, sequitur, *sine licentia Abbatis & Monachorum*, unde Glossa casum Canonis exprimens, ait: » Dicitur in hoc Canone, quod Episcopus » non potest alienum Monachum promovere ad Cle- » ricatum, vel facere Abbatem in suo monasterio, » nisi de voluntate proprii Abbatis.

Juxta pristinam disciplinam Monachus ad officium ecclesiasticum assumptus desinebat esse Monachus.

DISTINCTIO LIX.

Ad sacerdotium assumendi prius in inferioribus ordinibus probari debent.

DIstinctione hac ostendit Gratianus, ordinandum non esse in summum sacerdotem, nisi in inferioribus ordinibus antea probatus & Ecclesiasticis disciplinis priùs fuerit imbutus. Ex sententiis Pontificum hic relatis evidens est, nequaquam ipsos requisivisse precedentes inferiores ordines in eo, qui ad sacerdotio assumitur quasi ab his validitas sacerdotii dependeret; sed ut in ordinum inferiorum functionibus versatus & exercitatus, sacerdotio dignus & idoneus probaretur, uti & ostendi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 5.

DISTINCTIO LX.

Assumendus in Archipresbyterum vel Archidiaconum debet esse Presbyter vel Diaconus.

HActenus ostendit Gratianus, qui possint ad Sacerdotii ordinem promoveri, & qui non: » Nunc autem considerandum est, ex quibus ordi- » nibus, in Archipresbyterum vel Præpositum sint » eligendi: « ut ipse monet initio hujus distinctionis: & quidem hic ostendit nullum in Archipresbyterum aut Archidiaconum esse ordinandum, nisi Presbyterum aut Diaconum; neque in Episcopum, nisi sacris ordinibus fuerit initiatus: sed vel sola nomina *Archipresbyteri*, *Archidiaconi*, & similia, quæ hic occurrunt, evincunt, hæc esse recentioris ætatis, ideoque vel hoc solo argumento concluserunt eruditi, decretum relatum *Can.* 2. nequaquam attribui posse Calixto Papæ I. uti nec relatum *Can.* 4. Urbano I. utpote quorum ætate, nec nomina, nec dignitates, aut hæc disciplina adhuc nota esset. Verum est, decretum hic *Can.* 4. sub nomine Urbani I. relatum, etiam referri sub nomine hujus Pontificis per Innocentium III. in *Cap. à multis* ✠ *de ætate & qual. ord.* sed scitur, Innocentium III. aliosque sequentes Pontifices (è quorum decretalibus constant libri Juris canonici) secutos fuisse simpliciter & sine discussione auctoritatem Gratiani: ut propterea etiam plura parum authentica in decretales & libros Juris canonici irrepserint.

Sufficit ut ordinandus in Episcopum sit Subdiaconus.

Insuper quia Gratianus nullum sacrum ordinem speciatim requisivit in ordinando in Episcopum; sed dun-

duntaxat dixerit, nullum esse ordinandum in Episcopum, qui *non sit sacris ordinibus initiatus*, invaluit, quod sufficiat, ut ordinandus in Episcopum saltem sit *Subdiaconus*, licèt ordinandus in Archipresbyterum debeat esse Presbyter, & in Archidiaconum Diaconus; ita ut vel ex his pateat, disciplinam per Gratianum expressam simpliciter esse receptam.

DISTINCTIO LXI.

Multo tempore prius probandi, qui ad Episcopatum assumendi sunt.

AGit rursus hâc distinctione Gratianus contra subitas ordinationes; ostendens, quòd laici non sint in Episcopos eligendi, sed per singulos ordines priùs sint probandi. Proferuntur hîc à Gratiano plures notandæ Patrum sententiæ de non eligendis in Episcopos: » Nisi quorum ætas puerilibus exor-» diis usque ad perfectiores annos, per disciplinæ Ec-» clesiasticæ stipendia cucurrerit, ut unicuique testi-» monium prior vita præberet, nec posset de ejus pro-» vectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro » moribus castis, pro actibus strenuis, celsioris loci » præmium deberetur: « uti loquitur S. Leo relatus *Can.* 5. qui totus meritò legendus ab his, qui ad electionem aut nominationem Episcopi concurrunt; cui & meritò adjungendum, quod ex epistola Hormisdæ Papæ refertur *Canone* 3.

His prolatis Patrum, & Canonum sententiis, objicit sibi: » Quod Beatus Nicolaus ex laico electus est » in Episcopum: Beatus Severus ex lanificio assump-» tus est in Archiepiscopum: Beatus Ambrosius, » cùm nondum esset baptizatus, in Archiepiscopum » est electus. Sed sciendum est, ait, quòd ecclesiasti-» cæ prohibitiones proprias habent causas, quibus ces-» santibus cessant & ipsæ. Ut enim laicus in Episcopum » non eligeretur, hæc causa fuit; quia vita laicalis ec-» clesiasticis disciplinis per ordinem non erudita, nescit » exempla religionis de se præstare aliis, quæ in se ipsa » experimento non didicit. Cùm ergo quilibet laicus » meritò suæ perfectionis clericalem vitam transcen-» dit, exemplo Beati Nicolai & Severi, & Ambrosii, » ejus electio potest rata haberi. «

Quid ab Episcopis attendendum in dispensatione super interstitiis.

Hæc Gratiani ratiocinatio meritò attenditur ab Episcopis, ubi de dispensatione super *interstitiis* agitur, & latiùs exposui in *Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 9. *cap.* 5.

In electionibus ad officia Ecclesiastica, qui præferendi.

Nonnulla adjungit Gratianus, quibus probare vult: » Quod Clerici alterius Ecclesiæ non sit præferendi in » electione iis, qui benè militant in propriis Eccle-» siis, « ut loquitur ad calcem Canonis 11. & quidem conformiter ad hoc Gratiani probatum assertum, etiam hodie in Ecclesiis, in quibus penes Canonicos, sive capitula salvum hactenus est jus electionis ad Episcopatum & dignitates, eligi non solet, nisi sit Canonicus ejusdem Ecclesiæ.

DISTINCTIO LXII.

Qui concurrere debeant ad electionem & ordinationem Episcoporum.

PReviter *mostratum est*, ait Gratianus in proœmio hujus distinctionis, *ex quibus ordinibus, in quos gradus sunt eligendi: num videndum, à quibus sunt eligendi, & consecrandi.*

Huic monito immediatè subjungitur: *electio Clericorum est, consensus Principis, petitio plebis.* Ita legitur in editis antiquis Gratiani exemplaribus, quam lectionem & retinuit Antonius Contius, additâ tamen ad vocem *Principis*, hâc notâ marginali: *videtur legendum, Clerici*: in decreto correcto ita hodie legitur: *electio Clericorum est petitio plebis* subjecto hoc monito ad vocem, *est*: » In vulgatis codicibus » sequebatur: *consensus Principis*: in manuscriptis » verò partim legitur, *consensus plebis*, partim *petitio plebis*, atque ita est emendatum. «

Nec sanè hæc Romana correctio dissona apparet à textu Leonis, quem immediatè in probationem sui asserti Gratianus subjicit: nam scribit S. Leo Rustico Archiepiscopo Narbonensi: » Nulla ratio sinit, ut » inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt » electi, *nec à plebibus sunt expetiti*, nec à Provincia-» libus Episcopis cum Metropolitani judicio sunt con-» secrati: « nullâ *Principis* factâ mentione, cujus nec in hac distinctione mentio ocurrit. Quidquid sit de genuina lectione Gratiani, hoc constat, multis seculis obtinuisse, ut populus unà cum Clero ad electionem Episcopi concurreret, nec electus in Episcopum consecrari posset, nisi priùs haberetur Principis consensus: quod & in Ecclesia Romana servatum fuisse ostendi in *Juris Eccles. parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 3.

DISTINCTIO LXIII.

An Laici ab electione Episcopi sint excludendi.

HAc distinctione contendit Gratianus, quòd Laici nullo modo se debent Inserere electioni. Verùm, quia in hac electionis materia varia fuit Ecclesiarum disciplina: eamque varietatem uti & ordinem temporis in recitandis decretis, & Canonibus negligens more suo Gratianus, materiam hanc non parùm intricavit; atque rationes Canonibus & textibus conciliandis parùm convenientes attulit.

Varia fuit circa hoc punctum disciplina.

Hanc materiam, variamque diversis temporibus receptam disciplinam exponere studui in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 13. & latiùs in ejus supplemento: ibidemque notavi, Gratianum sensum Canonis 13. Laodiceni planè invertere, dum illum hac distinctione Canone 6. adducit, ut probet, Laicos ab electione Episcopi excludi; uti & ostendi in Tractatu Historico-Canonico *part.* 2. *cap.* 1. §. 12. *ad citatum Canonem Laodicenum*; ibidem probans quod Patres hoc Canone nequaquam Laicos ab electione excluserint; sed duntaxat improbaverint *tumultuosas* electiones, sive per tumultuantem plebem factas.

Interim hic notandum, Epistolam Nicolai, cujus fragmentum *Can.* 4. refert Gratianus, nullibi reperiri, uti notat Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendatione Gratiani Dial.* 14.

Cæterum vix dubium, quin ex hoc fragmento hic à Gratiano relato curia Romana prætenderit, etiam eo tempore Pontifici Romano jus competiisse cognoscendi de persona ad Metropolitanam Ecclesiam assumenda.

DISTINCTIO LXIV.

A quibus, quo tempore & quo loco ordinandi Clerici?

POst hæc vult Gratianus ostendere: » A quibus » vel quo tempore sacri ordines sint tribuendi: » vel quibus in locis Patriarchæ, Primates, Archi-» Episcopi, Episcopi, Chori-Episcopi & reliqui Sa-» cerdotes sint ordinandi. «

Episcopi à comprovincialibus cum Metropolitano ordinandi.

Et ab hac distinctione incipiens, ostendit, Episcopos à Comprovincialibus, consentiente Metropolitano, esse ordinandos; conformiter ad Canonem 4. Nicænum hîc à Gratiano *Can.* 1. relatum. Videri potest prætatus Tractatus *part.* 2. *cap.* 1. § 7. *ad citatum Canonem*, ubi ostendit Canonem hunc non solùm de ordinatione, sed & de electione Episcoporum agere; idque conformiter ad disciplinam illius temporis, quâ ordinatio mox peragebatur à facta electione.

Quod verò *Canone* 2. refertur sub nomine *Anacleti*, scitur esse ex suppositititiis decretalibus Isidori, qui more suo huic decreto inseruit lasciniam Canonis Nicæni, sed adjectâ clausulâ à disciplina istius temporis prorsus alienâ; scilicet, *auctoritate Apostolica*: quasi Patres Nicæni statuissent, Episcoporum electionem ab omnibus comprovincialibus Episcopis esse faciendam, *auctoritate Apostolica.*

De auctoritate Metropolitani in ordinatione Episcopi.

Interim de hac disciplina videri possunt quæ dixi in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 1.

Plura hic quoque adducit Gratianus, quibus ostendit, Episcopum ordinari non posse sine consensu Metropolitani conformiter ad canonem Nicænum, cujus verba hic recitat *Canone* 8.

DISTINCTIO LXV.

HAc distinctione ostendit Gratianus, ordinationem Episcopi fieri debere ab omnibus comprovincialibus, aut saltem majore eorum parte, consentiente quoque *Primate* Provinciæ, si sit.

A quibus eligendi Episcopi.

Quod hic ostendit Gratianus, Episcopum ab omnibus Episcopis comprovincialibus esse eligendum: quodque, si omnes præsentes adesse nequeant, scripto tamen, aliove modo consensum suum electioni factæ præstare debeant, conforme est Canonibus Nicænis; ut & quod in pluribus hic à Gratiano relatis decretis asseritur: *Quod si duo aut tres contradicant, prævaleat sententia plurimorum.*

Similiter, quod de consensu Metropolitani, ejusque in hac electione auctoritate legitur, congruit quoque Canonibus Nicænis.

Quid agendum casu quo uni-

Ad calcem Canonis 8. ita concludit: His auctoritatibus datur intelligi, quod Episcopi à suis comprovincialibus debeant ordinari: sed quæritur, ait, si in Pro-

unicus Episcopus in provincia supersit.

Provincia plurimi Episcopi fuerint, & contingerit fortè *unum* remanere Episcoporum, quid fieri debeat; ille quia solus est, ordinare non potest Episcopum: comprovinciales enim non habet, cum quibus Episcopum consecrare valeat.

Pro resolutione hujus casus subjicit Canonem 5. Sardicensem; „Si fortè unus tantum in provincia remanserit Episcopus ad consecrationem Episcopi de vicina provincia convocentur" de varia lectione & intellectu hujus Canonis vide sæpè citatum Tractatum Historico Canonicum *part.* 3. §. 5. *ad citatum Canon. Sardicensem.* De varia ejusdem Canonis lectione agunt quoque Correctores Romani, unà ostendere conantes Canones Sardicenses latinè editos fuisse; necnon eosdem ab Ecclesia Græca receptos.

DISTINCTIO LXVI.

De ordinatione Metropolitani.

HAc distinctione tractat Gratianus de electione Archiepiscoporum; ostenditque, Archiepiscopum eligendum & ordinandum à suis Episcopis comprovincialibus: producens in probationem fragmentum decretalis sub nomine Aniceti Papæ.

Adducta hic à Gratiano sunt supposititia.

Verùm vel solum nomen *Archiepiscopi*, quod tempore Apostolorum, uti & tempore Aniceti Papæ, adhuc ignotum erat; quemadmodum etiam nomen Episcoporum *comprovincialium*, qui nondum eo tempore erant determinati, manifestè evincunt eam decretalem esse supposititiam; uti & fabulosa esse, quæ Canone 2. hîc narrantur de ordinatione S. Jacobi. Quapropter forma ordinationis Archiepiscopi per comprovinciales, quæ postmodum invaluit, nullatenus dici potest exemplo Apostolorum inducta, uti falsarum harum Decretalium confictor, & hunc secutus Gratianus, insinuare voluerunt.

DISTINCTIO LXVII.

A quibus Presbyteri sint ordinandi.

IN procœmio hujus distinctionis hoc summarium ponit Gratianus: » Presbyteri verò & Chorepiscopi ab *uno* Episcopo ordinari possunt.

In hujus probationem adfert fragmentum falsæ decretalis Anacleto Papæ suppositæ, in quo nihil de ordinatione Chorepiscopi legitur.

Refert autem *Canone* 2. ex Concilio Hispalensi: » Episcopus Sacerdotibus & Ministris solus honorem » dare potest; solus auferre non potest. «

Gratianus nullam hîc auctoritatem adfert, quæ de *Chorepiscopis* loquitur, cum tamen insinuet in procœmio, se velle etiam ostendere à quo *Chorepiscopi* sint ordinandi, admodum verisimile est, Gratianum præ oculis habentem disciplinam sui temporis, Chorepiscopos posuisse inter simplices Presbyteros; quantumvis primitùs videatur, eos charactere Episcopali fuisse insignitos.

DISTINCTIO LXVIII.

Quid agendum, ubi dubitatur de validitate factæ ordinationis.

HAc distinctione sub initium ait: » Quæritur de » illis, qui ordinantur ab his, quos non constat » fuisse Episcopos, an iterum sint consecrandi, an » non? «

Pro hujus quæstionis resolutione, prolatis duobus fragmentis sub nomine Gregorii I. & Gregorii III. ad calcem Canonis 2. quæstionem ita resolvit: » Quod ergo consecratus in eodem ordine iterum consecrari » prohibetur, de eo intelligendum est, qui consecra» tus est ab illo, quem *certum* erat consecrandi jus » habere: qui autem ab illo consecratur, quem non » constat jus consecrandi habuisse, iterum consecran» dus est: quia si ille consecrandi jus non habuit: iste » ex olei effussione nil consecrationis accepit: & quia » in ipso ordine consecrandus non erat, nunc quasi » primum ad consecrationem veniens ab Episcopo Sa» cerdotalem benedictionem & consecrationem conse» quitur. Si autem jus consecrandi habuit in prima unc» tione consecutus est consecrationem: in secunda » non reiteratur consecratio, sed sola unctio; sicut, » de quo dubium est, an sit baptizatus, vel non, de» bet baptizari: qui, si priùs baptizatus non fuerat, » consequitur gratiam baptismi: si autem baptizatus erat, » nihil accepit in secunda unctione, nec pertinet hoc » ad reiterationem baptismi, sed ad cautelam salutis."

Nulla fit mentio conditionis adjiciendæ in reiteratione ordinationis.

Nihil hîc dicitur de *conditione* in reiteranda ordinatione aut baptismo adhibenda, quæ verisimiliter tempore Gratiani nondum erat ubique in usu.

Addit Gratianus: » Hoc & de Ecclesiis consecran» dis similiter observandum est." Citato decreto Concilii Nicæni: sed nihil simile in Concilio Nicæno legitur, & intuenti textum facilè apparebit, illud non congruere disciplinæ istius ætatis: imò quod hîc de iteranda consecratione ob *effusionem sanguinis* asseritur, nec hodie receptum est, sed sufficit hoc casu simplex reconciliatio; uti & in alio casu sequente in Canone expresso: quemadmodum notavi in *Jure Eccles. parte 2. tit.* 16. *cap.* 4.

Adducta à Gratiano de Chorepiscopis supposititia sunt.

Denique hac distinctione notare volens Gratianus, differentias inter Episcopos & *Choriepiscopos* citat hanc in rem Epistolas Leonis & Damasi Pontificum: & quidem hodie prior post Correctionem Romanam adscribitur Leoni I. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, at in antiquis codicibus Decreti legebatur simpliciter: *Leo Episcopus omnibus Episcopis*: ostenditque Paschasius Quenellus post Jacobum Sirmundum & Joannem Morinum, hanc Epistolam nullatenus posse tribui Sancto Leoni I. neque ei adscriptam fuisse ante editam collectionem Isidori vulgò *Mercatoris*, in cujus collectione primum sub hujus Pontificis nomine comparuit.

Alteram Epistolam Damaso Papæ adscriptam supposititiam esse passim agnoscunt eruditi. Cæterum quidquid sit de Chorepiscopis, eorumque à cæteris Episcopis differentia, hoc quidem nequaquam obscurum videtur, quin Gratianus crediderit aut saltem supposuerit, Chorepiscopos fuisse simplices Presbyteros ab uno solo Episcopo ordinandos.

DISTINCTIO LXIX.

An Abbates Tonsuram & minores ordines conferre possint.

HUic distinctioni hoc summarium præfigitur: „Ton» sura Clerici de manu Abbatis suscipi potest, si » eidem Abbati manus impositio ab Episcopo facta » noscatur. «

In probationem hujus asserti adducit Gratianus Canonem 14. Synodi VII. Canon hic dividitur in tres partes. Parte priore redarguuntur illi, qui in *parvula* etiam ætate, Tonsura clericatus accepta, *sed nondum ab Episcopo manus impositione percepta, super ambonem irregulariter in collecta legebant.* Parte secunda dicitur: *Lectoris autem manus impositionem est licentia Abbati in proprio monasterio solummodo faciendi; si duntaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum.* Ita legitur in versione Anastasii Bibliothecarii, quam Gratianus secutus est. Cæterum de sensu hujus Canonis vide Tractatum Historico-Canonicum *Part.* 3. *cap.* 3. §. 9. *ad Canone* 14. *Synodi VII.*

DISTINCTIO LXX.

Clericus sine titulo ecclesiastico ordinari non debet.

HUic distinctioni hoc summarium præmittit Gratianus: „Ab Episcopis alterius civitatis cleri„cus ordinari non poterit, nec etiam à proprio *abso„lutè* ordinandus est."

In probationem secundi membri, de prohibita absolutè ordinatione producit canonem Calchedonensem, quo cavetur: „Neminem *absolutè* ordinari Pres„byterum vel Diaconum, vel quemlibet in Ecclesias„tica ordinatione constitutum, nisi manifestè in Ec„clesia civitatis, sive possessionis aut in martyrio, „aut in Monasterio, qui ordinatur, mereatur ordi„nationis publicatæ vocabulum. Eos autem, qui *ab„solutè* ordinantur, decrevit sancta Synodus, vacuam „habere manus impositionem, & nullum tale factum „valere ad injuriam ipsius, qui eam ordinavit."

Notant hîc imprimis Correctores Romani pro his verbis: *Nisi manifestè*, in Græco legi, *nisi propriè in Ecclesia civitatis, vel pagis, aut martyrio, aut monasterio, qui ordinatur, pronuntietur.*

Monent & ibidem dicti Correctores: „Quod in „ordine Romano fiat mentio talis pronuntiationis „Episcopi nomine per Archidiaconum factæ: *De Ti„tulo S. Stephani, eligimus Petrum ad Lectorem ad „eundem Titulum.*"

Ex his manifestum est, id unum per Concilium Calchedonense fuisse decretum, ut nullus ordinaretur *absolutè*, id est, sine titulo ecclesiastico, sive designatione alicujus Ecclesiæ, cui adscriberetur, & in quo functiones sui ordinis obiret.

Origo tituli patrimonialis.

Verùm Gratianus pro verbis, *vel pagi*, legit, *sive possessionis*; ex qua erronea lectione, sive versione Glossographus concludit, juxta hunc canonem suffice-

cere titulum prophanum, sive patrimonialem; quem secuti sunt Canonistæ; ac tandem hic titulus patrimonialis invaluit, & per Synodum Tridentinam saltem dispensativè admissus fuit, uti latiùs exposui in *Jure Eccles. part. 2. t. 9. cap. 6.*

DISTINCTIO LXXI.

Clericus ab alieno Episcopo sine dimissoriis non ordinandus.

DE Clericis non ordinandis ab Episcopo alterius civitatis sine proprii Episcopi consensu agit hac distinctione Gratianus, neque sine litteris commendatitiis Clericum extra suam Ecclesiam ministrare posse.

In probationem prioris partis sui asserti plures Canones profert, ac signanter *Can.* 1. decretum synodi Sardicensis; circa quod notandum, quòd inspectis verbis hujus Canonis, videatur duntaxat loqui de non transferendo ministro alterius Ecclesiæ sine assensu proprii Episcopi, licèt Gratus Primas Africæ qui Concilio Sardicensi interfuit, testatus sit, Patres hujus Concilii hoc quoque intellexisse de *Laico* alterius Ecclesiæ, atque ita Canonem hunc sensim fuisse acceptum, etiam in Africa, & etiamnum hodie hîc & ubique sic observari.

Clericus extra suam Ecclesiam sine commendatitiis ministrare non potest.

In probationem secundæ partis sui asserti producit Gratianus *Can.* 7. Canonem 13. Chalcedonensem, & *Canone* 9. Canonem 7. Antiochenum, de quibus videri potest Tractatus Historico-Canonicus ad præfatos Canones, ubi ostendi illos à Gratiano corruptè referri.

Cæterum quid de hoc pristina disciplina obtinuerit, & quæ hodie, signanter jure Decretalium, & ex dispositione Concilii Tridentini observanda sint, deducimus in *Jure Eccles. part. 2. tit. 5. cap. 9.*

DISTINCTIO LXXII.

De litteris dimissoriis sive exeat.

GRatianus hac distinctione probare intendit, quod Episcopus dimissorias litteras tribuere non debet nisi rogatus, uti monet in procœmio.

In probationem hujus asserti profert *Can.* 1. sub nomine Leonis Papæ: » Episcopus subjecto sibi Sa» cerdoti, vel alii Clerico, nisi ab ipso postulatus, » dimissorias non faciat. «

Hîc non agi de litteris dimissorialibus, prout hodie sumuntur, sed potiùs de littereris, quæ clericis dantur, ut à sua diœcesi ad aliam transeant, sive exeant, quæ hodie vocantur, *exeat*; nequaquam obscurum est ex verbis, quæ immediatè subjiciuntur: » Ne ovis » quasi perdita, aut errans inveniatur. «

Porrò adducta *Canone* 2. id unum probant nullum ab alieno Episcopo esse ordinandum sine consensu proprii Episcopi.

DISTINCTIO LXXIII.

De formulis dimissoriarum litterarum supposititia.

HAc distinctione Gratianus profert formulas dimissoriarum litterarum, quasi à Nicæna Synodo præformatas, & ab Attico Episcopo Constantinopolitano editas.

Verùm nec in Synodo Nicæna similem formulam editam legimus, neque ab Episcopo Constantinopolitano ullibi præscripta habetur.

Qua forma hæ litteræ concipi solent, necnon quæ circa eas sint meritò notanda & observanda notavi in *Jure Eccl. part. 2. t. 9. c. 3.*

DISTINCTIO LXXIV.

An invitus possit ordinari.

QUærit Gratianus hac distinctione. „De his qui ab » Episcopis promoveri contemnunt, an inviti » sint sublimandi, an non. «

Auctoritates in speciem contrarias rectè conciliat Gratianus.

Prolatis quibusdam in speciem contrariis, scilicet S. Gregorii & Concilii Chartaginensis, hanc conciliandi rationem subjungit: „ Verùm illud Gregorii de » his intelligendum est, qui *non causa necessitatis*, » sed *causa ingratitudinis* calidè ab Episcopis suis » promoveri quæruntur: illud autem Carthaginensis » Concilii de his intelligitur, qui nolunt obtemperare » Episcopis suis *propter necessitatem* Ecclesiæ volen» tibus eos ad altiora promovere. «

Et reveta in Epistolis S. Gregorii, è quibus fragmenta apud Gratianum desumpta sunt, agitur de quodam Honorato, quem specie honoris in Presbyterum ordinare volebat, ut eum officio Archidiaconi privaret, quemadmodum id non semel factum legitur: de quo videri possunt Janus à Costa in commentario ad *cap. 2. ✠ de judiciis* & ab eo citati.

Iterum hîc notari potest, etiam ævo S. Gregorii fixum fuisse, ut nullus in ordine superiore, puta, Presbyter, obiret functiones ordinis inferioris, puta, Diaconi: atque idcirco per promotionem ad superiorem ordinem Diaconus, & Archidiaconus officio Diaconi & Archidiaconi censeretur privatus. Quod & probant epistolæ S. Gregorii hic citatæ, & notat P. Guissant ad epistolam 19. *lib. 2. S. Gregorii.*

Nullus in ordine superiori expositus potest obire functionem inferioris.

DISTINCTIO LXXV.

PErgit Gratianus hac distinctione tempus, quo ordinatio facienda sit, inquirere. Hanc in rem *Canone* 1. recitat fragmentum pseudo-epistolæ secundæ S. Anacleti, quo ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica *Dominica die hora tertia*, (id est hodiernâ nona matutina) fieri præcipiuntur.

Quo tempore ordines conferendi.

Ordinatio Episcoporum die Dominica fieri potest.

Licèt hæc epistola eruditis passim hodie habeatur suppositiitia, & ex putridis Isidori mercibus admodum tamen verisimile est, huic apocrypho fragmento, Gratiani Decreto inserto, adscribendum esse, quod etiamnum hodie ordinatio Episcoporum *omni* die Dominica fieri queat; cum Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum certis temporibus sit alligata.

Intra tres menses fieri debet.

Post relatam hanc decretalem citat Canonem 15. Chalcedonensem, quo ordinatio Episcoporum facienda intra tres menses præcipitur, uti & in Tridentino statutum est; hac tamen differentia, quod hodiè tres illi menses incipiant tantùm currere à tempore obtentæ confirmationis Pontificiæ: olim verò à die vacationis. Occasionem inductæ hujus differentiæ notavi in præfato Tractatu Historico Canonico ad dictum Canonem Chalcedonensem.

Tempore S. Leonis etiam Presbyterorum & Diaconorum ordinatio die Dominica peragi poterat.

Deinde Conone 4. adducit fragmentum epistolæ S. Leonis I. ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum, in qua scribit S. Leo: „ Quod à Patribus nostris » propensiore cura novimus esse servatum, à vobis, » inquit, quoque volumus custodiri, ut non passim » diebus omnibus sacerdotalis vel Levitica ordinatio » celebretur, sed post diem sabbati ejus noctis, quæ » successit in prima sabbati exordia (adit Gratianus, » *consecrandi*, contra fidem originalis) deligantur, in » quibus, his, qui consecrandi sunt, jejuniis, & à » jejunantibus sacra benedictio coferatur. «

Ex hac epistola S. Leonis patet, quòd, non tantùm Episcoporum, sed & Sacerdotum & Levitarum sive Diaconorum consecratio tempore S. Leonis, perageretur die *Dominico* sive *nocte ipsius sabbati præcedentis*: Hanc autem ad diem Dominicam pertinere asserebat S. Leo verbis subsequentibus: „ Quod » ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico » die, continuato jejunio sabbati, celebretur, à quo » tempore præcedentis noctis initia non recedunt: » quam (male Gratianus, *quod*) ad diem Resurrectio» nis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, per» tinere non dubium est. «

Itaque S. Leo ostendit, noctem sabbati pertinere ad diem Dominicum, ideoque ordinationem tunc factam censeri factam die Dominico, quod latiùs demonstrat Paschasius Quenellus in notis ad hanc Leonis epistolam, quæ est *undecima* in ejus editione: unaque demonstrat quomodo paulatim ordinationes à mane ipsius sabbati devolutæ sint ad tempus ante meridianum ipsius sabbati.

Ulteriùs multis ostendit Quenellus, Leonem hîc nequaquam loqui de sabbato sancto, sive vigilia Paschatis, sed generaliter de omni Dominica (quam diem resurrectionis olim vocatam esse notat;) atque in omni die Dominica ea ætate, non tantùm Episcoporum, sed & Presbyterorum & Diaconorum ordinationes peragi potuisse; arguitque crasi erroris eos, qui existimârunt, Leonem hîc de die Paschatis egisse; atque propterea huic epistolæ appossuerunt titulum, quo innuebatur ordinationem *sabbato sancto* fuisse peragendam: cum admodum verisimile sit, *illi sabbato* ob solemnem baptismum & catechismum Cathecumenorum primitùs ordinationes factas non fuisse: sed forsan posterioribus temporibus ex malo intellectu hujus epistotæ invaluisse; cum neque apud Gelasium aliosque mediæ ætatis scriptores inter tempora ordinationis referatur hoc sabbatum.

Tempora ordinationum per Gelasium determinata.

Recitat præterea Gratianus *Canone* 7. decretum Gelasii I. ex epistola ad Episcopos per Lucaniam, quo determinantur tempora sacrarum ordinationum, quæ etiamnum hodie servantur, excepto *sabbato sancto*, cujus in hoc decreto nulla fit mentio: in quo

quò decreto hoc etiam notari potest, nihil statui de ordinatione *Subdiaconorum*, quæ multis seculis nullis temporibus fuit adstricta, uti constat etiam ex ordine Romano, cujus fragmentum retulit Gratianus in *Can.* 6.

De jejunio quatuor temporum.

Denique observandum, quod Gelasius velit ordinationes sabbati jejunio circa vesperam celebrandas, quod cum epistola Leonis coincidit; ipsumque insinuat pristinam disciplinam celebrandi ordinationes die Dominico aut *nocte*, seu sub vesperam sabbati, quæ ad diem Dominicam refertur.

DISTINCTIO LXXVI.

CUm in decreto Gelasii præcedenti distinctione de jejunio quatuor temporum mentio facta esset, occasionem cœpit Gratianus tractandi hac distinctione: *Quibus temporibus jejunia celebranda sint.*

Sub initium distinctionis, ait, quod Calixtus Papa scribens Benedicto Episcopo hæc tempora determinet. Verùm scitur, hanc epistolam falsò Calixto Papæ attribui, imò quod in ea mentio fiat jejunii per quatuor tempora, falsitatem ejus evincit; quia sat expeditum est, ætate hujus Pontificis, hæc quatuor temporum jejunia nondum fuisse determinata.

Ex his autem hac distinctione relatis, & per Correctores Romanos observatis sufficienter constat; non eandem semper fuisse circa hæc jejuniorum tempora disciplinam; tandem tamen circa seculum XI. sub Urbano II. receptam & stabilitam fuisse modernam disciplinam; cui indubiè hæc falsa decretalis occasionem & firmitatem præbuit.

DISTINCTIO LXXVII.

ABsoluta distinctione septuagesima sexta, in principio hujus septuagesimæ septimæ hanc ex priore format conclusionem: »His temporibus secundum »Anacletum, Zephyrinum, Gelasium, & Pelagium, »Episcopi, Presbyteri & Diaconi sunt ordinandi.«

Verum hîc rursus fallitur Gratianus; nullum enim genuinum reperitur Anacleti, aut Zephyrini decretum, quo ordinationes illæ hisce temporibus alligentur; imò nec ullum antiquius præcitato decreto Gelasii facilè ostendetur.

De interstitiis servandis inter singulos ordines.

In hac dein distinctione agit de temporibus, quibus in singulis ordinibus hærendum sit. Tempora illa, quæ hîc ex decretis Pontificum, notanter Zozimi Papæ *Can.* 2. & Siricii *Can.* 3. determinantur, quibus in singulis ordinibus sit hærendum, priusquam ad altiorem ascenderetur, hodiè dici solent *interstitia*, de quibus egi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 5. & unà notavi hæc tempora, sive interstitia etiam inter minores ordines primitùs fuisse servanda; quod & evincunt decreta hîc relata. Adhæc ostensum est, & etiam hîc adducta decreta probant, illa interstitia requisita fuisse ad probationem, quæ haberi poterat ex modo & diligentia, quibus in obeundis ordinum illorum functionibus se gessissent.

Scopus interstitiorum.

Notandum hîc refertur à Gratiano *Can.* 1. decretum sub nomine Caii Papæ ex suppositicia decretali, quod Canonistis & Theologis occasionem dedit existimandi, quod inferiores ordines deberent præmitti superioribus, ut horum haberetur integritas, uti observatum est in Supplemento ad *Jus Eccles. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 4.

DISTINCTIO LXXVIII.

De ætate in Presbytero requisita.

HAc distinctione quærit Gratianus, quæ ætas requiratur in ordinatione Presbyteri: profertque eam in rem *Can.* 1. decretum sub nomine Bonifacii: monent autem Correctores Romani: „Cæteri collec»tores citant ex decretis Fabiani: extat apud Marti»num Bracarensem Episcopum in Capitul. Græc. Sy»nodi cap. 20. ex Neocæsariensi cap. 11. Et reverà »ea, quæ hîc referuntur à Gratiano, sunt verba Ca»nonis Neocæsariensis, prout hic Canon extat apud »Martinum Bracarensem.“

Pristina disciplina annos 30. requirebat.

Id non advertens Gratianus, eundem Canonem sub nomine hujus synodi retulit rursus *Can.* 4. in quo nominatim sic statuitur: „Presbyter ante 30. anno»rum ætatem non ordinetur, quamvis sit probabilis »vitæ; sed observet usque ad præfinitum tempus: »Dominus enim noster Jesus Christus *trigesimo* anno »baptizatus est, & tunc prædicavit.“

Hanc ætatem etiam Justinianus in suis Novellis præscripsit, ut patet ex fragmento ex dictis Novellis hîc *Can.* 2. per Gratianum relato.

Hanc ætatem etiam seculo XI. præcipit servari Concilium Rothomagense habitum anno 1074. statuens Canone 6. *Nullus ordinetur Presbyter ante* 30. *annos*; sed addita hac modificatione: *Nisi summa necessitate.*

Quomodo ab hac disciplina ad hodiernam recessum est.

Cùm verò arbitrio Episcoporum judicandum permitteretur, quando vel quæ esset *summa necessitas*, sensim ab hac disciplina prætextu *summæ necessitatis* recedi cœpit: quod & sufficienter indicat ipse Gratianus ad calcem *Can.* 4. hæc subjiciens: *Hoc regulare est..... sed Ecclesiæ necessitate exigente, nonnullos ante* 30. *annos ordinare consuevit.*

Imò etiam tempore Gratiani penè generaliter invaluerat hodierna disciplina, nimirum ut in Presbyterum ordinari posset quis anno vigesimo quinto suæ ætatis, quòd primitùs tantùm fuerat indultum, dum *summa Ecclesiæ necessitas* exigeret.

Hîc videmus verissimum esse, dispensandi auctoritatem in Canone, aut lege, licèt certis circumstantiis circumscriptam exprimere, esse legis, aut Canonis antiquationi viam sternere.

DISTINCTIO LXXIX.

De inthronizatione sivè electione Romani Pontificis.

GRatianus nulla habita connexionis, aut ordinis ratione, revertitur ad inthronizationem Pontificis, atque hac distinctione ostendere vult: »Quod »Apostolicus non nisi à Cardinalibus & religiosis »Clericis sit inthronizandus.“

Et *Can.* 1. sub nomine Nicolai Papæ II. refertur: »Si quis Apostolicæ sedi sine concordi & canonica »electione Cardinalium ejusdem Ecclesiæ, ac deinde »sequentium clericorum religiosorum inthronizatur, »non Papa vel Apostolicus, sed Apostaticus ha»beatur.“

Quinam ad illam olim concurrebant.

Ex hoc decreto per Gratianum hîc relato hoc habetur, quod tempore Nicolai II. ad electionem Romani Pontificis concurrerent etiam clerici non Cardinales: item quòd eo tempore clerici Ecclesiæ Romanæ, id est, Ecclesiæ Lateranensis & Cathedralis dicerentur *Cardinales*, uti & hîc notat Ludovicus Hericourt.

In antiquis Gratiani editionibus non dicitur quis fuerit *Nicolaus* hujus decreti auctor: in correctis habetur hic titulus: *Unde Nicolaus Papa II. ait in epistola, qua Synodum à se Romæ habitam refert cap.* 1.

Habetur quidem sub nomine Nicolai secundi *tomo* 9. *Concil. General. col.* 1103. decretum de electione Romani Pontificis, sed huic in multis dissimile, de quo suprà *distinctione* 23. Verùm post hoc decretum subjiciuntur tanquam ejusdem Concilii Canones 13. quorum primus exhibet compendium hujus decreti, quod & Correctores Romani retulerunt ad calcem hujus Canonis apud Gratianum; qui Canon non omninò dissimilis est Canoni per Gratianum relato, quamvis nonnulla ille omittat, ut patebit ex lectione utriusque: & quidem in decreto, prout à Gratiano hîc refertur, indicatur, quod in electione Romani Episcopi intervenire debeant indifferenter Cardinales; prout autem refertur hîc per Correctores Romanos, ad vocem, *Cardinalium*, additur, *Episcoporum*, qua vocula significatur, quasi soli Cardinales *Episcopi*, tanquam Episcopi Provinciales ad electionem Episcopi Romani tanquam Metropolitani vocandi essent.

At inter decreta Nicolai I. à Joanne Cochlæo ex Gratiani volumine in unum collecta, & in 20. titulos dispertita refertur hoc decretum tit. 4. num. 2. idque nonnihil extensius: ut proinde dubium non sit, quin Cochlæus illud Nicolai *primi* esse crediderit, sed falsò.

In hac electione præcipuas partes habebant Clerici Cardinales.

Quamvis ex hoc decreto habeatur, quòd eo tempore in electione Romani Pontificis concurrerent clerici etiam non Cardinales; tamen & illud habetur, quòd tunc temporis in hac electione præcipuas partes haberent *Clerici Cardinales*, uti suprà ad *distinctionem* 23. notavimus. Præterea ibidem notatum fuit, novam formam electionis Romani Pontificis præscriptam fuisse per Nicolaum II. ad præveniendum schisma; idque occasione Episcopi Veletrensis, qui citra electionem Cardinalium & Clericorum in sedem Apostolicam sub nomine *Benedicti* fuerat intrusus, & postea

auctoritate Regis Henrici expulsus, uti ibidem latiùs exposuimus; ad quem etiam referenda quæ hîc à Gratiano citantur *Can.* 9.

Quis in Romanum Pontificem eligi possit.

Referuntur deindè nonnulla decreta sub nomine Stephani III. quorum primo statuitur: » Ut in Apostolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, » aut Diaconis consecraretur. « Simile est alterum decretum relatum *Canone* 5. quod utrumque extat *tom.* 6. *Concil. General. col.* 1722. & sequentibus ex synodo Romana Stephani IV. edita à Luca Holstenio.

Tum subjiciuntur *col.* 1724. » Sequentia duo capitula statutorum hujus Concilii, quæ refert Anastasius Bibliothecarius in vita ejusdem Stephani Papæ IV. His autem capitulis interpositis additur: Stephano PP. alia duo capitula adscribit Gratianus: » quorum prius ex Anastasii Pontificali desumptum; alterum verò alicui ex successoribus potiùs tribuendum videtur. «

Prius extat hac distinctione *Canone* 4. quo decernitur, ut » nullus unquam laicorum, neque ex alio » ordine præsumat, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacri Pontificatus honorem promoveri. «

Licèt ex dictis sat appareat, decreta hæc non esse extra omnem falsi suspicionem; imò quod legitur apud Gratianum *Canone* 3. tanquam ex Concilio Stephani Papæ III. » Oportebat ut hæc sacrosancta domina nostra Romana Ecclesia (juxta quod à beato Petro, & ejus successoribus institutum est) rite ordinaretur, & in Apostolatus culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis ordinaretur; « etsi manifestam suppositionem evincat, hoc equidem his decretis cavetur, ut Pontifex eligatur per clerum, & ex clero ipsius Romanæ Ecclesiæ, prout & in aliis Ecclesiis fieri solebat: qui clerus tum temporis *Cardinalium* nomine significabatur, uti latiùs deduxi in *Jure Eccles. Part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 1.

Quod autem in fine Gratianus retulit ex Anacleti epistola 2. ad Episcopos Italiæ: » Electionem summorum sacerdotum sibi dominus reservavit, licèt electionem eorum bonis sacerdotibus, & spiritualibus » populis concessisset « non sapit pristinam Apostolicam disciplinam; sed suppositiias merces Isidori, quibus hæc epistola ab eruditis adscribitur.

De edicto Honorii Imperatoris pro extinctione mali matis in Ecclesia Romana.

Quod verò *Canone* 8. refertur sub nomine Honorii Augusti ad Bonifacium Papam, de casu quo duo concertantium temeritate electi fuerint in Romanum Pontificem, quis eorum alteri præferendus sit, latiùs exponitur ad distinctionem nonagesimam septimam.

DISTINCTIO LXXX.

Quibus in locis prælati sint instituendi.

ULteriùs prosequens Gratianus materiam ordinationum, inquirit hac distinctione, in quibus locis sint præficiendi Prælati Ecclesiæ. Adstruit autem sub initium distinctionis, quod non in vicis aut castellis, sed in civitatibus duntaxat Episcopi sint ordinandi; quod & sub finem distinctionis confirmat ex S. Leone & Canone Laodiceno 57. in quo per visitatores verisimiliter intelliguntur Chorepiscopi; quibus hodie correspondent Archiepresbyteri, seu Decani rurales.

Quod autem initio distinctionis *Canone* 1. & 2. sub nomine Lucii & Clementis Papæ dicitur: » Post » Christi adventum ab Apostolis in illis civitatibus, in » quibus olim apud Ethnicos primi flamines eorum, » atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates vel Patriarchas ordinatos fuisse, ad quos Episcoporum negotia (salva in omnibus Apostolica auctoritate) & majores causæ post Apostolicam sedem » sunt reservatæ; « desumptum est ex apocryphis decretalibus veterum Pontificum, quorum ætate necdum noverat Ecclesia nomina *Primatum* aut *Patriarcharum* in ministris suis; atque manum Pseudo-Isidori manifestè præferunt. Interim auctoritate harum falsarum decretalium tandem circa seculum X. & XI. jus instituendi novas Metropoles, necnon Ecclesias primatiales cum auctoritate supra Metropolitanos Pontifices sibi asseruisse ostendimus in supplemento Juris Ecclesiastici ad *Partem* 1. *tit.* 19. *cap.* 1. *n.* 1.

Ex falsis decretalibus potestatem instituendi primates, Patriarchas, &c. arrogarunt.

DISTINCTIO LXXXI.

IN procœmio hujus distinctionis ait Gratianus: » Hæc » de ordinandis, & ordinatoribus, atque de singulorum graduum distinctionibus, & officiis dixisse » nos sufficiat: verùm quia aliquantulum diffusiùs in his » immorati sumus, quædam præcedentibus cohærentia sub epilogo ad memoriam subjiciamus. «

Ordinandus in Episcopum, aut Pastorem Ecclesiæ, debet fuisse sine crimine.

Et hac quidem distinctione rursus ostendit, quod ordinandus in Episcopum debeat juxta Apostolum esse *sine crimine*: » Quod, ait, non solùm de Episcopis, » sed etiam de quolibet electo ad aliquam præpositu- » ram Ecclesiæ oportet intelligi. «

Tum profert *Canone* 1. locum S. Augustini ex Tractatu 41. in Joannem. „ Apostolus Paulus quando » elegit ordinandos vel Presbyteros vel Diaconos, & » quicumque ordinandus est ad præpositurum Ecclesiæ, non ait, *siquis sine peccato est*: hoc enim si » diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed ait, *si quis sine crimine est*, sicut est » homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera » hujusmodi.

Hîc subjungit Gratianus: „ Quolibet itaque horum » implicatus ordinari non debet, vel si jam ordinatus, » ante tempus, vel post tempus suæ ordinationis aliquid eorum admisisse convincitur, suscepti gradus » officio privabitur. " Hæc ibidem multis auctoritatibus adstruere conatur; & *Canone* 2. sub nomine Symachi Papæ redditur ratio hujus disciplinæ: „ Nemo » rectè monitoris personam suscipit, nisi qui actibus » suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat. "

Hujus disciplinæ ratio.

Post hæc profert Gratianus Canonem 6. & 10. Nicænum, in quibus inter alia notandum est, Patres Nicænos exclusisse lapsos in crimen post ordinationem in perpetuum, & exclusisse à functione Ordinum, etiam post actam pœnitentiam. Quod & probant auctoritates hîc à Gratiano adductæ, nulla in his inter *publica* & *occulta* crimina ocurrente distinctione; quam eum contra pristinam disciplinam impendisse ad distinctionem 50. notavi. Videri etiam potest *Jus Eccles. part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 2.

Insuper inter auctoritates à Gratiano relatas occurrunt plures, quæ agunt de retrudendis hujusmodi Clericis in monasterium ad agendam pœnitentiam, de qua retrusione egi in *Jure Eccles. part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 1.

A vitio incontinentiæ præcipue debent esse immunes clerici.

Occasione criminis *fornicationis*, à quo singulariter Clerici immunes esse debent, adfert hîc Canones, & sententias Patrum, quibus familiaris conversatio & contubernium Clericorum cum mulieribus interdicitur, prolato inter alia *Canone* 25. ex S. Gregorio *lib.* 7. *epist.* 36. hoc fragmento: » Legitur, quod » beatus Augustinus, nec cum sorore habitare consensit, dicens: *Quæ cum sorore mea sunt, sorores » meæ non sunt.* Docti ergo viri cautela, magna vobis debet esse instructio. " De vetito hoc Clericorum cum mulieribus contubernio, quid habeat moderna Ecclesiæ, notanter Belgicæ disciplina, exposui in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3.

DISTINCTIO LXXXII.

Pauperum curam habere debet Episcopus.

SUb initium hujus distinctionis dicit Gratianus: » Generaliter etiam pauperibus, & iis, qui suis » manibus laborare non possunt, Episcopus necessaria » provideat. " Quantumvis hoc Gratiani assertum sit verissimum, & ab Apostolis, & Patribus probatum, & continuò inculcatum, nihil tamen in probationem hujus asserti hac distinctione profertur, nisi unicus Canon Synodi Aurelianensis I. reliqua pertinent ad instruendam sacerdotum in nova lege continentiam, & quæ pœnitentia sacerdoti sit imponenda, qui de fornicatione convictus fuerit, idque ex pœnitentiali Theodori, qui, teste Antonio Augustino, primus videtur inter Latinos de *pœnitentiis* singulorum peccatorum scripsisse, idque seculo VII. Pœnitentiale hoc Theodori nuper vulgavit Jacobus Petitus, atque eruditis notis illustravit, adjunctis plurimis antiquitatis monumentis ad eandem materiam spectantibus: de hoc aliisque antiquis libris pœnitentialibus in particulari tralatu ad calcem epitomes Canonum discurrit Antonius Augustinus, ibidemque monet, etiam hodie usum & notitiam horum librorum admodum utilem esse confessariis, ut pro qualitate criminum pœnitentias, & remedia peccatorum imponere queant, uti & notavi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 3. & 4.

De pœnitentia sacerdoti ob fornicationem imponenda.

Utilitas librorum Pœnitentialium.

DIS-

DISTINCTIO LXXXIII.

Episcopus à consortio alienorum criminum etiam immunis esse debet.

GRatianus quasi iteratò inculcare volens, quod Episcopum oporteat esse *sine crimine*, dicit hac distinctione: » Providendum quoque esse, ne is » qui ad ordinandum eligitur, etsi à proprio vitio vi- » deatur alienus, consentiendo alienis inquinetur.« Nam ut ait *Canone* 3. „Nec caret scrupulo societatis » occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.“

Ne autem ob hujusmodi vitium contemnatur prædicatio pastoris, monet in fine Gratianus. » Quan- » quam sacerdotem tam à suis quàm alienis criminibus » oporteat esse immunem; tamen si aliorsum sese ha- » buerit, non ideò verba suæ prædicationis debent » contemni. Sicut enim Hieronymus ait: ut lixivium » per cinerem humidum fluens lavat, & non lavatur; » ita bona doctrina per malum doctorem animas cre- » dentium lavat à sordibus peccatorum. «

DISTINCTIO LXXXIV.

Episcopus debet esse defensor pauperum & oppressorum.

GRatianus distintione octuagesima secunda monuerat, Episcopum debere esse liberalem in pauperes, quod latiùs prosequi volens, huic distinctioni hoc summarium præfigit: » Solicitum quoque & vi- » gilantem oportet esse Episcopum circa defensionem » *pauperum*, relevationem *oppressorum*, tuitionem » *monasteriorum*: quod si facere neglexerit, asperè » corripiendus est. « Hanc distinctionem in quatuor partes dividit. In prima probat Episcopum debere esse solicititum ac vigilantem circa defensionem *pauperum*, relevationem *oppressorum*, & tuitionem *monasteriorum*, prolatis *Canone* 1. & 2. in hanc rem duabus sententiis S. Gregorii, quæ in novissima operum editione reperiuntur in *epist.* 36. & 37. *lib.* 13. quæ meritò legentur, & seriò attendentur per Episcopos & Ecclesiarum Prælatos ac Pastores; atque ex illis intelligent, quàm grave existimaverit S. Gregorius, quod Episcopi in his sint desidiosi.

De continentia quorumlibet altariservientium.

Secunda parte monet: » Quod de munditia casti- » tatis sacerdotibus imperatur, hoc etiam de quibus- » bet altari servientibus intelligendum esse, « prolatis *Canone* 2. ex secunda synodo Carthaginensi, & *Canone* 3. ex synodo quinta Carthaginensi, qui Canones occurrunt in codice Ecclesiæ Africanæ Canone 3. & 25. ex quibus colligitur in Africa circa continentiam clericorum variam fuisse pro varietate temporis disciplinam; atque idcirco de hac materia plures Canones editos fuisse.

De bigamia vetita omnibus Clericis.

Tertia parte distinctionis ait Gratianus: » Similiter » quòd monogamus Episcopus esse jubetur, etiam ad » reliquos ordines ecclesiasticos derivari oportet, « citato unico fragmento ex epistola Siricii Papæ ad Himerium *cap.* 11.

Unde nomen Presbyteri.

Parte quarta ait: » Presbyterorum verò nomen, » quanquam à *senectute* sit sumptum, magis tamen » *maturitatem* indicat *sapientiæ*, quàm canitiem cor- » poris: citat hîc verba ex pseudoepistola 2. Anacleti, quæ non Anacleti, sed Isidori Hispalensis verba esse notat Labbæus in nota marginali huic epistolæ apposita *tom.* 1. *Concil. General.* unde rursus habemus, confictorem harum decretalium plura ex SS. Patrum scriptis desumpsisse, ut suis confictis mercibus fucum pristinæ antiquitatis obduceret.

DISTINCTIO LXXXV.

Ordinari non debet in Episcopum qui in pauperes non est misericors.

GRatianus volens compendiosè referre qualitates in Episcopo per Apostolum requisitas, hac distinctione rursus asserit, quod *hospitalitas* usque adeo Episcopis sit necessaria, ut si ab ea inveniantur alieni, jure prohibeantur ordinari: profert unicum sat prolixum fragmentum ex *lib.* 12. *S. Gregorii, epist.* 6. in qua circa varia puncta scribit Joanni Episcopo, inter quæ id unum occurrit hanc materiam spectans, scilicèt, ut de quodam Archidiacono electio in Episcopum Anconitanæ Ecclesiæ, quem dicebant ita *tenacem existere, ut in domum ejus amicus ad charitatem numquam introeat*, inquirat: » Si » ita se veritas habeat, & utrum ex necessitate, an » ex tenacia talis est. « Notum est hanc qualitatem coincidere cum liberalitate in pauperes, atque hospitalitatem juxta Apostolum esse annumerandam operibus misericordiæ: atque ita id unum hîc post Apostolum asserere voluit Gratianus, ordinandum Episcopum oportere esse misericordem in pauperes.

DISTINCTIO LXXXVI.

Episcopum oportet esse doctorem sive aptum alios instruere.

HAc distinctione probare vult Gratianus: » Doc- » torem Episcopum oportere esse, ne infe- » riorum culpæ in eum refundantur, qui docendi of- » ficium accepit, quod exequi nescit vel negligit: uti » loquitur in procœmio distinctionis. «

Hanc distinctionem dividit in octo partes, quarum prima asserit, doctorem Episcopum esse oportere, ne inferiorum culpæ in eum refundantur, prolata notanda hac S. Leonis sententia: » Inferiorum culpæ » ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quam ad » desides, negligentesque Rectores, qui multam sæpè » nutriunt pestilentiam, dum austeriorem (in Epistola » S. Leonis, *necessariam*) dissimulant adhibere medici- » nam. « Attendendum etiam ejusdem Pontificis monitum relatum *Canone* 2. » Odio habeantur peccata, non » homines: corripiantur tumidi; tolerentur infirmi: & » quod in peccatis severiùs castigari necesse est, non » sævientis plectatur animo, sed medentis. «

Quomodo Episcopus subditorum vitia redarguere debeat.

» Si autem in corripiendo quis modum excesse- » rit, non à subditis, sed à domino veniam petat » Prælatus, « ut in secunda parte monet Gratianus, prolato loco S. Augustini: » Quando necessitas dis- » ciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba » dura compellit, si etiam ipsi modum vos exces- » sisse sentitis, non à vobis exigitur, ut ab is ve- » niam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse » subditos, dum nimia servatur humilitas, regendi » rangatur auctoritas; sed tamen petenda est venia » ab omnium domino, qui novit etiam eos, quos » plus justo fortè corripitis, quanta benevolentia di- » ligatis. «

Episcopus debet in sacris literis præcipue esse versatus.

Tertia hujus distinctionis parte dicit Gratianus: » Quod in doctrina Sacræ Scripturæ auctoritatem de- » bet Episcopus præferre, non secularium litterarum peritiam ostentare. Non enim Episcopalis of- » ficii est Grammaticam exponere, ne laudes Jovis personent ore Pontificis. « Id confirmans testimonio S. Gregorii *Lib.* 6. *Epist.* 48. ubi scribit Desiderio Episcopo, quod admodum dolenter audierit, quodque sine verecundia memorare non possit, scilicet ipsum *quibusdam Grammaticam exponere.*

Divino cantui fabulosa non miscenda.

Hîc notat Glossographus, quod Gregorius » *Gram-* » *maticam* hîc appellet, scientiam auctorum, quod- » que recitaret etiam in Ecclesia fabulationes Jovis, » & eas moraliter exponeret in prædicatione sua. « Quamvis hæc reflexio non sit contemnenda, tamen inspecto textu S. Gregorii, nequaquam obscurum est, illic reprehendi Episcopum, quod divino cantui immisceret hujusmodi profanas Grammaticorum fabulationes: subjungit enim: » Quia in uno » se ore cum Jovis laudibus, Christi laudes non ca- » piunt: & quàm grave nefandumque sit Episcopis » canere, quod nec Laico religioso conveniat, ipse » considera. « Utinam ad hoc attenderent, quibus, divinarum laudum in Ecclessiis cura incumbit; itemque Ecclesiastici, qui litteras humaniores profitentur.

Liberalem in pauperes oportet esse Episcopum.

Quarta parte distinctionis asserit Gratianus: » *Li-* » *beralem* quoque necessitatem patientibus sacerdo- » tem esse oportet: aliàs autem vacuum portabit no- » men Episcopi. « Probat id auctoritate S. Gregorii *Lib.* 5. *Epist.* 29. in qua scribit, quod, cum quosdam senes mendicantes interrogâsset, quid accepissent à Mariano Episcopo, illos respondisse, *nihil*, eumque dixisse: *nihil habeo, quod vobis dare possum.*

His subjungit Gregorius: » Et miror, si is, qui » vestes habet, argentum habet, cellaria habet; quod » pauperibus debeat dare, non habeat. « Denique addit hæc, quæ apud Gratianum, præcedentibus omissis, extant: » Dic ergo ei (Mariano) ut cum lo- » co mutet & mentem; non sibi credat solam lec- » tionem & orationem sufficere, ut remotus stu- » deat sedere, & de manu minimè fructificare; sed » largam manum habeat, necessitatem patientibus » concurrat, alienam inopiam suam credat, quia » si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen te- » net. «

De modo in ipsa liberalitate servando.

Post hæc quinta parte post Canonem 6. multis auctoritatibus Gratianus ostendit, quod in ipsa liberalitate modus adhibendus sit rerum, & personarum, ut

ut scilicet expendatur quod & quibus donetur. Primùm ostendit, histrionibus, & venatoribus non esse dandum: „Nam, ut ex Augustino ait Canone 8. Qui »venatoribus donant, quare donant? dicant mihi qua»re donant venatori? hoc in illo amant, in quo ne»quissimus est, hoc in illo pascunt, hoc in illo ves»tiunt: ipsam nequitiam publicam (aliàs *publicant*) »spectaculis omnium: qui donant histrionibus, qui »donant Aurigis, qui donant meretricibus, quare do»nant? Nunquid non & ipsi hominibus donant? Non »tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed ne»quitiam operis humani.“ Plura in eandem rem adducit ibidem ex S. Ambrosio, quibus ostenditur, quæ mensura & quis ordo in dandis Eleemosynis sint servanda.

Episcopum oportet non esse percussorem.

Sexta parte post Canonem 22. docet: „Similiter etiam oportet, Episcopum non esse *percussorem*, id est, non ad vindictam facilem.“ Hanc in rem duo sat notanda monita S. Gregorii contra nimiam asperitatem & duritiam Episcoporum recitat *Canone* 23. & 24.

Post hæc parte septima dictum præcedenti parte quasi explanans ait: „Percussor esse prohibetur, »ne videlicet propriis manibus cædat.“ Profert eam in rem Canonem sub nomine Concilii Agathensis, sed in eo Concilio non haberi notant Correctores Romani. Interim de hoc puncto vide *Jus Eccles. Part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 1.

Neque turpis lucri cupidum.

Octava denique distinctionis parte ait: »Prohibetur etiam Episcopus turpis lucri esse cupidus, ne »aliquo inhonesto negotio victum, vel cætera sibi »necessaria quærat, quod generaliter de omnibus di»vino cultui mancipatis, id est, Clericis & Mona»chis intelligi oportet.“ Citat hîc Canonem 3. Chalcedonensem, qui à Patribus hujus Concilii conditus est ad suggestionem Martiani Imperatoris; atque unicè in id collimat, ut Clerici Deo militantes negotiis secularibus se non implicent. 2. *ad Tim. c.* 2. *v.* 4.

DISTINCTIO LXXXVII.

Episcopi protectionem viduis, & pupillis debent impendere.

QUia ostenderat Gratianus in præcedentibus liberalem oportere esse episcopum, pergit hac distinctione ostendere, quod „viduis & orpha»nis Ecclesiæ præsidium implorantibus, Episcopi de»beant adesse, & contra improborum violentiam »protectionis patrocinium eis negare non debeant.“

Plura hanc in rem hîc adducuntur notanda; atque inter cætera *Can.* 1. ex Gelasio: „Licèt omni»bus de nobis sperantibus non debeamus in quantum »possumus nos denegare, plus tamen viduarum, & »orphanorum causas, & impensiùs duximus exequen»das; quas tueri à nobis vel ab omnibus divina ma»nifestat assertio.“ Plura sub nomine hujus Pontificis referuntur notanda *Canone* 2. 3. & 4.

De infantibus expositis.

Occurrit etiam hîc notandus Canon 53. Synodi Arelatensis II. relatus hîc *Can.* 9. de infantibus expositis ante Ecclesiam, diciturque: „Si expositus an»te Ecclesiam, cujuscunque fuerit miseratione col»lectus, contestationis ponat Epistolam, ut, si is, »qui collectus est, intra decem dies quæsitus agnitus»que non fuerit, securus habeat, qui collegit.“ De intellectu hujus & similium Canonum, necnon constitutionum imperialium eis conformium, vide notas J. Gothofr. ad *tit. Codicis Theodosiani*, *de infantibus expositis* ubi & varietatem disciplinæ, quæ in hoc articulo fuit, breviter annotat & exponit.

DISTINCTIO LXXXVIII.

Vetantur Clerici lucri gratia se negotiis secularibus intricare.

EX dictis præcedenti distinctione infert Gratianus in procœmio hujus distinctionis: „Prohiben»tur ergo Clerici cupiditatis negotia suscipere, non »pietatis curam viduis & orphanis impendere.“

Hanc conclusionem multis asserit hac distinctione: nonnulla autem inter hæc occurrunt apocrypha, atque inter cætera relatum decretum *Can.* 1. sub nomine Melchiadis Papæ, quod confictum agnoscunt eruditi, & non obscurè fatentur Correctores Romani, quorum nota meritò attendenda, uti & nota ad Canones 11. & 12. in quibus sub nomine Chrysostomi prolixa referuntur fragmenta, quæ non esse S. Chrisostomi; sed auctoris *operis imperfecti* ibidem notatur, eumque errorem apud Gratianum sæpiùs occurrere monent.

Interim plura de vitanda cura negotiorum secularium per Episcopos notanda proferuntur: Contra Clericos negotiatores inter cæteras auctoritates, notatu dignum est hoc dictum S. Hieronymi relatum *Can.* 9. „Negotiatorem Clericum, & ex inope divi»tem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem »fuge.“ Item illud S. Cypriani relatum *Canone* 14. »Nequis apud Altare Dei meretur nominari in Sacer»dotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros »voluit avocare.“

Negotiatio Clericis interdicta.

DISTINCTIO LXXXIX.

Oportet Episcopum domui suæ esse bene præpositum.

GRatianus prosequens exponere qualitates per Apostolum in Episcopo requisitas, hac distinctione exponere vult eam, quam his verbis, *domui suæ benè præpositum*, expressit Apostolus, uti significavit in procœmio distinctionis: „Domui quoque »suæ, ait, oportet Episcopum benè esse præposi»tum, ut quædam inde quodammodo futuræ dispen»sationis argumenta sumantur.“ Additque: »in dis»pensatione verò Ecclesiæ hanc regulam observan»dam noverit, ut nulli quantumvis exercitatæ per»sonæ duo simul committat officia, neque secularibus viris res ecclesiasticas gubernandas committat.“

Duo officia uni eidemque non committenda & quare.

Priùs probat auctoritate S. Gregorii; cujus verba hîc relata non extant in aliqua hujus Pontificis epistola, aut opere, sed recitantur à Joanne Diacono in ejus vita, tanquam ab ipso Gregorio prolata, uti narrant Correctores Romani: „Sicut enim, ait Gre»gorius Canone 1. varietas membrorum per diversa »officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem »repræsentat: ita varietas personarum per diversa »nihilominus officia distributa, & fortitudinem & »venustatem sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat.“ Vide in hanc rem dicta in *Jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 20. *cap.* 1. ubi ostenditur, hoc titulo vetitam quoque esse Beneficiorum pluralitatem.

De œconomis per quos res Ecclesiæ administrentur.

Hac distinctione agit etiam Gratianus de *vicedominis*, sive œconomis ab Episcopis constituendis, qui rerum temporalium curam habeant; de quibus vide Tractatum Historico Canonicum *Part.* 1. *cap.* 3. §. 6. *ad Canonem* 26. *Chalcedonensem*, ubi ostenditur, quare adeò solicite voluerint Patres, ut res Ecclesiæ per œconomum, non ex domesticis Episcopi, sed è Clero Ecclesiæ assumptum dispensarentur, de licentia tamen & scitu Episcopi.

DISTINCTIO XC.

Episcopum non oportet esse litigiosum, & quare.

IN Procœmio hujus distinctionis, ait Gratianus: „Li»tigiosus quoque prohibetur ordinari: quia qui »sua potestate discordantes ad concordiam debet at»trahere, qui oblationes dissidentium prohibetur re»cipere, nequaquam *litigandi* facilitate alios ad dis»sidium debet provocare.“

Discordantium oblationes olim non recipiebantur.

Hîc agit potissimum Gratianus contra discordantes Clericus & Laicos, eorumque oblationes in altari non recipiendas, & ab Episcopis, etiam adhibitis pœnis ecclesiasticis, ad concordiam revocandos ostendit; relatis eam in rem pluribus Canonibus Concilii vulgo *Carthaginensis IV.* intermixtis etiam nonnullis apocryphis, & sub nomine Synodi VIII. quæ sunt S. Basilii, uti observant Correctores Romani, qui error frequenter occurrit apud Gratianum.

Officium Episcoporum est procurare discordantium concordiam.

Non dubium, quin officium & obligatio Episcoporum sit, non tantùm Clericos, sed etiam fideles Laicos, tanquam spirituales eorum Patres ad pacem, & concordiam exhortari; & quantum in ipsis est inducere; sed eosdem ad concordiam invitos per censuras aliasque pœnas cogere hodierna disciplina non admittit; sed tam Clericos, quàm Laicos convenire nolentes ad sua respectivè tribunalia remittit: signanter, si quæstio sive controversia, ac discordia sit de privatis inter partes negotiis. In id tamen incumbant Episcopi & Pastores, ut persuadeant fidelibus, ut in hisce quæstionibus proximi dilectio servetur, omnisque animi aversio absit.

DISTINCTIO XCI.

Clericus cui necessaria desunt, de labore manuum vivat.

QUid hac distinctione intendat Gratianus, aperit procœmium: „Qui autem turpi lucro vel inho»nesto negotio victum sibi quærere prohibetur, »de oblationibus Ecclesiæ stipendia consequatur: quod »si Ecclesia ei sufficere non potuerit, proprio ar»tificiolo vel agricultura (exemplo Apostoli, qui de »labore manuum vivebat) sibi necessaria inveniat, ita »tamen, ut occasione sui operis, vigiliis Ecclesiæ non »de-

» desit, quod absque inæqualitate sui corporis nulli » impunè conceditur. «

Utrumque auctoritatibus nonnullis adstruit, signanter *Canone* 2. profert decretum sub nomine Concilii Nanetensis. Porrò circa hoc decretum notat Baluzius, in citatione non convenire Gratiani antiquas editiones; imò in aliquibus antiquis exemplaribus hunc Canonem non extare in Decretalibus Gregorii IX. uti & in antiqua Decretalium collectione apud Antonium Augustinum: sub *Tit. de celebratione Missarum* refertur ex Concilio Agathensi, sed utrobique malè, uti monet Baluzius, qui notat eum esse desumptum ex Capitulis Hincmari Rhemensis *tit.* 3. *cap.* 9.

Profert dein in hujus probationem nonnullos Canones sub nomine & auctoritate Synodi vulgò *Carthaginensis IV.* monent autem Correctores Romani Canonem 4. ex multis capitibus hujus Synodi non suo ordine dispositis conflatum.

Cæterum haud obscurum est, hos Canones, & decreta potissimum respicere disciplinam ætatis, qua nondum tituli beneficiorum erant erecti; atque ita quodammodo dependebat ab arbitrio Episcoporum & œconomorum, quid singulis Clericis ex oblationibus aliisque proventibus ecclesiasticis subministraretur.

DISTINCTIO XCII.

Divinum officium quomodo persolvendum.

DIstinctio hæc plura miscellanea parum inter se cohærentia continet, eaque in quatuor partes divisa.

Cum præcedenti distinctione dictum esset, quòd Clerici officium divinum assiduè frequentare jubeantur, hâc distinctione videtur velle ostendere, quomodo persolvi debeat: unde mox subjungit: » Cùm autem ad Ecclesiam venerint, corde magis quàm *voce* » Deo cantandum meminerint: « prolatâ auctoritate S. Hieronymi, qui modum cantandi & psallendi his verbis describit. » *Cantantes & psallentes in cordibus* » *vestris Domino*: audiant hæc adolescentuli, au- » diant hi, quibus in Ecclesia est psallendi officium: » Deo non voce, sed corde cantandum, nec in tra- » gœdorum modum guttur, & fauces dulci medicami- » ne colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli au- » diantur & cantica. « De quo vide dissertationem de Horis Canonicis *cap.* 6. ubi latè ostenditur, quo spiritu horæ canonicæ à Clericis sint persolvendæ: & in *Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 5. *cap.* 9. notantur abusus à musicis & canentibus in Ecclesia committi soliti; in quos meritò Episcopi & Prælati Ecclesiarum invigilant; quibus & addi posset liber Gallicus nuper evulgatus sub titulo: *Traité sur la Priere publique.*

Qui abusus in musica vitandi.

An & quo censu prohibeantur Diaconi in Ecclesia cantare.

Post hæc ex S. Gregorio asserit Gratianus, „quòd » ab officio cantandi, & psallendi Diaconi inveniantur » exempti; ne dum vocis modulationi student, altaris » ministeria negligant. « Si legatur epist. 44. lib. 4. unde hîc textus Gregorii videtur desumptus, apparebit, expressionem Gratiani esse nimiùm generalem, sensumque Gregorii, seu Synodi Romanæ duntaxat esse, ne Diaconi à prædicationis officio, prætextu modulationis retrahantur.

Hoc decretum cum aliis ejusdem Synodi in novissima editione operum S. Gregorii extat in appendice epistolarum hujus S. Doctoris col. 1288. meritoque consulendæ notæ huic decreto adjectæ.

A quibus ordines conferendi.

Secunda parte hujus distinctionis ait Gratianus: » A » quibus ordinandos oporteat esse immunes, breviter » monstratum est: de quorum verò manibus ordi- » nes suscipere debeant, facilè patet: Sacerdos enim » & cuncti infra ipsum constituti ab Episcopis suis » debent ordinari.“

In hujus probationem adfert unicum Canonem 15. Laodicænum ex versione Martini Bracarensis: » Non » liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab » Episcopo lectores sunt ordinati. « De hoc consule Tractatum Historico Canonicum *Part.* 2. *cap.* 1. §. 12. ad hunc Canonem, ubi ostendi, per hunc Canonem, Laicos sive populum à psallendo in divino officio nequaquam fuisse exclusum. Cæterum ex hoc Canone, prout hîc refertur, in quo expressè decernitur, quòd nulli possint psallere in pulpito, qui non sint *lectores ordinati ab Episcopo*, conclusit Gratianus, quòd etiam minores ministri ab Episcopo debeant ordinari, de quo quid habeat moderna disciplina, vide *Jus Eccles. part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 2.

Quid agendum ordinatis

Tertiâ parte quæritur de his, » Qui ordinati, à » Paroquiis suis non recipiuntur, vel pro aliqua causa » eas adire noluerint, an in alterius parochia Episcopale officium possint celebrare. « Pro resolutione hujus quæstionis citantur duo Canones tanquam Concilii Antiocheni; sed notandum Gratianum *unicum* duntaxat Canonem 18. Antiochenum referre, tametsi illum ut *duos* distinctos Canones hujus Synodi referat; non advertens esse eundem Canonem, sed ex diversa lectione sive versione; nimirum ex versione Martini Bracarensis, uti illam recitat *Canone* 4. & ex versione Dionysii Exigui *Canone* 5. Id unum hoc Canone statuitur, ut Episcopus ordinatus ad certam Ecclesiam seu Parochiam, si ex justa causa ad eam accedere nequeat, debeat quiescere, nec officium Pastorale seu Episcopale in aliena Ecclesia suscipere, nec aliquid in ea gerere, quoadusque in perfecta sive plenaria Synodo suæ provinciæ fuerit judicatum & declaratum quid agere debeat.

ad certas Ecclesias, dum ad eas accedere impediuntur.

Quomodo puniendæ negligentia Clericorum in frequentandis divinis officiis.

Quartâ parte, quasi ad præcedentem distinctionem rediens, dicit: » Quod autem supra Clerici *se vi-* » *giliis* subtrahentes excommunicari jubentur, de his » intelligendum est qui ab Episcopo frequenter admo- » niti negligentiam suam corrigere contemnunt.

Citatur unicus Canon sub nomine Concilii *Martini Papæ*; qui est Canon 5. Concili Toletani relatus in collectione Martini Bracarensis *cap.* 63. qui error apud Gratianum frequenter occurrit, ut supra monui.

Etiam hic videmus rursus, nullum penè ordinem aut materiæ connexionem à Gratiano servari.

Cæterum de obligatione Clericorum, notanter Canonicorum, frequentandi vigilias, aliaque divina officia, & de pœna, qua negligentes sint puniendi & cogendi juxta modernam disciplinam, præsertim quoad Canonicos extra vitam communem viventes, quos *seculares* dicimus, videri possunt deducta in dissertatione de *instituto & officio Canonic.* & *Jure Eccl. P.* 2. *tit.* 7.

DISTINCTIO XCIII.

SUmmarium hoc distinctioni hujc præmittit Gratianus: » Obedientiam autem inferiores ordines su- » perioribus debent: summo enim Pontifici ea debetur » ab omnibus obedientia, ut nulli liceat ei commu- » nicare, qui pro actibus suis inimicus ipse extiterit: » nec in Ecclesia esse poterit, qui ejus cathedram » deserit. «

De obedientia inferiorum debita superioribus.

Assertum falsum Gratiani de Pontifice.

Quoad priorem partem asserti Gratiani, certum est illam falsam esse, prout ab eo ita generaliter exprimitur: admodum verisimile est, lapsum esse Gratianum auctoritate fragmenti pseudodecretalis relati *Canone* 1. sub nomine Clementis I. quo hoc assertum Gratiani probari videtur, ei qui hanc epigraphem præfixit Gratianus: „Cui pro actibus suis Apostolicus » inimicatur, communicare non debemus.“ Quis enim dubitet, quin de Romano Pontifice æquè ac de aliis Pontificibus dictum sit: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus... quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Quis dubitet, quin & ipse Pontifex aliquâ infirmitate, seu humanâ quâdam passione commotus injustè possit alicui inimicari? Quod & pluribus Romanis Pontificibus, etiam prioribus seculis contigisse, & quidem adversus sanctissimos viros, nemo negaverit.

Porro Canon hic mera farrago est consarcinata è pseudo-Epistolis decretalibus ac potissimum ex epistola suppositiitia Fabiani Papæ, uti in margine & à Correctoribus Romanis notatur; & revera in hac epistola, eisdem penè verbis hoc fragmentum habetur. Hanc autem epistolam esse unam ex confictis decretalibus, hodie compertum est.

Non est in Ecclesia qui ejus unitatem scindit.

Addit dein post Canonem 2. *Non est in Ecclesia, qui cathedram Petri non sequitur*; quòd respicit partem secundam ipsius asserti in summario; in cujus probationem adducit *Canone* 3. testimonium S. Cypriani ex tractatu de *unitate Ecclesiæ*. Evidens est autem ex integro contextu S. Cyprianum in hoc tractatu unicè voluisse adstruere *unitatem* ipsius Ecclesiæ; quodque in Ecclesia esse nequeat, qui hanc unitatem scindit, aut ab ea se separat; etenim quoad genuinam lectionem circa hæc verba sub nomine Cypriani à Gratiano relata, magna est inter scriptores contentio, prout etiam hic indicarunt Correctores Romani.

Non autem quocunque modo à Romano Pon-

Cæterum & hoc indubitatum est, Cyprianum in hoc suo tractatu nullatenus significare voluisse illum esse extra Ecclesiam, sive unitatem Ecclesiæ, qui quocunque modo à Romano Pontifice dissentit, uti in-

Pontifice dissentiens.

innuere videtur Gratianus, sed qui à corpore Ecclesiæ se separat, uti latius ostendi in *Jure Ecclesiastico, parte* 3. *tit.* 5. *cap.* 2.

Obligatio Episcoporum accedendi ad limina Apostolorum.

Monet post hæc Gratianus ad calcem Canonis 3. quod Episcopi, qui Apostolicæ ordinationi subjacent, etiam hanc reverentiam debent, ut sese singulis annis Apostolorum *liminibus* representent, citato in hujus probationem fragmento *Canone* 4. sub hac inscriptione: *Unde Anacletus, & Zacarias Papa.*

Falsò hoc fragmentum adscribi Anacleto norunt eruditi; utpote cujus ætate hæc disciplina adhuc incognita erat; notatque Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Gratiani Dial.* 1. hæc verba meliùs ab Anselmo referri ex Concilio Zacariæ Papæ, & esse caput quartum illius Concilii, additque; » Ego cùm » verba Gratiani cum verbis Anselmi contulissem, in» veni meliorem scripturam videri illam Anselmi, » quàm vulgarem Gratiani. « Monuerunt quoque Correctores Romani: » Hunc Canonem esse quartum sy» nodi Romanæ habitæ sub Zacharia Papa, quæ extat, » inquiunt, in Bibliotheca Vaticana, ex qua non nulla » sunt in hoc Canone emendata: « habetur hodie *tom.* 6. *Concil. General. col.* 1546.

Præcipua, ut apparet, *emendatio* facta per Correctores Romanos consistit circa conjunctionem, &, quæ apud Gratianum interponebatur inter verba, *Apostolicæ Sedi subjacent*, atque hæc sequentia, *qui propinqui sunt*; quâ interpunctione indicare videbatur, quod hoc decretum non tantùm spectaret Episcopos *ordinationi Apostolicæ Sedis subjectos*; sed etiam alios, qui propinqui essent; quæ ambiguitas tollitur, omissâ hâc conjunctione, &, hâc enim omissâ manifestum est, ad eos solos Episcopos spectare decretum, qui *Sedis Apostolicæ ordinationi subjacent*: & ex his illos duntaxat, *qui propinqui sunt*. Vide Antonium Augustinum loco citato.

Et sanè constat, quod tempore S. Leonis nulli Episcopi ad limina Apostolorum certis temporibus accedere tenerentur, præter illos qui ordinationi Episcopi Romani subjacerent jure Metropolitico, seu tanquam Metropolitano, uti notavi in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 2. admodumque verisimile est, hoc decretum, prout apud Gratianum cum conjunctione, &, legebatur ante correctionem, huic extensioni occasionem & fundamentum subministrâsse; ut etiam alii Episcopi certis temporibus ad limina Apostolorum accedere jubeantur: ac signanter hæc Episcoporum obligatio generaliter invaluit, postquam Episcopi, etiam in remotis partibus, confirmationem & institutionem à Romano Pontifice accipere debuerunt; atque propterea reputati sunt ordinationi Romani Pontificis subjacere.

Notum quoque est in *Jure Eccles. loco citato*, quòd Episcopi ætate S. Leonis, bis in anno accedere tenerentur, ut cum Pontifice, tanquam eorum Metropolitano synodum celebrarent, conformiter ad decretum synodi Nicænæ.

Minores in Ecclesia majoribus debent subesse.

In secunda distinctionis parte adstruere vult Gratianus, quòd reliqui in Ecclesia minores semper debeant majoribus subesse. In hujus asserti probationem adducit primo loco *Canone* 5. decretum pseudo synodi sub Silvestro, de quo capite speciatim monent hîc Correctores Romani: *Caput hoc & apud Gratianum, & in ipsius synodi editionibus videtur valdè mendosum.*

Denide post exhibitum capitis hujus textum ex Burchardo & Ivone rursus monent: » Verùm ob mag» nam codicum varietatem, & propter glossas ac doc» torum dicta nihil ferè in textu mutatum est. «

Multa apocrypha hic à Gratiano addacta.

Verùm & hoc caput, uti & reliqua ejusdem synodi, adeò manifesta proferunt suppositionis indicia, ut uno eruditorum consensu tota hæc synodus tanquam supposititia inter putridas pseudo Isidori merces rejiciatur.

Interim cum ex his constet, glossatores, & doctores impendisse similia conficta monumenta, mirum videri non debet, quod in multis à Patrum disciplina recesserint.

Adducit insuper Gratianus in dicti sui probationem plura fragmenta ex falsis decretalibus primorum Pontificum, ad amplificandam auctoritatem Romani Pontificis in Episcopos, & Episcoporum in inferiores ministros, præcipuè adornatis.

De numero Diaconorum.

Intermiscet & hic Gratianus *Can.* 2. nonnulla de *septenario* Diaconorum numero; de quo vide Tractatum Historico Canonicum *Parte* 2. *cap.* 1. §. 9. ad Canonem 15. Neocesariensem.

Eorum superbia reprimitur.

Tertia pars distinctionis arguit Diaconorum superbiam, qui sacerdotibus æquari vel potiùs præferri ambiebant; de qua plura notavi in præfato tractatu *Parte* 2. *cap.* 1. §. 7. ad Canonem 18. Nicænum, à Gratiano hic relatum *Canone* 4.

Vetantur usurpare quæ Presbyteris competunt.

Deinde Gratianus ostendit, Diaconos deferre debere honorem Presbyteris, nec ab illis horum officium esse usurpandum: de quibus videri possunt notata in jam sæpè dicto tractatu *Part.* 2. *cap.* 1. §. 12. ad Canones 20. & 25. Laodicænos hic à Gratiano relatos *Can.* 15. & 16.

De variis Diaconorum vestibus.

Parte quartâ, ostendit Gratianus ex S. Gregorio, Diaconos sine speciali sedis Apostolicæ licentia non posse uti *compagis* vel *mappulis*: notat autem eruditus auctor notarum ad *epist.* 28. *lib.* 7. *indict.* 1. S. Gregorii, quod alii *compagos*, alii *compages*; plurimi autem tam Miss. quàm editi codices *compagos* vocent.

Dicit enim Papias: *Compagi calceamenti genus, quo utebantur Diaconi Romani, vel quibus à Pontifice licentia daretur*: » Mappula, ait Alcuinus, quæ in » sinistra parte gestatur, qua *pituitam* oculorum, & » narium detergimus, præsentem vitam designat, in » qua superfluos humores patimur. « Et Amalarius: » *Sudarium* ad hoc portatur, ut detergamus su» dorem; in manu sinistra portatur, ut ostendatur » in temporali vita tædium nos pati superflui humo» ris. « Vide plura apud Cardinalem Bona *Lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 24. §. 5. ibi & notat in locum *mappulæ* sive *sudarii* successise seculo X. hodiernum *manipulum*, qui sacris vestibus hodie annumeratur. De voce autem *compagos*, plura adducit prædictus notarum auctor.

Quidquid sit de similium ornamentorum significatione & forma, non ineptè videtur præfatus auctor locis citatis reflexisse, controversiam super hujusmodi indumentorum delatione ludicram esse, cui se S. Gregorius, cogentibus Clericis Romanis, *invitus* immiscuit. Nihil melius est circa simillium sacrarum vestium usum, quam sequi sine affectatione Ecclesiarum receptam disciplinam & praxim.

Diaconorum officium in dispensando sacro calice.

Quinta pars unico testimonio S. Hieronymi constat, quo probare intendit Gratianus, » quod sicut in » ministerio, ita in dispensatione sine Diacono Epis» copus non vivat. Hic à S. Hieronymo describuntur » qualitates Diaconorum; necnon quomodo ipsi de» beant Episcopo in sacro ministerio assistere, signan» ter in dispensatione sive distributione *Dominici ca*» *licis* populo eâ ætate sub utrâque specie communi» canti. «

De dignitate Presbyterorum supra Diaconos.

Sexta parte rursus retundit supercilium Diaconorum, qui se Præsbyteris æquare, aut etiam præferre volebant, prolato *Can.* 24. altero S. Hieronymi testimonio, quo dignitatem & ordinem Presbyterorum ita extollit, ut eos ipsis Episcopis pene æquare videatur.

Ut Hieronymus hanc Presbyterorum supra Diaconos dignitatem extollat, probat, quod Apostoli, ac signanter S. Paulus, Presbyteros & Episcopos promiscuè pro eisdem sumpserint, atque hinc concludit, quòd, si Diaconi se Presbyteris æquent, aut præferant, etiam se Episcopis æquare, aut præferre queant: » Nam, ait, cum Apostolus perspicuè doceat, eos» dem esse Presbyteros, quos Episcopos; quid pa» titur (aliàs *quis patiatur*) mensarum & viduarum » ministrum, ut supra eos se tumidus efferat, ad quo» rum preces Christi Corpus, sanguisque conficitur. «

Hæc tamen dicta de prærogativa Presbyterorum supra Diaconos non procedere monet parte septimâ ex *Canone* 7. Synodi quini-sextæ sive *in Trullo*, si locum Diaconus habuerit aut proprii Patriarchæ, aut sui Metropolitani.

DISTINCTIO XCIV.

DIstinctione hâc primò ostendit testimonio S. Gregorii, quòd etiam summus Patriarcha vices suas Subdiacono committere valeat.

Secundâ parte, ait: *Legatum Apostolicæ Sedis quicumque impedierit, usque ad satisfactionem excommunicetur.*

Pro asserenda Legatione Sedis Apostolicæ addacitur suf-

In hujus probationem adducit Pseudo-Decretalem Alexandri I. Papæ. Hæc decretalis licèt supposititia, non loquitur de legatis Apostolicis; sed tantùm de ea *legatione*, quâ Apostolos & Episcopos pro Christo fungi docuit Paulus Apostolus: perperam igitur Gratianus eam legato Sedis Apostolicæ appropriat, uti no-

supposititia decretalis.

notat Antonius Augustinus in notis ad *Capitulum* 1. Adriani I. & innuunt hîc Correctores Romani: unde & anno 895. Concilium Triburiense *Can.* 9. hæc verba Pseudo-Decretalis applicat Episcopis.

Redarguitur dominatus Archidiaconorum in Presbyteros Parochianos.

Parte tertiâ redarguitur auctoritate Concilii Cabilonensis insolentia Archi-Diaconorum, qui super Presbyteros Parochianos quamdam exercebant dominationem, & ab eis censum exigebant: *Quod magis*, ait Canon, *ad* tyrannidem, *quàm ad rectitudinis pertinet ordinem.*

Utinam hoc Synodale monitum attenderent moderni Archi-Diaconi, qui auctoritatem quasi Episcopalem quandoque in dominatum, & quamdam tyrannidem, ac turpem quæstum convertunt.

DISTINCTIO XCV.

Obedientia Presbyterorum respectu Episcoporum debet esse filialis.

HAc distinctione videtur Gratianus velle non nihil moderari, quæ suprà de obedientia per Presbyteros exhibendâ Episcopis dixerat, uti indicat proœmium distinctionis his verbis: » Quod autem Sacerdotes suprà jubentur Episcopis tanquam subditi » obedire, non ita intelligendum est, quasi non liceat eis præsentibus Episcopis sacra mysteria celebrare, (sicut Episcopali supercilio quidam ab his volebant Presbyteros prohibere) sed quia Presbyteri Pontificibus tanquam filii parentibus debent » obedire. Baptizatos etiam Chrismate eis tangere » conceditur."

Perperam hic redarguit Episcopos Gratianus.

Gratianus hîc malè generaliter carpit Episcopos; certum enim est, olim non licuisse Presbyteris celebrare præsente Episcopo citra illius jussionem: at Gratianus (prout alibi sæpè) deceptus fuit disciplinâ sui ævi.

An Presbyteris competat potestas conficiendi chrisma, & consignandi infantes in fronte.

Postremam partem probat auctoritate S. Gregorii *Lib.* 3. *Epist.* 26. in qua scribit, quòd concedat, ut, ubi Episcopi desunt, Presbyteri etiam in *frontibus* baptizatos *Chrismate tangere debeant.* Deinde *Can.* 2. profert fragmentum Epistolæ Gelasii I. *Presbyteros ultrà suum modum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audaciter assumere, non conficiendi Chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem.* Dein remittit ad Canonem, *quamvis Chorepiscopis*, *Dist.* 68. qui Gelasio convenire videtur, sed quem falso Leoni I. adscribi notavimus.

Has in speciem contrarias sententias conciliare volens Gratianus, ait ad calcem *Can.* 2. „Sed istud » Gregorii pro scandalo semel sedando concessum » legitur: illud autem Leonis & Gelasii, usu approbante prævaluit, nisi fortè ubi aliquorum consuetudo hoc admisit, ut in absentia Episcopi extrema » necessitate cogente, ex concessione Gregorii, Presbyteri baptizatos in fronte liniant. Prohibitio verò » Leonis & Gelasii in eo casu intelligatur, cum Episcopi præsentes sunt, vel cum non cogit nulla necessitas."

Cæterum de auctoritate conferendi Sacramentum Confirmationis per Presbyteros absente Episcopo vide quæ dicta sunt in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 3. *cap.* 2. Item notas Benedictinorum Congregationis S. Mauri ad hanc Epistolam, quæ in eorum editione est 26. *lib.* 4.

Episcopus potest ungere infirmos.

Parte secundâ asserit Episcopum posse languidos, sive ægros ungere Chrismate, sive oleo sacro; tametsi Jacobus Apostolus loquens de unctione infirmorum, dumtaxat loquatur de Presbyteris. In hujus asserti probationem adducit fragmentum Epistolæ Innocentii I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, in qua miratur Innocentius, quod à quibusdam dubitaretur, utrum Episcopi infirmos ungere possent: „Nam, » *ait*, de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire » non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut » dignum ducit aliquem à se visitandum; & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, » cujus est ipsum chrisma conficere."

Origo disciplinæ conficiendi chrisma singulis annis.

Parte tertiâ ait Gratianus, Presbyteros petere debere chrisma à suis Episcopis ad Baptismi sanctificationem. Hîc adducit Canonem 36. vulgo *Concilii Carthaginensis IV.* ubi & hæc verba leguntur, *sed omni anno*, quæ, uti monent Correctores Romani, in aliquot Conciliorum editionibus non habentur, sicut nec occurrunt in editione novissima Conciliorum per Labbæum, licèt hæc verba reperiri dicantur in omnibus Gratiani exemplaribus tam manuscriptis, quam editis, sicut monet hîc Stephanus Baluzius, qui putat simpliciter mendum hîc esse, & pro, *omni anno*, legendum, *omninò*: sed quidnî dicamus, hæc à Gratiano addita fuisse auctoritate Pseudo Decretalis Fabiani Papæ, in qua legitur, quod chrismatis confectio *per singulos annos est agenda, & de anno in annum* renovanda, & *fidelibus tradenda*, ut extat apud Gratianum *Dist.* 3. *de Consecrat. Can.* 18.

Interim ex hac apud Gratianum corrupta lectione, verisimiliter profluxit hodierna disciplina, quæ vult *omni anno* renovari *chrisma*, & reliqua sacra olea.

Presbyteri coram Episcopis Verbum Dei prædicare possunt.

Eâdem parte agit etiam Gratianus de iis, quæ Presbyteris licent; atque inter alia, quod ipsis coram Episcopis liceat *Verbum Dei annuntiare*, adductis eam in rem *Can.* 6. verbis S. Hieronymi, quibus acriter invehitur in Episcopos, qui invidiâ inflati irascebantur, si Presbyteri interdùm *exhortarentur plebem, si in Ecclesiis prædicent.*

DISTINCTIO XCVI.

Contendit Gratianus, Principibus laicis nullam esse potestatem di ponendi circa res sacras.

GRatianus distinctione septuagesimâ nonâ, *Can.* 8. retulerat edictum sub nomine Honorii Augusti ad Bonifacium Papam, quo decernitur: » Si duo contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, » nullum ex his penitùs futurum Sacerdotem; sed » illum solùm in Sede Apostolica permansurum, quem » ex numero Clericorum nova ordinatione divinum » judicium & universitatis consensus elegerit."

Cùm per hoc edictum videretur Honorius Imperator sibi attribuisse auctoritatem aliquid ordinandi circa ordinationem Romani Pontificis, Gratianus in proœmio hujus distinctionis monet: » Illud autem » Honorii Augusti, quod de electione summi Pontificis supra constituisse dicitur, nullius esse momenti » probatur; cum non solùm de ordinibus, sed nec » etiam de rebus ecclesiasticis legatur aliquando laicis attributa disponendi facultas; unde quæcunque » à Principibus in ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus decreta inveniuntur, nullius auctoritatis esse » monstrantur."

In hujus asserti probationem adducta vel apocrypha sunt, vel ipsum assertum non probant.

Plura hanc in rem adfert hîc Gratianus; atque inter alia, prolocutionem Symmachi Papæ ad Synodum IV. Romanam, ubi lex Odoacris Regis, quâ edixerat, ne absque Regum Italiæ assensu, Romani Pontificis electio fieret, nec ulla Ecclesiæ prædia, vel quævis alia bona, etiam mobilia, possent à Pontificibus alienari, in irritum missa est: „Ne in exemplum remaneret, præsumendi quibuslibet laicis, » quamvis religiosis, vel potentibus, in quacunque » civitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus » disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur." Integrum decretum extat *Tom.* 4. *Concil. General. col.* 1334. ejusque fragmentum admodum mendosè à Gratiano refertur hîc *Can.* 1. uti ex notis marginalibus, & observationibus Correctorum Romanorum constat.

Alia nonnulla recentiora ibidem à Gratiano referuntur, atque inter alia quatuor fragmenta ex Epistola Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem, quæ tota è falsis Decretalibus contesta est, ut Pontificiam auctoritatem extollat; nullamque in rebus ecclesiasticis esse Imperatoris potestatem asserat: interrogatque Imperatorem, ubinam legerit, Imperatores antecessores Synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsan in quibus *de fide* tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est. Ita legitur in fragmento relato Canone 4.

Textus à Gratiano relatus aliquid divinitatis Romano Pontifici attribuere videtur.

At præ reliquis notandum fragmentum relatum *Can.* 7. *Satis*, in quo hæc leguntur: „Satis evidenter » ostenditur, à seculari potestate nec ligari prorsus, » nec solvi posse Pontificem, quem constat à pio » Principe Constantino (quod longè superiùs memoravimus) Deum appellatum, cum nec posse Deum » ab hominibus judicari manifestum sit."

Quam ejusmodi dicta nociva sint, ostenditur.

Tametsi hodiè vix alicui dubium sit, quin hæc à Nicolao tamquam à pio Imperatore Constantino dicta, assumpta sint è ficto donationis instrumento, quod vulgò dicitur, *donatio Constantini*, nihilominus à Gratiano relatum, & per Pontifices in scholis publicè juventuti prælegi jussum, occasionem subministravit Sedis Apostolicæ adversariis, & ejus primatûs exploratoribus, arguendi Romanos Pontifices, quasi *divinitatis* aliquid sibi arrogarent: eorumque Sedis adulatoribus, Romani Pontificis primatum, & prærogativas adeò

adeò extollendi, ut ei non humanos tantùm, sed & divinos honores deferre videantur.

Ita videmus inter cæteros è secta Calvinistarum nominatissimum Jurisconsultum Franciscum Hotomannum in mordacissimo scripto, cui titulus: *Brutum fulmen Papæ Sixti V. adversus Henricum Sereniss. Regem Navarræ & Illustrissimum Henricum Borbonium Principem Condæum*, cap. 2. adducere hunc Gratiani textum, ut adstruat Papam sibi arrogare *divinitatem*: verba ejus sunt: Papa *Deum* se appellari, & gaudet, & gloriatur, *Dist.* 96. *cap. Satis.* Ubi scriptum est: »Satis ostenditur à seculari potestate »nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem »constat à pio Principe Constantino Deum appella»tum; cum nec Deum ab hominibus posse judicari »manifestum sit.«

Ut autem dictum stabiliat, adducit testimonium cujusdam fœdissimi Papalis adulatoris, scilicet Augustini Steuchi, *patroni*, ait, *Papæ vehementissimi*, & ejusdem Bibliothecarii, qui ut ipse asserit, *in libro de donatione Constantini pag.* 141. hunc Gratiani textum laudans & commemorans ita subjungit. „Audis »summum Pontificem à Constantino *Deum* appellatum »& habitum pro Deo; hoc videlicet factum est, cum »eum præclaro illo edicto decoravit, adoravit uti »*Deum* & Petri Successorem, *divinos* honores ei, »quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi »imaginem veneratus est.“ Hæc Steuchus in supra dicto libro, edito Lugduni anno 1547. uti asserit Hotomannus.

Quidni & credamus, hunc similesque Gratiani textus induxisse imperitos illos Jurisperitos, de quibus jam pridem conquestus est Cardinalis Contarenus, quod asserere non vererentur, *voluntatem Papæ esse regulam, qua actiones ejus dirigerentur*, de quo videri possunt dicta *in Jure Eccles. Part.* 1. *titul.* 15. *capit.* 5. *num.* 17.

Occurrit hac distinctione famosum rescriptum Gelasii Papæ ad Anastasium Imperatorem, in quo legitur: »Duo sunt, Imperator Auguste, quibus prin»cipaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pon»tificum, & Regalis potestas.“ Genuinam esse hanc lectionem notat Stephanus Baluzius in notis ab *lib.* 5. *cap.* 319. *Capitularium*, monens corruptam esse lectionem relatam in hoc cap. 319. ubi constanter ita legitur: duæ sunt quippe *Imperatrices Augustæ*, quibus &c. De hac corrupta lectione ejusque primæva origine, latè ibidem discurrit Baluzius.

De duplici potestate spirituali, & seculari ex Gelasii.

Hoc hîc notandum, fragmentum hujus epistolæ à Gratiano referri quidem sub nomine *Gelasii* Papæ, sed tamen non esse ex ejus epistola desumptum; at hîc recitari, prout extat in epistola Gregorii VII. notant Correctores Romani, qui Gregorius eam non parùm in alium sensum inflexit. Porrò de genuino & vero sensu Gelasii videri potest præfatio ad tractatum *de promulgatione legum ecclesiasticarum, & placito Regio*, ubi ostendi, mentem Gelasii fuisse probare, potestates duas esse omninò à se distinctas; sacerdotalem & Imperialem, illam merè spiritualem ad salutem æternam procurandam; hanc verò spectare ad hujus vitæ pacem, & tranquillitatem & rectum ordinem conservandum, & procurandum, eumque in finem omnia ordinare, quæ ad id obtinendum conducunt, atque in his etiam Pontifices legibus Imperialibus obtemperare debere.

Donatio vulgò Constantini fictitia est.

Ad auctoritatem Pontificiam supra secularem extollendam refertur hîc sub nomine Paleæ *Canone* 13. & 14. fragmentum famosi istius fictitii rescripti Constantini Magni, quo coronam & omnem Regiam dignitatem in urbe Romana, in Italia, & in partibus Occidentalibus Apostolico concessisse fertur.

DISTINCTIO XCVII.

Constitutio Principis de rebus ecclesiasticis juxta Gratianam vim non habet nisi accedente auctoritate Pontificis.

PRosequitur propositum suum Gratianus & ostendit hac distinctione Principes seculares nihil de *rebus ecclesiasticis*, sua auctoritate statuere posse: »orumque constituta pro infectis habenda esse, nisi »subscriptione Romani Pontificis fuerint roborata.“

Hinc ulterius infert, quod „Ecclesiæ precibus »Imperator in præsumptores valeat decernere; sicut »pro defensione fidei quondam decrevisse leguntur, ne »hæretici aliquid nomine Ecclesiæ possiderent: ab ea »autem non invitati, de rebus ecclesiasticis aliquid »disponere non habent facultatem.“

His præmissis, rursus revertitur ad edictum Honorii super electione Romani Pontificis; de quo suprà distinctione septuagesima nona & præcedente; dicitque, quod „Honorius non sua auctoritate, sed S. »Bonifacio supplicante, ecclesiasticæ quieti consulere, »& concertantium ambitionem punire curavit.“

Hanc in rem *Canone* 1. refert supplicationem Papæ Bonifacii, „ut constituatur à Principe, quatenus in »urbe Romana nunquam per ambitum ordinentur »Antistes.“ Extat hæc supplicatio cum hoc summario *tom.* 2. *Conc. General. col.* 1582.

Huic supplicationi, tum apud Gratianum *Canone* 2. tum in dicto tomo Conciliorum subjicitur rescriptum Honorii Augusti ad Bonifacium Papam I. quo statuit, »ut si denuo Romæ Episcopi ordinati fuerint duo, »ambo civitate pellantur.

Adducta à Gratiano non probant ejus intentum.

Verùm supplicatio Bonifacii relata nullatenus probat intentum Gratiani; neque enim ex ea aliud erui potest, quàm Bonifacium Honorio Augusto supplicâsse, ut sua auctoritate dignaretur prospicere, ne imposterùm ex contendentium ambitu schisma in Ecclesia Romana oriretur; nequaquam autem hinc statui potest, constitutum Impperatoris à subscriptione, aut consensu Romani Pontificis robur accipere debuisse, aut Honorium non sua auctoritate id decrevisse, quamvis supplicante, seu excitante Bonifacio ad constituendum permotus fuerit.

Et sanè legitur jam pridem, Imperatores Christianos à tempore Constantini plurimas leges de rebus ecclesiasticis edidisse, etiam super electione, & ordinatione Romani Episcopi, & aliorum, nec tamen earum confirmationem à Romano Pontifice postulatam legimus, uti nec hodie eam necessariam existimant Principes, uti & hîc notat G. Hericourt.

Incertum, & verisimiliter corruptum decretum Nicolai I. de legatis sanctæ Sedis.

Secunda parte distinctionis unicum profert Canonem sub nomine Nicolai Papæ, cui præficitur hoc summarium: »*Sine signatis apicibus* non esse moris »Romanæ Ecclesiæ undecunque *legationem* suscipere, »neque mittere.“ Ita legitur in vulgatis Gratiani editionibus ante Correctionem Romanam: at Correctores Romani sustulêre hæc finalia, *neque mittere*, „quæ, »inquiunt, absunt à vetustis, neque conveniunt cum »his, quæ sequenti capite afferuntur.“ Quidni dicamus, ea recentiori manu adjecta fuisse; postquam invaluisset, ut nec Principes legatum Sedis Apostolicæ suscipere, aut fines regni ingredi paterentur, priusquam litteras legationis ostenderit, seu *signatos apices*. De qua consuetudine in Gallia, aliisque regnis jam pridem recepta, videri potest Carolus Fevretius *lib.* 3. *de abusu cap.* 2. §. 6.

Quis sit Nicolaus Papa hujus Canonis auctor, nec Gratianus, nec Correctores Romani indicârunt, asseritque Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Gratiani Dial.* 13. in epistolis Nicolai I. nihil de hoc decreto haberi: illud tamen Joannes Cochlæus reponit inter decreta Nicolai I. *tit.* 4. *n.* 3. additque *Ludovico Imperatori*: extat collectio decretorum Nicolai I. per Cochlæum in 20. titulos distributa *tom.* 8. *Concil. General. col.* 550. Verum hæc decreta ex opere Gratiani collecta, non majoris fidei, aut auctoritatis sunt, quam reliqua à Gratiano relata, quorum auctoritas, & fides aliunde non stabilitur.

Interim ex contextu fragmenti hîc relati nequaquam dubium est, illud ad X. aut XI. seculum esse referendum, quando ipsa Sedes Romana ad eam cœpisset elevari, etiam secularem eminentiam, ut ad eam Principes suos legatos mitterent.

DISTINCTIO XCVIII.

IN procœmio hujus distinctionis monet Gratianus: »Multis auctoritatibus monstrata esse, quæ circa »ordinandos sint observanda, quæ in eorum electio»ne diligenter sint consideranda: sed quia, ait, ve»ritas rei nonumquam obscuratur mutatione Provin»ciæ, decretum est sacris Canonibus, ut peregrini, »nisi quinque, vel eo ampliùs suorum Episcoporum »fuerint commendati chirographis, non ordinentur.

Peregrini Clerici non admittendi sine commendatitiis sui Episcopi.

In hujus disciplinæ probationem profert Canonem apocryphum sub nomine Sylvestri Papæ generali Concilio præsidentis: item alterum ex epistola Anastasii Papæ I. (quam adulterinam esse agnoscunt eruditi, & in nota marginali monuit Labbæus *tom.* 2. *Concil. Generalis colum.* 1191) quibus edicitur: „*Transma»rinos homines in clericatus honorem nemo suscipiat*, »*nisi* quinque, aut eo amplius Episcoporum chiro»graphis sint designati.“

Ad-

Addit & Canonem ex epistola 25. lib. 2. S. Gregorii ad Squillatinum Episcopum, qua simpliciter monetur hic Episcopus, » ut passim Afros, vel incognitos peregrinos ad Ecclesiasticos ordines tendentes » nulla ratione suscipiat. «

Subjungit & Canonem 24. Eliberitanum, quo prohibentur ad Clerum promoveri, qui *peregrè* fuerint baptizati, eo quod eorum minimè sit cognita vita.

His decretis ex S. Gregorio & Synodo Eliberitana relatis conformis est disciplina plurimis Synodorum decretis roborata, de non admittendis Clericis sine proprii Episcopi commendatitiis litteris de qua disciplina vide dicta in *Jure Eccles. Parte 2. tit. 5. cap. 9.* item *tit. 9. cap. 3.*

DISTINCTIO XCIX.

De Primatibus primarum Ecclesiarum hic à Gratiano adducta apochrypha sunt.

PArte prima hujus distinctionis agit Gratianus de Primatibus, hisque deberi obedientiam ab Archiepiscopis probat unico fragmento ex pseudo decretali Anacleti Papæ desumpto, hocque integrum repeti à Gregorio VII. *lib. 7. Epist. 35.* monent Correctores Romani. Nec mirùm: ea enim ætate, earum decretalium auctoritas nec in dubium revocabatur, & à Romanis Pontificibus ut authenticæ assumebantur, ut sæpiùs ostendi.

Parte secunda asserit, non vocandos Primates, nisi qui primas sedes tenent, citato testimonio Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ, At nôrunt hodie eruditi, decretalem, quæ sub nomine hujus Pontificis extat, & è qua hoc fragmentum est sumptum, esse è fœtidis pseudo-Isidori mercibus, non secus ac decretalem Anacleti.

Ex his equidem Romani Pontifices asseruerunt sibi auctoritate erigendi Ecclesias primatiales.

Interim auctoritatem harum decretalium Gregorium VII. aliosque Romanos Pontifices sibi vindicâsse auctoritatem instituendi *Ecclesias primatiales*, etiam cum jurisdictione & auctoritate super Ecclesias Metropolitanas, ostendi in *Jure Eccles. parte 1. tit. 19. capit. 2.*

Adjungit his Gratianus Canonem Africanum, quo cavetur, ne primæ sedis Episcopus vocetur *Princeps Sacerdotum, vel summus sacerdos*, de quo vide Tractatum sæpe citatum *Parte 2. cap. 2. §. 5. ad Can. 39. Codicis Africani.*

Romanis Pontificibus attribuendus non est titulus universalis Episcopi.

Tertia parte prædictam prohibitionem extendit ad Romanum Pontificem dicens: »*Universalis* autem » nec etiam Romanus Pontifex appellatur.« Citat hanc in rem fragmentum epistolæ Pelagii II. Papæ, quam inter merces pseudo-Isidori reponendam censet Labbæus in novissima Conciliorum editione, & probat R. P. Papebrochius in Propilæo Maii.

Huic adjungit Gratianus certius testimonium ex *epist. 30. lib. 7. ind. 1.* S. Gregorii ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, in qua conqueritur, quod in præfatione litterarum Eulogii ad ipsum, *superbæ appellationis verbum universalem*, ait, *me Papam dicentes, imprimere curastis.* Quantopere similia superba nomina hic sanctissimus Pontifex exhorruerit, integra epistola evincit, cui addi possunt *epistolæ 32. 34. 36. & 38. lib. 4.* in quibus altè conqueritur de usurpato ab Episcopo Constantinopolitano *universalis Episcopi* titulo. *lis Episcopi.*

Non dubium, quin hic sanctissimus Pontifex non minore zelo eos redarguisset, qui ipsum reipsa universalem Episcopum esse asseruissent, quàm qui ei nudum titulum & nomen attribuebant; hinc & ætate S. Gregorii & multis post ipsum temporibus inauditum fuit, Pontificem Romanum obtinere jurisdictionem Episcopalem in omnibus Ecclesiis; eamque non secus ac proprium Ecclesiæ cujusque Episcopum exercere posse; quod sanè est eidem ac ipsum constituere Episcopum universalem, uti latiùs exposui in *Juris Eccles. part. 2. tit. 6. cap. 7.*

DISTINCTIO C.

De ornamento, quod hodie vocatur Pallium.

HAc distinctione agit Gratianus de ornamento Archiepiscopali: quod hodie *pallium* vocatur; multis in hanc rem relatis fragmentis ex epistolis S. Gregorii, cujus temporibus usum Pallii in Ecclesia Latina receptum fuisse, atque ad certa tempora usum ejus restrictum constat, uti notavi in *Jure Eccles. part. 1. tit. 10. cap. 5.* Quæ autem Gratianus addit *Canone 1.* sub nomine Pelagii & *Canone 4.* sub nomine Joannis Episcopi parùm authentica sunt, uti in *Jure Eccles. Parte 1. tit. 10. cap. 7.* dictum est, atque ibidem notavi, Gregorium VII. hæc decreta tanquam authentica antiquitatis monumenta impendisse, ut argueret Archiepiscopum Rhotomagensem, quod contra Patrum constituta attentâsset, eò quod ordinationes fecisset ante acceptum Pallium.

Nonnulla apocrypha à Gregorio VII. ut authentica impensa sunt.

DISTINCTIO CI.

De non ordinandis duobus Metropolitis in eadem Provincia.

TAndem primam operis sui partem claudit Gratianus hac distinctione, unicum Chalcedonensis Concilii *Canonem* 12. recitans de non ordinandis duobus Metropolitis in una Provincia; pro cujus intellectu consulendus sæpè dictus Tract. *part. 3. cap. 3. §. 6. ad dictum Canonem Chalcedonesem.*

BREVIS COMMENTARIUS AD SECUNDAM PARTEM DECRETI GRATIANI.

Hæc secunda pars decreti Gratiani continet 36. Causas, & singulæ Causæ suas Quæstiones.

QUID NOMINE *CAUSÆ* INTELLIGATUR.

POrrò *Causæ* sunt quasi totidem hypotheses, sive casuum positiones; è quibus varias quæstiones format, & proponit, quas frequenter in utramque partem, allegatis Canonibus aliisque auctoritatibus discutit suam deinde sententiam depromens.

CAUSA I.

Casus de simonia in hac causa propositus.

PRroponit Gratianus causa prima hunc casum: »Quidam habens filium, obtulit eum ditissimo » cœnobio: exactus ab Abbate, & à fratribus, de» cem libras solvit, ut filius susciperetur, ipso tamen » beneficio ætatis, hoc ignorante. Crevit puer & per » incrementa temporum & officiorum ad virilem ætatem & sacerdotii gradum pervenit. Exinde suffra» gantibus meritis in Episcopum eligitur, interve» niente obsequio, & paternis precibus; data quo» que pecunia cuidam ex Consiliariis Archiepiscopi » consecratur iste in Antistitem, nescius paterni obse» quii & oblatæ pecuniæ. Procedente verò tempore » nonnullos per pecuniam ordinavit; quibusdam verò » gratis benedictionem sacerdotalem dedit: tandem, » apud

» apud Metropolitanum suum accusatus sententiam » in se damnationis accepit.

Hoc casu proposito septem exinde quæstiones formatur, atque singulatim proponit & discutit.

QUÆSTIO I.

PRimam ex hoc casu, seu causa formatam quæstionem proponit his verbis: *An sit peccatum emere spiritualia?*

Utrum emere spirituale sit peccatum; Gratianus à proposita quæstione recedit.

Verùm advertendum, quòd Gratianus frequenter à proposita quæstione recedat, & ad alia divertat, uti vel hæc quæstio ostendit: si enim textus & expressio quæstionis attendatur, id unum quærere videtur Gratianus; *Utrum peccatum sit emere spiritualia?* At si attendantur, quæ in discussione & resolutione quæstionis adducit, apparebit, nil ab ipso allegari, quo probetur, quòd sit peccatum emere spiritualia; neque eum id adstruere voluisse; sed supposuisse, emere spiritualia, esse peccatum; & quidem simoniæ.

Hinc sub initium quæstionis Canone 1. profert fragmentum sub nomine S. Leonis præfixo hoc summario: *Simoniaci gratiam non præstant, quam vendere quærunt.*

Quis sit ille Leo, sub cujus nomine hoc fragmentum hîc refertur, non exprimit. Hoc unum notant Correctores Romani: » Simillima primis verbis hujus » capitis habentur in Epistola Leonis I. Nicætæ Aquilejensi Episcopo scripta, quæst. 84. loquens enim » de gratia ait: *Quæ nisi gratis detur, non est gratia,* » *sed merces.* Reliqua apud ipsum non sunt in» venta. «

In hac epistola, quæ in editione Quenelliana est 129. hoc fragmentum non reperitur; ut proinde S. Leoni non videatur adscribendum, & verba, quæ hîc recitant Correctores Romani, id unum significant, quòd Gratia à Deo gratis detur sine præcedentibus meritis.

De gravitate peccati simoniæ.

Post hæc plures adfert auctoritates, quibus probare nititur, crimen simoniæ inter omnia crimina esse *gravissimum*; notatque hîc antiquus glossographus eam fuisse Gratiani de crimine simoniæ opinionem, atque idcircò hanc partem sui Decreti, in qua de criminibus agere intendebat, ab hoc crimine simoniæ inchoâsse.

Quidquid sit de hac Gratiani opinione; & an *in se* hoc crimen sit inter omnia *gravissimum*; hoc nihilominus indubitatum est, esse admodum grave crimen, & Ecclesiæ perniciosissimum, uti ostendi in *Jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 30. *cap.* 1.

Illud quoque fatendum est, auctoritates per Gratianum adductas evincere, simoniæ vitium semper fuisse reputatum grave & Ecclesiæ perniciosum; quamvis negare non possit, inter adducta à Gratiano esse nonnulla mutilata, & aliis auctoribus attributa, vel etiam in alium sensum à mente auctoris applicata, uti vel ex notis Correctorum Romanorum constat.

Unde petenda gravitas simoniæ.

Inter alia, notanda verba S. Gregorii subjecta eis, quæ ex ipso refert Gratianus Canone 4. » Quid sci» licet, (ait Gregorius) quid per hoc aliud agitur, » nisi ut nulla de actu probatio, nulla solicitudo de » moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille so» lummodo dignus, qui dare pretium suffecerit. «

Meritò hîc observanda est nota apposita ad Canonem 10. quem refert Gratianus sub nomine Calixti Papæ cum hoc summario: *Nec ordinari, nec promoveri in Ecclesia Dei per pecuniam aliquis valet.*

Investituræ Episcoporum olim ab Imperatoribus datæ, ut simoniacæ arguuntur.

Huic Canoni hæc nota additur: » Est Calixti II. » qui paulò ante Gratianum vixit, & aliquot Concilis à se habitis contra simoniam & investituras Ecclesiarum, quas Germanici Imperatores usurpave» rant, multa decrevit. «

Nequaquam obscurum est, quin Correctores Romani hîc loquantur de investituris Episcoporum, super quibus seculo XI. summa fuit contentio inter Romanos Pontifices & Imperatores. Satis insinuant præfati Correctores, has investituras tanquam *simoniacas* fuisse reprobatas, & ab Imperatoribus Germanicis usurpatas; uti & prætendebant Gregorius VII. aliique ejus Successores. Verùm eas nec in speciem *simoniacas*, neque usurpatas, sed sibi ab antiquo, jure regaliæ, competiisse prætendebant Imperatores; uti latius ostendi in *Part.* 1. *Jur. Eccles. tit.* 13. *cap.* 3.

Post hæc supponens Gratianus, sufficienter probatum simoniæ crimen inter omnia esse gravissimum; atque simoniacos æquè ac hæreticos & schismaticos esse privatos omni gratiâ Spiritûs Sancti; imò esse extra Ecclesiam, discutit latè hanc quæstionem; utrum simoniaci, & hæretici, & similes extra Ecclesiam positi possint validè & cum effectu Sacramenta administrare? Multis autem utrimque auctoritatibus allatis, præsertim S. Augustini contra Donatistas, quibus probat Sacramenta etiam à malis ministris administrata suum ex virtute Spiritûs Sancti habere effectum, in his, qui ea dignè suscipiunt; varia distinctione & explanatione Canones in speciem contrarios conciliare conatur; atque præ cæteris notanda distinctio & assertio allata *parte* 6. post *Canonem* 39. qua distinguit Sacramenta *necessitatis*, sive ad salutem necessaria, à Sacramentis *dignitatis*, seu ad salutem non necessariis.

An simoniaci Sacramenta conferre queant.

Sacramentum aliud necessitatis, aliud dignitatis.

» Illa, quæ necessaria sunt, quia, ait, iterari » non possunt, cùm sint vera, auferri vel amitti non » debent; sed cum pœnitentia rata esse permittuntur: » illa verò Sacramenta, quæ sunt dignitatis, nisi dig» nè fuerint administrata, ita ut digni dignè à dig» nis provehantur, dignitates esse desinunt, non ut » minuatur veritas Sacramenti; sed ut cesset officium » administrandi, vel loco, vel tempore, vel promo» tione; id est, impediatur administratio certo loco, » vel in perpetuum vel ad certum tempus, vel denique » ad altiora impediatur promotio.“

Discrimen inter utrumque.

Sed notari meretur, quòd Sacramentum *dignitatis* hîc reputet Sacramentum Ordinis; dicatque: „ Hoc » solum, non solùm pro culpa, sed etiam pro infa» mia interdicitur, & pro imminuta munditiæ suæ, » vel extrinsicævel intrinsecæ perfectionis prærogativa » ut bigamis, vel viduæ maritis, vel illiteratis, vel cor» poris qualibet parte vitiatis denegatur: quibus tamen » Baptismus vel Eucharistia non negatur.“

Hæc post Canonem 42. ac dein, interposito Canone 43. ait: „ Solicitè notandum est, quòd Sacra» mentum sacerdotalis promotionis præ cæteris om» nibus magis accuratè, & dignè dandum vel accipien» dum est, quia nisi ita collatum fuerit, eo desinet » esse ratum, quò non fuerit ritè perfectum. Cætera » enim Sacramenta unicuique propter se dantur, & » unicuique talia fiunt, quali corde vel conscientiâ » accipiuntur. Istud solum non propter se solum sed » propter alios datur: & ideò necesse est, ut vero » corde, mundaque conscientia, quantum ad se, su» matur; quantum ad alios verò, non solùm sine » omni culpa, sed etiam sine omni infamia propter » scandalum fratrum: ad quorum utilitatem non so» lùm ut præsint; verum etiam ut prosint, sacerdo» tium datur.“

An in administratione Sacramentorum aliquid temporale recipi possit.

Canone 99. & seqq. probat Gratianus, in administratione Sacramentorum per Sacerdotes, nihil temporale esse exigendum; profertque *Can.* 101. decretum Concilii Toletani XI. quo severisimè interdicitur, ne pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione Chrismatis, vel promotionibus graduum pretia quælibet, vel premia suscipiantur, addita tamen hac clausula: *Nisi voluntariè oblata.*

Porrò notant Correctores Romani, quòd in Codice Regio absit dictio ista, *nisi*; ita ut in iis casibus voluntarias etiam oblationes prohibeat.

Interim hæ voluntariæ oblationes tandem admissæ fuêre: cui forsan hoc decretum prout apud Gratianum legitur, aliquid contulisse potuit. Videri possunt, quæ de his voluntariis oblationibus, & quæ in his cavenda sunt, notavi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 3.

Quandonam committatur simonia ob munus à lingua.

Agit & hac quæstione Gratianus breviter de triplici munere, cujus interventu simonia contrahitur: cunque ad calcem Canonis 120. ex S. Gregorio retulisset, ipsum ad supplicationem aliquorum Acolythum & Diaconum ordinâsse, monet post Canonem 122. quod „ non quorumlibet precibus ordina» tiones factæ falsæ dijudicentur; sed hæ demum, ait, » quæ precibus ordinandi, vel ejus amici, non spi» rituali, sed carnali affectu porrectis fiunt; cùm aliàs » futuræ non essent, quas non charitas interveniens, » sed ambitio supplicans extorquet.“

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Utrum pro ingressu monasterii pecunia exigi possit.

QUæstione secundâ quærit Gratianus: » An pro » ingressu monasterii pecunia sit exigenda, vel » exacta persolvenda? «

Intermiscet autem & hanc quæstionem: » An » quibus sua sufficiunt, Ecclesiæ alimentis sustentan- » di sint. «

Qui divizes de Ecclesia proventibus possint accipere, & qui non.

Posteriorem difficultatem ad calcem Canonis hac distinctione solvit; scilicèt » non prohiberi ab Eccle- » sia suscipi illos, qui quondam fuerunt divites; pos- » tea verò omnia reliquerunt, ut Petrus, & Matthæus » & Paulus, aut pauperibus distribuerunt, ut Zachæus, » aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi, qui præ- » dia sua vendentes ponebant pretia ante pedes Apos- » tolorum, ut essent omnia communia: sed illi, qui » in domibus parentum residentes, vel sua relinque- » re volentes, ecclesiasticis facultatibus pasci desi- » derant. «

Hanc suam distinctionem probat præcipuè Gratianus auctoritate Juliani Promerii *de vita contemplativa*, quem credidit fuisse *Prosperum*, & plura ex his libris sub nomine *Prosperi* adducit.

Adducit & *Canone* 6. fragmentum epistolæ Hieronymi ad Damasum Papam, quam ut supposititiam passim rejiciunt eruditi, ut suprà notavimus. Sententia tamen hic relata vera est, & in Concilio Aquisgr. an. 816. probata, uti ostendimus in *Jure Eccl. parte* 2. *tit.* 32. *cap.* 5. & pluribus hanc sententiam adstruximus.

Simoniacum est aliquid exigere ab ingredientibus religionem.

Ad priorem quæstionem sub finem respondet ita simpliciter concludendo: » Multorum auctoritatibus » luce clariùs constat, quod ab ingressuris monas- » terium non licet pecuniam exigere, ne & ille, qui » exigit & ille, qui solvit, simoniæ crimen in- » currat. «

Cùm hanc conclusionem luce clariùs in Canonibus fundatam sciret Gratianus; unum duntaxat testimonium retulit *Canone* 2. sub nomine Bonifacii urbis Romæ Episcopi scribentis omnibus Calaritanæ Ecclesiæ cœnobiis. Sed nullibi hæc epistola Bonifacii reperitur. Monent autem Correctores Romani, quòd » B. Thomas citet hoc caput 22. *Quæst.* 100. *in fine* » *articuli* 3. & rem, quam ibi tractat, sola hujus ca- » pitis auctoritate constituat. «

Tempore S. Thomæ Gratianus erat maximæ auctoritatis.

At quàm parum ponderis sinceritati hujus decreti accedat per hanc à D. Thoma factam citationem, intelliget, qui attenderit ætate S. Thomæ, eam fuisse Decreti Gratiani auctoritatem, ut authenticum crederetur, imò quasi pro lege Ecclesiæ haberetur, quidquid huic Decreto esset insertum: & qui attentè legerit opera, ac signanter summam S. Thomæ, deprehendet plurima ab eo tanquam authentica, & pro conclusionum suarum fundamento ex Decreto Gratiani assumi, quæ hodie ab omnibus ut apocrypha rejiciuntur; quin & Patrum fragmenta referri, non ut in ipsis Patribus, sed prout apud Gratianum mutilata extant: ut non obscurum sit, hunc S. Doctorem multùm Decreto Gratiani usum: quemadmodum & Pontifices illius temporis, signanter Alexandrum III. & Innocentium III. usos esse scitur.

Cæterùm de utraque conclusione Gratiani hac quæstione formata plura dixi in *Jure Ecc. part.* 1. *tit.* 26. *& parte* 2. *tit.* 32. *cap.* 5.

QUÆSTIO III.

Emens temporalia spiritualibus annexa simoniacus est.

HÆc quæstio ad calcem causæ hujus, sive casus proponitur his verbis: » An ingressum in Reli- » gionem vel præbendas Eccl. emere sit simoniacum? «

Quare hanc quæstionem proposuerit, & quid potissimum in ea probare intendat: apertè in procœmio quæstionis exponit dicens: » Sed ad hæc objicitur, » quod qui ingressuri monasterium pecunias tribuunt, » non propositum religionis, sed participationem sti- » pendiorum Ecclesiæ emunt. Temporalia ergo non » spiritualia ementes, nequaquam simoniaci habendi » sunt. His itaque respondetur: non solùm, qui » temporalia eis annexa pretio accipiunt, vel tribuunt, » simoniaci judicantur. « Unde Malachias loquens ex persona Domini: *Quis est*, inquit, *in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; & munus non accipiam de manu vestra.* Os- tia claudere non est sacri muneris officium, sed tantùm sibi adjunctum.

Itaque hac quæstione ostendere vult Gratianus, quod qui *præbendam*, sive *temporalia* ingressui in monasterium, sive beneficio ecclesiastico annexa emit, etiam ipsum ingressum vel beneficium emat.

Pluribus auctoritatibus hanc suam solutionem & conclusionem confirmat; atque præ cæteris auctoritate Paschalis Papæ in *Canone* 7. ubi vulgaris & recepta hæc regula assumitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

Hac occasione plura decreta adfert Gratianus contra venditores beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum quæ spiritualibus duntaxat videntur annexa; atque inter alia refertur *Canone* 4. famosum ac vexatum decretum sub hac epigraphe: *Ex Concilio Urbani II. Papæ habito Alverniæ*, contra redemptiones altarium. Pro cujus intellectu & historia consule Stephanum Baluzium in notis ad hunc Canonem, ubi inter alia conatur ostendere clausulam hanc: *Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt*, esse revera à Concilio additam. Vide eundem in appendice ad *lib.* 6. *c.* 31. de Marca *de concordia Sacerdotii & Imperii*, & notas ipsius de Marca ad hunc Canonem 7. Claromontanum; & notas Gabrielis Cossartii in eundem Canonem, insertas *tom.* 10. *Concil. General. col.* 590. & plura circa intellectum hujus Canonis notavi in dissertatione *de pristinis altarium incorporationibus*; quæ unà cum reliquis opusculis extat *tom.* 2. *operum, in edit. anni* 1729.

QUÆSTIO IV.

An simonia commissa à patre infici filium ignorantem.

AD calcem causæ seu casûs à Gratiano ita proponitur quæstio quarta: *An iste sit reus criminis, quod, eo ignorante, pater admisit?*

Occasio proponendi hanc quæstionem fuit; quòd in casu proposito supponatur, quòd pater, filio omninò ignorante, pro ejus in monasterium ingressu fratribus decem libras solvisset.

Pro hujus quæstionis solutione profert primùm plures auctoritates, quibus videtur probari, quòd *ignorantia* illum excusset, nullumque crimen maculet ignorantem, nec alium aliorum peccatum gravet.

Post hæc in contrarium adducit exempla ex sacro textu, quibus ob paternum crimen etiam posteri puniti fuisse leguntur; ac tandem ad calcem Canonis 11. concludit: » Sed his exemplis non probantur teneri » peccato aliorum, nisi imitatores nequitiæ eorum. » Quicumque enim de semine Esau & cæterorum ad » Deum conversi, paternam malitiam detestati sunt, » non odium, sed Dei clementiam experti sunt. «

Qua ignorantia excuset.

Circa ignorantiam, an excuset, post Canonem 12. notat esse distinguendum: » Est enim, ait, ig- » norantia, alia *facti*, alia *juris*. Facti alia est ejus » facti, quod oportuit eum scire: alia, quod non » oportuit eum scire. « Prior neminem excusat, se- » cus posterior. »

Item ignorantia *juris*, ait, alia *naturalis*, alia *civilis*. Juris naturalis (pergit) *omnibus adultis damnabilis est*. Jus verò *civile* aliis permittitur ignorare, aliis non: quod postremum ibidem pluribus ostendit.

Hîc evidenter supponit Gratianus, ignorantiam juris naturæ, peccantem contra jus naturæ nunquam in totum excusare.

QUÆSTIO V.

An simonia commissa à patre filio ignorante possit hunc impedire in functione ecclesiastica.

CUm igitur parternum crimen filium gravare non videatur: quærit ulteriùs Gratianus *Quæstione quinta*: An liceat ei esse in Ecclesia, vel fungi ea ordinatione, quam paternâ pecuniâ est assecutus? Primò refert decretum Concilii Placentini vel Romani sub Urbano II. ubi hi, qui, cùm adhuc *parvuli* essent, cupiditate parentum per pecuniam Ecclesias adepti sunt, postquam, ait, eas omninò dimiserunt; si *canonicè* in eis vivere voluerint, *pro magna misericordia ibidem esse conceditur; neque pro hoc facto à sacris ordinibus removentur, si aliàs digni inveniantur.*

» Illi verò (pergit) qui per seipsos, cùm jam ma- » joris essent ætatis, nefanda ducti cupiditate, eas » emerunt, si in aliis Ecclesiis *canonicè* vivere vo- luc-

» luerint, servatis propriis ordinibus, pro *magna mi-* » *sericordia* ibi eos ministrare permittimus. Quod si » ad alias fortassis transferri non potuerint; & in eis » canonicè vivere promiserint, minoribus contenti ad » sacros Ordines non accedant. Salva tamen in om- » nibus Apostolicæ sedis auctoritate. « Hæc finalis clausula recentiorem prodit disciplinam.

An adeptus beneficium per simoniam paternam, possit in eo permanere, etiam postquam detecta est simonia.

Hoc relato decreto, necnon fragmento epistolæ ejusdem Urbani ad Vitalem Presbyterum concludit Gratianus: » Ex hac itaque auctoritate, colligitur, » quod *ignorantia* tales excusat à *reatu criminis*, ut » suprà dictum est, non à *fructu emptionis*; cum in » Ecclesiis, quas parentum pecunia adepti sunt, non » nisi postquam eas omninò dimiserint, & *ex miseri-* » *cordia* ibidem eis esse conceditur. In quo patet, » quod etsi illis ignorantibus, simoniæ peccatum sit » admissum, fructum tamen paternæ emptionis re- » portare non possunt. Quod verò à crimine excu- » sentur hinc patet, quia pro facto à sacris Ordi- » nibus non removentur: si enim illius criminis par- » ticipes essent, ad sacros Ordines conscendere non » possent. «

Hinc ulteriùs conficitur, non dubitâsse Gratianum, quin secundum Canones dimittere deberet Ecclesiam, qui eam simoniacè, licèt ignoranter, esset ingressus: nec nisi *misericorditer* in ea permittendus sit; modò canonicè, id est, *regulariter*, sive in communi, juxta regulas Canonicorum, vivere vellet. Vide quæ de hac disciplina fusiùs deduxi in *Jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 30. *cap.* 7.

QUÆSTIO VI.

Æque simoniacus est dans pecuniam pro electione, ac si daret pro ipsa consecratione.

HAc quæstione quærit Gratianus » de illis, qui » non pro ordinatione pecunias offerunt, sed » pro electione; vel ut decretum electionis fiat, vel » ut subscriptione firmetur, vel ut electioni non re- » sistatur, aliquibus præmia largiuntur: an eorum elec- » tio vitiosa sit judicanda? «

Deinde subjungit: » Non enim videntur Spiritûs » Sancti donum emere, qui non pro consecratione, » sed pro electione munera largiuntur, cum nullius » spiritualis gratiæ aliquos faciat electio participes. «

Verum Gratianus hunc prætextum rejiciens, ait: » Sed sicut ecclesiasticarum rerum emptores simonia- » ci judicantur, quia ecclesiasticis officiis ita adjunctæ » sunt, ut alterum sine altero alicui non proveniat: » ita quia per electionem venitur ad consecrationem, » perinde simoniacus habetur, qui pro electione præ- » mia largitur, ac si pro consecratione munera de- » disset. «

Hanc suam conclusionem pluribus auctoritatibus adstruit Gratianus; » nec ab ullo in dubium revoca- » tur: « quin enim similes dantes, aut accipientes sint simoniaci nemo dubitat.

QUÆSTIO VII.

An ad hæresi reversi ad sacros ordines sint recipiendi.

CUm Gratianus supponat crimen simoniæ esse gravissimum, quin & simoniacos reputaverit *hæreticos*; mirum videri non debet, si quæstionem septimam hujus causæ (in qua de simonia tractat) his verbis proponat: » An renuntians suæ *hæresi* sit recipien- » dus in Episcopali dignitate. «

Pro hujus quæstionis resolutione refert hîc Gratianus, quæ tum à Patribus, tum à synodis, ac notanter à synodo VII. dicta & decreta fuerunt, de redeuntibus ab hæresi, aut schismate, utrum in suis ordinibus essent recipiendi, vel post actam pœnitentiam ad sacros ordines promovendi.

Decretum synodi VII. à Gratiano non rectè relatum, à Correctoribus Romanis restitutum.

Porrò circa relata Patrum, & synodorum fragmenta meritò attendendæ annotationes Correctorum Romanorum; ac signanter ad fragmentum sub nomine synodi VII. relatum *Can.* 2. in hoc enim fragmento legitur: *Nullum tamen eorum, qui ante baptismum peccavit, sacerdotibus annumeratum scio*: Hîc notant Correctores ad verba, *ante baptismum*; » Hoc qui- » dem loco perspicuè erratum est, quod auctori glos- » sæ negotium exhibuit. « Deinde monent in originali ita legi: » Neminem vero horum in sacerdotio an- » numeratum, nisi si forte *ante baptismum* hoc ad- » misit. «

Simoniaci quasi hæretici irreparabiliter damnari jubeantur.

Interim ex relatis auctoritatibus tandem Parte 3. ad calcem Canonis 4. concludit Gratianus quod his auctoritatibus simoniaci *irreparabiliter damnari jubeantur.*

Subjungit autem parte 4. mitigationem: *Nisi rigor disciplinæ quandoque relaxetur, ex dispensatione misericordiæ.*

liter à sacris muniis deponuntur, nisi ex misericordia hic rigor mitigetur.

Hac occasione ostendit hic Gratianus, quando & moderatione Prælati Ecclesiæ interdum pro *necessitate* vel *utilitate Ecclesiæ* in certis casibus de rigore Canonum aliquid relaxare queant.

Regulæ in hac mitigatione servandæ, & à Gratiano propositæ & merito in annuenda dispensatione attendendæ.

Optandum esset, ut Canones & Patrum dicta hic à Gratiano relata attentiùs expenderentur contra hodiernam dispensandi facilitatem: non enim solùm pateret summam in relaxando Canonum rigore discretionem & moderationem esse necessariam; sed insuper omnem dispensationem, quæ hic visitur, unicè versari circa remissionem seu relaxationem pœnarum canonicarum ob Canones infractos, non autem circa veniam Canones infringendi, quam dispensationem multis seculis ignotem fuisse notavi in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 14. *cap.* 1.

Porrò de disciplina non recipiendi *simoniacos* ad sacras functiones, etiam *post actam pœnitentiam*, & quam parci olim fuerint Pontifices in relaxando hujus disciplinæ rigore, necnon de abusu pernicioso, quem facilitas hujus dispensationis hisce posterioribus seculis invexit, vide dicta in *Jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 30. *cap.* 7.

CAUSA SECUNDA.

De ordine judiciorum.

SUb finem quæstionis septimæ, rationem transitus sui ad causam sequentem subjungit Gratianus dicens: » His breviter præmissis, ad ea veniamus, quæ » Ecclesia severitate disciplinæ parata est ulcisci, os- » tendentes, quibus accusantibus, vel testificantibus, » quilibet sint convincendi, quo judice quisque de- » beat condemnari, vel absolvi: si causa vitiata fuit, » quo remedio possit sublevari: si accussatores defe- » cerint, an reus sit cogendus ad purgationem. «

Occasio proponendi hanc causam.

Et glossographus eandem connexionis rationem, ac summariè quid in hac causa tractetur, exponit: » In superiori causa actum est de crimine simoniæ, » & priùs de eo, quod *gravissimum est*; sed quia cri- » mina sine ordine judiciario puniri non debent; ideò » congruè hanc causam annectit, in qua de ordine » judiciario tractat, ostendens quod nemo condem- » nandus est, nisi convictus vel confessus: & quod » spoliatus præter juris ordinem, sit restituendus, & » qualiter puniantur, qui in accusatione deficiunt, » qualiter objecta crimina non probata purgentur, & » qualiter sententia relevetur per appellationem, & » utrum laici admittantur ad accusationem clerico- » rum, & qualiter sit accusatio facienda, &c.

QUÆSTIO I.

An in manifestis sit necessarius ordo judiciarius.

ITaque Quæstione I. quærit, » an in manifestis ju- » diciarius ordo sit requirendus?

In primis multis auctoritatibus probare vult, *Quod nullus sine judiciario ordine damnari valeat*, ut habet summarium quæstioni subjectum.

Nonnulla decreta apocrypha hic à Gratiano adducta.

Inter allegata autem in hujus probationem occurrit *Canone* 4. decretum sub nomine *Eleutherii Episcopi ad Episcopos Galliæ*: quod decretum uti & integram epistolam suppositiam esse eruditis hodie persuasum est.

Profert dein Gratianus *Canone* 5. fragmentum sub nomine *Felicis Papæ I. ad Paternum Episcopum*: notaturque in margine, priorem ejus partem haberi in epistola prima *Zephyrini Papæ ad Episcopos Siciliæ*: monent insuper Correctores Romani, hæc verba *Apostolica freti auctoritate*, addita esse ex epistola Felicis & Zephyrini: *Nam, inquiunt, damnari Episcopi sine consensu & auctoritate Romani Pontificis, nec* tunc *poterant, nec nunc possunt.*

Verum quidem est, in citatis epistolis allegata verba haberi; sed & constat, easdem epistolas decretales uno eruditorum consensu ad reprobas pseudo Isidori merces rejici; quin & vel sola hæc verba à Correctoribus Romanis hic suppleta, earum suppositionem probant; quandoquidem expeditum sit, damnationem Episcoporum tempore horum Pontificum nondum fuisse Romano Pontifici reservatam, aut ejus consensum vel auctoritatem fuisse necessariam in damnatione Episcopi. Quin admodum verisimile est, hanc reservationem præcipuè ex his aliisque decretalibus primis Romanis Pontificibus falsò adscriptis, suam originem aut saltem progressum habere, uti in *Jure Ec-*

Eccles. Part. 3. tit. 3. cap. 4. ostendi.

Ex his aliisque intelligimus, Correctores Romanos authenticas, & sinceras reputâsse primorum illorum Pontificum epistolas pseudo-decretales.

Interim assertum Gratiani, nimirum nullum posse condemnari, aut censura perstringi sine ordine judiciario, verissimum est, certisque auctoritatibus probatur. Hanc in rem notandus Canon 7. ex S. Gregorio; necnon Canon 11. & 12. ipsaque Gratiani conclusio, notanter ad calcem Canonis 17.

QUÆSTIO II.

An expoliatus sit judicandus.

HAc quæstione quærit Gratianus: *An expoliatus ab aliquo sit judicandus? scilicet antequam restituatur.*

Sub initium autem quæstionis ait: *Quòd expoliatus ante judicem stare non debeat, multis auctoritatibus probatur.*

In hac quæstione à Gratiano adducta pene omnia sunt apocrypha, & quare.

De simili quæstione, & materia vix reperiuntur, neque hîc à Gratiano adducuntur authentica ecclesiastica decreta ante inductam formam forensem fori secularis in forum ecclesiasticum: unde nec mirum, plerasque auctoritates hac quæstione adductas fragmenta esse falsarum decretalium primis Pontificibus seculo XI. suppositarum præter Canonem 2. qui præfert nomen Nicolai Papæ. Sed notat Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Grat. Dial.* 12. hæc verba non esse Nicolai Papæ, sed Isidori Mercatoris in præfatione Conciliorum: quod & notârunt Correctores Romani in margine: neque extant in epistola hujus Pontificis; sed in sola allegata collectione decretorum Nicolai per Cochlæum *tit.3. cap.6.*

QUÆSTIO III.

Qua pœna feriendi deficientes in accusatione.

QUæstione tertia inquirit Gratianus: „Qua pœna „feriendi sint, qui in accusatione deficiunt?“ plura tùm ex falsis decretalibus, tum ex jure civili hîc profert Gratianus; meritoque castigatur à Correctoribus Romanis, quòd simpliciter dicat: „Illis „qui pro aliqua *promissione* deserunt accusationem, „*semper veniam dari.*“ Illud non esse simpliciter verum notant, neque hoc probari testimonio S. Gregorii ibidem à Gratiano relati in *Canone* 6. ex verbis epistolæ ostendunt.

Quæst. V.

QUÆSTIO V.

NOtandum, quòd Gratianus hîc quæstionum propositarum ad calcem causæ, sive casus ordinem invertat, atque quæstionem quintam præmittat quæstioni quartæ.

An deficiente probatione reus cogendus sit ad probationem.

Itaque hac Quæstione V. ostendere vult, quòd deficientibus accusatoribus, reus non videatur esse cogendus ad purgationem: „Sicut enim, *ait*, rei „possessor, deficiente actore, titulum suæ possessio„nis probare non cogitur, ita qui impetitur, ad in„nocentiam suam probandam cogendus esse non cre„ditur.“

In primis pro fundamento hujus asserti ponit Gratianus, juramentum à Sacerdotibus non esse exigendum; idque prolatis tribus fragmentis pseudo-decretalis Cornelii Papæ ad Rufum Episcopum.

An sacerdotibus injungi queat juramentum, quo se purgent.

Adjungit & Canonem 21. Concilii Triburiensis anni 897. quo statuitur: „Ut, si Presbyter contra „laicum, vel laicus contra Presbyterum habeat que„rimoniæ controversiam, Episcopo præcipiente sine „personarum acceptione finiatur & laicus per jura„mentum, si necesse sit, se expurget: Presbyter „vero *vice juramenti*, per sanctam consecrationem „interrogetur, quia Sacerdotes ex levi causa jurare „non debent: manus enim, per quam Corpus & „Sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? „absit: cùm Dominus in Evangelio Discipulis suis „(quorum vicem nos indigni in sancta gerimus Ec„clesia) dicat: *Nolite omninò jurare: sit autem ser„mo vester*, EST, EST: NON, NON: *quod autem „his abundantius est, à malo est.*“

Sed cùm ex aliis deprehenderet Gratianus, Episcopos & Presbyteros de crimine aliquo infamatos, cogi interdum ad se purgandum, medio juramento, pro ratione conciliationis ad calcem Canonis 4. ait: „Verùm his auctoritatibus non omnimoda juramenta „prohibentur fieri à Sacerdotibus, sed tantùm *incau„ta*, & ea, quæ pro qualibet causa temporali judici „offeruntur: cùm autem populari infamia Sacerdotes „opprimuntur, tunc ad innocentiæ suæ assertionem „juramenta debent offerri.“

Num hæc conciliandi ratio adductis auctoritatibus sat congruat, nescio; hoc certum est, vetitum esse exigere *incauta juramenta*; non tantùm à Sacerdote, sed etiam à quovis laico.

De variâ purgationis specie.

Cùm autem hîc incidisset mentio *purgationis canonicæ*, hac occasione tractat hîc Gratianus de varia purgationis specie.

Meminit autem Gratianus purgationis faciendæ per *juramentum ad B. Petri corpus* Canone 6. ex epistola 23. *lib. 2. indict.* 10. S. Gregorii, cujus notas consule: occurrit & simile juramentum *Canone* 7. ex epistola ejusdem Pontificis præstitum à Menna Episcopo, qui similiter per hoc juramentum ab objectis criminibus se purgaverat. De hac & similibus formulis juramenti consulendus Du Cange in glossario Latinitatis, verbo, *jurare.*

De purgatione per juramentum. Error Gratiani.

Notandum autem, quod Gratianus relatis verbis citatæ epistolæ S. Gregorii, quibus significat Brunichildæ Francorum Reginæ, quod *Mennas* se mediante juramento *ad sacratissimum corpus B. Petri Apostoli* à sibi objectis criminibus purgâsset, subjungat tanquam ejusdem epistolæ & contextus verba: „Purgationem tamen ante te duobus sibi Sacerdoti„bus junctis, ubi accusator cessaverit, eundem ex „se præbere tuo committimus arbitrio.“ Quibus significatur, S. Gregorium purgationem Mennæ Episcopi commisisse arbitrio *mulieris*, scilicet Brunichildæ Francorum Reginæ, licèt & priùs se, medio juramento coram Pontifice ad corpus B. Petri purgâsset.

Ad quæ reflectens glossographus verbo, *arbitrio*, ait: „Delegatur hîc laico spirituale negotium. Fuit „tamen, *inquit*, hîc nimiùm Papaliter dispensatum, „quod Episcopus expurgatus coram Papa, cogitur „adhuc coram muliercula se expurgare.“

Verùm totam hanc periodum non reperiri apud S. Gregorium, dubiumque non esse, quin erratum sit vel a Gratiano, vel à librariis, notavit Antonius Augustinus *lib. 1. de emendat. Gratiani Dial.* 12. qui & præterea advertit: „Quod nostri interpretes di„cere solent, ex verbis Gregorii probari coram Re„ge, vel Regina, vel alio seculari judice posse cano„nicam purgationem indici, falsum est.“

Similiter & correctores Romani monent hîc fuisse gravissimum errorem, atque quibusdam interpositis, quibus probant, hanc periodum esse fragmentum epistolæ Alexandri II. ad Raynaldum Episcopum Cumanum, concludunt: „Nihil loci relinquitur admi„rationi auctoris glossæ: nusquam enim Romani Pon„tifices hujusmodi causas mulieribus leguntur com„misisse.“

Hîc interim videmus, quomodò error Gratiani juris Canonici interpretes in errorem induxerit, atque ex errore opinio erronea invaluerit.

Refert & *Can.* 10. fragmentum epistolæ Sixti III. *ad Orientales Episcopos* agens de formula purgationis, qua se hic Pontifex purgâsse dicit coram Synodo; sed hanc epistolam (quæ integra extat *tom. 3. Conc. Gen. col.* 1263.) esse spuriam passim agnoscunt eruditi, eique appingit hanc notam marginalem Labbæus: *Fidei admodum suspectæ; imò nullius.*

Adducitur dein *Can.* 11. initium epistolæ Alexandri II. Raynaldo Cumano Episcopo, de quodam Presbytero morte Episcopi infamato; rectèque post Antonium Augustinum advertunt Correctores Romani periodum, quæ incipit, *purgationem*, quam falsò adscriptam diximus S. Gregorio, partem esse hujus epistolæ Alexandri II. & huic Canoni debuisse annecti.

Supposititium esse decretum *Can.* 14. Sylvestro Papæ assertum, etiam ipsi Correctores Romani agnoscunt, quorum notam consule.

Plura, præsertim ex litteris S. Gregorii, refert de purgatione canonica, medio juramento; & *Can.* 16. refert decretum Hincmari Rhemensis, quo jubetur Presbyter, si mala fama de ipso exierit, & accusatores, ac testes legales defuerint: *Secundum decreta majorum cum denominatis sibi vicinis Presbyteris, quos scimus se nolle pejerare, sacramento famam purget.*

Ratio inductæ purgationis per juramentum.

Ratio inductæ hujus purgationis redditur in eodem Canone: „Ne contra Apostolum infirmorum corda „de mala fama Presbyteri percutiantur, & ne vitu„peretur ministerium nostrum, neve securiores Pres„by-

» byteri existentes, licentiùs in peccata prolabantur.»

De purgatione vulgari per aquam ferbentem vel ferrum candens.

Meminit & hac quæstione Gratianus, non tantum canonicæ purgationis; sed & vulgaris per *aquam ferventem*, & *ferrum candens*.

Et quidem *Canone* 15. extat *Palea* sub nomine Concilii Tribueriensis, ubi decernitur: »Quod *nobilis* homo vel *ingenuus*, si in Synodo accusatur, & »negaverit; si eum constiterit fidelem esse; cum »duodecim ingenuis se expurget: si antea deprehen»sus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso testi»monio, ad juramentum non admittatur, sed (sicut »qui ingenuus non est) *ferventi aqua*, vel *candenti* »*ferro* se expurget.«

Hoc decretum sub nomine Concilii Triburiensis extat quoque in *cap.* 1. *de purgat. vulgari*, in prima decretalium collectione apud Antonium Augustinum cum his verbis: *ferventi aqua aut candenti ferro*; quæ omissa sunt à Raymundo in *c.* 9. *de purgatione canonica*; verisimiliter, quia tum contrarius usus obtineret quoad purgationes vulgares, innixus decretis hîc à Gratiano contra eas purgationes adductis, & ab Alexand. III. & sequentibus Pontificibus probatis.

Et quidem in periodo, quam Gratianus Canone 7. S. Gregorio falsò adscripsit, ut supra notatum est; quamque Alexandro II. attribuendam esse diximus, vetatur adhiberi; imò »Apostolica auctoritate prohi»bet firmissimè *vulgarem* purgationem ferventis scili»cet, sive *frigidæ* aquæ, *ignitique* ferri contactum, »aut cujuslibet popularis inventionis.«

Reprobata purgatio vulgaris tamquam superstitiosa.

Hæc ipsa prohibitio evincit hanc periodum non posse attribui S. Gregorio, cujus tempore hæ vulgaris purgationis species nondum invaluerant. At tempore Alexandri II. qui sub medium seculi XI. sedit, similes purgationes in quibusdam Ecclesiis jam erant usitatæ, in aliis verò, præcipue Romana, reprobabantur; ad quam ætatem & referendus Canon 20. relatus sub nomine Stephani V. qui interrogatus ab Humberto Episcopo Moguntino de usu purgationis per ferrum candens, aut aquam ferventem respondisse dicitur: »Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione con»fessionem extorquere à quolibet, sacri non censent »Canones, & quod SS. Patrum documento sanci»tum non est, superstitiosa adinventione non est præ»sumendum.«

Nulla inter epistolas hujus Pontificis similis epistola reperitur: unde & suspectæ fidei habetur hoc fragmentum; cujus tamen auctoritate usus est Alexander III. in epistola ad Archiepiscopum Upsalensem, quæ est 19. in prima appendice epistolarum hujus Pontificis *tom.* 10. *Concil. General.* quem & subsequentes Pontifices secuti, hanc purgationis speciem tanquam superstitiosam damnârunt, ut pluribus ostendi in *Jure Eccles. parte* 3. *tit.* 8. *cap.* 4.

De purgatione per sacram Communionem.

Occurrit & *Canone* 23. & 26. species purgationis per *sacram Communionem*; ac priore quidem Canone præcipitur: »Si contigerit in monasterio furta perpe»trari, & qui hæc committant, ignorentur; & fra»tres ipsi de talibus se expurgare debuerint, Missa ab »Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas »præceperit, præsentibus fratribus: & sic expleta »Missa omnes communicent in hæc verba: Corpus »Domini sit mihi ad probationem hodie.«

Citatur hîc Canon sub nomine Concilii Wormatiensis *Canone* 15. extatque reipsa similis Canon in Concilio Wormatiensi anni 688. quod integrum inseritur *tom.* 8. *Concil. General. columna* 942. At in Canone, pro his verbis: *Expleta Missa, omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, hoc modo legitur: *& sic in ultima Missæ celebratione pro expurgatione suâ Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu-Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant.*

Quidquid sit de hâc lectionum varietate, sat interim constat, usum purgationis per sacram Communionem probari, uti dicto Canone 26. qui similiter ex hoc Wormatiensi Concilio Canone 10. desumptus est; in quo licèt aliqua legantur hîc à Gratiano omissa, nihilominus sat aperte hæc probationis, sive purgationis formâ comprobatur.

Hinc titulus hujus Concilii in collectione Conciliorum ita exprimitur: *Concilium Wormatiense Provinciale ex parte reprobatum*: & ad relatum Canonem 15. appenditur hæc nota marginalis: *Hic Canon tamquam erroneus abrogatus est.* Et Antonius Augustinus *Lib.* 1. *de emendat. Gratiani Dial.* 15. advertens ad citatos Canones, & agnoscens, quæ in his leguntur, esse revera in Conciliis, & apud Burchardum, ait: *sed hæc omnia sunt illorum temporum sordibus adscribenda.*

Cæterum de his purgationibus vulgaribus latius actum est in *Jure Eccles. parte* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. ubi etiam notatum est, quàm altas radices in aliquibus Ecclesiis egissent similes purgationes; & quomodò in quibusdam locis usque ad ultima secula, saltem earum vestigia superfuerint. Harum & similium observationum superstitionem eruditè, ac solidè recenter adstruxit quidam Presbyter Oratorii in libello Gallico impresso Rothomagi anno 1701. sub hoc titulo: *Histoire critique des pratiques superstitieuses &c.*

QUÆSTIO IV.

De numero testium in causa Clericorum.

QUæstione quartâ, quæ hîc quæstioni quintæ postposita est, quærit Gratianus, quot testimoniis Episcopus sit condemnandus? adductis autem novi ac veteris Testamenti, necnon Concilii Bracarensis auctoritatibus, concludit ad calcem Canonis 1. *Ex præmissis itaque colligitur, quòd duorum, vel trium testimonio Episcopus convinci, & damnari potest.*

Multa hic apocrypha & supposititia miscet Gratianus.

Verùm mox addit: *Porrò Sylvester Papa in generali Synodo præsidens è contra dixit.* Tum immediatè subjungit *Canone* 2. fragmentum Concilii Romani, quod dicitur celebratum sub Sylvestro Papa I. in quo dicitur, quod »Præsul non damnatur, nisi cum 27. »testibus: Presbyter autem Cardinalis, nisi cum 64. »testibus non deponatur: Diaconus verò Cardinalis »urbis Romæ, nisi cum 72. testibus non condemna»bitur: Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lec»tor, Ostiarius, non nisi 7. testibus condemnabitur: »testes autem & accusatores sine aliqua sint in»famia.»

Ita legitur in antiqua Gratiani editione: at in Correcta Romana pro 64. legitur 44. *testibus*, & addita fuit post verba, *cum* 72. *testibus*, hæc periodus: »Nec Præsul summus à quoquam judicabitur, »quoniam scriptum est: *non est discipulus super ma»gistrum*: « eam additam monent Correctores Romani *ex Concilio Romano sub Sylvestro*, & aliis locis ad marginem indicatis.

Error Glossographi circa Pontificem.

Porrò glossæ auctorem crèdidisse, hoc Canone non comprehendi *Romanum Pontificem*, certum est: nam ad nomen, *Præsul*, apponit hanc notam: »Id »est, *Cardinalis Episcopus*: sed nunquid contra *Pa»pam* duplicabuntur testes? non, imo duo sufficiunt: »& in hoc est deterioris conditionis; quia ipse sine »comparatione aliorum creatus est major: & ideo »sine spe veniæ condemnandus est, ut diabolus.«

Hoc dictum glossographi mirantur Correctores Romani, quasi Romanus Pontifex minori numero testium posset condemnari, quam Ostiarius: *Cum tamen*, inquiunt, *ipse Pontifex à generali saltem Præsulis nomine minime esset excludendus.*

Eundem penè numerum testium in damnatione Episcopi requirit fragmentum Epistolæ Leonis IV. relatum hîc à Gratiano *Canone* 3. de quibus testibus ibidem additur. »Qui prius ad sacra Christi quatuor »Evangelia Sacramenta præstent, quod nihil falsum »depromant: sicut nobis, inquit, beatus Sylvester »tradidit, & Romana sancta videtur tenere Ecclesia.

Quamvis moneant Correctores Romani, hæc finalia verba non legi in Epistola Leonis manuscripta, & ea deesse in editione Romana & codice Ms. Vaticano notavit Lucas Holstenius, nihilominus haud obscurum est, auctorem hujus Epistolæ reflexisse ad hoc Concilium Romanum, quod esse ex confictis Isidori Mercatoris mercibus modò compertum est: notatque hîc Dandinus Alteserra: *Ea ibi decreta de numero testium, omninò esse diversa à sanctis Canonibus & legibus.*

Gratianus verò nihil de Concilii hujus suppositione suspicatus, ut hos Canones cum aliis auctoribus conciliet, dicit: »Hoc vel speciali privilegio de Cle»ricis Romanæ Ecclesiæ intelligitur, vel propter im»probitatem quorundam, qui cum non sint spectatæ »vitæ, & scientiæ, ad accussationem ministrorum »Dei repentè prosiliunt. Quorum vero vita adeò lau»dabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quo»rum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum »testimonio duorum vel trium testium quilibet jure »convinci & damnari poterit.«

Posterius membrum distinctionis hodie receptum est; atque testimonium duorum vel trium omni excep-

ceptione majorum adversus Clericos, etiam majores recipitur; uti & observat D. Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

QUÆSTIO VI.

Gravatus per sententiam ab ea appellare potest.

HAc quæstione ordinem judiciorum prosequens Gratianus quærit: *Quo remedio causa vitiata sublevetur, & si remedium illud sit dandum ei, qui causa dilationis vocem appellationis exhibuerit?*

Sub initium hujus quæstionis tanquam indubitatum asserit: *Causa vitiata remedio appellationis sublevari potest.*

In probationem hujus asserti prioribus tribus Canonibus nonnulla adducit ex falsis Decretalibus sub nomine SS. Fabiani & Anacleti, quorum tempore similes formulæ appellationis in judiciis ecclesiasticis nondum erant notæ, ut vel hinc illarum Decretalium confictio, & supositio fiat manifesta.

Interim meritò ad fragmentum sub nomine Anacleti relatum *Can.* 3. appenditur nota Correctorum Romanorum; ex qua intelligitur, nec has falsas Decretales semper referri à Gratiano, quemadmodum in collectione Isidori leguntur.

An ab omnibus positi appellari etiam immediate ad Sedem Apostolicam.

Post hæc progreditur inquirere, ad quem appellandum sit; nititurque ostendere, *ad Sedem Apostolicam* ab omnibus posse appellari: idque ex fragmentis falsarum Decretalium.

Occurrit hîc in primis *Can.* 4. fragmentum sub nomine Sixti Papæ, cui hoc summarium præfigitur: *Quisquis pulsatus fuerit, Apostolicam Sedem appellet*: & Canone 5. fragmentum Decretalis sub nomine ejusdem Sixti Papæ cum hoc summario: *In gravioribus causis pulsati Apostolicam Sedem appellent*: & rursus *Can.* 6. ex falsa decretali Marcelli Papæ sub hoc summario: *Ab omnibus appelletur ad Romanam Ecclesiam.*

Plura ad adstruendam hanc appellandi libertatem ad Sedem Apostolicam ex hisce falsis decretalibus adduci sub nomine Victoris, item Severini Papæ *Canone* 7. & 8. item *Can.* 9. & 10. sub nomine Julii Papæ; inter quæ notandus Canon 10. ex falsa decretali Julio I. supposita, in qua hæc leguntur: „ Ideo huic „ sanctæ Sedi præfata privilegia specialiter sunt con„ cessa, tam de congregandis Conciliis & judiciis, ac „ restitutionibus Episcoporum, quàm etiam de sum„ mis Ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppres„ si auxilium, & injustè damnati restitutionem su„ mant: & talia ab improbis ne præsumantur absque „ ultione, nec exerceantur absque damnatione.“

Ex hoc fragmento decretalis, & illud intelligitur; quod non tantùm Sedi Apostolicæ diceretur assertum jus appellandi ad eam, sed etiam jus congregandi Concilia, & restituendi Episcopos; quod & tandem auctoritate harum decretalium à Gratiano relatarum quasi primatui Sedis Apostolicæ annexum, notanter ab Ultramontanis receptum esse scitur.

Imò in decretalibus per Gratianum adductis evidenter asseritur, ab omni judice inferiori, etiam omisso medio, puta, à sententia Episcopi, Metropolitano, Primate, aut Patriarcha omisso, posse immediatè ad Sedem Apostolicam appellari.

Porrò cum auctoritate harum decretalium circa seculum X. & XI. hæc appellandi libertas ad Sedem Apostolicam ubique penè admissa esset; Gratianus hoc jus appellandi, quod jam sua ætate admissum erat, & nihil de falsitate harum decretalium suspicatus, illud quasi ex traditione Apostolica descendere supponens, etiam quasi primatui Romani Pontificis esse annexum arbitratus est.

Canonem Africanum ineptè explicat Gratianus ut illum ad sui temporis disciplina detorqueat.

Proinde mirum videri non debet, Gratianum Canoni Africano, relato *Canone* 35. quo decernitur: nulli Clerico in Africa per Episcopos damnato ad transmarina judicia licitum esse appellare, appendisse hanc ineptam & insulsam clausulam: *Nisi fortè Romanam Sedem appellaverit.* „ Quasi verò Afri ad transmarina „ appellare tentantes, ad alium, quàm ad Sedem „ Apostolicam appellarent,“ uti rectè monet Severinus Binius ad Canonem 22. Milevitanum.

Quis enim nescit, Ecclesiæ Africanæ certissimam fuisse disciplinam, nequaquam admittendi appellationes Clericorum à suis respectivè Episcopis aut Synodis Africanis, ad transmarina judicia, etiam Romana; eamque acerrimè per Patres Africanos seculo V. in causa Appiarii Presbyteri per suum Episcopum depositi fuisse propugnatam. Vide *Jus Eccles. Parte* 3. *tit.* 11. *cap.* 2.

Itaque hoc Canone, expressa erat pristina disciplina Ecclesiæ Africanæ, planè conformis Canonibus Nicænis: Gratianus autem videns hanc disciplinam à disciplina sui temporis omninò alienam, credensque (ut jam diximus) ex traditione Apostolica descendere, auctoritate falsarum decretalium Canonem hunc ad sui temporis disciplinam inflectere volens, eundem in alienum planè sensum detorsit.

An, & qua ratione appellationes ad Pontificem in Gallia & Belgio admissæ.

Similiter & hoc scitur, Episcopos Gallicanos, ac signanter Hincmarum Rhemensem has appellationes ægrè admisisse; eas tamen urgentibus Pontificibus auctoritate falsarum decretalium, tandem admissas fuisse, easque & hodie admitti, cum notabili nihilominus moderatione, uti quoad Belgium notavi in *Jure Eccles. Part.* 3. *tit.* 10. *cap.* 1. & quoad regnum Galliæ notavit Dom. Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

Ex suppositiis Decretalibus attribuitur Pontifici plenitudo aliis Episcopis pars tantum potestatis Ecclesiasticæ.

Quemadmodum in confictis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum, multis adstruitur jus appellandi ad Romanum Pontificum à quorumcunque judicum Ecclesiasticorum sententia, etiam *omisso medio*; ita quoque confictor harum Epistolarum nonnulla intermiscuit, quibus declarat in Pontifice esse *plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ*: reliquos verò Episcopos esse duntaxat vocatos in *partem solicitudinis*, sive potestatis, qualem Pontifices iis tribuere voluerunt: atque ita consequens sit, Pontificem esse ordinarium ordinariorum; proindeque ad ipsum tanquam ordinarium posse appellari, sive causas quascunque referri.

Hanc in rem profert Gratianus hâc quæstione *Canone* 12. fragmentum sub nomine *Vigilii Papæ ad Eleutherium*, uti legitur in hodierno Decreto correcto; monent autem Correctores Romani, in antiquis exemplaribus Decreti hunc Canonem attribui *Julio* Papæ: notatque Stephanus Baluzius, rectè hîc advertisse Correctores Romanos Epistolam hanc, non *Julio*, sed *Vigilio* potiùs attribuendam; fateturque Baluzius, extare Epistolam Virgilii, non quidem inscriptam ad *Eleutherium*, sed ad *Profuturum* Episcopum Bracarensem, constantem pluribus capitibus, quorum ultimum coficit hunc Canonem; eamque integram inseruit in sua nova Conciliorum Collectione *pag.* 1467. unà tamen notans; caput ultimum hujus Epistolæ de *Primatu Romani Pontificis*: (quod confecit hunc Canonem apud Gratianum,) in optimo codice Bibliothecæ Colbertinæ non reperiri; multisque ibi probat admodum verisimile esse, hoc caput à Pseudo-Isidoro fuisse huic Epistolæ adjectum, uti pluribus deduxi in *Parte* 1. *Juris Ecclesiastici*, *titul.* 19. *cap.* 5. ubi unà ostendi, exigui esse ponderis argumentum, quod pro *plenitudine potestatis* in Romano Pontifice desumitur ex fragmento Epistolæ sub nomine Gregorii IV. apud Gratianum hac quæstione 6. *Can.* 2. tum quod hic Pontifex gesserit Pontificatum currente seculo nono post evulgatas falsas Decretales: ut proinde verisimile sit, ex falsa Decretali Julio Papæ apud Isidorum attributa, verba illa de plenitudine potestatis in Romano Pontifice esse desumpta: tum quod in hac Epistola agatur de depositione Aldrici Episcopi Cænomanensis; cum tamen in actis hujus Episcopi nulla fiat hujus Epistolæ mentio, per quod nonnihil de suppositione redditur suspecta.

De Arbitriis.

Tractat & hâc quæstione Gratianus de Arbitris, & utrum à sententia arbitrorum, ac notanter, qui ex consensu partium fuerunt electi, appellari possit.

Pro resolutione hujus quæstionis adducit hîc 2. Canones Africanos, quorum primus adducitur *Canone* 33. cui Gratianus præmittit, quomodò judices alii sint ordinarii, alii verò à Partibus simpliciter electi, nulla legitima auctoritate instructi, quos & compromissarios nominat. Quod vero inter Judices ordinarios reponit, *qui ab Apostolico, ut seculares judices ab Imperatore legitimam potestatem accipiunt*; non obscurè innuit, quòd ex opinione Gratiani Judices Ecclesiastici suam auctoritatem accipere deberent *ab Apostolico*; non secus ac seculares judices ab Imperatore: quod pristinæ Patrum disciplinæ nullatenus esse consentaneum nemo ignorat.

An ab arbitris possit appellari.

Post hæc subjicit Gratianus sub nomine Concilii Carthaginensis III. Canone X. in hæc verba: *Sanè si ex consensu partium Judices electi fuerint, etiam à pauciore numero, quàm constitutum est, liceat appellare.*

Hic Canon legitur in Codice Africano Can. CXXII. ei-

eique jungitur fragmentum à Gratiano hac quæstione relatum *Can.* 19. unum eundemque Canonem conficiens, qui his verbis in Codice exprimitur: „A judi» cibus autem, quos communis consensus elegerit, » non liceat provocare: & quisquis probatus fuerit » per contumaciam nolle obtemperare judicibus, cum » hoc primæ Sedis Episcopo fuerit probatum, det lit» teras, ut nullus ei communicet Episcoporum, donec » obtemperet."

In primis hunc Canonem Africanum Gratianus in duas partes distinctas dissectum referens, sensum Canonis non tantum obscuriorem reddit, sed sensum à mente Patrum plane diversum lectori imprimit: quasi nimirum ex sententia Patrum Africanorum, semper esset communione privandus, qui *per contumaciam* judicibus obtemperare nollet; cum ex integro Canonis contextu manifestum sit hîc duntaxat agi de contumacia non obtemperantis judicibus *de consensu partium electis.*

Præterea sensum Canonis planè invertit Gratianus, dum in priori parte Canonis, omissa negatione, legit affirmativè, quasi in sententia Africanorum liceret à judicibus ex partium consensu electis provocare; cum manifestum sit, uti & monent Correctores Romani, per hunc Canonem expressis verbis statui, à judicibus *consensu partium electis*, non posse provocari.

De hac vetita à judicibus partium consensu electis provocatione legitur quoque *Canon* 96. in codice Africano, quem hîc *Canone* 39. retulit Gratianus, qui eum interpretatur, quasi duntaxat provocatio vetita esset, dum interponitur appellatio à bina sententia conformi, ita ut quodammodo tertia appellatio vetita censeretur; cum tamen ex ipso Canonis contextu, planum sit hîc simpliciter vetari appellationem; eo quòd ex consensu partium judex fuisset electus. Unde & Zonaras in hujus Canonis commentario rectè advertit, quòd hoc Canone idem statutum sit, quod legibus cautum est; quod ab arbitris nulla detur provocatio, prout legibus Romanis id fuit statutum.

QUÆSTIO VII.

SEptima quæstione pluribus agit Gratianus de his, qui ad accusationem Episcoporum & Clericorum sint admittendi, aut ab ea repellendi.

Hîc rursus adducit varia segmenta fictarum Decretalium, quæ præcipuè ad eximendos Episcopos ab omni criminali judicio adornatæ apparent.

An, & quando Laicis liceat accusare Clericos maximè Episcopos.

Et quidem prioribus tredecim Canonibus, (quorum duodecim ex falsis hisce Decretalibus descripti sunt, & unicus refertur Canon 7. sub nomine Concilii Moguntini, ubi tamen non extat, ut monet Correctio Romana) probare vult Laicis non licere accusare Clericos, ac signanter Episcopos, *nisi à recta fide exorbitaberint*; uti habetur Canone 13. dicturque *Canone* 5. ex Pseudo-Decretali Eusebii. » Laicos non » accusare Episcopos hactenus observatum, & cons» titutum est; quia ejusdem non sunt conversationis, » & oppido quidam eis infesti sunt." Idipsum reperitur *Canone* 14. sub nomine Anacleti, apud quem non haberi monet Correctio Romana.

Cæterum quæstionem hanc concludens Gratianus, credensque authentica, quæ ex Pseudo-Decretalibus Fabiani & Damasi relata sunt *Can.* 38. & 39. dicit in fine quæstionis: Monachos posse accusare Presbyteros; *cum Monachi ad sacerdotii gradum laudabiliter pertingere valeant.*

Interim ex his intelligimus, quomodo falsæ hæ Decretales occasionem dederint Gratiano, falsas & à pristina disciplina alienas conclusiones formandi.

QUÆSTIO VIII.

De forma accusationis Episcoporum ex falsis Decretalibus, & Jure civili.

DEnique octavâ & finali quæstione proponit formam accusationis Episcoporum ex falsis Decretalibus, & textu ex L. *fin. Cod. de Probat.* Sed ad calcem quæstionis ipse propriis verbis latiùs deducit, quæ in accusatione ex præscripto Juris Civilis sint observanda.

Cùm autem forma illa forensis septem aut octo, ut minus seculis in foro Ecclesiæ ignota fuerit, etiam vel illo titulo decreta, hâc quæstione primis Pontificibus adscripta, de suppositione convincuntur, dum in his similis forma perscripta legitur.

CAUSA TERTIA.

Proponitur causa, seu casus positio.

CAusa hæc, sive casus ita proponitur à Gratiano: » Quidam Episcopus propria à Sede dejectus est, » petit restitui: post restitutionem ducitur in causam, » inducias postulat, tandem ad ejus accusationem pro» cedit quidam non legitimè conjunctus, & duo infa» mes, & tres religiosi: accusatores testes de domo » sua producunt, & alios sibi inimicos extra suam » Provinciam; reus criminoso judici offertur ab uno » tantùm audiendus, & judicandus. Quidam de accu» satoribus, & testibus absentes per Epistolam illum » accusare, & in eum testificari contendunt: cùm » multa capitula ei objicerentur, in primo accusatores » deficiunt; demum accusatio in accusatorem vertitur."

QUÆSTIO I.

EX hac casus positione undecim quæstiones elicit Gratianus, quæ omnes pertinent ad ordinem judiciorum forensium; atque prima quæstione quærit: » An restitutio danda sit quibuslibet expoliatis."

Episcopus sua Sede spoliari non potest nisi servato juris ordine.

Id unum hac quæstione probare intendit, quòd Episcopi è Sede sua non sunt deturbandi, aut proventibus, vel juribus suis spoliandi, nisi legitimè in Synodo sint convicti, & damnati de crimine, quod similem dejectionem aut spoliationem mereatur; atque ita legitima auctoritate eam pœnam commeruisse, fuerit declaratum.

Aliter spoliatus ante omnia restitui debet.

Hinc tanquam indubitatum hâc quæstione asserit Gratianus, & concludit ad calem quæstionis Episcopum spoliatum prætextu alicujus criminis, si ante cognitam causam, & probatum crimen fuerit viâ facti, sive non servato juris ordine, de sua Sede dejectus, aut suis juribus vel legibus spoliatus, ante omnia sit restituendus, & in possessione pacifica permittendus, donec crimen, de quo accusatur, in judicio sit legitimè probatum: quod & juri naturali, & juri Romanorum planè conforme est; eoque tendit interdictum, *unde vi.*

Cur ad id probandum non adducantur antiqui Canones, aut Patres.

Quæ in hujus conclusionis & asserti probationem adducit Gratianus, vel ex falsis & suppositiis decretalibus, vel ex Jure Civili desumpta sunt: eo quod in pristinis Canonibus, & Patrum scriptis, de hoc ordine judiciario nihil, aut parum reperiatur; quandoquidem ante fictas decretales, forensis ille ordo judiciarius, hîc à Gratiano descriptus, in causis & judiciis ecclesiasticis nondum invaluisset, uti non semel notavimus.

Interim meritò reflectitur, hoc inviolabiter servatum fuisse tanquam Jure naturali notum, nullum Episcopum suâ possessione spoliandum prætextu criminis commissi, nisi legitimè de crimine convictum.

Hoc etiam circa decreta, & auctoritates, licèt pleraque apocrypha à Gratiano hîc adducta, notandum, quod & inter hæc nonnulla occurrant, quæ nec cum originali, prout à Pseudo-Isidoro confictum est per omnia consonant, *uti patet ex notis Correctorum Romanorum*; inter quas meritò observanda nota ad Canonem 2. ubi refertur fragmentum Epistolæ Fabiano Papæ suppositæ.

An Episcopi sine auctoritate Romani Pontificis possint deponi.

Hoc fragmentum apud Gratianum sic legitur: » Episcopi, si propriis Sedibus aut Ecclesiis sine auc» toritate Romani Pontificis expulsi fuerint, antequam » ad Synodum provocentur, &c.

Hîc monent Correctores Romani ad hæc verba *sine auctoritate Romani Pontificis*: » Sunt, inquiunt, » hæc verba: apud Anselmum, licèt non sint expres» sa in originali, cujus hîc sententia potiùs, quàm ip» samet verba referuntur."

Admodum verisimile est, hæc verba ab Anselmo, aut alio Canonum collectore, ex quo sumpsit Gratianus, addita fuisse; quia eo tempore jam invaluerat opinio, quod Episcopi, etiam in Synodis sine auctoritate Romani Pontificis deponi non possint.

De coercendis vexationibus, quæ bonis Sacerdotibus inferuntur.

Intermiscet hîc Gratianus nonnulla de obligatione Prælatorum coërcendi vexationes, & calumnias, quæ Sacerdotibus strenuè laborantibus inferuntur; inter qua notandum *Canone* 6. fragmentum ex Decretali sub nomine Fabiani Papæ: „Deus ergo, Fratres, ad » hoc præordinavit vos, & omnes, qui Sacerdotio » funguntur, ut injustitias removeatis, & præsumptio» nes abscindatis, & in Sacerdotio laborantibus suc» curratis, opprobris, & calamitatibus locum non præ» beatis; sed ei, qui calumniam, & oprobrium patitur ad-

» adjutorium feratis : illum verò, qui calumniam, » vel opprobrium facit, abscindatis, & Domino in » suis Sacerdotibus opem feratis.

A regula de non spoliando Episcopo nisi servato juris ordine immerito excipit Gratianus Romanum Episcopum.

Denique & hoc notandum, quòd Gratianus ab hac sua conclusione, nimirum quòd Episcopus ante probatum crimen, non possit à quoquam spoliari, seu à sua Sede dejici, nisi auctoritate judicis, coram quo crimen fuit probatum, excipiat Romanum Pontificem.

Cùm enim sub finem quæstionis sibi objecisset Canonem, *si quis, distinct.* 79. in quo dicitur : » quòd » si quis pecuniâ sit promotus, possit statim ejici, & » alius in ejus locum eligi : « respondet : » hoc in eo » tantum casu intelligi, quo Apostolica Sedes per » violentiam occupatur, quo casu Judex non inve- » nitur, cujus officio ille Apostaticus posset expelli: » in aliis autem locum non habet, cum violenta pos- » sessio, nisi per judicis sententiam, violento deten- » tori detrahi non possit. «

In primis, quod hic de Romano Pontifice asserit Gratianus, quasi citra legitimam auctoritatem, & extrajudicialiter posset ob commissam Simoniam, sed nondum in judicio probatam, à sua Sede expelli, in citato à Gratiano Canone nequaquam dicitur ; sed omninò de alio casu ibidem tractatur, uti latius exposui in *Reflex. ad dist.* 23. & *distinct.* 79.

Quod præterea dicit Gratianus, Romanum Episcopum posse citra sententiam ob prætensum crimen *Simoniæ* expelli citra auctoritatem judicis, *eo quod eo casu Judex non inveniatur, cujus officio ille Apostaticus posset expelli*, manifestè præfert opinionem, quæ tempore Gratiani, auctoritate præsertim falsarum Decretalium, invaluerat, Romanum Episcopum, quantumvis de gravissimis criminibus, & excessibus suspectum, aut accusatum, à nullo posse judicari, nisi à *fide devius* repertus, uti ipse Gratianus probare voluit *Dist.* 40. *Canone*, *Si Papa*, uti in annotationibus ad illum distinctionem & Canonem notavi.

QUÆSTIO II.

HAnc quæstionem secundam è casu proposito efformatam, his verbis proponit Gratianus : *De induciis post restitutionem præstandis : & quo spatio temporis concedendæ sint.*

Episcopis accusatis tempus sufficiens concedendum ad sui defensione.

Hâc rursus quæstione nonnisi fragmenta falsarum Decretalium adducit Gratianus, atque penè id unum probat, Episcopos ante probatum crimen depositione dignum, suis Ecclesiis, aut juribus spoliatos, ante omnia planè restituendos ; necnon nisi restitutos, debere de crimine respondere. Hoc insuper adjungitur, sic restitutis Episcopis *tempora induciarum esse concedenda*, sive tempus sufficiens ad suam defensionem, quod signanter exprimitur in pseudo-decretali relatâ *Canone* 8. sub nomine Felicis Papæ, in qua postquam dictum fuit, Episcopo spoliato omnia esse restituenda, & in pacifica possessione permittendus, subjungitur : » Præsul verò cum omni » honore statui pristino reddatur, & ipse disposi- » tis, ordinatisque liberè, ac securè diu suis rebus, » tunc regulariter *intra quatuor* vel *quinque*, vel *sex* » aut *septem Menses*, juxta quod possibilitas ei fuerit, » & non ante convocatus ad tempus in Concilio le- » gitimo, & canonico, veniat ad causam, & si ita » justè videtur accusantium propositionibus respon- » deat. «

Hîc quoad inducias, accusato, sive reo concedendas significatur has ita moderandas & concedendas, ut conformiter ad tempus defensioni necessarium prolixiores, aut breviores concedantur ; quod & modernæ penè disciplinæ, & praxi sat esse conforme, ostendi in *Jure Eccles. part.* 3. *tit.* 7. *cap.* 4.

QUÆSTIO III.

Prosequitur Gratianus eandem materiam de induciis dandis Episcopo.

HAc *quæstione tertiâ* eandem materiam *de induciis* ulterius prosequitur Gratianus ; atque ex falsis Decretalibus adstruit, Episcopo accusato esse concedendas inducias ; tempus autem induciarum pro circumstantiis esse determinandum, quod ex Jure civili prolixo discursu prosequitur ad calcem quæstionis ; atque conformiter ad ejus sententiam etiam hodiè, non solum in judiciis ecclesiasticis, sed & in secularibus factas esse arbitrarias, sive arbitrio judicum earum moderationem committi, in Jure ecclesiastico loco suprà citato ostendimus ; sæpiusque notavimus, formam judiciorum per Gratianum ex his Decretalibus suo decreto expressam, tandem per posteriorum Pontificum Decretales probatam, sensim etiam in forum seculare in multis articulis irrepsisse, & receptam esse.

QUÆSTIO IV.

Qui legitimi Accusatores esse possint?

HAc *quæstione quartâ* rursus ostendere vult Gratianus, qui generaliter ab accusatione Episcoporum repellendi sint, solis adductis falsis Decretalibus. Cùm verò in describendo ordine judiciorum, penè solis illis Decretalibus utatur, mirum non est, illum ordinem ad normam ibi expressam ab eo proponi.

Hodiè soli officiarii publici, puta Promotor in curiis ecclesiasticis, legitimi accusatores sunt, ubi de publica punitione agitur ; omnesque passim in testes admittuntur ; & quantum eorum depositioni sit deferendum, relinquitur arbitrio judicis visa adversæ partis reprobatione.

QUÆSTIO V.

Qui testes possint repudiari.

Quæstione quinta prosequens ordinem judiciorum, ac materiam de testibus, ait: » Quod verò tes- » tes de domo accusatorum producendi non » sint, & quod vox inimicorum non sit audienda. » multorum auctoritatibus probatur. «

Hâc rursus Gratianus plura fragmenta falsarum decretalium adducit ; neque ea, quæ hîc à Gratiano proponuntur, pristinam Ecclesiæ disciplinam sapiunt.

Præterea cum hodiè in judiciis ordinariis ad accusandum soli officiarii publici admittantur, his nequaquam applicari possunt quæ Gratianus hîc de accusatoribus repellendis ob inimicitiam adducit, sed solis judicibus, qui ob inimicitias recusari queunt.

Quoad depositiones testium, hæ per reum enervari possunt ; sed judicio judicis relinquitur, utrum per reum proposita fidem ejus enervent, sive an ejus depositioni nulla sit adhibenda fides.

QUÆSTIO VI.

Reus extra provinciam ad judicium evocari non potest

Quæstione sexta ostendens Gratianus *extra Provinciam reum nullatenus esse producendum* ; ubique penè hanc moderationem dictis decretalibus familiarem adjecit : *Salva in omnibus Apostolica auctoritate.*

Et Canoni 14. ipse hanc sententiam subjungit, » Reverentia autem, quæ Apostolicæ debetur Ec- » clesiæ, & ejus auctoritas intelligenda est, cum vel » ad ipsam appellatum fuerit, vel ab ea judices elec- » ti conceduntur. «

Assertum suum probat Canone 15. præcipuè auctoritate pseudo-Decretalis Anacleti, qua declaraturat, » quod unaquæque provincia, tam juxta Ec- » clesiæ, quâm juxta seculi leges, suos debet justos, » & non iniquos habere judices, & non extraneos, » *nisi*, ait, *Apostolicæ sedis hujus decreverit auc-* » *toritas.* «

Hoc constat, assertum harum pseudo-Decretalium, in quantum dicitur, unaquæque provincia, » tàm juxta Ecclesiæ, quàm juxta seculi leges suos » debet justos, & non iniquos habere judices, & » non extraeneos, « planè conforme esse pristinæ disciplinæ, quæ non patiebatur causam extra Provinciam judicari. Clausulam verò, *nisi Apostolicæ sedis hujus decreverit auctoritas*, pseudo-Isidori manu appositam esse, nequaquam obscurum est. Videri possunt quæ de hac re dixi in *Jure Eccles. part.* 3. *tit.* 5. *cap.* 3.

QUÆSTIO VII.

Qualis judex esse debeat pulchre docetur Can. 4.

HAc quæstione ostendere vult Gratianus, » quod » judex esse non possit, quem cum reo par, » aut major macula inficiat. «

Non obscurè confundit hic Gratianus Judicium forense cum Judicio interno, sive pœnitentiali ; adducitque plura ex Gregorio, aliisque Patribus, quæ unicè ad hoc Judicium, sive tribunal pœnitentiæ pertinent ; vel etiam monita sunt ad sacerdotes, ut prius in se corrigere satagant, quod in aliis corrigi volunt: vel ad Judices etiam seculares, quomodo non ex af-

affectu, sed secundum leges, & merita causæ judicare debeant: inter quæ meritò notandum monitum, quod hic adducitur sub nomine S. Ambrosii *Canone* 4. » Judicet ille de alterius errore, qui non » habet, quod in seipso condemnet. Judicet ille, » qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda; ne cum de alio judicat, in se ferat ipse » sententiam. Judicet ille, qui ad pronuntiandum » nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducatur. » Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: sed juxta leges & jura » pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum » domo defert; sed sicut audit, ita judicat; & sicut » se habet negotii natura, decernit: obsequitur legibus, non adversatur; examinat causæ merita, » non mutat. Discite, Judices seculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem: qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est. In judicando magis sit cordi veritatis custodia, quàm obedientia voluntatis. «

QUÆSTIO VIII.

Quot requirantur ad jundicandum Episcopum de crimine accusatum.

DIcit Gratianus hac Quæstione 8. Episcopum ab uno tantùm audiri, vel judicari non debere; adducit hanc in rem fragmentum falsæ decretalis Zephyrini Papæ, necnon Canonem Concilii Carthaginensis II. qui est Canon 12. in codice Africano.

Indubitatum est, Episcopum de crimine accusatum, vel infamatum, nunquam potuisse ab uno Episcopo judicari, ut hic rectè asserit Gratianus, & asseritur in pseudo-decretali Zephyrini Papæ; sed judicari debuisse in conventu Episcoporum, sive Synodo provinciali, conformiter ad Canones Nicænos, uti in eadem decretali non obscurè asseritur.

Ex falsis decretalibus docet Gratianus Episcopum deponi non posse sine auctoritate sedis Apostolicæ.

Verùm pseudo-Isidori apposita clausula: *Finis verò ejus causæ ad Sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur: nec antea finiatur, sicut ab (Apostolis vel successoribus eorum olim statutum est) quàm ejus auctoritate fulciatur*, Patrum disciplinam, quæ synodis provincialibus plenam auctoritatem judicandi Episcopos attribuebat, planè enervat, dum synodis finiendi causas Episcoporum auctoritatem, à Sedis Apostolicæ judicio dependentem reddit.

Ad hæc omninò insulsa sunt, quæ hîc parenthesi inclusa adduntur: *sicut ab Apostolis vel successoribus eorum olim statutum est*: nihil enim simile ab Apostolis statutum scitur, aut legitur; imò per septem & ampliùs secula plena auctoritas synodis judicandi Episcopos remansit.

QUÆSTIO IX.

Nemo condemnandus nisi præsentes habeat accusatores & testes locumque ad abluenda crimina.

Quæstione nona quærit Gratianus: » An accusatores vel testes in absentem vocem accusationis vel testificationis exhibere valeant. « Pro resolutione hujus quæstionis plures adducit auctoritates ex falsis decretalibus, quibus asseritur contra absentem non esse audiendos accussatores; neque quemquam absentem de crimine accusatum ob solam accusationem esse damnandum, sed dandam esse copiam & tempus se defendendi: atque in hanc rem in primis notandus Canon 4. sub nomine Cornelii Papæ; ubi dicitur: » Omnia, quæ adversus absentes in omni negotio, aut loco aguntur, aut judicantur omninò evacuentur, quoniam absentem » nullus addicit, nec ulla lex damnat. « Et in *Can.* 5. sub nomine Marcelli Papæ in verbis: » Non oportet » quemquam judicari vel damnari, priusquam legitimos habeat præsentes accussatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. « Idipsum asseritur *Canone* 6. sub nomine Damasi Papæ, qui & loquitur de omni Presbytero: additurque, non debere condemnari nisi habeat accusatores canonicè examinatos præsentes; insuperque locum se defendendi accipiat, id est, inducias ecclesiasticas, ad abluenda crimina.

Examen criminis in prima instantia debet institui in provincia.

Hac eadem quæstione & hoc intermiscet Gratianus, primam de crimine inquisitionem & examen instituti debere in Provincia, in qua crimen est admissum, profertque eam in rem plura fragmenta falsarum decretalium; ac inter cætera *Canone* 7. fragmenta ex pseudo decretali Damasi, in quo inter alia dicitur: » Nec *extra propriam fiat provinciam prima* » *discussionis accusatio*; quoniam & antiqua docet » hoc Patrum regula; in qua & imperialia pariter stauta concinunt. Criminum, inquiunt, discussio ibi » agitanda est, ubi crimen admissum est: & in Canonibus præcipitur, quæcumque negotia in suis locis, ubi oborta sunt, finienda sunt, & reliqua talia & his similia. «

Hæc in relatis falsis decretalibus expressa, omninò & pristinis Canonibus, & Imperialibus legibus sunt consona: at pseudo-Isidorus scopo suo confictas has decretales accomodare studens, in hoc ultimo fragmento de suo addidit hanc adversam Canonibus & legibus clausulam: *Sine Apostolica præceptione, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri*; quasi de præceptione sedis Apostolicæ extra provinciam prima discussionis accussatio fieri posset.

In probationem horum assertorum, nimirùm, nullum esse condemnandum, nisi præsentes habeat accusatores, & locum, ac tempus se defendendi; atque secundum statuta canonica & regalia, crimina esse examinanda & excutienda in provincia, plura adducit Gratianus, atque tandem concludit quæstionem prolato *Canone* 21. sub nomine Nicolai Papæ ex epistola ad Hincmarum Rhemensem, in quo scribitur: » Necesse est secundum sacrarum Scriptura- » rum documenta, ac secundum justitiæ tramitem, & » accusatum & accusatorem simul adesse, & unam » partem, quantacumque & qualicumque prædita sit » auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nul- » lum præjudicium irrogetur. «

Conclusio hæc profectò non tantùm sanctis Canonibus & legibus Imperialibus, sed & juri naturali conformis est. Utinam hodie etiam in foro ecclesiastico observaretur.

QUÆSTIO X.

Accusator deficiens in primo crimine ad ulteriora probanda admitti non debet.

Quæstione decima quærit Gratianus, » An deficientes in primo capitulo sint admittendi ad » sequentia? « id est, an accusantes Clericum de pluribus criminibus, seu capitulis, & deficientes in primo, sint ulteriùs audiendi in sequentibus, uti intelligitur ex iis, quæ Gratianus sub initium quæstionis exponit: patetque ex iis, quæ adducuntur, id unum à Gratiano intendi, quòd accusator in uno deficiens non debeat ad ulteriora probanda admitti, adducitque eam in rem *Canone* 1. decretum sub nomine Concilii VI. Carthaginensis, estque Canon 140. in codice Africano, quo decernitur: » Placuit ut quotiescunque Clericis ab accusatoribus multa crimina » objiciuntur, & unum ex his, de quo prius egerint, » probare non valuerint, ad cætera jam non admittantur. «

Ad hunc Canonem reflectens Aristenus ait: » Optima ratione & hic ad accusationem, aut ad testimonium non admittetur, utpotè qui calumniator videtur, & ideò etiam infamis est, eo quod multas » profert contra quemlibet accusationes, sed nihil » probat. «

Adducit & eam in rem *Canone* 3. fragmentum falsæ decretalis sub nomine Felicis Papæ, quo idipsum asseritur.

Quanta sit gravitas criminis falsi accusatoris.

Quod verò *Canone* 2. adfertur sub nomine Concilii Arelatensis, spectat gravitatem criminis falsò accusantis, in quo ita decernitur: » Eos, qui falsa » fratribus capitula objecisse convicti fuerint, placuit » usque ad exitum non communicare (sicut magna » synodus ante constituit) nisi digna satisfactione pœnituerint. «

Canon, ad quem tanquam ad Canonem magnæ synodi remittitur, videtur Canon 14. synodi Arelatensis I. in qua hoc decretum legitur; & quod notandum, sine exceptione in hoc Canone his verbis expressa: *nisi digna satisfactione pœnituerint*, ut proinde verisimile sit, synodum Arelatensem I. celebratam sub initium seculi IV. falsum accusatorem absolutè exclusisse à communione usque *ad exitum vitæ*.

QUÆSTIO XI.

An accusatus pendente accusatione possit suum accu-

Quæstione undecima quærit Gratianus: » An accusato liceat accusationem in accusatorem » vetere. «

Pro resolutione hujus quæstionis plura tum ex falsis decretalibus, tum ex jure civili profert, inter-

mis-

cusatorem re accusare.

miscens nonnu lla, quæ ad ordinem cognitionum pertinent, secundum normam forensem judicialem, quæ post inductas falsas decretales tandem circa seculum IX. & X. in forum ecclesiasticum irrepsit, ut non semel notavimus.

Cùm autem hodiè ad publicam accusationem criminum nemo admittatur præter publicos officiarios, etiam quæ hîc à Gratiano adducuntur penè omnia à foro recesserunt; & sufficienter probant decretales hîc à Gratiano adductas, non posse primis illis Pontificibus adscribi.

CAUSA QUARTA.

Casus in hac causa proposi-tus.

GRatianus pro hac causa proponit hunc casum: „ Quidam in excommunicatione constitutus Epiſcopum accusare disponit, adolescentem infra decimum quartum ætatis suæ annum ad assertionem „ suæ causæ adducit: prohibitus ab accusatione, adolescentem accusatorem, & se testem facit. Adolescens personam accusatoris & testis gerere cupit, „ die statuta ad judicium electorum judicum veniunt: „ Episcopus minimè occurrit: à communione suspenditur: tandem revocato judicio accusator culpabilis in accusatione invenitur: demum ad assertionem „ propriæ causæ procedit.“

QUÆSTIO I.

EX hoc casu elicit Gratianus sex quæstiones atque prima quærit: „An in excommunicatione constitutus alium accusare valeat?“

Qui ab accusatione repellantur.

Pro resolutione hujus quæstionis adfert Gratianus *Canone* 1. decretum sub nomine Concilii Carthaginensis VII. quod conflatum apparet ex duobus Canonibus Concilii Carthaginensis VI. celebrati præsente Faustino sedis Apostolicæ legato: referunturque in codice Africano Canone 128. & 129. de quibus consuli potest Tractatus Historico Canonicus, *Parte* 2. *cap.* 3. §. 11. ubi notavimus Gratianum hos duos Canones non tantùm in unum conflâsse; sed ex clausula finali posterioris Canonis conflâsse Canonem separatum, quem retulit hac *Causa*, *quæstione* 6. *Canone* 2. Cæterum quæ de repellendis ab accusatione tum excommunicatis, tum hæreticis, paganis, &c. vix hodie usum habent, eo quòd ad accusationem publicam, de qua sola hîc agitur, soli officiarii publici admittantur, ut jam sæpiùs monui.

Quapropter & quod *Canone* 2. ex epistola Nicolai I. adducitur conformiter ad Canonem Concilii Constantinopolitani I. de his, qui ab accusatione Episcoporum sunt repellendi, similiter usum nullum habent in judiciis ordinariis: nisi forsan, quod nec eorum testimoniis, aut denuntiationibus fides adeo facilè sit adhibenda.

QUÆSTIONES II. ET III.

De ætate requisita ad testandum.

Quæstione secunda ex casu proposito educta quærit Gratianus, „An infra decimum quartum „annum in criminali causa testari quis possit? „ *Et quæstione tertia*: An ab accusatione prohibitus, „ personam testificantis possit assumere?“

Has duas quæstiones in unum conflans Gratianus, utriusque resolutionem conjungit, ut ipse etiam monet in principio resolutionis.

Qui à testando repellantur.

Monet autem glossographus ad initium hujus causæ, quod supra Causa 3. Quæstione 8. dictum sit: „Quod quidam repelluntur ab accusatione propter „ crimen vel infamiam; nunc supponit Gratianus „ quartam causam, in qua quæritur, an propter excommunicationem repellatur, quis ab accusatione. „ Addit etiam, in qua ætate admittitur ad testimonium: qua occasione interserit legalem tractatum „ de testibus, & quærit, an idem possit esse accusator & testis, & de induciis expectatoriis.“

Tractatus ille *legalis* de testibus (cujus meminit glossa) ex variis legibus Digestorum, & Codicis digestus subjungitur Canoni 3. Quæstione 2. & 3. monent autem Correctores Romani, *In hoc capite, sive discursu legali varias leges Digestorum & Codicis ita refert Gratianus, ut interdum verò mutet, ac transponat; & in summam redigat.*

Qui porrò hodie à reddendo testimonio repellantur, & quomodo testes sint producendi, latiùs exposui in *Jure Eccles. part.* 3. *tit.* 7. *cap.* 6.

QUÆSTIO IV.

Nemo potest esse accusator & testis.

Quæstione quarta quærit Gratianus: „An idem „ possit esse accusator, & testis?“ Hic sine hæsitatione resolvit: „Nullum posse simul sus„ tinere personam accusatoris & testis:“ idque adductis nonnullis fragmentis falsarum decretalium sub nomine Fabiani & Damasi.

QUÆSTIO V.

An Episcopus non comparens ut se purget à communione sit removendus.

QUærit *quæstione quinta*: „An die constituta non „ occurrens Episcopus, ut se de objecto crimine expurget à communione sit removendus?“ Adducitur autem unicus Canon Carthaginensis non nihil truncatus, in quo non agitur de judicibus *electis* ex compromisso, uti innuit Canonis lectio apud Gratianum, sed de judicibus ordinariis, sive de Metropolitano cum suis Episcopis comprovincialibus.

Insuper deciditur, quod ob solam institutam accusationem Episcopus non debeat à communione suspendi: sola enim accusatio nullum reum facit, vel de crimine suspectum.

QUÆSTIO VI.

DEnique *quæstione sexta* quærit Gratianus, an is qui ab accusatione Episcopi in causa criminali repellitur, possit saltem propriam causa adversus Episcopum prosequi, citatis Canonibus Carthaginensibus, in quibus clarè deciditur, quòd accusator etiam in causa criminis deficiens, nihilominus possit contra Episcopum propriam & privatam causam prosequi.

CAUSA QUINTA.

HActenus Gratianus egit de his, qui manifestè accusant: „Nunc supponit, *inquit glossa*, cau„ sam quintam, in qua tractatur de his, qui *occultè* „ accusant, scilicet per *libellum famosum*, quem clan„ culo scribunt in alicujus infamiam.“

Casus in hac causa proposi-tus.

Hunc in finem proponit hunc casum, seu causam, „ in infamiam cujusdam Episcopi cartula accusationis „ occultæ conscribitur. Tandem accusator procedit in „ publicum: Episcopus autem semel litteris evocatus „ causæ suæ die statuta adesse non valens per procu„ ratorem judici se præsentavit: absque synodali au„ dientia damnatur. Demum judicio per appellationem „ renovato, de accusatoris inimicitia Episcopus con„ queritur: tandem in ipsa probatione deficit accusa„ tor.“

QUÆSTIO I.

Quibus pœnis puniendi auctores libellorum famosorum.

EX hoc casu elicit Gratianus sex quæstiones; atque hac prima quæstione quærit, „qua pœna sit fe„ riendus, qui famosum libellum clanculo scribens, „ probare negligit quæ litteris mandavit.“

Profert imprimis Canone I. ex capitulis Hadriani: „Qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba „ contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non „ probaverit, flagelletur; & qui ea priùs invenerit, „ rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.“

Notandum monet hîc glossographus verbo, *flagelletur*, *pœnas corporales infligat secundum Canones*: At notat Antonius Augustin. in notis ad capitula Hadriani, quod licèt Gratianus hoc recitet sub nomine Hadriani, tamen sumptum ex Pontificio jure non videri. De his pœnis Ecclesiasticis videri possunt notata in *Jure Eccles. part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 1.

Addit fragmentum *epist.* 30. *lib.* 5. S. Gregorii, cui nonnulla ex ipsa Epistola addiderunt Correctores Romani; meritoque integra legitur, in qua fortiter arguit Gregorius eum, qui contra Castorium *notarium*, & *responsalem suum nocturno silentio in publico civitatis loco contestationem posuit in ejus crimine loquentem.* Hic igitur, nisi ostendat vera esse quæ scripsit, vel publicæ errorem suum confessus sit, & *qui consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei & Domini nostri Jesu Christi spiritu defluit, ut sancti ejus corporis, & sanguinis participatione privatus sit*: si autem, quia latet, huic se disciplinæ non subjiciat, *tunc anathematis ultione percussus sit, & ut fallax ac pestifer à sanctæ Ecclesiæ corpore sit divisus.*

Addit & in fine hujus quæstionis Gratianus textum

legis unicæ, *C. de famosis libellis.* Ubi passim commentatores notant, pœnas contra, aut auctores, aut divulgatores similium libellorum decretas esse, idque varias pro varietate, & diversitate criminum, quæ imputantur, & personarum, quæ infamantur.

QUÆSTIO II.

De trina citatione Canonica requisita ante condemnationem.

QUærit *Quæstione secunda* » Quoties sit vocan-» dus ad causam antequam sententiam damna-» tionis accipiat?« Et ex relatis auctoritatibus concludit: » Manifestatissimè intelligi, quòd nisi quis » canonicè vocatus fuerit, etiamsi aliqua occasione ad » synodum venerit, suis nullatenus cogatur respon-» dere insidiatoribus. Canonica autem vocatio est, in-» quit, quando, *servato dierum interstitio, secun-» dum* auctoritatem B. Sylvestri, causæ suæ litteris » adesse jubetur, quibus quid ei objiciatur, aucto-» ritate Felicis Papæ significari oportet.«

Quamvis hîc allegata sub nomine Sylvestri *Canone* 1. & Felicis II. *Canone* 4. uti & cætera *Can.* 1. & 3. exigui vel nullius sint ponderis, utpotè è falsis decretalibus excerpta, nihilominus vera ac probata & recepta est hac Gratiani conclusio, & quidem in jure fundata, eatenus saltem, ut scilicet, nemo nisi legitimè citatus & auditus, & quidem trina citatione præmissa, libelloque gravaminum communicato condemnari queat.

QUÆSTIO III

An & quando quis per Procuratorem causam agere valeat.

INquirit *Quæstione tertia*: » Utrum per procurato-» res causam suam agere valeat, qui per seipsum » causæ adesse non potest:« Resolvit autem Gratianus, quòd Episcopus possit legatum suum ad Synodum mittere, ut causam legitimam absentiæ proponat, sed quod causam *Criminalem nulli nisi per se agere liceat.*

Tametsi rursus parùm authentica sint, in quibus resolutionem suam Gratianus fundat, nihilominus ea opinio recepta & probata est.

QUÆSTIO IV.

Episcopus absque synodali auctoritate damnari non debet.

QUæstione *quarta* quærit Gratianus: » An Epis-» copus, absque synodali audientia sit damnan-» dus?« Resolutio ejus est, quod Episcopus absque synodali audientia damnari non debeat.

Indubitata, & pristinæ disciplinæ conformis, atque in ipsis Canonibus fundata est hac sententia Gratiani, scilicet quòd Episcopus accusari, & damnari, non possit nisi synodo Episcoporum: idque & probant quæ hîc *Canone* 1. & 2. sub nomine Julii I. & Zephyrini proferuntur: sed quæ hisce decretis adduntur manifestam produnt Isidori manum adulatricem.

Requirit præterea Gratianus ex falsis decretalibus, ut sedis Apostolicæ auctoritas interveniat.

Et quidem *Can.* 1. sub nomine Julii Papæ dicitur, quòd nullus Episcopus nisi in legitima synodo super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, vel judicetur vel damnetur: sed addita hæc clausula, *suo tempore Apostolica auctoritate convocata*, palam prodit Pseudo-Isidori adulatricem manum; quasi nulla esset synodus legitima, in qua Episcopus accusari & judicari posset, *nisi tempore auctoritate Apostolica convocata.*

In altero decreto sub nomine Zephyrini Papæ similiter asseritur, quod coram Episcopis *simul congregatis*, & electis causa Episcopi possit examinari, & instrui; sed & hîc additur finalis clausula: *finis verò ejus causæ ad sedem Apostolicam deferatur, ut ibidem terminetur; nec antea finiatur, quàm ejus auctoritate fulciatur*, quæ non minus manifeste manum fictitiam Isidori præfert.

Quin, & ut hæc auctoritas sedi Apostolicæ firmiùs adstruatur, additur in Decreto Gratiani, prout hodie legitur: *Sicut ab Apostolis vel successoribus olim statutum est.* Quæ nec in editione Antonii Contii leguntur.

Licèt compertum sit, hæc ab ætate dictorum Pontificum esse remota; ex his tamen, aliisque similibus decretalibus concludit Gratianus: » Quòd verò » absque Synodali audientia Episcopus damnari pro-» hibetur, sine præjudicio Romanæ sedis oportet in-» telligit, quæ sua, ait, auctoritate quosque valet dam-» nare, vel damnatos absolvere.«

Hæc & similia indubiè sunt ex his quæ moverunt Romanos Pontifices, eorumque Curiales, ut & collectionem Pseudo-Isidori, necnon Decretum Gratiani tantopere sustinuerint, uti in dissertatione proœmiali notatum est.

QUÆSTIO V.

An & quando licitum sit aliorum crimen revelare.

EXplicat Gratianus *Quæstione quinta* aliquando pium esse, aliquando calumniosum, aliorum crimina revelare: » Aliud est, ait ad calcem Cano-» nis 5. ex charitate aliorum crimina deferre, ut quos » secreta admonitione corrigere non possumus, con-» victos judicis sententia corripiat: atque aliud insi-» diando falsa objicere, vel insultando vera facilè ex-» probrare; illud verò charitatis, hoc autem impieta-» tis est officium.« Notandum, quòd non dicit simpliciter Gratianus impietatis esse officium vera aliorum crimina revelare; sed vera *insultando* & *facilè* revelare: licet enim, quin & utile est aliquando, & necessarium occulta aliorum crimina revelare, dum silentium futurum est causa majoris mali, & revelatio causa majoris boni.

Hanc in rem admodum notandus textus S. Augustini relati *Canone* 1. » Non vos judicetis malevolos, » quando crimen alterius indicatis; magis quippè no-» centes estis non indicando crimen, quàm si fratres » vestros, quos indicando corrigere potestis, tacen-» do perire permittitis: si enim frater tuus vulnus ha-» beat in corpore, quod vult occultari, dum timet » secari; nonne crudeliter à te siletur, ac misericor-» diter indicatur? Quanto ergo potiùs debes mani-» festare crimen, ne deteriùs putrescat in corde.«

Idipsum adstruitur *Can.* 2. ex eodem doctore, & *Can.* 3. ex S. Ambrosio. Deinde profert *Can.* 4. aliqua ex falsa decretali Eusebii Papæ quæ prædictis videntur contraria: conciliandi tamem rationem subjicit *Can.* 5. quæ verba suprà retuli.

QUÆSTIO VI.

Quæ pœna calumniatoribus infligenda.

DEnique *Quæstione sexta* agit de pœna calumniatori infligenda.

Hanc in rem quædam refert sub nomine Gregorii Papæ, monentque Correctores Romani ad calcem Canon 2. » Hîc Gratianus partem sequentis ca-» pituli, quasi quandam per se sententiam, quòd » non rarò solet, proponit.«

Dein *Can.* 3. recitat verba tanquam ejusdem Pontificis in regesto; quibus dicitur, quod *juxta canonicas Patrum sententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debeat incurrere, quam si probasset, reus utique sustineret.*

Monent rursus hîc Correctores Romani: » In re-» gesto B. Gregorii hæc non sunt inventa, sed haben-» tur omnia in vita ipsius à Joanne Diacono scripta.

De pœnis Presbyterorum & aliorum Clericorum calumniantium ex Novellis Justiniani discurrit ad calcem Canonis 3. sed admonent Correctores Romani, quod Gratianus » non omnia ipsa verba, aut » veteris interpretationis, aut Juliani, aut Irnerii re-» tulerit; quare operæ pretium fuerit, Novellam ip-» sam Græcam, & vulgatas interpretationes consu-» lere: extant aliquæ varietates non contemnendæ.«

Extat *Can.* 6. decretum tanquam ex Concilio Eliberatino, quo placuit: *Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, non nisi in fine accipere communionem.* Ita quoque legitur apud Burchardum, & Ivonem locis ad marginem notatis. At in Concilio Eliberalitano Can. 73. & *lib.* 6. *Capitular. cap.* 244. Item *lib.* 7. *cap.* 360. & additione quarta *cap.* 34. ubi inter textus Canonis Eliberalitani refertur, legitur: *eum nec in fine accipere communionem*: hancque lectionem magis probat Ferdinandus Mendoza in notis ad hunc Canonem Eliberitanum, quod sæpissimè, ait, eadem pœna pro similibus delictis in hoc Concilio sancitur, quod & hîc notant Correctores Romani.

CAUSA SEXTA.

Ratio connexionis hujus causæ cum præcedenti.

SUprà in secunda & quarta causa, multis capitibus docuit Gratianus, quod criminosi & infames repelluntur ab accusatione, & testimonio: » Sed » quia, ait glossa, quædam sunt crimina excepta, » in quibus criminosi & infames admittuntur: ideò » an-

» annectit hanc causam, ut ostendat, quod in cri-
» mine excepto, criminosi & infames admituntur. Os-
» tendit etiam, quod simplici assertioni Episcopi non
» creditur cùm vult alium accusare, & quòd Epis-
» copus accusatus ad alium Archiepiscopum ire non
» debet. «

Quæ crimina excepta pro quibus admittuntur quivis testes.

Crimina autem excepta secundum Gratianum sunt, uti notat glossa: „ Crimen læsæ majestatis, crimen » perduellionis, quod est species criminis læsæ ma- » jestatis, crimen hæreseos, crimen simoniæ, cri- » men sacrilegii, crimen fraudati census vel an- » nonæ. «

QUÆSTIO I.

VErùm Gratianus vix materiæ sibi propositæ inhærens, *Quæstione prima* unicè penè rursus laborat ostendere, ad Episcoporum & Presbyterorum accusationem, nec infames, quin, nec subditos facilè admittendos, idque auctoritate falsarum decretalium, è quibus omnes ferè Canones decerpti sunt: nec nisi Canones 22. & 23. crimina excepta spectant: his enim proferuntur leges Codicis, quibus ad probandum *crimen læsæ majestatis* quivis testes admittuntur; atque hinc arguit Gratianus similiter in crimine *hæresis*, quovis testes admitti.

Augustini moderatio in dijudicanda criminum gravitate.

Notanda moderatio S. Augustini in dijudicanda criminum inter se gravitate ex verbis ejus *lib.* 4. *cap.* 20. *de Baptismo contra Donatistas*: quæ refert Gratianus *Canone* 21. » Utrum catholicus pessimis moribus ali- » cui hæretico, in cujus vita, præter id quod hære- » ticus est, non inveniunt homines, quod reprehen- » dant, præponere debeamus, non audeo præcipitare » sententiam. «

QUÆSTIO II.

An Episcopi simplici assertioni credi debeat.

QUærit Gratianus *Quæstione secunda*: » An Epis- » copi simplici assertioni credi debeat? Propo- » sitæ quæstioni subjungit: Facilè solvitur, si » Sanctorum Patrum auctoritas diligenter inspiciantur. » Ut enim Sancti Patres definiunt, nullius personæ » quantumlibet exercitatæ confessioni fides est adhiben- » da, nisi competentes probationes adhibeat. «

Hîc notandus Canon Concilii Vasensis relatus *Canone* 1. in quo tamen Gratianus ab originali nonnihil deflexit, uti & notant Correctores Romani: meritoque legendus prout extat apud Labbæum *tom.* 3. *Concil General col.* 1458.

Adducit *Canone* 3. binos Canones in unum conflatos ex Concilio Africano, qui in codice Ecclesiæ constituunt Canones 132. & 133. Horum Canonum unicus scopus est ostendere, Episcopum non posse Clericum à sua communione *publicè* segregare, si illum legitimè de crimine eam segregationem merente convincere non possit: licèt asserat Clericum *sibi soli* crimen illud fuisse confessum, vel sibi soli notum esse.

QUÆSTIO III.

Extra provinciam appellare non licet.

QUæstione tertia dicit Gratianus, quod judicium Archiepiscopi alterius Provinciæ expetere non liceat: hoc licèt verum sit, & sacris Canonibus, præsertim Nicænis conforme; quæ tamen Gratianus hîc adducit parum authentica sunt: ac signanter quod *Canone* 2. refert ex epistola Pelagii II. Hæc enim epistola non reperitur, uti notavit Joannes Launoy Theologus Parisiensis in *assertione disquisit. in cartam immunitat. B. Germani Part.* 2. *cap.* 10. & 11. ubi & probat, ætate Pelagii II. nondum usu receptum fuisse, ut Episcopi Metropolitano subjecti, dicerentur suffraganei.

QUÆSTIO. IV.

Dum in judicando Episcopo judices non concordant advocandi è vicina provincia alii Episcopi.

QUæstione quarta Quærit, quomodo judicandus sit Episcopus, si electi judices inter se non concordent?

Dicit Gratianus, hanc questionem decidi in Concilio Antiocheno Canone 14. quo statuitur, ut simili casu advocentur *viciniæ Provinciæ Metropolitanus Episcopus, & aliquanti cum eo Episcopi alii, qui pariter residentes, quæcunque fuerint, dirimant quæstiones.* Refertur hîc Canon à Gratiano *Canone* 1. sed à Græco, seu originali, multùm difformis. Refert & eundem *Canone* 3. ex versione Martini Bracarensis, eum per errorem tribuens *Concilio Martini Papæ.* Neque in Græco textu hujus Canonis, neque in versione Dionysii ulla fit mentio *Metropolitani* è vicina Provincia evocandi, quod & observarunt Correctores Romani, neque enim verisimile est in eadem synodo Provinciali duos intervenisse Metropolitanos; sed duntaxat aliquos ex vicina Provincia evocatos fuisse Episcopos, qui causam unà cum Episcopis Provincialibus deciderent: unde Martinus Bracarensis à sensu hujus Canonis multùm aberravit, dum in sua versione solius Metropolitani è Provincia vicina meminit evocandi; quem errorem non advertens Gratianus, huic Canoni, quem refert ex hac versione *Canone* 2. præfixit hanc epigraphem: *Quando judices electi de sententia inter se discordes extiterint, de vicina Provincia Archiepiscopus advocetur.*

Exceptio Gratiani non convenit ætati Concilii Antiocheni.

Subjungit autem Gratianus hanc exceptionem: „Ni- » si eadem Provincia primatem habuerit ad quem ne- » gotia, quæ per Metropolitanum terminari non va- » lent, referenda sint. « Adducit *Canone* 3. In hujus probationem verba Bonifacii Papæ Episcopis Galliæ; sed inter Epistolas ejus non reperta: unde & *tom.* 4. *Concil. General. col.* 1287. rejicitur hoc decretum inter ea, quæ auctoritate Gratiani huic Pontifici attribuuntur. Et sanè hæc exceptio, quam subjungit Gratianus, nullatenus congruit ætati Concilii Antiocheni, quia ea ætate necdum ita passim noti erant Primates cum jurisdictione supra Metropolitanos.

Dum judices concordant eorum sententia debet esse immobilis.

Hactenus dixit Gratianus quid juris sit, si in condemnatione Episcopi judices fuerint discordes: » Sed » si omnium comprovincialium concordi sententia fue- » rit damnatus, manebit erga eum, ait, immobilis sen- » tentia. « Id planè conforme Canoni 15. Antiocheno, quem refert *Canone* 5. Gratianus. At eidem hanc moderationem appendendam censuit: » subintelligen- » dum est nisi ad judicem majoris auctoritatis fuerit » provocatum: tunc enim per appellationem soluta » sententia firmitatem non obtinet. «

Exceptio Gratiani à pristina disciplina dissona.

Gratianus disciplinam sui temporis non distinguens à disciplina pristina, Canoni Antiocheno exceptionem à mente Concilii omninò dissonam affingit. Nequaquam enim obscurum est, Gratianum in relata clausula loqui non de provocatione ad majorem synodum, sed de appellatione ad Romanum Pontificem, cujus ne vestigium quidem in Canone Antiocheno apparet. Vide tractatum Historico Canonicum *Part.* 2. *c.* §. 11. *ad Can.* 15. *Antiochenum.* Consuli poterit idem tractatus *Parte* 3. *cap.* 3. §. 5. *ad Canonem* 5. *Sardicensem*; ubi ostensum est eo Canone appellationem ad Romanum Pontificem à judicio synodi non probari, uti supponere videtur Gratianus, hunc Canonem hîc recitans Canone 7.

QUÆSTIO V.

An & quando reus sit cogendus ad probationem.

PRobat *Quæstione quinta*, quod deficiente accusatore non sit reus cogendus ad probationem auctoritate Gregorii *lib.* 5. *epist.* 25. & legis 23. *Cod. de probat.* ubi dicitur, quod auctor non probans, *reum necessitate monstrandi contrarium non adstringat, cùm per rerum naturam factum negantis probatio nulla sit.*

Monet autem Gratianus » hoc servandum esse, » quando reum publica fama non vexat: tunc enim » auctoritate ejusdem Gregorii (*causa* 2. *q.* 5. *Can.* 8. » & 9.) propter scandalum removendum famam suam reum purgare oportet « Hac ratione inducta est purgatio Canonica, de qua purgatione fusius actum ad citatam *causam* 2.

CAUSA SEPTIMA.

De Renuntiatione Episcopatus.

INitio Causæ septimæ ait Glossa: » suprà *causa* 6. » *q.* 3. *Canone*, *Denique*, facta fuit mentio de » renuntiatione Episcopatus: Unde Gratianus nactus » occasionem subjicit causam istam, in qua tractat *de* » *renuntiatione*, & an Prælato vivente alius sit ei subs- » tituendus, & de mutatione sedis & quibusdam » aliis. «

Casus in hac causa propositus.

» Hunc in finem proponit hunc casum: Quidam » Episcopus longa ægritudine gravatus, alium sibi » substitui rogavit, cujus precibus summus Pontifex » annuit, & quod rogaverat ei concessit. Postea verò » convaluit idem Episcopus, & quod priùs fecerat, » cupit rescindi adversus eum, qui sibi successerat, » quæstionem movet, suamque cathedram tanquam » si-

» sibi debitam reposcit. « Ex hoc casu elicit Gratianus duas quæstiones.

QUÆSTIO I.

ET quidem *Quæstione prima* quæritur: Utrum » vivente Episcopo, alius possit in eadem Ecclesia » ordinari?"

Multis probat Gratianus in locum viventis Episcopi alium ordinandum non esse. Matrimonium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam.

Hanc quæstionem dividit Gratianus in novem partes, quarum *prima* probat, in locum viventis Episcopi, tametsi morbo, aut senio confecti, alium non esse ordinandum, adductis variis S. Gregorii auctoritatibus, quibus plura addit ex S. Cypriano, quibus probatur nec Episcopum Ecclesiæ suæ cedere, nec populum à suo Episcopo facilè recedere posse, adducto etiam Canone 2. fragmenti falsæ decretalis Evaristi Papæ, quæ tota versatur, ut vinculum insolubile inter Episcopum & Ecclesiam suam ostendat: » & si» cut, inquit, uxori, non licet dimittere virum suum, » ut alteri se, vivente eo, matrimonio societ, aut » eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed juxta » Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut » manere innupta; ita Ecclesiæ non licet dimittere » Episcopum suum, aut ab eo se segregare ut alterum, » vivente eo, accipiat; sed aut ipsum habeat, aut » innupta maneat: id est, alterum Episcopum, suo » vivente non accipiat, ne fornicationis, aut adulte» rii crimen incurrat. «

Admodum verisimile est ex hac falsa decretali invaluisse opinionem de matrimonio spirituali inter Episcopum, & suam Ecclesiam, ejus inde resultante vinculo, quod fortius esse vinculo carnali dixit Innoc. III. *in cap.* 2. ✠ *de translat. Episcopi.*

Potest tamen alius substitui, si Episcopus infirmitate gravatus id petat.

Porrò quod dictum est, Episcopo morbo aut senio confecto aliud subordinari ipsi viventi non posse, monet Gratianus ad calcem Canonis 11. intelligendum: » Quando ille, qui ægrotat alium sibi, » substitui non rogat: cæterum quando aliquis vel » senectute vel infirmitate gravatus susceptum offi» cium administrare non valeat, si alium sibi substi» tui petierit, rationabiliter fieri potest. «

Divina officia peragenti adjutor debet assistere.

Quia Gratianus egerat de Episcopis infirmitate gravatis, intermiscet hîc bina decreta Canone 15. & 16. prius è Concilio Toletano XI. & alterum ex Concilio Toletano VII. quibus injungitur, ut solemnia divina officia peragenti semper aliquis assistat, » Ut si perniciosa passio, vel corporis quælibet inva» letudo occurat, quæ aut corpus subitò subrui fa» ciat, aut mentem alienatione vel terrore confun» dat.... habeat quisquis illic canens Deo, atque sa» crificans post se vicini solaminis adjutorem, uti di» citur Canone 15. & Canone 16. censuit Concilium Toletanum VII. convenire. » Ut cum à sacerdoti» bus Missarum tempore sancta mysteria consecran» tur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo » cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, » sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri conse» crationem exequi officii cœpti.... cum enim simus » omnes unum in Christo, nihil contrarium format » diversitas personarum, ubi efficaciam prosperitatis, » unitas fidei repræsentat. «

Parte III. quæstionis resolvit Gratianus Episcopo senectute gravato non successorem, sed coadjutorem esse dandum.

An & quâ moderatione Episcopo senectute gravato coadjutor dandus sit.

Hanc in rem meritò notanda quæ *Can.* 17. sub nomine Zachariæ Papæ ad Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum refert Gratianus, è quibus intelligitur quanta moderatione dandus sit coadjutor, qui reipsa Episcopum infirmitate, aut senectute gravatum in onere Episcopali assistere, & sublevare queat, ex quibus & intelligetur quàm procul à pristinis illis coadjutoriis differant, quæ hodie conceduntur coadjutoriæ cum futura successione.

Translationes ab una Ecclesia ad aliam Canonibus inter dictæ.

Quod autem dixit Episcopum Ecclesiam suam dimittere non posse, exponens *parte* 4. dicit: » Id » intelligendum, nisi inevitabilis necessitas id exigat: » ambitionis enim causa quicumque Ecclesiæ suæ me» diocritate despecta ad majorem Ecclesiam transire » voluerit, debet revocari ad propriam; quod si » redire contempserit, careat aliena & propria. « Citat hanc in rem Gratianus plures Canones eam mutationem severè interdicentes, de quibus videri potest Tractatus Historico Canonicus in reflexionibus ad dictos Canones.

Exceptio Gratiani

Deinde *parte* 5. ad calcem Can. 33. moderationem aliquam hujus absolutæ inhibitionis subjungit, scilicet, mutationes seu translationes illas *communi consilio, atque aliorum utilitate fieri posse.*

in pristinis Canonibus non occurit.

Verùm hæc moderatio in pristinis Canonibus nullibi occurrit, sed absolutè & sine restrictione translationes illæ prohibentur; unde & non nisi apochrypha, & recentiori manu conficta monumenta hîc adducit Gratianus: atque in primis *Canone* 34. fragmentum falsæ decretalis Anteri Papæ, in quo dicitur: *Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate, aut dominatione.*

Notant Correctores Romani, huic falsæ decretali addita esse hæc: *auctoritate hujus sanctæ sedis*: item & hæc: *non tamen sine sacrosanctæ sedis Romanæ auctoritate & licentia.* Hîc habemus exemplum, ubi nonnulla in amplificationem sedis Apostolicæ in fragmentis, uti referuntur in Decreto Gratiani, occurrunt, quæ in falsis decretalibus, prout apud Isidorum leguntur, non reperiuntur.

Adducit dein *Can.* 35. & 36. bina fragmenta epistolæ S. Pelagii II. Benigno Archiepiscopo, quæ integra extat *tom.* 5. *Concil. General. colum.* 931. cui ibidem hanc notam marginalem apponit Labbæus: *Quin hæc sit ex suppositititis Isidori mercibus nemo unquam dubitabit, si legendis veterum monumentis exercitatus.*

Suspecta fidei est.

Majoris ponderis plerisque apparebit, quod *Canone* 37. refert, decretum Concilii Carthaginensis IV. quo decernitur, » Episcopus de loco ignobili » ad nobilem per ambitionem non transeat, nec » quisquam inferioris ordinis Clericus. Sanè si utilitas » Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro eo Cleri» corum, & Laicorum Episcopis porrecto in præsen» tia Synodi transferatur, nihilominus alio in locum » ejus Episcopo subrogato. «

Canon permittens quandoque fieri ejusmodi translationes.

At inter plura argumenta, quæ hanc vulgatam Synodum Carthaginensem IV. viris eruditis suspectam reddunt, non minimum est, quod ex hoc Canone eruitur; putant enim translationes Episcoporum hîc benigniore manu tractari, quàm disciplina Ecclesiæ Africanæ præsertim seculo IV. patiebatur.

Quàm enim odiosæ fuerint eo tempore hæ translationes, docet *Can.* 38. Concilii Carthaginensis Anno 397. qui in Codice Africano constituit Can. 48. quo translationes simpliciter & sine ulla exceptione reprobantur; ipsisque rebaptizationibus & reordinationibus comparantur. Docet & id causa Cresconii, adversum quem, quòd relicta Villaregensi Ecclesia Tuberiensem occupâsset, sine ulla remissione aut indulgentia processum est.

Hoc autem Canone rigor ille ita temperatur, ut dum ambitionem Episcoporum notare, & coercere velle videtur, eidem viam latam sternat: licitas enim translationes esse innuit, si modò à nobiliori ad minus nobilem, si citra ambitionem, si cum utilitate Ecclesiæ fiant. Ecquis porrò ambitiosum se fateatur? Quis utilitatem Ecclesiæ cupiditati suæ non obtendat?

Et sanè quis non videat, sub obtentu hujus exceptionis sive moderationis translationes has labentibus seculis ita invaluisse, ut multis Episcopis videatur persuasum, se Ecclesiæ suæ duntaxat alligatos esse, quousque ad aliam ditiorem, & commodiorem transeundi occasio deest.

Cæterum circa veritatem hujus Concilii IV. consuli poterit Tillemontius *tom.* 13. *Memorialium Eccl. art.* 123. & *nota* 29. qui ibidem magis inclinatur, ut hanc Synodum ut genuinam agnoscat; creditque argumenta in contrarium non probare sufficienter, eam ut suppositiam esse rejiciendam.

Nullius ponderis esse, quod recitatur *Can.* 39. ex decretali Calixti Papæ fatentur eruditi, qui eam mercibus Isidorianis adscribendam non dubitat.

Quod de Episcopis dixit Gratianus, non posse alium in locum viventis ordinari, & id de quibuslibet Ecclesiæ Ministris intelligi resolvit *sexta parte* quæstionis.

An, & quando ad aliam Ecclesiam translatus ad priorem redire possit.

Post hæc *part.* 7. concludit, quòd dum Episcopo ad aliam Ecclesiam translato alius substituitur, » tunc » secundum rei veritatem non vivente Episcopo talis » probetur succedere: translatus enim, ait, ab una » civitate ad aliam, desinit esse Episcopus illius civi» tatis, à qua transfertur: atque ideò, qui huic suc» cedit, non vivente, sed defuncto quodammodo Epis» copo, probatur substitui: sed inter eum, qui hos» tilitatis necessitate, & eum, qui utilitatis causa » trasfertur, hoc interest, quòd ille, qui metu hos» tili-

» tilitatis ad aliam transit, si priorem contigerit ali- » quando ab hostibus liberam fieri, ad eandem illum » redire oportet. «

Posterius sui asserti membrum probat *Canone* 42. auctoritate S. Gregorii ex *Epist.* 25. *Lib.* 2. *indict.* 10.

Deinde allegat Gratianus alium casum, quo viventi Episcopo alius substitui potest: » Cùm enim ali- » quis relicta priore cathedra, sua auctoritate ad aliam » transierit, si alius ei substitutus fuerit, licèt ille » prioris Ecclesiæ Episcopus esse non desierit, substi- » tutus tamen Episcopatum habebit. «

Citat in hujus probationem fragmentum Epistolæ *Damasi urbis Romæ Episcopi ad Paulinum Antiochenum.* Unica extat Damasi Papæ I. ad dictum Paulinum Epistola; sed nec in hac, aut alia Damaso adscripta verba hîc à Gratiano relata occurrunt: extant autem post Epistolam sub nomine Damasi ad Prosperum Primatem Numidiæ.

Metu hostilitatis Episcopales Sedes mutari possunt.

Addit post hæc Gratianus: » Episcopalium etiam » Sedium mutationes, metu hostilitatis interveniente, » nonnunquam fieri solere.“

Id probat verbis. S. Gregorii *Lib.* 2. *Epist.* 11. scribentis Joanni Episcopo Vellitrano, quòd » tem- » poris qualitas admoneat, Episcoporum Sedes, an- » tiquitùs certis civitatibus constitutas, ad alia, quæ » securiora putamus ejusdem Diœcesis loca transpo- » nere, quo & habitatores nunc degere, & barbari- » cum possint periculum faciliùs declinare. « Eidem præcipit se sedemque suam in loco quondam Arenata vel Harenata aut Harenaco exinde transmigrari: *Quatenus ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinem solemnium festivè disponas.*

Conventus populi cum suo Pastore in Ecclesia matrice.

Variam esse finalium verborum lectionem, notant Correctores Romani, & post eos Petrus Gussanvilleus, qui ait, in omnibus manuscriptis & editis S. Gregorii Epistolis legi: *Consuetudinum solemnium Festa disponas*, unà tamen notans, quòd omnium lectionum eadem sit sententia, quam ita exponit; In Festis præcipuis, & solemnioribus ad Ecclesiam matricem ex tota diœcesi confluebant Clerici & Laici; quod pluribus Canonibus cautum est, quarum nonnulli citantur: » Itaque, ait, mutato Sedis loco, non » jam in priori civitate Festa disponebantur, sed ad » S. Andream in Harenata publicus omnium fide- » lium conventus indici debuit, ut festivitates præci- » puas cum suo celebrarent Episcopo. « Hîc videmus, quomodo jam pridem soliciti fuerint Patres, ut fideles diebus Dominicis & Festis cum proprio suo Pastore conventum agerent.

An Episcopus factus Monachus ad Episcopatum redire valeat.

Tertium casum, quo Episcopo cedere liceat proponit Gratianus *Part.* 8. ad calcem Canonis 44. Nimirum, » Cùm aliquis causa humilitatis Apostolica con- » cessione de Episcopali Sede ad *Monachalem* descen- » derit subjectionem, alius ejus loco subrogari poterit; ille verò ad Pontificatum resurgere nequaquam ulteriùs valebit.

In hujus probationem allegat *Canone* 45. Decretum tanquam editum in *quinta actione Constantinopolitanæ Synodi* 383. *Patrum sub Joanne Papa VIII. cui præfuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus Episcopus, & Eugenius Ostiensis Episcopus.*

Monent hîc Correctores Romani, hanc Synodum sub Joanne VIII. extare in Vaticana Bibliotheca. » Cujus Synodi, inquiunt, tres tantùm Canones cum » explanatione Balsamonis editi sunt Lutetiæ, & apud » ipsum inscribitur: *Synodus in templo Sapientiæ ha- » bita sub Photio Patriarcha*: in secundo autem trium » illorum capitu lorum habetur sententia hujus capitis.“

Hæc illi, qui & pro clariore hujus Canonis, prout à Gratiano hîc refertur, explanatione, eum integrum Græcè & Latinè, & cum nova interpretatione adscripserunt.

Indubitatum est, sententiam hujus Decreti à Gratiano (qui secutus fuit Ivonem) relati, contineri in *Can.* 2. dictæ Synodi sub Photio: eumque Canonem ibidem contra S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum conditum esse, prout latiùs ostendi in scholio hujus Canonis in Tractatu Historico Canonico *Parte 3. cap. ultimo*, ubi unà ostendi, quòd Gratianum secuti S. Thomas, & Innocentius III. Canone hoc usi sint quasi Canone Concilii Constantinopolitani; pluraque alia de hac Synodo Photiana notavi, & quod ab Ecclesia Romana fuerit reprobata.

Cæterùm hoc unum asseritur hoc Canone, quòd Episcopus monachus factus ad Pontificatum ascendere nequeat, eo quòd ad pœnitentiæ locum descendisse videatur; pœnitentes autem à Clero excludantur, de quo latiùs ibidem.

An, & quando metu persecutionis liceat Episcopo separari à grege.

Ostendit post hæc Gratianus quòd ob infestationem malorum non liceat Episcopo gregem relinquere. Citat hanc in rem inter alia *Canone* 46. fragmentum epistolæ Liberii Papæ omnibus Episcopis: sed licèt dictum Gratiani verum sit, parùm tamen ponderis accipit ex hac epistola, utpote quæ plura præfert suppositionis argumenta, ut propterea *tom.* 2. *Concilio General. col.* 760. referatur cum hac nota marginali. *Commentitiam esse nemo non videt.*

Et ne dictum suum generaliùs, quàm oportet, acciperetur, exponit Gratianus *parte* 9. » Hoc tunc » servandum intelligi, quando inter subditos aliqui » inveniuntur, quibus Prælatorum vita proficiat: quan- » do nec specialiter Prælatus quæritur, nec per alios » tuta potest esse Ecclesiæ salus, ne si deserere inci- » piat, quibus prodesse potest, dicatur de eo: *Merce- » narius autem, & qui non est pastor, cujus non » sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dese- » rit oves & fugit.* « Multis ibidem disputat Gratianus, quando Prælatis ob persecutionem malorum fugere liceat, præsertim auctoritate S. Augustini: monentque Correctores Romani, multa ex Augustino à Gratiano allegari, quorum quidem sententia apud illum habetur, sed verba ipsa sunt in glossa ordinaria locis indicatis. Monent autem, quòd de hac quæstione, quando liceat Episcopo recedere ab Ecclesia sua disserat B. Augustinus *epistola* 180. (hodie 228.) Honorato Episcopo scripta. Legi possunt, quæ ex hac epistola aliisque hanc in rem notavi in *Jure Eccles. parte* 1. *tit.* 16. *cap.* 6.

QUÆSTIO II.

Canone hic relati non conguunt quæstioni proposita.

SEcunda quæstio initio hujus causæ ita exprimitur: » An iste valeat reposcere cathedram, quam sua » intercessione alter accepit? « Agitur hîc de illo, qui longa ægritudine gravatus alium sibi substitui rogavit, uti ex casûs positione evidens est. Resolvit autem Gratianus negativè; sed auctoritates binis Canonibus comprehensæ nullatenus huic quæstioni congruunt: unicè quippè tractant de illo, qui morbo caduco, seu epileptico laborat: an is regimen populi assumere valeat.

CAUSA OCTAVA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

QUia in superiori Causa *Quæstion.* 1. *Can.* 17. *petisti*, fuit concessum privilegium Bonifacio Moguntino de eligendo sibi Succesore, ne hinc quis concluderet, hoc esse licitum de jure communi, » Gratianus, inquit glossa, hanc causam octa- » vam supponit, in qua ostendit, quòd nulli licet » eligere successorem: & quòd amicorum patroci- » nia in electionibus convalescere non debent: & » quòd non sit simoniacus, qui post electionem præs- » tat canonicum juramentum de indemnitate, & alia » plura. « Quæ omnia ut pleniùs elucescant, ponit thema sivè hunc casum: » Quidam Episcopus agens » in extremis, Successorem sibi ex testamento ins- » tituit: inde suorum amicorum patrocinio in eun- » dem Episcopatum eligitur. Post electionem pro » indemnitate Ecclesiæ Canonicis juramentum præ- » buit: accusatur de simonia, tanquam munus ab » obsequio præstiterit: ante tempus sententiæ à Cleri- » cis suis derelinquitur: sine litteris Apostolicis ad » Ecclesiam suam revertitur Episcopus.“ Ex hoc casu quinque elicit quæstiones Gratianus.

Casus in eo propositus.

QUÆSTIO I.

An & quo sensu Episcopus successorem designare aut instituere possit.

Quæstione prima quærit, *An liceat Episcopo sibi Successorem instituere?*

Cùm auctoritate fragmentorum ex falsis decretalibus Joannis III. & Clementis I. videretur probatum, quòd B. Petrus sibi Linum & Cletum coadjutores adscivisset, & Clementem Successorem designàsset; ac unà comperisset, multis Canonibus, ac præsertim Antiochenis vetitum esse Episcopis eligere *sibi Successorem*, hanc solutionem, sive conciliandi rationem subjicit ad calcem Canonis 7. » His omnibus auc- » toritatibus prohibentur Episcopi Successores sibi ins- » tituere: sed aliud est de sui Successoris electione cum » fratribus deliberare, aliud est testamento, tanquam » suæ dignitatis hæredem sibi quærere: illud fieri per- » mit-

» mittitur, hoc autem penitùs prohibetur. Illud autem » B. Petri Apostoli ab illis valet in argumentum assu- » mi, qui tales sibi substituunt, qualem sibi Succes- » sorem B. Petrus quæsivit. Verùm quia officium non » vitæ, sed sanguini cœpit deferri, atque ad Episco- » patum tales quisque sibi Successores quærere cœpit, » qui vel odiosi populis, vel à plebe docendi inveni- » rentur, idcircò sacris Canonibus statutum est, ne » quisquam sibi sui officii quærat Successorem: sed » populi electione quæratur, qui eorum utilitati dignè » deserviat, qui illorum utilitatem, non sua lucra » quærat, qui Christo semen velit suscitare, non sibi » divitias congregare; quod qui facere contempserit, » jure ab Ecclesia repudiatur."

Monent Correctores Romani ad Canonem tertium hujus quæstionis, quo refertur Canon 23. Antiochenus, quòd in codicibus Gratiani, etiam manuscriptis, post hæc verba, *judicio Episcoporum*, sequeretur, *& electione clericorum*: Quæ, *inquiunt*, sunt expuncta, quia neque in originali, neque apud cæteros collectores leguntur.

Reprehenduntur à Balazio Correctores Romani.

Ad hanc expunctionem reflectens vir eruditus Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum *pag.* 499. ait: „Ego, qui puto, religiosum debere esse edito- » rem veterum auctorum, retinuissem eam clausulam » in contextu Gratiani, & in notis admonuissem, eam » non extare in originali, neque apud cæteros collec- » tores; fortassis Gratianus viderat antiquum aliquod » Concilii Antiocheni exemplar, in quo clausula illa » continebatur. Diverso ausu iidem Correctores non- » nulla frequenter addiderunt in contextu Gratiani, » quæ omittenda erant, quia non extant apud Gra- » tianum: hinc enim fit, quod sæpè dicendum est, » ut Gratiani collectionem hodie non habeamus, sed » collectionem Correctorum Romanorum inhærentem » ordini, qui servatus à Gratiano est."

Notat rursus citatus Baluzius, quòd in omnibus Gratiani libris editis & manuscriptis inscriptio Canonis 7. habeat simpliciter: *item Innocentius Papa II.* Correctores Romani addiderint: *in Concilio Romano, cap.* 16. cùm tamen nulla ratio esset, cur huic Concilio adscriberetur potiùs, quàm Claromontano, quod novem annis habitum est ante Romanum sub eodem Pontifice, & inter cujus Canones hoc decretum habetur: „Unde rursum colligitur, *ait Baluzius*, nihil » mutandum, aut addendum fuisse apud Gratianum » absque auctoritate veterum Codicum."

Bonum Ecclesiæ non suum debet quærere Prælatus.

Occasione autem, quod dixerat Gratianus, quod populi electione quærendus esset Episcopus, „qui » eorum utilitati dignè deserviat, qui eorum utilita- » tem, non sua lucra quærat, qui Christo semen ve- » lit suscitare, non sibi divitias congregare," plures hanc in rem adducit Patrum sententias, quibus hæc Pastoris conditio exprimitur: ac in primis ex S. Augustino *Lib.* 32. *contra Faustum Manichæum*, *c.* 10. ubi dicitur, quod Prælatus, qui sibi & Ecclesiæ prodest, utroque pede calceatus intelligatur.

Locus regiminis appeti non debet.

Ex S. Gregorio *Canone* 9. & 10. & ex S. Augustino *Canone* 11. ostenditur, quòd locus regiminis non sit quærendus, sed è contra semper in voto & desiderio locus dejectionis esse debeat: *Quia, sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus*, dicitur *Canone* 9. & *Canone* 11. ait Augustin. „Locus verò superior, sine quo regi po- » pulus non debet, etsi ita teneatur, atque adminis- » tretur, ut decet, tamen non decenter appetitur." Dein additur notanda hæc & notissima ac gravissima ejusdem Doctoris sententia: „Quam ob rem otium » sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum » suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam, si » nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ va- » candum est veritati: si autem imponitur, suscipien- » da est propter charitatis necessitatem: sed ne sic » omninò veritatis delectatio deserenda est, nec sub- » trahatur illa suavitas, & opprimatur (*seu rectius in* » *originali* opprimat) justa necessitas."

Quomodò erga populum se Pastor habere debeat, & sine omni favore, solâque meritorum consideratione eligendus sit, pluribus dein ostendit.

QUÆSTIO II.

In electione Episcopi muneribus aut Patrocinio locus esse non debet.

QUæstione *secunda* ostendit Gratianus auctoritate S. Gregorii, quòd nec munerum datio, nec aliquorum patrocinia in electione Episcoporum valere debeant: „Nam si, *ait Gregorius*, Can. 1. » quorundam patrocinio fuerit quisquam electus, vo- » luntatibus eorum, cùm fuerit ordinatus, obedire, » reverentiâ exigente, compellitur; sicque fit, ut & » res illius Ecclesiæ minuantur, & ordo ecclesiasticus » non servetur."

Altero Canone ex eodem Doctore probat, quòd in electione Episcopi *communi* utilitati, non *suo lucro*, quisque prospicere debeat: *quia nec libero judicio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat.*

QUÆSTIO III.

An & quando simoniacus sit is, qui occasione electionis præstat juramentum pro indemnitate Ecclesiæ.

IN procœmio *Quæstionis tertiæ* resolvit Gratianus, quòd „simoniacus non sit, qui post electionem » pro indemnitate Ecclesiæ juramentum præstitit: » aliud enim est ante electionem juramentum facere, » vel se facturum pacisci, ad hoc ut eligatur: " aliud est, nullâ præcedente conventione, post electionem hujuscemodi juramentum offerre.

Primam partem probat auctoritate Pelagii Papæ Clero Catinensi scribentis, quem locum observare possunt, qui cum Decimatoribus, seu Pastoribus primitivis paciscuntur de minore competentia, vel aliquibus oneribus in se suscipiendis, ut eorum patrocinio, aut præsentatione ad Pastoratum promoveantur.

In hac enim Epistola, præsertim sub finem, ut simoniacum reprehenditur, quod quis promiserit aliqua de juribus suis remissurum, si ad Episcopatum eligeretur, idque congruit asserto Gratiani.

Alterum assertum probatur ex gestis Urbani II. ubi refertur, quòd cum Archi-Episcopus Narbonensis quendam in Episcopum ordinare renuisset ob juramentum ab ipso præstitum Canonicis Electoribus, hic cùm ad Urbanum accessisset, se à vitio purgavit, eo quòd juramentum Canonicis fecisset post electionem, nullamque conventionem ante, ut eligeretur, fecisset.

Hactenus in gestis Urbani II. hæc verba non reperi, varietatem lectionis notavit Baluzius, nec non contra fidem omnium antiquorum Gratiani exemplarium tàm manuscriptorum, quàm editorum à Correctoribus Romanis pro his verbis, *à Sacerdotio me repellat*, posita esse, *à Sacra me unctione repellat.* Cæterum de juramentis, quæ hodie à Clericis in accipienda possessione suorum Beneficiorum, præsertim Curatorum exiguntur, videri possunt, quæ dicta sunt in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 26. *cap.* 2.

QUÆSTIO IV.

Accusatus de crimine recedere nequit ante sententiam.

PRobat Gratianus *Quæstione quarta* unico Canone sub nomine Symmachi Papæ, sed sumpto ex libello Ennodii, quòd Clericus à suo Episcopo de crimine accusatus, recedere nequeat ante tempus sententiæ, sive priusquam sub luce objecta constiterit.

QUÆSTIO V.

Recens disciplina de discessu Episcoporum Romanorum.

QUæstione *quinta* ex apocrypha decretali Sixti I. adstruit, quòd „Episcopus accusatus, & à „sancta Sede vocatus, sine litteris Apostolicis „ad suam reverti Ecclesiam nequeat." Hanc disciplinam ætate Sixti I. esse recentiorem scimus: at huic nihilominus decretali adscribendum morem hodiernum, qui non permittit Episcopos Româ discedere sine licentia Pontificis, non dubium: neque ante evulgatas, receptasque falsas Decretales, ullum hujus praxis vel vestigium facilè reperietur.

CAUSA NONA.

Casus propositus.

GRatianus hanc causam, sive casum ita proponit: „Sententiâ excommunicationis notatus quidam » Archi-Episcopus, aliquot Clericos alterius Metro- » politani ordinavit: quendam Capellanum sui suffra- » ganei, illo inconsulto, deposuit, atque alium in » loco ejus ordinavit." Ex hoc casu tres quæstiones elicit.

QUÆSTIO I.

An ordinatio ab excommunicato facta possit ha-

QUærit *Quæstione prima.* An ordinatio, quæ ab excommunicatis facta est, aliquo modo possit rata haberi? Quæ recitantur à Gratiano, notanter *Can.* 2. & 3. sub nomine *Paleæ*, patenter suppo-

haberi rata & valida.

ponunt, ordinationem factam ab excommunicato esse *nullam*: quandoquidem eam reiterandam asserant, quod & Gratianus admisisse videtur, saltem quoad excommunicatos, „ qui in ipsa sua ordinatione pœ„ nam excommunicationis contraxerunt, qui nunquam „ in numero Catholicorum fuerunt," uti loquitur ad calcem Canonis 3. addens: „ Cæterum, qui in„ ter Catholicos priùs deputati sunt, si postea ex„ communicationis sententia notati fuerint, ordina„ tiones tamen eorum ab Ecclesia misericorditer to„ lerantur."

Tum profert fragmentum Epistolæ Urbani II. in qua rescribit cuidam Episcopo: „ Quod ordinatos ab „ excommunicatis, quondam tamen Catholicis Epis„ copis, siquidem non simoniacè ordines ipsos acce„ perint: & si ipsos Episcopos simoniacos non fuisse „ constiterit, ad hæc, si eorum religiosior vita & „ doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pœni„ tentiâ indictâ, quam congruam duxerit, in ipsis, „ quos acceperunt, ordinibus permanere permittat."

Cùm hæc apparerent Gratiano repugnare dictis Gregorii relatis *Can.* 1. quibus asserit Gregorius, quòd *consecratio dici nullo modo possit, quæ ab excommunicatis hominibus celebrata est*, pro conciliatione subjungit: *sed & illud Gregorii de nominatim excommunicatis intelligitur, quorum ordinationes sunt irritæ, si eorum damnatio non erat ordinandis incognita.*

Quidquid sit de opinione Gratiani, & hac Canones conciliandi ratione, glossographus reprobata opinione, quæ dicebat, quòd excommunicatus, qui adhuc existens in *Ecclesia* ordinationem recepit, *validè* ordines conferret: sed qui *extra* Ecclesiam recipit, nihil conferret, nec ordinem, nec executionem, monet: „ dicendum esse, quòd sivè quis re„ cipiat ultimam manus impositionem (id est, Epis„ copalem) in Ecclesia sive *extra*, dum tamen for„ ma Ecclesiæ servetur in ordinando, semper ordinem „ confert; sed non semper executionem: & hoc sive „ scienter, sive ignoranter ordinetur ab eo." Deinde nonnullis circa eos, qui non recipiunt executionem, præmissis, concludit glossographus: „ Hæc er„ go sit *fides* tua, quòd hæretici & excommnicati, „ & depositi *vera* Sacramenta conferunt, & verbum „ Corpus Christi conficiunt."

Hæc opinio glossæ communi seu Theologorum Scholasticorum, seu Canonistarum calculo probata, & recepta fuit: sed an etiam veteribus Canonibus & pristinæ Ecclesiæ disciplinæ omninò sit conformis, plures viri eruditi cum Joanne Morino *de SS. Ordinat. Part. 3. exercit. 5. cap.* 8. dubitant. Hoc autem hîc monendum, exigui ponderis esse contra opinionem glossæ, quæ hîc *Canone* 2. & 3. partim sine nomine, partim sub nomine Damasi Papæ allegantur.

QUÆSTIO II.

Nullus in alterius Episcopi Diœcesi quidquam ipso inconsulto agere potest.

QUærit ulteriùs Gratianus *Quæstione secunda* „ An „ liceat Episcopo, Archiepiscopo, Primati vel „ Patriarchæ Clericos alterius Diœcesis sine pro„ priis litteris ordinare."

Primis quinque Canonibus (quorum primus & tertius sunt ex falsa Decretali Calixti Papæ) probat, quòd generaliter nullus quidquam in alterius Diœcesi, vel Parochia propriâ auctoritate agere queat. Deinde descendit ad ordinationes, adductis Canonibus Antiochenis & Constantinopolitanis admodum mendosè, ut notant Correctores Romani; de quibus consuli poterit præfatus tractatus Historico Canonicus ad dictos Canones.

Notandum, quòd Gratianus hac quæstione etiam ostendat, neque inferiores Presbyteros certis Ecclesiis adscriptos in aliis quidquam agere posse, proprio Presbytero inconsulto; neque alienum Parochianum ad divina officia admittere.

QUÆSTIO III.

An Archiepiscopus suffraganei Clericos illo inconsulto damnare valeat vel absolvere.

GRatianus *Quæstionem tertiam* ita proponit: „ An „ Archiepiscopus Clericos sufraganei sui illo „ inconsulto damnare valeat, vel damnatos absolvere."

In utramque partem hanc discutiens quæstionem, pro parte affirmativa urget, quod Ecclesiæ totius Archiepiscopatûs ad Diœcesim pertineant Archiepiscopi: vocantur enim, ait, Episcopi à Metropolitano in partem solicitudinis: non in plenitudinem potestatis. Sic quippè vices ei impertitur, ut potestatem suam sibi non adimat: Unde & sine ejus consilio nihil eis agere licet. *leat vel absolvere.*

De hac plenitudine potestatis in Metropolitano nihil planè in pristinis Canonibus, aut Patribus legitur; neque etiam hodiè creditur Metropolitanum sine consensu proprii Episcopi functionem, seu jurisdictionem Episcopalem in Diœcesi Episcopi exercere posse, tanquam cui plenitudo Episcopalis potestatis in omnibus Diœcesibus suæ Provinciæ competere, ipsique Episcopi quasi duntaxat essent in partem solicitudinis, & quasi Vicarii Metropolitani adsciti. *Metropolitani auctoritatem supra modum & sine fundamento extollit Gratianus.*

In asserti sui probationem allegat Decretum Concilii Antiocheni; idque *Can.* 1. ex versione Martini Bracharensis, tanquam ex *Concilio Martini Papæ*, & *Can.* 2. ex versione Isidori: verùm hoc decreto nequaquam probatur subjectio Episcoporum respectu Metropolitani, quàm hîc ponit Gratianus, uti in scholio Canonis 9. Antiocheni videri poterit in sæpè citato tractatu Historico Canonico.

Post hæc probat Gratianus *Can.* 4. 5. 6. & 7. ex Pseudo-Decretalibus Hygini, Aniceti, & Calixti Papæ, Metropolitanos in causis Episcoporum aut aliis (nisi quod ad suam solummodo propriam Parochiam pertinent) sine consilio & voluntate omnium Comprovincialium Episcoporum nihil agere posse: quod & *Can.* 8. comprobat auctoritate Nicolai I. in Epistola Bituricensi Archiepiscopo inscripta, cujus hæc est clusula finalis: *Ita ut secundùm Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis: præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem quolibet speciali privilegio decreverit honorare.*

Hanc clausulam sapere jus novum, è falsis Decretalibus Isidorianis tempore Nicolai oriri & firmari cœptum, nequaquam obscurum est, uti & hoc Gratiani assertum Canoni 9. subjectum: „ sola enim „ Romana Ecclesia, suâ auctoritate valet judicare „ de omnibus, de ea verò nulli judicare permitti„ tur:" Assertum hoc probat auctoritate Nicolai, Epistolâ ad Michaëlem Imperatorem, in qua scribit, juxta SS. Canones, *Sedis Apostolicæ judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus judicare judicio licere.* *Privilegium recens ex falsis Decretalibus Romanæ Ecclesiæ à Gratiano assertum.*

Rectè autem hîc notat glossographus, „ quòd ab „ hoc loco usque in finem agatur de excellentia Pa„ pæ, & omnia capitula quasi idem dicere; sed ad„ dendum erat, omnia pene & mercibus Isidorianis „ sumpta esse."

Cùm autem adverteret glossographus Nicolaum hîc pro stabilienda auctoritate Sedis Apostolicæ adducere testimonium Innocentii & Pelagii suorum prædecesorum, notat quòd, „ familiaris sit hæc pro„ batio, quòd unus Papa inducit alium in testem;" sed abest planè, quòd ibidem subjungit glossographus: „ sed hoc ideò, quia de ipsorum testimonio non est „ dubitandum: sicut Dominus mala Sodomæ per An„ gelos probavit;" quasi Romani Episcopi testimonium dictis Angelis æquiparandum esset.

Ut autem Gratianus eam in Romano Episcopo auctoritatem probet, adducit *Can.* 11. & 12. fragmentum Epistolæ, sub nomine Anastasii ad Felicem II. Papam, quam esse apocryphum sciunt eruditi, uti & fragmentum prolatum *Canone* 13. sub nomine Innocentii Papæ, sed uti notant Correctores Romani, sumpto ex Synodo Romana sub Sylvestro, quæ etiam ab eruditis tanquam supposititia rejicitur.

CAUSA DECIMA.

IN superiori causa dictum est, ait glossographus, quid juris habeat Archiepiscopus super suffraganeis suis; nunc supponit Gratianus causam *decimam*, in qua ostendit, quid juris habeat Episcopus in Ecclesiis sui Episcopatûs: hanc in rem proponit hunc casum: „ Quidam Laicus Basilicam à se factam à dioe„ cesana lege segregare quærit. Episcopus Eccle„ siam cum omni dote sua ad suam dispositionem „ pertinere contendit: tandem evincit Episcopus, & „ per Parochias militibus comitatus crudeliter desæ„ vit: quæ Ecclesiæ sunt, tanquam sibi debita usur„ pare contendit." Ex hoc casu elicit tres quæstiones. *Casus propositus.*

QUÆSTIO I.

Basilicæ earumque bona ad Episcopi ordinationem pertinent.

Quæstione prima quærit: *An Basilica cum omni dote sua ad Episcopi ordinationem pertineat?* Plures hîc refert Canones, qui probant Basilicas cum suis dotibus in Episcopi potestate consistere; at præ cæteris notandus Canon Synodi Illerdensis anni 524. relatus *Canone* 1. quo statuitur. »Si ex Laicis quispiam à se factam Basilicam consecrari desiderat, nequaquam eam sub Monasterii specie, ubi congregatio non colligitur (in Synodo additur, *vel regula ab Episcopo non constituitur*) diœcessanâ lege audeat segregare.«

Aliud dicendum de bonis monasteriorum.

Hic Canon ut intelligatur jungenda est prima ejusdem Canonis pars, cujus fragmentum refertur *Causa* 16. *quæst.* 1. *Canone* 34. integra autem sic habet: »De Monachis verò id observari placuit, quod Synodus Agathensis vel Aurelianensis noscitur decrevisse: hoc tantummodò adjiciendum, ut pro Ecclesiæ utilitate, quos Episcopus probaverit, in Clericatus officio cum Abbatis voluntate debeant ordinari: ea verò quæ in jure monasterii offeruntur, in nulla diœcesana lege ab Episcopo contineantur.«

Ex his habemus, hoc Canone aliquid novi adjici Canonibus Synodi Agathensis, & Aurelianensis, de Monachis nimirùm; cum omnia ad Ecclesias pertinentia juxta Synodorum illarum decreta, essent in potestate Episcopi, ne quidquam de Monasteriis exciperetur, etiam bona & facultates Monasteriorum censebantur dispositioni Episcopi relicta: quare *novi* hoc adjecit Synodus Illerdensis decernens: »Ea verò, quæ in jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nulla *diœcesana* lege ab Episcopis contingantur," id est, nullam in illa esse Episcopi potestatem, nihil ex iis bonis posse sibi attribuere vel decerpere. Lex enim diœcesana nihil aliud significat, quàm auctoritatem & jus Episcopale ipsi per suam diœcesim competens.

Ne autem sub prætextu Monasterii, reliquæ Basilicæ à Laicis fundandæ à lege *diœcesana* substraherentur, cautelam illam præsenti Canone comprehensam, addendam censuit Synodus: uti hæc latius deducit Franciscus Florens in *tractatu de antiquo jure Patron. pag.* 90. & 91. ibidem una notans, quod Gratianus »hoc jus singulare tanquam generali aliquod constitutum per universam Ecclesiam produxerit, sicut & eodem ingenio, ait, singularia quædam privilegia à Gregorio I. certis Monasteriis tantum concessa, tanquam jus commune omnibus Ecclesiis usurpavit, multis detractis, additis, & suppositis.« De quo plura ad *causam* 18.

Ecclesias sibi subjectas visitare debent Episcopi.

Quandoquidem Ecclesiæ omnes de jure communi gubernationi Episcopi subsint, consequens est, quòd Episcopus eas visitare teneatur: de quo duos Canones 9. & 10. hîc Gratianus profert, quorum priore (qui tanquam ex *Concilio Toletano* refertur: de quo videnda Correctio Romana) dicitur: »Relata est coram sancta Synodo querimonia plebium, quod sint quidam Episcopi nollentes ad prædicandum vel ad confirmandum suas per annum Parochias circumire, qui tamen exigunt ut mansiones, quibus in profectione uti debuerant aliquo pretio redimant, qui parare debebant.« Quæ duplex infamia, negligentiæ & avaritiæ, sanctæ Synodo magno fuit horrori. Contra hos decernit Canon: ne quis *ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut solicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.*

Per *mansiones* hîc intelligi *Procurationes* Episcopis visitantibus dandas, observat Baluzius.

Annua sit visitatio Episcoporum.

Canone 10. ex Concilio Tarraconensi decernitur, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus diœceses ab Episcopis visitentur.

Episcopo impedito alteri committenda visitatio.

Secundâ parte quæstionis prolato unico Can. 11. probat Gratianus Episcopum infirmitate gravatum, aut alias legitimè impeditum, alteri visitationis debere committere oficium: *Presbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui redditus Basilicarum, reparationes, & ministrantium vitam inquirant.*

Quid ab Episcopis in visitatione agendum.

Dein *parte tertia* proponit adducto Can. Bracarensi, de quibus Episcopi in visitatione tum Clerum, tùm Populum interrogare & instruere debeat: optandum esset, ut Episcopi ad normam hujus Canonis visitationes instituerent, major sperari posset harum visitationum fructus.

Bona Ecclesiæ ad Laicos

Cùm Gratianus hâc quæstione probâsset, quòd Basilicæ cum sua dote sint in potestate Episcopi, ideò *parte quarta* pluribus auctoritatibus probat oblationes aliaque ad Ecclesias pertinentia in *Laicorum* dominio esse non posse, nec Laicos ea sibi usurpare posse.

nullatenus pertinere probat Gratianus, sed ex apocryphis.

Verùm adductæ auctoritates exigui aut nullius ponderis sunt: prima quippe *Can.* 13, desumpta ex Epistola Hieronymi ad Damasum Papam de oblationibus Altaris, eruditis passim suspectæ fidei est: uti & Decretum Damasi Papæ relatum *Canone* 15. quod *tom.* 2. *Conciliorum General. col.* 885. rejicitur inter decreta quæ auctoritate Gratiani Damaso tribuuntur: quod *Canone* 14. exhibetur sub nomine Calixti Papæ notant Correctores Romani auctorem illius non posse esse Calixtum I. »cujus tempore, inquiunt, Pantheon nondum vocabatur Templum Mariæ Rotundæ... Bonifacius enim fuit, qui tempore Phocæ Imperatoris illud Beatæ Mariæ & omnibus Sanctis dicavit.«

Ex præmissis auctoritatibus tandem concludit Gratianus: „Ecclesiæ cum omnibus rebus suis ad Episcopi ordinationem pertinere monstrantur, & tam Ecclesiæ, quam oblationes & facultates earum à Laicorum dispositione probantur immunes.«

Certum est nec pristinis Ecclesiæ seculis neque hodie res temporales ad Ecclesiam spectantes à Laicorum dispositione, sive ut minùs superintendentia omninò fuisse aut esse immunes, uti latiùs ostendi in *Jure Ecclesiast. Part.* 2. *tit.* 36. *cap.* 2.

QUÆSTIO II.

NE autem Episcopis crederetur concessa auctoritas, res Ecclesiæ pro suo arbitrio distrahendi, *Quæstione* 2. exponit *potestatem dispensandi intelligendam esse non distrahendi vel dilapidandi.*

Refert inter cætera tres Canones 3. 4. & 5. de *precariis* agentes, quarum frequens in Conciliis Gallicanis, necnon Regum Galliæ capitularibus, atque formulis Marculfi Monachi, aliorumque mentio occurrit. Præcipitur hîc *Can.* 5. ut *precariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem, & auctoritatem renoventur.* Refertur & hîc Canon in *c.* 9. *de precariis.* De origine harum precariarum, earumque naturâ, & conditionibus, sub quibus olim concedebantur, & quomodo à *precario* & emphyteusi distinguerentur, latè agit Emmanuel Gonzalez *in commentario ad dictum cap.* 10. *de precariis.* Item vir eruditus Bignonius in notis ad *lib.* 2. *cap.* 364. Reginonis; testaturque Antonius Augustinus in notis ad *cap.* 1. *de precariis*, in prima Decretalium collectione: *hoc genus contractus ignotum veteribus Romanis, hodie quoque non agnosci.* Rectè quoque notavit cum Correctoribus Romanis, decretum, quod à Gratiano refertur *Canone* 6. sub nomine *Concilii Carthaginensis* in nullo Conciliorum Carthaginensium reperiri: licèt & in Decretalibus ex Concilio Carthaginensi quoque referatur, auctoritate indubiè Gratiani.

Quomodo Episcopus res Ecclesiæ dispensare debeat.

Addit Gratianus *Can.* 7. decretum Concilii Antiocheni ex versione Martini Bracharensis, de modo, quo Ecclesiæ facultates ab Episcopis sunt dispensandæ; de quo vide Tractatum Historco Canonicum *Parte* 2. *cap.* 1. §. 11. *ad Canonem* 25. *Antiochenum.*

QUÆSTIO III.

In visitatione subditos non debent gravare Episcopi.

AT nonnulli Episcopi auctoritate suâ in Ecclesias sibi subjectas abutentes, eas variis exactionibus gravabant; contra hos agit Gratianus *Quæstione* 3. exhibens Canones, quibus exactiones illæ Episcopis interdicuntur, moderatoque Cathedratico contenti esse jubentur; notandusque præ cæteris Canon desumptus è Concilio Cabilonensi II. *Can.* 14. quo Episcopis præcipitur, ut in visitatione Parochiæ ab omni exactione temporali abstineant, & in omnibus ita se gerant, ut ostendant, se non lucra temporalia, sed lucra animarum quærere. Verba Canonis sunt: „Cavendum est sanè, ne, cùm Episcopi per Parochias suas peragant, quandam non solùm erga subditos, sed erga socios tyrannidem exerceant, ne, quod absit, non cum charitate, sed cum quadam jactantiæ temeritate; nec cum grauarum actione, sed cum quadam judiciaria invectione stipendia ab eis exigant. Observandum modis omnibus est, ut, si quando peragendæ Parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in inquirendis rebus emendatione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum, potius quam de-

» deprædandis, & spoliandis hominibus, & scandali-
» zandis fratribus operam dent, & si quando ad pera-
» gendum ministerium suum à subditis aut fratribus
» aliquid accipiendum est; hoc summoperè observare
» debent, ne quem scandalizent, aut gravent. Tan-
» ta ergo discretio in hac re tenenda est, ut & ver-
» bi Dei prædicator, ubi proprii sumptus desunt, à
» fratribus accipiat: & iidem fratres illius potentiâ
» non graventur, exemplo Apostoli Pauli, qui ne
» quem gravaret, arte & manibus victum quærebat. «

Porro Gratianus, postquam primis quinque Canonibus ostendit, Episcopos moderato Cathedratico debere esse contentos, monet ad calcem Canonis 5. Cathedraticum, quod his auctoritatibus Episcopis permittitur exigere, » præter medietatem vel tertiam
» partem oblationum, quæ etiam pro varia Eccle-
» siarum consuetudine ex præmissis auctoritatibus
» Episcopo debetur, intelligendum esse, nec illa, ait,
» pars oblationum omnium generaliter intelligenda est;
» sed vel anniversaria dedicationis, vel quorumdam
» etiam solemnium dierum, prout inter Episcopum
» & Sacerdotem tempore dedicationis convenerit. « Cæterum de his juribus Episcoporum, & moderatione in his servanda latiùs egi in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 17. *cap.* 2.

CAUSA UNDECIMA.

Redit hic Gratianus ad ordinem judiciorum.

NOtavimus suprà, quòd Gratianus à causa secunda inchoaverit ordinem & formam judiciorum; quem levissimâ occasione sumptâ, ex quodam Canone de *renuntiatione Episcopatûs* mentionem faciente, intermiserat insertis quatuor causis alio planè pertinentibus, septimâ, octavâ, nonâ & decimâ: nunc verò causâ undecimâ rursus ad ordinem & formam judiciorum, quem intermiserat, redire videtur.

Casus propositus.

Causam undecimam his verbis proponit Gratianus: » Clericus adversus Clericum quæstionem de prædiis
» agitavit, quam ad civilem judicem producere vo-
» luit: reus non nisi ante judicem ecclesiasticum stare
» volebat: actor verò potentiâ civilis judicis illum à pos-
» sessione sua dejecit; quo audito Episcopus eum ab
» officio suo suspendit: ille contemptâ Episcopi sen-
» tentiâ officium suum administravit. Hoc comperto
» Episcopus sine spe restitutionis in eum sententiam
» dedit. « Ex hoc casu sive causa Gratianus format tres quæstiones.

QUÆSTIO I.

An & quibus in causis Clericus coram civili Judice convenire possit.

Quæstione prima quærit: *Utrum Clericus ante civilem judicem sit producendus?* Quæstionem in tres partes dividit Gratianus: prima pars producitur à Canone 1. usque ad Canonem 26. cui hanc ex præcedentibus Canonibus subjicit conclusionem: » Cum ergo his omnibus auctoritatibus Clerici ante
» civilem Judicem denegentur producendi, (cum nisi
» priùs depositi vel nudati fuerint, curiæ non sint
» repræsentandi,) patet, quod ad secularia judicia
» Clerici non sunt protrahendi. «

Secundam partem inchoat à Canone 27. & protrahit usque ad 30. inclusivè; cui subjicit conclusionem in modum objectionis, nimirum, quòd ex adductis auctoritatibus detur intelligi, » quòd in civili
» causa Clericus ante civilem Judicem, sit conve-
» niendus: sicut enim ecclesiasticarum legum Eccle-
» siasticus Judex est administrator; ita & civilium non
» nisi civilis debet esse executor: sicut enim ille so-
» lus habet jus interpretandi Canones, qui habet po-
» testatem condendi eos: ita ille solus civilium legum
» debet esse interpres, qui eis jus & auctoritatem im-
» pertit. In criminali verò causa nonnisi ante Epis-
» copum est Clericus examinandus. Et hoc est illud,
» quod legibus & canonibus suprà definitum est, ut
» in criminali videlicet causa ante Judicem civilem
» nullus producatur, nisi fortè cum consensu Epis-
» copi sui, veluti quando incorrigibiles inveniuntur,
» tunc detracto officio, curiæ tradendi sunt. «

Postea à Canone 30. usque ad Canonem 47. respondet ad objecta, ac tandem variis auctoritatibus allegatis subnectit Canoni 47. conclusionem generalem & finalem, nimirùm quod Clericus ad publica judicia nec in civili, nec in criminali » causa est pro-
» ducendus, nisi fortè Episcopus civilem causam de-
» cidere noluerit, vel in criminali sui honoris cin-
» gulo eum nudaverit. «

Distinguit insuper judicia *secularia*, in judicia *secularium negotiorum* & *secularium personarum*. Hæc Clericis interdicta esse, non autem illa concludit dicens: » Prohibentur ergo Clerici à cognitione nego-
» tiorum secularium virorum, non secularium cau-
» sarum: negotia quippe Clericorum, sive crimina-
» lia, sive civilia fuerint nonnisi apud ecclesiasticum
» Judicem ventilanda sunt. «

Pleraque à Gratiano relata pro immunitate Clericorum à laicali Judicio, aut sunt apocrypha, aut mutilata aut in alienum sensum detorta.

Pro hac conclusione plures Canones attulit Gratianus, sed apocryphos plurimos, aliquos mutilatos, & alios in sensum alienum contortos.

Ac Can. 1. desumptus ex Epist. Caj.

Inter apocryphos occurrit in primis Canon 1. desumptus ex Epistola Caii Papæ ad Felicem Episcopum, notatque vir eruditus Franciscus Florens Antecessor Parisiensis in doctissimo hujus quæstionis commentario, incredibile meritò videri Episcopum Romanum circa annum 283. Imperante Diocletiano (quando Pontificatum gessit Cajus) sibi tantam auctoritatem sub Imperatore pagano & persecutore Christianorum vindicâsse, ut statueret: *Nemo unquam Episcopum apud Judicem secularem, aut alios Clericos accusare præsumat*, prout hic legitur; cum nequidem sub Christianis Imperatoribus tantum juris sibi tribuerent, uti in præfatione citati commentarii Florens ostendit.

Item Can. 3. ex Concilio Aurelianensi, sed mutilate.

Non majoris est ponderis Canon 3. desumptus ex falsa decretali Marcelini Papæ, quem reperiri in Concilio Aurelianensi III. notant Correctores Romani, sed clausula posteriori nonnihil mutata: hic enim apud Gratianum legitur: *Nec Laico quemlibet Clericum liceat accusare.* In Concilio autem legitur Canone 32. *Neque Laico inconsulto sacerdote, Clericum in seculare judicium liceat exhibere*; quæ lectionis varietas evidenter diversum sensum Canoni affingit, notatque citatus Florens, quod verba, prout à Gratiano exhibentur. » Repugnent planè disciplinæ Ecclesiasticæ
» illorum temporum, & Canonibus generalibus Con-
» ciliorum, ipsique rationi. «

Uti enim à Gratiano exhibentur, significatur quod Laicus ut *Actor* nequeat Clericum inconsulto Episcopo, ad Judicem publicum seu civilem vocare; quod disciplinæ illorum temporum contrarium esse rectè notavit citatus Auctor: at prout legitur in Concilio, evidenter agitur de Clerico *Actore*, qui Laicum coram Judice civili convenire vult: quod inconsulto Episcopo fieri vetatur, conformiter ad ætatis illius disciplinam, quæ Clericis non permittebat pro rebus temporalibus, inconsulto Episcopo, ad publicos Judices suos debitores trahere.

Item Canon 4. qui falso Concilio Nicæno, ab Julio Papæ adscribitur.

Inter apocrypha meritò & reponitur Can. 4. exhibitus sub nomine Concilii Nicæni, quem inter Canones Nicænos bodiè non reperiri monent Correctores Romani, unà tamen notantes, Canonem hunc referri à Julio in rescripto contra Orientales: at hoc Julii rescriptum supposititicium esse scitur; in hoc Canone legitur: » Judices autem alii esse non debent,
» quàm quos ipse, qui impetitur, elegerit, aut quos
» suo cum consensu hæc sancta Sedes, aut ejus Prima-
» tes auctoritate hujus sanctæ sedis delegaverint. «
Cum autem agatur hoc Canone de eligendis Judicibus, à quibus Clerici essent judicandi, non sine fundamento conjicit Florens *pag.* 13. » compositum &
» confectum ex parte fuisse hunc canonem ex antiquo
» more judiciorum ecclesiasticorum in Africa, qui
» fuit, ut si adversus Episcopum vel Clericum Epis-
» copus vel Clericus conveniretur civili vel criminali
» Judicio, ab aliis Episcopis vel Clericis interrogare-
» tur reus, utrum apud Episcopos agere, & quos
» eligere vellet. « Insuper meritò observat Florens, hîc affectatam ineptè Pontificis Romani in eligendis Judicibus auctoritatem, quæ vel Episcopis, vel Metropolitanis, qui in Africa *Primates* vocabantur, competebat, ut vel hic videamus manum adulatricem ipsius Isidori.

Item Canones 7. & 14. ex suppositiitiis Marcellini & Alexandri.

Apocryphis quoque annumerandus Canon 7. qui à Gratiano primitus assignatos fuit *Bonifacio ad Episcopos Galliæ*: at correctores Romani posuerunt: *Item Marcellinus Epistola secunda ad Episcopos Galliæ*: notantque priorem hujus Canonis partem in hac Epistola extare: sed eam suppositiitiam esse non dubitatur hodiè, uti & Epistolam Alexandri, è qua descriptus est Canon 14. atque utramque adumbratam esse ex verbis Apostoli 1. *ad Corinth.* 6. notavit Franciscus Florens, quamvis utramque plurimum à verbis & mente Apostoli recedat. Apostolus enim eo loco increpat fideles, quod apud Ethnicos & infideles Judi-

ces litigarent, sed nequaquam præcipit, aut hortatur ut Clericos, seu ecclesiasticos viros litibus judicandis & decidendis præponant, quemadmodum harum decretalium auctores supponere videntur, dum ex verbis Apostoli deducunt, solos Judices ecclesiasticos causis dijudicandis esse præponendos, quos idem Apostolus à libitu & strepitu forensi maximè abhorrere debere unicè monet.

Item Canon 8. falsò adscriptus Bonifacio Papæ.

Falsò Canon 8. tribuitur Bonifacio ad Episcopos Galliæ, sed desumptus est *Novella* 123. *cap.* 7. *Justiniani*, quamvis Gratianus non referat ejus verba, sed Justiniani veteris interpretis, qui Justiniani Novellas in epitomen redegit, & inter hujus Novellas refertur ordine 115. è cujus capite 10. hic Canon totidem verbis descriptus, omissa tamen hac clausula, *nisi Imperialis Jussio præcesserit*; sive ut legitur *cap.* 3. citatæ Novellæ: » Neque pro qualibet pe» cuniaria causa vel criminali Episcopum ad Judicem » civilem aut militarem invitum producere aut exhi» bere *citra imperialem jussionem permittimus*: qua » clausula evincitur, quod juxta hanc Novellam res» cripto Principis Episcopum evocari posse litis cau» sa ad Judicem civilem vel militarem, ut hîc notat » Dionysius Gothofredus. «

Item Canones 9. 10. & 33. ex Pseudo-Synodo Romana sub Sylvestro.

Referuntur Canones 9. 10. & 33. ex Pseudo Synodo Romana, aut ejus Epilogo sub Sylvestro Papa, quorum hæc est sententia, quod Laici adversus Clericos in testes & accusatores recipiendi non sunt, nec Clerici Clericos coram Judice seculari ullatenus accusare possint, diciturque Canone 10. *Si quis Clericus accusans Clericum in curiam introierit, anathema sit.* Monet autem Gratianus ad calcem Canonis: » Subaudiendum est, si publicorum Judiciorum » cognitionem petierit: Episcopale namque judicium » nihil obest ab Imperatore postulare. «

Hanc distinctionem ut probet Gratianus subjicit *Canone* 11. decretum sub nomine *Concilii Carthaginensis* VIII. sed eo nomine significari Milevitanum Concilium monet correctio Romana. At in codice Ecclesiæ Africanæ extat Canone 104. ex Concilio Carthaginensi Anni 407. eoque decernitur, ut *quicunque ab Imperatore cognitionem publicorum negotiorum petierit, honore proprio privetur: si autem Episcopale Judicium ab Imperatore postulavit, nihil ei obsit.* Vide Scholion ad hunc Canonem in Tractatu Historico Canonico sæpe citato.

Relato autem hoc Canone monet Gratianus: » Sic & sequentes auctoritates intelligendæ sunt, qui» bus Clericorum causas non nisi Clerici cognoscere » jubentur. «

Item Canones 29. 30. & 32. ex falsa decretali Clementis Papæ.

Non majoris ponderis quàm hactenus relati sunt Canones 29. 30. & 32. ex falsa decretali Clementis Papæ ad Jacobum fratrem Domini, tenduntque ad interpretationem supra citati capitis 6. Epistolæ ad Corinthios, in qua Paulus Christianos omnes, tàm Clericos, quàm Laicos, quantum valet, à litibus deterret. Unde & in citatis Canonibus, Petrus inducitur alloquens Clementem, ut ab omni strepitu judiciorum abstineat, & soli Ecclesiæ vacet: impietatis enim crimen esse, ait, Episcopum, neglectis verbi Dei studiis, solicitudines suscipere seculares. Unde hæc Clementis decretalis generaliter interdicit Episcopis negotiorum *secularium* tractationem: proinde malè à Gratiano restringitur ad cognitionem negotiorum secularium virorum, non secularium causarum: ut hoc pacto accommodet Canones ex hac pseudo-decretali confectos, ipsamque confictam decretalem conclusioni quam subjungit Canoni 47. » Negotia Clericorum sive criminalia, sive civilia » fuerint, nonnisi apud Ecclesiasticum Judicem ven» tilanda sunt. « Hæc latiùs deducit citatus Franciscus Florens, unà notans quod *seculo* IV. Imperatorum constitutionibus inductum esset, ut in rebus, quæ ad religionem & *Fidem*, aut *disciplinam* Ecclesiasticam pertinerent, Episcopi soli cognoscerent, tàm inter Clericos, quàm Laicos, cujuscunque conditionis forent: in reliquis verò negotiis Magistratuum tribunalia omnes omninò Clerici adire tenebantur. Solis Episcopis Constantinus primùm indulsit, ne coram publicis Magistratibus convenirentur, nisi jussu Imperatoris nominatim judices delegarentur in causis criminalibus gravioribus.

Non tantùm apocrypha plura impendit hîc Gratianus; sed ex authenticis monumentis deprompta mutilat, & nonnunquam in alienum sensum detorquet.

Item Canon 5. in alienum sensum detortus.

Exemplo sit Canon 5. desumptus pro sua parte ex *L.* 3. *Codic. Theod. de Episcopali judicio*; sed mutilatus, & alienum sensum à Gratiano detortus: nam post hæc verba Canonis: *habent enim illi* (Episcopi, vel qui necessitatibus Ecclesiæ deserviunt) *Judices suos, nec quidquam his, publicis est commune cum legibus*: omisit quod præcipuum erat in ipsa lege: *quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi*: quod & plenius in integra lege explicatur, ut scilicèt, quibuscunque mora fuerit *quæstio quæ ad christianam sanctitatem pertineat, eos deceat sub eo Judice litigare, qui præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum, id est, Ægypti diœcesim*, scilicèt Timotheo Alexandrino Episcopo: *quidquid verò negotiorum aliunde inciderit* à præfecto Augustali decidi mandat.

Itaque ex legis contextu clarum est, in hac lege probari distinctionem, quæ occurrit in *L.* 1. *Cod. Theod. de Relig.* ut in omnibus causis ad religionem pertinentibus, Episcopale Judicium adeatur, in reliquis verò negotiis Judices publici sivè seculares.

Hinc patescit, Gratianum detorsisse hunc textum in sensum omninò alienum, dum ex illo concludere vult generaliter & indefinitè, ad secularia judicia nullum Clericum esse protrahendum, ut habet summarium Canonis.

Pars altera Canonis desumpta est ex historia ecclesiastica Rufini, qui plenius historiam enarrat; cujus hîc duntaxat summa refertur, & cujus mentio tùm apud Gratianum tùm apud alios Canonum collectores passim adducitur, ut probent Constantinum credidisse se de Episcoporum excessibus judicare posse.

Verùm si historia, prout à Rufino refertur, penitus expendatur, non de gravioribus criminibus, sed de solis jurgiis & simultatibus inter Episcopos exortis agi deprehendetur, de quibus Constantinus judicium ferre recusavit, non tantùm propter summum honorem, quem exhiberi Episcopis voluit, sed etiam, ut ipse pronuntiavit Constantinus, ut omissis hujuscemodi contentionibus, illa, quæ ad fidem pertinerent, tranquillo & pacifico animo deciderent, prætermissis hisce jurgiis & contentionibus.

Plura alia notanda exempla mutilatorum, & in alium sensum detortorum Canonum hac quæstione occurrentia exponit citatus Florens.

Ideo tot apocrypha, & mutilata à Gratiano adducta sunt, quod ejus scopo congruerent.

Nec mirùm videri debet Gratianum tot apocrypha mutilata, & in alienum sensum detorta adduxisse hac quæstione; cùm enim propositum esset Gratiano, Episcoporum jurisdictionem, & Clericorum immunitatem, sive privilegia fori amplificare, non dubitavit adducere ea, quæ confictis decretalibus magna copia continebantur: nec non quæ apud recentiores Collectores Isidorum secutos reperit conducentia ad hanc amplificationem.

Hanc quæstionem magna eruditione commentatus est Franciscus Florens.

Cæterum etiam ipse Franciscus Florens exactiùs & pressiùs in citato commentario hujus quæstionis segregavit summa diligentia, & eruditione Canones apocryphos à sinceris, & mutilatos ad suos fontes & integritatem reduxit; singulosque suæ respectivè ætati assignavit, atque ita ostendit, quæ sensim labentibus seculis circa jurisdictionem Ecclesiasticam & forum Clericorum varietas contigerit, ut meritò hic commentarius pro absoluto tractatu de jurisdictione ecclesiastica reputandus sit, in quo plurima admodum notanda, & magna eruditione referta occurrunt, quæ legisse non pœnitebit.

Conclusio ex tot apocryphis à glossographo ipsisque Pontificibus deducta.

Interim glossographus, & alii juris interpretes non distinguentes falsa à veris, vel mutilata ab integris, secuti simpliciter auctoritates, prout in Gratiani Decreto extabant, concluserunt, Clericum *in omnibus causis criminalibus* indistinctè, & in civilibus, solis penè feudalibus exceptis, coram Judice Ecclesiastico conveniendum, quin nec huic privilegio fori renuntiare posse: uti & Pontifices, quorum resolutiones in decretales sunt relatæ, responderunt, secuti similiter auctoritatem Decreti Gratiani: à quibus tamen usu fori signanter Belgici multum recessum est, uti in *Jure Eccles. Part.* 3. *tit.* 1. annotavi.

QUÆS-

QUÆSTIONES II. ET III.

Qua pœna dimunsit Clericum coram jus dice seculari conveniens.

RESoluta prima quæstione, utrum Clerici ad civilem Judicem sint vocandi, proponit secundam, utrum Clericus suspensione dignus sit, qui Clericum à suo Episcopo ad Judicem secularem attraxerit.

Huic quæstioni in textu subjungit Gratianus: » quod » verò culpa illa suspensione digna sit, ex capitu» lo illo Milevitani Concilii liquidò constat; si enim » communione privandus est, qui Clericum ante ci» vilem Judicem crediderit protrahendum; multo ma» gis suspensione dignus est, qui sui Episcopi ju» dicium interpellantem ad Judicium seculare pro» trahere non dubitavit.«

Hanc quæstionem sufficienter solutam existimans Gratianus, immediatè proponit tertiam his verbis: » Sed ponatur quod hæc culpa suspensione digna » non fuerit; quæritur, utrum sit deponendus, qui » officium contra prohibitionem Episcopi celebrare » ausus est? «

Occasione arrepta, agit hic Gratianus de excommunicatione.

Occasione suspensionis & depositionis, quam in casu posito meruisse posset Clericus, tractat hîc Gratianus de excommunicatione, & reconciliatione excommunicatorum, dividens quæstionem in decem partes.

Primam partem præcipuè impendit ad probandum, quod excommunicati ob omnibus vitandi sint.

Quid agendum illi, qui se injustè excommunicatum credit.

Et quidem quod is, qui se injustè excommunicatum credit, possit quidem querelam suam coram Synodo Episcoporum proponere, sed tamen interim donec causa finita, & judicata sit à communione abstinere, & Episcopo obedire teneatur: in cujus probationem adducit Canones II. & VI. ex Concilio Antiocheno, cujus Canonem 4. relatum *Can.* 6. exhibet rursus *Can.* 7. ex versione Martini Bracharensis, tanquam ex Concilio Martini Papæ. Addit eundem in finem *Can.* 4. decretum Concilii Sardicensis. Item *Can.* 5. Concilii Carthaginensis II. Can. 8. qui in Codice Africano conficit Canonem 11.

Porrò Canones hos non parùm mutilatos & ab originali discrepantes referre Gratianum, ex notis Correctorum Romanorum videri potest.

Observant quoque hi Correctores Canonem 9. à Gratiano relatum ex *Concilio Africano*, non reperiri in Concilio, quod hodiè inscribitur *Africanum*; sed haberi in Codice Africano Canone 29. de quo vide Tractatum Historico Canonicum ad dictum Canonem.

Gratianus *Can.* 11. 12. 14. 15. 16. & 17. adducit plura fragmenta ex falsis decretalibus, quæ non obscurè manum recentiorem ostendunt, ac notanter *Canone* 14. ex decretali Anteri Papæ, in qua dicitur, quod in veteri quidem lege non obtemperans sacerdotibus, aut extra castra positus, lapidabatur à populo, *aut gladio cervice subjecta contemptum expiabat cruce: nunc verò inobediens spirituali animadversione truncatur, & ejectus ab Ecclesia, rabido dæmonum ore discrepitur.*

De modo quo excommunicati possunt innotescere.

Adduci tandem *Can.* 20. decretum sub nomine Honorii Papæ, quo præcipitur, ut „ curæ sit om» nibus Episcopis excommunicatorum omnium nomi» na, tam Episcopis vicinis, quàm suis Parochianis » pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ » foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare; » quatenus in utraque diligentia, & excommunica» tis ubique Ecclesiasticus aditus excludatur, & ex» cusationis causa omnibus auferatur.«

Decretum hoc non posse tribui Honorio II. rectè notavit Stephanus Baluzius, cùm referatur à Burchardo, Anselmo & Ivone, qui ante Pontificem hunc scripserunt. Neque inter Epistolas aut decreta Honorii I. reperitur; nec mirum, cum illud sit pars prior Canonis decimi Concilii Ravennatensis Ann. 877. Præside Joanne Papa VIII. celebrati, quod & extat *tom.* 9. *Concil. General. col.* 299. ipsum Canonem Ivo *part.* 14. sui decreti *cap.* 65. rectè tribuit Joanni VIII. in Concilio apud Ravennam, quem eadem part. *cap.* 113. falsò tribuerat Honorio: Gratianus verisimiliter hoc decretum viderat apud Ivonem hîc citatum sub nomine Honorii, & sine ulteriori reflexione ita retulit in suum Decretum. Interim certum est simili aliqua forma usos Episcopos jam pridem fuisse, ut excommunicati innotescerent, & ab

Qui excommunicati vitandi.

omnibus vitari possent, signanter nominatim & per sententiam excommunicati de quibus hîc agit Gratianus, & ad quos ad calcem dicti Canonis generalia asserta de vitandis excommunicatis restringenda monet his verbis: *Verùm hoc de nominatim excommunicatis intelligitur*: Addit insuper, „ excommunica» tionis pœnam dupliciter subimus, & dum reatum » incurrimus, & dum sententiâ notamur.«

In probationem sui asserti (à quo inchoatur *pars secunda*) refert verba Origenis sub nomine S. Hieronymi, uti & Canone sequenti: quia ipse Hieronymus homilias Origenis latinas fecit, uti notant Correctores Romani.

Distinguitur in hunc finem multiplex excommunicatio.

Priore itaque Canone dicitur dupliciter aliquem ob crimen admissum tradi satanæ: uno modo „ cum » delictum ejus *manifestum* sit Ecclesiæ, & per Sa» cerdotem pellitur de Ecclesia, ut notatus ab om» nibus erubescat.....alio modo.....cum peccatum ejus » manifestum non fit hominibus, Deus autem, qui » videt in occulto....talem tradit Satanæ.

Alia est coram Deo, alia coram hominibus.

Hoc testimonio relato concludit: „ Cùm ergo, » per *sententiam* quis nominatus fuerit, cum eo com» municare non debemus: cùm autem solo reatu, *oc» cultæ* excommunicationis contraxerit pœnam, non „ est ab ejus communione cessandum.«

Adductis deinde auctoritatibus, quibus probatur, malos in Ecclesia nonnunquam tolerandos, ne eradicando zizaniam eradicemus simul & triticum: tum rursus concludit ad calcem Canonis 24. » Evi» denter itaque ex præmissis apparet, quod eorum » communionem vitare non cogimus, qui sententia » notati non sunt. «

Alia separat à consortio fidelium.

Addit dein, quòd ipsius sententiæ notatio multipliciter intelligatur: » aliquando enim, ait, arcetur » quis à liminibus Ecclesiæ, & à communione *Cor» poris & Sanguinis Christi*, vel *teste conscientia*, » juxta illud Apostoli: *probet se homo*, &c. «

Alia tantum privat communione Corporis Christi.

Interdum » sententiâ ecclesiastica, sicut pœni» tentes, quibus tempore finito beneficium reconci» liationis impenditur.« *Hæc sententia excommunicatio vocatur: quia à communione Corporis & Sanguinis Christi notatum prohibet.....qua sententia non separatur quis à consortio fidelium.*

Est, ait, & alia sententia, quæ *anathema* vocatur, quâ quisque separatur à consortio fidelium.

De hac sententia intelligendos esse Canones vetantes communicare cum excommunicatis monet. Hanc distinctionem excommunicationis multis auctoritatibus ibidem indicatis, probatam esse asserit: notans quæ de una, & quæ de altera excommunicationis specie intelligenda sunt.

Post hæc subjungit duos Canones, nimirùm 25. & 26. quibus probet, quod *communicare non liceat iis qui excommunicatis communicant* uti habet summarium Canonis prioris, monetque ad calcem Canonis posterioris: „ sed hoc specialiter in his, qui » excommunicatis *nominatim* communicant.«

Speciale decretum Concilii Toletani circa vitandos excommunicatos.

At speciale est id in posteriore Canone ex Concilio Toletano, quòd cum Laico aut Clerico abstento communicare, duntaxat vetentur Clerici vel Religiosi, declaratque quod » hoc pertineat ad eos » Clericos, qui ejusdem Episcopi sunt, & ad omnes, » qui commoniti fuerint de eo, qui abstinetur, si» ve Laico quolibet, sive Clerico. « Ex hoc Canone tria elici posse videntur. Primò, abstentum seu excommunicatum, à Clericis tantum & religiosis, non verò à laicis debuisse vitari. Secundùm, quod præcepto de vitando excommunicato tenerentur tantùm Clerici diœcesani Episcopi excommunicantis. Tertium, quod præter Clericos & Religiosos, qui generaliter tenebantur vitare excommunicatum, jus esset Episcopo cuilibet laicorum (prout ipsis videbatur expedire) speciali commonitione prohibere communionem cum excommunicato, &c.

An & quousque injusta excommunicatio sit servanda.

Post hæc progreditur Gratianus referre Canones de excomunicatione loquentes, ac præsertim eos, qui dicunt excommunicationem, quam quis putat injustam, esse servandam quousque vel ab excommunicante, vel à Synodo vel alio superiore absolutionem meruerit, vel declarata fuerit excommunicatio injusta.

Auctoritates plures hîc adducit, at partim apocryphas, aut dubias, partim alio spectantes.

Inter apocryphas recensendum, quod *Can.* 27. adfertur ex Epistola Urbani I. *cap.* 5. quam inter putridas Pseudo-Isidori merces referunt passim eruditi.

Ad-

Adducta *Canone* 28. ex Synodo VIII. non haberi in ulla Synodo quæ VIII. dicitur, notant Correctores Romani, qui unà monent, „ quod multa, » quæ à Gratiano ex Synodo VIII. citantur in regulis » Basilii, Isidori, & aliis ad Monachos pertinentibus » inventa sint. « Et quidem præsentis Canonis verba ex regula Magistri (quam integram edidit Lucas Holstenius in codice regularum) accepta esse apparent, ubi *cap.* 13. legitur: » Si quis verò Frater, aut » palam, aut absconsè cum eo (Monacho excommu- » nicato) fuerit collocutus aut junctus, communem „ statim cum eo excommunicationis contrahat pœnam „ & ab omnibus ipse reus sit.“ Hîc latiùs de excomunicatione Monachorum agitur, de quo plura quoque tradit notatu digna Hugo Menardus in notis ad concordiam Regularum, & nonnulla notavi in *Jure Eccles. Part. 3. tit.* 11. *cap.* 3. Exiguæ & suspectæ quoque fidei sunt quæ *Canone* 37. sub nomine *Gelasii*, & *Canone* 38. sine nomine auctoris præfixo nomine *Palea* adducuntur.

Quod ex Concilio Carthaginensi II. relatum est *Can.* 29. spectat ad evitationem excommunicati, & adductum *Canone* 56. ex Carthaginensi V. ad Clericos de crimine infamatos, se in Synodo purgare recusantes, de quo consuli potest sepè citatus tractatus ad Can. 39. Codicis Africani. Denique sub nomine Milevitani Concilii II. relata *Canone* 34. præscribunt, ut Clericis, qui se injustè excommunicatos queruntur, querelas suas instituere & appellare liceat.

De gravitate pœnæ excommunicationis.

Gravitatem pœnæ excommunicationis ostendit Augustinus adductus *Canone* 32. & 33. aitque *Nihil debet sic formidare Christianus, quam separari à Corpore Christi*; quod contingit per justam excommunicationem.

Licèt inter adducta sint paucissima, quæ probent sententiam licèt injustam esse servandam, tamen quia id præcipuè præ oculis habuisse apparet Gratianum, subjicit tandem Canoni 40. discursum, quo ostendit, quo sensu intelligendum sit, sententiam licèt injustam, esse servandam: » Præmissis auctoritatibus (ait) qui- » bus injustæ sententiæ usque ad examinationem utrius- » que partis parere jubemur, ita respondetur. Grego- » rius (in Canone 1.) non dicit sententiam injustè la- » tam esse servandam, sed timendam, sicut & Ur- » banus (in Canone 27.) timenda est ergo, id est *non* » *ex superbia contemnenda.* Reliquæ verò auctoritates » de excommunicatis loquuntur, qui vel vocati ad sy- » nodum venire contempserunt, vel calliditatibus ad- » versantium occurrere nescientes injustam sententiam » à Judice reportaverunt, vel qui neglectu suæ vitæ » sinistram de se opinionem nasci permittentes, sen- „ tentiam in se exceperunt. Hos siquidem solos ex- „ communicationis sententia ferire licet.“

Quam ob causam ferri possit excommunicatio.

Tum tres Canones allegat, quibus probet, ex levibus causis neminem excommunicandum: „ nemo Episcoporum quemlibet sine certa, & manifesta peccati „ causa communione privet Ecclesiastica. Sub anathe- „ mate autem sine conscientia Archiepiscopi, aut Co- „ episcoporum nullum præsumat ponere, nisi undè „ *canonica docet auctoritas*: quia anathema est æternæ „ mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet im- „ poni crimine, & illi qui aliter non potuerit corri- » gi, “ uti loquitur Canon 41. ex Concilio Meldensi. Quam hæc parum conveniunt, cum hodierna excommmunicationum frequentia, præsertim latæ, aut ferendæ sententiæ!

His præmissis in parte sua 4. subjecta Canoni 43. monet: *De his* (*hoc est justè excommunicatis*) *inquam, & hujusmodi, præmissæ auctoritates loquuntur, non de injustè suspensis*; id est auctoritates, quæ dicunt, sententiam excommunicationis esse timendam & servandam.

Quo sensu sententia injusta pastoris non sit timenda.

Ut hoc amplius probet, pluribus auctoritatibus ostendere pergit, quod *sententia Pastoris reum vel innocentem non constituat vel faciat*, uti habet titulus Canonis 44. imò *Canone* 46. dicitur sub nomine Gelasii Papæ: „ Si injusta est sententia, tantò eam cu- „ rare non debet, quantò apud Deum & Ecclesiam „ ejus neminem potest iniqua gravare sententia.“

Et ex Augustino *Can.* 50. „ Qui obest homini, „ quod ex illa tabula non vult eum recitare humana „ ignorantia, si de libro vivorum non eum delet ini- „ qua conscientia.“

Plura hanc in rem congerit Gratianus, ut evincat sententiam injustam non esse homini Christiano timendam, sed unicè ipsi esse timendum, ne mala conscientia apud Deum ligetur: nec multum curandum, quæ sit hominum de nobis opinio, modò de nullo nos conscientia accuset.

Cum autem *Canone* 55. ex S. Gregorio dixisset, non esse curandum, si ob opus nostrum interdum aliqui scandalizentur; eosque tanquam cæcos & Duces cæcorum dimittendos, monet ad calcem ipsius Canonis, „ hoc inter eos observandum esse, qui pa- » rati sunt suspicari quod non vident, parati semper » reprehendere, nunquam imitari; apud alios autem » conscientia est necessaria nobis, fama illis. «

Postremam hanc partem probat *Canone* 56. verbis S. Augustini, quibus docet. sanctos non tantùm debere esse solicitos, ut se à crimine coram Deo immunes custodiant, sed etiam bona provideant coram hominibus, concludens: *nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.*

De servanda excommunicatione etiam injusta varia refert Gratianus in speciem contraria.

Tandem ad calcem Canonis 64. „ Ex his datur in- » telligi, quod injusta sententia nullum alligat apud „ Deum; nec apud Ecclesiam ejus aliquis gravatur „ iniqua sententia, sicut ex Gelasii capite (in Can. 46.) „ habetur: non ergo ab ejus communione abstinendum „ est; nec ei ab officio cessandum, in quem cognosci- „ tur iniqua prolata sententia. Ex his dictis quærit: cur „ ergo Capitula Carthaginensis & Africani, atque „ aliorum Conciliorum prohibent injustè damnatum „ in communionem recipi ante judicii examinationem? „ Cur & illud in Concilio Moguntinensi statutum est?“

Tum subjungit *Canone* 65. sub nomine Concilii Moguntini, quod extare in Concilio Toletano IV. *cap.* 27. monet correctio Romana; reperiturque hodie apud Labbæum *cap.* 28.

Hoc decreto præcipitur, » ut si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, à gradu suo injustè dejectus in „ secunda Synodo innocens reperiatur, non possit es- „ se quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat de manibus Episcoporum coram Altari: si Episcopus est, „ orarium annulum & baculum: si Presbyter, ora- „ rium & planetam: si Diaconus, orarium & albam: „ si Subdiaconus, patenam & calicem; sic & reliqui „ gradus in reparatione sua recipiant ea, quæ cum or- „ dinarentur perceperant.“

Apud Labbæum *tom.* 5. *Concil. General. col.* 1714. notatur in margine, pro *secunda* in aliquibus legi, *sancta*; item quod planeta sit, quam aliàs *casulam* vocamus: Item pro, *in reparatione sua*, legitur, *in reparationem sui*: quæ lectio non obscurè innuit, hanc instrumentorum redditionem adhiberi, non ad reordinationem, sed ad ministerii restitutionem: quemadmodum in ipsa ordinatione hæc instrumenta jam tradi creditum fuit, non quasi in eorum traditione materia aut forma essentialis ordinis consisteret, sed ut documenta potestatis acceptæ, & pignora exercendæ, uti loquitur Morinus de *SS. Ordinat. part. 3. exercit. 7. capit.* 1.

Ut illa conciliet, ostendit sententiam multipliciter posse dici injustam. Alia est injusta ex animo proferentis, licet ex causa & ordine justa sit.

Hæc in speciem contraria conciliare volens Gratianus monet ad calcem hujus Canonis 65. sententiam variis modis posse dici injustam: » primò enim senten- » tia aliquando est injusta ex *animo* proferentis, jus- » ta verò ex *ordine & causa*.... puta, cum aliquis » servata integritate judiciarii ordinis in adulterum, vel » in quemlibet criminosum, non amore justitiæ, sed » livore odii vel pretio, aut favore adversariorum in- » ductus sententiam profert. «

Hac occasione multis Canonibus ostendit Gratianus, quod Judex non ex cupiditate, vel passione, sed amore justitiæ in ferenda sententia, & administratione justitiæ procedere debeat: ac demum Canoni 72. subjicit hanc conclusionem: » Huic itaque sen- » tentiæ: quæ non amore justitiæ, sed ex alia quali- » bet causa fertur, in quemquam, humiliter obedien- » dum: « quia nimirum servato ordine judiciario, & ex justa causa lata est, licèt Judex ex proprio vitio, non amore justitiæ, sed odio aliave passione mala eam protulerit.

Alia est injusta ex ordine, sed justa causa.

Gratianus prosequens divisionem injustæ sententiæ ad calcem Canonis 73. ait: » Item sententia est in- » justa ex ordine, quando non servato judiciali ordi- » ne, quilibet pro sua culpa damnatur. «

In probationem hujus asserti refert Gratianus aliquos Canones, quibus probet, sententiam non esse nisi ex probatis proferendam, necnon auditis ac examinatis ipsis accusatis, intermixtis nonnullis apocryphis, ac signanter, quæ *Canone* 76. refert ex Epistola Damasi Papæ, de qua in nota marginali *tom.* 2. *Concil. General. col.* 882. ait Labbæus: *Commentum est*

est Mercatoris, non sancti Damasi Epistola. Et quod *Canone* 77. citat ex Synodo VIII. esse Isidori monet Correctio Romana.

Relatis hisce auctoritatibus concludit Parte 6. ad calcem dicti Canonis 77. „Cum ergo sententia *ex ordine* injusta est, sed justa ex causa, *nec tunc ab ea recedendum esse*, quia etiam, antequam sententia daretur in eum, pro qualitate reatus sui ligatus apud Deum tenebatur. Exemplum ponit: si adulter sententiam pro sacrilegio, (hoc est, dum revera adulterium commisit non sacrilegium) reportet, cujus reatum in conscientia non habet; hæc sententia, ait, etsi injusta sit, quia non est in eo crimen super quod lata est sententia; tamen justè ab eo reportata est, quia ex reatu adulterii jam diu apud Deum excommunicatus fuerat." Credit autem Gratianus de hac sententia injusta *ex ordine*, sed justa ob *causam*, intelligi S. Gregorii dictum in Canone 1. *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* At si integer textus Gregorii (quem etiam hic ex *homilia* 26. *in Evangel.* profert Gratianus) ritè expendatur, id unicè intendit S. Doctor, non *facilè* spernendam Pastoris sententiam, sed timendam à subdito, ne fortè dum credit eam esse injustam, revera apud Deum justa sit: „Nec Pastoris sui judicium, *inquit Gregorius*, temerè reprehendat: ne, etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat."

Sententia Gratiani de timenda sententia injusta non congruit textui Gregorii.

Nequaquam proindè congruit sententiæ Gratiani textus S. Gregorii, quasi excommunicatus ob certum crimen in sententia expresum, se pro excomunicato gerere deberet, dum certum esset, se à crimine illo esse planè immunem, tametsi ob aliud crimen soli Deum notum, & super quo in Judicio nunquam fuit accusatus, aut auditus, se coram Deo esse reum & excommunicatum agnosceret.

Proponit deindè Gratianus tertiam speciem injustæ sententiæ, quando „nullum subest crimen, & tamen vel odio Judicis vel factione inimicorum opposita sibi sententiam damnationis in se excipit."

Alia denique sententia injusta est ex causa.

Occasione cujus ostendit, quot modis judicium Judicis pervertatur, quamque grave sit, ex perverso Judicio sententiam proferre, aut etiam falsum testimonium dicere, vel veritatem occultare: sed pauca sunt, quæ pertinent ad judicialia; & pleraque unicè probant, cum, qui verbo aut opere veritatem, aut justitiam negat, etiam Christum negare; atque *Canone* 84. ex Hieronymo scribit: „Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo. Negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo."

Hæc excommunicata tem potius quàm excommunicatum ladit.

Pluribus in hanc rem relatis (sed aliquibus non suis auctoribus assignatis, ut observant Correctores Romani) subjungitur Canoni 86. *Hæc Sententia* (nimirùm injusta ob defectum causæ) *potius Judicem lædit, quam eum, in quem temerè fertur.*

Probat id *Canone* 87. in quo ex S. Augustino dicitur: „Si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc patitur injuriam; Spiritus enim Sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli ingerit pœnam."

Et Canone 88. ex S. Gregorio ostendit, quod Prælatus, cujus vita officio non congruit, sæpius alios *ipse ligatus* damnet immeritos.

Et Canone 89. ex pseudo-decretali Calixti Papæ probat, *viribus carere sententiam injustè prolatam*, ut habet Canonis summarium.

Et Canone 90. ex Augustino: *qui justus, & injustè maledicitur, præmium illi redditur.*

Huic Canoni subjicit Gratianus: „Hic etsi, ut dictum est, non teneatur ligatus apud Deum, sententiæ tamen parere debet: ne ex superbia ligetur, qui prius ex puritate conscientiæ absolutus tenebatur."

Hæc Gratiani assertio congruit cum eo, quod suprà ex S. Gregorio diximus. Cæterum de sententia excommunicationis licèt injusta, ob scandalum ex ejus contemptu timendum, meritò tenenda, sive non contemnenda latiùs egimus in Tractatu *de Censuris.*

Superiori obediendum non est in rebus illicitis.

Post hæc immediatè subjungit Gratianus *septimam* suæ quæstionis *partem*, in qua ostendit, a subditis obedientiam esse servandam Prælatis in rebus illicitis, quod ibidem pluribus auctoritatibus adstruit; atque inter alias notabili textu S. Hieronymi *Canone* 93. quatumvis & inter auctoritates hîc adductas nonnullæ desumantur ex falsis decretalibus, quas pseudo-Isidorus ex SS. Patribus decerpsit, & suis falsis decretalibus inseruit.

Ex his auctoritatibus concludit ad calcem Canonis 101. „Cum ergo subditi excommunicantur ideò, quia ad malum cogi non possunt, tunc sententiæ non est obediendum, quia juxta illud Gelasii (in Canone 46.) nec apud Deum nec apud Ecclesiam ejus quemquam gravat iniqua sententia."

Prosequens Gratianus materiam excommunicationis Parte 8. subjecta Canoni 101. ait: „Quod supra communicantes excommunicatis ab Ecclesia abjici jubentur, non de quolibet modo communicantibus intelligendum est."

An & quantum vetitum sit communicare cum excommunicatis.

Inter Canones prolatos præcipuè notandus Canon 103. ex Concilio Romano sub Gregorio VII. quo prohibitio non communicandi cum excommunicatis multùm restringitur: pluresque personæ ab eo substrahuntur, ac declarantur cum excommunicatis citra periculum censuræ posse communicare; estque unicus, qui asserto Gratiani congruit.

Quod *Canone* 102. profertur sub nomine Nicolai I. *Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo*, casum particularem concernit, & ab Antonio Augustino *lib.* 2. *de emend. Grat. Dial.* 15. dicitur, *incertis esse collocandum*: extatque inter decreta Nicolai I. ex Gratiano collecta *tit.* 7. *n.* 20. similiter, & quæ *Canone* 104. ex Epistola Bonifacii ad Zachariam Papam, & *Canone* 105. ex hujus responsorio adducuntur, ad casum specialibus circunstantiis circumscriptum pertinent.

Part. 9. post Canonem 105. duobus Canonibus expressit veteres formulas excommunicandi, quarum postremam erroneè attribuit Concilio Arausicano, secutus errantem Burchardum, ut rectè notavit Baluzius in notis: neque enim hæ formulæ, quæ uberiores extant apud Reginonem *de Eccl. Disc. lib.* 2. *cap.* 409. & sequentibus, ætate hujus Concilii adhuc notæ erant.

Vetus formula excommunicandi.

Addit & Gratianus *Canone* 108. formulam reconciliandi excommunicatos, quam similiter per errorem secutus Burchardum eidem Concilio tribuit.

Formula reconciliandi excommunicatos.

Denique materiam hanc concludit *Parte* 10. qua, prolato Canone 109. sub nomine Joannis VIII. probat, „Quæ pœnitentia sit imponenda Presbyteris, qui excommunicati sacrum mysterium contingere præsumunt."

Quæ pœnitentia imponenda presbytero in excommunicatione ministranti?

Ex his relatis colligitur post tempora Nicolai I. id est, post editas falsas decretales, etiam admodum multiplicatas fuisse censuras; quandoquidem dicatur, quòd ob multitudinem Presbyterorum excommunicatorum remissio pœnitentiæ indulgenda fuerit.

CAUSA DUODECIMA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

GLossographus sub initium hujus causæ eam cum præcedenti ita connectit: *In XI. Causa, quæst.* 1. *Can. Inolita* 42. *& Canone, Placuit* „introduxit Magister Gratianus Clericos litigantes de propriis rebus: sed quia posset dubitari, an possint Clerici habere propria, ideò supponit hanc 12. *Causam*, in qua quærit, an Clerici possint propria habere, & an possint res Ecclesiæ alienare: & an possint condere testamentum, &c.

Hunc in finem ponit hunc casum: „Quidam Clerici propria relinquere volunt, de suis & Ecclesiæ rebus testamentum conficiunt: de rebus Ecclesiæ nonnulla largiuntur." Ex hoc casu elicit quinque quæstiones.

QUÆSTIO I.

Casus hic propositus. An clericis liceat habere proprium. Varia refert Gratianus pro parte negativa. Sed pleraque aut sunt Apocryphæ. Aut ad pro-

Quæstione prima. In priore ejus parte per plures auctoritates discutit in utramque partem, utrum liceat Clericis proprium habere?

Pro parte negativa, nimirùm Clericis non esse licitum proprium habere, profert primis 17. Canonibus plures auctoritates, quarum nonnullæ apocryphæ, & plures non probantes, quod intendit Gratianus.

Apocryphis accensetur, quod *Canone* 2. profertur ex Epistola decretali Clementis I. Item *Canone* 9. & 16. ex pseudo-Epistola Urbani I. & quod *Canone* 15. attribuitur Melchiadi Papæ.

Profertur *Canone* 1. decretum Concilii Toletani IV. quo præscribitur, ut juniores Clerici simul in com-

Probandum intentum Gratiani inepta.

communi domo sub cura sacerdotali educentur: quod decretum hodiernis seminariis prælusit & formam præscripsit: unde & Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reformat.* formam instituendorum seminariorum præscribens verba hujus decreti assumpsit.

Plura adducit Gratianus, quæ unicè vitam communem Clericorum concernunt, puta, *Canone* 3. decretum Concilii Romani sub Eugenio II. & *Can.* 4. Concilii Salegunstadiensis, quod Gratianus per errorem adscripsit Nicolao I. uti notavit Antonius Augustinus *lib.* 2. *Dial.* 17. notatque pro, *Clericorum*, legendum, *Presbyterorum*; ut sensus sit: nulla ædificia in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi *Presbyterorum*. Quæ *Canone* 10. & 11. proferuntur ex Augustino, concernunt non omnes generaliter Clericos, sed qui vitam juxta præscriptum Augustini, omni proprio abdicato, instituere elegerant. Ex Hieronymo allegata *Canone* 5. & 6. non de actuali & reali abdicatione proprii loquuntur, sed unicè ostendunt, quòd Clericus affectu temporalibus renuntiare debeat, ut verè dicere queat: *Dominus pars hæreditatis, & calicis mei.*

His interim relatis concludit: „His omnibus auc» toritatibus claret, quòd Clericis nullo modo liceat » habere quid proprium; quod si habuerint, non » Clerici erunt; non tamen clericatus eis tollendus » est.“ Ut ultimum hoc probet, profert locum S. Augustini ex sermone *de communi vita Clericorum.*

Refert deinde alia pro parte affirmativa.

Post hæc agnoscit Gratianus: *esse alias auctoritates, quibus conceditur propria habere, non solùm Clericis, sed etiam Episcopis.*

Canones à Gratiano relati, ac signanter vulgò Apostolorum *Canone* 21. 22. & 24. necnon Antiochenum *Canone* 23. tractat de modo, quo Episcopi, quorum dispensationi res Ecclesiæ committuntur, eas dispensare, & eis uti debeant, & res propriæ Episcoporum à rebus Ecclesiæ distingui oportere declaratur.

Ex hoc autem concludit Gratianus ad calcem Canonis 24. quòd Episcopi proprium possidere possint.

Hæc in speciem diversa conciliare nititur Gratianus.

Has autem auctoritates in speciem contrarias conciliare intendens Gratianus monet: „Episcopos Orien» tales uxores habere, & filios: quosdam autem ex » nostris partibus, cùm in Laicatu, sive in minori» bus ordinibus constituti, habeant uxores & filios, » sive morte uxoris interveniente, sive continentia » pari voto servata, ad sacros ordines accedere. His » omnibus, ait, conceditur habere *propria* ad suos, » & suorum usus: qui autem ab infantia sacræ mili» tiæ traditi sunt, nullo modo eis permittitur habere » propria, quia nulla est eis excusatio proprietatis; » nisi fortassè retinendo sua, à sumptibus Ecclesiæ » abstineant.“

Sed ejus conciliatio in Canonibus fundata.

Rectè hîc notat Glossographus, malè à Gratiano solvi contrarietatem: neque enim ullum in Canonibus citatis fundamentum habet illa Gratiani distinctio: convenientior apparet, quam adfert Glossographus sub initium quæstionis nimirum, quod Clericis liceat habere proprium: *nisi renuntiaverint tacitè, vel expressè, per professionem Religiosam.*

An bona Ecclesiæ in præbendas distribui possint.

Secunda parte quæstionis resolvit Gratianus res Ecclesiæ posse distribui in *præbendas*, quæ manente *charitate primorum fidelium*, quibus erant *omnia communia*, „piè & religiosè possunt distribui; nec » tunc rebus Ecclesiæ, ut propriis, sed ut commu» nibus utilitatibus deservituris; ut ex his, quæ sibi » assignata sunt, primùm sibi necessaria percipiat; si » qua verò suis necessitatibus supersunt, in commu» nes usus Ecclesiæ expendat.“

Bona Ecclesiæ ejusdem naturæ post divisionem.

Ex hoc Gratiani discursu evidens est, Gratianum non dubitâsse, quin res Ecclesiæ, etiam post divisionem, & erectas præbendas, mansisse ejusdem conditionis, qua erant ante factam divisionem, uti latiùs ostendi in *Jure Eccles. part* 2. *tit.* 32. *cap.* 6.

Episcopi rerum Ecclesiæ dispensatores, non domini.

Inter auctoritates hîc à Gratiano adductas, meritò hanc in rem attenduntur verba S. Augustini relata *Canone* 28. ex Epistola ad Bonifacium comitem, quibus apertè probari apparet, quod ex sententia Augustini nec Episcopis liceat ex bonis Ecclesiæ vivere, si privatim possideant, quod ipsis sufficiat: verba ejus sunt: „Si privatim possidemus, quod nobis » sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quo» rum procurationem quodammodo gerimus, non » proprietatem nobis usurpatione damnabili vindica» mus.“

QUÆSTIO II.

An res Ecclesiæ validè à Clericis distrahi possint.

EX hypothesi, sive casu proposito elicit Gratianus hanc *Quæstionem secundam.* „An res Ec» clesiæ, quæ ab eis (scilicet Clericis) datæ sunt, » possint constare aliqua firmitate eis, qui eas acce» perunt.“

Præcipuè autem hac quæstione discutere intendit Gratianus, an à Clericis res Ecclesiæ validè distrahi possint?

Pro parte negativa plura refert Gratianus, sed parum authentica.

Pro parte negativa plures auctoritates allegat prima parte quæstionis, quæ 16. Canones comprehendit: at plures inter illas apocryphæ, ac dubiæ fidei occurrunt.

Atque in primis allegata *Canone* 1. sub nomine *Stephani Papæ* in Epistolis Stephani I. quæ extant, non haberi monent Correctores Romani: notant autem haberi in *Epistola* 1. *Anacleti*; idemque esse apud Lucium Papam; sed & hæc apocrypha esse hodiè compertum est: tametsi auctoritate Anacleti utatur Concilium Triburiense seculo IX. scitur enim quòd eo tempore falsis illis decretalibus passim uterentur Concilia & Pontifices tanquam authenticis monumentis, uti eruditis omnibus notum est.

Hisce annumeranda quæ profert *Canone* 2. sub nomine *Pelagii Hostilio Episcopo*, quæ in Epistolis Pelagii Papæ non reperiuntur.

Item quæ *Canone* 3. attribuuntur Bonifacio Papæ; rejiciunturque à Labbæo *tom.* 2. *Concil. General. col.* 1587. inter decreta à Gratiano huic Papæ adscripta.

Quæ *Canone* 5. & 6. occurrunt, deprompta sunt è falsis decretalibus Pii I. & Anacleti Papæ, *Can.* 7. citata ex Epistola *Joannis I. ad Zachariam Archiepiscopum*, quæ extant *tom.* 1. *Concil. Gener. col.* 1603. æquè dubiæ fidei sunt: de hac enim & altera hujus Pontificis Epistolis monet ad marginem Labbæus: *hanc cum sequenti supposititiam multa evincunt.* Neque majorem fidem merentur exhibita *Canone* 10. sub nomine *Eusebii Papæ*, *Epistola* 2. quam apocryphum esse hodiè non ambigitur.

Licèt inter adducta hîc à Gratiano plura occurrant parùm authentica, illud tamen à Gratiano assertum verissimum est, res Ecclesiæ à Clericis ut sibi proprias non posse alienari.

Quo pœna puniendi injusti rerum Ecclesiæ invasores.

Addit insuper Gratianus, qua pœna afficiendi sunt invasores, & injusti rerum Ecclesiæ occupatores, eumque in finem citat *Canone* 8. & 9. duos textus sub nomine S. Gregorii, sed infideliter citat priorem, uti notant Correctores Romani, & eruditus auctor notarum ad responsionem S. Gregorii super quarta interrogatione Augustini Anglorum Apostoli.

Adducit quoque *Canone* 10. fragmentum sub nomine Eusebii, quo Ecclesiæ res surripiens, in quadruplum restituere jubetur, quod abstulit. Vide notam Correctorum Romanorum ad hunc Canonem.

Huic dein subjicit *Canone* 11. responsum S. Gregorii ad interrogationem Augustini Anglorum Apostoli. Interrogaverat Gregorium Augustinus: *Quo augmento ea, quæ de Ecclesiis abstulerunt, reddere debeant.* Respondit Gregorius: *sed absit quod Ecclesia cum augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucrum de damnis quærat.*

Canones ea de re in speciem diversos nititur conciliare Gratianus.

Cùm hæc duo testimonia contraria Gratiano apparerent, nec priùs spurium esse sciret, pro conciliatione subdit: „Verum illud Eusebii de legum se» veritate; illud Gregorii de ecclesiastica *mansuetu» dine* dictum intelligitur.“

Quidquid sit de hac Gratiani conciliatione, hoc interim ex S. Gregorii responso notare possunt Ecclesiastici, quòd dum agitur de recuperandis temporalibus Ecclesiæ, etiam defraudatis, aut subreptis, magis secundum mansuetudinem, quàm ex rigore agendum sit.

Res Ecclesiæ licitè impenduntur in redemptionem captivorum. Pœnitentia imponenda vasorum sacrorum prædonibus.

Post hæc probat præsertim auctoritate S. Gregorii res Ecclesiæ alienari posse, in redemptionem captivorum: „Sacrorum Canonum statuta, & legalis » permittit auctoritas, licitè res ecclesiasticas in re» demptionem captivorum impendi;“ ait, *Can.* 15.

Hisce primam quæstionis partem absolvit. In secunda parte ostendere vult, „quæ pœnitentia hujus» modi invasoribus atque prædonibus, qui vasa sacra, » & reliqua divino cultui dedicata arripiunt, & quasi » profana contrectant, sit indicenda.“

Unicum in hanc rem Canonem profert sub nomine Nicolai Papæ scribentis Frontario Archiepiscopo Bur-

Burdigalensi : ubi Burgando cuidam , ejusque complicibus „qui sacrum altare , sacraque Dominici Corporis & Sanguinis vasa , insuper & sanctum Chrisma pollutis arripere manibus quasi vilia, & ad usum communem apta præsumpserunt ; cum ad pœnitentiam acceleraverint , præcipitur , uno anno extra Ecclesiam Dei consistere, cujus sacratissima vasa, extra ritum fidei christianæ diripiendo auferre non dubitaverint. Secundo verò anno *ante fores Ecclesiæ sine communione maneant* : tertio verò anno, Ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes adstant sine oblatione , non manducantes carnem , neque bibentes vinum , præter natalis , & resurrectionis Dominicæ dies : quarto præterea anno , si in his prioribus tribus eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur : totaque mentis intentione spondentes , talia se ulteriùs nunquam facturos , Corpus & Sanguinem Domini suscipere mereantur, & usque ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium , & vini potatione maneant pœnitentes. «

Veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia.

Hîc evidentia sunt veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia : nec mirum , cùm usque ad initium seculi XII. Canonum pœnitentialium usum & rigorem in Ecclesia Latina integrum perseverâsse , notet Morinus *Lib.* 10. *cap.* 16. quamvis circa allegatum hoc fragmentum moneant Correctores Romani , hoc alibi non esse inventum , quàm in collectione Canonum incerti auctoris.

Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 18. monet , *esse incertum* : addens , *In pœnitentiali Romano nuper edito , Nicolai nomen tantùm exstat , & pleniùs quædam scripta sunt.* Habetur apud Cochleum inter decreta hujus Pontificis ex Gratiano collecta *Tit.* 17. *num.* 2.

Prælatis fas non est bona Ecclesiæ alienare.

Tertia & quarta parte suæ quæstionis probat Gratianus allatis auctoritatibus , Prælatis fas non esse res Ecclesiæ alienare ; estque in hanc rem notandus Canon 12. Synodi VII. relatus hîc *Canone* 19. vide Tractatum Historico-Canonicum ad præfatum Canonem.

Bonorum Ecclesiæ quatuor portiones.

Ostendit dein , in quatuor partes redditus Ecclesiæ esse dividendos : » Imò morem esse Apostolicæ » Sedis ordinatis Episcopis præceptum tradere , ut » de omni stipendio , quod accedit , quatuor fieri » debeant *portiones* , una videlicet Episcopo , & familiæ ejus propter hospitalitatem & susceptionem; » alia Clero , tertia verò pauperibus , quarta Ecclesiis reparandis : « uti loquitur Canon 30. ex responsione 1. S. Gregorii ad interrogationem Augustini Anglorum Apostoli.

Allegat hanc in rem nonnulla ex Gelasio I. necnon Simplicio Papa , *& Canone* 31. *ex Concilio Toletano* : At notant Correctores Romani , hoc decretum in nullo Toletano Concilio , aut impresso , aut manuscripto inventum esse : unà monentes in quadam collectione Canonum incerti auctoris tribui Sylvestro : » Quamvis , inquiunt , in Synodo Romana » sub ipso habita *cap.* 4. paulò aliter hæ partes assignentur , id est , ut in præcedentibus huic capitulis. At hanc Synodum cum Canonibus ei adscriptis suppositititiam esse , sæpiùs notavi , multumque » dubito , nùm hæc quadripartita reddituum Ecclesiæ divisio ad ætatem Sylvestri Papæ reduci possit. «

Cæterùm vel ipsa quadripartita proventuum ecclesiasticorum divisio , citato *Canone* 31. decreta, convincit , hunc Canonem nulli Conciliorum Toletanorum adscribi posse , cùm non quadripartita , sed tripartita divisio viguerit in Hispania. Vide fusiùs Thomassinum de disciplina Ecclesiæ *Part.* 2. *tit.* 4. *c.* 16. *n.* 8. *& seqq.*

Sine consensu eorum, quorum interest , res Ecclesiæ alienari non possunt.

Quinta parte hujus quæstionis , quæ incipit à Canone 32. multis auctoritatibus probat , Clericis fas non esse , res Ecclesiæ *sine auctoritate Episcopi*; nec Episcopo sine consilio Cleri sui alienare : atque *Canone* 32. 33. 34. & 35. & 36. recitat plura decreta sub nomine synodi Agathensis , quibus irritæ & invalidæ declarantur alienationes rerum Ecclesiæ per Clericos factæ : quin & Clerici eorumque hæredes ad restitutionem obnoxii declarantur , imò & Clericos alienantes , aut etiam monumenta , sive scripturas ad Ecclesiam pertinentia subtrahentes , aut in alios transferentes , ultra reparationem damni , quod inde Ecclesia pati posset , à communione separandos decernitur.

Deinde *Canone* 37. subjungitur decretum Urbani II. in hæc verba : » Alienationes omnium per intrusionem , seu canonicè electorum sub Episcopi » nomine , aut Abbatis , qui secundum Ecclesiæ suæ » usum consecrandus est : alienationes dico quocunque modo factas , necnon & ordinationes personarum ab eisdem sine communi consensu Clericorum » Ecclesiæ , sive per simoniam itidem factas , irritas judicamus. Illud etiam per omnia interdicimus, » ut nullus Clericus præbendam suam , seu beneficium aliquod ecclesiasticum aliquo modo alienare » præsumat. Quod si præsumptum olim fuit , vel aliquando fuerit , irritum erit , & ultioni canonicæ » subjacebit. «

Circa prædictum decretum sub nomine Urbani II. relatum , meritò attenditur nota Correctorum Romanorum , necnon quæ circa hoc decretum notavit Antonius August. *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 5. è quibus intelligitur , decretum hoc aliter legi apud Anselmum , quàm apud Gratianum , neque in ullo Concilio sub Urb. II. reperiri : imò ex his, quæ apud Anselmum leguntur , videri hoc decretum specialiter concernere quosdam Prælatos , sive Episcopos Ravennæ , qui sine consensu , aut Clericorum consilio res suarum Ecclesiarum temerè alienaverant.

Quidquid sit de hoc decreto , illud sat constat, quòd seculo X. & seqq. Prælati quasi proprietarii bona & proventus Ecclesiarum sua auctoritate alienaverint , quemadmodum & Clerici post erectos titulos beneficiorum & divisionem præbendarum , prout colligitur ex decretis contra has temerarias , & Ecclesiis damnosas alienationes his & sequentibus seculis editis , uti latiùs deduxi in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 36. *de administratione & alienatione bonorum Ecclesiæ.*

Post hæc *Canone* 40. profertur decretum ex Conc. Aurel. Notant hîc Correctores Romani , referri suprà *eadem Causa , Can. si quis , de clericis*, ex Conc. Agath. » Non est autem , inquiunt , mutatus titulus : quia potuit in aliquo etiam Aurelianensi , quòd non extat , esse repertum. « Utinam hoc motivo plura immutata permansissent. Cæterùm consule Baluzium in notis ad dictum *Canonem* 33. *si quis de Clericis.*

Refertur & *Can.* 52. famosum decretum sub nomine *Leonis Papæ universis Episcopis per Siciliam constitutis* , quo præscribitur , ut alienatio ab Episcopo non fiat , nisi *ut meliora prospiciat , & cum totius Cleri tractatu , atque consensu.*

Cujus Leonis sit hoc decretum , nescio : saltem non posse adscribi S. Leoni I. solidè probat Paschasius Quenellus in notis ad Epistolam 17. hujus Pontificis ; notans recentioris disciplinæ esse , quòd in rerum ecclesiasticarum alienatione totius cleri consensum adhibere debeat Episcopus.

Episcopi morientis bona cui reservanda.

Agit & hoc loco Gratianus contra direptores bonorum decedentium Episcoporum , de quo *vide Tractatum Historico-Canonicum ad Canonem* 22. *Chalcedonensem.* Illud hîc notandum *Can.* 47. relatum fuisse à Gratiano decretum sub nomine *Innocentii Papæ II.* quo prædictus Canon Chalcedonensis renovatur. » Correctores Romani , quia nesciebant , ait hîc » Baluzius , ista decreta ab Innocentio primùm fuisse in Concilio Claromontano condita , & certò » existimabant petita esse ex Concilio Lateranensi ejusdem Innocentii ; hæc verba audacter & intrepidè addiderunt : *In Concilio Lateranensi , cap.* 4. Extat » inter Canones ejusdem Claramontani Concilii, ubi » desiderantur voces illæ , *Ecclesiæ* , &c. Cætera » sunt similia , nisi quod Canon Claramontanus habet, » *subjiciantur* , pro eo , quod Gratianus legit , *subjaceant.* « Hæc ille , è quibus patet , quod satius fuisset ex textu totali nihil mutari.

Quibus casibus possit Episcopus res Ecclesiæ sine consilio fratrum distrahere.

Parte sexta Canone 53. ostendit, Episcopum posse » sine consilio Fratrum , si necessitas fuerit , distrahere *terrulas* , aut *vineolas* exiguas , & Ecclesiæ » *minus utiles* , aut *longè positas* , & *parvas* : servos » quoque fugitivos , qui revocati retineri non possunt, » similiter Episcopo distrahere licet. «

Item , Si Rectores Ecclesiæ restituere voluerint, » ecclesiasticas facultates liberè dare possunt , ait *parte septima* adducto unico Canone Agathensi. «

De servis Ecclesiarum eorum alienatione, manumissione, &c.

Octava autem *parte* latè fractat de servis Ecclesiarum , de eorum alienatione & manumissione , & quæ liberti Ecclesiæ debeant , multa ex legibus civilibus de servis, & libertis adducens , præsertim in discursu subjecto Canoni 58. videturque præcipuè in Ecclesiis Hispanicis quæstiones illas de servis Eccle-

siarum fuisse motas, quandoquidem vix aliqua, quam ex Synodis Hispanicis eam in rem decreta ecclesiastica proferuntur.

Quas ob causas res Ecclesiæ alienare liceat.

Parte nona ostendit, quibus de causis servi Ecclesiarum manumitti, seu libertate donari queant: atque hâc occasione rursus agit de causis alienationis, atque ostendit, quòd pro *alimonia pauperum*, *pro redemptione captivorum*, res sacras distrahere liceat, adductis in hanc rem *Can.* 70. & 71. verbis SS. Ambrosii & Hieronymi. Ostendit quoque Episcopum posse *religionis intuitu*, ea in quibus Ecclesia detrimentum non patitur, monasteriis tradere, adducto Canone 4. Concilii Toletani III. qui tam generale Gratiani assertum minime probat: Agit enim de casu, quo unam de Parochianis Ecclesiis suis monasterio dicare voluerit Episcopus. *Can.* 74. restringitur hæc facultas data Episcopis ad partem quinquagesimam rerum Ecclesiæ, quæ in constructionem novi monasterii ab Episcopo donari potest, juxta decretum Concilii Toletani IX. Notanda sunt, quæ dicuntur in hoc Canone, nimirùm, quòd non liceat Episcopis dare monasterio, quod in sua diœcesi ædificare cupit, nisi quinquagesimam, vel ut alia lectio habet, quadragesimam partem rerum Ecclesiæ suæ: *Ut hac temperamenti æquitate servatâ*, inquit Canon, *& qui tribuit, competens subsidium conferat, & cui tollit, damna gravia non infligat.* Quâ determinatione partis quinquagesimæ, seu quadragessimæ restringit præsens Canon indeterminatam de rebus Ecclesiæ monasteriis donandi facultatem, quam Episcopo concesserat Canon 4. Concilii Toletani III. relatus Canone 73. Hinc evincitur, quantâ moderatione Episcopos procedere voluerit hæc Synodus, etiam eâ ætate, qua rariora erant Monasteria.

Tandem concludit Gratianus: »Ecce ostensum »est, quomodo res Ecclesiæ sine culpa dari pos»sint, & constare his, quibus datæ fuerint.

QUÆSTIO III.

Discrimen inter bona ecclesiastica & secularia.

Quæstione tertia quatuor Canones impendit Gratianus, ut ostendat, Clericos de rebus Ecclesiæ intuitu acquisitis, non posse agros, aut alia bona in suum & consanguineorum commodum acquirere, sed ea esse relinquenda Ecclesiæ: de his autem, quæ aliunde, vel proprio labore, aut amicorum liberalitate acceperunt, posse liberè disponere. Quæ distinctio probari videtur Canone 9. Concilii Carthaginensis II. relati hîc Canone 1. Gratianus itaque Canoni 2. subjicit hanc conclusionem: „Ecce »quod illa, quæ non ex officio ecclesiastico, sed ex »aliqua præstatione suæ utilitatis lucratus est, po»test dare quibus voluerit.“

Quandonam bona Clerico data censeri debeant ecclesiastica.

Declarat autem Canon 3. desumptus ex synodo Agathensi, quòd »Pontifices, quibus in summo sa»cerdotio constitutis, ab extraneis aliquid aut cum »Ecclesia, aut sequestratim, aut dimittitur, aut do»natur, non quasi suum, sed quasi dimissum Ec»clesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt.“

Rationem præmittit, *quia hoc ille, qui donat pro redemptione animæ suæ, non pro commodo Sacerdotis offerre probatur.*

Canonem hunc citat Innocentius III. in *cap. requisiti*, *de testam.* ubi exponit, quandonam censeatur aliquid Episcopo intuitu suæ personæ, & quando intuitu Ecclesiæ relictum.

QUÆSTIO IV.

Ad quem pertineant bona à Clericis acquisita.

Quæstione hâc tribus duntaxat constante Canonibus, tractat Gratianus de Clericis, qui vel ex rebus Ecclesiæ, vel propriis, aut utriusque simul aliqua acquisierunt, ad quem res illæ pertinere censeantur; item quid agendum illi, qui ex rebus Ecclesiæ aliquid ad commodum Ecclesiæ acquirit.

Profert autem pro solutione *Can.* 1. decretum Concilii Toletani IX. & *Can.* 2. decretum Concilii Bracarensis, & *Can.* 3. decretum sub nomine Concilii Agathensis, quorum omnium una est sententia, quòd nec Clerici debeant sibi, aut propinquis suis appropriare res è proventibus Ecclesiæ comparatas, nec Ecclesia compendium facere debeat ex rebus, quas Clerici propriis suis bonis comparârunt; teneanturque Clerici de rebus nomine Ecclesiæ acquisitis scripturam facere.

Notandum autem in Canone finali diœcesim accipi pro Parochia, sive Ecclesia Parochiali, quam Presbyter tenet, uti apud veteres frequenter sumi probat Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem, quamvis nonnunquam sumatur & pro tota Episcopi diœcesi; imò interdum extenditur ad distinctum plurium Provinciarum, uti in veteribus Canonibus sæpiùs animadverti potest.

Vox Diœcesis multipliciter apud veteres sumitur.

Cæterum notandum circa hunc, aliosque nonnullos Canones, qui sub nomine Concilii Agathensis à Gratiano aliisque collectoribus allegantur, non omnes videri ab hoc Concilio edito, sed ex alio depromptos huic Concilio postmodum adscriptos fuisse, uti notavit post Laurentium Surium Jacobus Sirmondus in *admonitione* ipsi Concilio Agathensi *tom.* 4. *Concil. General. col.* 1380. præfixa, monens à se observatum esse in codice Gemblacensi, Lugdunensi, Rhemensi, Corbeiensi, Fossantensi, atque in aliis quibusque antiquissimis exemplaribus extare tantùm *octo & quadraginta* Canones; ut proinde 25. sequentes videantur aliunde assumpti & assuti. Et sanè præsens Canon, qui in hoc Concilio signanter *num.* 54. citatur apud Gregorium IX. sub *tit. de peculio Clericorum*, *cap.* 2. ex Concilio Arelatensi. Hæc hîc monuisse sufficiat.

QUÆSTIO V.

An & de quibus bonis Clericus testari possit.

TRactat *Quæst. quinta* de Clericor. testandi de rebus suis auctoritate: atque resolvit Clericum de rebus intuitu Ecclesiæ sive tituli ecclesiastici acquisitis testari non posse. De propriis verò, quæ ante ordinationem habuit, prout judicaverit, disponere possit. Item, si Episcopus vel quilibet ex gradu Ecclesiastico intestatus defunctus fuerit, nec aliqui inventi fuerint, qui jure cognationis succedant, Ecclesia sua ei succedat in integrum: nec licebit alicui aliqua ex rebus ejus præsumere.

Hoc assertum Gratiani unicâ penè auctoritate nititur, quam sub nomine Concilii Triburiensis profert *Can.* 7. quem ex Burchardo, vel Ivone desumpsisse videtur, qui & ipsum citant ex Concilio Triburiensi, cui interfuit Arnulphus Rex *cap.* 14. sed inter Canones hujus Concilii, qui extant *tom.* 9. *Concil. General.* hic Can. non reperitur.

Quid autem moderna disciplina circa facultatem testandi de bonis ecclesiasticis, & de succesione ad intestato Clericorum in bona ab ipsis relicta habeat, latiùs exposui in *Jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 32. *capite* 7. & 8.

CAUSA DECIMA TERTIA.

Ratio connexionis hujus causæ cum præcedenti.

COnnexionem sequentis *Causæ* 13. cum præcedenti conjecit Glossographus dicens: »Suprà dic»tum fuit, quòd quidam Clerici non debent habere »propria. Sed ne aliquis quæreret, unde vivere de»bent, ostendit Gratianus, quòd de decimis, & obla»tionibus vivere debent: sed quia decimis, & obla»tionibus & Sepulturis sæpè oritur contentio inter »Clericos & etiam Laicos: ideò Gratianus subnec»tit hanc 13. *Causam*, in qua ostendit, quid de deci»mis & oblationibus & sepulturis sit observandum.«

Casus hic propositus.

Hunc in finem format Gratianus hunc casum: »Diœcesani cujusdam baptismalis Ecclesiæ cladibus »bellorum pressi, hostili metu compulsi, domici»lia sua transtulerunt in aliam Diœcesim: prædia ta»men antiqua non desierunt colere: cœperunt per»solvere decimas illi Ecclesiæ, in cujus Diœcesin »transierunt, & apud eam sibi elegerunt sepulturas. »Transactis 50. annis, Clerici, quibus quondam per»solverant decimas, cœperunt movere quæstionem »in eos, qui ab istis accipiunt decimas, & veniunt »ad causam.«

Ex hoc casu proposito elicit Gratianus duas quæstiones.

QUÆSTIO I.

Cui competat jus ad decimas & exequias.

PRimam proponit his verbis: »Si illi, quorum »domicilia sunt in diœcesi hujus baptismalis Ec»clesiæ, debeant persolvere decimas illi Ecclesiæ, & »celebrare suas exequias apud eam Ecclesiam, in qua »quondam hæc fiebant à Parentibus eorum.«

Pro resolutione hujus quæstionis unicum fragmentum adducit *prima parte* desumptum ex Pseudo-Epistola Dionysii Papæ ad Severum Episcopum, quo adstruitur divisio Parochiarum & cæmeteriorum, tanquam

quam à Dionysio Papa instituta, definiturque, *ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat; sed sit unusquisque suis terminis contentus.*

Dein *parte secunda* introducit Sacerdotes, qui decimas & oblationes Ecclesiæ baptismali vendicant, fundamenta suæ causæ exponentes.

Tum *parte tertia* exhibet replicam & responsum contendentium decimationes vigore præscriptionis sibi competere, & Sacerdotes oblationibus debere esse contentos. Meritò argumenta utrinque proposita attendenda; eadem enim & hodie occurrunt.

De limitibus Parochiarum.

Verùm rectè hîc notavit Joannes Dartis, nec hoc Canone, nec Canone 1. quæstionis sequentis, ulteriùs tractari de decimis, sed potiùs de terminis, quibus Parochiæ & diœceses circumscribuntur: nam & Canon primus quæstionis sequentis agit de Ecclesiis ad Episcopum pertinentibus; & dicitur Ecclesias possessas per annos 30. ab Episcopis, apud eosdem manere, *& ita*, ait Dartis, *conjunxit humano capiti cervicem equinam.*

Subodoratus id videtur Gratianus: nam ad calcem dicti Canonis 1. secundæ quæstionis pro reconciliatione auctoritatum remittit lectorem ad *causam Monachorum*, id est, *causam* 16.

QUÆSTIO II.

Quæstio secunda hujus causæ præter Canonem 1. de quo jam dictum est, tota est de sepulturis, & jure exequiarum.

Quæstionem dividit in duodecim partes quarum 2. 3. 4. & 5. versantur ferè unicè circa sepulchra majorum, & liberam electionem sepulturæ.

De sepulturis majorum, & jure eligendi sepulturam.

Adducuntur *Canone* 3. sub nomine S. Augustini: *unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte*: Deinde additur in eodem Canone: Item Gregorius: » Soror B. Benedicti sepulta est in sepul» chro, quod ipse sibi præparaverat, & quorum mens » una semper fuit in Domino, eorum quoque corpo» ra sepultura non separet. « Monent Correctores Romani: *nec ipsa prorsùs verba* auctorum afferri.

Interim ex his concludit Gratianus unumquemque in sepulchro majorum esse sepeliendum, nisi alibi sepulturam elegerit: quod prolixo discursu adstruere nititur.

Ex Concilio Triburiensi *Can.* 6. elicitur ordinariè quemque sepeliendum, ubi quis decimas persolvebat vivus: ad calcem hujus Canonis concludit Gratianus, additque: » Item si quis de Provincia ad Pro» vinciam transiret, & ibi domicilium collocaret, liber » factus à jurisdictione prioris Judicis jurisdictioni il» lius Judicis subjiceretur, in cujus Provincia Sedem » sibi eligeret. Quia ergo isti à vestra diœcesi in nos» tram transierunt, liberi à vestra ditione, nostro juri » subjiciuntur, nostrum est ergo funerandi jus. «

Ex S. Greg. profert *Can.* 4. quòd *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debeat.* Ex hoc *parte quinta* concludit pro defunctorum voluntate, *corpora eorum esse tumulanda.*

At huic opponit *Canone* 7. apocryphum decretum sub nomine Melchiadis Papæ, & pro conciliatione ait ad calcem Canonis: » Sed aliud est ex temeritatis superbia usum antiquorum Parentum non sequi; atque » aliud rationabili occasione novam sibi sepulturam eli» gere. « De priore loquitur Melchiades, de posteriore Gregorius Cæterum de his consuli poterunt dicta in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 38. *de sepulturis.*

De negantibus defunctorum oblationes.

Parte sexta agit adversus eos, qui defunctorum oblationes Ecclesiis negant, aut difficulter reddunt: hique quasi egentium necatores, nec credentes judicium Dei habendos esse, ut loquitur Canon 9. ex Concilio vulgò Carthaginensis VI.

Nihil pro sepulturis exigi potest.

Parte septima ostendit variis auctoritatibus, præsertim S. Gregorii in *Can.* 12. nihil muneris pro sepulturis exigendum esse: „ Ne (quod valdè irreligio» sum est) aut venalis fortassè (quod absit) dicatur » Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus » gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere „ quolibet modo compendium:" inquit S. Gregorius citato Canone.

Vetita fuit olim sepultura in templis.

Intermiscet hîc Gratianus aliqua de vetita sepultura in Ecclesia; atque inter cætera *Can.* 15. sub nomine Concilii Varensis, (seu potius *Nannetensis*, ut notant Correctores Romani, & Stephani Baluzius:) „Prohiben» dum est etiam secundum majorum instituta, ut in Ec» clesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in por» ticu, aut in exhedris Ecclesiæ (aliàs extra Ecclesiam) » intra Ecclesiam verò & propè altare, ubi Corpus & » Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur."

De hac disciplina non sepeliendi corpora mortuorum in ipsis templis, quæ per plura secula in Ecclesia fuit conservata, latiùs egi in *Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 38. *cap.* 2.

Quibus prosit sepultura in sacris locis.

Post hæc *parte octava* quærit à Canone 16. usque ad Canonem 23. qui à sacris locis post mortem juventur, & quare juxta Ecclesias mortuorum corpora sepeliantur. Inter Canones hic relatos notandus præ cæteris Canon 19. sumptus ex libro S. Augustini *de cura pro mortuis.*

Hic Augustinus imprimis apertè supponit mortuos, sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis juvari: » Quamvis, ait, non pro quibus fiunt, » omnibus prossint, sed his tantùm, quibus dum vivunt, » comparatur, ut prossint. «

Deinde adjungit: „Corpori autem humando quid» quid impenditur, non est præsidium salutis, sed hu» manitatis officium secundum affectum, quo nemo » unquam carnem suam odio habet.

De ritu tertii, septimi, &c. dici ab obitu.

Nona pars constat unicè Canone 24. in quo agitur de *tertio trigesimo septimo*, aut *quadragesimo* die pro mortuis celebrando. Refertur autem sub nomine S. Ambrosii ex *lib. de obitu Theodosii*, at hunc esse Ambrosio suppositum contendit Erasmus, & nonnulli post ipsum. Quidquid sit de hac opinione Erasmi, hujus ritus etiamnum hodie in Missali Romano manifesta occurrunt vestigia.

An & quomodo liceat lugere mortuos.

Decima parte quærit: num liceat lugere mortuos: citatque *Canone* 25. textum Cypriani, & Canone 26. locum S. Chrysostomi, qui videntur luctum illum absolutè reprobare. Gratianus autem dicit: „ Id intel» ligi ex desperatione futuræ resurrectionis: unde & » Apostolus non simpliciter ait: *Nolumus vos ignorare* » *de dormientibus*, sed addidit: *sicut & cæteri, qui spem* » *non habent*: pietatis namque intuitu mortuos lugere » non prohibemur; sicut nonnullos sanctorum, aliorum » exequiis pias lachrymas impendisse legimus."

Hanc Gratiani conciliationem non patiuntur allatæ ex Cypriano, & Chrysostomo auctoritates, quin imò ignosci sibi postulat S. Augustinus *lib.* 9. *Confess. capit.* 12. flevisse se matrem exiguâ parte horæ.

Luctus defunctorum specialiter Religiosis vetitus.

Post hæc *Canone* 28. refert Gratianus Canonem » Concilii Toletani III. his verbis: „ Qui divinâ voca» tione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantum» modo & psallentium vocibus debent ad sepulchra » deferri: nam funebre carmem, quod vulgò de» functis cantari solet, vel in pectoribus se, aut pro» ximos, aut familias cædere omninò prohibemus. » Sufficiat autem, quod in spe resurrectionis, Chris» tianorum corporibus famulatus divinorum impendi» tur canticorum: prohibet enim nos Apostolus nos» tros lugere defunctos. *De dormientibus autem nolo* » *vos contristari, sicut & cæteri, qui spem non habent.* » Et Dominus non flevit Lazarum mortuum, sed ad » vitæ hujus ploravit ærumnas resuscitandum. Si autem » potest hoc Episcopus omnes Christianos prohibere, » agere non moretur. Religiosis tamen omninò aliter » fieri non debere censemus. Sic enim Christianorum » per omnem mundum humari oportet corpora de» functorum." Merito hîc attendenda observatio Correctorum Romanorum.

Interim ex hoc Canone intelligitur eo tempore invaluisse, ut fideles defunctos publicè lugerent, quodque patres hujus Concilii desideraverint quidem, ut Episcopi, quantum in ipsis esset, etiam Laicos ab hoc luctu abstraherent: judicaverint tamen exteriorem hunc luctum omnibus Laicis indifferenter non esse prohibendum, sed solis Religiosis.

Admodum verisimile est huic decreto adscribendum, quòd luctus ille exterior fidelibus passim permittatur, exceptis solis Religiosis, quibus nec hodie luctus ille exterior conceditur.

An mortui noverint quæ à vivis geruntur.

Parte undecima quæritur: *utrum sciant mortui ea, quæ hîc à vivis geruntur?* Et unicè *Canone* 29. ex S. Augustino *lib. de cura pro mortuis*, *cap.* 15. probat, ipsos multa scire, quæ hîc à vivis geruntur; & unà indicantur modi, quibus hæc illis innotescere queant. Refert autem textum S. Augustini mutilatum, uti monent Correctores Romani, quorum nota consulenda, uti & integer textus S. Augustini meritò legendus.

An cadavera suspensorum se-

Duodecima pars tractat de suspensis in patibulis, quæriturque, num hi sint sepeliendi juxta Ecclesias? & *Canone* 30 desumpto è Canone 27 Concilii Mogun- ti-

sepultura Ecclesiastica donanda.

tinensis resolvitur, cadavera eorum ad Ecclesiam deferenda, & oblationes pro eis offerendas: »Si omnibus, inquit Canon, de peccatis suis puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio »in fine, secundum canonicum jussum danda est; »cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? scriptum est enim: *Non vindicat »Deus bis in idipsum.*«

Monent Correctores Romani finalem periodum *restitutam esse ex Concilio Moguntino & Wormatiensi, inductis aliquot verbis, quæ potiùs perturbabant*, ait, *quàm illustrarent.*

Verùm si restitui textum conveniebat, indubiè consultius fuisset, correctionem margini adjicere, & textum ipsum Gratiani integrum conservare, uti non semel monuimus: neque apparet, verba à Correctoribus inducta sensum perturbare: ita enim apud Gratianum legebatur: »cur Canones Communionem »vel sepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis »suis pœnam extremam persolvunt, & confitentur, »vel confiteri desiderant? scriptum enim: *Non judi»cat Deus bis in idipsum.*«

An & quando pro furibus orandum.

Occasione quæstionis de danda sepultura suspensis in patibulo, junguntur hîc duo Canones sub titulo *Paleæ*, quorum priore dicitur, pro furibus, & latronibus non esse orandum, »Si in furando, aut »deprædando occidantur: si autem comprehensi, »aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fue»rint, communionem eis non negari.«

Hic Canon quoque extat in decretalibus Gregorii IX. *cap.* 2. ✠ *de furtis*, videturque epitome esse Canonis 31. Concilii Triburiensis anni 895. ubi posterior Canonis pars ita legitur, »Si autem fur »vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis »desperatus putatur, atque conciliari se mysteriis »sacrosanctis, habitu corporis, & volutate piæ men»tis deprecatur, Deoque & Sacerdoti, comite vita, »emendatione morum, & actuum confitetur, com»munionis gratiam non negamus tribuendam.«

Difficultates circa confessionem factam Diacono facile soluta.

Maximè notandum est, hic pro *Diacono*, legi, *Deoque*; quâ lectione evitatur difficultas, num *Diacono confiteri* quis posset: quam difficultatem ut evaderent decretalium commentatores, supponebant, hic sermonem esse de confessione *non sacramentali*, quod & glossa decretalium supossuisse videtur, dum ad citatum *caput* 2. verbo, *Diacono*, ait: *In necessitatem etiam Laico.*

Epitomen hujus Canonis sic vitiatam primus retulit Regino Abbas Prumiensis *lib.* 2. *de Eccles. discipl. cap.* 94. & ex ipso Burchardus, dein Ivo; ex istis verò Gratianus, ut observat Baluzius in *hunc Canonem.* Meritò sanè notandæ cautiones hic à Concilio Triburiensi appositæ. Cæterum quibus neganda sit sepultura, vide quæ diximus in *Jure Ecclesiastico part.* 2. *tit. ultimo*, *cap. ultimo.* Item *Part.* 2. *tit.* 4. *cap.* 2. ubi notatum est in aliquibus Ecclesiis negatam fuisse sacram Eucharistiam damnatis ad mortem. Item per communionem non semper intelligi communionem Eucharistiæ.

An & qua pœnitentia imponenda furis interfectori.

In Canone 32. & ultimo hujus quæstionis imponitur pœnitentia iis, qui furem, aut latronem interfecerit, si absque occasione comprehendi possint: extat quoad sententiam in *cap.* 2. ✠ *de homicidio*; atque in illo adhuc elucent pristinæ, & canonicæ disciplinæ vestigia: quamvis ex tempore pœnitentiæ præscripto haud obscurum sit, labentis disciplinæ fœtum esse.

Monent hic rursus Correctores Romani: *Sunt multa emendata, & magni ponderis.* Unde hic iterum patet, hodiè post Correctionem Romanam, non haberi Decretum, ut à Gratiano editum fuit.

CAUSA DECIMA QUARTA.

Casus propositus.

CAusa decimâ quartâ proponit Gratianus hunc casum: »Canonici cujusdam Ecclesiæ quæstio»nem movent de prædiis: testes ex fratribus suis pro»ducunt: negotiatoribus pecuniam crediderunt, ut »ex eorum mercibus emolumenta acciperent.

An Canonicis coram judice sua repetere liceat.

Ex hoc casu sex quæstiones deducit Gratianus, quarum prima quærit: *An Canonicis liceat sua repetere?*

QUÆSTIO I.

IN prœmio hujus quæstionis, ait: »Quòd autem »sua repetere non possint, facilè videtur posse »probari: ait enim Dominus in Evangelio: si vis per»fectus esse, *Vade, & vende omnia, quæ habes, & »da pauperibus*: quia ergo isti iter perfectionis arri»piunt, non licet eis sua habere: multò ergo minus »licet eis repetere; quia non debet repeti, quod »possideri non licet.«

Post hæc subjungit *Canone* 1. decretum Concilii IV. vulgò *Carthaginensis*, quo dicitur, *Episcopus, nec provocatus pro rebus transitoriis litiget.*

Ad calcem autem Canonis hujus conatur adductis nonnullis distinctionibus quæstionem ita solvere: »Quia ergo generaliter perfectis prohibetur in judi»cio contendere; patet, quòd istis non licet stare »coram judice. His ita respondetur. Prohibetur per»fecto in judicio stare captando lucrum, sed non evi»tando damnum. Vel aliter: aliud est sua possidere, »aliud est communium procuratorem esse. Canonici »non possident sua, qui res Deo oblatæ non sunt ali»cujus: utuntur enim rebus Ecclesiæ, non ut suis, »sed tanquam ad dispensandum sibi creditis. Unde »Prosper in *lib. de vita contemplativa*: Sacerdos, cui »dispensationis cura commissa est, &c. require in »causa ejus, à quo pro ingressu monasterii pecunia »exigebatur. Sicut ergo isti non sua possident; ita »nec sua repetunt, sed res Ecclesiæ, quarum pro»curationem gerunt. Similiter, quòd in judicio pro»hibentur contendere, sic intelligendum est, vide»licet, ut non sibi stent coram judice, sed aliis: aliis »autem coram judice adstitisse, & pro eis judicem »interpellâsse nonnullos sanctorum legimus; hi autem »non sibi stant, sed pauperibus, quorum necessita»tibus profutura repetunt: & ita non prohibentur »stare coram judice: illud verò Evangelii *Si quis »abstulerit tibi tunicam, &c.* non est præcipientis, »sed exhortantis.«

Agit hic Gratianus de Canonicis in communi viventibus.

Ex his nequaquam obscurum est, Gratianum hic agere de Canonicis in communi viventibus, & voto paupertatis obstructis, sive quos hodie *Canonicos Regulares* dicimus, qui nihil proprium retinere possunt, ac insuper de repetitione judiciali, sive in judicio.

Gratianus more suo hic adjungit duos Canones, quorum primus ex verbis Augustini ex *lib.* 19. *contra Faustum*, *cap.* 25. hinc inde acceptis, & in aliquibus etiam immutatis; quare præstat integrum illud caput perlegere, inquiunt Correctores Romani.

Posterior verò Canon ex quibusdam SS. Augustini & Hieronymi verbis conflatus est; sed in neutro de repetitione in judicio agitur; & ita huic quæstioni decidendæ parùm quadrant.

QUÆSTIO II.

An & quando Canonicorum testimonium in causa Ecclesiæ sit legitimum.

IN casu sive hypothesi à Gratiano proposita hâc *secunda quæstione* supponitur, quòd Canonici cujusdam Ecclesiæ in quæstione de prædiis *testes è fratribus producant*: occasione cujus quærit, an hi fratres sive Canonici in causa Ecclesiæ tanquam testes sint audiendi.

Sub initium quæstionis adductis argumentis, quibus videtur evinci, horum testimonium tanquam domesticum non esse admittendum, tandem distinguit inter causam criminalem, & civilem; ut in illa tale testimonium non sit admittendum, secus in hac: »In »criminali enim causa, ait, non licet testem de pro»pria domo produci; in civili autem Prælatis Eccle»siæ licet.« Confirmat hoc suum assertum auctoritate Paschalis II. in *Canone* 1. at hoc testimonio id non probatur; quod & vidisse videtur Gratianus, nam relato hoc Canone, mox, quasi seipsum corrigens, ait: »Potest etiam intelligi aliter. Domestici »ad probationem non admittantur, ut pro his vi»delicet, quorum sunt domestici, testimonium fe»rant: hi autem non pro domesticis, sed pro Eccle»sia, quæ mater est omnium pauperum testimo»nium dicant.«

An & quomodo Presbyteri cogi possint

Post hæc addit, quòd »in conficiendis instru»mentis secularium negotiorum, Presbyteri non vo»centur ad testimonium: sed si casu contractui eos »interfuisse contingerit, jubente Episcopo testimo»nium dicant.« Probat id auctoritate Synodi Roma-

sint ad dandum testimonium?

manæ sub Eugenio Papa II. *cap.* 13. in quo dicitur, » quòd Sacerdotes in secularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non cogentur, » quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem eventu aliquo causæ interfuerint, & aliquid viderint, vel audiverint, ubi nullæ idoneæ secularium » inveniantur personæ; ne veritas occultetur, & malus ut bonus æstimetur, in providentia proprii Episcopi sit, ut aut coram se & competentibus judicibus, aut aliter honorificè veritatem attollant.“

Hic rigor moribus Belgii circa Clericos vocatos ad testimonium ferendum coram judice *laico* in causis civilibus, nonnihil mitigatus est, ut notavi in *Jure Eccles. part.* 3. *tit.* 7. *cap.* 6.

QUÆSTIO III.

CUm autem in hypothesi, sive casu à Gratiano proposito diceretur, quòd Canonici *negotiatoribus pecuniam crediderunt, ut ex eorum mercibus emolumenta acciperent*, quærit *quæstione tertiâ, an illud sit usuras exigere.*

Usura est quidquid ultra sortem exigitur.

Hâc occasione ostendit Gratianus, quòd, qui plus exigit, quàm dedit, usuras exerceat; idque præcipuè auctoritate SS. Augustini, Ambrosii & Hieronymi, & ad calcem concludit: » Ecce evidenter ostenditur, quòd quidquid ultra sortem exigitur, » usura est.“

Gratianus Canonem ultimum refert tanqum ex Concilio Agathensi, quem huic Concilio falsò adscribi rectè monet hîc Baluzius, eamque inscriptionem ementitum fuisse Burchardum. Est autem caput 12. Capitularis 5. Caroli magni de anno 806. quod & refertur *lib.* 1. *Capitularium cap.* 119. & apud Reginonem *lib.* 1. *cap.* 284. sine inscriptione.

QUÆSTIO IV.

Canones veteres vetantes usuras de solis Clericis passim loquuntur.

DEin *quæstione quarta* ostendit Gratianus, tam Laicis quàm Clericis usuras esse vetitas: at Canones relati, plerique de solis Clericis loquuntur. Vix enim antiquis Canonibus reperitur nominatim interdicta usura Laicis, tametsi eam tam Laicis quàm Clericis vetitam non ambigeretur.

Canon 17. Nicænus, quem hîc ex versione Martini Bracarensis, sub titulo, *ex Concilio Martini Papæ*, refert Gratianus *Canone* 4. & rursus refertur *Canone* 8. ex versione Isidori: & iterum *distinct.* 47. idem Canon refertur ex versione Dionysii, uti notant hîc Correctores Romani: hinc non obscurum, quòd Gratianus descripserit Canones, prout eos nunc ex una, nunc ex alia versione, apud anteriores Canonum collectores reperit.

QUÆSTIO V.

Furtum committit qui rem inventam non restituit.

Quæstione quinta probat, non esse Deo gratam eleëmosynam de usuris factam: ac una asseritur, furtum committere, qui rem inventam non restituit.

Hoc posteriùs probat ex Augustino *Canone* 6. » Si » quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.“ Et *Canone* 8. ex S. Hieronymo, seu potiùs Origine ex versione Hieronymi: „Multi sine peccato putant esse, » si alienum, quod invenerunt, teneant, & dicant: » Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Discant ergo » peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa » non reddat.“

Addit *Canone* 11. ex S. Gregorio, qui dicit, quòd eleëmosyna & sacrificia non placeant Deo, quæ offeruntur ex scelere.

An & quando fieri possint eleemosynæ ex illicitè acquisitis.

Huic asserto objicit *parte* 2. quod legitur in Exodo, „Quod filii Israel exituri ex Ægypto à vicinis suis acceperint mutuò vasa aurea, & argentea, » ex quibus postea ædificaverunt tabernaculum Domini.“ Respondet verbis Augustini relatis *Can.* 12. hoc non esse sumendum in exemplum, quod, jubente Domino, factum est: » Hoc enim, ait, Deus jussit, qui noverat, quid quemque pati oporteret: nec » Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt.“

Attamen ad calcem Canonis 14. monet, aliquando rectè in pauperes posse impendi, quæ malè, seu cum peccato acquisita sunt: puta, » quod ex turpi » causa possidetur, veluti cum Mathematicus ex arte, quam docet, vel ex futuris, quæ prænuntiat, » nonnulla lacratur.“

QUÆSTIO VI.

An usurarii non restituentes usuras pœnitentiam agere valeant.

Quæstio sexta quâ quæritur, *An usurarii pœnitentiam agere valeant, nisi, quòd malè acceperunt, restituant?* quatuor partibus constat. *Prima parte* probat auctoritate S. Augustini, pœnitentiam non rectè agi, nisi res aliena reddatur: » Si » res aliena, inquit, propter quam peccatum est, » cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non » remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.“

Quomodo possit restitui res jam Deo consecrata.

Dein *parte secunda*, auctoritate S. Gregorii dicit: » Si rem alienam quis consecraverit, non eandem, » sed ejus æstimationem restituere debet: sed in casu, » quo res hujusmodi Deo consecrata restitui non po- » test. De quo videtur inteligendus locus iste ex » S. Gregorio allatus.“

De intercessione apud Principes pro reis.

Deinde miscet hîc *Canone* 3. auctoritatem S. Gregorii, qui & *tertiam partem* facit, » quòd pro malis » apud Principes Ecclesia debeat intercedere, non » eos temerario ausu defendere.“ Verba Gregorii legi merentur.

Unde desumenda gravitas furti?

Finaliter Canone 4. *partem quartam* conficiente verbis S. Hieronymi, sed nonnullis omissis & mutatis, ut notant Correctores Romani, adstruit, » furtum » non tam in quantitate rei, quàm in affectu furantis » considerari:“ quod tamen non ita accipiendum, quasi peccatum furti non crescat, ex gravitate materiæ, sicuti testimonium Hieronymi crude acceptum innuere posset; sed quòd hac in re multum attendendus sit affectus furantis.

CAUSA DECIMA QUINTA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti.

CUm *in Causa* 14. „tractatum esset de avaritia, quæ obumbrat mentem Clericorum; sed quia » *incontinentia* idem facit, ideò subnectit *hanc Causam*, in qua de incontinentia tractat, & de his, » quæ fiunt mente alienatâ, & de aliis multis, quæ ut » meliùs pateant, thema seu casum proponit, de quo » octo quæstiones elicit.“ Ita glossographus: casum Gratianus expressit his verbis. „Quidam Sacerdos in » crimen carnis lapsus esse perhibetur, antequam sacerdotalem benedictionem consequeretur: postquam » verò sacerdotium adeptus est, in furorem versus » quendam interfecit. Recuperatâ verò sanitate, apud » Episcopum accusatur, ab ea, cum qua lapsus esse » dicitur. Episcopus autem die dominico causam exa- » minat. Sacerdos inficiatur crimen sibi illatum: quo- » rundam Clericorum sibi patrocinia quærit: illi verò » non sine pretio sibi patrocinantur. Tandem Episco- » pus confessionem quæstionibus extorquet. Demum » solus absque synodali audientia illum sententia ferit.“

Casus hic positus.

QUÆSTIO I.

An ignorantia & infirmitas à peccato excuset.

EX hoc casu multa nullatenus inter se cohærentia educit Gratianus; ac *primâ quæstione* quærit *An ea, quæ mente alienata fiunt, sint imputanda?*

In hac quæstione multa, præcipuè ex S. Augustino tradit de ignorantia, & utrum hæc, aut infirmitas carnis à peccato excuset.

Ex omnibus concludit Gratianus, conformiter ad sententiam S. Augustini, nec ignorantiam, nec carnis infirmitatem semper à peccato excusare.

QUÆSTIO II.

An pro impenso patrocinio liceat Clerico munera exigere.

Quæstione secunda quærit: *An pro impensis patrociniis liceat Clericis munera exigere?*

Unicum hîc profert Canonem Concilii Tarraconensis, quo observandum decernitur, „ne quis » Sacerdotum vel Clericorum, more secularium judicum, pro impensis patrociniis munera audeat accipere.“ Gratianus autem dicit, de hoc illis intelligendum esse, qui *Canonicam* vitam professi, *regulariter* se victuros proposuerunt.

Gratianus à vero sensu Canonis recedit, ut sua ætatis

Hæc restrictio parùm congruit generali Canonis expressioni, aut disciplinæ ejus ætatis. At Gratianus more suo Canones disciplinæ sui temporis accommodare volens; frequenter à vero Canonum sensu recedit: quòd & hîc contigisse ex verbis Gratiani immediatè sequentibus conjicitur: „Generali namque Ec- » cle-

tis disciplinæ se accommodet.

» clesiæ consuetudine, *ait*, receptum est, & mori- » bus approbatum, ut Clerici more Advocatorum pa- » trocinia impendant, & pro impendendis munera exi- » gant, & pro impensis suscipiant. «

Sed non vidit, aut non advertit Gratianus, hanc consuetudiuem labentis disciplinæ fœtum, nullum Canonibus præjudicium afferre, pluresque Canones hac in Clericis patrocinandi officium improbare, præsertim coram Judicibus secularibus; monetque & hic Glossographus: » quòd Clerici & Sacerdotes non » debeat *indifferenter* advocare: ne vilescant digni- » tates ipsorum. «

QUÆSTIO III.

An mulier testari possit contra Clericum, præcipuè si fuerit criminis complex.

CUm in casu à Gratiano proposito diceretur, Sacerdotem apud Episcopum fuisse prolapsum, quærit tertio loco Gratianus: *An ex mulieris confessione Sacerdos ille sit condemnandus?*

Sub initium quæstionis dicit, quòd sacris Canonibus omninò videatur prohibitum mulieri accusare Sacerdotem. Verùm omnis Gratiani probatio nititur falsis decretalibus, notanter Fabiano Papæ suppositis. Deinde in hanc rem multa adducit Gratianus ex jure civile, quibus mulieres ab accusatione repelluntur, nisi in certis quibusdam enormibus criminibus.

Ex his autem concludit ad calcem Canonis 4. » Cùm contra generales regulas quædam crimina spe- » cialiter excepta sint, in quibus mulieri accusare » permittitur, inter quæ fornicatio non numeratur: » patet, quòd hujus accusatio dupliciter infirmatur, » & quia fornicationis crimen intendit, & quia dum » de se confiteretur, super alienum crimen ei credi » non oportet. « Quod ultimum probat *Canone* 5. per pseudo-decretum Julio Papæ affictum, ad cujus calcem super proposita quæstione ita concludit: *quia ergo ista de se confitetur, super alienum crimen ei credi non oportet, sed contra eam sua confesio interpretanda est.*

Hodie nec mulieres, nec etiam viri ad publicam accusationem criminum admmittuntur, nisi sint officiales publici. At denuntiatio nec mulieri negatur.

Attamen in casu simili, testimonio mulieris haud facilè deferendum esset, nisi forsam aliquæ aliæ circumstantiæ Sacerdotem hunc suspectum redderent: quo casu mulieris confessio vel denuntiatio accedens possent superiori præbere occasionem, saltem inquirendi, & huic Sacerdoti specialiùs invigilandi.

QUÆSTIO IV.

ULterius in casu à Gratiano formato, Episcopus die Dominicâ causam examinat. Hinc formata *quæstio quarta*: *An die Dominicâ ejus causa sit ventilanda?*

Diebus Dominicis & festis prohibitum est causas ventilare.

Profert autem Gratianus tria decreta, quibus probet, licitum non esse diebus *dominicis* judicialia tractare: è quibus notandum præ reliquis *Canone* 2. decretum Concilii apud Erphesfurt, sive Erpfordiensis anni 932. » quo decernitur placita *secularia* » dominicis diebus, vel aliis præcipuis festis, seu » etiam in his diebus, in quibus legitima jejunia ce- » lebrantur secundum canonicam constitutionem mi- » nimè fieri. «

Additur & in eodem: » insuper eadem Synodus » decrevit, ut nulla judiciaria potestas licentiam ha- » beat, suâ auctoritate Christianos ad placitum ban- » nire in supra dictis diebus, id est septem dies ante » natalem Domini usque in octavas Epiphaniæ, & à » Quinquagesima usque ad octavas Paschæ, & sep- » tem dies ante Nativitatem S. Joannis Baptistæ, qua- » tenus adeundi Ecclesiam, orationibus vacandi li- » beriùs habeatur facultas. « Extat hæc Synodus cum suis Canonibus, quorum hic est secundus, *tom.* 9. *Concil. General. col.* 592.: sed cum notabili differentia.

In primis enim loco horum verborum: *Insuper etiam sancta synodus decrevit*, habentur hæc, *insuper quoque gloriosissimus rex augmentum christianæ religionis concessit, ut nulla*, &c.

Præterea in synodo omittuntur hæc verba: *usque in Octavas Epiphaniæ.*

Eisdem verbis, quibus extat apud Gratianum, refertur à Burchardo *lib.* 13. *cap.* 21. è quo verisimiliter hunc Canonem sic immutatum mutuavit Gratianus.

Refert Gratianus *Canone* 3. decretum sub nomine Hadriani Papæ in capitulis *cap.* 64. quo dicitur: *nullus Episcopus vel infra positus, die dominicâ judicare præsumat.* Hæc ætatem sapiunt, qua ordo judicialis in forum Ecclesiæ irrepserat.

QUÆSTIO V.

QUinto loco quærit Gratianus: » num Presbyte- » ro scelus inficianti, *purgatio sit deferenda.* « Pro hujus quæstionis solutione adducit fragmentum epistolæ Stephani scribentis Leoni Episcopo Theanensi, extatque etiam fragmentum sub eadem inscriptione *in Canone* 17. *Causa* 2. *quæst.* 1. nisi quod hîc addatur, quotus fuerit *Stephanus*, nimirùm *quintus*, adjectâ ad calcem hâc Correctorum Romanorum notâ, » Extat integra hæc epistola in col- » lectione Canonum sine auctoris nomine in Batica- » na Bibliotheca. Indigna verisimiliter, quæ huic » Pontifici adscribatur, ut propterea nec ejus epis- » tolis *tom.* 9. *Concil. General.* descriptis enume- » retur. «

Interim hoc in fragmento respondetur, quòd si Presbyter accusatus, nec per propriam confessionem, nec legitimis testibus convincatur: » & mala » fama crebuerit, non publico examine, sed coram » Episcopo & aliquibus reverendissimis Presbyteris & » Diaconis Episcopalis Ecclesiæ secreto juramento se » purificet. «

An & quando Presbytero crimen neganti purgatio canonice sit deferenda.

In altero decreto sub nomine *Nicolai Salomoni Constantiensi Episcopi*, hoc unum asseritur: Clericum à suo officio non deponendum, nisi *legitimè* convictum: traditurque hæc regula: *Sola ergo spontanea confessio, & canonicus numerus, & qualitas testium, (decernentibus Episcopis, & accusatore, quod objecerat, comprobante) Clericum privat proprio gradu.* Hoc decretum inter decreta Nicolai I. à Cochlæo notat Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 19.

Cujuscunque interim hæc sint verba, indubiè intelligi debent de absoluta Presbyteri depositione à suo officio: nam etsi non sit *plenè* de crimine convictus, sed tamen mala fama sufficientibus adminiculis fundata laboret, potest ei nonnunquam purgatio indici; præsertim si ob publicam de patrato crimine famam sine scandalo officio fungi nequeat: quemadmodum ad titulum Decretalium *de purgatione canonica* docent Canonistæ; & in pluribus Canonibus expressum est, uti & ostendi in *Jure Eccles. Part.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. unà tamen probavi, hanc purgationem non leviter esse imponendam.

QUÆSTIO VI.

ULteriùs in casu à Gratiano assumpto dicitur, quod *Episcopus* Confessionem *quæstionibus extorquet*; quare *sextam* format quæstionem: *an ejus confessio* cruciatibus *sit extorquenda?*

An confessio criminis cruciatibus sit extorquenda.

Quæstionem dividit in binas partes planè disparatas. In *prima parte* auctoritate, maximè pseudo-decretalis Alexandri I. cujus plura fragmenta in unum conflat, probat, quòd ministrorum confessio non debeat esse *exorta*, sed libera. Addit & decretum sub nomine Nicolai Papæ Episcopis Galliæ, in quo & allegatur auctoritas Beatissimi Papæ & Martyris Alexandri qui à B. Petro sextus extitit S. Pontifex.

Verba hîc citata referuntur per Cochlæum in collectione decretorum Nicolao I. per Gratianum adscriptorum *tit.* 4. *n.* 7. monetque Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 13. apud Petrum Diaconum in incertis collocari: additque, » nusquam » extare adscripserunt Romani, qui notant ex ea pro- » bari auctoritatem epistolæ I. Alexandri I. sed, ut » rectè monet idem auctor, debuisset priùs, cujus esset » hoc caput probare: nam ex certis incerta proba- » tio elicitur. «

Et sanè dubium non est, quin citata verba respiciant præfatam pseudo-decretalem Alexandri I. Scimus Nicolaum I. summoperè ursisse auctoritatem harum decretalium contra Hincmarum Rhemensem, aliosque Galliæ Episcopos, uti sæpiùs notavimus: undè & suprà relatis verbis subjungit Antonius Augustinus: » Nicolaum relatas epistolas ab Isidoro mercato- » re non improbare dubium non est. Antonium Au- » gustinum de harum decretalium auctoritate ut minus » dubitâsse, ex his verbis manifestum est. «

Se-

Secunda parte quæstionis probare contendit, *quòd à fidelitatis juramento Romanus Pontifex nonnullos absolvat, cùm aliquos à sua dignitate deponit.* Quid hæc vel ad casum per Gratianum propositum, aut ad quæstionem inde formatam faciant, non video.

An Romanus Pontifex Principes regno, an imperio spoliare possit.

Interim in hanc rem profert *Can.* 3. decretum sub nomine Gelasii; sed quod revera est Gregorii VII. uti monent Correctores Romani, in quo dicitur, quod „ Romanus Pontifex, Zacharias scilicèt, » Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, » quàm pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis, à » regno deposuit: & Pipinum Caroli Magni Impe- » ratoris patrem in ejus locum substituit, omnesque » Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fe- » cerant, absolvit. «

Factum negant plures notabiles Historici, præsertim Galli, nec sine fundamento: quamvis dubitandum non sit, Pontifices plures, seculo XI. & sequentibus ea auctoritate adversus Imperatores usos fuisse. Vide Janum à Costa, ad titulum *de supplenda negl. prælat.* ubi hujus Canonis meminit.

An à fidelitate erga Principem excommunicatum liberentur subditi.

Quin & auctoritate Gregorii VII. & Urbani II. probare vult Gratianus *Can.* 4. & 5. quod *excommunicatis vinculo fidelitatis non teneamur obnoxii*: atque in *Can.* 4. Gregor. VII. præsidens Synodo Romanæ inducitur, dicens: » eos, qui excommunicatis » fidelitate, aut sacramento constricti sunt, Apostoli- » ca auctoritate à sacramento absolvimus. «

Periculosum hac in re Gratiani principium.

Porrò notum est ex historicis ejus ætatis, quàm graves inter hunc Pontificem, & Imperatores, ac Principes fuerint contentiones, quin bella cruentissima: & qualiter ad tuenda prætensa sua jura contra Imperatores, eisque adhærentes Principes per censuras processerit, quin & ab Imperio deponere tentaverit, atque eorum subditos à fidelitatis juramento absolutos declaraverit hic Gregorius VII. ad quos decretum hujus Canonis dirigi, etiam notavit Carolus Molinæus in *notis ad hunc Canonem*: & monet quoque Ludovicus Hericourt in Analysi hujus quæstionis, unà meritò notans, nihil esse periculosius hoc principio, scilicèt subditos à fidelitatis juramento esse absolutos ob excommunicationem supremi Principis.

Relato enim hoc principio, subdit: *Rien n' est plus contraire aus veritables principes, qu' une peraille maxime, que personne n' avoit osé avancer avant le 9. siecle. La puissance temporelle est absolument indépendante de la puissance Ecclesiastique: c' est pourquoi le Prince excommunié, même légitimement, conserve encortous ses droits sur le temporel*: Proinde hic articulus meritò reponitur inter pernitiosa principia in Decreto Gratiani expressa.

QUÆSTIO VII.

Episcopus sine Concilio presbyterum aut Diaconum damnare non potest.

CAsus à Gratiano propositus habebat, quòd Episcopus *solus absque synodali audientia Presbyterum sententia feriisset.* Unde quærit septimò: *An asque synodali audientia Episcopus valeat sacerdotem damnare?*

Profert hîc plures auctoritates, quibus probatur Episcopum non posse sine *synodali* audientia, aut saltem sine præsentia & consilio Cleri sui Sacerdotem deponere; atque inter cætera refertur *Can.* 1. decretum Concilii Hispalensis II. anni 619. quo decernitur: „ Juxta priscorum Patrum synodalem senten- » tiam nullus nostrum (id est Episcoporum) sine Con- » cilii examine quemlibet Presbyterorum vel Diaco- » num dejicere audeat. «

Ratio subjungit: » Nam multi sunt, qui indis- » cussos potestate tyrannica, non auctoritate canoni- » ca damnant: & sicut nonnullos gratiâ favoris subli- » mant, ita quosdam odio invidiâque permoti humi- » liant, & ad levem opinionis auram condemnant, quo- » rum crimen non approbant. «

Dein hanc regulam adjungit: *Episcopus enim Sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, solus auferre non potest.*

Plures quoque proferuntur Canones Africani, quibus definitur numerus Episcoporum, & Sacerdotum, qui in dispositione Presbyterorum, aut Diaconorum requiritur, quorum scholia in Tract. Historico Canonico consuli poterunt. Quomodò hæc disciplina tandem mutata sit, & Episcopi cœperint sine synodali audientia per suos officiales judicare, dixi in *Jure Eccles. Part.* 3. *tit.* 5. *cap.* 1.

Optandum esset, ut hodie Episcopi, eorumque Officiales horum Canonum decretis obtemperarent, nec adversus Presbyteros nonnunquam, neglecta canonica auctoritate, sive neglecto ordine juris, via facti per censuras prosilirent, eoque suo procedendi modo non præberent ipsis necessitatem ad auditoria Principis pro comprimenda violentia recurrendi.

Optandum, ut eadem hodie disciplina servaretur.

QUÆSTIO VIII.

Quæ disciplina servanda circa Sacerdotes in crimen carnis lapsos.

DEnique Gratianus causam hanc finit *quæstione octava*, quòd Sacerdos, qui post ordinationem suam fatetur, se ante ordinationem in crimen carnis prolapsum, maneat quidem in ordine sacerdotali, sed tamen ab altari abstinere debeat: idque præcipuè probat auctoritate Canonis Neocæsariensis, quem *Can.* 1. recitat sub nomine hujus Synodi, binis Canonibus 9. & 10. in unum conflatis ex versione Isidori; ac rursus *Can.* 4. ex versione Martini Bracharensis tanquam ex Concilio Martini Papæ. Videri possunt, quæ in scholis ad hos Canones notavi in Tractatu Historico Canonico sæpè dicto.

Profert præterea *Can.* 2. decretum Synodi Ilerdensis quoad deservientes altari, *qui subitò in flenda carnis fragilitate corruerunt*; de quibus ita statuit: „ Si Domino respicente, dignè pœnituerint, ita » ut mortificato corpore cordis contriti sacrificium Deo » offerant, maneat in potestate Pontificis, vel vera- » citer afflictos non diu suspendere, vel desidiosos » prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare: » ita tamen, ut sic officiorum suorum loca recipiant, » ne possit ad altiora officia ulteriùs promoveri. Quod » si iteratò velut canes ad vomitum reversi fuerint..... » non solùm dignitate officii careant; sed etiam sanc- » tam communionem, nisi in exitu non percipiant.“

Circa hoc decretum observandum hîc nonnisi dispensativè, idque adhibitis multis cautionibus, permitti Episcopis lapsos Sacerdotes post peractam debitè pœnitentiam, & probatam sinceram conversionem permittere in suo officio permanere; quæ dispensandi auctoritas verisimiliter hîc à Synodo Hispanica indulta fuit ob raritatem Sacerdotum, quæ ob incursum barbarorum in Hispania eo tempore occurrebat, prout similis dispensandi auctoritas occurrit in epistola Siricii ad Himerium Archiepiscopum Tarranconensem.

Nemo ante probationem puniendus.

Notanda sententia occurrens hîc Canone finali: » Ante probationem accusationis illatæ neminem à tua » communione suspendas: quia non statim, qui accu- » satur, reus est, sed quis convincitur, criminosus.“

CAUSA DECIMA SEXTA.

Incipit Tractatus de Monachis.

GRatianus „ hactenus de statu Ecclesiarum egit & » secularium Clericorum, ait glossa sub initium » hujus causæ: sed quia religione Monachorum mul- » tùm decoratur status Ecclesiarum, ideò in sex se- » quentibus causis tractat de statu monasteriorum, & » monachorum.“ Unde à Causa 16. incipit Tractatus *de Monachis*, ad quem non semel ipse Gratianus remittit.

Casus hic propositus.

Hac causa agit de officio monachorum, varia, eaque inter se disparata, & confusa intermiscens. Casum sive causam ita proponit: „ Quidam Abbas ha- „ bebat parochialem Ecclesiam: instituit ibi mona- „ chum, ut officium celebraret populo: possedit » eam per quadraginta annos sine aliqua interpella- » tione: tandem querela adversus Abbatem movetur » à Clericis baptismalis Ecclesiæ, in cujus diœcesi » parochiana Ecclesia illa consistebat.“

QUÆSTIO I.

EX hoc casu septem quæstiones format. Prima quæstio constans 68. Canonibus est: *Utrum Monachis liceat populis officia celebrare, pœnitentiam dare, & baptizare.*

Varia refert Gratianus, quibus Monachi videntur removeri à functionibus ecclesiasticis.

Primis 12. Canonibus significare videtur Gratianus, non posse monachos Ecclesiis parochialibus præfici.

Hunc in finem citat *Can.* 1. decretum sub nomine Synodi Nicænæ, quod neque in prima Nicæna Synodo, neque in secunda hodie haberi notant correctores Romani.

Putârunt nonnulli Canonem hunc sumptum ex Canone 76. inter canones Arabicos Concilii Nicæni: unde in margine ad dictum Canonem 76. apposuit Turrianus: *Meminit Gratianus hujus Canonis causa*

sa 16. *quæst.* 1. *Can. Placuit.* Verùm si dictus Canon Arabicus conferatur cum Canone à Gratiano hîc relato apparebit, nihil præter inscriptionem illis esse commune; ut proindè hactenus nesciatur, unde hunc Canonem sumpserit Gratianus, uti etiam notavit Joann. Dartis in commentario *distinctione* 15. Cæterùm dictos Canones Arabicos non posse attribui Synodo Nicænæ hodiè compertum est.

Notandum, quòd Canones hîc à Gratiano adducti potissimum probent, Monachos ex suo instituto debere esse solitarios, ab omnibus functionibus ecclesiasticis & secularibus remotos. Hinc *Can.* 4. 5. & 6. referuntur verba Hieronymi, quibus docet, Monachorum statum à Clericorum statu esse omninò disparatum: „Monachumque non docentis, sed plangentis habere officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum, « ut habet Canon 4. & *Can.* 8. sub nomine Eugenii Papæ habetur illud vulgare: „Monachus sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita; ita sine monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat; quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. «

Ad calcem Canonis 12. Canonem, quem sub nomine Synodi Nicænæ protulerat *Canone* 1. quo inter alia præcipitur: » Monachus mortuum non sepeliat, nisi Monachum in Monasterio secum commorantem: vel si fortuitò quemquam advenientium fratrum ibi mori contingat, « ita exponit quasi hic Canon solum prohibeat Monachos de Monasterio exire, & per capellas mortuorum sepulturas celebrare; confluere videlicet more Clericorum ad cujuslibet exequias celebrandas. Cæterum, ait, si apud Monasterium aliquis semetipsum tumulari voluerit, non est prohibendus. «

Eis tamen sepulturas in suis templis concedit.

In probationem finalis clausulæ qua Monachis asseritur libertas sepeliendi eos, qui apud ipsos sepeliri elegerint, profert Canones 13. 14. 15. & 16. atque ex his ad calcem Canonis decimi sexti ita concludit: » Ecce his auctoritatibus patet, quod si quis apud Monasterium sepulturam sibi eligere voluerit, liberè à Monachis potest sepeliri. Undè liquidò colligitur, prohibitionem illam Nicænæ Synodi, propter improbitatem circumvagantium esse factam. «

At in eo disciplinæ suæ ætatis se accomodat.

Non dubium, quin Gratianus in formanda hac conclusione magis reflexerit ad disciplinam sui temporis, quàm ad auctoritates hîc adductas, quæ nullatenus probant, vel exprimunt assertum aut conclusionem Gratiani.

Cùm autem in hac conclusione incidenter dixisset suprà *Canone* 1. decretum sub nomine Synodi Nicænæ factum esse propter improbitatem circumvagantium, subjicit immediatè *Canone* 27. decretum Concilii Chalcedonensis, quo similes Monachi coërcentur, & ad sua Monasteria redire compelluntur.

Refert deinde varia, quibus ecclesiasticorum officiorum exercitium Monachis concedi videtur.

Parte secunda, quæ incipit à Canone 21. plures auctoritates adducit, quibus probari videtur, quòd Monachi sacerdotalium officiorum potestatem habeant.

Adducit in primis *Canone* 21. verba sub nomine S. Ambrosii, quæ apud Ambrosium non sunt inventa: & videntur esse auctoris longè recentioris, uti notant Correctores Romani.

Neque majoris ponderis apparent citata *Canone* 22. 23. & 24. tanquam Innocentii Papæ, & Gregorii I. utpote in quibus referuntur, quæ recentiorem planè ætatem præseferunt.

Vulgare & famosum decretum sub nomine Bonifacii Papæ relatum *Canone* 25. hodie ut apocryphum passim rejicitur.

Interim ad calcem hujus Canonis vigesimi quinti ita concludit Gratianus: » His omnibus auctoritatibus perspicuè monstratur, Monachos posse pœnitentiam dare, baptizare, & cætera sacerdotalia officia licitè administrare. «

Non mirum Gratianum ex relatis, tametsi parum authenticis decretis tàm fidenter hanc efformâsse conclusionem, eo quòd neglecta veteri disciplina, unicè penè ad sui temporis disciplinam reflecteret.

Quo spiritu debeant Monachi suscipere servitium Ecclesiæ.

Inter alia refert *Canone* 30. verba S. Augustini ex *epistola* 48. *ad Eudoxium*, quibus Monachos exortatur, » Ut propositum suum custodiant, & usque ad finem perseverent: ac si quam, ait, operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis; sed miti corde obtemperetis Deo. «

Hîc jam pridem ostendit Augustinus, quo spiritu debeat suscipi servitium Ecclesiæ ab illis qui ad vitam solitariam sunt vocati.

Qui Monachi legitimè functiones Ecclesiasticas exercere possint.

Dein aliis nonnullis adjunctis, quibus ostenditur, è Monachis subinde aliquos ad clerum posse assumi, ad Canonem 36. concludit: » His auctoritatibus monstratur, quod Monachi, qui sunt à populo electi, & ab Episcopo cum consensu sui Abbatis sunt ordinati, legitimè potestatem suam exequi valent. «

Quo sensu non potest Monachus juxta Gregorium functionibus hierarchicis occupari.

Gratianus attulerat, *Can.* 2. fragmentum epistolæ S. Gregorii *lib.* 4. *epist.* 1. in qua dicitur: *Nemo potest & ecclesiasticis obsequiis deservire, & in Monastica regula ordinatè persistere.*

Quibus verbis vult Gregorius, ut Abbas vel Monachus simul & Ecclesiasticis sive clericalibus obsequiis insistere, & Monasticæ districtioni subjectus manere, & utilitatibus Monasterii ut Monachus gaudere non possit. Vide notas ad *epistolam* 2. *lib.* 3. Gregorii, ubi ostenditur, nequaquam fuisse mentem S. Gregorii, quòd idem non posset esse Abbas sive Monachus & Presbyter; sed id unum voluisse, ne Monachus vel Abbas manens Monachus aut Abbas, functionibus hierarchicis sive clericalibus in directione populi, ad instar Presbyterorum parochialium occuparetur: sed nequaquam vetuisse, quominus Abbas in suo Monasterio *pro suis Monachis* Presbyteri munia obeat.

Gratianus autem hunc S. Gregorii textum exponere volens, ait post Canonem 36. illud Gregorii: » Nemo potest obsequiis ecclesiasticis &c. de illis intelligendum est, cui in numero Cardinalium vel Episcoporum ordinati, Monasterii sui dispensationem sibi reservare contendunt. «

Discrimen inter officium Monachi & Clerici.

Deinde ad Canonem 39. concludit: » Aliud enim convenit cuique ex eo, quod *Monachus est*, aliud ex eo, quod *Clericus* est. Ex eo, quod *Monachus est*, sua & aliorum peccata deflendi habet officium: ex eo, „quod *Clericus*, docendi & pascendi populum.“

Citat autem Gratianus dictum Canonem 39. ex Regesto Gregorii: monet autem correctio Romana, quòd auctor hujus capitis referat constitutionem beati Gregorii de Abbate xenodochii in civitate Augustodunensi, quæ habetur *lib.* 2. *de Regest. epist.* 10. At constitutionem hanc seu privilegium nonnullis spurium videri, in notis ad citatam epistolam annotatur.

Ulterius concludit ad calcem Canonis 40. quòd Monachis Presbyterii honore decoratis à populo electis, & ab Episcopo institutis eadem liceant, quæ & aliis Sacerdotibus.

Clerici potestatem in ordinatione acceptam sine licentia Episcopi exequi non possunt.

Addit hoc probari, ex eo, quod tàm Monachi, quàm alii, eodem plenè ritu ordinentur: » Sicut ergo, ait, in benedictione utrique communem nanciscuntur potestatem; ita in institutione communiter assequuntur potestatis executionem. Cæterum absque Episcoporum licentia non solùm Monachis, sed etiam omnibus generaliter Clericis, potestatis exercutio interdicitur. «

Ut postremam partem probet Gratianus allegat *Canone* 41. verba ex falsa decretali Clementis I. quibus declaratur, quòd Clerici nihil sine licentia Episcopi proprii agere queant: non utique Missas sine ejus jussu quispiam Presbytetorum in sua Parochia agat, quæ vel sola recentiorem manum manifestant: nec enim nomina, *Missa* & *Parochia*, pro districtu Presbyteri, ætate Clementis nota erant.

In concinatione Canonum Gratianus spectavit disciplinam sui temporis.

Ex his nequaquam obscurum est, quòd Gratianus, dum Canones in speciem diversos conciliare conatur, potiùs spectavit usum suorum temporum, quo Monachi ad munera hierarchica assumpti regulæ monasticæ subjecti manebant: cùm è contra ætate S. Gregorii aliorumque venerandæ antiquitatis monumentorum hac quæstione relatorum, Monachus ad munia hierarchica assumptus, solveretur penitùs à regula & subjectione monastica, & alienus planè fieret à Monasterio. Hæc etiam monuit Franciscus Florens in commentario ad hanc quæstionem, ubi & eruditè deducit, quomodo sensim tam in Oriente quàm in Occidente Monachi ad functiones clericales sint admissi; idque præcedente exacta probatione.

Qui Monachi ad clericatum assumendi.

Cæterùm ex relatis Canonibus à Gratiano, illud manifestum est, non omnes Monachos ad clericatum provehendos; sed non nisi *probatiores & meliores*, ut habet Canon 36. sive, *quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat*, ut ait Canon. 22. Hinc illud Hieronymi Canone 26. *Sic vive in monasterio, ut Clericus esse merearis.*

Et *Canone* 36. ostenditur ex S. Augustino, quàm

sit perniciosum Monachos desertores ad clericatum promovere: „Et ipsis enim facilis lapsus, & ordini „Clericorum fit indignissima injuria, si desertores „monasteriorum ad militiam clericatus eligantur: cùm „ex eis, qui in monasterio permanent, non tamen „nisi probatiores, atque meliores in clerum assume„re soleamus."

An Monachi ex prædiis suis teneantur ad decimas.

Cùm hactenus tribus hujus quæstiones partibus Gratianus inquisivisset, an Monachis liceret functiones clericales obire, incipit post hæc inquirere: „De „his, qui intra monasterii claustra consistunt, quibus „populus ad regendum non committitur, utrum dare „vel accipere decimas debeant?"

Dicit autem Gratianus, quòd „in his hæc discre„tio servanda sit, ut de agris, & vineis, quæ ad „proprium stipendium coluntur, decimas sibi reti„neant. Si enim, *ait*, decimæ à populo filiis Levi „reddebantur pro ministerio, quo Domino deser„viebant in tabernaculo, offerendo sacrificia & ho„locausta pro populo, patet quòd Monachi de pro„priis prædiis non magis quàm alii Sacerdotes deci„mas solvere coguntur."

Dein per modum objectionis: ait: „Sed dicitur, „quòd prædia Monachorum sive pretio sint empta, „sive pro salute animarum oblata, antequam in jus „eorum venirent, baptismalibus Ecclesiis, sive qui„buslibet aliis primitias & decimas persolvebant; illæ „autem Ecclesiæ privari suo jure non possunt."

Ecclesiæ antiquæ ob novas extructas decimis privandæ non sunt.

Hanc quæstionem examinat *parte* 4. incipiens à Canone 42. quo & duobus sequentibus probat, antiquas Ecclesias non esse privandas decimis & oblationibus propter novas; ac tum *Canone* 45. probat, decimas baptismalibus Ecclesiis deberi, prolato decreto sub nomine *Leonis Papæ IV.* quo declaratur, etiam jam pridem, *Majoribus visum esse, plebibus tantùm, ubi sacrosancta baptismata dantur, de decimis debere dari.* Per plebes intelligi Ecclesias baptismales notat hîc glossâ: atque hinc Presbyteri hisce Ecclesiis præfecti dicti sunt Plebani.

Ex his concludendum videbatur, quòd & Monachi ex propriis prædiis decimas Ecclesiis baptismalibus solvere deberent. Verùm respondet Gratianus, quòd Concilium Moguntinense (sub cujus nomine decretum relatum fuit *Canone* 42.) „de venditore vel „donatore loquatur, definiens, ait, quòd ille, qui „vendit, aut donat, non potest proventum decima„tionum illi Ecclesiæ detrahere, cui priùs legitimè „fuerat assignatus: Monachi autem decimas, & pri„mitias non auctoritate vendentis vel donantis, sed „auctoritate ejusdem Concilii, & Paschalis Papæ de„tinent; à quibus definitum, ut Monachi de propriis „prædiis decimas non solvant."

Exemptionem à decimis concedit Gratianus Monachis ex Canone in alienum sensum detorto.

Decretum, quod hanc in rem producit Gratianus *Canone* 46. sub nomine Concilii Moguntinensis: „In „nullo Concilio Moguntino, quod extet, haberi, sed „in Cabilonensi, unde citant Burchardus & Ivo," monent Correctores Romani.

Hi insuper monent, Gratianus ad verba, *Decimas ad Ecclesias*, addidisse vocabulum, *suas*, quod abest ab ipso Concilio, & cæteris Collectoribus.

Porrò additione hujus voculæ, *suas*, Gratianus Monachus detorsit Canonem in alienum sensum, idque in favorem Monachorum; quasi Concilium voluisset, ut Abbates *de agris, & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias suas deferri faciant*; cùm Concilium decrevisset, eas ad Ecclesias deferri. Nomine autem *Ecclesiarum*, ea ætate scilicet sub initium seculi IX. quo celebratum est hoc Concilium, intellectas fuisse Ecclesias Parochiales, vel baptismales, notum est.

Decretum, quod sub nomine Paschalis Papæ II. extat *Canone* 47. nescio, nùm apud antiquiorem Gratiano reperiatur: saltem hactenus non inveni: & per Labbæum *tom.* 10. *Concil.* reponitur inter decreta hujus Pontificis ex decreto Gratiani excerpta.

Interim auctoritate Decreti Gratiani fulti Monachi, libertatem à decimis prætenderunt; eaque occasione plures controversiæ & Pontificum decisiones supervenerunt, uti latiùs exposui in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 33. *cap.* 7.

Quia dictum fuerat, quod antiquiores Ecclesiæ propter novas nec decimis, nec ulla possessione privandæ sint, monet *parte* 5. hujus quæstionis Gratianus, id non ita intelligendum: „Quasi Episcopo non „liceat aliquam partem possessionum vel decimarum „unius Ecclesiæ alteri pro tempore tribuere: sicut

Cui competat potestas dividendi aut uniendi Episcopatus.

„enim Papa duos Episcopatus in unum potest redi„gere; ita & unus, *inquit*, proprio consentiente „Episcopo in duos potest dividi, vel etiam Metro„politano invito quælibet Ecclesia ab ejus jurisdictio„ne, Apostolica eximi auctoritate."

Item eximendi Episcopatus à jurisdictione Metropolitani.

Quàm procul quæsita & parùm concludens sit hæc Gratiani probatio, nemo non videt: at interim Gratianus hîc arripit occasionem probandi Sedi Apostolicæ auctoritatem esse uniendi Episcopatus, eosque à jurisdictione Metropolitani eximendi, prolatis in probationem tribus testimoniis ex S. Gregorio, quorum tertium in *Canone* 52. desumptum ex *lib.* 2. *indict.* 2. *epist.* 7. loquitur de exemptione Episcopi Thebanæ civitatis à jurisdictione sui Metropolitani per Pelagium II. immediatum Gregorii prædecessorem facta: notantque eruditi, hoc primum esse hujusmodi exemptionis exemplum, è quo sequentia, non sine multorum querela, sensim emanârunt: hoc autem exemplum non omninò quadrat intento Gratiani, eo probare volentis, jus esse Pontifici, vigore sui Primatus, etiam Metropolitano invito, (uti concludit ad calcem Canonis 47.) quamlibet Ecclesiam ab ejus jurisdictione eximendi; quandoquidem hæc Ecclesia Thebana esset in Illyrico, in quo Episcopus Romanus, non tantùm jus Primatus, sed etiam ut minus Patriarchale obtinebat.

In binis autem Canonibus Africanis relatis *Canone* 50. & 51. nulla fit hujus exemptionis mentio; sed cavetur, ne sine consensu Episcopi Episcopatus dividatur.

Item erigendi novos Episcopatus.

Post hæc addit Gratianus auctoritate Gregorii junioris, id est, secundi, scribentis Bonifacio Episcopo, quòd excrescente multitudine fidelium, auctoritate Sedis Apostolicæ possint novi Episcopi ordinari. Quod hîc videtur Gratianus attribuere soli Romano Pontifici, commune fuit aliis etiam Episcopis, maximè Metropolitanis, uti evincit Historia Ecclesiastica, & inter alia factum S. Augustini circa Episcopatum Fussalensem, cum consensu Primatis, aliàs Metropolitani Numidiæ à se erectum.

Hinc infert ulteriùs Gratianus, quòd similiter Episcopus possit facere de baptismalibus Ecclesiis, nimirùm unam in plures dividere cum consensu suorum Clericorum: „Quod cùm factum fuerit, *inquit*, illa „pars populi, quæ novis Ecclesiis supponitur, à „jure prioris Ecclesiæ absolvitur."

Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt.

Addit tamen, quòd *plures baptismales Ecclesias in una terminatione facere non possit*: hoc est, non possit facere plures Ecclesias *baptismales* infra eosdem limites, uti hîc interpretatur Glossographus: „Ex „quo enim, *ait*, sunt baptismales, debent habere li„mites distinctos: unus enim tantùm debet esse Prin„ceps."

Profert in hujus asserti probationem *Canone* 54. decretum sub nomine Concilii Toletani: at illud in nullo Toletano esse inventum, monent Correctores Romani. Laudanda nihilominus est disciplina ibi contenta, quam & annotavit synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* mandans Episcopis „pro tu„tiori animarum eis commissarum salute, ut distinc„to populo in certas, propriasque parochias, uni„cuique suum perpetuum peculiaremque parochum „assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo solo „licitè Sacramenta suscipiant." In margine autem citatur præsens Canon.

Ex hactenus dictis infert *parte sexta* subjecta Canoni 54. „Jus Ecclesiarum ita interpretandum es„se, ut, nisi Episcopo disponente aliis Ecclesiis fue„rit assignatum, in nullo priorum redditum diminu„tionem patiantur."

Bona & decima unius Ecclesiæ sine Episcopi consensu alteri dari non possunt.

Et prolato in *Canone* 55. decreto sub nomine Anastasii Papæ, (quod nullibi inter epistolas, aut authentica ejus acta invenitur,) quo punitur, qui oblationes, vel decimas tenere contenderit, vel extra baptismalem Ecclesiam dare voluerit, *præter conscientiam Episcopi.*

Notat autem ad calcem Canonis, quod auctor Canonis, „cùm addit, *extra conscientiam Episcopi*, „intelligendum relinquit, quòd, Episcopo consen„tiente, aliis Ecclesiis dari possunt."

Profert rursus *Canone* 56. decretum sub nomine ejusdem *Anasthasii Papæ*, quod esse Concilii Ticinensis notant Correctores Romani: extatque *tom.* 8. *Concil. General. col.* 148. quo declaratur, in sacris Canonibus præfixum esse, ut decimæ juxta Episcopi dispositionem distribuantur; agitque „contra Lai„cos,

» cos, qui contempta Episcopi dispositione, non ad » Ecclesias, ubi baptismum, & prædicationem, & » manus impositionem, & alia Christi Sacramenta per- » cipiunt, decimas suas dant, sed vel propriis Basili- » cis, vel aliis Ecclesiis (in Concilio legitur, *suis Cle- » ricis*) pro suo arbitrio tribuunt: quod omnimodis, » ait, divinæ legi & sacris Canonibus constat esse con- » trarium. «

Ad calcem Canonis 56. ait: » cùm autem repre- » henduntur, quia contemptâ Episcopi dispositione » hoc faciunt, intelligitur, quòd si Episcopo dispo- » nente hoc fecerint, irreprehensibiles inveniantur. «

Pœnæ adversus invasores bonorum Ecclesiæ.

Hinc arreptâ occasione subjungit Gratianus Canones, pœnas decernentes in deprædatores & invasores rerum & bonorum Ecclesiæ, ac notanter Canones 57. & 58. qui conflati sunt ex allocutione Symmachi Papæ in synodo Romana VI. de invasoribus rerum ecclesiasticarum, quæ integra habetur *tom. 4. Concil. General. colum.* 1371. apud Labbæum.

Retulit & *Canone* 59. capitulum Caroli & Ludovici Imperatorum, quo declaratur, quòd juxta sanctorum Patrum traditionem noverimus res Ecclesiæ esse *vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.*

Fabula de apparitione Caroli Martelli.

Correctores Romani in conformitatem eorum, quæ à Gratiano contra invasores rerum Ecclesiæ relata sunt, addunt famosam illam fabulam de apparitione Caroli Martelli, facta, ut fert fabula, S. Eucherio Episcopo Aurelianensi, in qua vidit Carolum Martellum *in inferno inferiori torqueri.* Cui interroganti ab Angelo responsum est, causam damnationis ejus esse, quòd res Ecclesiæ abstulisset. Fabulam illam pluribus refutat Baronius ad annum 741.

Objectio ex Toletano Concilio.

» Cum ergo præter conscientiam Episcopi, qui- » libet prohibeatur oblationes Ecclesiæ distribuere, » liquidò apparet, ait Gratianus, quòd cum Episcopi » consensu oblationes Ecclesiæ possint quibuslibet Ec- » clesii distribui: At, pergit Gratianus, huic inter- » pretationi videtur contraire auctoritas illa Conci- » lii Toletani IV. «

Hoc enim decreto, quod extat Canone 60. prohibentur Episcopi quidquam *de rebus Ecclesiæ auferre; sed juxta priorum Conciliorum auctoritatem, tam de oblationibus, quàm de tributis ac frugibus tertiam partem consequantur.*

Objectioni respondens Gratianus ad calcem Canonis 61. ait: » Illud Toletani Concilii ita intelli- » gendum esse, ut Episcopi præter quartam vel ter- » tiam, quæ secundum locorum diversitates eis debe- » tur, nihil contingant, id est, nihil in proprium, » ac privatum usum accipiant. «

Hâc occasione exhibet Gratianus tres Canones, quibus Episcopis interdicitur, subditos sibi Clericos, vel Monachos novis exactionibus gravare.

An sit grave peccatum, decimas non solvere.

Tandem concludens Gratianus quæstionem vult ostendere *parte septimâ* » quàm sit grave apud Deum » decimas, & oblationes, ac primitias Sacerdotibus » non solvere: idque auctoritate SS. Hieronymi, & » Augustini. «

Profert autem *Canone* 65. verba Hieronymi ex commentario ejusdem ad caput 3. Malachiæ: sed verba Hieronymi magis ad Levitas, & Sacerdotes veteris testamenti pertinent, quàm ad novi testamenti; ideoque ex hoc textu concludi nequit, tempore Hieronymi decimas debitas fuisse.

Testimonium S. Augustini in *Canone* 66. desumitur ex *sermone* 219. *de tempore*: & notârunt eruditi operum S. hujus Doctoris revisores Monachi Benedictini, hunc sermonem non videri hujus sancti Patris: » Lovanienses, inquiunt, dubium relinque- » runt. Rejecit post Verlinum Virdingus, ob id ma- » ximè, quò *decimas*, de quibus reddendis hîc agi- » tur, intelligere liceat ex *sermone* 2. *in Psal.* 103. » *num.* 9. & ex enarratione Psalmi 146. *n.* 16. & 17. » nondum fuisse Augustini ætate Clericis, & Sacer- » dotibus datas aut assignatas « Cæsarium potiùs refert quàm Augustinum.

Aliud S. Hieronymi testimonium exhibet in eandem rem *Canone* 68. ex epistola ejusdem ad Damasum Papam; sed nihil simile apud Hieronymum reperiri agnoscunt eruditi; eamque epistolam ut spuriam rejiciunt.

Quamvis nequaquam ex eis, quæ hic adducit Gratianus, probetur, decimas tempore Hieronymi, aut Augustini fuisse debitas: nihilominus certum est, quod postquam in sustentationem ministrorum Ecclesiæ impositæ fuêre, hasce non posse sine injustitia illis subtrahi sine legitima auctoritate, uti ostendi *in Jure Eccles. Parte 2. tit. 33. cap. 1.*

QUÆSTIO II.

An Monachi in suis Capellis habeant jus institutionis.

POst hæc pergit Gratianus ad *quæstionem secundam*, quam ex casus positione elicit, & versatur circa capellas à Monachis beneficio Episcopi obtentas; *an ab iis sint instituendæ an ab Episcopis?*

Hanc quæstionem in duas partes dividit, constatque prior pars unico Canone sub nomine Joannis Papæ scribentis Isaac Syracusano Episcopo.

Non indicatur, cujus Joannis sit, neque alibi hæc epistola reperitur, eamque fictitiam esse ipse contextus admodum verisimile facit.

Interim hâc epistolâ datur Monachis facultas *in capellis suis* sacerdotes instituendi, aitque: » consilio » multorum fratrum diligenter exquisito decrevimus, » ut amodo Ecclesiæ Monachis traditæ per suos Sa- » cerdotes instituantur.

Hinc sine hæsitatione *parte secunda* concludit Gratianus: » hâc auctoritate Monachis conceditur in- » vestitura suarum Ecclesiarum: sed videtur contrai- » re, inquit Urbanus II. dicens &c. «

Sententia Urbani videbatur immediatè subjicienda; cum tamen hodie duntaxat referatur *Canone* 6. interpositis quatuor *Canonibus* sub nomine *Paleæ* spectantibus ad decimas.

Verisimile est paleas non esse Gratiani, sed recentioris auctoris.

Verùm monet Stephanus Baluzius in notis ad Canonem 2. hujus quæstionis: quatuor has paleas non extare in antiquis Gratiani exemplaribus Sangermanensi, Regio, vetere Victorino, & Colbertino: habentur tamen in recentiore Victorino, sed absque Paleæ nomine. Innuunt quoque Correctores Romani dictas paleas in quibusdam exemplaribus non extare; atque in his dictum Canonem 6. in quo refertur decretum Urbani II. immediatè subjici Canoni 1. prout & Gratianum voluisse apparet.

Hinc colligitur admodum esse probabile, Canones, qui sub nomine Paleæ in Decreto extant, non esse Gratiani, sed recentioris auctoris, primùm în margine adducti, ac deinde incuria Typographorum in textum instrusi, uti & circa alia nonnulla contingisse notavimus.

Circa institutionem à Monachis faciendam conatur Gratianus conciliare decretum Urbani cum decreto Joannis relato to Canone 1.

In hoc Urbani, qui sedit sub finem seculi XI. decreto statuitur, » ne in parochialibus Ecclesiis, quas » tenent (Monachi) absque Episcoporum consilio Pres- » byteros collocent: sed Episcopi parochiæ curam » cum Abbatum consensu Sacerdoti committant, ut » ejusmodi Sacerdotes de populi quidem cura Epis- » copis rationem reddant: Abbati verò pro rebus » temporalibus ad monasterium pertinentibus, debi- » tam subjectionem exhibeant, & sic sua cuique jura » serventur. «

Hoc decretum conciliare volens Gratianus cum decreto sub nomine Joannis Papæ in Canone 1. relato: » Illud Joannis Papæ intelligendum est de illis » capellis, quæ cum *omni* jure suo ab Episcopis Mo- » nachis conceduntur. Istud autem Urbani intelligi de » illis, quas Abbates in propriis prædiis ædificant, vel » in castellis suis. «

Discrimen inter Ecclesias incorporatas pleno jure, & incorporatas tantum quoad temporalia.

Hæc conciliandi ratio, quamvis nova, nec ullius authentici Canonis auctoritate munita, nihilominus à doctoribus probata fuit; atque ita tandem recepta est distinctio inter Ecclesias pleno jure, id est, tam quoad temporalia, quàm spiritualia monasteriis, aut capitulis incorporatas, & Ecclesias incorporatas *duntaxat* quoad *temporalia*: ut si priore modo incorporatæ sint, non tantùm temporalia ad Monachos pertineant, sed etiam spiritualia, puta Presbyterorum institutio & destitutio: cujus subjectionis mentio occurrit *in cap. 15. ✠ de præscript. cap. 6. ✠ de religios. domib.* & *cap. 13. ✠ de senten. & re judic.* ubi & jura, quæ vigore hujus subjectionis competunt, enumerantur: notantque interpretes, ex ipso tenore unionis & incorporationis judicandum esse, quo jure Ecclesiæ sint subjectæ, uti latiùs & doctè exponit Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis.

Sed observandum est, quòd hodiè ex decreto Concilii Tridentini, nullus Presbyter sive secularis, sive regularis possit curam animarum personarum secularium exercere in diœcesi Episcopi, sine ejus approbatione, licèt Ecclesiæ sint *pleno jure* monasteriis aut capitulis unitæ & subjectæ, uti latiùs exposuimus

mus in dissertatione *de pristinis Ecclesiarum & Altarium incorporationibus.*

QUÆSTIO V.

Præpostero ordine propo.ita.

POst quæstionem secundam sequitur ordine præpostero *quæstio quinta*, de quo videri potest monitum Correctorum Romanorum: notantque argumentum hujus quæstionis valdè conjunctum esse iis, quæ in fine secundæ quæstionis dicta erant.

Canon antiquissimus favens juri Patronatus.

Observaverat enim Gratianus, quòd Ecclesiæ, quas Abbates ædificant in villis vel castellis sui monasterii, quoad spiritualia sint subditæ Episcopis locorum, quod & confirmatur tribus Canonibus, quibus constat hæc quinta quæstio, ac præsertim *Canone* 1. quem quidem sub nomine Nicolai Papæ exhibet Gratianus; sed revera est Concilii Arausicani anni 441. in cujus Canone 10. hoc decretum reperitur, quo forsan nullus antiquior extat, qui ædificatori Ecclesiæ jus præsentandi Presbyterum reservat. Cæterum legetur utiliter integer Canon in ipso concilio.

Summa ergo horum Canonum est, uti & finalis Canonis quæstionis præcedentis, » quòd sive Abba» tes, sive Episcopi in suis castellis, vel villis Eccle» sias ædificaverint, non ideò Episcopo, in cujus » diœcesi fuerint, conventus adimitur: & ideò Sa» cedotes in iis non nisi per Episcopos cum consen» su tamen & electione ædificantium ordinari possunt, » uti Gratianus ad calcem quæstionis concludit. «

Hîc notandum, hos Canones, non nisi de Ecclesiarum ædificatoribus loqui, quibus aliquod quasi jus patronatûs conceditur, quod postmodum Monachi & Canonici solo titulo incorporationi sibi asseruerunt, uti *in Jure Eccles. Part. 2. tit. 25. de jure patronatûs* notavi: quamvis neque veri patroni esse, neque jura patronorum eo titulo prætendere queant.

QUÆSTIONES III. ET IV.

De tempore ad præscriptionem requisito.

CUm obiter in Canone 2. præcedentis quæstionis facta esset mentio *præscriptionis*, seu *antiquæ possessionis*, hac levissimâ arreptâ occasione, Gratianus *quæstione tertia & quarta* generaliter de universo præscriptionis jure tractat.

Et quidem *quæstione tertia* tractat de tempore, quo Ecclesia contra Ecclesiam præscribit: *quæstione* verò *quarta*, quo tempore monasterium adversus Ecclesiam, creditque inter hæc differentiam faciendam: at in hoc fallitur; neque enim ulla in Canonibus vel legibus inter hæc occurrit.

Unde desumendum discrimen circa tempus præscriptionis.

Verùm, si quæ differentia circa *tempus* præscriptionis in Canonibus, ac notanter in legibus civilibus occurrit, hæc vel ex diversitate temporis, vel natura bonorum desumenda erat: non autem ex varietate præscribentium; utrum nimirùm sit Ecclesia contra Ecclesiam, vel monasterium contra Ecclesiam, aut monasterium.

Porrò notandum auctoritates ferè omnes, quæ his quæstionibus referuntur, ad leges Principum pertinere: eo quòd plerumque per præscriptionem rerum temporalium dominia acquirantur, quæ potestati, & jurisdictioni Regum, & Principum præcipuè subjiciuntur, eâque reguntur.

Canonum itaque quæstionibus his confusè admodum relatorum verus sensus, & concordia ex temporum, & locorum vario usu desumenda sunt.

Ante Justinianum præscriptio 30. annorum adversus Ecclesias procedebat.

Et quidem constitutione Theodosii junioris in *L. 1. Cod. Theod. de actionibus certo tempore finiendis, & L. 3 Cod. Just. de præscript. 40. annorum*, primùm in Oriente, ac dein per Novellam 8. Valentiniani III. in Occidente, recepta est præscriptio 30. annorum, quâ omnibus actionibus, nisi breviori termino inclusis præscriptum esse voluerunt.

Post hæc Justinianus in gratiam Ecclesiarum præscriptionem centenariam induxit *L. 23. cod. de SS. Eccles. & Novellâ 9. anno 535. promulgata.*

Justinianus in gratiam Ecclesiarum induxit longiorem præscriptionem.

At idem Justinianus sex circiter post annis præscriptionem hanc *centenarium* rursus sustulit, editâ *Novellâ III.* hâc tamen prærogativâ Ecclesiis indultâ, ut adversus Ecclesias non triginta, sed *quadraginta* annorum possessio necessaria foret.

Similiter *Novellâ* 136. *cap.* 6. » Pro temporalibus » præscriptionibus 10. 20. & 30. annorum sacrosanc» tis Ecclesiis, & aliis venerabilibus locis, solam 40. » annorum præscriptionem opponi præcepit. «

Ratio, ob quam quidam Canones tantum meminerunt præscriptionis 30. annorum.

Itaque ante Justinianum præscriptio 30. annorum adversus Ecclesias etiam procedebat; atque ideo Canones ante Justinianum editi, hujus duntaxat præscriptionis meminere.

Quin & nonnulli Canones etiam Justiniano recentiores, ut sunt Canones 3. & 4. ex Concilio Toletano IV. Item Canon 6. sub nomine quidem Innocentii Papæ relatus, sed revera ex Canone 2. Concilii Hispalensis II. desumptus. Item Canone 10. ex concilio Toletano IX. sola 30. annorum præscriptio agnoscitur, nullâ præscriptionis quadragenariæ factâ mentione.

Porrò Canones hi reflectunt ad leges, quæ 30. annorum præscriptione omnia jura circumscribunt: Quicunque Episcopus (inquit Canon Toletanus in dicto Canone 4. relatus) alterius Episcopi diœcesim per 30. annos sine aliqua interpellatione possede» rit, quia secundum jus legis, ejus videtur esse diœ» cesis, admittenda non est contra eum actio repos» cendi. « Ita legitur in ipso Concilio *tom. 5. Concil. General. col.* 1715. & apud Burchardum *lib. 1. cap.* 67. & Ivonem in Decreto *parte 3. cap.* 131. additis post verbum, *possederit*, his verbis, *eam teneat.*

At in Panormia Ivonis *lib. 2. cap.* 67. legitur vitiosè: *quamvis secundum jus legis ejus non videatur diœcesis.* Quam vitiosam lectionem secutus est Gratianus, qui sua ex Panormia potiùs, quàm ex Decreto Ivonis depromere consuevit; ipsosque etiam errores Panormiæ in suum Decretum derivare, uti adhuc quandoque observavimus.

Hoc autem notandum, Canones hos, licèt post tempora Justiniani editos, ad leges Theodosii, non autem Justiniani respicere, eo quòd in Hispania non Justiniani, sed Theodosii codex ex Alarici præcepto collectus vim & auctoritatem obtinebat: quemadmodum & in Gallia, quæ non leges Justiniani, sed Theodosiani codicis agnoscebat, uti monet Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis.

Alii autem de præscriptione 40. annorum loquuntur.

Verùm Ecclesia Romana, leges & Novellas *Justiniani*, mox ut evulgatæ fuêre, suscepit & agnovit. Hinc S. Gregorius post editas has Justiniani leges scribens *lib. 1. epist. 9.* Petro Diacono, & è quo sumptus Can. 2. *quæst.* 4. vult monasterii alicujus inconcussos fines manere, *si inconcussis quadraginta annis*, inquit, *possedisse repereris.*

Itaque dissonantia Canonum circa tempus præscriptionis contra Ecclesias ex distinctione temporum & locorum dissolvenda erat, non autem per distinctionem inter monasterium & Ecclesiam, ut vult Gratianus, qui propterea & textum *Novellæ* 131. *cap.* 6. mutilavit *Canone* 3. pro his verbis Novellæ: *sacrosanctis Ecclesiis, & aliis universis venerabilibus locis*, iutrusit hæc, *religiosis domibus.*

Hanc, quam attulimus è locorum & temporum differentia Canonum conciliationem, probavit non obscurè Alexander III. in *cap.* 8. ✠ *de præscriptionibus*, scribens, quòd » adversus Ecclesias minorem, » quàm 40. annorum præscriptionem *Romana Eccle» sia* non admittat, licèt *quidam Canones* comprobent » *tricennalem.* «

An Ecclesia Romana gaudeat privilegio centenaria præscriptionis.

Decimâ parte quæstionis tertiæ probare vult Gratianus, privilegia Ecclesiæ Romanæ non nisi 100. annorum spatio præscribi, prolato in hujus probationem unico Canone 17. sub nomine Joannis VIII. (qui sub medium seculi IX. sedit) scribentis Ludovico Regi in hæc verba: *Sed venerandæ Romanæ leges divinitùs per ora priorum Principum promulgatæ, rerum ejus* (Sanctæ Romanæ Ecclesiæ) *præscriptionem nonnisi per centum annos admittunt.*

Notavimus Justinianum aliquando, non quidem speciatim in favorem Ecclesiæ Romanæ, sed omnium Ecclesiarum, centum annorum præscriptionem requisivisse: sed & unà observavimus, Justinianum hanc præscriptionem sustulisse, eique substituisse præscriptionem 40. annorum, idque sine ullius Ecclesiæ, etiam Romanæ, exceptione.

Unde & S. Gregorius in Canone 2. *quæst.* 4. expressè scribit præscriptionem 40. annorum sufficere, *etiamsi quid Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit.*

Attamen hujus Canonis à Gratiano relati auctoritate, non dubitarunt posteriores Pontifices, ac signanter Innocentius III. *in cap.* 13. & 14. ✠ *de præscript.* & Bonifacius VIII. *in cap. 2. de præscript. in VI.* præscriptionem *centenariam* in gratiam Romanæ

Ecclesiæ asserere, *tàm legali, quàm canonicâ esse deffinitione statutam.*

Hos secuti sunt decretalium commentatores, quorum omnium auctoritate abreptus Imerius auctor authenticarum è Novellis Justiniani desumptarum, & quas legibus Codicis subjicit, Authenticæ, *quas actiones*, è Novella 131. desumptæ, adjecit hanc clausulam: *solâ Romanâ Ecclesiâ gaudente centum annorum spatio & privilegio*: cujus privilegii aut exceptionis nulla in ipsa Novella mentio fit: unde & à Cujacio meritò redarguitur *lib. 5. observat. cap. 5.*

QUÆSTIO VI.

HAc *quæstione sexta* quærit Gratianus: »si Archipresbyter, vel Episcopus suâ auctoritate, »non judiciariâ sententia, capellam illam erexerit, »an cadat à causa; ut Ecclesia, cui præsidet, non »ultra habeat jus reposcendi, quod suus pastor il»licitè usurpavit.«

Sine judicis auctoritate bona Ecclesiæ repeti non possunt.

In tres partes quæstionem dividit Gratianus: *Primâ parte* asserit, quòd ea, quæ Ecclesiæ „debentur, „rectores ejusdem, suâ auctoritate, judicibus præ„termissis, repetere non valeant.“

Hîc unicum ex S. Gregorio desumptum Canonem profert, quo dicitur: „Nova consuetudo, quæ in »Romana Ecclesia, & valdè reprehensibilis eruperat, »ut, cùm rectores ejus patrimonii urbana vel rustica »prædia juri illius competere posse suspicantur, fis»cali more titulos imprimant, atque hoc, quod com»petere pauperibus existimant, non judicio sed ma»nibus defendant.... Proinde præsenti decreto consti»tuo, inquit, ut si quis Ecclesiasticorum unquam »titulos ponere, sive in rustico, sive in urbano præ»dio suâ sponte præsumpserit, anathema sit.“ *Epistol. 44. lib. 4.* Hæc decisio desumpta est ex jure civili, titulo Codicis: *Ut nemini liceat sine judicis auctoritate signa imponere rebus alienis.*

Causa cadere debet, qui id sine judicis auctoritate attentat.

Nec tantùm est illicitum, res, quas sibi deberi existimat, propriâ auctoritate invadere; sed quod etiam id attentans, causâ cadat, probat *parte secunda* per Canonem Concilii Milevitani, qui est *Canon* 120. in codice Ecclesiæ Africanæ, de quo vide Tractatum Historico-Canonicum ad præfatum Canonem.

Id tamen soli Prælato, non Ecclesiæ nocere debet.

Sed cum in hoc Canone Milevitano innui videatur, quòd factum Episcopi etiam Ecclesiæ noceat, nititur Gratianus *parte tertia* contrarium adstruere pluribus Canonibus: sive in delinquentis Prælati personam & bona pœnam proferendam, non autem in damnum Ecclesiæ Prælati delinquentis delictum convertendum; quemadmodum ipse Gratianus ad calcem quæstionis exponit.

Inter Canones à Gratiano relatos præcipuè notandi 4. & 5. ex *Epistola* 42. *lib.* 1. S. Gregorii desumpti. Circa quartum notanda est nota Correctorum Romanorum, qui rectè monent, pro *à communione*, legendum esse, *à commodo*, prout legitur in epistola.

Cui cedere debeant bona Clericorum pœnitentiæ causa monasterio inclusorum.

Notabilis verò est Canon 5. in quo S. Gregorius scribit Petro subdiacono de lapsis Sacerdotibus, vel Levitis, vel quolibet ex Clero, quos in *pauperrima* regularia monasteria, »quæ secundum Deum vive»re sciuntur, ad pœnitentiam tradi vult: & ut ip»se in rebus eorum nullâ contaminatione misceatur; »sed res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo »pœnitentiam agere traduntur: quatenus ipsi ex re»bus illorum subsidium habeant, qui de correctione »eorum solicitudinem gerunt: si verò parentes ha»beant, res eorum legitimis parentibus dantur, ita »tamen, ut eorum stipendium, qui in pœnitentiam »dati fuerint, sufficienter debeat procurari.“

Dein adjungit: „si qui verò ex familia ecclesias»tica Sacerdotes vel, Levitæ, vel Monachi, vel Cle»rici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pe»nitentiam vult; sed res eorum Ecclesiastico juri non »substrahi: ad usum tamen suum accipiant, undè »ad pœnitendum subsistant: ne, si nudentur, lo»cis, in quibus fuerint, onerosi sint.“

Laborant hîc Canonistæ, ut hoc postremum membrum cum priore concilient: at facilis & obvia apparet concordia, si dicatur in priore agi de hominibus *ingenuis*; in posteriore verò de his, qui aliquando servi fuerunt Ecclesiæ, qui licet sint facti de Clero, adhuc de *familia Ecclesiæ* adinstar *libertorum*, remanebant: eorumque res temporales ad Ecclesiam pertinuisse videntur. Vide notam 19. ad citatam Epistolam, & Commentarium Francisci Florentis ad præsentem quæstionem Gratiani.

Ex his concluditur, quòd sicut ex delicto particulari Sacerdotum aut Prælatorum non debet damnificari Ecclesia; ita nec compendium facere.

Ecclesia ex delicto Clericorum emolumentum facere debet.

Hinc & in eadem epistola conqueritur Gregorius, quòd quoties conductor aliquid colono suo injustè abstulerit, hoc quidem à conductore exigatur, sed ei reddatur, à quo oblatum est: quod omninò fieri vult, & utilitati nostræ, ait, *non proficiat, ne nos auctores violentiæ esse videamur.* Quòd hîc improbat Gregorius, etiamnùm hodiè nimis frequenter factitatur, sæpiùsque pecunia intervertitur (utinam non specie religionis) quæ spoliato restitui deberet: de quo & scripsit S. Augustinus epistolâ ad Marcelinum circa finem: „Faciliùs ea, quæ hoc modo ac»quisiverunt, tanquam sua pauperibus largiuntur, »quam eis, à quibus accepta sunt, aliena restituant.“

QUÆSTIO VII.

EX casu seu hypothesi formata sub initium hujus causæ hanc quæstionem eduxerat Gratianus: „si »Laici capellam tenebant (ut quibusdam moris est) »& in manibus Abbatis eam refutaverint, & ordinan»dam tradiderint, an consensu Episcopi & Clerico»rum Abbas possit eam tenere?“

An decimæ & oblationes à Laicis possideri queant.

Occasione hujus quæstionis contendit ostendere Gratianus imprimis, quòd nec decimæ, nec oblationes à Laicis possideri queant. Vide quæ dixi in *Jure Eccles. part. 2. tit. 33. cap. 4.*

Ulteriùs probat, quòd Ecclesiæ, earumque oblationes non consistant, nisi in potestate Episcoporum; ex quo *patet profectò*, ait ad calcem Canonis 9. *quòd non sunt ab alio recipiendæ, quàm de manu eorum.*

Non licet de manu laicorum Ecclesias recipere.

Hic à Canone 10. producit plures Canones, quibus probet, omnes basilicas cum suis proventibus pertinere ad Episcopum, in cujus territorio positæ sunt. Miscet & hâc occasione Canones, quibus præcipitur Episcopis, ut per œconomos è clero eligendos res Ecclesiæ ministrent. Vide scholiun ad *Canonem XXVI. Chalcedonensem* in præfato Tractatu Historico Canonico.

Præterea plures intermiscet Canones, quibus decernitur, quòd nemo de manu Laicorum Ecclesias recipere possit: neque Laicis fas sit Ecclesias suâ auctoritate alicui committere, aut alicui auferre.

Abusus circa collationem Ecclesiarum per laicos.

Pro quo notandum, seculo X. XI. XII. abusum recruduisse, ut Principes potentiores Episcopatus, Abbatias, Ecclesias, earumque possessiones & redditus pessimo more sibi vindicarent, & ipsas Ecclesias, Episcopatus, Abbatias, aliis committerent; quin & Episcopos & Abbates per annulum & virgam investirent; ipsosque pro arbitrio destituerunt, & instituerent.

Ad reprimendos hos abusus plura leguntur edita decreta, signanter seculo X. & XI. quorum nonnulla hîc per Gratianum relata sunt. Videri possunt quæ de Abbatibus laicis dixi in *Jure Eccles. part. 1. tit. 13. cap. 7.*

Inter hos abusus non sunt generaliter referendæ investituræ.

Notandum autem generaliter inter hos abusus nequaquam referendas investituras per *annulum & baculum*, quas inter sua jura regalia reputabant Principes, quasque Episcopos, & Abbates à se accipere debere prætendebant, antequam ordinari, aut instituti possent: & quo jure per plura secula, etiam respectu Romani Pontificis, usos fuisse Imperatores constat: primusque legitur Gregorius VII. hoc jus Imperatori Henrico IV. negâsse; atque has investituras tanquam simoniacas reprobâsse: ipsosque Principes eas dantes, & prætendentes, necnon Episcopos, Abbates, aliasque personas ecclesiasticas de manu Laicorum similes investituras accipientes gravissimis censuris, & pœnis subjectos declarâsse, uti latiùs exposui & deduxi in 1. *partem Juris Eccles. tit.* 13. & ad hanc contentionem spectant decreta hîc à Gratiano relata Canone 12. & 13. & in annotationibus ad hanc quæstionem notat Molinæus.

Quod sit jus Patronorum & an dicta ei non repugnant.

Sed Gratianus ne videretur juri patronorum, sive fundatorum derogare, dum negat Laicis facultatem Ecclesias conferendi, aut quidquam in Ecclesia disponendi, ad calcem Canonis 30. post formatam hanc conclusionem: „Si ergo ecclesiasticas facultates dis„pensandi potestatem non habent Laici; multò mi„nùs Ecclesias ipsas quibuslibet ad regendum commit-

„ mittere, vel aliis auferre valent:“ mox subjungit: „ hîc autem distinguendum est, quid juris fundato„ res Ecclesiarum in eis habeant, vel quid non. Ha„ bent jus providendi, & consulendi, & Sacerdotem „ inveniendi, sed non habent jus vendendi, vel do„ nandi, vel utendi tanquam propriis.“

Hinc plures ad jus antiquum fundatorum spectantes Canones intermiscet Gratianus, aliquos falsò inscriptos, mutilatos; alios contortos contra mentem auctorum, qui & errandi occasionem interpretibus præbuerunt, uti notavi *in Jure Eccles. part.* 2. *t.* 25. *cap.* 1. & 7.

Monachi à laicis sine consensu Episcopi decimas recipere non possunt.

Denique cùm seculo X. & XI. Laici decimas & Ecclesias à se, vel parentibus suis occupatas ad usum ecclesiasticum restituere vellent, eas passim Monachis & Canonicis potiùs quàm Ecclesiis, à quibus ablatæ fuerant, & de jure competebant, donare eligebant; quod tanquam inordinatum pluribus Canonibus vetitum fuit, ordinatumque nec Monachis & Canonicis licitum esse, decimas aut Ecclesias de manu Laicorum sine consensu Episcopi recipere, quorum Canonum & apud Gratianum hîc mentio occurrit: de quibus videri possunt, quæ notavi *in Jure Eccles. parte* 2. *tit.* 33. *cap.* 5. ubi ostendi, quomodo Laici decimas occupaverint: & ab his ad Monasteria devolutæ sint.

CAUSA DECIMA SEPTIMA.

CUm causâ decimâ sextâ egisset Gratianus de his, qui in voto perseverant, agit nunc *causâ decimâ septimâ* de his, qui à *voto*, recedere volunt, ait Glossa.

Casus hic propositus.

Casum hunc proponit Gratianus; „ Quidam Pres„ byter infirmitate gravatus, se fieri velle Monachum „ dixit; Ecclesiam & beneficium in manu Advocati re„ nuntiavit. Postquam convaluit, mox se futurum Mo„ nachum negavit, & Ecclesiam & beneficium reposcit.

QUÆSTIO I.

EX hoc casu quatuor elicit quæstiones, quarum *prima* quærit: „ Utrum reus voti teneatur, an „ liceat ei à proposito cordis sui recedere?“

An à voto recedere liceat.

Hâc quæstione probat, quòd à voto recedere non liceat, prolatis tribus Canonibus, quorum duo priores, apud auctores, sub quorum nominibus citantur, non reperiuntur, ut in suis notis indicant Correctores Romani, qui in nota marginali ad Canonem 2. sub nomine Hieronymi citant Augustinum *de bono viduitatis capit.* 9.

Tertius desumitur ex *Epistola* 33. *lib.* 1. S. Gregorii ad Venantium, ubi ipsi expendendum proponit, quòd si Ananias ob substractos nummos, quos Deo voverat, morte mulctatus sit: „ Quanto periculo in di„ vino judicio dignus erit, qui non nummos, sed se„ ipsum Deo competenti, cui se sub Monachali habi„ tu devoverat, subtraxit.“

Discrimen inter votum & simplex propositum.

Canon 4. concinnatus est ex fragmentis *homiliæ* 3. *lib.* 1. *S. Gregorii in Ezechielem Prophetam*, quibus nihil aliud intendit Gregorius, quàm dicere nonnullos multa proponere & deliberare, sed proposita & deliberata ad perfectum non deducere, uti ex contextu homiliæ manifestum est.

Hinc autem concludit Gratianus, „ aliud esse pro„ positum corde concipere, & etiam ore enuntiare; „ aliud subsequenti obligatione se reum voti facere.“

Ulteriùs inde infert Gratianus, „ quòd Presbyter, „ de quo in hypothesi, qui propositum sui cordis ore „ simpliciter enuntiavit, non autem Monasterio, aut „ Abbati se tradidit, nec promissionem scripserit, *ne„ quaquam voti reus habeatur*.“

Verùm nec quæ hactenus allata sunt, nec quæ secundâ quæstione profert, probant, quod ad obligationem voti requirantur, quæ hîc requirit Gratianus.

Interim verùm esse apparet, quod Presbyter, de quo in casu, propositum quidem habuisse videatur, sed voto se non obstrinxisse appareat.

QUÆSTIO II.

SEcunda *quæstio* è casu formata hæc est: „ An Ec„ clesia & Beneficium ei reddenda sunt, quæ „ priùs liberâ voluntate refutavit.“

An ad beneficium

Pro resolutione hujus quæstionis tres duntaxat Canones adducit, quorum primo præmittitur hoc summarium: *Non cogitur aliquis in Monasterio manere, nisi professionem fecerit in manu Abbatis.* *derelictum detur regressus.*

Desumptus est hic Canon ex *Epistola* 26. Alexandri II. quæ integra extat apud Ivonem *part.* 6. *Decreti*, *cap.* 429. & *tom.* 9. *Concil. General. col.* 1134. sed sive fragmentum apud Gratianum, sive integra Epistola legatur, apparebit defectum obligationis & professionis unicè refundi *in non præmissum unum annum probationis*: *quia Beati Benedicti, canonicaque & præcipuè patris & prædecessoris nostri*, ait, *S. Gregorii Papæ constitutio interdicit, ante unius anni probationem effici Monachum.* *Quæ hic refert Gratianus quæstioni propositæ non conveniunt.*

Igitur cùm professio hujus Presbyteri esset nulla ob defectum anni probationis, auctoritate apostolicâ *præcipit*, *ut præfatus Presbyter beneficium & Altaria recipiat*, *habeat*, *& quiete retineat.*

Hâc Alexandri sententia videbatur resoluta quæstio, utrum Presbyter in casu deberet beneficium, quod dimiserat, recipere: notatque Dominus Hericourt in reflexione ad hunc Canonem, huic regressus ad beneficium originem adscribendam.

De reliquo nihil præterea in hac Epistola occurrit, quod ad propositam quæstionem facit: neque resolutio Alexandri in hac Epistola refundit nullitatem professionis in hoc, quod non esset facta in manu Abbatis, ut habebat quæstio, sed quod esset facta ante expletum annum probationis; ut proinde nullatenus resolutioni quæstionis conveniret.

Non magis proposito suo quadrat Canon 2. sub nomine S. Augustini Epistol. 70. ad Bonifacium comitem, quæ est 220. in editione Benedictinorum: hoc enim unum asserit Augustinus, quòd Bonifacius propositum continentiæ, & vitæ Monasticæ exequi nequeat sine consensu conjugis, quàm post factum propositum duxerat. Integra legi meretur.

Allegat dein Gratianus *Canone* 3. decretum sub nomine Bonifacio; sed illud apud Bonifacium non reperiri, sed desumptum esse, licet non iisdem verbis, ex *Novella* 5. *cap.* 2. & *Novella* 123. *cap.* 25. Justiniani, monent Correctores Romani: requiritque ibidem Justinianus *triennium* probationis, sed nonnulla notos inter & ignotos distinctio occurrit.

Ineptè conciliat Gratianus Canones & leges requirentes in monachis diversum tempus probationis.

Cum hîc Justinianus requireret *triennium* probationis, & in allegato decreto Alexandri videret Gratianus, tantùm requiri unius anni probationem secundum B. Benedicti regulam & S. Gregorii canonicam institutionem, ad calcem Canonis 2. hanc conciliandi rationem subjicit: „ Auctoritas illa Alexandri se„ cuta institutionem B. Gregorii & Benedicti probandis „ annum indulget, sed notis; ignotis verò triennium „ conceditur.“

Absona planè restrictio, cujus nulla, aut apud S. Gregorium mentio habetur

Similiter nec apud Justinianum nullum inter *notos & ignotos* discrimen constituitur, sed similiter *triennium probationis* præscribitur. Neque in Novellis Justiniani legitur, quemadmodum hîc apud Gratianum in prætenso decreto Bonifacii: *Si quis incognitus*, sed indefinitè: *si quis autem ad monasticam vitam venire voluerit*, &c.

Si Gratianus loca & tempora distinxisset, obvia fuisset conciliandi ratio: scitur enim, nec ubique nec semper eandem fuisse circa tempus probationis disciplinam, uti in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 25. *cap.* 2. notatum est.

QUÆSTIO III.

Quæstio tertia à Gratiano ex casu proposito elicita erat: „ Si contigisset eum se, & sua Mo„ nasterio tradidisse, an cum licentia Abba„ tis liceret ei ad propria redire.“ Hanc quæstionem sine ulla auctoritate tamquam per se claram negativè resolvit.

An Monacho cum licentia Abbatis liceat ad propria redire.

QUÆSTIO IV.

AT *quæstione quarta* ulteriùs quærit: „ sed quid „ si tamen *sine licentia* Abbatis discesserit, „ utrum sua sint ei restituenda?“ Huic quæstioni impendit Gratian. 43. Canones; at vix unum, qui ad propositam quæstionem spectet.

An Monacho sine licentia Abbatis discedenti bona sint restituenda. De vetita alie-

Primò nescio, qua occasione agit primis quinque Canonibus de vetita alienatione rerum Ecclesiasticarum, & de pœna Prælatorum indebitè & sine causa, & non servata præscripta solemnitate alienantium: ad quam

alienatione bonorum Ecclesiæ.

quam materiam etiam spectant Canones 12. 13. & 15. ex pseudo decretalibus primorum Ponsificum desumpti ; item Canones 39. 40. & 41. inter quos notandus 40. ex Canone 56. Agathensi desumptus (quamvis verisimile sit , ex alia Synodo hujus Synodi Canonibus esse adjectum , uti monet Sirmondus in nota Synodo huic præfixa *tom. 4. Concil. General.*) quo statuitur : *Mancipia Monachis donata ab Abbate non liceat manumitti* , notanda hâc ratione subjuncta : *Injustum enim putamus , ut Monachis quotidianum opus rurale facientibus , servi eorum libertatis otio potiantur.*

De asylo Ecclesiarum.

Agit & Gratianus hac quæstione de immunitate seu asylo Ecclesiarum , & pœnis , quæ Canonibus & legibus imponuntur his , qui confugientes ad Ecclesias & Monasteria violenter abstrahunt.

Huic rei impenduntur Canon 6. & sequentes usque ad undecimum. Item Canones 19. 20. 21. 32. 34. 35. & 36.

Circa hos Canones in primis notandum , plures inter eos reperiri , qui vel falsam , vel dubiam præferunt inscriptionem , vel mutilatis verbis referuntur, uti singillatim notavi in dissertatione canonica *de intercessionibus Episcoporum pro reis , & asylo templorum.*

Quousque hic asylus locum habeat respectu famulorum.

Postquam hæc pro asserendo Ecclesiarum asylo, & confugientium ad eas immunitate adduxisset ; tandem Canoni 31. subjungit quasi per modum moderationis : „ Verùm ne reverentia religionis dominos jure „ suo fraudaret, si famuli ad Ecclesiæ septa confugientes , inde nequaquam abstraherentur , sacris Canonibus est institutum, ait Gratianus, ut præstito à domino Sacramento impunitatis , ei etiam redantur inviti. " Citantur hanc in rem Canones 32. 33. 34. 35. & 36.

Ulteriùs ex his concludit Gratianus ad calcem Canonis 36. occasione religionis servum dominum suum contemnere , & ejus ministerium destituere non debere , prolatis duobus Canonibus Synodi Gangrensis. Hæc fusiùs deducta videri possunt in dicta Dissertatione *de asylo templorum.*

Percussores Clericorum qua pœna puniendi.

Quia autem occasione confugientium ad Ecclesias sæpius contingebat , ut armis pugnaretur ; & hinc cædes etiam Clericorum & Sacerdotum evenirent , ut patet ex *L. 4. C. de his , qui ad Eccles. conf.* intermiscet Gratianus aliquot Canones contra interfectores & percussores Clericorum , inter quos est famosissimus ille Canon: *Si quis suadente diabolo , in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit , anathematis vinculo subjaceat.* Quas modificationes circa hanc pœnam attulerint posteriores Pontifices , refert hîc Glossographus , & exposui in Tractatu *de Censuris.*

In Canonibus autem à Gratiano in hanc rem allegatis , præter pœnas ecclesiasticas depositionis , excommunicationis vel pœnitentiæ , referuntur pœnæ quædam , sive emendationes , satisfactiones & compositiones introductæ ex veteribus constitutionibus Francorum & Germanorum ; necnon ex capitularibus Regum Francorum quæ in Conciliis probatæ fuerunt , quamvis incognitæ Jure Romano , uti notat Franciscus Florens in commentario hujus quæstionis , qui eruditè de his ibidem discurrit , ac notanter de compositione & emendatione , quæ in Canone 26. *Vuiregeldus* dicitur. Vide etiam Stephanum Baluzium in notis ad hos Canones , ubi notat Canonem 24. & 26. qui sub nomine Paleæ exhibentur in multis Gratiani antiquis exemplaribus non haberi.

An sacrilegus habendus sit qui de judicio summi Pontificis disputat.

Porrò quia percussores , & interfectores Clericorum sacrilegii crimen incurrere dicuntur, captat Gratianus occasionem ostendendi , qui præterea pro sacrilegis sint habendi, puta , qui *de principali judicio disputant , an is dignus sit quem princeps elegerit* : hac occassione asserit Gratianus *similiter de judicio summi Pontificis disputare non licet* , prolato Canone 30. sub nomine *Nicolai Papæ omnibus Episcopis.* Huic Canoni hanc notam appendit Correctio Romana: „ Epistola , ex qua hoc caput est sumptum, non extat: „ aliquid tamen simile habetur in Epistola prima ad „ Michaelem Imperatorem : " & Antonius Augustinus *lib. 2. de emendat. Gratian. dial.* 13. hoc caput incertum sibi esse asserit. Extat inter decreta Nicolai I. è Gratiano per Cochlæum collecta *tit. 4. num. 8.* Hinc patet , Gratiani assertum non probari auctoritate Canonis. Certum quoque simile quid non legi apud antiquos Patres. Profluit verisimiliter ex asserto Gratiani , quod in moderna ordinatione Episcopi omissa sit interrogatio consecratoris , an Episcopi ordinandum præsentantes sciant esse dignum , *ne viderentue de SS. Pontificis judicio disputare , dubitantes an is dignus sit* , uti monuimus in *Jure Ecclesiastico part. 1. tit. 15. cap. 3.*

Nemo cum injuria filiorum Ecclesiam debet facere heredem.

Cùm autem hactenus nihil penè attulisset Gratianus ad propositam à se quæstionem pertinens , adfert tandem *Canone ultimo* dictum S. Augustini: *Quicumque vult , exheredato filio , hæredem facere Ecclesiam, quærat alium , qui suscipiat , non Augustinum , imò Deo propitio , nullum inveniet* : laudatque Augustinus factum Aurelii Episcopi Carthaginensis : *Quidam enim cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes (retento usufructu) donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filii postea , & redidit Episcopus nec etiam opinanti illi, quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere , sed Jure fori , non Jure poli.*

An exeunti è monasterio bona ab eo oblata sint restituenda.

Hinc concludendum videbatur , etiam sine licentia de monasterio recedenti , reddenda esse quæ obtulerat. At negat consequentiam Gratianus: „Si ait S. Au- „ relius , degenti in laicali habitu oblata reddidit , quia „ post oblationem filios accepit, non ideò in apostasiam „ euntibus sua reddenda sunt , quibus utilius necessa- „ ria subtraherentur , ut coacti redirent ad ordinem, „ à quo recesserant. Sed sicut inimicis & persecutori- „ bus jubemus necessaria subministrare , sicut ab „ Apostolo monemur tempus redimere , ut expeditiùs „ orationi vacemus : sic ne Ecclesia scandalum pa- „ tiatur , ne discendens in deteriora præcipitetur , ne „ in perniciem Monachorum , aut incendium Monas- „ terii occasione suorum exardescat, laudabilius sibi sua, „ non dico reddantur , sed auferri sinantur , quàm „ ab illo ista inferantur : " indubiè in his reddendis vel retinendis summa opus est prudentia , ne vel retinendo avaritiæ nota incurratur , aut reddendo apostatis luxuriandi , aut in apostasia persistendi occasio detur.

CAUSA DECIMA OCTAVA.

Casus propositus.

TRactatum de Monachis prosequens Gratianus pro *causa* 18. hunc casum fingit: „ Quidam Abbas „ consecratus in Episcopum priùs monasterio multa „ contulit , postea in Episcopatu plura acquisivit: „ cui dum fratres successorem quærerent , Episcopus „ loci semet electioni volebat inserere , ut per ipsum „ Abbas in Monasterio ordinaretur : fratres reni- „ tuntur."

Ex hoc casu duas elicit quæstiones: Prima quæritur: „ An monasterium possit petere , quæ ab Episcopo „ quæsita sint : An Episcopalis Ecclesia possit sibi vin- „ dicare , quæ monasterio fuerunt tradita ?

QUÆSTIO I.

An Monachus ad Episcopatum assumptus fiat capax successionis paternæ.

HAnc quæstionem absolvit unico Canone Concilii habiti apud Altheum , quo decernitur , „ ut „ Monachus, quem canonica electio à jugo regulæ mo- „ nastica professionis absolvit , & sacra ordinatio de „ Monacho Episcopum facit , velut legitimus hæres, „ paternam sibi hæreditatem postea jure vindicandi po- „ testatem habeat."

Ex hoc decreto constat , monachum per promotionem ad Episcopatum , quasi secularizari , capacemque successionis in hæreditatem paternam fieri ; quod à moribus nostris alienum est; similiter & Gallicanis, uti notavit Antonius Bengænus advocatus Parisiensis in suo tractatu de *Benefieiis cap. 4. §. 30. n. 6. & 7.* idipsum notavit D. Hericourt in sua Analysi ad hanc quæstionem.

Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit.

Deinde hoc Canone decernitur : „ sed quidquid „ acquisierat (hic Monachus ad Episcopatum promo- „ tus) vel habere visus fuerat , monasterio relinquat, „ & Abbatis sui , qui fuerat secundum Regulam S. Be- „ nedicti , arbitrio : " monet hic Franciscus Florens rectè dictum esse , *vel habere visus fuerit* , quia nihil proprium monachus habere potest.

Acquisita ab Episcopo ex Ecclesia cedere debent Ecclesiæ.

Denique statuit Canon , ut ea , quæ postquam Episcopus ordinatus fuit, acquirere potuerit , *ad Altare* (id est Ecclesiam) *ad quod sanctificatur & titulatur secundum sacros Canones , restituat* : sed nec hîc illud hodiè existentibus consanguineis , per omnia servatur , uti in *Jure Eccles. part. 2. tit. 32. cap. 7. &* 8. ostendi ; prout nec in Gallia : quamvis optandum es-

esset, uti hîc monet D. Hericourt, ut quoad Episcopum religiosum, hujus Canonis servaretur hic articulus, scilicèt, ut temporalia per ipsum acquisita Ecclesiæ cederent, utpote ab Ecclesia profecta.

QUÆSTIO II.

A quo Abbas sit eligendus.

Quæstione secunda id tantum proponit Gratianus: „An per Episcopum Abbas sit eligendus „& ordinandus, an tantummodo à propriis „fratribus sit instituendus."

Verùm Gratianus more solito à proposito exorbitans, generaliter tractat hac quæstione de Episcoporum in Monasteria, Abbates & Monachos auctoritate; quin & in eorum bona, & redditus: admiscens præterea quosdam Canones de monialibus, earumque disciplina tractantes.

Olim quibusdam in locis electio Abbatis spectabat ad Episcopum.

Quod autem ad Abbatis electionem spectat, certum est non eandem semper & ubique disciplinam obtinuisse. Aliquando enim à diœcesanis Episcopis Abbates fuisse constitutos secundum auctoritatem, quæ in monachos & monasteria Episcopis competebat, constat; atque ita in Hispania obtinuisse tempore Concilii Toletani IV. indicat Canon 50. relatus hîc à Gratiano Canone 1. cum hac epigraphe: *Abbates & alia officia per Episcopos debent institui*; atque in ipso Canone apertè indicatur, Sacerdotibus, sive Episcopis competere, *secundum Canones Abbates & alia officia instituere.*

Aliis pluribus Monachorum congregationi relinquebatur.

At sæpiùs multisque in locis obtinuit, ut Monachorum congregationi electio Abbatis permitteretur; confirmatio verò ad Episcopum diœcesanum pertineret, cui etiam licebat rejicere indignum electum, uti habet *L.* 47. *Cod. de Episcopis & Cler.* & *Nov.* 123. *cap.* 34. Cui & concordat regula S. Benedicti *cap.* 4. aliæque Patrum regulæ, quas in sua regularum concordia retulit Benedictus Anianensis Abbas *cap.* 4.

Uti & plena bonorum monasterii administratio.

Utque hoc jus ipsis Monachis contra Episcoporum prætensiones firmiùs assererent eorum fundatores, solebant in fundationibus monasteriorum plerumque adjicere, ut electio Abbatis ad congregationem Monachorum spectaret; necnon rerum, ac proventuum plena administratio: hæcque à Regibus, Episcopis diœcesanis, ac tandem etiam à Romanis Pontificibus confirmari petebant: quin & ultrò ac sponte Episcopi diœcesani religionis augendæ, ac promovendæ gratia, vel in ipsa fundatione, vel post ipsam fundationem, ex mera liberalitate, Conciliis etiam in eam rem convocatis, liberam electionem & bonorum administrationem Monachis concedebant, quin & jura temporalia Episcopis competentia remittebant; aliquando tamen certa pensione, aut censu retento, seu ut loquuntur Canones, certis *juribus, ut eulogiis, & servitiis* sibi nominatim reservatis, ut constat ex annotatis Gratiani ad *Canonem* 29. & 31.

De privilegiis Monachorum seculo VI.

Hæc erant penè illa jura, circa quæ versebantur privilegia seculo VI. & aliquot sequentibus, vel in ipsa fundatione postulantibus fundatoribus, vel post fundationem ad postulationem Monachorum à Pontificibus, vel Episcopis, aut Regibus indulta: in reliquis ad sacramentorum collationem, reformationem & jurisdictionem spectantibus, salva Episcoporum auctoritate, uti latè ostendi in *Jure Eccles. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 2.

Canones circa electionem Abbatis diversa statuentes facilè conciliantur distinctione locorum & temporum.

His præmissis facilis erit conciliatio citati Canonis Toletani relati *Canone* 1. cum aliis Canonibus ibidem à Gratiano relatis, qui electionem Abbatis deferunt, non Episcopo, uti fit dicto Canone Toletano, sed congregationi Monachorum.

Inepta conciliatio Gratiani.

Oportet quippe duntaxat tempora & loca distinguere; nequaquam autem Canonem Toletanum restringere ad casum, quo quidam „Monachi essent in„domitæ cervicis, & effrenatæ superbiæ, quos dum „Abbates ad religionem cogere voluerint, in eorum „dejectionem conspirant, & alium moribus sibi con„venientem sibi præficere contendunt, quales erant „illi, qui in necem beati Benedicti conspirâsse le„guntur:" uti loquitur Gratianus ad calcem Canonis 8. concludens: „pro hujusmodi constitutum est, „ut Abbates & alia officia per sacerdotes instituantur;" nimirùm citato Canone Toletano; sed contra mentem & verba Canonis.

Insuper notandum, quod illæ, quæ quibusdam monasteriis specialiter indulta esse leguntur, tum apud S. Gregorium, tum per aliorum Pontificum aut Episcoporum litteras, Gratianus *communia* fecerit omnibus Monachis, adducto eam in rem decreto Concilii Lateranensis sub Gregorio I. quod fictitium esse, neque in regesto Gregorii reperiri, notavit & ostendit vir eruditus Franciscus Florens commentario *cap. Auditis*, ⁂ *de præscript. cap.* 2.

Indulta quibusdam Monachis Gratianus fecit omnibus communia.

Interim auctoritate Gratiani fidentes antiqui interpretes supposuerunt, Monachis Jure quasi communi Abbatis electionem rerumque temporalium dispensationem liberam, excluso Episcopo, competere, exemptaque esse monasteria à Juribus temporalibus Episcopo pendendis.

Nova distinctio circa subjectionem Monachorum respectu Episcoporum.

Hinc novam & antiquitùs incognitam disciplinam inter legem *diœcesanam & jurisdictionis* comminisci cœperunt; ac primus meminisse videtur vetus Glossographus Joannes Hugo dictus *Teutonicus*, qui ad initium causæ 10. dicit: „Lex diœcesana consistit in „recipiendo vel cathedraticum, vel tertiam partem „decimationum, vel quartam, vel hospitium. Lex „*jurisdictionis* consistit in conferendo; potest enim „conferre Sacramenta, coercere delicta, de causis „cognoscere."

Hæc præmisa distinctione subjungit: „quantum „ad legem *jurisdictionis* subsunt Episcopo & Eccle„siæ & monasteria omnia: quantum ad legem *diœce„sanam*, solæ Ecclesiæ *seculares*; sed *regulares* Ec„clesiæ & monasteria non."

Hanc novam, nec in ullo antiquo Canone fundatam distinctionem probavit Honorius III. in *cap.* 18. ⁂ *de offic. Judic. ordinarii*, ac dein à Canonistis uno consensu recepta fuit.

Occasio hujus novæ distinctionis.

Ex Canonibus à Glossographo citatis, nequaquam obscurum est, ipsum ad commiiscendam hanc distinctionem inductum fuisse, occasione Canonum hac quæstione à Gratiano allegatorum, quorum alii, monasteria Episcopis subjecta esse, alii ea à juribus quibusdam Episcoporum exempta pronuntiat, aut Episcopis ea in monasteriis exerceri vetant. Nec advertit hæc pro quiete Monachorum, aut conservatione rerum temporalium monasteriorum specialiter esse indulta; atque eatenus auctoritatem Episcoporum temperatam fuisse.

Ita Castorio Episcopo Ariminensi scribens S. Gregorius *Lib.* 4. *Epist.* 43. *ad* instantiam Luminosi Abbatis monasterii SS. Andreæ & Thomæ, prohibuit, „Missas illic publicas per Episcopum fieri, ne, *ait*, in „servorum Dei secessibus, popularibus occasio præ„beatur conventibus, & simpliciores ex hoc animas „plerumque, quod absit, in scandalum trahat: fre„quentior quoque mulierum introitus arceatur." Extat fragmentum hujus Epistolæ, nec non Epistolæ 41. ejusdem libri in *Can.* 3. & 6. hac quæstione, sed verbis nonnihil mutatis, uti notant Correctores Romani.

Exemptione non subtrahebantur olim monachi jurisdictioni Episcopi.

Tametsi quieti Monachorum & rerum temporalium conservationi providere vellent Pontifices & Episcopi, ipsique fundatores, unà tamen curam & jurisdictionem Episcoporum conservare voluerunt; unde nec ullum monasterium, aut cellam Monachorum *extrui de novo* sine *consensu Episcopi diœcesani* permiserunt, ut multis Canonibus hîc probat Gratianus.

Similiter Abbates & Monachos, quantum ad morum correctionem, & disciplinam regularem Episcopis subditos fuisse, probat *Canone* 15. 16. 17. & 18. Item *Canone* 29. statuitur, *ut Episcopus sæpiùs in anno visitet monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum sit, corrigatur: sed sic* (ut ait Canon 28.) *Charitatis officium illic Episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat.* Hoc & monet Canon 30.

Vetantur monasteria duplicia, id est, virorum & virginum.

Addit & Gratianus quædam de sanctimonialium monasteriis, ac præsertim ut ab illis frequens virorum accessus arceatur: quapropter & duplicia monasteria, id est, sanctimonialium & Monachorum prohibentur; & ubi talia monasteria extant, sanctimoniales à Monachis per Episcopos separari jubentur *Canone* 21. 22. & 23. de quibus duplicibus monasteriis vide notata in Tractatu Historico-canonico ad *Canone* 20. *Synodi VII.* qui in dicto Canone 21. à Gratiano refertur.

Ad eundem scopum nimirùm custodiam continentiæ, necnon Monachorum à Laicis separationem spectant Canones 25. 26. & 27.

CAU-

CAUSA DECIMA NONA.

Ratio adjecta hujus causæ.

» IN præcedenti 18. causa dictum est, quod nullus Abbas debeat recipere Monachum alienum, ait Glossa; sed quia fortè idem putaretur de Clericis secularibus & Canonicis regularibus ideò supponitur hîc 19. causa, in qua quæritur: An Clerici seculares, & Canonici regulares, invitis Prælatis suis possint ad regulam arctiorem transire? «

Casus hic propositus.

Hunc in finem hunc casum proponit: » Duo » Clerici ad monasterium transire voluerant: uterque licentiam ab Episcopo suo petiit: unus relicta » Ecclesia propria, eo invito, alter dimissa regulari » canonia cœnobio se contulit. « Causam in tres quæstiones dividit. *Quæstione prima* quærit: » Si Episcopus debeat permittere, ut, relicta propria Ecclesia, Clericus monasterium ingrediatur. «

QUÆSTIO I.

De licentia Episcopi potest Clericus monasterium ingredi.

EX uno Canone Concilii Toletani IV. hanc quæstionem resolvit, dicens, quod Episcopus Clericis licentiam adeundi monasterium dare debeat; *quia*, ait Canon, *meliorem vitam sequi cupiunt.*

QUÆSTIO II.

An invito Episcopo possit Clerus monasterium ingredi.

QUæstione autem *secunda* quærit: » Si Episcopus licentiam dare noluerit, an eo invito » monasterium possit adire?, « Relato Canone sub nomine S. Leonis ex *cap.* 9. *Epistolæ*, quæ est 12. in editione Quenelli, quo dicitur: *alienum Clericum, invito Episcopo ipsius, nemo suscipiat*: subjicit Gratianus: sed subaudiendum est: nisi ad » propositum *melioris vitæ* transire voluerit: tunc » enim liberum est illi, ait, etiam Episcopo *contradicente*, monasterium ingredi. «

Fieri id potest, si instinctu Spiritus sancti ducatur Clericus.

Huic restrictioni probandæ impendit *Canone* 2. fragmentum Epistolæ Urbani II. quo ostenditur, legem privatam, *quæ instinctu Sancti Spiritus in corde describitur*, præferendam legi publicæ sive humanæ, adeoque si Clericus secularis, cui Episcopus populum regendum commiserat, hac privata lege, sive *instinctu Spiritus Sancti afflatus*, in aliquo monasterio vel regulari canonia salvare se voluerit, & Episcopus consentire noluerit, poterit, ipso etiam *invito* vita illam amplecti: »qui enim Spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur. Et quis est, qui Spiritui » Sancto possit dignè resistere? Quisquis igitur hoc » spiritu ducitur, ait, etiam Episcopo contradicente, » eat liber nostra auctoritate.“

Ad cavendum, ne hic intercludat dæmon.

Verùm sicut Satanas nonnunquam se transformat in angelum lucis, sic spiritus nequam in spiritum Dei; quare non omni spiritui credendum: nec quisquam facilè prætextu *privatæ legis*, seu instinctus Spiritus Sancti à lege positiva, & ordinaria lege Ecclesiæ debet recedere: proinde est necesse, ut & hîc ritè probetur, *si Spiritus ex Deo sit.*

Porrò limitatio legis vetantis alienum Clericum invito Episcopo ab alio suscipi, *nisi monasterium ingredi voluerit*, à Gratiano allata, neque citatis Leonis verbis, nec disciplinæ ejus temporis conformis est: sed Gratianus more suo Canones ad disciplinam sui temporis contorquet. Quid verò recentior disciplina in hoc puncto habeat, ostendi in *Jure Eccles. part.* 1. *tit.* 27. *cap.* 5.

QUÆSTIO III.

Qui Canoniti sine licentia Episcopi fieri possint monachi.

CUm enim seculo IX. & sequentibus, Canonici deserta vita communi, ad vitam singularem ac privatam (à qua seculares dicti) transire cœperunt, tunc hæc capit eis dari facultas ad Monachorum & Canonicorum in *communi viventium*, etiam sine licentia Episcopi, migrandi: at Canonicis in *communi* viventibus, sive *regularibus* transitus ad Monachorum monasteria permissus non fuit, quod *quæstione tertia* probat Gratianus; atque inter reliqua adducit *Canone* 2. fragmentum Epistolæ Urbani II. quo mandatur, » & » universaliter interdicitur, ne quis Canonicus regulari- » ter professus, nisi, quod absit, publicè lapsus sit, » Monachus efficiatur. «

Vita monachalis est pœnitentialis.

Hîc per transennam nota, etiam seculo XI. vitam monasticam, sive monachalem reputatam fuisse pro vita *pœnitentiali*, ad quam *publicè* lapsi redigebantur: quod pluribus Canonibus jam pridem sancitum fuit, uti observat Baluzius *in notis ad Lupum Ferrariensem*, *pag.* 381. & 501. una observans veteres existimâsse clericatum digniorem & sublimiorem gradum comparatione vitæ monasticæ: *quam ob causam veteres illi*, ait, *ex eis, qui in monasterio permanent, nonnisi probatiores & meliores ad Clerum assumere solebant*, ut docet Augustinus suprà *causa* 16. *q.* 1. *Canone* 36. & ibi notavimus. *Clericatus dignior vita monastica.*

Præcipitur in eodem decreto, quod » si Canonicus regularis id tentaverit, ad ordinem Canonicorum redeat: & deinceps *memorialem cucullam de-* » *ferat*: & ultimus in choro maneat. «

Qua pœna puniendus Canonicus regularis qui fit monachus.

Per *cucullam* hîc intelligitur operimentum capitis, quo Monachi utebantur, atque Canonicus regularis hic ferre jubetur in *memoriam* suæ desertionis & levitatis; unde *memorialis* vocatur, uti interpretatur Innocentius III. in *cap.* 12. ✠ *de ætate & qualit. ordinand.* ubi citans præsentem Canonem pro his verbis *memorialem cucullam deferat*, ponit: *Cucullam ad* memoriam *delaturus*: uti & *lib.* 13. *Epist.* 4. ad quam vide notam Bosqueti.

Loca sacra usibus profanis non sunt applicanda.

Sicuti Canonici regulares semel vitæ illi consecrati non possunt eam temerè & sine licentia superioris mutare, prætextu propositi transeundi ad vitam perfectiorem; ita nec loca semel Deo, & in monasteria dedicata, sunt profanis usibus applicanda, uti probat *Canone* 4. & 5.

De novitiatu ejusque scopo.

Adjungit dein *Canone* 6. verba S. Gregorii *lib.* 8. » *epist.* 23. ubi scribit Episcopo Neapolitano: » Omnibus monasteriis interdicat, ut eos, quos ad con- » versionem susceperint, priusquam biennium in con- » versatione compleant, nullo modo audeant tonsurare, id est, *tonsura monachali induere*:» rationem addit: » Sed hoc spatio vita moresque eorum solicitè comprobentur, ne quis eorum aut non sit con- » tentus eo quod voluit, aut ratum non habeat, quod » elegit; « en scopus, & finis probationis seu novitiatus, monasticæ professioni præmittendi.

Cæterum quod præter regulam S. Benedicti quæ annum probationi præfixerat, præcipiat S. Gregorius novitios per biennium in diœcesi Neapolitana probari, casum particularem fuisse notant & adstruunt Benedictini *lib.* 1. *vitæ S. Gregorii cap.* 3. in fine in sua editione.

Ob specialem rationem olim miles Monachus fieri non poterat sine consensu Episcopi.

Quod autem in fine Canonis additur: » Miles verò » si converti voluerit, priusquam nobis renuntietur, » nullus eum sine nostro consensu, qualicunque præ- » sumat ratione suscipere. Hoc præcipit eo tempore » beatus Gregorius, ne omninò videretur contemnere » legem, quam Mauritius Imperator tulerat, ne milites ante completum militiæ tempus in monasteriis re- » cipi possent, « uti monent Correctores Romani una notantes illa non intellexisse auctorem Glossæ.

An Monachi possint testari.

Ostendit & hîc extra ordinem Gratianus, quod post ingressum monasterii, id est, *professionem*, nulli relinquatur libertas testandi: quam in rem etiam adducit quædam ex Novellis Justiniani, quibus præscribitur qualiter ingredientes monasteria, de bonis suis disponere queant, & ad quos, si ante ingressum non disposuerint, bona devolvantur; de quibus fusiùs egi in Dissertatione canonica *de Smionia circa ingressum monasterii*; eo quòd Christianus Lupus has Justiniani leges ad justificandas hodiernas Monachorum, ac Monialium dotium exactiones & pactiones assumeret.

Allegaverat Gratianus *Canone* 7. verba S. Gregorii, quibus declaratur, quod ingredientibus monasterium convertendi gratia, ulteriùs nulla sit testandi licentia: cumque contra hanc Gregorii definitionem objecisset sibi, quod » Paulus primus Eremita in testamento colobium suum Athanasio Episcopo Alexandrino reliquit, tunicam verò beato Antonio; « respondet: » Sed aliud est de his, qui in monasterium » ingressi, se & sua tradiderunt: aliud de his, qui » solitariam vitam ducentes, se nulli Ecclesiæ tradiderunt; illi, semel tradita nulli tradere possunt; isti » nulli oblata libere testari possunt. «

Convenientior fuisset solutio, si antiquam Eremitarum disciplinam & vivendi rationem à recentiore distinxisset: scimus enim quàm illa ab hac distincta sit.

CAU-

CAUSA VIGESIMA.

De impuberibus Monasterium ingredientibus.

GRatianus tractatum *de Regularibus* prosequens, quem cum hactenus de *adultis* Monasterium ingredientibus tractàsset, tunc supponit *causam* 20. ait Glossa, ubi tractatur de *impuberibus*.

Casus hic propositus.

De his hunc casum proponit: » Duo pueritiæ an» nos agentes à parentibus monasterio traditi sunt: unus » invitus, alter spontaneus cucullam induit. Ad annos » pubertatis venientes, invitus ad secularem militiam » rediit, spontaneus districtiùs monasterium petiit.

QUÆSTIO I.

EX hoc casu quatuor elici quæstiones, quarum prima quæritur: *Si in pueritiæ annis traditi, cogantur religionis propositum tenere?*

An pueri religioni traditi teneantur adulti in ea perseverare.

Hic refert *Can.* 1. decretum sub nomine Synodi *nonæ*; cum tamen nullibi synodus, quæ simpliciter *nona* appelletur, extet. Notant quidem Correctores Romani in nonnullis veteribus exemplaribus esse, *octavæ*; verùm ut iidem monent, nec in *octava* sub Hadriano II habita decretum hoc habetur.

Referuntur à Gratiano Canones in utramque partem.

Interim in hoc decreto statuitur, quod *firma tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta jam ætas esse cœperit, & ea quæ solet apta nuptiis deputari ac perfecta.*

Videns Gratianus, hoc decreto sufficienter insinuari, professionem virginitatis, tum demum dici *firmam*, si puella eam emittens *adultæ* sit ætatis, & ab alia parte pluribus Canonibus cautum reperiret, quod à parentibus *parvuli* religioni oblati, etiam facti adulti tenerentur in religione perseverare, monuit ad calcem hujus Canonis hìc „ de illa profesione agi, quæ » in annis pueritiæ *proprio* arbitrio Deo offertur, quam » non confirmat parentum consensus. Cæterum, quæ » à parentibus Deo offertur professio, inviolatam ser» vari oportet.“

Verùm, si legatur integer Canon 18. Epistolæ canonicæ S. Basilii ad Amphilochium (è quo hoc decretum sumptum est, ut notat Antonius Augustinus, *lib.* 2. *Dial.* 8.) apparebit, hanc Gratiani restrictionem planè adversam esse sententiæ auctoris; cùm in hoc Canone nominatim invehatur S. Basilius in *parentes*, qui filias suas „ *ante perfectam ætatem* offerebant; » non ex seipsis, ait, ad cœlibatum incitatas; sed ali» quid, quod ad victum pertinet, procurantes, quas » non facilè admittere oportet, donec apertè *propriam* » suam sententiam perscrutati fuerimus. «

Interim Gratianus propositum prosequens, profert nonnullos Canones, quibus probatur, quod pueri à parentibus religioni oblati, etiam in eadem debeant, jam facti adulti, perseverare.

Citat hanc in rem *Can.* 2. responsum Gregorii III. ad Bonifacium Moguntinum, erroneè à Gratiano attributum Gregorio I. ad Augustinum.

Quæsierat à Gregorio Bonifacius: „ Si Pater aut » Mater filium filiamve intra septa monasterii in *infan*» *tiæ* annis sub regulari tradiderint disciplinam, utrum » liceat eis, postquam pubertatis annos impleverint, » egredi, & matrimonio copulari.“

Respondit Gregorius: „ Hoc omninò devitamus, » quia nefas est, ut oblatis à parentibus Deo filiis, vo» luptatis fræna laxentur.“

Plures similes auctoritates profert in hanc rem Gratianus, atque præ cæteris *Can.* 3. notandum vulgare hoc decretum Concilii Toletani IV. *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit; quidquid horum fuerit, aligatum tenebit.*

His aliisque relatis concludit Gratianus ad calcem Canonis 7. „ Quod paterna professio pueros teneat » obligatos; nec licebit eos à proposito discedere, » quod paterna devotione in puerilibus annis susce» perunt.“

Non dubium, quin hæc disciplina olim fuerit recepta, multisque Canonibus stabilita, conformisque videatur Regulæ S. Benedicti *cap.* 59. multisque eam adstruit Hugo Menardus in notis ad caput 66. concordiæ Regularum: ibidem refutans Glossatores, & recentiores commentatores, qui hos Canones restringere volunt ad eos qui post pubertatis annos oblationem à parentibus factam, ratam habent, manifestè à verbis & mente Canonum recedentes.

Quæ hodie sit disciplina circa hoc punctum.

Verùm est labentibus seculis, hanc disciplinam mutatam esse; atque pueris à parentibus oblatis libertatem factam esse reclamantibus, & ad seculum redeundi, cum ad annos pubertatis pervenerint: hancque disciplinam in posteriorum Pontificum decretalibus corpori Juris inclusis esse probatam.

Invanum conantur recentiores Canones veteres cum decretalibus conciliare.

Harum autem auctoritate moti recentiores interpretes, antiquos Canones in eundem sensum contorserunt, ne decretales cum illis pugnare viderentur: non advertentes nihil fidei, aut Ecclesiæ auctoritati decedere, tametsi Ecclesiæ disciplina temporum successu mutetur. Vide Emmanuelem Gonzalez ad *capite* 12. ✠ *de Regularibus*, & ibi citatos. Notavit quoque Menardus, variam fuisse circa hoc punctum Ecclesiæ disciplinam: qui & idem asserit, quod nihil de ea oblatione ante tempora S. Benedicti aut saltem S. Leonis I. qui agit de puellis oblatis à parentibus; legatur.

De velandis virginibus, & varia circa hoc disciplina.

Adjungit Gratianus nonnulla de ætate necessaria Abbatissæ, itemque de velandis virginibus, circa quod punctum fuit pro temporum, & locorum diversitate etiam varia disciplina, uti ex Canonibus à Gratiano relatis patescit, & plura addit auctor notarum in *Epistola* 11. *lib.* 3. S. Gregorii (hodie *lib.* 4. *Epist.* 11.) è qua desumptus est Canon 12. hujus quæstionis.

Hoc autem & observandum, plura tum apocrypha, tum dubia hìc à Gratiano immisceri: puta, *Canone* 4. Isidoro adscribit, quæ in ejus libris non esse inventa monent Correctores Romani. Item *Canone* 10. sub nomine *Marcelli* Papæ, & Canone 15. adscripto *Pio Papæ*, quæ eorum non esse constat.

QUÆSTIO II.

Restringitur potestas parentum circa filiorum oblationem in Monasterio.

Quæstione secunda prosequitur Gratianus agere de potestate parentum circa filiorum oblationem; atque *Can.* 1. allegat decretum Concilii Toletani X. celebrati anno 656. quo illa parentum libertas offerendi nonnihil restringitur: ut nimirùm *Parentibus filios suos religioni consecrare non ampliùs, quàm usque ad quartum decimarum eorum ætatis annum* (in Concilio habetur, *annum decimum*, apud Burchardum & Ivonem, *usque ad annum* 12.) *licentia poterit esse; postea verò an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum.*

Hoc autem *Can.* 4. cautum, quod nonnisi sub plurimorum testimonio pueri à parentibus oblati suscipi debeant: *Ut omnis occasio maledicti gratia excludatur pessimorum hominum.*

At hic Canon à Gratiano citatur ex *nona Synodo*, sed erroneè, uti monent Corectores Romani, at reperiri in libello S. Basilii *de inst. Monachorum*. Porrò de hac cautione, aliisque ritibus hujus oblationis, vide Hestenium in *disquisit. monasticis.*

An & quando possint parentes puella irritare.

Præterea allegat Gratianus *Can.* 2. decretum sub nomine concilii Triburiensis *cap.* 24 quòd „ puella, si » ante duodecim annos ætatis sponte suâ sacrum sibi » velamen assumpserit, possint statim parentes ejus » vel tutores id factum irritum facere, si voluerint: » at si annum & diem id dissimulando consenserint, » ulteriùs nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt: si » verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescens » servire Deo elegerit, non est potestas parentibus » prohibendi.“ Ita legitur apud Gratianum, Burchardum, & Ivonem in Decreto: idque sub nomine concilii Triburiensis, *cap.* 24.

Extat hoc Concilium *tom.* 9. *Conc. General.* sed nulla posterioris membri mentio fit; sed priùs membrum sic legitur: „ Quæcumque virgo sub patrocinio » ante annos 12. non coactè, sed propria voluntate, » sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem „ nullo repetente, velata permanserit, ab eodem sanc„ to habitu ulteriùs non recedat, sed sponsa vero Re„ gi Christo, immaculato Agno, ulteriùs incorrupta „ & immaculata deserviat: si verò idem patronus post „ annum & diem sanctum propositum rumpere, & „ velatam studuerit repetere, atque Christo suam spon„ sam rapere, secundum statuta Canonum præju„ dicamus, ut vires non obtineat, sed Christo Re„ gi suam sponsam relinquat.“

Haud obscurum est, Canonem agere de puella liberta, sive manumissa, & sub patrono sive patrocinio constituta; & de jure, quod dominus habet ad repetendam libertam: patetque Gratianum nequaquam Canonem ex fonte, sed ex aliis collectoribus sumpsisse.

QUÆSTIO III.

Nemo professionem Monasticam, nisi metu extortam deserere potest.

Culpantur, qui lucro inhiantes quosdam ad religionem alliciunt.

Quæstione tertia tribus primis Canonibus probat Gratianus, neminem posse professionem monasticam deserere, quam semel sponte emisit: secus si per metum, & violentiam fuerit ad vovendum inductus, ut probat Canone 4. in quo & ritus oblationis puerorum describitur.

Notandus canon 5. hujus quæstionis ex concilio Moguntino contra „ Episcopos & Abbates, qui non »in fructum animarum, sed in avaritiam, & turpe »lucrum inhiantes, quoslibet homines circumvenien»do totunderunt, & res eorum tali persuasione sur»ripuerunt.“ *Hos pœnitentiæ canonicæ* (*utpote turpis lucri sectatores*) *subjacere vult.*

Similes his sunt quidam hodierni superiores monasteriorum, qui in assusmptione ad religionem: plùs ad dotes inferendas, quàm ad signa vere vocationis attendunt.

Porro vult Canon citatus, ut „ qui sic electi co„ mam deposuerunt, in eo, quod cœperunt, perse„ verare cogantur: res verò eorum hæredibus red„ dantur.“

Vissum fuit & hîc non ita pridem monasterium condemnatum ad restitutionem hæredibus ingressi, quod à superioribus videbatur injustè & supra modum honestum, extortum, uti notavi in *Dissert. Canonica de Peculiaritate & Simonia &c. part.* 2. *c.* 2.

QUÆSTIO IV.

An liceat ab uno Monasterio aliud transire.

DEnique *quæstione quarta* quærit; *Si ab uno Monasterio in aliud districtius liceat alicui transire.* Potissimum autem agit de Monachis & Monialibus ad aliud monasterium transeuntibus, aut aliud votum emittentibus.

Et quidem *Canone* 1. permittitur virginibus sacris, *pro lucro animæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere; ibique commanere: si verò, ait, fuga disciplinæ alium locum quæsierint, redire cogantur.* Similiter & *Canone* 3. decernitur, Monachos de uno Monasterio ad aliud sine voluntate Abbatis migrare non posse. Item determinatur quando Monachis sit licitum ad privatas, & solitarias cellulas migrare.

An & quando liceat vovero tine consensu Abbatis.

Denique *Canone* 2. generaliter decernitur, Monacho non licere votum vovere, sine consensu Abbatis: si autem voverit, frangendum esse.

Monet autem Gratianus ad calcem quæstionis: »Hoc intelligendum de Monachis *religiosè* viventi»bus, quibus *vota* specialis abstinentiæ, vel ali»cujus districtionis, quæ generaliter consuetudi»nem suorum fratrum excedat, sine Abbatis con»sensu vovere non licet, ne super eos fratres scan»dalizentur.«

Verissimum est Gratiani monitum, si agatur de iis, quæ planè indifferentia sunt, nec ipsa religiosæ vitæ vel christianæ pietatis fundamenta attingunt: at velle impedire debitam observantiam votorum, aut eorum, quæ ad vitæ religiosæ substantiam pertinent, aut omninò conducunt, prætextu scandali accepti, vel murmurationis multorum, qui à votorum suorum, ac vitæ religiosæ observantia recedunt, planè irreligiosum est: estque velle illos cogere, ut à via arcta, quàm pauci ingrediuntur, recedant, & viam latam, & spaciosam, quæ ducit ad perditionem, ingrediantur.

Addit & Gratianus: »Causa illorum etiam statu»tum est hoc, (nimirùm Monacho non licere vove»re sine consensu Abbatis) qui regularem disciplі»nam subterfugientes peregrinationis vota sibi assu»munt; quod nec Monacho, inquit, nec alicui Cle»rico licet, ne hac occassione ad secularem conver»sationem redeat.«

CAUSA VIGESIMA PRIMA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti juxta Glossographum.

FActa interpositione in quinque causis de statu Monachorum, revertitur Gratianus ad tractatum *de »statu Clericorum*: continuat autem suum Tractatum »ex fine Canonis ultimi præcedentis causæ, ubi dic»tum est, quod Abbas non debet habere plura Mo»nasteria, sed quia idem servandum est in Clericis, »scilicèt, quod non debent habere plures Ecclesias, »ideo hanc vigessimam causam subnectit, ait Glossa, »in qua ostendit: Quod Clerici non debent habere »plures Ecclesias, nisi in casibus exceptis.«

An hæc fuerit vera connectendi ratio, nescio: hoc ex sequentibus constabit, admodum paucas de vetita aut permissa Clericis pluralitate Ecclesiarum in hac causa à Gratiano adferri; quamvis casus & prima quæstio ad hanc materiam spectare videantur.

Casus hic propositus.

Casus enim à Gratiano ita proponitur: »Archi»presbyter cujusdam Ecclesiæ præposituram alterius »accepit, nec priorem vult dimittere: secularium ne»gotiorum quoque procurator efficitur: claris & fulgi»dis vestibus se exornans, ab Episcopo suo corripitur, »relicto officio suo ad secularem Judicem habet con»fugium.«

QUÆSTIO I.

EX hoc casu quinque elicit quæstiones, quarum prima quæritur: »An Clericus in duabus Ec»clesiis possit conscribi.«

De vetita pluralitate beneficiorum.

Hac quæstione Canone I. adducit decretum Synodi VII. *Canone* 15. quo absolutè vetatur Clericum connumerari in duabus Ecclesiis, adeo quidem, ut nec paupertatis seu insufficientis sustentationis titulo id permittatur: »Nam, ut ait Canon, ad vitæ hu»jus necessitatem studia sunt diversa. Ex his ergo qui »voluerit, acquirat corporis opportuna: ait enim »Apostolus: sed ea, *quæ mihi opus erant, & his, qui »mecum sunt, ministraverunt manus istæ.*“ Vide Tractatum *Historico Canonicum part.* 3. *cap.* 3. §. 9. in citatum Canonem 15. ubi fusiùs ostensum est, pluralitatem beneficiorum eo penitùs reprobari.

Restrictio Gratiani infundata.

At Gratianus Canonem hunc restringit ad duas duarum civitatum Ecclesias, in quibus nullus debet conscribi. Præcipuum hujus restrictionis fundamentum sumpsit Gratianus ex hac finali clausula citati Canonis Synodi VII. *Et hæc quidem in hac à Deo servanda Urbe. Cæterum in Villis, quæ Foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur* Verùm clausulam hanc nequaquam pluralitati Ecclesiarum, sive beneficiorum favere in præfato tractatu ibidem ostensum est.

Similiter nec favet fragmentum Canonis X. Chalcedonensis relatum *Canone* 2. uti videri potest ex sæpè dicto tractatu *part.* 3. *cap.* 3. §. 6. *ad Canonem* 10. *Chalcedonense.*

Potest quis habere duas Ecclesias, unam titulatam, alteram commendatam.

At hæc producit Gratianus Canone 3. decretum sub nomine Leonis IV. quo decernitur, ut „qui plures »Ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam ve»rò sub commendationem retinere debeat,“ nullatenus ad pluralitatem Ecclesiarum seu Beneficiorum pertinet?

Id enim unum voluit Leo, quod qui unam Ecclesiam Parochialem in *titulum*, sive *titulatam* habet, possit aliam habere *commendatam*; sive, ut hodie loquuntur *in deservituram.*

Certum enim est, quod ætate Leonis IV. & in hoc decreto commendatio vel commenda coincideret cum hodierna deservitura, atque illa æquè ac hæc ad certum tempus concederetur.

Quomodo hæc Ecclesiarum commendatio in origine laudabilis, tandem ad regendam pluralitatem beneficiorum unicè servierit, & in maximum ad perniciosissimum denegaverit abusum, ostendi in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 20. *cap.* 2.

Quis sit Cardinalis Episcopus apud Gregorium.

Demum duos recitat Canones 5. & 6. ex *Epistola* 13. *lib.* 2. (hodie *lib.* 3.) S. Gregorii desumptos. In hac Epistola Gregorius Agnellum Fundensem Episcopum constituit Episcopum *Cardinalem* Ecclesiæ Tarracinensis, hoc est, ipsum huic Ecclesiæ præficit, ut *proprium & intitulatum* Episcopum, quod significat juxta illius temporis phrasim, *Cardinalem Episcopum constituere*, uti hîc, & ad Canonem *Fraternitatem, dist.* 71. notant Correctores Romani.

Declarat autem Gregorius, quòd licèt esset *Cardinalis* seu proprius Episcopus Tarracinensis, tamen Fundensis Episcopus esse non desinat, sed utriusque Ecclesiæ Episcopus maneat: quod Gregorius permisit, quia *ob cladem hostilitatis, nec in civitate, nec in Ecclesia Fundensi esset cuiquam habitandi licentia*, uti in Epistola legitur.

Quo sensu possit quis juxta Gregorium habere duos Episcopatus.

Monet autem Gratianus ad calcem Canonis 6. »quod non potest utrique præsidere tanquam titulatæ, »sed uni tanquam commendatæ, alteri verò tanquam »titulatæ præesse valet:“ id est, tanquam deservitor, durante hostilitate, quamdiu proprium Episcopum habere nequeat, curam ejus gerere; quod textui Gregorii repugnare videtur.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Adscriptus alicui Ecclesiæ eam deserere sine licentia Episcopi non potest.

Sicut Clericus duabus Ecclesiis adscribi non potest; ita nec illam, cui semel adscriptus est, sine licentia deserere, nec absque litteris dimissoriis sui Episcopi ad aliam transire potest: quod *quæstione secunda* probat Gratianus, adducto Canone 17. Synodi VI. additur *Canone* 2. Decretum Concilii Hispalensis, quo declaratur convenire, ut „Similis desertor Clericus cingulo honoris, atque ordinis sui exutus, aliquo tempore Monasterio relegetur, sicque postea in ministerium Ecclesiastici ordinis revocetur."

Plures Sacerdotes eidem Ecclesiæ præfici non possunt.

Præterea, sicuti nullus duabus potest præfici Ecclesiis; ita nec convenit, uni Ecclesiæ plures præfici Sacerdotes, quod unico adducto Canone 4. sub nomine Concilii Rhemensis probat Gratianus, in quo dicitur, quod „Ecclesia una dividi nequeat inter plures Presbyteros, sed unum tantummodo habere Sacerdotem, qui eam castè, & sincerè regat: quia Ecclesia Christi uxor & sponsa debet esse, non scortum, sicut Calixtus Papa testatur."

Alludit ad suppositititiam Epistolam Calixti I. omnibus Galliarum Episcopis inscriptam, cujus longum fragmentum extat *caus.* 7. *quæst.* 1. *Can.* 39. Hinc habemus, quod Concilium Rhemense ut minus ad Seculum IX. referendum esset: ante enim illud seculum pseudo-decretales primorum Pontificum vix in Gallia notæ fuerant.

Illud quoque constat, eo circiter seculo invaluisse, ut cura animarum cujuslibet Presbyteri parochialis compararetur *conjugio carnali*, uti videri potest apud Lupum Ferrariensem *Epist.* 29. & sub idem tempus Chrodogandus Metensis Archiepiscopus *c.*63. Regulæ Canonicorum ait: *Presbyter non amplius, quàm unam Ecclesiam habeat, sicut & vir unam uxorem.* Plura testimonia vide relata apud Baluzium in notis ad citatam Epistolam Lupi Ferrariensis.

Qualibet Ecclesia debet habere suum proprium Sacerdotem.

Denique Gratianus in *Canone* 5. profert decretum Innocentii II. in Synodo Romana *cap.* 10. quo præcipit, nec conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur: & unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat Sacerdotem. Abusus subsequentibus seculis ampliùs invaluit, dictique fuere similes Presbyteri conductitii, Ecclesiis parochialibus præfecti *vicarii amovibiles ad nutum*, de quo abusu vide dicta in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 34. *cap.* 1.

QUÆSTIO III.

Secularia negotia Clerici fugere debent.

CUm in casu à Gratiano proposito diceretur, quòd Archipresbyter secularium negotiorum procurator esset effectus, quærit Gratianus *quæst.* 3. *An procurationes secularium negotiorum Clericis liceat suscipere.*

Negativam adstruit, adductis eam in rem Canone III. Chalcedonensi sub nomine *Paleæ*, & Canone 16. Codicis Africani, de quibus vide præfatum Tractatum Historico Canonicum ad dictos Canones.

Addit varias sententias S. Cypriani, atque inter cætera *Canone* 4. illud vulgare & a multis celebratum statutum in Concilio Carthaginensi, teste Cypriano: „Ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominet: ac si quis hoc fecisset, non offeretur pro eo; nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur: neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & ministros voluit avocare."

QUÆSTIO IV.

Fulgidis, & pretiosis vestibus uti non debent Clerici.

„Dictum erat in casu proposito, quod Archipresbyter claris & fulgidis vestibus se exornans ab Episcopo suo corriperetur; hinc 4. quærit, an claris & fulgidis vestibus Clericis ornari liceat?"

Hoc non convenire Clericis, probat hîc Gratianus, adductis Canonibus, quibus interdicitur Clericis, fulgidis, ac pretiosis vestibus, adinstar secularium, se ornare: jubeturque Canone 2. ex decreto Synodi VI. „Ut nullus eorum, qui connumerantur in Clero, vestimentum indecens habeat sive in civitate degens, sive in itinere ambulans: sed stolis utatur, quæ concessæ sunt Clericis." Glossographus hîc *stolam* non malè interpretatur, *vestem talarem*, cujus fit mentio in *Canone* 32. *dist.* 23. atque hoc sensu coincidit cum ea veste, quæ Canone 3. dicitur *tunica sacerdotalis.*

De forma vestium clericalium.

Eodem Canone vetatur Sacerdos ambulare sine *operimento*: „quia, inquit, sicut *mulier oranS in Ecclesia non velato capite, deturpat caput suum*, juxta Apostoli vocem, ita Sacerdos *sine operimento* deturpat sacerdotium suum."

Hoc vestimenti genus fuisse oblongum, sat innuit Canon, permittens, ut Sacerdotes sine illo incedant, *si in itinere longo ambulaverint*: quare Glossa illud accipit pro *cappa vel pallio.*

Cironius ad titulum *de vita & honestate Clericorum* putat accipi posse pro superpelliceo, quo non solùm Pontifices in Ecclesia, & in publico uti jubebantur, sed & omnes sacerdotes, ut ibidem probat.

Clerici externo habitu modestiam, & simplicitatem debent ostendere.

Quidquid sit de vera harum vocum significatione, ac de harum vestium pristina forma, hoc certum est, unicum Canonum scopum esse, ut Clerici modestiam & simplicitatem clericalem in vestibus servent, & externo habitu præferant: *ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant*, ut loquitur Synodus Trident. *sess.*14. *c.*6. *de reform.* vide dicta in *Jur. Eccl. part.*1. *tit.*2. *c.*2.

QUÆSTIO V.

An, & quando vetitum sit Clericis ab Episcopis ad secularem Judicem confugere.

DEbent insuper Clerici suis subesse Episcopis, neque adinstar Laicorum ad secularem Judicem confugere, de quo agit Gratianus *quæstione quinta*, quam ita proponit: „An ab Episcopo correpti suum officium relinquere, & ad secularem Judicem confugere valeant?"

Citat hunc in finem *Canone* 2. decretum Synodi Antiochenæ ex versione Isidori, & rursus *Canone* 5. ex interpretatione Martini Bracarensis, & *Canone* 3. Synodi Carthaginensis V. Canonem 2. qui in Codice Africano est 104. sed præcipuè hi Canones agunt de Episcopis à Synodis & Metropolitanis recurrentibus ad Principem; de qua re vide Tractatum Historico Canonicum ad dictos Canones.

Refert & *Canone* 6. fragmentum *Epist.* 34. *lib.* 4. S. Gregorii, quo conqueritur de Episcopis suis ad Imperatorem recurrentibus: „Si Episcoporum causæ mihi commissorum, ait, apud piisimos dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio?"

Evidens apparet S. Gregorium hîc loqui de Episcopis speciali titulo curæ suæ commissis, quales erant qui juré metropolitico in Ecclesiis suburbicariis, ipso Romano Pontifici suberant.

Cæterum ex contextu Epistolæ S. Gregorii, necnon Canonum improbantium recursum ad Imperatorem, intelligitur, hunc recursum improbari in illis, qui ordine judiciario, sive juxta regulas ecclesiasticas à Synodis fuerant damnati; non autem de casu, quo viâ facti, sive neglecto ordine judiciario per Judices ecclesiasticos, sive superiores opprimuntur; & sic oppressi ad protectionem Regiam confugiunt, uti ostendi in alio Tractatu.

CAUSA VIGESIMA SECUNDA.

„SUperiori causa, ait Glossographus, tractatum est de obedientia Clericorum erga suos Episcopos:" sed quia quandoque quis *jurat*, se suo Prælato non obedire, ideò Gratianus hanc 22. causam subnectit, in qua de juramento tractat, & de mendacio, & quot comites juramentum habeat.

De juramento, & mendacio.

Utrum fuerit Gratiani hæc vera connectendi ratio, nescio; hoc constat, Gratianum materiam juramenti, & varia ad eam spectantia, hac causa per quinque quæstiones tractare.

Casus hic propositus.

Casum ita proponit: „Quidam Episcopus juravit falsum, quod putabat verum: quo comperto Archidiaconus juravit, se nunquam ei præstiturum obedientiam. Compellitur Archidiaconus ab Episcopo ad exhibendam sibi consuetam reverentiam: accusatur Episcopus de duplici perjurio, & de eo, quod falsum juravit, & quia Archidiaconum ad pejerandum compulit."

QUÆSTIO I.

An, & quando jurare sit licitum.

Quæstione prima quærit: » An juramentum sit » præstandum, an non? « Ac primò quidem auctoritate Scripturæ Sacræ arguit, jurandum non esse, juxta illud Christi Matt. c. 5. v. 37. *Sic sermo vester, est, est: non, non: quod autem amplius est, à malo est.* Item illud Jacobi c. 5. v. 12. *Ante omnia, Fratres mei nolite jurare omninò.*

Respondet Gratianus: » Sed aliud est ad juramen- » tum spontè accedere: aliud vel ad asserendam inno- » centiam suam, vel ad pacis fœdera confirmanda, vel » ad persuadendum auditoribus, quando pigri sunt » credere, quod eis utile sit, juramentum offerre. » Primum prohibetur, secundum conceditur: Non » enim jurare omninò peccatum est? «

Assertum suum probat auctoritate Concilii Toletani VIII. quo juramentum in fœdere adhibitum probatur. Item auctoritate S. Augustini in expositione Epistolæ ad Galatas ad illa verba: » *Quæ autem scribo* » *vobis, ecce coram Deo; quia non mentior*; jurat uti- » que, & quid sanctius hac juratione: sed non est » contra præceptum juratio, quæ à malo est, non ju- » rantis sed incredulitatis ejus, cui juratur: nam hinc » intelligitur, ita Dominum prohibuisse à jurando, ut » quantum in ipso est, quisque non juret: quod multi » faciunt, in ore habentes jurationem, tanquam mag- » num, aut suave aliquid... Quantum ergo in ipso est, » non jurat Apostolus: non enim appettit juratio- » nem cupiditate, aut delectatione jurandi. « Ita legitur apud Augustinum, à quo nonnihil recedit Gratianus, ut etiam notant Correctores Romani.

Plura ibidem ad eundem sensum Gratianus adfert ex Augustino, atque inter alia *Canone* 5. » Ita » ergo præcepisse Dominum intelligitur, ne juretur, » ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & » assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem » delabatur: quapropter qui intelligit non in bonis, » sed in necessariis jurationem habendam, refrænet » se quantum potest, ut non ea utatur, nisi neces- » sitas cogat. «

His congruit illud Isidori in *Canone* 13. » non est » contra Dei præceptum jurare; sed dum jurandi » usum facimus, perjurii crimen incurrimus. «

Ad calcem Canonis 14. ita concludit Gratianus: » Ex præmissis colligitur, quod jurare non est pec- » catum: non tamen tanquam bonum est appetendum, » ne consuetudine jurandi labamur in perjurium: sed » cum dicatur procedere à malo non credentis, vi- » detur, quod etsi jurare peccatum non sit, jura- » mentum tamen recipere malum sit. Sed nomine mali » non malitia, sed peccati pœna intelligitur. Ex pœ- » nali enim infirmitate incredulitas ista processit, qua » ad jurandum compellimur. Ipsum autem jurare si- » cut peccatum non est, ita juramentum ab aliquo » recipere malum non est. «

Licitè utimur fide ejus, qui per idola jurat.

Post hæc *parte quarta* quæstionis quærit: » An sit » utendum fide ejus, qui per dœmonia jurat? « Pro resolutione hujus dubii adducit *Canone* 16. verba S. Augustini ex Epistola ad Publicolam, quæ est 47. in ultima editione. Hic respondet Augustinus, semper esse malum per falsos Deos jurare: » Sed illud, » ait, nemo rectè reprehenderit, quia fidem serva- » vit ... ac per hoc qui utitur fide illius, quem cons- » tat jurâsse per falsos deos, & utitur, non ad ma- » lum, sed ad licitum, & bonum, non peccato ejus

An licitè petatur juramentum à juraturo per falsos deos.

» se sociat, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit:, » sed, pergit Augustinus, alia quæstio est, utrum non » peccet, qui per falsos deos sibi jurari facit, quia ille » qui ei jurat, falsos deos colit. «

In hac quæstione dubius nonnihil hærebat Augustinus, motus tamen exemplis Isaac & Jacob, qui sibi à Laban & Abimelech jurari fecerunt, inclinare videtur in partem negativam.

Gratianus exemplis ab Augustino adductis addit: » quod cùm in libro Machabæorum Romani legun- » tur pacem firmâsse cum Judæis, intelligendi sunt » jurâsse per falsos deos; sicut & Judæi juraverant per » Deum verum. «

An sit licitum jurare per creaturas.

Dicit & ibidem Gratianus, dictum de juramento per *falsos deos*, etiam de juramento per creaturas intelligendum: nimirùm, quod » ipsum quidem jurare » per *creaturas* malum sit, quia à Deo prohibitum; » sed servare quod juratur, bonum est, ut evitetur » peccatum mendacii & dolositatis. «

Objiciens autem sibi exemplum Joseph, qui *per Creaturas* juravit, dum dixit fratribus suis: *per salutem Pharaonis non exibitis hinc*, respondet, » Sanc- » tos non tàm per creaturas, quàm per auctorem crea- » turarum jurâsse... Deus autem, inquit, per creatu- » ras jurare prohibuit, ne vel more gentilium aliquod » numen Deitatis creaturis inesse crederetur, vel ne » creaturas contemptibiles judicando, per eas promis- » sa pro nihilo duceremus. «

De gravitate unius juramenti comparari ad alterum.

Scripserat in citato Canone S. Augustinus: » Sine » ulla dubitatione minus malum est per *Deum falsum* » *jurare* veraciter, quàm per Deum *verum fallaciter*; « rationem addens: » Quanto enim id, per quod jura- » tur, magis est sanctum, tanto magis est pœnale per- » jurium. «

Ex hac ab Augustino allegata ratione concludit Gratianus, quòd licèt duplex peccatum admittat, qui contra prohibitionem & jurat per creaturas, & unà jurat *mendaciter*; tamen appareat, quod *graviori se subjiciat pœnæ, qui per Creatorem jurat mendaciter*, atque ita hoc unum peccatum perjurii gravius appareat, duplici peccato, quod commissit jurans illicitè per creaturas mendaciter, de qua quæstione locutus non fuit Augustinus: unde & nonnisi dubitanter per verbum, *appareat*, resolvit Gratianus.

De gravitate, & pœna perjurii.

Parte quinta hujus quæstionis probat Gratianus, perjurii pœnam esse gravissimam: » quam si quis ti- » mens ad confessionem venire noluerit, à fidelium » consortio sit abjiciendus. «

In hujus probationem adducit *Canone* 17. decretum sub nomine Eutychiani Papæ, prout etiam apud Burchardum & Ivonem citatur.

Monent autem Correctores Romani, inventum esse inter quædam capitula Theodulphi Episcopi Aurelianensis ad suos Presbyteros scripta: quod & monent Pithæi notantes caput 26. dictorum capitulorum, quæ habentur *tom.* 7. *Conc. General. col.* 1136. ubi & hoc decretum reperitur.

Stephanus Baluzius monet in notis ad Reginonem, sub nomine hujus Pontificis Eutychiani relata à Gratiano decreta nullatenus ei posse attribui, primumque à Burchardo ipse fuisse supposita: credit autem Baluzius (quod & verisimile apparet ex tenore contextûs) illa non esse ex concilio quopiam, ne in decretis alicujus Romani Pontificis, sed formulam fuisse, secundum quam Episcopi interrogare debebant Laicos in unaquaque Parochia.

Retulit quidem Labbæus hæc decreta *tom.* 1. *Concil. General column.* 921. sub nomine *Eutychiani Papæ*, quamvis ab aliis Collectoribus Conciliorum essent omissa, unà tamen insinuans se dubitare, an huic Pontifici sint tribuenda.

Quidquid sit de decretorum istorum auctore, cùm eorum meminerit Regino Abbas Prumiensis, (licet sub nomine Eutychiani) apparet, quod saltem seculo nono nota fuerint.

In hac igitur formula, seu decreto dicitur, prædicandum esse, » ut perjurium fideles caveant, & ab » hoc summopere abstineant, scientes hoc grande sce- » lus esse.“ Præterea, „ se audivisse, quosdam par- » vipendere hoc scelus, & levem quodammodo per- » juris pœnitentiæ modum imponere. “ Quàm hoc hodie usitatum!

Declarat autem, quòd illi nosse debeant, „ talem » de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem & » de adulterio, de fornicatione, & de homicidio sponte » commisso, & de cæteris criminalibus vitiis.“

Denique si » quis de perpetrato perjurio, aut » quolibet criminali peccato, timens pœnitentiam » longam, ad confessionem venire noluerit, ab Ec- » clesia repellendus sit, sive à communione, & con- » sortio fidelium. «

Cæterum Canon 10. Pio Papæ falsò adscribitur, quod nequidem extat in Epistolis huic Pontifici ab Isidoro suppositis. Similiter Hieronymo falsò adscribitur Canon 12. *Capitularis* 1. Caroli Magni de anno 789. relatus *Lib.* 1. *Capitularium*, *cap.* 61. Consule Baluzium *in notis ad hoc caput* 12.

Modus minuendi frequentiam perjuriorum.

Si hodiè Episcopi, Pastores, & Confessarii cum falsum jurantibus ita procederent, iisque pro gravitate criminis pœnitentiam imponerent, sperandum esset frequentiam perjuriorum paulatim minuendam.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

An perjurus sit jurans quod falsum putabat verum.

PRosequendo Gratianus materiam juramenti *quæst. secunda* quærit: *Si sit perjurus, qui jurat falsum, quod putabat verum.*

Primò asserit, adductis duobus Canonibus: facilè probari, quod *perjurium sit falsum jurare*, sed id intelligendum monet ad calcem Canonis 2. de eo qui *scienter*, seu *mentiendo* in dolo jurat: »sed aliud est »ait, falsum jurare, aliud jurare in dolo.... Ille enim »in dolo jurat, aut mendaciter promittit, in cujus »mente est non sic se facturum, ut promittit: ille »autem, qui promittit falsum, quod *putat verum*, »nec in dolo jurat, nec mendaciter promittit.«

Probat hanc distinctionem *Can.* 3. auctoritate S. Augustini, multis asserentis, perjurium esse, qui jurat *quod falsum scit, aut saltem putat falsum esse*, licèt reipsa verum sit: non esse autem, qui jurat falsum, quod *verum esse certò credit*: atque concludit: *Ream linguam non facit, nisi mens rea.*

Ex hoc concludit Gratianus, non esse perjurum, »qui nec temerè vel intelligenter, sed cum magna »diligentia videbatur sibi deprehendisse *verum*, quod »juravit *falsum.*«

Discrimen inter mentiri, & falsum dicere.

Quin & addit, nequaquam semper mentiri, qui falsum dicit; sed nec omnem qui mentitur, falsum dicere, uti probat *Can.* 4. verbis Augustini.

Item inter fallere, & falli.

Ex dictis ulteriùs concludit, fallere semper esse peccatum, cùm fallere semper sit voluntatis: sed falli vel infirmitatis, vel temeritatis: hinc ulterius concludit *parte secunda*, quòd aliquando contingat falli vel nullum, vel minimum, esse peccatum: aliquando ex ipsarum rerum variâ consideratione, minus esse fallere quàm falli. Primùm probat *Can.* 2. verbis Augustini in Enchiridio ad Laurentium *cap.* 21. & alterum *Can.* 7. verbis ejusdem Doctoris ex eodem Enchiridio *cap.* 18. quæ mutilata refert, uti etiam monent Correctores Romani. Merito hi textus S. Augustini legentur integri in ipso originali.

De variis mendaciorum generibus ex Augustino.

Parte tertia ostendit Gratianus varia esse mendaciorum genera, quorum alia aliis graviora, alia leviora sunt. Unâ probat, nulla de causa mendacium reddi licitum.

Adducit in hanc rem *Can.* 8. textum S. Augustini desumptum ex ejus libro de *mendacio cap.* 14. & 21. Ubi priore capite, octo enumerat mendaciorum genera, & *cap.* 21. concludit, nullum eorum esse licitum: Et quidem circa quinque prima genera nulla videbatur difficultas: ac circa tria ultima nonnulli hærebant: verùm auctoritatibus divinis, quæ mendacium prohibent, diligenter discussis; necnon iis, quæ in novo Testamento a sanctis facta sunt, *ubi morum imitandorum evidentissima commendatio est*, ut loquitur Augustinus, concludit, nec tria hæc mendaciorum genera licita esse.

Nullum genus mendacii licitum esse probatur ex eodem.

»Non est, ait, mentiendum sexto genere (quod »nulli obest & alicui prodest;) neque enim recte etiam »testimonii veritas, pro cujusquam temporali com»modo ac salute corrumpitur.«

Quin nec pro æterna alicujus salute mentiendum esse subjungit, dicens: „Ad sempiternam verò sa»lutem nullus ducendus est, opitulante mendacio.«

Septimum mendacii genus est, cum sine ullius injuria mendacio meo vita alterius salva esse potest: sed nec hoc genere mentiendum esse, ait: »Non »enim cujusdam commodi as aut salus temporalis »perficiendæ fidei prælerenda est.«

Octavum genus mendacii est, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, ut ab immunditia corporali aliquem tueatur: „Nec in hoc genere mentiendum est: quia »& in bonis castitas animi pudicitiæ corporis præter»tur: & in malis id quod ipsi facimus, eo quod fieri »sinimus, nobis damnabilius est.«

Concluditque his verbis: „Quisquis autem esse »aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, »putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum »se deceptorem arbitratur aliorum.«

Nullum ob finem licitum est mentiri.

Parte quarta ulteriùs pluribus auctoritatibus, notanter S. Augustini, probat, neque ad evitandam arrogantiam, conservandamque humilitatem esse mentiendum: „Cum humilitatis causa mentiris, si non »eras peccator, antequam mentireris, mentiendo ef»ficeris quod evitaveras,“ ait Augustinus *Canone* 9. & *Canone* 11. dicit: „Non ita caveatur arrogantia, „ut veritas relinquatur.“

Neque vitam temporalem, nec æternam proximi per mendacium nostrum esse procurandam docetur *Can.* 14. 15. & 17.

Potest tamenquandoque veritas occultari. De facto Abraham & Jacob.

Parte quinta probat, quòd etsi nunquam liceat mentiri, & contra veritatem loqui, possumus tamen subinde, causâ exigente, veritatem occultare, *Canone* 12.

Dein *Can.* 22. verbis Augustini solvit objectionem contra antedicta movendam ex facto Abrahæ, qui ad servandam vitam temporalem videtur mentitus, dicendo quòd Sara, uxor sua, esset sua soror: sed monent Correctores Romani Canonem conflatum ex variis textibus S. Augustini in unum congestis.

Multis quoque respondet ipse Gratianus ad factum Jacob, dicentis se Esau, volens ostendere mentitum non fuisse.

Cùm in proposito casu Episcopus juraverit falsum, quod putabat verum, concludit Gratianus ad calcem quæstionis: „Quòd Episcopus non fuerit reus perju»ri, juxta illud Augustini supra relatum: *Ream* »*linguam non faciet, nisi mens rea.*“

QUÆSTIO III.

HInc ulteriùs resolvit quæstionem tertiam (quæ erat: „Si liceat Archidiacono denegare Epis»copo consuetam obedientiam) nullo adducto Ca»none, dicens, quòd consueta obedientia ab Archi»diacono Episcopo denegari non debuit, & per con»sequens illicitum fuisse, quod ab Archidiacono »erat juratum.“

QUÆSTIO. IV.

HInc *quæstione quarta* quærit: *Si constiterit esse illicitum, quod juravit Archidiaconus, an sit servandum?*

Juramenta de re illicita servanda non sunt.

Quòd juramenta illicita servanda non sint, pluribus auctoritatibus adstruitur parte 1. quæstionis; atque in primis auctoritate Concilii Toletani, cujus Canonis 2. fragmentum recitat *Can.* 1. sed integer Canon consulendus, cujus plura fragmenta extant apud Gratianum, ac signanter binâ hâc quæstione *Can.* 9. & 14. Idem ostenditur & variis aliorum auctoritatibus, adjunctis tamen nonnullis nonnihil immutatis, ut notant Correctores Romani, & aliquibus dubiæ fidei, ut *Canone* 10. sub nomine Augustini, & *Canone* 16. sub nomine Soteris Papæ.

Ex his tandem concludit, juramenta de re illicita non esse servanda juxta illud Isidori *Canone* 5. »In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto »muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias: »impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.“

Verùm conclusionem illam, quod juramenta illicita laudabiliter solvantur, damnabiliter serventur, intelligendam esse dicit parte 2. subjecta Canoni 19. „Quando juramentum illicitum deseratur, ut ad bo„num redeatur.“ Cæterum, si propterea deseritur, ut in aliud malum transeatur, illicitum Sacramentum damnabiliter servatur, sed damnabiliùs contemnitur. Probat hæc *Canone* 20. 21. 22. auctoritate S. Augustini.

Quandoque licitè præstatur, quod illicitè juratum est.

Denique parte 3. occasione juramenti, quod Gabaonitis fecit Josue, probat quædam juramenta, quamvis *illicitè* præstentur, tamen *postquam præstita* sunt, esse servanda, adductâ etiam *Canone* 23. auctoritate S. Ambrosii, cui dein longum discursum annectit Gratianus, in quo exponit, quando juramenta illicita sint, vel non sint servanda, qui tractatus non inutiliter legetur.

QUÆSTIO V.

Quæstio quinta è casu deducta erat: „Si cons„titerit juramentum illicitum ab Archidiacono „servandum esse, an Episcopus sit reus per„jurii, qui contra juramentum Archidiaconum suum „ire compellit.“

Hanc quæstionem in septem partes dividit, quarum *prima* de pœna, & gravitate perjurii tractat.

De pœnitentia imponenda perjuris.

Circa modum pœnitentiæ perjuris imponendæ adducit duos priores Canones sub nomine Pii Papæ: at certum est, ea Pio I. tribui non posse, monentque Correctores Romani ea, ab aliis Collectoribus citari ex pœnitentiali Theodori, è quo & Canon 3. citatur.

In

In his Canonibus videmus, non eandem omnibus perjuris pœnitentiam impositam; imò trium annorum pœnitentiam impositam ei, qui pejeravit in manu Episcopi, aut cruce consecratâ; & tantùm unius anni, qui pejeravit in cruce non consecrata, quæ disciplina vel sola redolet recentiorem ætatem. Nihilominus advertat Lector in his Canonibus pristinæ disciplinæ quædam occurrere vestigia: quibus confundantur Confessarii, qui perjuriis leviores, quàm exigit gravitas criminis, pœnitentias imponunt.

Provocans ad jurationem falsam dupliciter homicida est.

Adducit ex S. Augustino *Canone* 5. & 6. quòd is, qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum, vincat homicida: quia homicida corpus occisurus est, ille autem animam: Imò duas animas, & ejus, quem jurare procuravit, & suam.

Quomodò se gerere debeat, qui aliquem audit falsum jurare, ut criminis particeps non fiat, ostenditur *Canone* 8. ex verbis S. Augustini.

Parte tertia inquirit „an perjurium evitet, qui verborum *calliditate* se circumvenire putat illum, cui juramentum defert, nisi servaverit, quod jurâsse creditur.“

Perjurus est, qui non jurat ad mentem exigentis juramentum.

Huic adducit *Canone* 9. vulgarem illum S. Isidori textum, quò funditus evertitur perniciosâ illâ restrictionum mentalium fallaciâ: »Quacunque arte verborum, inquit, quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, qui juratur, intelligit.“

Huic congruit Augustinus in *Canone* 10. ubi docet perjurum esse, qui falsum jurat *per lapidem*, tametsi jurans credat, nihil esse per quod jurat, eo quòd is, *qui jurat, illud sanctum putat: non enim*, ait, *quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras.* Videndus ipse textus Augustini *sermone* 180. *n.* 13. in editione Benedictinorum: nam apud Gratianum nonnulla mutilata sunt, ut etiam monent Correctores Romani.

Objectio ex S. Gregorio solvitur.

At his contraria apparent, quæ *Canone* 11. proferuntur ex S. Gregorio *lib.* 16. *Moralium*, *cap.* 7. »Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia »foris sonant; divina verò judicia talia ea audiunt, »qualia ex intimis proferuntur.“

Sed si integer textus S. Gregorii legatur, apparebit S. Gregorium hîc loqui de Patriarcha Job, qui soli Deo loquebatur: tunc enim satis est, ut sic loquamur, qualiter Deus, qui inspector est cordis nostri, verba intelligit: at qnando proximo loquimur, sic verba accipienda sunt, sicut ille, cui juratur, intelligit.

De ætate ad jurandum requisita.

Post hac Gratianus *parte quarta* inquirit, quâ ætate quis ad præstandum juramentum sit capax?

Addueit *Canone* 14. locum ex *lib.* 1. *Capitularium* Regum Francorum, in quo decernitur *parvuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur jurare.*.

Ita hodie legitur *Libro* 1. *Capitularium*, *cap.* 16. Item apud Reginonem *Libro* 2. *capite* 113. & Ivonem *Parte* 12. *capite* 23. & his verbis exibuerat Gratianus: at Correctores Romani addiderunt ex originali, ut ajunt: *sicut Gunebodigni faciunt*: quemadmodum & hodie legitur apud Baluzium in *Capitulari* 1. *anni* 789. *cap.* 62. de qua lectionis varietate consule eundem Baluzium in notis ad Reginonem pag. 590. ubi & unà notat, Gunebodignos fuisse dictos, qui Gundebadâ lege utebantur, adversus quam legem librum scripsit seculo IX. Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, cui & notas addidit citatus Baluzius, quas consule.

Additur dein *Canone* 15. sub nomine Concilii Eliberitani, & *Canone* 16. sub nomine Cornelii Papæ, ut pueri ante annos 14. non cogantur jurare: in posteriori quoque dicitur: *Honestum etiam videri, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore.*

De reverentia in juramento adhibenda.

Certum est hæc non sapere disciplinam ætatis, qua vixit S. Cornelius Papa, eique falsò adscribi, uti notavit Antonius Augustinus, *lib.* 1. *dial.* 16. reperiuntur autem *lib.* 1. *Capitularium*, *cap.* 61. ubi pro, *audet*, legitur, *habet*, uti & apud Reginonem *lib.* 2. *cap.* 312. quæ lectio apparet præferenda, ut hîc monet Baluzius.

Interea hînc elucet, quanta cum reverentia & religione fieri voluerint juramenta auctores antiqui.

De tempore, quo vetitum est jurare.

Adducit & Gratianus *Canone* 17. sub nomine Concilii apud sanctum Medardum decretum, quo præcipitur, »ut à Septuagesima usque ad octavam Paschæ, »ab Adventu Domini usque in octavam Epiphaniæ, »& in jejuniis quatuor temporum, & in litaniis majoribus, & in diebus Dominicis, & in diebus rogationum (nisi de concordia & pacificatione) nullus »super sancta Evangelia jurare præsumat.“

De hoc Canone agens Antonius Augustinus citato *dial.* 26. dicit, se fontes hujus Canonis non invenisse; verisimiliter Gratianum sumpsisse ex Burchardo, qui illud retulit *lib.* 12. *cap.* 20. sed pro verbis: *usque in octavam Epiphaniæ*, legit, *usque post consecratos dies*, & in fine ad verba *super sacra*, non addit, *Evangelia.*

Monet insuper Antonius Augustinus ibidem ex S. Antonino, hæc consuetudine esse abrogata: quod partim tantum verùm est: nam etiamnum hodie aliquid istius disciplinæ superest, puta, quod juramenta judicialia non recipiantur diebus dominicis, & festis.

De juramento à vasallis præstando.

Nonnulla adducit Gratianus *parte quinta* de forma juramenti à vasallis dominis directis præstandi, *Canone* 18. de quo vide Antonium Augustinum *lib. de emendat. Grat. dial.* 9. Canon 19. Augustino tribuitur, sed apud illum non reperiri monent Correctores Romani, nec quidquam ibi de forma juramenti dicitur.

De mendacio in facto.

Ostendit *parte sexta* auctoritate Ambrosii in *Canone* 20. quòd non verbis duntaxat, sed etiam simulatis operibus mendacium committitur: »Mendacium »namque est, ait Ambrosius, Christianum se dicere, & opera Christi non facere: mendacium est, »Episcopum, Sacerdotem vel Clericum se profiteri, »& contraria huic ordini operari.“

An & quando Clericus coram laico cogi possit ad jurandum.

Sub nomine Concilii Rhemensis *Canone* 22. statuitur: »Nullus ex Ecclesiastico ordine cuiquam laico »quidquam *supra sacrosancta* Evangelica (Burchardus *supra sacra*) jurare præsumat; sed simpliciter »cum veritate & puritate dicat, *est, est: non, non.* »Sed si est aliquid quod sibi objiciatur (addunt Burchardus & Ivo, *ad Episcopum, in cujus territorio est, deferatur*, &) prout judicaverint, qui ejusdem ordinis sunt, aut corrigatur, aut expurgetur.“

Hæc in nullo Concilio Rhemensi hactenus reperi. Interim monet hîc glossa, »hoc caput intelligendum »de juramento expurgationis, quod Clericus non debet facere coram laico, sed tantùm coram Episcopo, vel ejus delegato, nisi hoc faciat auctoritate »Papæ: si enim Clericus peteret aliquid coram Laico, »benè teneretur ibi præstare juramentum calumniæ: »vel dic, ait, quod sine licentia Episcopi nullum debet facere juramentum Laico: Imperatori tamen jurant Episcopi fidelitatem.“

Quidquid sit de hoc glossæ commento, illud evidens est, clausulam illam: *nisi hoc fiat auctoritate Papæ*, sapere falsas decretales. Deinde & illud certum est, hodie ab hac disciplina non parum esse recessum. Nihilominus notet lector, quantâ circumspectione procedendum crederet auctor hujus decreti, ut Clericus ad jurandum cogeretur.

CAUSA VIGESIMA TERTIA.

Connexio hujus causæ cum præcedenti juxta glossographum.

GLossographus volens connectere hanc causam cum præcedenti ait: „supra tractatum est de »*Catholicis*, & dictum est, quòd non sunt cogendi »*ad malum*: nunc verò subnectit Gratianus *causam* »*vigesimam tertiam*, in qua de *hæreticis* tractat, »quærens, an ipsi sint cogendi ad bonum. Item quæritur, an militare sit peccatum, & quod bellum debeat dicit justum, & quod injustum, & an vindicta »sit ferenda, & an peccatum sit judici, malos occidere, condemnando scilicet.“

Gratiano cura non ita fuit ordinem aut connexionem servare.

Verùm ex hactenus dictis & dicendis quisque facilè perspiciet, nullam aut certè exiguam Gratiano curam fuisse, ordinem aut connexionem materiæ servandi, sed opportunè, & importunè, occasionem quæsivisse, omnia, quæ quâcumque ratione ad disciplinam ecclesiasticam, & religionem spectare credebat, in suum opus conjiciendi.

Hâc causa agitur de bello ejus justitia, &c. Casus in hac causa propositus.

Itaque hâc causâ tractat & requirit de bello, ejusque justitia, & causis, & an hæretici vi armorum ad fidem catholicam sint cogendi, & Clerici eisdem (bellis) sint implicandi.

Hunc in finem proponit hunc casum: »quidam »Episcopi cum plebe sibi commissa in hæresim lapsi »sunt, circumjacentes Catholicos minis & crucitatibus ad hæresim compellere cœperunt: quo comperto Apostolicus Catholicis Episcopis circumjacentium regionum, qui ab Imperatore civilem jurisdictionem acceperant, imperavit, ut Catholicos ab »hæreticis defenderent, & quibus modis possent, eos

„ad

» ad fidei veritatem redire compellerent. Episcopi » hæc mandata Apostolica recipientes, convocatis mi- » litibus, apertè, & per insidias contra hæreticos » pugnare cœperunt: tandem nonnullis eorum neci » traditis, aliis, rebus suis vel Ecclesiasticis expolia- » tis, aliis carcere & ergastulo reclusis, ad unitatem » Catholicæ fidei redierunt?"

QUÆSTIO I.

Varia adducit Gratianus, quibus videtur probari quod bellum sit vetitum Christianis.

Prima quæstione quærit: *an militare sit peccatum?*

Sub initium quæstionis prolixo discurso profert ea, quibus videtur innui bellare vetitum esse Christianis: eo quòd id videatur contrarium præcepto patientiæ, & mandato diligendi inimicos: atque ita militare alienum videri ab Evangelica doctrina, quæ ab omni vindicta nos alienos esse præcipit, & patientes esse contra omnes attrocissimas quasque injurias nobis à proximo illatas. Adducit eum in finem verba sub nomine Gregorii, sed quæ revera sunt Origenis, ut in margine notatur.

At ostendit illa in præparatione animi servanda esse.

Verùm ad calcem Canonis 1. respondet Gratianus, „præcepta patientiæ non tam ostentatione corporis, quàm præparatione cordis retinenda esse, » prolato eam in rem *Canone* 2. textu S. Augustini, » in quo dicitur: paratus debet esse homo justus & » pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri » bonos quærit, ut numerus potiùs crescat bonorum, » non ut pari malitiâ se quoque numero addat malo- » rum. Denique ista præcepta magis ad præparatio- » nem cordis pertinere, quàm ad opus, quod in aper- » to fit: ut teneatur in secreto animi patientia cum » benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis » videtur prodesse posse, quibus benè velle debe- » mus."

Bellum gerere non est per se malum.

Adducit dein nonnulla *Canone* 3. 4. & 5. ex S. Augustino, quibus hîc Doctor docet, bellum gerere, & militare per se malum non esse, & quæ præcipuè in bello vitanda sint: ac tandem ad calcem quæstionis concludit Gratianus: » quod militare peccatum non » est, & quòd præcepta patientiæ in præparatione » cordis, & non in ostentatione corporis servanda » sunt."

An jubente Rege bellari possit, dum dubitatur de justitia belli.

Unum hîc notandum, quod ex S. Augustino *lib.* 22. *contra Faustum*, *cap.* 74. & 75. refertur *Canone* 4. quòd vir justus militans sub Rege iniquo, possit illo jubente militare, » si vice (*aliàs* civicæ) pacis » ordinem servans, quod sive jubetur (*aliàs*, cui » quod jubetur) vel non esse contra Dei præceptum, » certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut » fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, in- » nocentem autem militem ostendat ordo serviendi."

Manifestum est Augustinum militem hîc excusare ob justam ignorantiam factorum, quæ ipsi militi sine sua culpa ignota sunt, & ad quorum notitiam ordinariè pervenire non potest, ex quorum proindè ignorantia ipsi quoque ignota sit inculpabiliter injustitia belli.

QUÆSTIO II.

Quæstione secunda quærit Gratianus, „quod » bellum sit justum, & quomodo à filiis Israel » justa bella gerebantur."

Bellum debet esse justum.

Hâc autem quæstione notatur verbis S. Augustini *Canone* 2. » quòd nihil homo justus præcipuè cogitare » debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, » cui bellare fas est, non enim omnibus fas est. Cum » autem justum bellum susceperit, utrum apertâ pug- » nâ, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam in- » terest."

Quæ ad justitiam belli requirantur.

Additur autem, quod unicè ad quæstionem spectat: » Justa autem bella definiri solent, quæ ulcis- » cuntur injurias, si qua gens, vel Civitas, quæ bello » petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis » improbè factum est, vel reddere, quod per injurias » ablatum est; sed etiam hoc genus belli, sine dubi- » tatione justum est, quod Deus imperat, apud quem » non est iniquitas, & novit, quod cuique fieri de- » beat: in quo belli Ductor exercitus, vel ipsi popu- » lus non tam auctor belli, quàm Minister judican- » dus est."

Additur & *Canone* 3. ex Augustino quâ ratione Israelitæ justum bellum gesserint.

QUÆSTIO III.

An & quo sensu injuria à Proximo illata armis sit propulsanda.

Quærit *quæstione tertia*: » An injuria sociorum » sit armis propulsanda."

Sub initium quæstionis multis ac signanter exemplo Christi probat, injuriam, à proximo illatam, armis non esse propulsandam. His relatis concludit: » patet, quòd ad propulsandam injuriam non sunt pe- » tenda armorum auxilia: quod autem petendum non » est, illud jure præstari non debet."

Deinde quasi se explicans addit: » è contra multa » ritè præstantur, quæ tamen jure non petuntur, bo- » nus enim non ritè injuriæ vindictam petit, quia ma- » lum pro malo redderet, quam tamen Judex rectè » infligeret, nec nisi bonum pro malo redderet."

In hujus probationem adfert *Canone* 3. verba S. Augustini, sed admixtis nonnullis ex Glossa ordinaria, ut notant Correctores Romani: sententia autem Augustini est, quòd discipulorum Christi non sit, malum pro malo reddere, „non quia vitiosum est » (*ait*) ut recipiat unusquisque quod fecerit, alioquin » lex nequaquam id constitueret; sed quia ulciscendi » libido vitiosa est, magisque ad Judicem pertinet, » inter alios hoc decernere, quàm bonum hominem » sibi expetere."

Quid intersit inter hominem se vindicantem & Judicem punientem.

Ita legitur apud Augustinum enarratione in *Psalm.* 108. *num.* 4. *& num.* 7. ostendit, quantum intersit inter exoptantem vindictam pro injuria sibi illata, & Judicem punientem iniqua: „Ille quippe (*ait*) reddit » malum pro malo, iste autem, etiam cùm vindicat, » non reddit malum pro malo, quoniam justum reddit » injusto, quod autem justum est, bonum est, punit » ergo non delectatione alienæ miseriæ, quod est ma- » lum pro malo, sed delectatione justitiæ, quod est » bonum pro malo." Licèt verba Augustini à Gratiano non referantur, sententia tamen refertur.

Quibus ex causis juste peti possit auxilium ad propulsandam injuriam.

Addit autem ipse Gratianus, quòd interdum homo justus possit postulare auxilium ad propulsandam injuriam, non ad *propriam vindictam*, sed ut malis facultas delinquendi adimatur, ut Ecclesia pacem adipiscatur, ut aliquis multorum utilitati servetur.

Probat id auctoritate S. Augustini *Can.* 2. qui in Epistola ad Bonifacium hodie 185. postquam narrâsset, quòd Maximianus Bagaiensis (apud Gratianum legitur Vagiensis) Episcopus multis vulneribus lethalibus ac prope occisus esset, scribit *num.* 28. „auxi- » lium ergo petivit ab Imperatore Christiano, non » tam sui ulciscendi causa, quàm tuendæ Ecclesiæ sibi » creditæ; quod si prætermisisset, non ejus fuisset » laudanda patientia, sed negligentia meritò cul- » panda."

Adjungit dein *Canone* 3. verba S. Augustini Epistola ad Emeritum Donatistam, quâ Catholicos contra obtrectationes Donatistarum defendit, ostendens nihil illos contra Evangelium committere, „dum adversus » illicitas & privatas (Donatistarum) violentias à po- » testatibus ordinatis tuitionem petunt, non qua (*ait*) » vos persequantur, sed qua se defendant."

Discrimen inter persecutionem Catholicorum & hæreticorum.

Dein *Canone* 4. ex Augustino *lib.* 2. *contra Epistolam Petiliani*, *cap.* 88. ostendit, quid intersit inter persecutionem Catholicorum & hæreticorum: meritò integer Augustini textus legitur.

Intermiscet *Canone* 8. & 9. bina decreta apocrypha, alterum sub nomine Anastasii & Damasi Papæ, alterum ex Epistola 2. Calixti.

Oppressis quilibet quantum in se est, subvenire debet.

Ostendit denique, oppressis esse subveniendum, atque unumquemque teneri, quantum in se est, injuriam à proximo avertere, adducto *Canone* 10. decreto Concilii Carthaginensis V. quo resolutum fuit *ab imperatoribus postulandum esse, propter afflictionem pauperum, ut defensores eis adversus potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.*

QUÆSTIO IV.

Quæstione quarta, ex casu deducta erat: an vindicta sit inferenda.

Quandoque mali in Ecclesia tolerandi sunt.

Hanc in octo partes divisit Gratianus: *prima parte* ostendit, in Ecclesia etiam malos esse tolerandos; nec bonos malorum consortio maculari, si ipsis in crimine seu malitia non communicent.

In hujus assertí probationem plura adducit ex scriptis S. Augustini contra Donatistas, qui sustinebant, reorum consortio, culpam & reatum incurri, atque inde concludebant Ecclesiam Catholicam in so-

sola Donati parte integram remansisse, cæterum in aliis terrarum partibus periisse: quasi *contagionis communione extinctam*, nimirùm propter ordinationem Cæciliani, cum quo aliæ Ecclesiæ communicaverant, prout latiùs exponunt PP. Benedictini in præfatione ad tomum 9. operum S. Augustini.

Non corporali, sed spirituali vindicta puniendi sunt.

Relatis igitur variis textibus S. Augustini (ad quos meritò videndæ notæ Correctorum Romanorum) concludit Gratianus ad calcem Canonis 12. » Ecce quod » mali tolerandi sunt, nec corporali, sed spirituali, » vindicta puniendi. «

Post hæc *Canone* 14. ex Augustino *lib.* 4. *de Baptismo contra Donatistas*, *cap.* 12. » quantus arro- » gantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis obli- » vio, arrogantiæ quanta jactatio, ut quis audeat, » aut facere se posse credat, quod nec Apostolis » concessit Dominus, ut zizania à frumento putet » se posse discernere. « Verba hæc esse Cypriani citata ibidem ab Augustino, monent Correctores Romani.

Discrimen quoad hoc inter legem veterem, & Evangelicam.

Addita eandem in rem *Canone* 15. sententia S. Gregorii concludit » Ex his omnibus colligitur, quòd » malorum vindicta Deo reservanda est, nec sunt » corporaliter puniendi, sed crebra admonitione, & » charitatis beneficio ad correctionem invitandi. «

Hinc eodem loco pluribus ostendit, lege Evangelica inimicos esse diligendos. » Deinde, quod in lege » veteri corporalis pœna statuta sit, in lege verò » Evangelii, omni peccanti per pœnitentiam promit- » tatur venia: unde illa (ait) à terrore incepit di- » cens: *Ego sum Dominus Deus zelotes, visitans* » *peccata Patrum in filios usque in tertiam & quar-* » *tam generationem.* Hæc verò à lenitate mansuetu- » dinis, & misericordiæ, ita inquiens: *Beati pau-* » *peres Spiritu, Beati mites, Beati misericordes,* » *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* «

Pluribus in probationem hujus distinctionis legis veteris ab Evangelica adductis, tandem subjicit: » Et » ut universaliter dicatur, in lege populus ille rudis » servili timore pœnarum tenebatur, unde & legem » in pædagogum accepit. In Evangelio autem populus » gratiæ, liber & adultus, *filiali* amore, & hæredi- » tatis certitudine, ad cultum divinæ servitutis invi- » tatur. «

Quandonammali in Ecclesia tolerandi sint & quandonam puniendi.

Verùm, ne quis hinc argueret, in nullos malos in Ecclesia esse corporalibus pœnis advertendum, monet ad calcem Canonis 16. quod sint quædam mala: » quæ salubri duntaxat monitione sunt corripienda, non » corporalibus flagellis animadvertenda, sed eorum » vindicta divino examini tantùm est reservanda, » quando in delinquentes videlicet disciplinam exerce- » re non possumus, vel quia non sunt nostri juris, » vel quia illorum crimina etsi nobis nota sunt, ta- » men manifestis indiciis probari non possunt. «

Item ad calcem Canonis 17. » quando multitudo » est in scelere, nec salva pace Ecclesiæ mali puniri » possunt, tolerandi sunt potiùs, quàm violata pace » Ecclesiæ puniendi. «

Adstruit hæc Gratianus *Canone* 18. & 19. citatis verbis S. Augustini ex libro *de fide*, & *operibus*, *cap.* 4. & 5. & *libr.* 3. contra Epistolam Parmeniani *cap.* 2. quibus locis luculenter ostendit Augustinus contra Donatistas, quandonam mali in Ecclesia sint ex mansuetudine & amore unitatis tolerandi, quando ex zelo justitiæ in eos disciplina severior exercenda.

Neque prædestinatione ad vitam, neque præscientia ad mortem redditur correptio malorum inutilis.

Parte tertia subnexa Canoni 19. incipit ostendere, quòd correptio vel verberum vel verborum non sit inutilis bonis aut malis, licèt *prædestinati ad vitam sine correptione mutentur*, *sicut Petrus*, & *præsciti ad mortem inter flagella deteriores fiant*, *sicut Pharao.* Ex quibus sibi objicit, quod bonis *superflua*, *damnandis hæc inveniuntur esse inutilia.*

Cùm hanc objectionem multis diluerit S. Augustinus in his, quæ adversus Semipelagianos, sive Massilienses scripsit, Gratianus ex his nonnulla decerpsit; ac notanter Canonem 20. *libro de Correptione*, & *gratia*, *cap.* 5. ubi ostendit Augustinus, quod » sicut non est cessandum ab orando pro eis, quos » corrigi volumus, etiamsi nullo hominum pro Petro » orante, Dominus respexit eum, & fecit eum pec- » catum suum flere, ita non sit negligenda correctio, » licet Deus quos voluerit, etiam non correptos, » facit esse correctos: tunc autem (inquit) correp- » tione proficit homo, cum miseretur atque adju- » vat, qui facit quos voluerit, etiam corrêptione » proficere. «

Liber de prædestinatione & gratia non est Augustini, sed suspecti auctoris.

Canone 22. recitat verba desumpta *ex libro de prædestinatione & gratia*, *cap.* 13. quem Gratianus Augustini esse credidit.

At eruditi revisores operum Augustini, librum hunc post Lovanienses, ut opus incerti, ac suspecti auctoris, in appendicem tomi 10. ablegârunt, ea potissimum ratione, quod, uti Bellarminus, Possevinus, aliique existimârunt, in eo libro quædam reperiantur doctrinæ S. Augustini contraria, quæ Cassiani sensus redolere videantur, & signanter in verbis ex capite 15. à Gratiano hîc *Canone* 22. relatis, ubi quæstionem tractans: cur Dei flagellis Pharao durior effectus; Nabucodonosor verò ad pœnitentiam adductus sit, dicit eos sortitos esse fines diversos: quòd unus, nempè Nabuchonosor manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter nimirùm Pharao libero contra misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio, quasi scilicet pœnitenti bonæ voluntatis initium, Deo perfectionem tantùm adsignari velit, uti hi eruditi revisores annotârunt in admonitione huic libro præfixa pag. 49. dictæ appendicis.

Prædestinatio non nocet libero arbitrio, neque voluntati necessitatem infert.

Canone 23. refert sat prolixum fragmentum conflatum ex locis SS. Fulgentii, Prosperi, Augustini, uti monent Correctores Romani: his autem ostenditur, prædestinationem Dei non officere libero arbitrio.

Post hæc longum discursum subjungit Gratianus, quo ostendit, quod nec prædestinatio ullam inferat voluntati humanæ necessitatem, unicamque rationem prædestinationis ad gloriam esse Dei misericordiam, quod probat ex Augustino *libro de prædestinatione Sanctorum*, *cap.* 14. seu etiam Prospero in responsionibus ad Genuensium excerpta, ad *excerptum* 8. ubi de Tyriis & Sydoniis uterque scribit: » quid aliud » dicere possumus, quàm non esse eis datum ut cre- » derent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas » dicit, si, talia, qualia apud non credentes facta » sint, virtutum signa vidissent? Cur hoc factum non » sit, & quare apud non credentes signa facta sint, » ad profunditatem judiciorum Dei referendum cen- » set, « *quod divina clementia in electis misericorditer vertit ad bonum, in damnandis justè reinquit ad malum.*

Unica causa prædestinationis est misericordia Dei.

Prædestinationis certitudo non tollit utilitatem correptionis.

Deinde concludit, quòd, » quamvis certissimè » sciamus, neminem ultra terminum à Deo sibi præ- » fixum victurum, omnibus tamen languentibus non » incongruè medemur, sic quamvis nemo salvetur, » nisi prædestinatus ad vitam, omni tamen delin- » quenti est adhibenda correptio, nec malorum est » negligenda disciplina. «

Mali quandoque ad aliorum terrorem puniendi sunt.

Dein Gratianus quasi priora resumens, probat auctoritate S. Augustini *Epist. ad Bonifacium* 185. non semper in eos qui peccant vindictam esse exercendam: licèt præcipuus scopus hujus Epistolæ sit ostendere, quòd ad bonum mali subinde justè per potestatem secularem cogentur: justasque fuisse leges imperiales contra Donatistas promulgatas; meritò iutegra Epistola evolvenda.

Idem ostendit Augustinus Epist. 89. ad Festum, cujus fragmentum extat *Canone* 25.

Ex his concludit Gratianus *parte quarta* subjecta Canoni 25. » quod aliquando delinquentium multi- » tudo diu per patientiam ad pœnitentiam sit exspec- » tanda, aliquando in paucis sit punienda, ut eorum » exemplo cæteri terreantur & ad pœnitentiam pro- » vocentur, « prolata hanc in rem *Canone* 26. auctoritate S. Ambrosii.

Episcopus non potest quenquam ob injuriam sibi illatam excommunicare.

Notat quoque Gratianus, Episcopum non posse aliquem excommunicare ob injuriam sibi illatam: idque probat *Canone* 27. auctoritate S. Gregorii *lib.* 2. *Epist.* 34. ubi ait Gregorius, *pro vindicta propriæ injuriæ maledictionem anathematis invehere sacris regulis prohiberi.* Meritò integer textus legitur.

Objectio ex facto Eliæ solvitur.

Huic autem objici potest (ait Gratianus ad calcem » anonis 29.) illud Ambrosii, *ad preces Eliæ descendit ignis de cœlo*, » ut Prophetæ vindicaretur injuria: » respondet Gratianus: quo facto non cujus meriti » apud Deum esset, voluit ostendere, sed quod ille, » esset verus Deus, quem colebat, non ille, ad » cujus culturam stupro proprii corporis Jezabel » nonnullos provocabat, evidentissimis indiciis mons- » trare curavit: injuria ergo Prophetæ non alia, quam » injuria Domini ipsius intelligitur: quæ in paucis vin- » dicanda est, ut cæteri terreantur. «

Post

Solvitur etiam objectio desumpta ex epistola supposititia Silverii Papæ.

Post hæc adducit *Canone* 30. fragmentum Epistolæ Silverii Papæ ad Amatorem, cui hæc epigraphe præfixa est: *Apostolicus anathematizavit eos, qui eum ceperant, vel qui deinceps Episcoporum aliquem ceperint.*

Hanc Epistolam ut planè commentitiam rejiciunt hodie passim eruditi, & inter cæteros Labbæus in ultima Conciliorum generalium collectione *tom.* 5. *column.* 292.

At Gratianus, qui nec dubitabat de sinceritate hujus Epistolæ sub nomine Silverii Papæ citatæ, credidit hinc saltem in speciem posse concludi, Episcopo licitum esse, *injuriam sibi illatam per censuram vindicare*, & ideò respondet, quod & hîc Silverius *non suam*, sed *Ecclesiæ* injuriam sit ultus; unaque ostendit exemplo Moysis & aliorum, quod peccatum populi in paucis subinde ulcisci oporteat.

Peccata multitudinis defluenda potiùs quàm puniendæ.

Auctoritate S. Augustini ostendit *Canone* 32. » quod à multitudine peccatur, vel ab eo, qui mul» titudinem habet sociam, ab Ecclesia non punitur, » sed defletur; nam, ait, consilia separationis plus » perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animo» sos malos: « meritò legendus integer Augustini contextus *lib.* 3. *contra Epist. Parmentani*, *cap.* 3.

Sic peccantibus est misericordia impendenda, ut eis impunitas peccandi non tribuatur.

Cùm itaque multa dixisset Gratianus de non vindicandis injuriis, & diligendis etiam inimicis, & ab altera parte de puniendis malis, tandem ad calcem Canonis 32. ut hæc omnia conciliet exponatque, ait: » Præcepta Evangelica de dilectione inimicorum, & » misericordia impendenda proximis, exhortationes » quoque Apostoli de cibandis & potandis inimicis, » non eatenus intelligenda sunt, ut peccandi relaxe» tur impunitas, sed ut delinquenti correctio, & na» turæ ministretur subsidium, donec per sententiam » judicis adempta spe correctionis, malorum tollatur » exercitium. In hoc ergo jubemur diligere inimicos » & misereri eorum, ut de eorum perditione dolea» mus, eorum salutem desideremus, & pro eorum » correctione quotidie laboremus, & oremus, pœni» tentibus solatia impendamus, alter alterius onera » portantes, non ut pertinaces & in malo persisten» tes impunitate donemus. «

Hac occasione adducit nonnulla Patrum testimonia, quibus probatur, ita impendendam misericordiam, ne tribuatur peccandi impunitas; ac inter alia *Canone* 35. fragmentum sub nomine Augustini, quo quidem nonnulla ex variis scriptis Augustini excerpta continentur, sed integrum est apud Bedam in commentario Epistolæ ad Galatas *cap.* 6. ut monent Correctores Romani.

Hîc docemur, homini esse misserendum peccatori irascendum, » nulli homini, ait, claudenda miseri» cordia, nulli peccatori impunitas relaxanda. «

Ecclesia utiliter implorat leges Principùm contra pertinaciam hæreticorum.

Subjungit dein *parte septima* quomodo Ecclesia rationabiliter persequi possit hæreticos: idque confirmat pluribus Canonibus ex Scripturis S. Augustini desumptis, quibus contra Donatistas ostendit, non inutiliter leges imperiales ab Ecclesia contra pertinaciam hæreticorum implorari, & impendi: easque non sine fructu, multorumque Donatistarum conversione adversus Donatistas impensas significat Epistola 93. ad Vincentium, è qua sumptus est Canon 37. & 41. meritò integra legenda est.

Mala puniendæ non amore vindictæ, sed zelo justitiæ.

Denique ostendit *parte octava*, quod mala impunita relinquere nonnunquam provocet iram Dei; quod consequenter mala non tantùm licitè puniri queant, sed & debeant: ac tandem ad finem hujus quæstionis ita concludit, » Ex his omnibus colligitur, quod vin» dicta est inferenda, non amore ipsius vindictæ, sed » zelo justitiæ: non ut odium exerceatur, sed ut pra» vitas corrigatur. «

QUÆSTIO V.

Quæstione quinta quærit Gratianus: » An sit pec» catum Judici vel Ministro reos occidere. Hanc quæstionem in septem partes dividit.

Varia adducit Gratianus, quibus videtur probari, non esse licitum reos occidere.

Prima parte adducit, septem primis Canonibus, nonnullas auctoritates; idque præcipuè ex S. Augustino desumptas, quibus probari videtur; malos non esse interficiendos, sed alia mitiori pœna castigandos.

In primis *Canone* 1. adducitur fragmentum ex Epistola Augustini 133. ad Marcelinum.

Pro intellectu autem hujus Epistolæ, & Canonis, notandum occasionem scribendi hanc Epistolam fuisse: Donatistas post collationem Carthaginensem con-

tumaces plecti voluerat Honorius Imperator, sanciveratque in eos legem 30. Januarii 412. quæ extat *in L.* 52. *Cod. Theod. de hæreticis*, porrò hujus legis promulgatione (quam à Catholicis procuratam Donatistæ supponebant) in furorem ipsi acti, crudelius in Catholicos insurgere cœperunt,

Augustinus rogat Marcellinum, ut Donatistæ non occidantur, sed mitiori pœna puniantur.

Cùm autem intellexit Augustinus, eorum quosdam Judicibus exhibitos, simulque de homicidio in *Restitutum Presbyterum* patrato, deque Innocentii alterius Catholici Presbyteri cæde, de oculo ipsius effosso, digitoque abscisso, esse convictos, scripsit ad Marcellinum Tribunum præsentem Epistolam, enixè eum rogans ne eis mortis pœnam infligeret.

Dicit quod potuisset quidem » ab eorum interi» tu dissimulare, qui non accusantibus Catholicis, » sed illorum notoria, ad quos tuendæ publicæ pa» cis vigilantia pertinebat, præsentati videantur exa» mini, nolumus tamen, ait, Passiones Servorum Dei, » quasi vice talionis paribus suppliciis vindicari, non » quo scelestis hominibus licentiam facinorum prohi» beamus auferri; sed hoc magis sufficere volumus, » ut civi, & nulla corporis parte truncati, vel ab in» quietudine insana ad sanitatis otium legum coerci» tione dirigantur, vel à malignis operibus alicui uti» li operi deputentur. «

Meritò legenda integra Epistola, quæ ostendit, quanta charitate, & mansuetudine Augustinus in Donatistas, licèt in Catholicos feroces, & adversus veritatem contumaces ferretur; nec aliud quàm eorum intenderet salutem, & correctionem.

Circumcelliones qui.

In hoc autem Canone fit mentio Circumcellionum, qui erant inter Donatistas velut satellites, & qui per nundinas, villas, vicosque & *circumcellas* (unde eis nomen *Circumcellionum*) vagantes, armis instructi, intentatum nihil relinquebant, nihil non audebant, & in Catholicos præ reliquis sæviebant, & grassabantur.

Hinc Clericorum Hipponensium ad Januarium Episcopum Donatistam querela: *circumcelliones vestri novi generis, & inauditæ crudelitatis persecutione in nos sæviunt.* Epist. 88. inter Epistolas Augustini.

Rectè hîc monent Correctores Romani pro *notariis*, in Epistola Augustini legi, *notoria*, ut supra exhibuit: *notoria* hîc autem apparet pro brevi & compendiaria scriptione: occurrit & ejus mentio in *L.* 6. *ff. ad Senatus Turpilianum*, cujus ibidem notam consule.

Deprecatur iterum Augustinus, ne Donatistæ morte plectantur.

Adjungit Gratianus *Canone* 2. fragmentum *Epist.* 239. S. Augustini ad eundem Marcelinum, eadem occassione, eundemque in finem paulo post præcedentem datæ: » Pœna sane illorum, ait, quamvis » in tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut præ» ter supplicium *mortis* sit, & propter conscientiam » nostram, & propter catholicam mansuetudinem » commendandam: ipse enim fructus ad nos pervenit » confessionis illorum: quia invenit Catholica Eccle» sia, ubi suam erga *attrocissimos* inimicos servet, at» que exhibeat lenitatem. «

Ad idem tèndit ejusdem Augustini Epistola 100. Donato proconsuli Africæ, cujus fragmentum extat *Canone* 3. in qua enixè rursus rogat ne pro attrocitate criminum in Catholicos perpetratorum Donatistas puniat: » Neque enim, ait, vindictam de inimi» cis in hac terra requiremus, aut verò ad eas angus» tias animi nos debent coarctare, quæ patimur, ut » obliviscamur quid nobis præceperit, pro cujus ve» ritate ac nomine patimur. « Hæc in Epistola a Gratiano cum nonnullis aliis omissa sunt: unde integra legenda.

Olim Episcopi intercedebant pro reis, ut eos ad pœnitentiam perducerent.

Ætate Augustini moris erat, ut Episcopi pro reis criminum apud Judices seculares intercederent, quo eos à mortis supplicio liberatos pœnitentiæ subjicerent, & ad sinceram vitæ emendationem perducerent: illudque officii sui esse credebant Episcopi, uti ad Augustinum scribebat Macedonius, petens utrum illud ex *religione descendat*: » Officium sacer» dotii vestri esse dicitis, inquit, intervenire pro reis, » & nisi obtineatis, offendi, quasi quod erat *officii* » *vestri* minimè reportetis. Hîc ergo vehementer am» bigo, utrum illud ex religione descendat. «

Nequaquam ut eos à punitione eximerent.

Huic dubio respondet Augustinus *Epist.* 153. ad ipsum Macedonium, in qua multis propugnat hunc interveniendi usum *ex religione descendere*, neque ullatenus repugnare auctoritati, quam Deus potestatibus sublimioribus dedit, malos puniendi, & crimina vindicandi, etiam mortis supplicio. Hujus Epis-

tolæ fragmentum extat Canone 4. at integra Epistola legenda, è qua plenè cognoscetur, intercessionum illarum scopum fuisse, ut reus à morte corporali ad tempus liberatus, securus ad beatam mortem, & ad vitam æternam transise posset. „ Ita formidetur ultio „ cognitoris, ait, ut nec intercessoris religio contem„ natur, quia & plectendo & ignoscendo hoc solum „ benè agitur, ut vita hominum *corrigatur*."

Falsum consequens ex dictis Augustini male deductum.

Ad calcem Canonis 7. (qui est incertæ fidei: uti & Canon 5.) concludens Gratianus ait: „ Hinc ap„ paret, quod mali flagellis sint coercendi, non mem„ brorum truncatione, vel temporali morte plec„ tendi."

Verùm id nullatenus locis relatis voluit Augustinus, sed duntaxat mansuetudinem Ecclesiæ erga reos criminum ostendit.

Præcepto non occides, non prohibetur occisio facta auctoritate publica sed duntaxat privata.

Illud verius est, quod ad finem conclusionis dicit Gratianus, quod illo præcepto *non occides*, „ pro„ hibeatur quisque sua auctoritate in necem alicujus „ armari, non legis imperio reos morti tradere. Qui „ enim publica potestate functus, ipsius legis impe„ rio malos perimit, nec illius præcepti transgressor, „ nec à cœlesti patria alienus habetur."

Sententia Augustini & Ambrosii est nequidem ad vitam servandam licitum esse hominem occidere.

Hanc in rem profert Gratianus fragmentum *Epistola* 47. S. Augustini ad Publicolam, in qua scribit: „ De occidendis hominibus ne ab eis quisquam occida„ tur, non mihi placet consilium nisi forte sit miles, „ aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc „ faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam „ ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit „ personæ."

Hîc apertè supponit Augustinus, licitè occidi hominem à milite, scilicet in bello justo, & ab illo, qui publica functione tenetur.

Præterea sat apertè indicare videtur Augustinus de occidendis hominibus non sibi placere consilium dum quis pro se, hoc est, pro re privata id facit. Sensum suum clariùs exposuerat *lib.* 2. *de libero arbitrio*, *c.* 5. ubi *num.* 13. comprobavit sententiam Evodii, eos videlicet apud divinam providentiam haudquaquam à peccato esse libros, qui pro eis rebus, quas contemni oportet, humana *cæde* polluti sunt. Dixerat ante Augustinum ejus Magister S. Ambrosius *lib.* 3. *de officiis cap.* 4. non videtur, „ quòd vir christianus, „ & justus, & sapiens quærere sibi *vitam* aliena morte „ debeat; ut qui etiamsi in latronem armatum inci„ dat, ferientem referire non possit: ne dum salutem „ defendit, pietatem contemnat." Quam procul hi Patres erant à nefariis illis quorundam Casuistarum opinionibus, qui ob defensionem honoris, aut bonorum temporalium, etiam sat exiguæ quantitatis hominem interficere, licitum dicere non exhorruerunt.

Quantominus id licitum est pro defensione honoris bonorum temporalium &c.

Nemini fas est se ipsum occidere.

Parte tertiâ hujus quæstionis multis probat Gratianus, nemini fas esse seipsum occidere, meritò hanc in rem legendum prolixum fragmentum relatum hîc Canone 9. ex S. Augustino.

Suicida privantur sepultura Ecclesiastica.

Addit Gratianus ex Concilio Bracarensi *Canone* 12. „ Placuit, ut qui sibi ipsis voluntariè quolibet modo „ violentam inferunt mortem, nullo prorsus pro il„ lis in oblatione commemoratio fiat: neque cum „ psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur."

Potestatis publica utilitas.

Parte quartâ adducit nonnulla, præsertim ex supra citata Epistola S. Augustini ad Macedonium, quibus probet, rectè institutam regiam potestatem ad puniendos malos, atque per hanc potestatem nonnunquam terrore exequendum, quod Prælati Ecclesiæ per disciplinam Ecclesiasticam præficere non valent. Principes „ Seculi (ait *Canone* 20 ex S. Isidoro) „ nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ cul„ mina tenent, ut per eandem potestatem disciplina ecclesiasticam muniant. Cæterùm intra Eccle„ siam potestates necessariæ non essent, nisi, quod „ non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermo„ nem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem."

Potestatibus secularibus reverentia exhibenda est.

Quintâ parte dicit: „ Ipsis Principibus, & potes„ tatibus fidem, & reverentiam servari oportere, quàm „ qui non exhibuerit, apud Deum præmia invenire „ non poterit."

Sed id non probant relata Gratiano.

Etsi hoc Gratiani assertum verissimum, sit auctoritates tamen, quas ad id *Can.* 24. & 25. adfert, hoc nequaquam probare legenti facilè patesceat, si advertat, priore Canone tantum agi de obedientia, quam servi debent dominis suis carnalibus: posteriore verò de hac à subditis exhibenda potestatibus sublimioribus obedientia non agatur, sed de mercede militantibus debita.

Seculares potestates debent defendere Ecclesiam protegere pupillos ac viduas &c.

Interim sicut reverentia debetur potestatibus, „ita „ secularium dignitatum administratoribus, defenden„ darum Ecclesiarum necessitas incumbit. Quod si „ facere contempserint, à communione sunt repellen„ di:" uti concludit Gratianus parte sextâ.

Profert in hujus probationem *Can.* 26. decretum sub nomine Joannis VIII. sed quo loco extet non significat. Est autem Canon 13. Concilii Ravennatensis anno 877. Joanne VIII. præside celebrati.

In decreto asseritur, administratores secularium dignitatum ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem esse debere.

Ulterius horum officium esse, ut „ eorum que„ rimonias attentiùs audiant, & secundum quod ne„ cessitas expetierit, absque negligentia examinent, „ & diligenti studio corrigant, quoties ab Episcopis, „ & viris ecclesiasticis conventi fuerint."

Denique additur: „ quod si Dei timorem præ ocu„ lis non habentes, negligere post secundam & ter„ tiam admonitionem inventi fuerint, omni se nove„ rint communione usque ad condignam satisfactio„ nem privatos."

Non tamen potest judex Ecclesiasticus eo prætextu quod officio suo desint de causa judicare.

Ex hoc, similibusque fragmentis perperam creditum fuit à nonnullis Canonistis Ecclesiastico Judici fas esse, præcipere Judici seculari administrare Justitiam, & in casum denegatæ Justitiæ, posse Judices Ecclesiasticos de causa judicare: quin & hîc notat Glossograhus, videri „ quod ipso Jure sit ex„ communicatus Princeps, qui non facit Justitiam „ Clerico."

Cæterum insulsa hæc asserta, tanquam & Canonum auctoritati ipsique rectæ rationi contraria à foro recesserunt, uti exposuimus in *Jure Eccles. part.* 3.

Non potest judex dici crudelis, quod malos puniat.

Parte septimâ, quæ incipit è Canone 27. multis probat Gratianus, rectè à Judice malos puniri, nec punientem Judicem posse Jure crudelem dici, *Sed crudelis ideò vocatur, quòd crudelis patientibus esse videatur. Nam latro suspensus patibulo, crudelem Judicem putat*; uti ex S. Hieronymo legitur *Canone* 28.

Profert *Can.* 33. fragmentum ex *lib.* 2. *S. Augustini cap.* 83. & 84. *contra litteras Petiliani*, quo refutatur querimonia Donatistarum de legibus Imperialibus adversus ipsos promulgatis, agnoscitque Augustinus, „ ad fidem quidem nullum esse cogendum *in„ vitum*, sed per severitatem, imò & per misericor„ diam Dei, tribulationum flagellis solet, ait, per„ fidia castigari: nunquid quia mores optimi liberta„ te voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non le„ gis integritate puniuntur?" Dein monet Donatistas, ut, dum adversus ipsos leges eduntur, cogitent, quare illa patiantur: „ Si propter justitiam, revera „ illi persecutores vestri sunt, ait, vos autem bea„ ti, qui persecutionem passi propter justitiam pos„ sidebitis Regnum cœlorum. Si autem propter ini„ quitatem Schismatis vestri, quid illi, nisi Correc„ tores sunt?" Idem ex eodem Doctore asseritur *Canone* 34. & 35.

Neque misericors quos vitiis parcat.

Post hæc *Can.* 36. 37. & 38. ex S. Augustino probat, quod non sit dicendus misericors, qui vitiis parcit, officiumque Judicis esse crimina punire.

Schismatici per potestatem secularem coercendi.

Probat dein, quòd meritò adversus sceleratos ac notanter schisma in Ecclesia foventes potestas secularis impendatur, eamque in rem *Canone* 42. 43. 44. & 45. profert aliquot Epistolas Pelagii I. scriptas circa annum 556. Narsæ Patricio, quibus ipsum exhortatur, ut schismaticos exerceat, multisque ostendere conatur, schismaticos sive ab unitate Eclesiæ divisos, per seculares potestates coërcendos.

Pro horum intellectu notandum, has omnes litteras pertinere ad reprimendum schisma perniciosissimum, quod occasione *trium Capitulorum* exortum fuit, dum damnatio dictorum Capitulorum per *quintam* Synodum facta fuit.

De schismate, quod occasione condemnationis trium Capitulorum ortum fuit.

Cùm autem Pelagius anno 555. Pontifex factus, quintam Synodum probâsset, major inde scissura Occidentalium Episcoporum contigit, qui exhorrebant hanc Synodum, eò quòd eam repugnare Synodo Chalcedonensi existimabant, „ ut ne potuerit Pelagius „ (inquit Baronius de annum 556.) reperire Episco„ pos Romæ, à quibus consecraretur, atque opus „ fuerit Presbyterum Ostiensem (quod nunquam an„ tea accidisset) loco Episcopi munus illud obire, ip„ so Pelagio ita jubente."

Hæc minimè præviderat Pelagius, sensitque difficile admodum sibi futurum, Occidentales Orientali-

libus conciliare, eosque inducere, ut quintam Synodum reciperent: „ Haud tamen à cœptis destitit, sed » perarduum opus semel aggressus, ait Baronius, il- » lud perficere manibus (ut ajunt) pedibusque cona- » tus, nervos omnes intendit, ut Occidentales Epis- » copos, potissimum verò *Italos* sibi in his obsequen- » tes redderet. Verùm omnes ferme reperit retinen- » tes, tum verò præ certis refractarios illos invenit, » qui in ea Italiæ erant regione, quæ hactenus Francis » subdita fuit, nempe *Venetos*, *Istrios*, *Ligures*, » quos ad catholicam unitatem reducere festinas, eos- » dem Apostolicis litteris vocavit, & provocavit alio- » rum exemplis. At cùm penitùs resilirent, per Nar- » setem eos compescere atque coercere putavit. Nar- » ses verò, quòd pius admodum esset, veritus est, » adversus Episcopos aliquid agere, cùm ad eum ita » trepidantem Pelagius hæc tum scripsit.“

Itaque tunc omnia, quæ in citatis Canonibus ex Epistolis Pelagii Papæ adducuntur, diriguntur adversus defensores trium Capitulorum, qui ob quæstionem meri facti ab Ecclesiæ unitate sese separabant, & quintam Synodum hæc capitula damnantem recipere nolebant.

Hæc enim erat sola quæstio, utrum scripta Theodoreti, Theodori Mopsuesteni, & notanter Ibæ Epistola revera continerent errores, quos quidam illis contineri contendebant: porrò Synodus Chalcedonensis, etiam ipsam Ibæ Epistolam non obscurè ab errore declaraverat immunem, idque mordicùs tenebant Episcopi Occidentales, & præcipuè Episcopi Istriæ. Cùm verò V. Synodus hæc tria capitula, ac notanter ipsam Epistolam Ibæ ut erroribus infectam damnâsset, hanc Synodum V. ut legitimam & œcumenicam admittere noluerunt, utpotè quam sustinebant in hoc contrariam Synodo Chalcedonensi; imò tandem se à communione eorum, qui Synodum V. ut legitimam recipiebant, & sic juxta illos videbantur rejicere Synodum Chalcedonesem, subtraxerunt. Hi sunt, adversus quos litteræ Pelagii primi ad Narsem Patricium diriguntur, & quos tanquam schismaticos exagitat, & per Narsem Patricium ad Ecclesiæ unitatem reduci postulabat. Porrò Pelagius, ut hos Episcopos ad unitatem Ecclesiæ reduceret, totus in eo est, quod tametsi supponeretur, Synodum Chalcedonensem hæc tria capitula ac notanter epistolam Ibæ, eorumque auctores orthodoxos declarâsse, nihil tamen V. Synodus ea reprobando egisset contra definitionem fidei aut dogmatum in Concilio Chalcedonensi definitorum, sed duntaxat revidisset acta Concilii Chalcedonensis in causa illorum Episcoporum, eorumque scriptorum, de quibus quæstio, in quibus nullatenus de fide agebatur: unde & ipse Pelagius expressè protestatur in Epistola Viatori & Pancratio inscripta, » si enim etiam ipsi (scilicet schismatici) *li-* » *cet in suo sensu abundantes* intra materna tamen vis- » cera positi, quærerent veritatem, à nobis repel- » lendi non erant, donec apud eos ratione duce rei » veritas claruisset,« *tom. 5. Concil. General. co- lumn.* 806.

Quod & ipsi Pontifices Pelagius I. & II. nec nonSanct. Gregorius agnoverunt.

Idipsum urget Pelagius II. hujus immediatus successor & pluribus adstruit, præcipuè in Epistola III. ad Episcopos Istriæ, in qua scribit inter alia *tom. 5. Concil. General. colum.* 631. » Cùm verò & subjicitur: » *Quidquid enim præter speciales causas synodalium* » *Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest* » *aliquam dijudicandi habere rationem*: apertè nobis » licentia tribuitur, ut quidquid illic extra fidei cau- » sas de personis gestum est, retractetur. Specialis » quippe synodalium Conciliorum causa est fides. » Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, » ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revo- » cetur.« Et speciatim de Epistola Ibæ, quæ præ aliis duobus notabiliorem difficultatem fecerat, ait: „quam- » vis quia approbata sit, aut difficulter, aut nullate- » nus demonstretur, licenter tamen unusquisque eam » reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Conci- » lio residentes suis illam subscriptionibus approbâs- » sent; quia postquam Beato Leone scribente, jus » retractandi & dijudicandi conceditur, etiamsi qua » esse poterat eorum, qui interfuerant, in privatis ne- » gotiis auctoritas, vacuatur.«

Ex his proinde evidens est, Pelagium sustiuuisse, quòd, licèt hæ duæ Synodi essent sibi contrariæ, hæc contrarietas nihil fidei per Synodum Chalcedonensem expositæ detraheret; idque & S. Gregorius Pelagii II. successor contra eos Episcopos Istriæ schismaticos acriter ursit, illis libertatem circa hanc quæstionem meri facti relinquens, dummodo schisma non facerent,

An interfectores excommunicatorum sint rei homicidii.

Profert & Gratianus *Canone* 47. fragmentum Epistolæ sub nomine Urbani II. *Godefredo Lucano Episcopo*, quo scripsit interfectoribus excommunicatorum modum congruæ satisfactionis injungendum, » qua di- » vinæ simplicitatis oculos adversus se complacare va- » leant, si fortè quid duplicitatis pro humana fragili- » tate in eodem flagitio incurrerint: non enim, ait, » eos homicidas arbitramur, quos adversus excommu- » nicatos zelo Catholicæ Matris ardentes, aliquos eo- » rum trucidâsse contigerit«

Petrus de Marca Canonem intelligit de solis excommunicatis ob violatas treugas?

Credit Petrus de Marca *lib. 4. de concord. sacerd. & imp. cap. 14. num. 3.* hoc decretum intelligi de solis excommunicatis ob violatas inducias seu treugas, quæ seculo X. & XI. adversus privata bella tunc usitata fieri solebant.

Credit præterea de Marca, hac interpretatione, levari posse invidiam, quæ ob textum hunc malè intellectum creari solet adversus summos Pontifices.

At illa explicatio neque contextui Canonis, neque irenti Gratiani videtur congruere.

Utrum restrictio hæc contextui congruat, & an decretum hoc revera sit Urbani II. nescio. In primis hactenus inter Epistolas hujus Pontificis, hæc non reperi: extat tamen præsens fragmentum apud Ivonem *part. 10. cap. 54.* sed paulò aliter, quàm apud Gratianum. Circa restrictionem per de Marca factam, nulla in Canone, nec ejus vestigium occurrit; sed nec Gratianus hunc Canonem cum illa restrictione intellexisse videtur, ut innuit conclusio ejus subjecta Canoni 48. nam ibi recolligens eos, qui occidendo non contraveniunt præcepto, *non occides*, inter alia dicit: » Si illi qui zelo catholicæ Matris accensi excom- » municatos interficiunt, homicidæ non judicantur. » Patet, quod malos non solum flagellari, sed etiam » interfici licet.«

Quidquid sit de auctore hujus decreti, certum nihilominus est, hoc decretum ita expressum, meritò reputari ut admodum perniciosum, & planè alienum à mansuetudine christiana, quàm Christus suis Discipulis, ac præsertim Ecclesiæ Ministris tantopere commendavit.

Deus peccata punit quandoque per scientes, quandoque per nescientes.

Quæstionem absolvens Gratianus, multis ostendit ad calcem Canonis ultimi, quod Deus aliquando excitet populos aut Principes ad puniendos homines.

Et quidem sæpiùs per *nescientes* ipse Deus punit quos vult, eisque utitur tanquam instrumentis licèt hoc nesciant. » Tales autem in eo, quod puniunt, » ait, Deo servire dicuntur, in eo, quod ignorantes se » esse Ministros iræ Dei, impia vanitate superbiunt, mer- » cedem suæ servitutis à Deo nonnisi temporalem inve- » niunt, pœnam verò suæ superbiæ non effugiunt.«

Interdum autem per *scientes* punit Deus, sive Dei instinctu quidam aguntur ad puniendum peccata aliorum, uti populus Istraeliticus excitatus fuit ad delendas gentes Amorrhæorum &c. quando autem ita divino instinctu excitantur, tunc sine culpa noxius sanguis effunditur, ait ibidem Gratianus. Ejus integer discursus utiliter legetur.

QUÆSTIO VI.

Mali ab Ecclesia cogi possunt ad bonum.

QUæstione sexta, ostendit Gratianus, malos per Ecclesiam cogi posse ad bonum, idque potissimum auctoritate S. Augustini Epistola 185. ad Bonifacium, in qua Augustinus pluribus probat, nequaquam justè queri Donatistas de legibus imperialibus, quibus cogebantur ad unitatem Ecclesiæ redire, atque inter cætera respondet Donatistis schismaticis, qui *clamare consueverant, liberum est credere, vel non credere*: *cui vim Christus intulit? quem coegit?* respondet Augustinus: » Ecce habent Paulum Apos- » tolum, agnoscant in eo priùs Christum cogentem, » & postea docentem; priùs ferientem, postea con- » solantem.

» Mirum est autem (ait) quomodò ille, qui pœ- » na corporis ad Evangelium coactus intravit, plus il- » lis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evan- » gelio laboravit, & quem major timor compulit ad » charitatem, ejus perfecta charitas foras misit ti- » morem.«

Hinc infert Augustinus, Ecclesiam etiam posse oves suas aberrantes cogendo revocare à schismate ad unitatem: Fatetur quidem *num.* 21. „ melius esse ad » Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœ- » næ timore vel dolore compelli. Sed non quia isti me- » liores sunt, inquit, ideo illi, qui tales non sunt, » ne-

» negligendi sunt : multis enim profuit (quod experimentis probavimus & probamus) prius timore vel » dolore cogi , ut postea possent doceri , aut quod » jam verbis didicerant , opere sectari.“

Deus variis modis errantes ducit ad fidem.

Canone 2. ex eodem doctore ait , Deum variis modis corripiendo errantes ducere ad fidem , etiam *per potestatum temporalium leges.*

Sententia Augustini fuerat, neminem posse cogi ad unitatem Christi, at postea eam mutavit.

Et *Canone* 3. refert fragmentum Epistolæ 93. Augustini ad Vincentium , in qua fatetur : „suam primitùs fuisse sententiam , neminem ad unitatem Christi » esse cogendum , verbo esse agendum , disputatione » pugnandum , ratione vincendum , ne fictos Catholicos , *ait* , haberemus , quos apertos hæreticos noveramus : sed hæc mea opinio , *inquit* , non contradicentium verbis , sed demonstrantium superabatur » exemplis.“

Ostendit dein ibidem Augustinus quomodo multi ex Donatistis per legum severitatem paulatim ad unitatem catholicam *veraciter & sincero* animo fuerint reducti , quod præcipuè probat *cap.* 1. *hujus Epistolæ.*

Hinc concludit in præsenti Canone , „non esse » considerandum quod quisque cogitur , sed quale sit » illud quo cogitur , utrum bonum an malum : non » quod quisque bonus possit esse invitus , sed timendo quod non vult pati , vel relinquit impedientem » animositatem , vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem , ut timens vel respuat falsum , de quo » contendebat , vel quærat verum , quod nesciebat, » & volens jam teneat , quod nolebat.“

Denique *Canone* 4. prolato fragmento *Epist.* 26. *lib.* 3. S. Gregorii , in qua scribit Januario Episcopo Calaritano , Rusticum Paganum , si tantæ fuerit pertinaciæ & obstinationis inventus , „ut ad Dominum » Deum venire minimè consentiat , tanto pensionis » onere gravandum esse , ut ipsa exactionis suæ pœna » compellatur ad rectitudinem festinare.“

Notandum quod Rustici , de quibus in hac Epistola , coloni essent , seu servi Ecclesiæ Calaritanæ , in quos jure dominico vindicabat Episcopus : non verò agitur generaliter de diœcesanis , ita ut Episcopus instar proprietarii seu domini , non verò tamquam Episcopus contra eos ageret ; uti etiam constat ex integro contextu Epistolæ , quæ hodie est Epistola 26. lib. 4. concludit Gratianus ex his omnibus intelligi, *quod mali cogendi sint ad bonum.*

Contra jam dicta objicitur, quod inutiliter fiat id , ad quod quis cogitur.

Post hæc format objectionem , „quòd nemo sit » cogendus ad id , ad quod inutiliter cogitur , ad bonum autem quisque inutiliter cogatur , cum Deus » aspernetur coacta servitia.“

Ut autem hæc objectio magis stringat , plura adfert testimonia è sacro textu , quibus probatur , opus, ut sit Deo gratum , debere esse *voluntarium* , *non coactum.* Deinde quod , „etsi in veteri Testamento » timore pœnæ homines cogebantur ad bonum , tamen in novo testamento sola libertate & dilectione » justitiæ sunt invitandi ad fidem.“

Addit post hæc illud ex prima Epistola Joannis: *timor non est in charitate , sed perfecta charitas foras mittit timorem* : „qui autem cogitur , *ait* , timore » illo ducitur , qui non est in charitate , qui manus » comprimit , non animum mutat , quo pœna timetur , non bonum diligitur. Porrò sine dilectione boni nullus Deo placere , vel in numero bonorum » connumerari poterit.“

Respondetur præfata objectioni, scilicet id, quod initio fiebat timore pœnæ, postea fieri amore justitiæ.

His autem respondet tandem Gratianus : „Si bonum , ad quod mali coguntur , semper inviti tolerarent , & nunquam voluntarii servirent , inutiliter » cogerentur ad illud. Sed quia humanæ naturæ est, » & ea , quæ in desuetudinem ducuntur , abhorrere, » & consueta magna custodia diligere , flagellis tribulationum mali sunt cohibendi à malo , & provocandi ad bonum : ut dum timore pœnæ malum in » desuetudinem ducitur , abhorreatur : bonum verò » ex consuetudine dulcescat. Unde Augustinus in » Psalm. 127. cum per timorem gehennæ continet se » homo à peccato , fit consuetudo justitiæ , & incipit » quod durum erat amari : & incipit excludi timor » à charitate , & succedit timor castus , de quo hîc » dicitur : quo timemus , ne tardet sponsus , ne discedat , ne eo careamus , ille utilis est , sed non permanet in æternum ut iste.“

Monent rectè hîc Correctores Romani , verba à Gratiano sub nomine Augustini , non esse per omnia Augustini , sed potiùs convenire cum glossa ordinaria : quoad sensum tamen conveniunt cum Augustino , cujus sunt verba *in Psalm.* 127. *num.* 7. „Cùm » per timorem continent se à peccato , fit consuetudo justitiæ , & incipit quod durum erat amari , & » dulcescit Deus : & jam incipit homo propterea jus» tè vivere , non quia timet pœnas , sed quia amat » æternitatem. Exclusus est ergo timor à charitate, » sed successit timor castus.“

QUÆSTIO VII.

Hæretici possunt auctoritate legum justè suis & Ecclesiæ rebus spoliari.

Quæstione septima ostendit Gratianus , quòd hæretici suis & Ecclesiæ rebus justè spoliari possint , quodque Catholici eas auctoritate legum possidentes, nequaquam dicendi sint aliena possidere.

Probat hæc Gratianus auctoritate S. Augustini *Can.* 1. 2. & 3. in quibus refert nonnulla , quæ Augustinus scripsit contra Donatistas , clamantes quòd Catholici impetrâssent leges imperiales adversus ipsos, ex cupiditate res & Ecclesias ipsorum habendi & occupandi.

Cum de hoc quererentur Donatistæ , sæpe ipsis respondit Augustinus.

Ipsis respondet Augustinus Epist. 93. ad Vincentium *num.* 50. in primis ostendens , quòd Donatistæ falsò asserant , res & Ecclesias esse suas , postquam justè ipsis per leges imperiales sunt ablatæ. Dein addit ; „sed tamen quisquis ex occasione hujus legis, » quam Reges terræ Christo servientes , ad emendandam vestram impietatem promulgaverunt , res propias vestras cupidè appetit , displicet nobis.“ Idipsum asserit de omni eo , qui ipsorum Basilicas , vel eorum pauperum res per avaritiam tenet.

Refellitur calumnia Donatistarum adversus Catholicos.

Idem probat Gratianus *Canone* 2. desumpto ex Augustino *lib.* 2. *contra litteras Petiliani* , & *Canone* 3. ex Epistola ejusdem 185. ad Bonifacium , ubi multis probat Augustinus , calumniam esse Donatistarum , objicientium Catholicis , quod eos in suam communionem violento legum imperio coarctari velint , ut res ipsorum auferrent : „utinam (*ait Augustinus*) » Catholici fiant , & non solùm quæ dicunt sua , sed » etiam *nostra* in pace nobiscum & charitate possideant.“

Quin & ostendit , hæc inter se esse contraria , eos ad communionem compellere , & eorum res desiderare : „Quis avarus quærit compossessorem? quis dominandi cupiditate inflammatus , vel fastu dominationis elatus desiderat habere consortem ?“ ait Augustinus.

Provocat & ad Donatistas , qui ad catholicam communionem redierunt , ut intelligant : *quemadmodum sua teneant , non solùm quæ habebant , sed etiam,* ait , *nostra , quæ non habebant.*

Concludit dein Augustinus , *quidquid ergo nomine Ecclesiarum partis Donati possidebatur , Christiani Imperatores legibus religiosis cum ipsis Ecclesiis ad Catholicam transire jusserunt.*

Alludit hîc Augustinus ad L. 52. *Cod. Thecd. de hæreticis* promulgatam anno 412. quam exponit , prolatis testimoniis S. Augustini ex hac Epistola , Jacobus Gothofredus.

Latissimè in citata Epistola ad Bonifacium ostendit Augustinus , id unicè desiderare Catholicos , ut à schismate ad unitatem Ecclesiæ Donatistæ convertantur , & cum Catholicis unum hîc Corpus Christi constituant , ac unà salutem æternam cum ipsis consequantur , uti patet ex fragmento ejusdem Epistolæ relato in *Canone* 4.

QUÆSTIO VIII.

Etsi mali ad bonum cogi possunt, nequaquam tamen Clerici in eum finem suæ auctoritate arma arripere valent.

CUm hactenus probâsset Gratianus malos per potestates seculares posse cogi ad bonum , & hæreticos ad fidem , *quæstione octava* probat , quod » Episcopi vel quilibet Clerici , nec sua auctoritate, » nec auctoritate Romani Pontificis arma arripere valeant.“

In hujus asserti probationem reproducit in primis Gratianus dictum Christi ad Petrum , *converte Gladium tuum in vaginam* : » ac si apertè ei diceretur, » *ait* , hactenus tibi tuisque prædecessoribus inimicos » Dei gladio corporali licuit persequi : deinceps in » exemplum patientiæ gladium tuum , id est , tibi » hactenus concessum , in vaginam converte : & tantùm spiritualem gladium , *quod est verbum Dei* , in » mactatione veteris vitæ exercere. Omnis enim præter illum , vel auctoritatem ejus , qui legitima potestate utitur , qui (ut ait Apostolus) *non sine causa » gladium portat* , cui etiam omnis anima subdita es-

» se

Arma Clericorum sunt fletus, orationes, lachrymæ.

» se debet ; omnis, *inquam*, qui præter auctoritatem » hujusmodi gladium acceperit, gladio peribit. Item » Ambrosius, arma Episcopi lachrymæ sunt & ora- » tiones. Item illud Apostoli *non vosmetipsos defen- » dentes charissimi*, quamvis omnibus generaliter di- » catur, specialiter tamen prælatis dictum intelli- » gitur. «

Adducit dein plures auctoritates, quibus interdicitur Clericis arma portare ; atque inter alia *Canone* 3. hæc sub nomine Ambrosii: » dolor, fletus, oratio- » nes, lachrymæ fuerunt mihi arma adversus milites. » Talia enim munimenta sunt & Sacerdotis. «

Possunt tamen Clerici alios hortari, ut ad oppressorum defensionem arma arripiant.

Porrò *parte secunda* subjectæ Canoni 6. ostendit Gratianus : » hæc intelligenda esse de Sacerdoti- » bus propria manu arma arripientibus, sed alios ad » arripiendum ad oppressorum defensionem, atque » ad inimicorum Dei oppugnationem eis licere hor- » tari. «

Probare id primis nititur fragmentis Epistolarum Leonis IV. *Canone* 7. 8. & 9. sed has Epistolas non extare monent Correctores Romani, referentes quædam ad eandem materiam petinentia ex vetustis Pontificalibus, quæ, cujus sint auctoritatis, nescio. Ivo autem in Panormia *parte* 10. *Canone* 30. citat Canonem 9. sub nomine Nicolai Papæ.

Addit plura alia testimonia usque ad Canonem 18. quibus intendit probare quod » Sacerdotes etsi » propria manu arma arripere non debeant, tamen vel » his, quibus hujusmodi officia commisa sunt, per- » suadere, vel quibuslibet, ut ea arripiant, sua auc- » toritate valeant imperare. «

Videndæ autem sunt notæ Correctorum Romanorum, quibus indicantur variantes lectiones, & in quibus fragmenta à Gratiano relata à suis originalibus discrepent.

Refertur decretum Nicolai I. contra Episcopos militantes, quod videtur repugnare facto Leonis Papæ.

Post hæc per modum objectionis allegat *Canone* 19. partem Epistolæ Nicolai I. ad Ludovicum & Carolum Reges (de qua inscriptione videnda nota Correctorum Romanorum,) in qua conqueritur, quod Episcopi, eorum jurisdictioni subjecti, ad synodum non venirent, prætextu quod cum fidelibus aliis contra piratas maritimos invigilarent, *cum militum Christi sit, Christo servire : & quid* (ait) *ad Episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationibus.*

Et *Canone* 20. refert. *ex Epist.* 1. *lib.* 7. *S. Gregorii*, ubi scribit : » Si in morte Longobardo- » rum me miscere voluissem, hodie Longobardorum » gens nec Regem, nec Ducem, nec » omites habe- » ret, atque in summa confusione esset divissa : sed » quia Deum timeo (ait) in morte cujuslibet hominis » me miscere formido. «

Cùm ergo Nicolaus improbet, Episcopos seculari militia occupari, nec etiam contra maritimos piratas permittat eos ad pugnam accedere, videtur Gratiano, in speciem saltem contrariari Leoni Papæ, qui *adversus Saracenos Urbem egreditur, & ut eos procul à litore arceat, populum undique convocat, & suorum injurias præsentialiter vindicat*, (Alludit ad Canonem 7.) *atque cum Gregorio milites ad arma invitat.* Ita Gratianus ad calcem Canonis 20.

Hæc conciliare nititur Gratianus.

Ut hæc conciliet, distinguit Gratianus Episcopos, in illos, qui levitica tantum portione contenti, de solis decimis, & primitiis vivunt, & illos, qui his non contenti, & prædia, & catella, & civitates possident, » ex quibus (ait) Cæsari debent tri- » buta, nisi Imperiali benignitate immunitatem ab » hujusmodi promeruerint. Illis autem qui solis deci- » mis, & primitiis sunt contenti, nihil est (ait) com- » mune cum Principibus seculi, quia temporalia pe- » nitùs abjiciunt, nec occasione eorum legibus Impe- » ratorum obnoxii teneantur. «

At ejus conciliatio congruens non apparet.

Neque pristinæ, neque hodiernæ disciplinæ hæc conciliandi ratio conveniens apparet ; si tempora, loca, personas, aliasque circumstantias attendisset & hîc Gratianus, non dubium, quin congruentiorem conciliandi rationem reperisset.

Circa immunitatem Ecclesiarum, & Clericorum quadam in

Interim Gratianus *Canone* 21. profert aliqua fragmenta ex Epistola Ambrosii ad Marcellinam, & ex oratione contra Auxentium in unum congesta, (ut monent Correctores Romani) ut probet Ecclesias non esse subjectas Imperatoribus, & *Canone* 22. decretum sub nomine Urbani Papæ, quo probetur Ecclesiam *de suis exterioribus solvere tributa.* Sed cujus Urbani sit, vel ubi habeatur, non scribit.

Attamen *parte quarta*, huic Canoni subjecta, contra hoc prætensum Urbani decretum objicit, quod urgente fame in Ægypto sub Pharaone sacerdotes liberi fuerint, *Domino ex tunc pronuntiante* (inquit) *Sacerdotes in omni gente liberos esse oportere.*

speciem contrariam allegat Gratianus.

Hîc subjungit Gratianus, quæ tum in legibus Imperatorum, tum in Conciliis præsertim *Seculo VIII.* & *IX.* pro immunitate Clericorum indulta & sancita fuêre ; ac præ reliquis notandus Canon 25. ex Concilio Wormatiensi, quo sancitum est, *ut unicuique Ecclesia unus mansus integer* absque ullo servitio attribuatur ; de quo vide notata in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 35. *cap.* 2.

Illa conciliare conatur, sed non conformiter ad Canones.

Gratianus conciliationis causa notat ad calcem » anonis 25. quòd » Ecclesia de his, quæ imperiali be- » neficio, vel à quibuslibet pro beneficio sepulturæ » possidet, nullius juri, nisi Episcopi, teneatur ads- » tricta : de his verò, quæ à quibuslibet emerit, vel » vivorum donationibus acceperit, Principibus con- » sueta debet obsequia, ut & annua eis persolvat tri- » buta, & convocato exercitu cum eis proficiscatur » ad castra. « Conciliandi rursùs similis ratio in Canonibus difficulter invenietur.

Juxta Gratianum Episcopi non possunt ad castra proficisci sine consensu Romani Pontificis At in Canonibus, quos citat in probationem illius clausula, tantùm fit mentio Metropolitani.

Interim Gratianus pro limitatione ultimæ partis adducit hanc clausulam : *quod tamen hoc ipsum non sine consensu Romani Pontificis fieri debet.*

In probationem hujus clausulæ limitativæ adducit fragmentum cujusdam Epistolæ sub nomine *Gelasii Papæ Elpidio Episcopo.* Item Canonem 11. Antiochenum, & 8. Sardicensem, in quibus tamen Canonibus nulla de Romani Pontificis, sed tantùm de Metropolitani licentia ab Episcopis obtinenda decernitur, cùm ad comitatum pergere volunt.

Concludit autem Gratianus ad calcem Canonis 28. quòd » Prælatis Ecclesiæ liceat ab Imperatori- » bus, vel quibuslibet ducibus defensionem fidelibus » postulare, & etiam quoslibet ad sui defensionem » contra adversarios sanctæ fidei viriliter adhortari: » atque ad vim infidelium procul arcendam quos- » que excitare ; effusionem verò sanguinis nulli Epis- » coporum sua vel Imperatorum auctoritate imperare » licet. «

Prohibetur Sacerdotibus, ne sint judices in causa sanguinis.

Pro tertio & finali membro suæ conclusionis, adducit *Canone* 29. decretum Concilii Toletani IV. quo decernitur ; » Sacerdotibus, seu Episcopis, ne con- » sentiant Regibus fieri Judices, nisi ubi jurejurando » suplicii indulgentia promittitur, non ubi discrimi- » nis sententia præparatur : quia (ait) à Christo ad mi- » nisterium salutis electi sunt. «

Idque sub pœna depositionis, & perpetui carceris.

Sacerdos, qui decreto contravenerit, declaratur, quod *sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.*

Affert & *Canone* 30. decretum Concilii Toletani XI. quo statuitur, quod *his, à quibus Dominî Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non liceat.*

Decernitur ulteriùs, quod, si quis hæc præsumpserit, » aut quod morte plectendum est sententia pro- » pria judicare præsumat, aut truncationes quibusli » bet personis per se inferat, aut inferendas præcipiat, » concessi ordinis honore privetur, & loco ; sub per- » petuo quoque damnationis tueatur ergastulo. «

Addit autem Concilium hanc moderationem: » cui » tamen communio exeunti ex hac vita, non est ne- » ganda propter Domini misericordiam, qui non » vult peccatoris mortem, sed ut convertatur & » vivat. «

Subjicit dein *Canone* 31. Pseudo-decretum sub nomine Eutychiani Papæ, de quo vide suprà notata.

Interim ex citatis Canonibus patet, quàm enixè voluerint Patres, ab effusione sanguinis humani alienos esse sacerdotes, de quo vide dicta in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 4. ubi de irregularitate ex defectu lenitatis profluente agitur.

Pœna incendiariorum.

Post hæc *parte sexta* agit Gratianus contra incendiarios, prolatos decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio II. quo decernitur pœna excommunicationis contra incendiarios ex proposito, sive ex odio, & vindicta, & mortuis negatur ecclesiastica sepultura: Statuitque insuper, » ut non absolvatur, nisi priùs » damno, cui intulit, secundum facultatem suam, re- » sarcito, juret se ulteriùs ignem non appositurum. » Pœnitentia autem ei detur, ut Hierosolymis, aut » in Hispania in servitio Dei per annum integrum per- » maneat. «

Rectè hîc notat Stephanus Baluzius, quod Hispani-

Quale fuerit iter Hispanicum ipsis loco pœnitentiæ impositum.

nicum illud iter non esset simplex peregrinatio religionis ergo, sed ad pugnandum adversus Saracenos, qui tùm Hispaniæ incubabant; adversus quos propterea institutum erat bellum sacrum, quod innuitur his verbis Canonis: *in servitio Dei.* Legitur in fine Canonis: *sane Regibus, & Principibus faciendæ justitiæ facultatem, consultis Episcopis & Archiepiscopis non negamus.* Hæc clausula restringere videtur auctoritatem supremorum Principum &c. notandum autem has voces: *consultis Episcopis & Archiepiscopis*, omitti in Canone 15. Concilii Rhemensis anno 1148. præside Eugenio III. ubi iste Canon renovatur.

Quis dicendus homicida.

Additur *Canone* 33. sub nomine S. Augustini quidem, at ex variis fragmentis diversorum auctorum conflato, jus notat Correctores Romanit esse velut homicidam judicandum, qui sine publica aliqua administratione, quemcunque criminosum interfecerit aut truncaverit, vel membris debilitaverit, *& tantò acriùs (ait) quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.*

Qui ex pluribus concurrentibus dicendus sit homicidii reus.

Denique *parte septima* Gratianus agit de homicidio commisso pluribus concurrentibus, & præsentibus, quis eorum homicidii reus censeatur: atque profert unicum Canonem sub nomine Concilii *apud Vermerias* juxta Pithæos habito *anno* 752. *in Gallia*, at in Concilio Vermeriensi eo anno celebrato, nec præsens Canon, nec quidquam ei simile reperitur, neque in ullo, quod extat, apud Vermerias habito Concilio hoc decretum hactenus reperi.

CAUSA VIGESIMA QUARTA.

Casus in hac causa propositus.

CUm *causa vigesima tertia* tractàsset Gratianus de hæreticis, *causa vigesima quarta* eandem materiam prosequens, casum hunc proponit. » Quidam Episcopus in hæresim lapsus, aliquot de Sacerdotibus suis officio privavit, & sententia excommunicationis notavit, post mortem de hæresi accusatus damnatur, & sequaces ejus cum omni familia sua. «

QUÆSTIO I.

Hæreticus alium excommunicare aut officio privare non potest.

EX hoc casu elicit tres quæstiones, quarum prima quærit: » An lapsus in hæresim possit aliquos officio privare, atque sententia notare. «

Id non possè facile probatur, ait Gratiani. » Omnis enim hæreticus, aut jam damnatam hæresim sequitur, aut novam confingit: qui vel jam damnatam hæresim sequitur, ejus damnationis se participem facit. «

Ultimam asserti sui partem probat Gratianus aliquot fragmentis desumptis ex litteris Gelasii Papæ, notanter Epistola 13. ad Episcopos Dardaniæ, quibus scribit, Acacium Constantinopolitanum Episcopum hæreticis pertinaciter adhæsisse, & à Sede Apostolica recessisse, & consequenter novâ condemnatione opus non esse, eò quòd damnatæ hæresi adhærens, in damnationem jam factam ipso jure incidat, & ab Ecclesia hac sua adhæsione recedat. De quo schismate Acacii videri potest *dissertatio decima nona* seculi V. Natalis Alexandri. Item Nicole vir doctissimus in præstantissimo Tractatu *de unitate Ecclesia contra Ministrum Jurium lib. 2. cap.* 10.

Quòd autem excommunicatus alium excommunicare non possit, probat ulteriùs Gratianus *Can.* 4. prolato testimonio Alexandri II. scribentis Valeriano Episcopo; sed hæc Epistola non extat, referturque hoc fragmentum à Labbæo *tom.* 9. *Concil. col.* 1552. inter fragmenta Epistolarum, quarum auctoritas non aliunde probatur, nisi quod apud varios Collectores sub nomine hujus Pontificis prostent. Canoni verò subjungit Gratianus longum discursum, quo pluribus probare contendit, lapsis in hæresim, sive etiam schismaticis, non competere potestatem ligandi vel absolvendi: » quia hæc potestas veris non falsis Sacerdotibus à Domino tradita est: Apostolis enim dicturus: *quorum remiseritis peccata* &c. præmisit: *accipite Spiritum Sanctum*, ut evidenter cunctis ostenderet, eum, qui Spiritum Sanctum non habet, peccata non posse tenere, vel remittere; porrò Spiritum Sanctum nemo, nisi intra Ecclesiam accipit, quia & ipsam unitatem per gratiam facit. «

Dicta Gratiani non de quibus-cunque hæreticis, aut excommunicatis intelligi possunt.

Hæc aliaque hîc à Gratiano asserta, indubie intelligenda sunt de hæreticis, sive in hæresim prolapsis, qui auctoritate legitimâ ut tales publicâ declarati, & ab Ecclesia abscissi sunt: quin enim occultè in hæresim prolapsi, possint auctoritate ligandi & solvendi, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, ac ei externe manent uniti, validè uti sua potestate nemo dubitaverit.

Quandonam judicium Romani Pontificis censeri debet judicium Petri.

Ut autem probet Gratianus, hæreticos ligandi, vel solvendi auctoritatem non habere, plurimas adducit auctoritates, nonnullas apocryphas & nonnullas alienas à materia, seu quæstione, quam tractandam susceperat.

Imprimis *Can.* 5. profert vulgatissimam multorumque annotationibus vexatam S. Leonis sententiam ex ejus *sermone* 3. in anniversario suæ assumptionis: » Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium, nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.

Ex hoc loco jam pridem statuerunt Hincmarus Rhemensis, aliique Episcopi Gallicani, ea judicia, quæ canonica æquitate non nituntnr, nullius esse momenti, utpotè quæ privilegio Petri destituta essent; cujus privilegi perpetuo debet esse indivulsa comes Beati Petri sinceritas & æquitas, uti notat Petrus de Marca *lib.* 4. *de Conc. Sacerd. & imp. cap.* 6. & 8. ubi & plura in eam rem adducit, quibus jungatur nota Paschasii Quenelli, citato sermoni Leonis subjecta.

Ecclesiæ datæ suns claves in persona Petri.

Et ne ex verbis Leonis concluderetur, soli Petro à Christo datam esse ligandi, & solvendi potestatem, subjungit Gratianus *Canone* 6. verba S. Augustini ex Tractatu 50. *in Joannem n.* 12. quibus docet claves à Christo datas *non soli Petro*, sed *Ecclesiæ in persona Petri*: quia *Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Hoc pluribus locis inculcat Augustinus.

Gratianus probat Ecclesiam Romanam à fide non deviasse, sed præcipuè ex apocryphis.

Canones deinde profert, quibus probet in causis fidei recurrendum esse ad Romanam Ecclesiam, atque hanc ab omni hæresi hactenus fuisse immunem.

De unitate Ecclesiæ ex Cypriano.

At Canones illos, è quibus id præcipuè evincere conatur Gratianus, nimirum 9. 10. 11. 13. 14. & 15. ex Epistolis apocryphis deprompsit, ut facilè intelligi poterit, si fontes, quos referunt, conferantur eum illis, quæ circa supposititias pseudo Isidori merces sæpiùs annotavimus.

Quædam omittuntur à Gratiano quæ habentur apud Cyprianum.

Post hæc incipit Gratianus probare unitatem Ecclesiæ, producitque *Canone* 18. & 19. verba S. Cypriani ex *Tractatu de unitate Ecclesiæ Catholicæ.*

Monent Correctores Romani in nota marginali ad initium Canonis 18. omitti aliqua verba: *ædificabo Ecclesiam meam*, in Cypriana sequuntur reliqua sacri textus verba: *Et portæ inferorum non vincent illam, & tibi dabo claves regni cœlorum, quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.*

Quin & in vulgatis editionibus, & exemplaribus, etiam hæc sequuntur: » Et iterum eidem post ressurrectionem suam dicit, *pasce oves meas.* Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. «

Verisimiliter textui Cypriani inserta fuerunt.

Apud Gratianum, omissis cæteris, sola hæc habentur: *Super unum ædificat Ecclesiam*: creditque vir eruditus Nicolaus Rigaltius, integram hanc periodum esse recentiori manu textui Cypriani adjectam, eamque minimè convenire proposito S. Cypriani, qui unicè in hoc tractatu intendit ostendere Ecclesiæ Catholicæ unitatem.

Fundamentum unitatis Ecclesiæ ex Cypriano.

Ut hanc unitatem demonstret Cyprianus, notat: » quòd, quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum*; tamen ut unitatem monstraret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio prædíti, & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. «

Apud Cyprianum in vulgata editione post verba, *Sed exordium ab unitate proficiscitur*, sequitur, „ primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur, & Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur. «

Horum rursus nihil occurrit apud Gratianum præter hæc: *Ut Ecclesia una monstretur.*

Necessitas conservandæ uni-

Hanc „ Ecclesiæ *unitatem* (ait Cyprianus) tenere firmiter & vindicare debemus, maximè *Episcopi*, qui in Ecclesia præsidemus, " rationem addit: „ Ut Epis-co-

unitatis, & fugiendi schismatis.

» copatum *unum* atque *indivisum* probemus... Episco» patus *unus* est, cujus à singulis in solidum pars te» netur.«

Docet autem Cyprianus esse quasi ramum aridum à trunco arboris rescissum, qui hanc *unitatem* scindit, & ab ea se separat, ut patet ex fragmento relato in *Canone* 19.

Multa dein profert Gratianus, quibus unitatem Ecclesia, atque necessitatem ejusdem retinendæ demonstret, necnon hæreticorum consortia esse vitanda: item gravitatem, & malitiam schismatis, inter quæ sunt nonnulla apocrypha, puta *Canone* 25. ex epistola Hieronymi ad Damasum, & *Canone* 32. ex epistola *Liberii Papæ ad Athanasium*, & plura mutilata uti notant Correctores Romani.

An hæreticus item schismaticus consecrare & excommunicare possit.

Profert autem bina, eaque sat extensa fragmenta *Canone* 33. & 34. sub nomine Pelagii Papæ, quorum primus hanc profert epigraphen: *Non consecrat, nec consecratur in schismate constitutus Episcopus.*

Posteriori autem est hoc summarium præfixum: *Unitati non communicat Schismaticis consentiens.*

Dein ex diversis litteris Nicolai I. Papæ adstruit, quòd Episcopus fidei contraria docens alium excommunicare non possit: item non habeantur excommunicati, qui ab hæreticis excommunicantur. Sed si litteræ Nicolai legantur, ac attendatur textus Cælestini Papæ, quo nititur Nicolaus, apparebit, nihil hinc aliud erui posse, quàm Cælestinum Imperatori scripsisse, non habendos pro excommunicatis, quos Nestorius injustè excommunicaverat orthodoxos.

Non videtur Gratianus assecutus sensum Canonum quos citat.

Quare nimis generaliter ex his auctoritatibus conclusisse videtur Gratianus ad calcem Canonis 37. » Quod ex quo aliquis contra fidem cœperit ali» quid docere, nec dejicere quemquam valet, nec » damnare. «

Excommunicatus ab hæreticis ob crimina sine pœnitentia à Catholicis suscipi non debet.

Subjungit dein *Canone* 38. & 39. verba S. Augustini scribentis, quòd sibi displiceat, aliquos in communionem à Catholicis suscipi, qui apud Donatistas ob *crimina* aliqua fuerunt excommunicati: scribitque epistola 35. (cujus verba extant *Canone* 39.) Ego, » si Domino placet, istum modum servo, ut quis» quis apud eos (Donatistas) propter disciplinam de» gradatus, ad Catholicam transire voluerit, in hu» militate pœnitentiæ recipiatur, quo & ipsi eum » forsitan cogerent, si apud eos manere voluisset. «

Ostendit Gratianus id non repugnare antedictis de hæreticis non habentibus potestatem excommunicandi.

Ut autem hæc conciliet Gratianus cum eo, quod dixit, penès hæreticos non esse potestatem excommunicandi, eorumque excommunicationem esse spernendam, respondet; quòd » illud Augustini intelli» gatur dictum non propter sententiam, cujus po» testas nulla est extra Ecclesiam, sed in detestatio» nem criminum, quæ in hæreticis sicut in Catholicis » æquè sunt punienda. «

Addit & alteram conciliandi rationem. » Potest » tamen, ait, illud Augustini de potestate baptizan» di intelligi, non ligandi, aut solvendi, vel cætera » Sacramenta ministrandi; baptisma namque sive ab » hæretico, sive à Laico ministratum fuerit, dummo» do in unitate Catholicæ fidei accipiatur, non care» bit effectu. «

Alia verò Sacramenta, ut sacri Corporis & Sanguinis Domini, » excommunicationis, vel reconci» liationis, si ab hæretico, vel Catholico non Sacer» dote ministrentur, vel nullum vel lethalem habe» bunt effectum; unde & ab omnibus fidelibus nul» latenus sunt recipienda.

Indubiè dictum Gratiani de Sacramentis ab hæreticis collatis, cum grano salis intelligi oportet. Neque enim dubitandum, quin Sacerdos per hæresim, aut schisma ab Ecclesia separatus, possit validè Sacramentum Altaris conficere & administrare; sed & illud constat, neminem scienter & citra necessitatem posse ab hæreticis aut schismaticis Sacramenta recipere.

Licitè baptismus suscipitur ab hæretico in necessitate.

Probat id Gratianus *Canone* 40. verbis Augustini ex *l.* 1. *de baptismo contra Donatist. cap.* 2. ubi Augustinus docet, in necessitate posse licitè à Donastistis baptismum suscipi, dum copia Catholici baptizantis haberi nequit. » Si quis autem, ait, cùm posset in ipsa ca» tholica accipere, per aliquam mentis perversitatem » eligit in schismate baptizari, procul dubio perver» sus & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto » scientius. «

Sed non communio.

Adducit & *Canone* 14. decretum sub nomine Julii Papæ: Ivo autem illud nonnihil extensiùs consignat *parte* 15. *cap.* 117. sub nomine Eutychiani Papæ, uti & Burchardus *lib.* 19. *cap.* 105. sed nec inter decreta Julio & Eutychiano à pseudo-Isidoro supposita reperitur. Pithæi monent: fortè in pœnitentiali Theodori, quod & in margine à Correctoribus Romanis annotarunt est.

Sed nec in hoc pœnitentiali hactenus reperi.

Modus agendæ pœnitentiæ præscriptus aliquatenus conformis est ei, qui seculo II. & III. servabatur, sed verba: *Missam celebrare*, multò recentiorem ætatem indicant.

Quod probat Gratianus exemplo Hermenegildi.

Denique *Canone* 42. refert ex *lib.* 3. *dial. S. Gregorii*, *cap.* 31. exemplum S. Hermenegildi Wisigothorum regis filii, qui mortem maluit subire, quàm de manu Episcopi Ariani sacram communionem accipere: uti latiùs ex S. Gregorio hodie legitur in hujus sancti Regis solemni officio die 13. Aprilis.

QUÆSTIO II.

Nullus post mortem potest excommunicari aut absolvi. Id probat Gratianus ex epistola S. Leonis circa cujus lectionum est magna varietas.

Quæstione secunda quærit Gratianus, *an post mortem aliquis possit excommunicari?*

Resolvit autem, quòd, cùm Christus duntaxat dederit Apostolis auctoritatem ligandi, & solvendi super terram, de mortuis sententiam Episcopi ferre non possint.

Hunc in finem primò adducit *Canone* 1. verba S. Leonis in Epistola 2. editionis Quenelli, quibus respondit Rustico Episcopo Narbonensi interroganti de his, qui animo jam deficientes pœnitentiam accipiunt & ante communionem moriuntur. » Horum » causa, ait, Dei Judicio reservanda est, in cujus » manu fuit ut talium obitus non usque ad commu» nionis remedium differretur. Nos autem, quibus vi» ventibus non communicavimus, mortuis communi» care non possumus. «

Ita legitur apud Gratianum, Burchardum *lib.* 11. *cap.* 52. Ivonem *part.* 14. *Decreti*, *cap.* 62. & in Panormia *lib.* 5. *cap.* 118. & apud Reginonem *lib.* 1. *cap.* 115. legitur sine negatione: sed notat Baluzius in margine, *lege non diff.* & in notis amplioribus ad idem caput pag. 557. rursus monet, ita indubiè esse legendum. » Sic enim habent (inquit) vulgatæ editio» nes epistolarum S. Leonis, & plerique codices ma» nuscripti. «

Equidem sententia S. Leonis & praxis Ecclesiæ Romanæ fuit, ut extra communionem morituis post mortem non communicaretur.

Quas vulgatas editiones hîc intelligat vir clarissimus, nescio; fallit saltem editio, quam *tom.* 3. *Concil. General.* exhibet Labbæus, quæ sine *negatione* legit, adjectâ tamen in margine voculâ, *non*: quin & correctissima editio à Paschasio Quenello summo labore & exactitudine ad codices manuscriptos, & editos collata, sine ulla indigitata lectionis varietate legit sine negatione sicut apud Reginonem.

At hæc praxis à pluribus aliis Ecclesiis non fuit ob ervata.

Quidquid sit de hac lectionis diversitate, hoc constat, sententiam Leonis fuisse, communicandum non esse post mortem cum his, qui in pœnitentia constituti moriuntur priusquam gratiam communionis seu reconciliationis obtinuissent.

Excipitur à Gratiano crimen hæresis.

At hunc Ecclesiæ Romanæ modum ab aliis plerisque servatum non fuisse, ostendit Quenellus nota 13. in hanc Epistolam: sed in illis observatum fuisse, *ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur*, ut loquitur Synodus Toletana XI. anno 675. Canone 12.

Exceptionem istam probat ex V. Synodo.

Et cum hîc de solo puncto disciplinæ agatur, nihil obest fidei catholicæ sinceritati & unitati Ecclesiarum diversa observantia.

Nonnulla post hæc refert Gratianus, quibus itidem ostendit, quòd propriè nemo post mortem excommunicari, aut absolvi queat, è quibus tandem ad calcem Canonis 5. concludit, » quod viventes, non » mortuos, solvere possimus vel ligare. « Mox tamen conclusionem restringit dicens, » quædam tamen es» se crimina, de quibus etiam post mortem accusari » posset quilibet vel damnari, velut hæresis. «

Sed non rectè ab illo intelecta fuit controversias quantum agitabatur.

In probationem hujus exceptionis profert Gratianus decretum sub nomine V. Synodi, quod ex variis locis ejusdem Synodi conflatum esset monent Correctores Romani, quibus probatur, mortuos etiam damnari & absolvi posse.

Scitur super hoc articulo summas fuisse contentiones, neque quæstionem hanc ad certa crimina fuisse restrictam, quemadmodum hîc prætendit Gratianus, non sat perspectum habens, qua de re controversia tempore hujus quintæ Synodi fuerit.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Pro peccato alicujus tota familia excommunicari non potest.

Tertiâ quæstione quærit Gratianus, „an pro peccato alicujus tota familia sit excommunicanda.“

Sub initium quæstionis argumenta in utranque partem ex sacro textu proponit, quæ, ut conciliet, distinguit inter pœnas temporales, & pœnas spirituales, aitque: „Pro peccatis parentum parvulos *corporaliter* flagellari ex verbis Evangelii apparet.... *spiritualiter* autem peccatis parentum parvuli non tenentur, ex quo per Sacramentum regenerationis ab originali peccato fuerint emendati.... quia verò apud Deum non sententia Sacerdotum, sed vita eorum quæritur, patet, quòd non est notandus sententiâ, quem peccati macula non inficit.... non ergo (inquit) pro alicujus peccato tota familia excommunicanda est.“

Id rectè probat Gratianus ex Epistola Augustini ad Auxilium Episcopum.

Ut hanc conclusionem probet Gratianus profert *Can.* 1. longum fragmentum Epistolæ Augustini 250. *ad Auxilium Episcopum.* Conquestus fuerat Augustinum Classicianus, quod non ipse duntaxat, sed & tota ejus *domus* sive familia ab Auxilio Episcopo fuisset *anathematizata.*

Litteris Classiciani perlectis non mediocriter æstuans, cogitationibus magnâ cordis tempestate fluctuantibus. Augustinus scribit Auxilio, eum rogans, „ut, si haberet de hac re sententiam certis rationibus, vel sctipturarum testimoniis exploratam, ipsum quoque docere dignetur, quomodo rectè anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus, aut quispiam in domo etiam nondum natus, si eodem tempore, quo universa domus est anathemate obligata, nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri.

„Neque enim hæc (pergit Augustinus) corporalis „est pœna, quâ legimus quosdam contemptores Dei „cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem „ad terrorem viventium mortalia corpora perimebantur, quandoque utique moritura. *Spiritualis* autem pœna, qua fit, quod scriptum est; *quæ ligaveris in terra, erunt ligata & in cœlo*, animas obligat; de quibus dictum est, *anima patris mea est, & anima filii mea est*: anima quæ peccaverit, ipsa morietur.“

Ita legitur in Epistola, at apud Gratianum omittitur negotio, diciturque *ejusdem impietatis participes fuerunt*, contra manifestum totius contextus sensum: unde haud obscurum est, Gratianum hæc non ex originali, sed ex Ivone, apud quem idem error occurrit, desumpsisse.

Episcopo probrosum non est revocare, quod temere fecit.

Interim meritò legenda integra Epistola fortiter stabiliens sententiam Gratiani, pro peccato alicujus totam familiam non esse excommunicandam: ostenditque Augustinus nec Episcopis probrosum videri debere, revocare quod subinde temerè ab ipsis factum est. „Nec arbitreris (inquit) ideò nobis non posse „subrepere injustam commotionem, quia Episcopi „sumus; sed potiùs cogitemus, inter laqueos tentationum nos periculosissimè vivere, quia homines „sumus.“

Illicita excommunicatio non ledit excommunicatum.

Ex hac igitur Augustini auctoritate concludit Gratianus, quòd „illicitè excommunicetur quis pro „peccato *alterius* neque aliqua ratione nitantur, qui „pro peccato unius in totam familiam sententiam ferunt excommunicationis: addit insuper, quòd illicita excommunicatio notatum non lædat, sed excommunicantem.“

Probat hoc postremum membrum constituens quæstionis secundam partem, auctoritate S. Gregorii *Epist.* 26. *Lib.* 2. permittens cuidam Laurentio, ut communionem sine aliqua sumat formidine, quem Episcopus, nullis suis culpis exigentibus, communione privaverat. Notandum apud Gratianum, inscriptionem mendosam esse, nam pro his vocibus, *Mediolanensi Episcopo*, legendum est *Mediolanensi Presbytero*, prout legitur apud Gregorium: & illud notandum, quod causa *Magni* devoluta fuissè videatur ad Sedem Apostolicam, cùm Papam inter & Episcopum Mediolanensem nullum esset superior intercedens.

Sed potius excommunicantem.

Imò ipsum excommunicantem potiùs lædi probatur *Can.* 5. auctoritate Rabani Episcopi Moguntini, & *Can.* 6. auctoritate Concilii Parisiensis VI ubi tum ex Novella Justiniani 123. *cap.* 11. cum aliis probatur, neminem ab Episcopo, nisi canonicis de causis excommunicari posse, & secus facientem esse puniendum.

Probat & Gratianus quòd apud Deum quemlibet *vita, non sententia liget*, allegatis *Can.* 3. & 4. quibusdam sententiis sub nomine Hieronymi, sed quæ sunt revera Origenis, uti monent Pithæi, cujus, & aptissimus in hanc rem locus refertur Canone 7.

Apud Deum non sententia, sed prava vita ligat.

Profert dein *Can.* 8. fragmentum aliquod sub nomine S. Augustini, ut probet, vitam sceleratam potiùs, quàm sententiam ab Ecclesia rescindere, at fragmentum parùm convenire cum originali monent Correctores Romani, quod apparebit, si integer *sermo* 71. S. Augustini in editione Benedictinorum, cum fragmento conferatur.

Tandem adducto testimonio ex Synodo V. quo dicitur, quod, qui *impius demonstratus est, omni modo sit separatus à Deo, sicuti etiam ille, qui anathematizatus tanquam impius separatus est*, concludit ex præmissis patere, quòd illicita excommunicatio non lædat eum, qui notatur, sed eum à quo notatur „ac per hoc, qui innocentes sunt, ex alterius „crimine condemnari non possunt.“

Objicit Gratianus, quod nec crimi. nosi sententia maledictionis sin feriendi.

Sed priusquam quæstionem finiat, hîc sibi objicit, quod „non solùm innocentes, sed nec etiam crimi„nosi sententia maledictionis sint feriendi.“

Hanc objectionem stabilit *Can.* 10. verbis S. Hieronymi in Commentario ad *cap.* 3. *Epist. ad Titum*, ubi ostendit ex Epistola Judæ nos ab omni maledicto puros esse debere; & *Can.* 11. verbis Origenis sub nomine ejusdem Hieronymi falsò citatis.

Respondit distinguendo duplex maledictum.

At ipsum Deum primos parentes pro transgressione mandati maledicto mortis percusisse, nec non sanctos viros, tam in veteri, quàm in novo Testamento, maledicto in quosdam ussus fuisse, demonstrat ad calcem dicti Canonis 11. quæ, ut inter se conciliet, dicit: „Distinguendum est inter maledictum quod prohibe„tur, & maledictum quod à Domino, & sanctissimis vi„ris rationabiliter profertur. Maledictum, quod prohi„betur, est illud, quod procedit ex voto *ultionis* & „*odio* persequentis, non ex amore justitiæ: maledic„tum vero, quo Sancti maledicunt, est illud, quod „procedit *ex amore justitiæ*, non ex livore vindictæ.“

Hanc conciliationem probat auctoritate S. Gregorii, qui docet, quod *cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non in hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine prorumpant.* Notant Correctores Romani, non referre Gratianum omninò verba S. Gregorii, sententiam tamen eandem manere.

Oves morbidæ, si incorrigibiles sint, ab Ecclesia rejiciendæ sunt.

Deinde probat incorrigibiles excommunicari posse, adducta *Canone* 14. Epistola fictitia *Anacleti Papæ.*

Plura dein profert Canones 15. 16. 17. & 18. quibus probet, oves morbidas è Christi ovili, sive Ecclesia ejiciendas, ne cætera inficiantur, quando scilicet „nec æquanimiter sustinentis, ac piè increpantis me„dela processerit (seu potiùs profecerit) in eis, qui „diù portati, & salubriter objurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent foro „excommunicationis abscindi,“ uti loquitur *Can.* 18. verbis Prosperi, seu potiùs Juliani Pomerii *Lib.* 2. *de vita contempl.*

De quibusdam criminibus excommunicatione puniendis.

Subjungit post hæc aliquot Canonibus quædam crimina excommunicationis sententia punienda; sed plerique incertæ ac dubiæ auctoritatis sunt, atque inter cætera decretum relatum *Can.* 23. sub nomine Calixti Papæ, quo „Communione christianâ carere ju„bentur, qui Romipetas, & peregrinos, & Apos„tolorum limina, & aliorum sanctorum oratoria vi„sitantes, capere seu rebus, quas ferunt, spo„liare tentaverint.“ Nullatenus Calixto I. attribui potest, sed reperitur in Concil. Lateranensi an. 1123. sub Calixto II. *Can.* 16. atque inde sumptum esse verisimile est.

Canonem 25. relatum sub nomine Nicolai Papæ omnibus Episcopis esse Nicolai II. qui sub medium seculi XII. sedit, notavit Baluzius; neque eum posse adscribi Nicolao I. hinc manifestissime colligitur, quòd illic agatur de treuga & pace, quæ demum Nicolai II. ævo reperta, ætate Nicolai I. inaudita fuit.

Discrimen inter hæresim & schisma.

Parte quarta quæstionis ostenditur ex Hieronymo *Can.* 26. & 28. quid inter hæresim & schisma intersit, & unde propriè hæresis dicatur, atque inter cætera observat, quòd: „nullum schisma non aliquam si„bi

„ bi confingat hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessis-
„ se videatur."

Qui propriè dicendi hæretici.

Tum *parte quinta* inquirit, qui propriè dicuntur hæretici? ubi Canone 29. ex S. Augustino notat, quod, „ qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ sumptionis pepererunt..... quærunt autem cauta solicitudine veritatem corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, *at illi*, *qui* pravum sapiunt, si correpti, ut sanum certumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nollunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt," ut ex eodem Augustino ait *Can.* 31.

Intermiscet dein aliqua de hæreticis abjiciendis, & evitandis, ac inter cætera quædam sub nomine *Urbani* Papæ *Can.* 32. ex Epistola Urbani Papæ, quæ suspectæ fidei sunt, & *Can.* 35. tres Canones Concilii vulgò *Carthaginensis IV.* in unum conglomeratos.

De variis sectis hæreticorum eorumque dogmatibus.

Tandem *Canone* 39. refert singulatim omnes sectas hæreticorum ex S. Isidoro (qui seculo VII. vixit) breviter indigitans, unde singulæ sectæ nomen sumpserint; & quæ præcipua eorum fuerint falsa dogmata; circa quæ nonnulla adnotârunt Correctores Romani, & si quis accuratiorem earum desideret notitiam, consulet auctores, qui de singulis, aut earum saltem notioribus & famosioribus singulas historias scripserunt.

Quam ob causam Deus hæreses permittat.

Claudit Gratianus hanc quæstionem *sexta parte* prolato *Canone* 40. textu S. Augustini, quo ostendit, qua de causa Deus permittat variis temporibus varias hæreses oriri.

CAUSA VIGESIMA QUINTA.

„ EXpedito tractatu hæreticorum (ait Glossographus) subjungit Gratianus causam vigesimam „ quintam, in qua tractat de privilegio Romanæ Ecclesiæ."

Casus in hac causa propositus.

Thema sive casum hunc proponit Gratianus: „ Sancta Romana Ecclesia quandam baptismalem Ecclesiam suis munivit privilegiis, decimationes suæ „ Diœcesis ex integro sibi attribuens. Item quoddam „ Monasterium similiter munivit privilegiis propriis, „ decernens, ut ex propriis prædiis nulli decimas „ persolveret. Accidit itaque ut intra Diœcesim præ„ munitæ baptismalis Ecclesiæ præfatum Monasterium „ alia emptione, alia donatione prædia sibi inveniret. „ Oritur itaque contentio inter Monachos, & Cleri„ cos de decimis."

Ex hoc casu duas format quæstiones, quarum *prima* quærit „ An Clerici baptismalis Ecclesiæ, auctoritate privilegii decimas suæ Diœcesis ex integro si„ bi valeant vindicare."

QUÆSTIO I.

Juxta Decreta SS. Patrum quatuor sunt portiones decimarum.

PRima *parte* quæstionis negativam hinc probari arguit Gratianus: „ quia decimæ juxta decre„ ta SS. Patrum quadripartito dividuntur: quarum una pars Episcopis, secunda Clericis, tertia „ Fabricis restaurandis, quarta vero pauperibus est „ assignata. Decreta verò SS. Canonum, neminem magis, quàm *Apostolicum* servare oportet."

Sedes Apostolica præ cæteris decreta SS. PP. servat & exequitur.

Hinc arreptâ occasione, pluribus ostendere nititur, Sedem Apostolicam decreta Patrum, & Conciliorum servare, ipsaque etiam decreta Sedis Apostolicæ ab aliis esse servanda.

Profert ante omnia auctoritates, quibus ostendat, quod Sedes Apostolica præ reliquis exequatur decreta Conciliorum, & quo ipsa est sublimior, eo magis ipsi incumbit invigilare, ne decreta patrum violentur. „ Si quidem reatu majore delinquit, qui „ honore potiore perfruitur & graviora facit vitia „ peccatorum sublimitas peccantium" ut loquitur Hilarius Papa *Canone* 4.

Meritò legenda quæ ex Gelasio & S. Leone referuntur *Canone* 1. 2. & 3. meritòque legetur integra Epistola Leonis 83. *ad Anatolium*, cujus fragmentum refertur *Canone* 3.

Quin & *Canone* 5. sub nomine Damasi Papæ dicitur, blasphemos esse in Spiritum Sanctum, qui sacros Canones violant.

Romanus Pontifex,

Canone 6. sub nomine Urbani Papæ, non exprimendo, an primi an secundi: neque Correctores Romani notârunt, quin nec indicârunt unum alium Canonum collectorem, apud quem hoc decretum extet. Eruditi Pithæi hæc in titulo addiderunt: *fortè circa Annum* 190. *Romæ*, quibus insinuârunt, verisimilius esse Urbani Papæ II. qui sub id tempus Pontifex sedit, sed cui inscripta sit, aut ubi extet, non indicant.

etsi novas leges condere posit, tamen adversus statuta Patrum nihil valet.

Hoc decreto interim dicitur Romano Pontifici semper licuisse novas leges condere; sed hoc, ubi aperte „ Dominus, vel ejus Apostoli, & eos seqnentes SS. Patres sententialiter nihil definierunt," alias ubi id factum est, „ non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, usque ad animam, & sanguinem confirmare debet. Si „ enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, „ sed magis errare, convinceretur. Sed hoc procul „ sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra lu„ porum insidias optimè custodierunt."

In hoc decreto tametsi apocrypho, uti & in pluribus aliis, non obscurè supponit Gratianus possibilitatem errandi in Pontifice, quemadmodum sæpius notavimus.

Citat *Canone* 7. verba Zozimi Papæ, quibus declaratur quod, „ contra statuta Patrum, condere „ aliquid vel mutare nec hujus sedis (Apostolicæ) pos„ sit auctoritas. Apud nos enim (ait) inconvulsis ra„ dicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre „ reverentiam."

Hæc sumpta sunt ex Epistola Zozimi Papæ ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis II. quâ acriter invehitur in Proculum, qui indebitè videbatur sibi usurpâsse auctoritatem ordinandorum Sacerdotum in Narbonensi secunda.

Id olim sæpius agnoverunt ipsi Romani Pontifices.

Hanc Epistolam primus evulgavit Baronius & à Labbæo inserta est *tom.* 2. *Concil. General. col.* 1570. eamque se non vidisse fatentur Correctores Romani.

Huic dicto Zozimi apprimè consonat Hormisdas Papæ *Canone* 9. dicens: „ Prima salus est rectæ fidei „ regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus „ deviare." Congruunt & quæ referuntur *Canone* 14. 15. & 16.

Utque Pontifices suam de recta fide, & Patrum decretis servandis sententiam amplius manifestarent, solebant sub initium suæ ad Pontificatum assumptionis facere professionem fidei, eamque etiam ad alias Ecclesias, quin & ad Reges & Principes mittere, ut hîc Canone 10. exemplo Pelagii Papæ ostenditur, & pluribus adstruitur *tom.* 1. *probationum Libertatum Eccles. Gall. c.* 2. & latiùs deduximus in supplemento *ad partem Juris Eccles. tit.* 15. idque signanter ex libro diurno Romanorum Pontificum.

Intermiscet quoque Gratianus apochrypha nonnulla, puta *Canone* 11. ex Capitulis Hadriani (de quibus suprà cap. 1.) quo declaratur, quod *anathema apud Deum fiat, qui censuram Romanorum Pontificum violat*, ut habet titulus Canonis qui tamen nec cum ipso Capitulo congruit, ut intelligi potest ex notis Correctorum Romanorum.

Apocryphum quoque est quod *Canone* 12. adducitur sub nomine Damasi Papæ in Epistola Prospero Episcopo sive Stephano, ut alii legunt, quam suppositam esse agnoscunt eruditi.

Ex his igitur concludendum videbatur, quòd nec à Sede Apostolica contra statuta sacrorum Canonum privilegia concedi debeant. Vidit & id Gratianus, qui propterea ad calcem quæstionis longum discursum formatt, quo probare intendit, quòd „ sacrosancta Ro„ mana Ecclesia jus & auctoritatem sacris Canonibus „ impartiatur, sed non eis alligetur. Habet enim (ait) „ jus condendi Canones, utpotè quæ caput est & „ cardo omnium Ecclesiarum, à cujus regula nemini „ dissentire licet. Ita ergo Canonibus auctoritatem „ præstat, ut seipsam non subjiciat eis. Sed sicut Chris„ tus, qui legem dedit ipsam legem carnaliter imple„ vit, octava die circumcisus, quadragesimo die in „ templo cum hostiis præsentatus, ut in seipso eam „ sanctificaret, postea verò, ut se Dominum legis „ ostenderet, contra legis literam leprosum tangendo „ mundavit."

Deinde pluribus adhuc ostendit, quòd Christus se legi nonnunquam snbjecerit, ut legem impleret, & adimplendo hominibus exemplo præiret, sed tamen etiam se Dominum legis monstravit, atque hinc concludit: „ sic & summæ Sedis Pontifices Canonibus si„ ve à se, sive ab aliis sua auctoritate conditis reveren-

» tiam exhibent, & eis se humiliando ipsos custodiunt, » ut aliis observandos exhibeant, nonnumquam verò, » seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo » se decretorum dominos, & conditores esse osten- » dunt."

Hæc omninò ætatem Gratiani redolent, nec genuinis decretis, & Patrum sententiis antè relatis conveniunt, ut mirum non sit, nullum hîc à Gratiano sincerum & pristinæ ætatis Canonem referri, sed falsas, ac confictas decretales impendi.

Neque enim Romanus Pontifex dici potest Canonum dominus, uti eum vocat Gratianus; sed tantum executor, & fidelis dispensator.

Quis enim Patrum unquam dixit, aut quis Canon declaravit, Pontifices Romanos esse decretorum *dominos* æquè ac Christus homo se *Dominum legis* esse dixit?

Conceditur quidem, penes Pontificem esse auctoritatem dispensandi, quando necessitas aut utilitas Ecclesiæ id postulaverit, at eum dominum Canonum instituere, nec Patrum, nec Conciliorum placitis consonat: sicut nec illud pristinis Ecclesiæ decretis congruit, quod ibidem asserit: » in nonnullis Capitu- » lis Conciliorum, cùm aliquid observandum decerni- » tur, statim subinfertur, *nisi auctoritas Romanæ* » *Ecclesiæ aliter imperaverit, vel, salvo tamen in* » *omnibus jure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel, salva* » *tamen in omnibus Apostolica auctoritate.*" Imò nec dubito, si decretum similem clausulam continens venerandæ antiquitatis titulum præferat, hoc vel apocryphum, vel manu recentiore adulteratum reperietur.

Unde Claudius Fleury *in sua historia lib.* 70. *num.* 28. agens de Gratiano ejusque Decreto imprimis notat, quòd ubique faveat novis prætensionibus Curiæ Romanæ fundatis super falsis decretalibus.

Post hæc affert in exemplum summatim hunc Gratiani discursum & assertum; ac dein subjicit: » ita » loquitur Gratianus, sed è suo sensu, nullâ adduc- » tâ auctoritate, quâ doctrinam hactenus inauditam » probet. Et nihilominus (pergit hic Historicus) sub- » secuta secula receperunt, ejus verbo quasi con- » tenta."

Praxis hodierna Romanæ Curiæ videtur conformis sententiæ Gratiani.

Et sanè, si quis attenderit hodiernam Curiæ Romanæ praxim, in danda dispensatione ex levissimis causis, imò & sine causa, ex plenitudine potestatis Pontificiæ, facilè intelliget, eam novam & hactenus inauditam Gratiani doctrinam in Curia Romana videri receptam, atque Romanum Pontificem ibidem non reputari ut executorem & fidelem dispensatorem, sed verum *Dominum* sacrorum Canonum.

QUÆSTIO II.

Quæstio secunda à Gratiano supra è relato casu elicita est: » an subsequenti Privilegio Mona- » chorum derogetur antiquioribus privilegiis » baptismalium Ecclesiarum."

Privilegia Ecclesiarum inviolatè servanda.

Occasione hujus quæstionis congerit Gratianus plures Auctores, quibus probet, privilegia Monasteriorum vel quarumlibet Ecclesiarum inviolatè esse servanda, etiam à Romanis Pontificibus; item ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda: at more suo nonnullos apocryphos, nonnullos mutilatos Canones producit.

Et quidem *Canone* 1. apocryphum decretum ex fictitia decretali *Anacleti.*

Et *Canone* 2. fragmentum Epistolæ 78. S. Leonis ad Marcianum Augustum, additis his, *& Monasteriorum*, ac insuper nonnullis detractis, quæ ostendunt, hîc unicè agi contra Episcopum Constantinopolitanum, qui primum post Sedem Romanam locum prætendebat ante Alexandrinum, quod *Nicænis* Canonibus adversum prætendebat S. Leo; nullatenus autem spectat ad privilegia *Monasteriorum*, tunc necdum nota. Similiter ad conversationem Jurium Metropolitanorum per Canones Nicænos fixorum spectat Canon 5. ex Epistola 12. S. Leonis ad Anastasium. Item Canon 3. ex S. Gregorio, qui Jura Ecclesiæ Arelatensis integra servari vult.

Ad idem tendit, quod *Canone* 8. ex S. Gregorii *Epist.* 39. *lib.* 2. *ind.* 10. refertur, in qua apositè scribit hic S. Pontifex, quòd Ecclesiarum privilegia non sint lædenda, & Romanæ Ecclesiæ jura ita defendenda, ut singulis quibusque Ecclesiis sua jura serventur.

Instituto Gratiani magis congruit, quod ex eodem Greg. *Epist.* 116. *lib.* 7. refertur *Canone* 9. scribit enim solicitudinis curam adhibendam, ut ea, quæ pro quiete Monachorum religiosæque conversationis sunt ordinata, non perturbentur.

Exceptio Canone 9. addita, Gratiani non est, sed in ejus textum aliunde irrepsit.

Additur in fine hujus Canonis: *nisi fortè, ubi major est auctoritas*, quæ indubiè ad auctoritatem Sedis Apostolicæ respicit: at notant Correctores, quòd » exceptio hæc absit à plerisque vetustis, & » Anselmo, & Codicibus Gregorii impressis & ma- » nuscriptis." Quod & fusiùs notavit vir eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad hanc Epistolam.

Hinc firmatur, quod suprà notavi, similem clausulam redolere manum adultricem.

Notari meretur, quòd monent hîc Correctores Romani, quòd in uno exemplari Gratiani apposita esset dicta clausula tanquam *glossa*, quæ sensim in textum fortè incuriâ Typographorum irrepsit: quemadmodum in aliis frequenter contigisse adverterunt eruditiores, multisque erratis occasionem dedisse.

Nulla habenda sunt, quæ contra Canones fiunt.

Subjungit Gratianus nonnulla, præsertim ex titulo Codicis, de precibus Imperatori offerendis, quibus probet, quòd non tantùm nulla & infecta habenda sint, quæ contra leges & Canones gesta sunt, sed quod nec Juri contraria à Principe postulanda sint, rescriptaque similia à Principe impetrata, habenda esse ut subreptitia & obreptitia.

Rescripta contra jus aliena nullius sunt roboris.

Arreptâ hinc occasione, apposuit hîc Gratianus discursum de rescriptis, ostendens, quòd rescripta, sive sint annotationes, sive pragmaticæ sanctiones, expressam in se debeant habere conditionem, *si preces veritate nitantur*: deinde rescripta contra Jus elicita non valere, productis plerisque legibus contentis sub titulo Codicis, *si contra jus vel utilitatem publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum vel impetratum*: additis nonnullis ex titulo Codicis *de diversis rescriptis.*

Decreta Sedis Apostolicæ ab omnibus servanda.

Nonnulla dein addit, quibus evincat, decreta Sedis Apostolicæ esse ab omnibus servanda, adducto inter alia *Canone* 18. decreto Nicolai I. in Synodo Romana anni 863. in causa divortii Lotharii Imperatoris, qui repudiatâ legitima suâ uxore Teubergâ, superinduxerat Waltrudem pellicem suam.

In hac Synodo rescissa fuêre acta Synodi Metensis in eadem causa celebratæ, nec non excommunicati ac depositi Teutgandus Trevirensis, & Guntarius Agrippinensis Archiepiscopi, contra quos & præsens decretum dirigitur, eoque anathema pronuntiatur contra eos, qui decreta à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserint. De hac causa varii varia scripsêre, atque inter cæteros tractatum specialem scripsit Hincmarus Remensis, qui sub id tempus vivebat. Vide, quæ & de hac causa referuntur *tom.* 8. *Concil. General. columm...* & sequentibus, & auctores ibidem citatos.

Si tamen salubriter promulgata fuerint.

Notandum est diligenter, non decerni hoc canone, cuncta generaliter Præsulis Rom. decreta, mandata, &c. servanda esse, sed illa, quæ ab illo *salubriter promulgata* fuerint: quin & illud notandum, ipsum Nicolaum I. hujus canonis auctorem esse, qui tamen ex pseudo decretalibus Isidori deceptus, in multis novas nonnullas prærogativas Sedi Apostolicæ conatus fuit vindicare.

Privilegia Ecclesiarum non violanda probat Gratianus ex legibus.

Privilegia verò Ecclesiarum non esse violanda, potissimum probat Gratianus auctoritate legum ab Arcadio & Honorio Imperatoribus promulgatarum, quæ extant in Codice Theodosiano *lib.* 29. & 30. *de Episcopis & Clericis*, quibus firmantur & renovantur privilegia jam pridem ab Imperatoribus indulta Ecclesiis. Consuli poterit commentarius Jacobi Gothofredi ad has leges.

Quibusdam tamen casibus juxta Gratianum aut in totum, aut pro parte privilegia tolli possunt.

Cùm igitur privilegia singulis Ecclesiis sint servanda, & contra leges facta pro infectis habenda, videbatur consequens, quòd » posteriora privilegia an- » terioribus derogare non possint, nec eorum aucto- » ritate eis aliqua objici exceptio: cùm etiam, si con- » tra illa specialiter fierent, pro infectis essent ha- » benda. Respondit Gratianus, quod sancta Romana » Ecclesia suâ auctoritate congregata valet disjungere, » & disjuncta congregare, rationis tamen æquitate » consideratâ. Unde, ait, vel pietatis vel necessitatis » intuitu semel à se concessa valet vel in totum, vel » in partem commutare."

Deinde dicit, subinde ob *vitium personale*, tolli posse privilegium à persona sive personaliter: eo quòd privilegium amittere mereatur, *qui permissa sibi abutitur potestate.*

Hoc licèt verissimum sit, quæ tamen in probationem adducit aut apocrypha sunt, puta, *Canone* 22. sub

sub nomine Sylverii Papæ Epistola 22. quam ut *suppositititiam* rejicit Baronius aliique: aut non probant intentum, ut relatum sub nomine Simplicii Papæ *Canone* 23.

Denique ait, quòd generaliter aliqui mereantur privilegium amittere, » veluti dum civitati Episcopa- » lis dignitas perpetuò subtrahitur, quæ suos Episco- » pos interimere consuevit, prolato hanc in rem in » *Canone* 25. prolixo fragmento sub nomine Gelasii „ Papæ, ad quod videndæ variantes lectiones Pithœo- „ rum."

Concludens tandem Gratianus ait: » Serventur » ergo privilegia Ecclesiarum cunctis inconcussa tem- » poribus, ne videlicet præter ejus auctoritatem à quo » data sunt, contra ea liceat ire alicui. «

In Confessione privilegiorum monitum Gratiani merito attendendum.

Ac de privilegiis monasteriorum (de quibus quæstio primariò erat instituta) hoc sub finem quæstionis notandum monet, quòd, si privilegium circa decimas solvendas propter instantem temporis necessitatem concedi nequiverit, nisi aliis derogetur, » ita » privilegiorum auctoritas videatur esse servanda, ut » eorum (Monachorum) subveniatur inopiæ, ut non » suarum divitiarum augmento, & possessionum non » modica extensione porrecta, baptismales seu paro- » chiales Ecclesiæ penitus destruantur. « Hoc utinam hodiè attenderetur, non tot Ecclesiæ baptismales & parochiales, monasteriis affluentibus, egerent.

CAUSA VIGESIMA SEXTA.

De sortilegio.

ABsoluta causa vigesima-sexta incipit Gratianus tractare causa vigesima-sexta de sortilegio, nulla connexionis indicata occasione, quam nec Glossographus hîc divinare potuit.

Casus in hac causa propositus.

Proponit autem casum sequentem, ex quo sex quæstiones elicit: » Quidam Sacerdos sortilegus esse, » & divinus convincitur apud Episcopum: correp- » tus ab Episcopo noluit cessare: excommunicatur: » tandem agens in extremis, reconciliatur à quodam » Sacerdote, Episcopo inconsulto: indicitur sibi pœ- » nitentia sub quantitate temporis Canonibus præfixa."

QUÆSTIO I.

Qui sint Sortilegi.

PRima quæstione quærit, qui sint sortilegi? eamque uno Canone absolvit auctoritate Isidori Sortilegos asserentis: » Qui sub nomine fictæ » Religionis per quasdam, quas *Sanctorum sortes* vo- » cant, divinationis scientiam profitentur, aut qua- » rumcunque scripturarum inspectione, futura pro- » mittunt. «

QUÆSTIO II.

SEcunda quæstione quærit, » An sit peccatum, » esse sortilegum. «

Quædam adducuntur usui sortium faventia.

Prima parte proponit exempla ex sacro textu, tum veteri, tum novo, quæ videntur usum *sortium* probare, adducitque *Canone* 1. illud Augustini *in Psalmum* 30. » Sors non aliquid mali est, sed res » in dubitatione humana divinam indicens voluntа- » tem. «

Usus tamen ille jam prohibitus est.

Porrò *parte secunda* resolvit, quod licet sortibus nihil ex se mali insit, atque in veteri Testamento permitterentur, tamen » prohiberi fidelibus, ne sub hac » specie divinitatis ad antiquos Idololatriæ cultus re- » dirent. «

Ostendit dein *Canone* 2. auctoritate S. Hieronymi, & *Canone* 4. auctoritate venerabilis Bedæ, *non statim deberi sub exemplo Jonæ sortibus credere*, » vel illud » de actibus Apostolorum huic testimonio copulare, » ubi sorte in Apostolatum Mathias eligitur; cùm pri- » vilegia singulorum non possint legem facere com- » munem. " Addit Beda: » Si qui tamen necessitate » aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo » Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos » Apostolos non nisi collecto Fratrum cœtu, & preci- » bus ad Deum fusis egisse. «

Præsertim in electione ad dignitates ecclesiasticas.

Ob plura ex simili per sortes electione ad dignitates ecclesiasticas provenientia incommoda, illæ absolutè tandem vetitæ sunt, & in desuetudinem abierunt; de quo consulendi commentatores, ad titulum decretalium de sortilegiis.

Ostendit *Canone* 3. verbis S. Augustini, usum sortium non esse probandum: dicit enim Augustinus sibi displicere consuetudinem, quâ nonnulli *de pagi-*

nis Evangelicis sortes legunt, ad negotia secularia, & ad vitæ hujus vanitatem.

Sanctorum sortes quæ, & an licitæ.

Vocata sunt hæ *sortes Apostolorum* vel *Sanctorum*, quando scilicet ad libri sacri apertionem, vel ad *sacræ lectionis* auditionem, ex lectione inibi occurrente vaticinium futurorum captabatur; de quibus vide Christianum Lupum *tom. 2. scholiorum in Canones synodi VIII. pag.* 1458. *& sequentibus, cap.* 19. *de sortilegiis, num.* 7. & ibi citatos.

Enumerantur ab Augustino varia genera superstitionum.

Profertur *Canone* 6. prolixum fragmentum ex S. Augustino *lib. 2. de Doctrina Christ. cap.* 20. 21. 22. *&* 23. ubi varias istius ætatis superstitiosas observationes enumerat. Merentur legi integra capitula, quæ mutilata à Gratiano producuntur.

Ostendit & ibidem Augustinus, quòd non semel occulto Dei judicio permittantur evenire, ut istis superstitiosis, & perniciosis divinationum generibus multa præterita, & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicuntur, multaque observantibus secundum observantias suas eveniant; atque ita cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, & ut his implicati curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris.

Quod refertur *Canone* 7. sub nomine Augustini in libris de *Civitate Dei*, apud Augustinum non reperitur, sed haberi in libro Rabani de *Magorum præstigiis*, monent Correctores Romani: & quod habetur *Canone* 9. sub nomine *Hieronymi* esse Originis *homilia* 5. *ad cap.* 3. *Josue*, quibus superstitiosæ illæ observationes reprobantur.

Priusquam finiat quæstionem Gratianus, monet: » Sortilegia non usque adeò detestanda esse à Chris- » tiano, ut, si aliquid de arca vel torculari dæmonibus » fuerit immolatum, quod reliquum est, ideò cre- » datur immundum, aut si ipsum quod oblatum fue- » rat, nobis ignorantibus sumi contingerit, ideò cre- » damus nos deliquisse. «

Post hæc *Canone* 10. verbis S. Augustini & *Canone* 11. sub nomine Ambrosii; sed notant Pithæi esse *Hilarii Diaconi*, quod & probant eruditi Monachi Benedictini operum S. Ambrosii revisores, commentarios in Epistolas S. Pauli Ambrosio adjudicantes, & in appendicem *tom.* 2. rejicientes.

QUÆSTIONES III. ET IV.

De variis divinationum generibus eorumque origine.

TErtiam & quartam quæstionem conjungit Gratianus inquiens: „ A quibus genus divinitatis „ sumpserit exordium, vel quot sint genera ejus, „ Augustinus exponit."

Varia divinationum genera recitat, & unde singula nomen acceperint, exponit *Canone* 1. adducto prolixo fragmento sub nomine S. Augustini libro *de Natura*, seu potiùs *divinitate dæmonum*. Prima hujus fragmenti verba, ubi ex Varrone origo divinationum refertur, haberi apud Augustinum de *Civitate Dei libr.* 6. *cap.* 35. monent Correctores Romani: „ Reli- » qua vero capita (ajunt) sunt in libello Rabani de » *Magorum præstigiis*, quem ipse ex variis Augusti- » ni & Isidori locis collegit, & Gratianus sæpè ci- » tat sub Augustini nomine." Et apud Ivonem in Panormia *part.* 8. *cap.* 66. citatur ex dictis Augustini, & Isidori *cap.* 9. *lib.* 8. *Etymol.* in decreto autem Ivonis simpliciter ex dictis S. Augustini, uti & apud Burchardum *lib.* 10 *cap.* 43. ut ignoretur, unde suum, titulum hauserit Gratianus.

De natura dæmonum, eorumque vi ad cognoscendum futura.

Interim sat accurate multiplex genus divinationis hîc describitur. Post hæc *Canone* 2. prolatis prolixis segmentis ex citato libro S. Augustini, de *divinatione dæmonum*, *cap.* 3. 5. & 6. ostenditur, quæ sit natura dæmonum, & qua ratione futura prænoscere queant & qualiter videantur futura ad instar prophetarum prædicere, eaque prædictione homines fallant. Integer textus Augustini legi meretur.

Dixerat autem Augustinus citato cap. 5. (quod & refert Gratianus) „ Dæmones aliquando & hominum „ dispositiones, non solum voce prolatas, verùm etiam „ cogitatione conceptas, cum signa quædam ex ani- „ mo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdis- „ cere. "

Verùm posteà re attentiùs considerata visum est & ipsi Augustino, rem se dixisse *occultissimam audaciore asseveratione*, *quam debuisset*, ut ipse de se humiliter fatetur *lib.* 2. *Retract. cap.* 30. „ Nam, ait, „ pervenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla

„ etiam experimenta, compertum est, sed utrum sig-
„ na quædam dentur ex corpore cogitationum illis
„ sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spi-
„ ritali ista cognoscant, aut difficillimè potest ab ho-
„ minibus, aut omnino non potest inveniri.“ Textum
„ hunc recitat Gratianus *Canone* 3.

Hac Augustini auctoritate motus Gratianus, ait, „ Quod autem hominum dispositiones *cogitatione* „ conceptas, per exteriora signa diabolus deprehen-„ dat, non firma ratione videtur approbatum.“

QUÆSTIO V.

Qua pœna puniendi sortilegi, & divini.

Quæstione quinta probat Gratianus, quod sortilegi & divini, si cessare noluerint, sint excommunicandi: eo quòd sit genus quoddam *culturæ Idolorum* ex dæmonum consultationibus futura prædicere.

Variis id auctoritatibus confirmare vult Gratianus, profertque *Canone* 2. decretum Synodi Ancyranæ Canone 23. vide dicta in tractatu Historico-Canonico *part.* 2. *cap.* 1. §. 8. ad calcem Canonum Ancyranorum.

Canones ex versione Martini Bracarensis sæpe citat Gratianus sub nomine Martini Papæ.

Adducit *Canone* 3. decretum tanquam ex *Concilio Martini Papæ*, sed esse sumptum ex collectione *Martini Bracarensis*, monent Correctores Romani. Nosque sæpè notavimus, Gratianum solicitum esse, adscribere Concilio *Martini Papæ*, quæ huic collectioni tribuenda erant.

Præsens autem Canon conflatus est ex diversis dictæ collectionis capitulis, iisque inverso ordine positis, ita ut evidens sit, Gratianum hæc non ex ipsa Martini collectione, sed aliunde sumpsisse.

Præterea etiam quandoque annotavimus, à Gratiano non fuisse animadversum à Martino Bracarensi non fuisse édita, & promulgata *nova* decreta, sed duntaxat *antiqua*, eaque præcipue è synodis Græcis collecta, & per ordinem disposita esse.

Ex quo fit, ut quandoque his eundem Canonem recitet ex diversis versionibus

Hinc contingit, ut eundem Canonem, quem è versione Dionysii, aut Isidori retulerat, rursus referat ex versione, & collectione Martini Bracarensis, uti hîc contingit.

Canonem enim Ancyranum retulerat *Canone* 2. ex versione Dionysii exigui, & *Canone* 3. rursum eundem producit ex dicta collectione Martini.

Quæ utilitas ex diversis illis versionibus habeatur.

Hoc tamen ex diversis ejusdem Canonis habetur versionibus, quod nonnunquam se mutuò juvent, ut verus Canonis sensus habeatur, uti hîc præsens Canon Ancyranus exemplo esse potest.

In Canone enim ex versione Dionysii legitur, quod „ hi, qui divinationes expetunt... aut homines „ hujusmodi in domos suas introducunt exquirendi „ aliquid arte magica, *sub regula quinquenii jaceant.* “ Quæ verba quodammodo exponit, eorumque sensum aperit versio Martini Bracarensis, ea sic reddens: *quinque annis pœnitentiam agant*: quibus verbis sensum genuinum expressum esse notavit quoque Antonius Augustinus *lib.* 1. *Dial.* 10. *de emend. Grat.* „ Illud „ enim jacere duplex est, ait, alterum generale om-„ nium pœnitentium, alterum speciem notat gradus „ pœnitentiæ. Alii ante fores erant, alii extra fores... „ Alii manebant jacentes, alii erecti, sedneque offere-„ bant neque communionis sacræ erant participes. “

Capitula quæ hîc Gratianus unà cum Canone Ancyrano commiscuit, extant apud Ivonem in Decreto *part.* 11. *cap.* 40. 46. & 47. tanquam ex Concilio Bracarensi, & in margine notatur *cap.* 73. & 76. *Synod. Græcarum Martini Bracarensis Episcopi.*

Ut admodum verisimile sit, Ivonem hanc collectionem pro Concilio Bracarensi accepisse. Neque enim in aliquo Concilio Bracarensi reperiuntur.

Plura recitat Gratianus contra has artes magicas, ac præsertim contra Clericos has exercentes aut fovenies: refertque *Canone* 14. prolixum decretum sub nomine *Concilii Anquirensis*, vel ut apud Burchardum & Ivonem legitur, *Ancyrensis*, sed in Concilio Ancyrano Græco, aut Latino, sive impresso, sive manuscripto, non est inventum, inquiunt Correctores Romani. Neque huic Concilio tribui posse notavit Antonius Augustinus *lib.* 1. *de emend. Grat. Dial.* 14. primumque hujus falsæ inscriptionis auctorem fuisse Burchardum notavit Stephanus Baluzius ad Reginonem *pag.* 592. una indicans quæ errandi occasio Burchardo fuerit.

Interim in hoc decreto (quod Baluzius alicui capitulari inedito tribuendum auguratur) agitur de quibusdam sceleratis mulieribus, „ quæ dæmonum illu-„ sionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt, & „ profitentur se nocturnis horis cum Diana Dea Paga-„ norum, vel cum Herodiade, & innumera multitu-„ dine mulierum equitare super quasdam bestias, & „ multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio „ pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obe-„ dire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari.

De illusionibus quibus mulieres à dæmonibus decipiuntur.

Hæc esse mera deliramenta, & somnia à dæmone excitata solidè ibidem ostenditur; quæ meritò leguntur, cùm & hodiè non desint mulierculæ, quæ similibus incantationibus, & deliriis infatuantur, & à dæmone falluntur.

Notant autem post Antonium Augustinum Correctores Romani, ferè eadem haberi apud Augustinum *in libr. de Spiritu & Anima*, *cap.* 28. verùm adverterunt eruditi librum hunc Augustino tribui non posse, eumque in appendicem *tom.* 9. rejecerunt Benedictini, quorum monitio ad lectorem huic operi præfixa *pag.* 34. dictæ appendicis videri poterit.

De maleficiis per res sacras, ipsumque missæ Sacrificium.

Profett insuper Gratianus *Canone* 13. decretum sub nomine Concilii Toletani XIII. contra quosdam Sacerdotes, *qui* (ut loquitur Concilium) „ obstinatæ „ mentis dolositate confusi, cum aliqua eos molestia „ fraternorum jurgiorum pupugerit, insana illicò te-„ meritate abrepti, Altaria nudantes sacratis vestibus „ exuunt, luminaria subtrahunt, ac divinorum sacri-„ ficiorum cultum, malitia intercedente, subducunt. „ Et quod in hominibus se vindicare non possunt, „ injuriam Deo (quod pejus est) inferunt. “ Integer contextus Concilii *Canone* 7. meritò legendus, quem truncatum retulit Gratianus, sensum tamen expræssis his verbis Canoni præfixis: „ Nonnulli inveniuntur, „ qui interno livore permoti, in perniciem suorum „ inimicorum Altaria sacris vestibus exuunt, aut ves-„ te lugubri accingunt, vel consueta luminariorum „ obsequia Ecclesiis Dei subtrahunt. “

Quod autem additur contra Sacerdotes, „ qui sau-„ ciati inimicitiæ dolo Missam pro defunctorum re-„ quie promulgatam fallaci voto pro vivis student „ celebrare, non ob aliud, nisi ut is, pro quo ipsum „ offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis in-„ terventu mortis incurrat periculum, “ non reperitur in Concilio Toletano XIII. sed extat in Concilio Toletano XVII. Canone 5. qui merito integer legitur: Gratianus enim nonnulla omisit.

Incantationum varia species.

Tandem quæstionem hanc concludit Gratianus notabili fragmento, quod sub nomine S. Augustini recitat, sed revera sumptum esse ex libello Rabani de *Magorum præstigiis*, monent Correctores Romani, quamvis plura ibidem relata extent apud Augustinum, è quo à Rabano descripta fuerunt, eaque annotant, designatis locis Augustini Correctores Romani.

Multa notanda circa magicas has incantationes, earumque diversas species ibi occurrunt, & quare eas facere, atque per eas illud hominibus à dæmonibus Deus permittat, ex Augustino exponitur.

In themate seu casu à Gratiano sub initium hujus causæ proposito dicebatur, quod „ Sacerdos, de quo „ in casu, esset ab Episcopo *excommunicatus*, quod-„ que tandem agens in extremis, reconciliatus fuisset „ à quodam Sacerdote, inconsulto Episcopo.

QUÆSTIO VI.

HAc occasiane quærit Gratianus, *quæstione sexta* „ An excommunicatus ab Episcopo possit re-„ conciliari à Presbytero, illo inconsulto? “

Pœnitentium reconciliatio ad Episcopos pertinet.

Itaque primò ostendit Gratianus, reconciliare pœnitentes, Episcopalis officii esse, non sacerdotalis; adducto eam in rem *Canone* 1. decreto Concilii Carthaginensis I. quo placuit, *reconciliare quemquam in publica Missa Presbytero non licere.*

Et *Canone* 3. refert ex Concilio Agathensi, „ Bene-„ dictionem quoque super plebem in Ecclesia fundere „ aut *pœnitentem* in Ecclesia benedicere Presbytero „ penitùs non licebit. “

De reconciliatione publica id intelligendum esset monet Gratianus.

Ad calcem hujus Canonis 3. ita concludit Gratianus: „ Ecce quod ab Episcopo excommunicatus, „ per Sacerdotem reconciliari non potest. Sed notan-„ dum est, ait, quòd reconciliatio alia est *publica*, alia „ *privata*: publica reconciliatio est, quando pœni-„ tentes ante *Ecclesiæ ingressum* publicè representan-„ tur, & per impositionem manus Episcopalis, Ecclesiæ „ publicè reconciliantur; hæc Sacerdotibus videtur esse „ pro-

» prohibita. Unde circa finem illius capituli, non simpliciter prohibentur pœnitentes reconciliare, sed in » publica Missa; *privata* verò *reconciliatio est*, quando » de occultis peccatis pœnitentes, vel in extremis agentes ad gratiam reconciliationis accedunt. Hæc re» conciliatio potest fieri per Sacerdotem."

Quod hîc de publica, & privata pœnitentium reconciliatione asserit Gratianus, præsertim urgente necessitate, Canoni Carthaginensi & pristinæ disciplinæ consentaneum apparet; probatque vir avitæ disciplinæ diligens investigator Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in notis ad citatum Canonem dicens: » Canon addit, *in Missa publica*, quod per Sacerdo» tes pœnitens extra septa Ecclesiæ *urgente necessi» tate*, in gratiam redire possit, ut plurima Cano» nonum testimonia clarè probant." Notatque insuper, quod privata hæc reconciliatio *extra septa Ecclesiæ*, quæ urgente necessitate Presbytero permittebatur, spectaret duntaxat simplicem absolutionem; non autem reconciliationem perfectam in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

Opinio Gratiani de reconciliatione privata ob peccata occulta non est conformis veteri disciplinæ.

Quod autem Gratianus generatim potestatem faciat presbyteris privatam reconciliationem impertiendi, etiam *extra necessitatem*, quando de *occultis* peccatis agitur, nec Canoni, nec ætatis illius disciplinæ congruit; sed ex sui temporis moribus antiquos mores metiendo, de suo Gratianus addidit.

Decretum autem, quod in probationem adducit nomine *Evaristi Papæ*, huic Pontifici nequaquam adscribi posse, sed manu recentiore ei affictum esse fatentur eruditi.

Pœnitenti moribundo non est neganda reconciliatio.

Post hæc pluribus Canonibus, præsertim Carthaginensibus, & Nicænis, probat Gratianus beneficium reconciliationis non esse pœnitenti *moribundo* negandum: ita tamen, ut, si ex morbo convaluerit, tempus pœnitentiæ, quod superat absolvendum, absolvat. Quin & additur Canone XI. ex Synodo Epaunensi, quod, si „ aliquis excommunicatus fuerit mor» tuus, qui jam sit confessus, & testimonium habeat » bonum, & potuerit venire ad Sacerdotem, ut re» conciliaretur, sed præoccupaverit eum mors in do» mo, aut in via; faciant pro eo Parentes ejus obla» tionem ad Altare, & dent redemptionem pro pec» catis."

Hanc fuisse Ecclesiæ Gallicanæ, & plurium aliarum disciplinam, contrariam disciplinæ Ecclesiæ Romanæ, supra notavimus.

Juxta Canonem Carthaginensem hic relatum Presbyter pœnitentem moribundum reconciliare non potest, nisi consulto Episcopo.

Multum torquet Gratianum, quòd in citato Canone Carthaginensi, quem retulit *Can.* 5. dicatur quòd Presbyter pœnitentem in periculo mortis constitutum reconciliare *non possit*, nisi priùs consulerit Episcopum, si hic absens fuerit: quid igitur (ait Gratianus) » si necessitate mortis peccator urgetur, & Episco» pus ita remotus est, ut Presbyter eum consulere » non possit, negabitur pœnitentia morienti, & be» neficium reconciliationis non præstabitur pœnitenti, » quem conversum Deus recipit ad veniam?" Plura ibidem adducens quæ ostendunt, veniam peccatoribus, præsertim in periculo mortis eam postulantibus, nunquam ab Ecclesia negari: adductis quoque *Canone* 12. decreto sub nomine Julii Papæ, sed apocrypho, quo Presbyter, *qui pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus Animarum declaratur*, & Canone 13. decreto Cœlestini Papæ, ubi hic Pontifex scribit, „ se » horrere tantæ impietatis aliquem inveniri, qui pœ» nitentiam morientibus denegaret, nec illorum de» sideriis annueret, *qui obitus sui tempore* hoc animæ » suæ cupiunt remedio subveniri."

His relatis concludit Gratianus: „ cui autem pœ» nitentia non negatur, nec reconciliatio sibi denegan» da est: inconsulto ergo Episcopo pœnitentem Pres» byter reconciliare non debet, nisi ultima necessitas » cogat." Hoc probat *Can.* 14. auctoritate Concilii Carthaginensis III. quo decernitur: „ Presbyter in» consulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, ni» si absente Episcopo ultima necessitas cogat."

Hinc concludendum apparuit Gratiano, suprà citatum Canonem Carthaginensem debere intelligi duntaxat de casu, quo *absens* Episcopus consuli potest, *si necessitas non urgeat*, eum priùs absolvi non debere, quàm Episcopus consulatur.

Canonem illum male intelligit Gratianus ex ignorantia pristinæ disciplinæ.

Verum minimè advertit Gratianus priorem Canonem Carthaginensem non loqui de simplici necessaria pœnitentis reconciliatione, (de qua alii adducti Canones loquuntur) sed de *perfectissima*, qua pœnitens etiam sacræ & Eucharisticæ communionis particeps reddebatur: quod innuitur per hæc Canonis verba: *si reconciliare divinis altaribus petierit*: quam nec *necessitate* cogente pœnitentibus Presbyter, *inconsulto* Episcopo, impartiri poterat, uti advertit & notat Albaspinæus.

Hîc habemus, uti & in multis accidit, Gratianum à vero sensu Canonum deviàsse ex ignorantia pristinæ Patrum disciplinæ.

QUÆSTIO VII.

CUm in casu à Gratiano sub initium causæ proposito supponeretur, quod sacerdoti *in extremis* agenti indicta esset pœnitentia sub quantitate temporis Canonibus præfixa, quærit *septimo*, „ si morien„ tibus indicenda est pœnitentia sub quantitate tem„ poris."

Pro resolutione hujus quæstionis profert *Canone* 1. decretum sub nomine Theodori Cantuariensis Archiepiscopi in suo Pœnitentiali: ex quo & illud referunt Burchardus *lib.* 18. *cap.* 14. & Ivo *part.* 15. *cap.* 16.

Pœnitentia peccatis proportionata moribundis proponenda.

In hoc decreto dicitur, „ quod ab infirmis in *pe» riculo mortis* positis per Presbyteros pura inquirenda » sit confessio peccatorum, non tamen illis imponen» da quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda: & cum » amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis, » pondus pœnitentiæ sublevandum, & si forte mi» graverint, ne obligati à communione, vel consor» tio veniæ fiant alieni."

Et si convaluerint eis imponenda.

Præterea decernitur, si à morbo convaluerit infirmus, „ pœnitentiæ modum à Sacerdote (vel suo » Confessore) sibi impositum diligenter observet."

Denique, ut „ orationibus, & consolationibus » ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti (seu ani» mati) secundum statuta Sanctorum Patrum commu» nione viatici reficiantur."

Si hoc decretum genuinus sit Theodori Cantuariensis fœtus, ex illo docemur, seculo VII. moris fuisse, ut etiam moribundis pœnitentia canonica peccatis conveniens proponeretur, eamque si à morbo convaluissent, ab ipsis adimpleri debuisse; quemadmodum de pœnitentibus, qui nondum pœnitentiæ casu expleto, ob instans mortis periculum, reconciliati fuissent, pluribus Canonibus jam pridem ordinatum erat.

Olim infirmis conferebatur extrema unctio ante viaticum.

Prætereà decretum illud evidenter supponit, ætate sua, unctionem olei infirmis impensam fuisse ante susceptionem viatici; quam disciplinam usque ad ultima secula constanter conservatam esse notavimus in *Jure eccles. part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 2.

Decretum hoc in pœnitentiali Theodori Cantuariensis evulgato per Jacobum Petitum non reperi, neque inter capitula Theodori edita à Luca d' Acherio tomo 9. Spicilegii; & per Labbæum translata in appendicem *tomi IV. Concil. General. col.* 1875. at dictus Petitus inter fragmenta ex quibusdam Codicibus Ms. collecta refert *pag.* 81. hoc decretum ex Pœnitentiali magistri Bartholomæi Oxoniensis Episcopi; sed cujus ætatis, aut auctoritatis sit hoc Pœnitentiale, non dicit: additur autem ex dicto Pœnitentiali: » si peccatum mortale fuerit, sed occultum, inno» tescenda eis pœnitentia, quæ imponeretur, si pec» catum publicum esset, sed nulla sunt imponenda, » quæ observari absque peccati publicatione non pos» sunt, quale est extra Ecclesiam pœnitere & similia, » quæ non nisi Laicis, & publicè peccantibus sunt » injungenda. Ex hoc verò intelligant, ad quid tenean» tur, vel quantum eis parcatur, eo quòd per se» cretam confessionem facti sunt ipsorum primi ac» cusatores: & ut pro erubescentia, quam sustinerent » in publica pœnitentia, abundatiorem cordis contri» tionem, & devotionem cum charitatis operibus re» compensent."

Peccatori occulto proponenda est pœnitentia, quæ publico imponi deberet.

Hinc habetur, quòd ætate hujus pœnitentialis adhuc publica, & canonica pœnitentia imponeretur pro peccatis publicis, eandemque peccatoribus occultis fuisse propositam, quòd meritò & hodierni confessari imitabuntur.

Fatendum tamen est, hæc non præferre, aut sapere ætatem Theodori, sed recentioris esse disciplinæ; cum ætate Theodori, id est, seculo VII. etiam pro peccatis *occultis* pœnitentia publica imponeretur, uti ex Morino ostendi *in Jure Ecclesiast. part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 2.

Pœnitentia criminum

Deinde *parte secunda* quæstionis ostendit Gratianus, quod pro qualitate criminum præsidentium arbi-

num qualitati sine personarum acceptione attemperanda est.

bitrio tempora pœnitentiæ decernenda sint.

Probat Gratianus assertum suum *Can.* 2. auctoritate S. Leonis in Epistola ad Nicætam Episcopum cap. 6. & *Can.* 4. ex Synodo Laodicena Canone II.

Adducit *Can.* 3. decretum sub nomine *Nicolai Papæ*, quod sub titulo de *pœnitentia num.* 2. inter decreta à Gratiano Nicolao I. adscripta retulit Cochlæus, & *incertum* esse asserit Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emend. Gratian. Dial.* 18.

Profert *Canone* 6. decretum sub nomine *Concilii Carthaginensis IV. cap.* 74. ex septem Canonibus hodie in dicto Concilio extantibus conflatum, sed inverso planè ordine. Credunt nonnulli hæc à Gratiano, aut aliquo Canonum collectore, è quo Gratianus sua descripsit, decerpta esse ex aliquo pœnitentiali, in quo verisimiliter ea reperiebantur continua serie descripta: neque enim ad sic referenda & in unum conflata materia capitis compellebat, quandoquidem duntaxat probare vellet sine acceptatione personarum implorantí pœnitentiam dandam esse: ad quod probandum solus Canon 74. subservire poterat, reliquis huic rei nullatenus convenientibus: adeoque non alia ratione in unum compacti apparent, nisi quod omnes ita subnexos repererit Gratianus.

Citat *Canone* 7. decretum sub nomine *Synodæ VIII.* „ notant autem Correctores Romani, videri posse sumptum ex regulis brevioribus B. Basilii *cap.* 106. quod notatum alibi est (inquiunt) evenire in iis capitibus quæ ex VIII. synodo citantur, uti & hic *Canone* 8. 9. 10. & 11."

Cæterum conclusio Gratiani de attemperanda pœnitentia pro gravitate criminum, & dispositione pœnitentium, sacris Canonibus conformis est, eamque probavit Synodus Tridentina *sess.* 14. *c.* 8. *de Sacrant. Pœnit.* monens Sacerdotes, quòd „ debeant, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: ne si forte peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur."

Quo affectu pœnitentes suscipiendi & impœnitentes abjiciendi.

Deinde *Canone* 9. 10. & 11. probare vult Gratianus, quo affectu pœnitentem suscipere, & impenitentem adjicere debeamus, nimirum *affectu intimo charitatis.*

Profert autem hos Canones, uti & septimum & octavum sub nomine Synodi VIII. sed nullus eorum inter Canones hujus Synodi reperitur, videnturque potius ex dictis S. Basilii excerpti, uti ex Correctoribus Romanis suprà notavi, quibus addi potest Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emend. Grat. Dial.* 9. idipsum observans.

De variis superstitionibus Gentilium à Christanis vitandis.

Denique Gratianus saltem in fine suæ causæ volens materiam præcipuam sibi initio propositam attingere, à Canone 13. usque ad finem agit contra varias, ac superstitiosas Gentilium observationes, quas à Christianis vitandas ostendit.

De superstitiosa Calendarum observatione.

Et quidem *Canone* 13. ex Martino Bracarensi refertur, quòd „ non liceat observationes iniquas agere calendarum, & otiis vacare Gentilibus, neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos: omnis enim hæc observantia paganismi est."

Unde hæc sumpserit Martinus, nescio, citat quidem Doujatius tanquam hujus capituli fontem Canonem 39. Laodicænum, sed nihil ibi de observatione *Calendarum* aut *lauro*, & *viriditate arborum.*

Addit & Concilium Turonense II. Canone 22. quod cultus *Calendarum Januarii* quidem meminit, qui & reprobatur; at reliquorum nulla ibi mentio fit.

Hoc constat, publica, & superstitiosa lætitiæ signa ipsis calendis primum à Gentilibus, dein à Christianis fuisse exhibita; quæ & indecoris choreis, aliisque vanis & superstitiosis observantiis fœdebantur, uti pluribus ostendit du Cange in suo glossario latinitatis, verbo, *Calendæ*, & verbo *Cervulus*

Cùm autem verisimile sit, diversa pro varietate locorum, & populorum adhibita fuisse vana, & superstitiosa lætitiæ signa, quidni dicamus, quod Martinus Bracarensis Canonem, quo *Calendarum* observantiæ proscribebantur, accommodaverit gentis suæ moribus addendo, quæ ibidem usitata erant? Quod ipsi familiare fuisse pluribus ostendi potest.

Ejusdem festivitatis Calendarum Januariarum meminit & Canon 14. sub nomine Zachariæ Papæ in Concilio Romano *cap.* 9. ubi & aliarum observationum, quæ eisdem Calendis exhibebantur, mentio occurrit, atque inter cætera prohibetur quis *Brumam ritu Paganorum colere.*

Notat Antonius Augustinus, quod Canone 62. *Synodi VI. in Trullo*, *Brumalia* prohibeantur, eaque videantur esse à *Bruma* dicta. Incidere autem *Bruma* solebat saturnalibus diebus, non longè à Calendis Januariis: unde apparet, Brumam coincidisse quodammodo cum Calendis Januariis, unde Canon hic dicit: *Si quis Calendas Januarias & Brumam ritu Paganorum colere præsumpserit.* Vide Tractatum historico Canonicum *part.* 3. *cap.* 3. §. 7. *ad citatum Canon.* 62. *Synodi VI.*

De magicarum artium inefficacia.

Docet *Canone* 15. Gratianus, magicas artes & incantationes nec morbis hominum, aut morbidis animalibus quidquam remedii posse adferre. Citatur hic Canon sub nomine S. Augustini, sed verba apud ipsum non reperiri monent Correctores Romani, qui unà judicant loca unde desumpta apparent.

Dies Ægyptiaci qui.

Rursus *Canone* 16. sub nomine Augustini (sed penès quem rursus non reperitur) interdicitur observatio *Calendarum Januarii*, quibus adduntur *dies*, qui dicuntur *Ægyptiaci.*

De his diebus varii varia scripserunt, uti videre est apud du Cange in glossario latinitatis verbo *Dies Ægyptiaci*, apparetque sat verisimile, quod scribit Durandus in rationali *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 201. hos dies dici *Ægyptiacos*, qui ab Ægyptis sunt inventi. „ In Ægypto enim (ait) erant quidam Astrologi, qui quasdam constellationes nocivas humanis actibus in illis diebus invenerunt, ideoque illas notas hominibus esse voluerunt. Tamen illarum constellationum puncta scire propter errorem nostri computi non valemus, vel fortè invenerunt dies benè constellatos, & ideò eos in Calendario notaverunt, ut in illis diebus potiùs, quàm in aliis, actibus insistatur, quorum errorem, ne Ecclesia sequi videatur à talibus cavetur abstineri."

De originе strenarum.

Describuntur & in eodem hoc Canone inhonestæ, & superstitiosæ observationes, quæ Calendis Januariis fieri solebant, atque inter alia scribitur: *Et ad invicem dona donantur, quasi in principio anni*, boni fati augurio: quod hinc ad Christianos dimanaverit mos Calendis Januarii strenas donandi, aut mittendi, admodum verisimile est. Hic mos cum nihil videatur superstitionis continere, meritò retinetur, quemadmodum & alia plura Religio Christiana à Gentilibus accepta, rejecta eorum superstitione, religiosissimè retinet, & etiam inter ecclesiasticas cæremonias recepit, uti in *Jure Eccl.* sparsim notavi, & signanter *part.* 2. *tit.* 38. *cap.* 1.

De superstitiosa observatione dierum annorum, &c.

Eodem Canone, uti & *Canone* 17. ex S. Augustino ostenditur, superstitiosum & enorme peccatum esse, observare dies, & annos, aut Lunæ, Solisque cursum: variæque, & aliæ superstitiosæ observationes describuntur.

CAUSA VIGESIMA SEPTIMA.

De matrimonio hic agit Gratianus, & cur.

„ Glossographus ad initium hujus causæ ait: Tractato de negotiis & ministeriis ecclesiasticis, adjungit de Sacramentis. Primò de Matrimonio, licèt alia sint digniora & magis necessaria, & hoc ideo, cum matrimonium magnum sit in Christo & Ecclesia Sacramentum, & tempore antiquius est, & usu communius. Antiquius, quia ante peccatum institutum est; communius, quia, cum Sacramenta omnia sint in Ecclesia Dei, hoc tamen apud gentes omnes est, sanctitas autem ejus non est, nisi in monte sancto ejus, id est, ubi Ecclesia ædificata est."

„ Et quia de matrimonio (pergit Glossographus) sæpè quæritur in Judicio; ideò assignando multiplicia ejus impedimenta tractaturus de eo continuat decem causas (Gratianus)."

Unde hic Tractatus à causa vigesima septima usque ad causam trigesimam sextam vocari solet *tractatus de matrimonio.*

QUÆSTIO I.

De impedimento voti.

INcipit autem Gratianus ab impedimento voti; quæritque primò: „ An conjugium possit esse inter voventes."

Votum castitatis im-

Quòd voventes matrimonia contrahere non possint, multis auctoritatibus ostendere nititur parte prima

impedit matrimonium. ma suæ quæstionis, quæ demum finitur ad Canonem 40.

De duplici specie virginum scilicet, velatarum & non velatarum. Neque sanè desunt auctoritates, quibus evincatur, post votum virginitatis nemini licere, voto durante, ad matrimonium convolare.

Illud tamen è multis patet, jam pridem discrimen fuisse inter eas, quæ simpliciter virginitatem Deo promiserant, & eas quæ publicè se Deo sacraverant, & ab Episcopo velamen, ut indicium suæ consecrationis acceperant.

Illis gravior, quam his imponebatur pœnitentia, ei votum violassent. Et his quidem major, diuturniorque pœnitentia, si votum violàssent, imponebatur, quàm illis, uti probat *Canone* 2. qui refertur sub nomine Gregorii ad Bonifacium, extatque apud Reginonem, itemque apud Burchardum & Ivonem, ex quo indubiè illud descripsit Gratianus, neque apud Gregorium reperitur.

Quidquid sit, in hoc manifestissimè indicatur distinctio inter virgines velatas, & non velatas, circa pœnitentias illis injungendas, si à voto recedant.

Et sanè hæc velatio arctiore quasi vinculo virginem Deo consecrabat, & Christo quasi desponsabat; unde non nisi post diuturnam virginitatis probationem velabantur: quin & quibusdam Canonibus cautum fuit, ne qua ante *quadragessimum* ætatis annum velaretur, uti notat Hugo Menardus ad *Sacram. S. Gregorii*, *pag.* 21.

Distinctio inter velatas & non velatas expressis terminis probatur quoque ab Innocentio I. *Epist.* 2. *ad Victricium*, *cap.* 12. & 13. & à Gratiano refertur utriusque capitis textus *Canone* 9. & 10. monetque Glossographus ad Canonem 9. quòd virgines necdum sacro velamine tectæ, & votum solventes, minùs peccent, quàm velatæ.

De viduis continentiam promittentibus. Nec tantùm de puellis virginitatem promittentibus, sed & de viduis, mortuis, maritis, continentiam pollicentibus tractat Gratianus, earumque mentio etiam occurrit in citato Canone 2. refertque *Canone* 8. decretum sub nomine Concilii Martini Papæ, qua inscriptione indicatur collectio Martini Bracarensis, quæ inscriptio falsa est, cùm Canon hic sit c. 25. Concilii Triburiensis de anno 895. uti etiam monent Correctores Romani.

Viduæ velari prohibebantur. „ Viduas autem velare, (*inquit hic Canon*) Pontifi„ cum nullus attentet, prout statutum est in decre„ tis Gelasii Papæ, *cap.* 13.“

Deinde adjicitur ex ejusdem Papæ decretis cap. 21. *Quòd si propria fuerit voluntate continentiam professa, ejus intentio pro se reddat rationem Deo.* At in decretis ita legitur: „ Nam de viduis sub nulla bene„ dictione velandis, superiùs latè duximus disseren„ dum; quæ, si proprià voluntate professam pristini „ conjugii castitatem mutabili mente calcaverint, pe„ riculi earum interierit, quali debeant Deum satis„ factione placare.“

Post hæc ex dicto Concilio Triburiensi subjicitur: „ Nos autem auctoritate Patrum suffulti, in hoc sanc„ to Concilio sancimus, & liberè indicamus, si spon„ te velamen, quamvis non consecratum, sibi impo„ suerit, & in Ecclesia inter velatas Deo oblationem „ obtulerit, velit, nolit, sanctimoniæ habitum ulteriùs „ habere debet, licèt Sacramento confirmare velit, eo „ tenore, & ratione sibi velamen imposuisse, ut ite„ rum posset deponere.“

Quod Triburiense, aliudve ejusdem aut recentioris ætatis Concilium decernit de viduis, velamen, quamvis *non consecratum*, sibi imponentibus, non apparet pristinis Canonibus, aut decretis Gelasii Papæ satis conforme. Olim enim solæ *Virgines* ab Episcopis *velatæ* leguntur; hinc plures sunt de velandis virginibus Patrum tractatus, sed nullibi viduarum velatarum mentio occurrit.

Quæ velationis virginum origo. Virginum velatio originem habuisse videtur ex ritu antiquo apud plerasque Gentes, etiam non Christianas, recepto, quo novis nuptis flamen seu velamen imponebatur, quo faciem velarent: ut, quemadmodum his imponebatur velamen in signum contracti *carnalis* matrimonii, ita verisimiliter invaluit, ut mulieribus in publica continentiæ professione velamen imponatur in signum contracti *spiritualis* cum Christo matrimonii.

Cur virgines potiùs, quam viduæ velatæ. Quòd solæ Virgines, non viduæ velarentur, ratio ex Apostolo, in secunda ad *Corinth.* 11. sumpta apparet, ubi dicit: *Despondi enim vos uni Viro Virginem castam exhibere Christo.*

Hinc enim concludendum apparebat non posse propriè dici *desponderi* Christo ut *Virginem* castam, quæ alteri viro fuerat juncta.

Alia postea inter virgines & viduas data distinctio & cur. Labentibus Seculis, cùm sensim vera velationis origo, & ratio in oblivionem abiit, creditum apparet, quòd omnis inter consecrationem virginum & viduarum distinctio esset penes solemnem Episcopi, aut Sacerdotis benedictionem, adeò, ut hæc solemnis benedictio solis virginibus imponeretur, hæque solæ velamen ab Episcopo *benedictum* acciperent; viduæ verò sine illa *solemni benedictione* sibi velamen etiam *non consecratum* imponerent, & continentiam profiterentur, ad exemplum ejus, quod in nuptiis carnalibus contigit.

Scitur enim, secundas nuptias, præsertim dum tales sunt ex parte mulieris, solemni benedictione Sacerdotis carere: quidni ergo similitudine quadam rationis hinc accepta, viduæ spiritualiter nubenti cum Christo eadem benedictio negata?

Tandem in professione virginum & viduarum omnis distinctio sublata est. Tandem labentibus seculis, veteri Patrum disciplina quasi oblivioni tradita, & velatione ac professione puellarum & viduarum ad simplices Presbyteros devoluta, omnis inter virginum & viduarum professionem differentia evanuit, eodemque modo solemnem professionem emittunt, & velum religionis, si eas solemnem in religione professionem emittere contingat, recipiunt.

Exemplum tacitæ professionis. Quod verò eodem Canone ex Concilio Triburiensi additur, quòd vidua, quæ sponte sibi velamen *non consecratum* imposuit, & in Ecclesia inter velatas oblationem obtulerit, debeat etiam, velit, nolit, sanctimoniæ habitum retinere, evidenter *tacitæ* professionis, cujus in Decretalibus frequens mentio occurrit, exemplum est.

Verùm hanc tacitam professionem ab usu recessisse scitur.

Quibus pœnis puniendæ violatio voti & professionis continentiæ. Variæ pœnæ decernuntur in virgines, aliasque, quæ continentiæ professionem vitio carnis violaverint.

Primò à fidelium communione, & cœtu excluduntur, quin & recludi jubentur, præsertim viduæ, ut habet Canon 2. Item Monachi, aut Monachæ, ut habetur in Canone 11. ex Concilio Triburiensi, de quibus ita statuitur: „ Monachos, atque Monachas, „ quæ abjecto proposito sanctitatis, illicita, atque sa„ crilega contagione se miscuerunt, & in abruptum „ conscientiæ desperatione perductæ, de illicitis com„ plexibus liberè filios procreârunt, à Monasteriorum „ cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas es„ se mandamus, quatenus retrusæ in suis ergastulis, „ tantum facinus lamentatione continua deflentes, pu„ rificatorio possint igne pœnitudinis decoqui, ut eis „ vel ad mortem, solius misericordiæ intuitu, per „ communionis gratiam possit subveniri.“

Quæ pœna puniendus, qui sacratum virginem ducit. Nec tantùm mulieres continentiam professæ, ac deinde nubentes, excomunicantur, sed etiam ille, qui sacro velamine consecratam in conjugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera, sacrilegiaque miscuerint, *à sacra communione detrudi jubentur, & nisi per publicam, probatamque pœnitentiam omninò non recipi. Si tamen dignè pœnituerint, transeuntibus de Seculo viaticum non negetur.*

Et rursus *Canone* 30. ex Novella Justiniani 124. *cap.* 64. decernitur „ ut, si quis rapuerit, vel solici„ taverit, vel corruperit *Ascetriam*, vel *Diaconissam*, „ vel *Monacham*, vel aliam Mulierem, religiosam vi„ tam, vel habitum habentem, bona ipsius & eorum, „ qui hujusmodi sceleris communione contaminati „ sunt, Ecclesiæ vindicentur, ipsi autem *capituli pe„ riculo* subjiciantur.“

Porrò notandum, non eandem ubique, aut omni tempore circa hæc fuisse disciplinam, ideoque loca & tempora, quibus Canones editi fuerint, aut eorum auctores floruerunt, diligenter distinguenda esse.

Insuper observandum, in præsenti quæstione, plurimos à Gratiano referri textus mutilatos, necnon alienis auctoribus inscriptos, uti penè ad singulos notârunt Correctores Romani, quibus adde Canonem 20. assignatum S. Augustino de *conflicto vitiorum & virtutum*, quem non esse Augustini à multis observatum erat, & pluribus præmonitione huic tractatui præfixa in Appendice *Tom.* 8. *operum S. August. col.* 219. probant eruditi eorum operum revisores Monachi Benedictini.

Quadam in Gratiano allegantur pro invaliditate. Ex his interim auctoritatibus concludit Gratianus ad calcem Canonis 40. quod „ voventes prohibeantur „ contrahere matrimonia, & quidam eorum, si con„ traxerint, separari jubeantur.“ Hoc postremum mem-

tate matrimonii contracti à voventibus.

membrum probat præcipuè auctoritate Canonis 40. ex Concilio Romano sub Innocent. II. qui seculo XI. sedit: quo sancitur, ut sacris Ordinibus initiati, » Regulares Canonici, Monachi atque conversi professi, » si sanctum transgredientes propositum, uxores sibi » copulare præsumpserint, *separentur*: hujusmodi » namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam » regulam constat esse contractam, *matrimonium non* » *esse censemus.*«

Quædam è contra pro validitate.

Post hæc allegat *Canone* 41. textum S. Augustini ex Tractatu *de bono viduitatis*, quo appertè probat Augustinus, matrimonia post votum continentiæ, à Virginibus & Viduis quidem illicitè contrahi, sed tamen non esse adulteria, imò esse veras nuptias: » Qui dicunt, ait, talium nuptias non esse nuptias, » sed potiùs adulteria, non mihi videntur satis acu- » tè ac diligenter considerare, quid dicant.«

Conatur illa conciliare Gratianus, sed male.

Gratianus pro conciliandis his in speciem diversis auctoritatibus, ad calcem Canonis 43. ait, quòd » voventes præmissis auctoritatibus jubentur ab in- » vicem discedere, quorum verò conjugia auctori- » tatibus Augustini & Theodori solvenda non sunt, » in capitulo de ordinatione Clericorum evidenter » ostenditur.«

Evidens est, nos à Gratiano hîc remitti ad *Distinctionem* 27. ubi hanc in speciem contrarietatem solvit per distinctionem voti simplicis, & voti solemnis; quam distinctionem ætati Augustini aut Theodori non convenire ibidem notavimus; atque Gratianum fuisse primum auctorem distinctionis inter votum solemne & simplex in ordine ad impediendum vel dirimendum matrimonium.

Si Gratianus tempora, & loca distinxisset, nequaquam ad novam hanc distinctionem inter *solemne*, & *simplex* votum recurrere debuisset.

QUÆSTIO II.

ALtera quæstione hujus causæ quærit Gratianus: » An puellæ Altari desponsatæ possint renun- » tiare priori conditioni, & transferre sua vo- » ta ad alium?«

Priusquam quæstionem hanc resolvat, quærit, utrum solus consensus matrimonium faciat, & qualis debeat esse consensus.

Solus consensus matrimonium facit.

Quòd solus consensus matrimonium faciat, & conjuges, probat in primis ex vulgata definitione matimonii, quæ ad nuptias solum consensum requirit, juxta illud Isidori, *consensus facit matrimonium.* Item auctoritate auctoris operis imperfecti in Matthæum (quem hîc *Canone* 1. & alibi sæpiùs falsò citat Gratianus sub nomine S. Chrisostomi) qui dicit: *Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas*, & Canone 2. auctoritate Nicolai I. at notandum Correctores Romanos ex ipsis Nicolai responsis aliqua mutâsse, quo fit ut in Codicibus correctis non ampliùs habeatur decretum, prout à Gratiano editum fuit, sed ut à Correctoribus illis, prætextu correctionis, mutatum est, ut sæpiùs ab ipsis factum esse monuimus.

Ex his ergo concludit Gratianus: cùm solus consensus matrimonium facit, etiam illos, inter quos talis consensus intercessit, veros conjuges esse.

Quis consensus matrimonium facit, an cohabitationis, an carnalis copula.

At nunc ulteriùs quærit: » Quis consensus matri- » monium faciat, an consensus cohabitationis, an » carnalis copulæ, an uterque?«

Ratio dubitandi erat, quia si prior sufficeret, tunc frater cum sorore matrimonium posset contrahere: si posterior, scilicet *carnalis copulæ* requiratur, *inter Mariam & Joseph non fuit conjugium*: » Vove- » rat enim Maria se Virginem perseveraturam...Si er- » go contra suum propositum postea consensit in *car-* » *nalem* copulam, rea facta est voti virginalis, men- » te, etsi non opere violati. Quod de ea sentire nefas » est, sicut Augustinus ait.«

Tum subjicit prolixum discursum sub nomine Augustini, quo vult ostendere, quomodo sine violatione pudicitiæ, aut voti virginalis, fuerit conjugium inter Mariam & Joseph: » Committens, inquit, Vir- » ginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in » carnalem copulam, non illam appetendo, sed di- » vinæ inspirationi in utroque obediendo.« Discursum hunc non reperiri apud Augustinum, » sed videri à » Collectore ex variis locis B. Augustini, potissimum » ex libello de Virginitate confectum, monent Cor- » rectores Romani.«

Pluribus post hæc probat Gratianus, consensum, non carnalem coitum conjuges facere.

Multa quoque hac quæstione miscet Gratianus, quæ sibi in speciem contraria videntur, variasque conciliandi rationes adducit.

An conjux sine alterius licentia possit continentiam profiteri.

In primis *Canone* 23. & sequentibus, probat, neutrum conjugum posse sine licentia alterius continentiam profiteri: » Sponsi verò (ait ad calcem Ca- » nonis 26.) inconsultis, quas sibi desponsaverunt, » exemplis & auctoritatibus probantur continentiam » posse servare.« Probat id exemplo SS. Macharii & Alexii, qui initis *nuptiis*, sponsas suas deseruisse, & continentiam, vitamque eremiticam seu solitariam amplexi dicuntur: atque ex his concludit: » Ho- » rum exemplo patet, quòd sponsi sponsarum sua- » rum non exquisito consensu, continentiam valeant » profiteri.«

Famosa admodum est historia S. Alexii, cujus hîc meminit Gratianus, at non æquè eruditis apparet authentica, uti nec decretum sub nomine *Eusebii Papæ*, hîc a Gratiano *Canone* 27. in ejusdem assertionis probationem allegatum.

Interim ex allegatis sat probatum supponens Gratianus, desponsatos posse sine mutuo consensu se Deo in *Monasterio* consecrare, ad calcem Canonis 28. concludit, quòd inter sponsum, & sponsam conjugium non sit: qua conjuges sine mutuo consensu se Deo offerre non possint, quod sponsis licet.

Quæ impotentia dirimat matrimonium, & quæ non.

Post hæc allegat *Canone* 29. decretum sub nomine Gregorii de separatione conjugis ob probatam viri impotentiam; quod falsò Gregorio attribui notat Stephanus Baluzius, probatque sumptum ex Epistola Rabani Mauri Archi Episcopi Moguntini ad Heribaldum, quam cum brevi præfatione evulgavit ad calcem Reginonis Abbatis: extatque præsens decretum seu responsum *cap.* 29. hujus Epistolæ; sed Cælestinus III. in *cap.* 5. ✠ *de frigidis & malefic.* citat hoc ipsum responsum sub nomine Gregorii, secutus nimirum, more aliorum. Pontificum, auctoritatem Gratiani.

Interim ex hoc decreto concludit Gratianus, quòd impossibilitas commercii carnalis, si post carnalem copulam in aliquo inventa fuerit, non selvat conjugium; si verò ante carnalem copulam deprehensa fuerit, liberum facit mulieri alium virum accipere, uti loquitur ad calcem dicti Canonis, concluditque: indè apparere, illos non fuisse conjuges: » Alioquin » non liceret eis ab invicem discedere, exceptâ câu- » sâ fornicationis: & sic discedentes, oportet manere » inuptos, aut sibi invicem reconciliari.«

Matrimonium aliud est initiatum, sive ratum, aliud consummatum.

Cùm autem hæc contrariari viderentur illis auctoritatibus, quibus sponsi etiam *conjuges* dicuntur, antequam carnaliter commisceantur, pro conciliatione notandum monet ad calcem Canonis 34. » Scriptum » esse, quòd conjugium desponsatione initiatur, com- » mixtione perficitur. Unde, *ait*, inter sponsum & » sponsam conjugium est, sed *initiatum*, inter co- » pulatos & conjugium *ratum.*«

Alludit hîc Gratianus ad illud, quod sub nomine Ambrosii scriptum est *Canone* 5. & rursus pauciori- bus verbis repetitur *Canone* 35. » Cùm initiatur con- » jugium, conjugii nomen asciscitur, non cùm puella » viri admixtione cognoscitur.«

Tunc iterum concludit Gratianus: *Ecce, quod in dispensatione conjugium initiatur, non perficitur.*

Ratum dissolvi potest, consummatum non item.

Hanc distinctionem latiùs extendit ad finem Canonis 39. docens, quod, juxta hanc distictionem intelligenda est illa auctoritas Augustini: *Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexûs non docetur fuisse* (Canone 16.) *ad matrimonium perfectum*, sub intelligendum est, tale videlicet, » qod habeat in se Christi & Ecclesiæ » Sacramentum.... Cuncta ergo, ait, quæ de non » separando conjugio inducta sunt, de *perfecto* intel- » liguntur, quod sponsali conventione initiatum est, » & officio corporalis commixtionis est consumma- » tum. Illa verò, quibus separabile conjugium osten- » ditur, de *initiatio* intelliguntur, quod nondum officio » sui perfectum est.«

Et ad finem Canonis 45. concludit: » Sponsas » conjuges appellari spe futurorum, non spe præsen- » tium: quomodo ergo conjuges à prima fide des- » ponsationis appellantur, si ista, quæ asseritur spon- » sa, conjux esse negatur? Sed à prima fide despon-

» sa-

» sationis, conjux dicitur appellari, non quod in ip-
» sa desponsatione fiat conjux, sed quia ex fide, quam
» ex desponsatione invicem debent, postea efficiuntur
» conjuges. «

Ex his haud difficile est intelligere, triplicem distinctionem illam Canonistis & Theologis familiarem, sponsalium de futuro, matrimonii rati, sivè sponsalium de præsenti, & matrimonii consummati, Gratiano notam fuisse; imò forsan primò à Gratiano expressa & impensa, ejusdem auctoritate à Canonistis, & Theologis recepta fuit.

Quæ sit illius distinctionis Origo.

Ulteriùs quidni dicamus, eadem auctoritate Gratiani fuisse receptum, per matrimonium *consummatum* præsentari unionem *Christi* cum *Ecclesia*: per ratum verò, sivè initum consensum de præsenti, duntaxat *initiatum*, repræsentari solam unionem Christi, cum *anima justi per charitatem*: atque hinc illud esse omninò indissolubile: hoc verò solvi posse saltem per professionem continentiæ, uti notavit Gratianus ad calcem Canonis 26. ad quam notam respexisse Alexandrum III. in *cap.* 2. ⁂ *de convers. conjug.* indicat clausulâ parenthesi inclusa, *sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt*, & observavit Franciscus Florens in commentario ad hanc quæstionem, *pag.* 116.

Sponsalia alia sunt de præsenti, alia de futuro, quæ sit inter illa differentia.

Denique *Canone ultimo* sub nomine *Augustini* evidenter expressit distinctionem inter sponsalia de futuro, & de præsenti. Asseritur enim, quod » duo-
» bus modis dicatur fides, pactionis & consensus: si
» quis (inquit) alicui mulieri fidem fecerit pactionis,
» non debet aliam ducere: si aliam duxerit, pœni-
» tentiam debet agere de fide mentita; maneat ta-
» men cum illa, quam duxit, non enim rescindi de-
» bet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem
» consensus, non licet aliam ducere; si autem duxe-
» rit, dimittet eam, & adhærebit priori. «

Hîc evidenter Gratianus expressit, sponsalia de futuro solvi per sequens matrimonium, licèt illicitè contractum contra fidem datam; nihilominus sic contractum esse verum & validum matrimonium. Sponsalia autem de præsenti non dissolvi, sed contractum secundum matrimonium esse invalidum, propter sponsalia de præsenti.

Sponsalia de futuro per copulam sequentem olim transibant in sponsalia de præsenti.

Quod autem Canoni adjungit Gratianus: » est au-
» tem fides pactionis, quando aliquis promittit fidem
» alicui, quod eam ducet, si permiserit ei rem se-
» cum habere, « vel etiam pro consensu, videtur eam habere sententiam, ut qui post sponsalia *concubitus* atque congressus sequitur, sit *pro fide consensus*, atque ita pro matrimonio *præsumptio*: quod & auctoritate Gratiani receptum fuit, & in Decretalibus præsumptum matrimonium appellant, *cap.* 20. & *fin.* ⁂ *de Sponsal.* quibus declaratur, sponsalia de futuro per subsecutam copulam carnalem transire in sponsalia de præsenti: » Quia licèt præsumptum matrimonium
» videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi
» non est probatio admittenda, « ait citatum caput 20.

Plura hic mutilata & supposititia à Gratiano allegantur.

Circa auctoritates præsenti quæstione à Gratiano adductas, speciatim notandum plerasque vel mutilatas esse, vel auctoribus non suis inscriptas, uti & ad singulos penè canones notârunt Correctores Romani, & Stephanus Baluzius.

Pluribus exemplis ostenditur decretalium collectores eâdem modo Gratianum fuisse secutos.

Porrò sicuti Gratianus simpliciter secutus fuit fidem præcedentium collectorum, atque ita & eorum errata mutuavit; sic & subsequentes collectores, quin & Romani Pontifices in suis responsis & Decretalibus fidem Gratiani secuti sunt: ac signanter ex hac quæstione jam suprà monui referri sub nomine Gregorii fragmentum Epistolæ Rabani Mauri, & rursus refertur *in cap.* 1. ⁂ *de Reg. Jur.* sub nomine Joannis Chrisostomi: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, quia hîc *Canone* 4. sub ejus nomine extant, quæ tamen non Chrysostomi, sed incerti auctoris *operis imperfecti* in Matthæum esse monent Correctores Romani.

Similiter, quæ *Canone* 8. referuntur ex Concilio Africano, extant sub nomine ejusdem Concilii in *cap.* 1. ⁂ *de condit. appositis*, &c. quamvis in nullo Concilio Africano inveniantur.

Rursus, quæ Canone finali falsò attribuuntur Augustino, eidem inscribuntur in *cap.* 1. ⁂ *de sponsa duorum*: & quod amplius, verba Gratiani explanationis gratiâ Canoni subjecta, hîc tanquam verba Canonis referuntur; quia scilicet hæc Gratiani verba irrepserant per errorem in ipsum textum, uti monet Franciscus Florens.

Ut inde appareat, quàm cæco modo auctoritatem Decreti Gratiani secuti fuerint Decretalium auctores & collectores.

CAUSA VIGESIMA OCTAVA.

De impedimento infidelitatis.

PRosequens Gratianus materiam matrimonialem, ac notanter impedimentorum, hâc causa agit de impedimento infidelitatis, eumque in finem proponit hunc casum: » Quidam infidelis in conjugio
» positus, ad fidem conversus est, uxor verò odio
» fidei christianæ ab eo discessit. Ille quandam fide-
» lem uxorem accepit, quâ mortua Clericus effici-
» tur. Tandem vitæ, & scientiæ merito in Episco-
» pum eligitur. «

Casus in hac causa propositus.

Quæstiones ex casu elicitæ.

Ex hoc casu tres elicit quæstiones, quarum *prima* quærit, an conjugium sit inter infideles? *Secunda*, an, si alter infidelium convertatur ad fidem, altero manente in infidelitate, liceat fideli ab infideli recedere & alias nuptias, eo adhuc vivente, contrahere? *Tertia*, an sit reputandus bigamus, qui ante Baptismum habuit unam, & post Baptismum alteram?

QUÆSTIO I. ET II.

DUæ *primæ quæstiones* vix separari possunt, cum auctoritates ad utramque pertinentes inter se misceantur.

Imò nec nisi unicus Canon 2. ac decisionem secundæ quæstionis pertinens sub illa quæstione referatur.

Verum est matrimonium inter infideles.

Gratiani resolutio circa has quæstiones hæc est. Primò inter infideles, & inter Judæos esse, & fuisse verum ac legitimum matrimonium, quemadmodum concludit ad calcem Canonis 14. unà respondens eis, quæ in speciem contrariari videbantur.

Matrimonium fidelis cum infideli vetitum est,

Secundò, matrimonium fidelis cum infideli aut Judæo esse utroque Testamento veteri, & novo vetitum, uti multis auctoritatibus ac signanter S. Augustini Canone 9. *ex lib.* 1. *de adulterinis conjugiis* probat.

Matrimonium infidelium non habet vim Sacramenti, ideoque nec indissolubile est.

Tertiò, matrimonium duorum infidelium vel Judæorum inter se, non esse *ratum*, neque habere effectum, & vim *Sacramenti*: adeoque neque esse indissolubile.

Gratianus distinguit triplex conjugium, legitimum, & non ratum, & non legitimum, legitimum & ratum.

Hinc ad finem Canonis 17. ait: » Conjugium aliud
» est legitimum & non ratum, aliud ratum & non le-
» gimum, aliud legitimum & ratum. Legitimum con-
» jugium est, quod legali institutione vel Provinciæ
» moribus contrahitur. Hoc inter infideles ratum non
» est, quia non est firmum, & inviolabile conju-
» gium eorum: dato enim libello repudii, licèt eis re-
» cedere ab invicem, & aliis copulari lege fori, non
» lege poli, quam non sequuntur. Inter fideles verò
» ratum conjugium est, quia conjugia semel inita in-
» ter eos, ulteriùs solvi non possunt. Horum quædam
» suut legitima, veluti cum uxor à Parentibus tradi-
» tur, à sponso dotatur, & à Sacerdote benedicitur. «
» Hæc talia conjugia legitima & rata appellantur.
» Illorum verò conjugia, qui contemptis omnibus il-
» lis solemnitatibus, solo affectu aliquam sibi in con-
» jugem copulant, hujusmodi conjugium non legiti-
» mum, sed ratum tantummodo esse creditur. «

Cùm ergo infidelium matrimonium non sit *ratum*, nec *indissolubile*, quæritur, an uno eorum ad fidem converso, liceat huic ab infideli recedere, & alias nuptias transire.

Hanc quæstionem fusè discutit S. Augustinus *l.* 1. *de adulterinis conjugiis*, è quo desumpti sunt Canones 8. & 9. hujus primæ quæstionis, quibus jungendus Canon 4. ex eodem Doctore *de Fide & Operibus*, *cap.* 16 præsertim si ipse locus Augustini legatur, quem ad calcem Canonis junxerunt Correctores Romani.

Quandonam conjux fidelis ab infideli discedere possit, & ad alias nuptias transire.

Docet autem Augustinus, quod unus infidelium ad fidem conversus ab infideli discedere nequeat, si infidelis sine contumelia Creatoris fideli cohabitare velit, conformiter ad monitum Apostoli 1. ad Cor. cap. 7. » Si quis frater uxorem habet infidelem, &
» hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam,
» &c. Non propter vinculum cum talibus conjugale
» servandum, sed ut acquirantur Christo, recedi ab
» infidelibus conjugibus Apostulus vetat. «

Quod pluribus ibidem prosequitur Augustinus, qui & illic exponit rationes, cur fideli non liceat infidelem dimittere, eo scilicèt casu, quo uterque con-

conjux unius erant infidelitatis tempore initi matrimonii, & postea unus illorum ad fidem est conversus, & consentit infidelis sine periculo perversionis cum fideli cohabitare.

Si vero infidelis nolit absolutè cum fideli cohabitare, sed recedere velit, aut saltem nolit, nisi sub conditione fidei christianæ adversante, tunc liberum est fideli recedere, & ad alias nuptias transire, prout locis citatis latè docet S. Augustinus: reflectens enim ad Apostoli verba: *Quod, si infidelis discedit, discedat: non est enim Frater, aut Soror subjectus in ejusmodi*, „ id est, (ait) ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor „ legitimâ societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur, si cum vero Christiano propter hoc, quod „ Christianus est, permanere noluerit."

Similiter citata verba Apostoli exponit Ambrosius: ejus verba nonnihil mutilata referuntur *Can.* 2. *quæstio* 2. falsò attributa S. Gregorio: „ Non enim ratum » est matrimonium, quod sine Dei devotione est: at » per hoc non est peccatum, ei, qui dimittitur » propter Deum, si alii se junxerit: Contumelia enim » Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui re» linquitur, nec accusetur, si alii copuletur." Ita legitur apud Ambrosium.

Ex his concludit Gratianus sub finem citati *Canonis* 2. *quæstion.* 2. quòd infidelem descedentem fidelis sequi non debeat, liceàtque ei aliam ducere.

At unà monet, „ hoc non nisi de his intelligendum » esse, qui in infidelitate copulati sunt. Cæterum (in» quit) si ad fidem uterque conversus est, vel si uter» que fidelis matrimonio junctus est, & procedente » tempore alter eorum à fide discesserit, & odio fidei » conjugem dereliquerit, derelictus discedentem non » comitabat: non tamen illa vivente alteram ducere » poterit; quia ratum conjugium fuerat inter eos, quod » nullo modo solvi potest."

Sententiam Gratiani secuti sunt uno consensu Theologi & Canonistæ: quin & ipsi Rom. Pontifices eam in omnibus adoptârunt, uti videre est in Decretalibus Clementis III. & Cælestini III. quæ extant sub titulo de *conversione infidelium* in secunda collectione apud Antonium Augustinum, & quod notandum, secuti Gratianum verba Ambrosii tribuunt S. Gregorio, quia uti notavi, ea à Gratiano *Can.* 2. huic Pontifici fuerant assignata.

Similiter & Innocentius III. sententiam Gratiani quod utrumque distinctionis membrum adoptavit in *cap.* 7. ✠ *de Divortiis.*

QUÆSTIO III.

An sit bigamus, qui duas uxores, unam ante, alteram post Baptismum habuit.

IN casu sive hypotesi ad initium causæ proposito, supposuerat Gratianus, quod infidelis, qui in infidelitate acceperat uxorem infidelem, postmodum conversus & baptizatus, secundam duxerit uxorem fidelem. Hinc quærit, an hic censendus sit bigamus, & ea ratione excludendus à Clericatu, & concludit *quæst.* 3. Gratianus, munitus auctoritate S. Augustini & Innocentii I. illum habendum pro bigamo: de quo latiùs autem *dist.* 26.

CAUSA VIGESIMA NONA.

De impedimento erroris.

HAc causa tractat Gratianus de impedimento erroris, eamque in duas quæstiones dividit.

QUÆSTIO I.

Error triplex personæ, qualitatis & conditionis.

PRiorem nullâ adductâ auctoritate resolvit: aitque, errorem versari vel circa *personam*, vel circa *fortunam*, aut *qualitatem*, vel denique circa *conditionem*, puta, quòd sit conditionis servilis qui putabatur liber; ac dein exposita natura singulorum errorum, resolvit hac quæstione errorem circa *personam* antecedentem, impedire matrimonium, non autem errorem *fortunæ*, aut *qualitatis.*

QUÆSTIO II.

Quis error matrimonium impediat.

QUæstione *secundâ* autem quærit, an error *conditionis* ponat impedimentum, ac tribus primis Canonibus probat, inter omnes cujuscumque conditionis homines posse consistere matrimonium, quod hodie etiam receptum est, & probatum, licet fatendum sit decreta hîc a Gratiano relata esse apocrhypha.

Post hæc adductis nonnullis auctoritatibus, concludit, quòd, si ingenuus acceperit in conjugem aliquam servilis conditionis, aut ingenua servum, cùm crederetur *liberæ conditionis*, non cogatur cum ea remanere, quod potissimum probat decreto relato in *Canone* 5. sub nomine Concilii apud Vermeriam, cui interfuit Rex Pipinus *cap.* 8. „ cùm enim ibi di» citur, *sciens illum servum*, datur intelligi (inquit) „ quòd, si nesciret illum servum esse, non cogitur „ cum eo manere."

Extat Tom 6. Conciliorum generalium *col.* 1656. Concilium Vermeriensi celebratum anno 752. temporibus Regis Pipini, sed decretum hoc inter illius Canones non reperitur. quamvis *Can.* 6. aliqua occurrant eorum, quæ sub nomine ejusdem Concilii apud Vermeriam refert hîc Gratianus *Can.* 4. sed non parùm mutilata.

Monent ad calcem citati Canonis 4. Correctores Romani, „ scriptum est nomine totius Universitatis » Lovaniensis ad S. D N. Gregorium XIII. stare in » Bibliotheca B. Trudonis librum manuscriptum sub » titulo: *Excepta Decretorum*, in quo inter alia ca» pitula istius Concilii apud Vermeriam, habentur » hoc & sequens caput."

Sed cùm non dicatur, cujus ætatis, aut conditionis sit hic liber manuscriptus, nihil quoque de auctoritate Decreti hoc manuscripto certi statuere possumus.

Etsi adducta à Gratiano non videantur solidè probare errorem conditionis servilis dirimere matrimonium, ejus tamen opinio recepta est.

Sanè, si ad incudem revocarentur à Gratiano adducta, nescio num sat solido fundamento niteretur Gratiani resolutio de errore conditionis dirimente matrimonium. Hoc scimus, auctoritate Gratiani, à Theologis & Canonistis receptam esse restrictionem hîc per Gratianum factâ, nimirùm quòd error conditionis servilis inducat impedimentum dirimens, non autem error circa aliam qualitatem seu conditionem, notanter postquam pontifices juxta eandem responderunt eorumque responsa in Decretales sub titulo *de conjugio servorum*, & alibi relata fuêre.

CAUSA TRIGESIMA.

De impedimento cognationis spiritualis.

GRatianus pergens in exponendis impedimentis matrimonii, hac causa agit de impedimento *cognationis spiritualis*, intermiscens tamen morte suo, nonnulla ab hoc articulo aliena; puta *quæst.* 2. aliqua *de ætate* ad matrimonium necessaria, & *quæst.* 5. de matrimoniis *clandestinis.*

Casum hunc proponit: „ Quidam populorum fre» quentia impeditur, Filium suum de baptismate sus» cepit, dum crederet se alienum suscipere, uxor » autem ejus dum callidè vellet suscipere proprium, » suscepit alienum, quem vir sibi adoptavit in filium, » & ex uxore sibi filia nascitur, quam filio suo adop» tivo, spirituali uxoris, dum uterque esset in cuna» bilis, tradit. Post triennium uxor moritur, & com» pater ejus relictam compatris uxoris suæ clam sibi » desponsavit: aliquantulum temporis effluxit, & alius » eam duxit in uxorem."

Ex hoc quinque quæstiones efformavit Gratianus.

QUÆSTIO I.

An conjux levans proprium filium de sacro fonte debeat à conjuge separari.

QUæstione *prima* quærit: „ An uxori suæ debitum „ reddere valeat, qui proprium filium de sacro „ baptismate suscepit."

Quænam allegantur à Gratiano pro parte affirmativa.

Parte 1. allegat duos Canones, quibus negativè probari videtur.

Et quidem *Can.* 1. refert fragmentum Epistolæ sub nomine *Deusdedit S. Romanæ Ecclesiæ Episcopi*, quo dicitur in quodam Concilio constitutum est, » ut nullo modo se in conjugio reciperent mulieres, ac » viri, quicumque aliqua ratione susceperint natos » *proprios*, sed separarent se, ne suadente diabolo tale » vitium innotescat."

Verùm Concilii vel conventûs, cujus hîc mentio fit, nulla extat memoria, multaque alia in hac Epistola occurrunt, quæ eam ut spuriam rejiciendam eruditis persuaserunt, eamque uti suspectam notat Labbæus *tom.* 5. *Conc. General. col.* 1648.

Adde & Papebrochium in conatu Cronico-Historico ad catalogum Pontificum in hoc Pontifice.

Adducit præterea Gratianus *Can.* 2. decretum sub nomine Concilii *apud Vermerias*, sed in Concilio Vermeriensi anno 752. inserto *tom.* 6. *Concil. Gener.* non extat, sed reperitur in Concilio Compendiensi anno

no 757. *Can.* 12. ubi & præsens Canon in margine notatur.

Hoc Canone decretum legitur : *Si quis filiastrum vel filiastram suam ante Episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab uxore sua, & nunquam aliam recipiat.*

Gratianus supponere videtur, hæc sat apertè probare, quòd is, qui proprium Filium in spiritualem sibi transferens, uxoris suæ debitum reddere non valeat.

Additur in Epistola Deus-dedit relata Canone 1. quod post annum possit aliam uxorem ducere.

Sed notandum, quòd per verba dicti Canonis 1. ex Gratiano jam relata, additur in ipsa Epistola *Deus-dedit*, prout integra inter decretales RR. Pontificum edita est, & hodie extat, apud Labbeum hæc clausula : „ mulieres verò, cum separatæ fuerint pro hac » illicita re, à propriis viris totam præcipimus reci- » pere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & » post expletum annum recipiant *alium virum*, si- » militer & *vir uxorem.*“

Mirum quantopere hæc decretalis sic concepta vexaverit doctores, quod hîc viderent matrimonium *legitimè* contractum & *consummatum dissolvi*, quoad *vinculum*, ob superveniens impedimentum solo jure humano inductum.

Sed non reflexerunt, quod vel hoc ex capite meritò tanquam fictitia hæc Epistola esset rejicienda; præterquam quod nec alia suppositionis desint indicia.

Interim qui hanc suppositiam Epistolam ut authenticam reputârunt, & inter decretales Pontificum retulerunt, nequaquam dubitâsse videntur, quin Pontifices similem errorem in suis decretalibus proponere possent.

Tum plures auctoritates adducit pro parte negativa.

Porrò Gratianus *part.* 2. suæ quæstionis adducit plures auctoritates, quibus probari videtur, conjuges propter superveniens simile impedimentum separari non debere, ac signanter *Canone* 3. responsum Nicolai I. qui interrogatus, utrum » mulier, quæ viri fi- » lium ex alia fœmina genitum de sacro fonte levave- » rit, postmodum possit cum eodem viro copulari; res- » pondit, ideò eos jungi posse, quia secundum sacros » Canones, nisi amborum consensu, nullius religionis » obtentu debet conjux dimittere conjugem.

Extat hoc Nicolai responsum apud Cochleum inter decreta è Gratiano collecta *tit.* 19. *cap.* 5. illudque incertis annumeraverat Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emend. Grat. dial.* 19.

Si tamen id per fraudem, aut fallaciam contigerit, pœnitentiam injungendam esse indicat idem Nicolaus in Epistola Biturìensi Episcopo, cujus fragmentum extat *Canone* 6. Extat & apud Cochleum eodem titulo *cap.* 2. pronuntiatque & de hoc Antonius Augustinus eodem dialogo: *hoc etiam caput in incertis numeratur.*

Refertur quoque de uxore, quæ filium suum coram Episcopo tenuit ad confirmationem, Can. 4. ex Concilio Cabilonensi II. *si fraude liqua, ut* à viro suo separetur, id egerit, *propter fallaciam suam, aut propter fraudem, quandiù vivet, agat pœnitentiam, à viro suo tamen non separetur.*

Tum addit *Canone* 7. fragmentum Epistolæ Joannis VIII. quo scribit, virum, qui in *necessitate* propriam prolem baptizavit, *suæ uxori sibi jam legitimè sociatæ, impunè quandiu vixerit, manere conjunctum.*

Est etiam quædam cognatio spiritualis inter confessarium, & pœnitentem.

Cùm autem non tantùm per baptismum quis dicatur regenerari, sed etiam per Sacramentum pœnitentiæ, tanquam per secundas naufragii tabulas, hinc & creditum jam pridem fuit, inter pœnitentem & Sacerdotem, spiritualem quamdam cognationem oriri, aitque Gratianus ad calcem Canonis 7. » dicitur » etiam spiritualis filia Sacerdotis, quæ ei peccata sua » confitetur. «

Unde peccatum carnis inter illos gravius est, graviusque puniendum.

In hanc rem profert *Canone* 3. decretum sub nomine Symmachi Papæ, quo agitur contra Sacerdotes fornicantes cum suis pœnitentibus, diciturque, quod » Sylvester docens admonet unumquemque Sacerdo- » tem, ut nullus causa fornicationis, ad suam pœni- » tentialem accedat : quia scriptum est: *omnes, quos* » *in pœnitentiam accipimus, ita filii nostri sunt, ut* » *in baptismate suscepti*, quapropter hoc scelus, si » quis perpetraverit, non solùm dignitatis honorem » amittat, verùm etiam usque ad exitum vitæ suæ ju- » gi pœnitentiæ se subdat. «

Et *Canone* 9. sub nomine Cœlestini decernitur, » ut, si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus » fuerit, ipsa fœmina, si laica est, omnia derelin- » quat, & res suas pauperibus tradat, & conversa in » Monasterio Deo usque ac mortem serviat: Sacerdos » autem, qui malum exemplum dedit hominibus ab » omni officio deponatur, & peregrinando 12. annis » pœniteat: postea verò ad Monasterium vadat, ubi- » que cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat. « *Canone* 10. autem sub nomine ejusdem, injungitur Episcopo, scelus hoc perpetranti, pœnitentia quindecim annorum.

Quamvis de veritate seu sinceritate horum decretorum respondere non ausim, hoc autem asserere non dubitem, pœnitentiam Sacerdotibus hîc injunctam, non esse scelere majorem.

Relatis utriusque auctoritatibus concludit Gratianus non esse separandos præfatos conjuges.

Ex omnibus autem concludit Gratianus, quòd si- » ve proprium, sive tantummodo viri filium de sacro » fonte susceperit, non ideò à viro suo sit separanda: » quod de viro similiter oportet intelligi. «

Ejusque sententiam secuti sunt Pontifices.

Hanc Gratiani conclusionem secuti Pontifices, ac signanter Alexander III. in *cap.* 3. ✠ *de cognat. spirit.* respondit, quòd » sive ex ignorantia sive ex ma- » litia, proprium filium de sacro fonte susceperint, » non esse ab invicem separandos, nec alter alteri de- » bitum debere subtrahere, nisi ad continentiam ser- » vandam possint induci. «

Permittit autem : » Quod quamvis generaliter sit » institutum, ut debeant separari, quidam tamen hu- » maniùs sentientes, aliter statuerunt. «

Nequaquam obscurum est, Alexandrum hic reflectere ad apochryphum decretum sub nomine *Deus-dedit*, relatum à Gratiano *Canone* 2. ipsumque expressè secutum auctoritatem Gratiani.

QUÆSTIO II.

De ætate & consensu ad sponsalia requisito.

Quæstione 2. quæritur : » An sponsalia contra- » hantur inter infantes, hoc unum resolvit Gra- » tianus, quod sponsalia ante *septennium* con- » trahi non possint. Solo enim consensu contrahuntur, » qui intervenire non potest, nisi ab alterutra parte » id intelligatur, quod inter eos agitur. Probatur » ergo sponsalia non posse contrahi inter pueros, quo- » rum ætatis infirmitas consensum non admittit. «

In probationem hujus sui asserti adducit unicum » anonem sub nomine Nicolai I. his verbis : „ Ubi non » est consensus utriusque, ibi non est conjugium. » Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis & è con- » verso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, post- » quam venerit ad annos discretionis consentiat : nec » est conjugium, nisi sit consensus utriusque, etiam- » si Pater & Mater voluerint, & fecerint.“

Hoc autem decretum extat apud Cochleum inter decreta Nicolai I. è Gratiano collecta *tit.* 18. *cap.* 3. monetque Antonius Augustinus *lib.* 2. *de emendat. Grat. Dial.* 18. quod fons hujus capitis *Nili fontibus obscurior sit.*

Interim in prima decretalium collectione apud Antonium Augustinum, *tit. de desponsat. impuberum, cap.* 4. legitur initium hujus decreti cum clausula, &c. additurque, „ hujus ergo decreti auctoritate distric- » tiùs inhibemus, ne de cætero aliqui, quorum uter- » que vel alter ad ætatem legibus vel Canonibus deter- » minatam non pervenerit, conjugantur.“

Hinc evidens est, non eundem fuisse hujus decreti, & verborum adjectorum fontem, uti putârunt Correctores Romani, reflectentes duntaxat ad ea, quæ habetur in *cap.* 2. ✠ *de desponsat. impub.* ubi initium quoque hujus Canonis cum adjectis verbis refertur, sed his omissis : *Hujus ergo decreti auctoritate.*

Nequaquam obscurum est, auctorem decretalis apud Antonium Augustinum per adjectam clausulam, &c. voluisse indicare decretum integrum prout extabat apud Gratianum sub nomine Nicolai I.

Insuper cùm in decreto Nicolai I. apud Gratianum exprimeretur ætas septem annorum, non dubium, quin per ætatem legibus, & Canonibus determinatam, auctor hujus decretalis, conformiter ad decretum à Gratiano relatum, intellexerit ætatem septem annorum.

Itaque auctoritate Gratiani, & hujus decretalis, communi consensu tandem receptum fuit, ad sponsalia requiri ætatem septem annorum.

QUÆSTIO III.

De impedimento cognationis spiritualis.

TErtia *quæstione* tractat Gratianus de cognatione spirituali, & ex ea resultante impedimento, quæ *fraternitas* dicitur; patetque ex responso Nicolai Papæ in *Canone* 1. hanc cognationem ad similitudinem cognationis carnalis, & legalis esse inductam.

Ad hæc ex dicto *Canone* 1. & *Canone* 2. qui est ex Epistola Zachariæ ad Theodorum (quam exhibet Baluzius in appendice auctorum ad Reginonem) & *Canone* 3. sub nomine *Zachariæ* & *Deusdedit* (quod non extat (colligitur, quòd censeretur cognatio spiritualis generans impedimentum matrimonii, non tantùm inter susceptum, aut susceptam de sacro fonte, & proles natas ante vel post susceptionem ex *ipso suscipiente*, sed etiam inter proles patris vel matris *naturalis* ipsius suscepti, id est, inter Fratres & Sorores suscepti; perinde ac si omnes inter se fratres & sorores essent ex eisdem Parentibus geniti, quoniam utrique Parentes invicem se *compatres*, & *commatres* appellabant.

Verùm *Canone* 4. qui refertur sub nomine Urbani, scilicèt II. qui sub finem Seculi XI. sedit, dicitur quòd »spiritualem Parentum filii vel filiæ ante vel »post compaternitatem geniti, possint *legitimè* con»jungi, præter personam illam, per quam compa»tres sunt effecti.«

In quo Gratianum est secutus Alexander III.

Hanc restrictionem amplexus est Alexander III. in *cap.* 1. ✠ *de cognat. spirit.* quamvis expressè notat, quòd »Canones secundum diversorum locorum »consuetudines contrarii inveniantur, licèt, ait, *pri»mus Canon* exinde *editus*, *post* compaternitatem no»tatos ad invicem copulari prohibeat, alter tamen »Canon posteriùs editus primum videtur corrigere.«

Tum recitat verba dicti Canonis, unde rursus patet, quàm exactè in omnibus Gratiani auctoritate usus fuerit Alexander III.

QUÆSTIO IV.

De impedimento cognationis spiritualis, quæ compaternitas vel commaternitas dicitur.

QUæstione *quarta*, quæ erat: »An uxorem com»patris uxoris suæ alicui ducere liceat?« agit Gratianus de cognatione spirituali impedimentum constituente, quæ *compaternitas vel commaternitas* appellatur. Cumque vir & uxor *sint duo in carne una*, oriebatur hoc impedimentum non tantum inter susceptorem maritum, vel susceptricem uxorem, & parentes suscepti, sed & inter utrosque conjuges, licèt unus duntaxat suscepisset: ita ut vir non posset mortua uxore sua ducere matrem suscepti, tametsi non ipse, sed uxor sua filium hujus de fonte suscepisset: atque hoc est, quod dicitur *Canone* 1. quòd unus *duas commatres* habere nequeat in conjugem unam post alteram: »Quia, ait, vir & mulier una caro per »connubium efficiuntur, restat nimirùm, virum com»patrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio as»sumpta uxor commater esse videbatur.«

Inter quas personas olim reperiebatur.

Qua Gratianus adducit ad astruendum illud impedimentum, parum authentica sunt.

Canon hic adscribitur Nicolao Papæ scribenti Constantiensi Episcopo Salomoni, extatque apud Cochlæum *tit.* 17. *cap.* 5. reperiturque ab Antonio Augustino *lib.* 2. *de emend. Grat. Dial.* 19. inter *incerta.*

Simile decretum adscribitur *Canone* 2. Concilio Chalcedonensi, at rectè monent Correctores Romani: »in Concilio Chalcedonensi nihil hujusmodi extat tractatum, aut definitum.«

Similiter quod *Canone* 3. exhibitur tanquam ex Epistola Innocentii Exuperio Tolosano Episcopo, non haberi in hac Epistola dicti Correctores annotârunt.

Interim ex his, aliisque parùm authenticis fragmentis, auctoritate Gratiani ultra modum extensum fuit hoc impedimentum, uti ostendi in *Jure Eccl. p.* 2. *tit.* 13. *c.* 6. ubi & exposui quam restrictionem induxerit Concilium Tridentinum.

QUÆSTIO V.

De matrimoniis clandestinis.

QUinta & finali *quæstione*, quæ erat: *An clandestina desponsatio manifestè præjudicet?* Agit Gratianus de matrimoniis clandestinis, seu furtivis, producitque *Canone* 1. fragmentum Epistolæ Evaristi Papæ ad Episcopos Africanos, in qua declarantur esse „adulteria, vel contubernia, vel stu»pra, aut fornicationes potiùs, quam legitima con»jugia, nisi ab his, qui supra fœminam dominationem »videntur habere, & à quibus custoditur, uxor pe»tatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur, »& legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, »ut mos est, cum precibus & oblationibus à Sacer»dote benedicatur, & à paranymphis, ut consuetu»do docet, custodita & sociata, à proximis congruo »tempore petita legibus detur, ac *solemniter* acci»piatur: & biduo vel triduo orationibus vacent, & »castitatem custodiant.“

Videntur declarari invalida Can. 1. ex Epistola Evaristi Papæ.

Mirum quantopere hoc decretum quosdam Theologos vexaverit, quasi hinc concluderetur ad *validitatem* matrimonii desiderari *consensum parentum*, aliasque ibidem expressas cæremonias, præsertim quia in Epistola additur, *ut à Patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, earumque Successoribus traditum invenimus.*

An illa Epistola supposititia est.

Verùm nihil, aut parum nos hujus Epistolæ auctoritas movere debet; quia hodiè eruditis nota & probata est ejus suppositio, quæ etsi aliundè non probaretur, eam vel solum hoc fragmentum plenè evinceret.

Non majoris auctoritatis habenda, quæ sub nomine ejusdem Evaristi refert Gratianus *Canone* 10. & sub nomine Eleutherii Papæ *Canone* 11.

Ecclesia ejusmodi matrimonia semper improbavit.

Interim ex omnibus relatis concludit Gratianus, matrimonia clandestina ab Ecclesia semper fuisse improbata neque eorum in foro externo à judice rationem haberi posse, ob defectum *legitimorum* testium: neque tamen negari, esse vera conjugia, nec ea dissolvi posse, imò tanquam *vera* matrimonia debere agnosci, si conjuges ambo *coram judice* fateantur, se *clandestinè* inter se contraxisse. „Conjugia (ait ad »calcem Canonis 9.) quæ *clam* contrahuntur, non ne»gantur esse *conjugia*: nec jubentur dissolvi, si utrius»que confessione probari poterunt.“

Olim tamen fuerunt coram Deo valida.

His itaque significare voluit Gratianus, clandestina matrimonia à Judice seu Ecclesia nullatenus pro *legitimis* conjugiis ob defectum probationis agnosci, nisi *utriusque conjugis Confessione* coram Judice seu Ecclesia matrimonium antè contractum agnoscitur; quo casu supponit, matrimonium tanquam ab initio rite contractum, ob consensum utriusque interpositum, esse reputandum: quod ad calcem Canonis 2. probari dicit finali clausula Canonis 1. ex Epistola Evaristi, ubi postquam dictum esset, *aliter præsumpta non esse conjugia, sed adulteria*, additur: *nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.*

An hæc clausula hujus spuriæ decretalis benè à Gratiano intellecta fuerit, dubito. Interim Alexander III. *in cap.* 2. *de cland. despons.* motus auctoritate Gratiani, respondit: „Si matrimonia ita occultè »contrahuntur, quòd exinde legitima probatio non »appareat; ii, qui ea contrahunt, ab Ecclesia non »sunt aliquatenus compellendi:“ nimirum ad consummationem matrimonii.

„Verùm (ait Alexander) *si personæ contrahen»tium* hæc voluerint publicare, nisi rationabilis causa »præpediat, ab Ecclesia recipienda sunt, & compro»banda, tanquam à principio in Ecclesiæ conspectu »contracta.“

Hinc communi consensu conclusêre Theologi, & Canonistæ, de jure communi matrimonia clandestinè quidem improbari, sed tamen à principio valida esse *apud Deum*, licèt non apud Ecclesiam; sed tunc primùm declarari valida, postquam contrahentes voluerint publicare, uti ad citatum capitulum verbo, *à principio*, loquitur Glossographus.

Quid hac in parte mutaverit Synodus Tridentina, & qualiter matrimonia clandestina irritaverit, dixi *in Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 5. ubi & *tit.* 11. *cap.* 6. egi de ritibus nuptiarum & eorum significatione, quorum meminit hîc Gratianus *Canone* 3. & 7.

CAUSA TRIGESIMA PRIMA.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus hac causa tractat de impedimento matrimonii, quod præstat adulterium, casu ita proposito: „Uxorem cujusdam alius constupravit: »eo mortuo adulter adulteram sibi in uxorem ac»cepit, filiam ex ea susceptam, cuidam in conju»gem daturum juravit, illa assensum non præbuit: »deinde Pater alii eam tradidit: à primo reposci»tur.“

QUÆS-

QUÆSTIO I.

EX hoc casu tres elicit quæstiones : quarum prima quærit : » An possit duci in conjugium , quæ » priùs est polluta per adulterium?"

Olim adulterium quodcunque impediebat matrimonium inter adulterum & adulteram.

Primò refert *Canone* 1. decretum sub nomine Leonis Papæ , quo cavetur , ut nullus ducat in matrimonium , quam priùs polluit adulterio.

Similiter & *Canone* 3. synodali decreto declaratur christianæ religioni non convenire , *ut nullus ducat in conjugem , quam priùs polluit per adulterium.*

Hic Canon citatur ex Concilio apud Althæum habito presente Conrado Rege Germaniæ ; at hactenus Concilium hoc non reperi.

Hæc eadem interim habentur Canone 40. Concilii Triburiensis anni 895. atque applicantur speciali casui , qui Patribus fuerat propositus , nimirum de quodam , » qui alterius uxorem stupro violaverat , & » insuper mœchæ , vivente viro suo , juramentum » dedisse dicebatur , ut post legitimi mariti mortem, » si supervixisset , duceret uxorem."

Hoc connubium prohibent , & anathematizant Patres Triburienses , ac dein decretum suum concludunt his verbis : » Non licet ergo , nec christianæ » religioni oportet , ut ullus eâ utatur in matrimonio, » cum qua priùs pollutus est adulterio."

Hinc non obscurum est , Patres Triburienses nequaquam impedimentum matrimonii restrinxisse ad hunc casum particularem ipsi Concilio propositum, sed generaliter reputâsse adulterium pro impedimento inter adulterum , & adulteram.

Gratianus malè Canonem Concilii Triburiensis intelligens id restrinxit ad adulterium certis circumstantiis vestitum.

Nihilominus Gratianus , decreta non ex ipsis originalibus , & primitivis auctoritatibus , sed ex aliis collectoribus desumens , fragmentum duntaxat illius Canonis Triburiensis , prout apud Burchardum & Ivonem extabat , vidit , & retulit , quo casus ille separatim à generali hac clausula referebatur , è quo Gratianus conclusit , hoc speciali casu duntaxat , adulterum inter & adulteram oriri impedimentum , addito & altero , quo adulter , aut adultera in viri , aut uxoris mortem fuerint machinati ; quem casum addidit occasione decreti Concilii Meldensis 845. quod sub nomine Concilii Triburiensis retulit *Can.* 5.

Hanc restrictionem proposuit ad calcem Canonis 3. Cùm enim hoc Canone dictum esset : *Nolumus enim, nec christianæ religioni convenit , ut ullus ducat in conjugium , quam priùs polluit per adulterium* , subjungit per modum explanationis. „Hîc subaudien- » dum est , nisi peracta pœnitentia , & si *nihil in* » *mortem viri machinatus fuerit* ; vel si , *vivente viro* » *fidem adulteræ non dedit , se sumpturum eam sibi* » *in conjugem* ," si viro ejus superviveret.

Apertè hîc docet Gratianus , adulterum posse adulteram habere in conjugem *peracta pœnitentia*, modò neutrum illorum , quæ ibi describuntur , intervenerit.

Hæc restrictio, etsi ante Gratianum ignota, à Pontificibus probata fuit.

Quamvis hæc restrictio ante Gratianum nullibi reperiatur expressa , multisque seculis adulterium fuerit impedimentum inter adulterum , & adulteram , neque nullus authenticus Canon sciatur , quo hæc modificatio ante Gratianum sit probata , nihilominus auctoritate Gratiani invaluit , eamque Pontifices in suis decretalibus probârunt , uti videri potest in *cap.* 3. 5. & 6. ✠ *de eo , qui duxit , &c.* citatque Pontifex in citato *Capitulo* 5. Canonem Meldensem sub nomine Concilii Triburiensis , quia ita apud Gratianum extabat , ut hinc rursus pateat , quòd passim , imo penè in omnibus ipsi etiam Pontifices in suis responsis Gratianum sequerentur , & disciplinam , tametsi à Gratiano contra antiquiores Canones primùm inductam, amplecterentur. Vide plura de hoc impedimento in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 13. *cap.* 7.

Respondet Gratianus ad exemplum Davidis.

Post hæc objicit sibi Gratianus exemplum Davidis, » qui cum Bethsabee adulterium commisit , & in mor- » tem viri Uriæ machinatus est : & tamen tandem » eandem Bethsabee duxit in uxorem. Respondet Gra- » tianus : In veteri Testamento permittebantur prop- » ter infirmitatem , quæ in Evangelii perfectione eli- » minata sunt."

Addit ad hanc rationem , ob quam uxor defuncti huic nubere non possit : „generaliter enim prohiben- » tur viri , & mulieres frequenter matrimonia con- » trahere."

An & quo sensu

Hinc arreptâ occasione refert Gratianus *Canone* 8. 9. & 10. auctoritates , quibus secundæ nuptiæ improbari videntur , dicitque Gratianus ad finem Canonis 10. hoc videri dictum in exhortationem *vitualis continentiæ* , non in condemnationem secundarum & deinceps nuptiarum.

à Patribus improbata secunda nuptia.

Verùm hæc solutio convenire non videtur verbis , quæ sub nomine S. Chrysostomi recitat Gratianus *Canone* 9. ubi apertè pronuntiatur , quod „acci- » pere *secundam* uxorem , secundum veritatis ratio- » nem , *vere fornicatio sit.* Sed dum , permittente » Deo , publicè & licenter committitur , honesta for- » nicatio est."

Sed hæc non sunt ipsius Chrysostomi , prout existimavit Gratianus , sed auctoris *operis imperfecti in Matthæum* , ut post Correctores Romanos observârunt eruditi ; notantque opus illud , aut ab hæretico aliquo compositum fuisse , aut ab hæretico aliquo corruptum : quamvis alioqui liber sit doctus , & minimè spernendus , uti loquitur Bellarminus *de Scriptoribus Eccl. in Chrysostomo.*

Meritò reflectetur ad variantes lectiones, quas Canonibus hujus quæstionis subjecerunt Correctores Romani , & notas Stephani Baluzii ad aliquot ex his Canonibus ; poteritque etiam consuli Tractatus Historico Canonicus , *part.* 2. §. 9. *ad Canonem* 3. & 7. *Neo-Cæsarienses* , quos recitat Gratianus *Canone* 9. ubi ostendi , secundas nuptias quidem fuisse Patribus odiosas , atque ipsis aliquando pœnitentiam bigamorum fuisse impositam , nunquam tamen esse reprobatas , aut reputatas pro fornicatione.

QUÆSTIO II.

Quæstione secunda , quæ erat , *An filia invita sit tradenda alteri?* probat Gratianus , quòd ad matrimonium requiratur *liber* contrahentium consensus.

An sponsalia sine libero contrahentium consensu sint valida.

Et quidem *Canone* 1. reprobantur sponsalia : „Si » pater ipse coactus & dolens filiam infantulam , no » lentem , flentem , & pro viribus renitentem , non » assentientibus , sed valde dolentibus matre & paren- » tela desponsavit."

Canonem hunc recitat Gratianus sub hac inscriptione : *item judicium Urbani Papæ* , apud Ivonem autem tàm in Decreto quàm Panormia additur : *de filia Jordani Principis* : quomodo etiam legi in veteri Canonum collectione M. S. in Bibliotheca Regia monet hîc Baluzius.

Refertur decretum pro validitate dictorum sponsalium.

Notandum autem hîc dici , quòd *pater coactus, & dolens* filiam desponsaverit : cùm enim de filia *impubere* seu *infantula* agatur , videbatur , quod Pater ejus , cui voluisset , eam , etiam sine filiæ consensu, desponsare poterat ; quemadmodum de filio *nondum adulto , cujus voluntas nondum discerni potest* , dicitur *Canone* 2. legitur enim in hoc Canone : „potest au- » tem de filio nondum adulto , cujus voluntas non- » dum discerni potest , pater eum , cui vult , in ma- » trimonium tradere."

Quin & additur : & „postquam filius pervenerit » ad perfectam ætatem , omnino observare , & adim- » plere debet."

Concluditur decretum his verbis : *Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus sancitum , à nobis tenendum mandamus.*

At illud apocryphum est.

Decretum hoc à Gratiano , uti & in prima decretalium collectione , refertur sub nomine Hormisdæ Papæ , & apud Gregorium IX. *cap.* 1. ✠ *de desponsat. impub.* extat , omissis verbis conclusionis , sub nomine *Honorii Eusebio Episcopo* , uti monent Correctores Romani , sed hactenus , nec inter illius Epistolas , aut scripta repertum est ; ut proinde meritò inter apocrypha reponatur , & solius Gratiani auctoritate per Pontifices assumptum.

Plurimum in præfato decreto explicando laborant commentatores.

Interim laborant hîc commentatores , quâ ratione *filius nondum adultus , voluntas , cujus nondum discerni potest* , possit à patre tradi alicui filiæ in matrimonium , ut , *postquam pervenerit ad perfectam ætatem , omninò debeat hoc adimplere* , uti legitur in citato *capitulo* 1. *de desponsat. impub.*

Glossographus ait , hoc de honestate esse intelligendum , non autem de necessitate ; sed verba , tàm apud Gratianum , quàm in decretalibus inanem & falsam hanc solutionem evincunt , uti rectè monet Franciscus Florens in commentario ad præsentem quæstionem , nam nihil evidentius , quàm verba illa , *omninò debet adimplere* , necessitatem absolutam imponere. » Et dicendum (ait Florens) filium puberem

» non

» non posse dissolvere matrimonium, quod eo impu-
» bere pater elegerat. Nam sicut dicitur in *L. quam-*
» *vis* §. *penult. ff. de acquirenda possessione*, judi-
» cium impuberis pupilli infirmum suppleri auctorita-
» te, & consilio tutoris, ita pariter in hac specie
» multò magis dicere possumus, infirmum impuberis
» filii judicium suppleri, & confirmari auctoritate, &
» consilio patris, perinde ac si ipse plenissimè con-
» sensisset."

Sed vereor, ne hæc solutio sat firmo fundamento nitatur; neque ea apparet danda potestas tutori, aut patri in matrimonium filii, sicut in ejus res temporales.

Verisimile admodum est, auctorem hujus decreti, quisquis ille fuerit, præ oculis habuisse Canones, qui filium astringunt regulæ, & vitæ monasticæ, cui à patre impubes oblatus, & addictus fuerat, uti suprà ad causam vigesimam *quæst.* 1. notavimus: atque credidisse, à professione monastica ad matrimonium carnale argumentum duci posse.

Quidquid sit, hoc constat, quòd, sicut filius impubes paternâ pietate monasterio oblatus, postmodum pubes factus, hodie in monasterio perseverare non tenetur, ita nec à patre desponsatus teneatur, postquam ad pubertatem pervenit, sponsalibus illis stare.

Canon 4. constat ex verbis commonitorii, quod Nicolaus I. dederat duobus suis legatis, quos in Gallias mittebat, ut suprà auctoritate interessent Synodo celebrandæ in negotio divortii Lotarii II. Regis & Thetbergæ uxoris suæ, quam dimiserat, uti monent Correctores Romani; de qualitate plures sparsim Canones apud Gratianum extant, eamque in rem insignem tractatum edidit Hincmarus Remensis *de divortio Lotharii, & Thetbergæ.*

Quis metus coactos faciat nuptias.

Interim ex commonitorio habemus, non quemlibet metum facere coactas nuptias, quæ ob coactionem dissolvi queant, sed duntaxat metum gravem, qui cadat in *constantem virum*, sicut declarant hæc verba commonitorii: *metu unius hominis tantus Rex non debuit, &c.*

QUÆSTIO III.

An licitè matrimonium contrahatur cum meretrice.

Quæstione tertia unicum refert Gratianus Canonem Concilii Eliberitani, quo parentibus imponitur pœnitentia triennii, qui fidem sponsalium filiorum suorum fregerint; excusantur autem, si liberi ipsi absque eorum consensu ea fregerint, quod hîc verbis significare voluit Concilium: *Si tamen iidem Sponsus vel Sponsa in illo gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt Parentes*: quemadmodum legitur in originali, & apud Gratianum legatur, cùm negativè *non fuerint deprehensi*: quæ lectio genuinum sensum Canonis pervertit.

Post relatum Canonem ita concludit Gratianus: » Ecce, quod non licet parentibus filiorum suorum » sponsalia frangere. Verùm hoc de illis intelligen- » dum est, qui illorum consensu contrahuntur."

Finalis clausula non obscurè insinuat, ætate Gratiani matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita, fuisse invalida, quod & notavit Hericourt in Analysi hujus quæstionis.

CAUSA TRIGESIMA SECUNDA.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus materiam matrimonialem prosequens hunc casum proponit: „Quidam vir, cùm non » haberet uxorem, quandam meretricem sibi conju- » gio copulavit, quæ erat sterilis, neptis ingenui, » filia originarii; quam cùm pater alii vellet tradere, » huic avus eam copulavit, causâ solius incontinen- » tiæ. Deinde hic pœnitentiâ ductus, ex ancilla pro- » pria filios sibi quærere cœpit, postea de adulterio » convictus & punitus, quendam rogavit, ut vi uxo- » rem opprimeret suam, ut sic eam dimittere posset; » quo facto quandam infidelem sibi copulavit, eâ ta- » men conditione, ut ad christianam religionem tran- » siret."

QUÆSTIO I.

An licitè matrimonium contrahatur cum meretrice.

Quæstione prima quærit: „An meretrix licitè » ducatur in uxorem?"

Sub initium quæstionis, pro parte negativa sic arguit: „quod autem meretrix in conjugem » duci non debeat, multis auctoritatibus, & ratio- » nibus probatur. Illa enim, quæ adulterii rea con- » vincitur, nisi post peractam pœnitentiam, in con- » jugii consortio retineri non potest."

Quædam pro parte negativa adducit Gratianus.

Occasione hujus asserti de non retinendo adultera in conjugii consortio, plures auctoritates, sed plerasque sub falsis nominibus adducit, quibus probari videtur, quòd vir uxorem de adulterio convictam retinere, aut recipere nequeat. Verùm ad calcem *Can.* 4. auctoritates generaliter & indefinitè loquentes monet intelligendas, „nisi ab adulterio » mulier recedere voluerit: quo casu, ait, uxorem » suam vir recipere potest, nullum periculum ei il- » laturus."

At monet ea intelligenda de casu, quo meretrix nolit se corrigere.

Quam restrictionem nonnullis dein testimoniis probat, ac signanter S. Augustini Canone 7. *ex lib.* 2. *de adulterinis conjugiis cap.* 6. Pollentio *enim durum videbatur, ut post adulterium reconcilietur conjux conjugi. At si fides adsit* (respondet Augustinus) *non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentiâ credimus esse sanatos?*

Ejusmodi matrimonium cum meretrice legibus Romanis erat vetitum.

Admodum verisimile est. Pollentium non tantùm veteris Testamenti lege motum fuisse, sed etiam legum Romanarum, quas Ecclesia quoque suscipiebat, auctoritate, quibus sancitum erat, marito non licere deprehensam in adulterio, vel damnatam reducere, nec alteri cuilibet uxorem ducere: alioquin maritus in crimen lenocinii incidebat, & in pœnas legis Juliæ *de adulteriis*, uti & extraneus eam in uxorem ducens, *L.* 29. *ff. ad legem Juliam de adult.* & *L.* 2. *Cod. eodem*, cujus & meminit Gratianus ad calcem Canonis 10. quam restringit ad eam, quæ in adulterio *perseverare elegerit*: quo casu juxta citatam *legem* 2. dicit, quod, » Patronus turpitudinis, & le- » nocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii » ream facere voluerit."

Hinc ulteriùs concludit, pro resolutione propositæ quæstionis, quòd, » si adulteram nulli retinere » permittitur, multò minùs in conjugium duci licebit, » cujus pudicitiæ nulla spes habetur."

Auctoritates, quas hanc in rem allegat *Canone* 11. 12. & 13. nihil simile probant; citatque verba S. Hieronymi sub nomine S. Ambrosii, uti ad Canonem 12. notant Correctores Romani.

Juxta Gratianum licitum est cum meretrice conjugium, dum per illud ad castitatem revocari potest. Quin imò Pontifices Gratianum secuti ejusmodi conjugium tanquam valde meritorium laudant.

Interim resolvit propositam quæstionem ad calcem Canonis 13. dicens, licere » accipere in conjugem » meretricem, vel retinere adulteram, quam (ait) tuâ » consuetudine, castitate, & pudicitiâ exornes: non » autem aliquam earum habere, quam *nullo pacto* à » luxu carnis suæ revocare valeas."

Hac Gratiani resolutione dicti Pontifices, non tantùm nuptias cum publicis meretricibus non improbârunt, sed & laudârunt, tanquam opus summè meritorium: de quo notanda est decretalis Clementis III. prout integra extat in secunda collectione apud Antonium Augustinum, fragmentum refertur *in cap.* 20. ✠ *de sponsalibus.* » Scribit enim, inter opera charitatis non minimum esse, errantem ab erroris sua » semita revocare, ac præsertim mulieres voluptuosè » viventes, & admittentes indifferenter quoslibet ad » commercium carnis, ut castè vivant, ad legitimum » thori consortium invitare. Hoc igitur attendentes » (ait) auctoritate Apostolicâ statuimus, ut omnibus, » qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & » duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem » proficiat peccatorum."

Sed in hoc puncto à legibus civilibus, & pristina disciplina recessum est.

Non dubium, quin hac in parte à legibus civilibus procul recessum fuerit, utpotè quæ similes nuptias omninò improbabant, uti videre est *L.* 41. & *seq. ff. de ritu nuptiar.* & *L.* 7. *Cod. de incest. nuptiar.*

Quin & Patres jam pridem has nuptias ut minùs honestas existimâsset evincitur, quandoquidem, qui cum meretrice contraxerant, post mortem uxoris ad Ordines promoveri vetarent, *Canone* 2. *dist.* 33. & *Can.* 9. *dist.* 34.

Hîc rursus videmus quomodo Pontifices auctoritate Gratiani à Patrum, ac pristina disciplina recesserint.

QUÆSTIO II.

SEcunda quæstione quærit Gratianus, „ an ea quæ » causâ incontinentiæ ducitur, sit conjux ap- » pellanda?"

Pro quæstionis resolutione monet ad finem Canonis

Quis sit finis matrimonii.

nis 2. „ ex prima institutione conjugii in Paradiso, » debere esse thorum immaculatum, & honorabiles » nuptias, ex quibus sine ardore conciperent & sine » dolore parerent. At post lapsum extra paradisum » institutio conjugii facta est, (ait) ut infirmitas pro- » na in ruinam turpitudinis, honestate exciperetur » conjugii, juxta illud Apostoli, *propter fornicatio- » nem unusquisque suam uxorem, & unaquæque vi- » rum suum habeat.* «

Concludit ergo Gratianus, quòd, licèt prima institutio sit, ut duntaxat ob filiorum procreationem actus conjugalis adhibeatur, non tamen nuptiæ malæ Judicentur, tametsi præter generandi intentionem adhibentur: » quod enim, ait, præter intentionem » generandi fit, non est nuptiarum malum, sed est » veniale propter nuptiarum bonum, quod est tri- » partitum; fides videlicet, proles & Sacramen- » tum.“

Hoc probat *Can.* 3. auctoritate S. Augustini docentis, quod » in ipsa quoque immoderata exactio- » ne debiti carnalis, quam eis non secundum imperium » præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, » ut etiam præter causam procreandi sibi misceantur, » etsi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, » nuptiæ tamen ab adulterio, seu fornicatione de- » fendunt: neque enim, ait, illud propter nuptias » admittitur, sed propter nuptias ignoscitur, « ut scilicèt hujusmodi concubitus in crimen adulterii seu fornicationis non reputetur; sive, ut loquitur Gratianus, ut sit *veniale* malum propter nuptiarum bonum.

Intermiscet hîc Gratianus *Can.* 13. & sequentibus aliqua de consensu parentum in nuptiis filiorum, videturque hisce probari, quòd antiquitùs ad validitatem matrimonii, conformiter ad jus civile consensus parentum fuerit necessarius: at hodiè scitur non esse omninò necessarium ad validitatem matrimonii.

QUÆSTIO III.

Cujus consensus ad matrimonium requiratur, an avi liberi, an patris servi.

Quæstionem tertiam, quæ erat, » cujus arbitrium » aliqua sequatur, an liberi avi, an originarii » patris? « resolvit Gratianus relato unico Canone sub nomine Pelagii, quod si filia sit in potestate avi ingenui, cujus pater est *servus*, debeat habere consensum *avi*: quia Pater, utpotè servus, videtur civiliter mortuus, cujus nullo modo liberum potest esse arbitrium, ait Canon.

Hactenus responsum hoc inter Epistolas, aut decreta Pelagio primo vel secundo assignata non reperi, ideoque nihil certi inde concludi potest, neque hodiè hîc usui venit; utpotè qui veros servos non cognoscimus.

QUÆSTIO IV.

Polygamia licita fuit in veteri lege.

Quæstione quarta quærit Gratianus, » si viven- » te uxore liceat alicui filios ex ancilla quæ- » rere? «

Dubitandi ratiò oriebatur propter Abrahæ, Jacob & aliorum Patriarcharum exempla, qui propter uxorum sterilitatem, prolis procreandæ causâ ad ancillas accesserant, uti ad initium hujus quæstionis arguit Gratianus.

Verùm auctoritatibus, quas *Can.* 3. & sequentibus refert Gratianus, ostenditur, Patres advertisse, ea ante legem *Moysis*, & post diluvium permissa fuisse.

Primùm quidem ob generis humani raritatem Patriarchæ conjugibus miscebantur (ait Augustinus *Canone* 7.) non concupiscentia percipiendæ voluptatis, *sed providentia propagandæ successionis.*

Secundò, ob mysticam, & occultam quandam rationem, & quòd pro varietate temporum dispensatio illa divina locum habuerit: ut enim, ait, Hieronymus *Can.* 6. » servivit ille (Abraham) legi & tempo- » ri suo: serviamus & nos Evangelio & tempori nostro, in quos fines seculorum decurrerunt.“

In nova lege omni casu est illicita.

Pluribus dein Canonibus evincit Gratianus, nullo fine, nullaque de causa hodiè licitum esse vivente legitimâ uxore ad aliam ingredi: » Satius est defungi » sine liberis, quàm ex ilicito coitu stirpem quære- » re, ait Augustinus *Can.* 8. & rursus *Can.* 10. sic non » sunt facienda adulteria, etiam voluntate generan- » di regenerandos: quemadmodum nec furta facien- » da sunt, etiam voluntate pascendi pauperes sanc- » tos. «

Hinc ad calcem hujus Canonis concludit Gratianus: „ Ecce, quod nullo modo licet alicui, vivente » uxore sua, vel ex ancilla, vel ex alia qualibet quæ- » re filios; qui etiam suscepti filiorum nomine judi- » cantur indigni.“

Quid dicendum de immunditiis cum propriis uxoribus.

Addit autem Gratianus: » simplex etiam fornica- » tio in Sacra Scriptura prohibetur.“ Probat id *Canone* 11. auctoritate S. Augustini, & *Can.* 12. verbis S. Hieronymi, qui & docet, damnari & in propriis uxoribus voluptates extraordinarias, & immunditias, » ipsarum quoque opera nuptiarum, ait, si non ve- » recunde & non honestate quasi sub oculis Dei fiant, » ut tantùm liberis serviatur, immunditiam, & luxu- » riam nominavit.“

Non dubium tamen, quin immunditias cum propriis uxoribus, quæ extra legitimas uxores essent mortales, ipsæ nuptiæ facere possint interdum *veniales*, uti supra notatum est.

QUÆSTIO V.

Virgo vim patiens pudicitiam non amittit, neque uxor fit rea adulterii.

Quinta quæstio à Gratiano proposita est, „ si » ea, quæ vim patitur, pudicitiam amittere » comprobetur: “ Multis Patrum auctoritatibus sed nonnullis mutilatis, uti notant Correctores Romani, probat Gratianus usque ad Canonem 14. Si virgini vel nuptæ stuprum, aut adulterium *per vim* inferatur *omninò reluctanti*, & *invitæ*, nec pudititiam amittere virginem, nec adulterii ream esse uxorem. » Proposito enim animi permanente, per quod etiam » corpus santificari meruit, nec ipsi corpori aufert » sanctitatem violentiæ libidinis alienæ, quam servat » perseverantia continentiæ suæ, ait Augustinus *Ca- » none.* 4. & *Can.* 6. de pudicitia quis dubitaverit, quin » ea sit in animo constituta, quandoquidem virtus est; » unde à violento stupratore eripi nec ipsa potest.“

Hac quæstione à *Can.* 15. incipit Gratianus de adulterio agere; cumque *Can.* 15. & 16. dictum esset, eum esse adulterum, qui vivente uxore ad *explendam libidinem*, vel alia de causa ad aliam accessit, concludit ad finem Canonis 16. non posse dici adulteram, nec fornicariam, quæ *violenter aliena libidine oppressa vim pertulit.*

Nulla ex causa potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem.

Dein relatis verbis Evangelii, quibus Christus respondit discipulis, neminem posse uxorem dimittere, *excepta causa fornicationis*, infert: „ undè datur in » telligi, quod qualescunque fuerint vir, & uxor, ex » quo conjugali affectu sibi adhæserint, ulteriùs ab in- » vicem discedere non valent.“

Pluribus igitur auctoritatibus adstruit, nulla quacunque ex causa, *excepta causa fornicationis*, conjuges a se mutuo recedere posse, imò quidquid (*excepta fornicatione*) *cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat*, inquit S. Augustinus *Can.* 18.

Æquale est jus mariti, & uxoris ad dimittendam compartem adulteram.

His quoque auctoritatibus probatur, quod, sicuti vir uxorem de adulterio accusare potest, id simpliciter uxori liceat respectu mariti, *apud nos*, (ait Hieronymus Canone 20.) *quod non licet fœminis, æque non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur.*

QUÆSTIO VI.

Adulter compartem adulteram dimittere non potest.

POst hæc *quæstione sexta* quærit: „ Si adulter pos- „sit dimittere adulteram.“

Tribus primis Canonibus auctoritate Augustini probat Gratianus, „ nihil iniquius esse, quàm fornica- » tionis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur » fornicari: occurrit enim illud: *in quo enim alterum » judicas, temetipsum condemnas: eadem enim agis, » quæ judicas*: quapropter quisquis fornicationis cau- » sa vult abjicere uxorem, priùs debet esse à forni- » catione purgatus. Quod similiter etiam de fœmina » dixerim, uti habetur *Canone* 1.“ præterea graviùs puniendos viros adulterantes, quàm mulieres, eo quòd *magis ad eos pertineat & virtute vincere & exemplo regere uxores*, uti loquitur *Can.* 4.

Allegat *Canone* 5. fragmentum ex libro de *decem chordis* sub nomine Augustini; sed Augustini non esse notant Benedictini.

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

Nullo casu matrimonium per adulterium dissolvitur.

Quæstione septima quærit Gratianus: „si vir dimissa uxore ob adulterium possit ea vivente aliam accipere?“

Canone primo usque ad decimum sextum profert auctoritates præsertim S. Augustini, licèt nonnihil mutilatas, ut ad Canonem 3. monent Correctores Romani, è quibus ad calcem Canonis 16. monstrari ait, „quod, quicunque causa fornicationis uxorem „suam dimiserit, aliam alia vivente ducere non po„terit, & si duxerit, reus adulterii erit.“

Restrictio à Gratiano adducta falsa sit & enepta.

Verùm post factam generalem, ac indefinitam conclusionem, immediatè subjungi Gratianus, has auctoritates de his loqui, „quorum continentiam car„nalis infirmitas non impedit, vel de his, qui præs„tantes causam dissidii, aliorum conjunctione se red„diderint indignos.“

Hanc restrictionem parùm convenientem relatis auctoritatibus excogitâsse videtur Gratianns, ut eas in speciem saltem conciliaret cum textu, quem sub nomine S. Ambrosii refert *Canone* 17. ubi relatis verbis Apostoli 1. *ad Cor.* 1. *uxor à viro non discedat, &c.* additur, *ideò non subdit* (Apostolus) *de viro quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam.*

Meritò ad illa verba sub nomine Ambrosii hîc relata notandum monitum Correctorum Romanorum; ipsamque conciliationem à Gratiano adductam esse ineptam, & falsam Catholici fatentur, utpote negantes matrimonium ob adulterium alterutrius partis dissolvi, ita, ut alteri parti innocenti liberum esset ad alias nuptias transire.

Responsum Gregorii relatum Canone 18. falsum est.

Post hæc Canone 18. refert Gratianus responsum Gregorii junioris datum Bonifacio Episcopo. Quæsierat Bonifacius, „si mulier infirmitate correpta non „potuerit viro debitum reddere, quia eius faciat ju„galis?“ respondet Gregorius, „bonum esset si sic „permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc „magnorum est, ille, qui se non poterit continere, „*nubat magis*, non tamen subsidii opem subtrahat ab „illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis cul„pa excludit.“

Epistola hæc à Gratiano tribuitur Gregorio *juniori*, qui vulgò creditur *Gregorius III.* unde & in decreto correcto simpliciter tribuitur huic Gregorio; at probat Jacobus Sirmundus in nota ad hanc Epistolam, non posse eam tribui Gregorio III. sed adscribendam Gregorio II. ait, & in editione Conciliorum tom. 6. tribuitur à Labbæo.

Infertur ipse Gratianus.

Vidit Gratianus, hoc Gregorii responsum nulla specie conciliari posse cum relatis auctoribus, & doctrina ab Ecclesia circa indissolubilitatem vinculi matrimonialis recepta, ideò ad calcem hujus Canonis 18. dicere non dubitavit: „illud Gregorii sacris Canoni„bus imò Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ penitus „invenitur adversum.“

Evidens est Gratianum nequaquam dubitâsse, quin Gregorius in hoc suo responso à veritate Evangelica recesserit, adeoque manifestè supposuerit Pontifices in suis responsis, & decretis circa fidem sive Evangelicam veritatem posse errare, quod & aliis locis ac notanter in Canone, *si Papa, dist.* 40. supposuisse, & non obscurè declarâsse in his reflectionibus notavimus.

Idem post Gratianum supposuerunt veteres Canonistæ & Theologi.

Et quidem Glossographus secutus Gratianum, uti & veteres passim Canonistæ, & Theologi idipsum supposuerunt, unde & ad hunc Canonem verbo, *adversum*, notavit Glossographus, quòd in hoc responso aberraverit, sive non benè dixerit Gregorius. Objiciens enim sibi, *quod Leo IV. dicta Gregorii minoris sine exceptione mandavit tenenda*, respondet, *sed illud in aliis in quibus benè dixit*, manifestè indicans Gregorium, hîc non benè dixisse, & ideò observari non debere.

Nulla hic apud ipsos reperitur distinctio inter decreta cathedratica, & non cathedratica.

Insuper notandum, quòd Grtianus, dum dixit, & supposuit Pontificem in suis decretis, & responsis posse à veritate Evangelica recedere, nullam adhibuerit unquam distinctionem inter decreta *Cathedratica* „sive, ut hodiè nonnulli loquuntur, *ex Cathedra* „prolata: & non *Cathedratica*, seu non pronuntia„ta *ex Cathedra* neque eam apud veteres Canonis„tas, aut Theologos Gratianum secutos adhibitam le„gimus, ut proinde hæc distinctio videatur à recen„tioribus nonnullis, postremis his seculis, pro asse„renda Pontificis in fidei & morum dogmatibus in„fallibilitate adinventa.

Præfatum responsum Gregorii, etiam juxta modernos debet dici cathedraticum.

Verùm quidquid recentiores hi, sive Theologi sive Canonistæ, etiam adstruendæ huic Pontificum infallibilitati studiosissimi, requirunt, ut decretum aliquod dicatur per Pontificem pronuntiatum ex Cathedra, nequaquam negabit esse circa hoc decretum à Gratiano hîc relatum, qui integram Epistolam hujus Pontificis, è qua hoc decretum desumptum est seriò attenderit.

Ex hac enim Epistola, quæ integra extat *tom.* 6. *Concil. General. col.* 1448. habetur, & signanter ex ejus præfatione Bonifacium postulâsse à Gregorio Papa, non quid ipse Gregorius tanquam doctor & singularis Episcopus de Capitulis in Epistola per Bonifacium propositis sentiret, *sed qualiter teneat, vel doceat hæc sancta Apostolica Romana Ecclesia.*

Præterea ex eadem præfatione habetur, Gregorium conformiter ad postulationem Bonifacii respondisse: relato enim prædicto Bonifacii postulato, subjungit: „benè satis, quia Beatus Petrus Apostolus, & „Apostolatus, & Episcopatus principium extitit: & „consulenti tibi de statu Ecclesiæ non ex nobis, quasi „ex nobis, sed ejus gratia, qui aperit os mutorum, & „infantium linguas facit disertas, qualiter tenere de„beas Apostolici vigoris doctrinam dicimus.“

Ulteriùs constat Gregorium, non voluisse solummodo Bonifacium, suum per Germaniæ legatum, instruere, quid ipse tenere deberet de articulo hîc proposito, sed qualiter populos quoscunque instruere teneretur.

Habetur enim ex Epistola 3. hujus Pontificis ad Episcopos & alios omnium ordinum tum Clericos, tum Laicos, quod Bonifacium miserit ad convertendos populos ubicunque eos reperiret: igitur censendus est Pontifex voluisse, ut Bonifacius super articulis propositis (inter quos erat hic à Gratiano relatus) ita populos instrueret, & ita ab ipsis tenendum qualiter non ipse, sed ejus gratiâ qui aperit os mutorum, & infantium linguas facit dissertas, ipse in hoc responso tenere deberet Apostolici vigoris doctrinam, dixerat: adeoque ipse Gregorius juxta hanc resolutionem super articulo proposito universos populos, ubicunque eos reperiret Bonifacius, instruendos censuerit.

Hæc occasione eorum, quæ Gratianus de decreto Gregorii Papæ dixit.

Locus S. Ambrosii relatus Canone 17. inepte à Gratiano explicatus. Verisimilior responsio.

Cæterum circa sententiam S. Ambrosii relatam *Canone* 17. in qua Ambrosius apertè videtur dicere, viro licitum esse ob adulterium uxoris ad aliud matrimonium transire, varias reconciliandi rationes eodem loco adducit Gratianus, sed parùm convenientes, imò à mente auctoris planè alienas.

Verisimilis apparet, quod sub initium sui discursus ex quorundam opinione refert Gratianus scilicet: *Illud Ambrosii à falsatoribus dicitur insertum.* Notatur enim in recentiore, & accuratiore operum S. Ambros. editione à Benedictinis procurata, hæc verba: *ideo non subjecit*, &c. abesse à codice Remigii uno, & adjectum contendit P. Lombardus, *lib.* 4. *dist.* 35.

Monent quoque Correctores Romani pluribus locis ibi citatis contrariam sententiam ab Ambrosio asseri, supponunt tamen citatam sententiam esse revera S. Ambrosii ex ejus Epistolas Pauli commentariis.

Verum hæc commentaria falsò attribui S. Ambrosio notant prædicti operum illorum revisores in admonitione his commentariis in appendice operum S. Ambrosii præfixa, in qua & in verum hujus operis auctorem inquirunt.

De incestu.

Nonnulla addit dein Gratianus de adulterio, & sacrilego concubitu cum consanguineis, aut affinibus, pœnitentiisque eis peragendis.

Inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium.

Porrò ex Canone 19. 20. & sequentibus probari videtur, nullum tunc temporis inter adulteros incestuosos matrimonium consistere potuisse, perpetuamque pœnitentiam agere debuisse.

Nonnulla apocrypha, aut dubiæ fidei hîc à Gratiano impenduntur, ac notanter *Canone* 20. 23. & 26.

Vinculum conjugale manet, etiam factâ separatione ob adulterium.

Cùm autem præcipuè hac quæstione quæreret Gratianus, num dimissa ob adulterium posset, vivente viro, aut vir, vivente uxore, alteri jungi, resolvit simpliciter Gratianus ad calcem Canonis 26. id nequaquam licere, „manet enim (ait) inter eos quod„dam vinculum conjugale, quod nec ipsa separatione „dissolvitur.“

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Unde nec tunc aliud matrimonium etiam ob finem optimum contrahi potest.

QUin & *quæstione octava*, prolata Augustini sententia, sed paulò aliter, quàm apud Augustinum exprimitur, dicit, quod nec post dimissam conjugem *ream adulterii* liceat, ea *vivente*, ducere aliam etiam *infidelem* ut *faciat Christianam*, quemadmodum, *qui non aligatus uxori continentiam Deo voverit, nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideo credat uxorem sibi esse ducendam, quia promisit, quæ nuptias ejus appetit, futuram se esse Christianam.*

CAUSA TRIGESIMA TERTIA.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus matrimonialem materiam prosequens, casum hunc proponit, » quidam vir maleficiis » impeditus, uxori suæ debitum reddere non po- » terat, alius interim clanculo eam corrupit, à viro » suo separata corruptori suo publicè nubit: crimen, » quod admiserat, corde tantùm Deo confitetur: red- » ditur huic facultas cognoscendi eam: repetit uxo- » rem suam: qua recepta, ut expeditiùs orationi va- » caret, & ad carnes agni puriùs accederet, conti- » nentiam se servaturum promisit: uxor verò consen- » sum non adhibuit. «

QUÆSTIO I.

QUinque hinc quæstiones formas, quarum *prima* quærit: » An propter impossibilitatem coeun- » di, à viro suo aliqua sit separanda? «

Fragmenta quædam refert Gratianus *Canone* 1. & 2. sub nomine *Gregorii Joanni Ravenati Episcopo*, at hæc apud S. Gregorium non reperiuntur.

Notat Stephanus Baluzius, prius fragmentum desumptum ex cap. 29. Epistolæ Rabani ad Hericaldum, quam & edidit in appendice ad Reginonem; apud quem etiam hoc fragmentum sub nomine Rabani extat *lib. 2. cap.* 242.

Interim ex his auctoritatibus Gratianus ad calcem Canonis 3. concludit, quod „ impossibilitas reddendi » debitum solvit vinculum conjugii. Addit autem, sed » hoc de naturali impossibilitate statutum esse.“

Aliud est de impotentia superveniente post contractum matrimonium.

Hoc dictum Gratiani indubiè intelligendum de impossibilitate sive impotentia naturali reddendi debitum, quæ erat tempore contracti conjugii; non autem de *superveniente impotentiâ* post contractum legitimè matrimonium.

Olim in Ecclesia Romana impotentia non erat impedimentum dirimens.

Hanc enim non dissolvere matrimonium contractum probat Augustinus in *Canone* 27. & 28. *Caus.* 32. *q.* 7. nec de hoc quæstio est.

Alia erat disciplina Ecclesiæ Gallicanæ.

Verùm impotentiam reddendi debitum nec tempore Alexandri III. id est seculo XII. fuisse ubique & generaliter impedimentum dirimens, constat ex ejus decretalibus, prout extant in *cap.* 2. & 3. *de frigidis*, & *maleficiatis*, in prima decretalium collectione apud Antonium Augustinum, responditque, quod „ diversa sunt inde decreta & diversæ senten- » tiæ: sed consuetudo est (inquit) Romanæ Ecclesiæ » in similibus taliter tenere, quod, si non potest eam » sicuti uxorem habere, ipsam habeat ut sororem, & » in dicto *cap.* 3. quod, si consuetudo generalis Ec- » clesiæ Gallicanæ habeat, ut hujusmodi matrimo- » nium dissolvatur, nos, ait, patienter tolerabimus, » si secundum illam consuetudinem eidem mulieri, » cui voluerit in Domino nubendi concesseris facul- » tatem.“

Quam tandem Romana totaque Ecclesia amplexa est.

At sensim Ecclesia Romana aliarum Ecclesiarum consuetudini se conformavit, atque ita per totam Ecclesiam impotentia naturalis, & absoluta impedimentum *dirimens* matrimonium constituit, uti patet ex titulo decretalium Gregorii IX. *de frigidis*, & *malefic.* ubi dictæ decretales referuntur, rescissis iis, quæ contrariam Ecclesiæ Romana consuetudinem indicabant. Hinc rursus videmus etiam tempore Alexandri III. Ecclesiam Gallicanam diversam disciplinam à disciplina Romana Ecclesiæ retinuisse; neque hanc unquam recepisse, sed è contrario Ecclesiam Romanam disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ acceptâsse.

Quandonam impotentia ex maleficio dirimat matrimonium.

Profert denique Gratianus *Canone* 4. fragmentum Epistolæ Hincmari Rhemensis, quo asseritur, si per sortiarias, & maleficas factum sit, ut concubitus non sequatur, neque adhibitis orationibus ac Eleemosynis, & exorcismis aliisque mediis sanari potuerunt, *tunc separari valebunt, sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant prioribus, quos reliquebant, etiamsi possibilitas concubendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.*

Ad calcem hujus Canonis monet Gratianus, » hoc » videri contrarium præmisso capitulo Gregorii (in » Canone 2.) ibi enim poss possibilitatem redditam ju- » betur separari ab ea, cui secundò nupserat, & re- » dire ad primam. Hic autem vivente eo, cui secundò » copulata fuerat, primo reconciliari non poterit.“

Circa dissolutionem matrimonii ratione impotentiæ, aut adulterii, non fuit semper eadem opinio.

QUÆSTIO II.

Gratiani opinio de dissolutione matrimonii per divortium factum auctoritate Ecclesiæ.

HIc enim rursus sub initium *quæstione secundæ*, ait: „ quod autem ei, cum quo priùs fornicata » fuerat, post separationem nubere possit, superiùs » probatum est. Mortuus enim est sibi vir ejus, ex » quo judicio Ecclesiæ ab eo separata ab ejus lege so- » luta est, unde juxta Apostolum: *Nubat cui vult* » *tantum in Domino*, sed quæritur, si sine ecclesias- » tico judicio, nulla causa dissidii rationabiliter pro- » batâ ab ea discessisset, an esset cogendus redire ad » eam.“

Non licet sine sententia Ecclesiæ facere divortium.

Nequaquam obscurum est, quòd Gratianus non dubitaverit, quin conjuges in causa fornicationis judicio Ecclesiæ ab invicem separati, possint liberè alteri jungi, sed præsenti *quæst.* 2. quærit de eo, qui sine judicio Ecclesiæ dimisit uxorem, & *priori parte* probare vult, non licere viro sine judicio & sententia Ecclesiæ ex qualibet causa dimittere uxorem, vel uxori virum relinquere, alioquin per censuras redire compelli possint.

Et quidem *Canone* 1. citat Canonem sub nomine Concilii Carthaginensis, cui Augustinus interfuit, sed revera est Synodi Agathensis, ut notat Correctores Romani, in quo decernitur, quòd „si mariti antequam » apud Episcopos comprovinciales dissidii causas di- » xerint, & priusquam in judicio damnentur, uxo- » res suas abjecerint, à communione S. Ecclesiæ, & » populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugia macu- » lant, excludantur. “

Profert & *Canone* 3. fragmentum sub nomine Nicolai Papæ Carolo Regi; sed rectè monet Antonius Augustinus *Lib. 2. de emend. Gratian. Dial.* 12. non esse Nicolai, sed esse *Isidori Mercatoris* in præfatione Conciliorum, referturque in eo fragmento quoddam excerptum ex historia Eusebii *Lib. 7. Histor. Eccl. cap.* 17. editionis Valesianæ, ubi historia de muliere à viro de adulterio accusata fusiùs describitur.

Addit *Canone* 4. fragmentum ex Epistola Nicolai I. ad Carolum Calvum in causa divortii Lotharii cum Thierberga, è qua Epistola plura fragmenta à Gratiano relata sunt, uti loco citato monet Antonius Augustinus: de quo divortio specialem tractatum scripsit Hincmarus Rhemensis, uti suprà monuimus.

Ex his igitur concludit Gratianus, viro non licere sua auctoritate uxorem dimittere. „ Et quia separatio » pœna est, & pœna nulli inferenda, nisi per judicem, » generaliter hoc, ait, intelligendum est ut sive ob » causam præmissam, sive nullâ causâ existente, non » liceat alicui sua auctoritate uxorem dimittere.“

Post hac agit Gratianus de interfectoribus uxorum propriarum ob commissum adulterium, profertque in eam rem *Canone* 5. & 6. nonnulla sub nomine Nicolai Papæ, sed utrumque fragmentum *incertum* esse monet Antonius Augustinus *Lib. 2. Dial.* 18. quod autem *Can.* 7. citat sub nomine Pii Papæ apocryphum esse hodie exploratum est.

De interfectoribus uxorum, & pœnitentia ipsis imponenda.

Agit deinde pœnitentia interfectoribus uxorum imponenda, eamque in rem adfert prolixum fragmentum sub nomine *Stephani Papæ Hastulpho*, at Burchardus *Lib. 6. cap.* 40. illud allegat ex Epistola *Paulini Forojuliensis Episcopi* ad *Heistulfum*, quam esse genuinam inscriptionem probat hîc Stephanus Baluzius: extatque hæc Paulini Epistola *Tom. 7. Conc. Gener. col.* 1064.

Interim ex hoc fragmento, & Epistola apparet, quòd etiam sub finem seculi VIII. pœnitentia publica pro enormibus criminibus esset agenda, duraque & diuturna opera pœnitentiæ subeunda.

Pœnitentes post septenem pœnitentiam in pristinum gradum restituti.

Parte V. hujus quæstionis quærit Gratianus, „quare » sacris Canonibus sit institutum, ut post septem annos, » pœnitentes in pristinum statum revocentur?“ Suppositum autem probat unico Can. 11. sub nomine Isidori ad *Massonem*, sive *Massanum Episcopum*: adstruiturque ibi, quòd cum *Maria* Soror Aaron peccâs-

set contra Moysen, lepra perfusa, *septem diebus* pro emendatione extra castra egredi debuerit, atque post *septem dies* regredi jussa sit. » Maria ergo So- » ror (inquit) caro intelligitur Sacerdotis, quæ dum » superbiæ dedita, sordidissimis cogitationum macu- » latur contagiis, extra castra septem diebus, hoc » est, extra collegium S. Ecclesiæ septem annis pro- » jicitur, ut post emendationem vitiorum loci, vel » pristinæ dignitatis recipiat meritum. «

Hinc ergo concludit Gratianus, quod » quan- » quam de Sacerdotibus videatur specialiter dictum, » generaliter tamen de omnibus pœnitentibus opor- » tere intelligi.... ut majorum criminum pœnitentia » septem annorum spatio concludatur, nisi vel offi- » cii excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem » consuetudinem excedens, præmissum spatium trans- » cendere cogat. «

Id probat Gratianus unico Canone apocrypho.

Verùm notârunt eruditi, hanc Epistolam non esse legitimum S. Isidori Hispalensis fœtum, sed putridam *Isidori Mercatoris* mercem. De illa loquens Joannes Morinus dicit, eam planè *commentitiam* esse: idque pluribus probat Natalis Alexander *in Histor. Eccles. Seculi VII. cap.* 4. *de Scriptoribus ejusdem Seculi, artic.* 4. *de S. Isidoro.*

Equidem hac occasione mutari cœpit disciplina circa restitutionem Clericorum lapsorum.

Interim hujus similiumque suppositorum fragmentorum auctoritate cœpit seculo IX. collabi disciplina pristinis Canonibus stabilita, & per VIII. secula constanter conservata, de non restituendis ad sacras functiones Clericis in crimen præsertim carnis prolapsis.

Horum quoque occasione inducta fuit à Gratiano distinctio inter prolapsos *publicè*, & *occultè*, uti latiùs ostendi in dissertatione de instituto Canonicorum *part.* 2. *cap.* 2. ubi fusè hanc disciplinam adstruxi, & quid circa eam hodie Ecclesia tolerare videatur, ostendi.

An, & quando fuerit olim licitum post pœnitentiam conjugium contrahere.

Denique quærit sextâ parte Gratianus de pœnitentibus: » An eis generaliter post pœnitentiam pe- » ractam conjugia concedantur? «

Auctoritate Siricii Papæ *Canone* 12. & S. Leonis in Epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem *Canone* 14. videtur probari, quod pœnitentibus generaliter inhibitum fuerit, etiam post *peractam* pœnitentiam conjugium contrahere: excipit autem S. Leo, eum, » qui in adolescentia constitutus, si » urgente, aut metu mortis, aut captivitatis peri- » culo, pœnitentiam gessit, & postea timens lap- » sum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris ele- » git, ne crimen fornicationis incurreret, rem vi- » detur fecisse venialem, si præter conjugem nul- » lam aliam cognoverit. «

Addit autem Leo: *In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus.* Quæ sat ostendunt, ex regula generali, pœnitentibus conjugium non fuisse permissum, quod & amplius probant verba sequentia Epistolæ, sed à Gratiano omissa: » Nam secundum veram cognitionem » nihil magis eò congruit, qui pœnitentiam gessit, » quàm castitas perseverans & mentis & corporis. «

QUÆSTIO III.

Insertus hic à Gratiano tractatus de Pœnitentia de postea.

Quæstione tertia quærit Gratianus, » si sola con- » fessione cordis crimen possit deleri? «

Gratianus ad explicandam hanc tertiam quæstionem multa attulit ad Sacramentum Pœnitentiæ spectantia, quæ, cum prolixum admodum tractatum conficerent, & ob confusionem admodum obscurum; qui Gratianum postmodum secuti sunt, in septem distinctiones eum diviserunt, uti notant Correctores Romani ad initium hujus quæstionis; vocaturque tractatus *de Pœnitentia*, cujus annotationes dabimus post absolutam integram hanc secundam partem Gratiani.

QUÆSTIO IV.

De tempore, quo ab actu conjugii abstinendum.

Quæstione quarta » Discutit Gratianus, si tempore orationis quis valeat reddere conjugii » debitum. «

Plures recitat auctoritates, quibus probatur, diebus orationis, & jejuniorum ab actu conjugii esse abstinendum, sed pleræque auctoribus non suis adscribuntur: sic *Canone* 1. refertur fragmentum sermonis sub nomine Hieronymi, quem ejus non esse monent Correctores Romani.

Sermonem S. Augustino adscriptum, cujus verba extant *Canone* 2. non esse ipsius, notant Patres Benedictini in monitione præfixa sermoni 166. in Appendice *ad tomum V.* operum Augustini.

Verba Canonis 3. non esse Ambrosii, aut saltem mutilata esse, monet Correctio Romana; quæ autem Canone 4. referuntur ex commentario ejusdem *in 1. Epist.* ad Corinthios falsò ipsi adscribi suprà monuimus.

Librum quæstionum veteris & novi Testamenti, è quo desumptus est Canon 5. Augustino tribui non posse, hodiè compertum est.

Canonem 6. non inveniri apud Chrysostomum, cujus nomini inscribitur, monent Correctores Romani.

Circa ea, quæ ex responso S. Gregorii ad *interrogationem* 10. Augustini Anglorum Apostoli referuntur *Canone* 7. meritò consulentur recentiores notæ in Epistolam S. Gregorii.

His nihilominus sat probatum credidit Gratianus, quod *orationis tempore conjugali operi vacare non liceat.*

Imò ex his ulteriùs concludit ad calcem Canonis 7. *Hinc etiam in diebus abstinentiæ nuptiæ celebrari prohibentur.*

De tempore, quo nuptiæ celebrari non debent.

In hujus probationem subjicit quatuor Canones, quorum præcipuus est Canon 52. Laodicenus, quem *Canone* 8. refert ex versione vulgari, & rursus *Canone* 9. tanquam ex Concilio Martini Bracarensis, sed revera ex collectione hujus Martini.

Quod *Canone* 10. ex Concilio Illerdensi refertur, recentioris ætatis apparet: decernitur enim: » Non oportet à septuagesima usque ad octavas Pas- » chæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem S. » Joannis Baptistæ, & ab adventu Domini usque ad » Epiphaniam, nuptias celebrare: quod, si factum » fuerit, separentur. « Nihil simile apud antiquos determinatum legimus.

His interim non parùm consonat hodierna disciplina nostra circa tempus, quod *clausum* vocant.

Gratianus videtur hanc nuptiarum prohibitionem intellexisse duntaxat in ordine ad actum conjugalem; nam ad calcem Canonis 11. ait: » hæc autem servan- » da sunt, si uxor consensum adhibere voluerit: cæ- » terum sine ejus consensu, nec causa orationis con- » tinentia servari debet. «

QUÆSTIO V.

HUic conclusioni stabiliendæ impendit hîc duos Canones; & ulteriùs prosequitur *quæstione quinta*, in qua quærit, » utrum vir sine consensu uxo- » ris continentiam vovere possit. «

Probat Gratianus, conjuges non posse sine mutuo consensu votum continentiæ emittere, sed si vir uxori, aut uxor viro suo *semel* permiserit continentiam vovere, » si postmodum in irritum dedu- » cere voluerit, qui permisit, non tamen valet: quia » in debito conjugii æquè mulier habet potestatem vi- » ri, sicut & vir mulieris: ut loquitur Gratianus ad » calcem Canonis 11. «

De potestate viri in uxorem, & vota ab ea emissa.

Porrò à Canone 12. usque ad finem agit de potestate, & superioritate viri in mulierem, & de hujus subjectione.

Plura adducit hanc in rem ex S. Augustino, sed nonnulla admodum mutilata, uti notant Correctores Romani ad Canones 1. 4. 5. 12. 13. 16. Canon autem 17. citatur sub nomine S. Augustini *ex libro Quæstionum veteris Testamenti*, quem non esse Augustini suprà monuimus.

Cæterum præ relatis reliquis ex S. Augustino, notandus Canon 4. desumptus ex Epistola *ad Ecditiam*, quæ integra pro resolutione hujus quæstionis meritò legitur.

Citatur Canon 10. ex Concilio Rhemensi, ubi non reperitur, sed habetur in Concilio Vermeriensi anni 752. è quo eum citat Regino *lib.* 2. *cap.* 125. at Burchardus substituit Rhemense, additque hæc finalia verba: *sed similiter convertatur*, quæ nec in Concilio, nec in Reginone leguntur. Gratianus secutus est Burchardum, addita eadem clausula, *similiter convertatur*, cujus in Conciiio nulla mentio fit.

Moderna disciplina circa conversionem conjugatorum sat congruit lectioni, quam hîc exhibet Gratianus; uti videre est ad titulum decretalium *de conversione conjugatorum.*

Ca-

Canon 19. citatur ex Ambrosio supra primam Epistolam ad Corinthios, at Commentarium illum non esse Ambrosii supra monui.

Ex omnibus autem tandem concludit Gratianus: » Evidentissimè itaque apparet: ita virum esse caput » mulieris, ut nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ » conversationis liceat sibi sine ejus licentia Deo of- » ferre: etiamsi viro permittente emissa fuerint, non » licet ei votum opere complere, cùm vir voluerit » revocare permissum. Vota verò continentiæ ita al- » terius permissu ab altero valent offerri, quod post » permissionem non valent in irritum deduci. «

CAUSA TRIGESIMA QUARTA.

HAc causa in duas quæstiones divisa, quas junctim resolvit, examinat, *An sit ista rea adulterii, quæ viro suo in captivitatem ducto, alteri nupsit? & an redeunte primo sit cogenda recedere à secundo, & redire ad primum.*

Matrimonium ob captivitatem vel absentiam unius conjugis non dissolvitur.

Utramque quæstionem terminari auctoritate S. Leonis in Epistola ad Nicætam Aquileiensem Episcopum (cujus verba extant Canone 1.) asserit Gratianus.

Et sanc clarissimè citato loco resolvit S. Leo, matrimonia ob captivitatem virorum non dissolvi, nec posse mulieres viventibus viris in captivitate, alteri jungi, & si alteri junctæ sint, eo quod viros suos mortuos crederent, debeant redeuntibus viris, à secundo recedere, & ad primum redire.

Plura eandem in rem citat hîc Gratianus, at inter cætera notandus Canon 4. ex Concilio apud Vermerias anni 752. Can. 11. ubi decernitur: *Si quis necessitate inevitabili cogente ad alium Ducatum seu Provinciam fugerit* (in Concilio additur: *aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit*) *& uxor ejus, cùm valet & potest, amore Parentum, & rerum suarum, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quandiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat.*

Hîc Canon non obscurè innuit, non omni casu mulierem, cujus vir ad *aliam Provinciam* fugerit, *vivente* viro, debere manere innuptam, quod manifestiùs significant verba finalia Canonis à Gratiano omissa, sed relata à Burchardo *Lib. 9. cap. 54.* Verba Canonis sunt: *Nam ille vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit* (Burchardus legit: *in alia patria manet, si nunquam in suam patriam se reversurum sperat*) *si se abstinere non potest, aliam uxorem cum pœnitentia accipere potest.* Habetur Canon *Tom. 6. Concil. general. colum.* 1658.

Casu premittit quandoque aliam conjugem ducere.

Nequaquam obscurum est, hoc Canone permitti viro, ut ad alias nuptias transeat ob diuturnam conjugis absentiam; non igitur mirum, quod simile interdum permissum fuisset & uxori.

Pro quo notandum legibus civilibus ob multiplices causas, ac signanter ob *diuturnam* conjugis *absentiam divortium* permissum fuisse.

Ratio illius Canonis.

Porrò Ecclesia in imperio nata, has leges simul & semel abrogandas non duxit, sed sensim atque uno in loco citiùs, in alio seriùs: quemadmodum circa dissolutionem matrimonii propter adulterium contigisse, alibi notavimus: ut mirum non sit, si divortium & libertas transeundi ad alias nuptias, sub quâdam moderatione permittatur hoc Canone, qui alibi absolutè tunc etiam prohibitus erat, & sensim tandem generaliter interdictus fuit, uti ostendimus in *Jure Eccl. Part. 2. tit. 15. cap. 3.*

CAUSA TRIGESIMA QUINTA.

De impedimento consanguinitatis & affinitatis. Casus in hac causa propositus.

GRatianus materiam matrimonialem prosequens, hâc causâ de impedimento consanguinitatis & affinitatis discurrit, hunc casum proponens: » Quidam vir, mortua uxore sua, aliam sibi in matri- » monio copulavit, quæ uxori defunctæ quarto gradu consanguinitatis, viro autem sextâ lineâ adhære- » bat: post triennium verò, liberis ex ea susceptis, » accusatur apud Ecclesiam: iste prætendit ignoran- » tiam. «

QUÆSTIO I.

HInc decem quæstiones educit Gratianus quarum prima quærit, » si liceat aliquam ex propria » cognatione duci in uxorem. «

Hîc auctoritate S. Augustini resolvit, cur in novo Testamento conjugia inter consanguineos & affines sint vetita, quæ in veteri Testamento permittebantur. » Habita est (ait Augustinus hîc Canone unico) ratio » rectissima charitatis, ut homines, quibus esset uti- » lis atque honestissima concordia, diversarum ne- » cessitudinum vinculis necterentur, nec unus in una » multas haberet, sed singulæ spargerentur in singu- » los, ac sic ad socialem vitam diligentiùs colligan- » dam plurima plurimos obtinerent. «

Rationes hujus impedimenti ex Augustino.

Desumptum est hoc fragmentum Augustini ex *Lib. 15. de Civit. Dei, cap. 16.* ubi & hanc, à Gratiano omissam, rationem dictæ prohibitionis reddit: » Quia nescio quomodo inest (inquit) humanæ » verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, ut, » cui debet causâ propinquitatis reverendum hono- » rem, ab ea contineat, quamvis generatricem libi- » dinem, de qua erubescere videmus, & ipsam pu- » dicitiam conjugalem. «

In linea rectâ matrimonia in infinitum vetita sunt.

Hæc ratio potissimum militat in linea recta seu ascendentium & descendentium, inter quos propterea matrimonia usque in infinitum vetita esse pronuntiavit Nicolaus I. *cap. 39. responsionis ad articulos Bulgarorum*, uti notavi in *Jure Eccl. Part. 2. tit. 13. cap. 5.*

QUÆSTIO II. ET III.

QUærit Gratianus *quæstione secundâ & tertiâ*, » usque ad quem gradum à consanguineis pro- » priis abstinere oporteat, vel si ex cognatione » propriæ uxoris aliquam duci in uxorem liceat? «

Usque ad quem gradum impedimentum consanguinitatis extendatur.

Gratianus auctoritate Decretalium à Pseudo-Isidoro primis Pontificibus affictarum, probare videtur, primis etiam Ecclesiæ seculis prohibitionem hanc extensam fuisse ad *septimum* gradum, at eam extensionem nullatenus convenire illis seculis notavimus in *Jure Eccles. Part. 2. tit. 13. cap. 5.* ac unà ostendimus, pluribus seculis Ecclesiam in hac prohibitione se conformâsse *legibus* imperialibus, nec impedimentum hoc ultra terminos *legibus* constitutos protendisse; at demum seculo octavo & nono eam extensionem usque ad *septimum* gradum sensim invaluisse.

Admodum confuse & parum solide hanc materiam tractat Gratianus.

Cùm autem disciplinam pristinam & recentiorem non satis distinguat Gratianus, Canonesque hanc & illam disciplinam repræsentantes inter se nullo temporis ordine servato, misceat, confusè admodum hanc materiam tractat, præsertim, quia nec apocrypha à sinceris monumentis sufficienter segregat.

QUÆSTIO IV.

Ratio parum solidæ impedimenti consanguinitatis usque ad sextum gradum.

Quæstione quarta quærit Gratianus: » Quare ad » sextum gradum consanguinitatis conjunctio » prohibeatur? «

Ex Isidoro ideò id factum pronuntiat: » Ut sicut » *sex Ætatibus* mundi generatio, & hominis status » finitur, ita *propinquitas* generis tot gradibus termi- » naretur. «

De hac restrictione usque ad sextum gradum alibi me legisse non memini, multo minus rationem adductam ab ullo probatam scio.

QUÆSTIO V.

De modo computandi gradus consanguinitatis & affinitatis.

MUltis discurritur *quæstione quinta* de computatione graduum consanguinitatis & affinitatis, regulæque assignantur, & explanantur, juxta quas, tàm de Jure Civili, quàm Canonico, graduum computatio ineunda est, sive in linea recta, sive collaterali.

Hæ regulæ hodie passim notæ sunt, easque breviter exposui in *Jure Eccles. cap. 5. tit. 13.* unaque notavi, quo tempore invaluerit canonica computatio graduum diversa à Civili in linea collaterali.

Porrò circa Canones hujus & præcedentium quæstionum merito reflectitur ad notas Correctorum Romanorum, eo quòd multa admodum mutilata, & falsò auctoribus assignata refert Gratianus.

Præterea meritò observationibus Correctorum Romanorum in *Canonem 20. quæst. 3.* adducuntur notæ recentiores in responsionem S. Gregorii ad interrogationem sextam Augustini Anglorum Apostoli, è qua hic Canon desumptus est.

QUÆSTIO VI.

Qui possint esse accusatores & testes ubi de consanguinitate agitur.

TRactat ulteriùs Gratianus, *quæstione sexta*, „quibus accusantibus vel testificantibus consanguineorum conjunctio dirimenda sit?“

Et quidem *Can.* 1. profert suppositium Decretum Fabiani Papæ, quo decernitur: *Consanguineos extraneorum nullus accuset vel consanguinitatem in Synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam pertinet.*

Ad hoc Decretum indubiè reflexit auctor Decretalis, quæ hîc *Can.* 2. refertur sub nomine Cœlestini Papæ, & in *c.* 3. ✠ *qui matrimonium accusare possunt*, sub nomine Clementis III. Papæ, ubi dicitur, quòd „parentes fratres & cognati utriusque sexûs, in testificatione suorum ad matrimonium conjungendum, „vel dirimendum admittantur, tam *antiqua consuetudine*, quàm *legibus* approbatur.“

Formula juramenti pro accusatore & testibus.

Post hæc refert *Can.* 5. & sequentibus formulam juramenti, secundum quam primum accusator, item testes, qui consanguinitatem probare debent, jurare coguntur.

Formula juramenti pro separandis ob consanguinitatem.

Dein *Canone* 9. profert juramentum separationis præstandum ab iis, qui ob consanguinitatem detectam auctoritate Episcopi separantur.

Divortium ob consanguinitatem propria auctoritate fieri non potest.

Post hæc *Can.* 10. probatur, neminem propria auctoritate uxorem suam occasione *consanguinitatis* dimittere posse, *donec* Episcoporum Religiosorum Concilium causam istam examinaverit: hodie Officialis auctoritas sufficit; imo si nota sit ipsis conjugibus consanguinitas, saltem ab actu conjugali abstinere debent, licèt publicè separari, & ad aliud matrimonium transire ante sententiam Judicis non possint.

Formula juramenti dum recipitur uxor injuste dimissa.

Denique *Canone* 11. proponitur juramentum præstandum, dum vir recipit eam, quam injustè dimisit.

Notandum autem fontem Canonis 5. 6. & 9 esse collectionem Reginonis, apud quem referuntur *Lib.* 2. *cap.* 231. 232. & 233. è quo illa desumpsisse videtur Burchardus *cap.* 25. 26. & 27. *Lib.* 7. additis in fine his verbis: *& istæ Sanctorum Reliquiæ*, quæ apud Reginonem desiderantur, simpliciterque legitur *sic te Deus adjuvet.* Cùm autem Gratianus referat Canones cum prædicta clausula, haud obscurum, non è Regmone, sed è Burchardo desumpsisse Gratianum.

Formula interrogandi Laicos, dum Episcopus visitat.

Similiter Canon 7. extat apud Reginonem *Lib.* 2. *cap.* 2. & 3. apparetque fuisse formulam, juxta quam Episcopi visitantes interrogare debebant *Laicos*, quæ Burchardus ineptè attribuit Eutychiano Papæ, quem errorem posteriores Collectores ac signantes Gratianus secuti sunt; cùm certum sit, hæc huic Pontifici adscribi non posse, multaque in eis contineri, quæ disciplinæ istius ætatis non conveniunt, uti supra monuimus, & pluribus probat Stephanus Baluzius in notis ad Reginonem pag. 379.

QUÆSTIO VII.

An nati ex incestu filii reputentur?

QUæstione septima refert Gratianus verba S. Augustini *ex quæstione* 76. *super Leviticum*, ubi Augustinus exponit, quid sacer textus velit per hæc verba: *sine Filiis morietur*, nimirùm quicunque dormierit cum cognata sua: „Cùm filii ex hujusmodi conjunctionibus & ante nati sint, hodieque nascantur, an hoc intelligendum est lege Dei constitutum, ait, ut quicunque ex iis nati fuerint, non „reputentur filii, id est, nullo parentibus jure succedant.“

Sicuti hîc nihil resolvit Augustinus, ita nec Gratianus, sed simpliciter hæc Augustini verba refert.

Plura circa successionem hanc tum legibus Romanis, tum Principum posteriorum editis ordinata fuêre.

QUÆSTIO VIII.

Ignoranter conjuncti in gradu prohibito quandonam separandi.

OCtava quæstione quærit Gratianus: „De his, qui „ignoranter conjuncti sunt, in quo gradu consanguinitatis, vel affinitatis ex dispensatione „Ecclesiæ relinquantur.“

Pro resolutione hujus quæstionis refert Gratianus bina potissimum fragmenta sub nomine Gregorii ex plurium auctorum centonibus conflata, uti notant Correctores Romani.

Ex his equidem concludit Gratianus: „Qui in 4., „vel in 5. gradu consanguinitatis conjuncti inventi „fuerunt, ab Ecclesia separari jubentur.“

Dispensatio olim etiam ignoranter conjunctis difficillimè concedebatur.

Docent & hæc qualiacunque decreta, admodum ægrè tunc temporis, etiam in contractis matrimoniis inter consanguineos, quamvis ignoranter fuisse dispensatum. Dicitur enim Canone 1. quòd, „qui infra septimam generationem in matrimonio sunt inventi, si nescientes fuerint, & jam multa curricula annorum sint revoluta, ita ut *Filios* habeant, „in *Sexto* qui inventi sunt, aut fortasse in *Quinto* „hujusmodi non separentur, donec nos Domino permittente, ore ad os loquamur: hoc autem (inquit) dico *secundum indulgentiam*, non secundum „imperium.“

Quoad contrahenda autem matrimonia, nunquam licentiam dari, licèt impedimentum ad septimum gradum extendatur, declaratur in Canone 2. *Quoniam* (inquit) *usque ad septenarium numerum parentelæ, nulli unquam copulam contrahere licentiam damus*: de quo pristino in dispensando rigore vide dicta in *Jure Eccles. Part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1.

QUÆSTIO IX.

Conjugium per errorem causa consanguinitatis separatum detecto errore redintegrari debet.

INquirit Gratianus *quæst. nona*: Quid, si contigerit Ecclesiam decipi, & causa consanguinitatis aliquam à viro suo separare, quæ postea nuptiis hinc inde celebratis deprehenditur non esse consanguinea prioris; an secunda conjugia sint rescindenda, & priora sint redintegranda? Resolvit pro affirmativa, eumque in finem profert plura, quibus ostendat, quòd sententia etiam *Romanæ Sedis* possit in melius commutari, cum sibi aliquid subreptum fuerit. „Suum „*errorem* cuique corrigere licet, (ait Gratianus) atque „ideò, quæ à quolibet illicitè committuntur, sive à „prædecessoribus admissa inveniuntur, in *melius revocari* oportet.“

QUÆSTIO X.

Affinitas à Gratiano multum extensa.

DEcimâ quæstione resolvit Gratianus, si mulieres defuncto viro ad secundas nuptias transeat, & ex his proles suscipiat, non posse has proles conjugi cum consanguineis prioris viri, hac unica ratione: quia vir, & mulier una caro sunt, ac per consequens, consanguinei viri necesario reputandi sunt consanguinei uxoris, & prolium ejus.

Profert hanc in rem *Canone* 1. prolixum fragmentum sub nomine Gregorii Papæ Venerio Episcopo Caralitano; sed stylum Gregorii non refert, neque inter Epistolas Gregorii reperiri monent Stephanus Baluzius; nec majoris auctoritatis reliqua adducta decreta videntur, quæ & incertas inscriptiones præferunt.

A Concilio Lateranensi restrictio fuit.

Ex hac interim Gratiani ratiocinatione tandem receptum fuit triplex genus affinitatis, quod rursus ad unicum reduxit Concilium Lateranense sub Innocent. III. in *cap. penult.* ✠ *de consang. & affinit.* de quo plura in *Jure Eccl. Part.* 2. *tit.* 13. *cap.* 5.

CAUSA TRIGESIMA SEXTA.

Casus in hac causa propositus.

GRatianus hac causa agit de crimine raptus, casum ita exprimens: „Filiam cujusdam ignorante Patre quidam muneribus illexit, & ad convivium invitavit: finito convivio Juvenis virginem oppressit. „Quo comperto à Parentibus Juveni puella traditur, „ac more nubentium à Juvene dotatur, & publicè „in uxorem ducitur.“

QUÆSTIO I.

Quid sit raptus, & quandonam committatur.

BInas hinc quæstiones format Gratianus, quarum *prima* potissimum discutit, quandonam censeatur raptus committi? eumque ad calcem Canonis 2. asserit admitti, „cum puella *violenter* à domo Patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur, „sive puellæ solummodo, sive Parentibus tantum „sive utriusque vis illa constiterit.“

De duplici raptu.

Et post Canonem 3. dicit rapinam fieri dupliciter. „Aliquando enim res ipsa rapitur, (inquit) aliquando ipsius rei usus tantummodo violenter eripitur. „Res ipsa tunc rapitur, cum violenter domino eripitur, ut in perpetuum teneatur. Aliquando verò „non res ipsa affectatur, sed usus ejus domino prohibente violenter eripitur;“ puta, dum quidem puella *violenter* non abducitur matrimonii causa, sed dun-

duntaxat *violenter* opprimitur, atque flos virginitatis ipsi retinenti violenter eripitur, ut loquitur Gratianus. Sed hic propriè non est raptus, sed potiùs stuprum.

De hoc impedimento raptus, & quid hodiè intelligatur per raptum, ut constituat Impedimentum dirimens, dixi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 13. *cap.* 10.

QUÆSTIO II.

An & quando raptorem inter & raptam matrimonium esse possit.

Secunda quæstione inquirit Gratianus: „An purgato vitio rapinæ, raptor in uxorem possit „raptam accipere?“

Gratianus primò adducit auctoritates, quæ matrimonium raptorem inter & raptam absolutè, & simpliciter interdicere videntur.

Verùm ipse resolvit, has auctoritates intelligendas de raptore, qui nondum crimen rapinæ per *pœnitentiam* abolevit: ac purgato hoc vitio, matrimonium inter raptorem & raptam admittit, idque præcipuè, ut apparet auctoritate verborum, quæ sub nomine S. Hieronymi refert *Canone* 8. quæ tamen apud Hieronymum non inveniri notârunt Correctores Romani ad *Canonem* 13. *caus.* 27. *quæst.* 2.

Jure legum & Canonum raptus e-

Gratianus hîc à vero sensu legum, & Canonum deviavit: constat enim, jure civili, & nominatim *L. unica Cod. de raptu Virginum*, hoc impedimentum fuisse *perpetuum*, quale & perseverâsse Seculo VIII. probant capitularia Regum Francorum, ubi *libr.* 6. *cap.* 96. decernitur, ut raptor virginem, quam rapuit, nunquam uxorem habeat: & expressiùs *lib.* 7. *capit.* 395. cujus verba sub nomine *Concilii apud Aquisgranum* etiam recitat Gratianus *Canone* 11.

rat impedimentum perpetuum

Neque obscurum est, Gratianum vidisse his verbis raptum declarari impedimentum *perpetuum*: dicit enim: „sed hæc auctoritas non præjudicat auctoritati S. Hieronymi, maximè cum illa testimonio *divinæ legis* nitatur.“

Ab his recessit Gratianus.

Hæc verba immediatè huic Canoni subjiciuntur, ac dein infert: „Legitimè igitur post pœnitentiam peractam raptor sibi poterit copulare, quam rapuit, nisi Pater puellæ illam raptori detrahere voluerit.“

Hîc haud obscurè innuebat Gratianus, inter raptum & raptorem posse consistere matrimonium, si raptæ vel parentum consensus accedat.

Ita rursùs hîc auctoritate Gratiani invaluit, ut hoc impedimentum in tantum fuerit relaxatum, ut inter raptorem, & raptam matrimonium posse consistere crederetur, *Si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere*, uti loquitur Innocentius III. in *cap.* 7. ✠ *de Raptoribus.*

Quousque impedimentum hoc restituerit Synodus Tridentin. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* exposui in *Jure Ecclesiast. part.* 2. *tit.* 13. *cap.* 10.

OBSERVATIONES AD TRACTATUM DE PŒNITENTIA.

An sola contritione sine confessione remittantur peccata.

Gratianus integrum hunc tractatum continuata serie inseruerat post *Canone* 18. *Causa* 33. *quæst.* 2. sine ulla portione in distinctiones, uti notatum est suprà in præfatione ad Gratianum *cap.* 3. ubi etiam dictum fuit eundem tractatum sensim fuisse distinctum in septem distinctiones, ac postmodum ab interpretibus vocatum *tractatum de pœnitentia*, quem post absolutam secundam partem Gratiani, confusionis vitandæ causa subjiciendum judicavi brevibus reflexionibus illustrandum.

DISTINCTIO I.

Distinctione hac in utramque partem discutit quæstionem supra propositam. „Utrum scilicet, sola cordis contritione, & secreta satisfactione, absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere.“

Verùm plura immiscet, quæ ad quæstionis resolutionem nihil aut parum faciunt.

A Canone 1. usque ad Canonem 5. inclusivè, profert nonnulla, quæ probant peccata fletu, seu cordis contritione lavari.

Dein à Canone 6. usque ad Canonem 21. proferuntur ex jure civili, quæ in criminalibus solum conatum subinde puniendum decernunt.

Et à Canone 22. usque ad Canonem 30. ostendit, quod peccatum committatur non tantùm actu externo, sed etiam sola voluntate, & consensu interno.

Ex variis Canonibus perperam concludit Gratianus contritione, non confessione peccata dimitti.

Interim ex his ad calcem Canonis 30. ita concludit Gratianus, „luce clariùs constat, cordis „contritione, non oris confessione, peccata dimitti.“

Sed falsò id concludi facilè quisque advertere potest; hisce enim Canonibus id unum evincitur, quod peccatum, puta, *homicidium*, *adulterium*, aut *furtum* committat is coram Deo, ejusque criminis reus est, qui voluntatem illud perpetrandi corde concepit, licèt opere externo non compleverit. *Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris, intus fecisti, in corde fecisti, furti teneri, & nihil tulisti*, ait Augustinus hîc *Canone* 29.

Bini Canones 31. & 32. immediatè prædicta conclusioni subjecti ex *lib.* 1. *de vita contemplat.* Juliani Pomerii (quem falsò Gratianus tribuit Prospero) propriùs conclusionem attingunt. Hîc enim ac signanter posteriore docetur, quod faciliùs remissionem peccatorum recipient, qui coram Deo peccata sua ultrò agnoscunt, & in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt.

Idem prætendit parte septima distinctionis subjecta Canoni 32. probari auctoritate illa prophetica Ezech. cap. 33. vers. 12. *in quacunque hora peccator fuerit conversus & ingemuerit.*, &c. non enim dicitur *ore* confessus fuerit, sed tantùm *conversus fuerit*, & *ingemuerit*, *vita vivet*, & *non morietur.*

Tum Canone 33. adductis verbis Prophetæ: *Scindite corda vestra*, & *non vestimenta*; subjicit: „ostendens in *contritione cordis*, quæ in ejusdem scissione intelligitur, *non in Confessione oris*, quæ pars „est exterioris satisfactionis, quàm scissuram vestium „nominavit, à parte totum intelligens, peccata dimitti.“

Et *Canone* 34. relatis his verbis: *convertimini ad me in toto corde vestro*, & *convertar ad vos*, prolixo discursu idem adstruere conatur.

Ostendit præterea ad calcem Canonis 35. quòd anima vivere nequeat sine Deo, *cum Deus sit vita animæ*, „habet itaque anima (ait) sibi Deum præsentem per gratiam, quæ vivens peccatum suum confitetur, eamque vita, quæ Deus est, inhabitat... ergo templum Spiritus Sancti facta est, &c.“

Relatis dein *Canone* 36. his verbis *qui natus est ex Deo non peccat*, concludit: „ergo non est filius diabo„li: solo enim peccato diaboli filii sumus: ergo de ejus „regno translati sumus in regnum charitatis filii Dei, „&

» & sumus recepti de potestate tenebrarum , & facti » filii lucis. «

Hinc ulterius ita concludit : » cum ergo *ante Con-* » *fessionem* , ut probatum est , simus resuscitati per » grâtiam , & filii lucis facti , *evidentissimè* apparet, » quod *sola cordis* contritione sine confessione oris » peccatum remittitur. «

Denique idipsum ostendere vult ex his verbis citatis Canone 37. *omnis, qui non diligit , manet in morte* , atque finaliter concludit : » non ergo in confessio- » ne peccatum remittitur , quod jam remissum esse » probatur. Fit itaque confessio ad ostensionem pœ- » nitentiæ , non ad impetrationem veniæ : & sicut cir- » cumcisio data est Abrahæ in signum justitiæ , non in » causam justificationis ; sic confessio Sacerdoti offer- » tur in signum veniæ acceptæ , non in causam remis- » sionis accipiendæ. «

Sed hoc unum probant oris confessionem non sufficere, sed precipuè requiri conversionem cordis.

Si Gratianus ex his , quæ adduxerat , id unum conclusisset ad remissionem peccatorum non tantùm requiri *oris* confessionem , sed præcipuè , ac necessariò requiri *Cordis* conversionem , sive contritionem, recta , ac legitima esset deducta conclusio : at nullatenus ex his concludi potuit , uti conformiter ad quæstionem propositam innuere visus est Gratianus , quod sola cordis conversio , sine *oris* confessione esset sufficiens.

Tum subjicit varia ad probandum necessariam esse confessionem oris & satisfactionem operis.

Post hæc nihilominus quasi in dubio hærens à Canone 38. usque ad Canonem 89. ea profert , quibus probari videtur , *sine confessione oris* , *& satisfactione operis neminem à peccato posse mundari* : atque ad calcem Canonis 87. concludit : » his auctoritati- » bus asseritur , neminem sine pœnitentia , & *con- fessione propriæ vocis* posse mundari : " subjungitque prolixum discursum , quo argumenta pro hac parte exponit , & contrariæ partis rationes solvere conatur.

Tandem Lectoris Judicio relinquit utri sententiæ sit adhærendum.

Dein *Canone* 88. prolixo fragmento ex libro de vera , & falsa pœnitentia , quam falsò adscribit Augustino , & *Canone* 89. ex S. Leone ita finaliter concludit : » quibus auctoritatibus , vel quibus rationum » firmamentis , utraque sententia satisfactionis & con- » fessionis innitatur , in medium breviter exposuimus: » cui autem harum potiùs adhærendum sit , *Lectoris* » *judicio* reservatur. Utraque enim fautores habet sa- » pientes & religiosos viros."

Opinio illa Gratiani Tridentino contraria.

Sed ad hæc verba *Lectoris judicio* Correctores Romani hoc monitum appendendum censuerunt: » certissimum est , & pro *certissimo* habendum , pec- » cati mortalis necessariam esse confessionem sacra- » mentalem , eo modo ac tempore adhibitam , quo in » Concilio Tridentino post alia Concilia est consti- » tutum."

Dubia hujus Gratiani sententiæ occasio.

Gratianus autem videtur prædictam suam in bivio hærentem conclusionem formâsse occasione verborum , quæ sub nomine *Theodori Cantuariensis* refert *Canone* 90. immediatè huic conclusioni subjecto, & ex Burchardo , aut Ivone , apud quos etiam referuntur , verisimiliter deprompsit. Hîc enim dicitur: » Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata » dicunt , ut Græci. Quidam verò Sacerdotibus con- » fitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia... » Confessio itaque , quæ soli Deo fit , quod est justo- » rum , purgat peccata , quæ Sacerdoti fit , docet » qualiter ipsa purgentur peccata."

Referuntur & hæc in Concilio Cabilonensi II. anno 813. Canone 33. sed omissis his verbis, *ut Græci*, item , *ut tota ferè Sancta Ecclesia* , uti notant Correctores Romani , qui & alias variantes lectiones indicant.

Decretum hoc in Concilio Cabilonensi *tom. 7. Concil.* editionis Labbæanæ *col.* 1279. extat his verbis expressum : » Quidam Deo solummodo confiteri » debere dicunt peccata , quidam verò sacerdotibus » confitenda esse percensent , quod utrumque non » sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam ; ita » duntaxat ut & Deo , qui remissor est peccatorum, » confiteamur peccata nostra , & cum David dicamus: » *delictum meum cognitum tibi feci* , *& injustitiam* » *meam non abscondi* : *dixi confitebor adversum me* » *injustitias meas Domino* , *& tu remisisti impietatem* » *peccati mei* : & secundum Apostoli institutionem, » confiteamur alterutrum peccata nostra , & oremus » pro invicem , ut salvemur. Confessio itaque , quæ » Deo fit , purgat peccata , ea verò , quæ sacerdoti » fit , docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus » namque salutis , & sanitatis auctor & largitor est, » plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili ad- » ministratione , plerumque medicorum operatione."

DISTINCTIO II.

An pœnitentia reiterari possit.

Distinctione secunda multis utrumque auctoritatibus discutit , an pœnitentia reiterari queat? » Alii dicunt (ait) pœnitentiam semel tantùm » esse utilem , unica est enim , nec reiterari potest. » Si verò reiteratur , præcedens pœnitentia non fuit. » Et si de sententia Judicis ejus præsentiam , cui om- » nia futura præsentia sunt , numquam habentur re- » missa , quia non est servata illa sententia veri Sacer- » dotis : *vade* , *& amplius noli peccare.* Item *sanus* » *factus es* , *jam amplius noli peccare* , *ne deterius ti-* » *bi aliquid contingat.*"

Varia adducit Gratianus, quæ videntur probare inamissibilitatem charitatis.

Tum *Canone* 1. producto fragmento sub nomine VIII. Synodi , quod ex Basilio esse monent Correctores Romani , mox subjicit Gratianus: » Item sine » charitate nulli adulto peccatum remittitur , non au- » tem habet charitatem , qui aliquando peccaturus est » criminaliter."

Plura hac occasione profert Gratianus , quibus probari videtur , charitatem semel habitam amitti non posse.

Inter cætera allegat *Can.* 2. sub nomine Augustini ad Julianum Comitem hanc sententiam : *charitas, quæ deseri potest , nunquam vera fuit.*

Monet Correctio Romana hanc sententiam extare apud Augustinum in tractatu *de salutaribus monitis ad quendam Comitem , cap.* 7.

Hunc tractatum non esse Augustini , à multis nunc observatum est , eumque in appendicem tomi 6. tanquam opus apocryphum rejecerunt Benedictini , quorum prævia ad lectorem monitio consulenda.

Profert quoque Gratianus *Canone* 5. prolixum fragmentum ex Juliano Pomerio *de vita contemplativa* , quem hîc & alibi sæpiùs Gratianus citat sub nomine *S. Prosperi.* In hoc autem fragmento multa de charitate Dei , & dilectione proximi dicuntur : monentque Correctores Romani , quod , „operæ pre- » tium fuerit , integrum locum apud ipsum Prospe- » rum (seu potiùs Julianum Pomerium) legere ; co- » piosè enim & ornatissime explicatur , scilicet in quo » consistat charitas Dei & dilectio Proximi."

Et tandem *Canone* 12. sub nomine Ambrosii super *Epist.* 2. *ad Corinth. ad cap.* 6. (qui tamen Ambrosii non est) refert , *ficta charitas est , quæ deserit in adversitate.*

Notatur hîc à Correctoribus Romanis relata verba esse Glossæ ordinariæ , apud Ambrosium verò ita legi : *simulata charitas in his est , qui in necessitate deserunt fratres.*

Interim huic Canoni Gratianus subnectit hanc conclusionem : „Ex præmissis itaque apparet , quòd » charitas semel habita ulteriùs non amittitur : qui » enim charitatem semel habuerit , criminaliter ulte- » riùs peccare non poterit , ut ad gratiam , non ad na- » turam impossibilitas referatur."

In hujus sui asserti probationem allatis *Can.* 13. verbis S. Augustini ulteriùs concludit : » Cùm ergo » qui criminaliter peccat , charitatem nunquam ha- » buisse probetur , evidenter colligitur , pœnitentiam » non agere , qui quandoque criminaliter peccat."

Plura in hanc rem adducit in prolixo discursu subjecto Canoni 14. conflato ex verbis sub nomine Augustini , quæ apud Augustinum non reperiuntur.

Dicta de inamissibilitate charitatis intelligit Gratianus de charitate perfecta.

Verùm dicta sua de *inamissibilitate* charitatis restringit , parte 3. hujus distinctionis prædicto discursui subjecta , *ad charitatem perfectam* : » quæ (ait) » semel habita nunquam amittitur ; exordia verò cha- » ritatis enutriuntur , ut crescant , & conculcantur, » ut deficiant ; nemo enim repentè fit summus , sed » in bona conversatione , quæ sine charitate nulla est; » à minimis quisque inchoat , ut ad magna perveniat. » Sunt itaque gradus non solùm inter virtutem , & » virtutem , sed in eâdem virtute."

Charitas illa est perfecta, alia imperfecta.

Plura dein profert , præsertim ex S. Augustino, quibus probet , charitatem in homine paulatim crescere , ac inter alia Canone 16. ex *libro de gratia & libero arbit.* dicit » ipsam charitatem Apostolus Pe- » trus nondum habuit , quando timore Dominum ter » negavit ; timor enim non est in charitate , sicut ait » Joannes Evangelista in Epistola sua , sed perfecta » charitas foras mittit timorem. Et tamen , quamvis » parva & imperfecta , *non deerat* , *quando dicebat*: » Do-

» Domine animam meam pro te ponam.“ *Joann. cap.* 13.

Imperfecta amitti potest & reparari.

Dein quibusdam interpositis de hac parva Petri charitate pronuntiat ad calcem Canonis 24. » Hæc » itaque charitas, quæ in Petro ante negationem her- » ba fuit, & in singulis nascitur, antequam roboretur, » ante sui perfectionem amittitur, & reparatur.

Et ibidem verbis Augustini affirmat: » quicunque » ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ lar- » gitate discreti sunt, non est dubium, quod & » procuratur eis audiendum Evangelium, & cum au- » diunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem » operatur, usque in finem perseverant, & si quan- » do exorbitant, correpti emendantur, & quidam » eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, » quam relinquerant, redeunt. «

An in electis charitas sit amissibilis.

Nonnulla & hîc adducit, quibus probari videtur, quòd electi à Deo charitatem non amittant: attamen ad calcem Canonis 40. prolixum admodum super hoc puncto discursum claudens ait: » Sed quia de *prædes- » tinatis ad vitam* à nonnullis conceditur, quod cha- » ritatem amittant, & amissam recuperent, de re- » probis, ait, etiam videndum est, an ipsi chari- » tatem habeant, qua amissa postea damnentur. «

Est quandoque charitas in reprobis.

Posteriorem partem de *reprobis* probat prolatis nonnullis ex S. Augustino, atque ad finem Canonis 44. ait: » quod verò *reprobi* negantur comedere panem, » qui de cœlo descendit, vel bibere aquam vivam, » non sic accipiendum est, ut à charitate penitùs » credantur alieni, sed ut in charitate radicem fige- » re non intelligatur, quod ibidem latiùs prose- » quitur. «

Quo sensu charitas, qua deseritur, dici possit vera, & ficta.

Tandem *parte* 6. distinctionem finiens ostendit, quòd charitas, quæ in adversitate deseritur, quodam sensu possit dici ficta & *vera nunquam* fuisse, & alio sensu rectè dicatur suo modo *vera & bona*: » alioquin » (inquit) à nullo desereretur, si nullo modo in eo » esset. Quod enim nullo modo verè est, nullo modo » deseri potest. Quod si aliquo modo verè deseritur; » & aliquo modo id verè esse oportet.“

Ratio, ob quam Gratianus hac distinctione egerit de charitate.

Quid moverit Gratianum, ut hâc secundâ distinctione egerit de charitate, aperit in prœmio distinctionis tertiæ dicens: » Hæc de charitate breviter scripsi- » mus, propter eos, qui pœnitentiam negant reitera- » ri posse, asserentes quod sicut charitas semel habita » nunquam amittitur, ita pœnitentia semel verè cele- » brata, nulla sequenti culpa maculatur. Si verò cri- » minalis culpa illam aliquando sequitur, vera pœni- » tentia non fuit, nec veniam unquam à Domino im- » petravit; quod ex definitione ipsius pœnitentiæ & » multorum auctoritatibus probare contendunt. «

DISTINCTIO III.

ITaque hac *tertia distinctione* inquirit: » num pœ- » nitentia semel acta reiterari queat? «

Varia adducit Gratianus, quibus probari videtur, falsam esse pœnitentiam, quam gravis sequitur culpa.

Primis 21. Canonibus varia allegat Gratianus, quibus probari videtur, quòd falsa illa monstretur fuisse pœnitentia, quam aliquando grave peccatum sequatur, juxta illud sub nomine Ambrosii relatum Canone 1. *Pœnitentia est & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.*

Et similia *Canone* 3. sub nomine Augustini *lib. de dogmat. Eccl.* & *Canone* 4. sub nomine Augustini *lib. de vera & falsa pœnitentia*, quæ opera Augustino falsò attribui notum est.

Interim ad calcem Canonis 17. monet, quòd hæc verba definitionis (scilicet pœnitentiæ) non ad *diversa* tempora, sed ad idem tempus referantur; » videli- » cet, ut tempore, quo deflet mala, quæ commisit, » non committat, quod adhuc eum flere oporteat. «

Præterea *Canone* 21. refert ex supposititia Epistola 1. Pii Papæ, hæc verba: *Nihil prodest homini jejunare, & orare: & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

Verissima, & à patribus probata sententia licèt Pio Papæ falsò adscripta.

His relatis monet, ex persona hujusmodi pœnitentis etiam intelligendas plerasque auctoritates, quæ falsam, & inanem dicunt pœnitentiam, quam sequens culpa coinquinat.

Loca Augustini, & Ambrosii explicat Gratianus de solemni pœnitentia.

Verum si auctoritates illæ attentiùs expendantur, apparebit, parùm convenientem esse hanc Gratiani expositionem. Fateturque ipse Gratianus eam congruere non posse verbis Ambrosii ex *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 10. relatis *Canone* 2. quare aliam adjungit dicens: » Illud Ambrosii non secundum generalem, sed se- » cundum specialem consuetudinem Ecclesiæ de so- » lemni pœnitentia dictum intelligitur, quæ apud quos- » dam semel celebrata non iteratur. «

Eandem solutionem applicandum ait verbis Augustini ex Epistola ad Macedonium, cujus fragmentum recitatur *Canone* 22. in qua Augustinus expressis verbis docet, » cautè & *salubriter* provisum esse, » ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ec- » clesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis » esset ægrotis. «

Sed nullatenus congruit illa explicatio.

Sed ex textu Augustini evidens est, Augustinum loqui generaliter de publica pœnitentia, quæ tum temporis pro omnibus gravioribus peccatis agebatur; uti de eadem loqui Ambrosium contextus evincit, præsertim si ipsum originale, quod truncatum refert Gratianus, consulatur: Gratianus enim ita legit: *quia sicut unum baptisma, ita & unica pœnitentia*, quibus addit originale, *quæ tamen* publice *agitur.*

Dein pergit in eodem Canone 2. Gratianus. *Verùm præteriti semper nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.*

Evidens est Ambrosium hîc duas duntaxat species pœnitentiæ agnoscere, unam *publicam* non iterandam, eamque *delictorum graviorum*: & aliam *secretam*, & *quotidianam*, *quotidiani peccati* sive *delictorum graviorum.*

Quid pœnitentia perfecta secundum Gratianum.

Exponit dein ad calcem Canonis 22. quod sicuti charitas dividitur in charitatem imperfectam & perfectam, ita & pœnitentia rectè dividitur in perfectam, & imperfectam, ut scilicet imperfecta ad exemplum charitatis imperfectæ dicatur, quæ quidem sufficiat impetrandæ peccatorum veniæ & quadam ratione perfecta potest dici: » quia *toto corde gemit*, & » *dolet*, licèt & alia ratione potest dici imperfecta, » quia non usque ad finem duratura. «

Igitur proprie *perfecta* pœnitentia ex opinione Gratiani est illa, quæ usque in *finem* durat: atque de hac intelligi vult Augustinum.

Verùm inspici duntaxat textus debet, ut appareat, ineptè ad hanc pœnitentiæ speciem verba Augustini restringi.

Subjicit Gratianus varia, quibus probatur sæpius per pœnitentiam remitti peccata.

Post hæc contrariam multorum opinionem proponit, adductis auctoritatibus, quibus probari videtur, quod per pœnitentiam non semel tantum, sed sæpissimè peccata remittantur.

Intermiscet autem Gratianus quædam, quibus ostendat, quæ sit dicenda vel falsa pœnitentia: Item pœnitentiam veram agi non posse de uno solo peccato ab illo, qui pluribus est irretitus.

Sententia Gratiani de reiteratione pœnitentia

Tandem ad finem distinctionis super principali quæstione de reiteratione pœnitentiæ ita concludit: » Pœnitentia ergo, ut ex præmissis apparet, nulli in » peccato perseveranti utilis est, non tamen alicui » deneganda est, quia sentiet fructum ejus, cùm alte- » rius criminis egerit pœnitentiam. Sic itaque pœni- » tentiæ definitio, & cæteræ auctoritates sibi conso- » nantes negant eum agere pœnitentiam, qui perse- » verat in crimine, utilem videlicet sibi, & fruc- » tuosam. «

Repetit dein, Ambrosii dicta, de non *reiteranda pœnitentia*, esse intelligenda de pœnitentia *solemni*, *secundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum*, *apud quas pœnitentiæ solemnitas non iteratur.*

Ratio ob quam decepti fuerint scholastici circa reiterationem pœnitentiæ.

Hanc de solemni pœnitentia restrictionem non congruere dictis Ambrosii jam monuimus, notantque eruditi operum Ambrosii revisores ad citatum *cap.* 10. hîc agi de *publica* pœnitentia, monetque » hac in re » deceptos esse Scholasticos, quod eos, qui peracta » *publica* pœnitentia, rursum in peccatum essent de- » lapsi, ad *secretam* pœnitentiam admissos putaverint; » etenim qui ad pristina scelera quasi canes ad vomi- » tum revertebantur, jam *sibi ipsi* relinquebantur, ut » Deum qua potiori via vissum fuisset, placarent. « Vide Morinum *de pœnit. lib.* 9. *cap.* 29.

Modus conciliandi auctoritates in materia apparenter contrarias.

Facilis, & genuina fuisset auctoritatum conciliatio, si loca, & tempora distinxisset Gratianus; attendissetque, Patres nullatenus velle, quod pœnitentia illius, qui relabitur, fuerit simplicitet falsa, aut sine fructu, sed duntaxat, quod relapsus præsertim in eadem crimina, sit indicium non obscurum falsæ pœnitentiæ; neque sic relapsus ad publicam, & canonicam pœnitentiam reiterandam admitteretur.

Distinctio inter pœnitentiam solemnem &

Interim auctoritate Gratiani tandem recepta fuit distinctio inter pœnitentiam publicam, & solemnem: & quæ Patres de publica dixêre huic ferè, solemni apro-

& publicam auctoritate Gratiani recepta.

appropriata sunt, uti notavi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit* 6. *cap.* 2. ubi una ostendi quantopere recessum sit à pristina Patrum disciplina in hac materia pœnitentiæ.

DISTINCTIO IV.

SUb initium *distinctionis quartæ* ait: » multis auctoritatibus suprà monstratum est, pœnitentiam » verè celebrari, & peccata verè dimitti ei, qui ali- » quando in crimen recasurus est.“

An & quo sensu peccata dimissa redeant.

Hinc educit aliam quæstionem, quam discutit *distinctione quarta*, scilicet *an peccata dimissa redeant?*

Pro resolutione hujus quæstionis plures adducit auctoritates in speciem sibi contrarias, pro quarum conciliatione fusè discurrit, ac tandem ad calcem Distinctionis concludit: » Sicut bona, quæ peccato » moriuntur, per pœnitentiam reviviscunt ad præ- » mium: sic & mala, quæ per pœnitentiam delentur, » reviviscunt ad supplicium.“

Quo sensu autem hoc posterius membrum intelligi debeat, luculentiùs exposuerat ad calcem Canonis 14. dicens, quod assertores ejus sententiæ, quòd peccata reviviscant, auctoritates sibi contrarias ita determinant: » Peccata dimissa redire dicuntur, quia » quisquis post acceptam peccatorum remissionem ad » vomitum redierit, tanto gravius punietur, quanto » magis benignitate Dei abusus, singulorum remissio- » nis acceptæ ingratus extitit. «

DISTINCTIO V.

Qua peccator considerare debeat, & à quibus abstinere.

Distinctione quinta exponit Gratianus, „ in pœ- „ nitentia, quæ peccatorem considerare opor- „ teat? “

Prolixum in hanc rem fragmentum ex *libro de vera, & falsa pœnitentia* sub nomine Augustino profert *Can.* 1. in quo fusè, & distinctè exponitur, quid circa circumstantias peccatorum, aliaque expendere oporteat pœnitentem.

In reliquis auctoritatibus unicè penè agitur de interdicta negotiatione, & militia ipsis pœnitentibus, citaturque *Canone* 4. in hujus probationem Canon XI. Nicænus, ad quem consulenda nota Correctorum Romanorum, è qua etiam habemus, non exiguo in pretio apud ipsos fuisse Zonaræ, & Balsamonis Commentarios.

Quæ juxta Gregorium VII. dicenda falsa pœnitentia.

Addit dein Gratianus aliqua, quibus ostendat, quæ sit falsa pœnitentia; inter quæ notandus textus Gregorii VII. relatus *Canone* 6. quo *falsas pœnitentias* dicit, *quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.*

Si vera sit hæc sententia, nemo non videt, quàm rara sit hodie vera pœnitentia.

DISTINCTIO VI.

QUærit ulteriùs Gratianus *distinctione sexta*: „ cui „ debeat fieri confessio, vel qualem illum „ oporteat esse, qui aliorum crimina judicat?“

Profert hanc in rem prolixum fragmentum ex eodem *libro de vera, & falsa pœnitentia*, sub nomine S. Augustini, quo præ cæteris inculcatur. „ Qui vult *De dotibus confessarii.* » confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sa- » cerdotem scientem ligare, & solvere: ne cum ne- » gligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui » eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in » foveam cadant, quam stultus evitare noluit.“

Inculcatur insuper, debere Sacerdotem, qui alium judicare præsumit, esse immunem à crimine, de quo alterum judicare intendit: „ Sacerdos, cui omnis of- » fertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, » in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judica- » re est promptus. Judicans enim alium, qui est judi- » candus, condemnat seipsum... in hoc itaque paten- » tissimum est crimen sacerdotum, & ultra modum » detestabile, qui non priùs se judicant, & alios ali- » gant, deberent enim in se timere crimen, quod » in aliis timuerunt, & detestabile senserunt.“

Ulteriùs monent, „ ut caveat spiritualis Judex, ut » sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat » munere scientiæ oportet enim, ut sciat cognoscere » quidquid debet judicare. “ Merentur legi, quæ hîc de scientia spiritualis Judicis, seu confessarii notat, & adducit Gratianus, & quomodo cum pœnitente agere debeat, & nonnisi omnibus circumstantiis ritè perpensis pœnitenti indulgentiam indulgere. Sed illud absonum est, quod hîc in fine à Gratiano additur. *Nisi statutum fuerit à Romano Pontifice.*

De sigillo confessionis.

Post hæc subjungit Gratianus, cavendum esse sacerdoti, ne peccata pœnitentium aliis manifestet, prolato *Canone* 2. decreto sub nomine *Gregorii* absque specificatione *quis* sit vel è quo opere sit sumptum, quæ nec à Correctoribus Romanis indicata sunt.

An & quando relicto confessario liceat alterum accedere.

Denique *Canone* 3. profert sub nomine Urbani II. decretum, quo cautum legitur, ut „ deinceps nulli » sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sa- » cerdoti ad pœnitentiam suscipere sine ejus consen- » su, cui priùs se commisit, nisi pro ignorantia illius, » cujus pœnitens priùs confesus est.“

Cùm hoc decretum contrariari videretur verbis sub nomine Augustini relatis *Canone* 1. quibus dicitur, ut pœnitens eligat sacerdotem scientem ligare, & solvere, pro conciliatione dicit Gratianus ad calcem Canonis 2. „ Sed aliud est favore, vel odio pro- » prium sacerdotem contemnere, quod sacris Cano- » nibus prohibetur: aliud cæcum vitare, quod hac » auctoritate quisque facere monetur, ne, *si cæcus* » *cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant.*“

Solicitè autem præcavendum, ne quis *sub obtentu ignorantiæ, relicto proprio Sacerdote, extraneum eligens Sacerdotem, in cæcum incidat, qui se & pœnitentem in foveam præcipitet.*

Hæc ex libro de vera & falsa pœnitentia, quem passim sub nomine S. Augustini citat Gratianus.

DISTINCTIO VII.

De tempore agenda pœnitentia.

Distinctione septima agit Gratianus de tempore pœnitentiæ agendæ, asseritque tempus pœnitentiæ esse usque ad ultimum articulum vitæ. « Id probat pluribus relatis auctoritatibus ex S. Augustino, è quibus patet, Augustiuum judicâsse pœnitentiam esse dandam, eam petenti in extremo vitæ, sed securitatem dari non posse. „ Si quis positus (ait » *Canone* 2.) in *ultima* necessitate *ægritudinis* suæ vo- » luerit accipere pœnitentiam, & accipit, & *mox* re- » conciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi ne- » gamus quod petit, sed non præsumimus, quod be- » nè hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio: pœ- » nitentiam dare possumus, securitatem autem dare *Pœnitentia in fine vitæ admodum incerta.* » non possumus; nunquid dico, damnabitur? sed non » dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? vis, » quod incertum est evadere? age pœnitentiam, dum » sanus es.“

Cur autem Augustinus id dixerit, (ait Gratianus) ostendit Cyprianus *lib.* 4. *Epist.* 2. ad Antonianum, cujus fragmentum refert *Canone* 5. rationemque incertæ conversionis ejus, qui in articulo mortis petit pœnitentiam, in hoc refundit: *quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio, compellit.*

Concludit tandem *Canone* 6. hunc tractatum prolixo fragmento ex libro *de vera, & falsa pœnitentia*, in quo multis adstruitur falsam videri pœnitentiam, & reputandam esse, quæ usque ad finem vitæ differtur.

OB-

OBSERVATIONES
AD TERTIAM PARTEM
GRATIANI
DE CONSECRATIONE.

Tertia pars Decreti Gratiani inscribitur de Consecratione, eamque in quinque distinctiones distribuit.

DISTINTIO I.

De consecratione Ecclesiarum earumque pollutione, profanatione reconciliatione.

Prima Distinctione præcipuè agitur de consecratione Ecclesiarum, ejusque ritibus; nec non earum pollutione, vel profanatione, ac demum earum reconciliatione.

Plura hic refert Gratianus supposititia.

Et quia consecratio Ecclesiarum solet fieri præviis jejuniis, & inter Missarum solemnia, intermiscet hîc Gratianus nonnulla de jejuniis, & temporibus jejuniorum, nec non celebratione Missarum.

Notandum autem, quod Gratianus hac distinctione plura referat sub nomine primorum Pontificum, quæ ex materia convincuntur supposititia; eo quod illa, de quibus agitur, sciantur ætate horum Pontificum in Ecclesia fuisse ignota, ac demum pluribus post seculis introducta.

Hoc titulo meritò rejicitur Epistola, quæ legitur sub nomine Felicis Papæ IV. cujus prolixum fragmentum recitat Gratianus *Canone* 1. & 2. quo dedicatio, & consecratio Ecclesiæ èxhibetur cum omnibus suis ritibus, quos recentior ætas adjunxit, & prima secula ignorârunt.

Eodem titulo rejicitur ut spurium decretum sub nomine Hygini Papæ exhibitum *Can.* 3. quo præcipitur, ut omnes Basilicæ cum Missa debeant semper consecrari, qui ritus Hygino recentior est.

Ad quem pertineat nova Ecclesiæ construc-tio.

Can. 4. & sequentibus auctoritate Gelasii Papæ adstruere vult, nullam Ecclesiam de novo construi posse absque præcepto *sedis Apostolicæ.*

Et quidem *Can.* 5. hoc apponit summarium: *Sine auctoritate summi Pontificis nova non dedicatur Ecclesia.*

Verùm intelligenda hæc videntur de Ecclesiis duntaxat suburbicariis, ut observat D. Fleuri *Hist. Ecsias. lib.* 30. *num.* 34. utpote apertè sacris Canonibus contraria, qui hanc auctoritatem singularum diœcesium Episcopis attribuunt; constatque ex Glabro Rodulpho *lib.* 2. *cap.* 4. *Hist. Eccles.* quanto fervore se opposuerint Episcopi Gallicani, etiam seculo XI. cuidam Comiti Fulconi, qui Joannem Papam induxerat, ut Petrum Cardinalem mitteret in Galliam, ut auctoritate Papæ consecraret Ecclesiam à dicto Fulcone in proprio suo fundo extructam in diœcesi Turonensi, & quam Episcopus Turonensis consecrare recusabat, „ Hoc factum universi Episcopi Gallicani detestabantur (ait Glaber) quoniam nimium indecens „ videbatur, ut is, qui Apostolicam regebat sedem, „ Apostolicum primitus ac canonicum transgrediebatur tenorem, cum insuper multiplici sit antiquitùs „ auctoritate roboratum, non quispiam Episcoporum „ in alterius diœcesi istud præsumat exercere, nisi „ præsule, cujus fuerit, compellente seu permittente.“ Videri possunt, quæ hac de re dicta sunt in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 16. *cap.* 3.

Dum construitur Ecclesia, dos sufficiens ei assignari debet.

Sub nomine Concilii Aurelianensis profertur *Canone* 9. decretum, quo inhibetur ædificatio Ecclesiæ *antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminariâ, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant & ostensa donatione, sic domum ædificet.*

Hoc decretum in Concilio Aurelianensi non reperitur, sed penè iisdem verbis legitur *lib.* 5. *Capitularium*, *cap.* 382. nisi quod omittantur hæc verba, *atrium designet*, item pro his, *ostensa donatione*, legitur, *facta donatione.*

Ecclesia consecrata debet aqua sancta aspergi.

Addit dein Gratianus in fine hanc clausulam, cujus in capitularibus nulla fit mentio: *Et postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesiæ sancta aquâ conspergat*: quæ similiter occurrit apud Burchardum, & Ivonem; ut admodum verisimile sit, ex his potiùs, quàm è capitularibus desumptum, & clausulam de conspersione *aquæ sanctæ* recentiori manu, juxta ritum recentioris ævi fuisse adjectam.

Varia refert Gratianus ex apocryphis, de locis, in quibus Missa celebranda sunt, de dedicatione, reconsecratione, & reconciliatione Ecclesiarum, &c.

Idem decretum cum dicta clausula extat in ordine Romano, uti monent Correctores Romani, qui & verba referunt, sed cujus sit ætatis ordo iste incertum est, ut proinde hinc nihil pro antiquitate hujus ritus statui possit.

Post hæc subjiciuntur nonnulli Canones, quibus decernitur, non nisi in locis sacratis Misarum solemnia esse celebranda; idque ferè ex Pseudo-Epistolis primorum Pontificum, quorum ætate hæc disciplina adhuc ignota erat.

Uti & annua dedicationis Ecclesiæ celebranda solemnitas, sicuti & reiteratio consecrationi, quoties de ea *dubitatur*, ut in *Can.* 16. sub nomine Felicis Papæ omnibus orthodoxis *Epist.* 1. *cap.* 1. & 2. deciditur; quam Epistolam (è qua plura fragmenta refert Gratianus) ut apocrypham omnes passim rejiciunt.

Nec majoris ponderis sunt, quæ *Canone* 19. 20. & 21. referuntur de consecratione, vel reconciliatione Ecclesiarum sub nomine Hygini Papæ, apud quem nihil simile extat; & ex Canone Nicæno, in quo nihil tale legitur, & ex Joannis Papæ Epistola Episcopis Italiæ inscripta, quæ refertur *tom.* 4. *Conc. General.* sed quòd eam *supposititiam multa evincant*, rectè notavit Labbæus. Neque sane quæ ex his refert Gratianus, ullatenus congruunt ætati illorum, sub quorum nomine ea notantur, uti agnoscunt passim, qui de his ritibus scripserunt; quamvis dubitandum non sit, quin eorum auctoritate, maximè postquam decreta Gratiani inserta fuêre, ritus ille reconciliationis, prout ibidem præscriptus est multùm invaluerit, & stabilitus fuerit.

Refertur à Gratiano *Can.* 24. fragmentum sub nomine Juliani Papæ; at Correctores Romani id restituerunt *Vigilio Papæ* ad *Eucherium*, *Epistol.* 1. *cap.* 4. seu potiùs ad Eutherium, quæ integra extat *tom.* 5. *Concil. General. col.* 311. locumque secundum inter Epistolas occupat sub titulo hoc: *Epist.* 2. *Vigilii adhuc Pseudo-Papæ ad Eutherium.*

Notandum in hoc Vigilii responso, quòd, „ si „ qua sanctorum Basilica à fundamentis etiam fuerit „ innovata sine Altaris motione, sine aliqua dubi„ tatione, cùm in ea fuerit Missarum solemnitas ce„ lebrata, totiùs consecrationis sanctificatio imple„ bitur.“

Rationem præmisit; quia nimirùm tanta est Mis-

sarum solemnitas, ut vicem suppleat consecrationis, uti hîc rectè interpretatur Glossographus, qui reflectens ad usum sui temporis, inepte restringit resolutionem ad casum, quo muri fabricæ per partes deciderunt, & reparati fuerunt.

De Altaribus, & eorum consecratione.

Nonnulla de consecratione Altarium hîc quoque adducuntur, notanter *Canone* 25. 26. & 31. quorum ultimo ex Concilio Epaunensi refertur: *Altaria, si non fuerit lapidea, chrismatis unctione non consecrentur.*

Et Canone 32. ex Concilio Agathensi, *ut non solùm unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrentur.* Vide *Jus Eccles. part.* 2. *tit.* 16. *cap.* 3. ubi de variis ritibus consecrationis Altarium, & Ecclesiarum agitur.

Dein *Canone* 33. 34. & 35. agitur de Oratoriis privatis, in quibus sacras functiones peragere sine licentia Episcopi inhibetur; additurque, quòd si quis extra Parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, debeat in præcipuis anni festivitatibus, non nisi in civitatibus, aut in Parochiis missas audire; quæ moderatio etiam hodie in concessione similium oratorium inseritur, uti notavi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 8.

An & qua auctoritate corpora sanctorum de loco in locum transferri possint.

Canone 36. sub nomine Augustini nullo loco indicato dicitur, *tribus ex causis loca sanctorum transmutanda sunt.*

Et Canone 37. ut *corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat sine consilio Principis, vel Episcoporum, Sanctæque Synodi licentia.*

Glossographus ad hunc Canonem verbo, *Principis*, ait, id est *Papæ*. „Et hoc verum est, ait, cùm »corpus traditum est jam perpetuæ sepulturæ, nisi »necessitas immineat, tunc sufficit auctoritas Præsidis »Provinciæ: si autem non est traditum perpetuæ »sepulturæ, benè potest transferri sine auctoritate »alicujus ad alium locum.“ Bella sane Canonis expositio.

Citatur Canon ex *Concilio Moguntinensi I. c.* 51. at in Concilio Moguntino I. prout extat *tom.* 8. *Concil. General.* nihil simile reperi. Interim scimus circa similia variam fuisse disciplinam, variaque pro casibus occurrentibus fuisse decreta: plurimum propterea aberrare, qui pristinos Canones ad hodiernos mores, & jura detorquent.

De ornamentis, & vasis sacris necnon materia, ex qua conficienda sunt.

Dein Gratianus aliquot subsequentibus Canonibus agit de non impendendis vestibus, & ornamentis sacris in usus profanos, deque vetita contrectatione vasorum sacrorum à non sacratis hominibus.

Verùm ex suppositiis plerumque decretalibus Romanorum Pontificum desumpta sunt.

Insuper inquirit, qua ex materia vasa, & ornamenta sacerdotalia, & sacra sint conficienda: referturque *Canone* 44. decretum Concilii Triburiensis anni 895. cum inseritur vulgare illud dictum Bonifacii Martyris & Episcopi: „Quondam Sacerdotes au»rei ligneis Calicibus utebantur: nunc è contrario. »lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus.“

Major debet esse solicitudo de sacerdotum moribus, quàm de ornamentis, & vasis.

Ita legitur in concilio, & etiam apud Gratianum in corpore correcto. At in antiquis editionibus Gratiani ita legitur: „quondam sacerdotes non aureis, »sed ligneis calicibus utebantur.“ Reliqua videntur à Correctoribus Romanis addita ex Concilio, cujus tamen editionis nullam mentionem fecerunt. Interim dicto Bonifacii jungi potest sententia Petri Damiani *opusc.* 31. *cap.* 6. ubi ostendit, quod „Sacerdotii »meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritua»lium norma virtutum, & non micantia margarita, »& gemmæ, sed mores aurei deceant Sacerdotes.“

De Liturgia.

Post hæc *Canone* 47. ex Synodo VI. *cap.* 32. refert, à quibus fuerit tradita Missarum celebratio, quo decreto probantur Liturgiæ, quæ sub nomine S. Jacobi, & S. Basilii extant; in quibus multa occurrunt, quæ recentiorem redolent ætatem, meritoque viris etiam Catholicis dubium ingenerant, num his Sanctis tanquam earum auctoribus adscribi queant.

De tempore celebrandi Missarum solemnia.

Ex Pseudo-decretali *Telesphori Papæ* asseritur Canone 48. »excepta nocte Nativitatis Domini, *Mis»sarum solemnia celebranda non esse* ante horam »diei tertiam: *quia* & eadem hora Dominus crucifi»xus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus des»cendisse legitur:“ hæc nimis apertè recentiorem ætatem referunt, ut vel hoc solo titulo hæc decretalis meritò suppositiia rejiciatur.

Sub nomine Concilii Africani dicitur *Canone* 49. Sacramenta Altaris à *jejunis* esse celebranda, *excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur*, de qua exceptione consuli potest Tractatus Historico-Canonicus, *part.* 2. §. 5. *ad Canonem* 41. *Codicis Africani.*

De jejunio præmittendo celebrationi.

Quo tempore jejunium quadragesimale solvi possit.

Agitur *Canone* 50. contra illos, qui jejunium *quadragesimale* solvebant mox ut signum audierint *ad horam nonam*, quæ modernæ nostræ horæ *tertiæ pomeridianæ* correspondebat: vult autem ut jejunium protrahatur usque ad finitum officium *vespertinum*. Gratianus decretum hoc assignat Concilio *Cabilonensi*; at monent Correctores Romani illud haberi in capitulis *Theodulphi Aurelianensis Episcopi pag.* 39. cumque hic vixerit seculo VIII. sequitur, eo adhuc tempore, jejunium quadragesimale, in Gallia saltem, protractum fuisse usque ad *vesperam*, sive usque ad absoluta officia *vespertina.*

Olim ob multitudinem populi plures in eadem basilica celebrabantur.

Profert *Canone* 51. fragmentum Epistolæ S. Leonis Dioscoro Alexandrino Episcopo cum hac epigraphe: *Etiam prima parte diei Missas celebrare licet.* Verùm si contextus Epistolæ inspiciatur, apparebit, unicum Leonis scopum fuisse, inducere Alexandrinum Episcopum, ut in Ecclesia Alexandrina observaretur consuetudo Romanæ Ecclesiæ ex forma paternæ traditionis descendens, »ut cùm solemnior quæ»que festivitas conventum numerosioris populi indi»xerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam »recipere Basilica simul unà non possit, sacrificii »oblatio indubitanter iteretur... cum plenum pietatis, »atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agi»tur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacri»ficium subsequens offeratur.“

Hinc remansisse consuetudinem bis vel ter celebrandi in aliquot solemnitatibus, puta, S. Joannis Baptistæ, in Nativitate Domini, in natalitiis Apostolorum &c. non tantùm in eadem Basilica, eodemque altari, sed & ab eodem sacerdote, credit Paschasius Quenellus *nota* 4. ad hanc Epistolam, qui & alias eruditas, more suo, adjungit reflexiones ad hanc Leonis Epistolam.

De Missis privatis.

Canone 52. adducitur decretum sub nomine *Augustini*, »ut Missæ particulares, quæ per dies so»lemnes à sacerdotibus fiunt, non ita in publico »fiant, ut propter eas populus à publicis Missarum »solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, abs»trahatur.“

Cùm Augustini ætate Missæ illæ *privatæ* nondum invaluissent, rectè notatur in margine, id haberi in *Capitulis Theodulphi* Episcopi Aurelianensis, Augustino pluribus seculis posterioris.

An, & quando Sacerdoti liceat plusquam unam missam in die celebrare.

Decretum relatum *Canone* 53. edicit sufficere sacerdoti unam Missam in die celebrare, adducta notanda & vulgò nota ratione: »non modica res est, »unam Missam facere, & valdè felix est, qui unam »dignè celebrare potest.“

Videtur tamen permittere, ut »quidam pro de»functis unam faciant, & alteram de die, si necesse »fuerit, hoc & unà declarans, quod, qui pro pecu»niis, aut adulationibus secularium una die presu»munt plures Missas facere, non evadent damna»tionem.“

Citatur hoc decretum sub nomine *Alexandri II.* sed ubi id habeat hic Pontifex hactenus non inveni.

Culpanda decimatorum tenacitas, qua cogit Sacerdotes binare.

Hodie vix inveniuntur sacerdotes, qui propria auctoritate plures eadem die Missas quæstus causa celebrare attentarent, sed non pauci reperiuntur, qui tenacitate, & avaritia decimatorum ad id adiguntur, sive, uti hodie loquimur, binare coguntur. Nam hi decimatores *damnationem* evadent, ipsi viderint.

De canendo hymno Gloria in excelsis in cœna Domini.

Tribus sequentibus Canonibus agitur de canendis hymnis, præsertim Angelico *Gloria in excelsis*; præcipiturque *Canone* 56. ut hic hymnus ab Episcopo »*in Cœna Domini* inter Missarum solemnia dicatur:“ quod & hodie observatur non tantum ab Episcopis, sed omnibus sacerdotibus celebrantibus. Refertur hîc Canon sub nomine *Nicolai Papæ Rudolpho Archiepiscopo Bituricensi*, sed de ea dicit Antonius Augustinus *lib.* 2. *dial.* 6. *fontes inquirimus*, sat innuens, hactenus non inventos.

De ministris, qui Episcopo sacrificanti assistere, & de Sacrificio participare debent.

Canone 59. & 60. agit de numero testium, scilicet Presbyterorum, aliorumque, qui Episcopo in Sacrificio assistant, »custodientes eum à malevolis »hominibus, & consensum ejus præbeant sacrificio: »peracta autem consecratione omnes communicent, »qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.“

Adscribitur *Anacleto Epist.* 1. sed decretum unà cum

eum Epistola suppositititium esse nôrunt eruditi, neque ibidem præscripta ad *Anacleti* tempora posse referri: uti nec quod *Canone* 60. refertur sub nomine Lucii Papæ, & *Canone* 58. relatum *ex decretis Soteris Papæ.*

De missa solitaria. Similiter relatum *Canone* 61. quo decernitur, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, *nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur*, falsò attribui *Sotero Papæ*, vel ab aliis Anacleto, rectè notavit Card. Bona *lib.* 1. *rerum Liturg. cap.* 13. *num.* 6. » nihil enim » magis alienum (ait) à praxi, & disciplina illius se» culi, quam *solitariæ* Missæ celebratio, nec pu» to voluisse sanctos illos Pontifices edita lege abusum » tollere, qui nonnisi post aliquot secula inter » monachos irrepsit. «

Prohibentur fideles egredi ante benedictionem Sacerdotis. Plures dein refert Canones Gratianus, quibus tubentur fideles ad Missarum solemnia accedentes, ad finem usque permanere, vel saltem ante *benedictionem Sacerdotis* non egredi. Vide Card. Bona loco citato *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 3. plura ibidem de hac benedictione, qua forma, & in qua parte Missæ pronuntiaretur, observans.

De oblatione in missa facienda, & recitandis offerentium nominibus. De oblatione à fidelibus inter Missarum solemnia facienda, agitur *Canone* 69. & de offerentium nominibus recitandis *Canone* 73. de quibus consule latè & eruditè tractantem Card. Bona in citato opere *lib.* 2. *cap.* 8. & 9.

De ritu: sursum corda. De ritu, quo præparantur corda fidelium à sacerdote proclamante, *sursum corda*, ut dum populus respondet *habemus ad dominum*, admoneatur, *nihil se aliud, quàm Dominum cogitare debere*, agitur *Canone* 70.

De novenario numero præfationum. Extat *Canone* 71. decretum sub nomine Pelagi II. de novenario numero *præfationum*, verùm illud huic Pontifici adscribi non posse, sed recentioris esse ætatis pluribus, solidisque argumentis ostendit Bona loco citato *cap.* 10. *num.* 3. idipsum latè probat Baluzius in notis ad hunc Canonem.

Olim quodlibet pene festum suam præfationem habebat. Interim Romani Pontifices more suo secuti decretum Gratiani, è Missali suo, quod *Romanum* dicitur, omnes præfationes, exceptis his novem in hoc Canone expressis sustulerunt: cùm in antiquis sacramentariis singula penè festa suam haberent præfationem, uti potest videri in sacramentario S. Gregorii per Hugonem Menardum notis illustrato.

In missa orandum pro defunctis. Denique *Canone* 72. ex Concilio Cabilonensi XI. refertur in omnibus Missarum solemnibus pro defunctorum spiritibus esse orandum.

DISTINCTIO II.

In Sacrificio panis, vinum, & aqua solum offerenda sunt. *Distinctione secunda* tractat Gratianus de Sacramento Eucharistiæ. Primis Canonibus ostendit, in hoc Sacramento tantum esse offerenda panem, & vinum, & aquam, atque hanc vino permiscendam: quod postremum probat potissimùm auctoritate S. Cypriani *Canone* 2. & 3. quæ enim eam in rem profert *Canone* 1. ex Alexandro Papa, & *Canone* 7. sub nomine Julii Papæ parùm authentica esse nôrunt eruditi. Monent hîc Correctores Romani multa hisce Canonibus esse addita; ut hîc rursùs patet, hodie non haberi hoc opus Gratiani, prout ab eodem editum fuit.

Vetantur offerri uva. De abusu offerendi uvas in Sacrificio Missæ, de quo agitur *Canone* 6. consuli potest Canon 28. Synodi Trullanæ, quo abusus hîc poscribitur.

De tempore dandæ pacis in sacrificio. Reprobatur *Canone* 9. ritus, qui in quibusdam Ecclesiis invaluerat, & mos quorundam dandi pacem ante confecta mysteria, de quo vide Card. Bona *Lib.* 2. *rerum Liturg. cap.* 16. *num.* 6. ubi multa tradit circa ritum, qui in variis Ecclesiis, variisque temporibus fuit circa impertitionem *pacis.*

Hodiè solet in Missa solemni pax dari post confecta mysteria, sive consecrationem ante Communionem, conformiter ad hunc Canonem.

Sacerdos sacrificans debet communicare. Sacerdotes sacrificantes, quoties celebrant, debere communicare probat *Can.* 11. auctoritate Concilii Toletani XII. & *Canone* 10. ex decretali suppositita Calixti vel Anacleti Papæ, sed quæ de omnibus fidelibus Missæ adstantibus loqui videntur, de qua disciplina vide dicta in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 3.

Quandonam fideles ad Adducit dein plures auctoritates, quibus ostendat, quoties fidelis populus ad communionem accedere debeat, sed plura è scriptis apocryphis, & auctoribus, sub quorum nomine allegantur, falsò adscriptis, puta, quod *Can.* 13. tribuit Augustino, ipsius non esse monent Monachi Benedictini in monitione prævia ad librum *de Ecclesiast. dogmat.* quem in Appendicem Tomi 6. operum Augustini relegârunt: pariter relatum *Canone* 14. *ex Lib. de Sacramentis, cap. finali*, perperam Ambrosio attribui pluribus persuasum est, & verba Canonis 15. apud Hilarium, cui adscribuntur, non inveniuntur, sed potiùs apud Augustinum, uti monent Correctores Romani.

Communionem accedere debeant.

Quæ *Canone* 16. & 17. Fabiano, & Sotero attribuuntur, Pseudo-Isidori esse hodie non ambigitur.

Interim ex decreto Synodi Agathensis in *Canone* 19. habemus, quòd saltem in aliquibus Ecclesiis esset disciplina seculo V. quod fideles ut minus ter in anno, scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste communicare deberent, ut *qui non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.*

Quin & hoc scitur, primis seculis eâm fuisse praxim, ut, qui Missæ Sacrificio assisterent, etiam Sacramentaliter communicarent.

De abstinentia ab uxoribus ante Communionem. Quod *Canone* 21. de abstinentia aliquot dierum *à propria uxore* allegatur, id perperam Concilio Eliberitano assignari probat Ludovicus Mendoza *Lib.* 1. *Concil. Eliberit. cap.* 6. Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem 21. quanquam certum sit, quod Patres ad eam abstinentiam ante sacram Communionem sæpiùs fidelis hortati sint.

De divisione Hostiæ in tres partes. Refertur *Canone* 22. decretum sub nomine *Sergii Papæ*, sed quis sit, non dicitur. Notatur ad marginem: Glossa ordinaria in primam Epistolam ad Corinthios, Magister sententiarum, aliique qui seculo IX. & sequentibus de offficiis, & ritibus ecclesiasticis scripsêre, apud quos saltem in substantia hoc decretum reperitur: ex quo decreto habemus, quòd saltem tempore istorum scriptorum *Hostia* consecrata in *tres* partes divideretur, quarum una mitteretur in Calicem, altera consumeretur, tertia verò in altari usque ad finem Missæ remaneret, eaque communicaturis, sive infirmis (ait Micrologus *de Eccles. observat. cap.* 17.) necessario dimittitur.

Quod autem fuerit, & etiamnùm hodie sit, varius ritus functionis sacræ Hostiæ latè exponit Card. Bona *Lib.* 2. *rer. Liturg. cap.* 15. *num.* 4.

Quod *Canone* 23. refertur exorbitans sub nomine *Clementis Papæ*, de abstinentia à *communibus* cibis servenda certo tempore ab iis, qui *residua* Corporis Domini, quæ in Sacrario sunt, comedunt, esse apocryphum, nemo hodie dubitat, uti & omnes *Clementis I.* decretales: quarum sæpius Gratianus meminit, quarumque fragmenta sparsim in hoc opere occurrunt.

Occurrit rursus *Canone* 25. error sat familiaris Gratiano, ut nimirùm verba S. Basilii attribuat VII. Synodo, cujus erroris originem hactenus ignoro, quanquam errorem ipsum sæpiùs notârint Correctores Romani, nec tamen erroris occasionem indicârint.

Quæ pœnitentia imponenda illi, cujus negligentia aliquid de Sanguine Domini ceciderit. De pœnitentia ejus, cujus negligentia aliquid de *Sangine* Domini destillaverit in *terram*, vel super altare, relatum *Canone* 27. decretum *Pii Papæ* apocryphum agnoscitur ab omnibus: tametsi ejus mentio etiam fiat in Breviario Romano ad diem 11. Julii, quo hujus Pontificis festum recolitur.

Interim ex hac suppositita decretali verisimile evadit, tempore confictionis harum Decretalium, id est, circa seculum IX. adhuc in usu fuisse, ut fideles sub specie *vini* communicarent. Hinc enim facilè contingebat, ut negligentiâ Sacerdotis aliquid de *sanguine* in terram aut altare caderet.

Reprobatur abusus circa delationem Eucharistiæ ad infirmos per Laicum. Canon 29. desumptus ex Concilio Rhemensi sat indicat abusum aliquando fuisse, ut Eucharistia deferenda ad infirmos traderetur Laico, aut etiam fœminæ, qui & hîc reprobatur, de quo vide Baluzium in notis ad Reginonem *pag.* 536. *in fine.* Insuper ex hoc decreto habemus, quòd tempore hujus Synodi mulieres non permitterentur ingredi Sanctuarium, neque ad altare accedere: dicit enim Canon: » quòd quidam Presbyteri in tantùm parvi pen» dant divina mysteria, ut Laico vel fœminæ sa» crum Corpus Domini tradant ad deferendum infir» mis: & quibus prohibetur, ne sacrarium ingre» dientur, nec ad altare appropinquent, illis sancta

» sanctorum committuntur : quod, quàm sit horri-
» bile, quamque detestabile, omnium religiosorum
» animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia
» Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulteriùs
» fiat, sed omnimodo Presbyter per semetipsum in-
» firmum communicet : quòd, si aliter fecerit gra-
» dus sui periculo subjacebit. «

De arcendis Laicis à sacrario tempore, quo sacra celebrantur.

Decretum *Canone* 30. de arcendis Laicis à sacrario, dum sacra per Sacerdotes celebrantur, falsò attribui *Clementi Papæ* certum est, monentque Correctores Romani, extare in Synodo Eugenii II. itemque in Synodo Leonis IV. *cap.* 33. & *in* 7. *Lib. cap.* 278.

Hoc decretum sæpiùs renovatum scitur, sed non sat observatum fuisse, nec hodie servari, signanter quoad mulieres, meritò deploratur.

Liturgia Metropolitana Ecclesiæ servanda in Comprovincialibus Ecclesiis.

Cavetur *Canone* 31. ex Synodo Gerundensi anni 517. ut ordo Missarum sicuti in Metropolitana Ecclesia, ita servetur *in omnibus Provinciis* seu potiùs in *omnibus comprovincialibus* Ecclesiis, uti legitur apud Burchardum & Ivonem, id est, omnibus Ecclesiis Metropolitanæ Ecclesiæ subjectis; quod coincidit cum eo, quod in ipsa Synodo legitur, *in omni Provincia Tarraconensi.*

De veritate Sacramenti Eucharistiæ, & præparatione ad illud requisita.

A Canone 32. usque ad Canonem 93. agit potissimùm de veritate, & substantia Sacramenti Eucharistiæ, ostendens, in ea revera contineri Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini, & quâ præparatione à fidelibus hoc Sacramentum sit sumendum; nonnulla tamen hinc inde apocrypha, ac mutilatà intermiscens, ut ad nonnullos notârunt Correctores Romani.

De reservanda Eucharistia pro infirmis.

Refertur *Canone* 93. decretum Concilii Wormatiensis, quo præcipitur, ut Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut, quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur.

Olim parvulis infirmis Eucharistia data fuit.

Observant Correctores Romani apud Burchardum, & Ivonem post verbum *infirmatus*, interponi hæc, *aut parvulus infirmus fuerit*; quemadmodum & apud Reginonem *Lib.* 1. *cap.* 69. & in capitularibus *Lib.* 1. *cap.* 155. legitur.

Neque contemnenda hæc posterior lectio, quia scitur, multis seculis etiam *parvulis* mox à baptismate, necnon *infirmantibus*, sacram Communionem datam fuisse : admodum verisimile est, Gratianum verba illa omisisse, eo quòd mos distribuendi *parvulis* Eucharistiam suâ ætate in Ecclesia saltem latina, exolevisset.

Pœnitentia Presbyteri non custodientis Eucharistiam

De pœnitentia Presbyteri, qui non benè custodierit Eucharistiam, agitur *Canone* 94. sed sapit recentiorem ætatem.

Locus Cypriani male intellectus à Gratiano de Eucharistia.

Quod *Canone* 95. allegatur ex S. Cypriano in Epistola ad *Eucratium*, ineptè à Gratiano ad Eucharistiam trahitur, ineptiusque ei appenditur hæc Epigraphe : *Histrionibus sacra non committantur mysteria* : manifestum enim est ex contextu Epistolæ, unicè hîc agi de repellendis histrionibus à communione Ecclesiæ, sive fidelium.

Id unum enim Eucratius quæsierat à Cypriano, num histrio in sua arte perseverans, *debeat nobiscum communicare* : *quod ego* (ait Cyprianus) *puto nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere.*

Uti & decretum Concilii Carthaginensis de non neganda reconciliatione Histrionibus conversis.

Similiter errorem incurrisse videtur Gratianus adducendo hîc *Canone* 96. Decretum Concilii Carthaginensis III. quo præcipitur, ut histrionibus, & similibus conversis ad Dominum, *gratia vel reconciliatio non negetur.* His enim verbis simplex *reconciliatio* significatur; nequaquam verò *sacra Eucharistia*, uti putâsse Gratianum apparet, tum quòd in quæstione de Eucharistia hoc decretum adducat, tum quod ei hoc summarium præmiserit : *Post conversionem non est deneganda gratia communionis.*

Non sunt eadem die in eodem altari celebranda duæ Missæ.

Denique *Canone* 97. sub nomine Concilii *Urbici* refert decretum, quo interdicitur Presbytero Missam celebrare in Altari, in quo *eodem* die *Episcopus* Missam cantavit.

Quod sit hoc Concilium Urbicum hactenus ignoratur, sed in margine notatur *Concilium Antissiodorense Canone X.* hocque celebratum anno 578. legitur, in quo verba hujus decreti leguntur, sed præmissis verbis sequentibus, *non licet super uno altari in una die duas Missas dicere* : ac tum immediatè subjungitur decretum, cujus meminit Gratianus : ut appareat, decretum fundatum esse super unitate sacrificii in uno Altari servandâ, sive quod eodem die non possent in eodem Altari plura sacrificia offerri. Prout autem à Gratiano recitatur, videretur id singulare fuisse respectu Episcopi, qui in illo Altari celebrâsset.

DISTINCTIO III.

De diebus Festis.

AGit *distinctione tertia* Gratianus imprimis de feriis, sive diebus festis, quibus populo feriandum est, seu ab operibus servilibus abstinendum.

Formula publicandi Festa.

Profert hunc in finem *Canone* 1. decretum sub nomine *Concilii Lugdunensis*, quod potiùs sapit formulam quandam indicendi, seu publicandi festa per annum celebranda, quàm alicujus Concilii decretum, uti notat Ludovic. Thomassinus in *suo Tractatu Historico de celebratione Festorum*, *Lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 12. monetque hoc formulare apparere magis proprium *Ecclesiæ Romanæ*, quàm aliis Ecclesiis, eo quòd ibi memoria occurrat Festorum *S. Sylvestri*, & *S. Laurentii*, quæ pridem huic Ecclesiæ propria fuêre.

Cujus sit instituere Festa.

Generaliter dein ibi declaratur : *& illæ festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudaverint, indicendæ sunt.* Hæc eadem verba suæ decretali relatæ *in cap.* 5. ✠ *de feriis* inseruit Gregorius IX. Videri possunt, quæ de auctoritate Episcoporum instituendi dies festos, necnon approbatione Magistratûs seu Principis, populum repræsentantis, annotavi in *Jure Eccles. Parte* 2. *tit.* 17. *cap.* 1.

Reprobatur consuetudo saltandi diebus festis.

Citatur *Canone* 2. decretum Concilii Toletani III. quo reprobatur » consuetudo, quâ populi per Sanc-
» torum solemnitates, cùm deberent officia divina at-
» tendere, *saltationibus*, *turpibus* invigilabant *can-
» ticis* : non solùm sibi nocentes, sed & Religio-
» sorem officiis perstrepentes. « De simili etiam vigente perniciosa, ac sacrilega festorum dierum profanatione plura notavi in *Jure Eccles. loco citato, cap.* 5.

De diebus jejuniorum, & variâ hâc in re disciplina.

Post hæc à *Canone* 3. usque ad Canonem 17. agit de ritibus jejuniorum. Variam fuisse hâc in re Ecclesiarum, & temporum exteriorem disciplinam, probant tum auctoritates hîc adductæ (licèt nonnullæ apocryphæ misceantur, puta, *Canone* 14. Decretum Melchiadis Papæ) tum auctores, qui de jejuniis ex professo scripsêre, ac nominatim recentissimè Ludovic. Thomassinus in suo Tractatu gallicè conscripto, *de Jejuniis.*

De renovando Chrismate in Cœna Domini.

Sub nomine Fabiani Papæ extat *Canone* 18. decretum de renovando per singulos annos sacro Chrismate in Cœna Domini. Licèt sciatur hoc decretum falsò adscribi huic Pontifici Fabiano, non dubium tamen, quin decretum hoc apocryphum plurimum conduxerit, ut disciplina moderna de innovando Chrismate in Cœna Domini stabiliretur, prout hodie in Ecclesia saltem latina servatur.

De Festo Inventionis S. Crucis.

Decretum sub nomine *Eusebii Papæ* Canone 19. de celebrando Festo *Inventionis Sanctæ Crucis*, quinto nonas Maji, apertè apocryphum est : cùm certum sit tempore hujus Pontificis, necdum hoc festum fuisse institutum.

De benedictione aquæ sale conspersæ.

Neque majoris auctoritatis est decretum sub nomine *Alexandri Papæ* Canone 20. quo præcipitur, *aquam sale conspersam populis benedici, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur* : Scitur enim ritum hunc ætate hujus Pontificis esse recentiorem.

De celebrando Paschate die Dominico.

Agit Canone 21. & sequentibus de celebrando Paschate in Die Dominico, ejusque indictione; sed duo priora decreta, unum *Pio Papæ*, & alterum *Victori Papæ* adscriptum, certò sunt suppositia, quamvis sciamus tempore *Victoris Papæ* acrem fuisse de die celebrationis Paschæ disceptationem.

De utilitate imaginum, & vetita eorum adoratione.

Post hæc *Canone* 27. refert fragmentum Epistolæ S. Gregorii Severo Episcopo Massiliensi, in quo de cultu imaginum agitur; laudatque Episcopum, *quia eas adorari vetuisset*: reprehendit autem, » quòd
» eas fregisset : aliud est enim (ait) picturam adora-
» re, aliud per picturæ historiam, quid sit adoran-
» dum, addiscere : nam quod legentibus præstat
» Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus:
» quia in ipsa etiam ignorantes vident, quid sequi
» debeant : in ipsa legunt, qui litteras nesciunt:
» unde & precipuè Gentbus pro lectione pictu-
» ra est. «

Optandum esset, ut Episcopi, & Pastores intra jus-

justos hos præscriptos limites cultum imaginum continere studerent.

Nam & consilia usum imaginum probantia, hunc esse earum scopum significant, quorum decreta *Canone* 28. & 29. à Gratiano referuntur.

De fide mysterii SS. Trinitatis.

Denique *Canone* 30. planè extra ordinem recitat Gratianus verba S. Augustini, quibus exponit quid de mystico sanctissimæ Trinitatis fide credendum sit, de quo ex professo agit hîc S. Doctor in libris de *Trinitate*.

DISTINCTIO IV.

TRactat *distinctione quarta* fusè Gratianus de Sacramenta Baptismi.

De necessitate baptismi ejusque effectu.

Prima quidem *parte* de necessitate baptismi, ejusque effectu, qui est purgatio hominis à peccato originali, allatis eam in rem pluribus auctoritatibus, signanter ex S. Augustino, ad quas meritò notandæ reflexiones Correctorum Romanorum.

De tempore conferendi solemniter baptismum.

Secunda distinctionis *parte*, quæ incipit à Canone 11. præcipue tractat de tempore, quo solemnis baptismus conferendus sit, atque duo esse tempora scilicèt Paschæ, & Pentecostes probat ex S. Leone: de qua disciplina latiùs egi *in Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 2.

De ministro baptismi.

Parte tertia incipiente à Canone 19. agit de ministro hujus Sacramenti, multaque adducit, signanter ex Augustino scriptis contra Donatistas, de quo articulo latè egi *in Jure Eccles. loco citato*, *cap.* 3. atque nonnulla circa Canones à Gratiano hîc adductos observavi.

An valide à non baptizato baptismus conferatur.

Quærit dein *parte quarta*: » An probetur baptis» ma, quod à non baptizato præstatur? « hunc in finem adducit *Canone* 31. verba Augustini, quibus apparet, Augustinum propendisse ad validitatem hujus baptismi, quantumvis ex integro contextu, (quem mutilavit Gratianus) evidens sit, in hac quæstione Augustinum hæsisse dubium, neque positivè aliquid voluisse resolvere: » nobis, ait, tutum est, in » ea *non progredi* aliqua temeritate sententiæ, quæ » nullo Catholico regionali Concilio cœpta, nullo » plenario terminata sunt: id autem fiducia securæ » vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei » nostri, & Salvatoris Jesu Christi *universalis* Eccle» siæ consensione roboratum est. « Hæc ille *lib.* 7. *de baptismo contra Donatistas*, *cap.* 53. ubi meritò in margine apposuêre eruditi revisores: *Augustini in definienda modestia.*

In ea quæstione dubius hæsit Augustinus.

Utinam in hac modestia imitatores multos haberet Augustinus: non tàm multæ à multis fabricarentur imaginariæ hæreses, aut novi cuderentur fidei nostræ articuli.

De valore baptismi ab hæreticis collati.

Nonnulla post hæc circa baptismum, ejusque virtutem, & valorem, admodum confusè miscet Gratianus, hoc inter alia ex Augustini scriptis contra Donatistas offendens, baptismum etiam ab *Hæreticis*, & *Schismaticis*, sed tamen *baptizatis*, collatum, esse validum, modò in nomine *Sanctissimæ Trinitatis* ritè conferatur.

Insuper ostendit Christum baptisma conferre, sive virtute Christi baptismum conferri, sive boni, sive mali baptizent, neque malitiam ministri sanctitati baptismi officere.

Baptismus sanguinis & flaminis supplet vicem baptismi aquæ.

De his omnibus pene agit usque ad Canonem 53. intermiscens tamen *Canone* 14. ex Augustino, quod effusio sanguinis, necnon conversio cordis cum desiderio baptismi suppleant baptismum aquæ: atque hinc triplex species baptismi recepta, scilicet, *aquæ*, *sanguinis*, & *flaminis*.

De exorcismis super Cathecumenos.

A Canone 53. agit de exorcismis, & ex sufflationibus, quæ super Catechumenos ante baptismum fiebant. Plura hanc in rem allegat, ac notandus specialiter Canon 73. ubi ex Augustino exponitur, quid significent mysteria, quæ in baptismatis fonte celebrantur.

De examine Cathecumenorum.

Post hac de examine ac inttructione, aliisque nonnullis ritibus circa Catechumenos sive baptizandos fieri solitis, de quibus egi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 5.

De baptismo parvulorum & infirmorum.

Agit *Canone* 74. 76. & 77. de baptismo parvulorum, & qualiter eis aliena professio prodesse queat: & *Canone* 75. agitur de baptismo ægrotantium, qui pro se respondere non possunt, referturque eam in rem decretum Concilii Carthaginensis, pro cujus intellectu merito consuli poterit Albaspinæus ad dictum Canonem, ubi monet, hîc non agi de iis, qui erant in Catechumenatu jam ante morbum constituti, sed de Gentilibus in gentilitate existentibus, qui tamen in ægritudine constituti baptismum expetierant.

Ritus unius vel trinæ immersionis in baptismo est tantum disciplina.

Dein nonnullis Canonibus agitur de *una vel trina* baptizandi immersione, de quo ritu actum in *Jure Eccles. loco citato*, *cap.* 1. relatis auctoritatibus à Gratiano recitatis: ex quibus apparet ritum quidem *tertiò immergendi* esse antiquum, non tamen institutionis divinæ, aut ad integritatem baptismi spectare, sed duntaxat esse externæ disciplinæ mutationi subjectæ, prout & revera *trina* immersione abrogata, unicam adhiberi non tantùm permissum, quin & præceptum fuisse constat ex Concilio Toletano IV. *Canone* 6. ubi & ratio hujus præcepti & mutationis additur, hujusque mutationis ratione ex citato Concilio Toletano allegavi ibidem.

De unctione baptizandi & veste candida.

Tractat *Canone* 87. & sequentibus de *unctione* baptizandi, & quare baptizato imponatur vestis *candida*, de quibus consule similiter dictum *cap.* 3. *in Jure Eccles.*

De abrenuntiationibus à Cathecumeno faciendis.

De renuntiatione *diabolo* & operibus ejus à Catechumeno ante baptismum facienda, & qualiter tempore sui Cathecumenatus vivere debeat, agitur *Canone* 95. & sequentibus, de quibus pariter actum *dicto cap.* 3.

De Patrinis eorumque obligatione.

Incipit *Canone* 100. agere de Patrinis, seu susceptoribus in baptismo adhibendis, eorumque conditione, & obligatione, quæ fusius exposita sunt in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. annotatis quoque nonnullis apocryphis scriptis, quorum auctoritate hîc usus est Gratianus.

An & quando rebaptizatio sit vetita.

De vetita rebaptizatione, ejusque pœna, & quando in dubio rebaptizandi sint, tractat *Canone* 107. & sequentibus. De qua re in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1. ostensumque ibi est, formulam baptizandi sub conditione dubiè baptizatos olim usitatam non fuisse.

De Chrismate quo innungendi baptizati.

Post hæc *Canone* 119. & sequentibus tractat de Chrismate, & an Presbyteris liceat baptizatos Chrismate, injungere, & per quem Chrisma conficiendum, & distribuendum sit, de quibus videri possunt dicta in *Jure Eccl. part.* 2. *tit.* 2. *cap. num.* 45. & 46. *item tit.* 3. *cap.* 3. ubi & notatum nonnullos Canones apochryphos aut mutilatos à Gratiano in hac materia adductos.

De dilatione Baptismi.

Agit *Canone* 128. verbis S. Chrysostomi contra eos, qui ad mortem usque baptismum differebant, ut liberiùs peccarent: » Multos novi, ait, qui hoc pas» si sunt, qui spe baptismatis multa peccabant, cir» ca diem autem *mortis* discesserunt vacui. Deus enim » propter hoc Baptisma tribuit, ut solvat peccata, » non ut addat. «

De omnimoda necessitate baptismi respectu parvulorum.

Sequentibus Canonibus rursus agit, adducta auctoritate Augustini, de baptismo parvulorum, & quare etiam de baptizato nati, debeant baptizari, quodque præter baptisma Christi parvulis nulla salus pro mittatur, *quia infantes si per Sacramentum*, *quod ad hoc divinitùs est institutum*, *in credentium numerum non transeant*, *profectò in tenebris manent*, ait Canone 142. ex Augustino.

De effectu baptismi.

Ac tandem tractat de effectu baptismi, præsertim quoad remissionem peccati *originalis*: hocque peccatum non tantùm quoad *pœnam*, sed etiam quoad *culpam* transire in infantes docet auctoritate Canonum Concilii Milevitani, quibus & docetur contra Pelagianos, quid Christi gratia in nobis operetur, de quibus etiam consule Tractatum Historico Canonicum *part.* 2. §. 10. *ad Canonem* 109. & sequentes Codicis Africani, ubi hi Canones repræsentantur, quamvis non sint revera Concilii *Milevitani*, cui eos attribuit Gratianus, sed Concilii *Carthaginensis* habiti Kalendis Maji 418.

DISTINCTIO V.

De dignitate ministro, & effectu Sacramenti Confirmationis.

TRactat *distinctione quinta* de Sacramento Confirmationis, prolatis *Canone* 1. 2. 3. & 4. fragmentis ex falsis decretalibus primorum Pontificum, in quibus plura admodum notanda de effectu, & dignitate hujus Sacramenti occurrunt, atque præcipuè urgetur, hoc Sacramentum jam pridem per Apostolos fuisse administratum, neque hodiè nonnisi per Episcopos, & eorum successores, administrari posse, atque in illo dari plenitudinem Spiritûs Sancti.

Duplex Chrismatio altera per

Referuntur *Can.* 5. verba Rabani Mauri *ex lib.* 1. *de instit. Cler.* in hoc autem Canone fit mentio dupli-

per Sacerdotem, altera per Episcopum.

plicis Confirmationis: »Signanter enim Baptizatus, »*ait*, cum Chrismate per Sacerdotem in capitis summitate; per Episcopum vero in fronte, ut in priore unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis venire in hominem declaretur.«

Duplex illa Chrismatio est recentioris disciplinæ.

Duplicem hanc Chrismationem recentioris esse disciplinæ, prioremque, scilicet sacerdotalem demum invaluisse, postquam recens baptizati, mox à collato baptismo, desierunt per Episcopum in fronte chrismari seu confirmari, notavi in *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 2. *num.* 45.

Extat *Canone* 6. decretum sub nomine Concilii Aurelianensis *cap.* 3. sed hactenus inter decreta ullius Concilii Aurelianensis non reperi.

De jejunio, & confessione ante confirmationem.

Interim in hoc decreto inter cætera decernitur, »ut jejuni ad Confirmationem veniant, perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem facere priùs, ut »mundi donum Sancti Spiritus valeant accipere.« Hæc sanè recentiorem sapiunt disciplinam.

De tempore celebrandi confirmationem.

Ex Concilio Meldensi decernitur *Canone* 7. quòd adinstar baptismatis Confirmationem celebrari conveniat *duobus temporibus*, Paschæ videlicet & Pentecostes: quod decretum respicere videtur ad pristinam & pluribus seculis continuatam disciplinam confirmandi recenter baptizatos, sive hæc duo Sacramenta combinandi.

De non reiteranda confirmatione.

Deinde probat *Canone* 8. & 9. Confirmationem non reiterandam.

Crucis signaculo Sacramenta perficiantur.

Citatur *Canone* 10. decretum sub nomine Stephani Papæ V. quo declaratur omnia Sacramenta crucis signaculo perfici; sed fons ejus non invenitur.

Profert & extra ordinem *Canone* 11. sub nomine Concilii Carthaginensis IV. »Omni die exorcistæ »energumenis manus imponant; energumeni verò »pavimenta domorum Dei verrant, quibus assidentibus in domo Dei victus quotidianus per exorcistas »opportuno tempore ministretur.«

Hæc in tres Canones distincta hodie in Concilio Carthaginensi IV. leguntur; verisimiliter à Gratiano in unum conflata in aliquo Pontificali libro reperta fuerunt, uti suprà notavimus.

De ordine officiorum.

De ordine officiorum agit *Canone* 13. 14. & 15. & quidem *Canone* 15. sub nomine Gregorii VII. ordinatur numerus Psalmorum ad nocturnos secundum distinctionem officii, & dierum, prout hodie ritu Romano recitatur. Verisimile est conformiter ad hoc decretum, numerum, & ordinem hunc fuisse ordinatum, & hactenus conservatum in Ecclesiis, quæ usum Breviarii Romani receperunt, neque antiquitùs eum institutum reperimus.

De quadragesima & diis jejuniis eorumque utilitate.

Agit *Canone* 16. & sequentibus de observatione quadragesimæ, & diebus jejuniorum, ac præsertim de jejunii utilitate, & effectu: atque *Canone* 25. ex Augustino ait, »Jejunium autem magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus Seculi, quod est perfectum jejunium.«

Intermiscet & nonnulla de Monachorum specialibus jejuniis, & exercitiis, ac signanter *Canone* 33. ex S. Hieronymo ad *Rusticum* Monachum.

De vita Canonicorum in communi.

Et *Canone* 34. aliqua habet de vita Canonicorum sub Prælati obedientia in communi viventium.

Sub nomine Concilii Nannetensis refertur *Canone* 35. decretum contra nonnullos abusus Presbyterorum, dum ad collectas, seu convivia conveniebant, de quibus vide notas Baluzii ad hunc Canonem, & latius in notis ad Reginonem *pag.* 564.

De Pigmentis mulierum.

Canone 38. verbis Augustini agit contra mulieres faciem suam pigmentis fucantes, dicens: »Fucare »pigmentis, *quo vel* rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est.«

Fides de Spiritu Sancto.

Denique distinctionem hanc claudit duobus Canonibus, qui exponit fidem Ecclesiæ nostræ de Spiritu Sancto, ejusque processione à Patre Filioque.

IN-

INDEX RERUM,

Quæ in brevi ad Gratianum Commentario continentur.

Primus numerus paginam, secundus columnam designat.

A

ABbas, à quo eligendus, *pag.* 247. *col.* 1. An Abbates tonsuram, & minores ordines conferre possint, 199. 2.

Abusus eradicandi priusquam in consuetudinem transeant, 174. 1. Nonnunquam quædam de se licita propter abusum vetantur, 187. 2. Abusus in musica vetandi, 205. 1.

Accusatio. Qui legitimi accusatores esse possint, 217. 2. Nemo potest esse accusator & testis, 219. 2. An excommunicatus alium accusare valeat, *ibid.* 1. Qui ab accusatione repellantur, *ibid.* 2. Quanta sit gravitas criminis falsi accusatoris, *ibid.* Qua pœna feriendi deficientes in accusatione, 213. 1. An accusatus pendente accusatione possit suum accusatorem reaccusare, 218. 2. An deficiente accusatore reus cogendus sit ad purgationem, 213. 1. Accusator deficiens in primo crimine ad ulteriora probanda admitti non debet, 218. 2. An & quando liceat Laicis accusare Clericos, & maxime Episcopos, 216. 1. Accusatis Episcopis tempus sufficiens concedendum ad sui defensionem, 217. 1. Accusator in causa criminis adversus Episcopum deficiens, potest nihilominus contra ipsum propriam, & privatam causam prosequi, 219. 2. De forma accusationis Episcoporum ex falsis decretalibus & jure civili. 216. 1.

Adulterium olim quodcunque impediebat matrimonium inter adulterum, & adulteram, 277. 1. Restrictio ea de re à Pontificibus probata, *ibid.* Nullo casu matrimonium per adulterium dissolvitur, 280. 1. Olim inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium, *ibid.* 2. Uxor vim patiens adulterii non fit rea, 279. 2. Æquale est jus mariti, & uxoris ad dimittendam compartem adulteram, *ib.* Adulter compartem adulteram dimittere non potest, *ibid.* De pœnitentia uxorum adulterarum interfectoribus interponenda, 281. 2.
Vide Matrimonium.

Ægyptiaci dies, qui, 270. 2.

Ætas, quæ in Presbytero requiratur, 201. 1. *Vide* Ordinatio. Quæ in velandis virginibus, 261. 1.

Agapæ, quid earum origo, 193. 1.

Altaria, quo ritu consecranda, 290. 1.

Apocrypha innumera à Gratiano sub aliorum nomine adducta, 218. 1. *& passim.*

Apostolicæ sedi convocandorum Conciliorum generalium auctoritatem vindicavit Gregorii VII. *dictatus*, 178. 2. Apostolorum limina singulis annis addire debent Episcopi Apostolicæ ordinationi subjecti, 206. 1.

Appellatio. Gravatus per sententiam ab ea appellare potest, 285. 1. An ab omnibus possit appellari, etiam immediatè ad sedem Apostolicam, *ibid.* An & qua ratione appellationes ad Pontificem in Gallia, & Belgio sint admissæ, 215. 2. Extra provinciam appellare non licet, 221. 1. Utrum ab arbitrorum sententia possit appellari, 215. 1.

Aqua. De benedictione aquæ sale conspersæ, 292. 2.

Arbitri. Utrum ab eorum sententia possit appellari, 215. 2.

Archidiaconus assumendus in Archidiaconum debet esse Diaconus, 197. 2. Archipresbytero superior, 186. 1. Redarguitur Archidiaconorum dominatus in Presbyteros parochianos, 207. 1.

Archiepiscopus. An suffraganei Clericos illo inconsulto damnare valeat, vel absolvere, 225. 1.
Vide Episcopus.

Archipresbyter. Assumendus in Archipresbyterum debet esse Presbyter, 197. 2. Archidiacono subjicitur, & qua occasione, 186. 1.

Arma Episcopis, & Clericis vetita, 260. 2. Arma Clericorum fletus, lachrymæ, & orationes, 261. 1.
Vide Bellum Ecclesia.

Auctoritas. In judiciis ferendis prævalet auctoritas Prælatorum: in interpretandis sacris scripturis, prævalet auctoritas Sanctorum Patrum, 180. 2. Concilii Toletani XIV. ea de re sententia, *ibid.*

Augustini notabile dictum de duplici modo considerandi dignitates ecclesiasticas, 192. 2.

Asylus. De asylo Ecclesiarum, & quousque locum habeat respectu famulorum, 246. 1.

B

BAptismus. Ejus necessitas, & effectus, 293. 1. & 2. Quo tempore solemniter conferendus, *ibid.* Quid sit ejus minister, *ibid.* An valide à non baptizato vel ab hæretico conferatur, *ibid.* Licitè ab hæretico in necessitate suscipitur, 263. 1. Sed non communio, *ibid.* Quid agendum, ubi de ejus validitate dubitatur, 199. 1. Nulla mentio conditionis adjiciendæ, *ibid.* Baptismus sanguinis, & flaminis supplet vicem baptismi aquæ, 293. 1. De exorcismis super catechumenos, *ibid.* De eorundem examine, *ibid.* De baptismo parvulorum, & infirmorum, *ibid.* Ritus unius vel trinæ immersionis est tantum disciplinæ, *ibid.* De unctione baptizandi, & veste candida, *ibid.* De abrenuntiationis à Catechumeno faciendis, *ibid.* De Patrinis, eorumque obligatione, *ibid.* An & quando rebaptizatio sit vetita, *ibid.* Sancti Cypriani sententia Donatistarum errori minimè patrocinatur, 175. 1. De chrismate, quo inungendi baptizati, 293. 2. De dilatione baptismi, *ibid.* De omnimoda necessitate baptismi, respectu parvulorum, *ibid.*

Basilicæ, an ad Episcopi ordinationem cum omni dote sua pertineant, 226. 1.

Bellum an Christianis sit vetitum, 255. 1. Non est per se malum, *ibid.* An jubente Rege bellari possit, dum de belli justitia dubitatur, *ibid.* Debet esse justum, *ibid.* Quæ ad justitiam belli requirantur, *ibid.* An & quo sensu injuria à proximo illata armis sit propulsanda, *ibid.* 2. Quibus ex causis justè peti posset auxilium ad propulsandam injuriam, *ibid.* Oppressis subveniendum, *ibid.* Quid intersit inter hominem se vindicantem, & Judicem punientem, *ib.*

Beneficiorum pluralitas vetita, 250. 2. Potest quis habere duas Ecclesias, unam titulatam, alteram commendatam, *ibid.* Quo sensu possit quis juxta Sanctum Gregorium habere duos Episcopatus, *ibid.* Adscriptus alicui Ecclesiæ eam desere sine licentia Episcopi non potest, 251. 1. Plures Sacerdotes eidem Ecclesiæ præfici non possunt, *ibid.* Quælibet Ecclesia debet habere proprium suum Sacerdotem, *ib.* An ad beneficium derelictum detur regressus, 245. 1. Bigami omnis beneficii incapaces, 190. 1. *Vid.* Ecclesia.

Bigamus, an is censendus sit, qui duas uxores habuit, unam ante, altera post baptismum, 186. 2. 274. 1. Variæ ea de re Patrum sententiæ, *ibid.* Bigami non ordinandi, 190. 1. Omnis beneficii incapaces, *ibid.* Bigamia omnibus Clericis vetita, 293. 2. Græcorum disciplina circa irregularitatem ex bigamia, 189. 1. 190. 1.

Bona Ecclesiæ. *Vide* Ecclesia.

C

CAlumnia. Quæ pœna calumniatoribus infligenda, 220. 2. Vexationes, & calumnias bonis Sacerdotibus illatas coercere docet Episcopus, 216. 2.

Canones. Ex temporum, locorum, & personarum circumstantiis expendendi, 187. 2. His neglectis sæpè à vero canonum sensu aberratur, *ibid.* Nulla habenda sunt quæ contra canones fiunt, 266. 2. Hos ignorare clericis perniciosum, 191. 1. De Apostolorum canonibus parum accurate Gratianus, 178. 1. Canon *Si Papa*, hujus auctor incertus, 191. 2. Hujus prima pars unde desumpta, *ib.* 2. Præbuit prætextum sectariis convellendi primatum Romani Pontificis, 192. 1. Supponit posse esse à fide devium, & ut talem judicari, *ib.*

Canonici. An sua coram judice eis liceat repetere, 236. 1. An & quando eorum testimonium in causa Ecclesiæ sit legitimum, *ibid.* 2. Qui possint sine licentia Episcopi fieri monachi, 248. 1. Qua pœna puniendi qui monachi fiunt, *ibid.* 2.

Capella. An monachi in suis capellis habeant jus institutionis, 242. 2.

Capitula. Schismatis trium Capitulorum occasio, & historia, 258. 2. Quid de his moderni quidam sentiant theologi, 178. 1.

Cardinalis Episcopus. Quis sit apud Gregorium, 250. 2. Ab his Metropolitani vice Romanus Pontifex ordinatur, 183. 2. 201. 2. *Vide* Inthronizatio.

Carolus martellus. Fabula de ejus apparitione, 242. 1.
Charitas. An sit inamissibilis, 286. 2. Alia perfecta, alia imperfecta, *ibid.* Imperfecta amitti potest, & reparari, 287. 1. An in electis sit amissibilis, *ibid.* 2. In reprobis quanddoque charitas est, *ibid.* Quo sensu charitas, quæ deseritur, dici possit vera & ficta, *ibid.*
Castitas. Quæ in Presbyteris, & Diaconis sit requisita, 186. 2. Variæ ea de re Patrum sententiæ, 187. 1. Subdiaconi castitatis votum emittere debent, *ibid.*
Catechumeni. De exorcismis super eos faciendis, 293. 2. De eorum examine, *ibid.*
Cathedra. Sublimitas cathedræ sanctum non facit, sed requirit, 191. 2. *Vide* Decretales.
Causa. Quid eo nomine intelligatur, 209. 1. An & quando quis per procuratorem causam agere valeat, 220. 1. Causas ventilare diebus Dominicis, & festis prohibitum, 238. 1.
Choriepiscopi. A quibus ordinandi, 199. 2. Differentia inter Episcopos, & Choriepiscopos, sed supposititia, *ibid.*
Chrisma. Origo disciplinæ conficiendi chrisma singulis annis, 207. 1. In cœna Domini renovandum, 292. 2. An illud conficere competat Presbyteris, & infantes in fronte consignare, 207. 1. 293. 2. *Vide* Confirmatio.
Circumcelliones, qui, 257. 2.
Claves Ecclesiæ datæ sunt in persona Petri, 179. 1.
Clerici. A quibus, quo tempore, & quo loco ordinandi, 198. 2. Sine titulo Ecclesiastico non debent ordinari, 199. 2. Nec ab alieno Episcopo sine dimissoriis litteris, 200. 1. Peregrini sine commendatitiis litteris non admittendi, 208. 2. *Vide* Dimissoriæ litteræ. Potestatem in ordinatione acceptam sine licentia Episcopi exercere non possunt, 240. 2. Inferiores Clerici loca superioribus destinata ingredi vetantur, 185. 1. Vasa sacra tangere non debent, *ibid.* De qualitatibus in eis requisitis, 184. An ipsis litterarum secularium studium & librorum Gentilium lectio conveniant, 190. 2. Sacras litteras, & canones ignorare ipsis perniciosum, 191. 1. Cum mulieribus conversari prohibentur, 202. 2. Ab incontinentiæ præcipuè vitio debent esse immunes, 202. 2. Incontinentes ab omni ordinum gradu dejiciendi, 188. 2. Disciplina circa lapsorum restitutionem, 239. 2. In sacris non constituti, tempore S. Gregorii poterant uti conjugio, & stipendia ab Ecclesia recipere, 188. 2. Sobrietas in eis requisita, 190. 1. Frequentatio popinarum ipsis vetita, 193. 2. Interdicta venatio, 189. 2. Coma vetita 185. 1. De forma vestium Clericalium, 251. 1. Fulgidis, & pretiosis vestibus uti non debent, *ibid.* Externo habitu modestiam & simplicitatem præferant, 192. 2. 251. 2. Regula ea de re à Concilio Carthanensi præscripta, 192. 2. Usuræ, negotiatio clericis interdictæ, 194. 2. 204. 1. Ipsis præsertim pernitiosa bonorum temporalium cupiditas, 194. 2. Lucri gratia se negotiis secularibus intricare vetantur, 204. 1. 251. 1. An eis pro impenso patrocinio liceat munera exigere, 237. 2. An liceat proprium habere 231. 2. *& seqq.* Quandonam bona Clerico data censeri debeant ecclesiastica, 234. 2. Ad quem pertineant bona à Clericis acquisita, *ibid.* An & de quibus bonis testari possint, 234. 2. De labore manuum vivant quibus necessaria desunt, 204. 2. De licentia Episcopi monasterium ingredi possunt, 248. 1. An possint, invito Episcopo, *ibid.* An & quando eis sit vetitum ab Episcopis ad secularem judicem confugere, 251. 2. An & quando coram laico cogi possint ad jurandum, 254. 2. Non sint judices in causa sanguinis, idque sub pœna depositionis & perpetui carceris 261. 2. Sua auctoritate arma nequaquam arripere valent, ut malos ad Ecclesiam reducant & hæreticos, 260. 2. Eorum arma fletus, orationes & lachrymæ, 261. 1. Possunt tamen alios hortari ut ad oppressorum defensionem arma arripiant, *ibid.* Qua pœna puniendi Clericorum percussores, 246. 1. Clericatus dignior vita monastica, 248. 1. Clericalium graduum nomina unde sumantur, 181. 1. *Vide* Ecclesia. Judicia. Ordines.
Coadjutor. An & qua moderatores Episcopo senectute gravato dandus sit, 222. 1.
Collectione Dionysii Exigui seculo IX. Romana utebatur Ecclesia, 281. 1.
Coma Clericis vetita, 185. 1.
Commendatitiæ litteræ. Sine iis non admittendi Clerici peregrini 208. 2.
Communio. Sacerdos sacrificans communicare debet, 291. 1. Quandonam fideles ad communionem accedere debeant, *ibid.* Ante communionem ab uxoribus abstinendum, *ibid.* Ab hæretico non suscipienda, 263. 1.
Conciliorum generalium auctoritas 178. 1. Quo tempore celebrata sint, *ibid.* Cujus sit ea convocare, 178. 1. Jus istud Apostolicæ Sedi vindicavit *dictatus* vulgò Gregorii VII. *ibid.* 2. Cur nonnulli Concilium V. recipere recusaverint, 178. 1. 259. 1. An absque Sedis Apostolicæ licentia convocari & celebrari possint provincialia concilia, 178. 2. Conciliorum Episcopalium auctoritas contra pristinam Ecclesiæ disciplinam á Gratiano restricta, *ibid.* 1. Quid de hac auctoritate censeat Curia Romana, 179. 1. Concilii Tridentini decretum ad suam opinionem inflectere conatur, *ibid.*
Concubinæ. Quæ sint, 189. 2. Concubinarii presbyteri missa non audienda, & quare, 188. 2.
Confessio. An sit necssaria ut remittantur peccata 285. 2. An crimen sola oris confessione deleri possit 286. 1. De ejus sigillo, 188. 2. De confessione facta Diacono 236. 1. Confessarii dotes, 288. 1. An & quando eo relicto alterum accedere liceat, *ibid.* 2. Quædam inest inter confessarium, & pœnitentem spiritualis cognatio, 275. 1. Unde peccatum inter illos gravius est, graviusque puniendum, *ibid.* 2.
Confirmatio. De hujus Sacramenti dignitate, ministro & effectu, 294. 1. Duplex chrismatio altera per sacerdotem altera per Episcopum, *ibid.* De jejunio, & confessione ante confirmationem, *ibid.* Quo tempore celebranda, *ibid.* 2. Non reiteranda, *ibid.*
Conjugium. Conjugati ad sacros ordines sine uxoris consensu nequeunt promoveri, 188. 2. *Vide* Matrimonium.
Consecratio Ecclesiæ, *Vide* Ecclesia.
Consuetudo. Quæ sit ejus vis, 175. 2. Consuetudo contra legem divinam, aut naturalem corruptela est, *ibid.* 2. Non eadem est omnium consuetudinum auctoritas, 176. 1. Alia universalis, alia particularis, 176. 1. Consuetudines quædam etsi inveteratæ, merito extirpandæ, *ibid.* Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat, *ibid.* 2. Romanæ Ecclesiæ consuetudo quandoque ab aliarum Ecclesiarum consuetudine diversa, *ibid.* 1. Veritati conformis retinenda, 174. 1. In quo jus consuetudinarium à jure naturali ac constituto differat, 173. 2.
Constantini donatio fictitia est, 208. 1.
Constantinopolitani Episcopi prærogativa ratione Sedis non sine difficultate admissa, 181. 1.
Constitutiones Principum Ecclesiasticis constitutionibus obsequi debent, 275. 1. Constitutionibus Principum circa temporalia parere debent Pontifices, *ibid.* 2.
Constitutum jus in quo differat à naturali & consuetudinario 173. 2. Jnri naturali cedere debet, 174. 1.
Continentia. Varia Ecclesiæ disciplina circa continentiam Clericorum 187. 2. *& seqq.* An Presbyteris & Diaconis sit præcipienda, 188. 2 Non fuit eodem tempore ubique Subdiaconis præscripta 188. 1. Cur Ministris altaris ea lex imposita, *ibid.* 2.
Contritio. An sola contritione sine confessione remittantur peccata, 285. 2.
Convivia in honorem Martyrum reprobantur, 193. 2. Quomodo institui debeant, *ibid.* Ex pecuniis collatis fieri prohibentur, 194. 2.
Crimen. Sancti Augustini moderatio in dijudicanda eorum gravitate, 221. 1. An & quando licitum sit aliorum crimen revelare, 220. 2. Quæ crimina excepta, pro quibus admittuntur quibus testes, 221. 1. Accusatus de crimine recedere nequit ante sententiam, 224. 2. An confessio criminis cruciatibus sit extorquenda, 238. 2.
Crucis signaculo perficiuntur sacramenta, 194. 2.
Cuculla memorialis, quid sit, 248. 2.
Cupiditas bonorum temporalium in Clericis præsertim perniciosa, 194. 1.
Curiæ Romanæ opinio de Conciliorum Episcopalium auctoritate, 179. 2. Concilii Tridentini decretum ad suam ea de re opinionem inflectere conatur, *ibid.*
Cipriani. Ejus de baptismo sententia Donatistarum, & schismaticorum errori minime patrocinatur, 174. 2.

D

Dæmones *Vide* Sortilegium.
Dalmatica. Ejus usus, 185. 1.
Decimæ. Cui competat jus ad decimas, & exequias 234. 1. An à laicis possideri queant, 144. 2. An eas non solvere grave peccatum sit, 242. 1. An Clerici baptismalis Ecclesiæ eas sibi ex integro auctoritate privilegii valeant vindicare, 265. 1. In quatuor partes dividendæ, *ibid.* Ecclesiæ antiquæ ob novas obstructas decimis privandæ non sunt, 241. 1. Utrum eas dare vel accipere debeant Monachi, *ibid.* Eas à laicis sine consensu Episcopi non possunt

sunt recipere 245. 1. Culpanda decimatorum tenacitas quæ cogit sacerdotes, *binare*. 290. 2.
Decretales Romanorum Pontificum epistolæ. Quæ sit earum auctoritas, 179. 1. Decreta relata sub nomine Nicolai I. & Innocentii I. ad eam asserendam suspectæ fidei sunt, 181. 1. Qua cautione, ut vim legis habeant, in Gallia recipiuntur, 179. 2. De earum auctoritate comparata ad expositiones sacræ scripturæ, 180. 2. An Pontifices in suis decretis recedere possint à Patrum decretis, & Evangelicis præceptis, *ibid.* 1. Decreta sedis Apostolicæ in omnibus servanda, si tamen *salubriter* fuerint promulgata, 266. 2. Distinctio inter cathedratica, & non cathedratica, 280. 1. Quæ sint decreta secundum quæ causas debent decidere Episcopi, 181. 1. Optandum ut in Ecclesiæ codice non referretur decretum Symmacho Papæ adscriptum, 191. 2. Decreti Nicolai I. de electione Romani Pontificis occassio & historia, 183. 1. Decreti Gratiani auctoritas tempore S. Thomæ, 211. 1.
Defuncti. De ritu tertii, septimi, &c. diei ab obitu, 235. 2. An & quomodo liceat lugere mortuos, *ibid.* Luctus defunctorum specialiter Religiosis vetitus, *ibid.* 2. An mortui noverint quæ à vivis geruntur, *ibid.* An & quando pro suspensis furibus orandum, 236. 1. *Vide* Sepultura.
Diaconi. De eorum numero, 206. 2. Eorum superbia reprimitur, *ibid.* Vetantur usurpare quæ presbyteris competunt, *ibid.* Variæ eorum vestes & usus, *ibid.* Eorum officium in dispensando calice, *ibid.* An & quo sensu prohibeantur in Ecclesia cantare, 205. 1. De dignitate presbyterorum supra Diaconos, 206. 2.
Diaconisæ, apud Græcos presbyteræ apud Latinos viduæ dicebantur, 189. 1.
Dignitates Ecclesiasticæ ex S. Augustino duplici modo considerandæ, 192. 2.
Dimissoriæ litteræ. De earum formula, 200. 1. Sine iis Clericus ab alieno Episcopo non ordinandus, *ibid.* Non potest sine iis extra suam Ecclesiam Clericus ministrare, *ibid.* 2. De iis quæ vocantur *Exeat*: ea Episcopus concedere non debet, nisi rogatus, *ibid.*
Diœcesis. Ea vox multipliciter apud veteres sumitur, 234. 2. Nullus in alterius Episcopi diœcesi quidquam ipso inconsulto agere potest, 225 1.
Dionysii Exigui codice seculo IX. Romana utebatur Ecclesia, 181. 1.
Divinationes. Divini. *Vide* Sortilegium.
Disciplina Romanæ Ecclesiæ à cæteris aliquando diversa, 176. 1. 281. 1. Disciplina Ecclesiæ circa continentiam Clericorum non semper, & ubique eadem, 187. *& seq.*
Dispensatio. Regula in dispensatione servanda, 177. 2. In jure naturali dispensari nunquam potest, *ibid.* 1. Dispensatio olim ignoranter conjunctis difficillimè concedebatur, 284. 2. Romanæ Curiæ praxis hodierna in danda dispensatione, 266. 1.
Divortium sine licentia Ecclesiæ non licitum, 281. 2. Factum auctoritate Ecclesiæ an solvat matrimonium, *ibid.*
Donatio vulgo *Constantini* fictitia est, 208. 1.
Donatistæ. Pro eis, ne occidantur, rogat S. Augustinus, 257. 2. S. Cypriani de baptismo sententia eorum errori minimè favet, 174. 2. Refellitur eorum calumnia adversus Catholicos, 260. 2.

E

Ecclesia. Ejus unitatis fundamentum ex Cypriano 262. 2. Non est in ea qui ejus unitatem scindit, 205. 2. Non autem quocunque modo à Romano Pontifice dissentiens, *ibid.* Ecclesiæ datæ sunt claves in persona Petri, 262. 2. Mali in ea quandoque tolerandi, 255. 2. *Vide* Mali. Eos ad bonum cogere potest, 259. 2. An schismaticos, ut ad unitatem Christi reddeant, cogere possit, *ibid.* Nequaquam in eum finem sua auctoritate Clerici arma arripere valeant, 260. 2. Leges Principum utiliter contra pertinatiam hæreticorum implorat Ecclesia, 257. 1. An electus in Pontificem Ecclesiam ante ordinationem regere possit, 184. 1. An & quomodo monachi ad Ecclesiastica officia possint admitti, 197. 2. *Vide* Monachi.
Ecclesia Romana ab omni hæresi hactenus immunis, 262. 2. Ejus disciplina à cæteris aliquando diversa, 281. 1. Dionysii Exigui codice seculo IX. utebatur, 181. 1. Privilegium recens ipsi ex falsis decretalibus à Gratiano assertum, 225. 2. Quæ inter Ecclesias primum locum obtineat, quæ secundum, 182. 1. Prærogativa Constantinopolitano Episcopo concessa non sine difficultate fuit admissa, *ibid.* Ecclesiæ Metropolitanæ liturgia à comprovincialibus Ecclesiis servanda, 177. 1. 292. 1. Olim in Ecclesia matrice cum suo pastore solemnioribus festis conveniebant populi, 223. 1. Ad quem pertineat novæ Ecclesiæ constructio, 289. 1. Dum construitur, dos sufficiens ei assignari debet, *ibid.* 2. Consecrata debet aqua sancta aspergi, *ibid.* De Ecclesiarum dedicatione, reconsecratione, & reconciliatione *ibid.* De altaribus, & eorum consecratione, 290. 1. An & qua auctoritate corpora sanctorum de loco in locum transferri possint, *ibid.* Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt, 241. 2. Quælibet Ecclesia debet habere suum proprium sacerdotem, 251. 1. Ecclesias sibi subjectas quotanis Episcopi visitare debent, 226. 1. Discrimen inter Ecclesias incorporatas pleno jure, & incorporatas quoad temporalia, 242. 2. Non licet de manu laicorum Ecclesias recipere, 244. 2. Abusus circa collationem Ecclesiarum per laicos, *ibid.* Inter hos abusus non sunt generaliter referendæ investituræ, *ibid.*
Ecclesiæ bona. Qui divites de iis possint accipere, & qui non, 211. 1. Ad laicos minime pertinent, sed ad Episcopi ordinationem, 226. 2. Aliud dicendum de bonis monasteriorum, quorum administratio monachis concessa, *ibid.* 1. 247. 1. An in præbendas distribui possint Ecclesiæ bona, 232. 1. In quatuor portiones dividenda, 233. 1. Post divisionem ejusdem naturæ sunt, 232. 1. Episcopi rerum Ecclesiæ dispensatores, non *domini*, *ibid.* Nec possunt eas pro arbitrio distrahere, 226. 2. An validè à Clericis distrahi possint, *ibid.* 2. 232. 2. Qua pœna puniendi injusti rerum Ecclesiæ invassores, *ibid.* 2. 243. 1. Pœnitentia vasorum sacrorum prædonibus imponenda, 232. 2. Bona, & decimæ unius Ecclesiæ sine Episcopi consensu alteri dari non possunt, 241. 2. In redemptionem captivorum licitè impenduntur, 232. 2. Quibus casibus possit Episcopus res Ecclesiæ sine fratrum consilio distrahere, 233. 2. Eas alienare Prælatis non licet, *ibid.* 1. Sine consensu eorum, quorum interest, alienari non possunt, 233. 1. Quas ob causas eas alienare liceat, 234. 1. De servis Ecclesiarum, eorum alienatione, manumissione, &c. 233. 2. Bona Ecclesiæ sine judicis auctoritate repeti non possunt, 244. 1. Causa cedere debet qui id sine judicis auctoritate attentat, *ibid.* Discrimen inter bona Ecclesiastica, & secularia, 234. 1. Quandonam bona Clerico data censeri debeant ecclesiastica. *ibid.* Episcopi morientis bona, cui reservanda, 233. 2. Ad quem pertineant bona à Clericis acquisita, 234. 1. An & de quibus bonis testari possint clerici, *ibid.* 2. Cui cedere debeant bona Clericorum pœnitentiæ causa monasteria inclusorum, 244. 1. Ecclesia ex delicto Clericorum emolumentum facere non debet, *ibid.* 2. Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio, 246. 2. *Vide* Beneficia.
Ecclesiarum privilegia inviolatè servanda, 266. 1. 2. Quibusdam tamen casibus, aut in totum, aut pro parte tolli possunt, *ibid.* Monitum circa privilegiorum concessionem, 267. 1.
Electio. Quæ in Romani Pontificis electione observanda sint, 183. 1. Ea de re Nicolai II. decretum, ejus occasio, & historia, *ibid.* Quinam Nicolai II. tempore ad Rom. Pont. electionem concurrerent, *ibid.* 2. Hæc erat ab Imperatore probanda, *ibid.* Etiam extra Romam fieri potest, *ibid.* An electus in Pontificem regere possit Ecclesiam ante ordinationem, 184. 1. In electione Episcopi muneribus, aut patrocinio locus esse non debet, 224. 1. Qui concurrere debeant ad electionem, & ordinationem Episcoporum, 198. 1. An laici ab electione Episcopi sint excludendi, *ibid.* Varia ea de re disciplina, *ibid.* 2. In electionibus ad officia ecclesiastica qui præferendi, *ibid.* 1.
Eleemosynæ. An & quando ex illicite acquisitis fieri possint, 237. 1.
Episcopatus. Quibus in locis instituendi, 202. 1. Cui competat eos uniendi aut dividendi potestas, 241. 1. Item eximendi à jurisdictione Metropolitani, *ibid.* 2. Item novos erigendi, *ibid.* Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt, *ibid.*
Episcopus. Ad Episcopatum assumendi prius multo tempore probandi, 198. 1. Ad eorum electionem, & ordinationem qui concurrere debeant, *ibid.* Quo ritu ante ordinationem examinandi, 184. 1. Non neophytus ordinetur, 195. 1. Ordinandus in Episcopum sufficit ut sit subdiaconus, 197. 2. De qualitatibus in ordinando Episcopo requisitis, 186. 1. Debet fuisse immunis à crimine post baptismum quare, *ibid.* A consortio alienorum etiam criminum immunis esse debet, 203. 1. Ratio hujus puritatis in Episcopo requisitæ, 195. 1. Non potest ordinari sine consensu Metropolitani, 198. 2. A comprovincialibus cum Metropolitano ordinandus, *ibid.* Eo casu quod unicus in provincia supersit, à quibus consecrandus, *ibid.* Oportet

tet eum esse pudicum, 193. 2. Sobrium, 193. 2. Non litigiosum, & quare, 194. 1. Non percussorem, *ibid.* Mansuetudine magis quàm potestate agere debet, *ibid.* 2. Cavendus ipsi dominandi spiritus, *ibid.* Debet esse hospitalis, 193. 1. Liberalis in pauperes, 203. 2. Protectionem viduis, & pupillis impendere, *ibid.* 1. Discordantium concordiam procurare, 204. 2. Non sit turpis lucri cupidus, 204. 1. Domui suæ benè præesse sciat, 194. 2. 204. 2. Nimiam domesticarum etiam personarum familiaritatem vitare debet, 189. 2. A vitiis sit immunis, & quare, 195. 1. Episcopi militare vetantur, & ad castra proficisci, 260. 2. De doctrina & prudentia in Episcopo requisitis, 190. 2. In sacris præcipuè litteris debet esse versatus, *ibid.* & 203. 2. Oportet eum esse doctorem & aptum alios instruere, 203. 2. Populum docere tenetur, 193. 1. Quæ docere debeat, 190. 2. An oporteat secularium negotiorum esse peritum, 191. 1. Bonum Ecclesiæ non suum quærere debet, 224. 1. Ejus ordinationi subjacent Ecclesiæ bona, non verò monasteriorum, 226. 1. Res Ecclesiæ dispensare potest, non pro arbitrio distrahere, *ibid.* 2. Quomodo eas dispensare debeat, 226. 2. Ecclesias sibi subjectas annuis vicibus visitare debet, *ibid.* 1. Quid ipsi in hac visitatione agendum, *ibid.* Subditos gravare non debet, *ibid.* 2. Quomodo subditorum vitia redarguere debeat, 203. 2. Vexationes, & calumnias bonis sacerdotibus illatas coercere tenetur, 216. 2. Pro reis olim intercedebant Episcopi ut eos ad pœnitentiam perducerent, non ut à punitione eximerent, 257. 2. Episcopi ordinum ministri, 184. 1. Ipsis pars tantum Ecclesiasticæ potestatis, plenitudo verò summo Pontifici ex falsis decretalibus attributa, 215. 2. An suffraganei Clericos eo inconsulto Archiepiscopus damnare possit vel absolvere, 225. 1. Episcopus Presbyterum vel Diaconum sine concilio damnare non potest, 239. 1. Quæ sint decreta secundum quæ causas decidere debet, 181. 1. Non potest quemquam ob injuriam sibi illatam excommunicare, 256. 2. Ipsi non est probrosum revocare quod temere fecit, 264. 1. Accusatis Episcopis tempus sufficiens concedendum ad sui defensionem 257. 1. An accusatus Episcopus & Romam à sancta sede vocatus, sine licentia Romani Pontificis discedere possit, 224. 2. An ejus simplici assertioni credi debeat, 221. 1. Quot requirantur judices ad judicandum Episcopum de crimine accusatum, 218. 1. Quomodo judicandus si electi judices inter se non concordent, 221. 1. Dum judices concordant, eorum sententia debet esse immobilis, *ibid.* 2. Absque Synodali auctoritate damnari non debet, 220. 1. Sua sede spoliari non potest, nisi servato juris ordine, 216. 2. Aliter spoliatus ante omnia restitui debet, *ibid.* An sine auctoritate Romani Pontificis possit deponi, 216. 2. An possit Episcopatum renuntiare, & utrum alius eo vivente sit ordinandus, 222. 1. Alius potest, si Episcopus infirmitate gravatus id petat, *ibid.* Episcopo infirmo divina officia peragenti adjutor debet assistere, *ibid.* An & qua moderatione Episcopo senectute gravato dandus sit coadjutor, *ibid.* An & quo sensu successorem designare aut instituere possit, 223. 2. An & quando metu persecutionis ipsi liceat à grege separari, *ibid.* 2. An monachus factus ad Episcopatum redire valeat, 223. 1. Episcopatus matrimonium spirituale Episcopum inter & Ecclesiam 222. 1. Episcopus Cardinalis, quis sit apud Gregorium, 250. 2. *Vide* Ecclesia. Judicia. Ordines.

Eucharistia. De veritate sacramenti Eucharistiæ, & præparatione ad illud requisita, 292. 1. Pro infirmis reservanda, *ibid.* Parvis infirmis olim data, *ibid.* Per abusum olim ad infirmos per laicum delata, 291. 2. De pœnitentia Presbyteri non custodientis Eucharistiam, 292. 1. *Vide* Missa.

Examen. De examine ordinandi in Episcopum 184. 1. Ordinandi qualiter examinandi, 186. 2. Ejusdem examinis formula, *ibid.*

Excomunicationis variæ species, 229. 2. An & quousque servanda injusta excommunicatio, *ibid.* Quid agendum illi, qui se injuste excommunicatum credit, 229. 1. De gravitate pœnæ excommunicationis, 230. 1. Quam ob causam ferri possit, *ibid.* 2. Quo sensu sententia injusta pastoris non sit timenda, *ibid.* Sententia multipliciter dici potest injusta, 230. 2. & *seqq.* In rebus illicitis superiori non obediendum, 231. 1. Illicita excommunicatio non lædit excommunicatum, 231. 1. Sed potius excommunicantem, *ibid.* Apud Deum non sententia, sed prava vita ligat, *ibid.* Quomodo possunt innotescere excommunicati, 229. 1. Qui excommunicati vitandi, *ibid.* An & quando vetitum sit communicare cum excommunicatis, 231. 2. Vetus formula excommunicandi, *ibid.* Formula reconciliandi excommunicatos, *ibid.* Oves morbidæ, si incorrigibiles sint, ab Ecclesia ejiciendæ, 264. 2. De quibusdam criminibus excommunicatione puniendis, *ibid.* An ordinatio ab excommunicato facta rata & valida haberi possit, 225. 1. Quæ pœnitentia imponenda presbytero in excommunicatione ministranti, 231. 2. Episcopus non potest quemquam ob injuriam sibi illatam excommunicare, 256. 2. An excommunicatus alium accusare valeat, 219. 1. Hæreticus alium excommunicare, aut officio privare non potest, 262. 1. Nec consecrare, 263. 1. Excommunicatus ab hæreticis ob crimina, sine pœnitentia à Catholicis suscipi non debet, *ibid.* 1. Pro peccato alicujus tota familia excommunicari non potest, 264. 1. Utrum quis post mortem excommunicari possit, aut absolvi, 263. 2. Varia ea de re Ecclesiarum observantia, *ibid.* An sint homicidii rei excommunicatorum interfectores, 259. 2.

Exeat. Vide Dimissoriæ litteræ.

Exequiæ. Cui jus ad decimas & exequias competat, 234. 2. *Vide* Sepultura.

Expositiones S. Scripturæ per SS. Patres summorum Pontificum decretis præferendæ, 180. 2.

Extrema-unctio olim infirmis ante Viaticum conferebatur, 269. 2.

F

Fas. Quid per fas & nefas intelligatur, 171. 1.

Festa. Formula publicandi festa, 292. 2. Cujus sit ea instituere, *ibid.* 2. Saltationes diebus festis vetitæ, *ibid.*

Fornicatio. Ob eam pœnitentia sacerdoti imponenda, 202. 2.

Fures. An & quando pro suspensis furibus orandum, 236. 1. *Vide* Sepultura.

Furtum committit qui rem inventam non restituit, 237. 1. Unde ejus gravitas dessumenda, *ibid.* 2.

G

Gelasius. Observanda circa decretum ejusdem de libris apocryphis, 178. 1.

Graduum clericalium nomina, unde sumantur, 181. 1.

Gratianus. Quæ fuerit ejus decreti auctoritas tempore S. Thomæ, 211. 1. De auctoribus legum parum accurate agit, 173. 2. Falsis decretalibus deceptus apocrypha innumera sub aliorum nomine adducit, 172. 1. & *passim.*

Gregorii VII. *dictatus* de Conciliorum generalium convocatione ad Romanam sedem pertinente, 178. 2.

H

Hæresis. Discrimen inter hæresim, & schisma, 264. 2. Ecclesia Romana ab omni hæresi hactenus immunis, 262. 2. Qui proprie dicendi hæretici, 265. 1. De variis sectis hæreticorum, *ibid.* Quam ob causam Deus hæreses permittat, *ibid.* An ab hæresi reversi ad sacros ordines sint recipiendi, 252. 1. Ab hæretico licite in necessitate baptismus suscipitur, sed non communio, 263. 1. Hæreticus alium excommunicare aut officio privare non potest, 262. 1. Nec consecrare, 263. 1. Hæretici possunt auctoritate legum justè suis & Ecclesiæ rebus spoliari, 260. 2. Refellitur ea de re Donatistarum adversus Catholicos calumnia, *ibid.* Contra pertinaciam hæreticorum leges Principum utiliter implorat Ecclesia, 257. 1.

Hæres. Nemo cum injuria filiorum hæredem Ecclesiam facere debet, 246. 2. An Monachus ad Episcopatum assumptus fiat capax successionis paternæ, *ibid.* 2.

Histrionibus conversis non neganda reconciliatio, 292. 1.

Homicida. Quis dicendus sit, 262. 1. Quis ex pluribus concurrentibus dicendus sit homicidii reus, *ibid.* An sint homicidii rei excommunicatorum interfectores, 259. 2. Provocans ad jurationem falsam dupliciter homicida est, 254. 1.

Hospitalitas. Quid hac voce intelligatur, & in qua consistat, 193. 1. Sancti Chrysostomi monitum circa ejus exercitium, *ibid.*

I

Jejunium. De Quadragesima & aliis jejuniis, eorumque utilitate, 294. 2. Quibus temporibus celebranda, 201. 1. Quo tempore solvi possit jejunium quadragesimale, 290. 2. De ritibus jejuniorum, & varia hac in re disciplina, 292. 2. Jejunium Missæ celebrationi præmittendum, 290. 2.

Ignorantia. Ejus variæ species, 211. 2. Quænam excuset, *ibi.*

Illusio nocturna, an & quando à susceptione corporis Domini aut ejus oblatione impediat, 173. 1. *Vide* Sortilegium.
Imagines. Utilis earum cultus, vetita adoratio, 292. 2.
Immunitas Ecclesiarum, quousque locum habeat respectu famulorum, 246. 1.
Imperator. Ejus erat Romani Pontificis electionem approbare, 183. 2.
Impotentia. Olim in Ecclesia Romana erat impedimentum dirimens, 281. 1. Secus in Gallia, *ibid.* Quandonam impotentia ex maleficio matrimonium dirimat, *ibid.*
Incantationes. *Vide* Sortilegium.
Incendarii Qualiter puniendi, 261. 2. Quale fuerit iter Hispanicum ipsis loco pœnitentiæ impositum, 262. 1.
Incestus. Olim inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium, 280. 2.
Infirmos oleo sancto sive chrismate ungere potest Episcopus, 207. 1. Extrema-unctio infirmis olim ante viaticum conferebatur, 269. 2.
Incontinentia. Ab hoc præcipue vitio clerici immunes esse debent, 202. 2.
Interstitia. Quæ inter singulos ordines servanda, 201. 1. Eorum scopus, *ibid.* Quin ab Episcopis in iis dispensandis attendendum, 198. 1.
Investituræ Episcoporum olim ab Imperatoribus datæ ut simoniacæ arguuntur, 210. 1. Non licet de manu laicorum Ecclesias recipere, 244. 2. Abusus circa collationem Ecclesiarum per laicos, *ibid.* Non tamen inter hos abusus generaliter referendæ investituræ, *ibid.* *Vide* Ecclesia.
Inthronizatio Romani Pontificis. Quinam ad illam concurrebant, 201. 2. In ea præcipuas partes habebant Clerici cardinales, *ibid.* *Vide* Cardinales. Electio. Papa.
Irregularitas. Ejus variæ species, 196. 2. Græcorum disciplina circa irregularitatem ex bigamia, 190. 1.
Judicium. De ordine judiciorum, 212. 2. An in manifestis sit necessarius ordo judiciarius, *ibid.* An expoliatus sit judicandus, 253. 1. Qua pœna feriendi deficientes in accusatione *ibid.* An deficiente accusatore reus cogendus sit ad purgationem, *ibid.* An Sacerdotibus injungi queat juramentum, quo se purgent, *ibid.* De purgatione per juramentum, *ibid.* 2. Per aquam ferventem vel ferrum candens, 213. 2. Per sacram communionem, *ibid.* Reprobata purgatio vulgaris tamquam superstitiosa, 214. 2. De trina citatione canonica requisita ante condemnationem, 220. 1. Examen criminis in prima instantia debet instrui in provincia, 218. 1. Reus extra provinciam ad judicium evocari non potest, 217. 1. Accusatus de crimine recedere nequit ante sententiam, 228. 1. Nemo condemnandus nisi præsentes habeat accusatores, & testes, locumque ad abluenda crimina, 218. 1. Qui testes possint repudiari, *ibid.* 2. An & quando quis per procuratorem causam agere valeat, 220. 1. An & quando reus sit cogendus ad probationem, 221. 2. Nemo ante probationem puniendus, 239. 2. Gravatus per sententiam ab ea appellare potest, 215. *Vide* Accusatio. Appellatio. De numero testium in causa Clericorum, 215. 2. In causa summi Pontificis, *ibid.* An & quibus in causis Clerici coram civili judice conveniri possint, 227. 1. & *seqq.* An & quando vetitum sit Clericis ab Episcopis ad secularem judicem confugere, 251. 2. Qua pœna dignus sit Clericus coram judice seculari conveniens, 229. 1. Episcopis accusatis tempus sufficiens concedendum ad sui defensionem, 217. 1. An Episcopus non comparens, ut se purget, à communione sit removendus, 219. 1. Episcopus sua sede spoliari non potest, nisi servato juris ordine, 216. 2. Romanus Pontifex ab hac regula immerito exceptus, 214. 2. Spoliatus ante omnia restituti debet, 216. 2. An Episcopi sine auctoritate Romani Pontificis possint deponi, 215. 1. 216. 1. 220. 1. Quot requirantur judices aut judicandum Episcopum de crimine accusatum, 218. 1. Quomodo judicandus Episcopus si electi judices inter se non concordent, 221. 1. Dum judices concordant eorum sententia debet esse immobilis, *ibid.* 2. Episcopus absque synodali auctoritate damnari non debet, 220. 1. An sedis Apostolicæ requiratur auctoritas, *ibid.* Quandonam judicium Romani Pontificis censeri debeat judicium Petri, 262. 2. An sacrilegus habendus sit qui de judicio summi Pontificis disputat 246. 1. Episcopus sine concilio presbyterum aut Diaconum damnare non potest, 239. 1. Qualis debeat esse judex, 217. 2. Non potest dici crudelis quod malos puniat, 258. 2. Neque misericors, quod vitiis parcat, *ibid.* Judex ecclesiasticus, eo prætextu quod judex secularis officio suo desit, non potest de causa judicare, *ibid.* Diebus Dominicis, & festis judiciaria tractare prohibitum, 238. 1.
Juramentum. An & quando jurare sit licitum, 252. 1. Licite utimur fide ejus qui jurat per idola, *ibid.* An licite petatur juramentum à juraturo per falsos deos, *ibid.* An sit licitum jurare per creaturas, *ibid.* De gravitate unius juramenti comparati ad alterum, *ibid.* 2. De gravitate & pœna perjurii, *ibid.* Modus minuendi frequentiam perjuriorum, *ibid.* An perjurus sit jurans falsum, quod putabat verum 253. 1. *ibid.* Provocans ad jurationem falsam dupliciter homicidia est, 254. 1. Juramenta de re illicita servanda non sunt, *ibid.* Quandoque licite præstatur quod illicite juratum est, 253. 1. De reverentia in juramento adhibenda, 254. 1. De ætate ad jurandum requisita, 254. 1. De tempore, quo vetitum est jurare, *ibid.* An & quando clericus coram laico cogi possit ad jurandum, *ibid.* 2. de juramento à vasallis præstando, *ibid.*
Jus, naturale & humanum, 171. 1. Juris civilis variæ species, 171. 2. Jus naturale immutabile, 172. 2. Juris naturalis immutabilitati non officit Mosaicæ legis abrogatio, 173. 1. Differentia inter jus naturale, & consuetudinarium & constitutum, *ibid.* 2. Juri naturali cedere debet constitutum, 174. 1. In jure naturali nunquam potest dispensari, 177. 1.

K

Kalendarum, dierum, annorum superstitiosa observatio, 270. 1.

L

Laici. An ab electione Episcopi sint excludendi, 198. 2. An & quando eis liceat recusare Clericos, & maxime Episcopos, 216. 1. Arcendi à sacrario laici tempore quo sacra celebrantur, 292. 1. Per abusum olim Eucharistiam ad infirmos deferebant, *ibid.*
Lapsi post ordinationem, an peractâ pœnitentiâ in propriis ordinibus remanere, vel ad majores ascendere queant, 195. 2. Variæ ea de re Patrum sententiæ, *ibid.* Earum conciliatio & praxis hodierna, *ibid.* *Vide* Sacerdotes. Ordinatio. Pœnitentia.
Legatus Apostolicus. Quicumque eum impedierit excommunicetur, 206. 2. De legatis Apostolicis incertum & corruptum Nicolai I. decretum, 208. 2.
Leges civiles. De earum auctoribus, 173. 2. Earum scopus, 172. 1. Quid sit lex *Satyræ* vel *Saturæ* 171. 2. Hanc improbabant Romani, *ibid.* Ea maxime etiam in decretis ecclesiasticis præsertim dogmaticis improbanda, 172. 2. Requisita ad justitiam & æquitatem legum, *ibid.* Necessaria legum publicatio, *ibid.* Quo sensu firmitas legum à moribus utentium dependeat, *ibid.* Legis Mosaicæ abrogatio non officit juris naturalis immutabilitati, 173. 1. Legi naturali quidquid adversatur vanum est irritum, 174. 1. Justum est ut Principes suis legibus pareant, *ibid.* 2. Romanus Pontifex etsi novas leges condere possit, tamen adversus statuta Patrum nihil valet, 215. 2. Leges Principum contra pertinaciam hæreticorum utiliter implorat Ecclesia, 257. 1.
Libelli contumeliosi. Quibus pœnis puniendi eorum auctores, 219. 2.
Liberalitas. Quis modus in servandus, 203. 2. 200. 1.
Libri canonici. Eorum auctoritas, 174. 2. Observanda circa Gelasii decretum de libris apocriphis, 178. 1.
Licitum. Licita quædam aliquando propter abusum vetantur, 187. 2.
Limina Apostolorum singulis annis adire debent Episcopi apostolicæ ordinationi subjecti, 205. 2.
Litteræ. Sacrarum litterarum scientia Episcopis necessaria, 190. 2. Earum, & canonum ignorantia in clericis perniciosa, 191. 1. An litterarum secularium & librorum gentilium studium clericis conveniat, 190. 2.
Liturgia Metropolitanæ Ecclesiæ in comprovincialibus servanda, 177. 1. 292. 1. *Vide* Missa.

M

Maledictum. Quotuplex, 264. 2. An criminosi maledictionis sententia sint feriendi, *ibid.* *Vide* Excommunicatio.
Maleficia. *Vide* Sortilegium.
Malum. *Minus malum de duobus eligendum est*: quis sit hujus sententiæ sensus, 177. 2. Utrum minus malum possit committi, ut in aliis majora evitentur mala, *ibid.* 2. Mala punienda non amore vindictæ, sed zelo justitiæ, 257. 1.
Mali in Ecclesia quandoque tolerandi, 256. 1. Non cor-

porali sed spirituali vindicta puniendi, *ibid.* Quandonam tolerandi vel puniendi, *ibid.* Neque prædestinatione ad vitam, neque præscientia ad mortem redditur correptio malorum inutilis, *ibid.* Quandoque ad aliorum terrorem mali puniendi sunt, 256. 2. An eos occidere sit licitum, 257. 2. Per Ecclesiam ad bonum cogi possunt, 259. 2.

Martinus Papa. Quæ vulgo sub ejus nomine ditantur decreta non ejus sunt, sed Martini Bracarensis, 205. 1. 194. 1. & *passim.*

Martyres. Convivia in honorem Martyrum reprobantur, 193. 2.

Matrimonium. Quis sit ejus finis, 279. 1. Matrimonium facit solus consensus, 272. 1. Quis consensus requiritur, *ibid.* De ætate & consensu ad sponsalia requisitis, 275. 2. An sit valida clandestina matrimonia, 276. 1. Ea semper improbavit Ecclesia, *ibid.* An sponsalia sine libero contrahentium consensu sint valida 277. 1. Quorum parentum requiratur consensus, 279. 1. An & quando parentes sponsalia filiorum frangere possint, 278. 1. Matrimonium triplex, legitimum & non ratum, ratum & non legitimum, legitimum & ratum, 273. 2. Aliud est initiatum sive ratum, aliud consummatum, 272. 2. Ratum dissolvi potest, non vero consummatum, *ibid.* Quæ sit illius distinctionis origo, 273. 1. Differentia inter sponsalia de futuro, per copulam sequentem olim transibant in sponsalia de præsenti, *ibid.* An sit bigamus, qui duas uxores, unam, ante, alteram post baptismum habuit, 274. 1. An licite matrimonium contrahatur cum meretrice, 278. 1. Illud Romanis legibus erat vetitum, *ibid.* 2. Sed laudatur ut meritorium, *ibid.* Olim adulterium quodcumque impediebat matrimonium inter adulterum & adulteram, 277. 1. Restrictio ea de re à Pontificibus probata, *ibid.* 2. Olim inter adulteros incestuosos nullum erat matrimonium, 280. 2. An nati ex incestu filii reputentur, 284. 1. Nullo casu per adulterium dissolvitur, 280. 1. Nulla ex causa potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem, 279. 2. Æquale est jus mariti & uxoris ad dimittendam compartem adulteram, *ibid.* Adulter compartem adulteram dimittere non potest, *ibid.* Utrum ob captivitatem vel absentiam unius conjugis dissolvatur matrimonium, 283. 1. An conjux sine alterius licentia possit continentiam profiteri, 272. 2. Quo tempore ab actu conjugii abstinendum, 282, 1. De impedimentis matrimonii, 270. 2. 274. 1. 275. 1. An votum castitatis impediat matrimonium, 270. 2. 271. 2. An voto adstricti matrimonium contrahere possint, 272. 1. De potestate viri in uxorem & in vota ab ea emissa, 282. 2. Matrimonium inter infideles verum est, 273. 2. Sed non habet vim Sacramenti, ideoque nec indissolubile, *ibid.* Matrimonium fidelis cum infideli vetitum, *ibid.* Quandonam conjux fidelis ab infideli discedere possit, & ad alias nuptias transire, *ibid.* 2. Quis error matrimonium impediat, 274. 1. Ignoranter conjuncti in gradu prohibito quandonam separandi, 284. 1. Olim dispensatio etiam ignoranter conjunctis difficilime concedebatur, *ibid.* Conjugium per errorem causa consanguinitatis separatum defecto errore redintegrari debet, *ibid.* 2. Quam ob causam consangunitas, & affinitas matrimonium impediant, 283. 1. Matrimonia in linea recta in infinitum vetita, *ibid.* 2. Usque ad quem gradum consanguinitatis extendatur prohibitio, *ibid.* De modo computandi gradus consanguinitatis & affinitatis, *ibid.* An conjux levans proprium filium de sacro fonte debeat à conjuge separari, 274. 2. & *seqq.* Qui possint esse accusatores & testes, ubi de consanguinitate agitur, 284. 2. Formula juramenti pro accusatore, & testibus, *ibid.* Pro separandis ob consanguinitatem, *ibid.* Dum recipitur uxor injuste dimissa, *ibid.* Formula interrogandi laicos dum Episcopus visitat, *ibid.* Divortium ob consanguinitatem propria auctoritate fieri non potest, *ibid.* Quæ impotentia dirimat matrimonium, & quæ non, 272. 2. *Vide* Impotentia. An & quandonam inter raptorem & raptam matrimonium esse possit, 285. Jure legum & canonum raptus erat impedimentum perpetuum, *ibid.* De tempore quo nuptiæ celebrari non debent, 282. 1. An & quo sensu à Patribus improbatæ secundæ nuptiæ, 277. 2.

Mendacium. De variis mendatiorum generibus, 253. 1. Nullum genus mendacii licitum esse probatur, *ibid.* Nullum ob finem mentiri licitum est, *ibid.* Potest tamen quandoque veritas occultari, *ibid.* 2. De facto Abraham & Jacob, *ibid.* Discrimen inter mentiri & falsum dicere, 253. 1. Inter fallere & falli, *ibid.* De mendacio in facto, 254. 2.

Metropolitanus. De ejus ordinatione, 199. 1. Duo in eadem provincia ordinari non debent, 209. 2. Sine ejus consensu Episcopus ordinari non potest, 198. 2. De ejus auctoritate, *ibid.* 225. 2. Metropolitanæ Ecclesiæ ritum sequebantur olim Ecclesiæ ejusdem provinciæ, 177. 1. 292. 1.

Ministri altaris. Ipsis continentiæ lex imposita, 188. 1. Non imposita, *ibid.* 2.

Missa. Quibus in locis celebranda, 290. 1. Duæ non sunt eadem die in eodem altari celebrandæ, 292. 1. Unde consuetudo duas, vel tres in aliquot solemnitatibus celebrandi, 290. 2. De tempore celebrandi missarum solemnia, *ibid.* 1. Missæ celebrationi præmittendum jejunium, *ibid.* Olim ob multitudinem populi pluries in eadem basilica celebrabatur, *ibid.* 2. De missis privatis, *ibid.* An & quando sacerdoti liceat plus quam unam missam in die celebrare, *ibid.* De canendo hymno *Gloria in excelsis* in cœna Domini, *ibid.* De ministris qui Episcopo celebranti assistere, & de sacrificio participare debent, *ibid.* 2. De missa solitaria, 291. 1. Prohibentur fideles egredi ante benedictionem sacerdotis, *ibid.* De oblatione in missa facienda, & de recitandis offerentium nominibus, *ibid.* De ritu *Sursum corda*, *ibid.* De novenario præfationum numero, *ibid.* Olim quodlibet penè festum suam præfationem habebat, *ibid.* In missa orandum pro defunctis, *ibid.* In sacrificio, panis, vinum, & aqua solùm offerenda sunt, *ibid.* Vetantur offerri uvæ, *ibid.* 1. De tempore dandæ pacis in sacrificio, *ibid.* De divisione hostiæ in tres partes, *ibid.* 2. Sacerdos sacrificans debet communicare, *ibid.* 1. Quandonam fideles ad communionem accedere debeant, *ibid.* De abstinentia ab uxoribus ante communionem, *ibid.* 2. Quæ pœnitentia illi imponenda, cujus negligentia aliquid de sanguine Domini ceciderit, *ibid.* De arcendis laicis à sacrario tempore quo sacra celebrantur, 292. 1. Missa Præsbyteri concubinarii non audienda, & quare, 188. 2.

Moderatio. Quæ à Clericis in exterioribus servanda sit, 199. 2. Regula ea de re à concilio Carthaginensi præscripta, 192. 2.

Monachi. Vita monachalis est pœnitentialis, 248. 2. De tempore ad monasticam probationem requisito, 245. 2. 248. 2. Miles olim monachus fieri non poterat sine consensu Episcopi, 248. 2. An & quando liceat vovere sine consensu abbatis, 250. 1. An monacho cum licentia abbatis liceat ad propria reddire, 245. 2. An monacho sine licentia abbatis discedenti bona sint restituenda, *ibid.* Nemo professionem monasticam nisi metu exortam deserere potest, 250. 1. Culpantur qui lucro inhiantes quosdam ad religionem alliciunt, *ibid.* An ab Ecclesiasticis functionibus debeant removeri monachi, 239. 2. An & quomodo ad officium ecclesiasticum admiti possint, 197. 2. Qui ad clericatum assumendi, 240. 2. Quinam possint legitimè functiones ecclesiasticas exercere, *ibid.* 1. Quo spiritu debent suscipere servitium Ecclesiæ, *ibid.* 1. Juxta pristinam disciplinam, ad officium ecclesiasticum assumptus desinebat esse monachus, 197. 2. Discrimen inter officia monachi & clerici, 240. 2. Privilegia monachorum seculo VI., 247. 1. Plena ipsis bonorum monasterii administratio concessa, *ibid.* Possunt in suis monasteriis sepelire, 240. 1. An ex prædiis suis teneantur ad decimas, 241. 1. An in suis Capellis habeant jus institutionis 242. 2. Exemptione olim Episcopi jurisdictioni non subtraherentur, 247. 2. Distinctio circa subjectionem monachorum respectu Episcoporum, *ibid.* 2. Occasio hujus distinctionis, *ibid.* A laicis sine consensu Episcopi decimas recipere non possunt, 245. 1. An Monachus ad Episcopatum assumptus fiat capax successionis paternæ, 246. 2. An possint monachi testari, 248. 2. Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio, 246. 2.

Vide Monasterium.

Monasterium. An bona monasteriorum Episcopi ordinationi subjaceant, 226. 1. Vetantur duplicia monasteria, virorum scilicet & virginum, 247. 2. Utrum pro ingressu monasterii pecunia exigi possit, 211. 1. De licentia Episcopi potest clericus monasterium ingredi, 248. 1. An possit invito Episcopo, *ibid.* An exeunti è monasterio bona ab eo oblata sint restituenda, 246. 2. De impuberibus monasteriorum ingredientibus, 249. 1. An pueri religioni traditi teneantur adulti in ea perseverare, *ibid.* Qua ætate possint à parentibus offerri, 249. 2. An & quando possint parentes votum puellæ irritare, *ibid.* An liceat ab uno monasterio ad aliud transire, 250. 1. Loca sacra & monasteria usibus profanis non sunt applicanda, 248. 2.

Mosaicæ legis abrogatio non officit juris naturalis immutabilitati, 173. 1.

Mulierum familiaritas clericis vetita, 189. 1. Domesticarum etiam personarum, *ibid.* 2.

Musica. Abusus in ea vitandi, 205. 2.

Ne-

N

Nefas. Quid per fas & nefas intelligatur, 171. 1.
Negotiatio Clericis interdicta, 192. 2. An negotiorum secularium peritum esse oporteat Episcopum, 191. 1.
Neophytus in Episcopum non ordinandus, 195. 1. Quis neophytus dicendus sit, *ibid.*
Nicolai II. decretum de electione Romani Pontificis, ejus occasio & historia, 183. 1.
Nocturna illusio, an & quando à susceptione corporis Domini, aut ejus oblatione impediat, 173. 1.
Novitiatus. De tempore ad monasticam probationem requisito, 345. 2. 248. 2. *Vide* Monachi.
Nuptiæ. Earum ritus, 185. 1. Quo tempore non debeant celebrari, 282. 2. Quis metus coactus faciat nuptias, 278. 1.
An & quo sensu improbatæ à Patribus secundæ nuptiæ, 277.

O

Obedientia inferiorum Superioribus debita 205. 2. Obedientia Presbyterorum respectu Episcoporum debet esse filialis, *ibid.* 2.
Oblationes discordantium olim non recipiebantur, 204. 2.
Occidere ne quidem ad vitam servandam licitum est, 258. 1.
Multo minus pro defensione honoris, bonorum temporalium, &c. *ibid.* Præcepto *Non occides*, non prohibetur occisio facta auctoritate publica, sed duntaxat privata, *ibid.* Nemini fas est seipsum occidere, *ibid.* Suicidæ ecclesiastica privantur sepultura, *ibid. Vide* Rei.
Œconomi. Ad quid constituti, & unde assumendi, 204. 2.
Officium divinum quomodo persolvendum, 205. 1. Qui abusus in musica vitandi, *ibid.* Divino cantui fabulosa non miscenda, 203. 2. An & quo sensu prohibeantur Diaconi in Ecclesia cantare, 205. 1. Quomodo punienda negligentia Clericorum in frequentandis divinis officiis, *ibid.* 2. De ordine officiorum, 294.
Officia Ecclesiastica. Ad ea in electionibus qui præferendi sint, 198. 1. Duo uni eidemque non committenda, & quare, 204. 2. *Vide* Monachi.
Orarium. Quid sit, 184. 2. Ejus usus, *ibid.* 1. Cum hodierno stolæ usu coincidit, *ibid.* Eo uti non sinuntur ministri inferiores, & quare, 284. 2. De pristina ejus forma, & qualiter ab hodierna stolæ forma differat, *ibid.*
Ordines. Quo ritu singuli conferantur, 184. De muniis singulorum, 184. 1. A quibus, quo tempore, & quo loco conferendi, 185. 1. 198. 2. 200. 2. An tonsuram & minores ordines Abbates conferre possint, 199. 2. Quæ ætas in Presbytero requisita, 201. 1. Pristina ac moderna ea de re disciplina, *ibid.* Ordinandorum tractatus, unde sic dictus, 181. 1. Quo ritu ante ordinationem examinandi Episcopi & alii, 184. 1. 185. 1. Promissio specialis ab ordinandis exigenda, 284. 1. Debent fuisse sine crimine, & quare, 202. 2. Neophytus non ordinandus, 195. 1. Nec bigamus, 203. 1. Quinam ab ordinibus arceantur ob functiones Clericis minus convenientes, 196. 1. An ab hæresi reversi ad sacros ordines sint recipiendi, 212. 1. Conjugati sine uxoris consensu ad sacros ordines nequeunt promoveri, 188. 2. An invitus possit ordinari, 200. 1. Conciliantur ea de re auctoritates in speciem contrariæ, *ibid.* Quomodo in servorum ordinatione sit procedendum, 196. 2. Quæ inter singulos ordines servanda interstitia, 201. 1. Quid ei agendum sit qui per saltum fuit ordinatus, 196. 2. Varia ea de re disciplina, *ibid.* Nullus in ordine superiori positus inferioris functionem obeat, 200. 2. De impedimentis ordinationis, 189. 1. De irregularitate ex defectu corporis, 197. 1. Ex defectu natalium, *ibid.* Ex baptismo in ægritudine, *ibid.* 2. An ordinatio ab excommunicato facta, rata haberi possit & valida, 224. 2. Quid agendum ubi de ejus validitate dubitatur, 199. 1. Nulla conditionis adjiciendæ mentio fit, *ibid.* Varia Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ disciplina circa usum uxorum ante ordinationem ductarum, 188. 1. Clerici incontinentes ab omni ordinum gradu dejiciendi, *ibid.* 2. An post ordinationem lapsi, & peracta pœnitentia in propriis ordinibus remanere, vel ad majores ascendere possint, 195. 2. Quid agendum iis, qui ad certas Ecclesias ordinati, ad eas accedere impediuntur, 205. 2. In ordinatione Romani Pontificis Episcopi Cardinales vicem metropolitani supplent, 183. 2. 201. 2. De ordinatione Metropolitani, 199. 1. Qui concurrere debeant ad electionem, & ordinationem Episcoporum, 198. 1. Episcopus, eo casu quod unicus in provincia supersit, *ibid.* 2. A quibus consecrandus, *ibid.* Episcoporum ordinatio intra tres menses fieri debet, 200. 2. Die Dominica fieri potest, sicut Presbyterorum, & Diaconorum; *ibid.* Nullus in alterius Episcopi diœcesi quidquam ipso inconsulto agere potest, 225. 1.
Ornamenta, ex qua materia sint conficienda, 290. 1. Major debet esse solicitudo de Sacerdotum moribus, quam de ornamentis aut vasis, *ibid.*

P

Pallium. De ejus usu, & tempore quo eo uti liceat, 209. 2.
Papa. Quis possit eligi, 202. 1. *Vide*. Electio. Quæ observanda in ejus electione, 183. 1. Decretum Nicolai II. de hac electione; ejus occasio & historia, *ibid.* Papæ electio etiam extra Romam fieri potest, 183. 2. Erat olim ab Imperatore probanda, *ibid.* Electus in Pontificem an regere possit Ecclesiam ante ordinationem, 184. 1. Ab Episcopis Cardinalibus Metropolitani vice ordinatur, 183. 2. Ejus primatus, 181. 2. Varia ad eum adstruendum supposititia, *ibid.* Ei non attribuendus universalis Episcopi titulus, 209. 1. 265. 2. Gratiani auctoritate desit inter Patriarchas numerari, 182. 1. Primates, Patriarchas, &c. instituendi auctoritatem sibi ex falsis decretalibus asteruerunt Romani Pontifices, 202. 1. An à nemine possit Papa judicari, 281. 2. 225. 2. *Vide* Judicia. An in suis decretis recedere possit à Patrum decretis, & Evangelicis præceptis, 180. 1. An in suis responsis circa fidem possit errare, 280. 1. Hoc supposuerunt veteres Canonistæ & Theologi, *ibid.* An Principes regno, aut imperio spoliare possit, 239. 1. An subditos à fidelitate erga Principem excommunicatum absolvere possit, *ibid.* Ipsi ex suppositiis decretalibus attribuitur plenitudo, aliis Episcopis pars tantum Ecclesiasticæ potestatis, 215. 2. Etsi novas leges concedere possit, tamen adversus statuta Patrum nihil valet, 265. Quod sæpiùs agnoverunt ipsi Romani Pontifices, *ibid.* Non potest dici Canonum *Dominus*, sed tantum executor & dispensator, 266. 1. Quandonam ejus judicium censeri debeat judicium Petri, 262. 2.
Paphnutius. Ejus historia, ac sententia de continentia Presbyteris, & Diaconis non præcipienda, 188. 1.
Parochia. De limitibus parochiarum, 250. 2. Plures baptismales Ecclesiæ infra eosdem terminos esse non possunt, 241. 2. Quælibet parochia debet habere suum proprium pastorem, 251. 2.
Pascha die Dominico celebrandum, 292. 2.
SS. Patres. Concilii Toletani XIV. sententia de præferendis SS. Patrum expositionibus in sanctam Scripturam summorum Pontificum decretis, 180. 2.
Patriarcha. Romanus Pontifex Gratiani auctoritate inter Patriarchas desit numerari, inter quos adhuc tempore Concilii VIII. numerabatur, 282. 2. Patriarchas & Primates instituendi jus sibi ex falsis decretalibus summi Pontifices vindicarunt, 202. 2. Patriarcha vices suas Subdiacono committere potest, 206. 2.
Patronatus. De jure patronatus, 243. 1. 244. 2.
Peccatum. Distinctio inter occulta & manifesta peccata, 202. 2. An sola contritione sine confessione remittantur, 295. 2. An & quo sensu dimissa reddeant, 288. 1. An à peccato excuset ignorantia, & infirmitas, 293. 2. Peccata multitudinis deflenda potius quam punienda, 257. 1. Sic peccantibus est misericordia impendenda, ut eis peccandi impunitas non tribuatur, *ibid.* 2. Deus quandoque peccata punit per scientes, quandoque per nescientes, 259. 2. De modo agendi cum multitudine peccantium ex Augustino, 193. 2. Quæ peccator considerare debeat, & à quibus abstinere, 288. 1.
Percussores Clericorum, qua pœna puniendi, 246. 1.
Perjurium. De gravitate & pœna perjurii, 252. 2. Modus minuendi frequentiam perjuriorum, *ibid.* An perjurus sit jurans falsum quod putabat verum, 253. 1. Perjurus est qui non jurat ad mentem exigentis juramentum, 254. 1. De pœnitentia perjuris imponenda, *ibid.*
Persecutio. Discrimen inter persecutionem catholicorum, & hæreticorum, 255. 2.
Pigmenta. Mulierum vetita. 294. 1.
Pœnitentia. Quid perfecta, & imperfecta, 287. 2. Quæ dicenda sit falsa, 288. 1. An ea sit falsa, quam gravis sequitur culpa, 287. 1. Distinctio inter solemnem & non solemnem, 195. 2. Inter solemnem, & publicam 287. 2. An per pœnitentiam remittantur peccata, *ibid.* 1. An possit reiterari, 286. 2. 287. 2. Ratio ob quam decepti fuerint Scholastici circa reiterationem pœnitentiæ,

tiæ, 287. 2. Modus conciliandi auctoritates in hac materia apparenter contrarias, *ibid.* Ad Episcopos pertinet pœnitentium reconciliatio, 268. 2. Pœnitentia criminum qualitati sine personarum acceptione attemperanda, 269. 2. Ea peccatori occulto proponenda, quæ publico imponi deberet, *ibid.* Quanto tempore agenda, 288. 2. In fine vitæ admodum incerta, *ibid.* Pœnitentes olim nonnisi post septem annos in pristinum gradum restituti, 281. 2. Veteris disciplinæ pœnitentialis vestigia, 233. 1. Pœnitenti moribundo non est neganda reconciliatio, 269. 1. Pœnitentia peccatis proportionata moribundis proponenda, 269. 2. Et si convaluerint eis imponenda, *ibid.* Quo affectu suscipiendi pœnitentes, impœnitentes abjiciendi, 270. 1. Quæ pœnitentia sacerdoti ob fornicationem imponenda, 202. 2. An lapsi Sacerdotes & peracta pœnitentia in susceptis ordinibus remanere vel ad majores ascendere valeant, 195. 2. An & quando fuerit olim licitum post pœnitentiam conjugium contrahere, 282. 1. Qualis adulterarum uxorum interfectoribus imponenda pœnitentia, 281. 2. Qualis perjuris, 253. 2. An & quæ imponenda furis interfectori, 236. 1. Pœnitentialium librorum utilitas, 202. 2.

Polygamia, in veteri lege licita, in nova omni casu illicita, 279. 1.

Pontifex Romanus. *Vide* Papa.

Popinæ Clericis vetitæ, 193. 2.

Potestas. Duplex, spiritualis & secularis 208. 2. Potestatis ecclesiasticæ plenitudo ex falsis decretalibus summo Pontifici attributa, pars tantùm aliis Episcopis, 215. 2. Potestatis publicæ utilitas, 258. 1. Potestatibus secularibus reverentia exibenda, *ibid.* Seculares potestates debent defendere Ecclesiam, pupillos ac viduas, *ibid.* 2. Schismatici per potestatem secularem coercendi, *ibid.* De potestate Principum circa temporalia, 173. 2.

Prædestinatio non nocet libero arbitrio, neque voluntati necessitatem infert, 256 2. Unica causa prædestinationis est misericordia Dei, *ibid.* Prædestinationis certitudo non tollit utilitatem correptionis, 256. 1.

Præfationes. De novenario earum numero, 291. 1. Olim quodlibet pene festum suam præfationem habebat, *ibid.*

Prælati. Quibus in locis instituendi, 202. 1. Prælatura sive locus regininis appeti non debet, 224. *Vide* Episcopus.

Præscriptio. De tempore ad præscriptionem requisito, 243. 1. Unde desumendum discrimen circa tempus præscriptionis, *ibid.* An Ecclesia Romana gaudeat privilegio centenariæ præscriptionis, *ibid.* 2. *Vide* Ecclesiæ bona.

Præcariæ. Quid.

Presbyter. Unde Presbyteri nomen, 203. 1. A quibus ordinandi Presbyteri, 199. 1. Verbum Dei coram Episcopis prædicare possunt, 207. 2. An eis competat potestas chrisma conficiendi, & infantes in fronte consignandi, 207. 1. An & quomodo cogi possint ad dandum testimonium, 236. 2. Quæ disciplina servanda circa Presbyteros lapsos in crimen carnis, 239. 2. Presbyteri concubinarii Missa non debet audiri, & quare, 188. 2. *Vide* Sacerdos.

Primatus Romani Pontificis, 181. 2. Varia ad eum adstruendum supposititia, *ibid.* Hujus convellendi ansam sectarii sumunt ex canone *Si Papa*, 192. 1. De Primatibus primarum Ecclesiarum, 209. 1. Primatibus obedientia ab Archiepiscopis debetur, *ibid.* *Vide* Papa. Patriarcha.

Principes. Eorum potestas respectu rerum temporalium, 173. 2. Eos suis legibus parere justum est, 174. 2. Principum constitutiones Ecclesiasticis constitutionibus secundum Gratianum debent famulari, 175. 1. Principum constitutionibus circa temporalia obsequi debent Pontifices, *ibid.* 2. Etiam quoad illa quæ spectant externam Ecclesiæ disciplinam, *ibid.* Nullam habent laici Principes circa res sacras disponendi potestatem, 207. 2. *& seqq.* An à Romano Pontifice Principes regno aut imperio spoliari possint, 239. 1. An eorum subditi possint à fidelitate absolvi, *ibid.* *Vide* Papa. Temporalia.

Professionis tacitæ exemplum, 271. 2.

Proventus Ecclesiæ. Qui divites de iis possint accipere, & qui non, 211. 1. *Vide* Ecclesiæ bona.

Privilegia Ecclesiarum inviolate servanda, 266. 1. 2. Quibusdam tamen casibus, aut in totum, aut pro parte tolli possunt, *ibid.* Monitum circa privilegiorum concessionem, 267. 1. Romanæ Ecclesiæ privilegia, 265. 2. *& seqq.*

Pudicitia in Episcopo præsertim requisita, 193. 1.

Purgatio. Ejus variæ species, 213. 2. An Sacerdotibus injungi queat juramentum, quo se purgent, 213. 1. Reprobata purgatio vulgaris, (aquæ scilicet ferventis ignitique ferri) tanquam superstitiosa, 214. 1. An & quando Presbytero crimen neganti purgatio canonica sit deferenda, 238. 2. *Vide* Judicia.

R

Raptus. Quid sit, & quandonam committatur, 284. 2. De duplici raptu, *ibid.* An & quandonam inter raptorem & raptam matrimonium esse possit, 285. Jure legum & canonum raptus erat impedimentum perpetuum, *ibid.*

Reconciliatio pœnitentium ad Episcopum pertinet, 268. 2. Alia publica, alia privata, *ibid.* De reconciliatione privata ob peccata occulta, 269. 1. Pœnitenti moribundo non est neganda, *ibid.* Nec histrionibus conversis, 292. 1.

Regressus. An ad beneficium derelictum detur regressus, 245. 1.

Reus. An & quando cogendus ad probationem, 221. 2. Pro eis apud Principes intercedere debet Ecclesia, 257. 2. Pro eis olim intercedebant Episcopi, ut eos ad pœnitentiam perducerent, 257. 2. Non ut eos à punitione eximerent, *ibid.* An eos occidere sit licitum, 257. 1.

Religiosi. Ipsis specialiter vetitus defunctorum luctus, 235 2. *Vide* Monachi.

Reliquiæ Sanctorum. An & qua auctoritate de loco in locum transferri possint, 290. 1.

Rescripta contra jus elicita nullius sunt roboris, 266. 2.

Restitutio. Quomodo possit restitui res jam Deo consecrata, 237. 2.

Ritus nuptiarum, 185. 1. Ecclesiæ Metropolitanæ ritum sequebantur olim comprovinciales Ecclesiæ, 177. 1. 292. 1.

De ritu tertii, septimi, &c. diei ab obitu, 235. 2.

Roma. Extra Romam fieri potest Romani Pontificis electio, 183. 2. Curiæ Romanæ opinio de Conciliorum Episcopalium auctoritate, 179. 1. Concilii Tridentini decretum ad suam ea de re opinionem inflectere conatur, *ibid.* Utrum Româ sine licentia discedere possint Episcopi accusati, & à sancta sede vocati, 224. 2.

S

Sacerdos debet esse pudicus 193. 1. Sacerdotes à vitiis debent esse immunes & quare, 195. 1. Satius est paucos habere bonos, quam multos minus idoneos, 184. 1. Magna Patrum solicitudo circa admittendos ad sacerdotium, 197. 1. Ad Sacerdotium assumendi in inferioribus ordinibus probari debent, 197. 2. An post ordinationem lapsi, & peracta pœnitentia in susceptis ordinibus remanere valeant, 195. 2. Pœnitentia ipsis ob fornicationem imponenda, 202. 2. Calumnias & vexationes quæ bonis Sacerdotibus inferuntur coercere tenentur Episcopi, 216. 2.

Sacramentum, aliud necessitatis, aliud dignitatis, 210. 2. Discrimen inter utrumque, *ibid.* An in eorum administratione aliquid temporale recipi possit, *ibid.* 2. Extremæunctionis Sacramentum infirmis olim ante viaticum conferebatur, 269. 2. Ab hæretico in necessitate baptismus suscipitur, sed non communio, 263. 1.

Sacrificium. *Vide* Missa.

Satyra vel *Satura* lex, quid, 171. 2. Hanc improbabant Romani, *ibid.* Maxime etiam in decretis ecclesiasticis præsertim dogmaticis improbanda, 172. 1.

Schisma. Discrimen inter hæresim & schisma, 254. 2. Qua occasione ortum schisma Trium Capitulorum, 258. 2. 178. 1. An schismaticos, ut ad unitatem Christi reddeant cogere possit Ecclesia, 259. 2. Schismatici per potestatem secularem coercendi, 258. 2.

Scripturæ sacræ expositiones per SS. Patres decretis summorum Pontificum præferendæ, 180. 2.

Sedes. Earum ordo inter Ecclesias, 181. 1. Episcopi Constantinopolitani prærogativa non sine difficultate fuit admissa, *ibid.* Sedis Apostolica præ cæteris decreta Patrum servat, & exequitur 265. 1. Romanus Pontifex etsi novas leges condere possit, tamen adversus statuta Patrum nihil valet, *ibid.* 2. Quod sæpius agnoverunt ipsi Romani Pontifices, *ibid.* Non potest dici canonum *dominus*, sed tantum executor & dispensator, 266. 1. Sedis Apostolicæ decreta in omnibus servanda, *ibid.* 2. Si tamen *salubriter* fuerint promulgata, *ibid.*

Sepultura. De sepulturis majorum, & jure eligendi sepulturam, 235. 1. De negantibus defunctorum oblationes, *ibid.* Nihil pro sepulturis potest exigi, *ibid.* In Templis olim vetitæ sepulturæ, *ibid.* 2. Quibus prosit sepultura in sacris locis, *ibid.* An sit concedenda cadaveribus suspensorum ecclesiastica sepultura, *ibid.*

Ser-

Servi. Quomodo in eorum ordinatione sit procedendum, 196. 2.
Simonia. Utrum emere spiritualia sit peccatum, 210. 1. Hujus peccati gravitas, *ibid.* 2. Unde petenda, *ibid.* Investituræ Episcoporum olim ab Imperatoribus datæ ut simoniacæ habitæ, 210. 1. Quandonam committatur simonia ob munus à lingua, *ibid.* 2. Utrum pro ingressu monasterii pecunia exigi possit, *ibid.* Simonia à patre commissa, an inficiat filium ignorantem, 211. 2. An possit hunc impedire à functione ecclesiastica, *ibid.* 2. An adeptus beneficium possit in eo permanere, detecta simonia, 212. 1. Emens temporalia spiritualibus annexa simoniacus est, 211. 1. Æque simoniacus est dans pecuniam pro electione, ac si daret pro ipsa consecratione, 212. 1. An & quando simoniacus sit is, qui occasione electionis præstat juramentum pro indemnitate Ecclesiæ, 224. 1. Simoniaci quasi hæretici irreparabiliter à sacris muniis deponendi, nisi ex misericordia hic rigor mitigetur, 212. 2. Regulæ in hac mitigatione servandæ, *ibid.* An simoniaci sacramenta conferre queant, 210. 2.
S. Papæ. Vide Canon.
Sobrietas in Clericis, & in Episcopo requisita, 190. 1.
Sortes sanctorum. *Vide* Sortilegium.
Sortilegium. Qui sunt sortilegi, 267. 1. Quædam usui sortium faventia, *ibid.* Usus tamem ille prohibitus præsertim in electione ad dignitates Ecclesiasticas, *ibid.* Sanctorum sortes, quæ & an licitæ, *ibid.* 2. De variis divinationum generibus, eorumque origine, *ibid.* De natura dœmonum, & utrum futura prænoscant, *ibid.* Qua pœna puniendi sortilegi & divini, 268. 1. De illusionibus quibus, mulieres à dœmonibus decipiuntur, *ibid.* 2. De maleficiis per res sacras ipsumque Missæ sacrificium, *ibid.* Incantationum variæ species, *ibid.*
Spiritus Sanctus. De eo Ecclesiæ fides, 294.
Spoliari. Episcopus sede sua spoliari non potest, nisi servato juris ordine, 216. 2. Romanus Pontifex immerito ab hac regula exceptus, 217. 1. Spoliatus ante omnia restitui debet, 216. 2.
Sponsalia. *Vide* Matrimonium.
Stola. Ejus usus, 184. 2. Cum antiquo orarii usu coincidit, *ibid.*
Strenæ. De earum origine, 270. 2.
Subdiaconi vasa sacra tangere prohibentur, 185. 1. Castitatis votum emittere debent, 187. 1. Non eadem fuit omnium Ecclesiarum in hoc puncto disciplina, *ibid.* 188. 1. Ipsis non fuit eodem tempore ubique continentiæ lex imposita, 187. 2.
Suffraganeus. *Vide* Episcopus.
Superstitio. De calendarum, dierum & annorum supersitiosa observatione, 270. 1. De magicarum artium inefficacia, *ibid.* 2. Qui dies Egyptiaci, *ibid.*
Symmachus Papa. Decretum ei falso attributum, quod optandum ut in Ecclesiæ codice non referretur, 191. 2.

T

Tabernæ cauponariæ. Eas frequentare vetantur Clerici, 193. 2.
Tempora. De jejunio quatuor temporum, 201. 1.
Temporalia bona. Quo jure possideantur 173. 2. Principum potestas circa res temporales, *ibid. Vide* Papa. Principes.
Testes. De ætate ad testandum requisita 219. 1. Qui testes possint repudiari, *ibid.* 217. 1. 219. 1. Quæ crimina excepta pro quibus quivis testes admittantur, 221. 1. An Episcopi simplici assertioni credi debeat, *ibid.* An & quando Canonicorum testimonium in causa Ecclesiæ sit legitimum, 236. 2. An & quando Presbyteri cogi possint ad dandum testimonium, *ibid.* An mulier testari possit contra Clericum, 238. 1.
Titulus. Sine ecclesiastico titulo Clericus ordinari non debet, 199. 2. Origo tituli patrimonialis, *ibid.*
Tonsura. An Abbates eam & minores ordines conferre possint, 199. 2.
Tractatus ordinandorum, unde sic dictus, 181. 1.
Translationes ab una Ecclesia ad aliam Canonibus interdictæ, 222. 1. Quandoque tamen permissæ, *ibid.* 2. An & quando ad aliam Ecclesiam translatus ad priorem reddire possit, *ibid.* Hostilitatis metu possunt mutari sedes Episcopales, 223. 1.
Tria Capitula. Qua occasione ortum schisma Trium Capitulorum, 258. 2. Quid de his moderni quidam sentiant Theologi, 178. 1.
SS. Trinitas. De fide hujus mysterii, 293. 2.
Trullanus Canon XXXVI. multipliciter corruptus citatur, 182. 2.

V

Vasa sacra. Ex qua materia conficienda, 290. 1. Ea tangere non debent Subdiaconi, & Clerici inferiores 185. 1.
Venatio Clericis interdicta, 189. 2.
Verbum Dei coram Episcopis prædicare possunt præsbyteri, 207. 2.
Vestes Fulgidis, & pretiosis vestibus uti non debent Clerici, 251. 1. De forma vestium clericalium, *ibid.*
Viduæ velari prohibentur 271. 1. De his quæ continentiam promittebant, *ibid.*
Virgines. De velandis virginibus, 249. 2. Quæ velationis virginum origo, 271. 1. De velatis & non velatis virginibus, *ibid.*
Velatis gravior quam aliis imponebatur pœnitentia si votum violassent, *ibid.* 2. Cur virgines potius quam viduæ velatæ, *ibid.* In virginum & viduarum professione distinctio, *ibid.* 2. Tacitæ professionis exemplum, *ibid.* Qua pœna puniendus qui sacratam virginem ducit, *ibid.* Virgo vim patiens pudicitiam non amittit, nec adulterii fit rea, 279. 2.
Virtutes non loca sanctum efficiunt, 192. 1.
Visitatio Ecclesiarum. Ecclesias sibi subjectas annuis vicibus Episcopi visitare debent, 226. 1. Quid ab ipsis in hac visitatione agendum, *ibid.* Subditos gravare non debent, *ibid.* 2. Formula interrogandi laicos, dum Episcopus visitat, 284. 1.
Unitas Ecclesiæ. Ejus fundamentum ex Cypriano, 262. 2. Necessitas servandæ unitatis & fugiendi schismatis *ibid.*
Non est in Ecclesia qui ejus unitatem scindit, 205. 2. Non autem quocunque modo à Romano Pontifice dissentiens, *ibid.*
Universalis Episcopi titulus Romanis Pontificibus non attribuendus, 209. 1.
Votum. Simplex & solemne, 187. 1. An à voto recedere liceat, 245. 1. Discrimen inter votum & simplex propositum, *ibid.* Quibus pœnis punienda violatio voti, & professionis continentiæ, 272. 2. Castitatis votum à subdiaconis emittendum, 187. 1. *Vide* Subdiaconi. An votis adstricti matrimonium contrahere possint, 272. 1. An & quando possint parentes votum puellæ irritare, 249. 2.
Usura. Quid sit, 237. 1. Clericis vetita, 237. 1. An usurarii non restituentes usuras pœnitentiam agere valeant, *ibid.* 2.
Uxor. Variæ fuit Ecclesiæ Latinæ & Græcæ disciplinæ circa usum uxorum ante ordinationem ductarum, 188. 1. Uxoris consensus requiritur ut à sacros ordines promoveatur vir, 288. 2. Uxori ante ordinationem ductæ de necessariis providendum, *ibid.* Uxor vim patiens pudicitiam non amitti, nec adulterii fit rea, 279. 2.

FINIS.

Servi. Quaenam in eorum ordinatione sit procedendum, 196. 2.
Simonia. Utrum emere spiritualia sit peccatum, 220. 1. Primus peccati gravitas, ibid. 2. Unde petenda, ibid. Investitura Episcopi a nullo ab Imperatoribus dare ut simoniacae habitae, 210. 1. Quandonam contrahatur simonia ob omnia a lingua, ibid. 2. Utrum pro ingressu monasterii pecunia exigi possit, ibid. Simonia a parte commissa, an inficiat nihilum ignorantem, 211. 2. An possit hunc impedire a functione ecclesiastica, ibid. 2. An adeptus beneficium possit in eo permanere, detecta simonia, 212. 1. Emens temporalia spiritualibus annexa simoniacus est, 211. 1. Atque simoniacus est dans pecuniam pro electione, ac si daret pro ipsa consecratione, 212. 1. An & quando simoniacus sit is, qui occasione electionis praestat iuramentum pro indemnitate Ecclesiae, 224. 1. Simoniaci quasi haeretici irreparabiliter a sacris muniis deponendi, nisi ex misericordia hic rigor mitigetur, 212. 1. Regulae in hac mitigatione servandae, ibid. An simoniaci sacramenta conferre queant, 210. 2.
S. Papae. Vide Canon.
Sobrietas in Clericis, & in Episcopo requisita, 195. 1.
Sortes sanctorum. Vide Sortilegium.
Sortilegium. Qui sunt sortilegi, 207. 1. Quaedam usui sortium faventia, ibid. Usus tamen ille prohibitus praesertim in electione ad dignitates Ecclesiasticas, ibid. Sanctorum sortes, quae & an licitae, ibid. 2. De variis divinationum generibus, eorumque origine, ibid. De natura daemonum, & utrum futura praenoscant, ibid. Qua poena puniendi sortilegi & divini, 208. 1. De illusionibus quibus, mulieres a daemonibus decipiuntur, ibid. 2. De malefactis per res sacras ipsumque Missae sacrificium, ibid. Incantationum variae species, ibid.
Spiritus Sanctus. De eo Ecclesiae fidei, 204.
Spoliati. Episcopus sede sua spoliari non potest, nisi servato iuris ordine, 210. 2. Romanus Pontifex immerito ab hac regula exceptus, 217. 1. Spoliatus ante omnia restitui debet, 210. 2.
Sponsalia. Vide Matrimonium.
Stola. Ejus usus, 182. 2. Cum antiquo oratii usu coincidit, ibid.
Strenae. De earum origine, 270. 5.
Subdiaconi vasa sacra tangere prohibentur, 184. 1. Castitatis votum emittere debent, 187. 1. Non eadem fuit omnium Ecclesiarum in hoc puncto disciplina, ibid. 188. 1. Ipsis non fuit eodem tempore ubique continentiae lex imposita, 187. 2.
Suffraganeus. Vide Episcopus.
Superstitio. De calendarum, dierum & annorum superstitiosa observatione, 270. 1. De magicarum artium inefficacia, ibid. 2. Qui dies Egyptiaci, ibid.
Symmachus Papa. Decretum ei falso attributum, quod optandum ut in Ecclesiae codice non reliquerit, 191. 2.

T

Tabernae cauponariae. Eas frequentare vetantur Clerici, 193. 2.
Tempora. De jejunio quatuor temporum, 201. 1.
Temporalia bona. Quo jure possidentur, 192. 2. Principum potestas circa res temporales, ibid. Vide Papa. Principes.
Testes. De aetate ad testandum requisita, 210. 1. Qui testes possint repudiari, ibid. 217. 1. 219. 1. Quae crimina excepta pro quibus quavis testes admittuntur, 221. 1. An Episcopi simplici assertioni credi debeat, ibid. An & quando Canonicorum testimonium in causa Ecclesiae sit legitimum, 230. 2. An & quando Presbyteri cogi possint ad dandum testimonium, ibid. An mulier testari possit contra Clericum, 238. 1.
Titulus. Sine ecclesiastico titulo Clericus ordinari non debet, 199. 2. Origo tituli patrimonialis, ibid.
Tonsura. An Abbates eam & minores ordines conferre possint, 199. 2.
Tractatus ordinandorum, unde sic dictus, 181. 1.
Translationes sic una Ecclesia ad aliam Canonibus interdictae, 222. 1. Quandoque tamen permissae, ibid. 2. An & quando ad aliam Ecclesiam translatus ad minorem reddire possit, ibid. Hostilitatis metu possint mutari sedes Episcopales, 224. 1.
Tria Capitula. Qua occasione ortum schisma Trium Capitulorum, 218. 2. Quid de his moderni quidam sentiant Theologi, 178. 1.
SS. Trinitas. De fide hujus mysterii, 211. 2.
Trullanus Canon XXXVI. multipliciter corruptus citatur, 182. 2.

V

Vasa sacra. Ea qua materia conficienda, 200. 1. Ea tangere non debent Subdiaconi, & Clerici inferiores 185. 1.
Venatio Clericis interdicta, 189. 2.
Verbum Dei coram Episcopis praedicare possunt praesbyteri, 207. 2.
Vestes Fulgidis, & pretiosis vestibus uti non debent Clerici, 271. 1. De forma vestium clericalium, ibid.
Viduae velari prohibentur 271. 1. De his quae continentiam promittebant, ibid.
Virgines. De velandis virginibus, 240. 2. Quae velationis virginum origo, 271. 1. De velatis & non velatis virginibus, ibid.
Velatis gravior quam aliis imponebatur poenitentia si votum violassent, ibid. 2. Cur virgines potius quam viduae velatae, ibid. An virginum & viduarum professione distinctio, ibid. 2. Taciae professionis exemplum, ibid. Qua poena puniendus qui sacratam virginem ducit, ibid. Virgo vim patiens pudicitiam non amittit, nec adulterii fit rea, 273. 2.
Virtutes non loca sanctum efficiunt, 194. 1.
Visitatio Ecclesiarum. Ecclesias sibi subjectas annuis vicibus Episcopi visitare debent, 226. 1. Quid ab ipsis in hac visitatione agendum, ibid. Formula interrogandi Laicos, dum Episcopus visitat, 184. 1.
Unitas Ecclesiae. Ejus fundamentum ex Cypriano, 262. 2. Necessitas servandae unitatis & fugiendi schismatis, ibid.
Non est in Ecclesia qui ejus unitatem scindit, 205. 2. Non autem quocunque modo a Romano Pontifice dissentiens, ibid.
Universalis Episcopi titulus Romanis Pontificibus non attribuendus, 209. 1.
Votum. Simplex & solemne, 187. 1. An a voto recedere liceat, 243. 1. Discrimen inter votum & simplex propositum, ibid. Quibus poenis puniendi violatio voti, & professionis continentiae, 271. 2. Castitatis votum a subdiaconis emittendum, 187. 1. Vide Subdiaconi. An votis adstricti matrimonium contrahere possint, 272. 1. An & quando possint parentes votum puellae irritare, 249. 2.
Usura. Quid sit, 237. 1. Clericis vetita, 237. 1. An usurarii non restituentes usuras poenitentiam agere valeant, ibid. 2.
Uxor. Varia fuit Ecclesiae Latinae & Graecae disciplinae circa usum uxorum ante ordinationem duciarum, 188. 1. Uxoris consensus requiritur ut a sacris ordinibus promoveatur vir, 188. 2. Uxori ante ordinationem ductae de necessariis providendum, ibid. Uxor vim patiens pudicitiam non amittit, nec adulterii fit rea, 273. 2.

FINIS.





VAN ESPEN
JUS
ECCLESIAST

3

2955